Cotton Tufts

John Adams Library,



IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF No
ADAMS
191.6

ANDREÆ RIVET

Pictavi, S.S. Theol. Doct. & Profeſſ.

THEOLOGICÆ & SCHOLASTICÆ EXERCITATIONES CXC.

I N otentiſsimis

GENESIN.

Ex Publicis ejus prælectionibus in Celeberrima Batavorum Academia,

In quibus, præter explicationem difficilium locorum, controverſiæ multæ adverſus varios errores agitantur: & quæſtiones non paucæ ad praxin pertinentes, ventilantur.

Præfixum eſt unicuique exercitationi, breviarium, & ſubjunctus Index materiarum.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex Officinâ BONAVENTVRÆ & ABRAHAMI ELZEVIR. Academiæ Typograph.

ANNO cIↃ IↃ C XXXIII.

Cum Privilegio

ADAMS 191.6

Illuſtriſsimis & Potentiſsimis

FOEDERATARUM BELGII PROVINCIARUM ORDINIBUS,

Patriæ Patribus, ſalutem & fœlicitatem.

Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Domini,

QVi res priſcis ſeculis geſtas, poſterorum memoriæ commendarunt, & de venturis ſeculis benè mereri conati ſunt, innumeri reperiuntur: ſed qui id ſint feliciter aſſequuti, & Hiſtoriæ, numeris omnibus abſolutæ, laudem, jure potuerint adipiſci, vel pauci admodum, vel potius nulli, inter humanos ſcriptores, id ſibi poſſunt vindicare. Nonnullis defuit materia, ſtylo & ingenio ſuo digna; quibuſdam, rerum exacta notitia; aliis, ingenii vis neceſſaria, & memoriæ fælicitas; multos rerum difficultas ſi non deterruit; aberrare tamen coëgit; præſertim eos, qui ab aliorum fide pendentes, in tenebris palparunt, & à cæcis ducibus, cæci ipſi, in foveas variorum mendaciorum inciderunt; unde tot narrationes fabuloſæ, hiſtoriæ dehoneſtamenta, cujus hæc præcipua laus eſt, ut fidei veritatique inſerviat; cæca alioquin, & nullius uſus, ademptis luminibus, quibus ſi deſtituantur lectores, & κριτηρίῳ vera à falſis diſcernendi careant, facilè deflectunt ad devia, magno ſuo malo. Ea tamen eſt hominum infirmitas, ut inter omnes ſcriptores, etiam maximè decantatos, ingenio, eruditione, & rerum peritia per experientiam comparata, inſignes, nullus ſit, qui in primam illam hiſtoriæ regulam non impegerit, quam eloquii Romani Princeps, neminem neſcire *hanc eſſe ſcribit,* ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. *Percurrantur omnium temporum, omnium nationum annales, & prodeat, ſi quis ſit, qui unum aliquem hoc munere in omnibus, ſine ulla exceptione perfunctum, probare ſuſcipiet. Vnum aut alterum fortaſſe proferet, qui inter cæcos luſcus regnabit, qui multa verè, graviter, jucundè,*

perſpicuè & commodè explicuerit: ſed, quod ſincerum vas nullibi incruſtarit, quod certis incerta non admiſcuerit, quod vana & inutilia non adjunxerit, an præſtare quiſquam mente ſanus velit, (non enim poſſe, ſat ſcio,) valdè dubitarem. Iturum potius exiſtimarem in Vopiſci ſententiam, neminem ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, non eſſe mentitum; *Et Vopiſco annuentis Tiberiani, eundemque jubentis,* ſcriberet ut liberet, ſecurus quod vellet diceret, habiturus mendaciorum comites, quos eloquentiæ mirabantur autores. *Sic illi de iis ipſis, quos maximo in pretio habuerunt; quibus, cum in omnibus veritatem tribuere non poſſent, elegerunt eos potius mendacii arguere, quàm à vero penitus aberrare: Quod fruſtra purum quæreremus, & ſine fecis admixtione, in iis maximè, qui quæ à prima mundi antiquitate, & rerum exordio repetenda ſunt eruere tentarunt; inani prorſus & irrito conatu, deſtituti ductore* ANTIQVO DIERVM, *qui unicus poteſt, in tam difficili & ſalebroſa via, greſſus dirigere; ut ad primam ſcaturiginem retro tendentes, è fonte limpido bibant, qui aliâs turbidis & cœnoſis aquis, nunquam ſitim reſtinguerent. Quod ne ſubiremus incommodum fecit Dei in nos benignitas, dum ea quæ obliterata fuerant, & memoria hominum penitus exciderant, ſpiritus ſui dictamine, ſuggeſſit ſanctis viris; & primi mundi, in quo etiam Eccleſiæ incunabula, hiſtoriam abſolutiſſimam, quantum quidem nobis conducere videbat, voluit extare, ne perpetuò ignoraremus, non ſolum unde hæc univerſi orbis ſtructura & compages, variaque in eo admirandorum operum ſeries, ortum duxiſſet; ſed etiam quomodo acciderit, ut*

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,

Creatum ut in cætera dominari poſſet, in miſeram hanc ſervitutem inciderit, ut quas regere potuit ad nutum creaturas, non ſolum metuat, ſed etiam rebelles & infeſtas ſibi experiatur: nec tantum extra, ſed intra, in ſemetipſo, membrorum & affectuum rebellionem & miſeram ἀταξίαν *ſentiat, in creatorem ſuum ingratum, in proximum ſuum iniquum, ſibi ipſi grave, aliis moleſtum; &, ut verbo dicam, omnium animalium miſerrimum, ſi in eo ſtatu perduret, in quem ſuâ culpâ incurrit: à quo, nec motu proprio cupit, nec ſuis ullis viribus poteſt, in meliorem perduci. Qui olim tot querelas adverſus Naturam, tanquam homini novercam effutiverunt, & per latus Naturæ, Deum ipſum auſi ſunt impetere, cum hanc deplorarent hominum miſeriam, eo veſaniæ nunquam prorupiſſent, ſi compertum eis fuiſſet, qualis ab initio fuit homo à ſuo creatore formatus, quantis & quam egregiis dotibus inſtructus, quot bonis tam animi quàm corporis, tam internis quam externis, donatus; quam amœna & honeſtis omnibus deliciis affluens ei parata & conceſſa fuerit habitatio; quam pauca & quam facilia ab eo liberalis ille parens & donator, exegerit obedientiæ & ſubjectionis clientelaris, debita; quam protervè tamen ſe geſſerit, dum ſuo abutens arbitrio, & ſe perdidit, & ipſum; plus infeſtiſſimi hoſtis mendacio, quam benigniſſimi patris promiſſis & comminationibus, fidei adhibens; & dignitatem affectans ſupra ſuam ſortem, in hanc indignam & verè deplorandam, ſe dedit præcipitem. Tunc enim, melius informati, mirati fuiſſent, juſtitiæ divinæ tam indignis modis læſæ, tantam patientiam, quæ terræ vermiculum, divinitatem affectantem, eatenus tuliſſet, ut*

non

non ſolum eum non contriverit; ſed ultro etiam revocaverit ad meliorem mentem, benignè caſtigatum; oblato prætereà remedio & antidoto ſaluberrimo, adverſus afflatum à ſerpente venenum, & patefacta via, qua poſſet emergere; & arreptâ, poſt tam triſte naufragium tabulâ, mortem meritam effugere; ac quantumvis paradiſo terreſtri excluſus, ad cæleſtem non ſolum aſpirare, ſed & pertingere. Adoraſſent nobiſcum miſericordiæ illius infinitam benignitatem, quæ miſeris peccatoribus eam benedictionem non abſtulit, quâ vita hac defuncturi, in poſteris viverent, terramque replerent habitabilem: ſed id maximè, quod pleriſque poſterorum rebellantibus, & vindictam cæleſtem iterum provocantibus, inſigni, & penè univerſali malitia, dum juſtitia divina ſævit in maximam partem, miſericordia nonnullos ſervare voluit, reliquias mundi præteriti, & ſemen non tantum innovandi, ſed Eccleſiæ etiam propagandæ, propter quam mundum condiderat, & conditum ſervare voluit. Quod impiis, humani generis ſuper terram multiplicati, auſis, & ambitioſa Θεομαχίᾳ, ſapientiſſimè ſimul & commodiſſimè uſus, diſperſit homines in varias colonias, & tot gentibus initia dedit, per omnes terræ plagas propagandis: quod pleriſque ad inanes cultus, & varia commenta ac deliria degenerantibus, ipſis etiam quibus potior benedictio promiſſa fuerat, eum quem fidelibus patrem conſtituerat, ad ſe vocatum, & aliò migrare juſſum, fœdere ſpeciali ſecum conjunxerit; peregrinum, inter gentes, alioquin exitio deſtinatas, exercuerit; ei multis modis benedixerit; prole, ſupra & contra ſpem, beaverit; graviter tentatum, victorem laudaverit, exemplum fidei & conſtantiæ ſemini venturo; in filium & nepotem, fœdere cum iiſdem confirmato, benedictionem tranſtulerit; palantes deduxerit, & famelicos paverit; & miris modis eorum progeniem in Aegyptum tranſlatam, hoſpitio primùm humaniſſimè exceptam, oppreſſam exinde, in numeroſum populum multiplicaverit, quæ preſſa valentior facta, potenti Dei manu ſuſtentata, jugo exactoris excuſſo, per deſertum in terram promiſſam deducta, & tandem introducta fuit, ubi ſpeciali ad id inſtituto cultu, ſemen benedictum expectaret, gentibus omnibus expetendum, nunc exhibitum & amplectendum. Hæc ſanè nullibi in Antiquitatum ſcriptoribus comparent, præterquam in iis qui hauſerunt è fonte Iſraëlis, quem in libris divinitus inſpiratis limpidum habemus, inter quos ordine primus eſt liber Geneſeos, à laudatiſſimo illo Dei Miniſtro Moſe θεοπνευστῶς conſcriptus, poſtquam familiari Dei alloquio edoctus, quæ à tali & tanto Magiſtro didicerat, antea vel incognita, vel obſcura, in hiſtoriam congeſſit; cui nulla eſt quæ cedere non debeat, & antiquitatis, veritatis, jucunditatis, utilitatis, neceſſitatis, candoris, perſpicuitatis, dignitatis proinde prærogativam concedere. Habuit enim vir ille maximus, quæcumque aliis anteà detraximus, ſive inſtrumenta, ſive documenta, & ingenii ornamenta, ad opus hujus generis abſolutiſſimum exarandum; non certè vel naturâ inſita, vel arte conquiſita, quamvis etiam in his alios ſuperaverit; ſed divinitus indita, ingenium & manum dirigente ſpiritu illo, cui omnia ſunt præſentia, & qui ſcrutatur profunda Dei; cui, cum omnia norit, nullam afferre poteſt difficultatem, rerum memoriæ prodendarum vetuſtas; nullum faceſſere negotium, diſcordia eorum, qui res geſtas veterum in literarum monumenta retulerunt, quorum ope non indiget; &, cum prudentiæ, ac intelligentiæ ſpiritus ſit, non poteſt ea non

ſeligere,

ſeligere, quæ maximè ad rem faciunt; non ſolum rerum rationem & temporum ordinem aptè diſponendo, ſed etiam in rebus magnis & memoria dignis, conſilia primùm, deinde acta & eventus, declarando; quid probandum, quid contra, indicando; & cauſſas omnes atque caſus explicando, quibus mens humana ad veram ſapientiam poßit informari. Hæc ego dum mecum perpenderem, cum in eo munere verſarer, quod mihi commiſſum erat, in interpretatione Veteris Teſtamenti, poſt alios quoſdam libros propheticos, publicè enarratos, ad prima illa & vetuſtiſſima monumenta remeare, operæ-pretium duxi, & auditores meos ad tantarum rerum ſcaturiginem deducere, ex qua mecum haurirent, quibus ſitim ſuam explere, & quæ aliis utiliter propinare deinceps poſſent. In quem finem, id mihi potiſſimum propoſui, ut in iis immorarer maximè, quæ attentum lectorem & interpretem requirerent, & occaſionē præberent, in eas excurrendi diſquiſitiones, quarum & jucunda eſſet cōſideratio, & utilis enucleatio ac ſolutio. Qui labor noſter, cum ad juſti voluminis molē, per exercitationes, paulo minus ducentis, perveniſſet, domi aliquamdiu detentus, multis ſæpè exigentibus ut publici juris fieret, cum id jure ſuo poſtulare viderentur, quandoquidem publicæ profeßionis fructus eſſet, eorum poſtulatis tandem ceßi; præſertim, poſtquam ab Illuſtrißimo Principe ad id munus fui vocatus, quo ut defungerer, publicæ lectiones erant intermittendæ, & ab Academia ad aulam tranſmigrandum. Illi enim cum multum ſemper debeam, quæ me etiamnum pro ſuo agnoſcit, aliqua ratione, vel abſens, nonnihil ex meis lucubrationibus emolumenti procurabo; ſi, quod in ea conceptum eſt & affectum, ei reſtituam; & ſtudioſis qui in ea verſantur, hæc per otium evolvenda proponam, quæ, ab iis qui tum affuerunt audita, fortè prætervolarunt; quicquid ſit, quæ plurium uſibus inſerviant, cum anteà, non adeo multis, fuerint communicata.

Cum autem cogitarem, quo nomine & patrocinio advocato, eis aliquam commendationem & tutelam impetrarem, Illuſtrißimæ & Potentiſſ. DD. Veſtræ mihi quidem primùm in mentem venerunt; ſed earum ſplendore deterritus, & ingenii mei tenuitatem intuitus pedem revocabam, unde me pudor ingenuus avertebat; præſertim iis temporum circumſtantiis, quibus tot & maximi momenti negotiis præpeditæ, Ill. DD. VV. in quibus incolumitas & ſalus Reipub. conſiſtit, non ſine aliqua imprudentiæ & temeritatis ſuſpicione, interturbarentur; niſi animum mihi addidiſſent, quibus nota eſt humanitas veſtra, & in ſtudia noſtra propenſio, quorum fretus conſilio, eo proripere auſus ſum audaciæ, ut hoc noſtrum qualecumque opus vobis ſiſterem, & offerrem; munus, quantum ex me eſt, exile, ſed tamen à materia ſua exquiſitum, in quo videre licebit, quæ prima fuerint omnium Rerumpub. fundamenta, qua ratione coierint, quibus legibus homines, tum Deo, tum ſibi & aliis devincti, vel Religionem coluerint; vel juſtitiam exercuerint, vel latrocinia coërcuerint: quid iis acciderit, qui impietatis in Deum rei, & iniquitatis in proximū convicti, humanæ ſocietatis jura violaverint; ut merito ſuo, inter libros legis primum locum obtinuerit is, in quem meditationes noſtras evulgamus: in cujus lectione dubitandum non eſt verſatiſſimos eſſe, qui ad talis Reipub. qualis vobis commiſſa eſt, clavum ſedentes, Religionem aſſerunt & tuentur, & juſtitiæ adminiſtrandæ modum præſcribunt; quibus duabus velut baſibus, incumbit univerſa operis veſtri ſtructura, perpetuò duratura, & in-

crementa ſua in dies adeptura, quamdiu Illuſtriſſ. & Potentiſſ. DD. VV. habebit pietatis cultrices, patronas & promotrices; juſtitiæ itidem, & æquitatis fautrices ac vindices. Quod à zelo & prudentia veſtra expectant ii, qui anteà ſub graviſſimo duplicis tyrannidis, ſpiritualis & temporalis jugo, gementes, ditionibus veſtris ſunt additi, Deo auſpice & favente, vobis invigilantibus, autoritatem veſtram interponentibus, & de ſumptibus neceſſariis providentibus: Invicto Principe, copiarum veſtrarum ductore, fauſtis omnibus prudentiam & fortitudinem adhibente; quibus omnibus, ſub Deo, conjunctim enitentibus, ſummus ille Deus exercituum è cœlo favit, qui nunc gratitudinem veſtram exigit, in opere ſuo promovendo, & filii dilecti regno propagando. Ad quod, cum ſpontè propenſi ſitis, meum & mei ſimilium tam non eſt monere & hortari, quam ab eodem ſummo rerum arbitro precibus impetrare, ut conatibus veſtris & incœptis, benignam & potentem manum adhibere pergat, non ſolùm ut acquiſita conſervet, ſed etiam ut porrò fines veſtros & limites prorogando, concordes vos & unanimes ad gloriæ ſuæ ſcopum dirigat, à quo reliqua omnia pendent, quæ inſuper adjicere ſolet. Sed dum talia cogito, quæ Deus per vos & apud vos fecit, eaque votis meis perſequor, video me ſenſim abripi in fuſiorem de his rebus, & apud tales minus neceſſariam allocutionem, quam abrumpere debeo, ne importunius vos detineam; ſi primùm hoc publicè profeſſus fuero, me, qui multum Hollandiæ debeo, quæ me vocatum, excepit ſinu ſuo per annos duodecim, Illuſtriſſimo Ordini veſtro, eo nomine ſpecialiter devinctum eſſe, quod non ſine ſingulari DD. VV. decreto & literis, advocatus fuerim ex Galliis, ut operam meam addicerem Academiæ, in qua juventus Belgica inſtituitur: cui judicio de me veſtro, gratitudinis aliquod teſtimonium hactenus debui, quod ſi vobis gratum ſit, ex hac mea compellatione, erit quod mihi abundè gratuler, & hujus meæ audaciæ non pœniteat: quod etiam animos mihi addat, ut quantum ingenii mei vires ferent, in eo munere quo nunc defungor, de Republica veſtra, & de veſtris Illuſtriſſ. DD. benè mereri ſtudeam. Valete Illuſtriſſ. & Potentiſſimi Domini, & in Reipub. & Eccleſiæ publicum; in privatum etiam omnium veſtrûm bonum, perennate. Hagæ Comitis, XV *Kal. Majas,* CIↃ IↃCXXXIII.

Illuſtriſſ. & Potentiſſ. DD. veſtris addictiſſimus, & ad obſequia paratiſſimus,

ANDREAS RIVETUS.

SVMMA PRIVILEGII.

ILluſtriſſ. & Potentiſſ. Fœderatarum Belgii Provinciarum Ordines, autori privilegium hoc conceſſerunt, ne quis, præter BONAVENTURAM & ABRAHAMUM ELZEVIR Typographos Academiæ Lugduno-Batavæ, quos ad hoc elegit, hunc EXERCITATIONUM IN GENESIN librum, intra annos undecim, imprimat, aut alibi impreſſum in Belgio divendat, ſub pœna confiſcationis librorum, & mulctæ ſexcentorum florenorum, prout latius patet in diplomate, dato Hagæ Comitis, 15 April 1633. ſubſignato.

B. SLOET.

Et infra,

De mandato D D. Ordinum Generalium,

CORN. MUSS.

EXERCITATIONES THEOLOGICÆ & SCHOLASTICÆ,

In primum librum Moſis qui GENESIS apud Græcos inſcribitur.

PRAEFATIO.

PROPOSITUM eſt mihi in hoc opere, favente Deo, in locorum difficilium primi libri Moſis explicatione verſari, eaque omnia ſeligere, quæ non ſolum manifeſtè ſunt controverſa, ſed etiam ea in quibus enodandis maximè laborant interpretes, aut quæ inter ſe, vel cum aliquibus aliis Scripturæ locis pugnare videbuntur, & in quibus diligens lector hærere poſſet, niſi juvaretur. Ea proinde omnia, quæ ad memorata difficultatum genera pertinere judicabo, ex ordine capitum & librorum ſeligere, & de illis tantùm agere, in quibus aliquid, vel maximè notatu dignum obſervabo, vel controverſum inter nos, & non unius generis adverſarios, Pontificios, Socinianos &c. vel in quo aliquod ἐναντιοφανὲς appareret: etiam ubi videbo ex aliquo loco quæſtionem poſſe moveri, cujus ſolutio erit alicujus momenti, ad exemplum Auguſtini & Doctorum aliquot veterum, non pigebit eam ventilare, & pro virili, in ea diſcutienda laborare, ut ita non ſolùm labor noſter prodeſſe poſſit, ſed etiam varietate ſua aliquo modo delectare. Non eſt autem animus, nimium præfando lectorem diu detinere, nec etiam immorari in Prolegomenis de libri Geneſeos autore primario vel ſecundario, de Scripti antiquitate, de ſtylo, dicendi genere, partitione, & ſimilibus, quæ ab eo qui juſtam & continuam totius libri interpretationem ſuſciperet, expectantur; Unum ſolum priuſquam ulterius progrediar, notandum eſt, tanquam uſus neceſſarii, ad ea quæ deinceps, ad unumquemque locum propoſitum, erunt dicenda.

Fuerunt olim nonnulli, & hoc noſtro tempore iis gemini reperti ſunt, qui cenſerent pleraque omnia quæ in libro Geneſeos, præſertim in creationis hiſtoria ſcripta ſunt, non ita accidiſſe prout narrantur, nec eorum hiſtoricam veritatem eſſe quærendam, ſed ad allegorias recurrendum, quas tanquam à ſpiritu ſancto intellectas, ipſi privato ſpiritu excogitant, & Moſis verba pro libitu torquent, ut ipſi affingant de quibus ne cogitavit quidem. In his, inter veteres, Origines agmen ducit; inter recentiores quidam Brocardus Geneſim totam ſuis inanibus Prophetiis maculavit, dum rei præteritæ hiſtorias, in prædictionem rerum futurarum conatus eſt transformare. Sunt etiam alii quidam fanatici, qui idem moliuntur, præſumuntque ſe videre quæ in penetralibus latent, ad quæ cæteri non admittuntur, quibus omnes alii interpretes ad inſtar vulpeculæ Æſopicæ, videntur lambere vitreum

vas, haud pultem attingere. Sunt qui eo deveniunt, non ex præſumptione abſtruſioris alicujus ſenſus, ſed qui ad allegorias confugiunt, ubi vident ſe ad literam multa non poſſe exponere, vel inter ſe prima ſpecie pugnantia conciliare. Quod de ſe ipſo fatetur Auguſtinus, cum adhuc junior eſſet, tum enim, agens duobus libris de Geneſi contra Manichæos, *recenti*, ut loquitur, *tempore converſionis ſuæ, quia non occurrebant tunc ipſi omnia, quemadmodum propriè poſſent accipi*, ad figuratam expoſitionem converſus eſt. Sed poſteà in libris de Geneſi ad literam, aliam ingreſſus eſt viam, quum potuit oſtendere, quæ antè figuratè acceperat, *poſſe ſecundum propriam locutionem dicta eſſe demonſtrari.* Vt ipſe loquitur, lib. 8. cap. 2. Qui etiam initio ejuſdem libri hæc præmiſerat: *Narratio Moſis in libro Geneſeos, non eſt genus locutionis figuratarum rerum, ſicut in Cantico Canticorum, ſed eſt expoſitio rerum omnium geſtarum, ſicut in Regnorum libris, & cæteris ejuſmodi.* Quam veriſſimam ſententiam adverſus Origenem aſſeruit Baſilius, Homil. 3. in Geneſ. ubi poſtquàm meminiſſet opinionis Origenis, qui per *aquas ſupercœleſtes* bonos; per ſublunares, malos Angelos intelligebat, ſubdit de illo & ſimilibus, *Et quidem iſti prætextu anagogici ſenſus, & ſublimioris intelligentiæ, ad allegorias transferunt omnia; nos vero hiſce interpretationibus, ut quæ ſomniis & anilibus fabulis ſimiles ſunt, relegatis, nomine aquæ, intelligamus veram aquam, & cæteras res ſimiliter.* Idem in exordio Homiliæ nonæ ſcitè comparat eos qui non acceptant ſententias ſcripturæ communes, & qui aquam non ut aquam accipiunt, & piſcem, vel herbam &c. mutant in alias naturas, cum ſomniorum interpretibus, *qui ad id reſpicientes quod ſibi propoſuerunt, ſomniorum interpretationes fingere ſolent.* Ego, inquit, *cum fœnum audio, fœnum intelligo, & ſtirpem, & piſcem &c. Omnia ut dicta ſunt, ita accipio.* Alioquin, ut optimè initio Hexameron notavit Beda, periculum eſſet, ne apertam hiſtoriæ fidem, allegoriſando relinqueremus. Et certè ſi quæ tradit Moſes in primis Geneſeos capitibus, non prout verba ſonant, & propriè ſunt intelligenda, nullam, aut ſaltem non ſtabilem & ratam habebimus doctrinam de mundi origine & cunabulis, quia nullibi certum aliquid de ea re traditur: neque certa erunt quæ hactenus de creatione credita fuerunt, ex fundamento literalis illius ſenſus quem præ ſe verba ferunt, ſi, non tam hiſtoriam ſcripſit Moſes, quam aliquod Drama, in quo ſub fictis nominibus, alia omnia voluit deſignare. Quod ſanè commentum fuit Satanæ, quo Eccleſiæ detractam voluit notitiam illam, quam alibi in toto terrarum orbe, involverat fabulis, quarum vanitatem videbat intelligentia plana ſacrorum codicum detegi & redargui.

Non eſt negandum, in Hiſtoria Moſis typos aliquos rerum futurarum reperiri, quod, ſuo loco, in nonnullis obſervabimus, ſi Deus dederit. Sed Typi, à rebus fictitiis non deſumuntur. Hiſtoricam ſuam habent veritatem, quæ primo eruenda eſt, nec poteſt etiam typi ratio intelligi, niſi primùm de Hiſtoriæ ſenſu & veritate conſtet. Sed præſertim cavendum cenſemus, à Caballiſtica illa ratione, quævis ex Scriptura eruendi, cui indulſerunt Ebræorum Doctores, quam ab iis mutuati ſunt Magi, quam aliquando, imprudenter valdè, uſurpant, qui Chriſtiana dogmata amplectuntur, quæ illi etiam in literarum characteribus miro modo expiſcantur, quo certè, veritati non parùm præjudicant; niſi qui fortè argumento ad hominem ut loquuntur, adverſus Iudæos fidei myſteria aſſerunt ex ipſorum arte quæ tamen ratio, vix ſucceſſu bono uſurpabitur. Tutius eſt ſimplici & trita via incedere, claris & perſpicuis inniti, pondere non numero vel rationum vel autoritatum pugnare, ne incerta certis admiſcentes, fidem detrahamus iis quæ ſine aliorum ſubſidio, ſeorſim ſumpta, ſuam ipſa veritatem & autoritatem obtinebant. Hæc initio paucis præfari viſum eſt. Deinceps ad rem propiùs aggrediemur, Deo juvante, & neglectis otioſis diſputationibus, utilia & neceſſaria, pro virili conſectabimur.

AD

AD CAPUT I.

EXERCITATIO I.

In principio *non ſignificat* in filio. *Patrum quorundam hallucinatio de vocis Ebr. ſignificatione. Enjedini* περιεργία *taxatur.* τὴν ἀρχὴν *Ioan. 8. quid? locus Ebr. 1. v. 7. obiter explicatur. Serveti falſa loci Ioan. 1. interpret. Item novorum Samoſat. Refelluntur. Trinitatis Myſterium, an & quomodo probari poſſit ex initio Geneſeos. Varii modi quibus id fieri poſſe nonnulli putant Examinantur. Hunnii & aliorum in Calvinum Calumnia. Retunditur Zanchius ab autoris Calvino-turciſmi calumnia defenditur. Vera ratio probandi hujus myſterii. Verbi* ברא *ſignificatio. An creaturæ vis creandi communicari poſſit? non poſſe, ſive ut cauſſæ principali, ſive ut inſtrumentali, probatur. Omnia non fuiſſe creata in momento, aſſeritur contra Auguſtinum, & alios. Objectionibus ſatis ſit.*

INITIO libri Geneſ. cap. 1. verſ. 1. occurrunt hæc verba, *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Ex quibus duo præſertim in Controverſiam veniunt. 1. Quid per principium intelligatur? 2. An ex his verbis aliqua deduci poſſit ſolida myſterii Trinitatis probatio, & qua ratione? In utraque quæſtione, res nobis erit cum Samoſatenianis novis. Sunt etiam nonnulla in quibus cogimur ab eorum ſenſu diſcedere, cum quibus in ſumma rei conſentimus; Sunt præterea quædam à doctis & piis viris annotata, quorum nomine à nonnullis graviſſimam patiuntur calumniam. De omnibus ex ordine dicemus.

Quod nuper dicebamus, non facilè dandum eſſe locum interpretationibus allegoricis aut figuratis, ubi obvius eſt ſenſus literalis, & commodè fluit, exemplo quarundam hujus loci interpretationum, vel potius accommodationum, experimur. Veteres nonnulli, *Principii* vocem, de filio Dei acceperunt, ut *in Principio,* ſit idem quod *in filio,* id eſt, per filium. Et ſic in Ebræo haberi, nonnulli Patres Ebraiſmi imperiti, aliquando ſenſerunt. De quibus Hieronymus init. quæſt. ſuper Geneſim, *Plerique,* inquit, *exiſtimabant, ſicut in altercatione Iaſonis & Papiſci ſcriptum eſt, & Tertullianus in lib. contra Praxeam diſputat, necnon Hilarius in expoſitione cujuſdam Pſalmi affirmat, in Ebræo haberi, in filio fecit Deus &c.* verba Hilarii habentur in Pſal. 2. בראשית, *bereſchith,* tria apud Ebræos ſignificare, *in principio, in capite, & in filio.* Quam ſignificationem ultimam, nec agnoſcit Hieronymus, inter veteres Ebraiſmi peritiſſimus, nec Tertullianus, qui cap. 5. adverſus Praxeam, eam refert ex aliis, probat tamen tanquam veram; Et Paraphraſtes Onkelos, בראשית, *bereſchith, in principio,* expoſuit, בקדמין, *bekadmin, in principio,* ſeu *in primordiis,* nempe, rerum. Sed fortaſſe huic interpretationi occaſionem dedit Targhum Hieroſolymitanum, qui בחכומא, *bechukma,* vertit, id eſt, *in Sapientia,* ſed nullo fundamento, quod ſaltem appareat. Et rectè Calvinus, *Nomen Principii de Chriſto exponere, nimis frivolum eſt.* Id cum vidiſſet impius ille Samoſatenianus, Georgius Enjedinus, ſi in ipſo fuiſſet vel mica candoris, non propoſuiſſet ſibi diluendum operoſè argumentum, quod videbat à noſtris non magni fieri. Agnoſcimus enim ultro, ſi nulla alia extaret ratio, cur filius Dei haberetur pro mundi creatore, labili fundamento ſubnixam fore fidem de eo dogmate noſtram. Sed aliis fulcris innitimur, de quibus ſuo tempore. Certum eſt, voce illa, *in principio,* Chriſtum non ſignificari, nec ſententiam eorum qui ſic ſentiunt corroborari, verbis Chriſti Joan. 8. v. 25. *Principium, qui & loquor vobis,* nam voces illæ τὴν ἀρχὴν, adverbialiter accipi debent, ut notarunt docti, pro *jampridem & ab initio,* quo modo etiam alibi interpretes Græci vocem בראשית, *bereſchith,* expreſſerunt, aut בתחלה, *batechila,* Geneſ. 13. v. 4. & 41. v. 21. & 43. v. 19. & Dan. 8. v. 1. ut τὴν ἀρχὴν idem ſit, quod κατὰ τὴν ἀρχὴν, aut ἐξ ἀρχῆς, *à principio*; ut Nonnus etiam ibidem appoſitè ὅτι παρ' ὑμῖν, ἐξ ἀρχῆς ἐλάλιζον, *quod vobis initio dixi.* Eſt enim trajectio, in qua vocabulum τὴν ἀρχὴν pendet à verbo λαλῶ, per Elleipſin præpoſitionis κατὰ, quaſi dicatur κατὰ τὴν ἀρχὴν. Quapropter, non ſolidum putamus, quod Auguſtinus, & alii veteres multi, ex hoc loco & ſimilibus, *principii* vocem de Chriſto accipientes, contra ejus divinitatem negantes, ex illa ſunt argumentati: Unde accidit, quod initio monebamus, ut hæretici, cum viderent ſe multa poſſe adverſus tales ſpeculationes, non ſolùm probabiliter, ſed etiam certò regerere, inſiſtunt in eis refellendis, ut videantur aliquid dixiſſe, & apud infirmos ſe gerunt, ac ſi rem ipſam, ad cujus probationem afferuntur, nobis eripuiſſent. Nos igitur non inviti fatemur, vocem illam non ſignificare filium, ſed initium aut caput, quod idem eſt, & hic initium temporis denotare, vel initium creandi, ut magis referatur ad actionem extra ſe exerentem, quam ad quantitatem, etſi ipſa etiam includatur. Cujus ſententiæ autorem

rem agnoſcimus Sp. ſanctum Hebr. 1. v. σὺ κατ' ἀρχὰς κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας &c. *tu, initio, Domine terram fundaſti.* ex Pſal. 102. v. 26. ubi illud κατ' ἀρχὰς, exprimit vocem לפנים, *lepanim*, antè, id eſt, ante quam quicquam creatum eſſet, quod eſt *in principio*, ut ſit principium exiſtentiæ, quando incœpit eſſe quod factum eſt, ante quod nihil factum erat. Quo ſenſu accipiendum eſt initium Euangelii ſecundum Joannem, *in principio erat verbum*, quibus ſignificatur verbum illud Eſſentiale præceſſiſſe omnem Exiſtentiam eorum quæ facta ſunt, & fuiſſe ante quodcumque principium, in quo aliquid factum eſt, proinde factum non fuiſſe in tempore, imò ne factum quidem. Nam quod nonnulli orthodoxi illud, *in principio* apud Joannem, pro æternitate accipiunt, id eſt, ab æterno erat verbum, ſequitur quidem ex dictis, ſed non immediatè *principium* æternitatem ſignificat, nec *in principio*, idem eſt quod *ab æterno*, alioqui mundus ab æterno eſſet creatus. Sed ex verbis illis, *erat in principio, & ſine ipſo factum eſt nihil*, ſatis apertè colligitur, verbum æternum fuiſſe ante quam quicquam fieret. Et hanc quidem interpretationem agnoverunt Arriani, eouſque ſaltem, ut per voces illas *in principio erat*, conceſſerint filium Dei fuiſſe antè quam mundus crearetur, etſi ab æterno genitum fuiſſe negaverint. Sed novorum Samoſatenianorum parens Servetus, negavit, ſermonem eſſe rem exiſtentem, quem intellexit eſſe tantùm rei diſpoſitionem, ſeu diſpenſationem, qua placitum eſt Deo, arcanum ſuæ voluntatis nobis revelare, eſſe decretum ſeu Ideam, ſicut operis futuri idea eſt in animo artificis. Proinde litem non intendebat de interpretatione vocum illarum, *in principio erat*, ſed de hypoſtaſi ſermonis illius, priuſquam fieret caro. At vero novi ejus diſcipuli, qui videbant multa eſſe apud Joannem, ex quibus evinci poſſet *verbum*, ſeu *ſermonem* cujus meminit, eſſe veram hypoſtaſim, tutum non exiſtimarunt id cum ſuo Anteceſſore negare, ſed hærere potius in *principii* illius interpretatione, & expertè negare, in toto illo Joannis capite, agi de principio quo mundus creatus fuit, vel etiam de operibus creationis; ſed de principio temporis, quo cœptum eſt Euangelium à Chriſto prædicari. Quam loci detorſionem ut confirment Enjedinus & Socinus, afferunt ex novo Teſtam. dicta plurima, in quibus, phraſis illa ἀπ' ἀρχῆς, quam æquivalere volunt huic ἐν ἀρχῇ, non omnium rerum initium, ſed pro ſubjectorum ratione initia ſingularis cujuſdam rei, denotat. ut cum Joan. 15. v. 27. dicit Chriſtus, *ſed & vos teſtamini, qui à principio mecum eſtis,* ubi per principium, ait Enjedinus nihil ſignificatur aliud, quam illud tempus, quo Chriſtus poſt baptiſma à Joanne ſuſceptum, diſcipulos ſub initium prædicationis ſuæ elegit. & 1 Epiſt. cap. 2. v. 7. *quam habuiſtis à principio.* Item, *mandatum vetus eſt ſermo, quem audiviſtis à principio.* & v. 14. hortatur eos *ut retineant id,* quod audiverunt ἀπ' ἀρχῆς; id eſt interprete Beza, ex quo inſtitui cœperant in primis Chriſtianæ religionis rudimentis. Talia multa citat Enjedinus, ſed quibus nihil aliud evincere poteſt præter id, principii aut initii nomen, per ſe, non eſſe determinatum ad unam aliquam actionem, aut quantitatem, ſed determinandum eſſe, ex illis ipſis locis in quibus *principii* vox uſurpatur. Ipſi enim adverſarii non poſſunt oſtendere, uno modo accipi nomen ἀρχῆς in omnibus locis quos citant, ut pro initio prædicationis Euangelii à Chriſto factæ poſt baptiſmum, neque enim unquam probabunt eos ad quos ſcribebat Joannes ab initio fuiſſe Chriſti diſcipulos. Ideò ſæpè initium, ſeu principium, ad uniuſcujuſque primæ converſionis exordia refertur. Ergo fatendum eſt, non ex ſola *principii* voce, probari poſſe Joannem loqui de principio creationis, de quo ſine controverſia locutus eſt Moſes. Sed nos etiam determinationem illius vocis in circumſtantiis quærimus, quas idcirco adverſarii ſuis cavillis conantur ad ſuas partes trahere, variis & inſolentibus figuris textum Euangelicum pervertendo. Præſertim ſentiunt ſibi maximè adverſari quæ apud Joannem ſequuntur, *omnia per ipſum facta ſunt, & mundus per ipſum factus eſt*, quæ verba ſunt adeò perſpicua, ut nullus hæreticus ante Socinos patruum & nepotem, eorum luci tenebras offundere conatus fuerit; ſed iſti præ aliis audaciſſimi ad quidvis confingendum, reperiunt modum & rationem, quomodo ſub Euangelio & omnia facta fuerint, & mundus factus fuerit, & verbum apud Deum fuerit, ipſe etiam Deus. Ad quæ non dubitat infauſtus Socinus præfari, quæ à ſe dicenda ſunt, *majore ex parte eſſe nova, & noſtro ſeculo inaudita.* Init. explic. Euang. Joan. ubi hoc primum fatetur, *verbum hoc fuiſſe ante omnes res creatas*, de quibus poſteà agit Euangeliſta, ſed contendit Joannem de rebus initio mundi creatis non fuiſſe loquutum, ſed tantùm de nova rerum per Chriſtum creatione. Poſteà tamen, dum verba illa *hoc erat in principio apud Deum*, enarrat; etſi fateatur repeti à Joanne, quod initio dictum fuerat, principium tamen illud, ultra prædicationis Euangelicæ initia à Chriſto facta protendit, quia cenſet eo tendere verba Joannis, *ut Ieſum licet ſeriùs, & poſt Baptiſtæ prædicationem patefactum, dignitate tamen atque officii præſtantia, ipſi Baptiſtæ antecellere credamus, & eum jam tum à Deo, ad ſuæ nobis patefaciendæ voluntatis munus deſtinatum fuiſſe, cum Baptiſta Iſraëlem ad pœnitentiam invitare inſtituit.* Quæ ſanè ratio eminentiæ nulla eſt; quia dici etiam potuit, Johannem Baptiſtam fuiſſe in *principio* apud Deum, imo etiam *ab æterno,* ſi deſtinationem ad munus prædicationis ſpectemus. Quæ inconſtantia, in vocis *principii* explicatione, & in hac poſtrema nugacitas, autoris levitatem & vanitatem arguit.

Non it inficias apud Moſem, verba illa, *in principio,* ordinem earum rerum reſpicere, de quibus dicturus erat Moſes: Joannem autem Moſem fuiſſe imitatum, qui

qui ab eodem principii nomine exordium ſumpſit. Præmittit autem, nullum interpretandi genus melius & ſecurius inveniri poſſe, quam ſi Sacræ literæ, iiſdem Sacris literis exponantur, & hactenus quidem rectè. Cur igitur verba Joannis non ex verbis Moſis interpretatur, quandoquidem utrobique de principio creationis omnium rerum agitur? Objicit; Moſem uſurpaſſe voces illas, *in principio*, eorum reſpectu, quæ deinceps dicturus erat; ita quæ Joannes dicit, referenda eſſe, ad novum & ſpiritualem mundum per Chriſtum creatum; & ad earum rerum initium aſpexiſſe. Sed qua ratione id probare poteſt? Id quidem verum eſt, utrumque & Moſem & Joannem, illud *in principio*, præmiſiſſe iis quæ dicturi erant, ſed quo argumento probabit hæreticus de prima rerum creatione non agere Joannem, poſt illa verba? Quaſi vero, in Euangelio, commemorari nec poſſint, nec debeant quæ extra Euangelium fuerunt, quod ſi concedendum eſſet, cur Matth. Euangelium ſcribens, ab Abrahamo Chriſti generationem arceſſit; & Lucas uſque ad Adamum progreditur? An quod dixit Chriſtus, Diabolum fuiſſe homicidam *inde ab initio*, quia in Euang. ſcribitur Johan. 8. v. 44. etiam illud ἀπ' ἀρχῆς, de initio prædicationis Euangelicæ accipiendum erit? Ergo in Euangelio, quæ anteà facta fuerunt repeti poſſunt & aliquando debent, cum ad ea quæ in Euangelio ſcribuntur aliquomodo pertinent, quod in loco Joannis manifeſtum eſt, quia plurimum intererat ſcire, quis ille fuiſſet, qui in tempore factus eſt quod non erat; & nihil appoſitum magis fuit, ad operum redemptionis narrationem, quam præmittere, eum qui ad hoc munus exercendum à patre miſſus fuit, eundem eſſe qui ab æterno apud Deum fuerat, & per quem omnia in principio creata fuerant, ne quis dubitaret, aptiſſimum eum eſſe ad hominum redemptionem & reparationem poſt lapſum. Dubitari enim potuit de ejus viribus & poteſtate ad tam arduum opus, niſi initio id pro fundamento ſubſterneretur, Deum eſſe cum Patre eum qui tantum opus erat ſuſcepturus.

Id Euangeliſta pronunciat ſine ulla reſtrictione & abſolutè, *omnia* in principio per verbum facta eſſe; Cujus univerſalis vocis, *omnia*, etſi alibi poſſit aliqua oſtendi reſtrictio ad ſubjectam materiam aliquam, nihil tamen eſt hoc loco quod tali reſtrictioni faveat, cum verba expreſſa ſint, de principio rerum omnium, & mundi ipſius, quibus ſignificatur, verbum fuiſſe ante quam mundus crearetur, & per conſequens ab æterno, Quæ ſi de nova creatione & mundi renovatione accipi deberent, non potuiſſet Euangeliſta dicere, *omnia* per ipſum facta fuiſſe, & *mundum* per ipſum factum fuiſſe, cum tunc initio prædicationis Euangelicæ id verum eſſe non potuerit. Deinde, aliquid novum facere, & aliquid facere abſolutè, valdè differunt. Hoc ſecundum dixit Euangeliſta, quod de mundo juxta ſubſtantiam, non primum illud, quod de eodem ſecundum qualitatem intelligi debet.

Accedit, quod Joannes demonſtrare ſibi non propoſuit, Chriſtum fuiſſe jam tum, ante quam Euangelium inciperet prædicare, cum id demonſtrare, inutile pariter & ineptum fuiſſet; Nemo eſt enim tam hebeti ingenio, qui neſciat doctorem fuiſſe ante quam docere aggrederetur. Quid quod Joannes dicat, verbum illud in mundo fuiſſe, quem per ipſum factum fuiſſe dixerat? Ubi eum loqui de mundi machina & creatarum rerum domicilio, ex textus circumſtantiis patet. Loquitur enim de ejus exiſtentia in mundo, priuſquam Euangelii prædicationem inciperet; Quæ ratio valebit, etſi mundus à nobis pro hominibus, qui in mundo ſunt acciperetur per metonymiam, etſi id neceſſario ex dictis inferri non poſſit. Sed ſi hoc admittamus, & dicamus *in mundo erat*, id eſt inter homines; per mundum, omnes promiſcuè homines erunt intelligendi, qui certè per Chriſtum omnes facti fuiſſe dici non poſſunt niſi ratione naturæ, quia non omnes innovati ſunt, & ad bona opera creati, quod etiam ex ſequentibus patet, in quibus ait, *mundus eum non cognovit*. Atqui à Chriſto fiunt nova creatura, Chriſtum cognoſcunt: unde patet neceſſario, non de innovatione, ſed de naturali creaturarum eſſe, intelligendum eſſe Joannem.

Nec eſt alicujus momenti quod objiciunt, Chriſtum in mundo fuiſſe, priuſquam ab eo fieret mundus. Ut inde ſequatur, mundum factum fuiſſe ab illo, non ratione ſubſtantiæ, ſed ratione qualitatis per innovationem. Id enim ex verbis Apoſtoli non ſequitur. Ut non ſequeretur, ſi quis diceret, Rex in palatio aut Baſilica erat, & Baſilica per eum facta eſt, prius in ea fuiſſe Regem, quam eam faceret; tunc enim conjunctio illa *&*, non denotat conſequentiam eventuum, ſed potiùs æquivalet relativo *quæ*, erat in arce aut Baſilica, *quam* fecerat aut ædificaverat; qui ſenſus apud Joannem eſt appoſitiſſimus, ut magis redarguat hominum ſtuporem, qui cum Chriſtus veniret ad propria, quæ ipſe fecerat, non tamen à creatura fuit agnitus creator.

Eſt autem notandum, Euangeliſtam loqui de ea rerum omnium effectione, quam actu conſequitur effectus. Nam quod novi iſti Sophiſtæ, cum ſe conſtringi viderent, ex eo quod fateri coguntur mundum illum in quem Chriſtus venit, non fuiſſe factum, eo quo ipſi intelligunt modo, regerunt, id dici fieri, quod etſi non actu fiat, non ſtat tamen per eum qui dicitur id feciſſe, quominus factum fuerit, id quidem ſubſiſtere non poteſt. Nam, teſte ipſo Socino, Ioannes imitatus eſt Moſem, hiſtoriam primæ creationis deſcribentem, & de ſecunda creatione ſeu de nova creatura eadem dixit, quæ Moſes de prima. At Moſes cum dixit, initio Deum creaviſſe cœlum & terram, non intelligit, per Deum non ſtetiſſe quominus crearentur, etſi effectus non fuerit conſecutus: ſed intellexit actu & reipſa fuiſſe creata

quæcumque nomine cœli & terræ comprehenduntur. Ergo, aut Socino diſcedendum fuit ab analogia quam urgebat, aut fatendum Joannem loqui de ea omnium effectione, quæ effectum ipſum actu fieri ſignificat; quod cum de mundo ad quem Chriſtus venit, dici non poſſit, ratione ſpiritualis innovationis; neceſſario fatendum ipſi eſt, agi de ipſius mundi creatione, propriè & abſolutè ſumpta, quia verba Euangeliſtæ non deſcribunt cauſam paratam ad faciendum, ſed cauſam in actu, quæ dicit effectum. Affirmat igitur Euangeliſta, etiam homines improbos & mundanos, per ipſum factos fuiſſe, qui eum non receperunt, atque adeo per ipſum minimè ſunt renovati, quos nihilominus jure ac titulo naturalis creationis, proprium quaſi peculium Chriſti eſſe, indicat ſequentibus verbis, *In propria venit.* Ex quo ſequitur Chriſtum verbum, fuiſſe ante omnia omnino quę facta & creata ſunt, non autem ante omnia duntaxat, quæ beneficio gratiæ divinæ ſunt inſtaurata, quam limitationem non patitur, quod ſine reſtrictione ulla, omnia per verbum facta fuiſſe dicit Ioannes, & *abſque illo factum eſſe nihil quod factum ſit.* Non enim clarioribus unquam verbis potuit reſtrictio adverſariorum præveniri.

Quod autem Enjedinus falſum eſſe aſſerit, quoties ſimpliciter creationis vox ſine additamento ponitur, de prima creatione fieri ſermonem, id non oſtendit falſum eſſe ex teſtimoniis quæ citat. Ut Eſai. 51. v. 16. *Poſui verba mea in ore tuo, &c. ut plantes cœlos, & fundes terram.* Nam ſi demus, non ibi agi de prima plantatione cœlorum &c. nihil obtinebit adverſarius, quia verba futuri temporis ſatis indicant, non accipi poſſe abſolutè quod dicitur, ſed de aliqua plantatione, quæ primam illam ſit ſequutura. Eadem ſemper erit ratio in aliis locis, in quibus ſunt circumſtantiæ limitantes vel expreſſæ, vel quæ per juſtas conſequentias deducuntur. At hoc loco contrarium planè videmus.

Concludimus ergo apud Moſem & Joannem, principii vocem eodem ſenſu accipi, & ex utroque conjunctim neceſſarium duci argumentum pro Chriſti Deitate. Moſes dicit in principio Deum cœlum & terram condidiſſe, ante quod principium nihil erat factum vel creatum, Joannes teſtatur in principio illo verbum illud Patris, filium Dei fuiſſe, & per eum omnia facta fuiſſe; ergo non eſt creatus vel factus qua ſic fuit; ſi neque creatus neque factus, ergo Deus eſt.

Sed quamvis illud argumentum ſolidum ſit, ex collatione & conjunctione dictorum Moſis & Joannis, quod apud eos qui novum Teſtamentum recipiunt magni ponderis eſſe debet: alia quæſtio eſt, an ex hiſce Moſis verbis ſeorſim ſumptis, ubi adverſus Judæos, qui Moſem recipiunt, & novum Teſtamentum abjiciunt agendum eſt, poſſit firmum argumentum deduci, quo Trinitas perſonarum in divinis poſſit ſufficienter probari? Quod cum quærimus, excludimus convenientias illas quæ ab eventu; id eſt, poſtquàm res aliunde innoteſcit colliguntur, & ingenioſè à nonnullis excogitantur, quia nullam vim habent ad convincendum adverſarium, cum nulla ſit in ipſis conſequentiæ neceſſitas, qualia ſunt quę per *cabbalam* accepta dicuntur, ut quod in voce, *Bara*, tres literæ ſint, quibus denominantur Pater, Filius & Sp. Sanctus. Prima enim eſt initialis nominis *Ben* filius, ſecunda nominis *Ruach*, ſpiritus, tertia nominis *Ab* Pater. Sed qui hiſce ſpeculationibus indulgent, meritò adverſariis ludibrium debent, ut qui in voce *Bereſchith*, examinant literas numerales, ex quibus colligant numerum annorum à mundi exordio uſque ad Chriſtum exhibitum. His ergo nugis valere juſſis, inquirendum nobis eſt, an ex illis verbis ברא אלהים *bara Elohim*, in quibus nomen eſt terminatione plurale, & jungitur verbo ſingulari, firma conſequentia deduci poſſit perſonarum pluralitas, in unitate eſſentiæ? Petrus Lombardus, Sentent. lib. 1. diſtinct. 2. ad lit. F. dicit in his verbis, per *principium*, ſignificari *filium*, per *Deum*, Patrem, ut ſenſus ſit, *Pater per filium creavit cœlum & terram.* Poſteà tamen addit, Quod Ebraicè non ſcriptum ſit *El*, ſed *Elohim*, quod interpretari poteſt, Dii vel judices, ad pluralitatem perſonarum referri. Ubi fallitur, cum exiſtimat nomen אל *El*, eſſe ſingulare pluralis *Elohim*, quod eſt אלה *Eloha*. Nec אל eſt ab eadem radice, ſed ab ea quæ fortitudinem & virtutem ſignificat; Qui error in Lombardo poteſt excuſari pro ratione temporis quo vixit. Sed non in *Vaſqueſio*, qui in tanta linguarum luce, quam etiam Jeſuitæ præ cæteris ſibi vindicant, eundem errorem quo אל cum אלה *eloha*, confunditur, repetit Diſp. 108. in primam part. Thomæ, cap. 2. Ad rem quod attinet, poſt Lombardum, plerique ſcholaſtici exiſtimarunt, in verbis illis ברא אלהים myſterium Trinitatis in unitate ſignificari, inter quos etiam habentur, qui in Ebraica lingua fuerunt verſatiſſimi, ut Nicolaus de Lyra, Paulus Burgenſis, Petrus Galatinus, Auguſtinus Eugubinus, & alii.

Hanc etiam amplexi ſunt ſententiam multi ex Orthodoxis, quam Hieronymus Zanchius præfixit libris ſuis de Trinitate, quos inſcripſit *de Tribus elohim, uno eodemque Iehova.* F. Junius vir doctiſſimus, in *protoctiſia* ad cap. Geneſ. 1. affirmat, per vocem *Elohim*, plurali numero, neceſſariò, perſonarum Trinitatem denotari; à qua ſententia non dimovetur, argumentis ſumptis, vel ab eo quod honoris gratia, pluralis numerus dignioribus plerumque tribuatur; vel quòd nomen plurale אלהים aliquando uni perſonæ tribuitur; quia negat de ſe unquam plurali numero, unam perſonam primam loqui; & affirmat figuratum eſſe ſermonem, cum de una perſona plurale illud nomen effertur, nempe per ſynecdochen, propter eſſentiæ unitatem, & ἐνάλληλον ἐμπεριχώρησιν. Hanc eandem ſententiam pluribus adverſus Enjedinū aſſerere conatur Jacobus Martinus, vir ſanè doctus, & qui id accuratiùs quam quiſquam alius eſt molitus, cap. 3. diſp. ſuæ *de tribus Elohim.*

At ſunt alii Theologi, quibus etſi probetur quam maxi-

maximè ſcopus eorum qui ſic ſentiunt, adduci tamen non poſſunt ut credant, ex voce plurali Elohim quæ Deo tribuitur, etiam conjuncta cum verbo ſingulari, tantum myſterium ſolidè poſſe probari. Id jamdudum contra Lyranum aſſeruerat Alphonſus Toſtatus Epiſc. Abulenſis, in commentario in hunc locum, & in libro de Trinitate, in quibus contendit Elohim, quando ponitur pro vero Deo, ſemper ſumi ſingulariter; & cum accipitur pro Deo impropriè dicto, indifferenter accipi, aliquando pro plurali, & aliquando pro ſingulari; & hoc Ebræos dicere, & benè, ideoque adverſus illos Nicolaum nihil concludere. Quamvis enim Elohim ſit nomen pluralis numeri, non tamen ſignificare rem pluralis numeri, nec capi pro multitudine ſuppoſitorum. Imo conſueviſſe ſcripturam plurale illud nomen, ponere pro ſingulari: quod probat ex eo quod Exod. 7. dicit Deus, ſe conſtituiſſe Aaronem אלהים Deum Pharaonis. Idem, ad caput 1. Exodi, notat, *Aliquando Scripturam loqui de vero Deo, & ponere tam ſubſtantivum quam adjectivum in plurali, ut Deut. 5. ubi litera noſtra habet, Quid eſt omnis caro ut audiat vocem Dei viventis? In Ebræo eſt Elohim Chajim, id eſt, Deorum viventium. Eodem modo eſt de verbo, quia aliquando in hoc, & in quibuſdam aliis ponitur verbum in numero ſingulari, & ſuppoſitum in plurali, ut Geneſ. 1. Bara Elohim. Aliquando ponitur ſuppoſitum in ſingulari & verbum in plurali, ut Eccleſiaſtæ 2. Quis eſt homo qui poſſit intrare poſt regem qui fecit eum? In Ebræo dicitur, poſt regem qui fecerunt eum?* Ex quibus oſtendit, quod alii etiam plerique docti viri probant, cum de unico & vero Deo dicitur vox אלהים, & vocem pluralem adjunctam habet, tunc haberi rationem terminationis, non ſenſus. Item, ſingularem ſenſum habere nomen illud, de unico vero Deo uſurpatum.

Cajetanus in Abulenſis ſententiam pedibus ivit, & in hunc locum ſcribens, negavit, conjunctionem nominis pluralis cum verbo ſingulari, fuiſſe adhibitam à Moſe, ad ſignificandum Trinitatis myſterium, vel ex hoc modo loquendi Moſis, poſſe Chriſtianos argumentari, eſſe multas perſonas divinas, in una eſſentia. Benedictus etiam Pererius in hunc locum, cenſet probari poſſe, multis nec invalidis rationibus, nullum in hujuſmodi Moſis loquendi modo, latere myſterium.

Primò, notat Magiſtrum ſententiarum, hujus ſententiæ primùm autorem fuiſſe, quod hoc loco myſterium Trinitatis ſignificaretur: meritò autem mirandum eſſe, neminem priorum Scriptorum, ſaltem Origenem & Hieronymum, Ebraicè ſcientiſſimos, curioſiſſimos item, & obſervantiſſimos earum rerum omnium, quæ ad myſteria fidei noſtræ confirmanda faciunt, aliquod hoc loco myſterium contineri non eſſe ſubodoratos.

2. Diſcrepantiam illam inter *Elohim* numeri pluralis, & *Bara* ſingularis, non habere myſterium, ſed eſſe Idiotiſmum Ebrææ linguæ, in qua frequentes tales ἐναλλαγαὶ reperiuntur, ut Num. 32. v. 25. ויאמר בני גד, vajomer benei Gad, *Et dixit filii Gad*, pro dixerunt. Sed præſertim talis Enallage locum habet, in nominibus Dominii, quæ etſi pluralia, junguntur verbo ſingulari, ad ſummam, ut volunt Ebræi, majeſtatem exprimendam, vel ut iidem dicunt, ad indicandam pluralitatem virtutum in perſona dominante. Sic Exod. 21. v. 4. Si heri ejus אדניו *adoniu*, dederit ei uxorem, pro *herus ejus*. Et verſ. 9. ejuſdem cap. Etiam domini ejus בעליו *bealau*, morte afficiatur, pro Dominus ejus. Ex quibus videtur talis enallage carere myſterio, cum uſitata ſit, non ſolùm ubi de Deo, ſed etiam ubi de hominibus agitur.

3. Admodum impropriè Moſem locutum eſſe ſequeretur, ſi hujuſmodi locutione indicare voluiſſet myſterium Trinitatis, quia non propriè dicitur de perſonis divinis, quod ſunt Dii, alioquin etiam dici poſſet, quod ſunt multi Dii, vel tres Dii, quod tamen in Scriptura damnatur; nec etiam rectè loqueretur qui diceret, *perſonæ divinæ creavit mundum*, dicendum enim eſſet, *crearunt*.

4. Si ideò Moſes nomen plurale junxiſſet ſingulari, ut denotaret perſonarum pluralitatem, & eſſentiæ unitatem, cum aliàs de Deo loquens Geneſ. 20. & 35. conjungat nomen Elohim cum verbis numeri pluralis, perſonarum divinarum non ſolùm multitudo, ſed etiam diverſitas naturæ ſignificari videretur.

Similia habet Bellarminus de Chriſto lib. 5. cap. 5. ubi dicit ſe non putare, argumentum quod inde deducitur eſſe admodum ſolidum, ſiquidem Scripturæ conſuetudo id habere videtur, ut nomina illuſtrium perſonarum ponantur in numero multitudinis, licet verba retineant numerum ſingularem; ubi etiam hoc urget, quare liceat Ebraicè de divinis perſonis dicere *haleku Elohim*, iverunt Dii, 2. Reg. 7. & tamen latinè non liceat? Et nullam eſſe rationem reſpondet, niſi quia Ebræorum conſuetudo eſt, ut nomen plurale, rem ſingularē ſignificet, quam conſuetudinē Latini non habent.

Addit, nec Hieronymum nec LXX vertiſſe, *Dii*, nec ullum ita vertere auſurum, quod argumento eſt in illis locis nomina illa pluralem ſignificationem non habere, ſed ſingularem.

Item, ſi nomen אלהים in textu Ebræo haberet pluralem ſignificationem, ubicumque invenitur in numero multitudinis, eſſet apertiſſima & frequentiſſima contradictio in verbis Scripturæ, ſiquidem frequentiſſimè legimus unum tantùm eſſe Deum, & tamen frequentiſſimè etiam legeremus Deos. Non eſſe autem credibile, voluiſſe Deum his apparentibus contradictionibus perturbare populum ſuum, & adverſariis blaſphemandi occaſiones præbere. Eadem repetit Gab. Vaſquez in 1. part. Thom. Diſput. 108. cap. 2. Ubi ſine fundamento ait reprehenſum propterea fuiſſe Cajetanum à Catharino, quaſi Judæis vel Arrianis faveret, cum exiſtimaret, ex tali Scripturæ Phraſi, efficax argumentum pro Trinitate, deduci non poſſe.

Calvi-

Calvinus in hunc locum, ejuſdem fuit ſententiæ. Sic enim ille. *Quod ex hac appellatione plurali numerò elata, quidam colligere ſolent, hic in Deo notari tres perſonas, parùm ſolida videtur tantæ rei probatio. Imò verò monendi ſunt lectores, ut ſibi à violentis hujuſmodi gloſſis caveant. Putant illi ſe teſtimonium habere adverſus Arrianos ad probandam Filii & Sp. Sancti divinitatem, intereà ſe involvunt in errorem Sabellii, quia poſteà ſubjicit Moſes, Elohim locutum eſſe, & ſpiritum Elohim incubuiſſe aquis. Si tres perſonas notari placet, nulla erit diſtinctio; ſequetur enim & filium à ſe ipſo genitum fuiſſe, & ſpiritum eſſe non Patris, ſed ſui ipſius. Nobis ſatis ſit, quod pluralis numerus Dei virtutes ſonet, quas in creando mundo exeruit.* Hæc ille, ubi, ad rem quod attinet, addit, *Porro Scriptura, fatemur, tametſi multas Dei virtutes recenſet, ſemper tamen ad Patrem & verbum ejus, ac ſpiritum, nos revocat, ut etiam paulò poſt videbimus. Sed illæ quas attigimus abſurditates, obſtant quominus ſubtiliter ad perſonas torqueamus, quod ſimplicius Moſes de ipſo Deo pronunciavit.* Martyr etiam in eundem locum ſcribens, *frivolum* dicere non dubitat, quod dicitur *verbum ſingularis numeri, cum nomine plurali* אלהים *conjunctum fuiſſe, ad unitatem Dei deſignandam.* Doctiſſimus & verſatiſſimus in Ebraiſmo Mercerus, rectè notat, ex aliis Scripturæ locis apertiùs & expreſſiùs Trinitatem confirmari poſſe; & efficaciùs adverſus Judæos eſſe pugnandum, ne nos illis ridiculos præbeamus linguæ eorum imperitia: & cum illis, linguæ eorum proprietati hoc tribuit. Joannes Druſius peculiaribus libris hanc ſententiam defendit, & variis argumentis confirmavit, nomen אלהים communis numeri eſſe, etſi ſecundum terminationem ſit plurale, non autem quoad ſenſum, quia cum de uno dicitur, ſenſum habet ſingularem; Dici autem de uno Deo paſſim, de uno Angelo, de uno vitulo, de uno Idolo, & homine. Hieronymum in quæſt. Ebraicis & Epiſt. 136. Item in Geneſim Procopium, ſcribere nomen eſſe communis numeri, quod ſic unus Deus vocetur, & plures. Proinde corruere argumentum, quod à numero ducitur.

Quemadmodum autem inter Pontificios, Cajetanus ab Ambroſio Catharino Archiepiſcopo Compſeno, inſimulatus fuit, quaſi Judæis, & Arrianis faveret, qui Catholicis, argumentum quod ille invictum putabat eriperet, negando ex vi terminationis pluralis nominis *Elohim*, poſſe tres perſonas in una eſſentia probari, etſi rem ipſam aliis argumentis firmam eſſe ſtatueret; Sic etiam in Calvinum præſertim, acerbè debacchantur nonnulli eandem ob cauſam; Ex quibus Ægid. Hunnius, in ſuo Calvino Judaiſante, calumniarum ſuarum plauſtrum hac criminatione onerare incepit, nec potuit, à Clariſs. Pareo monitus, dimoveri, quominus pergeret calumnias ſuas augere quantum poſſet, quamvis nihil haberet quod probabiliter reponeret, adverſus ea quæ ex ipſo Calvino, ad innocentiam ejus probandam afferebantur; quæ certè non ſolùm in omnibus ſuis libris, ſed etiam in eo ipſo loco eminet, in quo doctrinam de Sancta Trinitate & agnoſcit & aſſerit, etſi ab argumento abſtineat, quo cenſuit cauſam non tam juvari, quam lædi. At quis unquam æquus æſtimator, hæreſeos crimen impegit ei, qui veritatem aliquam agnoſcens & defendens, non tamen omnia quæ ad eam probandam proferuntur à quibuſlibet argumenta, indiſcriminatim & ſine delectu recipit; ſed poſt legitimum examen, præcipuis contentus, alia vel omittit, vel etiam ingenuè ad rem non facere oſtendit? Quæ certè ratio agendi maximè valet, ad veritatem non ſolum indagandam, ſed etiam inſinuandam.

Ego cum Calvino, Mercero & aliis, in ea re ſentio, ex ſola voce Elohim terminationis pluralis, conjuncta cum verbo ſingulari, non poſſe ſolidum duci argumentum pro tanto myſterio, quia rationes allatæ mihi videntur aliis adductis pro ſententia contraria, præponderare. Etſi exiſtimem laudandum eſſe pium illorum ſtudium, qui aliter ſentiunt, & ex hoc loco ſic intellecto myſterium Trinitatis probare conantur; ſed quia non agitur de intentione eorum, quam piam & bonam cenſemus, verum de Moſis propoſito in hujus vocis uſu, miſſa eorum intentione, rem ipſam in ſe ſpectantes, judicamus ſolidiora eſſe conſectanda argumenta, quam quæ à vocula, aut conſtructione aliqua grammatica deducuntur, quam Judæis & hæreticis proclive ſit eludere, & quaſi de re ipſa triumphata, ex talium argumentorum refutatione gloriari.

Sed quemadmodum illorum malignitatem merito carpimus, qui Judaiſmi aut Arrianiſmi conſortium iis temerè objiciunt, qui in voce plurali *Elohim*, pluralitatem perſonarum non neceſſario contineri putant: ſic eorum deteſtamur calumniandi libidinem, qui ex eo quod Zanchius, Martinus & alii nonnulli, *tres Elohim*, pro tribus perſonis acceperunt, inſimulant eos, *quaſi multitudinem Deorum in ſingulis libris & paginis inculcarent, quam tamen oppugnare ſimulant.* Quod crimen Zanchio affingit, autor impii & virulentiſſimi ſcripti, ſub nomine *Calvinoturciſmi* evulgati, lib. 3. cap. 5. ubi addit, *ſe non arbitrari, eum unquam in initio & fronte libri, ubi inſcriptio debebat eſſe quam maximè evidens, hoc vocabulum ambiguum, prophanam paganamque polytheiam inſinuare adhibere voluiſſe, niſi novo loquendi modo veterem Catholicorum fidem, nonnihil perſtringere cogitaſſet.* At tu quis es, qui de cogitatione alterius judicas, adverſus expreſſam ejus proteſtationem, & perſpicuam vocabuli, quod ambiguum dicis, explicationem? Cum autem in ea re ſequutus ſit Zanchius Petrum Lombardum, cujus verba ſunt, *quod non dictum eſt Hel, ſed Elohim, quod poteſt interpretari Dii ſive Iudices, ad pluralitatem perſonarum refertur.* Cur omiſſo ſuo ſententiarum Magiſtro, in Zanchium tanquam Polytheiam inducentem debacchatur? Quid ſi Zanchius cum Lombardo, Diabo-

Diabolum ipſum tanquam myſterium Trinitatis, Evæ his verbis repræſentantem citaſſet, *Eritis ſicut Dii?* Gen. 5. *Ad hanc*, inquit, *pluralitatem perſonarum illud attinere videtur, quod Diabolus per ſerpentem dixit, ac ſi diceret, eritis ſicut divinæ perſonæ.* Nec Catharinus Cajetani cenſor abſtinet à latino plurali, ubi de Deo agitur, quod tamen ſedulo cavit Zanchius, qui non exiſtimavit in alia ulla lingua poſſe, ſine periculo pluralitatem illam exprimi, ſub aliquo Dei nomine. Cum autem Lombardus & Catharinus cum aliis qui eandem ſententiam ſequuntur, cenſeant latinè dici poſſe, *Dii creavit cœlum & terram*, & per vocem *Dii* intelligant tres perſonas in divinis, ſi de perſonis illis dicatur quod ſint dii, poterit etiam dici quod ſint multi dii, vel tres dii. Sed cum de eorum ſenſu Orthodoxo, ex aliis eorum dictis & ſcopo conſtet, peccaret contra charitatis regulam, qui iis affingeret, quod Deorum Ethnicam multitudinem conati ſint adſtruere. Sed ex ſeminariis, ex quibus meſſis illa calumniarum profecta eſt, ne granum quidem charitatis, aut veritatis fuit expectandum. Nam (ut id obiter dicam, & ſimul pios adoleſcentes adverſus virus illud calumniarum præmuniam) talis eſt infamis ille *Calvinoturciſmi* liber, qui ſi à conventiculo aliquo diabolorum, conjunctis operis, exaratus eſſet, vix poſſet genium mendaciorum patris magis referre, quam effectum eſt ut referat, opera unius Apoſtatæ, qui in eo conflando animam cum bile evomuit, magni Rainoldi fratre degenere, & Giffordi, ipſi ſuccenturiati, itidem ex Anglia transfugæ, & ſicariorum in capita regum magiſtri & incentoris, qui labore verè improbo, opus infame ad umbilicum perduxit.

Ut ad noſtros redeamus, in re ipſa nullum eſt diſſidium. Fatentur enim omnes quod res eſt, nomen Elohim, accipi in ſcriptura *eſſentialiter* & *perſonaliter*, ut nomen Θεὸς apud Græcos, & *Deus*, apud Latinos. Cum accipitur perſonaliter, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum indicare, quod loci circumſtantiæ indicant. Cum eſſentialiter, tum commune eſſe tribus perſonis, ut cum quis dicit, Deus eſt æternus, attributum illud poteſt dici de Filio & Sp. ſancto, ut de patre. Quo ſenſu nomen *Elohim* ratione plurium perſonarum, aliquando vim habet pluralem, non quidem vi terminationis, ſed ratione communis actionis quæ de Deo dicitur, ſecundum quam nomen ſingulare *Deus*, pluralitatem perſonarum ſignificat. Qui enim dicit *Deus creavit*, idem dicit, ac ſi diſtinctè enunciaret, Pater creavit, Filius creavit, & Sp. ſanctus creavit. Ex quibus affirmativè reſpondemus ad quæſtionem initio propoſitam, an in his verbis *Deus creavit*, Trinitatem Moſes inſinuarit, & an poſſit probari, tres eſſe perſonas in quibus unica ſubſiſtit eſſentia divina? Cum enim nomen אלהים *Deus*, non limitetur aut reſtringatur ad unam perſonam, nulla eſt ratio cur id fieri debeat oppoſitè ad alias. Sed vis argumenti in eo potiſſimum conſiſtit, quod creatio cœli & terræ attribuitur Deo. Cum enim aliundè ex Scriptura Sacra conſtet, non Patrem ſolùm, ſed etiam Filium & Sp. ſanctum creaſſe mundum, ſequitur neceſſario *Elohim* illum qui mundum creavit, non eſſe ſolùm Patrem, ſed etiam Filium & Sp. ſanctum. Et in hoc conſiſtit præcipua vis argumenti Orthodoxorum, qui ſic à creatione argumentantur. Qui creavit cœlum & terram, eſt Elohim ille de quo loquitur Moſes. Pater Filius & Sp. ſanctus creavit cœlum & terram; ergo Pater Filius & Sp. ſanctus eſt ille Elohim. Aſſumptionem autem probant ex aliis Scripturæ locis, de quibus ſuo tempore erit agendum.

Sed priuſquam locum iſtum abſolvamus, de verbo ברא bara, *creavit*, aliquid eſt dicendum. Certum eſt, ſi loci circumſtantiam ſpectemus, quem præ manibus habemus, accipi pro rei productione ex nihilo, ad quam verbum *creandi* propriè ſumptum, ſcholaſtici ſolent accommodare. Sed tamen non videtur verbum illud in Scriptura ad talem productionem reſtringi, cum etiam aliquando dicatur de rebus quæ fiunt ex præjacente materia, ut etiam verbum Græcum ἐποίησε, quo uſi ſunt LXX interpretes. Sic enim dicetur, poſteà Deum hominem creaſſe, etſi eum ex limo formarit. Sed ex circumſtantiis hujus loci, ſatis apparet, creationem cœli & terræ ex nihilo factam fuiſſe, quia ante principium rerum nihil fuit præter Deum. Cum autem verbum ברא dicitur de rei alicujus productione ex præjacente materia, notat ſemper aliquid inſigne, novum & artificioſè facere, aut novum aliquid condere. Ideò neque unquam verbum ברא in ſcriptura reperitur alicui, præterquam Deo attributum, in ſignificatione creandi aut faciendi. Diſtinguunt autē autores Ebræorum ברא *bara*, ab עשה *aſa*, quod primum ſit, facere aliquid ut ſit ex eo quod non eſt, ſive ex nihilo id fiat, ſive ex præjacente materia; ſecundum verò ſit ornare & perficere rem creatam. Quicquid ſit, Scriptura creationem ex nihilo, qualis eſt prima mundi creatio, nobis proponit tanquam opus Deo proprium, cui ſoli competit rem producere à non eſſe ad eſſe. Imo creationem ſecundo modo dictam, qua ex præjacente materia, novæ ſpecies educuntur, creationem prætereà moraliter ſumptam, qua homo fit nova creatura, ſoli Deo tribuit Scriptura. Si tamen vocem ſpectemus per ſe, neque verbum ברא *bará*, Ebræum, neque verbum κτίζειν Græcum, neque *creare* Latinum, ad propriam illam ſignificationem *producendi ex nihilo aliquid*, reſtringi poteſt. Vox Græca & Ebræa accipitur, pro magnificè aliquid efficere, & quaſi patrare. Ideò Numerorum 6. v. 30. ad verbum habetur, *ſi creationem creaverit Deus*, ubi Moſes agit de pœna Kore & rebellionis ſociis irrogata, quos vivos terra abſorpſit. Et in ipſa hac creationis hiſtoria, priuſquam de quiete Dei agatur, verbum id bis & trigeſies invenitur, ubi non tantùm de primi diei opere, ſed etiam de iis quæ deinceps ex materia producta ſunt agitur. Apud Latinos autem,

creare, pro quavis rei productione ſumi, notius eſt quam ut probari debeat. Apud Ciceronem, *patria antiquior parens dicitur, quam is qui, ut ajunt, creaverit.* Citantur verba apud Non. ex 1. de Repub. in voce *antiquus.* Hinc Maro 10 Æneid. *Sulmone creatos* dicit, *quatuor juvenes.* Unde verbum *procreare.* Imò *creandi* verbo utuntur Latini, cum agunt de eo quod nobilis artificis opera conditur ac conſtruitur, unde lib. de Nat. Deorum 2. Cicero ait, cenſuiſſe Zenonem, artis maximè proprium eſſe, creare & gignere. Verbum igitur per ſe, laxæ ſignificationis eſt, quod tamen à Theologis, non ſine ratione optima, pro creatione ex nihilo accipi ſolet, quia nobiliſſimus creationis modus eſt omnimoda ex nihilo productio. Eſt autem Logicorum regula, analogum nomen per ſe ſumptum, ſtare pro famoſiore ſuo ſignificato. Aptè igitur & convenienter, creatio primùm dicitur de ea quæ rei dat eſſe ſimpliciter; ſecundò autem de ea productione, quæ rei dat hoc eſſe, quod cum natura & operatione artis habet commune, cum hac tamen diſtinctione, quod Deus, etiam cum dat *hoc eſſe*, id facit immediatè tanquam cauſa univerſalis, ſive ſola id præſtet, ut in prima rerum conſtitutione; ſive particulari cauſa cum univerſali, ad eundem numero effectum concurrente, ut nunc fit in naturæ adminiſtratione, quia ſemper Deus eſt prima cauſa independens in ſuo eſſe, & in ſua operatione.

Agitantur inter Scholaſticos duæ quæſtiones de creatione propriè ſumpta, in illa, de qua diximus, primaria ſignificatione. 1. An creaturæ convenire poſſit nativa virtus creandi, & talis creatura à Deo produci poſſit, quæ habeat in ſe virtutem creandi rem minimam. Item, an creatura aſſumi poſſit à Deo, ut inſtrumentum ad creandum? Utriuſque quæſtionis affirmatio, tollit argumentum, quod à creatione deducitur, pro Deitate filii & Sp. ſancti. Nam ſi aliqua creatura poſſit aliquid ex nihilo producere, non quiſquis creator dici poteſt, Deus eſt: &, ſi in creatione aſſumi poteſt à Deo aliquod inſtrumentum, ei etiam ſecundariò creatio attribuetur, & de Chriſto poterit reſponderi ab hoſtibus Deitatis ejus, creaviſſe cœlum & terram non tanquam primam cauſam, ſed tanquam inſtrumentum Dei. Non eſt igitur res levis momenti, quæ controvertitur; Etſi qui inter Scholaſticos de ea re verè ſentiunt, aliis qui contra diſputarunt, nimis æquos ſe præbeant, ut in quæſtione quam problematicam faciunt. Intereſt tamen multum, ut creatio agnoſcatur operatio Dei incommunicabilis, quod ſi evincatur, penetrantiſſimum inde telum jaculari licebit, tum in Simonianos, Gnoſticos, atque alios, qui creationem Deo indignam judicantes, Angelis eam vel *Æonibus*, fictitiiſque aliis poteſtatibus tribuere maluerunt: tum Arrianos Dulianos, qui mundum à Chriſto factum dixerunt, ut Patris inſtrumento.

Conſentiunt quidem omnes Scholaſtici in eo, nullam eſſe à Deo creatam naturam, cui tanquam cauſæ principali, conveniat, propria & nativa virtute creare. Et certè autorem creationis unum & ſolum eſſe Deum Scriptura teſtatur. Jobi 9. v. 8. *Deus extendit cœlos ſolus.* Eſai. 45. v. 6. 7. *Ego Dominus, & non eſt alius; formans lucem & creans tenebras.* Jerem. 10. v. 11. *Dii qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra.* Ebr. 3. v. 4. *Qui omnia creavit, Deus eſt.* Athanaſius Serm. 3. contra Arrianos, *Adminiſtrare* (inquit) *creaturarum & ſervorum eſt, condere autem & creare, ſolius Dei, ejuſque verbi & ſapientiæ eſt.* Nulla autem creatura produci poſſet quæ ſerva non eſſet, itaque nulli creaturæ convenit creare. Cyrillus lib. 2. contra Julian. *Inacceſſa naturæ ſunt ea, quæ propriè ſunt ſolius, & omnium ſummæ ſubſtantiæ, quarum unum eſſe dicimus, efficaciter operari poſſe ut creatorem, & producere res quæ aliquando non erant.* Hinc eſt, quod Auguſtinus multis in locis, præſertim cap. 8. & 9. de Trinit. Proſper in lib. Sentent. Sent. 146. & alii veteres; hæreticum eſſe crediderunt, aſſerere, aliquid ab Angelis fuiſſe creatum. Hoc inde deducunt, quia ſua natura ſunt creaturæ, non creator, qui ſolus Deus eſt, qui cum ſit increatus, eſt creator omnium. Baſilius lib. 4. contra Eunomium, probat filium eſſe verum Deum, quia creare poteſt.

Sed hæc teſtimonia confirmant, non ſolum nullam eſſe à Deo factam creaturam quæ creare poſſit, quod concedunt omnes: verum etiam implicare contradictionem, talem poſſe eſſe creaturam, per abſolutam ut loquuntur, Dei potentiam. Sic enim Deus poſſet creare Deum propriè dictum. Rectè igitur Thomas & ſaniores Scholaſtici judicarunt, ad creationem rei alicujus ex nihilo, potentia infinita opus eſſe, quæ cum ſit incommunicabilis, cum non poſſint eſſe plures infiniti, neque etiam poteſt creatura aliqua hac virtute donari, contra quam ſenſit Durandus, in 2. Sentent. diſt. 1. quæſt. 4. Nec in ea re laborandum cenſemus, an ſit infinita diſtantia inter non ens & ens, vel finita, ut inde deducatur, an infinita ſit opus potentia ad creandum necne. Sufficit nobis, Scripturam creationem referre ad Dei potentiam quæ infinita eſt, & incommunicabilis.

Ratio tamen eſt notanda quam Scotus adverſus Durandum protulit, cum creatio ſit perfectiſſima actio tranſiens, quæ alicui naturæ tribui poteſt, ea deberet eſſe nobiliſſimæ omnium creaturæ, quæ ſine dubio ſpiritualis eſt. Non autem illa crearet per naturam, quia ſic neceſſariò crearet, ſi crearet proximè per naturam, in quantum eſt; itaque non eſſet perfectiſſima actio tranſiens, nam perfectior eſt actio libera naturali, proinde non eſſet creatio. Si ergo creaturæ ſpirituali creatio liberè conveniat, & ab ea exeat quatenus intelligit & vult; cum intellectio & volitio, id eſt, actus intellectus & voluntatis ſit accidens, non poterit eſſe principium creandi ſubſtantiam. Quod ſi ſub-

ſtantiam

ſtantiam creare non poſſit, neque formam accidentalem, quæ extra ſubſtantiam eſſe non habet, cum accidentis eſſe ſit ineſſe.

Id autem intelligi debet non ſolùm de primaria creationis cauſa, ſed etiam de inſtrumentali. Nam cum ſoli Deo creatio tribuatur in ſcriptura, excluduntur omnia inſtrumenta, quorum in creatione ex nihilo operatio, etiam contradictionem implicaret. Nulla enim naturalium cauſarum agit ſine ſubjecto, quod ipſa experientia docet, unde colligitur, non poſſe agere ſine ſubjecto, quia nulla potentia rebus fruſtra data eſt. Habent etiam Scholaſtici ſuas rationes, quibus probant nullam creaturam poſſe aſſumi à Deo velut inſtrumentum creationis, quarum præcipua eſt, quod in inſtrumento deberet eſſe prævia quædam operatio, non quæcumque, ſed ſua natura requiſita ad effectum, qua efficeretur, ut effectum referretur ad illud inſtrumentum, tanquam ad cauſam ſuam, ut eſſet ordo efficientis & effecti. Quam operationem nulla res habet, vel à natura ſua, vel à mutatione aliqua accidentaria, id explicant exemplo ſerræ, quæ dum concurrit ad producendum ſcamnum, ipſa per virtutem propriam ſecat lignum; Nihil autem diſpoſitivè poſſet operari, in non ſubjecto, ſeu in nihilo, &c. Sed hæc & ſimilia, adeò ſunt involuta, ut vix à ſuis autoribus intelligantur. Id nobis abundè ſufficiat, quod creatio tribuitur Deo, cum particula excluſiva, in Scriptura Sacra: proinde cum ſoli Deo competat, non poſſe creaturæ communicari. Eſt tamen aliquis uſus notandus Scholaſticarum in ea re diſputationum: Nam qui inter eos fatentur, & etiam aſſerunt, creaturam nullam poſſe aſſumi ut inſtrumentum ad alicujus rei creationem, iidem negant Sacramenta, ut loquuntur, phyſicè concurrere ad faciendam gratiam, contra aliorum fratrum ſuorũ ſententiam, & docent eſſe tantùm inſtrumenta moralia, per modũ impetrationis.

Supereſt ut moneamus, non probandam eſſe opinionem Auguſtini & aliorum quorundam, qui exiſtimarunt omnia ſimul uno momento à Deo fuiſſe condita; Putat enim Auguſt. 1. ſuper Geneſ. cap. 15. & lib. 11. de civit. Dei, cap. 9. Sex dies de quibus in ſequentibus agitur, allegoricè interpretandos eſſe, de cognitionibus quibuſdam Angelicis, & omnia idcircò dici ſex diebus fuiſſe condita, quia totidem notitiis intellectui Angelorum fuerunt repræſentata, ita ut unaquæque Angelorum cognitio dies appelletur, dicaturque allegoricè habere mane & veſperè. Hinc diſtinctio cognitionis Angelorum *matutinæ* & *veſpertinæ*. Primam appellant qua Angeli res creatas agnoſcunt in verbo, ſecundam qua in ſe ipſis. Alii qui ſunt in eadem ſententia, ut Philo Judæus, & Procopius Gazæus, quos ſequutus eſt Cajetanus, alias rationes aſſignant, vel ſenarium numerum ſignificare perfectionem mundi; vel ſex dierum mentionem factam fuiſſe, ut rem totam diſtinctius & perfectiùs perciperemus; vel etiam ad declarandam naturalem dependentiam quam res inter ſe habent.

Sententiam illam ſtare non poſſe cum Moſis narratione certum eſt. Diximus ſuprà, Moſem Hiſtoricè ſcripſiſſe, proinde intelligendum eſſe propriè & non figuratè, ſi quid velimus ex ejus hiſtoria certi habere. 2. Si omnia ſimul eſſent facta, aliqua deberet dari ratio, ordinis illius narrationis quæ apud Moſem legitur, cur priùs ſcripſerit factam fuiſſe lucem quam firmamentum; priùs plantas quam aſtra, quæ nulla probabilis dari poteſt. Nam ſi naturalem ordinem & dependentiam ſpectemus, prius debuiſſet firmamenti creationem, deinde aſtrorum, tum luminis enarrare, poſteà ad plantas & alia mixta, quæ ſecundum ordinem naturalem ab illis dependent, accedere. Quod cum non fecerit, ſignum eſt Moſem ſequutum fuiſſe eum ordinem in narrando, quem Deus in productione rerum ſervavit. 3. Si omnia uno momento & ſimul creata fuiſſent, quomodo ſtaret quod Scriptura dicit, aliquando tenebras fuiſſe ſuper faciem abyſſi? Certum enim eſt abyſſum fuiſſe tum, cum nondum eſſet lux. Quomodo terra fuiſſet aliquando inanis & vacua. Si omnia ſimul fuiſſent creata? Tum enim habuiſſet plantas & animalia concreata & una producta, quibus ornata fuiſſet. 4. Deus in lege præcepit Exod. 7. Sanctificari diem Sabbathi, cujus rei rationem affert, quia ſicut mundum ſex diebus creavit, ſeptimo autem quievit; Sic etiam Judæis ad opera ſua ſex dies in unaquaque hebdomade concedebat; Septimum autem quieti aſſignabat. Quæ ratio nullius eſſet momenti, ſi Deus unico momento omnia creaſſet, non autem ſucceſſivè per dies plures. Et cum additur Geneſ. 2. v. 3. Deum benedixiſſe diei ſeptimæ, & eum ſanctificaſſe, eo quod tum ceſſaſſet ab omni opere, non poteſt alius dies ſeptimus intelligi, quam qui revera ſeptimus fuit.

Quæ contra objiciuntur, levia ſunt, & penè nullius momenti. Ex cap. 2. Geneſ. v. 4. citantur illa verba, *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus cœlum & terram: & omne virgultum agri, &c.* Reſpondet Thomas, Moſem non loqui de productione virgultorum & herbarum actu ſed in potentia, quæ primo die facta eſt cum materia cui fuit indita. Alii, diei nomen diſtributivè ſumi debere, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeti ex prioribus, in die quo fecit cœlum & terram, & in die quo fecit virgultum agri & omnem herbam, &c. Quæ reſponſio vera eſt, & ad rem. Poteſt etiam *dies* accipi pro tempore, quod alibi uſu venit per Synecdochen, non pro die determinato. Eſai. 13. v. 22. *Et prope eſt ad veniendum tempus ejus, & dies ejus non prolongabuntur.*

Plus ſoliditatis non habet, quod objicitur ex Eccleſiaſt. cap. 18. v. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* In Græco eſt ἔκτισε πάντα κοινῇ. Creavit omnia communiter, aut pariter. Ergo particula illa non negat in creatione ſucceſſionem temporis, ſed collectivè intelligi debet, ut ſit ſenſus, Deum creaſſe omnia quæ creata ſunt, & nihil eſſe quod à Deo non fuerit creatum.

Quo ſenſu Pſal. 49. v. 11. *Simul inſipiens & ſtultus peribunt*, quod ad tempus referri non debet, ſed ad conditionis communitatem. Hæc eſt ſimplex & vera reſponſio. Nam quod alii reſpondent, omnia creata fuiſſe ſimul in materia illa informi, nimis dilutum eſt: & quod quidam vocem *ſimul*, accipiunt non pro uno temporis momento, ſed pro fluxu ſex dierum, etſi verum ſit, non tamen appoſitum eſt ad dictum Syracidis. Optimè ergo *Ianſenius*, non ſignificari temporis identitatem, ſed vocem illam, univerſa ſine exceptione comprehendere, ut Joan. 1. dicitur, *Omnia per illum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.*

Ratio etiam quam afferunt, nihil evincit. Objiciunt, Cum Deus ſit omnipotens, & potuerit omnia facere uno momento, cur tam lentè progreſſus eſt, & tot dies inſumpſit? Nam 1. Reſpondere poſſumus cum Apoſtolo, *Quis novit ſenſum Domini, aut quis ei fuit à conſilio?* Rom. 11. v. 34. Aſſignari prætereà poſſunt rationes probabiles, cur ſic facere conveniens fuerit. 1. Ut Deus ſub ſucceſſiva illa productione triplicem mundi ſtatum oſtenderet, quorum primus, eſt creationis; ſecundus diſtinctionis, tertius ornationis ſeu decorationis. Primò enim Deus creavit cœlum & terram. Secundò diſtinxit diem à nocte, lucem à tenebris, aquam ab aquis; mare ab arida. Tertiò, ornavit terram plantis & animalibus; mare, piſcibus; aërem, avibus; firmamentum, ſtellis. In primo maximè elucet Dei potentia. In 2. ſapientia; In 3. bonitas. 2. Ut doceret hominem, ſex diebus ipſi eſſe laborandum, ſeptimo autem vacandum divino cultui & laudibus, tam in aliorum Dei beneficiorum, quam præcipuè in creationis memoriam, in qua omnium Dei beneficiorum habemus ſubjectum & fundamentum. Quæ ratio ex ipſis Scripturis colligitur. Taceo quod de *Senarii* numeri perfectione affertur; & alia ſimilia. Nobis ſufficit, quod ita Deus pro ſua ſapientia & voluntate diſpoſuerit, quę nobis rationis omnis & juſtitię regula eſſe debet.

Exercitatio II.

De Spiritu aquis incubante ſententiæ variæ. Examinantur. Vera ſententia proponitur. Spiritum illum eſſe Deum, contra Enjedinum. Refelluntur ejus objectiones. Animam mundi cur Philoſophi dixerunt ſpiritum. Patrum de ea re ſententiæ. Pneumatomachi novi, Ethnicis deteriores. Ebræorum de eadem re ſententiæ. Locus Luc. 1. v. 35. obiter explicatus.

SCribitur Geneſ. 1. v. 2. ורוח אלהים מרחפת על פני המים Veruach Elohim merachpheth al penei hammajim. *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper faciem aquarum*, vel, *incubabat aquis.* Quæritur quis ille ſit *ſpiritus Dei*, quid illud *ferri*, moveri, aut *incubare?* Varias eſſe nominis *Spiritus*, in Ebræa, Græca, & Latina lingua ſignificationes, notius eſt quam ut probari debeat; nec neceſſarium eſt eas omnes adduci, ut quid nomine Spiritus hoc loco intelligatur diſcernamus. Ad tres ſententias referri poſſunt, quæ de hoc loco à variis interpretibus dicuntur. 1. enim ſunt, qui per ſpiritum, intelligunt *ventum*, vel *aërem*, qui dicatur *Dei* quia à Deo immiſſus; vel quia magnus. Alibi enim, ut Pſal. 147. verſ. 18. *flabit ſpiritus ejus & fluent aquæ:* Spiritus ejus, de vento videtur intelligendus. *Dei* etiam vocem alicui rei additam αὐξητικὴν eſſe aliquando, & magnitudinem ac vehementiam rei denotare, negari non debet. Ut enim *cedri Dei* dicuntur, aut *montes Dei*, hoc eſt maximi & altiſſimi (quod enim Deo magnum, valdè magnum ſit oportet) ſic poteſt dici Spiritus Dei, aut ventus Dei; pro ingenti & vehementi flatu.

II. Per Spiritum Dei, ſunt qui intelligant, non ventum creatum, ſed *vim*, impetum & efficaciam quandam vitalem, & fœcunditatis plenam, aquis à Deo impreſſam; quia in Scriptura aliquando, per *Spiritum Dei* ſignificatur ſubita quædam vis & extraordinaria motio, ad aliquid magnum & eximium agendum. Quo ſenſu vocem ſpiritus accipiunt, cum dicitur irruiſſe in Sampſonem, qui diſcerpſit Leonem: & in Saulem, qui minutatim concidit bovem, & in Eliſæum, cum ſtatim cœpit prophetare; quæ Hiſtoriæ leguntur Judic. 14. 1. Sam. 11. & 2. Reg. 2. Moſem igitur oſtendere voluiſſe, in principio, vim & efficaciam Dei aquis affuiſſe, ut intelligeretur, quæcumque poſteà ex aquis juſſu Dei facta fuiſſe narrantur, non aquarum nativâ facultate aut virtute facta eſſe, ſed ſupernaturali Dei poteſtate, quemadmodum Sampſon non viribus ſuis, ſed virtute Dei Leonem laceravit. Quam expoſitionem amplectitur Chryſoſt. homil. 3. in Geneſ.

III. Per Spiritum Dei, intelligunt plerique interpretes *Spiritum Sanctum*, tertiam ordine perſonam in divinis, quæ Spiritus Dei propriè dicitur in Scriptura Sacra: Cui perſonæ tribuatur, quod ſeſe agitaverit, ſeu agitans incubarit aquis. Dicitur enim verbum רחף de avibus, ovis ſuis incubantibus, ut Deut. 32. v. 11. Sicut aquila, quæ ſuper pullos ſuos ירחף *jeracheph*, incubat, ut eos foveat, & veluti ſuſtentet. Figuratè autem hoc dici, ſive de vento, ſive de vi quadam divina, ſive de Spiritu Sancto, omnes conſentiunt, nec de eo controverſia eſt ulla. Hac igitur phraſi convenit ſignificari, aliquam ſuſtentationem & præparationem maſſæ illius aqueæ & terreſtris, ut ex ea educeretur hæc rerum univerſitas.

Tres illæ ſententiæ autores ſuos habent & approbatores orthodoxos. Sed à poſtrema ſibi cavent quantum poſſunt

poſſunt novi Pneumatomachi, ne cogantur agnoſcere ſubſiſtentem in divinis Sp. Sancti perſonam, creatricem & effectricem rerum omnium cum Patre & Filio. Idcirco blaſphemus ille Transſylvanus *Enjedinus*, quæcumque à quovis in hunc locum allata ſunt, probabilia ducit, etiam *Valleſii* ſententiam, qui per ſpiritum, ineptè, ignis elementum intellexit, nec penſi habet quid ſit intelligendum hoc loco, dummodo Spiritus ille Dei quem cum Patre & Filio adoramus, excludatur.

Sententiam quam primam recitavimus, de aëre vel vento, quem agitatum aërem eſſe multi ſentiunt etiam ex Philoſophis, parum probabilem ducimus. 1. Quia in illa prima mole confuſa, diſtinctum jam fuiſſe aëris elementum, & ſuum locum occupaſſe credibile non eſt, præſertim ſi, quod doctis multis placet, & maximè rationi conſentaneum videtur, per רקיע *Rakia, expanſum in medio aquarum*, aër intelligi debeatur, qui locum habet inter aquas inferiores & ſuperiores. Tale autem expanſum poſteà creatum fuiſſe ex Scriptura conſtat; nedum ut tunc flatus fuerit magnus aut vehemens, excitatus ad voraginem illam exſiccandam, ut tandem appareret terra, & res omnes ſuum locum & formam obtinerent, ſicut in mari rubro & Jordane exſiccando, Deus ventum excitaſſe legitur. Nam cum id poſteà in momento, ſolo verbo & juſſu à Deo factum fuiſſe perhibeatur, id vento vehementi aut flatui exſiccanti, cujus effectus non eſt momentaneus, ſed ſucceſſivus, non debet tribui. Præterea, ſi de motu propriè dicto aut agitatione, locus intelligi deberet, merito quæreretur, quomodo ventus ille ſe potuiſſet agitare circa illam confuſam maſſam univerſaliter, cum nullus eſſet adhuc cœlorum motus, nec primum mobile adhuc eſſet creatum. His certè argumentis nec reſpondit nec reſpondere potuit hæreticus. Nam quod dicit, non ſequi ventum aut aërem tunc non fuiſſe creatum, quia Moſes creationis ejus non meminit, cum alia multa fuerint creata quorum expreſſe mentionem non facit, & potuiſſe utrumque eſſe, aërem & ventum, cum hæc Moſes dixit; id inquam non ſatisfacit. Quia non ſic argumentamur, ſed dicimus, creationem aeris poſteà fuiſſe factam, ex Moſe conſtare, proinde non potuiſſe tum aërem, aut ventum, aliquid operari. Imò quod poſteà addit, contra ipſum facit. Dicit enim ventum ex halitibus aqueis & commotione aëris gigni, & ſequi à Deo eſſe creatum, quia Deus creavit ejus principia. Si enim ventus tum fuit in principiis ſuis tantùm, nondum fuit actu, præſertim cum principia illa fuerint tunc confuſa, necdum ad rerum generationem apta. Præterea, cum ventum fateatur gigni ex vaporibus illis, agnoſcit non immediatè fuiſſe creatum; Quis autem credet, cum rude adhuc eſſet illud chaos, ſine diſtinctione, ſine lumine, &c. factam fuiſſe aliquam ventorum generationem? Sed hominibus illis quævis abſurda comminiſci ſatius videtur, quam veritati manum dare.

Alteram ſententiam, de quadam Dei vi & efficacià maſſam illam inordinatam & indigeſtam fovente, ut eam ad rerum productionem fœcundam redderet, tribuit Lamberto Danæo Phyſic. Chriſt. lib. 1. cap. 25. Sed veteratoriè ut ſolet, diſſimulando doctiſſ. illum virum, ita vim illam divinam agnoviſſe, ut docuerit ſimul Spiritus Dei nomen, vi illi inditum fuiſſe à Moſe, quia ubi vis & dona ſpiritus commemorantur, ipſe illic ſuo ſpecialique modo fuiſſe intelligatur, quia alio nobis modo quam per ſuos illos effectus & dona, innoteſcere non poteſt. Proinde Spiritum Dei ſuum, in condendo hoc mundo munus, & explicatè & diſtinctè habere. Ergo quanvis concedat verba illa immediatè, effectum, & vires, & præſentiam quandam, qua ſe illic manifeſtabat ſpiritus, indicare; Spiritum tamen à ſua illa vi non ſeparat, quinimò oſtendit duabus de cauſis mentionem fuiſſe factam incubantis ſpiritus; 1. Ut mundi creationem non ſolius Patris & filii, ſed Spiritus quoque Sancti (qui καθ' ὑπόστασιν ab illis eſt diſtinctus) opus eſſe intelligeremus. 2. Ut agnoſceremus tantam illam molem, non à ſe, neque ab aquis circumfuſis, &c. fuiſſe ſuſtentatam, ſed à ſpiritu omnipotente, omniaque, vi ſua divina ſuſtentante, & vivificante, quo etiamnum hodiè, omnia ſubſiſtunt & ſuſtentantur, etiam quæ vim & naturam ſuam propriam ſortita ſunt, Pſal. 104. v. 36. *Emittente Spiritum tuum recreantur*, &c. Et Pſal. 134. verſ. 7. *Quo irem à Spiritu tuo?* Quæ ſuſtentatio tantæ moli eo magis fuit neceſſaria, quod ei nondum indita eſſet vis ordinaria gignendi & producendi. Ideò commodè uſus eſt metaphorica illa voce *merachepheth* Moſes, quæ non ſolum ſuſtentare, ſed & fovere ſignificat, quam voce θάλπειν videtur expreſſiſſe Paulus Epheſ. 5. v. 29. Hæc cum fusè à Clariſſ. Danæo in citato loco explicata viderit Hæreticus, mirum eſſet voluiſſe eum in ſuas partes vocare, niſi notum eſſet tales homines impudentiæ litaſſe.

Eſt ergo vera ſententia, Spiritum Dei dici incubaſſe aquis, ut tolleretur omnis dubitatio de ratione qua fieri potuit, ut hæc rudis moles in tanta confuſione & ἀταξίᾳ, ac rerum diſcordia & repugnantia, poſſet ſuſtentari & ſubſiſtere? Id nempe, factum fuiſſe vi divini ſpiritus, tantę moli incubantis, qui quemadmodum omnia nunc ſuſtentat etiam poſt expolitum à Deo mundum; multo magis neceſſarium fuit, ut tunc ſuſtentaret novum illud & recens nondum perfectum opus. Præterea, ut fovendo maſſam illam, ex ea tandem excluderet, quæ poſteà diſtincta & ornata fuerunt. Id cum ſit opus ſolius Dei, & tribuatur Spiritui Dei; Spiritum illum eſſe verum cum Patre & Filio Deum, inde firmiter colligimus & credimus: & cum talis effectus ſuſtentationis, & velut animationis, creaturæ nulli competere poſſit, inde etiam neceſſario colligitur, nec aërem, nec ventum aliquem ex aqua & aëre genitum, per *Spiritum Dei* intelligi poſſe.

Futilia ſunt quæ ex adverſo objicit Hæreticus. 1. Moſem non dicere, ſpiritum illum eſſe Deum ſed

Dei. Nulla enim eſt repugnantia, quin ſpiritus Dei, ſit etiam Deus. Imo aliter eſſe non poteſt, de ſpiritu illo cui tribuuntur operationes divinæ, qualis eſt ſuſtentatio totius molis creatæ, & ejuſdem præparatio ad diſtinctionem & ornatum, quo mundus conſtituitur. Eſt Deus ratione communis eſſentiæ; eſt Dei ſpiritus ratione proceſſionis à Deo Patre & filio. Cum ergo dicit hac forma loquendi, *ſpiritum Dei* à Deo diſtingui, id quidem aliquo ſenſu verum eſt. Diſtinguitur à Deo, quatenus Dei nomen perſonaliter ſumitur; non autem quatenus eſſentialiter idem nomen accipitur. Similitudo quam affert eſt valdè diſſimilis, cum virga dicitur eſſe Moſis, quæ non eſt Moſes. Nam in rebus heterogeneis verum quidem eſt, quod alterius eſſe dicitur, non participare eandem ſubſtantiam, nec idem eſſe cum eo, cujus eſſe dicitur. Sed in creaturis etiam ubi agitur de rebus homogeneis, alia ratio eſt; Sequitur enim ſi aliquis ſit hominis filius, eſſe etiam hominem. Imo ſpiritus hominis, etſi non ſit homo propriè, eſt tamen hominis pars præcipua. In Deo autem, ubi nulla eſt diviſio, ſed pura ſimplicitas, quicquid eſt in Deo Deus eſt: proinde neceſſariò ſpiritus Dei Deus eſt.

Objicit ſecundo. Sententiam illam ſtare non poſſe cum illorum interpretatione, qui per *Elohim* in primo verſu, intelligunt tres perſonas: quia ſequeretur ex eo quaternitas, ſi ſpiritus Elohim diſtingueretur à tribus Elohim; addat etiam ſi velit, ſi non diſtinguatur, Sabellianiſmum induci, & ſpiritum eſſe ſui ipſius ſpiritum. Reſpondimus jam, conſequentiam illam premere eos qui volunt, vocem *Elohim*, vi numeri pluralis tres perſonas innuere; ſi enim id verum eſſet, & ubique locum haberet, tum ſequerentur abſurda objecta. Sed cum dicimus, vocem Elohim pro Deo, aliquando ſumi eſſentialiter, & tres perſonas comprehendere, ut nomen Dei: aliquando perſonaliter, & unam vel duas perſonas indicare, tunc ceſſant ἄτοπα illa, & hoc loco ſpiritus Elohim non erit ſui ipſius ſpiritus; ſed Elohim perſonaliter ſumpti, pro perſonis ſpirantibus, nempe Patre & Filio.

Objicit tertiò. Opera Trinitatis ad extra eſſe indiviſa ſecundum nos. Incubationem autem illam eſſe opus ad extra, ergo non debuiſſe tribui Sp. ſancto. Reſp. Objectionem eſſe nullius momenti. Quod enim affirmatur de Sp. Dei, non negatur de reliquis perſonis: ſed in operum illorum ad extra indiviſa communione, obſervatur ordo perſonarum inter ſe, ratione cujus nonnulla opera per appropriationem & terminativè, ut loquuntur, uni perſonæ ſolent tribui, ſine aliarum præjudicio.

Objicit quarto. Spiritum dici tantum aquas foviſſe, non autem cœlum & terram, quæ prius erant creata. Atqui non ſolùm aqua, ſed etiam cœlum & terra indigent Dei conſervatione & providentia. Apparere igitur hic non agi de generali providentia & ſuſtentatione Dei qua res conſervat. Reſp. Adverſarium falſum ſupponere, cum dicit cœlum & terram, fuiſſe creata ante aquas illas quibus ſpiritus Dei incubabat. Si enim cœlum & terram accipiat diſtinctè & cum forma ſua, id falſum eſt. Si vero intelligat creata fuiſſe in ſua materia rudi & informi, tum cœlum & terra ſub aquarum nomine ſynecdochicè intelliguntur, quia moles illa ita confuſa erat, ut omni ex parte aquis eſſet operta, nondum adhuc diſtinctâ terrâ ab aqua. Ergo cum Moſes dicit ſpiritum Dei aquis incubaſſe, id intelligitur de toto illo *tohu vavohu*, de quo immediatè loquutus erat. Denique, ſi concederemus, Moſem de aquis ſeorſim loquutum eſſe, non obtineret adverſarius quod vult, non enim ſequeretur negari de reliquis, quod affirmaretur de aquis, etſi unius tantum elementi expreſſè meminiſſet. Cum Pſaltes dicit, *verbo Domini cœlos factos fuiſſe, & ſpiritu oris ejus totum exercitum eorum*, Pſal. 33. v. 6. Item, *Deum feciſſe cœlos intelligentia*. Pſal. 136. v. 5. An dicet hæreticus, non agi de univerſali creatione, quia etiam opus fuit verbo Dei & intelligentia, in creatione terræ & aquarum? Vel intelligentia & verbo, reliqua non fuiſſe creata? Hoc quam abſurdum ſit, nemo non videt.

Falſum eſt igitur quod in fine cavillationum ſuarum addit, interpretationem noſtram de ſpiritu Dei, nec ipſam ſibi conſtare, nec ullis munitam & firmatam eſſe præſidiis, ambiguam, controverſam, & vacillantem poſſe jure dici; & longè tutius eſſe, ut quivis aliarum aliquam approbet. Id enim dicit tanquam hæreſi ſuæ convenientius; non tanquam veritati magis conſentaneum. Non enim ſolum hoc loco, ſed etiam expreſſè Pſal. 33. creatio tribuitur ſpiritui oris Dei, verſ. 6. *Qui congerit quaſi cumulum aquas maris, & diſponit in theſauris abyſſos.*

Hinc eſt quod Philoſophi, qui aliquam divini ſpiritus notitiam quamvis obſcuram & mancam ex Divinis Scripturis hauſerunt, de eo philoſophati ſunt, eumque animam mundi appellarunt, & ut Greg. Nazianzenus ſcribit νοῦν τοῦ παντὸς, καὶ τὸν θύραθεν νοῦν. id eſt, mentem univerſi, & mentem extraneam, ſeu extrinſecus adventitiam. Orat. 37. quæ eſt quinta de Theol. de qua Philoſophorum ſententia, Cyprianus ſerm. de Sp. ſancto (aut quiſquis apud Cypr. ſermonis fuerit autor,) ſic ſcribit. *Hujus ſempiterna virtus & divinitas, cum in propria natura ab inquiſitoribus mundi antiquis Philoſophis propriè inveſtigari non poſſet, ſubtiliſſimis tamen intuiti ſunt conjecturis, compoſitionem mundi, compoſitis & diſtinctis elementorum affectibus præſentem omnibus animam affuiſſe, quæ ſecundum genus & ordinem ſingulorum vitam præberet & motum, & intranſgreſſibiles figeret metas, & ſtabilitatem aſſignaret & uſum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum eſſentiam, animam mundi Philoſophi vocaverunt, putantes cœleſtia corpora, ſolem dico, lunam & ſtellas, &c. hujus animæ virtute moveri & regi, & aquas, & terram, & aërem hujus ſeminibus impregnari. Qui ſi*

ſpiritum,

ſpiritum, & Dominum, & creatorem, & vivificatorem, & nutritorem crederent, omnium quæ ſub ipſo ſunt, convenientem haberent ad fidem acceſſum. Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſtianis. pag. 73. edit. Commel. dicit à Moſe Platonem accepiſſe, quod poſt eam virtutem quæ ſecundum Principem Deum eſt, præterea *idem tertiam* agnovit, *quia legerat* (inquit) *promulgatum eſſe à Moſe, ſpiritum Dei ſuper aquas ferri, ſecundum locum verbo, quod in univerſo decuſſatum dixit, tertium verò ei, qui dictus eſt ſuper aquas ferri ſpiritui tribuit.* Cyrillus Alexand. lib. 1. contra Julianum. *Nunc*, inquit, *cenſeo adjiciendum quæ de Spir. ſancto ab illis dicta ſunt. Dicit enim Porphyrius, exponens opinionem Platonis, uſque ad tres ſubſiſtentias, divinam ſubſtantiam progredi. Eſſe autem ſummè quidem Deum bonum; poſt illum autem & alterum conditorem, tertium & mundi animam; progredi enim uſque ad animam Deitatem.* Ubi idem Cyrillus Hermetis Triſmegiſti verba recenſet, *Hoc*, inquientis, *ſpiritu de quo ſæpè dixi priùs, omnia opus habent. Omnia enim portat ſecundum dignitatem, omnia vivificat & alit, & à ſancto fonte producitur, adjuvans ſpiritu & vita omnibus, ſemper exiſtens fœcundus.* Hæ Philoſophorum opiniones, velut in tenebris palpantium, ſuis nævis non carent, quia *animam mundi* quam nominant, & mente genitam, à ſummo Deo ingenito ſeparant, & graduum quaſdam differentias fingunt. Sed tamen ex his apparet, vetuſtiſſimam fuiſſe doctrinam de Sp. ſancto, quam vel ex Moſis ſcriptis, vel ab antiquiſſimis Patribus acceptam, vetuſtiſſimi Philoſophi literis mandarunt, quamvis non integrè & plenè cognitam. Itemque novos iſtos Pneumatomachos, ipſis Ethnicis in rebus divinis ſtupidiores eſſe, qui agnoſcere nolunt, illam ſubſiſtentem & agentem potentiam divinam, qua omnia vivificantur, quam aliquomodo Ethnici viderunt & agnoverunt. Nec priſci Ebræi videntur hoc arcanum ignoraſſe, cum in expoſitione Geneſ. majori & minori, in ipſo Talmude, dicunt ſpiritum Elohim volitantem ſuper aquas, eſſe ſpiritum Meſſiæ de quo Eſa. 11. *& requieſcet ſuper ipſum ſpiritus Dei.* citante Galatino de Arcan. Cathol. verit. lib. 2. cap. 6. Thargum Hieroſolymitanum, ſpiritum Dei hoc loco *ſpiritum miſerationum* interpretatur, qui nec ventus eſſe poteſt, nec aër. Et Ebræi, referente Doctiſſ. Mercero כסא הכבוד *kiſé hakabot*, thronum gloriæ Domini appellant, in aëre deſuper velut incubantem aquis, more avis ovis incubantis. Et Caballici, *ſpiritum Meſſiæ*, exponunt. Sed his omiſſis, innitimur locis Scripturæ, in quibus creatio cœli & terræ Spiritui ſancto tribuitur; qui ideò vocatur *Dei virtus.* Luc. 1. v. 35. *Spiritus ſanctus ſuperveniet tibi, & virtus altiſſimi obumbrabit te.* ἐπισκιάσει σοι. *inumbrabit tibi*, quo verbo commodè exprimi poſſet verbum רחף *rachaph.* Nam dicitur Sp. ſanctus operatione ſua fœtum in utero virginis formaſſe, ſimili ratione qua hic, molem aqueam foviſſe & ſuſtentaſſe.

EXERCITATIO III.

Quale fuerit verbum per quod Deus mundum creavit. Dicere Dei apud Moſem quid? Socini objectio. Diſtinguitur verbum. Probatio de verbo eſſentiali ex hoc loco non directa eſt, ſed tamen per conſequentiam valida. Servetus refellitur.

Geneſ. 1. v. 3. ויאמר אלהים *vajomer Elohim, & dixit Deus* &c. quæ verba ſæpè repetuntur in hiſtoria creationis. Huc referunt Orthodoxi interpretes, quod in ſacris libris, creatio omnium rerum, *verbo Dei* tribuitur. Ut Pſal. 33. verſ. 6. verbo *Iehovæ cœli facti ſunt* &c. Item, *Deus fecit cœlos intelligentiâ.* Pſal. 136. v. 5. *Iehova ſapientiâ fundavit terram.* Prov. 3. v. 19. *Cœli extiterunt per Dei ſermonem.* 2 Petri 3. v. 5. De eo nemo dubitare poteſt, qui Scripturæ autoritatem admittit. Sed controverſia mota eſt olim, & etiamnum à novis Samoſatenianis movetur, num per *verbum æternum*, tanquam per ſubſiſtentem perſonam, à patre diſtinctam, Deus omnia crearit: & an ex verbis Moſis decies repetitis, *dixit Deus*, tale verbum inſinuetur? Id illi præfractè negant, & conantur oſtendere, per verbum Dei de quo in prima rerum omnium creatione agitur, nihil aliud eſſe intelligendum, præter voluntatem & juſſum Dei, externo opere manifeſtatum. Chriſtum autem apud Joan. cap. 1. appellari verbum, ob eam ſolum rationem, quod nobis declaravit Patris voluntatem; qua ratione verbum illud non potuit eſſe, quo Deus omnia creavit, cum ſecundum adverſarios, nondum exiſteret. Supra oſtendimus, Moſem & Joannem de una & eadem creatione per verbum facta eſſe intelligendos. *Verbum* autem apud Joannem eſſe perſonam ſubſiſtentem, adverſarii negare non poſſunt. Sed ut ad verba Moſis veniamus, *dixit Deus.* Orthodoxi interpretes plerique agnoſcunt, Phraſi Ebraica, *dicere*, idem ſignificare quod jubere, decernere, ſtatuere, & velle efficaciter, ut aliquid fiat; ſic etiam, *verbum Dei*, ſignificare imperium, decretum, & voluntatem ejus efficacem. Cum ergo ſcribit Moſes, *dixiſſe* Deum, *fiat lux*, ſignificare, Deum juſſiſſe, ſtatuiſſe, & voluiſſe efficaciter ut lux fieret. Deinde induci Deum ſolo verbo & imperio efficientem lucem &c. ut appareat incomparabilis ejus autoritas & poteſtas in res omnes, tam quæ ſunt, quam quæ non ſunt; juxta illud Pauli, Rom. 4. v. 17. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, & omnia obediunt ei.* Præterea, ut innoteſcat, quanta Deus celeritate & facilitate,

litate, quodcumque vult, perficere valeat, & infinitis partibus, facilius eſſe Deo facere quodcumque fuerit ipſi collibitum, quam eſt homini, id verbo explicare, vel cogitatione fingere. Denique, ut intelligatur Deum, non eſſe velut agens naturale in operationibus ſuis ad extra, ut vocant, neceſſitate quadam & ſine cognitione faciens opus ſuum, ſed ratione, conſilio, & libera voluntate omnia condidiſſe: quia dicere & jubere, eorum eſt tantummodò qui ad agendum rationem, & conſilium adhibent. His & ſimilibus quæ à noſtris benè dicuntur, ut cum Vatablus ſcribit, *Dicere, pro jubere & præcipere, utuntur Ebræi* &c. abutitur Fauſt. Socinus, in Reſponſ. ad Gabrielem Eutropium, ad aſſert. 1. cap. 4. Et oſtendere conatur, his verbis aut aliis ſimilibus, non indicari perſonam aliquam in divinis ſubſiſtentem diſtinctè à patre: cum voluntas & juſſus Dei non ſit perſona: nec ſi *verbum* pro perſona ſubſiſtente acciperetur, intelligi poſſet, quomodo liber fuiſſet Deus in creando, cum verbum illud ſubſiſtens tale ſit per nos, ſine quo Deus nunquam eſſe potuerit. Addit etiam alia abſurda, ut, quod Deus non ſemper dixit, ſed *in principio*, nos autem illud verbum facimus æternum. Item. Si verbum æternum eſſet illud τὸ λέγειν *dicere*; ſequeretur hæc ab æterno fuiſſe dicta *fiat lux* &c. ob idque vel lucem fuiſſe ab æterno, vel Dei dictum effectu caruiſſe. Hæc ille: & talia coacervat, ut Orthodoxam ſententiam à ſe deformatam, obruat ſuis abſurdis, ex ambigua & indiſtincta *verbi* acceptione, qua abutitur, ut ſibi aperiat calumniandi campum.

Res igitur ita ſe habet. *Verbum* cum Deo tribuitur, propriè, vel figuratè accipi. Figuratè *verbum* Deo tribui, quando Deus exteriùs producit creaturam, aut voluntatis ſuæ externum ſignum hominibus proponit. Quo ſenſu Deus dicitur loqui, jubere, &c. in tempore. Hoc modo dictionem & verbum capi impropriè, agnoſcimus, pro ipſa re quæ fit, & actione ſeu productione illius. Ideò cum in Scriptura Deo tribuitur *verbum* hoc modo, non id eſt intelligendum relativè, aut, ut loquuntur, notionaliter; ſed eſſentialiter. Sicque quando narratur, Deum aliquid exteriùs feciſſe verbo, juſſu, aut mandato; fatendum eſt, verbi nomen impropriè uſurpari: quia dicitur res ipſa producta extra Deum, verbum ipſius; & ipſius productio, vocatur dictio & loquutio Dei, vel exterior aliqua prolatio, qua Deus inſtar alicujus hominis dicitur loquutus. In hac ſignificatione, ſi quis diceret filium Dei eſſe verbum Dei; abſurda quæ Socinus objicit ſequerentur; quia tale verbum nihil eſt aliud quam effectus voluntatis divinæ, & opus, ut loquuntur, *ad extra* tribus perſonis commune. Quo ſenſu etiam concedimus, immediatè accipi debere, quod Moſes ſcribit, *dixiſſe Deum, fiat lux* &c. Quanvis enim verbum illud, non fuerit factum ſermone aliquo prolativo aut enunciativo, apud res creatas ſonante, ut ſolent res corporeæ, ſed vocante imperio ſuo ea quæ non ſunt, tanquam ſi eſſent, eaque producente à non eſſe ad ens: tamen verbum illud eſt ſuo modo προφορικὸν, quia verbum & factum ſunt unum & idem: ex quo manifeſtum eſt, propriè dici non poſſe de verbo æterno ſubſiſtente. Ille enim ſermo in principio factus eſt: hic verò ab æterno genitus: Ille ordinationis eſt; hic autem naturæ; ille Patri, Filio & Spiritui Sancto communis; hic ſermo ſolius æterni patris, non ſui ipſius neque ſpiritus.

Agnoſcimus ergo illud quod Deus dixit non eſſe *verbum* propriè dictum, & *relativè acceptum*; Illud enim *Deum dicere*, non eſt filium generare, ſed eſt res non exiſtentes producere. Sed non obſtat tamen, quominus ex illo *dixit Deus*, colligatur, dictionem illam externam, per rerum creatarum productionem, eſſe effectum interni illius & æterni ſermonis, per *quem* Pater *ſecula fecit:* proinde ex effectu, ad cauſam aſcendamus, & à prolato externo illo ſermone impropriè dicto; relativum illum, propriè dictum, à Deo ab æterno genitum, non tanquam Patris inſtrumentum, ſed tanquam propriè dictam & primam una cum Patre cauſam, agentem una & eadem actione. Nam cum unica ſit eſſentia, virtus, & potentia utriuſque, non ſunt diverſæ cauſæ, ſed una & eadem. Diſcrimen tantùm eſt in eo, quod Pater à nullo habet eſſentiam illam & virtutem qua operatur; ſed filius eam habet à Patre communicatam. Atque ita dicitur creare Pater per filium, quod nihil aliud eſt, quam patrem una cum filio creare, ſed communicando filio eſſentiam & virtutem, qua una cum ipſo patre creat. In quo maximè differt ab inſtrumento, quia agens non communicat inſtrumento ſuam virtutem & ſuam ſubſtantiam, & ideo inſtrumentum eſt inferius principali agente. At cum pater communicet filio ſubſtantiam & virtutem qua agit uterque, filius non eſt minor patre.

Ergo in creatione rerum omnium, verum eſt figurato illo loquendi genere, quo Deus per effecta voluntatem ſuam expreſſit, loquutum eſſe Patrem, Filium & Sp. Sanctum. Quo etiam ſenſu locutio filio tribuitur ab Apoſt. Ebr. 1. v. 3. ubi dicitur φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ; *ſuſtinens omnia verbo virtutis ſuæ*. Hoc eſt, omnia quæ per ipſum facta ſunt, agere, gubernare & conſervare, citra laborem & negotium, ſolo nutu & voluntate, quia quod ſolo verbo fit, abſque ſollicitudine & labore fit. Ideò utitur voce ῥήματος, quæ Latinè per juſſum & ſententiam rectè exprimitur; & de illo verbo immediatè rectè intelligi poteſt, quod in principio dixit Deus.

Sed aliud eſt *verbum* quod dixit, aliud λόγος ſeu *verbum* aut *ſermo*, quo dixit. Quod verbum eſſentiale mediatè, innui dicimus, in illa per verbum rerum omnium creatione, Pater enim loquutus eſt ea locutione quæ in rerum creatione conſiſtit, per verbum ſuum eſſentiale filium unigenitum. Filius dixit etiam, ſed à patre: Spiritus Sanctus dixit, ſed à Patre & Filio, ergo

in

in una externa locutione, id eſt operatione, diſtinguitur modus operandi trium perſonarum, cujus diſtinctio pendet, à perſonarum illarum inter ſe relatione, qua pater ſe ipſum ab æterno intelligendo, producit eſſentialem ſui imaginem filium, prout ab intellectione, producitur internum verbum. Per quam ſapientiam genitam ab æterno, pater omnia operatur. Spiritus autem Sanctus à Patre & Filio procedit, alio ineffabili modo, quem veteres nonnulli, & Scholaſtici omnes, per naturalem actum voluntatis quo pater & filius mutuò ſe amant, expreſſerunt, ex analogia mentis humanæ. Nos vero & generationis, & proceſſionis modum à Scriptura non ita perſpicuè diſtinctum, determinare non audemus: id tantùm quod ex ea certum eſt retinentes, diſtinctas eſſe in divinis tres perſonas; & unam ſine alia non agere, ſervato ordine; eſſe autem, inter Patrem & Filium, ordinem, qualis inter loquentem interne, & λόγον ſeu ſermonem internum loquentis ex Scriptura certum habemus.

Ex hoc autem loco quem præ manibus habemus, hic eſſentialis ſermo non directè, ſed per conſequentiam juſtam probatur. Conſtat enim Deum Patrem per Filium in Sp. Sancto, lucem juſſu ſuo à tenebris diſtinxiſſe, &c. Cum id fecerit Pater per Filium, & Filius à Patre, ſequitur manifeſtiſſimè Deum Patrem dixiſſe per filium, qui proinde in ea re fuit patris ſermo, fecitque ſermonis divini opus. Quemadmodum enim miſſio viſibilis filii in tempore, arguit miſſionem ab æterno factam per generationem: ſic locutio patris in tempore, id eſt, manifeſtatio per effectum, arguit verbum ab æterno genitum. Illud ergo *dicere* in tempore, non eſt filium generare, ſed per filium, à patre genitum ab æterno, res non exiſtentes producere, ſecundum declarationem Scripturæ, quæ ſapientiæ increatæ, & æterno verbo tribuit omnium quæ facta ſunt productionem. Prov. 8. v. 22. & 23. Ioan. 1. v. 1. quibus in locis verbi illius aſſeritur æternitas. Ergo, filius Dei ab æterno fuit verbum, non quod ab æterno per illud loquutus ſit Deus, ſed quia ſemper aptum fuit ut per illud pater loqueretur, & quæ vellet fieri juberet.

Ex quibus ſolidè refutat Serveti blaſphemiam Calvinus; qua voluit, tunc primum *verbum*, cum Deus mandavit ut lux eſſet, incœpiſſe. Quia cum verbum dicti illius ſit cauſa, effectu ſuo prius eſſe debuit, & cum ejus vi repentè extiterint quæ non erant, potius inde colligenda eſt æterna ejus productio, unde merito Ioannes æternitatem ejus inde probavit, quod per illud facta eſſent omnia. Non ergo novam qualitatem exiſtimandum in Deo factam fuiſſe, cum ſic loqui cœpit, quia aliter de Dei quam de hominum ſermone ſentiendum eſt; ſapientiam nempe eſſe in Deo reſidentem, & ſine qua Deus nunquam eſſe potuit, cujus effectus apparuit cum lux creata eſt. Hinc etiam petitur reſponſio ad quæſtionem, cur tum primum, cum de luce agit, Deum inducat loquentem Moſes, quamvis in maſſa illa creanda verbum illud æternum cum Patre ſit operatum. De *verbo* Moſem tum mentionem feciſſe, quia in rerum diſtinctione maximè conſpicua ſit ejus *ſapientia*.

EXERCITATIO IV.

Explicatio verſus XVI. *Deus plurali numero de ſe loquitur. Cur id ſiat. Refutatur opinio, quod ſequutus ſit morem magnatum. Angelos non alloquitur. Sed perſonas alias divinas. Homo non eſt conditus ad imaginem Angelorum. Enjedini objectiones refelluntur. Imago & ſimilitudo an differant? Bellarmini mala fides. Imago in homine an amiſſa? Patrum ſententia.*

LAtus nobis eſſet apertus campus, ſi de creatione & ornatu rerum quæ hominis formationem præceſſerunt, prout ejus narratio à Moſe eſt inſtituta, agere ſuſciperemus, & quæſtiones omnes ſolvere, quæ olim motæ fuerunt, aut etiamnum moveri poſſent, de inferiorum & ſuperiorum creaturarum natura, ordine, & proprietatibus, in quibus tota naturalis Philoſophia explicari poſſet, quomodo à nonnullis factum eſt diligentiſſimè. Sed quia quæ propriè ſunt Theologica tractare, nobis animus eſt, & ea præſertim vindicare, quæ in controverſiam hoc tempore vocantur, in rebus fidei, à quibuſvis adverſariis, accedemus ad ea quæ dicuntur de hominis creatione, verſ. 26. Cum enim homo ſit Religionis & fidei ſubjectum, & circa eum maximè verſetur quicquid de ſalutis ratione cauſis & effectis revelatur, intereſt multum, ut qualis initio à Deo factus ſit apud omnes conſtet; maximè, cum inde nonnulli his temporibus arceſſant errorum ſuorum principia & fundamenta. *Dixit porrò Deus*, inquit verſ. 16. Moſes, *Faciamus hominem in imagine noſtra*, &c. ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו. *Vajomer Elohim naaſeh Adam betſalmenu.* In his verbis, conſideranda ſunt 1. Conſilium illud Dei de homine creando, cum quibus initum fuerit. 2. An ſit aliqua inter imaginem & ſimilitudinem differentia. 3. In quo conſiſtat imago illa Dei ad quam homo creatus eſt.

Ad 1. quod attinet, Lis eſt nobis cum hoſtibus Deitatis Chriſti, qui ſe in omnes partes vertunt, ut oſtendant non denotari perſonarum pluralitatem in divinis, quam veteres omnes & recentiores Orthodoxi his verbis ſignificatam crediderunt. In creatione aliarum rerum omnium quæ præceſſerunt, Moſes ſimpliciter ſcripſit, Deum dixiſſe, ut hoc vel illud fieret. Non eſt autem ſine cauſa, quod ubi agitur de homine creando, Deum introducit, tanquam deliberantem, & cum ratione quadam & conſilio ad hominem creandum accedentem.

dentem. Ad quæ Gregorius 27. cap. lib. 9. Moralium, appoſitiſſimè, ſic loquentem fuiſſe introductum à Moſe Deum, *Videlicet, quia rationalis natura condebatur, ut quaſi cum conſilio facta videretur, quaſi per ſtudium de terra plaſmatur, & inſpiratione conditoris, in virtute ſpiritus vitalis erigitur: ut ſcilicet non per juſſionis vocem, ſed per dignitatem operationis exiſteret, qui ad conditoris imaginem fiebat.* Hæc ergo faciunt ad commendandam hominis præſtantiam ſupra reliquas omnes creaturas, de quibus anteà actum fuerat. Non ad inſinuandam in Deo, propriè dictam deliberationem, & diſcurſum (ut loquuntur) ac ſi more opificum, priùs ipſi neceſſarium fuiſſet deſcendere in conſilium, ut perpenſis omnibus rationibus, de condendo hoc ſuo opere decretum faceret. Sed noſtro captui ſe attemperat ſcriptura, & deliberationem Deo tribuit per ἀνθρωποπάθειαν, quam propriè ſi intelligamus, non convenienter de Deo ſentiemus.

Sed præcipuum quod hic quæritur illud eſt, Cur Moſes introducat Deum in plurali numero dicentem נעשה אדם *naaſſeh Adam, faciamus hominem.* Deum enim eundem loqui, qui dixerat *fiat lux*, nemo in dubium vocat. Hac autem loquendi forma alios compellaſſe videtur, qui ſecum in nobilis illius creaturæ formatione operarentur. Hunc nodum ſolvere ſe poſſe putant facillimè, qui, ad regulam illam grammaticorum recurrunt, quam ex Cevalerio citat Enjedinus; *Quæ dignitatem ſignificant pluraliter uſurpantur ad ampliorem honorem.* Cujus rei exempla etiam attulimus ſupra, ex Joſuæ 24. v. 20. *Dii ſancti ipſe.* Eſai. 19. v. 4. *in manu, dominorum duri.* In aliis etiam linguis id uſitatum eſſe dicunt, & citant Scholiaſten Sophoclis, qui δοῦναι σφὶν, pro δοῦναι αὐτῷ ſcripſit, & addidit ſcriptum eſſe κατὰ τιμὴν πληθυντικῶς, id eſt, propter honorem, ſeu dignitatem, pluraliter. Sed hæc omnia exempla dicuntur de alio in tertia perſona. At in hoc noſtro, in prima perſona loquitur Deus. Quod etſi uſitatum ſit apud latinos, ut de uno ſolo numerus utervis uſurpetur, etiam ab eo qui lòquitur, quæſtio eſt an in Ebraiſmo id ſit, aut fuerit in uſu, ut unus aliquis de ſe ſolo loquens, numerum pluralem uſurparet?

Theodoretus, quæſt. 20. in Geneſim, hac ratione refellit eos qui ſuo tempore eadem exceptione utebantur: quia ſi mòre magnatum Deus loquutus fuiſſet de ſe ſolo pluraliter, oportuiſſet, Deum loqui de ſe pluraliter vel ſemper, vel ut plurimum; maximè ubi in Sina legem dedit Judæis, tunc enim conveniens fuiſſet, talis loquendi forma, *nos mandamus, decernimus* &c. At hoc non factum eſt, ſed ſingulariter tantum ibi de ſe loquutus eſt; in Sacra Scriptura quinquies legitur numerum pluralem de ſe uſurpaſſe. Hic; & cap. 2. v. 18. *faciamus Adæ adjutorium.* & cap. 3. verſ. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*; & cap. 11. verſ. 7. *Venite deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum.* & cap. Eſai. 5. verſ. 8. *Audivi vocem Domini, dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis?*

Quinetiam obſervatur ab iis qui diligenter inquiſiverunt, nullum exemplum in toto veteri Teſtamento haberi in ullo homine quamvis ambitioſiſſimo, in quo de ſe ipſo plurali numero loquutus ſit: Quam obſervationem confirmat Aben-Ezra Judæus, ſcribens in hunc ipſum locum. Et ab aliis Judæis agnitam fuiſſe id teſtatur, quod eorum plerique judicantes verbum hoc de pluribus dici, in eo tantùm laborarunt quinam eſſent iſti plures, cum quibus Deus ſermonem contulit.

Communior Judæorum opinio fuit, Deum Angelos alloquutum fuiſſe, eoſque in homine creando operam navaſſe Deo: quam ſententiam Philo Judæus in libro de opificio ſex dierum approbat, & in libro περὶ φυγάδων, in quibus animam quidem hominis rationalem à Deo creatam fuiſſe concedit, ſed corpus & partes animæ vegetantem & ſentientem, ab Angelis fuiſſe efformatas contendit; quæ ex Philoſophia ſui Platonis hauſit, qui ſimilia habet in Timæo. Inducit enim Deum, poſt creatam hominis mentem, cum diis ſecundis, id eſt, Angelis loquentem, eiſque mandantem, ut hominis corpus forment. Hanc ſententiam Enjedinus, hoc argumento firmare conatur, quod Scriptura Sacra nunquam Deum ſolitarium faciat, ſed ſemper illi apparitores & agmina Angelorum attribuat, ut ex viſionibus Prophetarum patet: ex iiſdem etiam viſionibus probare conatur, Deum in conſultationem adhibere creaturas, nam etſi Deus nullius conſilio egeat, nec propriè conſultet, Prophetæ tamen eum conſultantem cum creaturis repræſentant 3 Reg. 22. Iſa. 6. Job. 1. &c. extitiſſe autem Angelos cum Adam formaretur, ſequentem Moſis Hiſtoriam docere. Potuiſſe ergo illos Deo, de condendo homine conſultanti aſſiſtere, & Deum coràm illis hæc protuliſſe. Hæc ille.

Sed nihil ad rem. Non enim quæritur, an tum Deus ſtipatus fuerit angelorum multitudine, an potuerit cum ſervis ſuis aliquando ſua communicare conſilia, & à Sacris ſcriptoribus, tanquam cum creaturis conſultans introduci. Id enim extra controverſiam ponimus. Quod quæritur hoc eſt, An Deus in ſocietatem creationis aliquas creaturas vocaverit, & creationis participes fecerit? Id vidit ipſe Enjedinus, & poſt inaniter profuſa verba, cum agnoſceret hoc verbo & tota loquendi ratione, ſi verbum pluraliter accipiatur, id abſurdum ſequi, ad alias artes ſe convertit, ut primam illam opinionem, de verbo plurali ſingulariter ſumpto ſtabiliret.

Rectè autem veteres olim, rejecerunt tanquam rem abſurdiſſimam opinionem, quæ Angelos in hominis opificio Deo coadjutores addit, idque argumentis validiſſimis, 1. quia cum mens hominis ſit incorporea & immortalis, neceſſario ex nihilo fuit creata. Creatio autem alicujus rei ex nihilo, cum ſit opus infinitæ potentiæ, ſolius Dei propria eſt. Ad formationem vero corporis adminiſtris Angelis uſum fuiſſe Deum dici non

non poteſt, quia Scriptura expreſſè dicit Deum ex limo terræ feciſſe hominem, & inſpiraſſe in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Ratio etiam oſtendit, id ab Angelis fieri non potuiſſe. Nam effectum naturalem per ſe & ſua vi Angeli non poſſunt producere, ſed tantùm per cauſas naturales cujuſque effectus proprias, eas applicando & coaptando. Cum autem limus terræ, talis cauſa naturalis non fuerit, ex qua produci potuerit homo, tanquam effectus ex vi ejus pendens, ſoli Deo tribuendum eſt, quod ex tam vili materia, tam excellens animal formaverit.

2. Perſonas illas quæ verbo *faciamus* intelligi debent, unum eundemque Deum cum illo, qui hoc verbo uſus introducitur fuiſſe, ex eo patet, quod poſteà Moſes ſubjungit, *Deum creaviſſe hominem*; quod repetitur initio cap. 5. *In die qua creavit Deus hominem:* cujus creationem nullibi Deus Angelis tribuit. Alioquin etiam poſſent dici creatores hominum, & homo Angelis ſubjici deberet ut creatura creatori, quod quam abſurdum ſit nemo ſanus non videt.

3. Maximi ponderis argumentum deſumptum eſt ex eo, quod addidit Deus, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* quod argumentum video etiam à Philopono fuiſſe uſurpatum, in comment. de mundi creatione, lib. 6. cap. 3. editionis, quæ nuper Viennæ prodiit. Nunquam enim homo in Scriptura dicitur creatus fuiſſe ad imaginem Angelorum, ſed ubique ad imaginem Dei. Smalcius Antitrinitarius, in refut. Theſeon Schopperi de Trinit. pag. 8. *Falſum prorſus cenſendum eſſe* ait, *quod homo non fuerit conditus ad imaginem Angelorum, ſed ſolius Dei.* Rationes affert, 1. *quod nuſquam legitur nos ad ſolius Dei imaginem eſſe creatos. Poſſe autem facilè fieri, ut qui ad imaginem Dei creatus fuit, creatus etiam ſit ad imaginem Angelorum. Cum enim* (inquit) imago Dei *conſiſtat in ratione, vel imperio, vel utroq; ſimul, quid convenientius eſt quam hominem creatum eſſe dici, ad imaginem Angelorum? Cum & ipſi non minus ratione & mente præditi ſint, & imperium habeant &c.?* An Angeli ad imaginem Dei creati fuerint necne, nunc non diſputo, quia id ad rem propriè non facit. Sed hominem ad Angelorum imaginem fuiſſe creatum, hoc eſt quod negamus, & quod non evincunt adverſarii ſophiſmata. 1. Etſi particula excluſiva *ſolius*, non addatur nomini Dei, id tamen ſufficit ad excluſivam ſubintelligendam, quod nullibi Scriptura dicat hominem fuiſſe creatum ad alterius imaginem, quam Dei. Eum autem qui creatus eſt ad imaginem Dei, creatum eſſe ad imaginem Angelorum, non ſequitur, etiamſi concederemus in ratione & dominio conſiſtere illam imaginem, imò & in Angelis eſſe imaginem Dei. Non enim una imago eſt alterius imaginis imago, ſed utraque prototypi. Nec quæ ſunt in imagine requiſita competunt homini ad Angelos relato. Non enim ſufficit ſimilitudo, quia alioqui omne ſimile eſſet ſui ſimilis imago, ovum ovi, lac lactis, nix nivis &c. Sed requiritur dependentia, per quam Cæſar imago ſtatuæ non eſt, ſed ſtatua illius: Nec ſi duo homines in faciei lineamentis conveniant, ita ut alter alterum referat, unius imago, non erit imago alterius, ſed ejus tantum ad quem repræſentandum fuit expreſſa. Adam & Eva creati fuerunt ad imaginem Dei, nec tamen unus fuit ad alterius imaginem creatus. Sic de omnibus hominibus dici poteſt, qui ad imaginem Dei creati ſunt, non tamen ſunt alter alterius imago. Præterea, ſi in dominio conſiſtat imago Dei, quod maximè Sociniani urgent, & ex parte verum eſſe non negamus; ut homo ad Angelorum imaginem creatum fuiſſe probaretur, non ſufficeret Angelis aliquam dominationem ex Scriptura tribuere; ſed dominationem in ipſos homines. At nuſquam tale dominium Angelis fuiſſe datum ſcribitur. cum Scriptura, hominem ſoli Deo ſubjiciat, & Socinus lib. de ſtat. 1. hominis cap. 2. pag. 87. *agnoſcat, Angelos ipſos, quamvis ad hominis uſum non utique creatos, homini tamen, Dei juſſu, inſervire, ita ut nihil planè eſſe videatur præter Deum ipſum, quod homini aliqua ratione ſubjectum eſſe, dici non poſſit.* Quomodo igitur homo, ratione dominii, ad imaginem Angelorum eſſet creatus?

Sed præterea, in verbis Dei à Moſe relatis, apparet, ad *unum* commune iis quibus loquitur *prototypum* creatum fuiſſe hominem: dicit enim ad imaginem noſtram. Ubi nomen imaginis manifeſtiſſimè accipitur, non pro eo quod ad aliud fit, ſed pro eo ad quod aliquid fit. Si ergo qui creatur ad imaginem Dei ad imaginem Angelorum crearetur, & pronomine illo *noſtram*, commune exemplar ad quod efformatus eſſet homo, in Deo & Angelis indicaretur; oporteret, unam & eandem eſſe Dei & Angelorum naturam, cum tamen in infinitum diverſæ ſint, & proprietates naturæ divinæ, angelicæ naturæ proprietatibus ſint oppoſitæ. Deus enim eſt æternus, infinitus, ſimpliciſſimus, immutabilis &c. At nihil tale eſt in Angelis.

Nec alia opus eſt interpretatione illius vocis *noſtram*, quam ea quæ toties repetitur à Moſe. *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum.* & cap. 5. *ad ſimilitudinem Dei fecit illum.* Ex quibus patet, Deum eſſe illum ad cujus imaginem homo eſt creatus, & pronomine *noſtram*, Deum intelligi, quod ſi pluraliter intelligatur ut neceſſarium eſt, plures una perſona eſſe evincitur, quibus una & eadem natura communis eſt.

Enjedinus cum videret, exceptionem ſuam, quod Deus poſſit etiam cum ratione carentibus colloquium inſtituere, ut Eſai. 1. Audite cœli, ridiculam eſſe, quia inanimata non poſſunt invitari ad creationis opus, præſertim ut communem habeant cum Deo Imaginem; Et ſentiret etiam infirmam eſſe Judæorum de Angelis interpretationem, quam tamen, pro eo quo erat in veritatem odio, voluiſſet obtinere poſſe: redit

tandem ad primam, & negat Deum alios incluſiſſe, vel creationem hominis aliis communicaſſe, id eſt aliis perſonis, aut pluribus. Proinde affirmat verbum *faciamus*, & pronomen *noſtram*, etſi voce ſint pluralia, ſignificatione tamen eſſe ſingularia, nec de ullo alio præterquam de eo qui loquitur Deo, eſſe intelligenda. Nos quidem de uno vero Deo dicta eſſe contendimus, ſed qui etſi unus ſit eſſentia, eſt tamen perſonis trinus, cujus myſterii inſinuandi cauſa, nomine & verbo plurali Deus uſus ſit; & jam oſtendimus in Sacra Scriptura nullum exemplum haberi, in quo aliquis de ſe ſolo in plurali loquatur.

Nec quæ citat Enjedinus, contrarium evincunt. Nam 1. locus, ex Ioan. 3. v. 11. In quo Chriſtus ait, *quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*, à Chriſto quidem dicitur, ſed non de ſe ipſo tantùm, includit enim Baptiſtam, & præterea ſuo & diſcipulorum nomine, quorum manu baptiſabat hoc dicit. Apud Eſaiam autem quæ ſimilia habentur, *Accedant & nuncient nobis, quæ ventura ſunt, indicate nobis.* Eſai. 41. v. 22. Item Eſai. 6. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* nihil aliud evincunt præter id, quod Deus alibi etiam hac loquendi forma uſus ſit, de ſe ipſo in plurali numero verba faciens, quod nos etiam contendimus, & rationem hujus rei dicimus eſſe, quia Deus unus eſſentia, perſonis trinus eſt, qui verè de ſe loqui poteſt ſingulariter & pluraliter. Ideò hæc exempla potius noſtram confirmant ſententiam: etſi in citatis ex Eſaia locis, nihil eſſet periculi, ſi cum Deo loquente intelligeretur etiam Eccleſia, imò ſi verba illa à Deo nomine Eccleſiæ prolata diceremus, ſaltem priora, quia non agitur de re, quæ hominibus communicari non poſſit.

At, inquit, neceſſarium eſſe ut hic, *faciamus*, ſingulare denotet individuum inde probatur, quia ſi illa vox multitudinem in ſe includeret, nunquam auſi fuiſſent Sacri Scriptores illam immutare, & in ſingularem numerum vertere. Id autem eos feciſſe probat, adductis multis locis, in quibus Moſes in numero ſingulari, *Deus*, inquit, *creavit hominem ad imaginem ſuam.* Et Deus ipſe cap. 6. *Delebo hominem quem creavi*, &c. At loci illi non indicant Sacros Scriptores immutaſſe hanc formam loquendi, aut in ſingularem numerum vertiſſe; neque enim eſt in illis aliqua mutatio aut verſio: Sed cum uno in loco utantur plurali de Deo loquentes, & alibi ſingulari, oſtendunt in divinis utrumq; numerum, diverſa ratione, poſſe & debere uſurpari: & ratione plurium perſonarum, Deum de ſe loquentem poſſe plurali numero uti; ratione autem unicæ ſingulariſſimæ & ſimpliciſſimæ eſſentiæ, numero ſingulari ſeipſum deſignare, quia unus Deus hominem fecit, & tres perſonæ hominem crearunt. Sic nulla eſt contradictio.

Objicit adverſus hunc ſenſum, non plus nobis (quos Trinitarios appellat) in hoc dicto eſſe præſidii, ad tres Deitatis perſonas ſtabiliendas, quam Gentibus omnibus & Idololatris, ad multiplicia ſua numina ſtabilienda, & illud *faciamus* & *noſtram*, tam ad decem, centum, mille, quam ad tria referri; & nihil eſſe ineptius, quam ſic argumentari. Hic dicuntur eſſe multi, ergo ſunt tres. Nam poſſunt eſſe viginti, triginta, &c. At calumniatur hæreticus, quia nemo Orthodoxus ſic argumentatur directè, Hic dicuntur eſſe plures, ergo ſunt tres. Quod ex his verbis probamus id tantùm eſt directè & formaliter, in divinis eſſe pluralitatem, non Deorum, ſed perſonarum, cum tantum ſit unus Deus. Ternarium autem numerum aliunde habemus. 1. Ex iis locis in quibus Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, nobis deſcribuntur cum nominibus & proprietatibus divinis, quæ pluribus non communicantur; quomodo dicimus in Novo Teſtamento eſſe duo tantum Sacramenta, quia nulla alia reperiuntur. 2. Ex locis expreſſis, in quibus Patris Filii & Spiritus Sancti conjunctim fit mentio.

Cavillatur præterea inepte, cum addit, ſed quid tum ſi omnia demus, Deum non creaturis præſentibus, neq; illas eſſe alloquutum his verbis: ſequitur ne eum qui locutus eſt, cum illis quos allocutus eſt, ejuſdem eſſe naturæ & eſſentiæ? Certè fatuum eſt ita colligere, ille qui loquitur, & illi quos alloquitur ſunt ejuſdem eſſentiæ, ſic Serpens & Eva, Homo & Diabolus, & quid non? Fatuam eſſe illationem agnoſcimus, nec eam noſtram facimus, ſed ad autorem ſuum hæreticum relegamus. Illatio noſtra eſt, ſi Deus aliquos alloquatur, qui non poſſunt eſſe creaturæ, quia illis tribuit, quod creaturis competere non poteſt, ſequitur, eos in creationis conſortium vocari, & creatoris ut nomen ſic & poteſtatem habere communem. Qui autem ſunt tales, ſunt ejuſdem cum Deo eſſentiæ. Hoc argumentum non attingit, fatuum adverſarii delirium.

Liber Ebræus nomine Joſippi de bello Judaico à Sebaſtiano Lepuſculo Ebraice & Lat. editus Baſileæ pag. 5. ubi agit de LXX interpretibus, narrat eos mutaſſe tredecim loca, quorum hic locus quem tractamus eſt ſecundus, verterunt enim, ſi ei ſit aliqua fides, *faciam hominem* ποιήσω, *ne*, inquit, *audiretur quaſi aliquis qui conſilium iniret cum aliis.* In Græcis tamen omnibus codicibus qui extant ſcriptum reperitur in plurali ποιήσωμεν. Sed quod Ebræus ille poſt alios narrat, evincit apud ſuos verbum illud plurale, non habitum fuiſſe tanquam ſignificationis ſingularis; alioqui cur opus fuiſſet annotare locum à LXX. fuiſſe mutatum, qui, ſi ita res haberet, vera ſua interpretatione fuiſſet expreſſus? Prodiderunt autem antiquiſſimi Ebræorum, Deum ita locutum fuiſſe ad domum judicii ſui. Quæ certè alia non potuit eſſe à Filio & Sp. Sancto, cum Angeli, & quicquid extra Deum eſt aut fuit, in creaturarum ordine collocentur, quos creatores, appellare abſurdiſſimum eſſet.

Sequitur in textu בצלמנו כדמותנו *betſalmenu Kidmutenu*, ad imaginem, ſecundum ſimilitudinem noſtram, laborant interpretes ut quid inter imaginem & ſimilitudinem interſit oſtendant, nec id nuper quæſitum eſt, ſed jam olim putarunt multi has voces eſſe diverſæ

verſę ſignificationis, alioquin unam eſſe ſupervacaneam ſequi videretur, abſonum autem, imò & blaſphemum eſſe, aliquid dicere in Sacra Scriptura otioſum & ſuperfluum Baſilius Homil. 10. in Geneſim, pronunciat. Auguſtinus tamen, quæſt. 4. in Deuter. ubi agit de verbis illis, *Ne fortè decepti faciatis vobis ſimilitudinem aut ſculptam imaginem*, vix aliquam inter ſimilitudinem & imaginem differentiam poteſt reperire, niſi quod ſimilitudo ſit ſpeciei aut hominis vel bruti communiter, exempli gratia ſi pictor hominem pingat, nulla habita ratione hujus vel illius hominis; imago autem dicatur cum effingit hunc vel illum hominem, ut imaginis nomen ſpecialius ſit, ſimilitudinis autem generalius. Sed hac ratione omnis imago eſt ſimilitudo, quamvis non omnis ſimilitudo ſit imago, nec addet aliquid ſimilitudo ad rationem imaginis, ſed potius imago adderet ad ſignificationem ſimilitudinis.

Exiſtimarunt nihilominus multi, ſimilitudinem ſupra imaginem aliquid addere, & imaginem ad naturalia, ſimilitudinem autem ad ſupernaturalia pertinere, atque adeò hominem peccato amiſiſſe ſimilitudinem cum Deo, etſi imaginem retinuerit, quia non privatus fuit mente, voluntate & memoria, ſed ſanctitate & juſtitia. Quorum illa ſunt impiis cum bonis communia, hæc autem piis tantum adſcribenda. Hanc differentiam inſinuarunt ex Doctoribus antiquis multi, quæ etiam apud Scholaſticos communis eſt. Quam propterea Bellarm. cap. 2. *de gratia primi hominis*, probat autoritate decem Patrum, qui omnes imaginem Dei de natura hominis; ſimilitudinem autem, de virtutibus interpretantur. Quamvis ex Patribus illis nonnulli recentiores ſint, ut Bernardus & Damaſcenus; aliqui ſuppoſititii, ut Eucherius, quidam etiam non hoc dicant quod vult Bellarm. Nec eſt quod in ea re præjudicium nobis afferat Patrum autoritas, quorum nonnulli per imaginem, filium Dei, per ſimilitudinem, Sp. Sanctum intellexerunt, quod Rupertus lib. 2. de Trinit. cap. 2. pluribus perſequitur, cum aliis nonnullis, quæ parum propoſito & ſententiæ verborum Moſis, & loquendi modo Scripturæ ubi agit de homine ad imaginem Dei creato, conſentanea eſſe agnovit Pererius in hunc locum ſcribens.

Nos ergo cum iis ſentimus, qui etſi agnoſcant inter imaginem & ſimilitudinem aliquid intereſſe ſi ſeorſim accipiantur vel oppoſitè: hoc tamen loco ita conjungi ut ad unam & eandem rem ſignificandam uſurpentur, nec tamen alterutrum vocabulum pro ſuperfluo haberi debeat. Conjunguntur alibi hæ duæ voces inverſo ordine, ut init. cap. 5. ubi homo dicitur genuiſſe liberos *in ſimilitudine ſua, juxta imaginem ſuam*. Utrobique ſenſus idem eſt, ut una vox ſit alterius exegetica, & utraque conjuncta ſignificetur abſoluta ſimilitudo, qua aliquid ſit ita effectum ad exemplar alterius, ut proximè ad illud accedat, & quam maximè exprimat & referat. Additur igitur imagini vox ſimilitudinis, quia non omnis imago exactè ſimilis eſt prototypo, & varia imaginis ratio excogitari poteſt, ut de *imagine* Deo *quam ſimillima*, agi intelligamus. Mariana in hunc locum, *imago*, inquit, *& ſimilitudo idem ſignificant*. Sed Cornel. à Lapide expreſſiſſimè, *Dico*, inquit, *non diſtingui, & eſſe Hendiadyn. q. d. ad imaginem & ſimilit. i. ad imaginem ſimilitudinis, i. ſimilem, vel ſimillimam*, &c.

Nec moveri debet aliquis, quod vocabula illa in textu Moſis diſtincta legantur. Mos eſt enim Ebræis, duo ſubſtantiva ita conjungere ut diverſæ res eſſe videantur, cum tamen alterum adjectivi & epitheti ſignificationẽ habeat, ut Jerem. 29. v. 11. *Dabo vobis finem & expectationem*, id eſt finem expectatum. Sic ad imaginem, ſecundum ſimilitudinem, id eſt, ad imaginem quam ſimillimam. Urget etiam Mariana hoc argumentum, ut duo ſeorſim intelligantur, & imago ſit aliquid extra ſimilitudinem & contrà, obſtat, 1. quod in narratione executionis decreti, omitteret Moſes partem unam rei decretæ, quaſi Deus ſibi propoſuiſſet hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creare, quem tamen ad ſuam imaginem tantùm creaſſet. In decreti enim executione vocem ſimilitudinis omiſit. verſ. 27. Neceſſarium tamen eſt, ut ſit conſonantia decreti & executionis, utrobique idem dici, & per imaginem ſecundo loco, intelligi quod primò per imaginem ſecundum ſimilitudinem, fuerat expreſſum. 2. Scriptura promiſcuè loquitur & hæc nomina uſurpat, ita ut aliquando ponat utrumque in eodem caſu, ut hoc loco, aliquando in diverſo, ut ſit ab autore Sapientiæ cap. 2. v. 23. Deus creavit hominem, εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος imaginem propriæ ſimilitudinis, quibus verbis autor eleganter expreſſit ſenſum verborum Moſis. *Sæpè* omiſſa voce *ſimilitudinis*, tantum vocem imaginis uſurpant *Sacri Scri*ptores, ut Geneſ. 9. v. 6. Et quod de Deo hic dicitur: de parente reſpectu filii alibi iiſdem verbis exprimitur, quod Adam genuit filium Seth, *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, Geneſ. 5. v. 3. Ubi interpretes nullam agnoſcunt diſtinctionem. Et certè Auguſt. quæſt. 4. ſuper Deut. non videtur ullam inter imaginem & ſimilitudinem differentiam agnoſcere, ſic enim ille. *Miror autem, ſi non propterea poſtea* Moſes *imaginem ſolam voluit commemorare, quia ubi imago, continuo ſimilitudo eſt.* Quid quod Jacobus cap. 3. Epiſt. v. 9. omiſſa imaginis mentione ſolius *ſimilitudinis* Dei meminit, ad quam homines facti ſunt. Quod indicium certum eſt, inter imaginem & ſimilitudinẽ non eſſe differentiam. Sed per Ebraiſmum, *ſecundum* addi, ad determinationem & perfectionem imaginis inſinuandam. Philoponus de mundi creatione lib. 6. cap. 8. Paulum cenſet pro eodem ſumſiſſe imaginem & ſimilitudinem. εἰς ταὐτὸν ἄγει ὁ Παῦλος, τὸ κατ' εἰκόνα, καὶ τὸ καθ' ὁμοίωσιν.

Ideò ipſe Pererius Jeſuita, ſcribens in cap. 1. Geneſ. ingenuè fatetur diſtinctionem quam omnes Scholaſtici, à quibuſdam Patribus acceptam amplexi ſunt, non eſſe ſatis firmam, nec divinæ Scripturæ admodum conſentaneam, idque iiſdem argumentis motus, quæ antè

à nobis ſunt allata. Addit etiam, quod non eſt contemnendum, vocabulum *imaginis*, non ſemel uſurpare Paulum, pro ea ſimilitudine, quæ in donis gratuitis & ſupernaturalibus maximè conſiſtit. ut 1. ad Corinth. cap. 15. v. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœleſtis.* & ad Coloſſ. 3. v. 10. *Induentes novum hominem qui renovatur in agnitionem Dei, ſecundum imaginem ejus qui creavit eum.* Ubi de qualitatibus immediatè agitur. Undè rectè colligit, harum vocum, imaginis & ſimilitudinis eandem eſſe vim, & ſignificationem; eaſque hoc loco ad idem ſignificantiùs, expreſſiùs, & illuſtriùs declarandum, eſſe poſitas. Eandem ſententiam amplectitur Gulielmus Eſtius, in ſent. lib. 2. diſt. 16. ſect. 6.

Ex his autem quæ hactenus dicta ſunt, patet ſolutio, ad objectionem Baſilii, Blaſphemiam eſſe ſi quis dicat, in Scriptura eſſe aliquod verbum otioſum. Id enim nemo pius ferret. Sed non eſt otioſum verbum exegeticum, quo res magis ac magis exprimitur, imò ratione noſtri, præſertim hoc loco ubi primùm hoc Dei conſilium nobis explicatur, utiliſſimum fuit voce illa exegetica nobis declarari, hominem fuiſſe creatum ad expreſſiſſimam & quam ſimillimam Dei imaginem.

Quamvis autem ita ſentiamus, & quidem quantum argumentis ex Scriptura conſequi poſſumus, verè; non tamen vel erroris pernicioſi, multo minus hæreſeos arceſſimus, qui hac diſtinctione uſi ſunt, ut per imaginem, intelligantur facultates animæ eſſentiales, mens, voluntas, & memoria; per ſimilitudinem, qualitates animæ, exempli gratia, quod mens illuminata fuerit fide, memoria confirmata ſpe, & voluntas charitate. Hæc enim tam eſſentialia, quam accidentalia in homine integro fuiſſe agnoſcimus à prima creatione, & de eo non controvertitur. Sed an imago Dei tantùm in illis eſſentialibus conſiſtat, non potiùs in qualitatibus, id verò eſt de quo quæritur.

Quapropter, mala fide agit Bellarminus cum Orthodoxis ſcriptoribus, qui imaginem Dei per peccatum in homine fuiſſe non ſolum obſcuratam aut deformatam, ſed etiam deperditam & amiſſam, ſcripſerunt, hæreſeos crimen impingit; Cum ſatis norit, eos qui ſic loquuntur, imaginem Dei conſtituiſſe in iis tantùm, quæ ſupernaturalia jam nobis ſunt, etſi homini primùm creato, naturalia fuerint, ut ſuo loco dicemus; id eſt, in qualitatibus, quas ablatas fuiſſe ne ipſi quidem adverſarii negant: ex quorum alioqui ſenſu, & eorum omnium qui imaginem Dei in eſſentialibus animæ facultatibus conſtituunt, ne illi quidem quos calumniatur negaviſſent, hæreſim eſſe pernicioſiſſimam ſi quis diceret imaginem illam eſſe deperditam, id eſt, ipſas animæ facultates ablatas, & animæ eſſentiam amiſſam. Tum enim dicendum eſſet, novam in homine animam peccato obnoxiam poſt lapſum eſſe creatam. Id autem planè abſurdum eſt; nam talis à Deo non potuit creari. Ab alio autem qui Deus non ſit, creari nihil poteſt.

Certè ſi natura intellectualis, qua talis, imaginem Dei conſtituat, non ſolùm in homine lapſo & peccatore, verum etiam in damnatis animabus & in ipſis Dæmonibus manebit imago Dei. Hinc eſt quod Bernardus, ſerm. 1. de annunciat. *Imago* (inquit) *in gehenna ipſa videri poterit, non exuri; ardere, ſed non deleri; & quocumque perveniat anima ſimul & ipſa erit.* Non mirum eſt igitur, ſi qui imaginem Dei hoc modo intellexerunt, inter errores Origenis repoſuerint, quod docuerit imaginem Dei in homine prorſus eſſe extinctam. Nam Homil. 2. in Leviticum dicit, *peccato interveniente non conſiſtere imaginem Dei.* Quam ejus ſententiam conantur refellere, Epiphan. in epiſt. ad Joan. Hieroſolymitanum, & Hieron. ad Pammachium contra errores ejuſdem Joannis.

Sed verum eſt tamen, quod ab illis in Origene reprehenditur, & in noſtrorum quibuſdam ſcriptis calumniantur Pontificii, apud alios etiam Patres inveniri. Nam illi ſæpè de imagine ad quam creatus eſt homo ſic loquuntur, ut intelligant eam quæ ſit ſuo exemplari quam ſimillima, in ſanctitate & juſtitia. Ideo Ambroſ. exponens ultimum verſ. Pſal. 119. imaginem Dei exponit, *imaginem juſtitiæ, ſapientiæ, virtutis.* Qua re obſervata non mirandum, ſi apud eos ſubinde legatur, imaginem Dei non modo per peccatum fuiſſe obſcuratam ac deformatam, ſed & deletam atque obliteratam, eamque per Chriſtum reformari, renovari, & reſtitui. Ad hunc modum loquitur Baſilius, lib. de Sp. Sancto cap. 9. & in comment. Pſal. 48. ad illud, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis:* non amiſſa natura rationali, ſed ornamentis ejus, per *honorem* enim intellexit virtutem, in qua imaginem Dei conſtituebat. Ambroſ. in cap. 7. Lucæ ad illud cap. 15. *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Auguſt. lib. 6. de Geneſ. ad lit. cap. 24. 27. & 28. & alibi multoties hoc repetit, *Renovabimur ſpiritu mentis noſtræ, ſecundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit.* Item, *Hanc imaginem in ſpiritu mentis impreſſam, perdidit Adam per peccatum, quam recipimus, per gratiam juſtitiæ.* Et iterum, *in interiore homine fuit ſpiritualis, ſecundum imaginem ejus qui creavit eum, quod amiſit peccando.* Imò in ipſis Eccleſiæ Romanæ ritualibus libris hæc habetur oratio, *Deus qui nos ad imaginem tuam, Sacramentis renovas & præceptis,* qua præſupponitur, imaginem Dei in homine fuiſſe obliteratam. Hujus diſcrepantiæ ratio, procedit ex varia imaginis Dei deſcriptione, quam alii in multò pluribus, alii in paucioribus dotibus conſtituunt: alii in eſſentia & qualitatibus ſimul, alii in qualitatibus tantùm; alii in eſſentia tantum. Ex hac diſcrepantia, variat loquendi modus de amiſſione vel remanentia imaginis Dei in homine, ut alii aliter judicent, aut potiùs loquantur, cum tamen apud pleroſq; in re ipſa non ſit diſſidium. Ergo erit operæ pretium, ut hanc quæſtionem

nem accuratiùs tractemus,in quo propriè conſiſtat imago illa Dei ad quam homo creatus eſt?

Non ineptè Bonaventura in lib.2. Sentent.diſt.xvi, ad 1. poſt diſtinctionem illam communem *veſtigii & imaginis*, cujus primum membrum Scholaſtici aliis omnibus creaturis tribuunt, in quibus Deus tanquam creator & cauſa, veſtigia potentiæ & ſapientiæ ſuæ impreſſit; poſterius autem membrum inter ſublunares creaturas in ſolo homine agnoſcunt; notat, *ſimilitudinis* varios eſſe gradus & modos. 1. Enim eſt quædam ſimilitudo pro convenientia omnimoda in natura; Sic unam perſonam in Trinitate eſſe alteri ſimilem. 2. Per participationem alicujus (ut loquitur) *unibilis*, id eſt, (ut perſpicuè magis ejus mentem exprimamus) *alicujus naturæ univerſalis*, ſicut homo & bos aſſimilantur in communi genere animalis. 3. Secundum proportionalitatem, ſicut nauta & auriga conveniunt, ſecundum comparationem ad illa quæ regunt. 4. per convenientiam ordinis, ſicut exemplatum aſſimilatur exemplari. Primis duobus modis nullam creaturam ſimilem eſſe Deo poſſe oſtendit, quia nulla eſt creatura ejuſdem cum Deo eſſentiæ, vel quæ in genere cum Deo conveniat. Aliis autem duobus modis,creaturam omnem habere aliquam ſimilitudinem cum Deo; eam autem quæ remotiusDeum repræſentat,habere rationẽ veſtigii: quæ autem propiùs,habere rationem imaginis. Talem autem eſſe hominem, creaturam rationalem.

Diximus ſuprà, imaginem eſſe ſimilitudinem non quamcumque, ſed ex eo cujus imago dicitur, expreſſam: quia ſibi invicem relativè reſpondent imago & exemplar. Non itaque quæ inter ſe ſunt multum ſimilia, propterea ſibi invicem eſſe imagines, vel alterum de altero expreſſam gerere figuram, ſed propriè imaginem dici, vel id quod ex re objecta in ſpeculo reſultat; vel ſimilitudo ſigilli ceræ impreſſa, vel alia ejuſmodi. Tria igitur ſunt quæ ad imaginis rationem requiruntur, 1. Eſt, ut imago ſimilis ſit ei cujus dicitur imago; 2. Ut ab eo cujus dicitur imago exiſtat, ſive naturaliter; quomodo humani vultus in ſpeculo reſultat imago, & Seth, cap. 5. Geneſ. dicitur ad imaginem Adæ genitus: ſive per artem, ut in picturis. 3. Ut eam rem, cujus imago dicitur, propriè & peculiariter repræſentet. Non enim pictura quæpiam imago regis dicenda erit, ſi non propriè regem, ſed in genere humanam formam repræſentet, quæ tamen imago hominis rectè dicetur. Ad rationem autem perfectæ imaginis requiritur, ut exactè & per omnia exemplari ſuo reſpondeat. Quod ſi in homine aut alia aliqua creatura quæratur, in nulla certè reperietur talis perfectio, quæ exactè exemplar ſuum repræſentet. Sed perfectam & omnibus numeris abſolutam Dei imaginem, in ſolo Dei filio, eſſe conſtabit, qui patri ſuo perfectiſſimè ſimilis, etiam *per modum* ſimilitudinis ab eo procedit.

EXERCITATIO V.

Ad imaginis rationem requiſita. In quo imago Dei conſiſtat? an ſit in corpore; an in hominis ſubſtantia? an in qualitatibus, an in dominio? vera ſententia explicatur, per varias diſtinctiones. Objectiones refelluntur. Quomodo amiſſa ſit, vel non? An mulier ad Imaginem Dei ſit creata? Affirmatur.

HOminem ad imaginem Dei creatum fuiſſe, etſi non perfectè Deum retulerit, certiſſimum eſt ex Scriptura: Sed in quo conſiſtat imago illa, varii, variè explicant. Fuerunt inter veteres qui deſperarunt ſe id poſſe definire. Inter quos Epiphanius, poſtquàm adverſus Audianos Hæreſi 70. contendiſſet, neque imaginem Dei eſſe corpus, neque animam, neque baptiſma, neque virtutem; tandem ibi, & in *Ancorato*, item in Epiſt. ad *Ioan. Hieroſolymitanum* concludit, non poſſe definiri, ſecundum quid homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus ſit. Ratio eſt, quia cum plura ſint in homine, ſecundum quæ, poteſt utcumque intelligi factum eſſe hominem ad imaginem Dei, temerarium videtur, unum aliquod eorum, cæteris excluſis, pro ratione imaginis illius, definitè accipere.

Omnium ferè concors eſt ſententia,non ſecundum corpus,ſed ſecundum animam, ad imaginem Dei creatum fuiſſe hominem. Merito enim exploſæ fuerunt opiniones, vel Anthropomorphitarum, qui Deo membra humana propriè tribuentes, hominem etiam conditum fuiſſe cum ea membrorum & totius corporis figura, quæ ipſius Dei eſſet. Vel aliorum, qui hominem ſecundum corpus ad imaginem illam creatum fuiſſe volunt, qua ab æterno ſtatuerat ſe corpus aſſumpturum filius Dei; cum Scriptura non dicat hominem in corporis figura factum fuiſſe Chriſto ſimilem; ſed contrà, Chriſtum ſumpſiſſe ſervi formam, & habitu compertum fuiſſe ut hominem; imo nobis ſimilem in omnibus factum fuiſſe, peccato excepto. His igitur exploſis, plerique veterum, vel etiam recentiorum, qui in anima hominis primò & præcipuè Dei imaginem exquiſiverunt; vel in tota anima, vel in aliqua ejus facultate, eam indagati ſunt. Auguſtinus multis in locis, eam in *intellectu* conſtituit, lib. contra Fauſtum 24. cap. 2. cum præmiſiſſet non ſecundum illud quod exterius eſt, ſed quod interius, hominem ad Dei imaginem factum fuiſſe, *Hoc eſt*, inquit, *quatenus habet animam rationalem qua cognoſcat Deum, & omnibus irrationalibus, eadem rationis excellentia præponatur*. Alii ſunt, qui ad liberum arbitrium imaginem Dei referunt, in quibus fuit Baſilius Homil. 9. Hexameron.

& Ber-

& Bernardus lib. de gratia & lib. arbitrio, poſtquàm in homine triplicem diſtinxiſſet libertatem; unam arbitrii, aliam conſilii, tertiam complaciti, addit, *Puto in his tribus libertatibus, ipſam ad quam conditi ſumus imaginem atque ſimilitudinem contineri; & imaginem quidem in libertate arbitrii, in reliquis autem duobus bipertitam quandam notari ſimilitudinem.* Illam autem vult amitti non poſſe, quia, *liberum arbitrium* (prout eum conſiderat) *ſui omnino defectum ſeu diminutionem non patitur: nec de juſtitia capit augmentum, nec de peccato ſive miſeria, detrimentum.* Alias autem libertates amitti poſſe ſentit, quia in iis *eſt accidentalis ſimilitudo ſapientiæ & potentiæ divinæ, imagini ſuperinducta,* ut ille quidem exiſtimat, ex illorum ſenſu, qui inter imaginem & ſimilitudinem diſtinguunt.

Sunt autem alii, qui imaginem Dei conſtituunt, in Dominio quod homo ſuper alias creaturas accepit, ut Chryſoſt. Homil. 8. & 9. in Geneſim, & alibi. Sed ſunt alii qui hæc omnia conjungunt, ut Damaſ. Orthod. fid. lib. 2. cap. 12. *τὸ μὲν γὰρ κατ' εἰκόνα, τὸ νοερὸν δηλοῖ, καὶ αὐτεξούσιον. τὸ δὲ καθ' ὁμοίωσιν, τὴν τῆς ἀρετῆς κατὰ τὸ δυνατὸν ὁμοίωσιν.* Quod enim dicitur *ad imaginem*, intellectuale oſtendit; & liberæ voluntatis arbitriique poteſtatem: hoc autem, *ad ſimilitudinem*, ſimilitudinem virtutum, quantum homini poſſibile eſt. Quibus verbis imaginem & ſimilitudinem, in tribus hiſce conſtituit, in ratione ſeu mente & intellectu, in arbitrii libertate, & virtutum qualitatibus. Nec videntur aliud ſenſiſſe, qui ſeorſim in una aliqua iſtarum partium imaginem Dei conſtituebant, non enim id ab ipſis excluſivè factum fuit ad alias. Nam libertas arbitrii ab intellectu, velut à radice dependet, & dominium effectus quidam eſt intellectus, & voluntatis rectæ, & velut propria paſſio ex illis profluens; unde primò videtur imago Dei relucere in intellectu, 2. in arbitrii libertate, 3. in eo quod ex his duobus emanat, id eſt, in poteſtate dominandi rebus aliis, eaſque gubernandi. Cum autem Chryſoſt. & alii nonnulli, in Dominio quod ſuper res alias homini datum eſt, imaginem Dei conſtituerunt, reſpexerunt ad id quod ſequitur in textu, *& præſit piſcibus maris &c.* Et exiſtimarunt ad dominationem illam Scripturam potiſſimùm reſpexiſſe, quaſi id pro ratione ſubjungeretur; non quidem ad ſignificandum eam eſſe potiſſimam rationem imaginis Dei in homine, ſed quia in hujuſmodi dominio tanquam in effectu, ſecundum ſenſum noto, magis appareat hominem ad Dei imaginem factum eſſe. Et certè Moſes in hiſtoria creationis rerum, rudem illum populum à ſenſibilibus & vulgò notis, videtur voluiſſe ad inviſibilia Dei, velut manu ducere. Quo reſpexit David Pſal. 8. v. 7. *Dominum eum præfeciſti operibus manuum tuarum: omnia poſuiſti ſub pedibus ejus.* & Syracides cap. 17. v. 4. *Induens eos robore pro conditione ipſorum, ſecundum imaginem ſuam fecit ipſos: impoſuit timorem ejus cuilibet carni, ut in ſpeciem beſtiarum, & volucrium dominaretur.* Qua etiam ratione, etſi homo propriè ſecundum corpus ad Dei imaginem non fuerit creatus, gerit tamen in corpore quandam proprietatem, quæ ſignificat eum ad imaginem Dei factum fuiſſe, ut merito dici poſſit in corpore humano, nonnullam imaginis Dei communicationem reperiri; quod etiam notavit Auguſt. lib. 6. de Geneſ. ad lit. cap. 12. & alibi. ſtatura enim homini attributa eſt, nulli cæterorum animalium conceſſa, quod ne Ethnicis quidem viſum fuit nullius momenti, unde illud Ovid. Meta. 1.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Ea enim ſtatura, etiam hominis ſupra beſtias poteſtatem ſignificat, & præterea mentem homini datam fuiſſe ad cœleſtia contemplanda. adde, quod per corporis organa edit homo actiones virtutis, ut temperantiæ, fortitudinis, juſtitiæ & ſanctitatis &c. Ergo, in homine externo refulgebat etiam Dei gloria, ſed tamen propria, imaginis Dei *ſedes* in anima fuit, & quæ in externis illis emicat imago, planè ſpiritualis eſt.

In eo ergo plerique Theologi, hoc tempore, conveniunt: totum quidem hominem factum fuiſſe ad imaginem Dei, & patere Dei effigiem ad totam præſtantiam qua eminet hominis natura inter omnes animantium ſpecies: & quamvis primaria ſedes divinæ imaginis fuerit in mente vel corde, vel in anima ejuſque potentiis, nullam tamen partem fuiſſe, uſque ad corpus, in qua non ſcintillæ aliquæ micarent. Id noſtri ita diſtinguunt, ut dicant eluxiſſe imaginem illam, in natura, rectitudine, & ſtatu. *In natura* quidem, quia à Deo donatus fuit homo anima rationali, liberè eligente & immortali, qua ſpiritualem Dei naturam, liberam, intelligentem, & immortalem, referebat. *In rectitudine* autem, ſive integritate, quia homo recta intelligentia pollebat, affectus ad rationem habebat compoſitos, & ſenſus omnes recto ordine temperatos, vereque eximiis dotibus, creatoris ſui referebat excellentiam: *In ſtatu* denique, quia in ſumma ſpiritualium & externorum bonorum affluentiâ, animo pariter & corpore, verè beatus, lætus & immortalis futurus, niſi peccaſſet, in omnes creaturas inferiores, tenebat imperium. Quod alii ita exprimunt, Hominem ad imaginem Dei fuiſſe factum, naturâ animæ, qualitatibus, & attributis. Nec improbatur diſtinctio à Scholaſticis & Pontificiis doctoribus, qui etſi varias fuiſſe de ea re ſententias aut loquendi modos agnoſcant, eorum tamen ſententias qui imaginem Dei in homine per peccatum fuiſſe amiſſam vel affirmant, vel negant, ſic conciliant, ut dupliciter de imagine Dei quæ eſt in homine loqui nos poſſe ſentiant; vel prout conſideratur ſecundum dona naturalia, & poſita eſt in eo quod eſt habere naturam intelligentiæ capacem & compotem, qua ratione non magis perditur imago Dei, quam natura ipſa rationalis ſeu intellectualis, quia peccatum naturalia

ralia non tollit, id eſt, quæ ad naturæ conſtitutionem & eſſentiam hominis requiruntur. Aut conſiderari imaginem hominis ſecundum ea, quæ quidem eſſentialia non ſunt, & naturam humanam non conſtituunt, ſed perficiunt & abſolvunt, qualia ſunt dona jam nobis ſupernaturalia gratiæ divinæ, & cœleſtis gloriæ; qua ratione conſideratam imaginem planè per peccatum deleri, etiam agnoſcit Pererius. Ita ut in re ipſa, ad id quidem quod attinet, nullum ſit diſſidium.

Sunt Theologi non pauci, præſertim inter Proteſtantes, qui non patiuntur hanc imaginis Dei (ut ita loquar) compoſitionem, ex tribus illis partibus; naturæ, integritatis, & ſtatus; & naturam hominis, etiam quoad animæ eſſentiam & facultates, in homine poſt peccatum manentes, ab hujus imaginis ratione penitus excludunt. Veriti, ne ſi hoc concedant, aliquid Flacio Illyrico inde accedat, qui, cum imaginem Dei ſubſtantiam ipſam hominis fuiſſe cenſuiſſet; poſt corruptionem, ipſum etiam peccatum ſubſtantiam eſſe voluit, quia oppoſitum fuit juſtitiæ Originali, quam fuiſſe ſubſtantiam putavit. Sed illorum ſententia, qui partes imaginis Dei ita diſtinguunt nihil habet commune cum tali delirio; quia nullus eorum, qualitates cum ſubſtantia confundit; nec cum Flacio, totam rationem imaginis, in originali juſtitia conſtituit, quæ ipſi cauſa fuit errandi, quia non diſtinxit eſſentiam & facultates animæ, ab inhærentibus qualitatibus, juſtitiæ & rectitudinis, quod illi ſtudioſè faciunt, & meritò.

Id certè fatendum, non omnes reſpectus, qui ſcitè excogitari poſſunt, quibus homo ſimilitudinem quandam cum Deo habet, ad rationem propriam imaginis Dei pertinere; nec ſine cauſa removent noſtri ab hac conſideratione, quod nonnulli veteres ſpeculati ſunt, animam eſſe Trinitatis ſpeculum, quia in ea reſident, intellectus, voluntas & memoria, & ſi quæ ſint his ſimilia. Sed non ideò negandum eſt, nonnulla eſſe in eſſentia animæ, quæ ad imaginis Dei conſtitutionem faciant. Alioquin in eo convenimus omnes, ad imaginis illius perfectionem, neceſſaria eſſe ea omnia, ad quæ homo renovatur; qua in re conſiſtit vis & robur argumentorum, quæ afferuntur ab iis qui in ſola juſtitia originali hanc imaginem conſiſtere putant. Sed cum, poſt juſtitiam originalem per peccatum amiſſam, in quovis homine Scriptura adhuc aliquam imaginis Dei rationem agnoſcat, neceſſarium videtur, aliquid agnoſcere præter illas ſapientiæ, juſtitiæ, & integritatis dotes, quod partem faciat illius imaginis, & ſemper in homine maneat, quamdiu eſt homo, quod aliud excogitari non poteſt, præter animæ naturam ſpiritualem, intelligentem, &c. Hoc argumento uſus eſt Epiphanius adverſus eos qui dicebant in homine per peccatum imaginem Dei planè eſſe deletam, ſumpto ex Geneſ. cap. 9. verſ. 6. *Quicumque effuderit ſanguinem hominis: per hominem ſanguis ejus effundetur, quoniam in imagine Dei fecit Deus hominem.* Quæ ratio poſt peccatum non valeret, niſi in homine remanerent reliquiæ imaginis Dei, etſi deformatæ. Idem dici debet de loco Jacobi, cap. 3. v. 9. per linguam, *maledicimus hominibus, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt*, quod promiſcuè dictū, arguit ſimilitudinem Dei aliquam in omnibus hominibus manere. Cum autem perfecta ſapientia in mente, perfecta juſtitia in voluntate & corde, &c. per peccatum amiſſæ fuerint, nihil ſupereſt in homine, in quo aliquid imaginis Dei agnoſci poſſit, præter ſubſtantiam incorpoream & immortalem cum ſuis potentiis intelligendi & volendi, & notitias naturales de Deo & ejus voluntate & operibus adhuc in hominis obtenebrata mente reliquas. Quæ proinde omnia aliquam imaginis Dei partem conſtituunt, etſi ab illa parte quæ in ſapientia, juſtitia, & ſanctitate conſiſtit, divulſa & ſeparata, ſic vitiatam eam agnoſcamus, ut nihil ex ruina niſi confuſum, mutilum, labeque infectum ſuperſit.

Qui aliter docent, non in re, ſed in loquendi modo diſſentiunt. Neque enim inficiantur in homine poſt peccatum manere ea omnia, quæ ad intellectus naturam & facultates animæ pertinent, & communes illas notiones de Deo, de juſto & injuſto; manere etiam aliquam eamque non exiguam hominis ſupra reliqua omnia animalia præcellentiam, & jus aliquod dominii in creaturas ipſi inferiores: ſed exiſtimant illa omnia ad imaginis Dei rationem non facere, eſſentiamque animæ aut ejuſdem facultates eſſe non tam imaginem, quam imaginis ſubjectum, ut tabula lignea, in qua lineamenta vultus alicujus ducuntur, non eſt imago, ſed id quod à pictore in ea effingitur. Sed in ea re minus tribuunt animæ, & naturæ hominis quam debent, quia anima, non poteſt conſiderari plane nuda & mortua, velut tabula quædam abraſa in qua nihil depictum eſt, niſi ratione vitæ ſupernaturalis per peccatum ablatæ, & privationis donorum illorum, quæ jam ſunt nobis ſupernaturalia: qua privatione quidem factum eſt, ut imago illa, ſplendore ſuo & præcipuis ornamentis, & veluti vivis coloribus ſit deſtituta, non tamen quod planè deſierit eſſe.

Argumentum unum ex Scriptura proferunt quod eſt alicujus momenti. Coloſ. 3. verſ. 10. dicuntur fideles *induiſſe novum hominem, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipſum condidit.* Et Eph. 4. v. 23. dicuntur induere, *novum illum hominem qui ſecundum Deum conditus eſt, ad juſtitiam & ſanctimoniam veram.* Ex quibus locis colligunt, imaginem Dei qui hominem condidit, conſiſtere in agnitione Dei, in juſtitia & ſanctimonia: non igitur in ſpirituali animæ natura & facultatibus ejus. Vis argumenti in eo conſiſtit, quod in ſolis renatis eſt novus homo, in novo autem homine ſolo, conſiſtit imago Dei. Nam inde texitur hoc argumentum: Quod regenitis & irregenitis commune eſt, imago Dei eſſe non poteſt. Spiritualis natura animæ cum facultatibus ejus, &c. regenitis & irregenitis communes ſunt; ergo in iis non conſiſtit

imago Dei. Non utar reſponſione illorum qui dicunt, His locis Apoſtolum non loqui de ea imagine ad quam primùm creatus eſt homo, ſed ad quam per Chriſti gratiam recreandus & reformandus: cujus imaginis exemplar & prototypus eſt ipſe Chriſtus, quatenus homo ſecundum animam omni virtutum genere ornatus, & ſecundum corpus jam beata immortalitate donatus. Etſi enim verum ſit Chriſtum eſſe exemplar ad quod reformari debent Chriſtiani, tamen ut per *novum hominem* in his locis Chriſtum intelligamus, adduci non poſſumus; ut nec per *veterem hominem*, Adamum. Per utrumque enim membrum oppoſitum, intelliguntur contrariæ qualitates in homine ſe mutuo expellentes, quamvis vitioſa ab Adamo ſit transfuſa; ſancta autem & juſta, ex Chriſti merito derivata.

Reſpondeo igitur, ex locis citatis nihil aliud colligi poſſe, etſi per imaginem Dei, intelligamus eam quæ primo homini in creatione impreſſa eſt, & ad quam poſt peccatum renovari debemus; niſi quod agnitio Dei, juſtitia & ſanctimonia vera, ad imaginis illius perfectæ & integræ rationem pertinent, nec poſſe imaginem illam eſſe perfectam & Deo in omnibus convenientem, adeoq; ipſi gratam, niſi quæ ex ea ſunt amiſſa reſtituantur. Sed inde non ſequitur imaginis Dei nihil in homine remanſiſſe, vel animam, quatenus eſt ſpiritualis, incorporea, immortalis, intelligendi & volendi facultate prædita, libera etiam ſuo modo, nullam imaginis illius rationem participare. Id tantùm, imaginem illam ſine qualitatibus illis, eſſe vitiatam & deformatam, quæ proinde reformari debet & refingi. Eſt ergo fallacia à ſecundum quid, ad ſimpliciter.

Eadem eſt ratio loci illius quem adferunt ex 2. ad Cor. 3. v. 18. *Nos omnes revelata facie gloriam Domini velut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Ibi transformatione opus eſſe teſtatur Apoſtolus, & efficacia divini ſpiritus, ut depoſita veteri forma, induamus novam, unde inferunt, imaginis Dei nullam partem reliquam eſſe in iis qui non ſunt transformati, nedum ut anima & ejuſdem facultates, &c. quæ omnibus hominibus ſunt communes, ad eam imaginem pertineant, in quibus nulla fit μεταμόρφωσις à ſpiritu Domini. Reſp. ſi in hoc loco de imagine Dei ageretur, nihil aliud inferri poſſe, præter id quod jam ſupra diximus, ut verba referrentur ad imaginis illius perfectionem, nec tamen negarentur in iis qui ita transformantur, imaginis Dei aliqua, etſi rudiora, lineamenta. Imò verba ipſa Apoſtoli, evincunt gloriam illam, quæ à transformatione in eandem imaginem procedit, habere ſuos gradus & progreſſus. Sed nullo modo fuit ſcopus Apoſtoli agere de imagine Dei ad quam homo initio fuit creatus: hoc ſolum intendebat oſtendere, Miniſterium Euangelii, Legis Miniſterió in multis præſtare, in eo præſertim, quod Miniſterium legis fuit obvelatum & obſcurum: Euangelii autem planum & perſpicuum, ideo velamini Moſis, opponit Euangelii ſpeculum, in quo gloriam Domini contemplamur: Occaſione autem ſpeculi quod imaginem inſpicientis refert, ut ſimilitudo omni ex parte conveniat, agit de imagine in quam transformantur qui ſpeculum illud intuentur; quod præſertim Miniſtris Euangelii competit, qui ſplendore Euangelii illuſtrati, eandem imaginem referunt, & alios viciſſim illuſtrant, ac Chriſti cognitione imbuunt. Nihil igitur ad rem facit hic locus.

Sed rationibus pugnant, quæ etiam nobis ſunt expendendæ. 1. Si, inquiunt ſtatuatur ipſa hominis ſubſtantia, imago Dei, ſequitur, cum dicitur, *homo ad imaginem Dei eſt conditus*, ſenſum eſſe, *Homo ad ſubſtantiam hominis*, vel *homo eſt conditus*, quod eſt abſurdum, cum aliud longè ſit homo, aliud imago, ad quam homo eſt conditus. Reſp. Abſurdum illud oriri à mala interpret. horum verborum, *ad imaginem Dei.* Nam imago Dei ſumitur vel pro ipſo exemplari impropriè, id eſt, pro re illa quæ in Deo conſideratur, quam imago efficta repræſentare debet; vel pro ipſa effigie & ſimilitudine quæ repræſentat. Primo modo nihil erit abſurdi ſi dicamus Homo factus eſt ad exemplar Dei. Si autem ſecundo modo accipiamus, tum verba illa, fieri ad imaginem, nihil aliud ſignificabunt, quam fieri aliquid, ut ſit imago illius rei quam prototypum ſibi proponit, conditor imaginis. Tunc certè nihil tale ſequitur quale ſibi fingunt iſti; Nam, *Homo ad imaginem Dei eſt conditus*, non idem erit quod homo ad ſubſtantiam hominis eſt conditus, ſed homo eſt conditus, ut ſubſtantia ſua & qualitatibus referat Deum & repræſentet, in quo certè nulla eſt abſurditas.

2. Objiciunt, ſi ratione naturæ & ſubſtantiæ ſuæ, homo ſit conditus ad imaginem Dei, nullum manebit diſcrimen inter filium Dei & hominem. Uterque enim fieret οὐσιώδης & ſubſtantialis imago Dei, quod tamen de ſolo Dei filio dicitur, Coloſ. 1. v. 15. Hic ipſa imago Patris, Homo autem ad imaginem tantùm conditus eſt. Reſp. Eſſe ineptam cavillationem, ortam ex ambiguitate *ſubſtantialis imaginis.* Dicitur enim imago ſubſtantialis quæ eſt ejuſdem ſubſtantiæ, & ſic Chriſtus ſolus eſt ſubſtantialis patris imago: Cum autem dicimus hominem ratione eſſentiæ animæ, factum fuiſſe ad Dei imaginem, nemo eſt qui neſciat id non intelligi de eſſentiæ unitate & identitate, ſed de ſimilitudine tantùm. Proinde differentiam eſſe maximam inter filium Dei & homines, imò inter ipſos homines & eos ad quorum ſimilitudinē facti ſunt. Cum enim hujus lib. cap. 5. Seth dicitur *genitus ad imaginem & ſimilitudinem Adami*, certè nemo poteſt negare, ſecundum eſſentiam filium fuiſſe Patri ſimilem, ſed tamen certum eſt, habuiſſe ſimilitudinem in diverſa ſingulari natura expreſſam. Nihil tale eſt in Chriſto, qui patrem refert in eadem natura. Homo nec Deum refert in natura ejuſdem ſpeciei, ut Seth Adamum; nec in eadem natura, ut filius Dei patrem.

3. Ex

3. Ex dictis patet etiam ſolutio ad 3. objectionem, inde ſequi, ſi homo utcumque natura referat Deum, hominem adæquari Deo. Nulla enim eſt conſequentia. At inquiunt, *Imago Dei conſiſtit in juſtitia & veritate, ergo ſi fuit ipſa hominis οὐσία, homo ſubſtantialiter fuit juſtus & ſanctus, quod ſolius eſt Dei,* Matth.19. v.1. Sed indigna eſt objectio viris doctis, & candidis. Norunt enim eos adverſus quos diſputant, negare in ſolis qualitatibus juſtitiæ & ſanctitatis imaginem Dei conſiſtere; proinde cum partem imaginis faciant ipſam ſpiritualem animæ naturam, nullomodo eam confundere cum qualitatibus juſtitiæ & ſanctitatis. Eſt igitur quæſtionis ſuppoſitio, &, quod dicitur, principii petitio.

4. Ejuſdem generis eſt quod dicunt, ſi in natura & facultatibus animæ conſiſteret imago Dei, ſequeretur, hominem poſt lapſum, non eundem hominem eſſe qui fuit ante; aut aliam animam habere, ab ea quam anteà habuit ratione eſſentiæ. Rationem reddunt, quia *imago Dei* in homine per peccatum planè fuit deleta & amiſſa: ergo ſi anima fuit pars illius imaginis, amiſſa etiam fuit & alia ſuperinducta. Reſp. id eſſe planè nugari. Quia id eſt, quod in controverſiam venit, an plane, ſecundum omnes ſuas partes, imago Dei in homine fuerit deleta, quod Scriptura negat, ut anteà oſtendimus.

5. Eodem fundamento nititur quod ſuperſtruunt, nos renovari ad imaginem Dei, nullam autem in hominis anima, ratione eſſentiæ & facultatum fieri innovationem, ergo in hominis animæ eſſentia, partem aliquam illius imaginis non conſiſtere. Reſp. ut ſuprà, non fieri innovationem totius imaginis in toto, ſed ratione ejus quod ex illa imagine deperditum erat, id eſt, ratione virtutum & integræ præſtantiæ naturæ humanæ.

Ut tandem finiamus, certè dolendum eſt, viros doctos iſtiuſmodi argutiis indulgere, & controverſias multiplicare ubi opus non eſt, cum negare non poſſint, in re ipſa nullum eſſe diſſidium. Flaccianam ſemper cauſam excipio, cum qua nihil eſt commune iis, qui tripartitam illam imaginis Dei conſiderationem inſtituunt. Alioquin inter partes etiam de eo conſtat, *Iuſtitiam & ſanctitatem veritatis*, id eſt, veram, eſſe res illas, quas amiſit homo per peccatum, & ad quas eum renovari, poſt lapſum neceſſe eſt. In illis etiam imaginem Dei conſiſtere, & ſine illis eſſe deformatam & vitiatam, mutilam labeque infectam: virtuteſque illas complecti, veram Dei agnitionem & ſapientiæ lucem in mente, conformitatem plenam cum lege Dei in voluntate, ac omnium animæ virium rectitudinem. Ideò primum hominem, qui tali juſtitia & ſanctitate præditus fuit, creatum fuiſſe in ſumma innocentia, in ſumma animi ac corporis puritate, ut in ipſo tanquam vivo ſpeculo, imago Dei reluceret. Sic imaginem divinæ ſapientiæ in intellectu effulſiſſe; imaginem bonitatis, μακροθυμίας, manſuetudinis, tolerantiæ in ejus animo, imaginem charitatis & miſericordiæ in cordis affectibus; imaginem juſtitiæ, ſanctitatis & puritatis divinæ, in voluntate; imaginem comitatis, benignitatis & veritatis in geſtibus & verbis, & imaginem divinæ potentiæ in dominio conceſſo ſuper omnia animalia. De his inquam omnibus convenit.

Fatentur etiam illi nobiſcum, per peccatum, non amiſſam fuiſſe animam rationalem, ſpiritualis eſſentiæ, facultatibus ſuis præditam. Tantùm in eo controverſia eſt, an aliqua pars imaginis Dei in rebus illis, quæ etiam hominibus non renatis ſunt eſſentialia, conſiſtat. Hoc illi negant. Nos contra cenſemus. At inquiet aliquis, cur potius non ceditis, cum ipſi agnoſcatis in re non eſſe diſcrimen? Cauſa hæc eſt, quod ſi dicamus in ſola originali juſtitia conſiſtere Dei imaginem, ratio quam affert Deus Geneſ. 9. cur homo nullus ſit impune occidendus, quia ad imaginem Dei creatus eſt, & Jacob. 4. cur proximo non debeamus maledicere qui ad ſimilitudinem Dei factus eſt, nulla eſſet, ubi ageretur de hominibus qui regenerationis non ſunt participes, Si enim quis reſponderet hæc intelligi debere de prima hominis origine, nulla videretur eſſe conſequentia; vindicabitur ſanguis hominis qui effundetur, etiam ejus in quo imago Dei non eſt, quia Adam ad imaginem Dei initio creatus eſt. Certè revereri imaginem Dei non poſſumus in illo in quo omni ex parte deleta eſt. Hæc ratio ſola nos movet, ut modum illum loquendi præferamus, quo ad imaginem Dei etiam referuntur ea quæ naturam hominis à reliquis animalibus diſcriminant. Qui autem adeo laborant ut contrarium probent, & nihil prorſus volunt ad imaginem Dei pertinere, præter dotes illas ad quas renovatur fidelis, viderint, qua ratione velint, *impaſſibilitatem & immortalitatem* corporis in primo homine, & imperium ſuper reliqua animalia, ita ad imaginem Dei pertinere, ut eam etiam conſtituant, non tantùm ſignificent. Id enim ex Pauli verbis, ſi preſſè ipſis adhæreant, nunquam deducere poterunt. Sic itaque ſtatuimus, quatenus imago Dei, accipitur pro ea congruentia & analogia qua anima hominis, divina utcumque exprimit, ut quod ſit incorporea, ſpiritualis, intelligens, liberæ voluntatis in rebus poteſtati ſuæ ſubjectis, non poteſt imago Dei penitus dici ablata vel amiſſa, quæ adhuc elucet in reliquiis pulcherrimi ædificii.

Si etiam dignitatem imperii ſpectemus, eam quidem multis modis imminutam & labefactatam eſſe agnoſcimus, cum animalia pleraque, quæ ſolo nutu Adam ante lapſum regere poterat, nunc excuſſo jugo, non niſi vi & arte adducta, ad officium revocentur: aliqua tamen prioris conditionis ſupereſſe veſtigia, concedendum eſt.

Si ad principia naturâ nota reſpiciamus, qualia in homine animali ex ſententia Apoſtoli Rom. 2. v. 15. reliqua ſunt, quæ ſunt prioris lucis in mente hominis,

tanquam præſtantiſſimi ædificii rudera quædam, imaginis etiam Dei aliquam particulam in homine ſupereſſe negari non debet.

Huc referetur ſententia Origenis in cap. 26. Geneſ. Homil. 14. *Filius Dei pictor eſt hujus imaginis; & quia talis ac tantus pictor eſt, imago ejus obſcurari per incuriam poteſt, deleri per malitiam non poteſt. Manet enim ſemper imago Dei in te, licet tu tibi ipſe ſuperinducas imaginem terreni.*

At fatemur non manere eam imaginis partem illuſtriſſimam, quæ in interiore perfectione mentis & voluntatis, omniumque virium hominis, relata ad res divinas & ſpirituales cognoſcendas & appetendas, conſiſtit; Quam ea ratione penitus eſſe amiſſam etiam fatemur, & hoc probari efficaciter argumentis & teſtimoniis ex Paulo allatis, de reformatione hominis ad Dei imaginem. Ex quibus quid de tota hac controverſia ſit judicandum, quivis facilè perſpiciet.

Ex iis autem quæ de imagine Dei hactenus dicta ſunt, facile reſpondetur ad quæſtionem, num etiam mulier ad imaginem Dei fuerit creata? Certè Moſes id ſatis expreſſè innuit, cum hoc ipſo quem tractamus loco, poſt verba illa *ad imaginem Dei creavit illum,* addit, *maſculum & fœminam creavit eos.* & cap. 5. v. 2. poſtquàm dixiſſet, ad *ſimilitudinem Dei fecit illum*; addidit, *maſculum & fœminam creavit eos.* Ubi etiam Deus cædem hominis prohibet, & rationem addit quam ſupra retulimus, *ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*; cum lex utrumq; ſexum comprehendat, ſatis colligitur, ad utrumque etiam pertinere rationem adjunctam.

Sed id etiam patet ex imaginis ratione quam ſupra explicavimus. Sive enim quis in intellectu, ſive in libero arbitrio, ſive in dominandi poteſtate, ſive in juſtitia & ſanctitate, ſeorſim, vel mixtim, imaginem illam conſtituat, hæc omnia muliebri ſexui cum virili communia fuiſſe, ex Sacris Scripturis conſtat.

Unum eſt ex quo nonnulli occaſionem ſumpſerunt docendi, ſolum virum, non etiam mulierem ad imaginem Dei fuiſſe conditam, quia Paulus 1 Cor. 11. v. 7. rationem reddit cur mulier debeat velare caput, non vir; quod *vir eſt imago & gloria Dei, mulier gloria viri eſt.* Ex quibus exiſtimarunt ſequi, ſolum virum ad imaginem Dei fuiſſe conditum. Sed Reſpondemus, eſſe fallaciam, à ſecundum quid, ad ſimpliciter. Non enim agit Paulus de imagine Dei propriè & præcisè, ad quam conditus fuit homo; quæ utrique, ut diximus, ſexui communis eſt; ſi conformitatem intrinſecam (ut loquuntur) cum Deo ſpectemus. Sed in ratione imaginis extrinſeca & minus principali, aliquod diſcrimen agnoſcit, quo vir mulieri præſtat. Quia etſi viro & mulieri dominium in reliqua animantia ſit commune, in quo uterque Deum refert: magis propriè tamen vir Deum repræſentat, quia initio ſoli Deo ſubjectus, Deus ipſi mulierem ſubjecit: Itaque, ut vir fuit imago gloriæ Dei cui ſubjiciebatur; Sic mulier ſubjecta viro, fuit gloria viri. Ideò voluit Deus, quod ibidem notat Apoſt. mulierem ratione originis *eſſe ex viro,* non virum ex muliere. Huc reſpexiſſe Apoſt. patet ex verſ. 3. ubi dicitur, *Omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris vir eſt.*

Exercitatio VI.

Pura naturalia quæ ſint Bellarmino & aliis nonnullis. Aliorum tolerabilior ſententia. Iuſtitia originalis an fuerit homini ſupernaturalis? Diſtinctio vocum, naturalis, & ſupernaturalis. Lis inter Sophiſtas ſuper diſtinctione gratiæ primi hominis, & juſtitiæ originalis. Erroris fons & origo.

Cum autem inter omnes Orthodoxos conſtet, Juſtitiam Originalem, vel totum, vel partem præcipuam, imaginis Dei conſtituere, nec Pontificii Scholaſtici illam Dei ſimilitudinem homini initio inditam inficias eant: Controvertitur tamen, an juſtitia illa primo homini fuerit naturalis, an vero naturæ ſuperaddita per gratiam, ita ut ad naturæ, qualis fuit à Deo primum condita, conſtitutionem non pertinuerit? Ad quam quæſtionem aliter reſpondent Orthodoxi, aliter Pontificii, præſertim ii qui ad Semipelagianos accedunt, ad quorum propterea ſententiam ſuam attemperarunt, qui hoc tempore Eccleſiam turbarunt, & hæreſes contra Dei gratiam interpolarunt.

Sentiunt itaque, 1. nihil nobis nunc deeſſe in ſtatu peccati, quod Adamo naturale fuerit. 2. Rectitudinem omnium partium, ſive integritatem & perfectionem totius hominis, tam eam qua corpus animæ, & appetitus paret rationi, ad naturales fines perfectè conſequendos, quam eam qua mens ipſa, ſanctitatis & gratiæ ornamentis illuſtrata Deo obtemperat, ad finem ſupernaturalem adipiſcendum, fuiſſe per ſe donum ſupernaturale. 3. Statum hominis poſt lapſum, non differre à priori ſtatu, niſi quod homo poſt lapſum bonis ſupernaturalibus ſpoliatus ſit: rebellionem itaque contra ſpiritum quæ eſt in membris noſtris, eſſe ex conditione naturæ noſtræ, & non ex mala aliqua qualitate, à parentibus in nos transfuſa. Tribuunt itaque naturæ humanæ primùm conditæ, morbum & languorem ex conditione naturæ orientem, & volunt concupiſcentiam carnis homini in puris naturalibus conſiderato, fuiſſe conditionem naturalem, non quidem ut bonum naturæ, ſed ut defectum, & quaſi morbum ejus ex conditione materiæ conſequentem: ex cujus materiæ conditione, præceps ad vitia inclinatio oriatur. Sic quidem de ea re differit Bellarm. de grat. primi hominis,

nis, cap. 5. Nec aliter ſentiunt ex Remonſtrantibus qui dicunt, inclinationem ad peccatum eſſe homini naturalem, unde nolunt peccatum originis, eſſe propriè dictum peccatum, ſed pœnam tantum, qua, ſublato juſtitiæ originalis fræno, homo in ſua naturali conſtitutione maneat.

Hanc impiam ſententiam, fuerunt inter ipſos Pontificios, qui non potuerunt concoquere: Qui quidem, etſi crediderint gratiam aliquam ſupernaturalem in homine fuiſſe neceſſariam ad ſupernaturalem beatitudinem; exiſtimarunt nihilominus, juſtitiam originalem quam ab ea diſtinxerunt, fuiſſe naturæ hominis debitam, etiam ut finem ſuum naturalem conſequeretur: quia niſi rectitudo originalis fuiſſet ipſi naturalis, à fine ſuo fuiſſet impeditus per continuam rebellionem carnis contra ſpiritum, & ſequeretur hominem, ſecundum naturam ſuam eſſe animal omnium infeliciſſimum; utpote quod ſolum per ea quæ natura accepiſſet, non poſſet naturalem ſuum finem attingere.

2. Agnoſcunt, Nullum vitium eſſe homini naturale: ſi autem originalis juſtitia quoad ſubjectionem corporis ad animam & virium inferiorum ad rationem, ſupernaturalis eſſet; ſequeretur multa vitia eſſe homini naturalia, ut concupiſcentia ſeu rebellio carnis contra ſpiritum, & quæcumque ex ea ſequuntur: quæ quidem non tam corporis quam animi ſunt vitia. De quibus etiam Auguſt. Enchir. cap. 11. univerſim affirmat, quod animorum quæcumque vitia, naturalium ſunt privationes bonorum: ex quo conſequitur, ipſa bona vitiis oppoſita, naturalia eſſe.

3. Perpendunt quod Joan. Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 16. Concupiſcentiam dicit *non eſſe ex patre, ſed ex mundo*: eamque in eodem ordine ponit cum *ſuperbia vitæ*. In ſtatu autem naturali nihil fuiſſet ex mundo, ſed totum ex autore naturæ Deo; neque ibi fuiſſet ſuperbia vitæ, excluſo peccato; unde inferunt in illo ſtatu futuram non fuiſſe concupiſcentiam. Rectitudinem igitur concupiſcentiæ oppoſitam, ad ſtatum naturæ per ſe conſideratæ ſpectaſſe.

4. Concupiſcentiam qua caro concupiſcit contra ſpiritum, per ſe malam eſſe, non ut mors & morbi, cæterique naturales defectus, ſed ut aliquid ſuapte natura inclinans & impellens ad peccatum: hujus enim concupiſcentiæ proprii motus eſſe deſideria prava, ut docet Apoſt. Rom. 6. & 7. ob quam etiam cauſam ab Apoſtolo peccatum vocatur, proinde naturalis eſſe non poteſt.

5. Quod Chriſtus potuit aſſumere naturam humanam in puris naturalibus, qui tamen non potuit aſſumere concupiſcentiam, rebellionem carnis contra ſpiritum, pronitatem peccandi, & difficultatem benè volendi. Sequeretur enim aliàs eum peccare potuiſſe; quia pronitas peccandi ſupponit, poſſe peccare.

6. In puris naturalibus nihil eſſe pudendum aut erubeſcendum, quia tota natura eſt opus Dei, facit autem injuriam Deo qui de ejus opere erubeſcit, ut ratiocinatur Auguſt. lib. 2. de nuptiis & concupiſ. cap. 9. At de rebellione membrorum meritò erubeſcunt homines: ergo non eſt à prima conſtitutione naturæ.

7. Naturam hominis, per concupiſcentiam ex peccato primi hominis contractam, vitiatam & in deterius mutatam eſſe, unde Auguſt. lib. 1. de nuptiis & concupiſ. cap. 32. dicit, peccatum Adami tam magnum fuiſſe, ut per illud magna fieret in deterius mutatio naturæ, quam ibidem comparat cum mutatione oleæ in oleaſtrum, dicitq; Adamum peccando ex olea in oleaſtrum fuiſſe converſum, & totum genus feciſſe oleaſtrum. Alibi etiam vocat concupiſcentiam languorem naturæ, & vitioſam qualitatem, ex quibus rectè inferunt, integritatem illam, quæ excludebat hæc vitia, naturale bonum fuiſſe, utpote quo ablato, natura ipſa læſa, depravata & corrrupta fuerit.

8. Idem etiam Auguſt. lib. 1. de nuptiis & concupiſ. cap. ult. & paſſim in lib. contra Julianum Pelag. objicit, quod concupiſcentiam tanquam bonum naturale defendant. Nec ſatisfaciunt qui dicunt concupiſcentiam eſſe naturalem, non ut bonum naturæ, ſed ut defectum naturalem ortum ex conditione materiæ. Nam Auguſtinus concupiſcentiam ſimpliciter à natura removet, & ubiq; malum appellat, non quomodo mortem & alias, quas vocant, *puras pœnalitates*, quas etiam Chriſtus ſuſcepit, malas dicimus: ſed quia pugnat cum lege Dei, & ad peccandum incitat.

9. Inter ea naturæ vulnera quæ genus humanum contraxit ex peccato primi parentis, ſecundum recenſeri ſolet, *malitia* in voluntate. At in homine quem Deus in puris naturalibus creaſſet, nulla fuiſſet malitia voluntatis, neque odium rerum divinarum: ergo naturaliter fuiſſet rectitudo his vitiis oppoſita.

10. Concupiſcentia non ſolùm non eſt opus Dei, ſed etiam ita mala eſt, ut Deo diſpliceat. Unde & nos eam jubemur oppugnare, & odio habere; ergo locum non habuiſſet in homine ſolis naturalibus prædito. Quia in tali homine nihil quicquam Deo diſpliceret, ac proinde nec ipſe homo talis exiſtens tantummodo, qualis factus eſſet à Deo, quicquam in ſe odiſſe debuiſſet.

Hæc & ſimilia afferunt etiam illi, qui juſtitiam originalem à gratia inter ipſos Pontificios diſtinguentes, agnoſcunt nihil in prima illa naturæ creatione, hominis natura præciſe ſumpta, vitioſum aut morbidum fuiſſe, nec juſtitiam illam primam fuiſſe frænum aut repagulum, ſed ipſius naturæ conditionem, qualis à Deo primùm fuit inſtituta. At Bellarminus ex communi Pontificiorum ſententia, vult juſtitiâ hac per peccatum amiſſa, nihil deceſſiſſe hominis naturæ, ſed manſiſſe integram in Adamo, qualis fuit condita à Deo, quæ in ſe conſiderata, ſine fræno ſupernaturaliter addito, nihilo fuiſſet ſanior aut purior, quam eorum eſt, qui quotidiè ex hominibus naſcuntur.

Ideò juſtitiam originalem, & rectitudinem illam in

homine, negat fuiſſe Adamo naturalem, ſed naturæ ſuperadditam, & aſſerit hoc donum, non ſolum texiſſe & ornaſſe, ſed etiam curaſſe & ſanaſſe languorem illum, qui ex conditione materiæ alioqui pullulaſſet, ubi confert juſtitiam originalem forti antidoto, quod venenum in viſceribus hærens reprimit & coërcet, ne hominem enecet. Hinc illud Scholaſticorum, *Naturalia in homine manſiſſe integra*: Quæ illi tantoperè urgent, ut poſteà obtineant, concupiſcentiam in renatis peccatum non eſſe; ad id enim tanto conatu, ſubſtruitur tale fundamentum, cui poſteà ſuperſtruant poſſibilitatem legis implendæ.

Ut autem de tota hac controverſia rectè judicemus, initio diſtinguendæ ſunt acceptiones, vocis *ſupernaturalis*, cujus ambiguitate non detecta, maxima in tota hac diſputatione oritur confuſio. Notandum ergo, cum vox illa, *naturali* opponatur, & variis modis aliquid naturale dici poſſit, ita & ſupernaturale. 1. Ergo, *Naturale* id dicitur, quod Deus indidit aut contulit cuique rei, quando naturam ejus inſtituit. 2. Quod naturæ conſentaneum eſt, quodque eam ornat & perficit. 3. Quod cuique ineſt à nativitate, ſive ſit naturæ bonum & perfectivum; ſive à contrario, malum, & noxium: 4. Quod eſt aut ipſa natura, aut pars naturæ, aut quod à naturæ principiis profluit, & in natura cauſam ſufficientem habet. Alii ſic diſtinguunt eodem ſenſu, aliquid dici naturale 1. *Subjectivè*, pro eo quod penitiſſimè naturæ eſt infixum; 2. *Perfectivè*; pro eo, quod naturam ornat, juvat & perficit. 3. *Per propagationem*, quod naturaliter, ſive cum natura, propagatur. 4. *Conſtitutivè*, pro eo quod ipſi naturæ largitur eſſe; & denique *conſecutivè*, pro eo quod à forma eſſentialiter fluit. Contra dici poſſet aliquid eſſe ſupra naturam, 1. Quod naturæ infixum non eſt, tanquam in ſubjecto ſuo; 2. Quod non datum eſſet naturæ ut eam perficeret. 3. Quod per propagationem, cum natura non propagaretur. Denique, quod neque naturam conſtitueret, neque ex principiis naturæ flueret. Poſterioribus hiſce modis propriè, opponuntur naturale & ſupernaturale; Nam ei quod primo & tertio modo naturale dicitur, opponitur id quod rei inſtitutæ aut genitæ poſteà advenit; ſive naturaliter adveniat, ſive ſecus; ſive bonum ſit, ſive malum. Ei vero quod ſecundo modo naturale dicitur, opponitur, non tam quod eſt ſupra, quam quod eſt contra naturam, vel quod eſt præter naturam.

Affingit nobis Bellarminus, quod Originalem juſtitiam ita naturalem eſſe dicamus, quaſi ad ipſius hominis eſſentiam pertineret, aut ex principiis naturæ eſſentialiter flueret, & ſua ferè argumenta adverſum hoc figmentum (quod nunquam nobis venit in mentem) dirigit. Id enim planè abſurdum eſſe teſtatur hominis præſens conditio, qui cum eſſentia ſuâ non deſtituatur, & principiis naturalibus non careat, juſtitiam tamen illam, ex noſtrâ ſententia, planè amiſit; nec ex principiis naturæ eam in ſe reſtituere unquam poteſt. Itaque ſi qui ſint, qui juſtitiam & rectitudinem, hoc ſenſu, velint eſſe naturalem, id tribuendum eſſet Pontificiis (etſi negent ſe in ea ſententia eſſe) qui homini extra regenerationis ſtatum tribuunt facultatem implendi mandata Dei ſecundum ſubſtantiam operis, ex naturæ viribus: Quorum etiam non pauci, diſpoſitiones ad converſionem in hominibus agnoſcunt, quæ meriti de congruo rationem habent, ad gratiam ſupernaturalem quaſi evocandam. Sed de his alias.

Dicimus ergo, Juſtitiam illam primævam, quæ conſiſtebat in dotibus perfectionis animæ, corporis, potentiarum; actuum, & motuum omnium rectitudine, &c. fuiſſe conditionem naturalem hominis à Deo creati, quæ non extrinſecè adhæſit naturæ hominis jam conſtitutæ, vel ſupra nativas dotes aut vires fuit; ſed naturæ ipſi ex creatione per ſe adhæſit, & arctiſſimè inhæſit; naturam perfecit, & ad ejus naturale complementum concurrit; perque generationem in poſteros fuiſſet propagata & naturaliter derivata. Quibus tribus rationibus, *naturalem*, aut *connaturalem* homini fuiſſe juſtitiam originalem aſſerimus. Nec id negaret fortè Bellarminus ipſe, de duobus poſterioribus modis, naturalem nempe fuiſſe, quia naturæ conveniens erat, & eam perficiebat: Item quia per naturalem generationem propagata fuiſſet, quo ſenſu nunc dicimus nos peccatores eſſe naturâ, ratione originalis peccati. Tota ergo controverſia eſt de ratione inhæſionis, & an ita Deus initio indidit aut contulit juſtitiam illam & rectitudinem homini, ut fuerit ſanitas quædam debita naturæ, aptaque naſci ex ipſa natura benè conſtituta, & non corrupta: ita ut nunc hominibus qui tali rectitudine carent, deſit aliquod bonum naturale, quale deeſſet pecudi, ſi claudicans, vel cæca aut febricitans, naſceretur, aut ſi hodiè homo cæcus (quod aliquando fit) naſceretur. Hoc negat Bellarminus; Quod nos contrà aſſerimus; etſi non dicamus quod nobis imponit, talem juſtitiam aut rectitudinem, fluere à principiis naturæ eo modo quo proprium à forma eſſentialiter fluit; ſic enim fuiſſet planè inſeparabilis ab homine: Sed id tantùm ſentimus, hominem naturâ illa primæva, ita fuiſſe conditum, ut in ſe habuerit vires ex illa prima conſtitutione, quibus potuiſſet ſubjicere appetitus ſuos omnes rationi, & rationem ſuam Deo, & nullam fuiſſe in appetitibus hominis vel inordinationem, vel proclivitatem ad malum, cui freno fuerit opus, quando à primo illo naturæ autore, ita creatura rationalis fuit conſtituta, ut nihil ei defuerit ad finem ſuum conſequendum, per omnimodam cogitationum ſuarum & actionum directionem ad voluntatem ſui creatoris.

Id quidem in homine regenito poſt peccatum, naturale non eſſe, ultrò confitemur; imò ſupernaturale eſſe contendimus, quicquid per regenerationis ſpiritum accipit homo in converſione ſua; inter quæ cum juſtitia & ſanctimonia veritatis primum occupent locum, extra controverſiam eſt talia dona jam eſſe ſuperna-

perna-

pernaturalia, & partem illam imaginis divinæ, quæ in perfectione & rectitudine potentiarum omnium conſiſtit, inſtaurari non poſſe, niſi homo elevetur ſupra naturæ, qualis jam eſt, conditionem. Sed in eo fallunt Sophiſtæ, cum non diſtinguunt inter naturam qualis nunc eſt, & naturam qualis olim fuit: & volunt, quod nobis eſt jam ſupernaturale, olim fuiſſe etiam in eodem genere; ac ſi quis diceret, ex eo quod aliquis viſum amiſſum ratione ſupernaturali per miraculum recuperaret; etiam initio, fuiſſe donum ſupernaturale, quod cæcus non fuit natus, quod eſſet abſurdiſſimum.

Lis eſt inter Sophiſtas, An juſtitia originalis, diſtinguatur necne, à gratia quam vocant, gratum faciente. Quidam volunt plane eſſe diſtinguendas, alii negant & pro una & eadem re ſumunt. Qui aſſerunt, ut Bellarminus & alii multi, neceſſariò tenent, Juſtitiam Originalem eſſe aliquid naturæ ſuperadditum, & alterius planè generis, quia gratia diſtinguitur à naturâ, & pertinet ad vitam ſupernaturalem, & conditionem quam nullo modo deberi humanæ naturæ contendunt.

Qui diſtinguunt juſtitiam originalem à gratiæ dono, gratiam illam eſſe ſupernaturalem cum aliis concedunt, imò & contendunt: ſed juſtitiam originalem ab ea diſtinctam, fuiſſe conditionem naturæ illius primævæ non inficiantur, & hominem primum habuiſſe juſtitiam illam naturaliter; gratiam autem ſupernaturaliter, quæ tamen in ſtatu integro data fuerit per modum naturæ, per quem etiam fuiſſet propagata.

Qui ſic ſentiunt, diſtinguunt inter ea quæ neceſſariò fuerunt requiſita, ut ſine vitio crearetur humana natura, & ut vera innocentia eſſet prædita; & ea quæ ultra ſimplicis innocentiæ integritatem requiſita erant, ad honorem & gloriam illam, qua in conſortium divinæ naturæ, adoptionem filiorum Dei, & in ſpem ac participationem gloriæ cæleſtis, quæ in clara viſione Dei conſiſtit, homo aſſumeretur: Dicunt igitur, Hominem potuiſſe non ſolùm eſſe hominem, ſed etiam rectùm, & ab omni vitio liberum, etſi tam præclaris animi dotibus non fuiſſet exornatus, tantæque ſimilitudinis ac ſocietatis excellentia Deo conditori ſuo accederet. Duas igitur in primo homine cognitiones conſiderant, 1. quam naturaliter velut creatura mente ac ratione prædita, de Deo ut rerum omnium autore ac gubernatore habere & conſequi potuit, cum eo dilectionis affectu, quo ex naturæ viribus, in Deum, ut benefactorem ſuum aſſurgere potuit: 2. Sublimiorem cognitionem, quam, mente illuſtrata, per infuſum altioris ac divinioris ſapientiæ lumen; ſequeretur præſtantior dilectio, qua ſuo conditori, tanquam patri & amico, tanquam unus cum eo ſpiritus, arctiſſimo cujuſdam ſocietatis vinculo jungeretur.

Differunt igitur ab aliis in eo, quod nobiſcum fatentur conſtitutionem hominis à Deo creati, requiſiviſſe qualitates illas, quibus juſtitia originalis comprehenditur, ne homo, cum aliquo vitio, ex Dei manu diceretur procedere potuiſſe, quod illi merito abſurdum cenſent. Conſentiunt in eo quod exiſtimant ad beatitudinem ſupernaturalem fuiſſe neceſſarias alterius generis qualitates, & ſupernaturalem aliquam juſtitiam, naturali ſuperadditam, qua homo conjungeretur Deo.

Fons erroris eſt, quod utrique requirunt ad beatitudinem æternam & viſionem Dei conſequendam, meritum propriè dictum; cum autem non exiſtiment conveniens eſſe, hominem ad tantum & tale bonum pertingere poſſe, per merita quæ ex ſolis haberet naturæ viribus, ſcilicet non adjutis aliquo bono ſupernaturali, exiſtimant ad illum finem conſequendum, neceſſarium fuiſſe, ut Deus vires adderet, quæ, deficientes naturæ vires ad eam rem, longiſſimè excederent.

In qua doctrina duplex eſt error. 1. Quod cenſent hæreditatem cœleſtem adiri non poſſe, niſi per merita propriè dicta, & proportionem requirunt inter eam & hominis opera, quod planè abſurdum eſt: nam beatitudo æterna homini, ſi in ſtatu integritatis manſiſſet parata, data fuiſſet non ex condigno obedientiæ, ſed poſt obedientiæ longè diſparis conditionem, ex mera creatoris liberalitate & gratiâ. 2. Quod cenſent opera bona, & univerſam illam rectitudinem omnium virium tam corporis quam animi, potuiſſe tantùm eam producere obedientiam quæ ad hominis finem naturalem (quem extra beatitudinem æternam imaginantur) ſufficiebat; non autem eam, quæ tanquam conditio à Deo requiſita neceſſaria erat ad beatam viſionem Dei, ad quam novas qualitates fuiſſe neceſſarias putant, quod planè imaginarium eſt. Nunquam enim auditum fuit Deum ab homine requiſiviſſe duas juſtitias diverſi generis, ad duos fines diverſos; nec homo jam reparatur ad duas juſtitias & ſanctitates diverſi generis, ſed unam tantùm. Sed πρῶτον ψεῦδος in eo eſt, quod *gratiam* (quam vocant) *gratum facientem*, quam nos etiam primo homini, cum actualibus gratiæ auxiliis neceſſariam fuiſſe, ut homo juſtitiam originalem conſervaret, & ea benè uteretur, cenſemus; in habitibus inhærentibus conſtituunt, non in dignatione Dei, acceptante juſtitiæ illius originalis obedientiam ad vitam æternam. Inde eſt quod duplicem juſtitiam imaginati ſunt, unam naturalem, quæ omne vitium, omnem morbum ab homine condito excluderet; alteram ſupernaturalem, quæ eum ad cœleſtem beatitudinem elevaret; primam, *juſtitiæ originalis* nomine intellexerunt; alteram ſuperadditam *gratiam ſupernaturalem* appellarunt, qua in ſententia fuerunt Lombardus, Scotus, & qui eos ſequuntur.

Bellarminus autem, & Scholaſtici quos ſequitur, unicam juſtitiam in homine primùm condito agnoſcunt, quam & ipſam gratiam eſſe ſupernaturalem, & cum gratia gratum faciente conjunctam eſſe tanquam cum ſua radice docent, eaſq; aliquando diſtinguunt, aliquando

quando confundunt; aut unum ex duobus aggregarum componunt, aut tanquam cauſam & effectum comparant. Sed in eo conveniunt, quod tam gratia illa gratum faciens quam vocant, & radicem originalis juſtitiæ putant, quam originalis ipſa juſtitia, illis ſunt dona ſupernaturalia. Nos contra negamus fuiſſe ſupra naturam, qualis à Deo primum fuit inſtituta. Ad naturam enim hominis pertinebat imago Dei in omnibus ſuis partibus. Illius autem partem fuiſſe juſtitiam originalem ſupra oſtendimus.

Exercitatio VII.

Qua in re propriè conſiſtat juſtitia originalis. cur ita dicta. an ex pluribus habitibus ſit compoſita? Affirmatur à nonnullis, & quomodo? Sententia vera. Quomodo ſit relatio? Quibus dotibus conſtituatur? Appetitus quales in homine fuerint? Rectitudine fuiſſe præditos, eaque naturali. expenditur ſententia Bellarmini. Ejus contradictiones. & quæ conſequuntur abſurda. Refelluntur ejuſdem exceptiones. & variæ inſtantiæ contra eum afferuntur.

Sed ante quam cum adverſariis confligamus, etſi ſupra, in transcurſu & breviter, inſinuatum fuerit à nobis, qua in re conſiſtat juſtitia illa quam originalem appellamus; nobis tamen operæ pretium videtur, ut accuratiùs id perpendamus, ex quo poſteà, multo facilius de tota hac controverſia judicare quivis poterit, & quæ ſit mens eorum qui in ea re diverſa vel contraria ſtatuunt, intelligere.

Primùm igitur ad nomen quod attinet, Dicitur juſtitia, non ea quam inter cardinales virtutes præcipuam faciunt, cujus proprium eſt, unicuique quod ſuum eſt tribuere, ſed alia ſignificatione, qua juſtitiæ nomen ſignificat rectitudinem & ordinem alicujus totius, & omnium ejus potentiarum, tam inter ſe, quam reſpectu ſuorum actuum. Originalis autem dicitur, tum quia in ea primus homo initio conditus fuit, eamque ab origine ſua habuit; tum quia eandem niſi peccato amiſiſſet, ad poſteros ſuos transmiſiſſet una cum generatione, ſi non ex virtute ſeminis (qua de re non diſputamus) ſaltem ex Dei ordinatione & prima inſtitutione.

Ad rem ipſam quod attinet, diſputatum fuit, an in habitu uno, an in pluribus conſiſtat talis juſtitia, an in aliqua alia re. Sunt qui unum habitum fuiſſe putent, quo totus homo ſecundum omnes potentias rectus ac perfectus redderetur; Quod ſentire videntur qui juſtitiam originalem, cum gratia gratum faciente confundunt. Quorum ſententia merito ab aliis exploditur his argumentis. 1. Quia cum potentiarum animæ, quædam ſint immateriales, ut intellectus & voluntas, quædam materiales, ut omnes potentiæ ſenſitivæ & vegetativæ, fieri non poteſt, ut unus numero habitus, tot potentias toto genere diſtinctas ordinet & perficiat, præſertim cum habitus diſtinguantur per actus, & actus per objecta. 2. Quia non facilè dici poteſt, in qua potentia unus ille habitus originalis juſtitiæ ſitus fuerit. Non in intellectu, quia ſic non perficeret voluntatem; Non in voluntate, quia ſic non perficeret intellectum; non in utralibet, quia non poſſet appetitum ſenſitivum perficere.

Sunt alii propius quidem ad veritatem accedentes, qui juſtitiam originalem fuiſſe aliquid ex pluribus aggregatum ſentiunt, ac fuiſſe definiunt, abſolutam quandam complexionem, ſeu comprehenſionem omnium habituum, quibus homo, ſecundum omnes vires & facultates ſuas, rectus & perfectus reddebatur. Ex quorum ſententia ſequitur, ejuſdem originalis juſtitiæ partes integrales fuiſſe plures habitus, in pluribus & diverſis potentiis; in intellectu quidem ſpeculativo, omnes ſcientias ſpeculativas rerum omnium, ut ajunt, quæ naturaliter ab homine ſciri poſſunt; In intellectu practico, prudentiam cum practicis ſcientiis; in voluntate, habitus religionis erga Deum, & juſtitiæ erga proximum: in appetitu ſenſitivo, temperantiam & fortitudinem.

Sententia tertia præferenda nobis videtur, quæ juſtitiam originalem hæc omnia bona vel omnia vel pleraque in homine habuiſſe conjuncta, agnoſcit; illudque futurum fuiſſe in poſteris ex eo naſcituris, ſtatu innocentiæ durante concedit. Et tamen, juſtitiæ nomine non exiſtimat propriè tale aliquod aggregatum ſeu complexum ſignificari; ſed potiùs rectitudinem quandam, quæ in toto homine, ex partium & potentiarum ejus ordine & optima diſpoſitione conſurgebat. Juſtitiam itaque originalem ad omnes hujuſmodi habitus ſeu potentiarum diſpoſitiones & perfectiones, ſe habuiſſe tanquam relationem quandam ad rationem fundandi; ut non ſit neceſſe unum aliquem habitum, vel plures quærere qui propriè eam conſtituant, cum ſufficiat intelligere, hominem ſecundum partes & potentias ſuas ita fuiſſe ordinatum, ut abſolutè rectus & juſtus diceretur, utpote qui nihil in ſe haberet inordinatum, curvum aut vitioſum: Sicut in juſta proportione, ſymmetria & ordine partium corporis benè conſtituti, unus aliquis habitus, ad proportionem illam vel aptum temperamentum non eſt excogitandus, vel plurium aggregatio; ſufficit enim ut abſolutè corpus dicatur, omnibus ſuis partibus rectum & abſolutum; Sic ad juſtitiam illam de qua loquimur, ut ſingulæ potentiæ tam ſuperiores quam inferiores, juſtâ ſymmetria conſen-

conſentientes ad integritatem illam & rectitudinem conſpirarent. Ex quibus reſponſio dari poteſt ad quæſtionem, quodnam ſit juſtitiæ originalis ſubjectum. Cum enim propriè & per ſe rectitudinem ſignificet, id eſt relationem quandam, conſequitur ſubjectum ejus, eſſe partes illas omnes ſeu potentias quatenus inter ſe ſunt coordinatæ. Nam rectitudo tam in ſpiritualibus quàm in corporalibus, exiſtit in partibus, eum inter ſe ordinem habentibus, à quo totum quod ex illis conſtat, rectum dicitur. Nec debet id abſurdum & ineptum videri, quod talis juſtitia ſive omnimoda rectitudo dicatur relatio quædam, etſi juſtitiæ nomen, qualitatem potius ſignificare videatur. Quia juſtitiam illam conſideramus, quatenus ex virtutibus omnibus reſultat, non prout eſt particularis virtus. Nec prætereà exiſtimandum eſt, aliquid hac loquendi ratione juſtitiæ originali detrahi, quia relatio videtur eſſe minimæ entitatis, cum rectitudo illa, quam relationem quandam dicimus, fundamentum ſuum habeat, in potentiarum omnium vera perfectione, Nec eſt quod metuamus argumentum cujuſdam Doctoris, cujus meminit doctiſſ. Zanchius, de operibus Dei, part. 3. lib. 3. cap. 2. qui ut probaret Adamum non fuiſſe à creatione juſtum, dicebat juſtitiam non poſſe creari, quia eſt relatio, non creatura. Etſi enim relatio per ſe conſiderata ut relatio, non ſit propriè creatura, tamen in ſuo fundamento, ex quo neceſſariò reſultat, creata verè dicitur; Quo modo infinitæ penè relationes in omnibus creaturis ab ipſo ortu reperiuntur. Subſtantiæ enim non fuerunt creatæ ſine ſuis accidentibus, inter quæ etiam relatio locum habet. Sed his omiſſis, videndum quibus in rebus hæc integritas & rectitudo conſiſtebat.

Tria ſunt omnino in quibus integritas illa conſtituebatur. 1. In eo quod pars animæ ſuperior, id eſt intellectiva & rationalis, Deo perfectè ſubjiciebatur & adhærebat; mens quidem ſeu intellectus, per notitiam perfectam, quatenus homini conveniebat, tam Dei, quam divinæ legis: Voluntas autem per plenam obedientiam. 2. In eo quod partes animæ inferiores, id eſt appetitus ſenſitivus, tam concupiſcibilis, quam iraſcibilis, ſine ulla pugna & rebellione ſuperioribus ſubjacebant. 3. In eo quod omnia corporis membra, voluntatis & rationis imperio ad nutum ſubſerviebant, ita ut, ſicut nullus motus exurgebat in parte inferiori animæ ſeu appetitu ſenſitivo, contra rationem; ita nec in ullo corporis membro. Ex quibus velut originalis juſtitiæ partibus, ſequentes oriebantur effectus. 1. Ut omnes & ſingulæ facultates hominis, ſuas actiones expeditè facere poſſent, perfecteque exercere, utpote quæ in ſe ipſis eſſent optimè diſpoſitæ. 2. Quod ita ſuperioribus animæ viribus inferiores eſſent ſubjectæ, ut earum actiones neque impedirent neque remorarentur, ſed potius juvarent; quia earum omnes motus & actiones ſic erant in poteſtate rationis dominantis, ut neque judicium ejus unquam pervertérent, neque imperio repugnarent: ſed tam quoad initium, quam quoad progreſſum, intenſionem, remiſſionem, ceſſationem, à nutu rationis dependerent. 3. Quod plena eſſet (ut jam annotatum eſt,) corporis ac membrorum ejus, ſub rationis imperio, & expeditiſſima ſubjectio. Ex his omnibus excitabatur ingens in homine cupiditas, ſed tamen ordinata, veritatis cognoſcendæ magis ac magis, & omnium rerum, quæ naturaliter ſciri poſſunt, conſequendi ſcientiam perfectam. Item vehemens ad omne bonum propenſio, & ab omni malo alienatio.

Rem ita ſe habere ex ſcripturis patet. Eccl. 7. v. 29. inveniſſe ſe dicit, *quod Deus fecit ipſe hominem rectum.* Quam rectitudinē in homine poſt peccatum nuſquam comperimus, quin potius audimus, *cunctam cogitationem cordis hominis intentam eſſe ad malum omni tempore.* Gen. 6. v. 5. Et *pravum eſſe cor hominis & inſcrutabile.* Ierem. 17. v. 9. hominemque in peccato concipi, Pſal. 51. 7. Ex quibus apparet, fuiſſe in primo homine rectitudinem quandam & integritatem, quam peccando amiſit, tam ſibi, quam ſequuturæ poſteritati. Quia autem talis rectitudo intelligi non poteſt, ſine illa ſubjectione qua pars animæ ſuperior Deo ſubjiciebatur, ſequitur juſtitiam originalem, in illa etiam ſubjectione primo ſitam fuiſſe: Quod vero ſpectat appetitus ſenſitivi, & membrorum corporis, rectum ordinem, & ſubſerviendi promptitudinem; patet etiam eam ad juſtitiam originalem eſſe referendam, ex eo quod Scripturæ, in peccatum primi hominis, & corruptionem naturæ noſtræ ex illo conſequutam, referunt rebellionem carnis adverſus ſpiritum, & inobedientiam membrorum adverſus imperium rationis. De qua rebellione agit Apoſt. Rom. 7. & Galat. 5.

Id etiam directè probatur ex Coloſſ. 3. verſ. 10. ubi Apoſt. *Induite novum hominem, eum qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus qui creavit illum.* Nam ſi renovamur in agnitionem, ſequitur nos aliquando eam habuiſſe & amiſiſſe. Et, ſi imago creatoris conſiſtit in ἐπιγνώσει, ſequitur cum ea Adamum fuiſſe creatum: pertinet autem illa ad ſuperiorem animæ potentiam, intellectum nempè. De voluntate idem judicandum, *quia novus homo ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate.* Epheſ. 4. 24. Ad illam *renovari* debemus, ut ait ibid. Apoſt. unde conſtat nos aliquando novos fuiſſe, id eſt juſtitia & ſanctitate in Adamo præditos. De appetitu & membrorum rectitudine, intelligendum eſt quod Geneſ. 2. v. 25. habetur, *erant ambo nudi & non erubeſcebant.* Nulla enim alia cauſa poteſt dari, præter harmoniam appetituum & membrorum cum recta ratione. *Nudi erant,* inquit Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 17. *& non confundebantur, non quod eis ſua nuditas eſſet incognita; ſed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat; nondum ad hominis obedientiam redarguendam, ſuâ inobedientiâ caro quoddammodo teſtimonium perhibebat.* Id etiam evincit ratio.

tio. Nam carnis & membrorum ἐπιθυμία peccatum eſt, Rom. 7. v. 7. In ſtatu autem integritatis, nullus fuit peccato locus. Ergo talis ἐπιθυμία non fuit, quam igitur contraria rectitudo & integritas præceſſit, & optima appetitus & rationis harmonia. Adde, quod in eo ſtatu primus homo fuit expers doloris. At ubi ſunt inordinati affectus, ibi dolor & triſtitia oritur in animo pio, ut ex Paulo patet Rom. 7. *Quam fœlices* (ait Auguſt. de Civit. Dei lib. 14. cap. 10.) *erant primi parentes! Nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis.*

Cum autem duplex ſit in homine appetitus, quorum unus dicitur ἐπιθυμία, alter πάθος concupiſcibilis & iraſcibilis, de utroque in primo illo ſtatu ſic eſt ſentiendum. Quod prior ille, qui ſpectat appetitum cibi, potus, & rei venereæ, ita fuit ordinatus in homine, ut potuerit comedere & bibere, ſed abſque intemperantia; eſurire & ſitire, ſed abſque moleſtiâ, generare prolem, ſed abſque libidine vitioſa. Hinc Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 19. *Motus appetitus ante peccatum in Paradiſo vitioſi non erant. Nam quod nunc ita movemur, non eſt ſanitas ex naturâ, ſed languor ex culpa.* Ubi obiter notandum, ſanitatem affectuum, naturæ attribuere Auguſt. Ad appetitum iraſcibilis pertinent affectus amoris & odii. Fuiſſe in illo ſtatu gaudium & lætitiam, amorem boni & odium mali certum eſt: Sed abſque triſtitia, ira, timore, aliiſque affectibus dolorificis & inordinatis; quia omnes erant rationis dictamini ſubjecti, 1. Quoad motum & excitationem, quia non movebantur appetitus, niſi cum imperabat ratio. 2. Quoad durationem, quia non diutius durabat appetituum motus, quam homini placebat. 3. Quoad gradus, quia non erant juſto intenſiores, ſed ſemper in æquilibrio & moderatione recta conſiſtebant, nec unquam modum excedebant.

Ex dictis patet, juſtitiam originalem non debere ita adſcribi parti animæ ſuperiori, ut appetitus ſeu pars inferior, nullomodo eam participaverit formaliter, ſed tantùm, ut loquuntur, effectivè; adeo ut in illa ſemper fuerit naturalis repugnantia rationi, & proclivitas ad malum, qua ſuapte natura reluctatura erat, ſed repreſſa fuerit à ratione juſtitia originali prædita, qua cohibita fuit, contra naturæ ſuæ inclinationem. Nam oſtendimus etiam partem illam inſita & ingenita proclivitate ſubmiſiſſe ſe rationi rectæ; & ita fuiſſe à Deo ab initio conditam & diſpoſitam, ut imperium rationis non ſolum non detrectaret, ſed etiam ad ſubjectionem illam promptè & alacriter moveretur. Adverſus eos qui contra ſentiunt facit id maximè, quod etſi contendant, gratiâ gratum faciente per regenerationem, mentem ad integritatem & juſtitiam eſſe reſtitutam, coguntur tamen fateri partem ſenſualem indomitam manere, & rebellare contra mentis imperium: ex quo ſatis conſtat, non ſufficere ut mens recta ſit, ad appetitus ita coërcendos ut nuſquam erumpant & negotium faceſſant, ſed opus eſſe aliqua in ipſo appetitu rectitudine, quæ juſtitiæ illius originalis pars fuit, quam requirere hoc tempore coguntur etiam in renatis, qui menti & voluntati perfectam regenerationem tribuunt.

His ita poſitis, & conſtituta imaginis Dei ex Scriptura & experientia ratione, ſupereſt ut ad controverſiam initio propoſitam accedamus, an talis juſtitia ſit ſupernaturale donum, naturæ jam conſtitutæ ab extra, ſupra naturæ conditionem inditum; an potius innata rectitudo & ipſi naturæ in prima creatione inſita ad perfectionem neceſſariam, ut de ſuo illo opere & excellentiſſima creaturâ diceret etiam Deus, quod Moſes de omnibus creaturis teſtatus eſt, Geneſ. 1. verſ. 31. *Cum inſpiceret Deus quicquid fecerat, ecce bonum erat valdè.*

Id autem primò ponimus. Naturalia eſſe quædam quæ communia ſunt cuivis hominum ſtatui tam innocentiæ quam peccati. Qualia ſunt omnia eſſentialia, facultates, affectiones, operationes, quæ in homine primo fuerunt per creationem, & in poſteris, etiam corruptis manent; ut verbo dicam, quæ eſſentialia ſunt, & à forma eſſentiali fluunt. Propria naturæ integræ fuerunt, dotes ac perfectiones animæ & corporis de quibus anteà dictum eſt, quæ humanæ naturæ concreata, & nativa, ei adjacebant per ſe. Contrà, naturæ corruptæ propria, ſunt defectus & imperfectiones tam animæ quam corporis, quæ ex primi hominis peccato ortum habuerunt, & per generationem, à parentibus in filios derivantur. His ex Theologiæ, id eſt, Scripturæ penu petitis diſtinctionibus, quas Ethnica Philoſophia non agnovit, præmiſſis, quo ſenſu naturalem dicamus fuiſſe juſtitiam originalem, ſatis perſpicuum eſt.

Quo ſenſu autem id neget Bellarminus non ita liquet. Quamvis enim dicat, ſe id non negare, niſi eo ſenſu quo naturalia dicuntur quæ à principiis naturæ fluunt: id tamen ſua Sophiſtica involvit. Nam ſi *principia naturæ*, intelligat utrique naturæ tam corruptæ quam integræ communia, cum nemo ſit qui ita ſentiat, falſum controverſiæ ſtatum fingit. Si per naturæ principia, intelligantur nativæ dotes integræ naturæ, nullum eſt dubium, quin ex illis fluxerit harmonia illa quam juſtitiam originalem appellamus. In eo etiam quod negat *debitam* illam fuiſſe naturæ, ſi per *debitam*, intelligat aliquid in natura præceſſiſſe, quo id merita fuerit, nos abſurdiſſimum etiam id judicamus. Sed ſi quis per *debitam*, intelligat, debitum ex hypotheſi intentionis & voluntatis divinæ, de creanda creatura, à qua volebat exigere obedientiam perfectam; negare non poſſunt adverſarii, tali ſenſu, debitam fuiſſe primævæ naturæ, qui gratiam univerſalem eamque ſufficientem, debitam eſſe homini in ſtatu lapſus conſtituto, ex hypotheſi, non verentur aſſerere. Certè legem quandam naturalem homini fuiſſe inditam ab initio, fatentur nobiſcum adverſarii. Si data eſt homini lex naturæ, cur etiam non dicendum erit, debitam fuiſſe homini creando rectitudinem quæ ad legem implen-

plendam neceſſaria erat? Debita ergo fuit, per intentionem & voluntatem divinam, quia voluntas finis, neceſſariam & quaſi *debitam* facit voluntatem mediorum ad finem.

Id tamen monemus, noſtros non negare abſolutè, ſupernaturalem fuiſſe juſtitiam originalem; non ſolum, comparatè ad ſtatum præſentis naturæ; Sed etiam ratione prioris ſtatus, quia etſi naturalis fuerit quomodo diximus, ſupernaturalis etiam fuit ratione objecti. Tendebat enim juſtitia illa ad finem ſupernaturalem, qua ratione ſi eam ſupernaturalem diceret Bellarm. non contenderemus. Sed id quod in controverſiam vocatur, melius ex contrario cognoſci poteſt; quia ille cum ſuis, hoc molitur, ut obtineat, aliquid in natura primum creatâ, fuiſſe *vitioſum & inordinatum*; quod per aliam rem, quæ ſupra naturam data fuerit, debuerit in ordinem cogi, & quaſi fræno coërceri. Hic eſt præſertim controverſiæ ſtatus, quia alioquin in multis aliis, in verbis potius quam in rebus, lites quærit & controverſias multiplicat.

Dicimus ergo ſententiam illam de innata facultatum inferiorum repugnantia, rebellione, & pronitate ad malum, non poſſe conſiſtere etiam cum eo quod Bellarminus concedit, juſtitiam originalem eo ſenſu naturalem dici potuiſſe, quod eſſet naturæ conſentanea, eamque perficeret: cui acceptioni non opponitur ſupernaturale, ſed quod eſt contra naturam, vel naturæ diſſentaneum. Nam inde certè ſequitur contra ipſum Bellarminum, affectuum inferiorum inordinationem & proclivitatem ad rebellandum rationi, eſſe contra naturam, aut naturæ diſſentaneam. Si ita ſit, ut eſt, & ipſe fatetur, quomodo poterit eſſe naturale, quod naturam corrumpit & labefactat?

2. Iterum, cum fateatur juſtitiam originalem eſſe naturæ conſentaneam, quia membrorum & appetituum rebellionem in ordinem cogebat, ſequitur certè rebellionem illam, quæ per ſe repugnare originali juſtitiæ nata erat, fuiſſe contra naturam; quia contrariorum, contraria ſunt conſequentia. Ergo cum negat adverſarius, luctam illam inferioris partis cum natura pugnare, ſibi ipſi diſertè contradicit: & cum eam puræ naturæ adſcribit, juſtitiam autem originalem ad eam cohibendam & frænandam datam fuiſſe docet, tum ſequitur hoc abſurdum, juſtitiam illam, non tam eſſe ſupra, quam contra naturam, quæ ideo acceſſit, ut naturales affectuum motus impediret. Sentiunt enim, Adami naturam in ſe, conditam fuiſſe cum rebellione, orta ex contrariis propenſionibus: quæ ut coërceretur, Deus addidit ſupernaturale donum juſtitiæ, quo per peccatum amiſſo, natura non corrupta, ſed tantùm rebellio concreata in actum perducta eſt.

Contra hanc hypotheſim pugnant rationes jam ſupra à nobis allatæ, ſed præſertim ea qua probatur, nullum malum quod in vitio eſt, & ad peccatum ſollicitat, poſſe puræ naturæ à Deo creatæ convenire, ita ut in natura pura, fuerit actus primus corruptionis & peccati; & in ea ante peccatum fuerit aliquid odio Dei dignum, pugnans cum ratione, imò cum Dei lege. Concupiſcentia enim à Paulo dicitur *peccatum*. Rom. 7. v. 7. à Joan. cap. 2. 1 Epiſt. v. 16. *non eſſe ex Patre, ſed ex mundo*. Quare ſi homo illam naturæ ſuæ infixam habeat ab ipſa creatione, Deus qui creator eſt erit cauſa peccati; imò & peccatum fuerit ante peccati ſtatum, quod abſurdum eſt: & cum morbus & malum ad pœnam pertineant, pœna præceſſerit culpam, quod iniquum & injuſtum eſt.

Ad hanc rationem & allata teſtimonia, conatur quidem Bellarminus reſpondere, de grat. primi hominis, cap. 7. Ait ergo, concupiſcentiam carnis nunc eſſe pœnam peccati, quæ tamen homini in puris naturalibus condito, fuiſſet ſine dubio naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturæ, ſed ut defectus & quaſi morbus quidam naturæ, ex conditione materiæ conſequens. Quare rectiſſimè dicitur non eſſe ex Deo, non amore dignam, malam, naturæque contrariam, propter duas cauſas. Primùm quia non ex intentione autoris naturæ, ſed præter ejus intentionem in homine extitiſſet, ſi in puris naturalibus homo creatus fuiſſet. Deinde quia Deus illam ſuſtulerat & ex culpa, locum in nobis habet. Hæc ille, qui quidem prius illud declarat ſimilitudine à fabro deſumpta, qui dum ex ferro gladium fabricat, non eſt cauſa rubiginis in gladio, quæ ex materiæ conditione poſteà oritur.

In hac reſponſione multa eſſe abſurda, cuivis rectè perpendenti patebit, 1. enim, Adverſarius expreſſis verbis cogitur fateri *concupiſcentiam* illam eſſe *naturæ contrariam*. Ex quo ſequitur, id quod eſt puræ naturæ contrarium, idem ſimul ſecundum puram naturam, naturale eſſe non poſſe, niſi quis velit, lucem & tenebras ſimul in ſole ponere, & aliquid eſſe & non eſſe contra communiſſimas notiones aſſerere; Qui ergo conceſſit, cum natura pura, concupiſcentiam carnis & ſenſuum pugnare, neceſſario negare debet, ſi ſibi conſtare velit, concupiſcentiam naturalem eſſe, ſeu ex puris naturæ principiis emanantem; & contrà concedere, juſtitiam illam naturæ congruam, quæ rebellionem tollendo, naturam perficit, naturalem eſſe, quod nos aſſerimus. Eſt ergo in verbis Bellarmini fœda contradictio, dum unam & eandem concupiſcentiam ratione unius & ejuſdem naturæ, naturalem ſimul & naturæ contrariam dicit. Omne enim φυσικὸν, vel quod fluit ex naturæ principiis, naturæ non contrarium, ſed conſentaneum eſt, viciſſim autem, quod contrarium, hoc naturale non eſt.

Prætereà ſi verum eſt quod dicit, rebellionem illam & vitium fluere à principiis naturæ, peccati culpa & cauſa in Deum recidit. Nam qui eſt autor talis materiæ tanquam antecedentis, merito habetur autor immediati conſequentis, & in eo locum habet axioma Logicum, *quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati*, quod

 valet

valet in eſſentialiter ſubordinatis. Nec potuit alius eſſe autor naturæ primævæ præter Deum, quia quicquid per creationem cœpit, à Deo habet ortum, Deoque ferri debet acceptum, ſive ἀμέσως hoc fiat, vel proximè, ſive ἐμμέσως vel remotè.

Et quando ſimul aſſerit concupiſcentiam illam malam eſſe & odio dignam, & tamen naturalem eſſe, iterum pugnantia loquitur. Nihil enim naturale non bonum eſt, cum ſit à Deo creatum, cujus opera cuncta ſunt valdè bona Gen. 1. verſ. ult. 1. Tim. 4. v. 4. Hinc Auguſt. in Enchir. cap. 12. *Omnis natura vitioſa in quantum natura eſt, bona eſt: in quantum vitioſa, mala eſt.* Unde ſic argumentamur, omne naturale (intelligo ſemper de naturâ à Deo creata) eſt bonum Deoque placet. Concupiſcentia, etiam in puris naturalibus, eſt naturalis Bellarmino, ergo bona eſt & Deo placet. At contrà, dicit eam eſſe odio Dei dignam.

Quid quod ex eo colligit, concupiſcentiam malam eſſe & odio Dei dignam, neque ex Deo ſed ex mundo, quia humana culpa in mundum invecta & propagata eſt? At ſi ita ſe res habeat, inde oſtendimus non potuiſſe eſſe homini naturalem, quia quod hominis peccato inductum eſt, id ad hominis naturam ante quam peccaſſet, pertinere non poteſt, quia vel ipſo Bellarmino fatente, id naturæ contrarium eſt.

Ipſi etiam reponi poteſt argumentum, quo Matthiam Flacium Illyricum lib. 5. de amiſſione grat. & ſtatu peccati, premit. Joannes dicit 1. Ep. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Paulus 1. ad Tim. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*; ex quibus optimè colligit, ſi ſubſtantia noſtra ſit peccatum vel malum, vel non eſſe creaturam, quod repugnaret Euangelio; vel non omnem creaturam eſſe bonam, quod repugnaret Apoſtolo. Sic enim in ipſum poteſt argumentum retorqueri. Si concupiſcentia eſt homini naturalis, ſequitur, vel non omne creatum eſſe bonum, quod Apoſtolo adverſatur, vel non omne naturale ante lapſum eſſe creatum, quod contrariatur Apoſtolo.

Non minus turpiter ſibi repugnat, quando dicit, concupiſcentiam illam fuiſſe homini in paradiſo naturalem, quia oritur ex conditione materiæ; & nihilominus addit eam eſſe naturæ contrariam. At quomodo poteſt eſſe alicui rei contrarium id quod ex ejus conditione oritur & fluit? Certè conditionem materiæ, eſſe à Deo creatore negari non poteſt, niſi ab eo qui rationi bellum indixit: ergo ſi concupiſcentia ſit ex conditione materiæ, ſequetur neceſſariò concupiſcentiam eſſe à Deo, cujus opificium eſt materia.

Nec huic malo medetur Bellarminus, dum ait, ideò non eſſe à Deo, quia non ex intentione Dei in homine extitiſſet, ſi in puris naturalibus fuiſſet creatus, hoc enim in Dei potentiam & ſapientiam maximè injurium eſt, quaſi Deus non potuiſſet eligere, aut creare talem materiam ad hominis fabricam, quæ ab hoc malo libera eſſet! ſed tamen in eo quod fatetur talem ἀταξίαν eſſe contra intentionem autoris naturæ, novum nobis rurſus ſubminiſtrat argumentum, quo probemus naturalem homini, nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe. Quis enim credet id quod eſt contra intentionem autoris naturæ, puræ naturæ adſcribi poſſe? Adde quod abſurdiſſimum eſt, præter intentionem Dei extituram fuiſſe illam concupiſcentiam in homine, ſi fuiſſet in puris naturalibus conditus (ut loquuntur) nam ſic Deus accuſatur vel impotentiæ, vel imperitiæ, quod utrumvis, ſine blaſphemia fieri non poteſt. Vel enim non prævidit talem ἀταξίαν ex conditione materiæ orituram, quod eſſet imperitiæ; vel ſi prævidit, & intentionem habuerit creare hominem, in quo nulla eſſet naturalis affectuum repugnantia, id potuit efficere, vel non: ſi non potuit, non ergo fuit omnipotens: ſi potuit, id contra ejus intentionem non accidit. At potuit inquit Bellarminus, imò ſuſtulit Deus illam concupiſcentiam, per originalem juſtitiam ſuperadditam. At id non eſt tollere, ſed tantum actum ſecundum cohibere, & reprimere, manente actu primo, non autem radicitus evellere. Nemo enim dicet, eum qui calcitronē & refractarium equum domat, freno regit & coërcet, indomitam equi ferociam removere. Cùm autem Deus, ex adverſariorum ſuppoſitione creaverit humanam naturam cum hac materiæ conditione, quomodò eam, propriè loquendo, ſuſtuliſſe dici poteſt?

Ut autem, quod ait Bellarm. id accidiſſe præter intentionem Dei, penſiculatius expendamus, conſiderandum venit, quando aliquid præter intentionem agentis evenit, tum eum à ſcopo primitus intento aberrare. Cujus vel cauſa eſt agentis incircumſpectio, vel obſtaculorum multitudo, quam aut non prævidit, aut prævíſam tollere non potuit. At dicere Deum ſapientiſſimum à ſcopo ſuo aberraſſe, ipſi providentiæ divinæ incircumſpectionem, omnipotentiæ ἀμηχανίαν quandam tribuere, quis impunè poterit? Inter homines ipſos, non eſt ſapientis dicere, non putaram; quid ergo de Deo cenſendum?

Nec minus blaſphema eſt comparatio de fabro & rubigine ferri: Non enim faber materiam ſuam creat, quod facit Deus; ideoque faber non dicitur autor rubiginis quæ poſteà oritur ex materiæ conditione. Et faber ſi poſſet, talem gladium fabricaret qui rubiginem non contraheret. At Deus ipſam hominis materiam condidit, & quidem talem, ſi Jeſuitæ fides, ut eam neceſſariò inſequeretur quædam ἀταξία, quæ ipſo actu primo adfuit, etſi ab extra cohibita. Unde ſequitur culpam unicè in Deo reſidere, vel ipſum adeò impotentem fuiſſe, ut materiam talem non potuerit condere, in qua talis inordinatio non eſſet.

Sed illud etiam urgendum cenſemus, ad id quod in materiæ conditionem totam culpam tranſcribunt: & quærendum quam hic materiam intelligant, & quam concupiſcentiam? Si materiæ nomine corpus accipiunt

ejuſque membra, corpori & membris, appetendi non eſt vis propria. Si autem animam, illa non poteſt dici materia, quam præterea Deus immediatè non aliundè deſumptam Adamo inſpiravit. Ergo ſi ab illâ naturaliter promanaret propenſionum pugna, Deus peccati autor conſtitueretur.

Concludimus igitur cum Auguſtino Enchir. cap. 12. *Omnem naturam vitioſam, in quantum natura eſt, eſſe bonam: in quantum vitioſa eſt, eſſe malam. Animorum autem quæcumque ſunt vitia, naturalium eſſe privationes bonorum*, ut ipſe ajebat, ejuſdem lib. cap. 11. Quibus verbis, duo habemus, quæ partes hujus controverſiæ binas expediunt. 1. Enim ſi omnis natura, in quantum natura, eſt bona, nullum vitium aut malum præſertim odio Dei dignum eſt à naturâ. 2. Si quæcumque ſunt vitia, ſunt naturalium bonorum privationes, ſequitur juſtitiam originalem fuiſſe naturale bonum. Adverſus quod dictum non valet exceptio Bellarmini, juſtitiam illam vocari bonum naturale, eo quod naturam non deſtituat, ſed perficiat. Nam Auguſtinus diſertè opponit inter ſe bona & mala, ac vitia animarum quæcumque, nihil aliud eſſe dicit, quam privationes naturalium bonorum, quæ naturæ hominis ineſſe debebant, & naturæ ipſius primævæ verè inerant.

Exercitatio VIII.

Reſpondetur argumentis Bellarmini ex Scriptura. Homo quomodo pulvis? Explicatur Locus Pſal. VIII. *Item* Pſal. 49. v. 13 *Ex Syracide* cap. 17. v. 1. & 2. *Parabola viatoris*, Luc. 10. *Reſpondetur argumentis ex Patribus. Solvuntur argumenta à ratione. Filiorum Dei diſtinctio.*

Nunc ad argumenta quæ Bellarminus ad ſententiam ſuam confirmandam affert, tam ex Scriptura quam ex ratione deſumpta, nobis eſt reſpondendum. Primum deſumitur ex Geneſ. cap. 3. ubi ſententiam fert Deus in Adamum peccatorem, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ex quibus ille colligit primam & naturalem hominis conſtitutionem fuiſſe mortalem, fragilem & multis doloribus obnoxiam, & dono ſuperaddito id fuiſſe impeditum, quo poſtquàm fuit ſpoliatus, in ſuum ſtatum naturalem recidit. Argumentum ſic poteſt formari, qui naturâ ſua pulvis eſt, ei rectitudo originalis non poteſt eſſe naturalis, At homo naturâ pulvis eſt. Propoſitio vera eſſet, ſi homo naturâ ſua, tam anima quam corpore pulvis eſſet, & ſi anima in pulverem eſſet reſolvenda; tum enim nihil poſſet in homine naturâ ineſſe, quo impediretur talis corruptio, quod ei ab extra non accederet. At homo non eſt pulvis ratione animæ, quam ſedem originalis juſtitiæ eſſe diximus, unde patet potuiſſe in anima hominis eſſe naturalem rectitudinem, quæ corpori ſuo ſi in ea permanſiſſet, & immortalitatem (de qua ſuo loco dicendum erit) & omnium membrorum rectitudinem communicaſſet.

Præterea verba illa *pulvis es*, non loquuntur de prima hominis conditi conditione, ſed tantum in memoriam ei revocant primam ejus è terra originem, ut ſenſus potius ſit, tu quidem originis ratione ſecundum corpus terra es, ſed tamen ad immortalitatem fueras conditus: ſed quia libero arbitrio tuo abutens ad terrena te convertiſti, pœna tua erit ut in terram convertaris. Non ergo inde ſequitur hominem ſuâ naturâ fuiſſe mortalem & ærumnoſum, quia corpus etſi ex limo fuerit formatum, tamen animæ rationali ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditæ unitum, formaliter & eſſentialiter, factum fuit actu primo immortale. Quia animæ immortali, juſtæ & rectæ, conveniebat immortale corpus. Alioqui quis neſcit, dolores atque ærumnas vitæ præſentis, atque adeò ipſam mortem, non naturâ aut creatione, ſed peccato fuiſſe inductas? Ergo ut talia eſſent naturalia, oporteret peccatum etiam eſſet naturale, ſine quo miſeriæ non poteſt eſſe obnoxius homo. Itaque mors appellatur ὀψώνιον peccati, quia in ſtatu innocentiæ non erat debita naturæ, ſed propoſita tantum primis parentibus ut peccati pœna. Sed de primi hominis immortalitate alibi erit agendum, tam adverſus Pontificios, quam contra Socinianos.

Pergemus igitur ad aliud teſtimonium quo abuti conatur adverſarius, ex Pſal. 8. in quo vult oſtendi duobus modis primum hominem juſtitia & rectitudine ſupernaturalibus & adventitiis donis fuiſſe ornatum. Primùm quia miratur, hominem, natura ſua corporatum, mortalem, animalium cæterorum affectibus obnoxium, ad eam gloriam evectum, ut parùm omnino ab Angelis abeſſet. Deinde accedit, quod dona illa, primo homini collata, vocat honorem & gloriam. Honor autem & gloria procul dubio aliquid extrinſecum & ſuperadditum deſignant. Hæc ille. Sed ignorare non debuit, Pſalmum illum non agere propriè de primo homine, ſed de Chriſto tanquam Eccleſiæ capite; & de membris Chriſti, ſuo modo capitis gloriam participantibus, quam interpretationem ſuggerit Apoſtolus ad Ebr. cap. 2. v. 9. Imò idem Apoſt. 1. ad Corinth. 15. v. 27. Epheſ. 1. v. 22. verba illa *gloria & honore coronaſti eum, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ita ex profeſſo de Chriſto explicat, ut eorundem ſententia, neque Adamo ante lapſum, neque cuiquam mortalium, imò ne toti quidem humano generi aptari poſſit. Neminem enim ab hoc imperio ait exceptum præter ſolum Deum, qui ei ſubjecit omnia. Ex quibus liquet Pſalmum intelligi quidem de dignitate ad quam exaltatum eſt humanum genus, ſed in Chriſto. Quod ipſe Bellarminus imprudens alibi firmat, dum ex profeſſo Pſalmum illum exponit. Notat

enim Adamum non fuiſſe *filium hominis*; At de hominis filio Pſalmus agit. Præterea *viſitationem* intelligit præcipuè, ſpecialem illam providentiam quam Deus oſtendit, cum filius venit in hunc mundum, aſſumpſit naturam humanam, & cum hominibus converſatus eſt. Quod ſi immediatè ad humanum genus eſſet Pſalmus referendus, ex circumſtantiis potius intelligendus eſſet de ſtatu miſeriæ poſt lapſum, quam de ſtatu integritatis, ut miraretur propheta, quod hominem ſua culpa miſerum, humi repentem & mortalem, ſua bonitate & paterno amore dignum putat.

Denique, ſi etiam Bellarmino concederemus agi de primo hominis ſtatu, nihil planè promoveret: utraque enim ejus conſequentia falſa eſt. 1. quia non verum eſt, ea omnia quibus homo ſupra alia animalia evectus eſt ita ut Angelis accedat, eſſe ſupernaturalia. Proinde neganda erit propoſitio, quæ majorem faceret Syllogiſmi; Quicquid hominem evehit ſupra reliqua animalia &c. ſupernaturale donum eſſe neceſſe eſt. Ipſe enim Bellarm. in Pſalmi expoſitione, dicit, *hominem quia factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ratione & libero arbitrio præditus, ornatum fuiſſe gloria & honore, præ omnibus aliis inferioribus creaturis*, ſi hoc verum ſit, ut certè eſt, vel conſequentia Bellarmini inepta eſt; vel imago Dei non fuit homini naturalis, nec liberum arbitrium fuit naturale ſed ſupernaturale, contra quam ipſi Pontificii contendunt, etiam in natura corrupta.

Ejus etiam interpretatio infringit aliam ejus conſequentiam, ductam ex nominibus gloriæ & honoris. *Honor*, inquit, & *gloria*, ſine dubio aliquid extrinſecum & ſuperadditum deſignant. Aſſume; at homo fuit ornatus honore & gloriâ præ cæteris creaturis, quia factus eſt ad imaginem Dei & libero arbitrio præditus, ſunt verba Bellarm. ex quibus ſequeretur imaginem Dei (quam tamen Pontificii naturalem ita eſſe cenſent, ut eam in eſſentiâ & facultatibus animæ conſtituant) eſſe extrinſecum quid & ſuperadditum. Idem de libero arbitrio dicendum. Id ſi abſurdum cenſeant Pontificii, idem judicabunt de conſequentia Bellarmini. Cui notum eſſe debuit, *honorem & gloriam*, pro *fundamento* honoris & gloriæ ſæpè accipi, quod plerumque, ſi præſertim ſolida ſit gloria, non eſt aliquid extrinſecum & ſuperadditum, ſed inhærens & innatum; etſi non negemus honorem etiam & gloriam hominibus deferri ob dotes externas & acceptas. Sed cum ad utraſque & naturales & ſuperadditas referri poſſit, ineptè argumentatur Bellarminus, ex puris particularibus. Honor & gloria ſunt aliquando aliquid extrinſecum, ergo honor & gloria quibus donatus fuit homo in creatione, fuit aliquid ſuperadditum. Quæ reſponſio ſatisfacit etiam rationi quam deducit ex Pſal. 49. Ebr. 49. v. 13. *Homo, cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus*. Nam, 1. non agit Pſaltes illo loco de ſtatu hominis primo ante lapſum, ſed de ſtatu & conditione hominis in hac mortali & ærumnoſa vita, in qua opibus per fas & nefas colligendis, plerique dant operam, atque interim, animæ ſuæ ſalutem negligunt: de talibus hominibus, qui ſunt in pretio apud homines, nec tamen ſunt intelligentes, id eſt, non ſapiunt ea quæ ſunt Dei, ait, ſimiles eos fieri beſtiis. Sic enim habet textus ad verbum, *Homo in honore, & non intelliget, ſimilis factus eſt ſicut jumenta &c.* Sunt qui Ebraicè legunt לא ילין *ló jalin, non pernoctabit, vel non permanebit*. Alii לא יבין *lo jabin*, non intelliget, aut non intellexit, quomodo interpretati ſunt LXX. Vulgata, Tremel. & Junius & alii. Etiam *jabin* legunt correctiſſima exemplaria, Rob. Steph. Plantini, Buxtorfii; ut non ſit propterea lis intentanda vulgatæ verſioni. Miror ergo unde Bellarm. in hunc Pſalmum ſcribens acceperit, in Ebræo codice legi ילים *jalim*, commorabitur. Nullum enim codicem Ebræum vidi in quo ſic legeretur. In Veneto enim Bombergi, legitur ut in aliis. Sed, ſi, quod veteribus nonnullis viſum fuit, qui fontes non inſpexerunt, verba Pſalmi eſſent referenda ad ſtatum primi hominis, en iterum Bellarminum ſeipſum refellentem. *Homo*, inquit, *præter cætera animalia honoratus à Deo, intelligentia, ratione, & libero arbitrio, imagine divinitatis, immortalitate animæ, imperio ſuper omnia quæ in terris ſunt, non intellexit hunc honorem ſuum*. An igitur Bellarmino fuerunt ſupernaturalia hæc omnia? Hoc ſi abſurdum ſit, inſipientibus beſtiis erunt comparandi, qui talibus argumentis adducti, juſtitiam originalem extrinſecam, ſuperadditam, & non primo homini naturalem eſſe contendent.

Citat tertio ex Syracide, cap. 17. v. 1. & 2. *Deus creavit hominem de terra, & veſtivit eum virtute. Quo loco*, inquit, *creatio refertur ad naturam, indumentum virtutis ad ſuperaddita dona. Nam etiam indumentum eſt quiddam extrinſecum*. Non excipiam librum Eccleſiaſtici Canonicum non eſſe, quod tamen ſufficeret, ubi agitur de aliquo dogmate conſtituendo. Hoc tantum dico, diſtinctionem Bellarmini mentem autoris non referre, qui nunquam cogitavit de indumento illo extrinſeco, & merum cavillum eſſe ex voce *indumenti*, quæ figuratè intelligitur in Scriptura, etiam de rebus quæ naturâ hærent, imo quæ intus inhærent. Deinde, non quicquid advenit extrinſecus, eſt ſupranaturale: ut nihil de eo dicam, quod per virtutem, quam Deus dicitur homini induiſſe, probandum eſſet intelligi debere juſtitiam originalem, quod ex textu autoris fieri non poteſt. Quod primo loco dixi de figurata acceptione vocis indumenti, probatur ex Job. cap. 10. v. 11. *Pelle & carnibus veſtiviſti me*; ex quibus non negaturi ſunt adverſarii, pellem eſſe homini naturalem. Sed ſi extrinſecam eſſe dicant, quando ex Eſaia citant noſtri hæc verba cap. 61. v. 10. juſtitia eſt veſtimentum ſalutis, Bellarm. lib. 2. de juſtif. cap. 11. ait ſimilitudinem indumenti non requirere imputationem juſtitiæ Chriſti,

ſti, cum ſatis aptè conveniat in ipſam juſtitiam inhærentem; At certè non in eo quod indumentum ſit aliquid extrinſecum. Sed ut de loco Syracidæ dicamus, Eccleſiaſtici 17. v. 3. explicat ſe ipſum autor, cum poſtquàm dixit, *induit eos robore, addit, & ad imaginem ſuam fecit eos.* Quæ verba ſignificant, Deum hominem ſecundum corpus è terra ſumptum, in quam ipſum poſteà convertit, induiſſe robore aut fortitudine, quando nempe animam indidit formato corpori, & imaginem ſuam homini impreſſit. Rectè enim obſervat in eundem locum Janſenius, Nomen *virtutis*, non poſſe accipi ut vitiis opponitur, ſed pro fortitudine aut viribus, cum ſit Græcis ἰσχύς· ubi addit, *Sunt qui intelligunt hic ſignificari Adamum fuiſſe conditum in perfecto robore corporali, item in perfecta ſcientia & virtute ſecundum animam: ſed magis eſt veriſimile loqui ſapientem de his quæ in Adam toti humanæ naturæ collata ſunt.* Quod idem paulo antè expreſſerat his verbis, ſicut dicitur, *Dominus regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, quia ſcilicet fortitudine & decore ornatus eſt, & veluti undiquaque circumamictus, ita & homo ad ſimilitudinem Dei, ſuo modo fortitudine indutus eſt & ornatus; quia præditus acumine intellectus, quo & omnia penetrare poteſt, & multa potenter præſtare.* An igitur hæc ſunt ſupra naturam vel Dei, vel hominis? An externum eſt id Deo & adventitium quod fortitudine ſit indutus? Pſal. 93. v. 1. Annon igitur decor & fortitudo, erunt Deo eſſentialia? Ex his colligi poteſt quam futile ſit argumentum ab indumento ductum. Et tamen, ſi neceſſariò ubicumque de indumento figuratè agitur, intelligendum eſſet aliquid extrinſecum, non propterà concederemus Bellarmino, uirtutem etiam, ſumptam pro juſtitia originali, in ſe fuiſſe extrinſecam, nam id poſſet intelligi de effectis, quibus illa manifeſtanda erat, quomodo dici poteſt Deus veſtitus fortitudine, cum vim & potentiam ſuam per opera patefacit.

4. Affert Bellarmin. ad confirmationem ſententiæ ſuæ parabolam viatoris Luc. 10. v. 30. qui à latronibus fuit ſpoliatus & ſauciatus. Ex qua, 1. ex veſtium mentione, 2. ex verborum ordine, inſtitutum ſuum conatur probare. Ex 1. colligit, quid extrinſecum ſignificari quo homo fuerit ſpoliatus; ex 2. quod homo dicitur ſpoliatus fuiſſe & poſteà vulneratus, cum contrarium accidere ſoleat in veris latrociniis, indicare voluiſſe Chriſtum, in hoc ſpirituali latrocinio, ex ipſa amiſſione juſtitiæ originalis, nata eſſe vulnera naturæ noſtræ; ſiquidem donum illud juſtitiæ non ſolùm tegebat & ornabat, ſed etiam curabat & ſanabat languorem illum, qui ex conditione materiæ alioqui pullulaſſet. Proinde ex natura Adami, dono illo juſtitiæ ſpoliata, ſibique relicta, continuò plagæ illæ & vulnera, erumpunt, quæ omnes ex Adamo nati experimur. Hæc ille, quæ ideò ejus verbis explicanda judicavimus, ut quiſque percipere poſſit homines iſtos ſentire & docere vulnera, quæ vocant, naturæ; id eſt, pravas cupiditates, & illicitos ardores odio Dei dignos, non propriè ex peccato originali & corruptione hominis, ſed ex ipſa naturæ initio in Adamo creatæ, conditione pullulaſſe: hoc ipſo, deteriorem naturam Adamo tribuentes brutis ipſis animantibus, quorum pleraque in cibo, potu, & aliis naturalem inſtinctum ordinatum ſequuntur, etſi rationis expertia. Atque ita ut naturæ corruptæ liberum arbitrium in ſpiritualibus poſſint tribuere, non verentur integræ, qualis à Deo primùm condita fuit, impuritatis maculam aſpergere.

Ad argumentum quod attinet, multa ſunt quæ ejus futilitatem evincunt. 1. enim ducitur ab allegoria, quam ipſe Bellarminus alibi fatetur, ad demonſtranda dogmata controverſa aptam non eſſe, cum ex ſolo ſenſu literali firmum deduci poſſit argumentum. Senſum autem loci literalem, non patitur nos ignorare ſcopus Chriſti, & ratio quæ eum movit ut parabolam illam proponeret de Judæo & Samaritano, ut auditores ſuos ad officia charitatis erga quemvis proximum inflammaret. Qui ſcopus indicat narrationem Chriſti parabolicam, intelligi debere, de officiis externis, quibus homines miſeris tenentur ſuccurrere, & ſe mutuo juvare & ſublevare. Et tamen ſi admitteretur allegorica interpretatio, vel potius ſi non detorſio, accommodatio ad ſpiritualem hominis miſeriam, nihil illa juvaret cauſam adverſarii, quam potius læderet. Ad primum ejus conſequens jam reſpondimus, & oſtendimus veſtis & indumenti nomine, in ſpiritualibus non indicari aliquid vel extrinſecum ſemper, vel ſupernaturale, aut contra naturam vel extra. nec ſpoliari tantùm aliquem poſſe externis & ſupernaturalibus, ſed naturalibus etiam & internis. Ad ſecundum, addimus, nullam eſſe conſequentiam, homo fuit priùs ſpoliatus, deinde vulneratus; ergo rectitudo illius & conformitas cum Deo non fuit naturalis. An ergo ſi dicamus aliquem ſpoliatum & denudatum ſenſu & ratione (quod certè dici poteſt de iis qui in phreneſim aut maniam inciderunt) ſequetur eos ſenſum & rationem habuiſſe ſupernaturaliter? Quid quod, cum parabola diſtinguat manifeſtè inter ſpoliationem & vulnerationem, ea tamen confundit adverſarius, ac ſi eo ipſo quod homo fuit ſpoliatus, vulneratus etiam fuerit? Ille autem ſibi ipſi contradicit, cum agnoſcit primùm dici quod fuerit ſpoliatus homo, & poſteà vulneratus, qui certè ſunt duo actus diſtincti & differentes, quos etiam parabola expreſsè diſtinguit his verbis ἐκδύσαντες αὐτὸν καὶ πληγὰς ἐπιθέντες ἀπῆλθον. Ergo ſpoliatio non eſt ipſa vulneratio. Denique ſi hoc daremus ſpoliationem eſſe vulnerationem; cum vulneratio lædat naturam, ſequeretur etiam ſpoliationem naturam lædere & vulnerare, & ſi lædatur natura ex ablatione juſtitiæ originalis, ſequitur juſtitiam originalem fuiſſe naturalem, niſi neget ſanitatem eſſe homini naturalem. Ita adverſarius ſe ſuo jugulat gladio; imò & ſibi pro more, contradicit, alibi enim docet

natu-

naturam hominis manſiſſe qualis fuiſſet in puris naturalibus; nunc læſam & ſauciatam fuiſſe fatetur, quæ certè conſtare non poſſunt.

His ex Scriptura detortis, profert nonnulla ex Patribus & Scholaſticis, quæ etſi pro ſententia ejus facerent, non poſſent veritati præjudicare, quæ teſtimonio divino innititur, & humana non admittit, niſi quatenus cum verbo Dei conſentiunt: Sed quæcumque affert ſunt depravata, contorta, malè intellecta, aut dubia. Id paucis indicabimus. Ex Pſeudoareopagita, probare vult in Dæmonibus naturalia manſiſſe integra, ergo multo magis in hominibus. At nuper dicebat ſauciatam fuiſſe hominum naturam, an igitur hominis conditio, deterior eſt conditione Dæmonum? Nec valet κρησφύγετον Bellarmini, naturam Dæmonum & noſtram dici integram, ſi referatur ad eum ſtatum in quo eſſe potuiſſet ſi in puris naturalibus creata fuiſſet; vulneratam autem ſi ſtatum illum reſpiciamus ad quem benignitate conditoris fuit evecta. Nam privatio illius ſtatus cum naturam per eum non mutaverit, non eſt vulnus naturæ, ſed tantùm adventitii doni amiſſio, manente naturâ integra, ex ejus hypotheſi. Verba quæ citat ex Dionyſio leguntur cap. 4. lib. de divinis nominibus. *Nec Angelica,* inquit, *munera his tributa, fuerunt permutata, ſed integra ſunt, penituſque conſpicua.* Ubi etiam addit Ficini commentarium, *animum ac Dæmonem malum dici, non propterea quod naturale quicquam perdat, vel ſuſcipit alienum, ſed quia deficit à benefico Dei munere.* Quibus verbis ſi tam autor ille quam interpres, voluerint nihil naturale etiam quoad qualitates & rectitudinem in Dæmonibus fuiſſe amiſſum, doctrinam illam non Dionyſio Areopagitâ, ſed Dæmone dignam judicamus. Si per naturalia intelligat ea quæ ipſam Angelicam naturam conſtituunt & eſſentialia dicuntur, nos etiam id concedimus, ſed nihil prorſus ad rem faciet. Et certè id autor ille voluit, qui tota illa capitis parte inculcat Dæmones non eſſe malos quatenus ſunt, ſed quatenus non ſunt, id eſt, quicquid eſſentiam habet in Dæmonibus eſſe bonum, malos autem dici ob privationem bonorum. At bona illa Angelis non fuiſſe in primo ſtatu naturalia, nunquam dicit. Imo Thomas Aquinas in eundem locum ſcribit, *per voluntarium deceſſum infirmatos, decidiſſe à bonis quæ eis conveniebant ſecundum ordinem ſuæ naturæ.* Quæ verba ſi Bellarminus ſubſtituiſſet commentario Ficini, commentum ipſe ſuum refutaſſet. Non ergo intellexit Dionyſius ille, naturalia in Dæmone manſiſſe integra, eo ſenſu quaſi nulla naturalia amiſiſſet; ſed id tantùm, quod naturale manſit in Angelis illis, quatenus eſt, eſſe integrum & verum, id eſt, ut ipſe loquitur, quicquid in eis eſt à Deo & creatore, eſſe bonum.

Citat Baſilium de Sp. Sancto cap. 16. ubi dicit virtutes cœlorum naturâ non eſſe ſanctas, ſed ſanctificationis menſuram à Sp. Sancto habere. At Baſilii ſenſum diſſimulat, imo corrumpit; addit enim ibidem rationem, quia ſi naturâ ſancti eſſent, nihil differrent à Sp. Sancto. Ex qua perſpicuum eſt negare Baſilium Angelos ſanctos eſſe naturâ, quemadmodum negavit Chriſtus, ullum eſſe bonum præter ſolum Deum, id eſt bonum per ſe, & ita ut bonitatem precario non habeat; ut Sp. Sanctus naturâ Sanctus eſt, quia Spiritus Sanctus habet eſſentialem ſanctitatem.

Chryſoſtomus Homil. 15. in Geneſ. gloriam juſtitiæ originalis veſti comparat. & Ambroſius de Iſaaco & anima cap. 5. innocentia fuiſſe veſtitum dicit, & alibi, nudum inventum eſſe poſtquàm deſpoliatus fuit. Sed jam in locis Scripturæ in quibus indumentorum & ſpoliationis mentio fit, oſtendimus quam parùm hæ Phraſes juvent adverſarii cauſam. Neque firmius eſt, quod ex Cyrilli lib. 1. in Joan. cap. 9. Deum ſuâ miſericordia creaturam parvam, abjectam ſecundum naturam, facere magnam & admirabilem. Hæc enim referri debent ad naturam hominis parvam & pravam aut depravatam, poſtquam homo naturâ factus eſt filius iræ, quo ſpectat miſericordiæ attributum, cujus objectum eſt homo miſer. Ideò Cyrillus ibidem nominat integritatem naturæ primæ, *priſcam naturæ pulchritudinem, integram naturæ dignitatem.*

Nihil etiam ad rem facit, quod Hieronymus, & Auguſtinus *gratiæ* nomine integritatem illam indigitent, quod etiam Anſelmus ſequitur; non enim inde effici poteſt, non fuiſſe illam naturalem, quia in primo ſtatu, gratiæ, ſi pro inhærente juſtitia accipitur, ut fit, non contra naturam diſtinguebatur. Illam ergo gratiam appellant, ex uſu recepto, nempe ut intelligamus, Adamum per peccatum, amiſiſſe bona illa, quæ jam nobis non reſtituuntur niſi per gratiam ſupernaturalem.

Addit Bernardum in primo ſermone de annunciatione, ubi dicit, Adamum prævaricando amiſiſſe indumenta virtutum, & ſimilitudinem ad Deum, non autem imaginem divinam, *quia illa* (ut ipſe loquitur) *non erat aſſuta ſed inſita, atque ipſi impreſſa naturæ.* Unde infert juſtitiam & cæteras virtutes non fuiſſe impreſſas & inſitas naturæ, ſed extrinſecus aſſutas ac ſuperadditas. At hoc noluit Bernardus, ſed id tantum, non fuiſſe inſitas & impreſſas, eo modo quo facultates animæ, quæ ab ipſius eſſentia fluunt; quod & nos fatemur, quia alioquin ipſis ablatis homo non eſſet homo. Sed id non impedit, quominus agnoverit eas homini fuiſſe naturales, quomodo naturalia ſunt accidentia multa quæ tamen ſine interitu ſubjecti tolli poſſunt.

Nunc ad eam claſſem argumentorum accedimus, quæ ex ratione ducit Bellarminus, quorum agmen ducit hoc. *Naturale eſt corpori animali & appetitu prædito, concupiſcere bonum ſenſibile, Naturale eſt ſpiritui rationali concupiſcere bonum ſpirituale; quare ſi fiat una natura ex ſpiritu rationali, & corpore animali conflata, naturale erit illi habere diverſas, & inter ſe pugnantes propenſiones. Quod igitur primi parentes noſtri ante peccatum, pugna iſta diverſarum appetitionum*

carue-

caruerent, donum erat ſupernaturale, non conditio naturalis. Reſpondemus, Falſum eſſe quod Bellarminus ſupponit, bonum ſenſibile, & bonum ſpirituale, eſſe inter ſe pugnantia bona, & ad illa pugnantes, inter ſe, propenſiones. Nam bona illa per ſe non ſunt contraria, ſed diſparata, & reſpectu hominis, ex ſpiritu rationali & corpore compoſiti, ſunt ſubordinata: Ideò ipſe Thomas, 1. 2. q. 82. art. 3. ad primum, docet, concupiſcere eſſe homini naturale in quantum eſt ſecundum ordinem rationis: Id ipſum autem eſſe homini contra naturam, in quantum tranſcendit limites rationis: & quodlibeticorum quæſt. 85. art. 1. & 2. per peccatum, non ſolùm privari hominem donis ſupernaturalibus, ſed etiam diminui bonum naturæ. Si autem concupiſcentia ſit homini contra naturam, quatenus tranſcendit limites rationis; ſequitur eſſe ſecundum naturam, ut rationis limites non tranſcendat; proinde nec concupiſcentiam rationi contrariam, eſſe homini naturalem, nec cohibitam fuiſſe fræno ſupernaturali.

Quod ergo objicitur de compoſitione hominis ex diverſis naturis, non obſtat ſententiæ noſtræ. Nam compoſitio illa quatenus à Deo facta & inſtituta eſt, ſufficit ad ejuſmodi pugnam & pravam inclinationem qua contra Deum moveretur appetitus, tollendam. Nec eſſet conveniens, in natura humana, ſecundum puritatem ejus & integritatem naturalem quam habet à Deo, ut ſenſus hominem abſtraherent à Deo ſummo bono, rebuſque divinis, inclinarentque ad peccatum, id eſt, moverent contra Deum. In corporibus naturalibus perfectè mixtis, ſunt quatuor qualitates, quarum ſunt nonnullæ inter ſe pugnantes. Quis tamen dicet contra talium corporum naturam eſſe, ſi in iis ſit juſtum temperamentum, ex repugnantibus etiam qualitatibus conflatum? Cur ergo dicemus eſſe contra naturam, ſi diverſæ in homine inclinationes corporis & ſpiritus, ſe mutuò juvent, & ad finem hominis præcipuum tendant? Cum potior hominis pars ſit anima, & bonum ſpirituale potiſſimum hominis bonum, cur homo non habebit naturâ ſua quæ ad illum finem ſunt neceſſaria? In Beſtiis aliiſque creaturis non conſpicitur repugnantia virium contra finem ſuum naturalem, ſed potius ad eum inclinatio. Cur ergo in homine naturaliter eſſet pugna virium inferiorum contra rationem, & conſequenter contra legem Dei, id eſt, contra finem ſuum naturalem? An homo debuit eſſe deterior omnibus aliis animantibus, ſecundum naturalia ſua?

Ergo, cum ita conditus fuerit homo, ut inferior potentia perfectè pareret ſuperiori, & ſuperior ἡγημονικὴ rectè proſpiceret inferiori, nulla fuit in Adamo, etiam in puris naturalibus σύῤῥαξις, ſed perpetua & conſtans harmonia. Id ſi in ſtatu peccati non reperiatur, mirandum non eſt, nec ex conditione præſenti, de prima judicandum. Si jam appetitus ſenſitivus cum recta ratione pugnet, id per ſe non eſt, ſed per accidens, propter corruptionem naturæ, ex vitio originali ortam, ex qua ſequuta eſt ἀταξία illa appetituum, accidentaria. Itaque in propenſionibus animi & corporis, diligenter diſcernendum eſt, naturale & ordinatum, à præternaturali & inordinato. Adamus in ſtatu innocentiæ, naturæ inſtinctu, ſenſiſſet vacuo ſtomacho appetitum naturalem, eumque cibo convenienti & moderato explevîſſet; & ſic de aliis appetitibus ſentiendum, qui non pugnaſſent cum rationali ſpiritu, qui certè neque potuit, neque debuit reluctari ordinationi divinæ. Non ergo ſunt contraria bonum ſenſibile & bonum ſpirituale, ſi modo verè bona ſint, nec boni ſpecie fallant, quod attendenti in ſtatu innocentiæ homini non accidiſſet. Abſurdum eſt ergo ex objectis diſparibus quidem, ſed non contrariis, facultates contrarias in aliquo ſubjecto extrudere. Quod dum Bellarminus facit, ſophiſticatur.

Secunda ratio Bellarmini ſic inſtituitur, *Corruptio naturæ quæ nunc eſt, & rebellio carnis ad ſpiritum, aut eſt à Deo, aut à pomo vetito, aut à flatu ſerpentis, aut à puris naturalibus hominis, remoto dono ſupernaturali: ſed priora tria abſurdè dicuntur. Relinquitur ergo, quod corruptionis cauſa efficiens ſit conditio materiæ in primo homine, meritoria ſit peccatum Adami; cauſa removens impedimentum, divina juſtitia ſpolians hominem dono ſupernaturali; & in his eſt acquieſcendum, neque alia quærenda cauſa.* Reſpondeo, De miſeria quidem in quam homo per peccatum cecidit, & naturæ corruptione ſatis ex Scriptura conſtare; de cauſis autem hujus corruptionis etſi non ita liqueret, cogitandum potius eſſet de remedio, quam de cauſa. Cauſam tamen corruptionis illius, fuiſſe peccatum primi hominis, ne adverſarii quidem negaturi ſunt, ex quo accidit ut amiſſa per peccatum integritate illa in qua creatus fuerat, ſibi & poſteris corruptionem illam attraxerit. Peccati autem illius cauſam efficientem Deum non fuiſſe certum eſt; de pomo vetito etiam non pugnamus, nec illius cauſam in flatum ſerpentis propriè dicti conjicimus. Quid ergo, an conditio materiæ cauſa fuit corruptionis illius? Nihil aliud videt Bellarminus, & ſibi plaudit, velut alter Archimedes, in ſuo εὕρηκα. At negamus eam eſſe veram cauſam, quæ nulla eſt; negamus ſufficientem eſſe enumerationem cauſarum: quia cauſis allegatis in propoſitione ſyllogiſmi disjunctivi annumeranda fuit deſtructio συςήματος & harmoniæ in natura divinitus condita, quia ipſum appetere, quatenus potentiis inferioribus & ſuperioribus naturale eſt, per ſe non eſt vitioſum, ſi regatur norma recti & juſti, quæ menti hominis, velut naturalis proprietas concreata fuit. Hæc autem Symmetria, peccato primi hominis turbata & deſtructa eſt, cujus proinde cauſæ non aliæ quærendæ ſunt quam Diaboli ſuggeſtio; hominis, in ſe mutabilis, conſenſus; & propriæ libertatis abuſus. Hæc enim diſturbarunt harmoniam naturæ, & concreatam imaginem obliterarunt, unde ſequuta eſt inordinatio, & omnium virium corruptio. Ut enim poſita privatione in ſubjecto habili, ſequitur habitus contrarii;

trarii; ſic, amiſſa integritate, ſucceſſit iniquitas, poſita averſione à Deo, converſio ad temporalia inordinata, imo ad ipſum Diabolum. Sicut qui intemperantia ſua, ſanitatem amittit, morbum contrahit, & vitioſum habitum inducit: & ut nunc, per actuum multiplicationem vitioſorum deperditur virtus, vitiique ſequitur habitus; ſic Adamus per primam illam actionem malam, quæ eo deformior & deterior erat, quo major ei dignitas & integritas à Deo fuerat ipſi indita, & multis actibus in natura noſtra corrupta æquivalebat, deſtruxit & expulit juſtitiam concreatam, & injuſtitiæ habitum ſibi induxit, ut non ſit opus aliam cauſam exquirere. Ineptum eſt enim id in conditionem materiæ conjicere, cui per ſe nulla datur actio, ſed tantum paſſio, nec materiæ conditio in homine, magis quam in bruto peccati cauſa eſſe potuit. Quin, cum corruptio illa, non tantum inferiores partes occupaverit, ſed ipſam etiam rationem, adeo ut tenebræ ſucceſſerint in mente, & averſio in voluntate, non in appetitu ſenſitivo quærenda eſt corruptionis cauſa, qui certè corruptus non fuiſſet, niſi mens priùs in peccatum conſenſiſſet. Cur enim corruptione vacavit primus homo, niſi quia corpus ab anima ſancta & integra informabatur & regebatur, ſicut nunc vitioſitas inferioris partis, ex ſuperiore parte in illam defluit, adeo ut homo ne peccaſſe quidem externis membris videatur, ſi quid contra præſcriptum legis abſque mente fecerit.

Addimus in argumento Bellarmini eſſe repugnantiam. Dicit enim, quod verum eſt, corruptionem illam à Deo non eſſe; & tamen aſſerit eſſe à conditione materiæ, quam à Deo eſſe conditam non negat. Inde ſequitur, quicquid materiæ convenit per ſe, à Deo autore profluxiſſe, quomodo ergo non erit corruptionis autor? Quod ſi materiæ conditionem putet neceſſario requiri ad moralem alicujus creaturæ corruptionem; explicet, aut qui ejus ſententiam ſequuntur, quomodo factum ſit, ut talis & tanta corruptio Angelos invaſerit? An ibi etiam materiam quæret, & in puris naturalibus aliquam hujus materiæ conditionem, quæ appetitum inclinaverit ad terrena? Unde tanta nocendi in Diabolis propenſio? Fuerunt enim & ipſi rationales creaturæ, immediatè à Deo conditæ, ac proinde abſque ulla mala ad vitium inclinatione. Nec etiam fuit illis cauſa quædam extrinſecus ad peccandum impellens, ut homini: & tamen fœdiſſimè lapſi ſunt, nec reparari poſſunt. Unde id ergo? Quæcumque hujus lapſus & perverſitatis inde ortæ cauſa propinqua ab adverſariis dabitur; quam extra conditionem materiæ quærere cogentur, illa ipſa etiam corruptioni naturæ humanæ poterit accommodari. Ex Scriptura nullam aliam habemus, niſi ipſius Dæmonis voluntatem, qui liberè ſe à Deo avertit, & in veritate concreata non ſtetit, Ioan. 8. verſ. 44. Qui ſuum οἰκητήριον deſeruit, Judæ v. 6. Hinc igitur tota mali labes.

Tertia ratio adverſarii deducitur ex eo, quod peccata actualia quæ nunc committuntur à regenitis, non tollunt aliquam naturæ proprietatem, ſed tantùm donum ſupernaturale gratiæ; unde infert per Adami peccatum quod fuit actuale, naturalia non fuiſſe deperdita, cum autem amiſſa fuerit originalis juſtitia, ſequi eam fuiſſe ſupernaturalem. Hujus argumenti propoſitio major eſſe debuit, eadem eſt ratio peccatorum quæ nunc committuntur à fidelibus, quæ fuit peccati primi Adami. Quæ certè falſa eſt. Nam diverſitatem eſſe non unam, oſtendi facilè poteſt: neque enim actualia peccata parentum tranſeunt ad filios, quod tamen in Adami peccato factum fuit. Peccatum Adami fuit naturæ totius quam depravavit, & univerſale reſpectu generis humani, quod corrupit: Aliorum vero peccata ſunt perſonalia. Deinde alius eſt ſtatus naturæ integræ, alius eſt corruptæ. Integræ, juſtitiæ donum fuit naturæ conditio; corruptæ, ſupernaturale eſt; ideo diſpar eſt omnino ratio, quæ etiam in eo manifeſta eſt, quod in regenitis in hac vita manet fomes peccati æſtuans cupiditatibus pravis, quem etiam peccatum Paulus appellat, quem certè talem non dicent fuiſſe in Adamo. Denique, falſum eſt etiam naturalia non corrumpi peccatis actualibus cæterorum hominum. Quis enim neſcit per ebrietatem, libidines, & ſimilia vitia, labefactari ingenium, & bona naturalia imminui? Quis non videt per peccata augeri propenſionem ad omnia vitia, etiam in iis qui omnibus ſupernaturalibus donis ſunt privati? unde certè ſequitur, naturam corrumpi peccatorum actualium frequentia, & falſum eſſe quod dicit Bellar. peccato actuali nec corrumpi principium aut donum aliquod naturale, nec acquiri aut augeri propenſionem ad omnia vitia, neq; minui propenſionem ad omnes virtutes, ſed amitti ſolùm donum gratiæ ſupernaturalis. Ipſi Philoſophi agnoverunt, vitia iterata abire in vitioſum habitũ, in naturam ipſam & corrumpere actionũ Ethicarum principia.

Quarta ratio, ſic ab eo proponitur. Si natura humana qualis nunc eſt remota culpa, mala eſt, & neceſſariò labitur in peccata, & ideo non potuit à Deo creari, ut adverſarii volunt, ſine juſtitia originali; certè ſequitur non poſſe hominem mortuum revocari ad vitam, ſine juſtitia originali: Idem etiam ſequitur abſurdum, ſive creetur, ſive reparetur à Deo natura mala, & quæ neceſſariò peccet. Non enim illa reparatio minus eſt opus ſolius Dei, quam creatio. Et ſicut Deus diceretur autor peccati, ſi naturam crearet quę non poſſet peccata vitare; ſic etiam cenſeretur peccati autor, ſi non poſſet naturam reparare, præſertim ſolus, & immediata actione, quæ non poſſet à peccato abſtinere. At multos novimus ex Sacris literis excitatos divina virtute, quos omnes credibile eſt à peccato originis fuiſſe purgatos, &c. Addit rationem à majori; ſi Deus animas juſtas Lazari & infantium, potuit conjungere corpori mortali, animali, concupiſcentiæ & ignorantiæ obnoxio; cur non magis potuit initio animas, neque juſtas neque injuſtas ſimili corpori conjungere? Hæc ille. Reſpondemus, hanc argumen-

gumentationem laborare multis vitiis, ut petitione principii, & cauſarum falſo ſuppoſitarum. Nam ex miraculis, quæ ſunt opera Dei extraordinaria, & quorum ratio in Sacris Scripturis non eſt plenè explicata, articulum fidei extruere, eſt ignotum per ignotius probare. 2. Eſſe aliquem ſtatum intermedium hominum, peccato originali & juſtitia originali carentium, ſumit Bellarminus pro confeſſo, cum id ipſum ſit in controverſia. 3. Illos qui à Chriſto reſuſcitati ſunt ad hanc animalem vitam, omni originali peccato caruiſſe abſque ulla probatione aſſeritur. De potentia Dei abſoluta non diſputamus, quid poſſit aut non poſſit, neque ei terminum ponimus. Id certùm ex Scriptura novimus, Deum, cum hominem integrum conderet, non potuiſſe ſeipſum negare, & integrum hominem, ſine integritate condere. Eandem autem eſſe rationem creationis primi hominis, & reſurrectionis, aut reparationis per reſurrectionem, falſiſſimum eſſe indicat, quod in extremo illo die Cenſorio, impii cum peccatis ſuis ſunt reſurrecturi, ſine ulla Dei culpa; Itaque nihil abſurdum eſt, ſi piorum corpora, ad aliquod tempus revocari potuerunt ad vitam animalem, cum ea radice peccati, quam per mortem, ex diſpoſitione Dei, nondum depoſuerant. Aliud eſt autem hominem de novo creare; aliud mortuum ad vitam revocare. Si Deus creaſſet hominem cum tali languore naturæ, quem Bellarminus ipſe fatetur odio & deteſtatione dignum, utique peccati autor eſſet; ſed in revocatione hominis peccatoris ad vitam, in qua homines originali juſtitia deſtituti, vitæ redduntur, peccato etiam obnoxii, Deus non eſt propterea peccati autor, quia corruptionem naturæ non facit, ſed invenit. Abſurdum eſt inſuper quod Bellarminus tanquam neceſſarium ponit, ab omni peccato originis fuiſſe purgatos actu, qui ad vitam fuerunt reſuſcitati, quos vitæ reliquam partem ab omni peccato vacuam tranſegiſſe non poteſt, niſi temerè, affirmare. Illi enim non ſine interventu mortis ad æternam vitam fuerunt tranſlati; ergo non caruerunt reliquiis peccati. Quod ſi quis dicat, peccaſſe eos ex aliorum imitatione, contra Apoſtolum impinget, docentem Rom. 5. v. 12. peccatum & mortem ex uno in omnes homines pervaſiſſe; & Pelagianum illud ſtatuet, quod imitatione, peccati labes, & eam conſequens mors, contrahatur.

Supereſt ratio quinta, quam ſic proponit. Primi parentes evecti fuere ad eam dignitatem, ut eſſent filii Dei, & Dii quidam, id eſt, divinæ conſortes naturæ, neque id adverſarii, inquit, negant. At profectò abſurdiſſimum eſt, rem creatam, qualis eſt homo, Deum vel Dei filium, naturaliter facere. Reſp. Eſſe æquivocationem in voce *naturaliter*. Et fateri nos abſurdiſſimum eſſe ſi quis dicat hominem eſſe naturaliter filium Dei, eo ſenſu quo Auguſtinus poſtquam (in illo loco quem citat lib. 3. adverſ. Maxim. cap. 15.) dixerat hominem, *fieri gratiâ filium, quia non eſt naturâ*, addit, *Scitote, quod unaquæque res eſſe dicitur per ſubſtantiam, hoc utique eſſe per naturam.* Agnoſcimus enim unicum eſſe filium Dei naturalem hoc modo. Si autem ſumatur vox *naturaliter*, pro eo quod quis habet cum ipſa natura, certè naturaliter Adam fuit filius Dei, à qua tamen loquendi ratione abſtinemus propter ambiguitatem. Quemadmodum poſt lapſum dicimur *naturâ filii iræ*, ſic etiam Adam fuit naturâ filius Dei, idque ex prima creatione. Talis autem filiatio non excludit gratiam, etiam ſupranaturalem; quia ad filiationem illam neceſſaria fuit, 1. conformitas hominis cum Deo, quæ Adamo data eſt in natura, 2. gratia Dei ſeu favor, quo creaturam illam ſuam complexus eſt amore paterno. Titulus ergo *Filii Dei* tribus aſſignatur varia ratione. 1. Filio Dei unico, à patre ab æterno genito, qui filius eſt Dei per naturam tantùm. 2. Adamo, qui Dei filius fuit per naturam & gratiam. 3. Fidelibus regenitis, qui filii Dei ſunt, per gratiam tantùm. Sic reſponſum eſt ad rationes omnes Bellarmini, & earum futilitate detecta vera ſententia confirmata.

EXERCITATIO IX.

Explicatur verſus XXVI. *de hominis dominatione. Cur piſcium primò fiat mentio. In quo conſiſtat illud dominium? pertinere etiam aliquo modo, ad ſtatum hominis poſt lapſum. Diſtinctio poſſeſſionis & uſus. An & quomodo animalia homini integro fuerunt neceſſaria? Quomodo tunc homini paruerint ad nutum? Imaginem Dei in ſola dominatione ſitam, eſt Socini ſententia, quæ pluribus refellitur. Negat Adamum fuiſſe creatum cum juſtitia originali. Examinatur totum caput* III. *Prælectionum ejus. Explicatur locus Eccleſiaſtæ cap.* 7. *verſ. ultimo.*

SEquitur in textu verſ. 26. וירדו בדגת *vajiredu bidgat, &c.* ad verbum, *& dominentur in piſces maris,* &c. In quibus illud primùm occurrit, quod ſingulari nomini Adam, reſpondet plurale *dominentur*, cujus rei ratio nulla commodior dari poteſt, niſi quod nomen Adam ſumitur collectivè, pro maſculo & fœmina, ut poſteà explicatur v. 27. *in imagine ſua creavit eum, maſculum & fœminam creavit eos.* Quod autem inter animalia, quibus hominem à Deo præfectum narrat, piſces primo loco memorat, id ideò factum eſſe videtur, quia piſces omnium animantium ſunt minimè dociles, utpote qui in alio elemento vivunt, miniméque imperii humani capaces, & diſciplinæ participes eſſe videntur, ex eo quod ipſis

etiam præſit homo, nullum dubium ſit quin conceſſa ſit ei dominatio in animantia omnia reliqua. Nec debuit, ubi nulla adhibetur à Sp. Sancto exceptio, Theodoretus in Geneſ. quæſt. 20. ingentes illos piſces quos vocamus *cetos & Balænas* eximere hominis imperio; vel negare propter hominem *cete illa grandia, & feras terreſtres factas eſſe*. Nam expreſſè repugnat ſcriptura, quæ *univerſa* animantia dominationi hominis ſubjicit, non ſolum hoc loco, ſed etiam Geneſ. 9. verſ. 2. *Omnes piſces maris, manui veſtræ traditi ſunt*.

Eſt autem dominium illud, jus quoddam poteſtatis quod in reliquas creaturas inferiores habet homo. Diſtinguunt autem inter jus ſeu poteſtatem dominii, atque ejus uſum, ſeu executionem, quæ diſtinctio uſum ſuum habebit, ubi agetur de dominio hominis in ſtatu lapſus; pro ratione enim varii ſtatus, variant dominationis gradus. De homine ante lapſum, habuiſſe illum jus & uſum dominii in cæteras animantes, res eſt perſpicua. Id enim expreſſum eſt hoc loco, ubi dicitur Deus creaviſſe hominem ad imaginem ſuam, qui dominaretur piſcibus maris: in cujus poſtea dominii poſſeſſionem immiſit Deus Protoplaſtos verſ. 28. his verbis, *ſubjicite terram, & dominamini, in piſces maris, & in volatilia cœli, & in omnes beſtias, &c.*

Ad ſtatum autem non ſolùm innocentiæ, ſed etiam lapſus & reparationis poſt lapſum pertinere, & referri debere talem poteſtatem, argumento id eſt, quod in omni ſtatu manſerunt in homine reliquiæ imaginis Dei, quomodo id à nobis anteà declaratum eſt. 2. Etiam ex eo colligitur, quod poſt lapſum manet adhuc benedictionis illius effectus, *Creſcite, multiplicamini, & replete terram, cui annectitur, & eam ſubjicite & dominamini, &c.* Ex quo rectè colligi videtur manere homini dominium iſtud, ſicut ei competit ſpeciei multiplicatio. Ideo Geneſ. 9. poſt lapſum, eadem repetuntur Noë & filiis ejus, *Terror veſter ac timor, ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cum univerſis quæ moventur ſuper terram: omnes piſces maris, manui veſtræ traditi ſunt*.

Id etiam ex eo à veteribus Eccleſiaſticis ſcriptoribus probatum eſt, quod omnes beſtiæ ab homine capi & domari poſſunt, quod etiam notat Iacobus Epiſt. cap. 3. verſ. 7. *Omnis enim* (inquit) *natura ferarum & volucrum ſerpentiumq; & marinorum, domatur & domita eſt à natura humana.* Quo ſpectat illud Auguſt. lib. 9. ſuper Geneſ. ad lit. cap. 14. *Homini donavit Deus, ut etiam carnem peccati portans, poſſit non ſolùm pecora & jumenta ſuis uſibus ſubdita, nec tantum domeſticas aves, ſed quaſlibet etiam ſævas feras & capere, & manſuetas facere, & eis mirabiliter imperare potentia rationis & liberæ voluntatis, non corporis: cum earum appetitus & dolores captans, paulatimque illectando, premendo, laxandoque moderans, agreſti eas exuit conſuetudine, & tanquam humanis moribus induit.*

Id etiam rationibus probatur, 1. quia naturale eſt ut imperfectiora cedant in uſum perfectiorum, atque adeò hæc illis dominentur. Hinc Philoſ. Polit. lib. 1. cap. 5. venationem ferarum juſtam eſſe probat & naturalem, quia per eam homo ſibi comparat, quod naturâ ad uſum ipſius inſtitutum eſt. 2. Quia providentia divina gubernat inferiora per ſuperiora, cum ergo bruta ſint inferiora hominibus, conſentaneum eſt ut ea per homines gubernet. 3. Quia quod habet aliquam perfectionem diminutè & per participationem, naturâ ſubjectum eſt ei quod habet eam perfectionem plenè & univerſaliter. Animalia vero bruta, diminutè & per quandam participationem habent aliquid perfectionis de humana prudentia, quatenus per æſtimativam potentiam cognoſcunt quædam particularia agibilia. Homo autem habet univerſaliter prudentiam pertinentem ad omne agibile. Unde videtur ſequi naturaliter homini ſubjecta eſſe animalia.

De gradibus autem ſubjectionis, eſt etiam extra controverſiam poſitum, quod experientia docet, multo excellentius in ſtatu innocentiæ habuiſſe hominem hanc potentiam, quam in ſtatu peccati. Tunc enim ſubjectio animalium erga hominem fuiſſet perfecta, quæ nunc difficilis eſt, & non obtinetur niſi adhibita curâ maxima & aſſiduo labore. Sunt enim quædam animalia fera & indomita, quæ nunquam cicurantur: & ipſa domeſtica, non ſine difficultate ad uſus hominum accommodantur: quæ tamen in ſtatu innocentiæ ad nutum hominibus paruiſſent. *Nullum enim bonum in illo ſtatu deerat, quod bona voluntas non adipiſceretur.* ut rectè Auguſt. de civit. Dei lib. 14. cap. 10.

Hic locum habet diſtinctio juris ſive poſſeſſionis, & uſus. Ante peccatum, in ſtatu innocentiæ, pleniſſimus erat & ampliſſimus, hujus dominationis uſus, miniméque laborioſus aut difficilis; nulla enim erat difficultas quantum ad hominem, & in animalibus nulla erat repugnantia. Cujus rei, ne videretur impoſſibilis, Deus ſpecimina quædam dare voluit ante peccatum. Cum enim cunctas animantes adduxit ad Adamum, quid aliud indicare voluit, quam eum eſſe principem & Dominum animalium, illiuſque eſſe animalibus dominari & imperare? Poſt peccatum verò, ne planè jure illo excidiſſe videretur homo, cujuſque ſpeciei animantia ducta ſunt ad Noë, & in arcam illata, ubi non tantùm hominibus non nocuerunt, ſed etiam eis fuerunt obedientia: Quamvis hujus rei fateamur ſingularem fuiſſe rationem, & id non ſine miraculo factum fuiſſe. Id tamen quod poſteà, dicuntur *omnia in manum*, id eſt, poteſtatem hominum tradita, Geneſ. 9. verſ. 2. Item quod animalium multa ad eſum fuerunt hominum conceſſa; Quod etiam in ſacrificium Deo oblata, teſtimonium eſt firmiſſimum *Dominii*, etiam poſt peccatum reliqui; tametſi non negem conceſſum fuiſſe homini ea lege ut ipſe Dominio Dei ſubjiceretur, atque adeò ſentiam jure illo decidere qui planè à Deo deficiunt, etſi patienter agat cum illis Deus, & ſinat iis ali-

quem creaturarum uſum, ut magis fiant inexcuſabiles.

Sed hic oritur quæſtio; An animalia in ſtatu innocentiæ homini fuerint neceſſaria? Et certè non videntur fuiſſe neceſſaria ad victum, cum homini abundè ſuppeterent arborum fructus, & ex illis eſca ſine labore parata. Ad onera etiam non videntur fuiſſe neceſſaria, cum homo per ſe ſatis robuſtus eſſet, nec impedimentis & oneribus ipſi eſſet opus. Ad veſtitum & indumentum non fuiſſe requiſita, ex eo patet, quod nudi erant, nec erubeſcebant: ad repellendas autem aëris injurias, quæ nullæ tunc erant, veſtibus non fuit opus. Ad quid ergo? Certè ad nihil aliud tum videntur fuiſſe utilia homini, niſi ad experimentalem quandam notitiam de naturis eorum habendam, & in varietate creaturarum, laudandam & celebrandam Dei ſapientiam multiformem.

Alia quæſtio agitatur, quomodo tum fieri potuit ut animalia omnia parerent homini ad nutum? Id commodè potuiſſe fieri, tribus modis oſtenditur. 1. Bruta habent potentiam æſtimativam, ita ut per quandam illius potentiæ apprehenſionem, poſſint parere rationi humanæ, quoad particularia, quæ vocant, agibilia, quorum capax ſit potentia æſtimativa. Id ex eo illuſtrari poteſt, quod, in ea potentia, atque in viribus ſenſitivæ partis, communicant bruta cum parte hominis ſenſitiva, quæ poteſt parere rationi: tum ex eo quod (ut jam diximus) utcumque participat æſtimativa de hominis prudentiâ, ut patet indicio apum, quæ obtemperant uni Regi; & gruum, quæ ſequuntur unum ducem. Tum etiam ex obedientia, quam nunc etiam videmus domeſtica animalia homini exhibere, poſtquàm edocta fuerint. 2. Cum homo in ſtatu innocentiæ perfectè calleret naturas animalium, poterat accommodatiſſimè cum illis agere, ut ab illis facilem obedientiam obtineret. 3. Acceſſiſſet etiam, haud dubio, quædam peculiaris Dei providentia, qua fuiſſent ſenſus brutorum inſtigati, ad facilè obtemperandum nutui & imperio hominis, ut legimus aliquando feras non ſolùm ſanctis viris pepercisse, ſed iis ſe ſubmiſiſſe, quod Danieli accidit in fovea Leonum. Quod enim in hoc ſecundo ſtatu per miraculum factum eſt, in primo illo potuiſſet eſſe ordinarium.

Ex his ſequitur, animalia non fuiſſe quovis modo, in ſtatu innocentiæ, homini paritura, ſed eo tantum quo potuiſſent hominis imperium per ſenſum percipere. Itaque ſi nullum externum ſignum ſuæ voluntatis dediſſet, aut ſi animalia longè diſſita eam percipere non potuiſſent, nequaquam paruiſſent. Proptereà, non abſque ratione, cenſuit Auguſtinus, lib. 9. de Geneſ. ad lit. cap. 14. Congregationem illam animalium quæ adducta dicuntur ad Adam ut eis imponeret nomina, extraordinario modo fuiſſe factam, ſive Angelorum miniſterio; ſive immediato quodam Dei motu.

Eſt etiam conſiderandum, aliter tum homini competiviſſe dominium in animalia, aliter in plantas & foſſilia, aut alias res inanimatas. Nam in animalia competebat, tanquam per imperium quoddam rationis exequendum, cui animalia obediiſſent. In plantas autem & res inanimatas, competebat dominium homini, tanquam exequendum per ſolum earum uſum, quia non ſunt capaces imperii rationis. Quod etiam analogicè locum habet, in imperfecto dominio per peccatum reliquo.

Tale autem dominium non negamus partem aliquam feciſſe imaginis divinæ ratione ſtatus & conditionis. Sed quod totam imaginis divinæ rationem in eo conſtituant Socinus & ejus aſſeclæ, ferendum non eſt. Socinus prælect. ſuarum cap. 3. pag. 9. *Dei imago* (inquit) *& ſimilitudo, ad quam conditus eſt homo, ne in ipſa quidem mente ac ratione præcipuè conſiſtit, ſed in dominatu rerum omnium, præſertim inferiorum, ſex illis diebus à Deo creatarum.* Et Catechiſmus Racovienſis, pag. 19. *Sciendum eſt*, inquit, *imaginem Dei ſignificare poteſtatem hominis, & dominium in omnes res à Deo conditas, ſupra terram deſignare.*

Unum argumentum affert ad probandam illam ſuam hypotheſim deſumptum ex hoc ipſo loco, ubi poſtquàm Deus dixiſſet, *Faciamus hominem, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, addidit immediatè, *& præſit piſcibus maris*, &c. *Cum igitur*, inquit, *poſteriora ſint priorum* ἐξηγητικά, *ſequitur imaginem Dei dici, hoc dominium in bruta.* Sed cuivis rem perpendenti patebit, conſequentiam eſſe nullam, etiamſi concederemus, poſteriora eſſe priorum ἐξηγητικά, quod tamen neceſſarium non eſt: poſſunt enim eſſe priorum conſequentia, non ut imaginis ratio deſcribatur, ſed ut intelligatur quid ex imagine Dei in homine conſequatur. Demus tamen eſſe aliquam ἐξήγησιν, & dominium illud eſſe expoſitionem imaginis divinæ, ſufficiet ſi ejus ſit pars quædam, etſi totam imaginem non conſtituat. Accidit enim ſæpè in Scriptura, ut quod uno in loco tantùm ex parte explicatur, alibi poſteà, ſecundum omnes ſuas partes deſcribatur, quarum una poſita, quæ in uno loco habetur, reliquæ negandæ non ſunt, quæ alibi deſcribuntur. Non eſt ergo perfecta imaginis Dei definitio, quæ dominium tantum comprehendit. Nam etſi fateamur tale dominium in creaturas ad imaginem Dei pertinere; exiguam tamen dicimus ejus eſſe particulam, quæ poſt lapſum in homine quodammodo eſt reſidua. Ergo ab incluſiva ad excluſivam non valet conſequentia.

Ideò autem reſtringere voluit Socinus imaginem Dei ad dominium in creaturas inferiores, ut tria excluderet, quæ homini in primo ſtatu ſacrilegè denegat, quorum primum eſt ſapientia in intellectu. 2. Juſtitia & ſanctitas in voluntate; 3. autem immortalitas corporis. De primo & ſecundo alibi erit dicendi locus, ubi in textu Moſis de ſapientia hominis, & de mortis comminatione agetur. De intermedio jam videndum erit, ſed priuſquam id aggrediamur, oſtendemus ex ipſis adverſario-

ſariorum hypotheſibus, dominium non poſſe id eſſe in quo conſiſtit tota imago Dei.

1. Dicunt illi, *Hominem non amiſiſſe imaginem Dei per peccatum*, quæ eſt hypotheſis Socini, de ſtat. primi hominis, pag. 7. & Smalcii contra Frantzium diſp. 2. pag. 52. & 54. *Hominem autem per peccatum amiſiſſe dominium in creaturas*, quod ex eorum dictis neceſſariò conſequitur, dicunt enim, dominium homini conceſſum, *etiam extendi ad res cœleſtes*. Socin. de ſtat. 1. hom. cap. 2. pag. 80. & 87. Id an verum ſit necne non diſputamus; ſed cum id pro certo habeant, debent neceſſario agnoſcere, amiſſum eſſe illud dominium, quod hodiè nemo ſanæ mentis ſibi poteſt arrogare. Quod enim Joſuæ imperanti ſoli & lunæ, voci hominis aſtra obedierunt, id factum fuit, non ſubjectione ordinaria, ſed miraculoſa diſpenſatione divina. Præterea ipſe Socinus, de ſtat. 1. hom. cap. 2. p. 86. definit dominium, per plenum rerum uſum. *Quid eſt aliud* (inquit) *alicui rei dominari, quam ejus rei plenum uſum habere?* Quis autem neſcit hoc tempore, uſum creaturarum, in primis beſtiarum, non eſſe plenum, cum in pleriſque ſit cum reluctantia, & in aliis planè inveniatur nullus, in quibuſdam etiam noxius? Ex quibus contra adverſarium ſic argumentamur ad hominem. Imago Dei non eſt amiſſa. Dominium quale definit Socinus eſt amiſſum; ergo tale dominium imaginem Dei non conſtituit.

Etſi ergo Dominium in creaturas, etiam quale nunc eſt ratione juris & alicujus uſus, nonnulla ſit imaginis Dei particula, cujus etiamnum ſub peccato quædam in univerſo genere humano veſtigia apparent, tum in primis qua nunc ſunt conditione res humanæ, in principibus viris ac magiſtratibus, quos Deus gubernandis ac regendis populis præfecit ejus ἐξοχὴ quædam refulget, qui hoc nomine Deorum titulo inſigniri ſolent à Sp. Sancto in divinis literis: Tamen præter illam imaginis divinæ appendicem, dantur in homine primitus creato, longè perfectiora dona quibus ille Deum ſuum multò excellentiùs refert, qualia ſunt juſtitia & ſanctitas, quas imaginis divinæ præcipuas partes, & primævi ſtatus maxima privilegia eſſe, ſupra docuimus. Et ratio evidens eſt talia præferri debere dominio in creaturas, 1. Quia *juſtitia & ſanctitas hominem commendant Deo, dominium non item*. Non enim multi potentes ſunt electi. 1. Cor. 1. verſ. 26. Et Deo diſplicet vehementer dominium Diaboli, & omnium impiorum, qui ſine juſtitia & ſanctitate uſurpant dominatum. 2. Regnum cœlorum omnium bonorum ſummum, definitur, *juſtitia*, & hanc conſequentibus, *pace & gaudio in ſpiritu*, Roman. 14. v. 17. Sumimus autem ut certum, imaginem Dei, maximum eſſe donum homini collatum: quia cum Deus vellet condere hominem brutis multo excellentiorem, creavit illum Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Si imago Dei ſit ſummum & excellentiſſimum bonum homini in creatione à Deo collatum; & Dominium in creaturas non ſit illud præcipuum bonum, ſequitur Dominium illud non exhaurire totam rationem imaginis divinæ.

Sed id præſertim patet ex ratione reparationis divinæ imaginis in homine. Si enim imago Dei conſiſteret vel tantùm, vel præcipuè in Dominio, ejus aliquam mentionem Apoſtolus injicere debuiſſet, ubi adeo expreſsè agit de reparatione & reformatione hominis ad imaginem Dei. At dominii illius non meminit, non quod ad imaginem Dei nullo modo pertineat, quod anteà nos etiam conceſſimus, ſed quod alia ſint in imagine Dei, ex quibus vera & perfecta dominatio, & legitimus rerum uſus conſequitur, *juſtitia* nempe & *Sanctitas veritatis*, ut anteà ex Paulo probavimus. Epheſ. 4. v. 24. *Renovamini, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*. 1. vera juſtitia & ſanctitate. Ubi vox *renovationis*, indicat qualis initio fuit creatus homo, nempe verè ſanctus & juſtus, quibus qualitatibus maximè Deo ſimilis erat.

At negat Socinus Adamum in primo ſtatu cum juſtitia originali fuiſſe creatum; & doctrinam illam refellere conatur cap. 3. prælectionum ſuarum, quod nobis examinare & refellere decretum eſt, ut hominis illius temeritas pateſiat, & infœlix acumen, quo apud nonnullos malè feriatos commendatur, nihil aliud eſſe, quam impudentem audaciam, quidvis comminiſcendi, negandi, & affirmandi, oſtendamus.

Quærit ergo, utrum primus homo ante peccatum juſtitiam aliquam originalem habuerit, & poſtquàm reſpondit, pleroſque omnes illam eum habuiſſe affirmare, *Ego* (inquit) *ſcire velim, quid juſtitia originalis nomine intelligant. Nam ſi eam conditionem intelligunt, ut non poſſit peccare, qualem bonos Dei Angelos nunc habere credimus, eam certè non habuit Adamus, cum eum peccaſſe conſtet*. Bonus vir ſibi pingit tragelaphos, cum ſatis noſſet neminem eſſe qui ita ſentiat. Pergit ergo, *Quod ſi ipſum non peccare ante quam peccaſſet intelligunt, ridiculum illud eſt & quæſtio prorſus inepta. Quis enim neſcit, neminem pecccare ante quam peccet?* Scilicet, hoc eſt rem acu tangere! Non dicimus *non peccare* ſimpliciter, eſſe juſtitiam originalem; ſed eam in rectitudine omnium facultatum & potentiarum hominis collocamus, quâ non ſolum homo non peccat, ſed qua poteſt non peccare; imo etiam qua non ſolùm poteſt non peccare, ſed actu præterea Deum ſuum amat ex toto corde ſuo ipſique adhæret. Talis juſtitia erat in Adamo. Nec ridiculum eſt, quod vult argutus ille diſputator, ſi quis dicatur juſtus, qui non peccavit, etſi enim nemo peccet, ut ille loquitur, ante quam peccet; ille certè qui peccare poteſt & non peccare ante quam peccet, juſtus eſt.

Pergit. *At enim* (inquit) *dicent, peccati nomen in propoſita quæſtione non omne peccatum, ſed tantummodo delictum illud, ex vetita arbore comedendi ſignificare, & Adamum idcirco ante illud delictum juſtum fuiſ-*

ſe,

ſe, quia nullum aliud peccatum anteà commiſiſſet. Verum illa juſtitia non originalis ſed actualis fuiſſet. Nos hoc non dicimus quod ille ſibi fingit, nec juſtitiam originalem in eo collocamus, quod Adam à fructu arboris illius abſtinuiſſet tantùm, ſed quod nullum non ſolum peccatum commiſiſſet, verum etiam, quod poſſet tunc non peccare, quia in ſe habebat quæcumque ad peccatum vitandum erant neceſſaria; & præctereà actu Deum ſuum diligebat, ex toto corde & ei adhærebat, ut jam diximus. Et quamvis abſtinere à peccato hoc aut illo, ad actualem juſtitiam pertineat, illa tamen ſupponit juſtitiam habitualem, aut integritatem ratione illius peccati: & ſi quis ab omni peccato abſtineat, ſupponit talis abſtinentia juſtitiam univerſalem habitualem, aut per modum habitus, qualis eſt juſtitia originalis. Nec homo poteſt planè eſſe abſque peccato, ſine univerſali illa rectitudine. In ſubjecto autem capaci juſtitiæ, & peccati, negatio unius alterum ponit. Nam ſtatus talis ſubjecti, in quo neque juſtitia eſſet neque peccatum, eſſet ſtatus chimericus, quæ cauſa eſt ut Scriptura ſæpè hominem juſtum definiat per negationem injuſtitiæ aut iniquitatis. Sic ipſum Chriſtum commendat, *quod in eo iniquitas non fuerit, nec dolus in ore ejus inventus.* 1 Petri 2. v. 22. vel, *qui peccatum non fecit,* id eſt, qui fuit juſtus.

Id cum ſatis videret hæreticus, aliter rem aggreditur dilemmate & cornuto Syllogiſmo. *Aut ideò* (inquit) *ante illud delictum non peccavit Adamus, quia nullum aliud mandatum ſibi traditum tranſgreſſus eſt, aut quia nihil adverſus propriam conſcientiam commiſit. Si priore modo, rurſus diſtinguo. Nam aut nullum habuit aliud mandatum, aut aliquod habuit. Si nullum habuit, neque etiam illud tranſgredi poterat. Quomodo igitur juſtus cenſendus eſt, quia id non fecerit quod etiamſi maximè voluiſſet, vel alioqui facturus fuiſſet, facere non poterat? Si aliquod habuit, dicant quodnam fuerit, idque ab ipſo conſervatum fuiſſe doceant.* Hæc ille, quorum vis hoc Syllogiſmo poteſt comprehendi, quo prima dilemmatis pars explicatur; Qui nullum habet mandatum, juſtus vel injuſtus dici non poteſt per obſervationem aut transgreſſionem illius mandati, quod ipſi non eſt datum. Adam nullum habuit mandatum, ante illud delictum; ergo nec juſtus nec injuſtus eſſe potuit. Reſp. 1. ad majorem, eam eſſe falſam: Nam ſi juſtitia in ſe continet omnes virtutes, quiſquis virtute præditus eſt, juſtus eſt. Et, eſt juſtitia habitualis diſtincta ab actuali; primâ, juſtus eſt actu primo, qui nondum juſtitiam exercuit actu ſecundo, & qui mandatum nondum habet, juſtus eſt tamen, ſi talis ſit qui in ſe habeat unde quodvis mandatum juſtum poſſit exequi. Talis autem erat Adam qui à Deo in creatione acceperat vim & facultatem obediendi quibuſvis Dei mandatis. Quid, quod major illa, ſi vera eſſet, probaret Deum nec juſtum eſſe nec injuſtum, quia nullum ipſi datum eſt nec dari poteſt mandatum? 2. Ad minorem reſp. falſum eſſe, Adamum ante delictum nullum habuiſſe mandatum. At, inquit, dicant quodnam fuerit, idque ab ipſo conſervatum fuiſſe doceant. id eſt, dicant & doceant ſolem meridie lucere. An negabit ille ante delictum habuiſſe Adamum mandatum illud ſpeciale de abſtinendo ab arbore ſcientiæ boni & mali? Quod ſi objiciat Adamum mandatum illud non obſervaſſe, hoc quidem verum eſt cum deliquit. Sed antequam peccaret, ſervabat mandatum illud, quia fructum non attingebat, negativa enim mandata ſervantur abſtinentia à rebus prohibitis; & juſtus eſt ille ratione mandati (ut ita loquar) prohibitivi, qui contra illud nihil commiſit. Talis autem erat Adam ante peccatum, alioqui peccaſſet ante quam peccaſſet. Verum addimus præctereà, Adamum ab initio habuiſſe mandatum cordi inſcriptum, ex cujus obſervatione pendebat obſervatio omnium præceptorum ſingularium, nempe de Deo creatore ſuo ſuper omnia diligendo. Hoc enim mandatum eſt naturale, & quamdiù id fecit Adam juſtus fuit, tunc enim juſtitia eum deſeruit, quando à Deo averſus, ad caduca & terrena ſe proprio arbitrio convertit. Si neget hæreticus eſſe aliquam legem naturalem, & hominem ex quo creatus eſt, teneri ad dilectionem Dei ſui ex toto corde ſuo, ad agnatos & gentiles deducendus eſt.

Addit poſteà, *Si altero modo probent, Adamum ante illud delictum nihil contra propriam conſcientiam feciſſe.* Argumentum eſt, Ille juſtus dici non poteſt hoc nomine quod contra conſcientiæ dictamen nihil fecit, de quo id probari non poteſt. At de Adamo ante eſum fructus vetiti, probari non poteſt illum contra propriam ſuam conſcientiam nihil feciſſe: ergo juſtus dici non poteſt ante illud delictum. Major falſa eſt, quia non neceſſarium eſt ut aliquis juſtus habeatur probare nihil illum contra conſcientiam ſuam feciſſe; ſufficit enim ut contrarium probari non poſſit. Qui nihil contra conſcientiam fecit, etſi id aliis ſit ignotum, is nihilominus in ſe juſtus eſt: ut autem ab aliis dicatur juſtus, ſufficit ut injuſtitiæ argui non poſſit, affirmanti enim incumbit probatio. Socinus igitur probare debuit Adamum ante illud delictum contra conſcientiam ſuam aliquid feciſſe, ut negare poſſet Adamum juſtum fuiſſe. Nos qui juſtum fuiſſe dicimus, non tenemur probare, eum non fuiſſe injuſtum. Sed tamen, ut etiam ad minorem reſpondeamus, nos id ſufficienter probare poſſumus, ex eo quod delictum illud fuit primum Adami peccatum, quod inde manifeſtum eſt, quod Deus, de nullo alio peccato cum ipſo expoſtulat. Quid, quod ipſe Socinus fatetur Adamum ante illud peccatum fuiſſe innocentem? Innocens autem dici non poteſt, quem propria redarguit conſcientia, quæ eſt velut interna & innata lex: unde ſequitur Adamum ante illud peccatum, nihil contra propriam conſcientiam egiſſe. An boni iſti viri nobis hominem innocentem dabunt, propriæ conſcientiæ judicio damnatum? Verendum eſt

certè ne qui talia docent, cauſam ſuam egerint, & eam quam in ſe ſentiunt innocentiam deſcribere voluerint.

Inepta eſt ergo Socini concluſio. *Concludamus igitur, Adamum etiam ante quam mandatum illud transgrederetur Dei, revera juſtum non fuiſſe, cum nec impeccabilis eſſet, nec ullam peccandi occaſionem habuiſſet: vel certè juſtum eum fuiſſe affirmari non poſſe, cum nullo modo conſtet, eum ulla ratione à peccando abſtinuiſſe.* Omnia nos iſtius concluſionis membra diſcidimus, nihil enim horum neceſſarium eſſe oſtendimus, ut quis juſtus ſit. Non enim requiritur ad juſtitiam humanam in via, ut loquuntur, ut quis peccare non poſſit, ſed id tantùm ut peccare nolit aut non peccet. Defectus etiam occaſionis peccandi, juſtitiæ laudem nemini adimit, niſi ei, qui in animo habet crimen aliquod perpetrare, non poteſt autem, quia deeſt ipſi occaſio; ut ſi Socinus in animo habuiſſet furtum committere, nec tamen actu externo furatus fuiſſet ob defectum occaſionis. quem ſtatum, ut juſtitiæ non eſſe fatemur, ſic etiam ad innocentiam non pertinere contendimus; qualis enim eſſet innocentia ejus, qui à malè agendo tantùm abſtineret, donec ſe offerret occaſio? Atque hic eſt ſtatus, ſi Deo placet, innocentiæ, quem Protoplaſtis ante peccatum affingit Socinus.

Videamus jam quomodo Orthodoxam doctrinam enervare conetur. Primum negat aliqua ratione adductos nos aſſerere, in Adamo fuiſſe juſtitiam, quâ ratio, appetitui & ſenſibus dominaretur, eoſque ita regeret, ne ullum inter ipſam & eos diſſidium eſſet: quin potius ex eo quod Adamus deliquit, apparere dicit, appetitum ac ſenſus rationi dominatos fuiſſe, nec benè inter hanc & illos anteà conveniſſe. Quaſi diceret; qui peccavit; non habuit ante quam peccaret appetitum & ſenſus rationi ſubjectos. Adam peccavit, ergo. Reſp. falſam eſſe majorem. Qui peccavit, potuit quidem peccando rationem ſubjicere ſenſibus & appetitui: ſed ante quam ſponte & propria voluntate laberetur, nulla erat in eo ἀταξία, quia ſi fuiſſet, in Deum autorem redundaret. Falluntur enim (ut ſuprà contra Bellarminum oſtendimus) qui exiſtimant ſine naturali quadam inclinatione ad malum in concupiſcentia hærente, id eſt, ut loquuntur, in inferiori parte & ſenſuali, peccatum non potuiſſe in mundum ingredi, aut nullam poſſe eſſe peccati efficientem cauſam, ſublata illâ repugnantia ex materiæ conditione. Quia ſi id verum eſſet, Dæmones in peccatum non incidiſſent. Si id autem ad peccatum neceſſariò prævium exiſtimavit Socinus, nempe ut diſſidium aliquod ſit naturale in eo qui peccat, ſtatuendum etiam erit tale diſſidium in Angelis, in ſtatu integritatis, & cum Socino dicendum, ex eo quod Angeli multi peccarunt, apparet, ante quam peccaſſent, non benè inter appetitum & rationem anteà in ipſis Angelis conveniſſe, quod quam abſurdum ſit & blaſphemum, in Deum redundans, nemo non videt.

Rationum quibus ad contrarium probandum utimur primam ſic proponit. Hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum fuiſſe legimus: igitur cum Deus ipſe bonus & juſtus ſit, neceſſe eſt, ut homo ipſe bonus & juſtus ab initio fuerit. *Reſpondeo* (inquit) *primùm iſtam divinam imaginem & ſimilitudinem in homine, non ad omnia referri, quæ in Deo ſunt; alioquin (ut cætera omittam, quæ quilibet per ſe animadvertere poteſt) immortalis homo ab initio fuiſſet, quod contra ſe habere jam oſtenſum eſt. Deinde ſi homo Deo ſimilis in juſtitia & bonitate conditus fuiſſet, impeccabilis creatus fuiſſet. Eatenus enim bonus & juſtus eſt, quatenus malus & injuſtus eſſe non poteſt.* Hæc ille, totidem verbis, in quibus penè ſunt totidem errores. 1. Enim, Argumentum noſtrum non fideliter proponitur. Supponit enim hoc fundamentum nomine noſtro, ſimilitudinem cum Deo ex creatione ad imaginem Dei reſultantem, requirere omnimodam & univerſalem cum Deo conformitatem: quaſi hæc eſſet propoſitio noſtra, qui ad imaginem Dei creatus eſt, ea omnia habere debet quæ in Deo conſiderantur. Quam propoſitionem fatemur abſurdis multis patere; ſic enim homo deberet eſſe infinitus, omnipotens &c. De immortalitate alia ratio eſt; illam enim homo participare poteſt, & tum certè participavit, quod ſuo loco contra eundem Socinum oſtendemus. Non ergo ſimpliciter ex creatione ad imaginem Dei, inferimus eum in juſtitia & ſanctitate fuiſſe conditum, ſed ex determinatione imaginis illius & ſimilitudinis quæ in Scriptura habetur. Major igitur noſtra ſumitur ex Apoſt. locis ſupra allatis Eph. 4. v. 24. & Coloſſ. 3. v. 10. In quibus congruentia, imagini ejus qui hominem condidit, in cognitione, juſtitiâ, & ſanctitate, conſtituitur. Aſſumptio ex Moſe habetur, Homo creatus eſt ad imaginem Dei; ergo creatus eſt in cognitione, juſtitia, & ſanctitate. Huic argumento non ſatisfaciunt exceptiones adverſarii, quia vim non accipit ab univerſali congruentiâ; ſed ab eâ quam ipſa Scriptura aſſignat. 2. Error Socini, in eo eſt, quod ut jam diximus, exceptio de immortalitate quam opponit propoſitioni quam affinxerat talis eſt, quæ ſupponat, quod in quæſtione adhuc poſitum eſt, hominem creatum fuiſſe morti obnoxium, aut non futurum fuiſſe immortalem, ſi in ſtatu illo manſiſſet. 3. Error in eo eſt, quod ſimilitudinem & imaginem eſſe negat, ubi non eſt eadem perfectio imaginis & prototypi. Inſtat enim adverſus nos, hominem non repræſentaſſe Deum in juſtitia & ſanctitate, quia à ſanctitate & juſtitia potuit excidere; quaſi quis diceret eam imaginem Regem non repræſentaſſe, quæ deleri potuit aut aboleri. Sic enim ille, ſi homo fuiſſet in juſtitia & ſanctitate ſimilis Deo, fuiſſet impeccabilis. At non fuit impeccabilis; ergo. Negamus connexum majoris, quia non neceſſarium eſt ad ſimilitudinem in juſtitia, ut aliquis peccare non poſſit; ſufficit enim ſi poſſit non peccare, & non peccet: quod

quod certè in Adamo fuit ante peccatum. Simile enim non eſt idem, nec neceſſarium eſt ut eadem planè ſit perfectio & duratio in imagine, quæ eſt in prototypo. id ſi requiratur, nulla planè erit in homine Dei imago, nec potuit ad imaginem Dei creari, ne quidem in dominio, quod Socinus voluit. Nam dominium Dei in omnia, longè alterius eſt generis à dominio hominum. Sed in eo ipſo quod Socinus objicit, ſi verum id eſſet, cauſa excideret. Dominium enim Dei nunquam poteſt amitti, nec Deus unquam poteſt in ſervitutem redigi. At id homini accidere poteſt; qui etiam planè excidere poteſt ab omni dominio; niſi etiam tale dominium aſſignet Socinus damnatis hominibus. Quamvis ut id faciat prohibet alia ejus hypotheſis, qua negat poſt mortem hanc, animas hominum vivere. Sed quicquid ille dicat aut ſentiat, ſive vivant, ſed miſerè, animæ damnatorum, quod nos credimus; ſive, quod eſt dogma Socini, planè pereant impii; ſanè cum illis perit dominium illud. Dominium autem Dei nunquam perit: ergo ex illius hypotheſi, Homo non eſt creatus ad imaginem Dei ratione dominii. *Vt enim Deus bonus & juſtus eſt, quatenus malus & injuſtus eſſe non poteſt*; Sic certè Dominus omnium eſt, quatenus nihil eſt quod unquam dominio Dei ſe ſubtrahere poſſit. Quid, quod dominium Dei eſt ſupra Angelos? At homines non acceperunt à Deo dominium in Angelos, quorum miniſterium non eſt ſervile & imperio hominis ſubjacens; ſed honorarium, quomodo etiam ſerviunt qui imperant, & ipſe Chriſtus inter diſcipulos ſuos fuit tanquam miniſter.

Non magis premit quod addit, *Præterea, ſi in eo divina imago & ſimilitudo in homine fuiſſet, quod juſtus creatus eſſet, certè poſt peccatum imago illa & ſimilitudo deleta fuiſſet (iſta enim originali juſtitia volunt humanum genus poſt peccatum caruiſſe) & tamen etiam poſt peccatum homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſſe dicitur* Geneſ. 9. v. 6. Iacob 3. v. 9. Non enim dicimus totam divinæ imaginis rationem in eo poſitam fuiſſe, ut ſupra pluribus à nobis fuit explicatum, ubi egimus de variis illis opinionibus ſuper amiſſione imaginis Dei, ex varia imaginis Dei determinatione ortis. Fatemur ergo aliquid imaginis Dei in homine, poſt peccatum, reliquum eſſe. Dici tamen amiſſam fuiſſe imaginem Dei, non ex toto ſed ex parte, nempe ratione juſtitiæ & ſanctitatis; non ratione omnium partium quibus imago illa conſtat.

Ipſe adverſarius argumenta nobis in ſequentibus ſubminiſtrat, & ſe ſuo jugulat gladio. Ejus verba ſunt, *Dei imago & ſimilitudo ad quam conditus eſt homo, ne in ipſa quidem mente ac ratione, unde omnis juſtitia in illum derivari poterat, præcipuè conſiſtit, ſed in dominatu rerum omnium, præſertim inferiorum, &c.* His enim verbis concedit, imaginem Dei etiam in ipſa mente & ratione conſiſtere, etſi non præcipuè. At hoc nobis ſatis eſt, ad objectionem ejus retundendam. Si enim & in ratione, & in dominio etiam imago Dei conſiſtat, ſequitur eam non planè amiſſam eſſe, quamvis amiſſa fuerit originalis juſtitia, in qua imago illa præſertim elucebat, ſed ex parte adhuc manere.

Quod ait, *imaginem Dei, quam in altero ſeculo habituri ſumus, in eo conſtitutam eſſe, quod omnibus inimicis noſtris, morti ipſi, atque inferno, pleniſſimè dominabimur*, ſi id excluſivè intelligat, ad reliquas dotes quibus beati fulgebunt, eadem facilitate rejicitur, qua dicitur. Præterea quod ſubjicit, *nihil præſtantius in Deo eſſe, quam cunctarum rerum dominatum atque imperium*, non minus falſum eſt. Cum enim Dominatio atque imperium ſit relatio quædam, multo præſtantius eſt fundamentum illius relationis, eſſentia illa divina omnipotens, ſapientiſſima, juſtiſſima, &c. cujus ratione omnia ei ſubjiciuntur, tanquam conditori & conſervatori.

Sed tandem imprudens adverſarius, poſt multa impudenter negata, & alia temerè affirmata, manum dare cogitur, & ſe ipſum refellere; verba ejus referam. *Non poteſt quidem homo, hic in terris imaginem iſtam divinam habere, niſi alia* IMAGO *præcedat, id eſt mens, & ratio, ejuſque uſus; quo ſi hominem ſpolies, tantum aberit ut cæteris rebus imperet, ut ipſe omnium ſit ſervus. Non poteſt etiam in cœlis imaginem illam divinam adipiſci, niſi alia imago præcedat, Sanctitas ſcilicet & innocentia, ad quam imaginem novus homo hic primùm conditus eſt.* Hæc ille. Quibus tria concedit, quæ hæreſim ejus jugulant. 1. mentem, rationem, ejuſque uſum eſſe imaginem Dei, ſine qua homo non poteſt eſſe Dominus rerum inferiorum. Ergo non in ſolo illo dominatu, imago Dei conſiſtit. Sub uſu autem rationis, in quo etiam imaginem Dei conſtituit, intelligi debet innocentia & ſanctitas, quia non eſt legitimus rationis uſus, & qui Deum referre poſſit, ubi ratio non ſubigit, quicquid ipſi ſubeſſe debet. 2. Sanctitatem & juſtitiam in cœlis imaginem Dei conſtituere, quæ præcedere debet imperium in omnes inimicos & mortem ipſam. 3. *Ad eam imaginem novum hominem hic primo fuiſſe conditum.* Id ſi ita eſt, cur igitur tantis viribus conatur oſtendere, imaginem Dei in juſtitia & ſanctitate non conſiſtere, nec potuiſſe hominem ratione juſtitiæ & ſanctitatis Deum referre. Mendacem oportet eſſe memorem.

Secundum argumentum noſtrum ſic refert. Ex eo (inquit) argumentantur, quod *Deus viderit cuncta quæ feciſſet eſſe valdè bona.* Gen. 1. v. 31. *Nam*, inquiunt, *igitur homo quem Deus fecerat erat valdè bonus, ob idque juſtus.* Reſpondet, 1. *ibi non de animi bonitate nec de juſtitiâ ſermonem eſſe, ſed de aptitudine & convenientia ad id, quod anteà Deus ſibi propoſuerat; tranſlationem enim eſſe ab opificibus, qui opus ſuum jam perfectum contemplantur, ut ſi propoſito ſuo reſpondeat, approbent; ſin minus, corrigant aut abjiciant.* Reſponſio hæc prima nodum non ſolvit, quia non debent opponi,

animi bonitas & juſtitia concreata; aptitudini & convenientiæ ad id quod antea Deus ſibi propoſuit; quia hæc inter ſe conveniunt, ut unum alterius cauſa ſit, præſertim ſi attendatur ad opificis naturam. Cum enim ille optimus ſit & ſapientiſſimus, non potuit ſibi proponere faciendum aliquid, niſi bonum & perfectum in genere ſuo. Etſi probari non poſſit eum eſſe verborum Moſis ſenſum, quem adverſarius excogitavit, neque enim talis artifex eſt Deus, qui poſt opus peractum, dubitet adhuc, an propoſito ſuo conveniat, & deliberet, an ſit approbandum vel rejiciendum, quod Deo tribuere blaſphemum eſt. Prætereà, falſum eſt, bonitatem alicujus rei in eo conſiſtere, quod artificis intentioni concordat: etſi enim verum ſit in Deo, tamen univerſaliter verum non eſt, quód in Deo agnoſcimus ob bonitatem, ſapientiam, & potentiam invariabilem. Alioqui ſi intentio artificis non ſit bona, quod ſæpè in aliis accidit, opus non poteſt dici bonum ex eo quod tali intentioni correſpondet. Id igitur deberent adverſarii probare. 1. à nuda & ſola convenientia operis & intentionis, opus omne dici bonum. 2. In Moſis verbis, bona dici quæ Deus creavit, non ex intrinſeca & concreatâ quadam bonitate, ſed ex ſola intentionis & operis harmoniâ. Nos certè dicimus talem harmoniam operis & intentionis eſſe non poſſe ratione opificis Dei, ubi res ipſa quæ facta eſt, non habet bonitatem internam; ſequeretur enim alioqui intentionem ipſam non fuiſſe bonam, de qua judicium ferre non poſſumus, niſi ex operis ipſius qualitate. Certe ſtultum opus non fit bonum, propter convenientiam cum intentione cauſæ producentis, ſed quia ſtultum eſt, talis etiam operantis arguitur intentio. Ergo ſi Deus hominem condidiſſet, qui in ſe nec bonus nec juſtus fuiſſet, inde colligendum eſſet, aut intentionem non fuiſſe bonam; aut quod abſurdè Bellarminus dicebat, præter aut contra intentionem Dei, ex conditione materiæ, operi malum aliquod adhæſiſſe. Primum in ſapientiam & juſtitiam Dei injurium eſt: ſecundum ejus potentiam in dubium revocat.

Conatur ſuam reſponſionem firmare Socinus, ex eo quod טוב *tobh* in Ebræo, pulchritudinem ac convenientiam quandam ſæpiùs ſignificat, ut hi loci inter cæteros oſtendunt, Gen. 2. v. 18 & cap. 6. verſ. 2. Exod. 2. v. 2. 1 Sam. 9. v. 2. *Non autem ſcriptum eſſe, Deum vidiſſe cuncta quæ fecerat eſſe valdè bona, ut nos Dei operibus omnia ea tribuamus, quæ nobis bona eſſe videntur, ſed ut etiamſi aliquid in ipſis nobis animadvertere videremur, quod minus conveniret, nos graviter labi ſciremus, utque à curioſè iis examinandis, tanquam iis in quibus aliquid deſiderari poſſit, temperaremus.* At hæc omnia otioſe dicuntur, nec alio fine prolata, niſi ne nihil dicere videretur impoſtor, & verborum involucro ſe tegeret. Quid tum enim, ſi Ebraicum vocabulum, non ſolum bonitatem ſed etiam elegantiam & pulchritudinem ſignificat? Prima ſignificatio aliarum cauſa eſt, & certè conjungi debent omnes in operibus Dei, quæ bona fuerunt & elegantia. Nec homo qui juſtitia caret & ſanctitate, elegans & decorus dici poteſt, qui contra deformis eſt & putidus. Hinc eſt quod Scriptura ſordidiſſimis & abjectiſſimis rebus ſolet comparare defectus animi. 2. Sine adverſario pugnat, in eo quod dicit, non eſſe tribuendam creaturæ quamcumque bonitatem, quam homo fingere poſſet, quia dicitur bona: Novimus enim aliquam eſſe bonitatem creaturæ incompetentem, qualis eſt divina, quam homini non tribuimus. Sed conveniens homini bonitas ex eo debet judicari, quod Deus ipſe in homine requirit, & vitio vertitur ſi in homine non reperiatur: talem autem eſſe juſtitiam & ſanctitatem, adeo manifeſtum eſt, ut probatione non indigeat. Non malè ergo alibi Socinus, de gratia primi hominis Pag. 5. *Valdè bonum eſſe, non ſignificat omnia bona quæ excogitari poſſunt, in ſe continere, ſed omnem eam bonitatem habere, quæ propria ejus rei eſt de qua quæritur.* Quo loco verba Moſis melius accipit de bonitate unicuique rei propria. Jam vero juſtitiam & ſanctitatem oſtendimus convenientem eſſe bonitatem homini, à Deo primum creato.

Quod autem addit Socinus, *non ad ſingulas res ipſas à Deo creatas, ſed ad univerſa illa opera, ſex illis diebus facta, verba illa referri debere, quocirca quod ad hominem attinet, non eſſe intelligendum Deum vidiſſe ipſum hominem eſſe bonum; ſed bonum eſſe quod homo à ſe creatus fuiſſet talis, qualem anteà Moſes deſcripſerat:* Sine ratione affirmatur, imò contra rationem. Si enim Deus vidit omnia quæ creavit eſſe valdè bona, & Deus hominem inter alia illa opera creavit, ſequitur etiam hominem fuiſſe valdè bonum, cum primum à Deo fuit creatus; nec tantum bonum fuiſſe quod homo creatus fuit, ſed ipſum hominem creatum fuiſſe bonum; Alioquin creatus fuiſſet inutilis, vel malus, utrumvis quis dixerit, abſurdum erit & blaſphemum.

Tertium noſtrum argumentum hoc modo concipit. Deus fecit cuncta in ſuo genere perfecta: ſed perfectio hominis eſt ut ſit juſtus. Ergo hominem juſtum creavit. Reſponſio, inquit, *facilis eſt: Iuſtitia enim non eſt hominis perfectio naturalis, ſed voluntaria, quare non potuit eam homo in creatione nanciſci, ſed ſi libero arbitrio, liberaque voluntate, qua præditus erat, rectè uſus fuiſſet, eam adeptus fuiſſet. In eo enim naturalis perfectio hominis eſt, ut omni labe ac vitio careat, hæcque fuit ab initio in primo homine, qui integer & incorruptus creatus eſt: ſed libera tamen ad malum, non minus quam ad bonum voluntate.* Hæc ille: In quibus id primum vitioſum eſt, quod naturalem & voluntariam juſtitiam ita opponit, quaſi una poſita altera ſubſiſtere non poſſet, cum tamen utraque in uno & eodem ſubjecto conſiderari poſſit. Quod ergo dicit juſtitiam non eſſe perfectionem homini naturalem ſed voluntariam, id verum eſſe concedimus de juſtitia Ethica, ſive ſumatur pro juſtitia quam actualem vocant, ſive pro juſtitia habituali,

habituali, ratione habitus acquiſiti per varios actus. Sed cum originalem & naturalem homini juſtitiam attribuimus quando conditus fuit, non loquimur de tali juſtitia Ethica, ſed de interna & connata illa juſtitia, quæ ex natura à Deo condita in ſubjecto apto nato reſultat; cujus requiſita ſunt hæc. 1. Rectitudo ſive peccati negatio, quam Socinus primo homini videtur concedere, in verbis citatis; etſi ſuprà contenderit affirmari non poſſe Adamum ante guſtum fructus vetiti à peccando abſtinuiſſe; nunc tamen concedit, *omni labe & vitio caruiſſe*. 2. Quod requirimus, eſt naturalis propenſio ad agendum juſta & ſancta, oppoſita naturali inclinationi ad malum, quam poſt peccatum in hominibus, qui naturâ ſunt filii iræ, Epheſ. 2. v. 5. ſentimus. 3. Vires requiſitæ, ad juſta perpetuo, & ſine naturali impedimento operandum. Hæc omnia fuiſſe in primo homine ſupra probavimus, etiam antè quam aliquid operaretur. Et ad talem juſtitiam opera tanquam prævia non eſſe neceſſaria ſatis evidens eſt; à qua poſteà procedit juſtitia illa voluntaria, quam ſolam agnoſcit Socinus. Talem autem juſtitiam naturalem, qualem deſcripſimus, nactum fuiſſe hominem in prima creatione, ex eo conſtat, quod qui creatur ſecundum Deum, in juſtitia & ſanctitate vera creatur, Eph. 4. v. 24. Adamum autem fuiſſe creatum ſecundum Deum, negari non poteſt, qui ad imaginem Dei creatus eſt; id enim volunt verba illa κτ̀ θεὸν, id eſt, ad Dei exemplar & imaginem.

Objicit ibidem Socinus, perfectionem hominis naturalem, qua omni labe caruit, non poſſe appellari juſtitiam niſi impropriè, quatenus ſcilicet omnis injuſtitia adhuc abeſt. Sed fallitur, 1. quia talem rectitudinem in homine primo fingit, quæ fuerit ſimplex injuſtitiæ negatio. Oſtendimus autem prætereà, fuiſſe in homine inclinationem naturalem ad bonum, & facultatem ſive poteſtatem ad illud exequendum; proinde non ſolum hominem non fuiſſe injuſtum, ſed etiam poſitivè juſtum fuiſſe. Supponit prætereà falsò, in ſubjecto capace juſtitiam & injuſtitiam non eſſe ἀμέσως oppoſita, cujus contrarium verum eſt; naturam nempe rationalem neceſſariò eſſe vel juſtam vel injuſtam, & hominē qui juſtus non eſt, injuſtum eſſe & contrà, quia idoneum eſt juſtitiæ & injuſtitiæ ſubjectum. Quicquid enim ſanctitatis & juſtitiæ capax eſt, juſtum aut injuſtū eſt. Adam ſanctitatis & juſtitiæ capax fuit; ergo vel juſtus fuit, quod nos dicimus, vel injuſtus, quod nemo ſine impietate aſſeret.

Negat Socinus, propriè dici poſſe injuſtitiam ab homine abfuiſſe, quia propriè ab homine abeſſe dicitur injuſtitia, ſi injuſtè agendi occaſione ſibi oblata, nihil injuſtè egerit; quod de Adamo ante peccatum dici poſſe non putat. Sed rationem ſententiæ ſuæ nullam reddit, quæ etiam falſa eſt. Ut aliquis ſit juſtus & ſanctus nuſquam Scriptura requirit præcedaneam occaſionem peccandi, præſertim ut aliquis ſit naturâ juſtus aut ſanctus. Taceo quòd de Deo objici poteſt, qui natura ſuâ juſtus eſt, cui nulla ad peccandum præberi poteſt occaſio: ſed filius Dei qua homo, in conceptione & nativitate vocatur τὸ ἅγιον ſanctum, Luc. 1. v. 35. Et nunc Angeli boni carent omni occaſione peccandi, quibus tamen nemo juſtitiam & ſanctitatem ſanus denegabit. Imo tanto quis videtur juſtior, quanto ab omnibus peccandi occaſionibus remotior eſt.

Tandem profert locum ex cap. 7. Eccl. verſ. ultimo, *Deus creavit hominem rectum*. Ad quem dicit reſponſionem patere ex dictis, & rectum fuiſſe hominem à Deo creatum, quia nihil pravi in homine ab initio fuit, ſed is, una cum poſteritate ſua, propria voluntate pravitatem accerſivit, ac ſibi comparavit. At ſupra oſtendimus, rectitudinem illam quam fingit ſimplicis negationis, homini non poſſe tribui, quia ſubjectum eſt capax juſtitiæ. Inde eſt quod rectitudo in Scriptura, ubique ponitur pro juſtitia. Job. 1. v. 1. *Erat vir ſimplex & rectus*. Pſal. 33. v. 1. *Exultate juſti in Domino, rectos decet collaudatio.* Ubi recti & juſti iidem ſunt, & una vox, eſt alterius exegetica. Pſal. 51. v. 12. *Spiritum rectum innova in viſceribus meis*. In quibus locis non agitur de ſimplici pravitatis negatione; ſed de ipſius juſtitiæ virtute. In ipſo loco qui citatur, rectitudo in qua creatus fuit homo, opponitur cogitationibus quas homines inquiſiverunt, quibus ſignificantur peccata. Deus etiam dicitur *rectus*, Eſai. 26. v. 6. *qui orbitam juſti librabit*, & ibidem *ſemita* juſti dicuntur *rectitudines*. quod nomen accipi non poteſt tantùm negativè pro carentia injuſtitiæ, ſed poſitivè pro ipſa juſtitiâ. Ideo Græci interpretes ſæpè vocem ישר *jaſçar*, quæ ibi uſurpatur, per δίκαιον, *juſtum*, interpretantur. Ut Num. 23. verſ. 10. Job. 1. v. 1. & 8. Proverb. 3. v. 32. & alibi ſæpè. Notandum autem verba illa Socini, *hominem propria voluntate cum poſteritate ſua pravitatem accerſiviſſe*, eſſe ambigua, quia etſi poſſint bono ſenſu intelligi, quo dicimus Adamum ſe cum tota ſua poſteritate præcipitaſſe; id tamen ita intelligit hæreticus, quaſi poſteritas Adami in pravitatem non inciderit, niſi quia propria voluntate parentem imitando eam ſibi accerſivit, quam hypotheſin Pelagianam, ubique facit ſuam. Qua de re alibi erit dicendi locus.

Sed ut finem imponamus huic diſſertationi, Præter illa argumenta ad quæ conatus eſt adverſarius reſpondere in illo prælectionum ſuarum capite, quod à nobis hactenus κτ̀ πόδας refutatum eſt; illud adverſus eum maximi eſt momenti, quod conſequitur ex dominio in creaturas, in quo ille imaginem Dei conſtituit. Ex eo enim neceſſario ſequitur, Deum qui homini dominatum illum conceſſit, ſimul indidiſſe homini ea omnia quæ ad illum prudenter & juſtè exercendum erant neceſſaria. Fatetur quidem Socinus, rationem eſſe velut ſecundariam partem imaginis divinæ, quia ſine ratione nemo poteſt imperare creaturis. Vidit enim brutum regimen, quale exercent leones in alia animalia, lupi in oves, &c. homini non convenire. Sed hoc inſuper addimus, Deum neque decreviſſe homini dominium ty-

 ranni-

rannicum, neque omnimodo abſolutum, ſed moderatum, juſtum & ſanctum, unde ſequi contendimus, regimē, aut dominii ſuper creaturas conceſſi exercitium, nulla ratione poſſe ritè adminiſtrari, ſine ſanctitate & juſtitia, tanquam virtutibus regiminis directricibus. Itaque pari neceſſitate & conſequentiâ qua ratio ad divinam imaginem requiritur, ſanctitas etiam & juſtitia requiri debent.

Reſpondet Smalcius lib. de natur. Dei filio cap. 7. *Nihil vetare, quominus & ille, qui nulla ſanctitate, nullis donis ſupernaturalibus præditus eſt, aliis rebus creatis præficiatur; ut hodiè tales rerum videmus potiri terreſtrium. Ad hoc enim præſtandum, ſola ratio ſufficit.* Falſum eſt ad id ſufficere ſolam rationem eſſentialiter conſideratam, qualis in homine ſemper manet, quamdiu eſt homo, ſufficere inquam ut tale ſit dominium, aut talis adminiſtratio in qua Dei imago eluceat, ſine litura & deletione ullâ. Quod ut oſtendamus, id primò ponimus, mentem humanam per ſe non agere, niſi principiis agendi inſtructam, ſunt autem vel honeſti & turpis connatum diſcrimen, quod aliquando laudabili, ac virtutis ſtudioſâ educatione juvatur; vel naturæ ad mala propenſio, una cum vitioſis affectibus, vel etiam pravis moribus, corrupta educatione & conſuetudine contractis; vel deniq; ſanctitas aliqua perfectior, quam quæ in hominis naturâ nunc invenitur. Principium illud medium, ab homine primum creato prorſus removendum, nec ipſi adverſarii diffitebuntur. Primum autem in homine qualis jam eſt, ad ſatisfaciendum divinæ voluntati in illa adminiſtratione non ſufficiet; quod ex eo evidens eſt, quod nullus homo unquam inventus eſt qui dominium exercuerit, ſine aliqua nota, præſertim inter eos qui ſpiritu Dei fuerunt deſtituti, etſi alioquin inter homines, prudentiæ & ſapientiæ laudem ſint adepti. Ideò quia ſtatuta gentium Deo non placuerunt, alias leges populo ſuo dictavit; & ſpiritus ſui dona ſæpè extraordinaria regentibus conceſſit, ut in alios homines quaſi mutarentur. 1. Sam. 10. v. 6. & ſapientiam Salomoni largitus eſt ſingularem, ſine qua nemo ſufficit tali regimini. 1. Reg. 2. v. 9. & 12. Ergo ad exactam illam imaginem Dei non ſufficiebat, regimen aliquod (ut ita loquar) rationabile quale fortaſſe in quibuſdam hominibus non regenitis & ſanctificatis, hominum judicio reperiri poteſt; ſed opus eſt principio juſtitiæ & ſanctitatis, qua homo, ſimilitudine apta, regimen divinum referat. Ad id autem non ſufficit qualicumque ratione dominari, quia ſic Diabolus, & homines impii imaginem Dei referrent in injuſto dominatu, ſed neceſſarium eſt regimen ſanctum & æquum, ſicut ipſe Deus ſanctus eſt, quod Iſraëlitis inculcavit ſæpiſſimè. Levit. 19. v. 2. Joſ. 24. v. 19. &c. Accedit quod dominationi ſanctè adminiſtratæ, Deus benedicit, & contrà non ſanctè, maledicit. *Dejicit de ſede ſuperbos & exaltat humiles.* Luc. 1. verſ. 51. & 52. Sed hæc nimis multa adverſus inſanam hæreſim. Ad alia nobis pergendum eſt.

Exercitatio X.

Explicatur verſus XXVIII. *Quænam in benedictione conſideranda? An facta fuiſſet ſexuum commixtio in ſtatu innocentiæ. Affirmatur, & probatur. Reſpondetur adverſantium argumentis. Scholaſticorum quæſtio, an ſalva virginitate propagatio hominum facta fuiſſet? expenditur & reſolvitur. Quomodo Deus concurſum ſuum adulteris concedat. Hieronymus matrimonio parum æquus. An verba illa* creſcite, &c. *ſint præceptum? An in ſtatu innocentiæ homo homini fuiſſet dominatus? Argumenta negantium, & affirmantium. Diſtinguitur ſubjectionis modus, & ſatisfit objectionibus.*

Geneſ. 1. v. 28. ſcribit Moſes de maſculo & fœminâ creatis ad Imaginem Dei, ויברך אתם *vajevarekh otam,* & benedixit eis, & dixit eis Deus, fœtificate, & implete terram, eamque ſubjicite, &c. in qua benedictione duo ſunt conſideranda. 1. Quod Deus ſpeciei humanæ propagationem, per individuorum multiplicationem inſtituit. 2. Quod homines in plenam dominii ipſis jam ex creatione ad imaginem ſuam aſſignati poſſeſſionem immittit. In primo docemur propagationem omnium animantium per generationem à benedictione Dei fluere & pendere; ſed hominum maximè, quam ob cauſam, ab initio, naturam hominis creavit vegetam ad generandum ſibi ſimile non minus quam reliquas animantes: Cujus doctrinæ occaſione aliquæ proponuntur quæſtiones, quas paucis expediemus.

1. An in ſtatu innocentiæ facta fuiſſet ſexuum commixtio? Plerique Græcorum Patrum fuerunt in ea ſententia, liberos ante peccatum, ſine concubitu maris & fœminæ fuiſſe multiplicandos: Et Auguſt. de Serm. Domini in monte, & in lib. de bono conjug. cap. 2. & 19. exiſtimavit homines ante peccatum non fuiſſe multiplicandos, ſed ſolum Adam cum Eva, & non plures homines, fuiſſe manſurum. Quam ſententiam meritò retractavit, lib. 1. retract. cap. 10. 13. & 19. & lib. 2. cap. 22. & lib. 14. de civit. Dei cap. 23. Jacobus Faber Stapulenſis, in Comment. ad lib. de Trinit. Ric. ſanct. vict. commentus eſt, Adamum ſi non peccaſſet, ex ſe, ſine fœmina, maſculum ſibi ſimilem fuiſſe procreaturum. Armenii errorem etiam illum inter alios erraverunt, Adamum & Evam ſi permanſiſſent in juſtitia, nunquam fuiſſe congreſſuros, nec humanam ſpeciem per com-

commixtionem fuiſſe propagandam. Tandem etiam apud Turrecrematam, Sum. de Eccleſ. lib. 4. part. 2. cap. 35. Almaricus quidam, non ſolùm negavit in illo ſtatu cum Armeniis copulam carnalem, ſed etiam ſexuum differentiam: Cum tamen diſertè teſtetur Moſes, Deum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam hominem maſculum & fœminam creaſſe.

Scrupulum iſtis omnibus injecit, quæ in peccati ſtatu, in commixtione libido ſe prodit, & inordinatus ille concupiſcentiæ motus, qui præſertim in illo actu ſe exerit. Gregorius Nyſſenus lib. de hominis opificio cap. 17. multiplicationem hominum futuram fuiſſe contendit, qualis eſt multiplicatio Angelorum, *qui & ipſi conjugio non utuntur.* Qui contra uſum conjugii in ſtatu innocentiæ utitur hoc argumento; Quod tunc homines ea dignitate præditi fuerunt, quam in ſtatu gloriæ per reſurrectionem habebunt, in qua reſtituentur in primum illum ſtatum. Sed futura dignitas in cœlo, in eo etiam conſiſtet, quod nullus erit uſus conjugii, juxta illud Chriſti, *in reſurrectione neque nubent, neque nuptum dabunt, ſed erunt ſicut Angeli*, Matth. 22. Unde infert, in ſtatu innocentiæ non futurum fuiſſe conjugii uſum.

Addunt 2. Uſum illum turpitudinem quandam, & corruptionem clauſtri virginalis habere, quæ minimè decuiſſet primum illum ſtatum.

3. Multiplicationem per generationem, inſtitutam eſſe naturaliter ad conſervandam ſpeciem, quæ in individuis nequit perpetuò conſervari: In ſtatu autem innocentiæ hominem futurum fuiſſe immortalem; proinde nec opus fuiſſe conſervatione ſpeciei, per generationem.

Contrarium probatur ex hoc loco, ubi poſtquàm de creatione maſculi & fœminæ actum fuit, additur benedictio ad propagationem, qua includitur finis ad quem naturaliter ordinata eſt ſexuum differentia. Nec ſatisfacit Nyſſenus cum iis qui idem ſentiunt, reſpondendo Deum reſpexiſſe ad futurum peccati ſtatum, in quo erat futurus conjugii uſus, proptereà maſculum & fœminam creaviſſe, non autem ut talis uſus in ſtatu innocentiæ eſſe poſſet. Nam cum initio creaverit Deus hominem rectum, ut ſupra ex Eccleſ. cap. 7. v. 9. demonſtravimus, non eſt concedendum, aliquid tum in homine fuiſſe, cujus uſus non optimè conveniret, cum recto illo & optimo innocentiæ ſtatu. Si ergo ſtatus innocentiæ perſeveraſſet, debuiſſet in eo ſuum habere uſum, quicquid Deus in hominis natura condiderat. Idcirco eadem verba quæ ante peccatum dicta fuerunt Adamo & Evæ, repetuntur poſt peccatum Noacho & filiis ejus, ut agnoſcamus benedictionem illam naturæ hominum factam, in utraque conditione impleri, & corporum conjunctionem, utrique fuiſſe communem.

Id etiam apertiſſimè declarant verba Adami Prophetica, quibus ante peccatum, & quidem futuri ignarus, dixit, *eruntque duo in carnem unam*, Geneſ. 2. v. 24. Quod utrique ſtatui commune eſſe docuit Dominus Matth. 19. verſ. 5. ubi legem matrimonii ad primam inſtitutionem revocans, allegat illud dictum. Id autem intelligi debere de commixtione corporum per copulam, oſtendit Paulus 1 Corinth. 6. v. 16. *Annon ignoratis eum qui agglutinatur ſcorto, unum eſſe corpus cum ſcorto? Fient enim, inquit, qui duo erant, caro una.*

Hinc eſt quod plerique veterum, quibus etiam Auguſtinus manum dedit, quem poſteà Scholaſtici unanimi conſenſu ſequuti ſunt, huic ſententiæ conſenſerunt, & contrarias omnes tanquam inanes conjecturas & vana commenta contra Scripturarum ſenſum conſtantem rejecerunt, qualia ſunt, vel eorum qui exiſtimarunt abſque communi conſortio, tam virum, quam fœminam, futuros fuiſſe ex ſemetipſis fœcundos, vel mulierem ex ſolo viri anhelitu concepturam fuiſſe, vel nullos planè homines præter primùm creatos, fuiſſe procreandos; vel multiplicandos fuiſſe more Angelorum, per divinæ virtutis operationem; vel naſcituros fuiſſe modo incognito, ſoli ſapientiæ divinæ perſpecto. Quorum pleraque ſunt otioſorum hominum ſomnia, timentium, ubi nihil erat timendum.

Id etiam evincit argumentum à ratione Phyſica deductum. Teſtantur enim Philoſophi, naturaliſſimum animantis opus eſſe generare ſibi ſimile, Hominem autem, in genere animantium primum eſſe & perfectiſſimum negari non poteſt, unde conſtat neceſſe etiam eſſe hoc opus in homine reperiri, ſecundum naturam, & quidem eo modo perficiendum, quo exigit naturalis membrorum diſpoſitio. Homo ergo, qui factus fuerat in animam viventem, in ſtatu innocentiæ, & ſec. Apoſt. 1 ad Cor. 15. habuit corpus animale. id eſt, vitalibus actionibus indigens ad ſui & ſpeciei conſervationem, generationi qua ſpecies conſervatur, operam dare debuiſſet, ſicut nutritioni, qua conſervatur individuum.

Reſponſio autem ad argumenta contraria, non eſt difficilis. Ad 1. enim dicimus, verum non eſſe quod ponunt, talem in omnibus tunc fuiſſe conditionem primi hominis in ſtatu innocentiæ, qualis erit in cœlo, in ſtatu gloriæ, præſertim ratione corporis. Tunc enim habebat corpus animale, quod habiturus eſt ſpirituale in gloria, in qua reſtituentur quidem amiſſa, ſed longè cumulatius, ut à reſtitutione, nemo argumentetur ad ſtatum primæ conditionis, quia in gloria, multo major reſtituenda eſt dignitas. Locus ergo Matth. 22. ubi agitur de *filiis reſurrectionis*, nihil ad rem facit, non enim eadem eſt ratio filiorum reſurrectionis, & filiorum creationis, niſi hoc etiam velint qui ita ſentiunt, quemadmodum illis bibere & comedere non conveniet, neque etiam conveniſſe primis hominibus, quod falſum eſſe, ex hiſtoria conſtat pleniſſimè.

Ad 2. quod objiciunt de pudenda libidine, Reſpondemus cum Auguſtino, non quia jam non fit generatio, ſine turpi membrorum motu, idcirco incredibile videri

debet, ſine hujuſmodi malo, futuram eam fuiſſe in ſtatu integritatis. Ita enim videretur incredibile, quod Scriptura dicit, utrumque fuiſſe nudum, nec tamen erubuiſſe. Conjugium igitur ſanctum fuit, imò & copula conjugalis honeſta & pura, in qua turpitudo erubeſcenda ex peccato ſuborta eſt, poſtquàm *aperti ſunt oculi amborum & cognoverunt ſe eſſe nudos.* Dicimus ergo in ſtatu innocentiæ, generationem fuiſſe futuram, ſine ea turpitudine, quæ nunc exiſtit ex effrænata concupiſcentiæ libidine, minimè obſequentis rationi; quia tunc in homine juſtitiâ originali prædito, nulla fuiſſet inferiorum virium adverſus rationem pugna, ut jam ſuprà dictum fuit.

Ad 3. Reſpondetur, etſi tunc temporis potuiſſet conſervari ſine generatione, humana ſpecies, fuiſſe tamen neceſſariam generationem ad ſpeciei multiplicationem, idque propter multiplices utilitates quæ ex communi convictu & ſocietate hominum reſultant, ad id autem maximè, ut plures eſſent qui Deum celebrarent, & beatitudinis cœleſtis participes fierent, ad majorem Dei gloriam.

Quod autem quærunt inſuper Scholaſtici hoc poſito, an ſalva virginitate talis hominum propagatio potuiſſet fieri, in primo ſtatu, planè otioſum videtur; etſi Auguſtinus ipſis præiverit lib. 14. de civit. Dei cap. 26. ubi tamen modeſtius rem agit, quam ſolent curioſi illi occultorum indagatores. Verba ejus ſunt, *In tanta facilitate rerum & felicitate hominum, abſit ut ſuſpicemur, non potuiſſe prolem ſeri ſine libidinis morbo: ſed eo voluntatis nutu moverentur* (pro moti fuiſſent, phraſi Africana, ut *commoveret* pro *commoviſſet*, alibi) *illa membra quo cætera, & ſine ardoris illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis, infunderetur* (pro *infuſus fuiſſet*) *gremio maritus uxoris. Neque enim quia experientia probari non poteſt, ideò credendum non eſt; quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, ſed ſpontanea poteſtas ſicut opus eſſet, adhiberet: ita tum potuiſſe utero conjugis, ſalva integritate fœminei genitalis, virile ſemen immitti: ſicut nunc poteſt eadem integritate ſalva ex utero virginis, fluxus menſtrui cruoris emitti.* Et paulo poſt: *Ut ad pariendum, non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaret, ſic ad fœtandum & concipiendum, non libidinis appetitus, ſed voluntarius uſus naturam utramque conjungeret. De rebus loquimur nunc pudendis; & ideò quamvis antequam earum puderet, quales eſſe potuiſſent conjiciamus, ut poſſumus; tamen neceſſe eſt ut noſtra diſputatio magis frænetur ea, quæ nos revocat verecundia, quam eloquentia, quæ nobis parum ſuppetit, adjuvetur.* Hæc ille, in quibus etſi integritatis corruptionem negat, non tamen virginitatis conſervationem aſſerit. Et certè quicquid ſit de facilitate illa tum concipiendi, tum pariendi, non poteſt ſubſiſtere virginitas cum viri congreſſu & ſeminis virilis receptione, ſi virginitatis nomen propriè accipiatur. Unius mulieris prærogativa fuit, quod virgo concepit, & virgo peperit, quia ſine viro, virum enixa eſt. Quod tamen Scholaſtici penè omnes ſentiunt, potuiſſe in prima viventium matre & reliquis, ſi in ſtatu innocentiæ homo perſeveraſſet, eſſe naturalem viſcerum apertionem & relaxationem, laxatis & dilatatis illis corporis partibus, ut ſine dolore mulier fœtum emitteret, nec magis violationem aut corruptionem partis illius id dici debere, *quam naturalis apertio oris, aut cujuſcumque alterius membri quod naturaliter & contrahi poteſt & laxari* (hac enim ſimilitudine utuntur) id certè planè deſtruit, quod alibi tam operoſè nituntur ſtabilire, neceſſario virginitatem amitti, niſi egrediatur infans ex utero matris, per miraculoſam (quam illi poſſibilem putant) *penetrationem dimenſionum.* Si enim ſine miraculo (quod illi volunt) mulieres in ſtatu innocentiæ manſiſſent in ipſo partu virgines, etſi fœtus egreſſus fuiſſet dilatatis & relaxatis partibus, atque adeo aperto utero: Cur quod naturâ fieri potuit per eos, in illo ſtatu, non potuerit per miraculum fieri in ſecreti virginalis apertione? Nam ex ſententia Auguſtini & Scholaſticorum, talis apertio & relaxatio poteſt fieri, illibata manente virginitate: ex quo cuivis patebit, quam ineptè tali exemplo abutantur Pontificii, ad probandum duo corpora poſſe ſe mutuò penetrare, ita ut unum non dividat & alterum dividatur; quod tamen olim adeò impoſſibile putavit (idque jure) Damaſcenus, De fide Orthod. lib. 1. cap. 4. ut non dubitarit ſcribere, *fieri nullo modo poſſe, ut corpus permeet per corpora: niſi alterum quidem dividat, & alterum dividatur.* Quod ne quis eludat, per diſtinctionem ejus quod poteſt fieri naturaliter, & per divinam potentiam, obſtat quod idem autor id Deo applicat *ἀδυνάτον σῶμα διὰ σωμάτον διήκειν.* Nam Deum corpus non eſſe demonſtraturus, inter cætera hoc etiam argumento utitur, quod ſi corpus eſſet, nequaquam per omnia permearet; quia fieri nullo modo poteſt ut corpus permeet per corpora. Sed de his ſatis.

Accedo jam ad aliam quæſtionem, quam nonnulli movent occaſione benedictionis illius divinæ, qua Deus vim procreandæ ſobolis homini indidit, & cujus benedictionis vi, naſcuntur quicumque homines per generationem propagantur. Quærunt ergo, Annon etiam ſcortatores & adulteri, Dei virtute, generent? Si id concedamus, objicient ad eos etiam extendi benedictionem Dei de qua loquitur Moſes; periculum autem eſſe ne quis inde inferat, Deum favere ſcortatoribus & adulteris. Reſpondemus, benedictione illa Deum ſanciviſſe legitimum inter homines conjugium, nec promiſcuam libidinem hac ſua benedictione inter homines conceſſiſſe; quandoquidem illa maſculo illi & fœminæ, qui ab ipſo Deo legitimè conjuncti erant data eſt. Quamvis ergo Deus concurſum ſuum illegitimè ſe conjungentibus non deneget, ex quo etiam,

ſequitur

ſequitur prolis procreatio, cujus, quatenus talis, etiam autor eſt, qui autor eſt naturæ: nullo modo tamen probat illicitos concubitus, nec eorum fœditati participat, etſi ex tali lacuna, non minus quam ex puro conjugii fonte ſobolem educat. Sed diſtinguendus eſt naturalis actus, à morali defectu, & agnoſcenda in primo, divinæ providentiæ actio, ita ut culpa moralis vitioſo inſtrumento tota tribuatur, quam ſequitur ſemper in autorem maledictio, niſi pœnitentia culpam eluat, quæ etiam ſæpiſſimè in prolem derivatur, ita ut communi proverbio dicatur de nothis & ſpuriis. ſi mali ſint id ex natura habere, ſi aliquando benè ſe gerant, id fortuitò accidere.

Non eſt audiendus Hieronymus, vir alioquin inter veteres doctiſſimus, ſed præjudicio adverſus matrimonium ita abreptus, ut parum abfuerit ab hæreſi Montani. *Creſcite* (inquit) *& multiplicamini, & replete terram. Creſcat & multiplicetur ille, qui impleturus eſt terram. Tuum agmen in cœlis eſt.* Ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis; ubi addit, *Creſcite & multiplicamini, hoc expletur edictum poſt paradiſum & nuditatem, & ficus folia, auſpicantia pruriginem nuptiarum.* Item, *Eva in paradiſo virgo fuit, poſt pelliceas tunicas, initium cœpit nuptiarum.* An non igitur etiam eorum agmen in cœlis eſt qui impleverunt terram? Ubi Abraham, Iſaac, Jacob & reliqui Patriarchæ? An hæc oppoſita ſunt implere terram, & implere cœlum, non potius ſubalterna? Quomodo impleretur cœlum hominibus, niſi prius in terra naſcerentur, qui renati poſteà, fiunt cives cœlorum? Quot ſunt præterea virgines ſi corpus ſpectes, qui à via cœlorum aberrarunt, & ad inferos deſcenderunt? Initium autem nuptiarum poſt peccatum cæpiſſe, verè non dicitur; quia ante peccatum contractæ fuerant nuptiæ, etſi peccato paulo poſt adveniente, generationi operam non dederint protoplaſtæ niſi poſt peccatum; quod tamen ſi quis dicat neceſſariò præcedere debuiſſe ante quam homo ſibi ſimilem gigneret, parùm à blaſphemia diſtaret, ut non immerito Claudius Eſpenſeus, lib. 3. de continentia, cap. 11. lectori Hieronymi, *optet judicium, delectum, & conſilium, quia multa ſunt apud eum ex Tertulliano digamiam non tantùm diſſuadente, ſed etiam improbante deprompta. Æquum ſanè* (inquit) *parum fuiſſe vel unis nuptiis, nedum pluribus.* & lib. 1. cap. 9. fatetur eidem Hieronymo *multa in virginitatis favorem excidiſſe, coacta & violenta.*

Quæſitum eſt, an verba illa, *creſcite & multiplicamini* &c. ſint præceptum, & ſi præceptum, an omnes obliget vel quos? Philippus Melancthon in confeſſ. Auguſtana, adverſus nubendi prohibitionem quæ in Papatu indicitur iis qui ad munia Eccleſiaſtica vocantur, ſic ex hoc loco argumentabatur. Conjugium eſt de jure divino, Gen. 1. *creſcite & multiplicamini*, & de jure naturæ ut patet ex naturali appetitu generandi, at jus divinum & naturale non poteſt tolli ulla humana lege; Unde rectè infert, iniquam eſſe legem Pontificiam de cœlibatu perſonarum Eccleſiaſticarum.

Ad hoc argumentum conatur reſpondere Bellarm. de Clericis lib. 1. cap. 21. Et primò dicit verbum Domini non præceptum ſonare, ſed naturæ inſtitutionem exprimere, quia etiam avibus & brutis, ibidem dixit Deus *creſcite & multiplicamini*, quibus tamen nihil propriè præcipi poteſt. Negat ergo priorem partem aſſumptionis, conjugium eſſe de jure divino. Et tamen cum dicit verba illa exprimere naturæ inſtitutionem, negationem ſuam ipſe refellit; cum enim naturæ inſtitutio ſit à Deo naturæ autore, utique notabunt verba illa præceptum Dei naturæ inditum, præceptum inquam commune, & communem notionem, quæ reſtrictionem non admittet, repugnante conſcientia. Id ipſe Bellarminus poſteà cogitur agnoſcere dum addit, *Præceptum naturale eſſe de conjugio ineundo concedi poteſt, ſed quia eſt affirmativum, non obligat niſi in caſu neceſſitatis.* Sic Thomas, 2. 2. q. 152. art. 2. & Scotus, in 4. diſt. 26. agnoſcunt eſſe præceptum; ſed quod non obliget ſingulos, verum quoſdam tantum qui ſpeciei provideant, vel non ad ſemper; ſed tempore neceſſitatis. Fruſtra eſt ergo Bellarminus cum ad probandum non eſſe præceptum, id avibus & brutis pariter fuiſſe dictum objicit. Non eſt enim eadem ratio animalium brutorum quæ hominis, quia bruta aguntur ſolo naturali inſtinctu, homines autem qui intelligentes ſunt & ratione præditi & externè informari poſſunt, præter inſtinctum, præcepto etiam verbo indicato monentur. Nec inſuetum eſt Scripturæ iiſdem verbis compellare creaturas aut brutas aut inanimatas, quibus homines compellantur, ſervata tamen explicatione dicti pro ratione objecti.

Hoc cum videret Bellarminus, ſecundam partem aſſumptionis limitat, & ait, quia præceptum eſt affirmativum, non obligare niſi in caſu neceſſitatis. Neceſſitatem autem intelligit, ubi periculum eſſet, ne humanum genus periret; & per id putat ſatisfactum eſſe confirmationi quam addiderat Melanchton; ſicut nemo poteſt obligari à ſe vel ab alio ad non comedendum, quia hoc eſſet contra naturalem inclinationem conſervandi individuum; ſic neminem poſſe obligari à ſe vel ab alio ad non ducendam uxorem, quia id eſſet contra naturalem inclinationem conſervandi ſpeciem. Reſpondemus, limitationem illam Bellarmini, præcepta affirmativa in caſu neceſſitatis tantùm obligare, ex mente ipſius, non eſſe veram. Verum quidem eſt ſemper in præceptis eſſe caſum neceſſitatis, ſi ſpectemus neceſſitatem præcepti: ſed ille aliam neceſſitatem intelligit, quæ potius ad objectum refertur: quam alibi ſic explicat, ut exiſtimet non teneri ex præcepto aliquem ad eleemoſynam niſi erga eum qui eſſet in periculo mortis conſtitutus. Sed cum præceptum quartum de Sabbatho ſanctificando, & quintum de honorandis parentibus talem neceſſitatem non requirant,

ſed

ſed obligent ſemper & ad ſemper, reſtrictio Bellarmini non eſt univerſaliter vera. In hoc autem caſu de quo agimus, nos quidem agnoſcimus neceſſariam eſſe aliquam limitationem, ſed dicimus nimium anguſtam eſſe neceſſitatem quam proponit Bellarminus. Non enim ſolus eſt neceſſitatis caſus qui ab ipſo indicatur, ſed alius etiam quem Apoſtolus deſignat 1 ad Cor. 7. conſcientia nempe, doni & vocationis Dei, qua tanquam præcepto ſingulari de voluntate Dei informantur homines.

Nec valet confirmatio quam ad limitationem ſuam ſtabiliendam profert: ſicut, inquit, non tenemur comedere niſi quando periculum eſt ne pereat individuum, ita non tenemur ducere uxorem niſi cum periculum eſt ne ſpecies humana pereat. Id enim falſum eſſe ex eo evincimus, quod non tantùm debemus edere quando periculum eſt ne inedia pereamus, ſed etiam quando ex abſtinentia minus idonei eſſemus ad vocationum noſtrarum munia. Idem de conjugio ſentiendum, cujus uſus non ſolùm valet ad conſervationem ſpeciei, ſed etiam ad remedium individui, & præterea ad multiplicationem politiæ civilis & cœleſtis. Nec audimus eundum Bellarminum dicentem, cœlibatum replendo cœlo, magis quàm conjugium inſervire, quia ſæpè uſtiones quibus cœlibes obnoxii ſunt (ut ex clericorum & Monachorum moribus patet) citra remedium legitimum, inter impedimenta ad cœleſte regnum cenſeri debent. Præterea, ſi id de individuo daremus verum eſſe, meliùs continendo quam nubendo cœlum repleri, id tamen falſum eſſet de ſpecie, quæ multiplicatur connubiis. Nec eſt quod moveamur autoritatibus Tertuliani Montaniſantis, aut Hieronymi veſtigia Tertuliani prementis. Cypriani autem & Auguſtini virginitatis laudes, non præjudicant dignitati & neceſſitati conjugii legitimi. Quod autem ſub finem addit Bellarm. Si Philippus vult jure divino & naturali, quocumque tempore teneri homines ad conjugium, injuriam facere Chriſto, Mariæ, Joanni, aliiſque ſanctiſſ. viris qui extra conjugium vixerunt: id nos etiam fateremur, ſi talis fuiſſet mens Philippi. Sed cum ille id limitatè intellexerit de iis omnibus, qui vel donum continentiæ non habent, vel ex dono & vocatione Dei ſe ad conjugium teneri in conſcientia ſentiunt; nullam injuriam fecit Chriſto & ſanctis aliis, qui ex dono & vocatione Dei aliam vitæ rationem inſtituerunt, vel ingreſſi ſunt. Et hæc quidem de primo quod in verbis Moſis conſiderandum propoſueramus.

Secundum eſt circa illa quæ ſequuntur verba, & *ſubjicite terram, & dominamini in piſces maris* &c. Quibus verbis, diximus primos homines miſſos fuiſſe in poſſeſſionem dominii illius quod ipſis aſſignatum fuerat ex creatione ad imaginem Dei. Jubet ergo Dominus, ut illud actu ſuſcipiant. Qua de re dictum eſt antea. Sed quia hic tantùm mentio fit dominii hominum in reliqua animantia, quæſitum etiam fuit, An in ſtatu innocentiæ ſi perduraſſet, futura fuiſſet aliqua dominatio hominum in reliquos homines? Ratio dubitandi eſt, quod in deſcriptione juris dominandi quæ hic habetur, reſtringitur univerſa hominis dominatio ad terram & animalia rationis expertia. De imperio autem hominis in homines nulla fit mentio. 2. Hæc ratio præcipua eſſe videtur cur homini attributum ſit dominium in bruta, quia homo rationale animal eſt, & ad imaginem Dei factum, quod in cunctis hominibus æqualiter fuiſſet, ſi in ſtatu integritatis permanſiſſent. 3. Id etiam obſtare videtur, quod aliorum imperio ſubjici, & ex alieno judicio & voluntate pendere, eſt contra naturalem voluntatis appetitum, quod propterea eſt homini involuntarium, violentum, & odioſum; non itaque videtur conveniens fuiſſe integritatis ſtatui. 4. Videtur etiam omnis ſervitus ex peccato nata, inde eſt quod Moſes poſteros Chami propter peccatum irreverentiæ & impudentiæ, pœnæ ſervitutis addixit. Et poſt peccatum, Evæ dictum fuit, ſub viri poteſtate eris & tibi dominabitur.

Auguſtinus etiam, lib. 19. de civit. Dei cap. 15. idem ſentire videtur, Ait enim Deum, hominem rationalem factum ad imaginem ſuam, noluiſſe niſi irrationalibus dominari; non hominem homini, ſed hominem pecori, inde primos juſtos, paſtores magis pecorum, quam Reges hominum fuiſſe conſtitutos, ut hinc etiam inſinuaret Deus, quid ordo poſtularet creaturarum, & quid meritum exigeret peccatorum. Citatur etiam illud Gregorii lib. 21. Moral. cap. 11. Omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios aliis diſpenſatio occulta poſtponit, ipſa autem diverſitas quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt divinis judiciis ordinata.

Addi etiam poteſt, in ſtatu innocentiæ nullam fuiſſe neceſſitatem legum civilium, cum lex naturalis & innata, cuilibet ad rectè agendum ſufficiens fuiſſet; nulla neceſſitas judiciorum, cum nullæ injuriæ & diſcordiæ locum habuiſſent, nulla inflictio ſuppliciorum, cum omnia malefacta penitus exulaſſent. Sublatis autem legibus civilibus, tollitur Magiſtratus officium, proinde nihil tale futurum fuiſſe, ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet.

Contrà, nec paucis nec infirmis rationibus probari poteſt futuram fuiſſe inter homines aliquam inæqualitatem, & quorundam hominum in alios imperium, etſi homo non peccaſſet: imò tunc futurum fuiſſe politicum aliquem principatum inter homines. Probavimus ſuprà in illo ſtatu futuram fuiſſe generationem. Conſtituerat enim dominus ex uno ſanguine totum genus humanum condere. Ut autem eſſet mutua dependentia, unum tantùm maſculum & unam fœminam creavit, ex quibus reliqui homines erant naſcituri. Inde relatio patrum & filiorum, ex qua neceſſario orta fuiſſet patria poteſtas, & præfectura parentum in liberos.

2. In-

2. Inſtituit Deus ab initio ſexuum differentiam, voluitque mulierem facere ex viro, ex qua dependentia aliqua ſubſequuta eſt inæqualitas, ex inæqualitate præfectura & ſubjectio. Nec etiam neganda eſt in illo ſtatu omnis diſparitas non ſolùm ſexuum, ſed etiam ingeniorum, quæ etiam oritur ex varietate corporum. Non enim dubitandum, tunc etiam futuram fuiſſe corporum variam magnitudinem, figuram, robur; quia talia corpora non fuiſſent exempta legibus naturæ, & indiguiſſent, cibo, aëre, &c.

3. Fuiſſet etiam diſparitas ætatum, quæ neceſſario ſequitur generationem, ſicut eam præcedit ſexus diſparitas; ætatum autem diſparitatem ſequuta fuiſſet diſparitas ſapientiæ per experientiam acquiſitæ. Non enim in illo ſtatu fuiſſent homines nati perfecti, ſed paulatim diſcere & proficere debuiſſent. Etſi enim tunc ab ipſa nativitate præditi fuiſſent originali juſtitia, & Deo grati, ſine dubio tamen, infantes non fuiſſent æquales perfectione adultis. Inter ipſos etiam adultos, potuiſſet vel minor vel major eſſe profectus.

4. Si in familiis naturalis fuiſſet ordo propter cauſas enumeratas, poſtquam multiplicato genere humano, diverſæ ac plures ortæ fuiſſent familiæ; eadem fuiſſet ratio per analogiam, ut ipſis aliquod caput imponeretur, præſertim unà habitantibus: alioquin defuiſſet ordo, ſine quo Natura conſtare non poteſt, quæ nihil abſque ordine meditata eſt vel efficit. *Quæ enim multa ſunt, ad unitatem per ordinem, aliquo modo rediguntur*, ut benè obſervavit Scalig. Exerc. 2. de ſubtil.

5. Inter ipſos Angelos qui in ſtatu ſuo perdurarunt, aliquem ordinem eſſe conſtitutum, extra dubium eſt. Etſi enim probari non debeat eorum temeritas qui involantes in ea quæ neſciunt, curioſè nimis cœlorum ſecreta rimantur & definiunt. Ex Scriptura tamen perſpicuum eſt, eſſe aliquos inter Angelos gradus, dominationum, principatuum & poteſtatum, qui ſi in ſanctis illis creaturis non repugnent ſtatui beatitudinis, in hominibus repugnare non potuerunt ſtatui innocentiæ.

6. Conſtat hominem, naturâ ſua eſſe animal ſociabile, amanſque convictum & conſuetudinem, ad quam naturæ inſtinctu fertur: meliuſque eſſe homini ad omnem vitæ uſum ac jucunditatem, vivere in ſocietate quam in ſolitudine. Ergo tum etiam inter homines futura erat congregatio & conſociatio, quæ certè requiſiviſſet regimen aliquod commune, & ordinem ſuperiorum & inferiorum. Vix enim coaleſcere poteſt aut perdurare conſociatio illa, ubi eſt omnimoda æqualitas.

Quæ certè rationes firmiter evincunt, civilem aliquam dominationem certo determinatam modo, non pugnaſſe cum ſtatu primævæ libertatis. Et quamvis politicæ poteſtatis uſus tum non fuerit: in ea hominum paucitate, eo quod duo tantùm eſſent homines, qui unita familiâ continebantur, tamen tunc locum habiturum fuiſſe ordinem civilem, ſi aliqua hominum multitudo ante peccatum fuiſſet propagata, ob cauſas allatas, ab eo quod homo eſt animal ſociabile; à fine poteſtatis civilis, qui tum etiam locum habuiſſet; à cauſis quæ Deum moverunt ad talem poteſtatem inſtituendam, & ex ipſa lege naturali & morali, quæ civilem poteſtatem confirmat.

Diximus autem, poteſtatem illam, *certo & determinato modo ſe habentem*, primæ libertati non repugnare; quia id de omni poteſtate & ſubjectione non eſt intelligendum. Quapropter diſtinguendum eſt inter politicam ſubjectionem & deſpoticam, id eſt, veram & propriam ſervitutem. Quarum inter ſe hæc eſt differentia, quod is qui ſerviliter ſubjectus eſt, eſt & operatur propter alium; politicè autem ſubjectus, eſt & operatur propter ſe; ſervus enim regitur, non in ſuum, ſed in domini commodum; civis autem regitur in commodum ſuum, non in commodum Magiſtratus: Ideo Princeps politicus dum regit populum, non ſuam, ſed populi utilitatem quærere debet; Tyrannus contra non populi, ſed ſuam utilitatem quærit. Igitur ſi in principatu politico aliqua eſt ſervitus, magis propriè ſervus eſt qui præeſt, quam qui ſubeſt, ut benè docet Auguſt. de Civit. Dei lib. 19. cap. 14. Fuiſſet igitur in ſtatu innocentiæ *prælatio in officio conſulendi & deligendi, non dominium ſervituti oppoſitum*, ut rectè notavit Biel, in 4. ſent. diſt. 15. q. 5. Eſt igitur ſubjectio ſervilis & filialis, regimen δεσποτικὸν & πατρικὸν, imperium coactum & ſpontanea ſubmiſſio; dominatio coactiva & directiva, &c. pro quorum regiminum differentia, facilè eſt videre quid innocentiæ ſtatui conveniat, quid cum eodem pugnet.

Ex quibus etiam ad argumenta initio poſita, reſponſio peti debet. Ad 1. non mirum eſſe, ſi ubi de dominio actum eſt, animalium ratione carentium mentio tantùm facta eſt, non imperii hominum in homines, quia agebatur de dominio deſpotico, & talis poteſtas homini in alia animalia concedebatur, quæ utilitatem hominum ſpectaret, etiam in animalium præjudicium, qualis poteſtas homini in hominem non competit extra peccati ſtatum.

Ad ſecundum, Rationem omnibus hominibus communem, non impedire regimen politicum, aut domeſticum, & ſubjectionem civilem & filialem, quam potius includit. Quia etſi communis fuiſſet omnibus ratio, non tamen in omnibus fuiſſet æqualis ſapientia, aut æquale ingenium, vel eadem ætas aut idem ſexus. Ideò tum etiam recta ratio dictaſſet in imparitate, neceſſariam eſſe aliquam dependentiam, & qui ex rationis dictamine imperaſſent, habuiſſent etiam ſub ſe qui, ratione duce, ſe ſubjeciſſent.

Ad tertium, idem ferè reſpondendum. Eſſe contra naturalem voluntatis inclinationem & appetitum, alieno imperio ſubjici, ſi intelligatur imperium coactivum: contra enim naturalis appetitus voluntatis quæ ratione ducitur prout debet, cum ſit appetitus rationalis, non

repugnat ſubjectioni & ſubmiſſioni ſpontaneæ, ad ſocietatem humanam conſervandam, & ordinem inter homines, qui in aliis omnibus rebus ſervatur, ſtabiliendum.

Ad quartum, verum quidem eſſe ſervitutem propriè dictam ex peccato ortam eſſe, ſed non omnem ſubjectionem, qualis eſt filiorum erga parentes, uxoris erga virum; neque per conſequens imperium, quod in ſubditos libentes, ad eorum utilitatem & bonum humanæ ſocietatis exercetur. Quare quod Deus poſteà Geneſ. 3. v. 16. in pœnam peccati dixit, *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi*, non debet intelligi de qualicumque ſubjectione mulieris erga virum (fuiſſet enim in ſtatu innocentiæ caput mulieris vir, 1. Cor. 11. verſ. 3.) ſed de ea ſubjectione, quæ nunc in ſtatu naturæ corruptæ, habet moleſtiam & pœnam, propterea quod ob naturæ corruptelam, nec viri ſatis humaniter & prudenter, nunc præſunt aut imperant uxoribus ſuis, nec uxores etiam ſatis libenter & æquanimiter maritis obtemperant, etiam in iis quæ recte injungunt. Idem reſponderi debet ad Auguſtini dictum, in quo agit de conditione ſervitutis tantùm, quam dicit impoſitam fuiſſe jure homini peccatori, non de ſubjectione ſpontaneæ ſubmiſſionis, quam ſolam agnoſcimus ſtatui innocentiæ convenire. Quod autem ait, *primos juſtos magis paſtores pecorum, quam reges hominum conſtitutos fuiſſe, ut hinc etiam inſinuaret Deus, quid poſtularet ordo creaturarum, & quod exigat meritum peccatorum*, id intelligendum eſt, quatenus regium nomen, per abuſum, pro deſpotico dominatu uſurpatur. Alioquin, ſecundum Auguſt. ipſum, lib. 5. de civit. Dei cap. 12. Rex dicitur à regendo & conſulendo, non à regnando & dominando, quomodo Abraham, Iſaac & Jacob, reges dici potuiſſent. Quia tamen hominum faſtus, regem à regnando & dominando potiùs dici cenſet, inde eſt quod Auguſt. primos juſtos paſtores pecorum, potius quam Reges hominum, dictos fuiſſe notat.

Nec alia eſt ratio dicti Gregorii, qui inter homines naturâ æqualitatem conſtituere videtur, ſed libertatis tantum quæ ſervituti coactivæ repugnat, non ſexus, ſapientiæ, conditionis, &c. peccato igitur adſcribit, non principatum politicum ſimpliciter, ſed quale nunc eſt, adjuncto metu, triſtitia & timore, ex coactione, &c.

Ergo hoc loco Deus diſponit de ordine hominis ad alia animalia, non de ordine hominis ad hominem, qui ideò negari non debet, ſi modo iis limitibus circumſcribatur, ut jam à nobis factum eſt, qui primum illum hominis ad imaginem Dei creati ſtatum non perturbet, & ejus ſanctæ libertati non præjudicet.

Argumentum autem à ſtatu illo primævo deductum, ad ſtatum corruptionis, non valet: nec audiendi ſunt hoc tempore vel Anabaptiſtæ vel ſimiles, qui vel nullam prorſus ſubjectionem admittunt, vel coactivam ſaltem penitus tolli vellent. Alios enim mores, aliud tempus poſtulat. Si quis enim objiciat, ſervitutem illam coactivam eſſe contra naturam, proinde non eſſe legitimam. Reſpondendum eſt, Non ita eſſe contra naturam, ut ſit contra rectam rationem, vel præceptum naturale: ſed dici poteſt contra naturam, quia eſt contra primævam naturæ conditionem: ſecundum quam, cum omnes eſſent recti & ſine peccato, iniquum fuiſſet, ſi alter alterum ſervituti ſubjeciſſet. Nunc autem, peccato ſuppoſito, talis ſervitus rationi conſentanea eſt. Sicut uti pharmacis & medicamentis, & cruciatibus homines afficere, eſt contra primam naturæ conſtitutionē; non autē contra rationē, accedente morbo, vel crimine.

AD CAPVT II.

Exercitatio XI.

Exercitus cœli & terræ, quid ſit? Acceptionum diſtinctio. Senſus huic loco accommodatus. Angelos fuiſſe à Deo creatos in Hexamero, & ſub exercitu cœlorum comprehendi. Probatur argumentis. Contraria Græcorum Patrum ſententia expenditur. Scholaſticorum ſuper ea re digladiatio. Reſpondetur argumentis à Caſſiano collectis.

Geneſ. cap. 2. v. 1. Sic habetur, *Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum.* Ebr. וכל־צבאם. Quæritur quid per exercitum cœli & terræ ſit intelligendum? verbum צבא ſignificat turmatim congregari, ad militandum præſertim; tranſlatitiè autem, pro turmatim convenire ob aliam cauſam; ut cultus divini cauſa, ut Num. 4. v. 24. dicuntur ingredientes *ad militandum militiam in tabernaculo*, qui congregabantur ad ſerviendum in tabernaculo. Nomen inde deductum, quod exercitum vertunt plerique interpretes, pro multitudine diſpoſita ad militandum certo ordine, accipitur. Hinc etiam per tranſlationem, non ſolùm pro tempore ordinato, determinato & conſtituto: ſed etiam pro iis rebus, quæ ad formam exercitus, certo ordine, diſponuntur. Quo ſenſu exercitus cœlorum & terræ ſunt, diſpoſitio illa variarum creaturarum in cœlo & in terra, à Deo initio creata & inſtituta. In terra animalia omnia, plantæ, metalla, &c. In cœlo, aſtra omnia, planetæ, ſtellæ, &c. LXX. interpretes τὸν κόσμον, id eſt, ornatum reddiderunt, non malè ad ſenſum. His etenim creaturis ornantur cœlum & terra. Sed fortaſſe putarunt nomen צבא *tſaba*, dedu-

deductum eſſe à צבה *tſabah* cum ה & idem eſſe cum צבי *tſibi*, jucunditas, pulchritudo, delectatio, &c. Vulgata editio expreſſit verſionẽ LXX. *& omnis ornatus eorum.* Certum eſt nomen illud ſumi, pro quavis multitudine ordinata. Sed quæritur præſertim, quid per *exercitum cœlorum* ſit intelligendum? Alibi in Scriptura, ſumitur hoc nomen pro multitudine Angelorum Deo adſtantium, ut 1 Reg. 22. v. 19. vidi Dominum *ſedentem ſuper throno ſuo, & omnem* צבא השמים tſeba haſchamajim, *exercitum cœlorum* ſtantem juxta eum à dextris ejus & à ſiniſtra ejus. ſic Luc. 2. v. 13. *multitudo exercitus cœleſtis*, quæ de Angelis ibidem exponitur. Qui etiam dicuntur Pſal. 103. v. 21. Exercitus Dei. *Benedicite Domino, omnes exercitus ejus, miniſtri ejus &c.* Sumitur etiam hæc vox, pro ſtellarum multitudine, quia quaſi milites in ſtatione collocatæ ſunt, ut imperio Dei ſerviant, eique ſemper præſto ſint. Deut. 4. v. 19. *Ne quando eleves oculos tuos in cœlum, & videas ſolem, & ſtellas & lunam, & omnem exercitum cœlorum.* Act. 7. v. 42. *ut ſervirent exercitui cœli.* Quo ſenſu, Luna quæ iſti multitudini præeſſe videtur, ab Idololatris *Regina cœli*, nominabatur. Jerem. 7. v. 18. & 44. v. 17. 18. 19. In hoc ſenſu ſemper intelligit Scriptura *exercitum cœli*, quando Idololatris ſuccenſet, iiſque ſuam impietatem exprobrat. Eſt in ſtellis, ac multo magis in Angelis, triplex exercitus proprietas, ordo, fortitudo, & majeſtas. Et hæc quidem de vocis ſignificatione: videndum nunc quænam acceptio huic loco conveniat.

Fagius & Mercerus viri doctiſſ. referunt Ebræos, per *exercitum cœli*, duo luminaria, ſtellas & omnia ſydera, necnon Angelos, atque animas hominum intelligere. Sunt etiam doctiſſ. Theologi inter noſtros qui ita ſentiunt; & relativum referri ad omnes creaturas cœleſtes ac terreſtres viſibiles & inviſibiles. Verum quidem eſt quod doctiſſ. Mercerus notat, Moſem, Angelorum in toto hoc creationis opere non expreſsè meminiſſe. Cujus rei hanc rationem reddit, quod aſpectabilia tantum vellet populo proponere, & quæ omnibus nota ſunt & vulgata, ne quis in univerſitate putaret aliquid eorum quæ cernuntur eſſe non à Deo conditum & profectum: Quæ autem oculos & mentes hominum tranſcendunt, ne attigit quidem, quod obſcura eſſent, nec hominibus planè nota; Et eorum creationis ratio nos fugiat, nec ab hominibus ſciri voluerit. Nos etiam judicamus non eſſe curioſè inquirendum de ratione aut modo creationis eorum. Sed tamen illud certò tenendum quod etiam omnes qui aliquo pietatis ſenſu ducuntur, nobiſcum aſſerunt, Angelos fuiſſe à Deo creatos. Et quamvis Moſes anteà non meminerit creationis eorum; tamen mihi non eſt improbabile, in hac recapitulatione operum Dei, voluiſſe Moſem innuere creationem Angelorum factam in tempore ſex illorum dierum, cum poſteà Spiritus ſanctus, ſui ipſius interpres, *Angelos* vocaverit *exercitum cœlorum*. Cum autem omne opus Dei quod fecit, à Deo, ſpatio illorum dierum completum fuiſſe Scriptura apertè teſtetur, & feciſſe Deum ſex diebus omne opus ſuum, opus nempe creationis, non video quomodo dubitari poſſit de Angelorum creatione uno ex ſex illis diebus facta, ab iis qui tanquam dogma fidei amplectuntur, Angelos eſſe opus Dei, & creatos fuiſſe à Deo ex nihilo. Id enim ex Scrip. manifeſtiſſimum eſt, nam Pſal. 148. v. 2. poſtquàm Propheta Angelos & omnes alias creaturas ad laudes divinas celebrandas invitaſſet, pariter de omnibus illis ſubjunxit, *quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Coloſſ. 1. v. 16. *In ipſo condita ſunt univerſa, in cœlis & in terra, viſibilia & inviſibilia: ſive throni, ſive dominationes, ſive Principatus, ſive poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Ex quibus evidentiſſimè conſtat Angelos eſſe opera Dei, per verbum ab ipſo condita. Cum igitur Angeli ſint opus Dei, & omne opus ſuum ſex diebus creaverit Deus, certum habemus Angelos fuiſſe uno ex illis ſex diebus creatos.

Addimus, Scripturam quotieſcumque loquitur de iis quæ facta ſunt aut decreta, ante mundi creationem, ſeu *ante tempora ſecularia*, æternitatem intelligere, ut patet ex 2 ad Tim. 1. v. 9. & ad Tit. 1. v. 2. & Epheſ. 1. v. 4. ſicut elegit nos, *ante quam jacerentur fundamenta mundi.* id eſt, ab æterno.

Præterea Moſes ait, *In principio Deum creaſſe cœlum & terram*, Si Angeli ante illud principium fuerunt creati, non fuit hoc principium creationis, quod tamen ex Scriptura evincitur. & ante illud principium æternitas deſignatur, Proverb. 8. v. 22. *Iehova poſſedit me, principio viæ ſuæ, ante opera ſua, ante ullum tempus*; ubi illud *ante ullum tempus*, eſt exegeſis ejus quod dixerat *ante opera ſua*, facta enim fuerunt in tempore, Angelis non exceptis; Addit, *ante ſeculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ.* Ante illa omnia fuit Æternitas. Angelos dicere æternos, error eſt exploratus; proinde non potuerunt eſſe ante primordia illa.

Utitur etiam in eandem rem Theodoretus, hoc argumento. Angeli ſunt definiti, ergo debent eſſe in loco definitivè, etſi non circumſcriptivè; Ante mundum autem creatum, nullus erat locus. Ergo non fuerunt creati, ante *principium* quo creatus fuit mundus.

Plerique nihilominus Græci patres in ea ſententia fuerunt, Angelos fuiſſe creatos multò ante hunc mundum corporeum, quam ſententiam legimus, apud Orig. Nazianz. Chryſoſt. Baſil. & Damaſcenum. Inter Latinos etiam eam amplexi ſunt, qui ex Græcis pleraque ſua hauſerunt. Ambroſius in Hexamero, Hilar. lib. 10. de Trinit. Hieron. in cap. 1. epiſt. ad Tit. & Caſſianus Collat. 8. cap. 7. qui etiam rationes nonnullas adducit, quas poſteà examinabimus, ſi primùm inquiſierimus, quid de illa ſententia, ſit pronunciandum.

Non defuerunt inter Scholaſticos, qui non ſolum erroris, ſed etiam hæreſeos maculam ei aſperſerunt. Et

 quam-

quamvis non habuerint pro hæreticis Patres qui eam ſequuti ſunt; quia pertinaciter ei non adhæſerunt, nec legitimè convicti de contraria Scripturæ ſententia, in errore perſtiterunt: exiſtimarunt nihilominus hoc tempore defendi non poſſe ſine hæreſi, quia Concilium Lateranenſe ſub Innocent. III. definivit, *initio temporis Deum de nihilo ſimul creaturam utramque condidiſſe, tam corporalem quàm ſpiritualem.* Litigant Pontificii inter ſe de ſenſu hujus decreti. Ferrarienſis Thomæ interpres, in lib. 2. contra Gentes, cap. 83. Damnat contrariam ſententiam, tanquam erroneam & hæreticam, ex vi illius Decreti. Alii autem ex Pontificiis recentioribus, nec hæreſeos nec erroris, quidam etiam nec temeritatis notam inuri volunt tali decreto, contrarium ſentientibus. Ideò dicunt, innui quidem voce illa *ſimul*, communiorem & veriorem ſententiam, ex inſtituto autem ibi ſolùm definiri utramque creaturam fuiſſe à Deo productam ex tempore: Quæ autem in conciliis obiter aſſeruntur, non definiri quaſi certa ex fide. Sic Greg. de valent. Tom. 1. q. 12. diſp. 4. punct. 2. Alii etiam Jeſuitæ, qualis eſt Vaſquéz, negant, partes illas definitionis divelli poſſe, ut una ſit de fide, altera tantùm probabilis; quia initio præmittitur præfatio hæc, *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur*; ideò *ſimul* particulam, negat indicare *ſimul duratione*, cum creatura corporea conditos fuiſſe Angelos; ſed *pariter* à Deo conditos fuiſſe, qui creaturam corpoream condidit; & *tempus* cujus fit mentio, in oratione Angelorum ſumi pro principio cujuſque durationis etiam permanentis, qualis eſt duratio ſubſtantiæ Angeli, quam, etſi Angeli creati fuiſſent ante mundum, initium aliquod habituram fuiſſe putat; non pro tempore propriè ſic dicto, ex motu corporis cœleſtis. Hujus digladiationis ideò ex occaſione meminiſſe volui, ut hoc exemplo pateat, quam firma ſint decreta fidei apud Pontificios, & quiſque videat, quam verum ſit quod jactant, talibus decretis dubia omnia ſolvi, in quibus alioquin perpetuò hærendum eſſet, ſi Scripturæ ſoli inniteremur; quia variis interpretationibus poteſt eludi. Nam hoc ipſum etiam accidit conciliorum Decretis ut manifeſtum eſt, in quibus fide credenda definiri nonnulli judicant in quibuſdam, quæ alii cenſent tanquam probabilia fuiſſe inſinuata, alii ne inſinuata quidem: ita ut ad talia decreta certò interpretanda, opus ſit alio decreto; & tandem progreſſus in infinitum ducendus, quia etiam à doctoribus in varias ſententias trahetur: Quod hoc noſtro tempore, accidit Concilii Tridentini decretis, non ſolùm in materiis diſciplinæ, ſed etiam in rebus fidei. Quæ propterea à bonis illis patribus ita exarata fuiſſe conſtat, ut utrique parti litigantium inter Pontificios ſua ſtaret ſententia, dummodo manifeſtè ferirent eos, qui Pontifici Romano ſe non ſubjiciunt.

Sed ut jam redeat oratio unde incœpit, Nos, etſi argumentis antea allatis ſatis perſuaſi ſimus de veritate ſententiæ illius communis, quæ Angelos fuiſſe creatos ſimul cum mundo corporeo docet: Quia tamen res illa non ad primarios & planè neceſſarios fidei articulos pertinet; Theodoreti moderationem amplectimur, qui, etſi cum iis ſentiat qui Angelorum creationem ad Hexameron illud referunt, *Illud ſcire neceſſe eſſe*, aſſerit, *omnia quæcumque extant*, (excepta SS. Trinitate) *naturam habere creationi obnoxiam*; *Hoc autem conceſſo, ſi quis Angelorum turbas, ante cœlum & terram conditas eſſe dixerit, non offendet verbum pietatis.* Idem cenſuit Auguſt. lib. 11. de civit. Dei cap. 42. *Proinde*, inquit, *ut volet unuſquiſque accipiat, quod ita profundum eſt, ut ad exercitationem legentium, à fidei regula non aberrantes, plures poſſit generare ſententias, dum tamen Angelos ſanctos, Deo non coæternos nemo ambigat.* Et certè ideò magis excuſandi ſunt, qui à ſententia illa tum non potuerunt dimoveri, quò qui aliter ſentiebant infirmioribus argumentis uſi ſunt, & Scripturas eas protulerunt, vel quæ ad rem non pertinerent, vel quæ non eſſent firmæ autoritatis. Plerique enim veterum qui probabiliſſimæ ſententiæ adhæſerunt, verba illa allegabant, *In principio creavit Deus cœlum & terram & dixit, Fiat Lux.* Ubi per cœlum vel Lucem, intellexerunt Angelos. At ſi figurata interpretatio & allegorica talis ibi eſſet, quæ probabilitatem ſuam haberet, quod (pace tantorum virorum) non exiſtimamus. Tamen argumentum non valet ab allegoria deductum, quæ in ipſa Scriptura ſuam non habet interpretationem. Quod etiam ex Eccleſiaſtici cap. 18. v. 1. adferebatur, *Deus creavit omnia ſimul*, nec aptum erat ad controverſiam dirimendam ex libro Apocrypho, ſaltem non canonico; nec Græcos perſuadere potuit, non ſatis apta Græci textus Latina interpretatio. Non enim habetur in Græco textu, *creavit omnia ſimul*, ſed ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ, *creavit omnia communiter.* ut ſupra oſtendimus.

Firmiora ſunt quæ anteà attulimus, adverſus quæ nihil poſſunt Caſſiani & aliorum qui contra ſentiunt, argumenta. Objicit ille, ſub nomine Abbatis Sereni. collatione VIII. cap. VII. I. *Nos exiſtimare non debere, creationis & opificii ſui principia, ab hujus mundi conſtitutione primitus Deum inchoaſſe, quaſi in illis anterioribus atque innumeris ſeculis, ab omni providentia & operatione divina fuerit otioſus, ac tanquam non habens in quos bonitatis ſuæ exerceret beneficia, ſolitarius, atque ab omni munificentia alienus fuiſſe credatur, quod de illa immenſa, ac ſine principio & incomprehenſibili majeſtate, ſatis humile eſt incongruumque ſentire*, &c. Reſpondeo, Si argumentum hoc aliquid valeret, probaret utiq; Angelos ab æterno, non ſolum ante mundi conſtitutionem fuiſſe creatos. Nam ſi aliquod initium daretur, quo ſpiritus illi creati eſſent ante mundum, ſemper idem poſſet objici, Deum ab omni providentia & operatione divina ante illud principium fuiſſe otioſum, & tandem ad æternitatem eſſet deveniendum, quod ipſe Caſſianus refugiebat. Hoc eodem argumento abute-

abutebantur nonnulli, referente Auguſt. de civit. Dei lib. 11. cap. 5. ut probarent mundum fuiſſe ab æterno productum. Quibus rectè reſpondebat, Deo nihil perfectionis advenire ex eo quod extra ſe aliquid operetur, & contrà, nihil ipſi deeſſe perfectionis ſi non operetur, parum itaque referre, ſi per infinita ſecula, nihil Deus extra ſe produxit. Deus enim non indiget creaturis, ſibi ipſi ſufficiens.

2. Objicit, ex lib. Jobi cap. 38. hæc verba, *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ*, &c. *Quando me laudarunt ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Quem locum Caſſianus ex LXX verſione ſic expreſſit, *Quando facta ſunt ſidera, laudarunt me voce magna omnes Angeli Dei.* Unde intulit. Qui interſunt creationi ſiderum ante iſtud principium in quo facta dicuntur cœlum & terra, creati fuiſſe anteà manifeſtiſſimè comprobantur, quippe qui, pro iſtis omnibus viſibilibus creaturis, quas videbant ex nihilo proceſſiſſe, creatorem magna voce referuntur & admiratione laudaſſe, Reſpondemus, nihil tale ex Ebræo textu ſequi. verſ. 6. *Cum laudarent pariter ſtellæ matutinæ, & jubilarent omnes filii Dei.* Unde id tantum ſequitur initio creationis cœli & terræ, ſtellas & Angelos Deum laudaſſe, quia tum etiam ſtellæ & Angeli fuerunt à Deo creati. Et quamvis lectio LXX retineretur, notavit Theodoretus contra eos qui ſentiunt inde ſequi, Angelos fuiſſe creatos ante omnem naturam corpoream, aſtra non fuiſſe primo die creata, ſed quarto, ut ex 1. cap. Geneſ. conſtat. Angelos itaque in creatione aſtrorum Deum laudare potuiſſe, etſi non creati fuiſſent ante omnem naturam corpoream..

3. Ineptum eſt quod nonnulli ex Job. 40. capite ſic arguunt, *Behemoth* dicitur *principium viarum Domini:* per *Behemot* autem intelligitur Diabolus, ergo Angeli quorum Diabolus fuit unus, creati ſunt ante alias omnes creaturas. Primò enim per Behemoth intelligi Angelum malum, commentum eſt, quod nullum in Scriptura fundamentum habet. Certum eſt enim ibi de beſtia aliqua magnæ molis, qualis eſt Elephas, ſermonem eſſe, ut ex tota deſcriptione patet, quæ ſpiritui competere non poteſt. Sic enim verſ. 10. *Ecce nunc Behemoth, quem feci tecum, herbam veluti bos comedet,* &c. Quod autem dicitur, principium, aut caput, viarum, aut operum Dei, quæ per vias ſignificantur, non intelligi debet de initio creationis aut principio temporis, quaſi ante alia omnia Dei opera creata eſſet beſtia illa; ſed quia corporis vaſtitate & magnitudine, robore item & viribus, reliquis animalibus antecellit, dicitur principium operum Dei, id eſt, primarium & admirabile Dei opus. ראשית *reſchit* enim apud Ebræos ſæpè ſumitur, pro re præcipua & primaria, & pro primitiis. Id ergo eſt quod Gallicè dicimus, ut notavit Doctiſſ. Mercerus *c'eſt un chef d'œuvre de Dieu,* id eſt, eximium aliquod ſpecimen operum divinorum. Simili ſenſu Jacob. 1. v. 18. *Quia voluit, progenuit nos ſermone veritatis, ut eſſemus ἀπαρχήν τινα principium quoddam*, id eſt, *primitiæ quædam ſuarum creaturarum*, quia primitiæ ſunt optimum cujuſque rei, & principatum tenent inter reliqua.

4. Nihil etiam ad rem facit quod objicit Hieronymus ex cap. 1. Epiſt. ad Tit. v. 2. Ex quo illud ad ſententiam ſuam flectere conatur, *Ad ſpem vitæ æternæ, quam promiſit Deus mentiri neſcius, ante tempora ſecularia.* Unde ſic argumentatur. Si ante tempora ſecularia promiſit Deus, ante illa tempora erant quibus hæc promiſſio fieret. Homines autem non erant nec aliæ creaturæ; ergo Angeli. Reſpond. Verum eſſe χρόνους αἰωνίους *tempora ſecularia*, ætates ſignificare; quæ ab initio mundi numerantur; ſed ſi aliqua promiſſio ante illa ſecula facta fuit, ab æterno factam fuiſſe neceſſe eſt: Si ergo oportuit aliquos eſſe quibus fieret promiſſio, illi quoque ab æterno extitiſſent. Id autem eſſe contra fidem judicarunt ii cum quibus diſputamus. Dicendum ergo promiſſionem factam ab æterno, nihil aliud eſſe quam prædeſtinationem divinam, qua promiſſio illa facta eſt, iis qui in ſe non exiſtentes, à Deo tamen conſiderabantur tanquam exiſtentes, quibus poſteà in tempore patefacta eſt promiſſio. Niſi tempora αἰώνια ſecularia, ibi accipiamus, pro præteritis longè ſeculis quæ Chriſti exhibitionem præceſſerunt: quomodo utimur voce *olim,* quæ ab Ebræo עלם *olam* deducta videtur, qua indicamus tempus longè ante præteritum. Primam interpretationem præfero, quia alibi, ut ſupra oſtendimus, phraſis illa *ante tempora ſecularia*, ſignificat quod ab æterno factum eſt.

5. Argumentum etiam nonnulli texunt à Moſis ſilentio, qui in creationis Hexameri deſcriptione Angelorum creationis mentionē nullam facit, quod ſignum eſſe putant non fuiſſe cum hoc mundo corporeo creatos. Quod argumentum video maximè urgeri à Philopono, Baſilium defendente, adverſus Theodorum Mopſueſtenum. lib. 1. De mundi creatione cap. 15. *Nec Moſes*, inquit, *nec quiſquam alius Propheta hoc dixit.* Qui cap. præcedenti, laudaverat verba Theodoreti, *Temerarium arbitror, de his quicquam aſſertivè dicere, quod διαῤῥήδην expreſſe divina Scriptura non tradit.* Reſp. Nos jam rejeciſſe illorum ſententiam, qui ut huic argumento reſponderent nomine *Lucis* apud Moſem, Angelos intelligebant: Cum enim Scriptura Moſis fuerit hiſtorica narratio, verba illius in communi ſunt uſurpanda, & vulgata non metaphorica ſignificatione, alioqui tota hiſtoriæ certitudo nutaret. Non videntur etiam rationem afferre ſolidam iſtius ſilentii Moſis, qui reſpondent, ideò prætermiſſam fuiſſe creationem Angelorum, ne populus ille ad Idololatriam nimium propenſus Angelos tanquam Deos adoraret. Nam cum populus ille ſatis ſciret Angelos eſſe ex crebris apparitionibus patribus factis, & ipſe Moſes illorum ſæpe in ſuis libris mentionem faciat, ſi in eo aliquod fuiſſet Idololatriæ periculum ex cultu Angelorum, po-

tiùs oſtendendum fuiſſet illos ab initio à Deo fuiſſe creatos, quandoquidem ex eo potuiſſent colligere creatoris honores, creaturæ non eſſe deferendos.

Alia igitur ratio aut proferenda eſt, aut ſi non poſſit certò colligi, in genere tamen aliquam fuiſſe agnoſcendum eſt, ob quam expreſſa ejus rei mentio facta non eſt, ea autem eſſe videtur, quia inſtituti ejus ratio id non poſtulabat, qui ſolùm voluit ordinem creationis rerum corporalium deſcribere; quia ſolùm in rebus corporeis creandis fuit illa ſeries & varietas dierum quæ explicatione indigebat, ut jam anteà notavimus.

Itaque judicamus, ſcrupulosè, imò curiosè, potius quàm utiliter quæri, quo die Angeli ſint creati, an primo, an ſecundò, vel tertio; quod qui definiunt temerè id faciunt, & vanis conjecturis ducti. Sufficiat id nobis eſſe nobiliſſimas Dei creaturas, conditas cum Deus ut Exod. 10. dicitur, *creavit ſex diebus omne opus ſuum.* De reliquis

Neſcire nolle quæ magiſter maximus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

Exercitatio XII.

Explicatur verſus ſecundus. Solvitur difficultas de completo omni opere Dei, ſeptimo die. Quæ fuerit quies Dei? Quomodo ceſſet Deus ab actu? Refelluntur Manichæi. Actus purus cur dicatur Deus. Perfectio quomodo tribuatur rebus creatis? Arguuntur otioſæ nonnullorum diſputationes. Gradus creaturarum.

Verſu ſecundo, ſcribitur in Vulgata editione, *complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Quæ verba interpretibus multis crucem fixerunt. Cùm enim poſteà dicatur, Deum quieviſſe die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, non poſſunt capere, quomodo illo die quieviſſe dici poſſit, is qui eodem die opus ſuum complevit. Ideò LXX interpretes, ſeptimum diem non auſi fuerunt adſcribere, ſed mutarunt in diem ſextum & verterunt, *συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ.* Ebræi lapidem omnem movent ut ita hunc locum explicent ne præjudicet exactæ obſervationi diei Sabbathi. Si enim aliquid eo die operatus eſt Deus cujus exemplum in præcepto adducitur, vident etiam inde multos occaſionem ſumpturos, ex illo die aliquid ad privata ſua negotia curanda decerpendi. Ideò, ut refert doctiſſ. Mercerus, Rabbi Iſaac, cognomento Caro, & Rab. Selomo poſt Bereſchit rabba, cum aliis Ebræis, dicunt, Deum in ipſo nunc, id eſt in inſtanti & puncto finis diei ſexti opus creationis abſolviſſe, vel ut refert Fagius, quo Sabbathum intravit, ſoli enim Deo momenta temporis nota eſſe, ſecus vero homini, cui ob id, de profano ad ſacrum addere neceſſe eſt, unde etiam hodiè Judæi Sabbathum tempeſtivius auſpicantur, & tardiùs deſinunt, ſatius ducentes de Sabbatho adjicere ad prophanum, quam de prophano ad Sabbathum. Sed Deum momentis temporum ſubjicere non decet, quaſi in puncto demum diei ſexti opera ſua compleverit, quæ Judæorum ſpeculatio non valet illud, חוט השערה *chut haſcheara, filum pili*, quo momentum illud ſuum deſignant.

Quæritur ergo, quomodo aliter ſolvi poſſit nodus, quo etiam Hieronymus arctare ſe poſſe putat Judæos. Sic enim ille in quæſt. Ebr. *Arctabimus igitur Iudæos qui de otio Sabbathi gloriantur, quod jam tunc, in principio Sabbathum diſſolutum ſit, cum Deus in eo ſua opera compleverit, eique propterea benedixerit, quod in eo omnia complevit.* Nodum non ſolvunt, qui referente Aben Ezra, dicunt, diem ſeptimum fuiſſe à Deo creatum, & poſteà Deum quieviſſe ab operibus ſuis, quod ipſe frigidum & inſulſum judicat. Etſi enim dies etiam creati ſint; non tamen propriè creatio diebus tribuitur, ſed operibus in illis diebus factis. Nam cum primo die lucem creaſſet Deus, jam primus dies fuit, inde dies ſecundus, & ita ſucceſſivè ex eadem cauſa naturali primum creata recurſus fuit dierum & noctium. Naturæ ergo curſu jam poſitum erat, ut dies diem ſequeretur, nec erat neceſſe ut Deus per ſe & immediatè diem crearet. Reſpondet igitur Aben Ezra abſolutionem operis, non eſſe opus. Idem ergo eſſe quod dixit Moſes Deum compleviſſe die ſeptimo omnia opera ſua, ac ſi diceret, deſiit opus facere die ſeptimo. Itaque ubi dies ſeptimus adveniſſet, verum fuiſſe dicere eum compleſſe opus ſuum. Sed quemadmodum verbum עשה *aſa*, verſum fuit à veteri interprete per pluſquamperfectum fecerat, quo indicatur opera illa facta fuiſſe ſexto die, quemadmodum ad ſenſum LXX interpretes reſpicientes, expreſſerunt. Sic potuit futurum ויכל *vajekal* quod converſum in præteritum eſt, per pluſquamperfectum verti, & *perfecerat.* Unum enim duntaxat præteritum cum habeant Ebræi, pro cunctis ejus ſpeciebus uſurpatur, quod proinde pro ratione loci & ſenſus debet reddi, modo per imperfectum, modo per pluſquamperfectum. Id cum animadvertiſſent doctiſſ. interpretes Ebraicæ phraſeos, Mercerus, Druſius & Sixtinus Amama, Marinus Merſenius Monachus, Franciſci de Paula, in commentario, quem non ita pridem Lutetiæ in aliquot capita Geneſeos edidit, poſtquàm ex Mercero pleraque tranſcripta ſua feciſſet; in eum & cæteros tanquam hæreticos inſurrexit, quaſi Vulgatæ editioni dicam impegiſſent, quam tamen in eo non reprehendunt, quod præterito uſa ſit perfecto; ſed tantum modeſtè indicant potuiſſe uti pluſquamperfecto, ad ambiguitatem tollendam; & nunc etiam ita accipiendum

piendum eſſe illud *perfecit*, ut vim habeat pluſquamperfecti. Rectè enim obſervavit Druſius, quando interpretes per præteritum perfectum exponunt, quæ eſt prima præteriti Ebræi acceptio, ſi ſententia ſit de imperfecto aut pluſquamperfecto, ut hoc loco, ſic accipiendos eſſe, ut interpretatio illorum ad ſententiam referatur & accommodetur. Quod qui non recipit, vel carpere conatur, ne quid gravius dicam, parum ad rem attendiſſe videtur. Certè ad rem idem eſt quod Em. Sa, *die ſeptimo* intelligit *excluſivè*, & Mariana, *ante ſeptimum*, quid enim eſt *complevit ante diem ſeptimum*, niſi, *compleverat die ſeptimo?* quam verſionem cum Ebræa ferant, nonne tutius fuiſſet ita interpretari, ut nulla ſupereſſet ambiguitas? Sed quia doctiſſimus Amama ὁ μακαρίτης, ex quo tempore præcedentia notaveramus, fusè Merſenno reſpondit in Antibarbaro ſuo, non opus eſt ut cum eo pluribus jam agamus.

2. Quæritur qualis fuerit illa quies Dei die ſeptimo, cujus hic ſit mentio? Quid enim neceſſe erat Deum quieſcere, quaſi fatigatus eſſet qui verbo & nutu omnia creaverat? Reſpond. Cum *quies*, duo ſignificare poſſit, 1. refrigerium poſt laborem; 2. finem terminumque actionis, ſi primo modo intelligeretur quod dicitur, id abſurdiſſimum eſſet, vel aliqua interpretatione figurata leniendum: ad quam recurrere non eſt opus, quandoquidem, verbum שבת non quietem propriè, ſed *ceſſationem* ſignificat. Alibi tamen neceſſarium eſt, ubi Scriptura Deo tribuit quietem, ut in Decalogo Exod. 20. v. 11. וינח *vajanach* & quievit die ſeptimo. Item refocillationem ut וינפש *vejinapſh* Exod. 31. v. 7. *& refocillatus eſt*. Quibus locis loquitur Scriptura hominum more, qui ubi aliquod magnum opus fecerunt amant requiem: quæ etſi non in Deum cadant, in uſum tamen noſtrum & doctrinam ei tribuuntur, ut opus illud ſex dierum conſideremus, & ſeptimo die remiſſionem laboris iis concedamus, qui tota hebdomade laborarunt; unde poſteà natum eſt præceptum de ſervando Sabbatho. Ergo ceſſavit Deus tunc ab opere ſuo quod fecerat.

3. Sed ex ſolutione quæſtionis illius oritur alia. Olim enim Manichæi & alii hæretici, hoſtes veteris Teſtamenti objecerunt repugnantiam cum novo in quo filius Dei Joh. 5. v. 17. dicit *pater meus uſq; modo operatur & ego operor*. Unde colligebant non ceſſaſſe Deum ſeptimo die, contra Moſem. Addebant Deum, creaſſe poſteà tribulos & ſpinas, & paſſim dicere, ſe multa nova creare, ut Eſai. 43. v. 19. *Ecce ego facio rem novam &c.*

Fuerunt etiam, qui rationis humanæ judicio uſi, abſurdum duxerunt Deo quietem tribuere aut ceſſationem ab actu, quia cum Deus ſit merus & perpetuus actus, non exiſtimabant poſſe dici Deum vel cœpiſſe vel deſiiſſe mundum creare. Alii ex quiete & ceſſatione, *Epicuri* dogma ſtabiliri putarunt, quaſi jam Deus rerum omnium curam abjeciſſet, & otioſus ſpectaret actiones cauſarum ſecundarum.

Manichæorum objectionem prævenit Moſes ipſe: Nam cum dixit Deum ab omni opere ſuo quod fecerat quieviſſe, ſatis indicavit, ceſſationem illam ratione operum primæ creationis & rerum conſtitutionis intelligi debere, non quod Deus non ſuſtentet opera creata, & cauſas omnes ſecundas moveat, & cum illis concurrat; etſi novas rerum ſpecies non faciat in natura, quamvis pro ſapientia ſua & voluntate mira etiam ſupra naturam operetur. Quod autem de ſpinis & tribulis addunt planè inſulſum eſt, non enim Deus minatur ſe talia de novo creaturum, quaſi nullibi in terra reperirentur, ex prima creatione; ſed quia multiplicanda erant, & moleſtiam homini allatura. Alia autem quæ Deus ſe creaturum nova dicit pertinent ad ſtatum gratiæ & gloriæ, non ad ſtatum naturæ, qui ſtatus alia contemplatione indigent. Itaque à ſtatu primæ creationis, ad creationem novam, non valet argumentatio. Non valet etiam conſequentia ab eo quod Deus eſt actus purus, ad perpetuam rerum creationem novam. Actus enim purus non dicitur Deus ratione externorum effectuum: ſed quia Deus nunquam eſt in potentiâ, nec agit cum motu aut mutatione ſui. Itaque actus tunc propriè ſignificat perfectionem. Res omnes quæ fiunt ante quam fiant ſunt in potentia, ſed Deus qui eſt cauſa rerum eſt ens actu ſimpliciter; nec tamen neceſſarium eſt omnes Dei actiones ratione rerum externarum ab æterno eſſe & ſemper eſſe; ratione enim actionum tranſeuntium, qualis eſt creatio mundi, juſtificatio, &c. verè poſſumus affirmare alias priores, alias poſteriores eſſe, alias præteritas alias futuras; ab unis ceſſare, alias adhuc operari &c. Deo tamen ſemper immutabili manente, dum omnia mutat & movet.

Qui autem ex ceſſatione Dei colligunt rerum omnium curam abjeciſſe Deum, fallunt à dicto ſecundum quid ad ſimpliciter, quandoquidem, non dicitur Deus planè ceſſaſſe, ſed κατὰ τι, nempe à creandis novis creaturis. Nec eſt quod quis objiciat, ſententiam magis receptam & veriorem de creatione animarum quæ corporibus in dies infunduntur; quia non eſt creatio novarum ſpecierum, ſed humanæ ſpeciei jam olim creatæ conſervatio, quam Deus ex naturæ lege ſemel poſita exequitur, dum diſpoſitam ab agente naturali materiam, informat animâ rationali.

Perfectio aut complementum quæ mundo tribuuntur aut creatis rebus, ſimpliciter intelligi debent, non de perfectione aut complemento rerum in ſe, cui nihil addi poſſet; ſive res ſingulares ſpectemus, ſive mundum univerſum; ſed de perfectione illa quam Deus intenderat ex voluntatis ſuæ arbitrio primordiis illis rerum dare; quomodo dicimus abſolutum aut perfectum eſſe opus noſtrum, quando ad finem eorum pervenimus quæ pro aliqua temporis ratione nobis propoſueramus facere. Ergo videntur otioſæ diſputationes quas nonnulli agitant hoc loco de perfectione mundi; nempe an talis ſit hujus mundi perfectio, ut nulli alii mundi

vel

vel ſint, vel eſſe poſſint anxiè quærunt; vel de hoc mundo in ſe conſiderato, an exactè contineat omnes perfectiones juxta philoſophiam Ariſtotelis ſecundum omnes rerum gradus à minimo ad maximum: an ſecundum Philoſophiam Pythagoræ, ſecundum Symphoniam, ſive harmoniam, ex variis inter ſe numeris ſecundum proportiones conſtantem. Talia inquam hujus loci non ſunt. Etſi (ut id obiter dicamus) verum ſit nullum graduum rerum qui à Philoſophis agniti ſunt, in creato mundo fuiſſe omiſſum. Sed gradus illi ex ipſis creatis rebus fuerunt excogitati, & in ipſis rebus reperti. In quibus ſunt, 1. quibus à Deo ſimplex eſſe collatum fuit. 2. Ea quæ primum vitæ terminum, nempe vegetativum gradum obtinent. 3. Ea quæ cum gradu illo vitæ ſenſum atque motum localem conjungunt. 4. Creaturæ quæ tribus prædictis rationem addunt, & triplicem vitam continent, præter illud eſſe. Sunt enim corpus cum lapidibus & cum elementis: vivunt cum plantis; ſentiunt cum brutis, intelligunt cum Angelis; qui etiam ordinem quintum conſtituunt, quia, ſine diſcurſu & ratiocinatione veritatem apprehendunt, ſimulque concluſionem & antecedentia, vi mentis ingenita, penetrant; ſuper quos eſt ſolus omnipotens Deus.

Hæc & ſimilia poſſunt expendi, ad perfectionem rerum creatarum explicandam, & uniuſcujuſque rerum exiſtentium gradus, ſingulares proprietates & naturæ, in quibus omnibus elucet ſapientia conditoris. Sed id nobis ſufficere debet quod initio audivimus, perfectos fuiſſe cœlum & terrã & omnem exercitum ipſorũ, quibus verbis oſtendimus indicatum fuiſſe rerum omnium convenientem ordinem & diſpoſitionem, quibus includitur perfectio cõveniens totius univerſi, necnon uniuſcujuſque partis naturæ neceſſaria perfectio in toto illo.

Exercitatio XIII.

Explicatur verſ. tertius. Benedictio Ebræis quid ſit? De die Sabbathi Iudæorum deliria. In quo conſiſtat benedictio ejus. Quid ſit, creaverat ut faceret? *An indicta fuerit ſanctificatio Sabbathi primis hominibus? Rationes pro parte negante. Item pro affirmante. Solvuntur argumenta negantium. An inde ſequatur perpetuæ obligationis eſſe?* Negatur, *& argumenta in contrarium allata ſolvuntur. Diſtinctio legum poſitivarum à naturalibus. Inſtitutæ diei Dominicæ apud Chriſtianos ratio. Quænam ſit in ea re libertas Eccleſiæ? Argumenta negantium. Argum. ſecus ſentientium. Cautio contra abuſum libertatis Chriſtianæ. Satisfit argumentis primæ ſententiæ. Fruſtra Pontificios obſervationem diei Dominicæ traditionibus ſuis patrocinari putant.*

Verſ. 3. *Et benedixit diei ſeptimo & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo quod creavit ut faceret.* Duo ſunt in hoc verſu conſideranda, Benedictio ſeptimæ diei; ejuſdemque ſanctificatio; & ratio addita cur Deus benedixerit huic diei eumque ſanctificaverit. Benedictio Dei ab Ebræis dicitur תוספת טובה *toſepheth tobah*, id eſt, acceſſio boni. Et certè Dei benedicere eſt benè facere & bonum largiri. Itaque cum benedictio Dei refertur ad creaturas illas quæ beneficentiæ Dei ſunt capaces in ſe, nulla eſt difficultas, ut cum Deus dicitur benedicere vel hominibus, vel reliquis animantibus, tum intelligitur Deum aliquid boni ipſis addidiſſe. Interpretes Judæorum volunt ei diei fuiſſe inditam vim aliquam, qua fiat ut in illo die corpus magis vigeat, & anima plus ſapiat, unde ſolent illi, liberis procreandis Sabbatho magis quam aliis diebus operam dare, quia vim generandi, propter Sabbathum, efficaciorem autumant. Rationem etiam naturalem reddunt, quod illius diei planeta ſit Saturnus, à prima diei hora, quem dicunt eam habere facultatem, ut in corporibus robur naturæ ſupra cæteros dies renovet, & portioni ejus tribuunt vim cogitandi, intelligendi, & ſciendi myſteria cultus divini. Sed hæc ſunt Judæorum nugamenta. Aliorſum igitur referenda eſt benedictio illius diei, quæ quidem ad diem relata, qui in ſe quatenus dies, alicujus acceſſionis boni non eſt capax, nobis videtur intelligenda per relationem quandam, ad illa quæ die Sabbathi facta ſunt aut fiunt. Nullus prætererat dies ſpeciali Dei benedictione vacuus, quatenus in illis diebus Deus aliquas novas creaturas condiderat. Sed additur benedictio ſpecialis diei ſeptimo, qui proptereà dicitur κατ' ἐξοχὴν *benedictus*, quia etſi nihil novum in ipſo Deus creaverit, tamen tunc mundus fuit perfectus & completus, cui in aliis diebus aliquid deerat; ita ut aliorum dierum benedictiones tanquam coacervatæ & collectæ huic diei tribuantur, quo illuceſcente tota hæc machina mundi apparuit, omnibus numeris abſoluta, & omnibus bonis referta. Hinc eſt, quod alio ſenſu diei ſeptimo benedixit Deus, quatenus voluit ut in eo celebraretur maximè operum ſuorum præſtantia & dignitas, ſolemniterque illum conſecravit, ut in illo ſibi ſtudia & occupationes hominum aſſereret, & nos in operum ſuorum admiratione contineret, etſi enim vita hominis, jugis & perpetua operum divinorum meditatio eſſe debeat, qua ſe quotidie exerceat, atque Dei magnificentiam, bonitatem, & ſapientiam in hoc ampliſſimo Theatro elucentem jugiter contempletur, quia tamen non ita ſedulo id ſingulis diebus fieri poteſt, ob illas occupationes hujus vitæ, quibus homo diſtra-

diſtrahitur; ad ſupplendum quod aſſiduæ meditationi deerat, ſeptimum quemque diem ſpecialiter delegit, ut in eo homines liberiùs ad creatorem mundi, mentes ſuas applicarent. Ideò igitur benedicta dies illa merito dicitur, quæ inſtituta eſt, ut homines mundi impedimentis eripiat, eoſque totos Deo addicat. Ad quam rem additus eſt non levis ſtimulus, ab ipſo Dei exemplo, ut præceptum amabilius redderetur: nulla etenim ratione blandius ad obſequium Deus nos allicit, vel efficacius invitat, quam dum ipſe præit, & nos ad imitationem ſui hortatur.

Sentimus ergo cum illis qui exiſtimant vocem ſequentem eſſe prioris exegeticam, & benedictionem diei ſeptimæ inditam, in ſanctificatione conſiſtere, ita ut hoc modo reſolvi poſſit textus *benedixit & ſanctificavit*, id eſt, *ſanctificando benedixit*; quæ Ebræa phraſis eſt frequentiſſima. Cum autem ſanctificationis multæ ſint acceptiones & variæ, eam ſolam huic loco aptam putamus, qua ſanctificari dicuntur, quę in uſum ſanctum ſegregantur & veluti ſeparantur, ad quod Græci utuntur voce ἀφορίζειν. Voluit ergo Deus ſolemnem eſſe hunc diem, ipſumque conſecravit, id eſt, ſacra ordinatione eum ſegregavit ab aliis, & ſibi ſuoque cultui appropriavit.

Ratio cur id Deus fecerit, *quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus ut faceret.* Dictum eſt ſupra de ceſſatione illa Dei, in qua nobis nunc immorandum non eſt. Sed difficultas quædam oritur ex illis verbis, quia in eo requieverat ab omni ſuo opere, quod ברא אלהים לעשות *bara Elohim laaſoth*, creaverat Deus ut faceret. Quæritur enim quid hoc ſibi velit *creaverat ad faciendum.* Non enim debet ſuperfluum duci quod hic additum eſt, quaſi in verbo præced. creaverat, idem fuiſſet ſatis indicatum. Hic Judæi etiam ſe torquent, & varia comminiſcuntur. Tremel. & Jun. ſimpliciter interpretantur, *creauit ad faciendum*, id eſt, faciendo creavit. Doctiſſ. Mercerus, *creandi* verbum ad inchoationem operis, verbum autem *faciendi*, ad perfectionem refert. Quia Deus hæc ſua opera non inchoavit tantùm, quod eſt primùm creare, ſed etiam fecit, id eſt, aptavit ad uſum, vel ut ſuum uſum haberent. Ebræi dicunt primo die, Deum creaviſſe tantùm; aliis autem diebus feciſſe, quia primo machinam illam ex nihilo eduxit, poſteà ex materia creata alia fecit. Sed creare & facere ſæpè in Scriptura confunduntur. Quidam itaque interpretes illa verba jungunt per conjunctionem copulativam creaverat & fecerat. Exiſtimarem primum illud *creaverat* referri debere ad illa omnia opera ſeorſim conſiderata ante complementum totius univerſi; verbum autem fecerat, idem eſſe quod *perfecerat*, quo videtur intelligi debere, id quod initio capitis dictum fuit, *igitur perfecti ſunt cœli & terra.* Itaque jungerem primum verſum cap. 1. cum verſ. 1. cap. 2. Et verba *quæ creaverat ad faciendum* vel *creaverat & fecerat*, per duos illos verſus conjunctos explicarem hoc modo, *requievit Deus à creatione poſt perfectionem cœli & terræ & omnis exercitus eorum.*

His ita expoſitis, oritur hoc loco quæſtio magni momenti, an ſanctificatio diei Sabbathi hominum ratione, fuerit inſtituta ab ipſis mundi primordiis, ita ut ad eam Adam in ſtatu innocentiæ fuerit adſtrictus, & poſt peccati ſtatum homines ante legem per Miniſterium Moſis promulgatam? Ratio dubitandi eſt, 1. Quia in ſtatu innocentiæ homines non indiguiſſent ulla temporis determinatione ad Deum colendum, quia Deum perpetuis laudibus celebraſſent: nec ipſis fuiſſet impedimento labor, à quo poſteà die Sabbathi abſtinendum fuit, quia tunc non fuiſſet pœnalis, nec eos fatigaſſet, ita ut requie opus eſſet: neque etiam ſervis relaxatio fuiſſet neceſſaria, cum (ut ſupra oſtenſum fuit) talis ſervitus locum non fuiſſet habitura, ſi peccatum non interveniſſet.

2. Quia nullum poſitivum Adamo præceptum fuiſſe datum legimus, præterquam de non edendo fructu arboris prohibitæ. Præceptum autem de Sabbatho obſervando poſitivum eſſe conſtat, quia etſi ad legem naturalem pertineat cultus Dei, tamen circumſtantia temporis, & ceſſatio ab omni opere uno die, præceptum eſt poſitivum, quod à lege naturali non determinatur.

3. Quia Moſes in hujus præcepti promulgatione, non meminit antiquioris mandati, ſed rationes pleræque præcepti à Moſe allatæ, videntur ſpectare tempus liberationis populi ex Ægypto. Cauſam enim illam affert Deut. 5. *Memento quod & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti & in brachio extento, idcirco præcepit tibi ut obſervares diem Sabbathi.* Quod Moſes Ægyptius lib. 2. *More Nebukim*, ductoris dubiorum, cap. 32. dictum putat, quoniam cum eſſent Ebræi in Ægypto, & dura ſervitute premerentur, non faciebant quicquid volebant, ſed laborare & operari cogebantur, nec dies ullus eis dabatur, quo in cultum & honorem Dei à laboribus feriarentur. Jubentur itaque feriari die Sabbathi, ut beneficiorum Dei reminiſcantur, cujus miſericordia effectum eſt ut à laboribus Ægypti quieſcerent. Aliam etiam cauſam addit Deus Exod. 31. *Videte ut Sabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me & vos, in generationibus veſtris, ut ſciatis quia ego Dominus qui ſanctifico vos*, id eſt, ut ſignum ſit, vos eſſe mihi peculiarem populum, cultui meo ſpecialiter applicatum. Sive hac quiete & hoc cultu teſtabimini, vos populum eſſe à me ſanctificatum, id eſt, mihi dicatum, cum in honorem meum; diem ſeptimum præter aliarum gentium conſuetudinem cuſtodiatis. Unde & ab Ethnico poëta Ovid. lib. 1. de art. amandi,

Cultaque Iudæo ſeptima ſacra viro.

Denique, nuſquam legimus uſq; ad datam legem mentionem factam fuiſſe Sabbathi, tanquam à Patriarchis obſervati, vel aliquod tum fuiſſe apud eos dierum diſcrimen. His rationibus freti exiſtimarunt multi &

etiamnum cenſent nonnulli, hanc Sabbathi ſanctificationem per anticipationem hoc loco commemorari & relativè ad tempus ſcriptæ legis. Qua in ſententia fuerunt Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 4. Juſt. Martyr in Dialogo cum Tryphone. Tertul. & Cyprian. adverſ. Judæos. Ex recentioribus Abulenſis Q. 3. in cap. 23. Levit. Ubi inquirit quomodo Judæi potuerint ſcire hic ne dies, an ille Sabbathum fuerit, quo Dominus requievit ab opere ſuo, cum antea obſervatum non fuiſſet Sabbathum? Et reſpondet, eos id ex verbis Moſis cognoviſſe qui Sabbathum indicavit Exod. 16. *Requies Sabbathi ſanctificata eſt Domino cras.* Idem confirmat Philo Judæus, lib. 1. de vita Moſis his verbis. *Cum enim jamdudum quæſiiſſent quis eſſet mundi natalis, quo hoc univerſum abſolutum eſt, rem à ſuis majoribus ignoratam, tandem didicerunt; non ſolùm oraculo, verum etiam argumento manifeſtiſſimo; videbant enim corrumpi (ut dixi) quicquid ſuperaret diebus cæteris, quod autem depluebat pridiè Sabbathi, duplum provenire, durareque in biduum.*

Contra tamen alii ſentiunt, & inſtitutionem Sabbathi arceſſunt à die illo ſeptimo quo requievit Deus, cui benedixit & ſanctificavit. Nam 1. cum ſanctificatio, ut anteà dictum eſt, relativa fuerit, & dies conſecratus fuerit ad contemplationem ſpecialem operum Dei, & gratitudinis cultum, debuiſſet Adam in ſtatu innocentiæ Deum imitari, & poſt cultum horti, cui potuiſſet aliis diebus vacare ſine moleſtia, ſeptimo die ceſſare, & Dei contemplationi aliis omnibus ſepoſitis exercitiis vacare.

2. Exod. 16. v. 26. mentio fit Sabbathi Domini, ante legem latam, *Sabbathum ſanctum eſt Iehovæ cras*, quod intelligi debet relativè ad homines qui Sabbathum Jehovæ ſanctificare debuerunt, ex quo colligitur Sabbathum non incœpiſſe cum promulgatione legis, ſed anteà cognitum fuiſſe, & ad ejus obſervationem homines fuiſſe alia lege antea conſtrictos.

3. Non eſt veriſimile familias ſanctorum caruiſſe aliquo die Dei cultui conſecrato, quando alioqui videmus, reliqua Dei cultum ſpectantia ab iis ſtudioſe fuiſſe obſervata. Cui conſiderationi addi poteſt, quod notavit Eugubinus in Coſmopœia, diem illum & ſeptenarium numerum, quia maximè naturalis & operibus divinis convenientiſſimus fuit, habitum poſteà fuiſſe in omni ætate apud omnes gentes venerabilem & ſacrum. Hinc numerum ſeptenarium in Scripturis fuiſſe celeberrimum & efficaciſſimum. Sic die ſeptima Sacerdotibus circumeuntibus mœnia Jericho & ſeptem tubis canentibus, mœnia corruerunt. Quodque mirabilius eſt Pythagorei ſeptem dici putarunt ἑπτὰ, quaſi σεπτὰ ſacrum & venerabile: σεπτὸν enim Græcè *ſanctum.* Ut ergo magnus rerum opifex ſanctificavit diem ſeptimum, ſic veteres Græci & Latini antiquam famam ſequentes hunc numerum vocarunt *ſepton*, hoc eſt ſanctum & ſacrum. Philoponus in ſcripto de Mundi creatione recens Viennæ edito, lib. 7. cap. 14. *Iure merito,* ait, *poſt ſex dies operationum ad mundi generationis quietem deputatum fuiſſe, quia ſolus ſeptenarius numerus, neque ex aliis per multiplicationem natus eſt, neque alium genuit, atq; ita cum ſit ſecundum hoc ſolitarius, ſolus etiam inter numeros quietis ſymbolum eſſe debet.* Addit ibidem, *omnes homines conſentire ſeptem ſolos eſſe dies qui in ſeipſos revoluti totum tempus conſtituunt.* Hos ſeptem planetis Græcos aſſignaſſe, cum ignari eſſent veræ rationis quam Moſes hic habet. Hujus diei etiam laudes apud vetuſtiſſimos poëtas Heſiodum & Linum repeRiuntur. Sic enim Heſiodus 2. dierum,

Πρῶτον ἔνη τέτρασι καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ,
Ἑβδομάτη δ' αὖτις λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
Ἑβδομάτη δὴ ἦ λίπομεν ῥόον ἐξ ἀχέροντος.
Quarta dies, ſupremaque lux & ſeptima ſacra;
Septima candeſcunt præclari lumina Solis:
Septima qua triſtes Acheruntis liquimus undas.

Quibus verbis videtur poëta innuere, ſeptima die cuncta fuiſſe perfecta, & nos undas Acheruntis reliquiſſe, id eſt, Chaos, &c. Et Linus,

Ἑβδομάτη δὴ ἦ τετελεσμένα πάντα τέτυκται
Ἑβδόμη ἐν ἀγαθοῖς, καὶ ἑβδόμη πάντων γενέθλη.
Ἑβδόμη ἐν πρώτοισι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελείη, &c.
Septimà qua fuit omnis res perfecta creata,
Lux bona, nataliſque fuit lux ſeptima cunctis,
Septimaq; in primis, & ſeptima fine ſuprema, &c.

Ex quibus veſtigia habemus etiam apud veteres Ethnicos privilegii diei ſeptimæ, quod ignoratum fuiſſe aut neglectum à ſanctis patriarchis, non eſt credibile.

Non deſunt, qui ad Sabbathi myſterium referunt factum Noachi, qui, ut legitur Geneſ. 8. v. 10. & 11. Columbam poſt ſeptem dies à primo ejus reditu, emiſit; quæ cum rediiſſet tempore veſpertino cum ramo olivę, iterum non emiſſa fuit, niſi poſt alios ſeptem dies. Videtur enim diem illum ſeptimum elegiſſe Noach tanquam ominoſum, eo præſertim nomine, quod illo die probabile eſt eum cum ſua familia precibus & cultui divino vacaſſe.

Hæc quamvis probabilitate ſua non careant, firmius tamen argumentum deducitur ex cap. 4. Epiſt. ad Ebræos, in quo cum Apoſtolus requiem illam ſpiritualem à Deo promiſſam deſcriberet, & oſtendere vellet aliam eſſe à Sabbathiſmo quem ſecundum legem ſervabant Judæi, itemque à requie illa in quam Joſua populum introduxit, dicit verba illa, *Iuravi in ira mea ſi ingreſſuri ſunt in requiem meam,* pronunciata fuiſſe, *licet operibus Dei à jactis fundamentis mundi perfectis:* & citat locum Gen. 2. *Ita enim dixit, quodam in loco de ſeptimo die; & requievit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis.* Ubi videtur perſpicuè oſtendere velle, promiſſionem de requie factam fidelibus, incluſam cōminationi excluſionis à requie, factæ incredulis, non poſſe intelligi de requie Sabbathi, quia jam opera Dei fuerant perfecta à jactis fundamentis mundi, & Deus ſeptimo die quieverat. Ex quibus ſequitur, quietem diei

Sabba-

Sabbathi ſecundum Apoſtolum, incœpiſſe à perfectione operum Dei poſt diem ſextum. Ut indicet homines jam ingreſſos fuiſſe illam requiem, ex quo mundus perfectus fuerat; aliam ergo eſſe quæ promittebatur. Fruſtra autem diceret, *& quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis*, niſi ex eo tempore Sabbathum coli cœpiſſet.

Ex his colligimus, Sabbathi ſanctificationem ab initio fuiſſe præceptam, in prima creatione à Deo ſancitam, in familiis etiam piorum obſervatam. Sed non ſolum impium mundum & profanas gentes, ut omnia alia Dei mandata, ſic & Sabbathum profanaſſe; verum etiam Hebræos in Ægypto Idololatriæ deditos, partim etiam tyrannide oppreſſos, morem interrupiſſe majorum, ac deſuetudine illa, diem Sabbathi ignoraſſe, donec de eo à Moſe rurſus fuerunt edocti.

Ad argumenta contraria ex dictis patet reſponſio. Ad 1. etſi homines in ſtatu innocentiæ multò expeditiores fuiſſent ad Deum colendum, tamen quamdiu vixiſſet homo vita animali, actionibus etiam ad hujus vitæ conſervationem neceſſariis, etſi ſine moleſtia, fuiſſet ipſi vacandum: proinde, ipſi etiam dies aliquis commodus & utilis fuiſſet, ad ſpecialem cum Deo familiaritatem. Cum enim Deus qui omnia operatur ſine labore, voluerit ceſſare VII die, ut eum contemplationi ſuæ bonitatis & ſapientiæ conſecraret; nullum excipere voluit ab hoc officio hominum ſtatum, quia nullus eſt ſtatus adeo perfectus, in quo homines exemplo Dei moveri non debeant.

Ad 2. etſi non legamus expreſſè præceptum illud nominatim Adamo fuiſſe datum: ſufficit tamen quod Deus ante lapſum diem illum ſanctificavit in uſum hominum, quod Adamo, qui multa alia novit minus digna, ignotum fuiſſe non poſſumus nobis perſuadere.

Ad 3. etſi Moſes rationes afferat populo Iſraëlitico proprias, non omittit tamen primam illam, de ſanctificatione diei & requie domini poſt omnia opera creata, ut patet Exod. 20. Fatemur ergo privatis etiam & propriis rationibus ad Sabbathi obſervationem Judæos fuiſſe adſtrictos, quæ fortaſſè cauſa eſt cur arctior apud eos fuerit obſervatio: ſed inde non ſequitur, omnem planè illius diei obſervationem, à tempore legis promulgatæ ortum habuiſſe.

Ad 4. & ultimum; Non ſequi ab autoritate negativè, præſertim à negatione exempli, ſi legem habeamus ut dictum eſt; ex illa enim, & pietate primorum patriarcharum, ſatis ſolidè argumentamur, non fuiſſe ab iis neglectam, diem à Deo benedictam & ſanctificatam.

Sed alia ſequitur difficultas, poſitâ & conceſſa obſervatione illius diei inſtituta ab ipſis mundi primordiis. Videtur enim ſequi legem illam in eo quod ſeptimum diem à creatione obſervandum ſancivit, non eſſe ceremonialem, proinde non eſſe abrogatam, ſed eſſe perpetuæ obſervationis, ratione circumſtantiæ temporis. Ratio eſt, quia Adamo in ſtatu innocentiæ non videtur conveniens fuiſſe aliqua ceremonia, unde ſequeretur totam legem de Sabbatho eſſe Moralem, nec minus hoc tempore obligare quam reliquas legis moralis ſanctiones. Reſpondeo diſtinguendas eſſe ceremonias. Quæ enim inſtitutæ fuerunt, ut eſſent umbræ futurorum bonorum præſertim poſt peccatum, non fuerunt innocentiæ ſtatui convenientes, inter quas etiam poni debet obſervatio diei Sabbathi, prout reſpiciebat liberationem à ſervitute Ægyptiaca, & quatenus ea tanquam nota diſcernebatur populus Dei ab extraneis &c. Sed, ritus externi omnes ad politiam Eccleſiaſticam pertinentes & circumſtantias divini cultus, ſtatum illum de quo agimus non dedecebant; nec etiam planè ſine ſacramentorum aliquorum communione vixiſſent homines. Arbor enim vitæ habuiſſet rationem ſacramentalem. Nec propterea ſequitur talia inſtituta fuiſſe immutabilia, nec potuiſſe Deum leges illas abrogare pro beneplacito voluntatis ſuæ. Quod ut illuſtremus, animadvertimus inter leges divinas quæ homini præſcribuntur, alias eſſe naturales, alias poſitivas: naturales non planè à voluntate legiſlatoris ſola procedere; poſitivas vero, à voluntate tantum id habere quod obligent. Nam ea quæ ſunt ſuapte natura mala, non ſunt mala quia voluntate alicujus, etiam Dei, ſunt prohibita, ſed quia ſuapte natura ſunt contraria & diſſentanea naturæ rationali. Quemadmodum enim res talis naturæ poſſibilis eſt, non quia Deus voluit eſſe poſſibilem, ſed quia ex ſe non implicat contradictionem ut eſſe poſſit; eodem modo opera aliqua dicuntur ſuapte natura mala, non tantùm quia Deus ea voluit ut mala prohibere, ſed quia ex ſe ipſis naturæ rationali quatenus eſt rationalis ſunt contraria. Cum igitur Deus non poſſit pro voluntate ſua variare naturas rerum rebus eodem modo permanentibus, quia id contradictionem implicaret: Sic non poterit etiam mutare convenientiam vel diſconvenientiam earum inter ſe ſi eodem modo permaneant; neque per conſequens abolere naturæ legem, vel de eadem diſpenſare, ſine mutatione materiæ. Itaque cum præcepta Decalogi prohibeant, id quod ipſo jure naturali, etiamſi lex nulla exiſteret, malum eſt; non poterit etiam Deus, qui ſe ipſum abnegare non poteſt, manentibus circumſtantiis eodem modo, facultatem alicui facere operandi contra præcepta Decalogi naturalia: cum enim Deus ſumma juſtitia ſit, ſi id quod injuſtum & malum ſuapte natura eſt concederet, juſtitiam negaret, ac proinde ſeipſum, dicens bonum malum & malum bonum.

Secus eſt de lege, quam poſitivam appellamus, quæ non eſt innata cum natura vel gratia, ſed ultra illas ab aliquo principio extrinſeco habente poteſtatem, poſita eſt, unde poſitiva dicta eſt, quaſi naturali legi addita. Talis fuit lex de non comedendo arboris fructu; talis etiam lex de Sabbatho, ratione circumſtantiæ

diei: ſublata enim prohibitione, vel ſublato mandato, nulla eſſet in eſu fructus illius; vel ſi die Sabbathi aliquis his operibus vacaſſet quæ ad hanc vitam pertinent, naturalis diſconvenientia vel repugnantia cum recta ratione. Itaque etſi præcepta Decalogi quæ ſunt omnino naturalia, non tantùm poſitiva, non poſſint per diſpenſationem relaxari: cum tamen quartum præceptum, quatenus determinat tempus Sabbathi, ſit omnino poſitum à Deo pro ſua voluntate, nec naturale ſit, abſque ulla mutatione ex parte materiæ & circumſtantiarum, à Deo non minus relaxari potuit, quam à legiſlatore humano lex humana, quæ ſemper poſitiva eſt. Talis enim lex etiam divina, non obligat cum mortis periculo, quia *homo non propter Sabbathum, ſed Sabbathum propter hominem factum eſt*. Marc. 2. v. 27. Secus eſſet de lege naturali, quam nullum periculum mortis ſuadere debet ut infringamus.

His ita conſtitutis, patet non eſſe neceſſarium ut omnes leges quæ initio hominibus datæ ſunt, etiam ante legem ſcriptam, vel ante peccatum, omni tempore obligent, ſi oſtendere poſſimus illas non à natura pendere, ſed à voluntate legiſlatoris tantùm. Quando autem ipſe legiſlator, vel alia lege, vel conceſſione, priorem legem abrogat, ſcrupulum nullum injici poſteà debere non obſervantibus præceptum, quod non fuit perpetuum. Tale fuiſſe præceptum de Sabbatho reſpectu circumſtantiæ diei, non eſt quod dubitemus, ſive à nobis conſideretur ſimpliciter poſitivum, & pertinens ad Eccleſiaſticam politiam quæ in ſtatu innocentiæ uſitata fuiſſet: ſeu ceremoniale & figurativum, quale fuit, quatenus Ebræis fuit datum. Jam enim nomine filii Dei declarata eſt nobis ab ipſo acquiſita libertas, *Ne quis vos damnet ob cibum aut potum, aut reſpectu feſti, aut novilunii, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti*. Coloſſ. 2. v. 16. & 17.

Rectè igitur Chriſtiani diſtinguentes in præcepto de Sabbatho ſanctificando ceremoniale à morali: hoc quidem retinent & obſervant ut naturale & ſemper obligatorium: ad illud autem non exiſtimant ſe teneri: idcirco ad temporis circumſtantiam quod attinet, eam ſibi liberam putant; ea tamen lege ut quivis in ea re non faciat quod oculis ſuis viſum fuerit, ſed ordo in Eccleſia conſtituatur, quæ pro ea poteſtate quam à Deo accepit διατάγματα ſeu διατάξεις de circumſtantiis illis poteſt inſtituere, quas nemo impunè violaturus eſt, ſi præſertim nulla urgente neceſſitate, vel neglectu, vel contemptu, ad transgrediendum inſtitutum ordinem feratur.

Poſtquam ergo Chriſtianorum communitas, inde ab Apoſtolorum temporibus, ut ex N. Teſt. patet, primum Hebdomadis diem, reſurrectione Domini nobilitatum, & ſalutis noſtræ per victoriam pleniſſimam Satanæ & mortis declaratæ teſtimonium, elegit ad ſpecialem cultum publicum divini numinis (quicquid ſit de libertate Eccleſiæ in die illo mutando ſi alia ratio ad id illam moveret) quamdiu id non fit, & communi Chriſtianiſmi conſenſu dies illa manet cultui Domini ſacra, ejus profanatio & contemptus ferri non debet, nec leve peccatum incurrere eos judicare debemus, qui nullo ſcrupulo ducuntur tali die, rebus ſervilibus vacare, ut nihil de illis dicam qui planè illicitis & prohibitis actionibus ſe ipſos commaculant.

Diximus, *quicquid ſit de libertate Eccleſiæ*, quia non deſunt qui exiſtimant, non eſſe penes eam diem mutare qui à tempore Apoſtolorum obtinuit, non ob eam cauſam, quæ etiam alicujus eſt momenti, quod quæ tam longo tempore obtinuerunt, ſapienter initio inſtituta, nulla interveniente cauſa neceſſaria, mutari vix poſſunt ſine temeritatis nota: ſed ob aliam rationem majoris momenti, quæ ſi vera ſit, certum eſt nullo caſu debere mutationem illam inſtitui, niſi ex ſpeciali revelatione divina. Putant enim inſtitutionem diei Dominicæ in Sabbathi locum, ita à Chriſto Domino fuiſſe factam, & ab Apoſtolis obſervatam, ut planè ſit autoritatis divinæ, qualis eſt inſtitutio Sacramentorum, quæ etſi ſint poſitivæ & voluntariæ inſtitutionis, nulla tamen niſi divina autoritate debent vel aboleri, vel in ſuis circumſtantiis initio inſtitutis mutari, quia diem Sabbathi, ad diem Dominicum à Chriſto ipſo fuiſſe *alligatum* (hac enim voce utuntur) exiſtimant.

Prima eorum ratio deſumitur ab appellatione diei Dominici, arbitrantur enim diem Dominicum appellari quomodo ultima Cœna, Dominica dicitur, 1. quia ut Deus requievit die ſeptimo in πρωτοκτισίᾳ, ſic Chriſtus καινοκτισίας opere peracto, à redemptionis opere, hoc die ceſſavit. 2. Quemadmodum in locum Paſchatis Cœnam, ſic in locum Sabbathi Dominicum diem ſubrogavit.

2. 1 ad Corinth. 16. v. 1. & 2. agitur de collectis quæ primo Hebdomadis die fiebant in conventu Eccleſiæ, quo tempore conveniebant fideles, ad preces, verbi auditionem, & panis fracti participationem.

3. Chriſtus & Apoſtoli primam hebdomadis diem, ut Sabbathum obſervarunt. Nam primo hebdomadis die Chriſtus reſurrexit, & diſcipulis apparuit Joh. 20. v. 2. & 19. & octo poſt diebus à Thoma rurſus conſpectus fuit v. 26. Idem ab Apoſt. factum, qui eo die coacti erant, cum Sp. ſanctus in eos deſcendit. Act. cap. 2. v. 1. & Act. cap. 20. v. 7. Primò die hebdomadis congregati erant diſcipuli ad frangendum panem.

4. Sic argumentantur; quod figuratum fuit quatenus figuratum præſcriptum erat. Sed dies Dominica in illo octavo quo circumcidebantur infantes Iſraëlitarum præfigurata fuit; ergo dies Dominica præſcripta erat. Aſſumptionem firmant autoritate Cypriani & Auguſtini qui ita argumentati ſunt. Addunt diem reſurrectionis præfiguratum fuiſſe per eum, quo *lapis quem ædificantes rejecerunt, factus eſt in caput Anguli*; diem autem illum fuiſſe Sabbathum; ergo per Sabbathum

præ-

præfiguratum fuiſſe diem Dominicum, ergo fuiſſe divinitus inſtitutum. Atque ita putant ſe probaſſe diem cultus divini ſub N. T. alligatum fuiſſe divinitus à Chriſto ad primum Hebdomadis diem.

Probant præterea non poſſe ab Eccleſia mutari, duobus aliis argumentis, quorum primum eſt, ſubſtantia quarti mandati immutabilis eſt: Sed requiei in die ſeptimo ſanctificatio eſt de ſubſtantia quarti mandati, ergo immutabilis eſt. Morale autem eſſe ut aliquo die ſeptimo, non quidem hoc vel illo ſacra hæc requies obſervaretur, probant duobus argumentis, quorum

1. Deſumitur à prima ſanctificatione diei ſeptimi in Paradiſo. Et ab eo quod idem repetitur in Decalogo, ex quibus colligunt Sabbathum diei ſeptimi, ſimpliciter & nude ceremoniam eſſe non poſſe, cum ejus inſtitutio ceremonias omnes, tanto temporis ſpatio antegreſſa fuerit. 2. Ratio deducitur à rationibus mandati quarti, quæ generales ſunt, & illarum æquitas perpetua, & maximè urgent quod Deus exemplum ſuum propoſuerit de operando ſex diebus & ſeptimo quieſcendo.

Addunt etiam hoc argumentum. Deus temporum & opportunitatum Dominus eſt, proinde jure optimo eorum mutatio ac diſpoſitio penes illum eſt, & ad eum tantum pertinet. Neminem igitur præter Deum potuiſſe immutare diem Sabbathi in diem Dominicum: & hoc tempore non poſſe Eccleſiam ſine autoritate divina ex revelatione, mutare illum diem in alium, ullo prætextu. Etſi non negent, ad tempus neceſſitati & charitati cedere poſſe obſervationem diei illius, ſed mutari & alium inſtitui poſſe non putant. Hæ ſunt rationes quas pro illa ſententia probabiles cenſet, Doctiſſ. & modeſtiſſ. Theol. G. Perkinſus Caſuum conſc. lib. 2. cap. 17.

Fuerunt contra Theologi magni nominis, & etiamnum ſunt plurimi, qui ut Calvinus loquitur Inſtitut. lib. 2. cap. 8. ſect. 34. quamvis non exiſtiment ſine delectu Dominicum, quem vocamus, diem, veteres in locum Sabbathi ſubrogaſſe, non tamen ſic ſeptenarium numerum morantur, ut ejus ſervituti Eccleſiam aſtringant. Imo in eos inſurgit ibidem Calvinus qui Judaica opinione populum ſuperioribus ſeculis imbuerunt, nihil aliud afferentes, niſi abrogatum eſſe quod ceremoniale erat in hoc mandato (quod ſua lingua vocant diei ſeptimæ *taxationem*) remanere autem quod morale eſt, nempe unius diei obſervationem in hebdomade; quod exiſtimat nihil aliud eſſe, quam in Judæorum contumeliam diem mutare, diei ſanctitatem animo retinere: ſiquidem manet nobis etiamnum, par myſterii in diebus ſanctificatio quæ apud Judæos locum habebat.

Bucerus in Matth. cap. 10. *Quod* (inquit) *ſeptimo die, illa, quæ à Iudæis obſervatur, numeratione, ab omni opere ſervili vacandum erat, præceptum legis externum fuit, ſolis Iudæis, quibus datum extitit, obſervandum. At beneficia Dei memorare, & gratias pro iis agere, quod ſimul Religio Sabbathi continebat, fidei erat: & remittere operas familiæ, qualibet ſeptimana die uno, charitatis. Hæc ergo ad nos pertinent: illa Iudæis rectè relinquuntur.*

Petrus Martyr, in cap. 2. Geneſ. *Quod hic dies magis quam ille eligatur, ad Dei externum cultum, liberum fuit Eccleſiæ per Chriſtum, ut id conſuleret, quod magis ex re judicaret.*

Idem dicit Muſculus in locis communibus, ubi agit contra Sabbatharios, *Nam ad legem naturæ pertinere docet, ut aliquo die vacetur ſacris ritibus & exercitiis. Ad legem Moſaicam referendum eſſe, quod non primus, non ſecundus, non tertius,* &c. *ſed ſeptimus dies ſacro otio deputatur.*

Sic Zach. Urſinus in Tract. Theol. Expoſ. 4. præcepti, *Cum non minus alio die, meditatio & celebratio operum Dei fieri poſſit, quam ſeptimo; ſicut initio, propter cauſſam accommodatam primis temporibus, deſignavit Deus miniſterio diem ſeptimum, ſic deinceps, propter cauſſam accommodatam exhibitis Meſſiæ temporibus, legem eam abrogavit; & liberum Eccleſiæ reliquit, alios dies eligere; quæ propter cauſſam probabilem, delegit diem primum, quo facta eſt Chriſti reſuſcitatio.*

Idem reſpondens poſteà ad objectionem Anabaptiſtarum, qui etiam contra Dominicum diem objiciunt, Deum prohibere in Eccleſia Chriſtiana diſcrimen dierum, Col. 2. Gal. 4. Rom. 14. Eſſe igitur illam obſervationem non minus quam diei à creatione ſeptimi improbandam. Reſpondet ex diſcrimine Judaicæ & Chriſtianæ obſervationis, & ait differre obſervationem diei Dominici à Sabbatho Judaico, 1. Quod Sabbathum primi diei, tanquam partem cultus divini ceremonialem, non licebat Judæis omittere, aut mutare, propter expreſſum Dei mandatum. Eccleſia vero Chriſtiana ſive primum, ſive alium diem tribuit miniſterio, ſalva ſua libertate etiam aliter agendi, ſi ſint probabiles cauſæ, hoc eſt, ſine opinione neceſſitatis aut cultus. Hæc ille.

Ex quibus patet, pleroſque Eccleſiæ Reformatæ doctores, non exiſtimaſſe 1. diei reſurrectionis Domini obſervationem à Chriſto fuiſſe inſtitutam, ad perpetuum Eccleſiæ uſum, ita ut immutari dies ille nullo prætextu, aut nulla cauſa poſſit. 2. Non fuiſſe etiam in eâ ſententia, ut cenſuerint, neceſſario ex ſeptem diebus unum eſſe conſecrandum cultui divino, non etiam ex quinque aut ſex, &c. aut octo, &c.

Horum præcipuæ rationes ſunt, 1. Quia in novo teſtamento nullum eſt diſcrimen dierum, Coloſ. 2. v. 16. *Ne quis vos damnet, ob cibum aut potum, aut reſpectu diei feſti, aut noviluniii, aut Sabbathorum.* Galat. 4. verſ. 10. *Dies obſervatis & menſes, & præſtituta tempora aut annos.*

2. Quia Apoſtolus non damnat qui dies omnes ex æquo æſtimant, quod faceret, ſi ex inſtitutione divina aliquis dies inter Chriſtianos aliis eſſet præferendus. Rom. 14. verſ. 5. *Alius peræque æſtimat quemvis diem. Vnuſquiſque in animo ſuo plenè certus eſto.*

Hæc ſunt præcipua argumenta quæ à libertate Chriſtiana petita ſunt, ex quibus ſufficienter deduci videtur, eos qui Sabbathum non tam abolitum, quam in diem Dominicum tranſlatum eſſe atque mutatum ſtatuunt, eumque revera ſanctiorem, non tantum ordinatione & uſu, ſed ſignificatione & effectu aſſerunt, impingere in Chriſtianam libertatem. Quod de Pontificiis affirmamus. De aliis autem, qui etſi à Pontificiis ſe diſſentire profiteantur, Eccleſiæ tamen libertatem inſtituendorum aut mutandorum dierum cultus publici, ſaltem ad diem illum quod attinet, adimunt; periculum eſt, ne argumentis pugnent quæ ſi firma habeantur, Sabbathum Judaicum revocent, etiam quoad diei circumſtantiam, & in ejus obſervatione eoſdem ſcrupulos injiciant, qui olim inter Judæos adeo ſuperſtitioſè penſitati fuerunt, & traditiunculis innumeris occaſionem dederunt.

Quod non ideò dicimus, ut eorum faveamus profanitati, qui diebus ad ſacros conventus indictis, illo præſertim die qui tanto conſenſu à Chriſtianiſmi primordiis in eum uſum deputatus eſt, neglecto Dei cultu, non modo opera ad vitæ hujus uſum accommoda ad diem unum non omittunt, ſed etiam actionibus non neceſſariis, ut ſpectaculis, ludis, ſceniſque, imò intemperantia, luxu, omnique flagitiorum genere, Domino conſecratum diem violant. Etſi enim non ſit expreſſum de tali die à Deo mandatum: Cum ſit mandatum morale de tempore convenienti & ſtato ad laudes Dei in publico conventu, hoc tempore ſemel autoritate publica ſtatuto & recepto, non poteſt ejus contemptus excuſari, neque debet à Chriſtiano Magiſtratu tolerari. In eo etiam Pontificiis non poſſumus non ſuccenſere, quod cum diem illum velint aliis ſanctiorem eſſe non ſolum uſu & ordinatione, ſed effectu & ſignificatione, ut diximus, volunt tamen die Dominico, *licere, audito prius ſacro, iter facere & venari, ſtudere ſuper lites propter pecuniam, carnes vendere, animalia occidere ad victum propter pecuniam, item conſtruere loca pro ſpectaculis.* Tolet. Jeſuit. Inſtruct. lib. 4. cap. 25. Mirum eſt enim illos talia permittere in die quem aliis longè ſanctiorem per ſe volunt eſſe.

Ad rationes ſupra allatas ut reſpondeamus. Ad 1. dicimus, non eſſe eandem cœnæ Dominicæ, & diei Dominici rationem. Illius enim inſtitutio cum præcepto obſervationis uſque ad Chriſti adventum, manifeſta eſt. Hujus non item. Cujus etſi extaret præceptum, eſſet tantùm Eccleſiaſticum, proinde mutabile. Nec verum eſſe in locum Sabbathi diem Dominicum eſſe ſubrogatum, ut Cœna in locum Agni Paſchalis, ſi nota illa ſimilitudinis reſpiciat ſpeciem & gradum, non aliquam remotam analogiam, quam concederemus quidem, ſed non ut largiamur, quemadmodum Sacramentũ Sacramento ſucceſſit, ſic diem diei ſucceſſiſſe, quia ſi hoc diceretur, planè ſequeretur quod omnes refugimus parem eſſe obligationem, diei Sabbathi & diei Dominici, mutatam eſſe diei circumſtantiam, ſed manſiſſe etiam rationem ſignificationis & effectus, & quidem majorem quam in Judæorum Sabbatho, quia ſignificationis & effectus ratio major eſt in cœna Domini quam in Paſchatis Sacramento.

Ad 2. & 3. ubi exemplum Chriſti & Apoſtolorum opponitur. Reſp. Eſſe quidem certum, Chriſtum eo die reſurrexiſſe, & Apoſtolis apparuiſſe; Apoſtolos præterea conventus habuiſſe iiſdem diebus. Quæ exempla, etſi poſſint utcumque ad præceptum revocari, quatenus quod Chriſtus non dixit verbo, exemplo tamen videtur indicaſſe, & quam praxim Apoſtoli exemplo ſuo declararunt, nobis videntur commendaſſe; Non tamẽ ſequitur exemplis illis contineri mandatum quod fuerit juris divini, etſi juris Eccleſiaſtici fuiſſe non imus inficias, quod proinde ut dictum fuit, in poteſtate & libertate Eccleſiæ fuit relictum, pro ratione circumſtantiarum, ut eundem diem vel ſervaret vel mutaret, ſi ratio id ſuaderet, ſervata ſemper anima legis de tempore oportuno & apto ad publicum Dei cultum. Hanc libertatem Eccleſia Chriſtiana ex parte exercuit. Nam cum initio Apoſtoli utrumque diem Sabbathi & diei Dominicæ, ſacris exercitiis applicaſſent, Sabbathis una cum Judæis convenientes, & de rebus divinis diſſertantes, diebus autem Dominicis cum Chriſtianis myſteria ſacra celebrantes, factum eſt ut diu uterque dies in pleriſque Eccleſiis ſolemniter fuerit obſervatus, adeoque in Eccleſiis Græciæ magna cum hilaritate tranſactum fuerit Sabbathum: ita ut Ignatii nomine ad Philippenſes Epiſtola reperiatur num. 8. in qua *pro Chriſti interfectore habetur, ſi quis Dominicũ diem aut Sabbathum, excepto uno, jejunarit.* Et in Conſtit. ſub Apoſtolorum nomine, hæc legantur; *Sabbathum & Dominicum diem feſtum agimus, quoniam illud naturæ conditæ eſt monumentum, hic reſurrectionis.* Socrates etiam Hiſtoriæ lib. 6. cap. 8. idem his verbis confirmat, *feſta* (inquit) *cujuſque ſeptimanæ occurrebant, videlicet Sabbathum & dies Dominicus, in quibus conventus in Eccleſiis fieri ſolent.* Imò Greg. Nyſſenus, in orat. ad eos qui reprehenſiones ægrè ferebant, non exiſtimat Dominicum diem ab iis ritè potuiſſe celebrari, qui diem Sabbathi feſtum non duxerant. *Quibus oculis,* inquit, *vides diem Dominicum, qui deſpicatus es Sabbathum? An neſcis quod hi dies fratres ſunt? Quod ſi alterum probro affeceris, alterum offendis.* Et Anaſtaſius Nicænus, *Sabbathum,* inquit, *& dies Dominicus ſunt dies ſancti & feſti, neque licet in eis jejunare.* In Eccleſia tamen Romana, mos celebrandi diei Sabbathi non obtinuit, & poſteà in aliis Eccleſiis obſolevit, quæ proculdubio viderunt, variari poſſe dierum obſervationem, pro circumſtantiarum ratione. Quæ ſi tales viderentur, communi Eccleſiæ conſenſu, ut etiam dies qui jam eſt nobis Dominicus, in alium transferendus eſſet, id ſine ſcrupulo facerent, quæ Chriſtianæ libertatis, & juris Eccleſiæ in talibus non eſſent plane inſcientes.

Ad

Ad quartum argumentum, quo præſupponunt id fuiſſe figuratum, ac proinde præſcriptum, negamus aſſumptionem. Diem nempe illum fuiſſe propriè figuratum per octavum diem quo circumcidebantur infantes, nec ejus rei aliqua poteſt ratio probabilis reddi. Nec verum eſt lapidem ab ædificantibus fuiſſe rejectum die Sabbathi tantùm: Nam ſemper rejecerunt lapidem Chriſtum Sacerdotes & Scribæ & alii ædificantes. Si autẽ talem figuram Cyprianus & Auguſtinus rimati ſunt, id factum eſt tantùm per accommodationem aliquam, non quod in eo agnoverint figuram propriam.

Non magis premunt argumenta quibus probare conantur diem illum non poſſe ab Eccleſia mutari. Non 1. quia petitur principium, cum id pro conceſſo ſumitur ad ſubſtantiam mandati quarti quatenus morale eſt pertinere circumſtantiam ſeptimi diei. Quod ſi verum eſſet, non potuiſſet mutari dies Sabbathi Judæorum, quia de die ſeptimo agit expreſſe mandatum, quo Deus ceſſavit à creationis opere. Ut ergo retineatur ſubſtantia mandati quarti, ea conſtituenda erit in ceſſatione ab operibus ſervilibus aliquo die, ut vacemus cultui divino, qua de re non diſputamus. Neque etiam præfractè vellemus negare, diem illum debere eſſe aliquem è ſeptem, ita ut ſemper alii ſex præcederent, quibus (ſalvis ſemper extraordinariis caſibus, quibus Eccleſia conveniret) poſſimus vacare rebus noſtris, etſi in ea re, certi aliquid ſtatui non poſſit.

Quod autem adducunt à ratione mandati quarti, nempe Dei exemplo, qui die ſeptimo quievit; id quidem oſtendit, nos aliquo die quieſcere debere & vacare rebus divinis; ſed ſi præciſe urgeatur in omnibus Dei exemplum, tum ſeptimus à creatione dies erit celebrandus, non octavus, quod fit in univerſo Chriſtianiſmo. Ergo ratio illa præcepto morali non debet applicari niſi eo uſque, ut quemadmodum Deus poſt creationis opera ceſſavit ab opere, & diem ſequentem ſanctificavit; ſic eſſe debere apud nos diem aliquem in quo ab operibus noſtris communibus ceſſantes, vacemus ſpecialiter cultui divino, & contemplationi operum ejus.

Argumentum à poteſtate Dei ſumptum, cujus ſit ſolius mutare tempora & oportunitates, id tantùm probat, nullum hominem poſſe abolere aut mutare tempora à Deo ſtatuta & determinata, niſi Deus ipſe aboleverit tempora illa, & poteſtatem Eccleſiæ fecerit aliud tempus eligendi pro ratione circumſtantiarum, ſtabilita per gratiam ſuam Chriſtiana libertate. Deus eſt autem qui mutavit tempus Sabbathi, antiquatis legis ceremoniis, & Eccleſiæ ſuæ liberum reliquit, electionem diei ſanctificandi præciſè ad ordinarium cultum, & eorum quietem & relaxationem, qui operibus noſtris vacant.

His ita diſtinctis paucis attingemus commune Pontificiorum argumentum qui ut traditiones aliquas eſſe probent eaſque non ſcriptas, quarum nihilominus obſervatio ad ſalutem eſt neceſſaria, objicere ſolent, nos diem Dominicum in Sabbathi locum obſervare, id autem nos non habere ex Scriptura, ſed ex traditione Apoſtolica. Ad hanc objectionem, nos duplici modo reſpondemus. 1. Dicimus illos mutare ſtatum quæſtionis, & peccare ab ignoratione Elenchi, quia inter nos non agitatur controverſia de rebus ad εὐταξίαν & ordinem conventuum Eccleſiaſticorum pertinentibus, quarum circumſtantias omnes fatemur in Scripturis non haberi, ſed tantum regulas communes, ex quibus qui præſunt, & quorum eſt ordinem in Eccleſia ſervare, poſſunt adhibita invocatione nominis Dei & circumſtantiarum conſideratione, conſtituere quid ſit obſervandum & quouſque. Quamobrem ſi de diei illius ſanctificatione & prærogativa nihil in Scriptura haberetur, non proptereà ſequeretur obſervare nos aliquam traditionem non ſcriptam, ad fidem pertinentem. Duo ſunt in hac re conſideranda. 1. Nos liberos eſſe ab obſervatione Sabbathi Judaici, idque jam ad fidem pertinere, ſed oſtendimus jam libertatem illam in Scriptura perſpicuè fuiſſe aſſertam. Coloſſ. 2. verſ. 16. & 17. Secundum eſt, diem Dominicam ad ſacros conventus inter Chriſtianos eſſe dedicatam. De ea re nullum expreſſum habemus in Scriptura mandatum, nec etiam opus fuit, quia pertinet ad rationem ordinis Eccleſiaſtici, cujus regulas communes habemus in Scriptura, circumſtantiæ autem in Eccleſiæ libertate relictæ ſunt. Quod autem huc-uſque, dies ille in Eccleſia fuit inde ab Apoſtolorum temporibus obſervatus, id ex traditione non ſcripta nobis non innotuit, ſed ex hiſtoria novi Teſtamenti, in qua non ſolum habemus Chriſti manifeſtationes illo die diſcipulis factas, ut Joan. 20. verſ. 25. *Ex quo loco tenuis quædam conjectura, ait Maldonatus, ſumi poteſt, Dominicum diem, aliquam ex Chriſti voluntate originem duxiſſe.* Sed præter tenuem illam conjecturam, habemus perſpicua teſtimonia praxis Apoſtolorum, qui primo hebdomadis die conveniebant ad fractionem panis, Act. 20. v. 7. Collectas inter Chriſtianos inſtituebant, 1. Cor. 16. v. 2. Diemque illum Dominicum fuiſſe vocatum conſtat ex Apoc. cap. 1. verſ. 10. ad quem locum Ribera, *Videmus hic, tempore Apoſtolorum ſolemnitatem Sabbathi, mutatam eſſe in Dominicam diem reſurrectione Domini conſecratam, cujus meminit Paulus* 1. ad Cor. 16. *jubens ut in ea collectæ fiant, quoniam tunc omnes conveniebant ſolemnitatis diei cauſâ.* Ubi etiam Benedictus Pererius notat, *liquido patere, quanta fuerit antiquitas diei Dominicæ.* Unde igitur id liquido patet, niſi ex ſcripto Dei verbo? Hanc reſponſionem cum innuiſſet Doctiſſ. VVhittak. Controverſ. 1. q. 6. cap. 12. Gretſerus eum *ſtuporis* arguit lib. 4. defenſ. de verb. Dei cap. 7. ac idem eſſe ait, ac ſi diceret, *in novo Teſtamento ſæpiſſimè fit mentio Sabbathi: ergo eſt doctrina novi Teſtamenti ſcripta, Sabbathum feriandum eſſe.* At ipſe arguendus eſt impudentiæ, qui adverſarium calumniatur, & ejus reſponſionem enervat, ut anſam cavil-

cavillandi arripiat. Quæſtio eſt, an obſervatio diei Dominicæ pro ſolemnibus Eccleſiæ conventibus ab Apoſtolis, ad nos ſit derivata ex traditione non ſcripta. Id objiciunt Pontificii, reſpondent noſtri, non tantum in libris Novi Teſtamenti mentionem fieri illius diei, quod tamen aliquid eſt, præſertim cum videmus eum novo nomine *Dominicum* indigetatum, quid enim aliud eſt *dies Dominicus*, quam dies Domino ſacer? Sed præterea, oſtendimus mentionem fieri diei illius, quatenus ad ſolemnes Eccleſiæ Chriſtianæ conventus Apoſtoli eo uſi ſunt, & exemplo nobis præiverunt. Id diſſimulavit Jeſuita, ut haberet unde ſtuporem objiceret ei adverſario cujus ſpiculis pungebatur. At, inquit, præcepti de obſervando die Dominico non fit in Sacra Scriptura mentio, ergo id ſaltem habemus ex traditione. Reſpondeo, in talibus non opus eſſe præcepto expreſſo, ſi habeamus exemplum, præſertim eorum quos ſcimus ἀυταξίας in Eccleſia fuiſſe, ex ſpeciali vocatione, primos inſtitutores quales fuerunt Apoſtoli; in talibus enim exemplum & praxis vim aliquam habet præcepti, præſertim ubi praxis illa ſæpè repetitur, tum enim inculcatur, ſi nulla ratio neceſſaria mutationem requirat. Imo etiam præceptum habetur 1 ad Corinth. 16. v. 2. ut quoque die primo hebdomadis collecta fiat in uſum Sanctorum pauperum. Ubi etſi prima intentio Pauli ſit de collecta ſtatuere, tamen quia vult eam die primo hebdomadis fieri, inde ſequitur voluiſſe etiam ut diem Dominicam ſolemni Eccleſiæ congregationi dedicarent. Qui enim vult finem, vult etiam media, ſi nihil in eis ſit illegitimum, aut verbo Dei prohibitum. Ut igitur ad Gretſeri calumniam reſpondeamus, falſum eſt VVhittak. dixiſſe tantùm in Scriptura mentionem fieri diei Dominici, ſed dixit traditionem illius diei in Scriptura haberi, exemplo nempe, & praxi. De Sabbatho non eſt ſimilis ratio, quia ejus in Novo Teſtamento ita fit mentio, ut ejus antiquatio & abrogatio ibidem declaretur manifeſtiſſimè. Taceo quod Ignatius Epiſt. ad Magneſianos ubi commendat obſervationem diei Dominici poſt Sabbathum, quam diem *Reginam & principem omnium dierum* dicit, à Propheta etiam expectatam fuiſſe addit in titulis Pſalmorum in quibus habetur, *in finem pro octava*. Quam applicationem etſi nolim præſtare, tamen apud Pontificios debet eſſe magni momenti, qui cum epiſtolas illas velint ſcriptas fuiſſe à ſucceſſore immediatò Apoſtolorum, & in illis multas traditiones fuiſſe conſervatas, vident tamen illum, etiam in re quæ fidem non ſpectat, erubuiſſe ſine Scriptura loqui, & ad inſtitutum ſuum accommodaſſe quæ in Veteri Teſt. putavit quodammodo ad id referri poſſe. Sed de his ſatis.

Exercitatio XIV.

De nomine Tetragrammato, quod primùm uſurpatur verſ. 4. An legi poſſit, & habeat ſua puncta vocalia? Certantium argumenta; & de tota lite judicium. An tribuatur aliquando creaturæ? Negatur, & adverſus hoſtes Deitatis Chriſti defenditur negativa. An filius ſit αὐτόθεος, & quomodo? Angelis, Arcæ teſtimonii, & aliis rebus, quomodo tribuatur nomen Jehovæ? *Exponuntur quædam Scripturæ loca à novis Samoſatenianis objecta. De nomine Iehovæ in compoſitione, quid ſentiendum. De eo adverſariorum contradictio.*

Cap. 2. v. 4. *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, qua die Iehova Deus fecit cœlum & terram.* Animadvertunt omnes interpretes hic primò mentionem fieri nominis יהוה τετραγραμμάτου, abſoluto jam creationis opere, cujus rei hanc rationem affert Aben-Ezra ex Judæis majoribus ſuis, quod neceſſe fuit ibi eſſe perfectam Dei appellationem, ubi perfectum eſſet Dei opus. Ante, ſe Deus exhibuerat אלהים *elohim*, potentem & magnificum in omnibus rebus creandis. Nunc poſt omnia creata quæ eſſe ſuum habent à Deo, homine præſertim condito, qui inter creaturas inferiores eminet, *Iehovæ* nomen ab eſſentia ductum Deo tribuitur, quia tunc ab homine agnitus fuit tanquam is qui omnibus creaturis eſſe dederat. LXX. & interpres Latinus, hoc nomen non ſunt interpretati, ſive quod non judicarint ſe poſſe aſſequi propriam nominis ſignificationem, ſive alia aliqua ratione ducti. Nominis enim vim non tam judicant, quam ejus loco ſubſtituunt vocem κυρίου, aut *Domini*, quæ certè etymo vocis *Iehovæ* non reſpondet, quæ potius *exiſtentem* ſignificat, & divinitatis eſſentiam notat, quæ ſic Patri, Filio & Sp. ſancto communis eſt, ut nemini præterea, vel in cœlo, vel in terra, communicari queat. Quidam ſubtilius dicunt hoc nomen fieri à ſubſtantivo היה *haja*, in futuro pronunciato, quod perpetuitatem, naturæque propriam & immutabilem rationem indicat in ſacra lingua. Itaque illud nomen יהוה præter divinæ miſericordiæ rationes quas continet, ſignificare etiam præſens, præteritum, & futurum, atque adeo æternitatem in Deo. quod alii aliter explicant, quia verbi præteriti הוה, id eſt, *fuit*; volunt ſyllabam וה *va* eſſe indicium; ſecundo הו *ho* ſeu cholem participii הוה *havo*, id eſt, *eſt*; 3. jod, futuri *jehveh*, characteriſticum, recenſitis ſyllabis à ſiniſtra in dextram. Inde explicant verba illa Exod. 3. v. 6. à Domino citata Matth. 22. v. 32. *Ego ſum Deus Abraham, Iſaac & Iacob*, quia ſi illi jam mortui extare amplius non poſſent, non conveniret nomen cum profeſſione, *Ego fui, ſum, & ero*, miſericors, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo. Nam ſi illi non futuri

turi eſſent, non conveniret nomen in futuro pronunciatū. Conſequens ergo eſſe illos, non ſolum fuiſſe; ſed etiam præſentes eſſe Deo, cui omnia vivunt, & futuros etiam ipſos, ut ipſe ſit Deus eorum, id quod non contingeret ſi impoſſibile eſſet eos reſurgere, & vivere amplius. Igitur Deus, ita fuit Deus Abraham &c. ut perpetuo ſit futurus illorum Deus. Quod ſi apud nos non extent viri illi ſancti, vivunt tamen apud Deum in virtute; vivunt in conſilio Dei de eorum reſurrectione, & vivent apud Deum & apud alios poſtquam reſurrexerint, ita ut eorum vita teſtetur aliis Deum eorum eſſe יהוה.

Nomen autem illud יהוה appellant Maſſoritæ אדכרת *adekarah*, id eſt, recordationem ſeu μνημόσυνον, quia revocat in mentem Dei puram eſſentiam. Nomen ארני *adonai*, ut ſcribitur, ita effertur in centum triginta quatuor Scripturæ locis, ut notant Ebræi, & tunc ab ipſis vocatur ודאי *vadai*, id eſt, nomen confeſſum: non (ut quidam putant) quod nemo non ſanæ mentis Deum non confiteatur, rerum omnium Dominum & moderatorem, ſed (ut docet Elias Levita, oratione nona ſecundarum tabularum libri Maſſoreth hammaſoreth) quod ejus puncta confeſſa ſunt & certa, quæ ad literas quibus ſcribitur efferendas adhibita ſunt. Vult enim ille quem plerique hodie ſequuntur, puncta quibus nomen quod ἀνεκφώνητον יהוה ſcribunt, non eſſe puncta confeſſa ipſi nomini quadrantia, quum non illis plane punctis ſit legendum, nec propterea illis punctis nomen illud affecerint Ebræi, ut ita proferretur, ſed ſint puncta tranſumpta & mutuata modo ex nomine ארני *adonai*, modo ex nomine אלהים *elohim*, per quæ voluerint legi nomen יהוה. Id hiſce præſertim argumentis probant.

1. Quia præcedente vel ſequente ארני ſæpe ſcribatur mutatis punctis & mutuatis à nomine elohim, ut Deut. 3. v. 24. Conſtat autem aliàs, nomina propria nunquam mutari; at *Iehova* eſt nomen proprium Dei, quod indicat י initio, & ה in fine.

2. Quia ſi accedant literæ ſerviles וכלב ante יהוה ſemper notantur patach, cum ſcribendæ eſſent cum chirec magno.

3. Literæ בגדכפת ſemper habent dagueſch poſt יהוה contra naturam quieſcentium literarum, quæ nunquam volunt poſt ſe habere dagueſch, unde apparet legendum ארני *adonai*, in quo nomine nulla eſt litera quieſcens.

4. Afferunt autoritatem Chaldæi, Græcorum, Vulgati interpretis & omnium Ebræorum, qui ſemper exponunt *Dominum*, non *Deum*, niſi quod Græci utrumque nonnunquam conjungunt, exprimentes & radicales ſeorſim, & puncta ſeorſim, ſecundum literas vertentes *Deum*, ſecundum puncta, *Dominum*.

Sunt tamen alii etiam doctiſſ. viri, qui talibus argumentis non moventur, qui etſi fateantur puncta illa eſſe eadem cum punctis nominis *adonai*, putant id non ſatis firmum eſſe argumentum ad probandum vocales eſſe alienas nomini Jehovæ appoſitas; quia nomina diverſiſſima poſſunt, & ſubinde ſolent, efferri eiſdem vocalibus, atque ita poſſunt eſſe diverſis nominibus propriæ.

Id hac ratione oſtendunt. Nam ex tribus illis vocalibus duas primas E, & O, Tetragrammati genuinas eſſe evincitur, ſi paulo attentiùs conſiderabimus nomina propria quæ ex Tetragrammati parte priore ac potiore compoſita paſſim occurrunt, qualia ſunt, *Iehonathan*, *Iehoram*, *Iehoſaphat*, cæteraque conſimilia permulta. Nemo enim repertus eſt qui legerit, *Adonathan*, *Adhoram*, *Adoſaphat*, quoniam E & O proprias hujus nominis vocales credidit. Sin autem partis in compoſitione propriæ ſunt, cur non totius extra compoſitionem? quum idem utrobique nomen exiſtat, illic ſecundum partem, hic per ſe totum.

Ultimam vero vocalem A, ſive *camets* peculiarem ac nativam Tetragrammati eſſe ex eo probant, quod cum nomen *adonai* hominibus tribuitur, habet in fine patach prout ratio Grammatica poſtulat. Cum autem Deo, habet camets contra regulam Grammaticæ, ut nomini Tetragrammato exprimendo aptè conveniat. Cum igitur camets nomen *adonai* divinum, ab humano diſtinguat, conſentaneum videtur ut vocalis illa nominis abſolutè divini (nempe *Iehova*) propria ſit, ideoque diſtinguat.

Addunt ſi יה *jah*, nihil eſt aliud quam nomen יהוה decurtatum, quod Ebraicè doctiſſ. viri judicant, idque per ſyncopem, qua aliquid è medio dictionis eximitur: contractio autem ſyncopica apud Ebræos fieri ſoleat reducta vocali conſonantis ſequentis ad antecedentem, ut cum hac in unam vocem coaleſcat; inde etiam ſequi vocales illas eſſe nomini יהוה *Iehovah* proprias, & camets tertiam eſſe eamque propriam Tetragrammati vocalem.

Alia multa adferunt in eam rem, ita ut libris etiam de ea ſcriptis, fuerit hoc tempore decertatum. Ego (quicquid nonnulli ſentiant) litem illam non exiſtimo magni momenti, ſi de eo conſtet inter partes, nomen illud eſſentiam & æternitatem divinam ſignificare, & Deo ſoli competere. Nam ad lectionem aut pronunciationem quod attinet, ubi de ſignificatione convenit, parum intereſt quomodo quis legat aut pronunciet, præſertim apud eos qui ſuperſtitioni Judaicæ non ſunt addicti, nec putant piaculum eſſe, ſi quis nomen illud pronunciet ſive benè, ſive malè, dummodo animo bono, & intelligente vocis ſignificationem. Et quamvis litem nolim facere meam, aut in præjudicium alterutrius partis pronunciare; id tamen, ſervata unicuique ſua libertate, mihi magis arridet, ut apud Chriſtianos nomen *Iehòva* pronuncietur prout ſe habent puncta. Ad id præſertim me movet, quod cum vel loquamur vel legamus Ebræa coràm illis quibus lingua non eſt in uſu, & cujus vix aſſequimur veram & antiquam

 pronun-

pronunciationem, id præſertim nobis pro ſcopo eſſe debet, ut omnes intelligant vim & proprietatem uniuſcujuſque dictionis, quod non fiet ſi *adonai* legamus pro יהוה *Iehovah*, quia cum nomen *adonai* alibi reperiatur in Scripturis, vel Deo, vel hominibus attributum, vix auditor diſcernere poterit, ubi nam *adonai* ſignificet Tetragrammaton, & ubi ſimpliciter accipiatur pro domino, quæ ambiguitas tollitur pronunciatione nominis *Iehovah*. Idem enim de ea re judico, quod de pronunciatione linguæ Græcæ, de qua etiam litigatur quænam ſit antiqua. Nam quicquid ſit de eo, in Scholis docentium & diſcentium, ſemper exiſtimavi pronunciationem illam eſſe præferendam, in qua minus eſt ambiguitatis ex literarũ & diphthongorum diſſimili pronunciatione, cum alioqui difficile ſit, præſertim currente lingua, diſcernere, inter *i* quo pronunciantur tres literæ & una diphthongus, η, ι, υ, οι. &c.

Hac igitur lite indeciſa manente & ad Grammaticos, qui de ea adhuc certant, remiſsâ; alia quædam majoris momenti hoc tempore intenditur Orthodoxis ab hoſtibus Deitatis Chriſti Socinianis, de qua nobis aliquid eſt dicendum. Cum ipſis objiceretur, nomina Dei in Sacra Scriptura tribui Chriſto, & nomen *Tetragrammaton*, creaturæ incommunicabile non excipi, unde conſequitur Chriſtum eſſe verum & æternum, ejuſdemque eſſentiæ cum patre Deum; conati ſunt duobus modis hujus argumenti vim infringere. Primùm negando Chriſtum Jehovam appellari illis in locis quæ citantur ad id probandum, & quanto potuerunt artificio ea detorquendo; qua in re non eſt hoc tempore inſiſtendum, quia id reſervabitur propriis ſuis locis & ſedibus: 2. abſolutè negando verum eſſe, id nomen ita Deo proprium eſſe, ut nunquam creaturis tribuatur. Id hoc loco nobis eſt expendendum.

Tranſſylvani Arriani, citante Bellarmino lib. 2. de Chriſto cap. 7. dicebant, nomen eſſe proprium Dei Patris. At Sociniani contendunt aliis etiam attribui præter Deum; ne Chriſtum cui attribuitur & competit, verum Deum patri conſubſtantialem fateri cogantur. Sic enim Socinus, ſub finem cap. 6. contra VViekum & Bellarm. *Si Angeli ipſi, multo Chriſto inferiores, cum Iehovæ perſonam aliqua in re ſuſtinent, Iehovæ appellati inveniuntur, multo magis fieri poteſt ut Chriſtus, qui perpetuò in toto ſalutis noſtræ negotio Iehovæ Dei perſonam ſuſtinet, ipſiuſque perpetuus in Eccleſia vicarius eſt, Iehovæ nomine appelletur, nec tamen ipſe ſit revera Iehova, ſive ejuſdem cum ipſo eſſentiæ.* Addit *Enjedinus*, Jehovæ nomen & appellationem multis rebus creatis tribui, ut *Arcæ fœderis*, Num. 10. v. 35. Deut. 12. v. 7. &c. *Altaribus* quibuſdam, Exod. 17. v. 15. Jud. 6. v. 24. &c. Similia afferuntur ab Oſtrorodio contra Tradel. part. 2. cap. 2.

Nos contra affirmamus, nomen *Iehovæ* ſoli creatori unicè competere, nulli prorſus creaturæ communicari poſſe. Rationes noſtræ ſunt 1. quia nomen proprium (appellativo oppoſitum) uni tantum convenit; ſic enim apud Grammaticos nominis proprii acceptio uſurpatur, proprium eſſe quod uni ſolum rei convenit. Proprium eſſe Dei nomen, conſtat ex Moſis vocatione, cum enim id inter alia quæreret, *Ego veniens ad filios Iſraël dicam eis, Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos, & dicent mihi, quod nomen ejus? quid dicam ad eos? dixit Iehova ad Moſchen Eheje, quia ero, &c.* ubi exprimit vim & originem nominis illius. Exod. 3. v. 13. Item apparet ex controverſia Eliæ cum Baalitis, cujus ſtatus fuit, *Num Iehova an Baal eſſet Elohim?* 1 Reg. 18. v. 21. Quemadmodum igitur in quavis eminentia, ut Imperiali vel Regia, duo ſemper agnoſcimus nomina, quorum unum eſt proprium, aliud appellativum, hoc autem deſignat *Quid?* Eſtque ipſius dignitatis nota; illud vero explicat *Quis?* Et eum qui dignitate ea præditus eſt denotat; ut ſi quis quærat *quis eſt Rex Galliæ?* reſpondebitur per nomen perſonæ proprium, *Ludovicus* &c. Sic etiam duplex nomen Deo tribuit Scriptura, quorum unum eſt appellativum & dignitatis nomen, nempe *Deus*; alterum vero proprium, nempe *Iehova*. Ut autem nomina propria hoc habent, ut extra ſubjectum ſuum extendiſſe non patiantur; ſic non eſt fingendum nomen Jehovæ Deo proprium, ulli creaturæ communicari poſſe.

2. Id probamus ex nominis etymo, ex quo ſolius Dei proprium eſſe patet. Cum enim ſummum ens propriè deſignet, quamvis creaturæ eſſe participant, cum Deo tamen comparatæ pro nihilo reputantur. Eſai. 40. v. 15. *Ecce gentes ſicut pulvis* &c. & v. 17. *Omnes gentes ſicut nihil coram eo, pro nihilo & inani reputatæ ſunt ei.* Hujus autem rei duplex poteſt eſſe ratio. 1. Ipſius Dei αὐτουσία, quia eſſe ſuum non habet ab alio. 2. Creaturarum omnium à Deo dependentia, quæ vivunt, moventur & ſunt in eo, Act. 17. v. 28. Unde ſequitur, cum nominis ipſius radix creaturis & Deo communis eſſe non poſſit, multo minus nomen proprium ex ea radice progerminans commune fieri poſſe. Idque præſertim patet ex eo, quod teſte Galat. de Arcanis Cathol. verit. lib. 2. cap. 10. nomen illud ab Ebræis acceptum fuerit non tantum pro eo qui in ſe habet eſſe, ſed pro generante, eſſentiante, id eſt, qui omnibus dat eſſe, quæ interpretatio cum dicto ex actis nuper allato, convenit. Quod ita expreſſit Druſius cap. 24. libelli de Tetragrammato, ubi cum de interpret. nominis יהוה ageret, *ut ſemper eſt*, inquit, *etiam verè eſt, imò fons eſt πάσης οὐσίας. Nam ab eo & per eum ſunt, quæcumque ſunt; etiam nos in eo movemur & vivimus.* Addit, de ſignificatione verbi *eſſe* ad Deum relata; *eſſe dicitur Deus, quia per ſe eſt, quia ſemper eſt, ſemper vivit, ſemper idem eſt, quia incommutabilis eſt.* Huc refertur quod Apoc. 1. v. 4. habetur ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Buxtorfius in Lexico ſuo, ad vocem יהוה notat verba אהיה אשר אהיה *ehieh aſcher ehieh* Exod. 3. v. 14. *ſum qui ſum*, ſeu *ero qui ſum*, paraphraſticè reddi

in

in Exodo magno, paraſcha 3. *Dixit Deus, Deus benedictus Moſi; Dic eis, Ego qui fui, & ego idem nunc, & ego idem in futurum*, &c. Et Paraphraſtes Jonathanis in legem, *Ego ille ſum, qui ſum & qui futurus ſum, miſit me ad vos.* Citat etiam ex Rab. Bechai in Exod. fol. 65. col. 4. *Deus benedictus imperat tribus temporibus, præterito, præſenti & futuro &c.*

Adverſus hoc argumentum excipit Socinus, ſi ita res ſe habeat, non poſſe nomen יהוה *Iehova*, propriè filio Dei attribui, quia ex confeſſione noſtra filius non eſt à ſe, ſed ab alio. Si igitur nomen illud ſignificet eſſendi fontem, quod etiam vult Bellarminus, filium non eſſe Jehova, qui non eſt fons eſſendi, ſed ſolus pater. Reſpondemus, filium non eſſe à ſe ſed à patre ſi perſonam conſideremus, ſecundum quam à patre genitus eſt. Sed non alia eſt eſſentia filii, alia eſſentia patris, quæ una & eadem eſt. Cum autem nomen יהוה alicui perſonę divinæ tribuimus, id fit ratione unius & ejuſdem eſſentiæ, tribus perſonis communis. Valeret ergo argumentum Socini, ſi filius ita eſſet à Patre, quemadmodum ſumus à patribus noſtris, quibus non ſumus conſubſtantiales. Sed cum filius Dei ſit unius & ejuſdem ſubſtantiæ cum patre, eſt etiam cum Patre unus idemque Jehova, id eſt, æternus Deus, fons omnis eſſentiæ, & ens independens.

Hoc eſt quod beatæ memoriæ Calvinus voluit, dum ſcriberet contra Valentinum Gentilem, qui ὁμοούσιαν negabat, & filium à Patre fuiſſe eſſentiatum aſſerebat. Volebat enim aliam eſſe Patris, aliam filii eſſentiam. Cui ut reſponderet Calvinus, negavit, eo ſenſu quo ille dicebat, filium eſſentiam habere à patre, id eſt, aliam eſſentiam ab eſſentia Patris, ſed filium, etſi ſecundum perſonam relativè eſſet à patre: ſecundum eſſentiam tamen, eſſe αὐτόθεον, à ſe vel per ſe Deum. Senſum Calvini in ea re probat Bellarminus, nec Genebrardo & ſimilibus calumniatoribus neſcio quam hæreſim *autotheanorum* fingentibus, fidem adhibet; etſi formam loquendi qua Calvinus uſus eſt carpere conetur. Jac. Arminius, Bellarmino iniquior Reſponſ. ad artic. 31. ſibi objectum, contendit nullo ſenſu orthodoxè dici poſſe filium Dei *eſſe Deum à ſe*, eamque Phraſim non ſolùm in aliis, ſed etiam in Calvino calumniatur, tanquam Sabellianam. quam tamen ejus ſucceſſor Conradus Vorſtius in ſuo Antibellarm. contracto ita tuetur ut affirmare non dubitet, implicitam eſſe contradictionem, eum non eſſe αὐτόθεον, hoc eſt, Deum à ſe ipſo, qui Deitatem æternam, ſeu divinam naturam, à ſe ipſa exiſtentem, eamque non aliqua ex parte, ſed totam, & quidem neceſſariò ac naturaliter, ab omni æternitate poſſidet. Aut enim denegandam eſſe filio Dei, æternam illam & incommunicabilem (intellige ei perſonæ quæ Deus non ſit verus) ſolius Dei eſſentiam, quippe quam prorſus independentem, principii expertem, hoc eſt à ſe ipſa tantùm exiſtere, conſtat; aut omnino fatendum eſt Deum reſpectu illius eſſentiæ abſolutè conſideratæ, non immerito αὐτόθεον, ſeu Deum à ſe ipſo appellari poſſe. Rem totam ſic ſatis ingenuè perpendit Greg. de Valent. de unit. & Trinit. lib. 2. cap. 1. *Revera* (inquit) *ſi attentè Calvinus legatur, tantùm videbitur voluiſſe, filium, ut Deus quidem eſſentialiter eſt, ex ſe eſſe; & ſolummodò ut perſona eſt, eſſe ex Patre. Id quod verum eſt. Nam licet veriſſimè Patres & concilia aſſerant, Deum eſſe ex Deo, accipiendo vocabulum Dei perſonaliter, ut ſcilicet ſignificat quoque perſonam ipſam Patris & Filii: tamen filius, quatenus eſſentialiter Deus eſt, id eſt, ut eſt illud unum ſimpliciſſimum quod eſt Deus, non eſt ab alio, quia ut ſic, eſt quid abſolutum. Quod ſi hoc tantum hæretici quos Autotheanos nominant voluerunt, non eſſet de ea re cum illis decertandum. Nam in eo ſenſu, videtur filium appellaſſe αὐτόθεον Epiph. Hæreſ. 69.* Hæc ille. Hinc eſt quod apud Orthodoxos, nunquam licuit dicere eſſentiam generari aut produci, vel à patre procedere Deitatem, quæ propoſitiones damnantur in Cap. *Damnamus* de Sanct. Trinit. & fide Catholica. Aliud autem eſt dicere eſſentia divina quæ eſt in filio eſt à ſe, aliud autem dicere filius à ſe habet divinam eſſentiam. Eſſentia enim non eſt ab alio, etſi eſſentia poſſit communicari ab alio, nec confundenda eſt communicatio eſſentiæ, cum generatione vel productione eſſentiæ. Eſſentia enim divina nec generari, nec produci poteſt; poteſt tamen communicari per generationem & proceſſionem; quæ abſolutè conſiderata in ſe, erit à ſe, aut à nullo; relatè autem, erit communicata ab alio. Hæc qui non diſtinguunt, vel impingunt ipſi, vel aliis calumnias ſtruunt.

3. Noſtrum argumentum, deſumitur ab eo, quod Deus ipſe hoc nomen Jehovæ ſibi uni & ſoli vendicat. Quando Moſi quem in Ægyptum mittebat ſciſcitanti de nomine, reſpondit, ſic dices filiis Iſraël, *Iehova, Deus Patrum veſtrorum &c.* miſit me ad vos. Exod. 3. v. 15. Item, *nomine meo Iehova non ſum cognitus eis*, Exod. 6. v. 3. Eſai. 42. v. 8. *Ego Iehova, hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.* Jerem. 44. v. 26. *Ecce ego juravi in nomine meo magno, dicit Dominus, ſi erit ultrà nomen meum vocatum in ore omnis viri Iuda dicentis, vivit Adonai Iehova in omni terra Ægypti.* Hinc enim rectè argumentamur, quodcumque nomen Deus vult ſibi eſſe proprium, ut illo ab omnibus falſis diis diſcernatur, hoc à Spiritu Sancto in ſacris literis nulli alii tribui potuit: tale autem eſt nomen Jehova. Ergo.

4. Ex eo quod Sancti Dei homines, nomen illud tanquam Deo ſoli proprium uſurpant. Moſes Exod. 15. v. 3. *Elohim Iehova eſt vir bellator, Iehova nomen ejus.* & Pſal. 68. v. 5. *Exaltate aſcendentem ſuper cœlos in jah nomine ejus.* Jerem. 32. v. 18. *Deus magnus, potens, Iehova tſebaoth nomen ejus.* cap. 33. v. 2. *Iehova formans illam, Iehova nomen ejus.* Amos 5. v. 8. *Qui effudit mare ſuper faciem terræ, Iehova nomen ejus.* Idem repetit cap. 9. v. 6. Quod ſi non proprium eſſet Deo

 nomen,

nomen, non video quorſum toties repeterent *Iehovam* eſſe nomen ejus. Ideò etiam ſacra Scriptura, ex qua de Dei nomine ſtatuendum nobis eſt, nuſquam alii quam Deo nomen illud tribuit, quod inductione probari poteſt omnium locorum, in quibus hoc nomen extra conſtructionem, abſolutè uſurpatur.

His addimus, Nomen Jehovæ nunquam legi cum affixo. Item ſemper eſſe μοναδικὸν ſingulare, plurale non habere. Præterea per ſe eſſe individuale, nec unquam legi cum ה Emphatico vel demonſtrativo. Ex quibus omnibus ſatis liquet nomen eſſe ſingulare & incommunicabile. Nec etiam auſus eſt Socinus planè negare, nomen Jehovæ Deo proprium eſſe. Ideò enim oſtendit nomen κύριος quo Græci uſi ſunt, loco nominis Jehovæ, illud ſatis exprimere, cum nomen Jehovæ ſit proprium, κυρίου autem appellativum, quamvis eo loco, contra Viekum Claſſ. 4. cap. 6. non dicat eſſe proprium Dei expreſſè: illud tamen intelligi poteſt, quia ſi proprium eſt, nulli alii poteſt eſſe proprium præterquam Deo. Proinde ſi alii tribueretur, non eſſet proprium.

Ad ea vero loca quod attinet, in quibus nomen illud videtur de aliis rebus dici, notandum eſt in genere, in iis duplicem eſſe vocis aut nominis illius uſum. Nam 1. ponitur ſolitarium & abſque conjunctione cum aliis, vel ponitur conjunctum & compoſitum. Duæ ſunt præſertim res quibus nomen Dei ſeorſim poſitum volunt fuiſſe attributum adverſarii, Arca fœderis, & Angeli. Inde enim hoc elicere conantur, argumentum à nomine Jehovæ ductum non eſſe neceſſarium, quia Chriſtus poſſet vocari Jehova tanquam Angelus Dei, aut Deum ſpeciali modo repræſentans, ut ſupra ex Socino adduximus. Ad primum ergo de Arca fœderis reſpondemus, falſum eſſe Arcam in Scriptura vocari Jehovam, tantum enim ex locis quæ citant ſequitur, Jehovam fuiſſe illum quem Iſraëlitæ dum ad arcam ſe convertebant cultu adorationis proſequebantur, quia ſpecialem ſuam præſentiam arcæ illius ſymbolo declarabat. Exod. 25. v. 22. *Loquar tecum deſuper de propiciatorio, inter duos Cherubim qui ſunt ſuper arcam teſtimonii.* Hinc procedente Arca, dicebatur Jehova procedere: & qui coram Arca orabant, orabant coram Jehova, non quod Arca eſſet aut diceretur Jehova, ſed quod Jehova diceretur ſedere ſuper Cherubim. 2. Reg. 19. verſ. 15. Hinc eſt quod 2. Sam. 6. v. 2. dicitur *ſuper Arcam nomen Iehovæ Tſebaoth invocatum,* qua phraſi, ubicumq; reperitur in Scriptura, non intelligitur attributio recta alicujus nominis, ei rei ſupra quam invocatur, ſed obliqua tantùm. Sic nomen Jehovæ invocatum fuit ſuper Iſraël, non ut Iſraël Jehova diceretur, ſed ut *populus Iehovæ* appellaretur. Super uxores invocantur nomina virorum, nempe ut dicantur uxores viri illius. Sic dicitur Arca Jehovæ, non Arca Jehova.

Si jam fieret inductio locorum omnium, quæ citant adverſarii ut probent nomen Jehovæ fuiſſe arcæ attributum, nullus erit cui non poſſit noſtra explicatio applicari. Num. 10. v. 35. *Surge Domine ut diſpergantur inimici tui,* hæc verba proferebantur quidem ex Dei mandato cum profectura eſſet Arca, at compellatio illa fiebat non Arcæ, ſed Deo vero. Ideò David repetens eadem verba Jehovam ab Arca diſtinguit, Pſal. 138. v. 8. *Surge Iehova ad requiem tuam, tu & Arca fortitudinis tuæ.* Similis eſt aliorum locorum ratio.

Ad ea loca in quibus volunt adverſarii Jehovæ nomen Angelis tribui, Reſpondemus falſum id eſſe de ullo Angelo creato. Ex locis illis quæ ab adverſariis citantur id quidem probari poteſt, nomen Jehovæ ei tribui, qui etiam Angelus dicitur: ſed non ſequitur Angelum illum non fuiſſe eſſentialiter Deum. Alias ſimplici Angelo nomen illud communicari, quatenus legatus eſſet Jehovæ, probari non poteſt. Nec certè in more poſitum eſt vel apud homines, ut legatus vel nomen regis ſui uſurpet, vel eidem tribuatur. Cum enim nomen dignitatis ei tribui non poſſit, quid de nomine proprio dicendum? Legatus Regis nunquam Rex appellatur; ſed quis unquam audivit, legatum nomine ſui regis fuiſſe compellatum, exempli gratia Henrici, Ludovici? &c. Id quidem fit aliquando à Comœdis aut Tragœdis in Theatro, dum alicujus perſonam & actiones repræſentant, etſi tunc ſemper nomen proprium maneat perſonæ repræſentatæ: ſed id ab Angelis fuiſſe factum, vel id Deum voluiſſe ut facerent, nulla ratio ſuadet; præſertim cum Deus repræſentari non poſſit, vel tanquam abſens, vel tanquam mortuus, quod fit ab hominibus hominum perſonam induentibus. Si Angelus nomine Dei mittatur, Deum hoc modo non repræſentat, ſed tanquam ſervus Dominum, mandata ejus exequendo, qua in re non opus eſt ut ſervus, nomen Domini uſurpet, qui contra ſi pro Domino aliquando ab errantibus acceptus fuit, quod accidit, nihil prius habuit quam ut errantem revocaret, & ſe Dei ſervum fateretur. At nullum fuiſſet periculum ſi Deum ita repræſentarent Angeli creati, ut etiam nomine proprio Dei cenſeri poſſent; tunc enim quemadmodum nomen Dei ipſis communicatum, innueret Deum repræſentari ab Angelo; ſic etiam cultus divinus Angelo collatus, ſignificaret Deum coli aut adorari in Angelo. Quod tamen Angelus, maxima cum feſtinatione præcavebat, Apocal. 19. v. 10. *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum,* &c. Qui certè, ſi Joannes eum appellaſſet *Iehovam,* exclamaſſet cave hoc dixeris, nam conſervus tuus ſum, &c. Hæc igitur ratio à legatione & repræſentatione Angelorum, nullo modo locum habet, in attributione nominum vel honorum divinorum, quamvis nonnulli ex Pontificiis hanc Socino portam aperuerint, adverſus quos rectè Bellarm. aſſerit, de Chriſto lib. 1. cap. 5. *Angelos nunquam appellari nomine Iehova, ſed eum qui per Angelos loquebatur, qui erat verus Deus.*

Non evincunt hæretici quod volunt ex comparatione Hi-

ne Hiſtoriæ Exod. 3. v. 3. & 4. Ubi deſcribitur apparitio facta Moſi in Madian, cum Stephani teſtimonio Act. 7. verſ. 3. Unde ſequi volunt Angelum dictum fuiſſe Jehovam, quia is qui apud Moſem dicitur Jehova, à Stephano Angelus appellatur. Sed negatur conſequentia, non enim inde ſequitur Angelum creatum dici Jehovam, ſed id ſolum, Jehovæ tribui Angeli nomen, neque id etiam neceſſario, quia in rubo potuit Jehova Moſi apparere, & potuit etiam Angelus cujus miniſterio Deus uti voluit, ita ut non ſit neceſſe quæ de Jehova dicuntur Angelo tribuere, vel quæ de Angelo, Jehovæ. Sed ſi hoc daremus, dicendum eſſet Angelum illum verè Jehovam fuiſſe, ut ex attributis conſtat, quæ in creatum Angelum nullo modo cadere poſſunt. *Deus Abraham, Iſaac & Iacob.* verſ. 6. *Qui educit ex Ægypto*, v. 8. mittit Moſem ad Pharaonem. verſ. 10.

Eadem eſt ratio collationis loci Exod. 19. v. 11. in quo refertur deſcendiſſe Jehovam ſuper montem Sina, ad legem Iſraëlitis promulgandam: Hoc autem feciſſe Angelum Stephanus teſtis eſt. Act. 7. v. 38. In quo idem obſervandum quod anteà, non ſequi Angelum fuiſſe Jehovam, etſi Angelus etiam apparuerit loquente Jehova: & ſi Angelus fuit vocatus Jehova, tum de Angelo creato id non eſſe intelligendum, ſed de Angelo, qui cum mittente, Deus unus eſt. Prima reſponſionis pars quibuſdam ex Samoſatenianorum numero arriſit, ne cogerentur fateri alium eſſe à Deo patre, qui ſit etiam Jehova & conſubſtantialis Patri. Quia Angelus aliquis eſt Jehova, Deus pater non poteſt eſſe Angelus quia à nemine mitti poteſt, ergo eſt aliquis alius qui etiam eſt Jehova & mittitur. Hoc argumentum ut ſolveret Enjedinus, ad locum Exod. 3. v. 6. diſtinguit inter apparitionem ipſam, ſeu rem à Moſe viſam, quæ, tum à Moſe tum à Stephano Angelus Dei vocatur, & orationem ſeu vocem quæ ab utroque tribuitur Jehovæ in igne latenti; & vult ignem in rubo ardentem dici Angelum, quia Scriptura alibi ignem Angelum Dei vocat Ebr. 1. verſ. 7. At ille qui *è medio*, ſeu, ut Scriptura loquitur *ex corde* ignis loquutus eſt, vocetur Jehova, & Deus Patrum. Hoc ſi verum ſit, laborat argumentum Oſtrorodii & Socini ex illo loco & ſimilibus deductum. Sed præſtat (ut jam diximus) per Angelum intelligere eum qui tunc patribus apparebat, & indicia quædam futuræ incarnationis præbebat, qui ſuo tempore in carnē miſſus eſt, & ſublimior Angelis factus, qui *Angelus teſtamēti* à Malachia vocatur, c. 3. v. 1. ומלאך הברית *umaleak haberith.* Et *Angelus fœderis*, is in quo mundū recōciliavit ſibi Deus.

Ad ea loca, in quibus nomen Jehova in compoſitione de creaturis effertur, ut cum de Jeruſalem aut Eccleſia dicitur *Iehova juſtitia noſtra.* Jerem. 33. v. 16. Item cum dicit Ezechiel cap. 48. v. 35. nomen civitatis deinceps futurum, *Iehova ibi.* Cum Exod. 17. v. 15. Altare à Moſe extructum appellatur, *Iehova vexillum meum*, & à Gedeone Judicum 6. verſ. 24. *Iehova pacis*, &c. Reſpondemus eſſe probationem contra adverſarios. Cum enim aliquod nomen proprium in compoſitionem venit, & compoſitum alii rei tribuitur, in aliud prorſus degenerat. Quis enim adeo inſaniat ut dicat nomen proprium Conſtantini communicatum fuiſſe Byzantio, quia poſteà dicta eſt Conſtantinopolis? Vel Adriani proprium nomen ipſi commune fuiſſe cum Adrianopoli? Nomen igitur Jehovæ in compoſitione eſt pars alterius nominis, quod ſeorſim ſumptum ei rei non convenit, ſed quatenus compoſitum. Itaque *Iehova Schamma*, *Iehova Schalon*, non ſunt Dei nomina ſed creaturarum. Idem dicendum de eodem nomine *Iehova*, cum alicui tribuitur in caſu obliquo, tum enim res illa non dicitur *Iehova*, ſed *Iehovæ.* Nonnullos etiam ex adverſariis confitentes habemus, & ſuos refutantes, ſic enim Enjedinus ad locum Matth. 1. verſ. 23. *Animadvertendum eſt, nomina ſæpè non rei ipſius naturam exprimere, ſed ſigna tantùm aut monumenta eſſe rerum per illa ſignificatarum. Vt Abraham* Gen. 22. *montem in quo Iſaacum ſacrificare juſſus erat, appellat Iehova videbit. Neque tamen quiſquam montem illum vel Iehovam eſſe, vel videre affirmarit. Ita Iacob* Gen. 32. *locum quem vocat Peniel*, id eſt, *videns Deum, vel facies Dei, locus tamen ille nec videt Deum, nec eſt facies Dei.* Hæc ille. Ex quibus & dictis patet, nihil afferri potuiſſe ab adverſariis, quo probari poſſit *Iehovæ* nomen quod nos incommunicabile affirmamus, alicui puræ creaturæ fuiſſe aliquando à Scriptura attributum.

EXERCITATIO XV.

Cur Moſes ſpecialiter hic meminerit productionis arborum & herbarum? De vapore è terra aſcendente. An vetus interpres rectè fontem, *verterit? Philo Iudæus Ebrææ linguæ imperitus, etiam judice Eugubino. Ambigua verſio Auguſtino & aliis impoſuit. Quos merito refutat Pererius. Vbi noſtros immerito carpit Merſennus, & à ſuis refellitur. Cornelii à lapide interpretatio. Non probatur Druſii in Trem. & Iun. & in Gallicam verſionē iniquitas. Vera ſententia proponitur. Doctrina Meteororū ſacra.*

IN recapitulatione Γενέσεως cœli, terræ, v. 4. 5. & 6. Moſes meminit ſpeciatim plantarum omnis generis & earundē productionis, quam probat à Deo immediatè fuiſſe factam, ex eo quod nondum deſcendiſſet pluvia, nec homo adhuc fuiſſet qui terram coleret, itaque à prima cauſa ſine adminiculo ſecundarum, quæ tum non extabant, productas fuiſſe herbas & arbores. Hujus autem rei meminit, quia de formatione & creatione hominis ipſi agendum erat, ut oſtenderet, hominem non ſibi ipſi & aliis anima-

animalibus de victu providiſſe ſed Deum ſolum. Alioquin etiam certum eſt, animalia omnia tam volatilia quam reptantia & natantia à Deo fuiſſe producta ſine opera & efficacitate cauſarum ſecundarum, ſed fuit ratio ſingularis cur id de plantis diceret. Eſt ergo loci ſenſus, is quem diximus, Deum creaſſe virgultum agri & omnem herbam ante quam oriretur è terra, quomodo jam oritur naturali modo, terra nempe aquis pluviæ madefacta, ſolis calore calefacta, poſtquàm hominum labore fuit ſubacta. Nihil adhuc tale erat cum ortæ ſunt plantæ; homo nondum erat creatus, nec pluvia in terram deſcenderat, &c. Hæc ſatis perſpicua ſunt. Sed negotium faceſſit interpretibus ver. 5. ואד יעלה *veæd jaaleh*,&c. & vapor aſcendebat de terra & irrigabat univerſam faciem terræ. Duplex eſt hoc loco difficultas. 1. Quid per אד ſignificetur; altera quomodo ſit intelligendum vaporem aſcendiſſe è terra, ſi illud dicatur oppoſitè ad præcedentia, quomodo videtur intellexiſſe vulgatæ æditionis autor qui per adverſativam *ſed*, conjunctionem interpretatus eſt. Prima difficultas ex ejuſdem interpretis verſione orta eſt, qui Græcam ſequutus, *fontem*, pro vapore vertit. Hinc factum eſt ut enarratores qui fontem non conſuluerunt, in hujus fontis è terra aſcendentis diſquiſitione & proprietate multum laborarunt, conatu irrito. Auguſt. de Geneſ. ad lit. lib. 5. cap. 19. vult, vel *fontem* in ſingulari dici, pro plurali *fontes*, ut ſignificetur in exordio mundi, aliquandiu, id eſt, ante generationem pluviæ terram aquis fontium fuiſſe irrigatam, aut ſi unus fuit ſons, qui omnia terræ ſata irrigabat, intelligendum eſſe eum, ſtatis temporum intervallis excreſcentem & exundantem, omnes terræ partes, quæ propter plantas aquis indigebant irrigare conſueviſſe. Affert exemplum de Nilo fœcundante & irrigante ſtatis & certis temporibus totam Ægyptum. Non pauci Latinorum interpretum huic ſententiæ Auguſtini adhæſerunt, quibus etiam præivit Philo Judæus, cui non ſolum Doctiſſ. Mercerus & Illuſtris Scaliger linguæ Ebraicæ cognitionem adimunt, ſed etiam Auguſt. Steuchus Eugub. in hunc locum ſcribens, *Philon*, inquit, *Judæus, videtur ſuas litteras ignoraſſe, quod cum ex multis locis licet cognoſcere, tum ex hoc præſertim.* Rectè autem idem Eugub. in Coſmopœia, *Clara ſunt omnia ſi verba clareſcunt, obſcurantur autem, cum verbis non perceptis delabi ad aliquem ſenſum qualemcumque neceſſe eſt. Mirabile enim eſt quales deceptiones fecerit fons is, quem ſcripſit Moſes aſcendiſſe ex terra, pro quo Ebraicè eſt* איד *aed.* Agnoſcit ergo *vaporem* hoc nomine ſignificari, pluviæ materiam, & parcendum eſſe viris alioqui doctiſſimis, quos iſta fontis fefellit nuncupatio. Addit in Commētario LXX & Græcos autores ſenſum loci ſatis perſpexiſſe, & per fontem intellexiſſe vaporem vel pluviam, quod neque nos vellemus ipſis adimere; ſed tamen certum eſt, ut etiam ex confeſſis patet, verſionem eſſe valdè ambiguam & errori cauſam dediſſe.

Benedictus Pererius multis argumentis Auguſtini & eorum qui eum ſequuntur ſententiam refutat, quam etiam dicit doctorum hominum fidem reſpuituram. 1. Quia fontium aqua non poſſet ad omnes terræ plantas permanare, nec eas irrigare quantum opus eſſet ſecundum neceſſariam proportionem tam loci, quam naturæ ſtirpium. 2. Quia unum fontem fuiſſe qui omnes terræ ſtirpes & herbas perfunderet, excedit omnem fidem. 3. Ab uno fonte non potuiſſent celſa montium juga, in quibus ſunt multæ vireſcentes ſylvæ irrigari. Ad miraculum autem non eſſe recurrendum, ubi agitur de conſtitutione naturæ rerum, &c. Nec probat Albini gloſſam dicentis per terram intelligendum eſſe hortum Edenis, quia de Edene nulla antea fuerat facta mentio, & de univerſa terræ facie loquitur. Nec interlinearem, qua fingitur à creatione mundi uſque ad diluvium, nullam aquam è nubibus ſtillantem terram irrigaſſe, ſed terreſtribus aquis fuiſſe tantum madefactam, quia cum ſit naturale Soli ex aquis & terra vapores extrahere, & in mediam aëris regionem extollere, naturale etiam eſt vapores illuc perlatos frigore loci in nubes cogi, & denſari; naturale eſt ex denſatis imbribus nubes gigni, & in terras delabi; qui naturalis ordo rerum, niſi Deo, ſummo quodam miraculo inhibente, atque impediente, tamdiu intermitti & impediri non potuit.

Quapropter rectè ſentit probabiliorem hujus loci interpretationem, ex propria notatione vocabuli Ebræi eruendam eſſe, quam cum Ebræi, & Chriſtiani ejus linguæ ſcientiſſimi, affirment ſignificare vaporem, talem ſcilicet qualis eſt quo vi Solis è terra in ſublime attracto pluvia generatur, germanam hujus loci ſignificationem ideò judicat eam eſſe, ſignificari vim pluviæ, cujus materiam generationis, locum item finemque, Moſes aperuit hoc loco. *Vaporem* etiam verterunt, non ſolum Aquila, & Chaldæus Paraphraſtes, ſed etiam præter Pererium, iniquiſſimus alioquin omnibus qui vulgatæ vel minimum detrahunt, Martinus Delrio. Mariana etiam agnoſcit Ebræam vocem, *vaporem* ſignificare. Hæc cum ita ſint, non debuit Marinus Merſennus, ſcribere *hanc eſſe hæreticorum interpretationem qui Rabbinos ſequuti ſunt.* Ubi hæreſim in eo ponit, in quo, etiam judicibus qui ſenſu communi non carent Pontificiis, variantes ſententiæ nullum fidei periculum afferunt: Niſi quod non poteſt ferre ſi quis adverſus vulgatam ſuam editionem mutire auſit. Nam ad ſenſum quod attinet, poſt varias ambages ipſe etiam manum dat, & interpretationem probat quæ de cauſa naturali pluviarum hanc vocem interpretatur: Sed id vult *fontis* nomine rectè expreſſum fuiſſe, nam (inquit) quid eſt aliud fons, quam vapor aliquis, imo vapores multi, qui in cavernis terræ incluſi reſolvuntur in aquas fontanas? Rectè; ſed vapores illi non aſcendunt de terrâ, quod hic dē vapore dicitur, ſed in terræ cavernis includuntur & reſolvuntur in aquam. Neque ſequitur omnis fons eſt vapor, ergo ubi-

ubicumque vaporis ſit mentio fons intelligi debet. A genere ad ſpeciem non valet argumentatio, non eſt homo quicquid eſt animal. Quod poſteà addit, nubes eſſe fontes, & in ipſo aëre eſſe fontium perennium inſtar, &c. figuratè dicitur, nec ex uſu nominis fontis. Ut igitur demus id ita poſſe intelligi, ſemper tamen erit ambiguitas in verſione & impropria locutio, cujus rei evidens teſtimonium fuit hallucinatio eorum, qui nomine fontis intellecto, non ultra conſcenderunt, ſed in ipſis terræ penetralibus has quæſierunt aquas, qui Merſenno *cœci* fuerunt, non videntes fontes in media aëris regione. Cujus rei ſi monitus fuiſſet Auguſtinus, non ſe adeo torſiſſet in exquirenda ratione qua fieri potuiſſet, ut ex uno fonte vel pluribus, univerſa terra irrigua fieri potuiſſet. At Ariſtoteles 1. Meteororum cap. 1. *pluviam, circularem & perennem quendam fluvium appellat.* Qui hoc annotavit Pererius, agnoſcit locutionem eſſe figuratam, *quaſi fons* inquit, nominari poteſt. In eo nullum eſſet periculum, ſi fons cœli, aut fons aëris diceretur, tum enim circumſtantia loci ſatis ambiguitatem tolleret, ut poſteà cap. 7. ℣. 12. dicuntur *aperta cœli cataractæ*. Si itaque hoc loco legeremus terminum aſcenſus, nempe aëra aut cœlum aëreum, potuiſſet interpres ſine ambiguitatis periculo vertere fons aſcendebat in aëra, & tunc de vapore quo pluvia generatur potuiſſet intelligi, etſi ſemper figurata fuiſſet locutio. Tandem etiam ipſe Merſennus dicit ſe nolle ita vulgatam tueri, ut contendat, ne in ea quidem verbum eſſe quod magis propriè verti non potuerit, ſed tantùm ut oſtenderet in ea nihil contra fidem & bonos mores contineri. Poterat ergo hic ſe continere, cum neque de fide, neque de bonis moribus agatur: nec debebat ſua illa inſectatione, aliorum in ſe juſtam iram concitare. Sed quia hominem ab illo tempore novi, quem ſcio etiam poſteà pœnituiſſe quod ita fræna bili ſuæ laxaſſet, nolo hic pluribus cum illo expoſtulare.

Modeſtius egit Jeſuita Lapideus, qui aliorum ſententias ita refert, ut nihil acerbius in ullum decernat. Sed novam profert ſententiam, quam neſcio an ſuis omnibus ſit probaturus: mihi certè non ſatisfacit, quantumvis arguta: Primùm, vult vocem Ebræam אד *ed*, gurgitem, inundationem, & abyſſum, propriè ſignificare; & hic ſpecialiter abyſſum illam de qua cap. 1. v. 2. quæ tegebat totam terram, priuſquam eſſet ab aquis ſeparata, & ſenſum eſſe, in die quo Deus fecit cœlum & terram, non fuiſſe virgultum agri in ea, neque herbam germinaſſe, ſed abyſſum, quæ è terra videbatur emergere, irrigaſſe & operuiſſe totam terram. Non placet inquam, 1. Quia nunquam probabit אד *ed* Ebraicum, gurgitem aquarum ſignificare, quo tota terra inundaretur. Ebræum enim אד *ed*, videtur deductum ab אוד *aud*, torris, titio, tæda, quia talia fumum generant, & vaporem tenuem, qui ex aduſtione aſcendit. Quæ ſignificatio abyſſo aquarum, è qua emerſit mare, non poteſt convenire. Deinde, ſcopus Moſis fuit indicaſſe, arbores & herbas creviſſe è terra, cum nullæ adhuc eſſent cauſæ naturales, nec cultura aliqua ab homine nondum creato adhiberi poſſet, quemadmodum poſteà factum eſt, cum etiam vapor aſcendit de terra qui eam irrigaret. Id ut melius intelligamus, expendenda eſt altera difficultas in verbis, ex conjunctione præfixa voci אד *ed*, quam vulgata editio per adverſativam *ſed* interpretatur: Græci autem interpretes per δὲ, id eſt; *Fons autem aſcendebat è terra.* Inde etiam erroris anſa fuit oblata. Putarunt enim interpretes qui has verſiones ſequuti ſunt, vaporem illum ſive fontem opponi pluviæ & culturæ hominis illo tempore quo fuerunt productæ plantæ, nondum erat pluvia, nec homo ad colendam terram, ſed vapor aut fons aſcendebat ad irrigandam terram; quæ interpretatio repugnat ſcopo Moſis, qui fuit oſtendere plantas immediatè à Deo creatas & ſuſtentatas fuiſſe, quia nullæ tunc erant cauſæ naturales quibus is effectus poſſit attribui. At ſi tribuatur vapori aut fonti, videtur detrahi immediate virtuti verbi Dei, cui illud addimus prætereà, quod ſole nondum exiſtente cum herbæ fuerunt productæ nec vapor in ſublime tolli potuit, qui in nubem concreſceret & in terram decideret, nec etiam opus fuiſſet, quia terra recens ab aquis ſeparata ſatis erat madida. Ergo inquies, non defuit naturalis cauſa, humiditas nempe quæ vapori æquivalet, & terram potuit fœcundare. Reſpond. Quod Moſes dicit nec pluviam, nec colonum terræ præſto fuiſſe, ita intelligendum eſſe, non ſolum quod in rerum natura tum non fuerint, ſed præſertim eo ſenſu, quod talia non potuerint eſſe tanquam cauſæ productionis herbarum. Talibus enim verbis ſignificat Moſes ordine naturali terram non fuiſſe fœcundatam. Opus eſt aratione, ſatione, irrigatione, & temporis ſucceſſu & progreſſu in naturali plantarum productione. Aratio & ſatio eſſe non potuit, quia homo non potuit adhuc terram arare, nec ſi potuiſſet alicubi unus homo, non tamen potuiſſet ſufficere toti terræ; irrigatio ordinaria & naturalis eſſe non potuit poſt arationem & ſationem, quia nondum erat pluvia, nec potuit eſſe temporis ſucceſſio requiſita, quia uno die id factum eſt. Reſpondet ergo Moſes quæſtioni, quomodo potuit terra arboribus & omnis generis plantis ornari, cum hoc tempore videamus ad exiguam partem terræ plantis exornandam non menſes, non annos, poſt laborem aſſiduum ſufficere? Nempe quia hæc creaverat Deus cauſa prima, ſecundis cauſis nondum exiſtentibus, & ſi extitiſſent non valentibus operari talia, cum tempus non ſuppeteret ad productionem illam ſucceſſivam: unde etiam conſtat id tribui non poſſe vapori oppoſitè, nam vapor ille non fuiſſet talis efficaciæ ut momento terram fœcundaret. Id cum viderent qui rem perpenderunt diligentiùs, aliter id interpretati ſunt, vel ſimpliciter per conjunctionem, vel etiam ſervata adverſativa, non ut oppoſitio fieret ratione ejuſdem temporis, ſed ratione primæ creationis, & naturalis ordinis qui poſteà à Deo fuit inſtitutus,

ſtitutus, atque ita ſenſus ſit, cum primum illa creata fuerunt à Deo, nec erat pluvia, nec homo terræ cultor; ſed poſteà pluvia cecidit ex Dei ordinatione ad irrigandam terram, poſt hominis culturam.

Alii ſunt, qui ſequuntur expoſitionem Rab. Saadiæ, quam in libro Radicum refert Kimki, & judicant particulam negantem, ἀπὸ κοινοῦ eſſe repetendam, non erat pluvia ad irrigandum, nec homo ad colendum, nec vapor aſcendebat de terra &c. qui ſenſus non compararet creationem cum ordine naturæ, ſed tantum oſtenderet nullam extitiſſe initio cauſam naturalem productionis plantarum. Hanc interpretationem ſequuti ſunt Tremel. & Junius, & editio Gallica, quæ in textu habet *ni aucune vapeur*, etſi in margine aliam lectionem notet, atque ita ſubjungeretur ratio cur nulla tum fuerit pluvia, quia materia pluviæ nondum erat, vapor enim non aſcendebat è terra, quem ſenſum planiſſimum eſſe doctiſſ. Mercerus fatetur, ſi quis eum recipere velit. Præfert tamen priorem interpretationem tanquam ſimpliciorem, ut poſtquàm Moſes dixiſſet de extraordinaria herbas è terra producendi ratione, qua initio primùm die tertio Deus eſt uſus, ſine pluvia & cultura hominis, nunc communem rationem addat, quam deinceps Deus inſtituerit in natura ad herbas & plantas producendas, *Porrò deinceps aſcendebat è terra vapor &c.*

Druſius in notis ad difficilia loca Geneſ. cap. 9. inquirit in interpretationem Tremell. & Junii, & primùm, *Quæramus* (inquit) *unde hauſerint. Deus novit Iudæum illum quem Aben-Ezra laudat &* הגאון hagaon *vocat. Credo Saadiam innui, qui* κατ' ἐξοχὴν *hagaon, id eſt, excellens doctor cognominatur. Fuit autem ex illis doctoribus qui peculiariter Gaonim dicuntur. Is exponendum dicit hunc locum ita, & vapor non aſcendebat è terra. Teſtis,* inquit, *ille mihi quem modo nominavi Aben-Ezra.* Ut obiter dicam, non poteſt ſatis laudari viri induſtria & diligentia, duo tamen in eo poſſunt & debent requiri, ingenuitas in iis per quos profecit laudandis, modeſtia in aliis carpendis & reprehendendis. Hoc habet quod ſæpè tanquam à ſe primum animadverſa & magno labore quæſita proponit, quæ alii ante ipſum notarunt, ut hoc loco, quid habet quod non anteà Mercerus animadverterit, & tamen ne nominat quidem? Poſteà autores Gallicæ verſionis arguit, quod non tantùm hoc loco peccarint, notantes in margine Vulgatam verſionem, & in textu eam quam à Tremel. & Jun. acceperunt reponentes, & addit *ſæpiùs hoc modo peccarunt interpretes illi.* Dubitari tamen poteſt an ſit peccatum novam interpretationem quæ ratione non caret in textu amplecti, & alteram in margine relinquere, ut lectori libertas non adimatur eam quam aptiorem judicabit retinendi; ſic enim interpretes illi oſtendunt, quid ipſis probabilius videatur. Nec in ea re, ut Druſius voluit, Saadiæ autoritatem ſolam ſequuti ſunt, ſed moti fuerunt ratione, deſumpta ex ſcopo Moſis, & interpretationis facilitate, quæ omnem ambiguitatem tollit. Quod autem addit eos ſæpius hoc modo peccaſſe, ut ejus verbis utar *nolim dictum*; nam præterquam, quod id affirmat tantum & non probat, id etiam accidit, ut talibus præcipitatis judiciis adverſariis oblatrandi offeratur occaſio, quam certè hoc loco ex notis Druſii arripuit, is de quo ſupra egimus Merſenius. *Hos,* inquit, *merito redarguit Druſius, cum ſine juſta cauſa, unius Saadiæ autoritate fulti, à vulgata recedant, malunt enim per fas & nefas hoſtes Chriſtiani nominis ſequi, quam Catholicos veros amicos Dei.* Quaſi vero in ea re ageretur vel de nomine Chriſtiano, vel de Catholiciſmo! Poſteà tamen immediatè magiſtro ſuo in ea re Druſio, gratiam rependit, *ipſe* (inquit) *novator Druſius negat ullum exemplum occurrere in quo negatio repeti poſſit ab uno verſu in alium, atque adeò non vult concedere ſenſum hunc, & homo non erat qui coleret terram, neque vapor adhuc erat qui terram irrigaret, quamvis Fagius dicat negativam in principio ſententiæ poſitam, in Ebraiſmo non raro ad plura referri.* Id certè verum eſt. ut Pſal. 9. ℣. 19. *non in æternum oblivioni erit egenus, expectatio pauperum peribit in perpetuum,* ubi niſi repetatur negatio, erit abſurda ſententia. Rectè autem Fagius dicit de negatione in principio ſententiæ, quæ ad totam ſententiam extenditur. Non autem ſemper includitur ſententia uno verſu. Quod alii dicunt negationem אין *ain* verbis non jungi, ſolvit Mercerus, quia ſubauditur ſæpè relativum אשר *aſcher*, ut ſit ואין אד אשר יעלה *veain ed aſcher jaaléh*, & non erat pluvia quæ aſcenderet, aut vapor. vel pro אין repeti poteſt ſynonymum ejus לא *ló*. Sed res illa non eſt tanti, niſi quia inde maledicendi & carpendi anſam arripiunt adverſarii. Alioqui mihi ſatis ſe probat ſententia, quæ ſine negatione verſum hunc legit & intelligit, eo modo quo Eugubinus innuit, ut ſequentes duæ affirmationes, duabus præcedentibus reſpondeant negationibus. Dixerat enim Moſes, non fuiſſe pluviam, non hominem ad agriculturam, inde occaſionem ſumit agendi de origine pluviarum, & poſteà de hominis formatione. primum hoc verſu habetur, ubi pluviæ modum oſtendit; ſecundum ℣. ſeq. ubi declarat quomodo Deus formaverit hominem.

Hic autem habemus doctrinam Meteorologicam de pluviæ generatione, cujus cauſa efficiens prima, ut rerum omnium, Deus eſt; quod illis verbis indicatum fuit, *non pluere fecerat Deus.* Ex quibus patet Deum eſſe pluviæ autorem, quod etiam ubique in Sacra Scriptura inculcatur, ne cauſis naturalibus nimium affixi obliviſcamur ejus, *qui edit pluviam in ſuperficie terræ, & immittit aquas in ſuperficiem agrorum.* Job. 5. ℣. 10. *An ſunt vanitates gentium qui pluviam edant? & an cæleſtes dii edunt imbres? Nonne tu is es Iehova Deus noſter?* Jerem. 14. verſ. 22. *Diſcamus igitur, petere à Iehova pluviam tempore ſerotino, Iehova efficiente nimbos, ut pluviam imbriferam edat nobis,*

cuique

cuique herbam in agro ſuo. Zachar. 10. verſ. 1.

Habemus præterea cauſam pluviæ materialem, vaporem nempe ex terra aſcendentem, per aſcenſum autem intelligitur locus in quo pluvia generatur, nempe media aëris Regio, cui etiam formalis cauſa includitur, quia ibi vi frigoris condenſantur vapores in nubes. Sed finis pluviarum expreſſe habetur, his verbis, *& irrigabat univerſam faciem terræ.* Quam pluviæ generationem & ejuſdem uſum eleganter expoſuit David Pſal. 147. ℣. 8. *Qui obtegit cœlos denſis nubibus, comparat terræ pluviam, qui facit ut proferant montes fœnum.*

EXERCITATIO XVI.

Expoſitio verſus VII. *de hominis formatione. Ubi phraſis aptiſſima à figulina deſumta.* Adam *ab* Adama. *Speculationes vanæ de quatuor mundi partibus in nomine* Adam, *& aliæ cabballiſticæ inutiles & curioſæ, rejiciuntur. Homines terrigenæ dicti. Spiraculum vitæ, quid? Cur nomine duali* Chajim *uſus ſit Moſes? Quatuor hominis cauſſæ. A materia corporis non pendet hominis dignitas. Sed tamen in ipſo corpore emicuit elegantia mira. Quid prius fuerit formatum, corpusne, an anima. Rationes pro utraque parte. Quæſtionis ſolutio.*

CAp. 2. ℣. 7. וייצר *vajitſer & formavit*, vel finxit *Iehova Deus hominem de pulvere terræ, ſufflavitque in nareis ipſius halitum vitæ, ſic factus eſt homo anima vivens.* verbum יצר *jatſar*, propriè ſignificat *fingere*, quod eſt figulorum. Hoc perpendit Auguſt. de civit. Dei lib. 13. cap. 24. Ubi dicit Græcos codices habere, *formavit Deus hominem pulverem de terra.* Nunc vero in Græcis quos habemus codicibus, etiam in editione Romana, additum eſt participium *accipiens*, quod Auguſt. non legit. Addit autem, *ſive formavit ſive finxit, quis dicere voluerit, quod Græcè dicitur* ἔπλασεν, *ad rem nihil intereſt; magis tamen propriè dicitur finxit. Sed ambiguitas viſa eſt devitanda iis qui formavit, dicere maluerunt; eo quod latinâ lingua illud magis obtinuit conſuetudo, ut ii dicantur fingere, qui aliquid mendacio ſimulante componunt.* Similitudinem ductam à figulis retinent qui primum parentem πρωτόπλαστον appellant, ut autor lib. Sap. cap. 7. Quam etiam ſervavit poëta qui in ſuis fabulis quædam admiſcuit hujus veritatis veſtigia, ſic enim Ovid. Metam. 1.

Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina cœli,
Quam ſatus Iapeto mixtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Extat apud Lactant. lib. 2. cap. 12. ex Sibyllis citatus verſus, qui eandem retinet phraſim. Ἄνθρωπον πεπλασμένον θεοῦ παλάμαις ἐν αὐταῖς. Eſt autem *fingere*, aliquid magis quam creare; quia denotat non ſolam materiam ſed formam operi additam. Neſcio an ſit alicujus momenti, quod Ebræi notant hic וייצר *vajitſer* cum gemino י ſcribi, ad ſignif. duplicem hominis formationem terreſtrem & cœleſtem; quia infra cum de animalium formatione aget, unicum jod adſcribet. quod mihi videtur dilutius.

האדם עפר מן האדמה, *haadam aphar min haadama*, hominem *pulverem de terra*, ubi eſt alluſio indicans originem nominis primi parentis, qui dictus eſt *Adam* ab *Adama*, ut *homo* ab *humo*. *pulverem* autem, *de terra*, communiter vertunt *de limo*, ſeu *de pulvere terræ*, & rectè, ſiquidem videtur inverſus ordo præpoſitionis in Ebræo, *pulverem de terra*, pro, *de pulvere terræ*. Id tamen non eſt nihili quod aliqui notant eſſe aliquam Emphaſim in eo quod homo dicitur potius formatus aut effectus pulvis de terra, quam de pulvere terræ, ut indicetur non ſolùm materia ex qua factus eſt homo, ſed etiam hominem nihil aliud eſſe quam pulverem de terra ſumptum, & conditionis ſuæ memor ſit. Quod Moſes poſteà indicare voluit infra, his verbis, *pulvis es & in pulverem reverteris.* Certum eſt tamen hominem dici pulverem metonymicè, quia materia corporis hominis ex pulvere ſumpta eſt.

עפר *aphar*, autem, eſt propriè terra ſicca & friabilis, Adamah vero argilla, terra madida & glutinoſa apta ad aliquid efformandum, ut indicetur pulverem illum fuiſſe dilutum & maceratum, ut ex eo lutum factum fuerit, quo poſteà fuit efformatum hominis corpus. Vanum eſt quod Ebræi ex quatuor mundi partibus deſumptam fuiſſe hanc argillam comminiſcuntur; quod Cyprianus & eum ſequutus Auguſt. quatuor illas mundi partes in quatuor literis nominis Adam rimati ſunt ἄρκτος, δύσις, ἀνατολὴ, μεσημβρία, Ebrææ voci, Græcas voces accommodantes: quod Caballici in eodem nomine אפר דם מרא *aphar, dam, mara*, cinerem, ſanguinem, & bilem reperiunt; ut alia adhuc vaniora memorare non ſit opus. Eſt autem אדמה *adamah* terra rubra, quæ eo differt ab ארץ *arets*, toto illo elemento cujus pars eſt adamah. Ex eo autem quod homo de terra ſumptus eſt, non ſolum à Mercurio Triſmegiſto & priſcis poëtis appellatus eſt γηγενὴς, id eſt, terrigena, ſed etiam autor Sapientiæ cap. 7. ℣. 1. dicit homines γηγενοῦς ἀπογόνους πρωτοπλάστου, *terrigenas à genere protoplaſti.*

ויפח באפיו נשמת חיים *vajiphach beapaïi niſchmath chajim.* Et inſpiravit in faciem, ſeu in nares ejus, ſpiraculum vitæ; id eſt, indidit homini animam, & per

eam

eam vim ſpirandi, quæ in facie, naribus nempe, & ore, apparet, quibus homo aërem frigidum, ſine quo vivere non poteſt ad cor per pulmonem attrahit, eundemque expirat, ut hoc curſu & recurſu vita hominis conſervetur, qui alioqui mox periturus eſſet. Certum eſt autem inſufflationem Deo impropriè adſcribi; ſed tamen ad noſtrum captum accommodatiſſimè. 1. ut intelligatur tam facilem Deo fuiſſe animæ rationalis creationem, quam facile eſt homini ex ore ſuo flatum emittere; 2. ut pateat animam rationalem ex potentia materiæ non fuiſſe eductam, ſed extrinſecus corpori advenisſe. Sed præſertim ut ea phraſi ſignificaret aliquid aliud multo præſtantius eſſe in homine quam in reliquis animalibus, in quorum creatione nihil tale dicitur.

Spiraculum vitarum, Ebraica phraſi, pro ſpiraculo vitali ſeu vivificante ponitur. Sed cur nomine duali utatur Moſes, alii alias rationes afferunt, vel duplicem vitam intelligi cujus inter animalia ſolus homo capax eſt, temporalem & æternam: vel duplicem animæ vivendi modum, in corpore & extra corpus; vel vitam naturalem & ſpiritualem; vel vitam vegetativam, ſenſitivam, & intellectivam; ſed non opus fuit tanta ἀκριβείᾳ, à qua abſtinuiſſent ſi vocis hujus in Ebraiſmo naturam perpendiſſent. Nam etſi nomen adjectivum, quod viventem aut viventes ſignificat, in plurali habeat חיים *chajim*, diſtinctum ſignificatione à ſuo ſingulari; nomen ſubſtantivum quod *vitam* ſignificat, nunquam in ſingulari, ſed in duali tantùm reperitur, habet autem plerumque ſignificationem ſingularem, ut hoc loco rectè agnoverunt omnes interpretes in variis verſionibus. Sic Pſalmo 21. ℣. 5. חיים *chajim, vitam petii à te*, & aliis multis in locis. Ideo etiam jungitur voci ſingulari, חיים וחסד *chajim vecheſed*, vitam & benignitatem. Job. 10. ℣. 12. Hujus rei ſi qua ratio reddi debet, ea erit, quod vita plures annos vel gradus continet. Hinc eſt quod ætatum nomina apud Ebræos ſunt tantum pluralia. Vita igitur numero plurali dicitur, quaſi dies vel tempora vitæ diceremus.

Et fuit homo, vel factus eſt לנפש חיה *lenepheſch chaja*, in animam viventem. Vel, ut alii interpretantur, *anima vivens*, ut anima ſumatur pro animali, vel pro homine vivente, & ſenſus ſit, evaſiſſe corpus illud animatum, vel animal vita præditum, Chaldæus Paraphraſtes לרוח ממללא *leruach memallelah*, in ſpiritum loquentem, qua phraſi videtur voluiſſe animam rationalem ſignificare, quia ſermone maximè præſtat homo reliquis animantibus. Item quod ſtaturâ perfecta homo creatus ſit, qui aptè & prudenter loqui potuit.

Et hæc quidem de phraſeωn proprietate & verborum ſignificatione. Continet autem hæc ſententia quatuor hominis cauſas, Efficientem, Deum. Nam *finxit Deus hominem*, non Angeli, non cauſa aliqua ſecunda qua Deus uſus ſit. Materialem, quia factus eſt *de terræ pulvere* ſecundum corpus. Formalem, quia inſpirata eſt ei anima. Finalem, ut eſſet corpus animatum vivens, proinde animal, idque rationis particeps, adeoque vitam viveret rationalem, qua includitur conditoris gloria.

Et hæc quidem per ſe ſatis perſpicua videntur. Sed tamen nonnullæ moventur difficultates, ſuper iis quæ dicuntur, tam de materia quam de forma hominis, occaſione verborum quibus utriuſque creatio deſcripta eſt. 1. igitur quia pulveris terræ tantum ſit mentio, quæſitum eſt an ad corporis hominis materiam, ſola terra à Deo ſine aliqua mixtione aliorum elementorum accepta fuerit? Quæ tamen quæſtio facilè ſolvitur, ex eo quod conſtat corpus hominis non fuiſſe ſimplex ſed mixtum, & exquiſitè temperatum in ſuis qualitatibus, in quibus enumerantur quæ non poſſunt competere terræ per ſe, cujus craſſitudo & gravitas obſtaſſet corporis rectitudini & agilitati, quam efficit multus & efficax calor, materiam ſurſum attrahendo, certum eſt igitur ex quadam terræ cum aqua mixtura corpus illud fuiſſe formatum, quæ in corpore humano magis abundant & dominantur ſecundum naturæ ſubſtantiam. Sed cum ſecundum qualitates corpus hominis ob ſuam præſtantiam, multum habeat caloris & humoris, neceſſe eſt etiam in illa mixtione ignem & aërem à quibus ſunt qualitates illæ, locum habere. Sed plus habet materiæ aqueæ & terreſtris, minus igneæ & aëreæ; harum autem plus habet virtutis, illarum minus. Ea eſt igitur ratio, propter quam etſi homo factus ſit etiam ex igne & aëre, Scriptura tamen ſpecialiter ob præabundantem materiam, pulveris terræ meminit, tum etiam quia magis percipitur, & à minus exercitatis facilius comprehendi poteſt, magis ſenſibilis materia. Neceſſarium autem fuit, plus eſſe terræ & aquæ, minus ignis & aëris quia hæc ſunt majoris virtutis in agendo, & ſi ſecundum quantitatem in hominis compoſitione abundaſſent, ad ſe traxiſſent alia, & non potuiſſet fieri commixtionis æqualitas.

Sed ſunt qui exiſtimant id eſſe contra hominis dignitatem, ſi ex tali materia ſit factus, quæ ignobilior ſit materia aliorum corporum, qualia ſunt corpora cœleſtia. Quia cum corpus humanum perficiatur à nobiliſſima forma, videtur etiam debuiſſe potius ex materia cœleſti, quam ex terrena & aquea fingi. Ideò voluerunt quidam aliquid ex quinta eſſentia, id eſt, cœleſti materia in compoſitionem humani corporis venire, quod cenſent veluti medium quoddam vinculum, per quod incorporeus & immortalis animus, cũ terreno & mortali corpore copuletur, quia ſi aliter res eſſet, nulla videretur eſſe inter corpus & animam rationalem convenientia. At hoc abſurdum eſſe ex eo patet, quod eſſentia illa quam quintam vocant, à corpore cœleſti non poteſt dividi & elementis permiſceri, & venire in compoſitionem noſtrorum corporum. Ad id autem quod objiciunt de præſtantia aut nobilitate cœleſtium corporum, Reſpondetur, non reſpiciendum eſſe quid præſtet aut nobilius ſit ſimpliciter; ſed quid convenientius ſit.

ſit. Quod autem ſpectat actus animæ rationalis, convenientior multo ipſi eſt materia terreſtris quam cœleſtis. Quia cum anima rationalis ſenſuum miniſterio utatur in cognitione acquirenda, organa autem ſenſuum ex corpore cœleſti fieri non poſſint, conveniens fuit ut ex ea materia fierent quæ magis ad id eſſet apta. Senſuum enim omnium quaſi fundamentum eſt tactus, qui conſtitutus eſt in primarum qualitatum quadam mediocritate & æquali temperatione. Proinde ut ſenſus tactus, ita & alii ſenſus qui ab eo divelli nequeunt, non poſſunt eſſe niſi in corpore qui pati poſſit. Hæc & alia poſſunt reſponderi; ſed præcipua ejus rei ratio à voluntate conditoris peti debet, qui ut ſapientiſſimus eſt, nihil etiam non aptum & inconcinnũ produxit ſecundum ſpeciem ſuam. Verum dignitas hominis ſupra alias creaturas non eſt deſumenda ex comparatione partium, ſed ex totius compoſiti ſtructura, cum aliis omnibus creaturis, quæ ſi fiat in totum, tunc etiam apparebit, quanta ſit hominis præ reliquis creaturis nobilitas. Id viderunt nonnulli ex Philoſophis, inter quos Seneca lib. de beneficiis 2. c. 29. qui merito *iniquos divinorum munerum æſtimatores cenſet, eos qui profeſſi ſapientiam queruntur, quod non magnitudine corporis æquamus Elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros; quod ſolidior ſit cutis belluis, decentior damis, mollior fibris, quod ſagacitate narium nos canes vincant; quod acie luminum aquilæ &c.* qui poſt multa talia, ſapienter addit; *Quanto ſatius eſt ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reverti; & agere gratias quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluit ſecundas ſortiri, quod terrenis præfecit?* Item, *Quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit parens noſter, quanto valentiora animantia ſub jugum miſerimus, quanto velociora conſequamur, quam nihil ſit mortale non ſub nutu noſtro poſitum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil eodem quo intendit momento non pervium eſt, ſyderibus velociorem, quorum poſt multa ſecula futuros curſus antecedit. &c.*

Lactantius in lib. de opificio Dei capite ſecundo, cauſam illam agit digniſſimè, & multis argumentis probat, quantum evexerit Deus hominis dignitatem ſupra reliqua omnia animalia, quæ quiſque apud ipſum autorem legere poteſt. Idem argumentum tractavit Gregor. Nyſſ. ſpeciali libro de Hominis opificio cap. 7. 8. 9. 10. Ubi inter cætera cap. 8. pulchrè declarat quemadmodum homini datæ ſunt manus propter ſermonem, ne alioqui cogeretur labris, ut bruta animalia cibum capere, ad quod neceſſe fuiſſet illum eſſe ore craſſiori quam ut ad uſum ſermonis eſſet idoneus. Non pauca de eodem argumento habet Cicero lectu digniſſima, lib. 2. de nat. Deorum poſt medium.

Ergo ſi primam carnis humanæ conditionem benè perſpexerimus, facilè dignitatem ejus ſingularem perpendemus: ſi inſpiciamus primævam iſtam plaſmationem poſt quam integra abſolutaque aliquando floruit. Quis cogitare poterit aliter quam prima ſui ſtructura fuerit opificium Dei præſtantiſſimum & ornatiſſimum, cui videat quaſi palæ cuidam inſertam animæ gemmam? Prudens artifex non ſolet margaritas aut gemmas plumbeis aut ferreis annulis inſerere. Quis igitur crederet voluiſſe Deum dedecore aliquo ex corporis ſocietate animæ ſubſtantiam obſcurare & infuſcare, nec potius elegiſſe maſſam & concretionem in quam effunderetur quæ ipſius naturæ & dignitati eſſet convenientiſſima. Si Principes non obſcuro aliquo in loco vel civitatum angulis, ſordium eluvie coinquinatis, ſuas ſoleant eligere ſtatuas, profecto corpus humanum, ſi viliſſimæ cujuſdam eſſet conditionis, nequaquam animam in qua eſt Dei imago, ſuſcepiſſet, nec voluiſſet Deus ex tali poſitura imaginem ſuam ignominia aliqua afficere. Sed cum ita humanum corpus condidiſſet optima diſpoſitione præditum, tum quoad figuram & habitum partium ſuarum, tum quoad temperationem qualitatum, ut nihil in hoc univerſo eſſet illuſtrius, in illo, tanquam in edito quodam loco & majeſtate pleniſſimo, ſuam ipſius imaginem collocavit, ita ut ex copula animę cum carne, ejus perfectio innoteſcere poſſit.

Notat Philo Judæus lib. de fabrica mundi, prudentiores peritioreſque artifices in ingreſſu fineque operis, artem ſuam illuſtriori clariorique ſpecimine teſtatam reddere. Deum autem cum ab ipſis cœlis cepiſſet exordium, humano corpore veluti colophone & coronide clauſiſſe & condecoraſſe univerſi hujus conſtructionem, itaq; veroſimile eſſe hoc ſummâ quadam cura elimatum expolitumque in publicum prodiiſſe, in quo velut in exquiſito quodam opere divina peritia eluceret; cum in illud totius effectionis curſus veluti in quendam artificioſè contextum nodum (quo omnes partes mundi aptè concinneque devinciuntur) deſierit.

Quæritur etiam, an corpus fuerit primo creatum, an anima, vel an potius, ſimul fuerint producta corpus & anima, & non prius ex humo factum ſit corpus, quam ei infunderetur anima rationalis. Sunt qui de eo variè ſentiunt; quidam, qui extremas opiniones amplectuntur; quidam, qui veriorem putant eam quæ in medio conſiſtit. Exploditur jam ab omnibus error Origenis, qui omnes animas ſimul creatas ajebat ante corpora. Nam omnis res quæ à Deo producitur, in ſuo & perfecto naturali ſtatu conſtituitur. Sed anima rationalis non habet perfectum ſuum ſtatum naturalem niſi in corpore, cum ſit naturaliter forma illius, ergo niſi in corpore à Deo producitur. Nec verum eſt quod quidam contra oppoſuerunt, *omne quod in tempore incipit, immortale eſſe non poſſe*, rectè enim reſpondebat Auguſt. Epiſt. 18. propoſitionem illam negari debere, *ut enim* (inquit) *alia taceam, cœpit eſſe in tempore immortalitas carnis Chriſti, quæ tamen jam non moritur.* Addimus Angelos in tempore creatos, qui tamen ſunt immortales.

Alii igitur, corpus fuiſſe prius creatum voluerunt,

quia hic Moſes dicit *Deum formaſſe hominem de pulvere terræ*, & poſteà ſubjungit, *inſpiraſſe in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factum eſſe hominem in animam viventem.* Hanc ſententiam Chryſoſt. habet Homil. 12. & 13. in Geneſim, quem poſteà ſequuti ſunt alii, qui putarunt id evinci ex verbis citatis, ita ut corpus, anteà efformatis & delineatis è terra membris, fuerit velut truncus vitæ expers; donec informaretur animâ.

Alii ſentiunt ſimul corpus & animam hominis fuiſſe producta. 1. quia textus dicit *Deum formaſſe hominem pulverem è terra.* vim enim faciunt in voce *hominis,* quia homo non eſt ſine anima rationali, unde inferunt, tunc ſimul animam corpori fuiſſe infuſam & productam, cum ante corpus non fuerit, ut jam dictum eſt.

Ad id autem quod Auguſt. lib. 13. de Civit. Dei cap. 24. ait, ſolum corpus humanum potuiſſe ibi appellari hominem, ut cum homo mortuus in ſepulchro requieſcere dicitur, ubi tantummodo jacet corpus. Reſpondent, non obtinere conſuetudinem loquendi ut vel corpus, vel anima ſeorſim vocetur homo, ante quam hæ duæ partes unitæ fuerint in compoſito, quod propriè appellatur homo. Itaque non videri à Moſe corpus illud hominem appellatum, eo tempore quo nondum fuiſſet animâ informatum, ut jam nemo appellaret hominem embryonem in utero ante animationem.

2. Ex eo argumentantur, quod non decuit, ut in illa prima conditione rerum, homo, quæ una ex perfectioribus creaturis fuit, imperfectè per partes conderetur, ſed totus ſimul perfectè. Habet enim pars imperfectum ſtatum cum non eſt in ſuo toto, ad quod natura eſt inſtituta, & præſertim ſi ab alia parte tanquam à forma pendeat, ut pendet corpus ab anima. Quod ita explicat Nyſſenus de opificio hominis cap. 29. *Si ſtatueremus alterum de his aliquanto prius ortum extitiſſe quam alterum eſſe inciperet, planè hoc indicio foret, conditoris poteſtatem non fuiſſe omnino perfectam; proptereà quod opere univerſo ſimul abſolvendo non ſuffecerit, ideoque operas quaſi interruperit, ac viciſſim in perficiendis ſingulis partibus ex ſemiſſe prius abſolutis occupata fuerit.*

Hæc argumenta tamen talia non ſunt, quæ neceſſariò id evincant quod volunt. Non primum, quia cum loquatur Moſes de homine facto, potuit dicere Deum formaſſe hominem ex pulvere terræ, etſi ſucceſſivè id factum fuiſſet, quemadmodum cum dicimus artificem formaſſe ſtatuam Imperatoris ex auro aut ære, etſi propriè non ſit ſtatua niſi ſuam habeat formam artificialem, tamen non ſequitur ipſi talem formam indi in momento. Nec proptereà dicendum Moſem appellaſſe corpus hominis hominem, ante animationem, loquitur enim de corpore poſt animationem, ſed indicat unde acceptum fuerit cum à Deo formatum fuit. Nec etiam fuiſſet aliqua abſurditas ſi corpus illud dictum fuiſſet homo ante animationem, quia ad id diſpoſitum & deſtinatum erat, non enim inſuetum eſt ſic loqui, ut cum quis dicit ſe veſtem aut pallium emiſſe, qui pannum emit, quo pallium ſibi conficere ſtatuit.

Non majoris eſt momenti argumentum Nyſſeni, quod poteſt in eum retorqueri. Nam quo res ſunt perfectiores, eo convenientius videtur ut per partes fiant, præſertim ſi ex partibus longè diſſimilibus ſint compoſitæ, ut homo qui partim corporeus eſt, partim ſpiritualis: ut igitur id magis innoteſceret, convenientiſſimum fuit, non ut produceretur cæterorum animalium more, quæ è terra viventia ſunt producta, ſic enim quis exiſtimare potuiſſet animam eductam fuiſſe è potentia materiæ, ut animæ brutorum; ſed ut efformato corpore è terra, anima poſteà aliunde infunderetur. Sic enim diſtinctiſſimè videmus, quid in homine terrenum ſit, quid non. Quod autem addunt, de conditoris poteſtate, quæ perfecta non eſſet, proptereà quod operi univerſo ſimul abſolvendo non ſuffeciſſet vaniſſimum eſt. Inde enim ſequeretur, quod anteà refutavimus, totum creationis opus non in ſpatio ſex dierum fuiſſe factum, ſed in momento. Poteſtas opificis non ex eo expendenda eſt, quia cum ſit agens liberum & voluntarium, non ſolet poteſtatem ſuam totam exerere, quod faciunt cauſæ naturales, ſed pro diſpenſatione ſapientiæ ſuæ.

Igitur, etſi quæſtionem illam non velimus ad neceſſaria fidei pertinere, exiſtimamus magis probabilem eſſe ſententiam quam Chryſoſtomus habet, & quam ſequitur Abulenſis, ut & Ferus & alii. Hoc Chryſoſtomus eleganter explicat Homil. 13. in Geneſim, ubi reſpondet ad quæſtionem, cur cum anima dignior ſit corpore, indignius primo formatum ſit? *Nonne vides* (inquit) *dilecte, quod in creaturis hoc idem uſu venit? Sicut enim cœlum & terra, ſol & luna, & cætera omnia formata ſunt, & irrationalia animalia, & poſt hæc omnia, homo horum principatum ſuſcepturus, ita & in hac hominis formatione prius corpus producitur, & poſteà anima quæ eſt dignior. Et ſicut animalia miniſterio hominum utilia futura, ante hominem formantur, ut paratum haberet miniſtrum is ad cujus uſum creabantur, ita etiam corpus ante animam formatur, ut cum ſecundum ineffabilem conditoris ſapientiam anima produceretur, poſſet ſecundum ſuas potentias operari per corporis motionem.* Ita Petrus Martyr in hunc locum. *Primo formatur organum ſcilicet corpus, deinde additur motor, anima quæ illo eſt uſura.* Sic etiam Calvinus tres gradus in hominis productione agnoſcit, *quod mortuum corpus è terra fictum eſt, quod donatum anima unde vitalem haberet motum, quod huic animæ Deus imaginem ſuam inſculpſit &c.* Idem habet autor libri 4. Eſdræ cap. 3. *Domine, dediſti Adamo corpus mortuum, ſed & ipſum figmentum manuum tuarum erat, & inſufflaſti in eum ſpiritum vitæ, & factus eſt vivens coram te.* Etſi enim liber ſit Apocryphus, tamen in eo, cum relatione Moſis convenit.

Exer-

EXERCITATIO XVII.

Ἐμπνεύσεως ratio, & quomodo intelligenda. Ad animam referri. Quæ à Deo eſt. Sed non pars Dei. Refelluntur qui eam ita evexerunt. Solvuntur argumenta, ex Scriptura. Item ex ratione. Philaſtrii hallucinatio. Arati dictum à Paulo citatum, explicatur. Item dictum Petri. Duo argumenta contra eandem ſententiam. Refelluntur qui animam à Deo non eſſe contendunt. Qui materiatam & corpoream eſſe volunt. 1. ab abſurdis. 2. à ratione petitis argumentis. Solvuntur argumenta contraria. Obiter animam non eſſe ex traduce, demonſtratur. Animæ nobilitas & præſtantia. & hujus conſiderationis conſectaria. Expenditur Fagii ſententia de voce נשמה, an de ſola hominis anima intelligatur?

ET hæc quidem de corporis materia pro inſtituti ratione ſatis. Gravior eſt quæſtio de anima, cujus originem & primam creationem à Moſe fuiſſe traditam omnes ſentiunt his verbis, *& inſufflavit in nares ipſius halitum vitæ, ſic factus eſt homo in animam viventem.* Actio Dei ἐμπνεύσεως ſufflationis nomine exprimitur; effectus, eſt anima ſeu ſpiritus vitalis; qua deſignatur ſpecies hominis, quam conſtituit anima rationalis, cujus genus additur commune cum cæteris animalibus anima vivens, quod nos dicimus ζῶον, id eſt, animal. Nemo eſt qui non viderit hæc ita fuiſſe à Moſe deſcripta, ut ipſa narratione voluerit non levem deſignare differentiam inter omnium aliorum animalium & hominis (præſertim ratione animæ) productionem. Nam tametſi de cunctis animalibus intelligendum ſit, imò de omnibus rebus creatis quod Apoſt. dicebat Act. 17. ℣. 25. Deum *dare omnibus vitam & halitum & omnia.* Et cunctis etiam rebus vita præditis quod ſequitur ℣. 28. *Per ipſum vivimus & movemur & ſumus*, ſoli tamen homini competit quod additur, *Nam hujus progenies ſumus*, ex Arati Phænomenis. Sed quomodo ſimus *progenies Dei*, non omnes ſimiliter intellexerunt.

Ex actione illâ Dei quæ inſufflationis nomine indicata eſt, id ferè apud omnes extra controverſiam poſitum fuit, 1. Deum eſſe animæ autorem. 2. Animam eſſe immateriatam, non materialem, aut ex uno elemento, aut ex omnibus, aut ex parte. 3. Primam animam corpori non fuiſſe inditam ἀπὸ τῆς σωματικῆς ἐνεργείας, vel, ut loquuntur, ex potentia materiæ eductam, ſed foris adveniſſe & corpori velut infuſam fuiſſe. Non eſt etiam nihili quod inſufflatio illa facta fuerit in nares vel in faciem, quo tanquam ſigno voluit indicare Deus ſedem præcipuam & velut ἀκρόπολιν animæ eſſe in capite, unde tanquam ex eminentiori loco reliquum corpus gubernat. Sed duæ præſertim hoc loco agitantur controverſiæ, occaſione eorum qui ex modo creationis hic deſcripto vel animæ humanæ tribuunt plus quam par eſt, & peccant in exceſſu; vel minus quam ei debetur concedunt, & peccant in defectu. De primis hoc tempore nobis dicendum.

Fuerunt igitur qui ultra conditionem & ab ipſo Deo & naturâ conſtitutum terminum, falſa opinione deluſi, animam evexerunt; inter quos ex præconceptis anteà per vanam philoſophiam opinionibus, hæretici nonnulli animam tanquam partem Dei aliquam, & divinam ſubſtantiam corporis moli conjunctam eſſe opinati ſunt, & hanc ſuam à Philoſophis, hæreticorum patriarchis, ſententiam hauſtam hoc Scripturæ loco propugnare voluerunt.

Hujuſmodi immoderatam hominis æſtimationem paſſim Philoſophi Platonici primò introduxerunt, à quorũ opinione Cicero qui eam refert Tuſcul. quæſt. 9. & lib. de Som. Scipionis, non multum diſſentire viſus eſt. *Deum* (inquit) *ſcito eſſe te; ſiquidem Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, moderatur & movet id corpus cui præpoſitus eſt, quam hunc mundũ Princeps ille Deus: ut & ipſum mundum, quadam ex parte mortalem, Princeps ille Deus æternus, ſic fragile corpus animus, ſempiternus movet.* Philo etiam Judæus & ipſe Platonicus, hominis animam ſæpè appellat ἀπόσπασμα τοῦ θεοῦ, *partem avulſam à Deo.* Gnoſtici & Manichæi errantium Philoſophorum veſtigiis inhærentes, hoc ipſum aſſeruerunt, ut teſtantur Ireneus lib. 1. adverſ. hæreſ. cap. 24. & Theodor. lib. de natura hominis. Quo etiam nomine in Concilio Bracharenſi Priſcilianiſtæ fuerunt anathemate percuſſi. Duplici autem ratione hoc conati ſunt ſtabilire, ſed, ut fit, parum inter ſe conſentientes, imò contrariis viis incedentes. Fuerunt enim primò, qui Deum naturæ cujuſdam incorporeæ eſſe agnoſcentes, ipſum tamen in omnibus corporibus unam eandemque formam eſſe pronunciarunt. Quam ſententiam Auguſt. lib. 7. de Civit. Dei cap. 6. Varroni aſcribit. Dividebat ille mundum in duas partes, cœlum & terram: & cœlum bifariam, in æthera & aëra; terram verò in aquam & humum. E quibus ſummum eſſe æthera; ſecundum, aëra, tertiam aquam; infimam, terram. Quas omnes quatuor partes animarum eſſe plenas, in æthere & aëre, immortalium; in aqua & terra, mortalium; Deum autem voluit eſſe animam mundi, & hunc ipſum mundum eſſe Deum. Sed ſicut hominem ſapientem, cum ſit ex corpore & animo, tamen ex animo dici ſapientem, ita mundum dici ab animo, cum ſit ex animo & corpo-

corpore. Volebat autem omnes mundi partes, animarum eſſe plenas. Quæ animæ Deus eſſent.

Alii vero nullam ſubſtantiam planè ſpiritualem eſſe exiſtimantes, Deum ipſum, per varias quaſdam ſui partes corporibus accedere dixerunt, quos ita refutat Auguſt. de Civit. Dei lib. 4. cap. 12. Ut inde ſequi oſtendat nihil in mundo remanere quod non ſit pars Dei. Quod ſi ita eſt, inquit, quis non videat quanta impietas & irreligioſitas conſequatur, ut quod unuſquiſque calcaverit, partem Dei calcet, & in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur?

Eos autem qui ſola animantia rationalia partes Dei eſſe contendunt, ſic refellit cap. 13. quia ſi totus mundus ipſis Deus eſt, non videbat quomodo beſtias ab ipſius partibus ſepararent; Addebat, quid infœlicius dici poteſt, quam Dei partem vapulare cum puer vapulat? Jam verò partes Dei fieri laſcivas, iniquas, impias, atq; adeò damnabiles quis ferre poſſit, niſi inſaniat? Poſtremò cur iraſceretur Deus iis à quibus non coleretur, cum à ſuis partibus non coleretur.

Hæc & ſimilia abſurda conſequuntur ſententiam eorum, vel qui volunt Deum eſſe animam mundi propriè dictam; vel ſaltem animam humanam eſſe particulam divinitatis. Hunc tamen errorem, tametſi adeò apertè vero repugnantem, fuerunt qui Scripturarum autoritate comprobare conarentur; Qui in hunc finem acerrimè urgebant illud quod præ manibus habemus, *Inſpiravit Deus in faciem ejus ſpiraculũ vitæ.* Sic ergo illi argumentum ſuum inſtituebant: Inſufflatio, inquiebant, illa, quam in animalibus cernimus, cujus ſimilitudine divinam inſufflationem Scriptura exprimit, ſemper aliquid de ſuo licet exile & tenue tranſmittit & effundit, quod prius in illo extitit, à quo inſufflatio fuit progreſſa; quod in aëris quoque calefacti, alterati, & eventilati, reſpiratione perſpicuum eſt. Quamobrem cum in Deo nullum ſit accidens, quod ab ipſo dimanare poſſit, ſi quid hujuſmodi inſufflatione humano corpori indiderit, propriam ſubſtantiam & naturam Dei eſſe oportet. Quod ſi quis dicat, inſufflationis voce, ſignificari ſolùm ipſius animæ à Deo creationem; regerent ipſi, eodem pacto terram inſufflatione conditam aſſeri poſſe, cum eandem à Deo creatam fuiſſe conſtet. Cum autem Scriptura in ſolius animæ humanæ informatione, inſufflationis mentionem faciat, peculiarem idcirco illius rei quærendam eſſe rationem.

Non autem hic recurrendum eſt ad commentum illud quod placuit, Nicolao Lyrano, & Paulo Burgenſi, qui aſſeruerunt Deum hominis forma indutum tunc temporis apparuiſſe, atque humano modo, dum animam crearet, flatum ſeu ſpiraculum ex ore emiſiſſe. Non enim potuiſſet talis flatus animæ cauſa effectrix eſſe. Nam cum corpus illud aſſumptum ex quo flatus ille emiſſus fuiſſet, etiam ipſum inter creaturas eſſet reponendum, non obtinuiſſet vim creandi, quæ ex communi Theologorum ſententia eaque vera, ſolius Dei actio eſt immediata.

Addebant huic argumento ex Scripturis petito, hanc rationem. Si intellectum ipſius hominis (inquiebant) inſpiciamus, quid non mirabile, quid non divinum, cogitationi noſtræ occurret? Hic rerum omnium naturas ſuo lumine & acie ſua pervadit; longè ab effectis ſemotas cauſas acri quodam intuitu diſquirit, terram perluſtrat univerſam, cœlos partitur, artes excogitat, tuendæ ſocietatis inter homines præcepta tradit; mores decenter atque honeſtè inſtituere docet, vitam hanc omnibus neceſſariis ſuſtentat & fovet, ornamentis illuſtrat, ac mille blanditiis, recreat & reficit. Quodque maximè admiratione dignum eſt, dum ſtudioſe omnia hæc præſtat & peragit, nunquam defatigationem ſubit aliquam, nunquam vel langueſcit, vel ejus vires aliquo labore exhauriuntur. Addunt voluntatis humanæ expanſam & fuſè explicatam capacitatem, amplaſque ejuſdem vires, quia in hac vita, nihil eſt vel honoris ſplendore tam inſigne, aut excellentiæ gradu tam altum & exaggeratum, vel jucunditatis illecebra delinitum, quod omni ex parte & plene ſatiare vel explere poſſit infinitam penè ejus appetentiam.

Non eſt tamen hæc opinio tanti, neque rationes quibus eam fulcire conantur talis ponderis, ut apud eos qui judicio aliquo pollent, poſſit aut debeat alicujus eſſe momenti. Is ipſe locus quo nituntur, eam prorſus ſubvertit. *Inſpiravit* (inquit Moſes) *in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Nemo poteſt inficias ire, *inſpirationis* nomine aliquam actionem deſignari, ad extra, ut vocant, ab ipſo Deo profectam, cujus terminus in quem deſinit, ab ipſo Deo, ut effectum ab actione aliqua debet diſtingui & ſeparari. Nam divina ſubſtantia produci nullo modo poteſt, niſi ſubſtantiali emanatione, ratione characteris, aut proprietatis quam Scholæ notionalem appellant. Ergo hoc vitæ ſpiraculum, ſeu anima Dei virtute producta, & corpori humano divinitus infuſa & inſpirata, effectus eſt potentiæ Divinæ, non Deus ipſe; non Dei, qui indiviſibilis eſt aliqua particula. Philaſtrium non moramur, qui in Catalogo hæreticorum cap. 99. Spiraculo hoc non animam ipſam hominis, ſed animæ gratiam, & adventitiam quandam animæ ſanctitatem intellexit, qua Adam refulſiſſe voluit, cum primò à Deo crearetur; quod ille confirmare conabatur ex illo Chriſti facto, qui oris ſui inſufflatione ſpiritualem quandam gratiam impertitus eſt ſuis diſcipulis. Quam ſententiam refellit id quod ſequitur, tanquam inſufflationis illius effectus, *& factus eſt homo in animam viventem.* Nam vivens anima, aut quod homo factus eſt animal, id non pendet ab extraordinaria Spiritus S. gratia. Deinde ſi homo ex inſpiratione illa factus eſt in animam viventem, ſequitur ante inſpirationem non fuiſſe animam viventem, nec proinde capacem gratiæ Spiritus Sancti, quæ non communicatur trunco rationis experti. Accedit optima ratio Auguſtini, qua Philaſtrii opinio penitus profligatur. Nam *ſpiraculum vitæ* non ſolùm homi-

hominibus, ſed etiam reliquis animantibus, quæ gratiæ ſpiritus non ſunt capaces, tribuitur Geneſ.7. ℣. 22. *Univerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt*, ubi Ebraicè legitur, ut hoc loco נשמת רוח חיים *niſchmat ruach chajim.* flatus ſpiritus vitæ.

Ad argumenta igitur adverſariorum ſic reſpondemus. Ad 1. Fraudem committi, dum à propriâ locutione ad figuratam argumentantur, & eſſe fallaciam dictionis. Non enim ſufflatio tribuitur Deo ut animalibus, in quibus illa fit per emiſſionem aëris interni. Deus autem dum animam inſpiravit nihil de ſe emiſit, ſed dicitur inſpiraſſe animam, potius quam creaſſe, quia etſi inſufflatio illa fuerit creatio, propoſitum tamen fuit hoc verbo Moſi, animæ ſubſtantiam ſpiritualem declarare; atque ita dicitur inſpiratio, non propriè ratione actionis à creatore emanantis, ſed ratione termini, quia creatio illa fuit rei ſpiritualis, quæ propterea dicitur *ſpiraculum.* Ad eorum itaque inſtantiam ex dictis patet reſponſio; cur terra dici non poſſit inſufflatione condita cum aliis rebus quæ dimenſione extenduntur, quia enim homo ex duplici componitur ſubſtantia; materiali una, ſpirituali altera; ad hanc differentiam ſubindicandam, prius corpore effecto, cum anima illi adjungi deberet, ſubſtantia prorſus diſſimilis, aptiſſimè dictum fuit, *& inſufflavit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Quam vocem, ne quidem cum Angeli crearentur opus fuit adhibere, eo quod ipſi ſunt integræ & completæ ſubſtantiæ ſpirituales, nec alieno cuipiam immixti.

Ad rationem ductam ex ea vi intelligendi & appetendi, quæ penè infinita videtur: Reſpondemus inde non ſequi animam hominis eſſe velut deciſam quandam Dei particulam: id tantùm ex eo conſequitur, hominem ab ipſo Deo naturæ opifice ad altiorem finem conſequendum eſſe directum & inſtitutum, quam ut hiſce contentus ſit quæ ſenſibus noſtris obverſantur, vel per anguſtas corporis rimas interius ingreſſa ad animum pervadunt. Quapropter mirum non debet videri, ſi ab hoc ad aliud, perenni quodam curſu, & ſtudiorum ſuorum multiplici viciſſitudine continuo deferatur, neque unquam nervos remittat, aut ſe ab omni conatu contineat, nec unquam in hac terra ſatiari poſſit: Nam in ſolo Dei conſpectu, *eſt ſatietas gaudiorum.* Pſal.16.℣.11.

Illud ergo Arati in Phaënomenis à Paulo ſanctificatum, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, *ipſius enim & genus ſumus*, non intelligi debet de ſubſtantia Dei partéve ipſius, ſed genus ſive generatio Dei ibi vel pro creatura ponitur, ut dicamur genus Dei creatione, quia verbum γεννάω non ſolum *gigno*, ſed etiam *produco*, ſignificat, unde (ut diximus) liber Geneſeos inſcriptus eſt propter cœli & terræ creationem: vel, quod magis mihi placet, γένος pro ſobole ſumitur, & dicuntur homines Deo geniti, ut olim à poëtis διογενεῖς viri clari, ut id referatur non ſimpliciter ad creationem hominis, ſed quatenus ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus eſt. Qui enim ab aliquo genus & vitam trahit, ab eodem etiam ſimilitudinem habet & formam, ut in omnium ſenſibilium plantarumque genere exploratum eſt. Vult ergo Paulus ut à ſe ipſo homo diſcat ſtirpis ſuæ nobilitatem & naturam, & Deum non eſſe aliquid ex auro vel argento conflatum, cum ex horum naturis nihil in nobis deprehendamus, neque ſi benè judicemus aliquid in auri & argenti ſplendore ſupra nos eſſe exiſtimamus. Vis igitur argumenti in eo eſt ſita, quando ipſimet Ethnici, poëtas ſuos ſequuti, fatentur nos quoddam Dei vivum ſimulachrum eſſe, oportere ut idola materialia ab hominibus per artem effecta, quæ plurimùm diſtant à perfectione naturæ, certo ſibi perſuadeant longiſſimo intervallo eſſe à divina poteſtate, ob cujus aliquam ſimilitudinem conſequimur dignitatem, his rebus materialibus longè ſuperiorem, & cum hanc ipſam Dei imaginem in nobis nullis exprimere lineis ſatis poſſimus, multò minus divinum illud Dei, ſecundum ſe, Archetypum; ut proinde craſſiſſima ſit inſcitia, in delubris ariſque affirmare Deum habitare, includi & coli poſſe.

Quod autem Petrus 2. Ep. cap. 1. ℣. 4. dicit *pretioſa nobis donata eſſe promiſſa, ut per ea fiamus* θείας κοινωνοὶ φύσεως, *divinæ conſortes naturæ*, id nihil ad rem quam tractamus, facit, quia non agitur de prima hominis creatione aut animæ ſubſtantia & naturâ, ſed de regeneratione & glorificatione, eaque communione quam habemus cum Deo per ſpiritum ſuum in gratia, & pleniorem habituri ſumus in gloriâ, non per eſſentiæ divinæ transfuſionem in nos, ut impiè voluit Servetus, cum non aliter participetur natura divina intrinſecè à nobis, quam per infuſa dona, etſi Spiritus Sanctus in nobis habitet, ſed non per aliquam participationem naturæ ſuæ. Ergo *natura divina*, apud Petrum accipi non debet pro ipſa Dei eſſentia, ſed pro hominis natura divinitus mutata, id eſt, dotibus divinis ornata, quæ proinde divina dicitur, non formaliter, ut loquuntur, ſed effectivè, quatenus qui dignitatem acceperunt ut filii Dei fierent, *ex Deo geniti* dicuntur. Joan. 1. ℣. 13.

Nihil igitur talia faciunt ad eorum delirium, qui cenſent animam hominis eſſe partem divinæ ſubſtantiæ, adverſus quos addimus duas rationes, quibus evincemus, animam humanam non eſſe ex ſubſtantia Dei.

1. Conſtat animam humanam quandoque eſſe in potentia ad ſciendum, quandoque in actu; ſed divina natura eſt actus purus; ergo humana anima quæ eſt in potentia, non poteſt eſſe divina natura. Sequeretur etiam hoc abſurdum, ſi intellectus divinus ſingulis humanis corporibus conjungeretur, nullam inter homines eſſe cognitionis diſcrepantiam, nullibi eſſe ignorantiam aut inſcitiam.

2. Non poſſet explicari quomodo humana natura in certa aliqua ſpecie conſtitueretur, ſi affirmaretur animam nihil aliud eſſe quam Deum noſtris corporibus immerſum. Cum enim Deus integra quædam ſit & abſoluta

ſoluta ſubſtantia, quæ tanquam elementum aliquod cum alio occurrente, tertium componere non poſſit, nulla nova ſpecies ex illa conjunctione orietur, quia Deus non poteſt eſſe alicujus rei forma, cum ſit completa & abſolutiſſima ſubſtantia. Quod ſi ab ipſo demamus in tali quam fingunt immerſione, rationem formę, & partis; ipſumque extrinſecus ſolùm corporibus aſſiſtentem fingamus: non hominis profectò, ſed Dei potius erit intelligere, velle, & recordari, quæ tamen homini ipſi communis omnium ſententia adſcribit. Inde etiam ſequeretur, hominem vitii & virtutis expertem, neque laudis neque vituperii capacem, ſi nihil ipſe in intelligendo aut appetendo moliretur; ſed Deus in ipſo vel intelligeret aut vellet, nulla internâ forma, ſibi propria, homine operante. Et hæc quidem ad eam rem ſatis.

Accedimus nunc ad eos qui in defectu peccantes, humanæ animæ dignitatem deprimunt, dum vel Deum immediatam animæ cauſam productricem fuiſſe negant; vel ex aliqua præjacente materia in hanc lucem emerſiſſe aſſerunt. Priorem errorem Seleuco & Hermiæ tribuit Philaſtrius libro de hæreſibus, quod exiſtimarint Angelos humanarum mentium eſſe fabricatores. Quæ temeritas ſatis ex eo refutatur, quod dicitur ipſe Deus expreſſis verbis inſufflaſſe animam viventem, quæ ratio loquendi immediatam actionem deſignat, & inſtrumentum quodvis excludit.

Qui contra ſentiunt, neceſſario in alium illum errorem incidunt, aliquam præextitiſſe materiam, ex cujus ſinu & potentia educta fuerit anima à ſecundis illis cauſis, quas in anima fabricanda occupatas fuiſſe contendunt. Cum enim creatio ex nihilo ſit opus ſolius primæ cauſæ; ſi anima producta fuerit ab aliqua ſecunda cauſa, id per creationem propriè dictam fieri non potuit, quia principium infinitum exigit. Sequeretur præterea animam eſſe materialem & corpoream, quod ſacra Scriptura & recta ratio refugit. Rectè enim probant veteres omnes Theologi animam eſſe ſpiritum, ex eo quod inſpiravit Deus ſpiraculum illud vitæ de quo diſputamus. Ideò ſæpiſſimè in Scriptura ſpiritus nomine ſignificatur; & Dominus noſter vera humana anima præditus, in manus patris ſpiritum ſuum commendabat. Luc. 23. ℣. 46. Sapiens etiam diſtinguit perſpicuè, inter *corpus & ſpiritum*, in celebri illo dicto Eccleſ. 12. ℣. 7. Et *revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Ubi pulvis pro corpore ſumitur, & ſpiritus pro anima, ut à corpore diſtinguitur. Quam diſtinctionem Dominus uſurpat Matth. 10. ℣. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ubi perſpicuè ita anima corpori opponitur, ut ipſa corpus eſſe non poſſit; & præterea indicatur animam vivere, mortuo corpore, & extra corpus ſubſiſtere. Eadem diſtinctio in aliis Scripturæ locis frequens eſt.

Id autem evincit ratio firmiſſimis argumentis. 1. Ex eo deducitur, quod operationes animæ propriæ, longiſſimè excedunt vires cujuſcunque corporeæ creaturæ; ergo anima non eſt corpus. Antecedens probatur, quia intellectus acumine ſuo indagat univerſalia infinitis propemodum ſingularibus communia, quę cum ſint omnis materiæ & concretionis expertia, à re materiata non poſſent comprehendi. Corporis autem temperies extra ea quæ ſenſu comprehenduntur non aſcendit; & ſenſus ſolas ſingularium ſpecies effingere poſſunt. Idcircò nec ſenſus pervenire poſſunt ad cognitionem ſubſtantiæ illius ſimpliciſſimæ omnino puræ & incorporeæ, ad quam hominis intellectus conſcendit. Qui quamvis miniſterio ſenſuum utatur ipſe, & conjunctus organis corporeis, vix poteſt ſubſtantiam puram & merè ſpiritualem intueri, depulſa omni forma ſenſibili & ementita ſpecie, quæ etiam invitis ſe ingerit, & animo occurſat: id tamen oſtendit ejus ſimplicitatem, quod alienis hiſce formis quas ſibi effingit imaginatio non adhæreat, ſed talia ſenſibili omni ſpecie eſſe deſtituta agnoſcat. Hinc eſt quod lumen rationis, ſenſuum hallucinationes ſæpè refellit & corrigit, nec ſolis & lunæ menſuram ex viſu metitur. Quamvis ergo Angelos, & rerum naturas univerſales ſecundum rerum ſenſibilium formam & modum mente concipiamus, eadem tamen intellectus immaterialia eſſe judicat, quod certè non faceret, ſi ſpiritualis non eſſet.

2. Idem probatur ab aliis immaterialibus objectis quæ mente comprehenduntur, inter quæ Auguſt. lib. de quantitate animæ cap. 33. virtutem expendit, quæ à materia planè avulſa eſt, cujus tamen admirabilem pulchritudinem ac venuſtatem intellectus, veluti quidam oculus, intento curioſoque aſpectu contemplatur. Alioquin ſi ſenſus duces ſequeremur, ad virtutum aſpectus cohorreſceremus, quas tot ſpinis denſatis circumſeptas ſenſus nobis referunt. *Cum ſanguis* (inquit Auguſt. in Pſal. 64.) *fœdaret omnia, cum morſibus belluinis, viſcera funderentur, non habebant oculi niſi quod horrerent, nihil erat quod amaretur, niſi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum integra pulchritudo juſtitiæ.*

3. Eadem eſt ratio voluntatis humanæ, rationalis affectus, qui ultra ea quæ ſenſibus nota ſunt evehitur, & ſenſitivo appetitu qui in rebus corporeis ſubſiſtit domito, ad ea quæ ſenſu non percipiuntur ſummo niſu contendit, quod certè non faceret, ſi altiorem originem non peteret: & ſi naturæ ſimilitudine ad corpus accederet, nunquam ea conſectaretur, quæ corpori gravia ſunt & moleſta.

4. Quid, quod mens non ſolum earum rerum quæ extra ſe poſitæ ſunt notitiam recipit, verum etiam cogitatione quadam reflexa operationes quas ſemel elicit, in ſe ipſa expreſſas, reſpicit & contemplatur. Intelligit enim ſe intelligere, & vult ſe velle. Quæ operationes reflexæ in ſolo homine reperiuntur, non in aliis animalibus, quorum cognitio omnis foras evocatur.

5. Nec

5. Nec ratio Ariſt. lib. 1. de anima eſt omittenda,qua ex hoc axiomate, nullum corpus poteſt eſſe ſimul in eodem loco cum alio corpore, quia penetratio dimenſionum impoſſibilis eſt; Omnis autem anima poteſt ſimul in eodem eſſe loco cum corpore; infert animam hominis eſſe incorpoream.

6. Item ex eo, Quod nullum corpus eſt in alio, per unionem naturalem & ſubſtantialem; Omnis autem anima ſic eſt in alio. Ergo nulla anima poteſt eſſe corpus. Majoris probatio inde petitur, quod corpus quodlibet eſt ſubſtantia quædam per ſe completa: Minor autem ex eo, quod cum corpus quod vivebat naturaliter, poſteà non vivit, intelligimus habuiſſe illud cum vivebat, aliquid naturaliter conjunctum, quo viveret & per cujus diſceſſum vivere deſierit, unde fit, id per quod vivit corpus, incorporeum eſſe & immateriale.

Non ſolùm igitur cavendum eſt à graviſſimo Philoſophorum quorundam lapſu, qui ante Ariſtotelem, animam cujuſque rei viventis & in primis hominis, eſſe corpus exiſtimarunt, ut Democritus & Leucippus ignē, cōnſtantem ex rotundis atomis, quæ motu reſpirationis facillimè attraherentur; vel Pythagorei, quibus anima erant illa quaſi ramenta, quæ ad radios ſolis in aëre conſpiciuntur, &c. alii aëra, alii aquam, ita ut elementum unumquodque ſuos habuerit patronos.

Sed etiam vitandi ſunt, nonnulli Scriptores Eccleſiaſtici, qui in quæſtione de animæ natura, poſt Philoſophos aberrarunt. Tertullianus enim lib. de anima cap.2. & lib. de carne Chriſti, animam eſſe corpoream cenſuit. Apollinari Alexandrino idem error tribuitur Hiſtoriæ tripartitæ cap. 44.

Neque aliquid probant rationes quas afferunt. Nam quod Tertullianus ex eo quod Deus dicitur inſufflaſſe in faciem Adami, confici putat animam eſſe ſubſtantiam quandam inſtar flatus per corpus diffuſam, craſſius eſt, quam ut ſit opus in eo immorari. Cum enim inſufflatio illa Deo tribuatur figuratè, non inde poteſt elici flatus corporeus, niſi etiam Deo aliquid natura ſua indignum affingatur.

Pluris æſtimandum non eſt argumentum ductum à pœna ignis, quam experturæ ſunt animæ impiorum. Quia de igne corporeo & propriè ſic dicto, non ſunt verba Scripturæ intelligenda, quod qui faciunt hoc tempore,& animam atque Dæmones ab igne corporeo propriè pati cenſent, vix ſe poſſunt extricare. Nos autem non involvit conſequentia à figurato loquendi modo, ad proprium.

Objiciunt Philoſophi naturalem appetitum animæ ad corpus, quæ diſſolutionem, quantum quidem poteſt ſubterfugit, &c. Ex quo quidem ſequitur animam non eſſe ſubſtantiam completam, ſed non propterea verum eſt non eſſe ſpiritualem. Etſi enim hæc duo ſubſtantiæ conditione ſint ſeparata, à Deo tamen ita fuerunt condita, ut anima corporis ſuapte natura ſit amans, quia cum anima ſit pars eſſentialis hominis, extra hominem habet eſſe imperfectum, & perfectionem ſuam deſiderat. Hinc eſt, quod animam non eſſe creatam ante corpus plerique doctorum rectè cenſuerunt, ſed ſimul cum corpore, aut immediatè poſt creatum corpus, quia non eſt credibile animam hominis,quę cæteras omnes creaturas (Angelis exceptis) antecellit, in ſtatu imperfecto fuiſſe creatam.

Addunt illud ex Galeno tritum, mores ſequi corporis temperamentum, unde efficiunt corpus agere in animam, & animam à corpore pati, quod poſſibile non videtur ſi anima ſit res planè ſpiritualis. Cum enim animadverteret Galenus, inter homines vigere maximam ingeniorum differentiam, quam à corporibus fieri non poſſe exiſtimavit, ſi uniuſcujuſque ingenium eſſet res aliqua ſpiritualis, & omni concretione deſtituta, exiſtimavit mentem eſſe corporeum quid, quod alioqui non poſſet eſſe varium & multiplex. Non diffitetur Auguſt. per ætates, per morbos, per languores, paſſiones, labores, offenſiones, voluptates, &c. animam mutari. lib. de immort. animæ cap.5. Unde Plinius agnoſcit homines eſſe in laſſitudine proniores ad iracundiam, & in ſiti, &c. Hiſt. nat. lib. 22. cap. 24. Reſpond. mutationes illas non fieri in ſubſtantia animæ, quæ immutabilis manet, nec eſſe aliquid in corpore, quod actione ſua, ſubſtantiæ animæ aliquid imprimat: ſed cum animæ facultates, ſenſitiva & imaginativa in operationibus ſuis organis utantur corporeis, hinc eſt quod pro organorum diverſitate, quibus ſenſitivæ & imaginativæ facultati opus eſt, oritur hæc etiam morum diverſitas, quia ſenſus permoti, imaginationem movent, hæc autem intellectum, intellectus voluntatem. Quo quidem pacto, ex conditione corporum, & eorum quæ corpus attingunt, manat illa morum & ingeniorum diſcrepantia, quam non ſolum in diverſis, ſed etiam in uno ſolo homine cernimus, variatis temporibus, aut corporis immutatis qualitatibus. Unde etiam fit ut ſæpè liberi parentum mores imitentur. Sed nihil talia faciunt contra ſimplicitatem animæ.

Quæſtionem hic non movemus de animæ traduce, cum de prima creatione hominis, non de hominum propagatione hic agatur. Erit illa alterius loci. Id tantùm breviter dicimus, cum opinione de traduce animæ vix conſiſtere poſſe animæ immortalitatem & incorruptibilitatem: ſi enim animæ per ſe non fiant, id eſt per creationem, immortales non erunt: ſi animæ ſunt immortales, per ſe ſubſiſtunt: ſi per ſe ſubſiſtunt, per ſe etiam producuntur: ſi per ſe producuntur, ſequitur non fieri ex propagatione, ſed immediatè à Deo creari. Cum enim anima poſt ſeparationem à corpore, ſit independens à corpore, ſequitur eam recipere eſſe, per actionem à corpore independentem: ergo non per generationem; ſed per creationem ex nihilo. Jam ex dictis ſupereſt ut nonnulla eruamus documenta.

1. Ex eo quod Deum probavimus immediatam eſſe animæ cauſam, non autem Angelos, maxima nobilitas

humanæ animæ apparet, cum nihil niſi affabre effectum & expolitum venuſtiſſimè à tanto artifice prodire poſſit. Excelſum inquam, & quaſi divinum eſſe exiſtimandum id, ad cujus efficientiam, nec ſolis jubar, nec cœlorum influxus, nec Angelorum vires, quicquam opis conferre potuerunt, ſed ad illud excitandum, Dei ſolius ſingularis vis & poteſtas fuerit requiſita.

2. Hinc efficitur, quod ſi ſanguinis illuſtre ſtemma, virtutis purpura rectiſſimè dici ſoleat, quia eximium quoddam decus virtuti adjungit, illamque cæteris ſpectabiliorem reddit, rectè etiam virtutis ſtimulus poterit appellari, quo acrius ad vitæ honeſtatem appetendam impellamur. Atque ita ex opinione nobilitatis illius qua anima noſtra effulget, comparati ſimus, ut honeſtatem actionis avidiſſimè conſectemur; vitia autem & morum pravitates quæ vitam noſtram inficiunt, refugiamus & averſemur.

3. Ut optimi parentis loco & præſtantiſſimi, Deum habeamus, cujus factura ſumus. Filii itaque parentis mores imitemur, proſapiam noſtram oſtendentes, & parentis noſtri perfectionem utcumque exprimentes. Nec permittamus inſignem hanc nobilitatem pravis moribus obſcurari, abjectiſſimarum rerum cupiditate penitus corrumpi, amitti denique, & nobis excidere.

4. Ingeneret inſuper hæc cogitatio amorem Dei in nobis, ſi enim Deus ſit nobis parens, ſequitur eum à nobis eſſe eo affectu proſequendum, quo liberi parentes ſuos proſequi debent: & cum ſit ſpeciali modo pater ſpirituum, ſpiritum noſtrum etiam ſingulari aliqua ratione Deo conſecrandum ut totus in eum feratur.

5. Præterea, cum animæ ſubſtantiam ſpiritualem conſtituerimus, inde etiam ſingularia documenta ad mores componendos deducuntur. Animam nempe ſpiritualem decere ſpiritualem vitam. Et quæ altiorem cunctis rebus corporeis ſortita eſt ſubſtantiam, actionem etiam ſibi propriam & genuinam vendicare debere, cujuſque objectum, à mixtione ſenſibili alienum exiſtat: indignum itaque eſſe hominem ſpirituali anima ornatum, ita cum brutis, ſenſibilibus & caducis adhærere, ut iis immergatur, nec altiora conquirat.

6. Denique, ex eodem principio ea morum documenta nobis ſunt deſumenda, quibus animus confirmatus in mediis ipſis flammis, cum omnia mala & acerbitates in ipſum incurſarint, & impetum fecerint: cum jucunditates omnes defluxerint & abſceſſerint, in pietatis tamen, & omnium virtutum propoſito conſiſtat immobilis, in eadem ſemper ſententia & inſtituto permaneat. Cum enim anima ſpiritus ſit, nec morbus, nec paupertas, nec inimicorum tela, nec mors licet acerbiſſima & inopinata, in hanc ſpiritum aliquid moliri poterunt. Ut veſtis dilaceratur, ſed cutis intacta manet; ut cum fragore colliduntur nubes, ſed cœlum ſuo loco non pellitur: ſic nec anima quæ ſe novit, & Deo adhæret, à ſua ſtatione non depellitur, etſi agitato, imo & lacerato corpore. Priuſquam hunc locum concludamus, inquiremus in ſententiam illam quam hic Paulus Fagius vir doctiſſ. ex Aben-Ezra in cap. Geneſ. 7. refert & probat: vocem nempe נשמה *neſchamah*, qua hoc loco uſus eſt Moſes, non omnem flatum, ſpiritum, ac reſpirationem animalium viventium, ſignificare, ſed ad hominem tantùm referri debere. Proinde ex vi vocis *niſchmath chajim*, probari animam eſſe flatum ſeu divinum ſpiritum, cœleſtem, vitalem, immortalem, ac æternum durantem, & hiſce vocibus pulchrè diſcerni inter animam hominis immortalem, & animam brutorum animantium. Ideò etiam volunt vocem *neſchama*, à שמיים *ſchammajim* derivari, quia anima hominis eſt divinum quid & cœleſte, aut ſaltem ſi non derivetur, quod certè fieri non poteſt, aliquam habere affinitatem. Vellem hujus ſignificationis ſolidam aliquam rationem reddi poſſe: nam quæ affertur ex affinitate vocis *ſchammajim*, dilutior eſt, quam ut pro tantæ rei fundamento ſubſtrui debeat. Et certum eſt vocem *neſchama* eſſe à radice נשם *naſcham*, quæ in genere, anhelare, & halitum immittere, ſignificat. Præterea reſtrictæ huic ſignificationi, ad humanam rationalem animam, vi vocis ſignificandam, repugnat, quod ex Geneſ. 7. ℣. 22. ſupra adduximus, verba ſic habent, ad verbum, *omne quod flatus ſpiritus vitæ in naribus ejus, ex omni quod in ſicco, ſunt mortua.* Ebraicè, כל אשר נשמת רוח חיים באפיו *kol aſcher niſmath ruach chajim beapau.* id eſt, ut optimè interpretatur Mercerus, *quæcumque naribus ſpiritum ducunt vitalem*, naribus enim ſpiritus trahitur, & per nares ingreditur flatus, & per eas egreditur, ac vivit animans, flatu in nares immiſſo. Hic certè non poteſt vox *neſchama*, pro anima hominis ſpecialiter ſumi, ut voluit Aben-Ezra, ut differat à נפש quo nomine vult intelligi animam ſenſitivam. Etſi enim non negem talem diſtinctionem aliquando locum habere poſſe; non concedo tamen id fieri ex vi, ſeu ſignificatione voci propria. Nam quod Aben-Ezra loco citato, vult eam vocem ita referri ad hominem, ut ad eum privative ad alia animalia, quæ in terra erant reſtringatur, non patitur quod ſequitur, *ex omni quod in ſicco.* Idcirco Rab. David in lib. radicum, ad hunc locum annotat, videri omnem ſpiritum animantium vocari *niſema*, & ideo junctum eſſe ſpiritui, ac ſi diceret, *omne cui eſt ſpiratio ſpiritus*, id eſt, motus. Et citat ex 1 Regum cap. 17. ℣. 17. ubi tamen *halitus* niſchmah, pro anima ſumi poteſt, quia ibi declaratur animæ & corporis ſeparatio per infirmitatem, aut morbum. Sed Dan. 10. ℣. 17. ubi dicit & נשמה *niſchama* non manſit in me, animam non potuit intelligere, ſed reſpirationem & halitum, qui videtur defeciſſe in iis qui perculſi ſunt aliquo metu vel terrore, etſi ibi Arias Montanus verterit *mentem*, ad verbum: pro reſtricta illa ſignificatione, qua indicaret in ſe fuiſſe ad tempus interceptum rationis uſum. Hoc loco ſubtiliter diſtinguit Aben-Ezra inter tria vocabula, ut נשמה *neſchama* pro vi ſenſibili & rationali accipiatur, & in cerebro

cerebro locum obtineat. רוח *ruach*, ſpiritus, habeat ſedem in corde, quod eſt origo vitæ & complectatur vim iraſcibilem. נפש *nepheſch* anima, ſitum habeat in jecore, & vim concupiſcibilem deſignet. Paulus certè 1 Theſſ. 5. v. 23. totum hominem in tres veluti partes diſtinguit, πνεῦμα ſpiritum, ψυχὴν animam, & σῶμα corpus. Ubi duo priora vocabula videntur ad animum referri, ſecundum varias potentias, niſi πνεῦμα accipiatur pro agitatione ſpiritus in credentibus, quod voluit doctiſſ. Camerarius: ſed tum non video quomodo peti poſſet ut Deus ſanctificaret hunc ſpiritum, cum ejus agitatio ſit ipſa ſanctificatio. Malim ergo per πνεῦμα mentem, per ψυχὴν affectus & voluntatem intelligere. Quo modo autē hæc duo vocabula diſtinguuntur pro loci circumſtantia, ſic poſſunt Ebræa illa. Sed conſtantem & perpetuam non eſſe diſtinctionem certum eſt.

Quamobrem ex vi vocis נשמה *neſchamah*, ut jam diximus, non poteſt colligi vel anima rationalis, vel ejuſdem animæ cœleſtis velut natura & immortalitas: *ex vi vocis*, inquam. Alia ratio eſt ſi totum complexum ſpectemus, quod neceſſariò faciendum eſt. Tunc enim dicimus ex hoc loco colligi, Deum indidiſſe homini animam, ſupra aliorum animantium naturam, eamque immortalem. Nam quod Pontificii, ut Sacræ Scripturæ ſufficientiam detrahant, negant contra Saducæos ex libris quinque legis potuiſſe probari animæ immortalitatem, non ſolum temerè ſed etiam impiè ab illis fieri contendimus. Id aliquando Cardinalis Perronius in tractatu de eo argumento edito contra Tilenum urgebat maximè, ut traditionum neceſſitatem aſſereret. At vero Benedictus Pererius, etſi Jeſuita in hunc ipſum locum ſcribens, *Non eſſe dubitandum*, docet, *ex his paucis verbis quibus Moſes creationem animæ rationalis indicavit, demonſtrari & probari poſſe, animam eſſe immortalem, quod etiam multifariam, & hoc libro, & aliis ſuis libris, Moſes indicavit.* Atque adeò vehementer miratur, Sadducæos qui negabant immortalitatem animi non ſolum toleratos fuiſſe, *ſed etiam autoritate atque honoribus apud Iudæos floruiſſe.* Mirari debuit, cur in Eccleſia Romana ad Cardinalatum promoverentur, qui Sadducæorum cauſam agerent, & nihil tale ex Moſis ſcriptis elici poſſe concederent.

Mitto quod ſupra prolixius à nobis tractatum eſt de imagine Dei in homine; ex qua ſatis ſequitur animæ immortalitas. Certè hoc loco, cum inter omnes conſtet inſufflationem illam ſpiritus vitalis, eſſe animæ creationem, non obſcurè indicavit Moſes eam extrinſecus adveniſſe, neque ex materia ulla ab aliquo efficiente creato generari. Cum enim aliorum animalium generationem memoraret, referebat id tantùm, dixiſſe & juſſiſſe Deum, ut terra & aqua producerent terreſtria & aquatilia animalia ſecundum ſpeciem ſuam, qua eorum anima includitur; & ſignificatur ex elementari materia fuiſſe producta. Multo autem aliter loquitur de anima hominis, cum dicit à Deo eſſe inſpiratam, ſeu inſufflatam, ut intelligatur eam eſſe diverſæ conditionis, cujus non ex aliqua corporea materia, ſed ex Deo ſolo eſſet origo. Cætera quæ de anima dici poſſunt conſultò omittimus, quæ ad iſtum locum non pertinent, & ad alia properantes, diutius nos morarentur, quam inſtituti ratio poſtulat.

EXERCITATIO XVIII.

Explicatio verſus 16. & 17. Prima lex poſitiva homini data. Commentum doctorum Ebræorum de arbore ſcientiæ &c. refellitur. Sic dictam fuiſſe non ab effectu, ſed ab eventu. Pererii argumenta examinantur. Vnicum eſſe præceptum, illudque negativum, probatur. Naturalem prætereà legem homini fuiſſe inditam. An poteſtatem habuerit credendi in Chriſtum? Cur naturali legi poſitivam addiderit Deus? An præceptum illud fuiſſet omnes homines obligaturum? An fuerit difficile? Cur Deus præceptum daret quod hominem tranſgreſſurum prævidebat? Poſitiva lex quid ſit? Quæ mors in comminatione intelligatur? Quomodo ipſo die infligenda quo peccaret? Malè quoſdam Adamo ſalutem denegaſſe.

GEneſ. 2. v. 16. & 17. ויצו *vajetſau* & præcepit *Dominus Deus ad hominem, dicendo, ex omni arbore horti comedendo comedes: & ex arbore ſcientiæ boni & mali non comedes, quia in die quo comedes ex ea, morte morieris.* Hic verſus habet ſuas difficultates, quas hoc tempore auxerunt Socini aſſeclæ, præſertim, ubi de comminatione mortis agitur, contra eum, qui de fructu prohibitæ arboris erat uſurus. Verba primum perpendemus; deinde, quæſtiones ex verbis aut emergentes, aut ab adverſariis motas, ſolvere conabimur.

ויצו *vajetſau*. Et præcepit. verbum צוה *tſiva*, jubere, mandare, & decernere ſignificat. Conſtructum cum præpoſitione על *al*, ut hoc loco, negationem includit, id eſt, præceptum, quod vocant, *negativum*; ut præcipere, ſit prohibere, vel ut verterunt Trem. & Junius, interdicere. על האדם *al haadam*, ad hominem, vel homini. Nomen hominis ſumi poteſt vel propriè, ut ad Adamum referatur; vel communiter, ut Adamum & Evam comprehendat.

מכל עץ הגן *micol etz hagan*, ex omni arbore horti, nota metonymia, arbor pro fructu arboris ponitur.

אכל תאכל okal tokel, *comedendo comedes*, Vulgata ſimpliciter *comede*. LXX. βρώσει φαγῇ, id eſt, eſca edes. Trem.& Jun.*liberè comedes*.juxta regulam Ebræorum, qua finitum quodvis verbum, regit ſuum infinitum, ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam, quæ per adverbium rectè declaratur. Sic infra v. 17. מות תמות *moth tamuth*, moriendo morieris, hoc eſt, omninò vel certiſſimè morieris.

Et ex arbore הדעת טוב ורע *hadaath tob veraá*. ſcientiæ boni & mali. Targum Onkelos, *cujus fructus qui edunt, ſapienter diſcernunt inter bonum & malum*. Quaſi arbor illa fuiſſet apta per ſe ad ingenerandam ſapientiam, datura vel acceleratura uſum rationis. Fingunt Ebræorum doctores, Adamum & Evam fuiſſe creatos, ſine uſu rationis, infantibus ſimiles. Scire autem bonum & malum Ebræa phraſi, rationis uſum ſignificare. Arborem ergo ſic dictam, quia in manducante uſum illum acceleraret. Id autem quam falſum & inſulſum ſit, ſatis ex eo conſtat, quod Protoplaſtæ, in ſtatura perfecta creati, ad generationem apti; tales etiam fuerint, ut Adamus omnibus animalibus apta potuerit indere nomina; & præterea, non potuiſſet ipſi Deus legem præſcribere, addita capitali pœna, qui rationis uſum non haberet. Quod ſi vis aliqua tribuatur huic arbori, non conferendi uſum rationis, ſed augendi ſcientiam, quod Joſephus exiſtimavit Antiquit.lib.1. acumen ingenii ſolertiam & prudentiam majorem acquirendi; quam opinionem voluit ingenerare hoſtis generis humani Evæ menti; id duplici modo poſſet intelligi: vel quod immediatè id efficeret uſus arboris illius, ipſam animam, vi ſua, afficiendo; quod fieri non poſſe, rectè probant, qui ex eo quod res materialis in immaterialem agere non poteſt, ita arboris materialis fructum qui agere non poterat niſi per actionē corpoream, nō potuiſſe immediatè in animam aliquid transfundere colligunt. Vel intelligi poſſet aliter, fructum illum potuiſſe uſu ſuo acumen ingenii & ſcientiam augere, non quidem per ſe, aut directè; ſed indirectè, prout quibuſdam cibis vel juvantur, vel corrumpuntur ſpiritus animales, & organa interiorum ſenſuum, quorum bona conſtitutio, ad actiones mentis multum confert. Sed hac ratione omnes arbores horti potuiſſent arbores ſcientiæ &c. appellari. Par eſt enim credere, Deum qui ad eſum hominis in ſtatu integritatis conſtituti, arbores illas creaverat, eis etiam talem vim, & ſuccum indidiſſe, quo hominis innocentis corpus non gravaretur, ſed alacrius eſſet ad omnes ſuas functiones, & per conſequens organa ſenſuum aptiſſima ad animæ motiones. Addimus etiam, non eſſe ſimile vero, ſi talis fructus ad ingenii acumen augendum aptus fuiſſet, ejus uſum Dominum voluiſſe homini interdicere, & eum durà & graviſſima lege premere, qua impediretur, ne ad eam perfectionem perveniret, quam homo, natura ipſa duce, ardentius expetit. Nec verum eſſet, quod omnes Theologi notant, Deum voluiſſe in re facili hominis obedientiam experiri, & culpam primorum parentum ex eo exaggerari, quod noluerint ab eo fructu abſtinere, quo, in tanta aliorum qui ipſis conceſſi fuerant copia, non difficulter poterant carere. Si enim ad ſcientiam & acumen ingenii augendum vel directè vel indirectè ſupra omnes alios fructus aptus fuiſſet, aliis omnibus præferendus & ſupra illos expetendus merito videbatur, ut opus fuerit maxima continentia, ei qui naturam ejus talem noverit. Quid, quod effectus poſt illius arboris eſum planè fuit contrarius, cum homo maximis ignorantiæ tenebris fuerit involutus?

Alii igitur interpretes rectiùs, non ab effectu, ſed ab eventu per prolepſim, arborem ſic dictam fuiſſe volunt; quia tum demum poſt illius fructus eſum didicit homo ſua propria experientia, à quo bono excidiſſet, & quod ſibi malum attraxiſſet; id eſt (ut optimè Iſidorus Clarius) *Non quod illa arbor, quaſi prædita ratione haberet hanc vim, ſed quia futurum erat ut homo, ex ea contra præceptum veſcens, diſceret non ſolùm quam bonum eſſet parere mandatis Dei, verum etiam, quam perniciosum contemnere*. Id enim intelligendum eſt de ſcientia quæ per experientiam propriam acquiritur, quam, ideò *experimentalem* vocant; quemadmodum qui medicus eſt theoreticè vim morbi & ſanitatis bonum cognoſcit, in morbum delapſus, amiſſa ſanitate, nova quadam ratione, per experientiam bonum ſanitatis, & malum morbi, cognoſcit. Non eſt autem novum, rem aliquam ab eventu nomen ſortiri in Scriptura, & aliquando etiam ſic vocari, cum de ea agitur, antequam hic eventus acciderit, per prolepſin, quomodo Gen. 21. ℣. 14. *Hagar verſabatur per deſertum Beerſebah*, quod nomen narratur poſteà verſu 31. inditum fuiſſe ei loco. Sic Numerorum 13. narratur exploratores veniſſe uſque in vallem Eſcol aut Botri ℣. 23. Qui locus non ita vocabatur cum in eo fuerunt exploratores, ſed poſteà ex occaſione vel eventu, quia inde botrum illum exciderant filii Iſraëlis. Eodem modo dicta eſt arbor ſcientiæ boni & mali, quomodo poſt eventum nomen ſortita videtur. Ante abuſum illius arboris, ut notat Rabbinorum doctiſſ. Maimonides part.1. cap.2. *Moreh nebochim*, Adam intelligibilibus tum dabat operam, quibus verum à falſo diſcernebat, at bonum & malum, quod in uſu poſitum eſt non advertebat ut inter ſe differrent, cum nihil ſe mali offerret, ſed omnia bona; indicatur ergo, *rem quandam in homine ortam fuiſſe, qua turpe in ſe agnoverit id, quod anteà nullo modo turpe habebat*.

Adverſus hanc ſententiam quæ nobis videtur convenientiſſima, & quam ipſe fatetur eſſe Theologorum communem, objicit Pererius nonnulla. 1. Si ex eventu, inquit, ſumenda erat appellatio, ſimili ratione nominari potuiſſet arbor apertionis oculorum, vel cognitionis propriæ nuditatis, vel confectionis ſubligaculorum, quia hæc omnia eſum arboris ſunt conſecuta.

2. Quo ſerpens Evam alliceret ad eſum illius arboris promiſit fore, ut ſi ex ea comederent, efficerentur tanquam dii, ſcientes bonum & malum. Serpens autem non ſignificabat ſcientiam boni & mali experimentalem, quia cum mala ſit & fugienda, non eam inſtar maximi boni, & maximè expetendi promiſiſſet. Præterea ſi promiſiſſet, non mentitus fuiſſet, cum tamen Satanam in eo mentitum fuiſſe, veteres omnes affirment.

3. Cum Adam ejiciendus eſſet ex Paradiſo, dictum eſt de ipſo per Ironiam, vel ab aliquo Angelo cum aliis loquente, vel ab una aliqua perſona divina, cum aliis duabus ſermonem habente, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Manifeſtum eſt autem in hac ſententia, per ſcientiam boni & mali non poſſe intelligi ſcientiam experimentalem; Hoc enim cum non contingat ſine detrimento & mali ſenſu, non poteſt convenire in Angelos bonos, nedum in divinas perſonas.

Vult igitur ille, poſt Rupertum & Toſtatum, nomen hoc inditum fuiſſe arbori, propter verba ſerpentis, cum Evam ſeduceret promittentis ex eſu arboris, ſcientiam boni & mali, & ex eo quod falſo promiſſo decepiſſet primos homines, impoſitum eſſe nomen ei arbori, vel ab ipſo Adamo, vel à Moſe. At ille nullam hujus ſententiæ rationem reddit, quæ non videtur probabilis. Non enim voluiſſent vel Adamus vel Moſes, arbori nomen imponere, ex impudentiſſimo mendacio deductum, quia Adamus ſenſerat, & Moſes noverat, nihil eſſe aut fuiſſe in illa arbore, cur ſic vocari deberet eo ſenſu, quo à fallente Satana fuerunt allecti ad peccatum protoplaſti.

Probabilior igitur nobis eſt multo præcedens ſententia, ſic vocatam fuiſſe per occupationem, vel ab eventu; nec dimovemur argumentis Pererii, ad quæ facilis eſt reſponſio. Ad primum dicimus, potuiſſe quidem arborem illam nominari ab aliis eventibus, aut conſequentibus, ſed à nullo tamen aptius, quam ab eo qui alia omnia comprehendit in objectione poſita. Nam ſcientia experimentalis boni & mali, ſub ſe comprehendit apertionem oculorum, hac enim phraſi nomen ſcientiæ figuratè exprimitur. Sub ſcientia mali etiam continetur cognitio propriæ nuditatis, & pudor quo adducti fuerunt ad aptanda ſibi ſubligacula. Nec neceſſe eſt ut aliqua res nomen accipiat ab omnibus eventibus, ſi à præcipuo & maximè communi ei fuerit inditum, ſufficiet.

Ad 2. Reſpond. pro nobis potius facere. Quia etſi Satan promiſerit primis parentibus ſcientiam boni & mali propriam, non experimentalem; notum eſt eum ambiguo ludere, ut fallat, quemadmodum ex falſis oraculis apparet. Itaque mentitum eſſe Satanam non dubitamus, præſertim in eo quod dixit, *eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*, etſi poſteriora illa verba, aliquo ſenſu potuerint eſſe vera.

Tertii argumenti eadem eſt ratio. Neque enim ſi Deus in ironica illa inſultatione intellexit, hominem in ſua opinione deluſum fuiſſe, qua ſibi pollicebatur, illudente Satana, ſcientiam propriam boni & mali qualis eſt in Deo; ſequitur arborem ſic dictam, non fuiſſe ſortitam nomen ab eventu, & ſcientia illa experimentali. Optimè enim procedit Ironia, ſi eam hoc modo intelligamus; *Ecce Adam ſicut unus ex nobis ſciens bonum & malum*, q. d. hoc affectavit, ut divinam boni & mali ſcientiam aſſequeretur: Jam autem novit bonum & malum ſuo periculo, &c.

His poſitis, nunc ad ipſam prohibitionem venimus, in qua illud primum occurrit, quod præcipiendi verbum videtur reſpicere ea quæ immediatè ſequuntur primo, & ad aliud membrum poſtremo referri. Quod ſi verum ſit, tum erunt duo præcepta in his verſibus, unum affirmativum, de omnibus aliis arboribus edendis, aliud negativum de abſtinendo ab arbore ſcientiæ boni & mali. Unde emergit dubitatio, quæ nonnullos torſit, an omnium aliarum arborum uſus fuerit neceſſarius, tanquam præcepto ſancitus? Et an hoc loco ſpeciale aliquod datum fuerit homini præceptum, ut ſuſtentaret vitam eſu aliorum fructuum paradiſi. Magiſter ſententiarum, lib. 2. diſt. 19. & Thomas, in prima, q. 97. art. 3. ad tertium, ſentiunt, ſimul præceptum fuiſſe homini, ut à ligno ſcientiæ boni & mali abſtineret, & ut de omni alio fructu arborum ad vitam ſuſtentandam comederet. Alii contrà exiſtimant, id poſtremum non fuiſſe à Deo homini præſcriptum illis verbis, illudque Moſis, *præcepit ei*, referendum non eſſe ad totam ſententiam ſequentem, ſed ad partem negativam, ut etiam notavimus eſſe vim Ebraiſmi: præcedentia autem præmiſſa fuiſſe, ut negativi præcepti ſive prohibitionis major appareret æquitas, quando Deus ex tot & tam variis fructibus, unum ſolum homini denegaret, aliis omnibus conceſſis.

Hæc ſententia, quæ verior eſt, his argumentis confirmatur. 1. Quia comminatio de morte obeunda, additur tantum prohibitioni eſus fructus vetiti, unde conſtat prohibitionem illam ſolam habuiſſe vim præcepti, non item conceſſionem.

2. Idem conſtat ex verbis Evæ, quibus Serpenti reſpondit, objicienti Deum præcepiſſe ne comederent ex omni ligno paradiſi. Sic enim illa, *De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur*, id eſt, nobis licet veſci, *de fructu vero ligni qui eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Quibus ex verbis quivis intelligere poteſt, id quidem permiſſum fuiſſe voluntati eorum, de quolibet fructu aliarum arborum comedere, tantùm prohibitum fuiſſe, ne comederent de arbore ſcientiæ boni & mali.

3. Addi poſſunt etiam rationes, ut, quod nimis fuiſſet homini moleſtum & oneroſum, aſtringi ad edendum ex omni prorſus fructu, quæ moleſtia non decuiſſet ſtatum illum beatum.

4. Item, Quod facilius fuiſſet Serpenti perſuadere Evæ, ut in tanta Paradiſi arborum copia, ab una aliqua abſtineret; eaque abſtinentia (ſi contrarium à Deo præciſè injunctum fuiſſet) in peccatum incideret, quam ei perſuadere, ut comederet ex unica illa arbore, ſcientiæ boni & mali.

In contrarium nihil adduci poteſt, quod aliquam probabilitatis ſpeciem habeat. Nam quod nonnulli ſupponunt in illo ſtatu famem aut ſitim non fuiſſe incitaturam hominem ad edendum & bibendum, proinde oportuiſſe divino præcepto hominem ad id faciendum incitari; hoc inquam, otioſum eſt. Nam etſi, prout fames & ſitis ſumuntur pro ea cibi & potus appetentia, quæ conjuncta eſt cum moleſtia & cruciatu, quatenus habet adjunctam indigentiam, non fuerit conveniens hominis innocentis ſtatui: Certum eſt tamen ſi fames & ſitis accipiantur pro appetitu calidi & ſicci, vel frigidi & humidi etiam homini in ſtatu innocentiæ accidiſſent: & ſine ulla lege poſitiva de comedendo aliquo fructu, ex ſolo dictamine legis atque rationis naturalis fuiſſet tunc homo obligatus ad edendum ex fructibus arborum, aut ex herbis quantum ad vitam ſuſtentandam ei opus fuiſſet.

Merito igitur Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 15. *Animadvertit Deum, hominem nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus præceptis oneraſſe, ſed uno breviſſimo atque leviſſimo, ad obedientiæ ſalubritatem adminiculatum fuiſſe.* Quod de præceptis poſitivis eſt intelligendum.

Non enim dubium eſt inditam fuiſſe Adamo perfectiſſimè legem naturalem, qua ad Deum ex toto corde & proximum ſicut ſe ipſum diligendum obligabatur. Cum enim reliquiæ legis illius innatæ, in natura corrupta remaneant, neceſſario naturæ integræ notitia illius obligationis debuit eſſe perſpectiſſima, alioqui deſtitutus fuiſſet homo rationali lumine naturæ, & ipſo rationis judicio, quo omnibus nota eſt talis obligatio, quæ eſt quædam legis æternæ participatio in rationali creatura.

Impudenter ergo talem legem in Adamo negat Socinus Prælect. cap. 3. Cum enim videret, ex lege naturali, neceſſario inferri juſtitiam Originalem in eo in quo eſſet perfecta lex, quam non eſſet tranſgreſſus, maluit negare hominem habuiſſe aliquod aliud Dei mandatum quod tranſgredi potuiſſet etſi id maximè voluiſſet, proinde juſtum non fuiſſe, quia nullum mandatum tranſgredi poterat, neque etiam ſervare cum nullum haberet. Ille tamen ibidem fatetur Adamum habuiſſe conſcientiam, contra quam potuit peccare. At conſcientia non poteſt eſſe ſine notitia æqui & juſti id eſt, ſine aliqua lege.

Quæritur hoc tempore an lege illa naturali Adamo & Evæ fides fuerit imperata, atque adeò an potuerit Adam, cui cum recti notitiâ, noſtra etiam ſententia, poteſtas rectum exequendi fuit à Deo data, poteſtatem habuit credendi in Chriſtum, quam ille peccando amiſerit & nos in illo. Id negant Remonſtrantes, ne cogantur nobis concedere, jure Deum à noſtrum unoquoque exigere ut credat Euangelio, etſi vires credendi naturales nullas habeat, quia etſi eas amiſerit non tamen excidit Deus jure exigendi debitum ſuum.

Dicunt itaque non potuiſſe Adamo legem imponi qua teneretur credere Euangelio, aut in Chriſtum, quia in eo ſtatu erat, in quo neque Chriſto, neque Euangelio opus fuiſſet, ſi in eo perſeveraſſet, cum Chriſti adventus & Euangelii prædicatio ſupponat peccatum, quod tum nullum erat. Reſpondemus igitur, Adamum quidem mandatum explicitum non habuiſſe in Chriſtum credendi; ſed habuiſſe mandatum credendi in Deum tanquam in eum qui verax eſſet in omnibus dictis ſuis. Applicare autem potuiſſe ſuam illam credendi poteſtatem mandato convenientem, omni divinæ revelationi, quæ ipſi facta fuiſſet; proinde poteſtatem illam generalem, omnia ſpecialia ſub ſe comprehendiſſe, & eminenter in ſe habuiſſe, quicquid potuit de Deo, vel rebus divinis credi. Quemadmodum Adami charitas potuit proximi miſeriis applicari, ſi tales aliqui fuiſſent, &c.

Poteſt autem quæri, cur Deus, præter illam perfectam naturæ legem, qua homo in officio potuit contineri, & juſtitiam exercere, addere voluit legem poſitivam & ſingularem de fructu illo non comedendo? Ejus rei tres afferunt communiter rationes. 1. Eſt, ut Deus qui homini rerum omnium dominium conceſſerat, declararet ſe hominis Dominum, homo autem intelligeret ſe ſubeſſe Deo, debere tanquam creaturam, & ſancta ſervitute ei adhærere, cui obedientia & ſervitus utilis erat non Deo, qui noſtrorum non eget bonorum. 2. Ut declararet hominem à ſe liberi arbitrii eſſe factum, qua ſi caruiſſet talem legem ipſi non impoſuiſſet. 3. Ut homini materiam præberet exercendæ obedientiæ ſuæ. Ideò hoc præceptum voluit dare Deus, præter legem æternam & naturalem: quia naturalis lex eſt earum rerum, quæ per ſe bonæ vel malæ ſunt: at lex poſitiva eſt de indifferentibus, quæ alioquin in ſe nec bonæ nec malæ eſſent, ideoque niſi prohibitæ eſſent, vel factæ, vel omiſſæ conſcientiam hominis nec pungerent, nec tranquillarent. Illuſtrior enim fuiſſet in illa re virtus obedientiæ, quæ ideò tantum mala eſſet, quia à Deo eſſet vetita. *Nec enim*, inquit Auguſt. de Geneſ. ad lit. cap. 13. *potuit melius & diligentius commendari, quantum malum ſit ſola inobedientia, cum ideò reus iniquitatis factus eſt homo, qui rem eam tetigit contra prohibitionem, quam ſi non tetigiſſet utique non peccaſſet.* Exemplum affert convenientiſſimum. *Qui, verbi gratia, dicit noli tangere hanc herbam, ſi fortè venenoſa eſt, mortemq; prænunciat, ſi tetigerit, ſequitur quidem mors contemptorem præcepti: ſed etiamſi nemo prohibuiſſet, atque ille tetigiſſet, nihilominus utique moreretur. Illa quippe res contraria ſaluti, vitæque ejus eſſet, ſive illi vetaretur, ſive non vetaretur. Item, cum quiſquam*

prohibet

prohibet illam rem tangi, quæ non quidem tangenti, ſed illi qui prohibuit obeſſet, velut ſi quiſpiam in alienam pecuniam miſiſſet manum, prohibitus ab eo cujus erat pecunia, commiſiſſet peccatum, quia prohibenti poterat eſſe damnoſum. Cum vero id tangitur, quod nec tangenti obeſſet ſi non prohiberetur, nec cuiquam alteri quamlibet tangeretur, quare prohibitum eſt, niſi ipſius per ſe bonum obedientiæ, & ipſius per ſe malum inobedientiæ monſtraretur? Hæc ille.

Ex quibus liquet, non ita commodè, niſi ſuperaddita fuiſſet aliqua lex poſitiva de re per ſe non mala, declarari potuiſſe hominis, vel obedientiam vel inobedientiam. Quia non ita per legem naturalem liqueret, Deum eſſe hominis ſupremum Dominum. A nonnullis enim poſſet exiſtimari legem naturalem eſſe quandam, naturæ rationalis proprietatem, quæ humanæ naturæ conditionem conſequeretur. Nec etiam deſunt, qui (ut Rom. 2. loquitur Paulus) *naturaliter faciunt quæ ſunt legis*, non tanquam à Deo juſſa; aut abſtinent, tanquam à vetitis, ſed tanquam rationi ſuæ conſentanea faciunt, aut omittunt, velut diſſentanea.

Præterea, cum per eam legem non præcipiantur nec prohibeantur niſi quæ rationi rectæ per ſe bona & mala videntur, abſolutiſſima Dei in hominem poteſtas non ita plenè appareret, ſed ea duntaxat, quæ recta ratione, etiam nobis cognita, nititur. Sed ille abſolutus planè judicatur Dominus, qui arbitratu ſuo quidvis imperat, quamvis illud quidem per ſe, nec bonum ſit, nec malum, neque alia poſſit reddi ratio, cur id aut jubeat, aut prohibeat, præter voluntatem imperantis, qui oſtendit ſe illud uſurpare jure poſſe, *ſit pro ratione voluntas*.

Denique certum eſt in eo apparere majorem ſubditi obedientiam, qui in obediendo conſideranda non habet momenta rationum à parte rei ipſius, ſed ſolam voluntatem & imperium jubentis ſpectans, ad obediendum animum ſuum applicat.

Cum autem præceptum illud initio homini fuerit datum, & dixerimus hominis nomen non propriè ſed collectivè accipi debere, ita ut uxorem etiam comprehenderet, quemadmodum illa agnoſcit: Quæſitum fuit, an præter illos duos, præceptum de non comedendo ex eo fructu, homines omnes in ſtatu innocentiæ fuiſſet obligaturum? Sunt qui cenſeant non fuiſſe legē de ſe perpetuam, ſed quaſi perſonale mandatum ſolis primis parentibus in ſuis perſonis, non pro tota poſteritate datum, etiamſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſent. Sed verius eſt, legem fuiſſe de ſe perpetuam, tum quia eadem quam attulimus ratio erat in filiis quæ in parentibus, ut legem aliquam poſitivam à Deo ſemper haberent; tum etiam quia illud præceptum fuit reſpectu Adami non tantum perſonale, ſed tanquam capiti generis humani datum, quando illi dixit Deus, *ex omni ligno Paradiſi comede.* Loquebatur enim cum illo, ut cum capite, ac ſubinde tota ejus poſteritate, ut oſtendunt ſequentia verba, *in quocumque enim die comederis ex ea, morte morieris.* Ibi enim toti poſteritati minatus eſt mortem. Ideo, teſte Paulo, omnes in illo præceptum illud ſumus transgreſſi, & mortem incurrimus, unde ſequitur legem fuiſſe toti poſteritati latam. Romanor. 5.

Vulgatum eſt illud dictum χαλεπὰ τὰ καλὰ, difficilia quæ pulchra; ut non immerito quæratur, an aliqua fuerit difficultas in præcepto illo implendo. Aliquam fuiſſe ex eo probari videtur, 1. quod talis prohibitio libertatem hominis videbatur imminuere; 2. quod arbor illa, maximè ſpectabilis eſſet & viſu pulcherrima. Sed difficultates illæ non fuerunt tanti, homini præſertim originali juſtitia prædito, & qui caduca omnia contemnere potuiſſet, ſi mentem ſemper ad Deum ſuum elevaſſet. Facilem potius legem ex eo fuiſſe conſtat, 1. quod non fuerit in ea varietas & multitudo præceptorum faciendorum vel fugiendorum, qualis erat lex à Moſe data, jugum patribus importabile. Actor. 15. Neque unicum illud præceptum fuit graviſſimum, quale fuit illud Abrahamo datum, de immolando filio.

Merito igitur Auguſt. lib. 14. de civit. Dei cap. 15. *Quiſquis damnationem Adæ vel nimiam, vel injuſtam putat; metiri profectò neſcit quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur quia ut occideret filium res difficillima eſt imperata: Ita & in Paradiſo tanto major inobedientia fuit, quanto id quod præceptum eſt, nullius difficultatis fuit.*

Attamen, quamvis præceptum illud eſſet facillimum prævidit nihilominus Deus hominem illud transgreſſurum, & per inobedientiam ſuam ſe cum tota poſteritate in mortis reatum præcipitaturum, quod malum averti potuiſſet, ſi legem illam Deus non ſanxiſſet. Unde quæſitum eſt, cur Deus primo parenti præceptum illud dederit, quod ſciebat fore ut ab eo violaretur. Hunc nodum non ſolvunt, ſed ſcindunt Sociniani, negantes prævиſionem & ſcientiam Dei de futuris contingentibus, præſertim ab humana voluntate manantibus; ideò igitur dicunt Deum id non præcaviſſe, quia neſciebat occaſione illius prohibitionis hominem peccaturum fuiſſe. Exiſtimavit enim Socinus, non minus eſſe periculum concedere Deo ſcientiam eorum quæ voluntas hominis erat actura, quam aſſerere Deum illa procuraſſe ſive determinaſſe, quia utrimque parem eſſe neceſſitatem putavit, quæ liberum deſtrueret arbitrium. Id autem falſiſſimum eſſe conſtat, quia ſcientia per ſe non eſt cauſa rerum, etſi eas ponat in eſſe; nec tollit contingentiam & libertatem, quæ etiam à Deo præſcitur cum ipſa re.

Statuendum ergo eſt Deum prævidiſſe quid homo facturus eſſet; neque tamen aliquam fuiſſe injuſtitiam aut iniquitatem; ſi homini Deus præceptum dedit, cujus violatione reus homo fieret mortis. Si lex illa data fuiſſet eo conſilio, ut Adam laberetur & eam non cuſtodiret,

ſtodiret, & Deus illum impuliſſet ad id perpetrandum, tum certè fuiſſet in Deo iniquitas. At non ita eſt, data eſt enim & propoſita lex homini ut eam impleret. Conceſſa ei fuit implendi facultas, ad utrumque flexibilis, qua potuit, ſiquidem id voluiſſet præceptum exequi, ut potuit tranſgredi. Imo factus eſt homo rectus, ſine ulla ad malum propenſione, cui facillimum erat bonum agere, aut malum evitare, & quamlibet à Deo præſcriptam legem ſervare.

Inſuper, etſi præviderit Deus tranſgreſſionem Adami contra illud præceptum, ſimul etiam vidit quid ex occaſione illius eſſet facturus, quod nempe in multiplex bonum illud eſſet converſurus, & varias atque multiplices utilitates inde eſſet eliciturus. Inter quæ bona eminet, deſtinatio filii ſui in terras mittendi, ut damna ab Adamo illata repararet.

Præterea effectum eſt à Deo, ex eadem occaſione, ut eniterent quamplurimæ nobiles virtutes, quæ in ſtatu innocentiæ non effulſiſſent, ut fortitudo, patientia, amor erga inimicos, miſericordia, abſtinentia, &c.

Fruſtrà ergo nituntur qui exiſtimant, Deum non debuiſſe imperare, quod ab homine noverat non eſſe faciendum, niſi ipſe id vellet in homine actu efficere; quia alioqui pugnare Dei voluntatem adverſus ſe ipſam ſequeretur, qui id imperaret, quod tamen nollet fieri. Non enim id omne quod Deus probat, abſolutè vult fieri, vel ipſe facere. Nec ratio cur id facere nolit eſt ea quam quidam aſſignant, Deum id nolle quia homines nolunt. Nam ſi id Deus abſolutè vellet, homines haud dubio volentes efficeret, quia Dei voluntas omnipotens eſt, & omnium rerum domina.

Nec eſt quod quis exiſtimet, in evitandis aut impediendis malis futuris, parem eſſe aut ſimilem Dei & hominum rationem. Quia homines legibus aſtricti & ſubjecti ſunt, Deus vero ſupra & extra legem omnem poſitus eſt. Et certè duo facit Deus, & benè facit, quæ ſi faceret homo, malè profecto faceret; 1. Deus mala ſinit fieri, quæ facilè impedire poſſet ne fierent ſi vellet: potuiſſet enim Angelorum lapſum impedire, adhibita tali gratia efficaci qua in amore Dei ſupra omnia perpetuò perſeveraſſent. 2. Multa facit Deus ex quibus ipſe certo ſcit, mala quædam conſecutura, & complures ex eo occaſionem malè agendi arrepturos, qualia fuerunt miracula in Ægypto facta, & inflictæ plagæ. Creat ſingulis diebus multas rationales animas, quas novit damnatum iri: fert leges quarum occaſione multos ſceleſtiores fore novit, quàm ſi latæ non eſſent: quia *Nitimur in vetitum.* & Paulus ad Rom. cap.7. teſtatur *peccatum occaſione per mandatum accepta, omnem concupiſcentiam* in ſe *operatum fuiſſe*, &c.

Deus ergo illa duo non ſolum non malè agit, ſed etiam rectiſſimè, juſtiſſimè & ſapientiſſimè. Decet enim ejus ordinatiſſimam ſapientiam, & providentiam, ut quas res ipſe condidit, convenienter ipſarum naturis operari ſinat, neceſſarias neceſſariò; contingentes contingenter, & liberas liberè. Nam Deus quæcunque creavit ſic adminiſtrat, 1. ut ſuos exercere & agere motus ſinat, ut optimè Auguſt. cap.30. lib.7. de Civitate Dei.

2. Ut oſtenderet creaturam rationalem eſſe defectui obnoxiam, defectum in quibuſdam voluit permittere.

3. Ut comparatione mali ſeu peccati, quantum ſit obedientiæ bonum intelligendum daret.

4. Ut alii poſt obedientiam, gloriam; alii poſt inobedientiam, pœnam reportarent. Non quod Deus permittat hominem cadere ut puniat, ſed ut juſtè puniat, id eſt, ut locum habeat juſta punitio, ſeu juſtitia illa quæ in pœnis inferendis conſiſtit.

5. Ut in aliis ſuam bonitatem, in aliis autem ſuam juſtitiam declararet, quemadmodum docet Apoſtolus, Rom.9.

Neque propterea exiſtimandum eſt decere aut convenire aliquid non fieri à Deo, quod ejus occaſione nonnulli deteriores futuri ſint, cum occaſio non ſit data, ſed accepta, nec proveniat ex propoſito Dei facientis, ſed hominis abutentis malo & perverſo conſilio. Alioqui nullam hominibus legem dari oporteret, quippe cum ea plurimi homines abutantur. Idem de Sacramentis dici poſſet & de ipſo Dei filio, qui poſitus fuit in ruinam multorum in Iſraël.

Convenientiſſimè ergo, præter naturalem legem, alia lex data fuit homini à Deo quam poſitivam dicimus. Cur autem ſic dicatur, quia ſæpè ejus rei mentio fit, hic etiam paucis declaramus. Legem illam poſitivam appellamus, quæ non eſt innata cum natura vel gratia, ſed ultra illas ab aliquo principio extrinſeco habente poteſtatem, poſita eſt, quaſi addita naturali legi, non ex illa neceſſario manans; unde ab aliquibus *jus poſitum* appellatur. Convenit cum illo jure, quod à naturali diſtinctum, jus *voluntarium* appellatur, quia ex voluntate originem ducit, ſive divina ſive humana. De quo jure aut lege, poteſt intelligi quod nimium indiſtinctè dicebat Anaxarchus, non ideò Deum velle quia juſtum eſt, ſed juſtum eſſe, id eſt jure debitum, quia Deus voluit. Tale eſt jus illud humano generi in Adamo datum, ſtatim poſt hominem conditum. Et hæc de prohibitione ſatis; videamus de comminatione prohibitioni addita.

Comminatio igitur eſt mortis certiſſimæ, in quocunque die comederit homo ex fructu vetito. In quo 1. Conſiderandum eſt de qua morte ſit intelligenda. 2. Quomodo illo ipſo die infligẽda quo homo peccaverit. 3. Diſcutienda quæſtio, an primus homo ante lapſum mortalis fuerit vel immortalis. 4. An mors ſeu corporis & animæ ſeparatio ſit propriè pœna peccati?

Ut de primo dicamus, cum Auguſt. lib.13. de Civit. Dei cap. 12. diſtinguimus mortem in varias acceptiones; quarum una eſt mors animæ & ad tempus, cum anima peccando ſeparatur à Deo; 2. Corporis, ſimiliter ad tempus, qua ſeparatur anima à corpore. 3. Quæ utramque ſimul complectitur ſeparationem animæ, à Deo & ejuſdem à corpore, quæ dum concurrit, ita ut ſeparetur anima

anima à corpore, à Deo ſeparata, mortem æternam, quam ſecundam Scriptura vocat, conſtituit. Peccatum autem hominem reum fecit, mortis animæ & corporis in æternum. Quod ſi verum ſit & quod majus eſt includat minus, ſequitur etiam mortem utriuſque ad tempus, peccato eſſe imputandam.

De animæ morte, qua à Deo ſeparatur, vix quiſquam poteſt dubitare, quandoquidem peccatum in ſua natura id includat, quod homo à Deo alienus reddatur; atque ita quamdiù peccatum manet non dimiſſum, anima etiam manet à Deo ſeparata. Proinde ſi nō remittatur in æternum, manet etiam in æternum talis mors De morte corporis, id eſt ſeparatione corporis & animæ dubitatur à nonnullis, an Deus eam Adamo minatus fuerit. Argumēta eorum deſumpta ſunt præſertim, ab eo quod talem mortem cenſuerunt eſſe homini naturalem, quorum proinde ſolutio, pendebit ex quæſtionum quæ ſequentur explicatione.

Interim dicimus comminationem mortis, prima illa & propria ſignificatione accipi debere, pro ſeparatione corporis & animæ. 1. Quia vox mortis & moriendi verbum, præciſè poſita in narratione hiſtorica, qualis eſt hæc Moſis, accipienda ſunt primò ſecundum propriam & apud omnes uſitatam ſignificationem, id eſt de morte illa prima quæ in diſſolutione corporis & animæ ſpectatur.

2. Ut ſententia illa locum haberet, Deus hominem poſt peccatum ex horto Edenis ejiciendo, hanc adhibuit rationem, ne ederet de arbore vitæ, atque ita mortem corporis ſibi deſtinatam poſſet effugere.

3. Eandem corporis mortem in executione ſententiæ Deus expreſſit his verbis, cap. 3. ℣. 19. *In ſudore vultus tui veſcito cibo, donec revertaris in humum cum ex ea deſumptus ſis, nam pulvis es, & in pulverem reverteris.*

4. Hoc idem docet Paulus cap. 5. Epiſt. ad Rom. dum ait, *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.*

Sub morte autem corporis, intelligenda ſunt etiam, etſi non expreſſa, omnia incommoda & mala quibus homo factus eſt obnoxius, tam in anima quam in corpore, quæ penè ſunt innumera. Triſtitia, metus, horror &c, in anima: dolor, in corpore, ex variis morbis &c. Cur autem eorum explicitam mentionem Moſes non fecerit, hæ cauſæ dari poſſunt. 1. Quia mors corporis, omnium ejuſdem malorum extremum, ſummum, maximéque formidandum eſt malum, conveniens fuit, ut ſub uno illo reliqua omnia comprehenderentur. Eſt enim teſte Ariſt. Ethic. ad Nic. lib. 3. cap. 6. mors, omnium rerum maximè horribilis, quippe cum terminus ſit.

2. Cum reliqua mala, ſint quædam veluti partiales mortes, quæ ad eam tandem perducunt, ſintque velut lineæ à circumferentia circuli ductæ uſque ad centrum, in quod omnes lineæ terminantur & deſinunt, non immerito ſub nomine *mortis* velut centri, omnes iſtæ lineæ comprehenduntur.

3. Quia mors corporis generatim & ex æquo omnes Adami poſteros peccati illius participes, apprehendit; ideò voluit Deus eam præ cæteris, exprimere & in eadem reliquas omnes pœnas comprehendere, quæ

---- æquo pulſat pede,
Pauperum tabernas regumque turreis.

Quæſtionis ſecundæ ſolutio, quomodo verum ſit ipſo die infligendam fuiſſe Adamo mortem, ſi peccaſſet, difficultatem habet ex eo, quod ſi de morte corporis intelligatur, id non videtur fuiſſe verum. Et hoc ſolo argumento Greg. Regiſt. lib. 6. epiſt. 31. utitur, ut ſententiam ſuam, quæ etiam aliorum quorundam fuit, ſtabiliret; comminationem Dei ad corporis mortem referri non debere, ſed ad mortem animæ tantùm, quia de ſola morte animæ verum eſt, hominem eam incurriſſe eo ipſo die quo peccavit. *Ecce* (inquit) *comedit Adam & Eva de ligno vetito, & tamen in carne ſua ultra nongentos annos poſtmodum vixerunt. Conſtat itaque quia in carne non eſt mortuus. Si ergo in anima mortuus non eſt, quod dici nefas eſt, falſam de eo ſententiam protulit Deus, qui dixit, quia qua die comederet, moreretur.* Sunt ex Ebræis qui, ut huic argumento reſponderent, exiſtimarunt ſententiam illam Dei non fuiſſe definitivam, ſed comminatoriam, qualis fuit ſententia lata adverſus Ninivitas. Accedente autem pœnitentia Adami, non ſubſecutam fuiſſe illico mortem corporis, quæ alioquin eo ipſo die illum corripuiſſet. At non videtur reſponſio illa vera, non enim ſtatim ſubſecuta eſt Adami pœnitentia, quam poſteà extorſit Deus: alioquin ènim, cum admiſſi ſceleris argueretur excuſabat ſe, & elevabat culpam ſuam.

Miſerum & planè ridiculum eſt, quorundam veterum effugium, illa ipſa die mortuum fuiſſe Adamum qua peccavit, quia apud Deum, mille anni ſunt velut unus dies. 2 Petri 3. Contortum id eſſe ex eo patet, quod diei nomen nuſquam in toto illo libro, qui hiſtoricus eſt, accipitur aliter, quam in propria ſua ſignificatione.

Aptior multo eſt ſententia eorum, qui verba illa, *in quacunque die,* referunt ad verbum comederis, & ſententiam illam, *morte morieris*, abſolutè accipiunt. Ut Deus oſtenderet nullum eſſe exceptum diem, nullum tempus, quo in reatum mortis non incurreret Adamus, ſi in aliquo die mandatum tranſgrederetur. Communior ſententia, jungit circumſtantiam diei, cum mortis comminatione: ſed tum per mortem intelligunt, mortis debitum contractum, & inevitabilem moriendi neceſſitatem, qua, qui poterat non mori, non potuit quin moreretur, quo ſenſu Hieronymus laudat Symmachi verſionem, qui pro *morieris*, vertit mortalis eris. *Sententiam & decretum mortis, Scriptura divina mortem appellat, inquit Theodoretus. Cum enim primum comedit, Dei ſententia obnoxius fuit ſupplicio mortis,*

tis, in ſingulos dies & horas velut reus mortis, ipſam mortem expectans.

Quod ſi quis verba illa *morte morieris*, de actuali morte tum eo ipſo die per peccatum inflicta, velit intelligere; id commodè fieri poterit eodem ſenſu, quo dicimus homicidam proximum ſuum occidiſſe inflicto vulnere, ex quo etiamſi non obierit eo ipſo tempore, mors tamen poſt aliquot dies conſecuta ſit, cujus initia ea ipſa hora qua ictum accepit, mortis nomine veniunt, quæ cauſa eſt cur aliquando vulneratus exclamet, *mortuus ſum*, & chirurgi etiam, poſtquàm vulnus lethale judicarunt, ſolent dicere, hic homo mortuus eſt. Sic ſtatim poſtquàm Adam peccavit, orbatus juſtitia originali, & immortalitate deſtitutus, cœpit ſentire frigus, calorem, laſſitudinem, aliaque incommoda, certiſſima venturæ mortis ſigna & indicia, paulatimque cœpit corrumpi & ad interitum vergere. Quo ſenſu mulier illa ſapiens, 2 Sam. cap. 14. ỽ. 15. dicebat Davidi, *omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur.* Ut enim Philoſophi, alterationem illam, quæ præcedit procreationem formæ ſubſtantialis, non dubitarunt appellare generationem, quia ad eandem quædam eſſet via & præparatio, ita alteratio quæ paulatim præparat & ducit ad interitum, corruptionis & mortis nomen ſibi jure vendicat.

Notandum eſt autem, diſtinctiſſimas eſſe quæſtiones, quibus quærimus, quid Adamus peccando fuit promeritus, & quid ipſi Deus eſt interminatus; vel an pœnas iſtas omnes quæ comminatione continentur, & quas promeritus erat, fuerit reipſa perpeſſus? Liquet quidem ex comminatione meritum eſſe pœnas omnes corporis & animæ quæ mortis nomine continentur, prout ſupra mortis vocem expoſuimus; ſed an quia omnes illas pœnas mortis corporeæ, ſpiritualis & æternæ fuit promeritus, iiſdem etiam fuerit affectus, alia quæſtio eſt. Hanc ſententiam Tatiano adſcribunt veteres qui de hæreſibus ſcripſerunt, Epiphanius hæreſ. 46. Auguſt. de hæreſ. cap. 25. edocti ab Irenæo cujus tempore vixit Tatianus. Is enim lib. 1. adverſ. hæreſ. cap. 31. Scribit *Tatianum Adæ ſaluti contradictionem feciſſe.* Contra quam hæreſim diſputat Tertul. in calce libri de præſcript. Epiphanius loco citato, & multis ipſe Irenæus lib. 3. cap. 34. & aliquot ſequentibus. Hic error fundamentum fuit Novatianæ hæreſeos, quæ lapſis ſpem veniæ denegabat. Contrarium rectè colligunt veteres, & Adamum poſt pœnitentiam ſalvatum fuiſſe docent, ex cap. 3. Geneſ. v. 15. & 1 ad Corinth. 15. v. 45. ex quibus locis ſolida ducunt argumenta, etiamſi peccaverit mulier, eodemque modo Adam, quem utrumque ſerpens decepit, *utrumque tamen Chriſtum paſſione ſua ſalute donaſſe,* pro viro, item pro muliere carnem factum eſſe, pro viro mortem ſubiiſſe, ipſius item morte mulieri ſalutem partam eſſe, ut optimè Nazianz. orat. 31. in dict. Euang. Matth. 19. Malè itaque Rupert. Tuit. lib. 3. Comment. in Geneſ. cap. 31. ait, *Salvationem ejus à multis liberè negari, & à nullo ſatis firmiter defendi.*

Exercitatio XIX.

Agitatur quæſtio de primi hominis immortalitate. Immortale, & mortale *variis modis dicitur. An naturalis fuerit immortalitas, & quomodo? Exponitur controverſiæ ſtatus adverſus Scholaſticos. Qui refelluntur. Thomæ & Scoti adverſæ ſententiæ, expenduntur. An dentur* pura, *ut loquuntur,* naturalia?

Accedimus jam ad quæſtionem de primi hominis immortalitate. De qua priuſquam dicamus, immortalitatis variæ acceptiones nobis ſunt diſtinguendæ. Notandum ergo, immortale aliquid quatuor modis dici. 1. pro abſoluta & omnimoda moriendi impoſſibilitate, quod ſummum eſt & abſolutiſſimum immortalitatis genus, quo quis ſimpliciter & omni prorſus modo, tam intrinſecus quam extrinſecus, immortalis ac prorſus immutabilis eſt. Quo ſenſu, Deus ſolus οὐσιωδῶς, id eſt, per eſſentiam immortalis eſt. 1 Tim. 6. v. 16. *Qui ſolus habet immortalitatem,* 1 Tim. 1. 17. *Regi immortali ſoli ſapienti &c.* Rom. 1. 13. *Mutaverunt gloriam Dei incorruptibilis.* Jacob. 1. v. 17. *Apud Deum non eſt transmutatio, aut converſionis obumbratio.*

2. Immortale aliquid dicitur, in quo eſt moriendi impoſſibilitas ex prima conſtitutione creatoris, ex cujus voluntate creatura quædam producta eſt, quæ mori non poſſet, cujus ſubſtantia à Deo facta eſt, ab omni admixtione & ſocietate materiæ ſegregata; quo ſenſu Angeli ſunt immortales: vel etiam immortalis eodem ſenſu eſt creatura, quæ licet materiæ aliqua ratione ſit copulata & aſſociata, non tamen è potentia materiæ eſt educta. Quo modo rationales animæ ſunt immortales.

3. Immortale dicitur quod mori non poteſt, ex dono ſingularique ordinatione vel gratiæ, vel juſtitiæ divinæ, quomodo corpora beatorum & damnatorum erunt immortalia, non ex aliqua naturæ conditione & proprietate, ſed ex Dei gratia, vel alia ſingulari diſpoſitione.

4. Immortale illud dicimus quod poteſt non mori, etiam ſi mori poſſit, certa conditione adhibita, qua non poſita in moriendi actum nunquam deducetur poſſibilitas moriendi, quæ cum non moriendi poſſibilitate conjuncta eſt. Hoc ſenſu loquimur de immortalitate primi hominis; qui, ſicut habuit potentiam aut poſſibilitatem non peccandi, ſic poſſibilitatem habuit non moriendi,

moriendi, quam ipſe cum poſteris retinuiſſet, ſi à peccato abſtinuiſſet, donec ea tandem in moriendi impoſſibilitatem converſa fuiſſet.

Ex quibus, termini oppoſiti acceptiones ſatis ſunt manifeſtæ. Dicitur enim aliquid *mortale*, dupliciter. 1. propriè & præcipuè, quando aliquid ad mortem naturaliter propendet, per ſucceſſivam partium abſumptionem: ſic, corpus Adami quamvis non abſolutè ἄφθαρτον & immortale, tamen per potentiam & immortalitatem propinquam, mortale non erat.

Alio modo aliquid mortale dicitur impropriè, pro qualicumque δυνάμει ſive poſſibilitate aut potentia, etiam remotiſſima, moriendi; quæ in actum traduci poſſit, ſublatis conditionibus mortis poſſibilitatem proximam impedientibus. Hoc ſenſu mortalem fuiſſe Adamum in ſtatu integritatis non negamus, id eſt fuiſſe, diverſo reſpectu mortalem & immortalem, quia non fuit abſolutè & ſimpliciter immortalis, per omnis poſſibilitatis moriendi excluſionem, quæ propriè dignitas erit corporum glorificatorum, ſed tantum ex hypotheſi, ſi à peccatis abſtinuiſſet. Mortalis igitur erat, quia non impoſſibile erat eum mori, & ut verbis Auguſtini quod res eſt dicamus, de Geneſ. ad lit. lib. 6. c. 25. Corpus ante peccatum & mortale ſecundum aliam, & immortale ſecundum aliam cauſam dici poterat, id eſt mortale, quia mori poterat; immortale, quippe qui poterat non mori.

Quoniam autem communiter apud autores prophanos, is tantùm mortalis dicitur, qui neceſſitati moriendi obnoxius eſt, & immortalis qui non poteſt mori, propterea quod duo illi modi mortalitatis nempe quæ in poſſibilitate moriendi remota, quæ ad actum poteſt non reduci, & immortalitatis, quæ in poſſibilitate non moriendi conſiſtit, eis fuerunt incogniti: inde factum eſt quod quidam veteres in re conſentientes, in loquendi modo variarunt, dicentes Adamum in primo ſtatu, neque mortalem fuiſſe, neque immortalem, ſervata nempe Latini ſermonis, addimus etiam Græci &c. proprietate. Sic locutus eſt Petrus Diaconus lib. de gratia Chriſti, cap. 6. *Erat mors & immortalitas in ejus quodammodo poſita arbitrii libertate. Capax enim erat utriuſque rei, ut ſi ſervaret præceptum, ſine experientia mortis fieret immortalis: ſi vero contemneret, mors continuò ſequeretur.* Similia habet Fulgent. lib. de incarnat. & gratia Chriſti cap. 12. Ubi tamen cum dicit primum hominem ſi non peccaſſet accepturum fuiſſe à Deo, *perfectam atque inamiſſibilem corporis immortalitatem*, ſatis innuit ante peccatum habuiſſe immortalitatem, ſed imperfectam & amiſſibilem.

Et hactenus quidem convenit inter nos & Pontificios, quia illi nobiſcum concedunt Adamum in ſtatu innocentiæ fuiſſe immortalem, ea immortalitate, qua quis poteſt non mori. Sed controvertitur, utrum talis immortalitas, primo homini fuerit naturalis necne; eodem modo quo anteà diſputatum eſt de juſtitia originali. Volunt enim Pontificii, hominem ita à Deo fuiſſe creatum ſecundum naturæ ſuæ conditionem, ut remoto dono ſupernaturali, morti fuerit obnoxius. Ideò immortalitatem hominis ante lapſum *donum ſupernaturale* appellant, ut ſuum illud πρῶτον ψεῦδος tueantur; *naturalia poſt lapſum manſiſſe integra.*

In hac quæſtione, ut ſupra cum egimus de imagine Dei, notandum eſt, 1. non diſputari, an immortalitas illa naturalis dici poſſit, quia inerat à prima inſtitutione naturæ. Cum enim concedant Pontificii hominem initio conſtitutum fuiſſe, à moriendi neceſſitate liberum, non negabunt, hoc ſenſu, immortalitatem fuiſſe primo homini naturalem, mortem autem, tam integro quam lapſo homini, eſſe contra naturam.

Præterea, ſi naturale dicatur, id in quod naturaliter fertur cujuſque appetitus; concedent etiam immortalitatem ſic homini eſſe naturalem, mortem vero contra naturam. Non enim poſſunt negare, omnes homines natura immortalitatem appetere, mortem vero refugere, adeò ut ipſe Dominus noſter in carne manifeſtatus, humanæ ſuæ naturæ veritatem ex eo voluerit probatam dare per hujuſmodi naturale deſiderium, quando ob mortem imminentem, adeò triſtatus fuit.

Neque item, naturalem fuiſſe talem immortalitatem homini negabunt, ſi per id intelligatur quod cuique ineſt ab ipſa nativitate, ſive ab ortu primo, ſive id ſit bonum naturæ conveniens, ſive non. Mortalitas enim, hoc ſenſu, nobis naturalis eſt, cum immortalitas è contra fuerit homini naturalis in ſtatu innocentiæ. Quo modo nos naturâ dicimur filii iræ, & originale peccatum omnibus Adami filiis dicitur naturale. Sic Ambroſ. lib. de fide reſurrectionis cap. 9. *Mortem*, inquit, *in natura non fuiſſe, ſed converſam eſſe in naturam.*

Fuiſſe etiam in homine cauſam aliquam naturalem immortalitatis concedunt nonnulli, nempe optimam corporis temperiem; cui addunt, externam cauſam naturalem *lignum vitæ*, quam utramque cauſam ad effectum immortalitatis fuiſſe neceſſariam cenſent. Sed cauſas illas partiales tantum eſſe exiſtimant, & præcipuam immortalitatis cauſam fuiſſe ſupernaturalem, originalem nempe juſtitiam; & in corpore etiam aſſerunt aliquid ſupernaturale fuiſſe additum, quod alioqui detracto dono ſupernaturali ſubjectum fuiſſet corruptioni & morti, propter materiam terrenam & elementarem, ex qua conditum fuerat. Etſi ergo ipſa natura cauſam aliquam habuerit immortalitatis, non tamen plenam ac totalem; quin potiùs ſi dona ſupernaturalia ab eo ſeparentur mentis cogitatione, & ſola in eo conſiderentur naturalia, mortalis erat, ita ut neceſſe fuiſſet eum mori. Hæc illi.

Unde liquet, totam controverſiam de ea re cum Pontificiis, pendere ab ea quam ſupra expoſuimus, de juſtitiæ originalis conditione, an naturalis vel ſupernaturalis primo homini fuerit, & an pura illa, quæ vocant

N 2 natu-

naturalia, in prima illa naturæ hominis conſtitutione ita conſiderari poſſint, ut mente cogitemus, creaturam rationalem à Deo in principio creatam, juſtitiæ originalis & potentiæ non moriendi expertem. Talem creaturam rationalem chimæram eſſe conſtat, quia nulla talis à Deo condita eſt, nec talis poteſt eſſe ſine peccato, quod à Deo eſſe nequit.

Ut ſupra, cum de juſtitia originali ageremus, notavimus eſſe perpetuum adverſariorum elenchum, quod ab eo quod nobis hoc tempore eſt ſupernaturale, ad id quod tale debuit eſſe in primo hominis ſtatu, argumentantur; ita in hac diſputatione evenit. Quia enim nec juſtitiam quæ Deo placeat, jam habere poſſumus niſi ex dono ſupernaturali, nec immortalitatem adipiſci, niſi ex gratia naturæ ſuperaddita; exiſtimant eadem illa non fuiſſe naturæ originalia, ſed ſupra naturam homini conceſſa. Rectè, ſi intelligant *ſupra naturam* qualis nunc eſt, non ita ſi de *naturæ prima conſtitutione*, id interpretentur.

Non tamen ideò negamus ſive juſtitiam, ſive immortalitatem fuiſſe indebitas dotes, & à gratia creatoris dependentes, nempe ſi debiti vel indebiti vocibus intelligamus id, quod nullum meritum vel demeritum præceſſit. Quid enim fecerat homo nondum creatus, ut Deum ſibi debitorem conſtitueret? Quid materia illa, ut animæ rationali conjungeretur? Quid anima, ut tot dotibus ornaretur? Ergo gratiam eſſe confitemur, *ſupernaturalem* comparatè ad *naturam* quam nunc gerimus; *naturalem* tamen vel *naturæ inditam* in ipſa creatione, ſi ſpectemus *primam conſtitutionem*, non debitam propriè naturæ, ſed convenientem & debitam ordinationi divinæ, & decreto de creanda tali creatura rationali, quæ capax eſſet beatitudinis æternæ.

Huc redit tota controverſia de immortalitate hominis adverſus Pontificios, an ex naturæ principiis fluxerit? Si de corporis immortalitate & incorruptibilitate, ut ſic loquar, ſimpliciter ageretur, nemo negat habuiſſe corpus in ſe principia reſolutionis: ſed ſi de toto homine, nihil obſtat quin dicamus ab ipſis naturæ principiis immortalitatem profluxiſſe; nam cum immortalis anima eaque puriſſima, fuerit primo homini naturalis, corpori vitam talem communicare poterat, quæ ſine peccati interventu interire non potuiſſet, quia corpus, animæ talis vi, perpetuam humorum & ſpirituum ἁρμονίαν erat conſervaturum, & ab omni morborum intemperie, lue, & morte, immune redditurum.

Id tamen animadvertendum, inter Scholaſticos Pontificios eſſe etiam diverſas de ea re, imo contrarias ſententias; aliis Thomæ opinioni, aliis Scoti addictis. In eo conſentiunt utrique, quod niſi peccatum interveniſſet, primus homo actu mortuus non fuiſſet. Sed an ſtante innocentia mori potuerit, controvertitur. Quæſtio autem non eſt de ſenſu diviſo, an Adam qui erat in ſtatu innocentiæ non potuit mori, etiam in ſtatu corrupto; id enim omnes concedunt: ſed an propoſitio vera ſit in ſtatu compoſito, *Adam in ſtatu innocentiæ permanens potuit mori.* Thomas & qui eum ſequuntur id præciſè negant. Scotus contrarium docuit, hominem ſtante illo ſtatu mori potuiſſe, & etiam moriturum fuiſſe etſi innocentem, niſi id prohibuiſſet Deus aut impediviſſet, *transferendo eum in paradiſum, ante quam fuiſſet alteratus, alteratione improportionata animæ, ſive formæ,* ut loquitur Scotus. Sic etiam poſt Scotum Durandus, in 2. diſt. 19. quæſt. 1. ubi aſſerit, *immortalitatem, pro ſtatu innocentiæ homini conceſſam non fuiſſe, ut ſemper viveret, ſed ut viveret uſque ad tempus ſuæ tranſlationis.* At Thomas, ſtante innocentia, planè impoſſibile fuiſſe vult, ut homo moreretur: & in eum finem dicit, animæ vim quandam ſupernaturaliter datam fuiſſe, per quam poterat corpus ab omni corruptione conſervare. Quidam, qui vim illam non concedunt, ſunt tamen in eadem ſententia, id tribuunt tribus potentiſſimis remediis, quibus hominem munierat Deus adverſus tres mortis cauſas vel internas vel externas. Nam 1. contra defectum caloris naturalis aut primigenii humoris, proviſum erat homini non tantum per maximam & promptiſſimam alimentorum ſeu fructuum ſaluberrimorum copiam, quæ nulli homini unquam defuiſſet; ſed ſpecialiter per arborem vitæ, cujus fructus præter vim alendi & nutriendi, vim etiam habuit reparandi humidi radicalis, & in primigeniam puritatem reſtituendi; item corroborandi & redintegrandi caloris nativi. 2. Homo præditus ſumma quadam ſapientia & virtute ſingulari, probè noverat quæ ſibi prodeſſe, & quæ nocere poterant, & qua virtute & affectuum moderatione erat, facillimè ab iis omnibus abſtinuiſſet, quæ ipſi aliquid nocumenti afferre potuiſſent. Contra tertiam autem corruptionis cauſam ab externo principio, præter ſingularem ipſi homini inditam providentiam, aderat ſpecialis Dei cura, & continua quædam protectio &c. quibus præſidiis, abundè ſatis humanæ vitæ, in perpetuum conſervandæ proviſum fuiſſet, ſine qualitate aliqua ſupernaturali, quam Thomas in hominis anima admittebat.

Talem qualitatem neceſſariam fuiſſe non exiſtimamus, nec rejicimus quæ dicuntur de remediis à Deo homini præparatis, tantum hoc dicimus, primo homini naturalia fuiſſe, quæ ad vitam conſervandam & perpetuandam, ipſi fuerunt à Deo conceſſa, ex quorum amiſſione, non ſolum ſupernaturalia fuerunt ablata, ſed & naturalia corrupta: imò & ea quæ jam ſupernaturalia nobis ſunt, Adamo autem naturalia fuerunt, quatenus immortalitatem illam ſpectabant, fuiſſe amiſſa. Non autem in alicujus hominis partis qualitate conſtituimus immortalitatis cauſam, ſed in partium παναρμονίᾳ, ex ordinatione divina.

Merito autem ſententiam Scoti rejiciunt alii Scholaſtici, quia Scripturæ quæ teſtantur hominem non fuiſſe

fuiſſe moriturum niſi peccaſſet, non tantùm ſignificant quid non fuiſſet futurum, verum etiam, quid juxta ordinē rerum à Deo ſemel inſtitutum oporteret non fieri: nempe, ut homo innocens moreretur. Illud enim prudenter animadverterunt; Hominem à Deo non fuiſſe conditum ut creaturam merè ſervilem, ſicut inſtituta eſt brutorum natura, quæ proinde naturaliter & morti ſunt obnoxia, & pro hominum utilitate occidi poſſunt, imò & alia aliis per mortem in uſum nutrimenti cedunt. Sed Deus fecit hominem ad modum Angelorum natura ſua liberum, & aliarum rerum Dominum, atque inſuper indita ipſi juſtitia ſibi creavit amicum. Unde intelligi poteſt, ſic conditum fuiſſe hominem, ut quamdiu in amicitia Dei permaneret, nihil adverſum ei accideret, ſemperque jungerentur hæc duo tanquam nexu indiſſolubili connexa, bonum eſſe, & beatum eſſe; expertem peccati, & miſeriæ. Quam legem Auguſt. ita perpetuam eſſe vult, ut ea ſublata, ordo univerſi deformetur. lib. 1. de lib. arbitrio cap. 6. & lib. 3. cap. 9.

Quod tamen non eſt intelligendum tanquam abſolutè impoſſibile, ſed juxta ordinem à Deo ſemel inſtitutum. Nam ſi de abſoluta Dei potentia loquendum ſit, nemo dubitat quin ita potuerit Deus humanam naturam abſque ulla ejus injuria tanquam totius creaturæ Dominus inſtituere, ut licet homo in anima conſervaret innocentiam, corporis tamen conditione brutis animalibus ſimilis fuiſſet, morti cæteriſque miſeriis non minus quam illa obnoxius. Sed quia nunc teſtatur Scriptura, longè excellentiori dignitatis gradu ſecundum corpus conditum eſſe hominem, ita ut per mortalitatem quam ſibi peccando contraxit, dejectus dicatur longè infra honorem primæ ſuæ conditionis, rectè dicitur id fieri non potuiſſe, poſita prima illa inſtitutione, ſtante innocentia. Rectè itaque Methodius apud Epiphanium in hæreſi Origenis. *Ab immortali Deo, ſimulachrum ejus*, inquit, *in quo ſui excidiſſet imaginem, nonniſi immortale & incorruptibile fieri debuit.* Quapropter Bonaventura ad diſt. 19. lib. 2. Sentent. articulo ſecundo, non veretur aſſerere, impoſſibile eſſe, ut ſimul conſiſtant innocentia & corruptionis pœna, propterea quod ordo divinæ juſtitiæ nullam inordinationem in univerſo ſuſtineat.

Quæ à Scoto & aſſeclis objiciuntur pro abſoluta primi hominis in ſtatu innocentiæ mortalitate, quia ſunt à Socino interpolata, à nobis explicabuntur quando contra Socinum agemus, qui id quidem à Scoto deſumpſit, quod homo in ſtatu innocentię extra peccati rationem, potuit mori: ſed ab eo differt in eo, quod Scotus negavit de tali homine ipſum mortis actum propter contrariam Dei diſpoſitionem, quam non agnovit Socinus, niſi poſſibilem, ſed non actu factam. Et tamen certum eſt, hauſtam eſſe Socini ſententiam ex Pelagianorum & Scholaſticorum lacunis, ut poſteà videbimus.

His poſitis, noſtram ſententiam, quod immortalitas qualis fuit à nobis deſcripta, fuerit primo homini naturalis, id eſt ipſi naturæ indita, & naturaliter propaganda, atque adeò naturæ humanæ ex prima Dei inſtitutione debita, etſi Deus abſolutè loquendo aliter conſtituere potuerit, hoc modo probamus.

1. Ex eo quod anteà Juſtitiam originalem eodem modo naturalem eſſe probavimus. Neque enim negant adverſarii eandem eſſe juſtitiæ & immortalitatis in ea re rationem. Nec fieri poteſt ut φύσει ſanctus ſit, φύσει mortalis; quia (ut videbimus) mors eſt ſtipendium peccati.

2. Ex immortalitate naturali animæ rationalis, nam quod animæ ad immortalitatem conditæ eſſentialiter fuit unitum, illud utique immortale fuit. Tale fuit hominis corpus; ergo immortale ex prima inſtitutione.

3. Firmatur hoc argumentum alio ducto ab animæ rationalis appetitu, Nam illa ſemper appetit eſſe in corpore; unde ſequitur cum hoc ſit ipſi naturale, naturaliter eam potuiſſe finem illum conſequi, ac proinde homini naturaliter competiviſſe immortalitatem, etiam ſecundum corpus.

4. Ab abſurdo. Nam ſequeretur alioquin hominem in primo ſtatu fuiſſe naturâ mortalem. Quia quicquid de parte dicitur, prædicatur etiam de toto. Quare ſi corpus naturâ mortale fuit, cur non etiam homo? præſertim cum mortalitatis & immortalitatis denominatio in homine, à corpore ſemper ſumatur.

5. Si immortalitas homini naturaliter non competit, neceſſe erit animæ aliquid competere præter naturam, ipſique ſummoperè fugiendum, utpote repugnans vehemenrer naturali ejus inclinationi, ſcilicet ut exiguo tantum tempore ſit unita corpori, poſteà autem in æternum extra corpus maneat, quia reſurrectio ſupra naturam eſt.

6. Si immortalitas homini non fuiſſet naturalis ſed ſupernaturalis, ergo non fuiſſet hæreditaria, & per generationem propagata, non enim per generationem propagantur dona ſupernaturalia & extrinſeca. At immortalitatem ſuam Adamus in poſteros propagaſſet. Non ergo fuit immortalitas donum ſupernaturale & extrinſecum.

7. Scriptura ſemper mortem in peccatum refert, nunquam in naturam, ſed in id quod naturam deſtruit. Sic argumentamur. Mors eſt pœna peccati & naturam per ſe deſtruit, ergo contrarium ejus fuit naturale, nempe contraria morti immortalitas.

8. Concilium Milevitanum Canone 1. dicit Anathema iis qui mortem referunt ad neceſſitatem naturæ.

9. Concilium Arauſic. 2. cap. 2. affirmat, eos injuſtitiam dare Deo, qui dicunt mortem corporis ſine morte animæ, hoc eſt ſine peccato, in omne genus humanum tranſiiſſe. Non ergo dici poteſt mors naturalis. Tum enim nulla eſſet in Deo juſtitia, ſi hominem etiam non peccantem permiſiſſet ſubire mortem, quæ ipſi accidiſſet naturaliter.

Quæ in contrariam partem adducuntur argumenta,

 vel

vel ex Scriptura, vel ex ratione, quia ſunt etiam à Socino interpolata, infra à nobis proponentur, & refellentur. Unum Pontificiis ſpeciale eſt, ex commento de puris naturalibus hoc modo formatum.

Si immortalitas eſſet homini naturalis, igitur homines in puris naturalibus conſtituti nunquam eſſent morituri; præſertim ſi permanerent in juſtitia naturali, quam vel in creatione accepiſſent, vel per actus bonos ſibi comparaſſent. Cum igitur in illo ſtatu nunquam ceſſaſſet hominum propagatio, ne aliquando fruſtrà eſſet in humano genere naturalis facultas generandi, neceſſariò futurum erat ut homines magis ac magis multiplicarentur, quibus proinde tandem, orbis terrarum non ſuffeciſſet ad habitationem. Quare ut hoc abſurdum removeatur ab illo purè naturali hominum ſtatu, neceſſe eſt in eo locum facere morti, per quam fiat ut alii aliis ſuccedentibus cedant. Neque enim vitari poteſt hoc incommodum, per tranſlationem hominum ad ſtatum alium feliciorem. Illa enim tranſlatio, & ille ſtatus fœlicior, fuiſſet præter & ſupra ordinem naturæ. Nunc autem de ſolo naturæ ordine nobis ſermo eſt.

Reſp. Totum hoc argumentum niti falſa ſuppoſitione talium naturalium, quæ nec in natura fuerunt unquam, nec futura ſunt. Ut fingitur naturalis quædam beatitudo, extra conſortium regni cœleſtis, quæ omnia ſunt otioſorum hominum figmenta. Nam homo creatus fuit à Deo in tali juſtitia, in qua ſi perſtitiſſet, ad eum ſtatum perductus fuiſſet, in quo fuiſſet extra omnem mutabilitatis aleam conſtitutus. Tunc autem ceſſaſſet generatio, quæ cum à natura ita non pendeat, ut ſine providentiæ divinæ diſpoſitione, ab ea multiplicari poſſit genus humanum, ſi homo non peccaſſet, Deus pro ſapientiæ ſuæ ratione, ita generationem hominum diſpenſaſſet, ut de loci capacitate nulla futura fuiſſet difficultas. Sed, ut diximus, ex falſa ſuppoſitione, nihil certi poteſt inferri. Et abſurdiſſimum eſt, quod fingunt beatitudinem naturalem extra ſtatum juſtitiæ originalis, vel juſtitiæ per Chriſtum reſtitutæ, *quæ conjunctas habuiſſet cum certa expectatione mortis, multas alias hujus vitæ miſerias quæ ne à prudente quidem, & omnibus virtutibus inſtructo homine, præcaveri & averti poſſent.* Id enim eſt beatitudinem imaginari miſeram, id eſt oppoſitum in appoſito.

Exercitatio XX.

Eadem controverſia de immortalitate primi hominis *tractatur, adverſus Socinianos. Status controverſiæ explicatur. Quomodo eorum ſententia, à Pontificiis differat? Dogma eorum de impiis prorſus abolendis, quæ cruciatus infernales tollunt. Diluuntur argumenta Socini ex Prælect. cap. 1.*

Accedimus ad controverſiam contra Socinianos, quæ majoris eſt momenti. Illi enim, quod Pontificii de puris naturalibus docuerunt, arripientes, quæcumque illi ſupra naturam fatentur initio homini fuiſſe indita, hi planè negant; & imaginariam illam conditionem naturalem, quam nunquam extitiſſe fatentur Pontificii, ſolam agnoſcunt Sociniani, qui nihil aliud in primo homine agnoſcunt, præter id quod in aliis hominibus poſt peccatum reliqui eſt; & mortem peccati pœnam impropriè dici ſentiunt; ipſam Pelagii hæreſim renovantes, qui docuit Adamum fuiſſe moriturum, etiamſi non peccaſſet, cum mors ſit de neceſſitate naturæ. Teſte Auguſt. Epiſt. 106. ad Paulinum, & lib. 1. de pecc. meritis & remiſſ. cap. 11. Item, de geſtis Pelag. cap. 11. ubi oſtendit objectum fuiſſe Pelagio, ex iis quæ in doctrina Cœleſtii diſcipuli ſui fuerunt inventa, *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet.* Et *quod infantes nuper nati, in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Eadem Pelagianis tribuit, lib. de Hæreſ. ad *Quod vult Deum*, cap. 88.

Intereſt autem plurimũ ad hanc controverſiam dijudicandam, ut perſpicuè ejuſdem explicetur ſtatus quem Socinus ſæpè occultat, & latebras quærit in ambiguis dictis, aliquando iiſdem verbis ſententiam ſuam explicans quibus uſus eſt Auguſtinus, etſi alio ſenſu ea intelligat.

1. Notandum, cum homo duabus partibus conſtet, anima & corpore, controverſiam hoc loco, animæ immortalitatem non reſpicere. Quamvis enim merito dubitetur de ſententia Socini, quantum eandem ſpectat, expreſſe tamen adverſus Puccium pag. 53. *Maniſeſtiſſimum eſſe* dicit, *in hac quæſtione mortalitatis & immortalitatis primi hominis, de corpore tantum agi, non autem ullo pacto de anima.*

Dixi tamen, merito dubitari de ejus & aſſeclarum ſententia, quantum animam ſpectat. Nihil enim in ejus libris reperitur de animæ immortalitate, poſt diſſolutionem, niſi quatenus fatetur reſurrectionem piorum. Sed cum impiorum reſurrectionem ſatis diſertè neget, & omnimodam eorum *abolitionem*, ſub nomine *mortis æternæ* comprehendat, ſatis colligitur, nullam aliam immortalitatem animarum agnoviſſe, præter eam qua donabuntur cum corporibus per ſingularem gratiam, & vim omnipotentiæ divinæ, nec magis ipſi eſſe immortales animas quam corpora.

Sed hac quæſtione pro tempore omiſſa, expendamus, non quid de unaquaque parte ſeorſim conſiderata, ſed quid de toto compoſito ſentiat. Illum enim controverſiæ ſtatum agnoſcit ipſe contra Puccium, pag. 228. *Quæſtio* (inquit) *eſt de immortalitate hominis hujus concreti, ex anima & corpore conflati. Quando loquor de morte, de diſſolutione hujus concreti loquor.*

Sic

Sic autem proponit adverſarii ſui ſententiam; *primum hominem ita creatum fuiſſe à Deo immortalem, ut quamvis, ſi ipſi Deo non obediviſſet, mortalis evaſurus foret; tamen ante ejuſmodi delictum, eum naturâ à morte immunem fuiſſe, utpote qui in ipſa creatione immortalitate donatus eſſet.* Cui opponit, *Primum hominem, etiam ante quam laberetur, & ex vetita ſibi arbore comederet, naturâ immortalem non fuiſſe, ſed naturaliter, etiam citra impendens aliquod periculum, morti jam tum fuiſſe ſubjectum.* Hæc ille pag. 57. Quibus verbis, nihil aliud videtur aſſerere, præter id quod ex Pontificiorum ſcriptis ſupra attulimus: illi enim negant primum hominem *naturâ*, fuiſſe immortalem, etſi fateantur per gratiam naturæ additam, immortalem fuiſſe, eo modo, quo *immortalis* dicitur qui poteſt *non mori*, & qui reipſa non morietur, poſita innocentiæ conditione.

Socinus etiam non videtur immortalitatem illam ex gratia negare velle, utpote qui fateatur, contra Puccium, ſæpè, & Theol. prælect. cap. 1. p. 2. *Potuiſſe Adamum, ſi non peccaſſet, quamvis natura mortalis, à morte Dei beneficio conſervari: vel ſi mortuus fuiſſet, in vitam aliquando revocari, atque immortalis fieri.*

Quæri poteſt ergo an nihil interſit, inter Socini & Pontificiorum ſententiam,& an utrique *naturæ* vocem, ſimili modo accipiant. Quod ſi ita eſſet, fruſtrà ſententias eorum diſtinxiſſemus, nec illi etiam haberent quid Pelagio poſſent objicere, adverſus quem tamen ſtylum ſtringunt, & argumentis certant iiſdem quibus refelli poteſt Socini ſententia.

Eſt itaque animadvertendum in multis differre Socini ſententiam, à ſententia Pontificiorum, etiam Scoti, ad quem propiùs acceſſit. 1. In vocis *naturæ* acceptione. Vidimus enim ſupra multis modis Pontificios fateri immortalitatem primo homini fuiſſe naturalem, quia naturæ conveniens, quia ad eam fertur appetitus hominis naturalis, quia in poſteros per generationem propaganda; quia initio in creatione & nativitate ipſa homini fuit indita: Tantum id negant, fluere à principiis naturæ (quod ambiguum eſt) & naturæ fuiſſe debitam, quod etiam æquivocè dicitur, ſed ut omnis æquivocatio tollatur, negant, immortalitatem illam, quam fatentur Adamo in creatione fuiſſe conceſſam, *pertinuiſſe ad integritatem & perfectionem naturæ humanæ, ſecundum ſuam conditionem & gradum*; ita ut natura humana imperfecta ſit aut fuerit, poſtquàm peccando amiſit juſtitiam & immortalitatem, quod nos dicimus, & plerique eorum negant; etſi nonnulli id admittant: Sed omnes in eo nobiſcum conſentiunt, quod in ipſa creatione Adam immortalis factus fuerit, & mortalis poſteà interveniente peccato evaſerit. Primum illud, voluerunt fuiſſe gratiam ſupra naturam accedentem; nos gratiam ipſi naturæ communicatam, & ad perfectionem & benè eſſe ejus neceſſariam.

At Socinus eſt in contraria ſententia, etiam Pontificiorum reſpectu. Ille enim diſertè negat, *ab ipſo creationis initio*, hominem fuiſſe immortalem, & pro eodem ſumit hæc duo, *naturâ*, & *ab ipſo creationis initio.* Non enim ut Pontificii *naturam puram*, gratiæ opponit, ſed initium creationis, & naturam pro eodem ſumit, negatque (contra Scholaſticorum ſententiam) Adamum ALICVIVS GRATIÆ munere, *in ipſa creatione donatum fuiſſe, quo à morte perpetuò immunis eſſet.*

Ideò, cum dicit, Adamum *potuiſſe*, ſi non peccaſſet, à morte conſervari, id non intelligit de aliqua poteſtate, aut poſſibilitate, conceſſa Adamo, in prima illa conſtitutione, ita ut in manu ejus fuerit, ut non moreretur; quod Pontificii concedunt: Sed id intelligit de poteſtate Dei, qui, etſi hominem mortalem creaſſet, imò qui reipſa moreretur, potuerit tamen, ſi non peccaſſet, eum à morte conſervare; quam eſſe Socini ſententiam, quæ ſequuntur ibidem confirmant, cum addit, *vel ſi mortuus fuiſſet, in vitam aliquando revocari,* quæ verba manifeſtiſſimè de eo quod Deus poterat, non de poſſibilitate homini conceſſa per aliquam gratiam, quæ per peccatum amiſſa fuerit, intelligenda ſunt.

Quod ſi ſæpè repetat illud Socinus, quod ab Auguſtino benè dictum, à Scholaſticis etiam uſurpatum fuit, diſtinguendum eſſe inter *mortalitatem*, *& moriendi neceſſitatem,* quarum primam habuerit homo ante peccatum, ſecunda autem per peccatum invecta ſit; longè alio ſenſu id intelligit & explicar. Senſus Auguſtini fuit, *Mortalitatem* homini à natura fuiſſe,quia talis erat corporis natura, ut conſtaret humoribus ac elementis contrariis; *mortis* autem *neceſſitatem* etſi conſecutura fuiſſet per naturam corporis, tamen per divinam conſtitutionem, fuiſſe ſublatam, quod Scholaſtici dicunt *per gratiam.* Illis enim, qui conditione materiæ mortalis erat, idem beneficio creatoris erat immortalis. At negant Sociniani beneficium illud & inſtitutionem divinam. Sic enim adverſus Grotium Crellius Socini Hyperaſpiſtes. *Non eſt.* (inquit) *ſimpliciter & abſque diſtinctione concedendum, quod Grotius affirmat, ex decreto diuino non moriturum fuiſſe hominem, ſi in innocentia perſtitiſſet, niſi decretum hujuſmodi, aut aperta ejus argumenta, ex Scriptura proferat.* Diſtinguit autem ibidem, inter mortem æternam neceſſariamque, & temporariam; & temporariam, in eam quæ prorſus eſt naturalis, & eam, quæ aliqua ratione violenta eſt, aut præmatura; cum qua conjungere licet vitam miſeram, variaſque ærumnas & afflictiones, quæ illius ſolent eſſe cauſſæ, &c. Hac diſtinctione poſita, concedit affirmari poſſe *de morte æterna & ſimpliciter neceſſaria, eam non ſubiturum fuiſſe hominem, ſi in innocentia perſtitiſſet*; De morte violenta *generatim etiam id concedi poſſe, non de omnibus in univerſum facile aſſerendum; Quod ad mortem vero naturalem attinet quæ tum demum advenit, cum eo uſque vita producta eſt, quouſque naturæ-*

naturæ vi, omnibus iis quæ Deus ad vitam ſuſtentandam dedit, adminiculis adhibitis propagari poterat, quæque non ex externarum cauſſarum violentia, ſed ex ipſa natura ob mortalitatem ingenitam, & terreni corporis concretionem paulatim deficiente exiſtit, hanc, ex Dei decreto nulli hominum, ſi in innocentia perſtitiſſent, eventuram fuiſſe.

Ex quibus liquet, Socinum non idem docuiſſe, cum patribus vel Scholaſticis, qui dixerunt, mortalitatem homini naturalem fuiſſe, neceſſitatem autem moriendi per peccatum invectam fuiſſe. Nihil aliud enim voluerunt, præter id, quod diſſolutio illa naturalis corporis & animæ, eſſet quidem poſſibilis natura, ſi corporis conſtitutionem & compoſitionem quis ſpectet: id eſt, hominem potuiſſe mori, morte, quam naturalem appellat Socinus: reipſa autem moriturum non fuiſſe, niſi peccaſſet. Imò (ut vidimus) planè negarunt ſaniores Pontificii potuiſſe hominem mori, niſi interveniente peccato, cui non ſolum neceſſitatem, ſed etiam poſſibilitatem moriendi, ſeu potentiam propinquam adſcribunt.

Hæc, quam longè diſtent à Socini ſententia, ex iis quæ attulimus liquet abunde. Nam cum Socinus diſtinguit, inter *mortalitatem* & *moriendi neceſſitatem*, ambiguo ludit. Ille enim per *moriendi neceſſitatem*, non intelligit neceſſitatem naturalem diſſolutionis animæ & corporis, quam ille *mortalitatem* appellat, atque ita apud eum nihil intereſt inter mortalitatem, & ipſam mortem naturalem: Sed per moriendi neceſſitatem, intelligit *mortem æternam*, quam ſolam eſſe propriè pœnam peccati contendit, id eſt talem animæ & corporis ſeparationem, quæ perpetua ſit. Quo ſenſu, qui reſurgere debent in extremo judicio, neceſſitati moriendi, apud Socinum, non fuerunt obnoxii, ſed mortalitati ſolum naturali ſubjecti. Verba ejus ſunt, Prælect. cap. 1. *Niſi* (inquit) *nobis novus Dei favor adſit* (nempe poſt peccatum) *neceſſe eſt omnino ut omnes moriamur, & in ipſa morte maneamus. Neque enim is aut neceſſariò aut verè moritur, qui aliquando in vitam revocandus eſt.* Ex quo ſequitur, ſi Adam non peccaſſet, & nulli homines peccaſſent, omnes tamē homines morituros fuiſſe, morte naturali, & hominis corpus in cineres fuiſſe redigendum; ſed à moriendi neceſſitate nihilominus liberos homines fuiſſe futuros, quia in morte non remanſiſſent, ſed ad vitam revocati fuiſſent per reſurrectionem: quo ſenſu hoc tempore fideles, qui naturæ debitum perſolvunt, eidem Socino, non ſunt *obnoxii neceſſitati moriendi*, quia ad vitam ſunt revocandi per reſurrectionem: Sed impii & infideles tantùm, qui in ipſa morte manebunt. Ex quibus detegitur, execrandum ejuſdem Socini dogma, de impiorum *annihilatione & abolitione tam corporis quam animæ*, in quo propriè mortem conſtituit; qua æternos cruciatus, infernum, & omnem ſenſus pœnam abolet, & de impiis hominibus, & judicio Dei adverſus eos, nihil aliud docet, quam quod de brutis animantibus. Hujus erroris deteximus fundamentum hoc loco, quem alibi ita inſinuat, ut tamen palàm non enunciet, aliquando etiam videtur negare, ſed pro more ſuo ambiguè & veteratorie, ita ut ſemper rimam ſibi ſervet. Nam cum Puccius ei objeciſſet, *ſe non latere ab ipſo negari animarum immortalitatem, præterquam Chriſtianorum.* Ubi, ſi fuiſſet in contraria ſententia, quod ſolet, accuratè conatus fuiſſet ſe purgare: id tantum ſubjicit. *Quomodo* (inquit) *id dicere audes, cum in initio ferè cap. 6. hæc verba tute ſcripſeris*, Præterea dicesne Angelos & animas noſtras mortales quoq; eſſe? *Nonne ex verbis tuis his perſpicuum eſt, tantum abeſſe, ut ſcias me animas hominum mortales eſſe ſtatuere, ut potius omnino putes, me una cum cæteris pleriſq; Chriſtianis, eas non minus quam Angelos immortales eſſe non negare.* Ubi notanda eſt hæretici impuriſſimi verſutia. Nam cum id debuiſſet diſertè affirmare, ſi in ea ſententia fuiſſet, animas eſſe planè immortales, etiam impiorum; ille tantum negat Puccium ſcire ſe eſſe in contraria ſententia, & affirmat eum putare, ſe idem ſentire cum reliquis Chriſtianis, ita ſubdole reſponſionem eludens, à qua abhorrere ſentiebat omnium verè Chriſtianorum mentes. Neque id ſane neſciebat Puccius, qui id objecerat, tanquam ſibi exploratum; ſed quia id à Socino hauſerat in privatis colloquiis, volebat hac interrogatione, *dicesne Angelos & animas noſtras mortales quoque eſſe?* eum ex latebris ſuis in apertum confeſſionis campum deducere, quod ille cum ſentiret, nec planè negare vellet quod res erat, arte veteratoria, quæſtionem declinavit, & eluſit. Qua de re in Epiſt. 5. ad Volkelium ſic ipſe loquitur. *Velim autem ſcias, me duplici de cauſſa, præter eam quam ipſe commemoras, ab iſta quæſtione de animæ immortalitate ibi abſtinuiſſe. Nam & mihi res erat cum homine qui me calumniandi, inque omnium invidiam vocandi, occaſionem quærebat; nec dum mihi quid de iſta quæſtione ſtatuendum ſit planè exploratum erat, quemadmodum nec hodie quidem eſt. Tantùm id mihi videtur ſtatui poſſe, poſt hanc vitam animam ſive animum hominis, non ita per ſe ſubſiſtere, ut præmia ulla pœnaſve ſentiat, vel etiam iſta ſentiendi ſit capax, quæ mea firma opinio, facilè poteſt ex diſputatione iſta colligi, cum ex multis, quæ identidem dicuntur, tum verò ex ipſa, de qua præcipuè agitur ſententia mea.* Poſteà, Epiſt. 6. ad eundem, dum reſpondet de editione libri contra Puccium, quam Volkelius non probabat, ſic ſcribit: *Nam quod ais, ea ibi, tum de Chriſtianorum reſurrectione, tum de morte impiorum paſſim contineri, quæ à multis ſine magna offenſione, tum noſtris, tum alienis, legi non poſſunt, ſcio equidem iſta ibi contineri, ſed, meo judicio, nec paſſim, nec ita apertè (cavi enim iſtud quantum potui) ut quiſquam vir pius facilè offendi poſſit, adeo ut, quod nominatim attinet impiorum mortem, in quo dogmate majus eſt multò offenſionis periculum, ea potius ex iis colligi poſſit, quæ ibi diſputantur, quam expreſsè literis conſignata extet, adeo ut lector, qui alioqui ſententiam meam adverſus*

Puc-

Puccium, de mortalitate primi hominis, quæ toto libro agitatur, quæque ob non paucos quos habet fautores, parum aut nihil offenſionis parere poteſt, probandam cenſeat, prius ſentiat doctrinam iſtam ſibi jam perſuaſam eſſe, quam ſuaderi animadvertat. Intelligit autem doctrinam, de omnimoda impiorum, ratione corporis & animæ, abolitione, quam diximus ab eo *mortis neceſſitatem*, ambigua phraſi, appellari. Gemina planè Socino ſcribunt collocutores Racovienſes, ex quorum manuſcriptis citantur à quibuſdam verba, quibus eandem methodum obſervant, ut potius impietatem illam inſinuent quam apertè prodant. *Cautè*, inquiunt, *de hac re agendum eſt, quemadmodum & ipſe Chriſtus & Apoſtoli ſe ad captum populi accommodarunt, ut parabola de Lazaro & divite docet, &c. Sic & interdum, poſſunt quædam dici quæ hanc ſententiam hominibus indicent, donec tandem matureſcat ætas, & homines hiſce loquendi modis aſſueſcant.* Hæc citat Gerardus tractatu de morte, pag. 253. Eorum autem ſententia, quam obſcurè proponunt, talis eſt; quod nempe *anima hominis una cum corpore extinguitur, immortalis autem vocatur, quia per reſurrectionem homo revicturus eſt*, ſed id de piis tantum intelligunt, nam impiorum reſurrectionem aut diſertè negant, aut principia ponunt ex quibus talis infertur negatio. Quum autem fatetur aliquando Socinus, hominis animam poſt mortem manere, is in vocabulo *animæ* ludit, quo non intelligit humanam mentem quam per ſe ſubſiſtere poſt ſeparationem credimus; ſed hominis pii vitam, quæ manere dicitur figuratè, *quia vivere apud Deum is dici poteſt & debet* (inquit Socinus) *qui aliquando in vitam, eamque immortalem, ab ipſo omnino revocabitur.* Quo pacto interpretatur Chriſti dictum, *non eſt Deus mortuorum ſed viventium,* non quod viverent Patriarcharum animæ ſeparatæ, ſed quod eorum vita in poteſtate Dei eſſet: quo modo etiam pervertit locum Eccleſ. 2. ℣. 7. *donec ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Ubi intelligit non animam rationalem, ſed vim vivendi, *quæ per ſe nullo modo ſubſiſtit, & ad Deum redire dicitur tanquam omnis vitæ fontem, cum ab eo cui data fuerat, recedit,* contra Puccium, pag. 79. Ideò, paulò ante negabat hominem mortuum *dormire* & hoc in Scriptura dici, in præſenti, quia ſi ita eſſet, qui dormirent extarent; dici autem in præterito *obdormiviſſe.* Addit autem, *ſi millies ipſum hominem obdormiviſſe in ſacris literis ſcriptum extaret, ſciendum eſſe per tranſlationem metonymicam ea dici obdormiſcere, quæ prorſus intereunt.* Sic enim ille dum cavet ne apertè quod ſentit pronunciet, diligenter laborat, ut quæcumque teſtimonia ex Scriptura afferuntur pro immortalitate animæ, eludat. Sed quid opus eſt pluribus, poſtquam ſine ambagibus profeſſus eſt, *opinionem ſuam firmam eſſe,* animam hominis poſt ſeparationem, nec ſenſus gaudii vel præmiorum, nec pœnæ eſſe capacem. Hoc enim ſatis eſt innuere animam non eſſe, & per conſequens mortalem eſſe. Itaque, quanquam Feuardentius ſæpè mentiatur in aliis, facile credo quod in notis ſuis ad Irenæum lib. 3. cap. 53. ex Jeſuita Jurgevicio citat, Anno 1589, quendam Miniſtrum Anabaptiſtam, nomine Domonovvski in publica cum Jeſuitis diſputatione dixiſſe, *animam cum corpore interire. Alterum autem Budnæum nomine, hac de re interrogatum quid ſentiret, reſpondiſſe, rem eſſe dubiam & ſub judice adhuc litem pendere.*

His poſitis, ut ad quæſtionis noſtræ ſtatum conſtituendum redeamus, patet talem eſſe contra Socinum; non, An immortalitas fuerit primo homini naturalis; ſic enim ſupponeretur primo homini aliqua collata immortalitas, ſed ſupra naturam, quod Pontificii ſentiunt. Sed abſolutè, an primo homini immortalitas aliqua fuerit collata? Id planè negat Socinus. Affirmat contrà, hominem in ſtatu innocentiæ creatum fuiſſe mortalem, & talem ipſi mortalitatem fuiſſe naturalem, quam animæ & corporis ſeparatio ſequuta fuiſſet, id eſt, obnoxium fuiſſe hominem ſeu ſubjectum morti temporali: per peccatum autem id accidiſſe, quod obnoxius fuit morti neceſſariæ, ſeu (ut vocat) neceſſitati moriendi, id eſt, perpetuæ morti, in qua impii manebunt quià non reſurgent; non manſiſſet autem primus homo, nec cæteri homines extra ſtatum peccati, quia etſi mortui fuiſſent, tamen per reſurrectionem revixiſſent. Socino autem, *neque neceſſariò neque verè moritur, qui in vitam revocandus eſt.* Itaque ut paucis quod res eſt dicamus, nihil aliud concedit hominibus ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent, quam hoc tempore cuilibet verè Chriſtiano, de quo ex Theologia Socini dicere poſſumus, quod mortalitati quidem eſt obnoxius, non mortis neceſſitati; id eſt, quod morte temporali debitum naturæ perſolvet, non tamen morietur in perpetuum, ſed reſurget à morte. Quod contrà, ex ejuſdem hypotheſibus negandum eſt de impiis, aut à Chriſto alienis.

Ergo ut directè contra Socinum agatur, probandum eſt, mortem illam quam *primam* vocat Scriptura, quam *mortalitatem* appellat Socinus, quam *temporariam* mortem dicit Crellius; quam alii *naturalem* vocant, & in corporis & animæ diſſolutione ſita eſt, à primo hominis ſtatu, durante innocentia, fuiſſe alienam; quod ſi probatum demus, inde ſequetur, creatum fuiſſe Adamum immortalem, ea immortalitate, qua potuiſſet non mori, imò qua non potuiſſet mori ſtante innocentia.

Habet ille ad ſuam opinionem argumenta quæ à Pontificiis etiam afferuntur, pro ſuis puris naturalibus, ut oſtendant hominem naturâ morti fuiſſe ſubjectum; quæ Socinus cap. 1. prælectionum ſuarum interpolata propoſuit, quorum inſtituemus examen, priuſquam ad ſententiæ orthodoxæ probationem & confirmationem accedamus. Argumenta ſua, quæ in libro contra

Puccium fuſè perſequitur, cap. 1. ſuarum prælectionum contracta, ad ſeptenarium numerum revocavit.

Primum ſic inſtituit, Adam ante peccatum, liberis procreandis ab ipſo conditore deſtinatus fuerat, Geneſ. 1. ℣. 18. Qui autem immortales ſunt, liberos non procreant, dicente Domino Jeſu, eos qui futuri ſeculi, & reſurrectionis ex mortuis participes erunt, nuptias ideo non contracturos, quia amplius mori non poterunt. Luc. 20. ℣. 35. & 36. ex quo ſic poteſt argumentum componi. Quicumque proli gignendæ ab ipſo Deo in creatione fuit deſtinatus, is mortalis fuit. Aſſumptio de Adamo vera eſt, ergo concluſio. Majorem autem ex dicto Chriſti probari putant, quia rationem hanc addit cur in reſurrectione non nubent, quod mori non poterunt; ex qua videtur, nuptias non eſſe neceſſarias, ubi eſt immortalitas. Idem argumentum perſequitur Socinus contra Puccium pag. 250. ubi ait, non decere eos qui immortales ſunt, per procreationem multiplicari. & alibi ſæpè.

Hujus argumenti majorem negamus abſolutè ſumptam, & de ea immortalitate quam circumſcripſimus, nempe quæ planè non ſit immutabilis, de qua Dominus noſter agit contra Sadducæos. Agit enim de immortalitate gloriæ, quam fatemur reſpuere omnem propagationem & generationem; alia eſt ratio immortalitatis ſtatus innocentiæ. Confert autem Chriſtus, non ſtatum innocentiæ, cum ſtatu reſurrectionis; ſed ſtatum peccati & corruptionis, quo, propter mortem multorum maritorum ſuccedentium, una & eadem uxor pluribus ſucceſſivè nubebat. Ergo limitanda eſt ratio quam Dominus affert pro ſubjecti conſideratione, nempe ad eos referenda qui ἁπλῶς ſunt immortales. Deinde intelligenda eſt de procreatione & nuptiis neceſſariis ad conſervationem ſpeciei: tum enim certum eſt ubi eſt immortalitas, ibi talem procreationem non eſſe neceſſariam. Alia ratio eſt de procreatione ad multiplicationem individuorum, quæ fuit neceſſaria in eo ſtatu, in quo pauci homines erant, ut *ex uno ſanguine, omne genus hominum Deus faceret*. Act. 17. v. 26. Prætereà, non dixit Dominus, non nubent, *quia non morientur*, ſed quia *mori non poterunt*. Ratio igitur quam Dominus affert non ſpectat immortalitatem innocentiæ, quia non talis erat, in qua homo mori abſolutè non poſſet, ſed conditionaliter tantùm. Si Chriſtus dixiſſet, non nubent, *quia poterunt non mori*, eadem eſſet conſequentiæ ratio: ſed non ita eſt. Peccat ergo adverſarius à dicto ſecundum quid, ad ſimpliciter, & ab ignoratione elenchi. Uno verbo. Chriſtus agit de ſtatu immutabili; generatio autem competit ſtatui, quem mutabilem fatemur; quamvis etiam verum ſit, talem mutationem quam mors conſequatur, ei ſtatui non fuiſſe neceſſariam, quod ad omnes Socini cavillationes refutandas ſufficit.

Secundum argumentum adverſarii ex eo ſumitur, quod ubi immortalitas eſt, ibi eſcis ciboque non eſt locus. At primus homo eſcis & cibo utebatur ante lapſum: ergo primus homo ante lapſum mortalis fuit, & mortuus fuiſſet. Probat majorem ex 1 ad Corinth. 6. ℣. 13. ubi Paulus ait, *eſca ventri & venter eſcis, Deus autem & hunc & has deſtruet*. Nam quando id fiet? (inquit) *nempe* cum moriemur, & in perpetuum ſic erit, &c. Inde infert, cum immortalitate & incorruptione, neque ventrem neque eſcas aliquid habere commune. Reſp. per negationem majoris abſolutè ſumptæ. Falſum enim eſt, ibi non eſſe locum immortalitati, ubi uſus eſt cibi & potus. Id quidem de immortalitate abſoluta, qualis Dei eſt, vel immutabili, qualis eſt Angelorum & beatorum verum eſt; ſed non de immortalitate illa conditionata, conjuncta cum moriendi potentia, etſi remota. Ad talem immortalitatem, ordinatus fuit cibi & potus uſus, quibus, juncto arboris vitæ ſubſidio, Deus procuraſſet ordinario modo conſervationem hominis, donec deſtructo ventre & cibis, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad uſum, ſtatum hominis, in innocentia & ſanctitate perſeverantis, immutaſſet in ſtatum glorioſum. Eſt ergo in majoris probatione ambiguitas in vocabulo ventris, quod non ſignificat ipſum ventrem ſeu ventris ſubſtantiam, ſed uſum ventris ipſius pro ratione animalis vitæ, id eſt, ipſam nutritionem. Imò ſic inverti poteſt argumentum; ubi eſt talis ciborum uſus, & tale temperamentum corporis, in quo nulla fit deperditio, quæ non integrè reſarciatur, ibi poteſt conſervari vita in perpetuum: talis cibus fuit & tale temperamentum in primo hominis ſtatu. Ergo. Locus autem Apoſtoli, Deus *deſtruet ventrem & eſcas*, ſi accipiatur pro ipſa ventris natura aut ſubſtantia, intelligendus erit de ſtatu peccati & mortalitatis, quo in ſtatu non negamus deſtructum iri ventrem cum eſcis. Sed id nihil facit ad primam hominis conſtitutionem. Concludimus itaque, immortalitatem competere tam corpori animali in ſtatu integritatis, quam ſpirituali in ſtatu gloriæ. In ſtatu animali integro, uſum ciborum fuiſſe ſubordinatum, non repugnantem immortalitati. In ſtatu autem gloriæ, uſum ciborum & immortalitatem repugnare. In ſtatu peccati, uſum ciborum corruptionem, & mortis ſeu diſſolutionis neceſſitatem ſimul eſſe; quæ cum adverſarius non diſtinguit, omnia confundit, & ſæpè ſine adverſario pugnat.

3. Qui habuit (inquit) corpus animale, idem habuit corpus mortale. Homo in ſtatu innocentiæ habuit corpus animale, ergo mortale. Majorem probat ex cap. 15. 1 ad Corinth. verſ. 44. ubi Apoſtolus corpus animale illud vocat, quod priùs vile, corruptibile & mortale appellaverat. idque à ſpirituali planè ſecernit, quod idem eſt, ut ex antecedentibus patet, quod glorioſum, incorruptum & immortale. Reſpond. Sermonem ibi eſſe de Adamo, non qualis erat in ſtatu integritatis, ſed potius qualis fuit poſt lapſum. Nam ante lapſum, cum adhuc integer eſſet, non habuit corpus animale aut ψυχικὸν, quo ſenſu vocabulum illud Apoſtolus uſurpat,

quia

quia tale corpus, teſte eodem Apoſt. ℣. 42. & 43. eſt ἐν φθορᾷ, ἐν ἀτιμίᾳ, ἐν ἀσθενείᾳ, non enim potuit dici corpus primò à Deo conditum, *ignominioſum*; quale eſt tantùm in ſtatu peccati & miſeriæ, qui apertè ab Apoſtolo deſcribitur. Confirmat reſponſionem noſtram, quod ubi Adamus opponitur Chriſto, ibi non in ſtatu integritatis ſed peccati, conſideratur, quia neceſſariò non, Sanctus Sancto; ſed peccator Sancto, & ſanctitatis autori Chriſto, opponitur. Inſtat Socinus, Apoſtolum ℣. 45. dicere primum Adamum factum fuiſſe in animam viventem, ut inde probet, eum habuiſſe corpus animale. Adamus vero, non modo poſtquàm peccavit, ſed in ipſa creatione factus fuit in animam viventem; Geneſ. 2. v. 7. Reſpondemus, negando, id ab Apoſtolo afferri, ut probet primum Adamum habuiſſe corpus animale, eo quo dictum eſt ſenſu; ſed tantùm ut oſtendat non habuiſſe corpus glorificatum & quod non potuiſſet mori, quod ſatis eſſet ad oppoſitionem. Ergo non ſignificatur in his Scripturæ locis, mortalitas primi hominis ea, qua eum mori reipſa neceſſe fuiſſet, ſed tantùm ſignificatur diſcrimen ſuperius datum, inter immortalitatem primi hominis, & eorum qui participes futuri ſunt beatæ reſurrectionis. Quod ut intelligatur, breviter explicabimus utriuſque Scripturæ verba, & notabimus in iis eſſe partim Ebraicam phraſim, partim ſynecdochen. Dictum eſt enim ex linguæ Sanctæ idiotiſmo, *factus eſt in animam viventem*, pro eo quod diceretur factus eſt *anima vivens*; ut alibi, *ero illi in Patrem*, id eſt, *ero illi pater*. Eſt vero Synecdoche in eo quod *anima* pro *animali* poſita eſt, ut ſit ſenſus Adamum factum eſſe in *animal vivens*, quia victurus erat anima vegetativa, quam conſervari ciborum uſu neceſſe fuiſſet. Quamvis autem talibus verbis homo non diſtinguatur à brutis animantibus, ſed ei tribuatur quod cum illis habebat commune, ſatis tamen per alia, tam antecedentia quam ſequentia, ab iiſdem diſtinguitur, & maxime (quantum ad rem præſentem attinet) per illud, *in quacunque die comederis, morte morieris*: quæ verba oſtendunt non ita eum fuiſſe factum in animam viventem, ut mori eum neceſſe eſſet, ſive peccaret, ſive non; ſed potius mori non poſſet ſi non peccaret. At potior fuit ſecundi Adami, id eſt, filii Dei, qui *ſecundus Adam* dicitur, quia fuit generis humani inſtaurator, conditio & ſtatus. Is enim per ſuam reſurrectionem, non ſolum ab omni ignominia & infirmitate liberatus fuit, in quo diſtat ab Adamo in ſtatu peccati; ſed tali vita donatus fuit per ſpiritum ejus qui excitavit eum à mortuis, quæ non penderet ab anima vegetativa, nec opus haberet alimento ad perpetuationem ſuam (quod neceſſarium fuit primo homini) ſed ſpirituum in morem, ſine alimento, in æternum viveret. Ita manet oppoſitio ſecundum duos hominis in hac vita ſtatus; nec præjudicat tamen ei immortalitati quam Adamo tribuebamus. Itaque verba illa, *factus eſt in animam viventem*, non pertinent ad ſtatum infirmitatis & ignominiæ, quem primo deſcripſit Apoſtolus, ſed tantum ad deſcriptionem ſubjecti, quod in talem ſtatum, ſua culpa ſe præcipitem dedit: ut ſi dicerem peccatum eſſe ingreſſum in mundum per illum hominem, quem Deus è terra formavit, & cui indidit animam viventem, poſteriora illa verba, non proponerentur à me tanquam cauſæ cur in peccatum lapſus eſſet, ſed ut deſcriberem ſubjectum, cui id accidit. Subjectum tamen δεκτικὸν capax, & cui id potuerit accidere, quale ſubjectum non eſt amplius homo glorificatus. Sic homo factus in animam viventem, fuit ſubjectum capax miſeriarum & mortis, etſi actu miſeriis & morti non fuerit obnoxius, donec per peccatum malum illud ſibi accerſiviſſet.

4. Primus homo etiam ante peccatum, jam erat terrenus, quippe qui è terra formatus erat; ſed nos in eo quod morimur & corrumpimur, imaginem terreni hominis, quatenus terrenus erat, portamus. Argumentum ſic formatur, qui terrenus eſt, aut è terra formatus, naturâ mortalis eſt; primus homo fuit terrenus, aut è terra formatus: ergo mortalis. Probatur aſſumptio ex eodem cap. 15. 1 ad Cor. ℣. 47. Reſp. per diſtinctionem majoris, qui terrenus eſt & è terra formatus, mortalis eſt, ſi totus ſit terrenus vel è terra. Adam erat terrenus quoad corpus tantùm, non ratione partis principalis. Ergo dicendum, duplicem eſſe hominis conſiderationem, in concreto & abſtracto. Etſi ergo corpus in abſtracto conſideratum & per ſe, δυνάμει mortale fuerit; tamen in concreto conſideratum, animæ rationali hominis ad imaginem Dei conditi eſſentialiter unitum cum eſſet, actu ipſo immortale fuit, ſtante innocentia & integritate concreata. Addimus, in voce *terreni*, latere homonymiam, quia vox illa apud Paulum, non ſignificat primò & per ſe, mortalitatis qualitatem, ſed primam corporis originem; id quod ex antitheſi colligitur, ubi *Dominus de cœlo* dicitur. in quo etiam notatur differentia immortalitatis primi & ſecundi Adami, quia talis erat primus Adam, qui è terra ſumptus, etſi immortalis ex hypotheſi factus, in terram tamen, hypotheſi ſublata, poterat reverti; ſecundus autem Adam de cœlo, nunquam poterat mori; ut dictum fuit. Ad id igitur quod objicit adverſarius, fuiſſe Adamum *terrenum* etiam ante peccatum, dicimus, terrenum fuiſſe 1. ratione originis corporis, quia de terra, 2. ratione incolatus ſui, quia in terra. In quo opponitur cœleſti Adamo. Sed inde non poteſt inferri mortalitas actu; atque ita negamus, terrenum & mortalem coincidere aut converti, in primo ſtatu. Sed tantùm convertuntur, *terrenus peccator*, & *mortalis*. Talis non fuit Adam ante peccatum.

5. Objicit, ſi immortalis homo conditus fuiſſet, fruſtrà traditus fuiſſet ei ad comedendum fructus arboris vitæ. Ei enim qui natura immortalis eſt, non opus eſt ſubſidiis ad vitam conſervandam. At non fruſtra commendavit Deus homini fructum illius arboris, ergo non

fuit conditus immortalis. Reſp. Per negationem connexi majoris. Ad probationem quod attinet, concedimus de abſoluta immortalitate verum id eſſe, quod ad eam conſervandam, ſubſidiis non ſit opus: Sed verum non eſt de immortalitate ex hypotheſi obedientiæ, & ſubſidiorum à Deo conceſſorum. Invertimus ergo argumentum. Is cui Deus conceſſit uſum arboris vitæ, fuit immortalis. Talis fuit Adam. Ergo. Probatur major, quia, ſive dicamus cum nonnullis, arborem vitæ habuiſſe vim aliquam naturalem atque occultam hominis vitam conſervandi, vires vegetas præſtandi, à debilitate, item & ſenio eum præſervandi; ſive eidem Sacramentalem tantum vitæ immortalis ſignificationem, & obſignationem quamdiu in ſtatu innocentiæ eadem uſus fuiſſet homo, tribuamus, cum aliis; ſive quod alii voluerunt, lignum illud, eam vim habuiſſe cenſeamus, ut vel ſemel guſtatum, perfectam afferret immortalitatem, ideò nec guſtandum fuiſſe, niſi cum transferendi eſſent homines ad ſtatum gloriæ (quam tamen ſententiam minus probamus) quicquid dicatur, ſequetur ſemper ea immortalitas quam homini adſcribimus, non quidem talis, quæ neque cibis, neque externis mediis opus habuiſſet, ſed qua utendo mediis à Deo inſtitutis, & præſertim à peccatis abſtinendo, vitam in perpetuum potuiſſet conſervare. Immortalem enim dicimus Adamum fuiſſe, ob non moriendi potentiam, & conditionatè, ſi nempe non peccaſſet, & mediis à Deo conceſſis, ſemper, & convenienter uſus fuiſſet, & cum primis fructu arboris vitæ, quem ſi neglexiſſet, hoc ipſo peccaſſet contra Dei ordinem, & in mortem ex peccato incidiſſet, non tamen ex conditione naturæ, ſed ex ordinis divini transgreſſione.

6. Argumentatur ex cauſarum mortis conſideratione, hoc modo; Poſitis omnibus efficientibus cauſis mortis, ponitur effectus. Sed omnes cauſſæ efficientes noſtræ mortalitatis ſive in nobis, ſive extra nos ſint, ante quam Adamus peccaſſet in ipſo erant; ergo & mortalitas; proinde mortalis fuit naturâ. Reſpondemus ad majorem, per ejuſdem limitationem, tum demum poni effectum, poſitis cauſis efficientibus in actu & non impeditis. Ad minorem deinde dicimus, cauſam mortalitatis in corpore hominis fuiſſe quidem potentia remota, ſed in actu nunquam fuiſſe futuram ſi homo non peccaſſet, & ſemper ejus effectum impediendum fuiſſe, ob rationes anteà allatas. Ergo non ſufficit cauſſas mortis internas & externas materialiter fuiſſe, ſi formaliter in actu non extiterint, id quod de primævo hominis ſtatu dici nequit, in quo humores nec quantitate nec qualitate peccaſſent, nec calor naturalis humidum radicale penitus abſumpſiſſet, nec corpus hominis externis injuriis patuiſſet, adverſus quas Deus eum ſufficienter muniverat. Sunt autem cauſſæ mortis primariæ & adæquatæ, ſuggeſtio Diaboli & inſequutum hominis peccatum, ex quo ſequuta eſt mors, infligente juſta Dei juſtitia. Proinde morti nullus fuiſſet locus, nulla cauſſa in actu, ſi homo in innocentia perſtitiſſet.

7. His Socini argumentis, alii ex eodem grege addunt, ut Oſtrorodius in ſua inſtitut. Germanica, ſi homo in juſtitia & immortalitate ſimilis fuiſſet à Deo conditus, nec peccare nec mori potuiſſet, quia Dei juſtitia & immortalitas in eo conſiſtit, quod nec peccare nec mori poſſit. Conſequens eſt abſurdum. Ergo antecedens. Reſp. Simile non eſſe idem, nec neceſſarium ad ſimilitudinem eſſe, ut juſtitia & immortalitas hominis, cum divina conveniat; cum divina ſit abſoluta & eſſentialis, humana accidentalis & conditionata. Non tamen ſequitur ſi homo non ſit immortalis immortalitate divina; nullo modo eſſe immortalem; quia à remotione unius generis ad remotionem ſpeciei conſequentia non valet. Ergo, major tantùm vera eſt ubi eſt æqualitas, non ubi eſt ſimilitudo, ſufficit enim ad ſimilitudinem qualiſcumque conformitas ac proportio.

8. Sic argumentantur, Quod homini tantum proponitur in ſtatu gloriæ, id non habuit in ſtatu innocentiæ. Sed immortalitas corporis promittitur tantùm in ſtatu gloriæ, ergo eam non habuit in ſtatu integro. Probant minorem ex Apoc. 21. ℣. 4. *mors amplius non extabit*; Unde volunt mortem anteà ſemper extitiſſe. Reſp. ad minorem per diſtinctionem; duplicem eſſe immortalitatem, 1. *Concreatam*, quà homo potuit non mori, ſi non peccaſſet. 2. *In Chriſto recuperatam* qua homo donatus non potuit mori. De ſecunda illa vera eſt minor, quam proinde non habuit homo in ſtatu integritatis. De prima falſa eſt, quia non promiſſa eſt poſt peccatum talis immortalitas. Vana eſt igitur repetita Socini inſtantia contra Puccium pag. 275. & 283. quod immortalitas & cœleſtis vita nunquam ab invicem ſeparantur, quod immortalitas ſit cum fœlicitate ſemper conjuncta, quod immortalitas & vita æterna idem ſint. Id enim verum eſt tantùm de immortalitate, qua quis mori non poteſt; nec verum eſt univerſaliter, vel ipſo Socino fatente, qui pag. 220. ſcripti contra Puccium dicit *Angelos qui peccarunt, poſt innumera penè ſæcula non ſolùm vivere, ſed ut creditur, nec aliter fieri poſſe videtur, naturam immortalem adhuc retinent.* Hoc ſi ita credat, ſibi ipſi repugnat. Angeli enim illi immortalem naturam retinentes, nec beatitudine fruuntur, nec cœleſti vita, nec æterna vita eo ſenſu, quo vita æterna in Scripturis pro cœleſti fœlicitate uſurpatur, & prò lætitia perfecta & conſummata accipitur. Ergo vita æterna dici poteſt, vel ratione durationis tantùm, vel ratione durationis cum perfecta fœlicitate conjunctæ. Primo modo vivere etiam in æternum poſſunt Angeli mali & damnati: Secundo modo ſoli pii.

9. Nec valet alia Socini inſtantia, pag. 284. contra Puccium. Si inquit, Adam fuiſſet immortalis & poſt peccatum mortalis factus, ſequitur formam ipſius fuiſſe mutatam, conſequens eſt falſum, ergo antecedens. Ratio connexi hæc eſt, quia alicujus rei forma non poteſt mutari & alia fieri, niſi & res ipſa mutetur. Reſpond.

Per

Per diſtinctionem, inter formam ſubſtantialem & accidentalem. Ergo de ſubſtantiali forma tantùm verum eſt argumentum, non de accidentali. Immortalitas autem eſt accidens, non ſubſtantia. Addit pag. 208. contra Puccium, Quod eſt præmium obedientiæ, illud non haberi à prima conditione naturæ, immortalitatem eſſe præmium obedientiæ, &c. Reſp. Immortalitatem gloriæ qua quis mori non poteſt eſſe præmium obedientiæ; immortalitatem naturæ datam fuiſſe ante obedientiam, obedientiâ tamen conſervandam. Eadem eſt ratio argumenti quod Socinus inculcat, p. 290. libri contra Puccium, *Quî poteſt*, inquit, *vita æterna per Chriſtum allata fidei & obedientiæ noſtræ præmium eſſe, ſi ea, hoc eſt jure eam adipiſcendi, jam donati ſumus omnes, & eam ob cauſam, in ipſius quadam poſſeſſione conſtituti, ante quam quod nos Chriſtus facere jubeat, vel ſciamus quidem, nedum ei credentes obediamus?* Unde Smalcius Socini diſcipulus, de divin. Chriſti cap. 7. pag. 25. *Quod Euangelii proprium eſt, in Adamo naturaliter non fuit, immortalem eſſe eſt Euangelii proprium, ergo in Adamo naturaliter non fuit.* Reſpond. Nihil obſtare quo minus immortalitas gloriæ ſit præmium fidei & obedientiæ propter Chriſtum fidelibus largiendum, etſi Adamus initio & nos in illo immortales creati fuerimus, ea immortalitate quæ per culpam amitti potuit. Quæ cum amiſſa eſt, quæ poſteà ſuperinducitur à Chriſto eſt, & per Euangelium promittitur, non à natura datur. In ſtatu integro ſi permanſiſſet Adam, neque Chriſti redemptione, neque Euangelii prædicatione ipſi fuiſſet opus.

EXERCITATIO XXI.

Argumenta Orthodoxorum pro immortalitate primi hominis adverſus Socinianos proponuntur, & vindicantur adverſus Crellium Socini ſucceſſorem. Explicatio loci Rom. VI. verſ. 23.

Et hæc quidem ſunt Socini & aſſeclarum, pro illa ſua mortalitate in ſtatu ipſius innocentiæ argumenta, quorum vim non difficulter retundi poſſe hactenus à nobis oſtenſum eſt. Supereſt, ut præter ea argumenta, quæ antea à nobis contra Pontificios adducta fuerunt, ut probaremus immortalitatem primo homini non fuiſſe ſupernaturalem, ea quæ præcipuè Pelagianorum & Socini cauſam attingunt, & quæ ab ipſis Pontificiis juxta nobiſcum probantur, adducamus & confirmemus; nempe talem fuiſſe ab initio conditum hominem, qui ex divino decreto moriturus non fuiſſet, ſi in innocentia perſtitiſſet. Quæ breviter propoſita ab *Hugone Grotio* in libro de Satisfactione contra Socinum, oppugnata nuper fuerunt, à quodam *Ioanne Crellio* Socini & Smalcii ſucceſſore, in gurguſtio Racovienſi. Ideò eadem opera eorum ſuſcipiemus defenſionem adverſus hunc novum Antagoniſtam, quia etiam id maximè facit ad vindicationem loci iſtius, cujus occaſione in hanc diſputationem incidimus.

Primum igitur deducebatur, ab ipſa creaturæ iſtius nobilitate & eminentia, ut quæ ſola ad imaginem Dei condita dicatur, hoc eſt mente, liberoque arbitrio prædita, quod fundamentum eſt dominationis ipſius in cæteras creaturas. Hæc igitur excellentia ſupra res cæteras argumento eſt, plus aliquid quam temporarium uſum, in hominis creatione ſpectatum. Ad hoc argumentum, multa regerit Socinus, in libro contra Puccium, & ea occaſione controverſiam inſtituit de imagine Dei, de qua antea dictum eſt. Sed in ejus reſponſione hoc præcipuum eſt, quod negat 1. immortalitatē in Dei imagine ullo pacto contineri. 2. Etiamſi contineretur, id non probare corporis immortalitatem ſed ſolius animæ, quia corpus non fuit conditum ad imaginem Dei. 3. Deum, licet ſit immortalis, non omnia creaviſſe quatenus immortalis eſt. Quæ omnia, aut nihil aut parum ad rem faciunt. 1. Enim, non dicimus formaliter immortalitatem conſiſtere in imagine Dei, ſed hoc tantùm, ex illa imagine integra conſequi, quod poſteà oſtendemus. 2. Etſi corpus per ſe & primo ad imaginem Dei non fuit creatum, tamen ſecundario imaginem illam gerere, & totum hominem ad illam fuiſſe conditum. Ideò, ut per animæ unionem corpus in toto imaginem Dei participavit, ſic per eundem, imaginis illius conſequentem, immortalitatem. Et certè ſi imago, prout Socinus voluit, in ſola dominatione conſiſtat, neſcio quomodo negare poſſit corpus ad eam imaginem fuiſſe creatum, quando actiones cum ſint ſuppoſitorum, non poteſt homini aliter tribui dominatio, quam ſecundum totum. Quod autem addit, Deum non creaſſe omnia quatenus eſt immortalis, nihil ad controverſiam facit, quia nemo noſtrum, ex creatoris immortalitate ad omnium rerum creatarum immortalitatem argumentatur; ſed tantùm, ex creatione ad imaginem Dei, ex qua hominis ſuprà alias creaturas quæ mortales ſunt, dignitas & dominium conſequitur, ne ipſo quidem Socino repugnante, etſi dotes illius imaginis quantum poteſt extenuet.

Accedo ad novum Socini Hyperaſpiſtem, primò igitur dicit, concedi poſſe id quod ex dignitate hominis conſequi dicimus, plus aliquid ſpectatum fuiſſe quam temporarium uſum in hominis creatione, ſed negat inde ſequi, hominem ne ad tempus quidem moriturum fuiſſe. Rationem addit, quia ut verè dici queat, Deum in creatione hominis plus aliquid quam temporarium uſum ſpectaſſe, ſatis eſt eum conſtituiſſe hominem poſtquam mortuus fuerit ad immortalem vitam aliquando reſuſcitare. Reſpond. Conſequentiam optimam

mam eſſe, à creationis ſcopo deductam. Si enim in eum finem Deus hominem condiderit, certè ex ipſius naturæ conſtitutione quæ per creationem facta eſt, ſequitur in homine fuiſſe potentiam ad illum finem conſequendum. Hoc ſi verum ſit, ut eſt, cadit exceptio adverſarii, qua dicit hominem potuiſſe à Deo poſt mortem ſuſcitari, atque ita Deum potuiſſe hominem, qui moriturus eſſet ſua natura, ad immortalitatem condere. Quia non ita conditus fuiſſet homo ad immortalitatem, ſed ad mortalitatem, neque ad alium uſum quam temporarium. Quod verò poſteà accidiſſet per reſurrectionem, ad creationem non fuiſſet referendum, neque ad creatoris in creando ſcopum, ſed ad alias planè cauſas.

Quod autem addit, ſi quis dicat id ex nobilitate hominis conſequi, eum, ne ad tempus quidem fuiſſe moriturum, id probandum eſſe, nec ſe videre, quomodo id conſequatur, imò neque hominis naturâ inſpecta tale Dei decretum extare debuiſſe, quod prohiberet ne homo in perpetua morte maneret: id oſtendit, Socinianos credere, non ſolum mortalitatem, ſed etiam mortem perpetuam ſive æternam, hominis naturam conſequi, imò animæ immortalitatem pro nugamento apud illos haberi. Si enim probari non poſſit per hominis dignitatem non impediri, quominus in perpetua morte maneat homo, neque etiam ipſius animæ immortalitas ex eodem principio probari poterit, ex quo tamen præcipua deducuntur argumenta ad eam probandam, qua ſemel data, conſequetur etiam immortalitas totius ſuppoſiti, quemadmodum ſupra probavimus, ubi etiam ea attulimus argumenta quæ faciunt ad confirmandum, id quod hoc loco petit adverſarius, ad naturæ hominis perfectionem neceſſariam fuiſſe immortalitatem. Etſi autem non negemus, quod ille dicit, decretum Dei de homine immortalitate donando ſi perſtitiſſet in innocentia, adſcribendum fuiſſe ſingulari ipſius benignitati, non tamen inde conſequitur, immortalitatem illam non fuiſſe conſequuturam, vi eorum quæ ipſi in creatione contulerat. De innocentiæ merito alia ratio eſt. Fatemur enim innocentiam primi hominis meriti rationem non habuiſſe, nec vel per ipſam, vel per vim aliquam naturæ inditam, *potuiſſe Deum adigi*, ad decretum de immortalitate hominis emittendum, & cum talia rejicit adverſarius aërem verberat. Decretum enim Dei planè liberum fuit, quod hæc omnia ſimul complectebatur, condere hominem, & ei vim talem indere, quam potuit ſervare, & ſi ſervaſſet, immortalis perduraſſet.

Fatetur adverſarius pag. 83. ſi homo cæteris omnibus creaturis nulla prorſus excepta eſſet excellentior, inde concludere licere, hominem ſua natura eſſe immortalem, non ſolum ex gratia divina ſupra naturam; ſed quia homo Angelis inferior eſt, non poſſe ex ejus prærogativa dignitatis in creaturas reliquas, inferri immortalitatem. Sed, aut fallit argumentũ de Angelorum immortalitate naturali, inde deſumptum, aut erit etiam neceſſarium, in hominis immortalitate aſſerenda. Quia etiam ſi inter homines & Angelos ſit in aliis diſcrimen, in præſtantia tamen ſupra reliquas creaturas & dignitate, eadem, ſi non major, tribuitur homini quæ Angelis. Quia hominibus nominatim ſubjectæ fuerunt creaturæ. Quod ſi diſcrimen aliquod ſit inter Angelos & homines non tam ad creaturas quam inter ſe comparatos, quod nos agnoſcimus, hoc tamen ſtat, quod utriſque communis eſt intellectus & ratio, atque immortalitatis deſiderium, quæ dignitas, ſi in unis major ſit quam in aliis per naturam, in eo tantùm conſiſtet, quod Angelus ita fuerit creatus ut *nulla* ex parte *mori potuerit*; homo verò, ut potuerit *non mori* ulla ex parte, ſecundum corpus tamen potuerit mori. Quæ conditio ſatis inter utriuſque naturæ Angelicæ & humanæ immortalitatem diſtinguit, non autem immortalitatem privativè ſoli Angelicæ naturæ vindicat.

Sed potiſſimum argumentum deſumitur ex hoc Geneſeos loco, ad quem pervertendum machinas omnes ſuas adhibent adverſarii. Divina voce nihil clarius eſt, *ſi comederis, morieris*. Ubi de actu mortis agitur ſive illa violenta fuiſſet futura, ſive citra violentiam. Unde ſequitur ipſum *mori* non fuiſſe eventurum homini, niſi peccati conditio extitiſſet. Hic certè Deus ſingulari edicto pœnæ loco protoplaſtis minatur mortem, ſi de arbore vetita comederent. Id autem facit abſolutè, non limitatè mortem hanc vel iſtam ſpecificat. Ex his igitur verbis texitur firmiſſimum hoc argumentum. Cui Deus mortem comminatur, ſi transgrederetur aliquod mandatum, ei mors naturâ non inerat, ante præcepti transgreſſionem. Adamo Deus minatus fuit mortem ſi transgrederetur mandatum. Ergo mors non fuit Adamo naturalis, ante præcepti transgreſſionem.

Ad hoc argumentum, reſpondet Crellius poſt Socinum, comminationem illam ſecundum myſticam interpretationem, de morte æterna eſſe accipiendam, quam ex noſtris pleroſque præcipuè intelligere contendit, ipſumque adverſarium, contra quem diſputat. Et certè, non ſolùm myſticè, ut loquitur, ſed etiam ad litteram, mortem æternam hac comminatione contineri fatemur. Sed eam tantùm mortem, non etiam diſſolutionem corporis & animæ intelligi, ne ipſi quidem adverſarii credunt. Addit enim Crellius, ſecundum ſenſum literalem & hiſtoricum, mortis nomine intelligenda videri omnis generis mala, quæ hominem uſque ad mortem ſequutura eſſent, ſeu vita miſera & infœlix, quæ ipſam quoque mortem celerius quam naturæ conditio poſtulat accerſere ſolet. Et quia videt ipſius mortis, quatenus eſt ſeparatio corporis & animæ, in explicatione quam Deus adhibet Geneſ. 3. ℣. 17. expreſſam mentionem fieri, unde ſequitur, mala illa quæ mortem antecedunt ita ſub mortis nomine comprehendi, ut mors etiam ipſa propriè intellecta, ad comminationem

nem

nem pertinere inde concludamus; reſpondet cum ſuo præceptore *fieri mentionem mortis non tanquam pœnæ, ſed tanquam termini ad quem uſque pœna illa duratura ſit.* Quæ reſponſio ſi vera ſit, vel falſum eſt quod anteà dixit, intelligi per mortem in comminatione mortem æternam; aut ſi intelligatur, ſequetur id abſurdum, quod duratura non ſit, poſt animæ & corporis ſolutionem, proinde quod æterna non ſit. Nam ſi mors illa temporalis, ſit omnium pœnarum terminus, ipſa autem non ſit pœna, certum eſt nullam eſſe pœnam poſt mortem, proinde negari & mortem æternam, & ſupplicia omnia impiorum poſt hanc vitam. Sed collatio duorum locorum, prioris nempe comminationis & poſterioris applicationis nullomodo patitur hanc ſophiſticam. Nam conſtituendum eſt utrobique eandem eſſe mortis comminationem. In ſecunda autem expreſſa ſit mentio diſſolutionis, corporis, ergo & in prima intelligebatur: non potuit autem intelligi niſi ſub nomine mortis, ergo falſum eſt quod vult adverſarius, ſub mortis nomine ærumnas & moleſtias mortem antecedentes, non ipſam mortem, fuiſſe ſignificatas. In prima autem illa mors non ſolum terminum ſed ipſam pœnam ſignificavit, ergo idem ſentiendum de loco ſecundo, in quo prioris explicationem eſſe fatetur ipſe Crellius. Et ut fateamur mortem aliquando accipi pro vita miſera: tamen id rectè Logici docuerunt, analogum per ſe ſumptum, pro ſuo ſignificato primo eſſe accipiendum. Vox autem *mortis* quid primò & propriè ſignificet ſatis notum eſt; ſecundario autem accipi pro mortem antecedentibus morbis & miſeriis, ſi quis neget, naviget Antyciram oportet. Smalcius contra Franteium 399. ait *facilè poſſe ſobriam aliquam interpretationem inveniri iſtorum verborum Geneſeos; nempe Deum, ei qui mortalis quidem erat, ſed tamen poterat non mori, minari eum talem futurum, qui non poſſit non mori, quæ certè graviſſima pœna cenſenda eſt.* Id ſi verum ſit, cadit exceptio aliorum, mortis mentionem fieri, mortis autem nomine intelligi non ipſam mortem, ſed ærumnas & miſerias hujus vitæ. Quandoquidem per *mortis neceſſitatem*, ut à nobis probatum fuit, intelligunt ipſam mortis perpetuitatem. At perpetuitas illa, non continetur ſub ærumnis iſtius vitæ. Similiter corruit exceptio de morte corporis, cujus mentio fit expreſſa, non tanquam pœnæ, ſed tanquam pœnarum termini. Nam cum illa moriendi neceſſitas, maneat poſt obitum corporis, quis non videt naturalem illam reſolutionem non eſſe terminum pœnarum, cum poſt illum terminum maneat, quod ipſe fatetur cenſendum eſſe graviſſimam pœnam? Unde ſatis liquet ipſis aquam hærere, & nihil eos curare dummodo veritatem quovis modo obſcurent, etſi nullo modo ſibi conſtent.

Addit Crellius, etiamſi Adam peccato ſuo pœnam mortis, quocunque tandem modo eam velis accipere incurrerit, non tamen inde ſequi omnem mortem pœnæ habere rationem. An omnis mors jam habeat rationem pœnæ, ad aliam pertinet quæſtionem, de qua alio loco dicendum erit. Sed ſi fateatur adverſarius, mortem de qua loquimur Adamum incurriſſe per peccatum, id nobis ſufficiet ad loci quem vindicamus interpretationem. Nam inde conſtabit Deum fuiſſe Adamo talem mortem comminatum, & ſequetur, aut vanam fuiſſe comminationem, aut Adamum alioqui non fuiſſe moriturum. Quod nos volumus. At, inquit, ne illud quidem ſequitur ex vi illorum verborum, *ſi comederis, morieris,* alia ratione fieri non potuiſſe ut is ipſe, cui hæc comminatio fuit propoſita, moreretur niſi comediſſet, etiamſi comeſtionis nomine omne peccati genus complectaris. Cur ita? Id explicat ſimilitudine, ſi Dominus dicat ſervo, ſi quid gravius deliqueris, pugnare jubeberis cum beſtiis, non protinus ſequetur eum ſi nihil deliquerit, vel ſponte ſua idem facere non poſſe, virtutis oſtendendæ, & præmii alicujus, vel ſaltem gloriæ conſequendæ cauſa, vel à Domino id illi jure imperari non poſſe. Hoc inquit, tantum ſequitur ex ejuſmodi comminatione, eum cui illa proponitur, poſſe iſtud malum, ſi nihil deliquerit, effugere, aut ſi id nihilominus perpetiatur, pœnæ rationem id non habiturum. Hæc ille. In quibus diſſimilia componit. Non enim eſt eadem ratio comminationis illius humanæ fictitiæ, & comminationis divinæ. Fatemur eſſe nonnulla, ad quæ aliquis adigi poteſt occaſione alicujus delicti, quæ proinde fiunt pœnalia, etſi alioqui extra pœnam poſſent accidere, ſive volentibus, ſive imprudentibus. Sed negamus in eo genere eſſe mortem. Quia talis eſt ejus natura, præſertim conſiderato primo hominis ſtatu, ut non poſſit non eſſe pœnalis. Et notandum eſt, pœnam illam addi legi quam Deus ſanciverat, in qua ſubintelligitur neceſſariò contrarium eventurum ei qui non transgreſſus fuerit, quia talis lex ut minatur pœnam, ſic contra pollicetur vel expreſſè vel tacitè bonum. quod ſi non exprimitur intelligendum erit, contrarium malo quod alioquin infligeretur. Ergo qui minatur mortem transgredienti, contra pollicetur vitam mandatum ſervanti. Id poſteà in ipſa lege fuit expoſitum, Deut. 30. v. 15. *Vide propono tibi hodiè vitam & bonum, item mortem & malum.* Ubi duo habemus maximè ad rem noſtram conducentia. 1. Eadem ratione Deus pollicetur vitam, qua minatur mortem, ſub conditionibus contrariis, unde ſequitur, quia mors & vita ſunt privativè oppoſita, nihil eſſe intermedium inter eas, proinde qui minatur ſe peccanti mortem inflicturum, promittit ſe non peccanti vitam conſervaturum. 2. Mortem & malum conjungit Deus, ut vitam & bonum, quibus verbis oſtendit mortem eſſe malum. Non eſt autem malum delicti, ergo eſt malum ſupplicii. Ante delictum autem non poteſt infligi ſupplicium, ergo non adveniſſet mors, niſi præceſſiſſet peccatum. Adde quod in allato exemplo eſt diſſimilitudo quam adverſarius ipſe negare non poterit. Nam,

Nam, *pugnare cum beſtiis*, quavis ratione illud fiat, ſeu ſponte, ſeu ex mandato alterius, illud certè naturale homini non eſt, nec pendet à principiis naturæ. At Sociniani volunt mortem corporis eſſe homini naturalem, quæ ipſi accidiſſet etſi non peccaſſet. Non potuit igitur per eos infligi velut peccati pœna, quam homo effugere ne quidem non peccando non poterat. Denique notandum eſt exceptione ſua adverſarium propriam ſylvam cædere. Nam ſi ex vi verborum illorum, *ſi comederis, morieris*, non ſequitur alia ratione fieri non potuiſſe ut homo non moreretur; ſequetur etiam ſi verba illa, *morte morieris* ſignificent graviſſimas ærumnas hujus vitæ, item mortem æternam, non tamen inde conſequi, non alia ratione fieri potuiſſe ut homo gravibus ærumnis & morti æternæ non ſubjiceretur, etſi non peccaſſet. Nam ſi ex comminatione probari non poſſit illas ita eſſe peccati pœnas, ut peccato non interveniente, non omnino veniſſent, ſequetur profectò, illas extra rationem peccati potuiſſe homini accidere, quod quam abſurdum ſit, nemo eſt qui non videat.

Secundum argumentum, deducitur ex verbis Pauli Rom. 6. ℣. 23. *Stipendium*, id eſt pœna, *peccati mors.* Ex quo ſic argumentamur, Quod eſt ſtipendium peccati, id homini extra peccati ſtatum conſtituto non convenit. Mors eſt ſtipendium peccati, ergo non convenit homini ante peccatum. Reſpondet poſt Socinum Crellius, mortis nomine non ibi, quamlibet mortem intelligi ſed æternam, quia ibidem vitæ æternæ, qua per Chriſtum donabimur, opponitur, & ſatis apertè indicatur eos qui peccati jugum excuſſerunt ab ea morte immunes eſſe. At à morte temporaria ſive ea ſit naturalis, ſive violenta non ſunt immunes ii, qui peccati imperium excuſſerunt. Reſp. Non potuiſſe ipſum adverſarium anteà negare, locum Geneſeos de quo diximus fuiſſe Apoſtolo ante oculos, cum de morte egit tanquam peccati pœna. Faſſus eſt etiam mortem æternam non ſolum comminatione illa fuiſſe comprehenſam, ſed ad literam intellectas fuiſſe hujus vitæ miſerias, quas propter peccatũ homini fuiſſe inflictas agnoſcebat. Deniq; extorſimus in comminatione illa ipſam corporis mortem fuiſſe expreſſam non velut terminum, ſed tanquam pœnæ partem. Si Apoſtolus ad illum locum reſpexit, ergo, ut optimè Auguſt. ſub mortis nomine comprehendit, 1. animæ mortem qua ſeparatur per peccatum à Deo, 2. corporis, qua privatur anima. 3. animæ, cum & à Deo & à corpore ſeparata punitur. 4. totius hominis, cum anima ſine Deo cum corpore pœnas æternas luet, quæ erit mors ultima. De quavis morte Deum loquutum fuiſſe certum eſt, & comprehendiſſe quicquid pœnale & dolorificum ſentit humana natura, quod ex interminationis hujus prævaricatione verè & propriè fluxiſſe conſtat, 1. Quia non eſt comminatio particularis de aliqua morte, ſed indefinita, æquipollens univerſali de quavis morte. 2. Id confirmatur aliis Scripturæ locis, quibus mors temporaria adſcribitur peccatis hominum. Pſal. 90. ℣. 8. *Poſuiſti iniquitates noſtras coram te, ideò omnes dies noſtri declinaverunt, propter iram tuam.* Et infrà Apoſtolus in eadem Epiſtola, oſtendit ſub morte tanquam peccati ſtipendio ſe mortem corporis etiam intellexiſſe, *Corpus quidem*, inquit, *mortuum eſt propter peccatum.* Adde quod ex Socini & ſuorum hypotheſibus non poteſt per *mortem*, intelligi mors æterna. Quia ſi mors temporalis ſit, ut volunt, terminus pœnarum, non ipſa pœna, nullæ amplius poterunt irrogari pœnæ, conſtituto pœnarum termino, niſi fortè dicant ſe intellexiſſe terminum temporalium pœnarum, non autem æternarum, quæ termino carent. At tunc nec mors æterna in comminatione ad quam Paulus reſpexit locum habebit. Nam ſi per mortem in primo Geneſeos loco, intelligantur ærumnæ hujus vitæ, & in ſecundo per reverſionem in pulverem, pœnarum terminus, ſequitur nullam mentionem ibi fieri mortis æternæ, eamque deduci per conſequentiam tantum, quatenus, mors illa quam temporalem vocant natura ſua eſt perpetua, niſi per gratiam vita reſtituatur amiſſa. Tunc autem, non ſignificabunt illa verba terminum pœnarum, ſed pœnam ſine termino, adeo ſunt intricata novorum dogmatiſtarum placita.

Hic duo poſt Socinum lib. de Servatore, cap. 9. affert Crellius argumenta, quibus probat Apoſtolum, per mortem quæ ſtipendium eſt peccati, non intellexiſſe temporalem, ſed æternam tantùm. 1. Ex eo ſumitur, quod opponitur vitæ æternæ, quia apud Apoſtolum ſequitur, *donum autem Dei eſt vita æterna.* Reſpondeo, nos concedere Apoſtolum loqui de omni morte, ac proinde de æterna, itaque optimam eſſe oppoſitionem, inter mortem quamlibet qua æterna etiam comprehenditur, & æternam vitam quę à Deo donatur in Chriſto. Non ſequitur tamen inde fieri debere reſtrictionem ad mortem æternam, quaſi ſola eſſet ſtipendium peccati, cum Apoſtolus indefinitè loquatur, & in materia neceſſaria, ubi indefinita æquivalet univerſali, & vita æterna cuilibet morti opponitur etiam temporali. Oſtendimus autem ſupra, Apoſtolum expreſſam facere mentionem mortis corporis tanquam à peccato invectæ. Rom. 8. verſ. 10.

Sed magis urget inſtantia quam Socinus pluribus perſequitur citato loco, *Peccati*, inquit, *ſtipendium eſſe moriendi neceſſitatem & mortem æternam, id ex eo patet, quod Chriſtus nos qui illi fidem habemus, ab omni prorſus peccato, hoc eſt peccati pœna & reatu liberavit, & tamen naturalem mortem non ademit, ſed æternam duntaxat, & moriendi neceſſitatem. De æterna morte, non eſt qui ambigat, de moriendi autem neceſſitate, admonere nos poſſunt ii ex nobis, quos ut vos offendet poſtremus Chriſti adventus, qui mortem non guſtabunt. Idem enim judicium faciendum eſt de omnibus, quod de paucis illis. Nam ſi moriendi neceſſitatem Chriſtus non abſtuliſſet, ne illi quidem pauci mortẽ effugere poſſent, &c.*

Non

Non ingrediar hoc loco diſputationem quæ movetur ſuper hac re, an illi de quibus agit per transmutationem illam nullomodo ſint morituri, de qua variant ſententiæ. Hoc tantum moneo, adverſarium videri hoc loco diſtinguere inter mortem æternam, & mortis neceſſitatem, cum in prælectionibus ſuis cap. 1. mortem neceſſariam, faciat etiam perpetuam. Sed ut quod ultimò dicit paucis expendamus, hoc ipſi conceſſo, quod mortem effugient, qui vivi reperientur in die illo, dicit illos mortem in die illo effugere poſſe, imò effugituros quia Chriſtus moriendi neceſſitatem, non ſolum in gratiam paucorum illorum, ſed etiam omnium qui in ipſum credunt abſtulit. Sic argumentor, quod tum effugient erit mors temporalis, quæ in corporis & animæ ſeparatione conſiſtit. At per Socinũ id Chriſtus abſtulit omnibus, ergo Chriſtus abſtulit omnibus mortem illam quæ in corporis & animæ ſeparatione conſiſtit. Hinc ulterius pergemus; Quod Chriſtus abſtulit, fuit pœna peccati. At Chriſtus abſtulit mortem quæ in corporis & animæ ſeparatione conſiſtit, ergo talis mors fuit pœna peccati contra Socinum. Si dicat exemptionem illam à morte cujus futuri ſunt illi participes, includere vitam perpetuam, & exemptionem à morte æterna, quod neceſſario dicere debet, ſi ſibi conſtare velit, ſequitur omnes qui tum in terra vivi reperientur, vitæ æternæ participes futuros, & à morte æterna liberatum iri, quod abſurdum eſſe ex eo conſtat, quod multi impii tum, & fatuæ virgines à die illo deprehendentur. Si regerat illos quidem morituros, ſolos autem fideles & pios tunc mutationem illam ſine morte ſubituros, probanda ipſi erit exceptio. Deinde, cur morerentur illi potius quam hi, ſi ad judicium neceſſaria ſit reſurrectio? quandoquidem ut ſiſtantur omnes divino judicio in proprio corpore, neceſſarium eſt ut vitæ reſtituantur. Hoc ſi negent Sociniani, quod certè obliquè faciunt, tunc prodent quæ hactenus clanculum aluerunt monſtra. Quorum etiam hoc unum eſt, quod nugantur omnes pios liberatos fuiſſe à moriendi neceſſitate, & tamen propter corpus animale quod gerebant ex terra ab initio formatum, mortem illis fuiſſe naturalem; quaſi vero major neceſſitas eſſe poſſit, quam neceſſitas naturalis!

Accedo ad principale argumentum, quo putat evinci poſſe mortem illam, quam etiam credentes in Chriſtum patiuntur, non eſſe peccati pœnam, quia Chriſtus, qui pœnas peccato debitas ſuſtulit, & opera diaboli deſtruxit, nec ſuſtulit nec deſtruxit mortem illam, proinde de ea non fuiſſe loquutum Apoſtolum. Reſpond. Majorem cui tota illa argumentatio innititur diſtingui debere. Quod Chriſtus non ſuſtulit nec deſtruxit, illud non eſt peccati pœna; nempe veram eſſe majorem ſi intelligatur de deſtructione & abolitione finali; ſic enim Chriſtus deſtruxit peccatum & pœnas omnes peccati, ut tandem ab iis planè ſimus futuri liberi, quando abſterget omnem lacrymam ab oculis noſtris: tametſi donec id fiat, aliquid ſubinde de illis effectis in nobis ſentiamus. Acquiſivit ergo nobis jus ad illam libertatem, in cujus tamen plenam poſſeſſionem nondum ſumus immiſſi. Ergo ut non repugnat liberationi à peccato per Chriſtum nobis præſtitæ, quod peccatum in carne adhuc circumferimus, nec liberationi à poteſtate Satanæ, quod ejuſdem tentationibus in hac vita adhuc obnoxii ſumus, nec liberationi ab ira Dei, quod eandem quandoque in angoribus conſcientiæ ſentimus; ſic non repugnat liberationi noſtræ à morte per Chriſtum nobis præſtitæ, quod morti temporali adhuc ſubjicimur, quia beneficia à Chriſto parta non concluduntur hujus vitæ terminis, ſed in ipſam æternitatem ſe extendunt. Ergo ſi meritum Chriſti ſpectemus, nobis acquiſivit jus ad vitam æternam; ſi efficaciam, nondum in plenam poſſeſſionem miſſi ſumus, quia mors eſt hoſtis ultimo abolendus. 1. Cor. 15. ℣. 26. Cujus tamen, noſtri ratione, retudit aculeum, & vim infregit, atque adeò nos liberavit ab eo, quod in morte maledicti rationem habet, effecitque ut mors fidelium, ſit jam ipſis plena liberatio à peccato, & abolitio reliquiarum inhabitantis concupiſcentiæ; item ad vitam meliorem tranſitus. Si quis igitur dicat, Quo ſublato mors manet, id non eſt mortis cauſa, ſed ſublato in juſtificatis peccato mors manet, ergo. Reſp. Majorem veram eſſe de ea cauſa quæ penitus ſublata eſt, non de ea quæ manet ex parte: At peccatum etſi ſublatum ſit reatu, adhuc manet actu, quamvis actu remiſſo. Ideò non penitus mors tollitur in hoc ſeculo, cujus tamen pœna in remedium converſa eſt.

Multum operæ ponit Crellius ut oſtendat in verbis illis Apoſtoli Rom. 6. ℣. 23. τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, θάνατος. Mortis nomen non habere rationem ſubjecti, ſed prædicati, neque oſtendi ab Apoſtolo, quid mors ſit, ſed quodnam peccati ſtipendium. Rationem affert, primam, quia articulus voci ὀψωνίων, non voci θανάτου præfixus eſt. 2. Quia in oppoſitione, donum Dei, ſive ut interpretatur novè, χάρισμα τοῦ θεοῦ *Dei premium*, habet rationem ſubjecti, & *vita æterna*, prædicati. Hinc vult eſſe conſequentis fallaciam, ſi quis dicat, ſtipendium peccati eſt mors, ergo omnis mors eſt ſtipendium peccati; quia enunciatio affirmativa indefinitè elata, univerſaliter convertitur. Reſp. Hæc ad pompam facere, ne videatur nihil dixiſſe. Falſum tamen eſt, quod dicit, articulum eſſe ſemper indicem ſubjecti, ubi duo ſunt termini quorum uni articulus eſt præfixus, aliquando enim ad Emphaſim additur articulus prædicato, quod in verbis illis ſequentibus planum eſt, in quibus *vita æterna* contra quam ſentit, eſt ſubjectum; prædicatum vero cum articulo enunciatur, quod vim pronominis demonſtrativi (ut ſæpè fit) habet, vita æterna eſt illud donum Dei, nempe promiſſum; ſic in antecedente, mors eſt τὰ ὀψώνια, *illud ſtipendium* aut illa ſtipendia peccati, nempe quæ peccato aſſignata fuerunt à Deo in prima illa comminatione. Ubi etiam articulus fungitur vice verbi aut copulæ, mors eſt

ſtipendium illud peccati, &c. Sic 1. ad Corinth. cap. 9. verſ. 1. οὐ τὸ ἔργον μου ὑμεῖς, *nonne opus meum vos eſtis?* Ibi prædicatum eſt, eſtis *opus meum*; ſubjectum *vos*. Articulus additur prædicato, ad Emphaſim, vos eſtis hoc opus meum, nempe eximium illud opus, &c. & ſequenti verſu, ἡ γὰρ σφραγὶς ὑμεῖς, &c. *Sigillum apoſtolatus mei vos eſtis*, ubi pronomen *vos* eſt ſubjectum, σφραγὶς verò attributum cum articulo ἡ. Et talia ſexcenta proferri poſſunt. Sed quid ſi concederemus quod petit hæreticus, mortis nomen non ſubjecti ſed attributi locum habere? tunc inquit; malè univerſaliter convertetur propoſitio, ergo omnis mors eſt ſtipendium peccati. Quidni, ſi indefinita in materia neceſſaria univerſali æquipolleat? Sed demus non poſſe ex indefinita univerſaliter concludi, ſi id tantum ſequatur, ergo aliqua mors eſt ſtipendium peccati, aut ſtipendium peccati eſt aliqua mors, non magis ille mortem æternam inde conficiet, quam nos temporariam. Recurrendum igitur erit ad fontem ex quo hauſit Apoſtolus. Ibi vidimus ærumnas hujus vitæ, fatente adverſario, & ipſam corporis in pulverem reſolutionem ringente adverſario, tanquam pœnas peccati fuiſſe à Deo decretas. Itaque ſemper potior erit noſtra conditio, non obſtantibus cavillis de ſubjecto & prædicato.

Addebat Grotius quartam rationem, hoc modo: *Ante dixerat* (Paulus) *per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervaſit, Omnes* (inquit) *homines, agit ergo de communi humanitatis exitu. Per hominem ergo, id eſt ex facto humano, mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur* (*quotquot moriuntur*) *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur,* (*quotquot vivificabuntur.* 1. Corinth. 15. ℣. 21, 22. *Quis non videat vel ipſa verba legens, hanc ſententiam ad Corinth. iſti ad Rom. reſpondere exámuſſim. Agitur ergo de morte qua communis eſt Adami poſteris, & ex qua reſurgunt, qui reſurgunt.*

Ad hoc argumentum, Crellius primò ſua repetit antea confutata, agi hoc loco de morte æterna, nempe *reſtrictivè*, cujus contrarium oſtendimus. Addit poſteà id patere, ex eo quod Paulus promiſcuè ibidem ponat mortem & condemnationem, quæ juſtificationi noſtræ opponitur. Juſtificatio autem noſtra non opponitur morti temporariæ, quia eam & ſæpè violentam, ſecum trahit. Reſp. Juſtificationem opponi omni morti per ſe, & quatenus mors eſt cum maledictione conjuncta, qualis eſt omnis mors per ſe conſiderata. Quod autem juſtificati moriantur morte temporaria, eaque aliquando violenta, id fit, tum quia nondum ſunt planè juſtificati à peccati actu, etſi ſint juſtificati à reatu; ideo per mortem ipſam liberantur à peccato; & prætereà, quia aculeus morti illi ſublatus fuit à Chriſto, & maledictio abolita. Sed hoc non impedit, quominus natura mortis per ſe, etiam mortis temporalis, ſit pars condemnationis, quæ peccatum conſequitur. Inſtat, mors illa non ſimpliciter per unius hominis peccatum in omnes homines pertranſiiſſe dicitur, ſed *quatenus omnes peccaverunt*, quæ verba non debuit omittere Grotius. Ex iis enim patet Apoſtolum non agere de morte quorumvis hominum, ſed eorum qui Adamum peccando ſequuti, participes etiam facti ſunt pœnæ, in quam ipſe per peccatum ſuum incurrerat, quam cum ipſe Grotius velit eſſe præcipuè mortem æternam, quæ dono per Chriſtum allato directè opponitur, cur non de hac potius, quam de temporaria loquitur Apoſtolus? Hæc ille. Ad quæ replicamus. Nos & de hac & de temporaria loqui Apoſtolum ſtatuere, & de temporaria tanquam de ea quæ per ſe ad æternam ducit, niſi ejus mutetur per gratiam Dei in Chriſto natura. At, inquit adverſarius, loquitur Apoſtolus de iis qui peccaverunt. Rectè nec nos aliter etiam intelligimus omnes homines factos fuiſſe mortis reos, niſi *quatenus peccaverunt*. Etſi de explicatione phraſeos illius ἐφ' ᾧ, non inter omnes conveniat. Sed demus nihil aliud ſignificari niſi, *quatenus*, non; *in quo*. Certè Apoſtolus dicit mortem omnes pervaſiſſe, & omnes peccaſſe, nec ullum excipit. Non peccaſſe autem omnes, imitando Adamum actuali peccato, ipſe Apoſtolus indicat, verſ. 14. *Regnavit autem mors ab Adam uſque ad Moſen in eos quoque qui non peccaverant ad ſimilitudinem transgreſſionis Adam.* Quibus verbis oſtendit etiam infantes, qui peccando actu non poſſunt Adamum imitari, fuiſſe obnoxios morti, quæ per peccatum in mundum introivit, & in numero eorum hominum etiam eſſe in quos mors pertranſiit, *quatenus* (ut interpretationem adverſarii ſervemus) *peccaverunt*. Ex his patet Apoſtolum agere de quorumvis hominum morte, à qua nullus hominum excipitur ordo. Ergo de ſeparatione corporis & animæ, quæ omnium hominum communis eſt. Proinde manet vis argumenti ex verbis illis Apoſtoli.

Ad collationem loci iſtius cum dicto Apoſt. 1. ad Corinth. 15. reſpondet quidem, ſe agnoſcere quæſtionem eſſe eo loco de morte temporaria, ſed inde vult inferre non eandem eſſe rationem dicti quod ex Epiſt ad Rom. jam fuit explicatum, quia ibi agebatur de morte æterna, id eſt ſua commenta repetit & inculcat, jam refutata. At (inquit) in loco ad Corinthios, nulla fit mentio peccati ab Adamo ſive ab iis qui in ipſo moriuntur admiſſi, cujus tamen utriuſque tanquam propriæ mortis cauſæ, fit mentio ad Romanos. Reſpondeo, ſatis eſſe ſi fiat oppoſitio inter Adamum tanquam eum qui mortem intulit, & Chriſtum, tanquam eum qui mortem devicit. Non enim Adam opponitur Chriſto, niſi quatenus Chriſtus venit ut deſtrueret opera Diaboli & imperium mortis, unde ſatis conſtat Adami mentionem fieri, tanquam ejus qui per peccatum, ſibi & nobis, mortem concivit. Quod enim dixit Paulus ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum introiit in mundum & per peccatum mors*, &c. Et *gratiam regnaſſe per juſtitiam in vitam æternam*, verſ. 21. Qua in re dicit *Adamum fuiſſe typum illius qui erat futurus*, verſ. 14. Sic loco

citato cap. 15. 1 ad Corinth. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* & anteà v. 21. *Quia enim per hominem mors, per hominem quoque reſurrectio mortuorum.* Ubi verè Grotius notavit, *per hominem*, idem eſſe quod alibi, *per peccatum unius hominis.* Neque id potuit infringere adverſarius ſola negatione, cum res per ſe ſit evidens. Si enim mors eſſet homini naturalis, & à materiæ conditione penderet, non dicendum eſſet per hominem nempe Adamum, invectam fuiſſe mortem. Nihil enim eſſet quod Adamo in ea re deberet imputari. Et frigida, ne dicam inepta eſſet collatio. Sicut per Adamum *non peccatorem* mors accidit, ſic per Chriſtum reſurrectio fiet. Nam inde ſequeretur Chriſtum non fore cauſam reſurrectionis, quemadmodum Adam ad mortem temporariam nihil contulit. At quemadmodum Chriſtus homines vivificat nempe merito ſuo & efficacia, ſic etiam Adam, mortis merito ſuo, ſibi & nobis reatum contraxit. Id cum videret ſe effugere non poſſe noſter hæreticus, tandem eo recurrit, ne exiſtimemus unicam ipſi ſupereſſe rimam qua poſſit elabi. *Etiamſi*, inquit, *concederemus de Adamo hoc loco, ut peccatore agi, & quod ibi dicit,* per peccatum, *hic dici* per hominem, *non tamen ſequeretur omnes qui per ipſum, ſive in ipſo moriuntur, ea morte puniri, quia mors in cæteros homines potuit manare, etiamſi ea non in omnibus hominibus pœnæ rationem habeat.* Id quidem ille ſupponit, ſed quam verè, oſtendunt quæ hactenus dicta ſunt. Eadem opera etiam dicet, eos qui in Chriſto vivificantur, non ob juſtitiam vita donari, quod tamen non poſſet, ſine contradictione, quandoquidem agnoſcit vitam neminem conſequi poſt mortem ſine juſtitia, vel Chriſti imputata, quod nos dicimus (ubi de vita æterna quæſtio eſt) vel ſua & propria, quod illi volunt qui hoc tempore juſtitiam hominis propriam, cum Pelagio, ſtatuunt juſtificationis cauſam. Sed etiam ſi id largiremur, mortem in omnibus hominibus pœnæ rationem non habere, id tamen quod concedit, nobis ad præſentem controverſiam ſufficeret, *mortem in cæteros homines ex delicto Adami manaſſe.* Sublato enim Adami delicto, id eſt, ſi delictum illud non accidiſſet, ſequitur neque Adamum moriturum fuiſſe neque cæteros homines morti obnoxios fuiſſe futuros, quod volebamus.

Addunt noſtri ſuperioribus dictis, ex libro Sapientiæ duo teſtimonia, non tamen ſine præfatione, qua agnoſcunt librum non eſſe Canonicum, nec proinde ejus teſtimonium planè divinum, ut ſine ſubſidio aliorum Scripturæ locorum, aliqua fidei controverſia ex eo decidi poſſit. Non ergo conditionem rejicimus, quam Crellius proponit, ex eo libro indubitatum fidei argumentum peti poſſe tantum, cum ex aliis Sacræ Scripturæ ſententiis rei controverſæ veritas probatur. Nec etiam ſolent adducere noſtri talia teſtimonia, niſi poſtquam ex aliis firmioribus (ut hactenus à nobis factum eſt) fundamenta veræ doctrinæ fuerunt jacta. Ne tamen etiam in ea re confidens thraſo aliquid nobis concedat, verbosè textum autoris illius involvit, ut ejus dicta ad ſolam *mortem æternam*, vel ſaltem *violentam & miſeram* mortem, coarctet; præſertim priora illa Sap. cap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit, nec delectatur perditione viventium*, ἔκτισε γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου, οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς &c. id eſt, interprete Baduello, *Neque enim Deus eſt autor mortis, nec vivorum interitu delectatur. Quippe qui omnia ut eſſent creavit & ortus mundi ſunt ſalutares, in quibus nullum eſt venenum pernicioſum, nec inferorum regnum in terra. Iuſtitia enim eſt immortalis.* Reſpondet Crellius, autorem lib. Sapientiæ, agere de morte æterna, vel de ea morte temporali, quæ interitum miſerum ac infœlicem habet conjunctum, cujus rei duas affert rationes. 1. quod piorum è vita exitum licet violentus ſit, docet poſteà non eſſe appellandum mortem. 2. quod verſ. 12. præced. monet autor homines ut vitent mortem & eam ſuis ſceleribus non accerſant. Mors autem naturalis non poteſt vitari. Reſpondeo, certum eſſe autorem in ſermonem illum incidiſſe, ut homines abſterreret à ſceleribus, propoſita ea mortis pœna, quam vitare poſſunt qui juſtè & piè vivunt, & quæ contra infligitur ſive immediatè à Deo, ſive mediatè per homines, iis qui ſceleribus ſuis eam accerſunt. Sed non propterea valet ejus exceptio, quaſi omnia autoris verba huc referri deberent. Nam poſteà rem à principio arceſſit, & quamvis impiis & injuſtis talem minetur mortem, quæ ratione circumſtantiarum illarum quibus redditur vel ignominioſa & infœlix vitari poſſit, tamen oſtendit mortem illam quæ omnibus hominibus communis eſt, nec à Deo, nec à natura ortum habuiſſe, ſed ab injuſtitia, quia juſtitia eſt immortalis. Et ſententia eſt generalis *Deum non eſſe autorem mortis*, quæ falſa eſſet, ſi Deus initio talem hominem creaſſet qui in ſe etiam extra peccati rationem, naturales mortis cauſas in actu habuerit. Autor itaque theſim & propoſitionem generalem ad dicti ſui probationem affert, quod mors non eſt à Deo, ſed ab injuſtitia. Unde vim exhortationi ſuæ mutuatur ut caveant ſibi ab injuſtitia quæ initio hominem in mortem præcipitavit, quia ſi multiplicent peccata, tunc miſeriam addent miſeriæ, & mortem accelerabunt ante tempus, eamque junctam cum doloribus maximis & ignominia, quam ſequentur æternæ pœnæ. Manet igitur, peccatum cujuslibet mortis eſſe cauſam, ſed augeri mortis miſerias & gradus, ſecundum gradus peccatorum; à quibus fideles & pii liberati ideò comparatè non abſolutè, mortui negantur, quia mors eorum, ſublata maledictione tranſitus eſt ad meliorem vitam.

Ejuſdem libri cap. 2. ℣. 23. & 24. clarius adhuc id indicat, cum de creatione hominis ſic loquitur, ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν. φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον.

πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες. *Deus creavit hominem ad incorruptionem, & ad imaginem propriæ ſimilitudinis fecit eum. Invidiâ autem Diaboli mors introivit in mundum, tentant autem eum qui illius partis ſunt.* Hic per ἀφθαρσίαν incorruptionem, denotatur non ſolum oppoſitum mortis æternæ, ſed mortis cujuſvis, etiam temporalis, ſeu violentæ, ſeu non violentæ. Convenit autem quod autor dicit verbis Apoſtoli, per invidiam Diaboli mortem introiviſſe in mundum, id eſt, per peccatum cujus Diabolus inſtigator fuit. Atque adeò omnibus iſtis locutionibus, indicatur primum hominis peccatum. Crellius diſtinguit inter ἀφθαρσίαν perfectam & imperfectam, quam diſtinctionem & nos agnoſcimus, quia alia Dei, alia creaturarum eſt ἀφθαρσία. Sed non verum eſt quod dicit ἀφθαρσίαν illam quæ ſecundò modo dicitur, non opponi morti temporariæ, ſed æternæ. Quia quælibet ἀφθαρσία, φθορὰν excludit, proinde corporis & animæ ſolutionem, & corporis reſolutionem. Quod inſuper addit potuiſſe hominem ad immortalitatem creari, qui tamen mori deberet morte temporali, ſed qui poſteà donandus eſſet immortalitate, ſupra refutatum fuit à nobis, quia id non eſſet creare ad immortalitatem, cum ex vi creationis immortalis eſſe non poſſet, ſed potius creare ad corruptionem. Quod autem poſteà, ab alia cauſa accideret, id ad creationem non eſſet referendum, ſed ad aliam cauſam. Cum autem in dubium vocat an Diaboli invidia, cujus hoc loco fit mentio, ad primam tentationem per quam lapſus eſt homo referenda ſit, litat impudentiæ, & pro more iſtorum hominum, ita in autorum ſive ſacrorum ſive aliorum ſententiis exponendis ſe gerit, ut ſollicitus non ſit de vero ſenſu, dummodo cavillis excogitatis, quæcunque etiam maximè perſpicuè dicuntur obſcuret, & in dubio ponat. Hinc tot ſubſidiariæ & ſæpè ſibi invicem contrariæ detorſiones unius & ejuſdem loci, à lubricis & audacibus iſtis ingeniis excogitatæ, non ut veritatem illuſtrent, ſed ut ſtudioſis veritatis negotium faceſſant.

Addebat Grotius, facillimum eſſe demonſtratu, ſi id ageretur, & Judæorum veterum & Chriſtianorum perpetuam hanc fuiſſe ſententiam, mortem qualemcunque hominis, peccati eſſe pœnam: ut non immeritò Chriſtiani imperatores hoc in Pelagio & Celeſtio dogma præter cætera improbaverint, quod dicerent mortem non ex inſidiis fluxiſſe peccati, ſed exegiſſe eam penitus legem inevitabilis conſtituti. Hic tantus conſenſus Crellium non movet, cui illud vulgatum opponit, multitudinem errantium non parere errori patrocinium. palamque Celeſtii & Pelagii cauſam tuetur, qui ſi Chriſtianorum nomine à nobis non digni judicentur, id eum malè habet, qui ſuis Patriarchis hanc injuriam inferri non poteſt pati, quia ut ipſe profitetur, nondum ei conſtat, illos fidem in Chriſtum vivam ejuſque fundamentum evertiſſe. Nempe, ſi id ipſi conſtaret, Socinianus eſſe deſineret, Chriſtum verum Deum eſſe crederet, ejus pro nobis ſatisfactionem non aboleret, nec hominum juſtitiam ſtabiliret. Sed qui hæc omnia facit, non mirum eſt ſi Pelagium & Celeſtium pro Chriſtianis ſuo modo habeat, quia ſimiles habent labra lactucas. Id tamen quod Imperatores in Pelagio damnarunt, *mortem exegiſſe penitus legem immutabilis conſtituti*, dicit nullo modo eſſe admittendum, de morte naturali & temporaria, *quia potuit homo divina benignitate ab ea conſervari.* Nec id certè negavit Pelagius; ſed quæſtio non fuit de eo quod fieri potuit, verùm de eo quod factum eſt. An Deus hominem talem creaverit, qui in ſe talem moriendi naturalem neceſſitatem ex principiis creationis haberet. Id voluit Pelagius, id Socinus, id Socini diſcipulus Crellius. Quod tamen, ſi verum eſſet, & Scripturæ teſtimoniis ac rationibus confirmaretur, quod ille pro ſolita audacia, aſſerit, fateremur veritati non eſſe opponendum multitudinis contrarium conſenſum. Quod vero Joſephum Ebræum in ſuas partes vult pertrahere, ut oſtendat non fuiſſe ſententiam Judæorum veterum à ſua alienam, id facit more ſuo, hoc eſt confidenter. Etſi enim ſcribat Joſephus lib. 1. cap. 2. dixiſſe Deum Adamo, *vitam diuturnam ipſi fuiſſe proferendam*, ſi non peccaſſet, non dicit tamen moriturum unquam fuiſſe. Judæi enim (ut ex eorum ſcriptis probari poteſt) docuerunt, hominem ſi in innocentia perſtitiſſet, poſt longævam in terris vitam, eamque jucundam & moleſtiis omnibus exemptam, in cœlum fuiſſe transferendum. Ideò loquuntur de vita ejus in terris, tanquam diuturna, non perpetua, quia perpetuitas reſervabatur in cœlis. Sed talia pluribus perſequi neceſſarium non eſt, quia aliis planè fundamentis innitimur. Et de hac controverſia pro temporis & inſtituti ratione, ſatis.

Exercitatio XXII.

Narratio de nominum impoſitione, & ejus occaſione. Non potuit fieri ſine cognitione naturæ animalium. Quam aptè ab Adamo id factum fuerit? Scholaſticorum ſententiæ de Adami ſcientia. Qui ſæpè audacius affirmant. Quid de ea noſſe ſufficiat? Quibus argumentis probetur, talem fuiſſe quæ ad beatam vitam ſufficeret? Quam craſſam ei ignorantiam Socinus tribuat? Refellitur. Smalcii objectio pro ſententia Socini, & ad eam reſponſiones. Socini ipſius argumenta afferuntur, & ſolvuntur.

A Verſu 28. ſecundi cap. Geneſ. uſque ad finem, texitur à Moſe hiſtoria de conjugii inſtitutione, inter primos homines. Nam quod obiter attigerat cap. 1. de formatione maſculi & fœminæ ad imaginem Dei; item de generis humani inſtituta propagatione, ex divina benedictione, id nunc quomodo factum

factum fuerit, ſigillatim recitat; & cauſas omnes ſanctæ illius inſtitutionis, expendit; obiter tamen inſerta per occaſionem verſ. 19. & 20. narratione, de omnium animalium deductione ad Adamum, qua Deus eum in poſſeſſionem miſit dominii in alias omnes creaturas, quibus propterea voluit, ut pro conceſſa ſibi ſapientia imponeret nomina, unicuique ſecundum naturæ ſuæ proprietatem. Dixi autem ex occaſione inſtitutionis matrimonii fuiſſe perductum Moſem ad eam narrationem, ut oſtenderet, cur Deus Adamo de novo formaverit vitæ ſociam, cum tantus eſſet animalium numerus, quæ Adami poteſtati fuerant commiſſa. Id ergo præoccupat, & præfatur inter tot animalia non fuiſſe homini auxilium commodum. Ideò de tali auxilio voluiſſe Deum ipſi providere.

Priuſquam autem ad ea quæ difficultatem aliquam aut controverſiam habent in formatione fœminæ, & conjugii inſtitutione accedamus; expediemus primò quæſtionem de Adami, in innocentiæ ſtatu, ſapientia, etiam in cognitione rerum naturalium, quam maximam fuiſſe arguit impoſitio nominum, omnibus animalibus adeò apte ab ipſo initio inſtituta, ut quocumq; nomine ſingulas animantes appellavit Adam, id ipſis nomen fuerit, ut teſtatur Moſes. Ex eo enim apertè ſequitur, Adamum ab initio perfectam omnium animalium habuiſſe ſcientiam, non enim potuiſſet imponere nomina ſingulis animalibus convenientia, niſi cognitione naturæ ſingularum donatus fuiſſet. Id vidit Plato qui in Cratylo, eum qui primus omnium mortalium nomina rebus impoſuit, ſapientiſſimum fuiſſe affirmat. Ἀναγκαῖον ἦ εἰδότα τίθεσθαι τὸν τιθέμενον τὰ ὀνόματα. Et paulò poſt, quia id poſuerat per nomina res intelligi, &tamen intelligentem fuiſſe oportere, qui nomina primum impoſuiſſet rebus, quas tamen non potuit noſſe per nomina priora; addit, Οἶμαι μὲν ἐγὼ τὸν ἀληθέστατον λόγον περὶ τούτων εἶναι ὦ Σώκρατες, μείζω τινὰ δύναμιν εἶναι ἢ ἀνθρωπείαν, τὴν θεμένην τὰ πρῶτα ὀνόματα τοῖς πράγμασιν. *Reor quidem Socrates, veriſſimum eſſe eum ſermonem, quo dicitur excellentiorem quandam potentiam quam humanam, prima rebus nomina præbuiſſe.* Hæc quidem ille, qui ſi noviſſet quam aptiſſimè conveniebant rebus nomina in primigenia illa lingua, magis in ſua ſententia fuiſſet confirmatus.

Quid ſi prætereà, Deum ipſum adduxiſſe primo Nomenclatori omnia animalia, ut unumquodque ſuo nomine appellaret, & per conſequens inditum unicuique nomen ab ipſo Deo fuiſſe approbatum, eaque lingua quam Deus ipſe homini ſuggeſſerat? Id ita eſſe oſtendit Moſis narratio, in qua cum dicitur Deus adduxiſſe animalia terreſtria & volatilia ad Adamum ut ipſis nomina imponeret, hoc voluiſſe ſignificare ſentimus, quod animalibus quæ homini ſubjecerat, hunc indiderit inſtinctum, ut ſecundum ſuas ſpecies ſe Domino ſuo ſiſterent, & ei quaſi dominium facerent, ac velut obſequium & ſervitutem ipſi ſponderent. Ipſe autem cognoſceret ſervos ſuos, & comparatione cum ſua ipſius natura, quantum ipſis præſtaret, agnoſcens, quam eſſet conditori ſuo devinctus, magis ac magis intelligeret.

Multis, hujus loci occaſione diſputant Scholaſtici de Adami ſcientia in ſtatu innocentiæ, & de perfectione intellectus ejus, ad omnia cognoſcenda quæ cognoſci poſſunt, eidemque tribuunt quatuor perfectiones ſcientiæ, 1. Multo perfectiorem Dei cognitionem quam nos habemus, quia ſine impedimento & diſtractione ſenſuum, poterat mentem intendere in cognitionem effectorum Dei immaterialium & intelligibilium, qui Deum perfectius quam alii effectus repræſentant. 2. Quia multo perfectius quam nos, cognovit ſubſtantias immateriales Angelos videlicet, cum ejus cognitio circa intelligibilia, eſſet magis fixa, &c. 3. Quia omnium rerum, quæ vel ex principiis primis per ſe notis ſciri poſſunt, vel ad alios tam erudiendos quam gubernandos ſciri debent, cognitionem habuit ab initio ſibi inditam. 4. Quia manente ſtatu innocentiæ nulla in re poterat decipi, ne in illis quidem quæ naturaliter non cognoſcebat, id eſt ut Auguſtinus ait lib. 3. de lib. arbitrio cap. 12. non poterat *approbare vera pro falſis*, quia *id non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Quia per juſtitiam originalem, qua Adam rectus omni ex parte à Deo conditus eſt, ita etiam perficiebatur quoad intellectum, ut nunquam rebus ipſi non exploratis abſolutè fuiſſet aſſenſurus in illo ſtatu, ſed ſolum judicaturus eas poſſe quidem eſſe, ſi eſſent natura ſua contingentes. Hæc & talia non malè diſputant, etſi ſæpè, ut in aliis, audaciores ſint in determinandis ſcientiæ hujus rationibus, & apicibus etiam minutiſſimis, in quibus ſobriè verſandum eſt, ne dum omnia ſcire nos profitemur, multa tenebris involvamus. Id ſufficiat de ſcientia Adami noſſe, talem ipſi à Deo fuiſſe inditam & tantam, qualis & quanta neceſſaria fuit, ad Deum conditorem ſuum ſufficienter humano modulo cognoſcendum & colendum, ad vitam ſuam ſapienter & prudenter inſtituendam, & ad ſubjectarum creaturarum quæ ipſi à Deo fuerant commiſſæ gubernationem. Quæ certè ſequuntur non ſolùm ex circumſtantia facti hujus, cujus occaſione agimus de Adami ſcientia, ſed præſertim ex imagine Dei ad quam conditus fuit, quæ in homine ſine ſapientia & ſcientia non potuit eſſe. Ideò Apoſtolus, ut ſuo loco oſtendimus, novum hominem vocat *qui renovatur* εἰς ἐπίγνωσιν, *in agnitionem, ſecundum imaginem ejus qui creavit illum.* Coloſſ. 3. ℣. 10. Unde patet, in imagine illa comprehenſam fuiſſe cognitionem. Hinc filius Syrach Eccleſ. cap. 17. ℣. 5. *Diſciplina intellectus replevit illos*, ubi loquitur de primis hominibus. Et novimus, ignorantiæ tenebras quibus involuti ſumus à peccato profluxiſſe, ex quo ſatis liquet ante peccatum ignorantia rerum cognitu neceſſariarum ad benè & beatè vivendum, hominem non laboraſſe. Sed cum quæ ab intellectu humano cognoſcuntur ad tria hæc capita revocentur, 1. quæ ſu-

pra ipſum hominem ſunt, ut Deus. 2. Quæ juxta ipſum, ut Angeli. 3. Quæ infra ipſum, ut creaturæ reliquæ. 4. Quæ intra ipſum, ut anima, &c. De omnibus hiſce cognoviſſe hominem quantum ſatis erat ad integritatis & rectitudinis ſtatum, non dubitamus, nec etiam eorum ſententiæ contradicimus, qui Adamum in illo ſtatu præditum fuiſſe ea ſcientia & ſapientia ſentiunt, quam poſteà nullus homo purus adeptus eſt. Proinde, quod de ſapientia Salomonis dicitur, quæ omnium ſapientiæ præfertur, qui fuerunt, vel futuri ſunt; intelligendum eſſe comparatione facta ad omnes homines poſt corruptionis ſtatum, non ad Adamum ante peccatum.

Ad id probandum præter ea quæ diximus faciunt ſequentes rationes. 1. Ab eo quod Deus initio creavit omnia in ſuo genere perfecta, tam ſecundum perfectiones ſpecificas, quam individuales; ſecundum magnitudinem corporis, ſecundum potentiam generandi & exequendi omnia, quæ ad actiones naturales erant neceſſaria; ergo non eſt exiſtimandum, cum Deus omnibus animalibus ita ab initio providerit, ſolum hominē, quem ratione corporis in juſta ſtatura creavit, fuiſſe ab eo relictum, deſtitutum ea perfectione, ſine qua humanas actiones non potuiſſet perficere.

2. Cum Adam initio creatus fuerit tanquam humani generis ſator, in ætate perfecta & ad generandum idonea, inconveniens fuiſſet, ſi qui primus rector & doctor hominum eſſe debuit, non fuiſſet præditus facultate regendi & docendi alios homines, quod fieri non potuiſſet, niſi ipſe ſcientia & ſapientia fuiſſet ornatus. Qui enim neſciens ipſe eſt, alios docere non poteſt.

3. Non videretur conveniens fuiſſe, ſi homo creatus, ut beatam ageret vitam, cum omni tranquillitate animi ac jucunditate, ſine triſtitia & dolore ullo, abundans omnibus bonis ad eſum corporalem, & in amœniſſimo collocatus loco, propter rerum ignorantiam triſtitia afflictus fuiſſet, & animæ dulciſſimo pabulo deſtitutus, quo præſertim ad vitam immortalem ali debuit.

Et hæc quidem ſatis evincunt hominem in primo ſtatu earum omnium rerum tam divinarum quam humanarum ſcientia, ornatum fuiſſe, quæ, cum ad hanc præſentem vitam benè & beatè inſtituendam, tum ad æternam conſequendam & Deum ritè colendū erat neceſſaria. At verò quæ ad neutrum horum fecerunt, veluti cognitio omnium futurorum quæ contingentia appellantur, & cogitationum cordis uniuſcujuſque notitia, vel etiam quot numero ſtellæ, quot in mari piſces, &c. quia non faciunt ad hos duos fines, neque etiam homini fuerunt neceſſariæ, neque eas ipſi in eo ſtatu attribuimus.

Hæc cum hactenus apud Chriſtianos vix fuerit aliquis, qui in dubium revocaverit, exortus eſt tandem Socinus, qui lib. de ſtatu primi hominis, cap. 4. negat *Adamum cognoviſſe naturam beſtiarum & ſuæ conjugis.* Et nominum impoſitionem ab Adamo factam aſſerit, *non aliam in Adamo arguere cognitionem*, præter eam quam quilibet *quantumvis ſtupidus* habere potuiſſet, nec ad alia reſpexiſſe talia nomina, quam quæ ſenſibus ſeſe prodebant & unicuiq; manifeſta fuiſſent; aſſerere non veretur. Imo Adamum *ante peccatum fuiſſe inſtar infantis vel pueri*, non quidem ratione innocentiæ tantùm, ſed etiam ratione *cognitionis*; quia neſcivit, *quid eſſet, nudum eſſe.* Vim arboris ſcientiæ boni & mali perſpectam non habuerit, ſe mortalem eſſe neſciverit, & ſimilia, quæ ille audaciſſimè profert, & primum hominem ad imaginem Dei creatum, penè in beſtiam transformat.

Eſt autem ejus ſcopus idem qui olim Pelagio, ne ex tot bonorum amiſſione ſtatus peccati in hominibus ex Adamo prognatis intelligatur, & ex ignorantia naturali Dei, rerum omnium divinarum, & humanarum plurimarum, non poſſit labes illa naturæ colligi, quam non ſolum elevare, ſed ejus etiam ſenſum omnem vult abolere. Igitur non dubitat homini ex creatione Dei recenti, tribuere, 1. Craſſam in genere & ſtupidam ignorantiam. In ſpecie multarum rerum cognitionem eidem detrahere, ut 1. Naturæ brutorum. 2. Evæ conjugis ſuæ. 3. Arboris tam vitæ quam ſcientiæ boni & mali. 4. Propriæ ſuæ mortalitatis.

Contrarium ex ὀνομαθεσίας de qua agitur conſtare jam diximus, quod præterea quæ dicta ſunt ſic demonſtramus. 1. Ex eo quod tunc Adam fecit, quod ne quidem omnium hominum qui nunc vivunt, prudentiſſimus poſſet facere. Si enim in ejus conſpectum omnia perducerentur animantia, & infinita varietas tot creaturarum, præſertim nunquam antea viſorum, non poſſet unicuique ſuum dare nomen, naturæ conveniens. Neque poſſet vel peritiſſimus Phyſicus, non dicam ſine præcedente longa meditatione, ſed ne quidem re diu ſecum deliberata, omnia viventia quę ipſe inveſtigando potuit invenire, commodis appellationibus deſignare. Ex eo enim ſequitur, eum qui primus, omnibus animalibus nomina indidit, eaque non inepta, ſed apta & ſignificantia, naturis eorum accommoda, idque ſine longa præmeditatione vel aliqua mora, fuiſſe ſapientiſſimum & prudentiſſimum. Hoc autem feciſſe Adamum narrat Moſes.

2. Si, quod volunt adverſarii, Adam & Eva fuerunt tanquam infantes, ſtolidi, & nihil noverunt niſi quantum ſenſus ipſis indicabat, fruſtrà præceptum ipſis datum fuit præſertim ſub mortis comminatione, quæ, ſi iſtis credatur, nota ipſis non erat, quia neſciebant, an eſſent mortales necne. Non enim ſolet dari præceptum infantibus, qui rationis uſu non utuntur. At datum fuit eis à Deo præceptum, addita comminatione pœnæ; ergo non laborarunt ea ignorantia quam ipſis affingit Socinus.

3. Juſtum dominium & æquum non poteſt eſſe, in eo qui naturam eorum quibus imperat non novit, nec potuit homo, tot rerum dominus initio à Deo conſtitutus,

tutus,

tutus, iis omnibus præeſſe ſine ulla ἀταξίᾳ quod tamen fuit neceſſarium in prima illa conſtitutione, niſi præditus ſcientia & ſapientia, ſine qua nec poteſt eſſe juſtitia Domino neceſſaria. Sic igitur argumentamur; qui in primo illo ſtatu in quo nulla erat confuſio, nullus defectus, omnibus creaturis inferioribus hominem præfecit, eum quoque ornavit neceſſariis dotibus ad munus exequendum quod illi demandaverat. At Deus initio, hominem præfecit omnibus creaturis inferioribus, ergo &c. Jam vero ſubſumimus, inter neceſſaria ad juſtam & aptam adminiſtrationem, fuit cognitio & ſcientia multarum rerum, Dei in primis à quo pendebat dominatio, & creaturarum ſubjectarum; ergo earum rerum notitia fuit etiam homo ab initio præditus.

Smalcius in libro de vero & naturali Dei filio cap. 7. ſententiam ſuam aliquot argumentis ſtatuminare conatur. Objicit inter alia, quod Adamus inſtar infantis nudum ſe eſſe ignoravit, nec ſcivit quid eſſet nudum eſſe, ante quam de arbore ſcientiæ boni & mali comediſſet. Reſpondeo, id neſcire potuiſſe Adamum quod non erat, ſaltem experimentali ſcientia, de qua loquitur Hiſtoria Sacra. Et diſtinguendam eſſe nuditatem. Nam innocentiæ nuditas talis erat, in qua nihil turpitudinis fuit admixtum, quia in innocentiæ ſtatu nulla erat membrorum rebellio. Si nuditas ſumatur pro eo hominis ſtatu in quo corpus veſtibus nudatum oculis objiciebatur, ſciebat Adam ſe nudum eſſe, quando id oculis percipiebatur, neque negavit Socinus quæ ſenſibus erant objecta, Adamo fuiſſe nota. At ſi ſpectemus nuditatem ignominioſam, fatemur Adam non cognoviſſe eam niſi poſt peccatum, propria ſaltem experientia. An vero cognoverit cognitione ſpeculativa aut theoretica, id etiam affirmare nolumus, quia non id ponimus inter ea quæ huic ſtatui ad benè & beatè vivendum erant neceſſaria. Sed inde non ſequitur, ſi notitiam illam non habuit, quæ ſi practica ſit, miſera eſt; ſi ſpeculativa, non eſt homini jucunda; aliarum rerum naturas, quarum cognitio utilis fuit, neceſſaria, & jucunda, ipſi non fuiſſe cognitas. Quid igitur detrahit hominis dignitati, & ejuſdem multarum rerum ſcientiæ, ſi per peccatum contractam nuditatem ignominioſam & neceſſariam peccati ſequelam ignoraverit; ſi ubi nulla erat turpitudo, neque etiam erubeſcentia ulla fuerit, quæ turpitudinis eſt metus, φόβος τῆς ἀδοξίας, ut ait Ariſtoteles, Ethic. lib. 4. cap. 9.

Objicit Socinus cap. 4. lib. de ſtatu primi hominis, ex omnibus nominibus conjugi impoſitis ab Adamo, clarè liquere, impoſitionem nominum ulterius non fuiſſe progreſſam, quam ad ea quæ quælibet, quantumvis ſtupidus, cognitura fuiſſet. Reſpondemus, id falſiſſimum eſſe, ex Hiſtoria Sacra conſtare. Nam ex ea liquet Adamum ad primum Evæ intuitum protinus, nemine dictante, aut ſuggerente, noviſſe, ex qua materia præexiſtente, ſibi alias in univerſum ignota, facta fuiſſet mulier. Cum dixit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea.* Deinde nomen ipſi impoſitum *Chavah*, non fuiſſe ſine ratiocinatione, & futurorum præcognitione excogitatum; quando prædixit eam futuram omnium viventium matrem. Item, quando *Iſcha* viraginem eam dixit, quia *de viro ſumpta fuerat*, quod ſenſu non perceperat, quandoquidem tunc gravi ſomno fuerat perculſus. Ex quo ſpecimine, etiam judicandum eſt de nominibus animalibus impoſitis, quorum etſi particularis notitia non ita ſit ad manum, tamen non in dubium poni debet, eadem dexteritate fuiſſe ipſis impoſita.

Addit Socinus, Adamum non agniturum fuiſſe ſe mortalem eſſe, nemine indicante, ex eo perſpicuum eſſe, quod nos ipſi id de nobis niſi experientia ipſa, & rationibus propter experientiam animadverſis, noſſe non potuimus. Nec mirum: quia, ut dictum eſt à Philoſopho: nihil eſt in mente ſive intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu; oportebat igitur Adamum aliquid prius ſenſibus percipere, ex quo ad veram notitiam pervenire poſſet mortalitatis ſuæ. Id autem vel aliquo indicante, cui fidem haberet, vel experientiâ, fieri neceſſe erat, &c. Reſp. non afferre adverſarium ſufficientem enumerationem cauſarum quibus cognitio rei alicujus poſſit ingenerari, & fallere, cum eandem rationem vult eſſe in primi hominis cognitione, quæ in nobis eſt ex uſu & diſciplina. Prorſus ſimili modo ac ſi negare vellet Adamum fuiſſe creatum in juſta hominis ſtatura, quia recens natus infans adhuc puſillus eſt, & in ſtaturam hominis non creſcit niſi temporis progreſſu, accretione per nutrimentum facta. Ergo quemadmodum initio Deus hominem creavit adultum, potuit etiam ſine ſenſuum miniſterio, indere ipſi neceſſarias ſcientias, eaſque ipſius menti infundere, qua ratione potuit Adam cognoſcere, & verè cognovit, ſe talem fuiſſe creatum, qui mori poſſet, ſi Deo non obtemperaret. Alioquin enim fruſtra fuiſſet addita mandato comminatio mortis, ſi quale malum ſit mors, non intellexiſſet Adam. Malè ergo argumentatur adverſarius, à conditione noſtra, qui ſenſuum miniſterio opus habemus ut aliquid intelligamus, ad cognitionem, in creatione Adamo inditam. Quid, quod etiam multa hominibus in ſtatu lapſus fuerunt revelata, quorum cognitio à ſenſibus non pendet, ſed à divina operatione intus agente? Quod ſi adverſarius neget, operationem ſingularem Sp. S. in ſanctis hominibus eadem opera negabit. Potuit igitur homo habere & reipſa habuit, concreatum ſcientiæ habitum, ſine diſciplina, & miniſterio ſenſuum. Alioquin, unde ſcivit Adam, quod ex oſſibus ſuis & ex carne ſua condita fuiſſet Eva? &c.

Pergit, neſciviſſe Adamum ante quam ex arbore ſcientiæ boni & mali comederet, vim arboris vitæ, aut ſaltem ignoraſſe quanti vis illa facienda eſſet. Reſpondemus, id etiam temerè affirmari; & contrarium ex eo probari poſſe, quod multarum rerum minus homini neceſſariarum ipſi cognitio fuerit indita; qui enim omni-

omnibus animalibus imponere potuit apta nomina, quæ ratio eſt ut dicamus, eum ignoraſſe naturam & vires arboris utiliſſimæ, & quæ in ejus uſum, ſi in innocentia perſtitiſſet, à Deo fuerat creata? Si minus utilia novit, eaque decernere potuit, exempli gratia pardos, leones, ſerpentes, veſpertiliones, &c. quis credet tam excellentem & utilem plantam ipſi fuiſſe incognitam? Præterea, ignorantiam illam Adamo tribuit adverſarius ſine ullo Scripturæ teſtimonio, quod ſi ſimplex aſſertio vel negatio ſufficiat, nihil erit quod quivis negare vel aſſerere non poſſit.

Et certè, ſi vim & naturam illius arboris ante peccatum ignoraverit, non eſt veriſimile poſtquàm peccavit eam magis fuiſſe ipſi cognitam. Id ſi ita ſit, non opus fuit, ut Deus eum ab illo fructu arceret per excubias Angelicas, cujus cum ignarus eſſet, nullo etiam deſiderio teneri potuit. Quod igitur Deus arcere voluit hominem Angeli cuſtodia & flammeo gladio, indicium eſt arboris illius vim non fuiſſe homini incognitam; eam autem didiciſſe poſt peccatum, non eſt ſimile vero; talem enim ſcientiam quæ non eſſet experimentalis mali, auctam fuiſſe poſt peccatum abſurdum videri debet. Ergo potius inferendum eſt, Adamo innocenti cognitam fuiſſe arborem illam & vim illius, cujus contrarium adverſarius temerè, & nullis ſuffultus argumentis, affirmat.

Exercitatio XXIII.

Explicatio verſus XVIII *&* XX. *Quid ſit* לנגדו lenegdó. *Vnicum hominem fuiſſe initio creatum. Delirium Iudæorum de Gemellis; malè à Steucho Eugubino probatum.* Adjutorium *an ſolam prolem reſpiciat? Mulier propter virum. Explicatio loci Pauli* 1 *Cor.* XI. *v.* 9. *Pererii* ϖδαλεργία. *Matrimonii lex an omnibus neceſſaria? Ejus tres cauſæ. Bonum aliud morale, aliud naturale. Examinatur Pererii ſententia de comparatione matrimonii in ſtatu lapſus & integritatis.*

His de Adami ſcientia ita pertractatis, ad id veniemus cujus occaſione Moſes in ὀνομαθεσίας hujus deſcriptionem perductus eſt, quia nimirum non erat inter omnia animantia adjutorium homini commodum. Et tamen, Deo ipſo judice, *non erat bonum, hominem eſſe ſolum.* Sic enim Moſes, *dixerat Iehova Deus, non eſt bonum hominem eſſe* לבדו lebaddó *ſolum, faciamus ipſi* עזר כנגדו *ezer cenegdó*, adjutorium, *tanquam coram eo.* בדד *badad* eſt *ſolitarius fuit, ſolitarium egit.* inde בודד *boded*, ſolitarius exiſtens. & לבד *ſeorſum*, cum affixo autem לבדו *lebaddô*, ſolus ipſe, ut hoc loco. נגד *neged* coràm, & contra ſignificat. cum affixo נגדו coram, vel ex adverſo ſui; addita autem כ nota ſimilitudinis, ut hoc loco כנגדו *cenegdó*, ſecundum coram ipſum, ad verbum, id eſt, juxta correſpondentiam ejus, ipſi tanquam alter ipſe, & naturali ſpecie ac forma conveniens. Trem. & Jun. *accommodum ipſi.* Id Græci interpretes dixerunt κατ' αὐτόν. *ſecundum ipſum*, id eſt, ipſi correſpondens. Quod non ſolum ad ſobolis procreationem pertinet, verum etiam ad totam vitæ ſocietatem, & conjunctionem morum, animorum, & ſtudiorum.

Ex his patet unicum hominem fuiſſe initio creatum, cumque ſolum fuiſſe in ſua ſpecie, donec ipſi uxor adjungeretur. Unde merito exploditur commentum quorundam Judæorum, qui nugati ſunt initio hominem creatum fuiſſe bifrontem, & duplici corpore, quorum unum poſteà ab altero fuit divulſum, cum è coſta viri Deus eduxit mulierem, non per creationem, ſed per ſeparationem. Quod delirium mirum eſt placuiſſe Aug. Steucho Eugubino in Coſmopœia, ubi dicit fuiſſe quaſi duo latera, & duos homines inter ſe connexos, inter ſe cohærentes, ut duo qui ſe mutuo amplectuntur, quos poſteà ambos ab invicem diſſociavit. Id inquam mirum eſt homini Theologo, tam abſonum, tam à verbis Scripturæ alienum, potuiſſe perſuaderi. Deus enim, ut rectè diſſerit Nicolaus Lyranus nunquam à tali monſtro, humani generis omnium creaturarum inferiorum excellentiſſimi, duxiſſet initium.

Per nomen עזר *ezer*, adjutorium, ſi nihil aliud additum fuiſſet, non fuiſſet ſatis expreſſus finis Deo propoſitus. Erant enim adjutoria alia homini data, & inter animantia ſunt quæ à juvando *jumenta* dicta fuerunt, ideò adjiciendum fuit illud, כנגדו *cenegdó*, quod ei reſponderet, ejuſdem naturæ, ſpeciei, animi, voluntatis &c, Adjutorium ergo, non ſolùm (etſi & id inter præcipua) ad generationem prolis, ſed etiam ad alia. Nam etſi Auguſt. lib. 9. de Geneſ. ad lit. cap. 3. & 4. exiſtimaverit, ad id ſolum tali adjutorio hominem opus habuiſſe, quia ad alia omnia magis vir à viro, quam vir à muliere adjuvari potuiſſet: ſi tamen res exactè conſideretur, ſunt alia non pauca, quæ à muliere commodius curantur. Nam præter neceſſitatem ejus ad procreationem prolis, & ad ejuſdem genitæ nutritionem, quæ nullo modo à viris poſſunt præſtari; ſunt officia plurima domeſtica, ad quæ peragenda mulier multo eſt aptior. Et quemadmodum vir, publica, civilia, & externa negotia, prudentius, & expeditius tractare poteſt, quam fœmina; ita diligentius, & vigilantius, à fœminis domeſtica tractantur. Addo etiam non firmum eſſe quod ait Auguſtinus, *congruentius multo ad convivendum & colloquendum duo amici pariter, quam vir & mulier habitaturos.* Etſi enim inter amicos dulciſſima ſit familiaritas, non eſt tamen indiſſolubile inter eos vinculum, neque tot neceſſitudinibus arctatum, quale

quale eſt illud, quod in honeſto conjugio inter virum & fœminam, intercedit.

Ex hoc etiam loco, *faciam ei adjutorium tanquam coram eo*, fœminam non eſſe factam per ſe & primo conſtare debet, ſed propter virum, & ad hunc locum reſpexiſſe Paulum, 1 ad Cor. 11. ỷ. 9. cum dixit, *Neque enim conditus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Ad quod refert Pererius, quod Peripathetici mulierem appellarunt, *animal occaſionatum*, id eſt, non per ſe & ex principali naturæ intentione generatum, ſed ex occaſione, id eſt, propter imbecillitatem & defectum virtutis generativæ in homine, ſine fœminæ ſubſidio. Sed non eadem fuit Pauli intentio quæ Peripatheticorum; nec verum eſt fœminam, etſi propter hominem creata fuerit, eſſe *animal occaſionatum.* Si enim voluiſſet Deus ab initio talem condere hominem qui ex ſe ipſo potuiſſet ſibi ſimilem producere, id procul dubio potuiſſet. Non igitur voluit fœminam condere propter aliquem in homine defectum, eorum in morem, qui poſt aliquod opus peractum animadvertunt ei aliquid deeſſe de quo non antea cogitarant, & ut defectum compenſent, aliud aliquid addunt per occaſionem. Quia quemadmodum Deus omnia animalia cum diverſitate ſexus initio condiderat, ita etiam de homine initio ſtatuerat, & una & eadem intentione propoſuerat virum & fœminam condere, eo modo quo creati fuerunt, & in eum finem, etſi unus propter alium fuerit creatus, cujus rei ratione, modo noſtro concipiendi, intentiones multiplicantur: etſi in Deo unica fuerit, qua intendit virum & fœminam creare, & fœminam quidem propter virum, ſed una tamen intentione utrumq; ſtatuit creare, cum dependētia fœminæ à viro.

Pererius Jeſuita, hic contra hæreticos inſurgit, quos dicit abuti hoc loco ad vota Monaſtica virginitatis, & cœlibatus, oppugnanda; quorum argumentum ſic format, *Si non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, id eſt, ſine conjugio, ergo iſta vota quæ conjugium excludunt mala ſunt, & Dei ſententiæ contraria.* Reſpondet primo, per deductionem ad abſurdum, quia ſi ita eſſet, Paulus c. 7. Epiſt. 1 ad Corinth. Deo contrarius eſſet, qui cœlibatum commendavit, & Chriſtus ipſe Matth. 10. qui inter Eunuchorum ſpecies numerat eos *qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum &c.* Deinde, directè; per diſtinctionem duorum temporum, & duorum hominum ſtatuum, in exordio mundi abſtinere à conjugio non fuiſſe bonum: ſed facta hominum multiplicatione, nullam rationem quemquam hominum propriè urgere, aut cogere, matrimonium inire. Ego vero non memini me apud quenquam è noſtris tale argumentum legiſſe contra cœlibatum, imò merito noſtri etiam interpretes reprehendunt Judæos qui nimis generaliter omnes legi matrimonii ſubjiciunt. Nec etiam Bellarminus ubi noſtrorum argumenta colligit contra votum cœlibatus, hujus meminit. Et Petrus martyr qui contra Smittæum fuſè materiam illam tractavit, hunc locum exponens in commentariis ſuis, eum cum alio Pauli cap. 7. epiſt. 1 ad Corinth. ỷ. 1. *Bonum eſt homini ſi non tangat mulierem*, ita conciliat, ut dicat hæc dicta non opponi, quia ſententia Moſis eſt ἐπὶ τὸ πολὺ; Pauli vero ſententia coarctanda certo hominum generi. Unde Chriſtus, non omnes capiunt verbum iſtud. Ut ergo peccant qui legem cœlibatus omnibus hominibus impoſitam eſſe cenſent, verbis illis Pauli; ita etiam non probantur, qui omni tempore & omnibus hominibus matrimonii legem tanquam neceſſariam volunt impoſitam, ſi qui tales ſint. Quemadmodum enim ex verbis Apoſtoli non poteſt colligi præceptum aliquod generale, neceſſitatem cœlibatus introducens, ita nec ex verbis hiſce Dei, inferri poſſe præceptum aliquod generale, neceſſitatem conjugii omnibus indiſtinctè imponens, etiam nos ultro fatemur. Nec tamen planè acquieſcimus illorum reſponſione, qui in conciliatione harum ſententiarum, dicunt verba Dei apud Moſem accipienda eſſe de *bono ſpeciei*, verba autem Pauli de *bono individui.* Nam duo illa bona non ſunt ita disjuncta, ut bonum individui, non etiam ut plurimum conjungatur cum bono ſpeciei. Imò etiam aliquando poteſt ſubeſſe cauſa, cur aliquis uxorem ducat vel mulier nubat; quæ bonum individui primò reſpiciat, ubi bonum ſpeciei non eſſet neceſſarium, ut ſit hoc tempore, ubi ad bonum ſpeciei vel nihil vel parum facit, ſi hic vel ille non contrahat matrimonium. Quia etiam nunc, ex Apoſtoli conſilio & inſtituto, quod eſt Domini hoc loco, qui non poteſt continere, in omni tempore, & omni ordine, huic legi ſubjacet. Quæ cum initio ad prolis procreationem & educationem neceſſariò ſtatuta fuiſſet, & ad ſocietatem humanam ſtabiliendam & conſervandam, poſteà individuis facta eſt neceſſaria poſt peccatum, etiam ad libidinem & ſcortationem vitandam. Ita ut jam ſint tres matrimonii cauſæ, ei qui matrimonium init conſiderandæ, 1. *prolis procreatio*, primùm à Domino inſtituta, 2. *vitæ ſocietas & conjunctio*, ad quam etiam reſpexiſſe creatorem certum eſt, quæ ideò præcipua videtur, quia omnibus durat temporibus, etiam vel cum ceſſant conjuges eſſe ad generationem apti, vel cum aliter ex conjugio, propter cauſas Deo cognitas, non ſequitur prolis generatio, tum enim vitæ ſocietas in conjugibus nunquam non habet locum. Tertia & minus præcipua cauſſa, ſed quæ tamen poſteà ex accidenti neceſſaria facta eſt, fuit *incontinentiæ malum*, in quo Deus homini in matrimonii inſtitutione præparavit remedium. Proinde hæc Dei ſententia, de qua hoc loco agimus, non tunc ſolùm in primis parentibus locum habuit, ſed ut generale Dei effatum ad omnia tempora pertinet, quia hic habetur inſtitutio conjugii duratura uſque ad finem mundi, in communi apud homines, ratione neceſſitatis, vel ſpeciei, vel individui; quæ ſi in aliquibus, ut fit, ceſſet ad procurandum aliud bonum alio modo vocatis, nemo noſtrum eos adigit, contra vocationem divinam, &

donum Dei, ut de nuptiis cogitent. Itaque mundo jam conſtituto, novimus cœlibatum purum & caſtum, in perſonis ad eum idoneis non ſolum non eſſe improbandum, ſed etiam, vel in primis laudandum. Nec probari debet ſententia Benſyræ Judæi, pronunciantis eum *qui ſemen ex ſe non edit, aſſimilari effuſori ſanguinum, & qui habitat ſine uxore, eſſe ſine bono, ſine benedictione, ſine cohabitatione, ſine lege, & ſine pace, & eum qui ſine uxore eſt, non eſſe reputandum hominem.* Adverſus tales verè poteſt intorqueri dictum Chriſti de Sadducæis, Matth. 22. ℣. 29. *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Quemadmodum enim in dicto Apoſtoli, *Bonum eſt homini mulierem non tangere,* malè intellexerunt nonnulli *bonum morale,* cui peccatum & *malum morale* privativè opponitur; ſic etiam qui hoc loco, *boni* nomen moraliter accipiunt, & eum peccare cenſent qui non ducit uxorem, Scripturæ ſenſum non percipiunt. Hieronymus contra Jovinianum ſcribens, *Si bonum eſt,* inquit, *mulierem non tangere, malum eſt ergo tangere. Nihil enim bono contrarium eſt niſi malum.* Non vidit aut videre noluit, cœlibatus præjudicio abreptus, & Tertullianum Montanizantem ſequutus, non ibi opponi bonum ei quod vitioſum eſt, & voluntati Dei repugnans, ſed declarare id quod commodum eſt, & ad hanc vitam, ſine diſtractione tranſigendam magis accommodatum, idque non abſolutè, ſed temporibus certis, & aliquibus perſonis. Quam limitationem eſſe ipſius Apoſtoli conſtat ex verſ. 26. *propter præſentem neceſſitatem exiſtimo bonum eſſe hominem ita eſſe.* Argumentum igitur Hieronymi fallebat à dicto ſec. quid, ad dictum ſimpliciter. Quia bonum non opponebatur ab Apoſtolo malo morali, ſed incommodo; alioqui damnaſſet conjugium, quod tamen non tam commendat quam imperat omnibus quibus à ſcortatione periculum imminet, & qui continentiæ dono non pollent.

Simili ratione qua peccantes in illo exceſſu redarguimus, etiam eos refellimus, qui in aliud extremum propendentes, omnibus matrimonii legem, & ſingulis hominibus imponunt, nec diſtinguunt inter bonum naturale & morale, & bonum utile & jucundum; vel inter bonum abſolutè, & bonum limitatè. Ad bonum, inquiunt, omnes tenentur; conjugium eſt bonum &c. Ergo. At major non eſt univerſaliter vera ſi intelligatur omne bonum, non enim omnes ad omne bonum tenentur, niſi ſit aliquod bonum ſimpliciter omnibus imperatum. Alioquin bonum eſt vinum, ſed non febricitantibus. Bonum eſt juramentum, ſed non pueris, aut à ratione alienis, aut etiam extra caſum neceſſitatis &c. Si urgeant negativam, id quod bonum non eſt, debet homo fugere, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, id eſt, ſine uxore &c. Reſpond. Majorem veram eſſe, ſed minorem eſſe diſtinguendam, quia non de omnibus hominibus univerſaliter eſt intelligenda, ſed de homine in communi, & de iis ſingulariter, qui ad id vocati ſunt. Deinde (ut diximus) [*non bonum*] hic, intelligi non debet de eo quod non eſt bonum abſolutè, vel moraliter. Nam initio Deus creavit hominem ſolum, & cuncta quæ creaverat erant valdè bona, ergo etiam ille homo ſolus creatus, cui tamen poſteà bonũ non fuiſſet, nec generi humano commodum, ſi ſolus remanſiſſet.

Quod autem Pererius addit, longè diverſam fuiſſe futuram generationem in ſtatu gratiæ ab ea quæ nunc eſt in ſtatu naturæ corruptæ, quia tunc ſoli prædeſtinati multiplicati fuiſſent per generationem, idque ſine ulla libidinis turpitudine, ſine ullo corporis & animi vitio & impedimento, quo à cultu, & obſequio Dei conjuges ullâ ex parte retardarentur: Matrimonium autem in hoc ſtatu, tot tantiſque cum periculis, vitiis & incommodis, rerumque meliorum impedimentis eſſe conjunctum, ut non modo non ſit vitio dandum, ſed etiam magnæ laudi vertendum, quo expeditiori & tranquilliori animo Deo ſerviatur, matrimonii vinculis nolle illigari: In eo ſunt quædam vera, quædam ambigua, & pleraque, quæ noſtram non attingunt quæſtionem. Fatemur certè, non ſolum in matrimonio hoc tempore, ſed etiam in aliis conditionibus ad hanc humanam vitam pertinentibus, per peccatum multa interveniſſe incommoda, quæ ne quidem vitantur omnia in uſu cibi & potus. Quando homo talis factus eſt, qui naturâ ad malum inclinat, ita ut nec cœlibum vita, ſuis maximis defectibus careat. Sed res ipſa in ſe, matrimonium dico, etſi in homine infirmitatibus obnoxio, eſt tamen τίμιος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, nec minus poſt lapſum quam antè, uxor pia, eſt homini data tanquam *adjutorium*, non ſolum in generanda prole, vel in œconomia procuranda, ſed etiam in pietatis exercitiis. Quod dicit, tunc propagandos fuiſſe ſolos prædeſtinatos, audax eſt pronunciatum. Ipſi enim probandum eſſet, ſi Adam ſtetiſſet, omnes homines ab Adamo progenitos futuros fuiſſe in terris ab ipſo ortu confirmatos, & extra peccandi aleam conſtitutos, ita ut etiam adulti non potuiſſent in peccatum incidere, per liberum arbitrium. Cujus rei probationem aliam vellemus, quam ſimplicem Jeſuitæ affirmationem. Ambiguum eſt quod dicit, expeditiori & tranquilliori animo poſſe illum ſervire Deo, qui non ſe ſinit matrimonii vinculis illigari. Si enim id *abſolutè* dicatur, falſum eſt: ſi autem *ſecundum quid*, & ratione quorundam, nihil ex eo concludet adverſarius, præter concluſionem particularem ratione eorum quibus id ex dono & vocatione divina magis expedit, non tamen votum illud omnibus promiſcuè eſſe ſuadendum, vel à quovis eſſe emittendum: Imò ne id quidem probabit ad id ſe adſtringendum eſſe voto perpetuo, quod etſi ad tempus expedire poſſet, mutatis tamen circumſtantiis impediret. Denique, quæſtio eſt, an hoc etiam tempore locum habeat dictum Dei, *non eſt bonum, hominem eſſe ſolum,* an tantùm in ſtatu innocentiæ, vel ſub Vet. Teſtamento. Si hoc etiam tempore locum habeat, fruſtra diſtinxit inter ſtatum innocentiæ

&

& ſtatum peccati. Si locum non habeat, nec reliqua quæ ſequuntur, relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam,&c. quæ per conſequens fruſtra inculcaſſet Chriſtus, ut matrimonii abuſus corrigeret, & homines ad primam inſtitutionem revocaret. Hoc autem dicere abſurdum eſt & blaſphemum. Ergo alia fuit quærenda conciliatio, quam nos exhibuimus, & qua poſita conveniunt Moſes & Paulus, & manet matrimonio ſuus honos, ſine præjudicio cœlibatus prudenter & ſanctè ſuſcepti; De quo tamen Chriſtus, Matth.11. ℣. 11. *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* Et Apoſt. 1 Cor.7. ℣. 2. *Propter fornicationem unuſquiſque habeat uxorem ſuam, & qualibet virum ſuum.* Finio hanc diſputationem, cui hoc tantum addo, ridiculam eſſe conſiderationem Rabi Salomonis, quam tamen Mariana acutam cenſebat, vocem *cenegdó*, non ſolum ſignificare *ſecundum ipſum*, ſed etiam *contra ipſum*, ut intelligatur ſi uxor ſit bona, in prima ſignificatione eſſe vocem illam accipiendam; ſi mala, in ſecunda. Ita ut Deus voce ambigua uti voluerit, ut conjugii in utroque ſtatu conditionem tam innocentiæ quam peccati indicaret. Fuit enim ante peccatum in adjutorium inſtitutum, quod poſteà ſæpè vertitur in ſupplicium. Id in Scriptura ludere eſt. Nam vox adjutorii non patitur ullam ambiguitatem in voce כנגדו *cenegdó*: Quid enim hoc eſſet adjutorium contra ipſum, niſi adjutorium adverſum & noxium, id eſt, mera contradictio in adjecto, quam Deo tribuere eſt inſanire.

EXERCITATIO XXIV.

Explicatur verſus XXI, & XXII. *Redarguuntur curioſæ quæſtiones. Cajetani ſententia de coſta Adami examinatur. Merito ab aliis, etiam Pontificiis, exploſa. Littera ſenſus eſt fundamentum allegoriæ. Refelluntur Cajetani exceptiones. An aliquid in Adamo fuerit ſuperfluum? Negatur. Solvitur objectio ab abſurdo. Redarguitur nugamentum de homine gemino creato.* Non inventum eſſe adjutorium, *quomodo intelligendum? id eſt non fuiſſe. Scripturam aliquando paucis narrare, quæ poſteà fuſius explicat. Adducta quomodo fuerit Eva ad Adamum. Quando, & ubi fuerit creata? Explicatur verſ.* XXIII.

VERS. 21. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiviſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro eâ.* ויפל *vajappel*, ad verbum, & cadere fecit, ſed per pluſquamperfectum reſolvendum eſt perfectum illud, quia agitur de re antea facta. *Cadere fecerat*, vel immiſerat, ſoporem תרדמה *tardemah*, id eſt profundiorem & arctiorem ſomnum, quam eſt שנה *ſchenah.* Alibi 1 Sam. 16. dicitur תרדמת יהוה *tardemat Iehova*, ſopor domini, id eſt à Domino immiſſus, ubi Targum, ſomnus fortis à Domino. *Et accepit unam è coſtis ejus* מצלעתיו *mitſalotaju*, צלע *tſela*, propriè coſtam ſignificat, Sed metaphoricè tranſſumitur, ad latus non hominis tantùm, ſed rei cujuſlibet ſignificandum, etſi propriè coſtam (ut homo, & animal) non habeant. Sic apud Græcos πλευρὰ, coſtam, & latus ſignificat.

Verſ. 22. *Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* ædificavit in mulierem, id eſt ut eſſet mulier. Phraſi Ebræa, ut Jud. 8. ℣. 27. *fecit illud Gedeon in Ephod*, id eſt, ut eſſet Ephod.

Occaſione duorum iſtorũ verſuum multæ quæſtiones à curioſis agitantur, veluti, Cur Deus immediatè non produxerit Evam ex limo, & ſimul cum Adam; ex quo latere educta fuerit: Cur non æqualis robore, & aliæ non paucæ: Ad quas & ſimiles quæ excogitari poſſunt, non opus eſt alia reſponſione, niſi ſapientiſſimo Deo ſuas conſtare rationes. Nobis autem non indagandum eſſe, cur hoc vel illud factum ſit; ſed credendum quod Scriptura dicit factum fuiſſe. At inter Pontificios Cardinalis Cajetanus, non potuit adduci ut crederet talia facta fuiſſe prout narrantur. Itaque ad allegoriam totam Moſis narrationem inflectit, ſaltem (ut ille loquitur) ad parabolam. Dicit 1. Textum quo narratur ablatam fuiſſe coſtam ex Adam, ſi ut ſonat litera intelligatur, inevitabile abſurdum incurri, vel quod Adam fuerit monſtrum, vel quod fuerit mancus poſt ſublatam coſtam. 2. Contextum id inſinuare, nempe eſſe parabolam, quia adducere animalia coram Adam & non invenire inter ea adjutorium conveniens ei, ſi ſecundum literam intelligatur, ridiculam inquiſitionem ſignificat, quia nemini mentis capaci potuit venire in dubium, an inter aves poſſet reperiri adjutor conveniens Adæ, &c. 3. Quia apud Moſem dictum fuit de ſexto die, maſculum & fœminam creavit eos. Rationi itaque & textui Sacræ Scripturæ quadrare, ut hæc mulieris formatio ex viri coſta, non intelligatur corporaliter, ſed ſecundum ſimilitudinem. Per ſomnum igitur Adami, intelligit defectum virtutis virilis unde naturaliter producitur mulier. Quia homo dormiens ſemi-homo eſt, & principium productivum mulieris ſemi-virile eſt, inde mulier à Philoſophis nominatur vir læſus & imperfectus. Quia vero hic defectus non eſt per accidens, reſpectu naturæ univerſalis, ſed ex intentione divina ad propagationem generis humani, dicitur hic ſomnus à Deo immiſſus. Ablatio coſtæ ex viro, ſignificat diminutionem roboris ex animo viri ob uxorem. Quatenus coſta, ſignificat ſocietatem conjugum, quia fœmina non eſt ſerva ſed collo-

collateralis. Quia una tantum fuit coſta, denotat, minimum robur quod eſt tum in corpore tum in animo muliebri, ita ut proportio virium muliebrium ad vires & robur virile, reſpondeat proportioni unius coſtæ, ad reliquas omnes coſtas. Caro autem reſtituta pro coſta, ei ſignificat compenſationem quæ fit viro per poſteritatem, quia excuſatur vir incurrens diminutionem virtutis virilis ducendo uxorem, eo quod dat operam, conſervationi ſpeciei humanæ. Hæc ille fuſius, quæ in pauca contraximus; ex quibus poteſt percipi quo feratur ingenium humanum, quando fræna ſibi laxat, & ſimplicitatem verbi Dei, nugis ſuis poſtponit. Ejus ſententia merito, etiam aliis Pontificiis diſplicuit, quorum nonnulli propterea exagitarunt Cardinalem ſuum ſatis duriter, ſed inter alios Ambroſius Catharinus, quem ſequutus eſt Alphonſus à Caſtro, qui *Thomam* illum *de Vio* hæreſeos illius autorem facit, qua aſſeritur Evam immediatè de limo terræ, non ex Adæ coſta fuiſſe ædificatam. Aſſerit etiam Pererius Cajetano adverſari, concordem omnium Patrum & doctorum ſententiam, præter communem Eccleſiæ conſenſum, & populi Chriſtiani univerſi ſenſum. Unde etiam concludit ſententiam Cajetani eſſe recta fidei contrariam. Imò non unum, ſed plures in ea contineri errores, oſtendit Alphonſus à Caſtro. Afferunt autem multa ex Scriptura argumenta, quorum etiam nonnulla ex libris Apocryphis deſumuntur, quæ facilè poſſent eludi ab eo qui Cajetanum defenderet, ſi in ipſo de quo agimus loco, ea non ſuppeterent, quæ ad ſententiam illam refellendam ſunt neceſſaria. Ex Moſe enim deſumpta ſunt quæ ab aliis dicuntur. At ex hoc loco certiſſimum eſt, non agi de imminutione virium Adami ex generatione, & tot eſſe ferè abſurda quot verba in excogitata illa parabola, præſertim cum per eam negetur, quod adeò expreſſè aſſeritur à Sp. Sancto, Adamum vaticinando dixiſſe, *Hoc nunc eſt os ex oſſibus meis; & caro de carne mea, propterea vocabitur Vira, quia de viro ſumpta eſt.* Ex quibus verbis, rectè collegit Apoſt. 1 ad Timoth. 2. verſ. 13. *primum formatum fuiſſe Adamum, deinde Evam.* Et 1 ad Corinth. cap. 11. verſ. 8. *Virum non eſſe ex muliere ſed mulierem ex viro,* quod intelligi non poteſt de generatione & propagatione communi, in qua & viri ex mulieribus ſunt, ut & mulieres ex viris, ſed de prima illa origine. Et certè ſi hoc loco non ageretur de formatione primæ mulieris, ſed de generali omnium mulierum propagatione, nullibi in Scriptura haberemus ex qua materia & qua ratione formata fuiſſet Eva, niſi quod in genere dictum fuit, Deum creaviſſe eos maſculum & fœminam, ſed an ex nihilo, an ex aliqua præjacente materia, ibi non dicitur. Quemadmodum autem initio notavimus, liber Geneſeos totus eſt hiſtoricus, ideò ob eam præſertim cauſam ab Epiphanio notatus fuit Origenes, in Epiſt. ad Joan. Epiſcopum Hieroſolymitanum, & ab Hieronymo ad Pammachium, quod tria illa priora Geneſeos Capita, in allegorias transformaſſet, locum hiſtoriæ non relinquens. Quod ſi aliquando ſub cortice literæ, lateant etiam aliquot myſteria; ſemper tamen literæ ſenſus, eſt fundamentum allegoriæ; ut patet ex ea quam explicat Apoſt. ad Galat. de Sina & Sion, de Sara & Agare, Iſaac & Iſmaële. Nam verè & ad literam geſta fuerant quæ ſcribebantur, & ſi nonnulla alia etiam hiſce factis præfigurarentur. Quod enim Cajetanus ut huic objectioni obviam eat dicit, ſex dies creationis non fuiſſe ſucceſſivos, nec poſſe ad literam intelligi, ut nec colloquium ſerpentis cum Eva, id ſupponit tanquam conceſſum, cujus contrarium verum eſſe de primo anteà oſtendimus, & de ſecundo ſuo loco planum faciemus. Nec tamen ſequeretur, ſi unum aut alterum hujus libri pronunciatum eſſet parabolicum, nihil præter parabolas in eo contineri, qua ratione, ſiquidem illa locum haberet, nihil certi haberemus de prima rerum origine, & quæcunque de ea certa habemus, in alios ſenſus deformarentur.

Non inſiſtemus in abſurdis expoſitionis Parabolicæ Cajetani refellendis, quæ adeo palpabilia ſunt, ut ea propoſuiſſe, refutaſſe ſit. Sufficiet ſi ad ejus argumenta, quibus evincere conatur ad litteram non poſſe intelligi quæ dicuntur, reſpondeamus.

Primum ab abſurdo fuit ductum, quo exiſtimavit ſequi Adamum vel fuiſſe anteà ſuperfluum, & poſteà fuiſſe mancum, &c. Huic argumẽto ut reſpondeant multi, variè ſe verſant. Sunt qui dicunt, fuiſſe ſuperfluam coſtam Adamo ſi conſideretur ut ſingularis homo, non autem ſi conſideretur ut principiũ, quia tunc coſta illa fuit ei neceſſaria, quę tamen ne ſuperfluitate ſua corpus deformaret, concinnè ab opifice Deo ſub carne fuit concinnata & abſcondita, &c. Alii volunt fuiſſe unam ex viginti quatuor coſtis quas Anatomici in unoquoq; corpore humano benè conformato neceſſarias eſſe oſtendunt, nec tamen ejus detractione hominem fuiſſe mancum aut mutilum, quia Deus, qui hianti loco carnem appoſuit, oſſeam etiam coſtam formavit in illo eodem loco, quod potuit ex eadem illa materia qua corpus hominis ante formaverat; neque enim apud Moſem intelligendum eſſe ſimpliciter ſuffectam eſſe carnem, coſtæ detractæ loco, ſed carnem Adæ, ob coſtæ detractionem hiulcam & interruptam, fuiſſe repletam, vel clauſam & continuatam, etſi non fiat in Scriptura mentio expreſſa materiæ qua continuatio illa facta fuit. Et certè non eſt leve argumentum ad probandum coſtam illam fuiſſe unam ex neceſſariis ad corpus Adami, quia ſi fuiſſet ſuperflua, & extra naturam ejus, verè dici non poſſet Evam ex Adamo fuiſſe formatam, nec dixiſſet Adamus Evam fuiſſe *os ex oſſibus ſuis*; quia coſta illa non fuiſſet naturale & proprium ejus os, ſed quantum ad eum pertinebat præter naturam & per accidens, & ad breviſſimum tempus ipſi fuerat indita. Et erat ad ſignificandam conjunctionem arctiſſimam Adami & Evæ, & mulieris ex viro naturalem originem & dependentiam, con-

congruum & conveniens magis, ut formaretur Eva ex aliqua parte neceſſaria virilis corporis, quam ſi ex ſuperflua aliqua materia, fuiſſet conſtructa.

Nec obſtat huic ſententiæ quod objicitur, abſurdum id videri, unam coſtam neceſſariam fuiſſe ablatam, & aliam in ejus locum ſubſtitutam; nam id Deo facillimum fuit, & in momento, quandoquidem nihil factum hic fuit naturali modo, ſed per omnipotentiam creatoris. Utri autem reddenda ſit in reſurrectione mortuorum, ex eo facile reſponderi poteſt. Nam etſi initio fuerit Adami, cum tamen, ſuppoſita hac ſententia, aliam habuerit ſubſtitutam, reddetur Adamo ſua, quæ ipſius fuit quamdiu vixit, & cum qua mortuus eſt. Illa autem quæ Evæ materia facta eſt, reſurget Eva reſurgente. Et hæc quidem probabiliter dici poſſunt, imo ſecunda hæc ſententia alteri præferenda videtur. Sed in ea re, multa ſunt quæ jugi & aſſidua meditatione potius ſunt admiranda, quam curioſè nimis excutienda, nec enim omnia quæ Deus facit perveſtigare, & aſſequi mens humana poteſt.

Huc referenda gemina hæc ſive quæſtio ſive objectio, quam afferunt ii qui volunt integrum corpus Evæ fuiſſe initio creatum, ſed corpori Adami combinatum. Quia analogia & ratione carere judicant, ut ex tam exigua coſta integrum, & tantum fœminæ corpus crearetur. At ſi locum haberet in miraculis creationis talis analogia, quomodo credent omnia fuiſſe ex nihilo creata? Certè niſi ſuccurrat fides, fruſtrà ejus rei quæ ſupra naturam eſt, in prima naturæ conſtitutione quærimus demonſtrationes. Quid, quod in rebus naturalibus quotidie videmus, ex guttula humani ſeminis in utero muliebri formari embryonem, deinde fœtum perfectum, & paulatim evadere in tantum corpus. Cur non potuit à Deo in momento fieri, quod naturali modo fit ſucceſſivè? Cum ex ſemine exiguo in terra putrefacto tam grandes aſſurgunt arbores, qui non agnoſcit Dei per naturam agentis incredibilem vim & potentiam, annon cæcus eſt? Quid igitur miramur, ſi ex coſta exigua tantum muliebre corpus, Deo vim ſuam exerente ſuccreverit? An autem multiplicatione materiæ id factum fuerit, an materia aliunde aſſumpta, ad explendum quod deerat, an alio aliquo modo, noſtrum non eſt definire. Factum fuiſſe nobis ſufficere debet. Modum ſi nos ignorare profiteamur, eo magis creatoris ſapientiam & potentiam cogitabundi demirabimur.

Secundum Cajetani argumentum, non magis ſtringit. Fingit enim ille inquiſitionem à Deo factam inter aves & beſtias, ut Adamo adjutorium reperiret. Nihil autem tale cum à Deo quærente inveniretur, tunc proceſſiſſe ad mulieris formationem. Et certè talis ſententia propriè intellecta poſſet abſurda videri. Et ſi tale quid ex verbis Moſis neceſſariò ſequeretur, non tamen propterea exiſtimandum eſſet totam hiſtoriam eſſe parabolam, ſed id tantùm, in citatis verbis eſſe ἀνθρωποπάθειαν, qua Deus hominum more diceretur quærere aut inquirere, quaſi neſcius, quod aliquando in Scriptura uſu venit. Sed nihil tale hoc loco dicere neceſſarium eſt, quia præteritum illud מצא *matſah*, imperſonaliter eſt intelligendum, non invenit, id eſt, non inveniebatur, aut non inventum eſt adjutorium homini. Id autem dici poteſt, etiamſi nulla præceſſerit inquiſitio, ut idem ſit non inveniri, quod non eſſe, id eſt, etſi inter reliqua animalia unumquodque haberet ſuum par, ſolum tamen hominem ſine adjutorio ſibi commodo ad ſpeciem ſuam propagandam repertum fuiſſe. In ſacra autem Scriptura dicuntur aliquando inveniri, quæ non quæruntur, & contra intelliguntur non inveniri, quæ non quæruntur, ſed dicuntur non inveniri quia non ſunt.

Tertium Cajetani argumentum nullius eſt momenti. Nam etſi Moſes cap. 1. in deſcriptione operum ſexti diei, meminerit creationis maris & fœminæ ad imaginem Dei, non dicit tamen factos fuiſſe ſimul, nec ibi narrat quomodo facti fuerint, ſed in genere tantùm & paucis ad quem diem opus illud pertineat, deſcribit. Sed poſteà cap. 2. ſigillatim utriuſque ſexus productionem enarrat, ut rectè notavit Auguſt. ſuper Geneſ. ad lit. lib. 6. cap. 2. *Iam ergo,* inquit, *de limo formatus erat, & illi jam ſoporato mulier ex latere facta erat, ſed hoc tunc commemoratum non erat, quod nunc recapitulando commemoratum eſt. Non enim ſexto die factus eſt maſculus, & acceſſu temporis poſteà facta fœmina: Sed fecit eum,* inquit, *maſculum & fœminam fecit eos. Quomodo ergo jam, homine in Paradiſo conſtituto mulier ei facta eſt? An & hoc prætermiſſum Scriptura recoluit? Nam ſexto illo die etiam Paradiſus plantatus eſt, & ibi homo collocatus eſt, & ſoporatus eſt ut Eva formaretur, & ea formata evigilavit, eique nomen impoſuit,* &c. Frequens eſt in Scriptura, ut res aliqua primùm breviter & preſſè narretur, poſteà vero per ſingulas partes & circumſtantias, ſubtilius, clarius, & explicatius declaretur. Id ſi animadvertiſſet Cajetanus, non adductus fuiſſet argumento futili, ad parabolas comminiſcendas in hiſtoria rerum geſtarum, & commentaria ſua talibus commentis commaculanda.

Quarta quæ adducitur objectio, aliis etiam levior eſt. Moſes ſcribit Deum adduxiſſe Evam ad Adamum, ergo non facta fuit ex Adamo, alioqui non fuiſſet aliunde adducta, quæ ex ipſo recens fuiſſet facta. Reſp. *Adducere* ibi non accipi eo ſenſu, quaſi ex longinquo fuiſſet adducta, ſed quia ſtatim poſtquam formata fuit, Deus eam Adamo expergefacto præſentem ſtitit. Et utitur Scriptura *adducendi* voce, quia facta erat mulier ut eſſet viro ſocia eidemque ſubjecta; ideò dicitur Adamo adducta, non Adamus adductus uxori. Quo ſenſu etiam adducta fuerant Adamo animalia in ſignum ſubjectionis.

Quæritur quo tempore & quo loco id factum fuerit, id eſt quando & ubi Eva fuit formata? Jam ſupra tan-

quam exploratum conceſſimus ipſo die ſexto fuiſſe formatam mulierem, idque poſt Adamum, non ſimul & eodem momento, id enim evincit tota ſeries hiſtoriæ. Intra ſpatium enim ſex dierum creata fuerunt omnia animalia, ſeptimo autem Deus ab omni opere ſuo quievit. Ad locum quod ſpectat, certum etiam videtur Adamum extra hortum fuiſſe creatum, quia ſcribit Moſes Deum *tuliſſe hominem quem formaverat, & poſuiſſe eum in Paradiſum voluptatis.* De muliere res non adeò perſpicua eſt. Sunt inter veteres qui cenſuerunt extra Paradiſum etiam fuiſſe creatam, cujus ſententiæ fuit Joſephus lib. 1. Antiq. cap. 1. Tertul. lib. 2. contra Marcion. & Rupertus, lib. 2. in Geneſ. cap. 32. Sed alii & plures contra ſentiunt, fuiſſe creatam in Paradiſo. Cui ſententiæ videtur ſuffragari ordo narrationis. Nam poſteaquam introductus fuit Adam in Paradiſum, adducta fuerunt ad eum cætera animalia ut eis imponeret nomina: deinde, de ejus latere formata eſt Eva. Non enim credibile eſt Adamum ex Paradiſo, in quo fuerat à Deo collocatus, exiviſſe ante peccatum. Nec eſt aliquis autor qui dicat, Evam fuiſſe in Paradiſum tranſlatam. Fuiſſe autem illam in Paradiſo conſtat ex tentatione, unde probabile fit, ibidem fuiſſe efformatam. Quod autem objicitur, virum muliere digniorem, debuiſſe potius in Paradiſo creari quam mulierem, nec veriſimile eſſe talem ipſi conceſſam fuiſſe prærogativam. Reſponderi poteſt, id non facere ad dignitatem, quæ Adamo integra manebat, quatenus in ipſo Paradiſo fuit uxoris principium. Neque enim filii parentibus digniores fuiſſent, ſi ſtante innocentiâ, fuiſſent (quod certè accidiſſet) in Paradiſo procreati.

Sequitur apud Moſem, ℣. 23. *Hoc nunc*, vel *Hac vice, eſt os ex oſſibus meis & caro ex carne mea.* Sic enim dictum Adami expergefacti, eſt interpretandum, ut זאת *zot*, non ad mulieris nomen referatur, ſed ad הפעם *hapagnam*, id eſt, *hoc nunc*, *hac vice*, quod Gallice dicimus *à cette heure.* Ut ſit exclamatio læta viri, creaturam hanc, ſibi in adjutorium paratam agnoſcentis & excipientis. Quod autem dicit *caro ex carne mea, & os ex oſſibus meis*, id ad literam eſt intelligendum, quod agnoverit ex ſe fuiſſe ſumptam, etſi poſteà phraſis hæc, ad arctiſſimam conjunctionem ſignificandam figuratè fuerit uſurpata.

Addit, hæc vocabitur *Iſcha*, quia de *Iſch*, ſumpta eſt. Vetus interpres Latinus, ut ſervaret utcumque analogiam, *hæc* (inquit) *vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt.* Sed *viraginis* nomen aliud ſignificat, nempe mulierem animo & corpore virili, robuſtam, aliquando ſuperbam & rebellem. Ebræi inde antiquitatem ſuæ linguæ petunt, quod in nulla alia lingua, mulieris nomen à viri nomine poſſit deduci, ita ut neceſſariò effingi debeat, quando nullum eſt à bonis autoribus uſurpatum. Id ipſis noſtrorum plerique concedunt. Nam, nec ab ἄνθρωπος dicitur ἀνθρώπη, nec ab ἀνὴρ, ἀνήρα, vel ἀνδρὶς. Addunt, *nec à viro, vira.* Negat id poſtremum Joan. Druſius, quæſt. Ebraic. lib. 1. quæſt. 19. Et autoritatem affert ad probationem, Ut *iſſa* inquit ab *is*, ſic à *viro*, vira, inſolitum huic ævo verbum, ſed vetus ac probum. Feſtus Pompeius, *Sed fœminas antiqui, quas nunc dicimus, viras appellabant: unde adhuc permanent virgines ac viragines.* Huic obſervationi Tremel. & Junius qui in prima editione vulgatam erant ſequuti, calculum ſuum adjecerunt, & addit Junius in notis, ſic Romæ uſum obtinuiſſe, ut Querquætulanæ *viræ*, ipſo adhuc Varronis tempore, dicerentur, quibus Sacellum erat in Eſquilina regione ad Querquetulanam portam. Symmachus vocabulum Græcum ἀνδρὶς effinxit, quod cum LXX facere noluiſſent, inconcinnam planè interpretationem dederunt, αὕτη κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη, id eſt, hæc vocabitur γυνὴ mulier quia de ἀνδρὸς viro ſumpta eſt, ubi nulla eſt vocum, vel ſignificationis affinitas.

Exercitatio XXV.

Explicatio verſ. XXIV. *Thalmudiſtarum abſurdiſſimum commentum de ſua* Lili. *Vnde cognoverit Adam, Evam eſſe ex ſuis oſſibus? Verba* verſ. XXIV *cujus ſint? & eorum ſenſus. Quomodo debeat homo relinquere patrem & matrem? Ruperti ſententia examinatur. Item Pontificiorum de liberis qui invitis parentibus Monachiſmum profitentur. Refutatur argumentum Bellarmini ex Ambroſio. Quo ſenſu hæc verba applicet Paulus ſcortatoribus. Explicatur*, 1. ad Corinth. 6. verſ. 16.

Verſ. 24. *Idcirco relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* ודבק Vedabak, *& adhærebit*, LXX προσκολληθήσεται, ad verbum *adglutinabitur*, והיו לבשר אחד *vehaju lebaſcar echad*, & erunt in carnem unam. Ubi vox numeralis, *duo*, non habetur, quæ tamen ſatis ex dictis colligitur. Ideò cum à LXX fuiſſet expreſſa, Chriſtus etiam eam retinuit Matth. 19. ℣. 5. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Latina vulgata eam etiam expreſſit, ſed non ſatis accuratè quod ſequitur לבשר *lebaſcar* in carne, debet enim carnis nomen in accuſativo poni, *erunt in carnem unam*, id eſt, ut interpretatur Dominus, *erunt una caro*, ut ſupra Adam factus eſt *in animam viventem*, id eſt, anima vivens. Coſta ædificata in mulierem, id eſt, facta eſt mulier. Non longè autē eſt repetendum nomē numerale, quia mox ſequitur ויו שניהם *vajiju ſchenehem*, & erant ipſi ambo, &c.

Hic, Adamum loqui manifeſtum eſt, & agnoſcere uxo-

uxorem à Deo ſibi datam, quæ ex ipſo facta erat. Ubi primum quæritur, quid ſibi velit his verbis, *Hoc nunc,* vel *hac vice.* Videtur enim hæc loquendi forma oppoſitionem aliquam innuere. Ideò etiam Trem. & Junius vocem *demum* ſubaudiunt. Id poteſt dupliciter accipi, vel ut oppoſitio fiat ad id quod poſteà in aliarum mulierum generatione fieri debebat, quaſi diceret; Hac tantùm vice facta eſt mulier ex viro ſuo; aliæ autem mulieres, per naturalem generationem ex viro & fœmina procreabuntur. Sed hoc eſt nimis dilutum, quia etiam ita fiunt omnes viri una caro cum uxore, ut etſi non ratione originis, tamen ratione conjunctionis, quiſque vir uxorem tanquam carnem ſuam diligere debeat. Sic enim Apoſt. Epheſ. 5. ℣. 28. & 29. *Viri debent diligere uxores ſuas, ut ſua ipſorum corpora; qui diligit ſuam uxorem, ſe ipſum diligit. Nullus enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imo enutrit & fovet eam,* &c.

Melius ergo fit oppoſitio ad præcedentia. Ante quam dormiret Adam, fuerant ipſi adducta animalia, inter quæ nulla repererat, ſibi convenientia in adjutorium commodum. Jam cum expergefacto ſiſtitur fœmina, in hæc verba erumpit, jam demum hac vice habeo, quod alia vice non reperiebam, en carnem de carne mea & os de oſſibus meis. Nunc invenio mihi ſimilem conſortem. Id cum perſpicuum ſit & planum, Judæorum deliriis recitandis inſiſtendum non eſſet, niſi aliquando intereſſet eorum cæcitatem detegi, ut Dei judicia juſta agnoſcamus. Alphonſus Toſtatus Abulenſis in Comment. ad cap. 13. lib. Geneſ. quæſt. 404. recitat abſurdiſſimam Talmudiſtarū interpretationem, quam doctiſſ. vir Joan. Buxtorfius ex ipſis Judæorum libris refert, Synag. Judaicæ cap. 2. Primum quidem ex libro *Ben-Sira*, & poſteà ex libro à Judæis Polonicè edito, cui titulum fecerunt, *Brandſpiegel*. Ibi fabulantur, *Chachamim*, id eſt, ſapientes ſuos, diſputare ſuper eo quod ſcriptum eſt, *Creabatque Deus hominem*, &c. *Creabat inquam, maſculum & fœmellam.* Deinde hoc cap. 2. ſcriptum extat, *Bonum non eſt ut homo ſolus ſit, ego ipſi adjutorium procurabo, quod circum eum ſit.* Ibi quærunt ſapientes iſti ſcilicet, quo mulier illa prima quæ cum Adamo creata fuerat, abierit: reſpondentque mulierem omnium primam, *Lilim* vocatam, ſuperbè de ſe ſentientem, viri ſui dicto audientem eſſe noluiſſe, quod ſtatueret eum non minus è terra conditum quam ſe ipſam. Hanc igitur Deum ſeparaviſſe ab Adamo, eique aliam è corpore ejus formatam adjunxiſſe, ut eum ſequeretur, ei morem gereret, ſerviens illi, tanquam membrum corporis ejus, &c. De *Lili* autem ſua mira fabulantur, quod ne quidem ab Angelis à Deo miſſis potuit adduci, ut marito reconciliaretur, quod mater ſit Dæmonum, & quod infantibus recens natis inſidietur, iis tantum exceptis, quibus alligatur ſchedula, in qua ſcripta ſint nomina trium Angelorum, qui ad ipſam à Deo miſſi fuerant ut mandatum Dei ipſi declararent, quibus promiſit ſe non nocituram iis de quibus dictum eſt, qui in charta aut pergameno ſcripta geſtarent nomina *Senoi, Sammaſenoi, & Sanmangeloph.* Quæ deliramenta & portenta, non tam deridenda ſunt, quam deploranda.

Quæritur 2. unde Adam noverit, Evam eſſe *os ex oſſibus ſuis*, & carnem ex carne ſua, item à viro ſumptam fuiſſe? Si dicamus id ex conjecturis ab ipſo fuiſſe deprehenſum, quia fuit in eo maxima perſpicacitas, vix poteſt id ſatisfacere, quia verba Adami, non conjecturam aliquam referunt, ſed notitiam certam, quæ cùm ex ſenſibus oriri non potuerit, quia id factum fuerat cum profundiſſimo ſomno ſopitus eſſet, aliunde adveniſſe neceſſarium eſt. Potuit quidem ille ex aſpectu & conformatione membrorum, cum ita proximè eam ad ſe accedere videret, judicare commodum ſibi fuiſſe paratum adjutorium: ſed reliqua quæ verbis ejus continentur, quibus ita declarat originem uxoris ſuæ, non exiſtimamus ab eo ſciri potuiſſe, niſi per arcanam inſpirationem, & internam ſuggeſtionem à Deo factam.

Quæ ſequuntur verba verſ. 24. ita efferuntur, ut ambiguum ſit, cui tribui debeant, vel Adamo ſua continuanti, vel Deo conjugium inſtituenti, vel Moſi, ex hac Adami & Evæ conjunctione deducenti, vim arcti illius & indiſſolubilis vinculi, inter marem & fœminam conjuges. 1. Enim poſſunt verba hæc Adamo tribui tanquam ſermonem ſuum proſequenti ex ſuperiori verſiculo, ut deinceps, qualis inter conjuges uſque ad conſummationem ſeculi futurus ſit ſtatus declaret, & prophetica quadam prædictione oſtendat, fore ſcilicet, ut quemadmodum nunc ſibi conjuncta erat uxor Eva, ex carne ſua formata, una & eadem ſecum caro, ſic deinceps ſint conjungendi, inſolubili & inviolabili nexu conjuges, ita ut, etſi uxores non ſint tunc ſumendæ ex virorum corporibus, una tamen caro habeantur. Quo ſenſu hæc propheticè dicta eſſent ab Adamo, qui Patris & Matris meminiſſet, priuſquam talis relatio in terra extitiſſet. 2. Poſſet etiam Spiritui Sancto immediatè loquenti tribui talis oratio, qua doceret, hanc eſſe conjugii inſtitutionem & legem inviolabilem, quam Sp. Sanctus hominibus deinceps proponat, ad imitationem primorum parentum, in quorum perſona hoc primum inſtitutum ſit. 3. Dici etiam poteſt hæc verba Moſis eſſe, excipientis verba Adami, & legem matrimonii proponentis, quæ deinceps jam pridem ab illa prima inſtitutione, in conjunctione primorum parentum per Dominum facta obtinet, quaſi diceret, propterea, *relinquet*, pro *relinquit*, id eſt, ſolet relinquere homo parentes &c. id eſt, quod nunc fit, ut filii à parentibus ſeparentur, ut uxoribus conjuncti novas conſtituant familias, id à prima illa conſtitutione ortum habet, & hoc jam lege inviolabili apud homines ſancitum eſt. Nullum eſt periculum quomodocunque id accipiamus, ſive ab Adamo dictum, ſive immediatè à Sp. Sancto, ſive mediatè ab eodem ſpiritu per Moſem. Certè hæc verba à Chriſto Matth. 19. v. 4. & 5. tribuuntur

tur ei qui ab initio fecit maſculum & fœminam, καὶ εἶπεν, & dixit, *propterea relinquet homo Patrem & Matrem* &c. Ex cujus ſanctionis vi concludit, *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Unde conſtat his verbis contineri perpetuam legitimi conjugii legem, ad quam etiam Chriſtus revocavit Judæos, ubi de repudiis agebatur, oſtendens ad initia eſſe recurrendum.

Quod autem in his verbis habetur, *derelinquet homo patrem & matrem,* non pugnat cum præcepto Decalogi de parentibus honorandis, ſine quorum etiam conſenſu, ſaltem requiſito, non debet hoc novum vitæ genus à quoquam qui ſub patria poteſtate ſit iniri, neque conjugium impedit quin filii parentibus honorem debitum reddant. Nec unum præceptum tollit alterum, ſed gradus eorum oſtenditur. Sed hoc loco, ut jam notavimus, ſpectatur novæ familiæ inſtitutio, quam ob cauſam Paraphraſtes Chaldæus, *cubile patris & matris relinquendum eſſe dicit,* id eſt, habitationem domeſticam. Hoc tamen verum eſt, Deum hoc loco declarare voluiſſe, neceſſitudinem & conjunctionem mariti & uxoris omnium eſſe maximam, cum fœminam ex mare fecit, eoſque arctiſſimo inter ſe vinculo conſtrinxit, tum ad intimam ſocietatem, tum ad prolis generationem. Atque huic tantæ conjunctioni etiam parentum neceſſitudinem poſthabendam eſſe. Nec tamen admittenda eſt Ruperti Tuitienſis conſideratio, qui jam ſuo tempore Monaſticorum veterum abreptus præjudicio, ea dixit, quæ avidè excipiunt, qui hoc tempore parentum neceſſitudini, & divinæ legis ſanctioni, præferunt hominum adinventiones & commenta. Ait Deut. 33. ubi laudatur tribus Levitarum, *quæ dixit Patri ſuo & matri ſuæ neſcio vos, & fratribus ſuis ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, qui cuſtodierunt eloquium Dei & pactum ejus ſervarunt,* uxorum non fuiſſe factam mentionem, quia ei qui cuſtodire vult eloquium Dei & pactum, licet patrem, matrem, fratres, & filios, etiam reclamantes dimittere; non autem eſſe fas dimittere uxorem, niſi illa velit idem propoſitum ſequi. Ubi ſi per eloquium & pactum Dei, intelligatur neceſſariæ pietatis profeſſio & mandati divini executio, ut certè in citato loco debet intelligi, falſum eſt uxorem excipi debere, ſi nos velit avocare ab obſequio divino, tunc enim valet dictum Chriſti, qui expreſſè uxorum meminit, ubi agitur de prælatione obſequii divini, & Chriſto ſequendo. In quo ſi uxor idem propoſitum velit ſequi, tantum abeſt ut propterea dimitti debeat, ut arctius propterea ſit amplectenda, quæ nobiſcum Chriſtum ſequi non detrectat. Sed iſti homines quæ de eloquio Dei aut pacto ſervando, quæ item de Chriſto ſequendo, in Scriptura dicuntur, ea omnia ad profeſſionem monaſticam transferunt, cujus gratia, impiè docent, per *calcatum patrem* eſſe pergendum, & reclamantes atque invitos parentes eſſe relinquendos, quamvis Chriſtianos & in rebus fidei nobiſcum ſentientes, quam impietatem non verentur etiam detortis ſcripturarũ exemplis fulcire conari, ingenti Sacrilegio quæ de obſequio Dei neceſſario, & pacto omnium fidelium dicuntur, cum ſuis illis inventis non ſolum confundentes, ſed etiam inventa ſua pactis divinis præferentes, quibus merito illud Chriſti poteſt & debet objici, *Abrogatis mandatum Dei propter traditiones veſtras. Moſes enim dicit, honora Patrem tuum & Matrem tuam, & qui maledixerit Patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, ſi dixerit quiſpiam Patri vel Matri Corban, id eſt, munus quodcunque ex me erit, tibi proderit, inſons erit, nec permittitis amplius eum quicquam præſtare Patri aut Matri ſuæ. Abrogantes ſermonem Dei traditione veſtra.* &c. Marci 7. ℣. 9. 10. 11. & 12. Id faciunt Monachi, qui mereri dicunt eos qui parentibus invitis addicunt ſe vitæ monaſticæ, hoc prætextu, quod pro parentibus in hoc vitæ genere vota ſint emiſſuri. Docet enim Bellarminus de Monachis lib. 2. c. 36. Licere filiis invitis parentibus ad religionem, id eſt, Monachatum tranſire, id eſt, viris ſi attigerint annum decimum quartum, & fœminis ſi duodecimum, in quibus ſtatuunt annos pubertatis. Abutitur autem ad id omnibus dictis, in quibus Scriptura hortatur pios, ut egrediantur ex illis locis in quibus idololatria committebatur, vel in quibus Chriſtus dicit eum non eſſe ſe dignum, qui plus quam Deum amat Patrem & Matrem Matt. 10. Quod quam blaſphemè fiat jam eſt à nobis animadverſum. Sed non poſſum omittere argumentum Bellarmini quod maximè ad propoſitum noſtrum facit. Adfert ex Ambroſio lib. de Virginibus, *cui licet maritum eligere, cui non licet Deum præferre?* Aſſumit, at licet filiis parentibus invitis matrimonium contrahere, cur non liceat etiam iiſdem invitis continentiam profiteri? Major quæ ſub nomine Ambroſii proponitur vera eſt. Nam quæ non poteſt Chriſtum ſimul & maritum eligere, procul dubio debet Chriſtum præferre. Aſſumptio, quod liceat filiis parentibus invitis, contrahere matrimonium, non eſt abſolutè vera, intelligendum enim eſt, ſi parentes, poſt redditum ipſis honorem debitum, à liberis jam in ſtatu & ætate emancipationis conſtitutis, ſine juſta ratione, honeſto filiorum matrimonio reſiſterent, non aliter. Concluſio de præferendo Chriſto ſemper vera eſt, ſi aliter Chriſtus retineri non poſſit. Secus eſt ſi Chriſto cum parentibus ſervire poſſimus, imò ſi ſerviamus Chriſto, parentibus debitum honorem reddentes.

Diximus quòd verum eſt, verba illa, *Propterea relinquet homo* &c. eſſe ſanctionem divinam de legitimo conjugio, & de conjugibus ſic à Deo conjunctis dictum fuiſſe *erunt duo in carnem unam.* Hinc oritur difficultas, quia eadem verba Paulus, 1 ad Corinth. 6. v. 16. applicat ſcortatoribus. *An* (inquit) *ignoratis eum qui adglutinatur ſcorto, unum eſſe corpus cum ſcorto? Fient enim inquit, qui duo erant, caro una.* Quod igitur duo in unam carnem quaſi adunantur, non videtur fieri ex vi inſtitutionis divinæ, ſed carnalis copulæ quomodo-

cunque

cunque fiat, etſi illegitimè. Nullum igitur hujus rei ratione, videretur eſſe privilegium conjugatorum. Reſpond. Moſem hæc verba dixiſſe de legitimo conjugio, quæ tamen Paulus analogicè ad illicitam conjunctionem etiam extendit. Quia actus externus conjugatorum, & ſcortatorum, ſecundum ſpeciem naturæ non differunt. Imò Thomas Aquinas ſcribens in hunc locum, unitatem illam ex duobus ad omnes animalium ſpecies refert, quia in maſculo eſt activum generationis principium, in fœmina autem pâſſivum. Et ſicut in planta cujus vita ordinatur ad generationem principaliter, ſemper unum eſt corpus in quo utrumque principium unitur, ita in animalibus quæ ordinantur ad altiores actus vitæ, non ſemper eſt unum corpus habens hæc duo principia, ſed ex duobus fit unum, actu generationis. Nunquam tamen in Scriptura id tribuitur animalibus ratione non utentibus, unde colligi debet, non id carnalem tantum copulam ſpectare, ſed alia etiam quæ ſunt naturæ rationalis. Proinde analogia non poteſt eſſe inter homines & beſtias, ſed aliqua inter homines legitimè utentes matrimonio, & alios qui ea faciunt quæ mariti, ſed illegitimè. Quod enim fit inter duos conjuges, idem fit inter duos fornicantes, ſed ibi rectè & ſanctè: hic malè & fœdè: illi tenerrimè ſe amant, & copulantur ad prolem legitimè procreandam: ſicque duo fiunt una caro: iſti etiam perditiſſim ſe conſectantur, & carnaliter miſcentur ad fœdam libidinem explendam; ſicque duo fiunt unum corpus. vitia enim in quibuſdam virtutes imitantur, & faciunt ea quæ ſunt virtutum, nec ideo laudantur: nec virtutibus derogant, quia à mediocritate exorbitant. Liberalis dat, & prodigus etiam. Fortis adit pericula, nec minus temerarius. Sed quia modum excedit uterque, neuter laudatur. Sic mutuò amant & commiſcentur fornicantes. Idem faciunt conjuges: ſed honeſtè iſti, illicitè illi contra honeſtatem & legem Dei. Ex hac ſimilitudine quod propriè eſt conjugum, aliqua ex parte etiam ad ſcortatores tranſtulit, ut diſcerent homines meretricis conſortium abominari, cum qua etiam fiunt unum corpus qui cum ea commiſcentur, ut qui cum uxore; verum illicitè, & præter Domini primam inſtitutionem. Revera autem ex Domini præſcripto fit unum corpus & caro eadem, non corporum tantùm ſed & animorũ, verâ, ſincerâ ac legitima conjunctione, quod idem in ſcorti conjunctione nõ fit, ubi ſi jungantur corpora, & animi, non tamen fit legitimè, ut fert Domini inſtitutio. Nec ita arcta eſt & perpetua animorum conjunctio, ut in legitimè junctis. Itaque licet latè ſumendo dicantur una caro, non tamen propriè & verè. Ideo ſemper manet legitimo matrimonio ſuum privilegium.

EXERCITATIO XXVI.

Quomodo Chriſtus fuerit contra divortium, ex verbis Moſis, argumentatus? Polygamiæ diverſæ ſpecies. Maldonati calumnia refellitur. Papyrii prætextati commentum. Polygamiam adverſari primæ inſtit. matrimonii, probatur. Exceptiones & objectiones ſecus ſentientium examinantur. An in ſolo matrimonio Chriſtianorum locum habeat myſterium de quo Paulus Epheſ 5. Perpenduntur ſententiæ diverſæ. Locum Pauli nihil facere ad probandum matrimonium eſſe propriè dictum ſacramentum. Etiam ſunt inter Pontificios, qui agnoſcunt, variæ allegoriæ non abſurdæ. Quomodo mulier ſubjecta fuerit viro, ſimul & ſocia?

HIc locus ut diximus, citatur à Dom. noſtro, in reſponſione ad quæſtionem, *an liceret homini dimittere uxorem ſuam qualibet ex cauſſa?* Matth. 19. ℣. 3. Oſtendit enim id non licere, quia his verbis indicavit Deus, ſe ex duobus feciſſe unam carnem; unde infert conjunctionem à Deo factam non debere ab homine diſſolvi. Quæritur, in quo ſit poſita vis argumenti? Quidam voluerunt poſitam eſſe in ſexu, quaſi ex diverſo ſexu Chriſtus eſſet argumentatus, non debere unum virum, niſi unam habere uxorem, quod ex utroque quaſi ex duabus imperfectis partibus, unus perfectus homo fiat. Plerique non in ſexu, ſed in numero, vim argumenti conſiſtere putant, quaſi hoc eſſet Chriſti argumentum, ſi Deus voluiſſet unum virum habere plures uxores, non unam tantùm, ſed plures fœminas initio feciſſet. Chryſoſtomus cenſet, ex lege naturali & divina Chriſtum texuiſſe argumentum; naturalis conſiſtit in facto, quod Deus uni viro unam fecit mulierem. Divina in verbis, quibus Deus præcepit ut homo relinqueret patrem & matrem & adhæreret uxori ſuæ, quibus verbis videtur, uxorem viro inſeparabiliter conjunxiſſe. Certum eſt, majorem propoſitionis his contineri verbis, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Minorem, *Deus conjunxit conjuges,* quæ probationem habet in dictis ex Moſe alligatis. Concluſio eſt, conjunctos ergo conjuges homo non ſeparet. id eſt, talis ſeparatio non poteſt vel debet fieri ulla humana autoritate, ſed divina tantum. Deus autem non vult talem ſeparationem fieri, niſi in uno caſu, ergo non licet id facere qualibet occaſione.

Ex hac Chriſti argumentatione ſequitur, eum qui relicta uxore aliam ducit extra cauſam adulterii mœchari, id enim deducit Chriſtus: ex quo neceſſario conſequitur virum unum non poſſe plures uxores habere, ſive ſimul habitent, ſive dimiſſæ ſint, una tantum domi manente. Unde duplex Polygamiæ ſimultaneæ ſpecies

cies diſtinguitur, quæ diſtinctio magni eſt momenti, propter quoſdam Sacræ Scripturæ locos, quorum interpretatio & vindicatio pendet à tali diſtinctione. Vulgo Polygamia dividitur, in ſucceſſivam & ſimultaneam. Quæ diviſio etſi, benè intellecta, vera ſit, tamen ſi res exactè conſideretur, omnis vera Polygamia eſt ſimultanea. Nec debet dici *Polygamus*, qui unam tantum uxorem in vivis habuit, fuit enim ſemper *μίας γυναικὸς ἀνὴρ*, qui demortua prima uxore duxit aliam, & ſic deinceps. Proinde, in digamiæ vel Polygamiæ definitione fallunt Pontificii ut excludant à ſacris muneribus eos, qui non excluduntur ab Apoſtolo. Simultaneam Polygamiam, quæ propriè Polygamia eſt, diſtinguimus (ut dictum eſt) in eam qua quis plures uxores habebat ſimul habitantes & pro uxoribus habitas, & eam qua quis plures uxores habebat, unam tamen tantum agnoſcebat, reliquis injuſtè repudiatis. Quo ſenſu poterat aliquis eſſe non *μίας*, ſed *πολλῶν γυναικῶν ἀνὴρ*. Et ad hanc Polygamiæ ſpeciem referimus dictum Pauli, quia etiam requirit viduam eligi ad miniſterium Eccleſiæ *quæ fuerit unius viri uxor*. 1 Tim. 5. ℣. 9. Non quæ ſucceſſivè duos aut tres viros non habuerit, ſed quæ à pluribus repudiata & recepta, plurium virorum qui in vivis eſſent uxor non fuiſſet, quæ apud Deum erat adultera. Hæc autem Polygamia, præſertim in viris, ſi à Domino rejecta fuerit, utpote quæ adulterii reum peragat eum qui uxore relicta aliam ducit, procul dubio etiam ejuſdem criminis reum facit eum, qui uxori ſuæ, ſecundam & tertiam ſuperinducit; ex quo ſequitur, hac Chriſti argumentatione ex prima matrimonii inſtitutione, omnem Polygamiam ſimultaneam, tanquam primæ inſtitutioni repugnantem à Domino fuiſſe rejectam.

Quod autem excipiunt Polygamiæ aſſertores, Chriſto factam fuiſſe quæſtionem non de Polygamia, ſed de repudiis, proinde etiam reſponſum Chriſti non Polygamiam, ſed uxorum dimiſſionem excludere: id vim argumenti non infringit. Quia ex quo principio Chriſtus demonſtrat talia divortia temeraria eſſe illicita, ex eodem demonſtramus, Polygamiam eſſe illicitam. Nam in omni divortio, quale illud eſt quod Chriſtus rejicit, eſt Polygamia; & Chriſtus ex eo indicat illicitum eſſe, quia ille adulterium committit, qui priori uxori, aliam ſubſtituit, ergo etiam qui aliam ſuperinducit; ut oſtendimus. Nam oſtendit Chriſtus, juxta divinam inſtitutionem non plures quam duos in unam carnem conjungi. Per Polygamiam autem, non duo, ſed plures conjunguntur, ergo etiam Polygamia pugnat cum conjugii inſtitutione. Ut qui à priori divertit, teſte Chriſto ſolvit conjugalem unitatem divinitus ſancitam, quia eam deſerit, cum qua factus eſt una caro; ſic qui priori conjugi, cum qua factus eſt una caro, aliam ſuperinducit, ex parte ſaltem ab ea ſe ſeparat, quia poteſtatem corporis ſui priori conjugi in ſolidum debitam, alteri facit communem, proinde quod divinitus erat conjunctum, ex parte ſeparat; & definit eſſe una caro cum ea, cui aliam æqualem fecit.

Nolumus hoc loco quæſtionem integram de Polygamia tractare, & præſertim nodum illum ſolvere, de Polygamia veterum Patriarcharum, ſub V. Teſt. quia poſteà aptior dabitur de ea agendi locus, ubi de primo Polygamo Moſes acturus eſt. Tantùm de argumento quod ex hoc loco deducitur pro tempore agemus, idq; eo diligentius, quod eo nomine calumniam patimur à Jeſuitis, præſertim à Maldonato. Ille enim ſcribens in cap. 19. Matth. ait, ſe vidiſſe aliquando à quodam Calviniano Miniſtro compoſitum librum, de hac quæſtione, an liceret, unum virum plures uxores uno tempore habere. Scriptum autem fuiſſe librum per dialogos, in quo, qui negativam tuebatur, manifeſtè prævaricatorem ageret: adduxiſſe autem hunc Moſis locum, & reſpondiſſe nihil ex eo colligi poſſe, quod de omnibus animalibus concludi non poſſet; & hanc ſuam reſponſionem, bellum illum Miniſtrum, affirmare refutari non poſſe. Addit impudentiſſimus ſcurra, uxores Miniſtrorum aliquando diſputaſſe, & quæſtionem ad Miniſtros retuliſſe, an uni etiam uxori liceret, plures habere viros? Legerat fortaſſis feſtivum mendacium quo Prætextatus Papyrius, matris curioſitatem eluſit, quo inductæ Matronæ Romanæ, orabant Senatum, ut una potius mulier duobus nupta fieret, quam uni duæ, ſi fides ſit Macrobio, Saturn. lib. 1. cap. 6. Judicavit ergo aptum fore commentum, ſi illam *verecundi ſexus impudicam inſaniam*, ut eleganter ait autor, uxoribus Miniſtrorum imputaret. Talis eſt Jeſuitarum modeſtia & ſanctitas. Sed ad rem. Scimus fuiſſe excuculatum Capucinum, qui ex Papiſmo per nos tranſiit, & ad Samoſatenianos defecit, qui tales Dialogos conſcripſit, quales ſe vidiſſe profitetur Maldonatus. Is fuit Bernardinus Ochinus, qui à nullis durius fuit exceptus, quam à noſtris; & cujus ſpiritum Venerabilis Beza, ita difflavit, ut non expectandus fuerit ex Andaluſia Marranus, qui Judaiſantem Monachum retunderet.

Illicitam eſſe Polygamiam, ex verbis Moſis in prima inſtitutione Chriſti exemplo, ſic noſtri probarunt. Quod ab initio Deus creavit unum maſculum & unam fœminam, eoſque ita conjunxit ut duo eſſent una caro, idemque inſtituit verbis expreſſis ſive ab Adamo, ſive à Moſe recitatis, in futurum, *& erunt duo in carnem unam*: Ut ſic procedat argumentum. Quod Deus ab initio fecit, & in futurum lege ſancivit, ut non plures duobus una caro fierent per legitimum matrimonium, id inpoſterum obſervari debet, nec licet contra ire. Deus initio, unum maſculum & unam fœminam creavit, & ſtatuit, ut duo fierent una caro; ergo id inpoſterum obſervari debet, nec licet contra inſtitutionem divinam ire. Vis argumenti major redditur, ex eo quod Deo facillimum fuit plures Adamo condere uxores, & quod id, ad generis humani adhuc recentis propagationem, magis accommodum videri potuiſſet. Unde Tertul-

Tertullianus in Exhort. ad Caſtit. cap. 5. *Cum Deus hominem figuraſſet, eique parem neceſſariam proſpexiſſet, unam de coſtis ejus mutuatus, unam illi fœminam finxit, cum utique nec artifex nec materia defeciſſet, plures coſtæ in Adam, & indefatigabiles manus in Deo, ſed non plures uxores apud Deum.* Quæ verba optimè dicta, & adverſus Polygamiam ſucceſſivam efficaciſſima, malè torquebat ad Polygamiam ſucceſſivam, quam ille etiam cum ſui Montani Paracleto, doctrina dœmoniorum faſcinatus culpabat.

Negant primùm Ochinus & ejus aſſeclæ, legitimam cujuſque rei rationem pendere ex prima inſtitutione, & ἔνστασιν afferunt, quia ſemper utendum eſſet in veſtitu, tunicis pelliceis, & cœna domini celebranda eſſet in Paſchate, idque veſpere, in cœnaculo, inter duodecim tantum homines. Sed nugantur, dum paria faciunt quæ maximè differunt, & in cujuſque rei inſtitutione ſubſtantialia cum accidentalibus confundunt. Nam in exemplo à veſtium primo uſu deſumpto, genus tantum veſtium, non ſpecies, Dei facto eſt indicata, nec aliquod fuit additum mandatum, de qualitate vel quantitate. In ſecundo, accidentalia cum eſſentialibus malè confunduntur.

2. Objicit Ochinus, vocem numeralem, *duo*, non eſſe in textu Moſis. Sed, ut anteà diximus, habemus interpretem omni exceptione majorem, qui vocem illam ex circumſtantiis textus, certo deduci oſtendit. Chriſtus enim Matth. 19. v. 5. Marc. 10. v. 8. Et Paulus, 1 Corinth. 6. v. 16. Epheſ. 5. v. 3. in prima conjugii inſtitutione illud expreſsè contineri teſtantur, quibus qui repugnat, ſe alio ſpiritu quam Chriſtiano agitari oſtendit. Contineri autem κατὰ τὸ πρᾶγμα ex eo liquet, quia cum alioquin propter generis humani propagationem, multitudine uxorum opus fuiſſet, Deus tamen unam mulierem formavit, adductam uni viro copulavit, copulatis benedixit, & duos in unam carnem conjunxit. Quod præterea ſequitur, *erant autem duo illi nudi*, omne dubium tollit, & rem non ſolùm, ſed ipſa verba ex Moſe deſumpta eſſe oſtendit.

Inſtant. Vocem illam numeralem *duo*, non excludere ſemper plures, quod enim in duobus factum eſt, ut eſſent una caro, fieri potuit in pluribus. Exemplum afferunt ex Matth. 18. ℣. 19. *Vbi duo conſentiunt*, &c. Quod enim dicitur de duobus, fit etiam, idque multo magis, ubi plures conſentiunt. Reſp. ſubjectam materiam indicare ubi numeralia vocabula excluſivè vel incluſivè ſumi debeant. In loco allegato, nullum eſt dubium, quia duo vel tres dicuntur, ideò plures non excluduntur, ſed tantùm oſtenditur paucorum vota curæ eſſe Deo. At hic prorſus alia ratio eſt, ubi etiam de futuro dicit Deus, *& erunt duo in carnem unam.* Ubi quemadmodum particula numeralis *una*, eſt excluſiva, ita & altera illa, *duo.*

Quod addunt de multitudine credentium, quorum erat cor unum & anima una, Act. 4. v. 32. Ut inde inferant, unum maritum cum pluribus uxoribus poſſe eſſe unam carnem, exemplum eſt diſſimile. Non enim eadem eſt ratio conjunctionis animorum, quæ carnis. Præterea, non quæritur quid fieri potuerit, ſed quid ex inſtitutione divina fieri debeat. Oſtendit autem Chriſtus, inſtitutum fuiſſe ut unius uxoris vir eſſet maritus, & unius mariti uxor eſſet fœmina. Ex eo oſtendit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 4. mutuam eſſe poteſtatem corporum & æqualem inter virum & uxorem, id autem non verum eſſet, ſi plures habere potuiſſet uxores vir unus, tum enim poteſtas nec mutua fuiſſet, nec æqualis, cum vir pluribus debitor futurus fuiſſet.

Objiciunt, quod nuper ex cap. 6. 1 ad Corinth. v. 16. allatum fuit, *Scortator adhærens ſcorto, fit cum illa una caro*, at maritus poteſt fieri ſcortator, ergo cum pluribus una caro fieri poteſt. Reſp. 1. id fieri non poſſe legitimè. Quæſtio autem eſt de unitate corporum, quæ ex legitima cohabitatione oritur. 2. Dicimus ſcortatorem qui fit cum ſcorto una caro, unitatem cum uxore ſua diviſiſſe, & deſiviſſe eſſe unam carnem cum conjuge ſua. Unum enim hoc loco excludit pluralitatem, cum denotet mutuam utriuſque conjuncti poſſeſſionem.

Inſtant, ſi ita præciſè urgeatur emphaſis vocis *una*, ſequi etiam, divortia nulla propter adulterium eſſe concedenda, nam & ibi nocens & innocens ſunt una caro. At concedenda eſſe in confeſſo eſt apud orthodoxos. Ergo non urgenda eſt vis vocis *una*. Reſp. Negare nos conſequentiam propoſitionis. Nec proſyllogiſmi propoſitionem eſſe veram, quando enim alter conjugum non adhæret alteri unicè, tum non ſunt amplius, quod anteà fuerant, *una caro*; & adulter, cum ad alienam deflectit, deſinit cum illa eſſe *una caro*, & fit una caro cum altera.

Quod addunt, verba illa, *erunt duo in carne una*, non eſſe Dei inſtituentis, ſed Adami ad μονογαμίαν ſuam reſpicientis verba, frivolum eſt. Nam, ut anteà diximus, Chriſtus eadem tribuit ipſi Deo, Matth. 19. v. 5.

Contra id quod ex verbis Dei *adhærebit uxori ſuæ*, contra Polyg. arguebatur, regerunt, ſi ex numeri ſingularitate unitas in matrimonio concludenda eſt, licebit ſimiliter dicere unum tantùm proximum eſſe diligendum, quia Scriptura dicit, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Levit. 19. v. 9. Matth. 22. v. 39. Reſpond. Eſſe, ut ſuprà, fallaciam imparium pro paribus. Non ſunt enim paria loca illa duo de unitate conjugis, & de unitate proximi, quod ſatis ex circumſtantiis patet. Ideò non à pronomine poſſeſſivo ſeorſim ſumpto, ad unitatem argumentamur, ſed ab omnibus textus circumſtantiis ſimul ſumptis, ex quibus conſtat firmam fuiſſe Chriſti argumentationem, & Polygamiæ defenſoribus, vel Chriſto renunciandum eſſe, vel huic argumento, etiamſi nulla alia ſuppeterent, eſſe cedendum.

Quæſitum fuit an ſimilitudo conjugii qua ſæpè Scriptura ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia conjunctionem

adumbrat, ex conjugio primorum parentum deſumi poſſit, & eorum, qui ante Chriſti paſſionem in conjugio vixerunt. Vel ex eorum tantum conjugiis qui ſub Chriſtianiſmo in Eccleſia ritè conjuncti matrimonium inierunt?

De ea re inter Pontificios litigatur. Cujus diſputationis fundamentum eſt, quod ex decreto Concilii Tridentini tenentur credere, matrimonium eſſe Sacramentum novi Teſtamenti. Qui autem cenſent, ſimilitudinem illam habere rationem Sacramentalem, coguntur fateri, vel matrimonium non eſſe Sacramentum Novi Teſtamenti, vel matrimonium Veterum ſub lege, non repræſentaſſe unionem Chriſti cum Eccleſia.

Primam ſententiam amplexi ſunt non pauci doctores Pontificii qui initio noſtris ſe oppoſuerunt. Quum enim viderent in conjugiis poſt Chriſti adventum nihil fuiſſe quod non fuiſſet anteà in prima inſtitutione, & Dominum noſtrum nihil addidiſſe inſtitutioni, ad quam revocaverat adverſarios ſuos. Paulum etiam Eph. 5. ubi de *Myſterio* agit *inter Chriſtum & Eccleſiam*, per conjugium deſignato, verba Adami uſurpare; ita exiſtimarunt matrimonium eſſe Sacramentum, ut agnoverint à Chriſto, in nova, ut loquuntur, lege non fuiſſe inſtitutum, ſed initio mundi à Deo, quando primos noſtros parentes in Paradiſo conjunxit. Ita, qui Regis Angliæ nomine de Sacramentis adverſus Lutherum ſcripſit, & Epiſc. Roffenſis qui poſteà eum defendit, qui fortè etiam Regii ſcripti fuit autor. Albertus Pighius Controv. 10. Alphonſus à Caſtro voc. *Nuptiæ*, hæreſ. 3. Clingius loc. com. cap. 31. Petrus à Soto lib. de inſtruct. Sacerd. lect. 2. de matrim. Catharin. in opuſc. de matrim. q. 3. 4. & 5. Qui volunt Matth. 19. Matrimonium non primùm fuiſſe inſtitutum, tanquam Sacramentum, ſed tantùm ad primam ſuam originem fuiſſe reductum. Quæ fuit etiam ſententia Alexandri, inter Scholaſticos veteres, non infimi. Et præter argumenta initio indicata, allegant etiam dictum Leonis, Epiſt. 90. ad Ruſticum cap. 4. ubi ait, *Societatem nuptiarum, ita fuiſſe ab initio conſtitutam, ut præter ſexuum conjunctionem, haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum.*

Alii autem Pontificii, qui ſentiunt matrimonium eſſe *novæ legis*, ut loquuntur, Sacramentum, etiam exiſtimant, ſententiam Catholicorum ſuorum qui aliter ſentiunt, damnatam fuiſſe à Concilio Tridentino, Seſſione 14. cap. unico, ubi dicitur, *matrimonium in lege Euangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratiam præſtaſſe, & ideò merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum eſſe Patres docuiſſe.* Si autem, inquiunt, matrimonium inſtitutum eſſet Sacramentum ab initio mundi, ad conferendam gratiam utcumque, ſicut Scholaſtici nuper memorati opinati ſunt, in lege Euangelica non præſtaret gratiam antiquis connubiis, in quibus etiam gratia data fuiſſet. Canone etiam 1. expreſsè damnantur, qui dixerunt matrimonium non eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum, aut non eſſe Sacramentum novæ legis, videlicet, quia ante illam Sacramentum non eſſet. & Seſſ. 7. Can. 1. damnantur omnes, qui negant Sacramenta novæ legis non eſſe omnia à Chriſto inſtituta, quod exiſtimant, intelligendum eſſe *novè*, & primo.

Ideò adverſus alios Pontificios diſputant, 1. falſum eſſe, in ſolo matrimonio Chriſtianorum, quod dicitur à Paulo Epheſ. 5. *Myſterium hoc magnum eſt*, locum habere; Imò volunt id etiam ſignificari in ipſis Ethnicorum matrimoniis, de quibus Innocentius tertius, in cap. *Gaudemus*, de devortiis, *Quod cum Sacramentum conjugii apud fideles & infideles exiſtat, &c.* quibus verbis (ut illi quidem cenſent) non de Sacramento propriè prout eſt ſignum gratiæ, ſed de Sacramento, prout eſt ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia, id intelligit. Idem probant autoritate Leonis 1 Epiſt. 90. aliàs 92. cap. 4. ubi ſic loquitur, *Vnde cum Societas nuptiarum, ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium.* Cum ait Societatem nuptiarum, ita *ab initio* fuiſſe inſtitutam, id volunt procul dubio de omni matrimonio intelligi. Et cum inter infideles ſit verum matrimonium, & in omni muliere ad matrimonium pertinente fuerit nuptiale myſterium, verum fuiſſe myſterium aut Sacramentum ſpiritualis conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, in Ethnicorum conjugiis ſequi docent.

Dictum etiam Pauli ad Epheſ. cap. 5. etſi ad fideles dirigatur, habere tamen rationem, etiam apud infideles efficacem, quia etiam infidelium uxores, ſunt os de oſſe, & caro de carne viri ſui. Præterea, conſtantem eſſe doctrinam apud ſuos, *bigamiam* non tantum incurri à baptiſatis & fidelibus, ſed etiam à Catechumenis & infidelibus, neque baptiſmo purgari. Ratiò autem apud illos cur non ordinentur Bigami, quia per duas uxores quas habuerunt, aliquid de ſignificatione conjunctionis Chriſti cum Eccleſia amiſerunt. Si autem matrimonium infidelium non eſſet Sacramentum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, infideles, plures ducentes uxores, non amitterent ullam normam aut aliquid de hac ſignificatione, ac proinde bigamia in eis impedimento non eſſet, quominus rectè ordinari poſſent.

Quod ſi concederetur infidelium matrimonium non eſſe Sacramentum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, dicunt ſaltem negari non poſſe, ante adventum Chriſti in omnibus fidelibus habuiſſe id matrimonium, ut eſſet Sacramentum indiſſolubilis unionis Chriſti cum Eccleſia, præſertim autem matrimonium primorum parentum, in quo primò, matrimonium Chriſti cum Eccleſia figuratum eſſe nemo negare auſit. Cum autem ante adventum Chriſti, matrimonium non fuerit Sacramentum propriè dictum, ſignum videlicet gratiæ ſanctificantis homines, ſed Sacramentum latiori ſignificatione, prout

eſt

eſt ſignum unionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia, inferunt Paulum Epheſ. cap. 5. non de Sacramento propriè, ſed latiori ſignificatione loquutum eſſe, & quæ dixit intellexiſſe, non de matrimonio tantum Chriſtianorum, ſed etiam fidelium omnium qui Chriſtum præceſſerunt, quod ipſam etiam Pauli literam clamare fatentur.

Ex his & ſimilibus Gabriel Vaſquez Jeſuita, Tract. de Matrim. Sacramento, Diſp. 2. cap. 6. oſtendit ſuos Catholicos hactenus abuſos fuiſſe verbis illis Pauli, ut probarent, matrimonium eſſe Sacramentum propriè dictum. Et ſatius ipſis futurum fuiſſe, hunc locum Pauli ad hoc probandum prætermittere, quam ut viderentur adverſarios Scripturarum teſtimoniis premere, in has anguſtias & minus tutam ſententiam incidere.

Ubi etiam addit, quod ſi verum eſſet, & ex prædicto loco manifeſtè colligeretur, matrimonium, tantùm poſt Chriſti adventum, cœpiſſe eſſe ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, non ſolum per naturæ convenientiam, ſed etiam per charitatem, & dilectionem, inde non fieret neceſſarium, Chriſtum gratiam promiſiſſe iis qui matrimonium contraherent, ut eorum matrimonium ab eis receptum, eſſet Sacramentum novæ legis, & contrahentes, eo ipſo, juſtificarentur. Nam matrimonium eatenus eſt ſignum ſacrum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quatenus in eo, vir relinquit patrem, & matrem, & per amorem adhæret uxori, & cum ea fit caro una: id quod eodem modo habuit ab initio mundi, etiamſi in nova lege gratiam, contrahentibus non promiſiſſet, quam promiſſionem ex prædicto Pauli loco, colligi non poſſe fatetur: negatque ea ratione Chriſtum gratiam matrimonio promiſiſſe, ut eſſet Sacramentum & ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

Hæc pugna Pontificiorum notanda eſt, ex qua certò certius elucet nondum convenire inter eos de ratione ob quam matrimonium ſit propriè dictum Sacramentum; quando ſub hac forma inſtitutum, in quo ipſius forma conſiſtat, & an in quibuſdam Scripturæ dictis ſolidum habeat fundamentum: ex quo conſequitur eorum de hoc capite fidem vacillare, proinde non eſſe fidem, ſed opinionem humanam. Alioqui non inficiamur, in omni fidelium conjugio, præſertim in conjugio primorum parentum, poſſe conſiderari, imo & debere multa, quæ ad fidei Chriſtianæ myſteria explicanda, non parum conducunt, ſublata ratione *Sacramenti* Chriſtianæ Religionis, *propriè dicti.*

Agnoſcimus itaque hoc loco, per Adamum Chriſtum, per Evam Eccleſiam ſignificari; Adamum ſopore correptum à Deo ſibi immiſſo, repræſentare Chriſtum, per voluntatem Dei Patris in crucem actum, & in ea mortuum. Nam ut ſoporem illum Adami naturalem & uſitatum non fuiſſe ſomnum, credimus; ſed à Deo extra ordinem immiſſum, & ecſtaſim quaſi propheticam, ut ex verbis quæ poſtquàm evigilavit protulit, ſatis apparet; ſic non fuit Chriſti mors naturalis, ſed violenta & extraordinaria.

Non inconcinna eſt allegoria, quam Eccleſiaſtici plerique ſcriptores veteres inde concinnarunt. Formationem Evæ ex latere viri dormientis, ſignificare ortum & progreſſum Eccleſiæ, de Chriſti in cruce mortui latere. Ex eo enim ſanguis & aqua profluxerunt, ad ſignificandum Sacramenta quibus à peccatis abluimur & emundamur, eademque virtute ſanguinis Chriſti efficacia, per quam Eccleſia ortum & incrementum accepit.

Addunt nonnulli, quoniam Chriſti infirmitas eſt Eccleſiæ fortitudo, ad id ſignificandum non carnem ſed coſtam nominari, ubi formatio mulieris ex viro deſcribitur. Iterum autem oſſe ſublato, non aliud os ſed carnem quæ infirmior eſt, viro reſtituta dicitur, maximè ſec. vulgatam & LXX interpretum verſionem. Sed hæc conſideratio nutat, & infirmo nititur fundamento, imò quod falſum exiſtimo, viro nempe, coſtam non fuiſſe reſtitutam.

Pluris facio eam quæ ſequitur, ex eo quod Moſes dixit, *ædificavit Deus coſtam in mulierem*, non *finxit*, aut *fecit*, ſignificatum fuiſſe, Eccleſiam eſſe domum Dei, quæ de vivis lapidibus ex Chriſto quotidiè ædificatur, quemadmodum idem Apoſtolus compluribus locis edocet.

Priuſquam hunc locum concludamus, non erit incongruum ſi quæſtionem ventilemus de ſocietatis & ſubjectionis convenientia, in conjugii inſtitutione & uſu. Videtur enim Societas, excludere ſubjectionem, & ſubjectio Societatem. Mulierem autem factam fuiſſe viro Sociam, indicant hæc Dei verba, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Deinde ex eo colligitur, quod non de capite viri, quia ipſi non debuit dominari, nec de pedibus, quia non debuit contemni aut conculcari, ſed de coſta ſumpta fuerit; ex eo enim præter myſterium Chriſti & Eccleſiæ, mulierem ut Sociam, & quaſi collateralem, vel lateri aſſidentem, viro fuiſſe datam.

Ex aliis tamen Scripturæ locis etiam conſtat, mulierem ſubditam viro eſſe oportere, cujus ſubjectionis conditionem indicat Apoſt. Epheſ. 5. verſ. 22. *Uxores propriis viris ſubjectæ eſtote, ut Domino. Quoniam vir eſt caput uxoris, ut & Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, & is qui ſalutem dat corpori; Itaque ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & uxores ſuis viris ſubjectæ ſint, in omnibus.* Quam legem univerſalem eſſe & perpetuam, rationes ſubjectæ ſatis oſtendunt.

Videtur etiam Scriptura, viro in uxorem dominium attribuere, Geneſ. enim 3. verſ. 16. primæ mulieri in perſona earum omnium quæ viros eſſent habituræ, dictum fuit, *ſub viri poteſtate eris & ipſe dominabitur tibi.* Unde eſt quod Paulus 1 ad Tim. 2. v. 12. cum dicit ſe non permittere, *ut mulier autoritatem uſurpet in virum*, inſinuat contra, virum in mulierem habere autoritatem. Unde & Sara laudatur ab Apoſt. Petro, 1 Epiſt. cap. 3. quod ſuæ conditionis non immemor, virum ſuum Do-

minum vocaverit, ex cap. 18. Geneſ. Hinc etiam ejuſdem lib. cap. 37. in Joſephi ſomnio, vir per Solem, & mulier per Lunam, ſignificata fuit, quaſi ille in domo ſit luminare majus, & illa luminare minus, & à majori dependens. Nec prætereundum eſt hunc principatum viri in mulierem, in ipſa mulieris formatione fuiſſe deſignatum, partim quidem in eo, quod mulier poſt virum facta ſit, id quod etiam conſideravit Apoſt. 1. ad Tim. 2. partim autem in eo, quod facta ſit ex viro, tanquam ex ſuo principio. Quod etiam urget Apoſt. 1. ad Cor. 11. ubi ob hanc cauſam virum, *caput mulieris*, appellat.

Ex quibus conſtat, mulierem non fuiſſe tantùm ſub viri poteſtate redactam poſt peccatum; verum etiam in ipſo innocentiæ ſtatu, virum in uxorem habiturum fuiſſe autoritatem. Quia etiam extra peccati rationem vir fuiſſet caput mulieris, & ejus quaſi ductor & gubernator. Cujus etiam rei varias in Politicis & œconomicis adferunt rationes Philoſophi. Ut, 1. quod vir naturâ ad imperandum eſt aptior; 2. Quod in brutis animalibus hoc idem apparet, in quibus præit mas; ut in armentis taurus, in gregibus, aries. Ideò Auguſt. de Geneſ. ad lit. lib. 11. cap. 17. *Factam*, inquit, *fuiſſe mulierem credere decet, ut vir ei dominaretur, & dominum habere maritum, meruit mulieris natura, non culpa.*

Ad quæſtionem igitur initio propoſitam, dicimus, non omnem ſocietatem includere æqualitatem, ſed actionum communionem, quæ etiam inter inæquales conſiſtit. Ut cum inter nonnullos ita communicantur actiones, ut unus dirigat, alter vero dirigatur. Atque ita, inter Patrem & Filium, præceptorem & diſcipulum, ducem & militem, coit ſocietas. Unde illud Æneæ ad ſuos commilitones Æneid. 2. *ô ſocii, neque enim ignari ſumus ante malorum* &c. Non addo quod quidam dicunt, inter Deum & homines ſocietatem quandam coaluiſſe, ex 1 Joan. cap. 1. Nam *ſocietatis* vocem, ad nomen Græcum κοινωνίας exprimendum minus aptam eſſe puto. Quos tamen Chriſtus *amicos* dixit, eoſdem & ſocios potuit dicere. Nihil itaque impedit ſi mulier lege divina & naturali, viro ſubjiciatur; eidem etiam ſocietate adhæreat. Socia nempe ipſi eſt in prolis generatione & ejuſdem educatione, necnon in gubernatione rei domeſticæ, ita ut ad eam quoque regimen & adminiſtratio familiæ pertineat; non enim ancillæ loco debet haberi, ſed adjutrix viro ſimilis, ita ut tamen agnoſcat, ſe in his omnibus viro ſubeſſe, tanquam primario gubernatori & rectori, cum quo nihil habet æquale, præter mutuam corporum poteſtatem. Non ineptè igitur, Ariſt. lib. 1. Politicorum, hoc imperium *politicum* vocat, ut maritus & uxor ſint velut duo Magiſtratus, ille major, hæc minor, quorum minor à majore pendeat, eique obtemperet. Id Plutarchus in conjugalibus præceptis, eleganti ſimilitudine illuſtrat. *Sicut*, inquit, *cum ſumuntur duæ conſonæ voces, nihilominus cantus graviori adſcribitur, ita in familia rectè inſtituta, omnes res geruntur quidem conſenſu conjugum, viri tamen inprimis conſilium & imperium elucet.*

Quod ergo poſt peccatum, videtur Deus primùm ſubjeciſſe mulierem dominationi viri, id abſolutè non eſt intelligendum, quaſi anteà nullum fuiſſet imperium, ſed comparatè: id eſt, ratione poteſtatis duræ, oneroſæ, & moleſtæ; quæ talis facta eſt, poſtquam peccando pœnam ſibi attraxit, in eo quod alioqui gratum & amabile ipſi fuiſſet, ſi peccati corruptio non interveniſſet, quod etiam in partu ipſi accidit. Sicut enim nunc parit mulier cum dolore, ſine quo alioqui paritura fuiſſet: ita nunc, viro ſubjicitur cum moleſtia, quæ libenter alioqui, viri ſupra ſe poteſtatem fuiſſet admiſſura.

Eſt tamen animadvertendum, non propterea fuiſſe conceſſam viro in uxorem tyrannidem, quaſi poſt peccatum ſerviliter viro ſubjici deberet, ad quam conditionem qui uxores adigunt, & ipſi peccant. Neque enim ulterius protendi debet poteſtas mariti, quam ut non imperandi libidine, aut ſtudio propriæ utilitatis, ſed conſulendi officio præſit, ut benè monet Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 14. hoc eſt, ad eum modum, quo parentes filiorum, aliique præfecti ſuorum ſubditorum utilitati ac ſaluti conſulentes, ſeveriores ſe interdum erga eos exhibent, quando ita vident expedire. Servilis autem conditio, longè alia eſt, qua ſervus ita Domino ſubjicitur, ut non ſervi ſed ſolius Domini utilitas ex ejus obſequio & opere quæratur. Quod ſubjectionis genus, apud Chriſtianos jam, de jure, locum non habet.

Meritò itaque Plato lib. 7. de legibus reprehendit Thraces, uxoribus, ut ſervis utentes, vel potius abutentes. Ideò exiſtimamus multo minus eſſe probandam Mahumeti legem, & cultorum ejus conſuetudinem, qui pro belluis mulieres habent. Nam, ſi jure Barbaros eos vocat Philoſ. 1. Polit. cap. 1. apud quos τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν, *fœmina & ſervus ſunt eodem loco*, barbariei fecem eſſe neceſſe eſt, quæ uxorem bruti loco ſtatuit, quam diligendam & fovendam, tanquam carnem propriam Sacræ Scripturæ docent.

Notandum eſt igitur, triplicem eſſe præfecturam, quarum una ei qui ſubjicitur, eſt prorſus expers moleſtiæ. Altera cum moleſtia quadam conjuncta eſt, ſed qua conſulitur ei qui ſubjectus eſt; Tertia, quæ & moleſtiam affert ſubdito, nec tamen ei, ſed ſoli præcipienti ſit utilis. Prima fuit ſub ſtatu innocentiæ, & talis perduratura fuiſſet, niſi interveniſſet peccatum. Secunda pertinet ad ſtatum quidem hominum ſub peccato, ſed eorum qui boni ſunt, & agnoſcunt quid Deo & hominibus debeant. Tertia eſt malorum, qui propria tantùm commoda ſpectantes, vel tyrannicè præſunt, vel infidè ſubſunt, & coacti. Secunda præfectura & ſubjectio in ſtatu conjugali, etiam benè ordinato, in hac, fragili vita reperitur. Tertia nequaquam.

EXER-

EXERCITATIO XXVII.

Differentia inter Arum *&* Arom. *Elegans paronomaſia notatur. pudor quid ſit, & quæ ejus cauſa? cur eum ſequatur erubeſcentia? Diſtinguitur verecundia ex Damaſc. Unde turpitudo in corporis nuditate? Cur nuditatis ante peccatum primos parentes non puduerit? Pudor ex nuditate, ex peccato. Cur præſertim in genitalibus? Quomodo ab aëris injuriis conſervati fuiſſent homines nudi, in ſtatu innocentiæ? In vitio nunc merito ponitur ſi quem nuditatis non pudeat. Adamianorum, ſeu Adamitarum hæreſis. A Priſciliano renovata. Aeneæ Picolominæi narratio de Picardo Adamita, expenſa. Adamitæ novi in Belgio. Hiſtoria Theodori Sartoris. Albigenſibus falſo adſcribitur. Cruciatorum impudens factum. Adamitarum ſecta à Monachis ortum habuit.*

CAp. 2. ℣. 25. ſic habet, *erant ambo nudi, homo & uxor ejus, & non erubeſcebant.* ערומים *arumim*, nudi, verbum ערה *arah*, ſignificat *nudari*, & tamen ערום *arom*, ab alio eſt, nempe à ערם quod, *callidus*, vel *verſutus fuit*, ſignificat. Ex quo ערום *arum*, cum ſchurek, callidus, aſtutus. ערום *arom* autem cum cholem, eſt *nudus*. Ubi notanda eſt elegans paronomaſia in fine hujus capitis, & initio ſequentis. *Erant ambo* ערמים *arumim*, nudi; & ſerpens erat ערום *arum*, id eſt, aſtutus & callidus, quam paronomaſiam aliæ linguæ non aſſequuntur. Notant Ebræorum Doctores, *arummim*, cum nudos ſignificat, dageſſari; cum autem ſignificat callidos, ſcribi ſine dages.

Non יתבששו *jitboſchaſchu*, erubeſcebant, à בוש *boſch*, puduit, erubuit. Targum, *non afficiebantur ignominia.* inde מבושים *mebuſchim*, partes quæ honeſtè nominari non poſſunt, quæ etiam Græcis *αἰδοῖα*, Latinis, *pudenda.*

Hic quæritur unde id factum fuerit, ut contra id quod poſt peccatum accidit, Adam & Eva nudi, non fuerint pudore ſuffuſi: cujus rei cum alii alias rationes afferant, juvabit veram inveſtigare & determinare. Ut fiat commodè id 1. ſtatuendum eſt, hic pro eodem ſumi, pudorem, verecundiam & erubeſcentiam, cujus definitio apud Ariſt. Ethic. 4. cap. 15. *Eſt metus quidam infamiæ. ὁρίζεται γοῦν φόβος τις ἀδοξίας.* A timore autem illam ita diſcernit, quod, qui timent palleſcunt, qui autem pudore afficiuntur, erubeſcunt. Propterea utramque paſſionem, potius inter animi perturbationes, quam inter virtutes reponit. Eſt autem verecundia cum metu conjuncta, non autem metus ſemper cum verecundia.

Hujus cauſſa eſt turpe, inferens ignominiam. Sed turpe cognitum eſſe debet, alioqui nemo erubeſcit de eo quod turpe aut inhoneſtum eſſe non putat. Ad verecundiam ergo ſola ſufficit opinio rei turpis, etſi per ſe talis non ſit. Unde verecundantur nonnulli in eo, in quo alii ſibi applaudunt, & gloriantur; idque fit propter diverſam apprehenſionem. Unde eſt pudor aliquis non laudabilis, ubi aliquem boni & honeſti pudet. Eſt etiam impudentia culpanda, ubi aliquem rei pudendæ non pudet. Quæ in eo ſtatu in quo ſumus poſt lapſum, maximè deteſtanda eſt. Nam pudor datus eſt nobis tanquam ſtimulus, & pædagogus ad mala vitanda, eoque amiſſo ſceleribus omnibus via aperitur. Unde Plato in Protagora, *pudoris qui particeps non eſt, uti civitatis calamitas, è medio tollatur.* Effrontes itaquè pro deploratis habentur. *Illum* (inquit Plautus) *periiſſe puto, cui periit pudor.* in Bacch. Act. 3. Sc. 3. v. 81. Quod autem erubeſcentia ſequitur pudorem cujus eſt effectus, inde accidit, quod natura quaſi egreditur, ad velandam faciem verecundantis, vel ad turpe repellendũ. Id obtinetur ſanguine per faciem diffuſo, velut tenui purpureoque velo.

Verecundia igitur cum ſit timor turpitudinis, dupliciter poteſt conſiderari; una, quæ conſiſtit in deformitate actus voluntarii jam perpetrati, quæ *erubeſcentia*, propriè vocatur, quia timor eſt exiſtimationis bonæ, ob turpe opus jam factum. Altera verecundia, eſt timor jacturæ exiſtimationis bonæ, propter malum opus futurum, quod quis deſignare ſtatuit, quæ eſt diſtinctio Damaſceni, Orthod. fid. lib. 2. cap. 15.

Supereſt jam, ut videamus quænam ſit in corporis nuditate turpitudo, aut metus turpitudinis, cujus ratione aliquis in ruborem detur. Qui in corpore nævos & imperfectiones habent, non patiuntur ſe detegi, & ſi id fiat, non ſine pudore & verecundia vident imperfectiones ſuas aliorum oculis patere. Sic qui defectus in corpore patiuntur, eos quantum poſſunt occultant & tegunt, ne aliorum oculis pateant. Sed hæc ratio tantum valet in iis quibus nævus aliquis ineſſet, quæ in aliis ceſſaret, qui juſta corporis ſtatura & membrorum æqua conformatione præditi eſſent, quales fuiſſe primos parentes non dubitamus, etiam poſt peccatum: igitur alia quærenda eſt ratio verecundiæ & erubeſcentiæ, quæ poſt peccatum accidit ex nuditate, quum anteà nulla eſſet, ut hoc loco teſtatur Moſes.

Non exiſtimandum eſt id primis hominibus accidiſſe ex defectu judicii, quod etſi nudi eſſent, tamen non erubuerint. Fatemur tale quid videri in infantibus, qui nullo pudore ducuntur ex membrorum nuditate. Idem etiam uſu venit iis omnibus, quibus rationis uſus non conſtat, & qui mente moti, turpis & honeſti ſenſu nullo tanguntur. Addunt alii conſuetudinem, qualis eſt inter

popu-

populos illos barbaros, qui nudi incedunt tam viri quam fœminæ, nec tamen illos pudet. Idem etiam accidit ad tempus iis, quos nimius aliquis timor occupat & obruit pudorem, ut ſi quis ſentiens ruinam aut incendium domus, nudus è lecto proſiliat in publicum. At nihil tale poteſt protoplaſtis tribui in primo illo ſtatu, in quo nudi non erubeſcebant. Non illud primum, nempe judicii carentia, qualis eſt puerorum & amentium. Quis enim credet, eum hominem, qui fuit in perfecta ſtatura à Deo conditus, qui omnibus animalibus impoſuit nomina, qui uxorem ex ſe factam agnovit, judicio & ratione caruiſſe, & inter pueros & amentes, niſi ab amentibus reponi poſſe? Ideò ſuprà, hæreſim Socini rejecimus, qui ex eo quod Adam & Eva dicuntur non erubuiſſe ob nuditatem ſuam, voluit colligere fuiſſe illos velut infantes, qui ob rationis defectum, nuditatem ſuam non agnoſcunt. Non ſecundum, quis enim in recens conditis potuit eſſe conſuetudinis uſus? Deinde, diximus talem conſuetudinem à ſtupiditate ortum duxiſſe, ut in illis populis liquet qui planè nudi incedunt, qui inter honeſtum & turpe diſcernere non norunt, adeò obtenebratæ ſunt eorum mentes. Quæ graviſſimorum peccatorum pœna ſtatui innocentiæ non poſſet attribui ſine blaſphemia. Non tertium, nam quis timor aut metus occupaſſet eos, quibus omnia obediebant &c?

Neque eſt quod quis dicat id accidiſſe ex inverecundia & impudentia, quis enim credat impudentes & inverecundos fuiſſe homines ante peccatum? Ergo potius hac deſcriptione paucis indicare voluit Moſes, in primis illis hominibus fuiſſe ſummum candorem, puritatem, ſimplicitatem & integritatem ſummam, atque plenam innocentiam, qua fiebat, ut cum omnia eorum membra eſſent aptè compoſita, nulla prurigine aut libidinis titillatione ducta, eſſentque illi, utraque parte tam corpore quam animo puriſſimi, ad peccatum & malum nullo modo advertentes, nec de eo cogitantes quidem, non fuit unde ipſos puderet ſui, vel alicujus corporis partis. Ideò non magis percellebantur corporis totius nuditate, quam nos faciei, manuum, & aliarum partium quæ omnium oculis exponuntur.

Pudor igitur poſteà ex peccati ſenſu & cognitione ortum habuit, à quo tunc prorſus alieni erant. Atque ita, nuditas corporum ex animorum nuditate procedebat, cum in iis nihil eſſet fucatum, ſed omni ex parte purum & ſimplex, ne exceptis quidem partibus illis, quæ hodiè ſunt pudendæ. In quibus poſteà pudor præſertim exortus eſt, quod eſſent membra procreationis. Cur autem ita acciderit, quæritur. Alii alias afferunt rationes, deductas præſertim ex eo, quod in illis membris maximè ſe exerit rebellio contra rationis dictamẽ, quæ tamen ratio non ſufficit, quia licet minimè commoveantur, ſed perfectè ſubſideant, non deeſt pudor ubi quis nos videt nudos. Unde conſtat, pravum illum motum non eſſe veram cauſam, quandoquidem ipſa nuditas verecundiam infert, etiamſi partes omnes decenti ordine compoſitę, ſitum naturalem, ſine ullo motu obtineant. Imò in fœminis maximus eſt erubeſcentiæ effectus, in quibus tamen externus ille motus rebellionis non apparet.

Quid, quod ii qui motus illos minus ſentiunt, & caſtiſſimè ſe gerunt, magis erubeſcunt de ſua nuditate, quam ipſi impudici, aut alii quipiam? Eſt igitur aliquid aliud, in quo tanti pudoris ratio conſiſtit. Fortè, quia Deus voluit nos originalis labis meminiſſe, dum illam in poſteros parentes traducunt, ut ſemper ſtatum illum fœlicem ante oculos habeamus, & infœlicem peccati ſtatum deplorantes ad illum beatum ordinem anhelemus. Providentiam enim divinam & ultricem juſtitiam decuit, ut in his maximè puniretur homo, per quæ ſuam iniquitatem, & peccati pœnas ad alios transfert, ut ea ratione pœna veluti continua evaderet.

Non valet igitur ratio quam afferunt quidam Ebræorum, primos homines non fuiſſe pudore affectos, quia alter alterius erat caro. Ideò Adamum non erubuiſſe quod Eva eum nudum videret, &c. Nam poſt peccatum non deſierunt eſſe alter alterius caro, & tamen puduit eos quod nudi eſſent. Imò etiam nunc, eos qui rectè ſunt compoſiti propriæ carnis pudet, nec libenter ſe nudos ſpectant. Nec vir ad uxorem ſine aliqua verecundia accedit. Ergo ſimplicitas ſumma primis parentibus ademit nuditatis ſenſum & cognitionem, quæ poſteà ſtatim eſt conſecuta, orto peccato, quod ſimplicitati repugnat, inde pudor ex conſcientia violati mandati divini, & inde turpitudinis & ignominiæ ſenſus.

At quomodo ita nudi, frigori, æſtui & aliis cœli injuriis obſiſtere potuiſſent? Nam etſi verecundia & pudor in ſtatu innocentiæ non accidiſſet, tamen non videtur veriſimile Deum, excellentem illam creaturam, & aliarum Dominam voluiſſe exponere omnibus cœli injuriis, præſertim in adeo tenella cute, non pilis munita, aliorum animalium in morem. Ridiculum eſt quod in cujuſdam Rab. Eliezer capp. traditur, primorum hominum carnem fuiſſe ex ungue, quæ poſteà detracta illi fuit poſt peccatum. Non negamus ita conformata fuiſſe prima illa corpora, ut nullum paſſura fuiſſent incommodum, ab iis quæ jam nobis noxia ſunt, & penè intolerabilia poſt peccatum. Quod enim ita afficimur cœli injuriis, pœnam peccati eſſe par eſt credere, ob quas etiam veſtibus, extra pudoris conſiderationem, nobis opus eſt. Quæ autem ſunt nunc incommoda, tunc non fuiſſent, quia omnes creaturæ homini faviſſent, ſi in Dei favore permanſiſſet.

Reliquum eſt ut expendamus, an pudor qui ex nuditate oritur ſit in omnibus Adami poſteris. De iis loquimur qui judicio & ratione utuntur, ut jam anteà diſtinximus. In multis non eſſe experientia teſtatur; ſed tamen eſſe debere, omnium rectè ſentientium conſcientia novit; adeò ut merito in vitio ponatur, non virtuti adſcribatur, ſi qui ſint nec infantes, nec amentes, quibus mem-

membrorum nudatio pudorem non incutiat. Sic pro impudicis & perfrictæ frontis hominibus habemus eos, qui jugum omne, & ipſius Dei, rationis & hominum imperium, atque metum excuſſerunt, quibus frons impudentiſſimæ meretricis facta eſt, & qui omnigenæ impudicitiæ callum obduxerunt. Item barbaros illos ab omni honeſtate alienos cenſemus, qui non ſolum ob ſuam nuditatem hominum conſpectum non fugiunt, ſed de illa gloriantur. Quod non poteſt aliundè proficiſci quam à belluinis planè moribus, & longa peccandi conſuetudine, & à libidine profuſa, quibus aſſueti tanta mentis cæcitate laborare cæperunt, ut vix bonum à malo diſcernerent. Inde leguntur apud hiſtoricos de nonnullis populis, quæ planè adverſus ipſam naturam pugnabant; ut quod nonnulli pro beneficio ducebant, ſi parentes in extrema ſenectute poſitos, viſceribus ſuis tanquam ſepulchris concluderent. Tanta enim vis eſt perverſæ conſuetudinis ut vim legis tandem obtineat, adeò ut quod probroſum eſt & inhoneſtum, aſſuetudine in ementitæ honeſtatis titulum transferatur. Qua ratione fieri poteſt, ut non amplius tales homines nuditatem aperire vereantur.

His annumeramus impudentes illos hæreticos, quorum meminerunt inter veteres Epiphanius, hæreſi 52. Auguſt. de hæreſ. cap. 31. *Adamiani* (inquit) *ex Adam dicti, cujus imitantur in Paradiſo nuditatem qua fuit ante peccatum.* Addit, *Nudi mares & fœminæ conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant Sacramenta, & ex hoc Paradiſum ſuam arbitrantur Eccleſiam.* Epiphanius ait, talpis non eſſe abſimiles, quia ut talpæ hominibus vix apparent, ita raros Adamianos conſpectos fuiſſe. Eccleſias ſeu latibula ſua habuiſſe in hypocauſtis, id eſt in locis qui ſubtus incenduntur. Foris autem primum exuiſſe ſe quemlibet, ſive vir fuerit ſive mulier, ſive doctor ſive auditor, & ingreſſum fuiſſe nudum univerſo corpore, velut qui ex utero matris egreditur. Eum autem qui ipſis videbatur in delicto eſſe, non amplius fuiſſe admiſſum in congregationem, quem dicunt eſſe ipſum Adam, qui comedit de ligno, idcirco ex Paradiſo ejiciendum eſſe, hoc eſt ex ipſorum Eccleſia, quam Paradiſum, quemadmodum ſe ipſos Adamum & Evam eſſe putant. Prætextus eorum is fuit, quod ſi nos jam ullius membri corporis noſtri pudet, ſignum eſt nos ſecundum carnem & externum hominem qui in nobis periiſſe debet adhuc vivere, non ſecundum internum. Deinde cum veſtimenta ſint peccati teſtimonia, & tanquam corporis noſtri vincula, ea eſſe exuenda, iis qui Chriſti beneficium ſentiunt. At Paulus contrarium docuit, 1. Cor. 12. ℣. 23. ita ut planè in reprobum ſenſum traditi videantur, quos ne ſuæ quidem manifeſtæ fœditatis pudet. Quapropter verè dici poſſunt ἀναίσχυντοι, id eſt, impudentes. Et præterea, argumenta eorum ſuperbiam & præſumptionem redolent, qua ſe jam in hac miſeriarum valle, & in mortis corpore quod circumgeſtant, ab omni labe puros eſſe fingunt. Addit Auguſtinus Catharos illos ſcilicet, nuptias damnaſſe ut Satanæ conſilium & opus, & mulieres tamen communes habuiſſe. Scilicet Satan habuit etiam olim ſuos Cynicos ſub Chriſtiano nomine, ut apud Ethnicos inter Philoſophorum ſectas. Hanc Adamitarum ſectam, prius extinctam, Priſcillianus innovavit, cujus cauſa ab Imperatore præfecto Evodio commiſſa, *Is Priſcilianum gemino judicio auditum convictumque maleficii, nec diffitentem obſcœnis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum, nocentem pronunciavit.* teſte Severo Sulpitio, Hiſt. Sacræ lib. 2. Id accidit, circa annum Dom. 380. Sub Gratiano & Theodoſio.

Eandem hæreſim impingunt iis qui in Bohemia Picardi dicti fuerunt, Pontificii quidam Scriptores. Æneas Sylvius in Hiſtoria Boemica cap. 41. ubi agit de Adamitis hæreticis, narrat, Picardum quendam ex Gallia Belgica transmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetraſſe, qui præſtigiis quibuſdam fidem ſibi concilians, brevi tempore non parvam mulierum virorumque plebem ad ſe traxit, quos nudos incedere jubens, *Adamitas* vocavit, & occupata inſula quadam, amne Luſinicio cincta, filium Dei ſe dixit, & Adam vocari. Connubia eis promiſcua fuiſſe ſcribit, nefas tamen ſine juſſu Adami mulierem cognoſcere. Sed ut quiſque libidine incenſus in aliquam exarſerat, eam manu prehendiſſe, & adientem principem, *In hanc* (inquiebat) *ſpiritus meus concaluit.* Cui Princeps, *Ite* reſpondebat, *creſcite, multiplicamini & replete terram.* Quadraginta viros ex his inſulâ exiviſſe, & intrantes vicinas villas, evaginatis gladiis, ſupra ducentos ruſticos interfeciſſe, quos Diaboli filios aſſerebant. In eos tamen Ziſcham duxiſſe exercitum, & Adamitas omnes expugnata inſula gladio deleviſſe. An id verum ſit necne dubitari poteſt, & certum eſt eos quos in Bohemia Picardos vocant à tali hæreſi fuiſſe alieniſſimos. Quicquid ſit de ſecta illa, cum ipſi fateantur ipſo Ziſcha duce armis fuiſſe oppreſſam, atque è patria ſublatam, ſuam calumniam ipſi refellunt, cum infamis ſectæ nomen iis quorum Ziſcha fuit dux, non verentur adſcribere. Sed neque verum eſt quod dicunt de Picardo illo. Nam Picardi dicti fuerunt, non ab aliquo viro ſic nominato, ſed à Picardia Provincia in quam venerunt ex diſperſorum Albigenſium reliquiis aliqui. Idcirco Joach. Camerarius in narratione de Eccleſiis fratrum in Bohemia & Moravia, Picardanum nomen Gentile eſſe docet, *Etſi,* inquit, *à neſcio quo Pegardo transfuga nomen illud dictum, quidam, & alia quædam magis nugatoria falſo prodiderunt.*

Sed nihilominus verum eſt, Satanam in hac ultima mundi ſenecta novos Adamitas in colluvie Anabaptiſtarum excitaſſe. Nam tales inventi ſunt Antverpiæ, Amſterodami & alibi, qui exutis veſtibus congregationi ipſorum (ut vocabant) ante quam acceptarentur ab

ipſis ſiſtebantur. Maſculi cogebantur nudi inſtar Adami ante lapſum, per integrum horæ ſpatium, in media virorum, mulierum & virginum turba obambulare; ſi hora elapſa, bona conſcientia, ſcilicet, affirmarent ſe abſque carnis tentatione manſiſſe, ab Adamitis ut dono continentiæ præditi recipiebantur, ſin minus, repudiabantur. Quo impuritatis genere, nihil poteſt excogitari turpius. Nota eſt hiſtoria Theodori Sartoris, qui anno 1535, tertio Februarii, Amſterodami in vico Salario dicto, in ædibus cujuſdam Joannis Sifridi cum aliis tredecim tam viris quam mulieribus conventum habuit, in quo ſe nudum coram ſuis fratribus & ſororibus extendens, fingens ſe raptum & ecſtaticum, mira proferebat, atque adeò hac arte multitudinem aliquam ad ſe pertraxit, donec tandem, ſceleris ſui juſtas pœnas dedit: ſimilia tribuit VValdenſibus poſt Guidonem Carmelitam, Alphonſus de Caſtro, ſed ut alia pleraque per calumniam. Id tantùm verum eſt, Albigenſes in urbe Carcaſſonæ obſeſſos & ad deditionem coactos, ab Epiſcopis Pontificiis qui in exercitu cruciatorum primas tenebant, non alia lege fuiſſe dimiſſos, quam ut nudi tam viri quam fœminæ coram toto exercitu, pudendis partibus detectis, egrederentur. Atque ita Adamitæ facti fuerunt inviti, ſic ſtatuentibus ſanctis illis & religioſis ſcilicet viris, qui oculos ſuos hoc ſpectaculo paſcebant. Quod vix credibile eſſet, niſi facinoris illius narrationem, à Monacho quodam Petro Vallis Sarnenſis, tunc conſcriptã, ipſi Pariſiis nuper edidiſſent anno 1615.

A Monachis etiam ortum duxit Adamitarum ſecta. Teſtatur enim Epiphanius fuiſſe illos ex μοναζόντων καὶ ἐγκρατευομένων, id eſt, ex monachorum genere, qui hoc modo, falſo pietatis & vitæ auſteritatis prætextu ſe voluerunt commendare. Meminit Evagrius lib. 1. Hiſt. cap. 21. Monachorum in Ægypto, qui tam viri quam mulieres, in ſolitudinem ardoribus efferveſcentem ſe abdebant, & ſolis illis membris quæ naturæ ſerviunt neceſſitati, obtectis; reliquum corpus frigoribus immenſis & fervidis aëris caloribus nudum exponebant. Addit de aliis. *Porrò balneis ſæpè utuntur, ac ſæpè una cum mulieribus verſantur, ſimulque lavant ſe, atque ita perturbationum omnium ſunt expertes, ut naturam ipſam ſibi ſubjeciſſe videantur, quandoquidem neque aſpectu, neque tactu, neque denique ipſo complexu mulieris ad naturalem concupiſcentiam inclinari impellive poſſunt.* Credat Judæus Apella, non ego, niſi id de talibus mulieribus intelligatur, qualem ſibi formavit Franciſcus cordigerorum pater, qui nudus ſtatuam muliebrem quam ex nive erexerat amplectebatur, ſi fides ſit autori Legendæ. Hæc ſunt dæmonum ludibria, orta fortè ex Gymnoſophiſtarum, apud Ethnicos κακοζηλίᾳ.

AD CAPVT III.

Exercitatio XXVIII.

Exponitur verſ. 1. capitis tertii. אף כי aph chi, *in Ebraiſmo quid?* Non ex omni *pro* non ex ullo. *Serpentis aſtutia. An verus fuerit ſerpens qui Evam tentavit. Aſſeritur & probatur. Non fuiſſe loquutum naturaliter, ſed à dæmone poſſeſſum. Exemplis aliis illuſtratur. Cur aſtutiæ ſerpentis meminerit Scriptura, cum Diabolus eum moverit? Quod argumentis probatur. Cur ergo Deus ſerpenti maledixerit, cum peccati capax non fuerit? Reſpondetur difficultati, cur mulier ad vocem ſerpentis non fuerit attonita? Quænam tum in ea potuerit eſſe ignorantia ſine culpa?*

Capitis tertii verſ. 1. & ſeqq. narratur hiſtoria de tentatione Evæ & primo hominum peccato. Ubi primùm agitur de tentationis organo ſerpente, qui deſcribitur ab aſtutia, aliorum animalium comparatione. 2. de tentationis modo. 3. de transgreſſionis opere. 4. de transgreſſionis effectu. quæ primam capitis partem, uſque ad verſum octavum excluſivè, abſolvunt. Verba primi verſus ſunt, *& ſerpens erat callidior, omni beſtia agri quam fecerat Iehova Deus: & dixit ad mulierem, etiam quia dixit Deus, ne comeditote ex omni arbore horti.* Ubi nulla difficultas eſt ſi verba ſpectemus, niſi initio interrogationis, אף כי אמר *aph chi amar,* ad verbum, *etiam quod dixit,* vel, *etiam quia dixit.* variant enim interpretes, quorum nonnulli volunt dubitanter id fuiſſe propoſitum, alii affirmativè, alii interrogativè, ut ex mulieris reſponſione anſam arriperet ulterius procedendi. Vulgata, *cur præcepit vobis Deus?* &c. Chaldæus Paraphr. *verumne eſt quod dixit Deus.* LXX. τί ὅτι, *quid, quia dixit Deus* &c. Pagninus, *verè dixit Deus.* Trem. & Jun. *etiamne dixiſſe Deum,* ut ſit Paralepſis, & ex longiori ſermone id tantum referat Moſes, quo ſerpens id quod moliebatur obtinuit. Ex multis enim rationibus quibus mulierem voluit adducere in ſuſpicionem, vel odii vel invidiæ Dei erga genus humanum, hanc affert maximè, quod eſu fructus illius prohibuiſſet, à quo pendebat maximum hominis bonum. Id in verſione ſeptuaginta commodè expreſſum eſt, *quid quod dixit Deus* &c. Phraſis illa אף כי *aph chi,* ſæpè in Bibliis ſumitur pro *multo magis,* quaſi ſic ſerpens continuaret ſermonem, *multo magis,* ſcilicet miror, quod *dixit* &c. Eodem ferè recidunt omnes interpretationes, quarum tamen illa quæ voces ipſas ſequitur, ut ſimplicior eſt, ſic quod omnes interpretes, ſaltem potiores ſentiunt, optimè

optimè refert. *Etiam quia dixit,* quaſi diceret, Deus vobis non favet, ſed vel odit, vel vobis invidet multis nominibus, etiam in eo quod dixit &c. id eſt, in eo quod non permiſit vobis plenam poſſeſſionem fructuum terræ, invidet vobis perfectam fœlicitatem.

Non comedetis מכול עץ *miccol etz,* ex omni arbore horti. Ambiguam eſſe phraſim certum eſt, quia vel univerſalem prohibitionem ſignificare poteſt, ut *non omnis,* in Sacra Scriptura, ſæpiſſimè ſumitur pro *nullus.* Aliquando non omnis, excipit tantùm, quaſi diceres non ex qualibet. Qui verus ſenſus eſt ſi prohibitionem divinam ſpectemus. An vero ludere voluerit Satan ambiguo, poteſt quæri. Ex reſponſione Evæ colligitur eam verba ſerpentis accepiſſe, ac ſi pronunciaſſet ea eo ſenſu, ut intellexerit planè ipſis interdictum fuiſſe eſu cujuſlibet arboris, quaſi nullam planè ipſis attingere permiſſum fuiſſet. Quæ tamen reſponſio alio ſenſu poteſt accipi, quaſi voluiſſet Eva amoliri, quod de prohibitione alicujus arboris dicebatur, oppoſita aliarum omnium permiſſione, ut oſtenderet quam benignus & liberalis fuiſſet erga ipſos Deus. Nec ſanè ignorabat qui in ſerpente loquebatur, quid ipſis fuiſſet vel conceſſum vel prohibitum. Videtur ergo ſenſus eſſe, etiam in eo parum æquus vobis fuit, quod ut libertatem veſtram minueret & magno bono vos privaret, dixit ne de qualibet paſſim arbore paſceremini, ut ſic mulieris reſponſionem eliceret, & inde occaſionem captaret ſuum virus palam & amplius effundendi.

Hæc prima difficultas eſt de tentatore, quis ille fuerit. Verba Moſis directè ſerpenti tentationem tribuunt, ideoque præmittit aliquid de natura ſerpentis quod fuerit ערום *arum,* callidus & aſtutus præ omni beſtia agri, id eſt, omnium animantium terreſtrium aſtutiſſimus. Proinde aptiſſimus etiam ad actum illum qui deſcribitur, ut ſpiritualis ſerpentis calliditatem & aſtutiam repræſentaret, & quo uteretur tanquam inſtrumento. Alioqui naturalis calliditas in ſerpente, qualis à Deo creatus fuit non fuit vitioſa, quia tum omnes Dei creaturæ erant bonæ, & ad hominis uſum comparatæ. Sed bonis Dei creaturis ad malum, permittente Deo, poteſt abuti Satan. Dominus noſter Matth. 10. ℣. 15. prudentiam ſerpentibus tribuit, *eſtote prudentes ſicut ſerpentes,* ſive quia reliquum corpus opponit, ut caput protegat, ſive quia homines inſidiis & occultè adoritur, ſive quia profundas terræ cavernas petit, ut frigora vitet, & pinguior fiat; Addi poteſt quod Plinius Hiſt. nat. lib. 8. cap. 27. ſcribit, anguem hyberno ſitu membrana corporis obducta, fœniculi ſucco impedimentum illud exuere, nitidumque vernare. Exuere autem à capite primùm, nec celerius quam uno die ac nocte replicantem, ut extra fiat membranæ, quod fuerat intus. Eundem hyberna latebra viſu obſcurato, marathro herbæ ſe affricantem, oculos inungere & refovere, ſi vero ſquamæ obtorpuere, ſpinis juniperi ſe ſcabere, quæ omnia induſtriam aliquam & prudentiæ ſpeciem referunt. Quid, quod Pſalmo 58. ℣. 5. ſcribit Propheta, *aſpidem ſurdam obdurare aurem ſuam, quæ non auſcultat voci muſſitantium, utentis incantationibus peritiſſimi?* Locus habet ſuas difficultates alibi expendendas; ſed ad propoſitum noſtrum quod ſpectat, attribuitur manifeſtè aſpidi ſagacitas & aſtutia quædam, ut incantatorum artes fallat. Non immorabor in curioſa diſquiſitione, quomodo ſerpens cunctis animalibus fuerit callidior, quum vulpeculæ, ſimiæ, apes, & alia quædam animalia, tam ſint aſtuta. Quam ob cauſam nonnulli ſerpentem prudentem vocari putant, quod cernat longiſſimè. Sed credendum potius Scripturæ Sacræ, quam hominum conjecturis, vel rationis humanæ argumentis, in qua cum abſolutè tribuatur ſerpenti aſtutia, ſupra reliqua animalia, quamvis non adeo nobis eſſet perſpecta, nulla tamen reliqua eſſet dubitandi cauſſa.

Sed gravior eſt quæſtio, cur ubi agitur de hominum tentatione per ipſius Dei calumniam, fiat mentio aſtutiæ ſerpentis, quæ certè, etſi in iis quæ ad conſervationem ſuam faciunt, & poſteà ad nocendum hominum corporibus, aut aliorum etiam animalium aliquid valeat: nulla tamen potuit eſſe, ubi de hominibus quoad animam perdendis, agebatur. Omnis enim prudentia & aſtutia talis, ſibi proponit aliquem finem, media præparat, & ratiocinatur. Quod naturali ſerpenti ut tribuamus, ipſa nos vetat ratio.

Ideò Cajetanus ſcribens in hunc locum, cenſuit totum hoc eſſe allegoricum, & quæ de ſerpente dicuntur, intelligi debere de ſolo dæmone, ſub ſerpentis nomine deſcripto; Alloquium item ſerpentis, nihil aliud eſſe, præter ſuggeſtionem internam Satanæ, Origenem ſequutus, qui pleraque quæ dicuntur in Geneſi traxit ad allegoriam, ſenſum hiſtoricum excludens. Id etiam in ſerpente fecit, nec ab eadem ſententia Cyrillus Alexandrinus alienus fuit, qui lib. 3. contra Julianum, ſolum ſerpentis ſimulachrum à dæmone fuiſſe aſſumptum putat; ſed cum dæmon poſt tentationem hoc phantaſma non reliquerit, quod in tenues abiret auras, certum habemus verum fuiſſe ſerpentem, ſequentibus argumentis ducti.

1. Comparatio ſerpentis, præ omnibus terræ animalibus callidi, indicat ſerpentem de quo agitur inter animalia terræ reponi debere. Alioqui malè inſtituta eſſet comparatio. Cum enim dicitur leo fortiſſimus omnium animalium, indicatur eſſe etiam leonem ſub eodem genere. 2. Pœna quæ poſteà infligitur ſerpenti, vero & naturali ſerpenti convenit. Experientia enim notum eſt ſerpentem ſuper pectus gradiri, terram comedere & hominum calcaneo inſidiari. 3. Non videtur conſentaneum, ut Diabolus interna tentatione, quæ fit per imaginationem in homine commotam, hominem integrum aggredi fuerit permiſſus, ut Chriſtum etiam eo modo tentare permiſſus non fuit, quapropter tentatio qua hominem tentavit, fuiſſe debuit quædam exterior

terior peccati ſuggeſtio, unde ſequitur corporeum fuiſſe ſerpentem, per quem id factum fuiſſe Scriptura teſtatur.

Hic tamen cavenda eſt alia extremitas, in quam incidit Joſephus, lib. 1. Antiq. cap. 1. ubi belluis, atque adeò ſerpenti in ſtatu illo, vim loquendi tribuit. Cui videtur etiam ſuffragari Baſil. Homil. de Paradiſo, ubi ait ante peccatum animalia fuiſſe inter ſe locuta. Plato aliquid tale commentus eſt in Politico, ubi agit de regno Saturni. Quæ planè fabuloſa ſunt, & adverſus rationem pugnantia. Cui etiam non convenit via illa media, quam apud Moſem Bar-Cepha in libro de Paradiſo, Ephrem Syrus tenuiſſe dicitur, nempe quod dæmon à Deo petierit, ut ad tempus facultatem loquendi, imo & intelligendi ſerpenti largiretur, quod à Deo fuit conceſſum, ut per eum tentaretur primorum parentum obedientia. Neque enim ei dari potuit facultas intelligendi niſi mutata ipſius natura, ut ex bruto animali intellectivum animal fieret.

Dicendum eſt igitur, verum fuiſſe ſerpentem qui Evam adortus eſt, ſed permiſſione divina à dæmone poſſeſſum, qui in ſerpente loquebatur & ratiocinabatur; loquutum itaque fuiſſe per ſerpentem, quomodo per vates ſuos, pythoniſſas, & alios à ſe obſeſſos, ſæpè loquutus eſt, tanquam per organa quædam quibus quæ vellet ſignificabat. Sed in ea re quandam eſſe fatemur diſſimilitudinem, quia talia inſtrumenta, etſi moverentur à dæmone, prædita tamen erant naturalibus & aptis ad humanas voces exprimendas organis, quæ ſerpenti tribui non poſſunt. Id tamen aliquando fuit animadverſum in nonnullis, quod Satan ex eorum ore verba & vocem emiſerit, etiam ipſis invitis, nedum adjuvantibus. Verum ut exemplum afferamus magis conveniens, quo etiam uſus eſt Auguſt. de Geneſ. ad lit. lib. 2. cap. 29. in lib. Numer. cap. 22. dicitur de Aſina Balaami Pſeudoprophetæ, quod in ejus ore Angelus Dei vocem formavit & articulata verba, quibus herum ſuum redargueret. Nam ut ſpiritibus adminiſtratoriis in ſuorum bonum, vel in pœnam impiorum, id concedit Deus poteſtatis; ſic etiam ipſis dæmonibus permittit inferiora hæc corpora induere, vel ſpectra inducere hominibus, eorum aſpectui illa exponere, aliquando etiam per vera animalia loqui & apparere. Quod mirum eſt, tanquam abſurdum & impoſſibile objectum fuiſſe à Juliano, viro alioqui erudito, ut libros Chriſtianorum fabuloſæ vanitatis convinceret. Quum præſertim ejus rei multa ſuppetant exempla in probatis Ethnicorum hiſtoriis. Plinius enim lib. 8. cap. 41. inter prodigia refert, eo anno quo Tarquinius regno pulſus eſt, ſerpentem in morem canis, latraſſe. Et Valer. Max. lib. 1. ubi de miraculis agit, Tit. 8. refert ſimulachrum Junonis monetæ verba protuliſſe, item ſimulachrum Fortunæ bis loquutum fuiſſe, his verbis, *ritè me matronæ vidiſtis, riteque dedicaſtis.* Julius Obſequens de Prodigiis cap. 38. Priverni bovem locutum eſſe ſcribit, & cap. 40. idem accidiſſe in agro Romano. cap. 53. verba etiam exprimit, *Roma tibi cave.* Et in eodem libro multoties tale exemplum refert. cap. 103. non ſolum de bove, fœmina, idem dicit, ſed etiam *Arimini canem locutum fuiſſe.* Quæ omnia facta ſunt operâ dæmonum, quomodo Diabolus per ſerpentem locutus eſt, quia ſermonem humano ſimilem, quo Evam alloqueretur, in ore ſerpentis efformavit, quod fecit Deo permittente, ea virtute qua pollent etiam Angeli mali ad varios & miros effectus producendos.

Id cum ita ſit, quæſierit fortaſſe aliquis, cur calliditatis aut aſtutiæ ſerpentis fiat mentio. Quum enim, ut ſupra dictum eſt, ſerpens, etſi inter animalia inſtinctu quodam naturali polleat, quod prudentiam in quibuſdam aliquo modo referat, non tamen poteſt aſſurgere ad eam calliditatem quæ in tentatione illa requirebatur. Et id quidem objicitur à Cajetano, ut probet, allegoricè hæc eſſe intelligenda, & hoc opus ita fuiſſe Diaboli, ut quod dicitur de ſerpente, ad naturalem ſerpentem non ſit referendum. Sed nihil obſtat, quominus de ſerpente intelligatur quæ attribuitur ipſi aſtutia, ita ut tamen dicamus Moſem ſignificare voluiſſe Diabolum ingenio vafrum & ſubtilem, per ſerpentem animal natura callidum, & ita ſuis machinationibus accommodum ad hominem tentandum acceſſiſſe: adeoque Deum permiſiſſe ut eo potius inſtrumento uteretur quam alio, quo nobis aſtutiæ & malitiæ Diaboli, tanquam ſymbolo quodam exponerentur. Nam dæmonem beſtiam illam agitaſſe, & autorem fuiſſe tentationis illius, Scripturæ nos dubitare non ſinunt, quæ ubiq; teſtantur Diabolum fuiſſe humani generis ſeductorem, ac deceptorem, qui ideò Joan. 8, ℣. 44. dicitur *homicida fuiſſe ab initio.* Hinc eſt quod Scripturæ etiam Diabolum, ſerpentem & draconem appellant, ut 2 ad Cor. 11. ℣. 3. *Metuo ne quomodo ſerpens ille Evam ſeduxit calliditate ſua, ita corruptæ mentes veſtræ, degenerent à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* Quis autem fuerit ille ſerpens cujus in ea re præcipua fuit opera, indicat Joan. Apoc. 20. ℣. 2. *Et apprehendit draconem, ſerpentem inquam antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas.*

Hic oritur quædam difficultas, ex eo quod contendimus 1. ſerpentem non potuiſſe natura ſuâ intendere hominis tentationem, intelligendi facultate caruiſſe; & prætereà, loqui non potuiſſe, niſi impellente Satana. Nam ex eo ſequitur ſerpentem non fuiſſe in culpa quo abuſus eſt dæmon, quando illud non potuit præcavere brutum animal, quia nec ſcivit, nec intellexit boni vel mali diſcrimen. Tamen videmus poſteà Deum maledixiſſe ſerpenti, unde colligi poſſe videtur, vel per ſerpentem intelligendum eſſe dæmonem cum Cajetano; vel ſi ſerpentem propriè dictum intelligamus, concedendum eſſe, ratione fuiſſe præditum, qui pœna dignus fuit judicatus ob ſeductam mulierem. Reſpondemus tamen neutrum ſequi, & nihil eſſe abſurdi, ſi

Deus

Deus non ſolum in Satanam, ſed etiam in illud inſtrumentum quo abuſus eſt, maledictionis ſententiam pronunciaverit, ut oſtenderet, quantum ſibi diſplicuiſſet Satanæ factum, cujus gratia non ſolum tentationis autorem plecteret, ſed ipſum etiam inſtrumentum maledictioni addiceret. Quod etiam apud homines non eſt inſuetum, in criminibus atrociſſimis, in quibus homines abutuntur beſtiis, quæ etiam ex judicum ſententia una cum impuris illis igne conſumuntur. Voluit præterea Deus in eo conſulere hominibus, & hac ſua ſeveritate, in animal illud aliàs rationis expers, ipſis teſtari ad ſuam & poſterorum conſolationem, quam graviter ferret, quod artificio Satanæ à prima illa ſua fœlicitate deturbati fuiſſent. Ideò deteſtatus eſt etiam organum quo Satan eſt uſus ad exitium homini creandum; ut cum quis deteſtatur gladium, quo amicus fuit occiſus. Sicut enim amamus & veneramur per quæ ſalus allata eſt, & magnum aliquod bonum procuratum, ſic ea per quæ pernicies eſt advecta aut magnum aliquod malum eſt illatum, deteſtamur. Etſi ergo Serpens peccati capax non fuerit, nihil tamen inique factum eſt, ſi creatura quæ in hominis uſum facta fuerat ejuſque dominationi ſubjecta, poſtquam à Satana ruinæ domini ſui facta eſt adminiſtra, à Deo etiam fuerit maledicta.

Cur autem mulier tunc ad aſpectum Serpentis non exhorruerit, nec eum refugerit, ſicut legimus Moſem Exod. 4. refugiſſe, non difficilis eſt ratio. Nam cum tunc eſſet homo beſtiarum Dominus, nec à perfecto dominii illius uſu per peccatum excidiſſet, nullum tunc homini noxium erat animal; Itaque nec cauſſa ulla erat horroris illius qui poſteà accidit, ex periculi alicujus metu.

Sed aliqua difficultas in eo eſt, quod mulier cum audiret Serpentem loquentem, non fuerit attonita; cum videatur non potuiſſe aut debuiſſe ignorare id eſſe contra naturam, ut brutum animal loqueretur. Cyrillus libro tertio contra Julian. Apoſtatam, eandem attingit quæſtionem, & reſpondet, Evam tunc, quæ admodum ſimplex erat, exiſtimaſſe aliis forſan animalibus poteſtatem humana voce loquendi eſſe datam. Quam ſententiam multi Theologi tanquam maximè probabilem ſequuntur. Nam quod alii exiſtimarunt, Evam agnoviſſe ſpiritum aliquem per Serpentem loqui, vel aliqua ſupernaturali actione ipſi datum fuiſſe ut loqueretur, id certè quæſtionem non ſolveret, ſed nodum magis aſtringeret. Nam potuiſſet illa tum, & debuiſſet ſecum reputare, quare talis ſpiritus, ſive bonum putaverit ſive malum, hoc inſtrumento uti voluiſſet, & quo fine. Neque poſteà à Deo reprehenſa culpam rejeciſſet in Serpentem, ſed in ſpiritum illum. Simplicior igitur eſt eorum reſponſio qui cenſent, etſi cum maxima judicii rectitudine, rerumq; cognitione creata fuerit Eva, non tamen à Deo accepiſſe eam perfectam ſcientiam. Quam certè ſi habuiſſet, non potuiſſet decipi, & ipſa ſe fuiſſe deceptam teſtatur. Ergo nondum habuit eorum cognitionem, quorum experientia carebat, quam cum non haberet circa animalia reliqua, non mirandum eſt, ſi de illis crediderit quicquid occurrebat.

Quod ſi quis objiciat, ſtatum innocentiæ omni malo caruiſſe, tam animi quam corporis; errorem autem & deceptionem mentis, non eſſe minus vitium & malum, quam ſit fœditas corporis, aut dolor, aut morbus, putare autem Serpentem per ſe loqui poſſe, inſignem eſſe mentis errorem & deceptionem: Reſpondendum eſt per diſtinctionem duplicis ignorantiæ, puræ negationis & pravæ diſpoſitionis, quarum hæc quidem repugnabat ſtatui innocentiæ, illa non item. Pueri enim in illo ſtatu multarum rerum ignorantes diu fuiſſent, quas proceſſu temporis didiciſſent. Firmo autem aſſenſu falſa pro veris, aut vera pro falſis approbare, magnum fuiſſet vitium, & malum perfectioni ſtatus illius contrarium. Poteſt igitur Evæ, ſine præjudicio innocentiæ, tribui puræ negationis, non pravæ diſpoſitionis ignorantia; qua initio neſcivit utrum Serpens loqui poſſet necne; quam brevi per experientiam abjeciſſet. Nec videtur firmo aſſenſu credidiſſe Serpentem poſſe loqui, ſed id non diſquiſiviſſe; tantum verbis illis quæ audiebat aures præbuiſſe, ita ut de ea re non cogitaverit, an Serpens vel naturaliter loqueretur, vel ab alio motus.

EXERCITATIO XXIX.

Quid ſit tentatio? Quot modis fiat? Quomodo tentetur Deus? Diſtinctio tentationum bonarum à malis. An omnia peccata tentationi Diaboli adſcribi debeant? Negatur. Objectionibus ſatisfit. Quomodo in eum peccata omnia referri poßint? Tentatio externa & interna. Internâ Chriſtus non potuit tentari, nec primi parentes in ſtatu integro. Cur Deus tentari permiſerit, quos lapſuros noverat? Afferuntur variæ rationes, & tandem reſolvuntur in voluntatem Dei. Refellitur calumnia de homine creato ut peccaret. Cur Diaboli tentantis non expreßè meminerit Moſes, ſed tantum Serpentis? Ophitarum hæreſis inſanißima. Argumenta eorum frivola.

OBiter ſupra notavimus, primam illam tentationem factam non fuiſſe per internam ſuggeſtionem. Quæ res cum ſit magni momenti, agendum eſt nobis paucis, de tentatione, & tentandi modis. Tentationem nihil aliud eſſe certum eſt, quam illam actionem, qua quis experitur, quid poſſit aut velit is qui tentatur, ſi eam in genere ſpectemus. Ideò tentare & probare, pro eodem ſumuntur,

tur, item experiri. Eſt enim tentare, experimentalem quam vocant, notitiam, alicujus in ſe vel in alio producere, vel directè, vel per occaſionem. Unde notitia quæ per rationes acquiritur, non tentatione producitur. Quod dicitur *alicujus*, id refertur ad eam rem, quæ hoc modo cognoſci debet, ita ut qui alio modo, ut per ſcientiam & fidem eam novit, eundem etiam acquirere poſſit notitiam experimentalem, per tentationem. Quum autem dicitur, *in ſe*, id reſpicit creaturas tentantes; cum, *in alio*, Deum, qui non poteſt in ſe notitiam aliquam de novo acquirere. Cum velimus experiri an aliquis ſciat, exempli gratia, Grammaticam, quærimus quid intelligat per vocem illam, quæ ſint partes & ſimilia. Si quis famuli prudentiam & fidelitatem experiri velit, ei opus aliquod arduum, vel difficile mandatum injungit, ut ex eventu virtutem ejus inferat, vel ignaviam arguat.

Id autem fieri ſolet duobus modis, 1. apertè, cum quis palàm oſtendit ſe tentatoris partes obire, ut Samſon, Judic. 14. Philiſtæis propoſuit problema tentativum; 2. Occultè & inſidiosè, quomodo ſæpè Judæi Domino inſidias ſtruxerunt, ut eum verbis irretirent.

Id præterea vel fit expreſsè & data opera, ut cum quis ſciens & volens, dicto vel facto, alicujus fidem, voluntatem, indolem & virtutem experitur; Imprudenter, cum id non deſignat aliquis, nec eum finem ſibi proponit, ſed ea facit & dicit, quæ nullum alium ordinem ad aliud quid habere videntur, niſi ad experientiam aliquam virtutis vel potentiæ aut voluntatis alienę ſumendam, etſi de illa non cogitet, quod alii dicunt eſſe *interpretativè* tentare. Qua ratione Deum qui malis non tentatur, homo tentare poteſt, vel *verbis*, cum à Deo poſtulat quædam, ut Dei ſcientiam, voluntatem & poteſtatem exploret: *factis*, cum ſe in periculum aliquod conjicit non neceſſarium, prætextu alicujus in Deum confidentiæ, quæ tamen in promiſſionibus divinis fundamentum non habet, in re non neceſſaria.

Eſt ergo tentatio Dei implicita & interpretativa, cum aliquid petimus vel facimus, quod ad aliud utile non eſt, quam ut Dei bonitas, poteſtas, vel ſcientia probetur, tametſi non intendamus illud explorare; alioqui, cum ob aliquam neceſſitatem ad Deum Opt. Max. recurrimus, non tentamus illum; maximè ſi alio modo periculum fugere non poſſumus. Quo reſpiciebat Joſaphat, 2. Paralip. 20. ℣. 12. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.*

Ex his colligitur, tentationem in propria ſignificatione, ſive formaliter conſideratam, nihil aliud intendere, præter experientiam, qua de perſona aliqua hoc vel illud aut ipſi ſciamus, aut prodamus. Sed præter illam cognitionem noſtram vel alienam, alius ſæpè finis, ſive bonus, ſive malus poteſt ab eo qui tentat ſibi proponi; bonus, cum vult deprehendere an aliquis ſit doctus, vel prudens &c. ut poſteà ejus utatur induſtria, vel ab eo aliquid addiſcat. Vel quum, etiam ſi hoc novit, id tamen coram aliis vult detegere, ut eorum quorum dotes non ſunt cognitæ, virtus aliis innoteſcat. Vel etiam aliquando, ut in eo qui nimis ſibi tribuit, & propriæ virtutis inflatus opinione, ſibi ipſi nocet, humilitatem ingeneret, per ſui ipſius cognitionem, poſtquàm videt ſe ſuccubuiſſe oneri, cui ſe parem exiſtimabat. Malus autem, cum qui tentat nihil aliud intendit, quam ut ſciat quænam ſint alicujus vires, aut qui ſint defectus, non ut juvet aut medeatur, ſed ut eum perdat & ſubvertat; detegat etiam & eliminet, quæ infamiam proximo poſſunt creare.

Primum illud tentationis genus Deo etiam, & bonis omnibus competit. Secundum eſt Satanæ & impiorum. Ideo Diabolus dicitur ὁ πειράζων. Matth. 4. ℣. 3. Semper enim tentat ut noceat, ac in peccatum homines abducat; Statim enim poſtquàm cum Angelis ſuis à Deo alienatus fuit, odio Dei flagrans, in omnium creaturarum ruinam conjuravit; ſed hominis præſertim factus eſt æmulus, cujus profectum quibuſcumque potuit modis impedire conatus eſt, & invidia ductus, eum præcipitare in idem barathrum, in quod per lapſum ſuum inciderat. Ille itaque inter homines fuit primus inſtigator peccati, & qui ſola ſua voluntate, non ab alio tentatus peccavit (quam cauſam aſſignant nonnulli, cur planè deplorati ſunt Dæmones ſine ulla ſpe miſericordiæ) humano generi, ſua ſuggeſtione fuit lapſus cauſa. Quod autem ulterius quærunt nonnulli, an alia omnia peccata quæ ab hominibus perpetrantur, à prævia diaboli tentatione ſuggerantur, vel per ſe, vel per ſubjectos ſibi Dæmones, non indignum eſt quod diſquiratur: Sunt enim quædam Scripturæ dicta quibus id videtur indicari. 1. Enim peccatores dicuntur eſſe à patre Diabolo, quia ejus exequuntur deſideria, Joan. 8. quod eſt ejus ſuggeſtionibus obſequi. Unde ibidem Judæis dicit Dominus, *Ego, quod vidi apud Patrem meum loquor, & vos quæ vidiſtis apud Patrem veſtrum facitis.* Non poſſunt autem videre quæ faciunt apud patrem illum, niſi per ejus ſuggeſtionem.

2. Quum Petrus Actor. 5. ℣. 3. 9. Ananiæ & Saphiræ dicit, *Cur tentavit Satanas cor veſtrum, mentiri vos Spiritui Sancto*, &c. Satis præſupponere videtur, omnia peccata committi inſtigante Satana. Paulus item 1. ad Theſſal. 3. ℣. 5. *Ne fortè tentaverit vos is qui tentat.* Auguſt. etiam lib. 3. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. Diabolum appellat autorem & principem omnium peccatorum. Hieron. etiam in cap. 16. Geneſ. Quicquid peccamus, dicit nos facere ad imperium Dæmonum. Additur à nonnullis ratio, quia ut boni Angeli, qui ad cuſtodiam hominum ſunt deputati, ipſis bona ſuggerunt, quia volunt divina ad nos niſi mediantibus Angelis non perferri; ita etiam, malos Angelos perpetuò mala ſuggerere cenſent, & immediatè ab ipſis ad omnia peccata homines incitari.

Id tamen verum non eſſe ex eo conſtat, quod ipſi Dæmo-

Dæmones nemine tentante aut ſuggerente lapſi ſunt. Et, ſi Diabolus jam non eſſet, homines tamen in ſe haberent, quæ ad peccatum inclinant. Ceſſante enim Diabolo, non ceſſat carnis corruptio. Et ſi nulla eſſet corruptio, tamen in ſtatu mutabili, idem potuiſſet, ſine tentatione, accidere homini, quod Dæmoni. Sed jam, cum homo in iniquitatibus conceptus ſit, hoſtem habens domeſticum, & carnem ſecum ſemper circumferens, non dubium eſt quin poſſit inter tot peccatorum occaſiones, ſæpè nullo alio impellente ad peccandum moveri, imò quin actu moveatur ſæpiſſimè. Ideò Jacob. cap. 1. ℣. 13. *Vnuſquiſque* (inquit) *tentatur à propria ſua concupiſcentia abſtractus & illectus.* Et cap. 4. ℣. 1. *Vnde bella & lites inter vos, nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Et Paulus Rom. 7. ℣. 8. *Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam,* id eſt, omnis generis prava deſideria. Quibus & ſimilibus quæ in toto illo cap. legimus, ſignificatur, concupiſcentiam per ſe ſufficientem eſſe cauſſam, committendi omnis generis peccata, etiamſi tentator alius non adſit. Quo pertinet & illud Geneſ. 8. ℣. 21. *figmentum cordis hominis, tantummodo malum eſt à pueritia ipſius.*

Negamus igitur omnes malas operationes hominum & cogitationes à Diabolo incitari, quæ ſæpè ex arbitrii hominis motu proprio emergunt; Non eſt enim exiſtimandum, Dæmonibus ſemper acceſſum patere ad homines tentandos; Nam à Deo ſæpè ſive immediatè, ſive mediatè per Angelorum bonorum miniſterium cohibentur, præſertim ne pios & fideles adoriantur. Qui tamen in hac vita, ſine frequentibus & quotidianis peccatis non ſunt.

Quæ in contrariam ſententiam allata ſunt non probant, omnia peccata immediatè à Dæmone ſuggeri. Nam ad 1. Reſpond. Etſi omnes peccatores imitentur Diabolum peccando, & ejus deſideria faciant, non ſequitur tamen, id ex ſe ipſis nunquam facere. Quia deſiderium illud Satanę intelligitur in communi, non quod in ſingulis peccatis concurrat ſingularis deſiderii ſignificatio. Cum etiam iniqui dicuntur facere quæ viderunt apud patrem ſuum, id intelligitur de generali quodammodo malè agendi diſciplina quam ab eo hauſerunt.

De Petro autem, præterquàm quod dici poteſt eum ex revelatione noviſſe peccatum Ananiæ à ſingulari Satanæ ſuggeſtione ortum duxiſſe, id etiam concedi poteſt, fuiſſe quidem ad illud peccatum à Satana Ananiam ſubornatum, & multa eſſe peccata præſertim graviora, quæ ipſius tentationibus meritò tribui poſſunt. Sed tamen inde non poſſe, nec debere concluſionem univerſalem erui.

Nec valet etiam ratio quæ additur à contrariis bonorum & malorum Angelorum curis. Nam 1. verum non eſt quod ſupponitur, ad omnia bona fidelium opera concurrere bonos Angelos, neque enim ita ſubjecta eſt Angelis humana natura, ut nihil benè agat, niſi ex eorum directione. 2. Si hoc ita eſſet, tamen non eadem eſſet ratio, quia ſi ad bona auxilio externo nobis eſt opus, non conſequens eſt hominem non poſſe per ſe ipſum, ruere in peccatum, niſi ab alio præcipitetur.

Ut ſummatim dicam, omnes tentationes in Diabolum, velut in originem referri poſſunt, quatenus per ejus tentationem peccatum primò in orbem terrarum introductum eſt, ex quo reſultavit in nobis hæc quam ſentimus, pronitas ad peccandum, atque inclinatio ad malum. Addimus prætereà quod nullum peccati genus eſt, quod per Dæmonum ſuggeſtiones non diſſeminetur in genus humanum. Qua diſtinctione poſſunt explicari quæcumque videntur, ſive in Scriptura, ſive in ſcriptis Eccleſiaſticis, omnia peccata tentationibus Satanæ adſcribere.

Jam ut ad tentationis modos veniamus, etſi eorum multiplex poſſit eſſe diviſio, ad duo tamen capita revocari debet, nempe ad tentationem quæ fit exterius, & eam quæ fit interius; quæ diviſio coincidit cum illa, quæ tentationes diſtribuit in eas quæ fiunt à mundo, à carne, & à Diabolo. Harum enim primæ & ultimæ exterius, media interius objicitur. Quæ à mundo fit, quatenus diſtinguitur ab ea quæ fit à carne, id eſt à concupiſcentia, eſt ea ſola, qua quis à malis & impiis hominibus ſollicitatur, ſuadendo, blandiendo, incitando, cogendo, terrendo, ad peccatum incitantibus & impellentibus. Alia vero quibus dicimur tentari, quæ natura ſua bona ſunt, qualia ſunt, aurum, argentum, cibus & potus, forma mulieris, &c. Item nonnulla quæ ſunt mala pœnæ, ut mors, fames, paupertas & ſimilia, per accidens tantùm non propriè tentare dicuntur, & referri debent effectus mali conſequentes ad tentationem carnis, quæ occaſionem ſumit ex talibus per ſe bonis aut non malis, & inde vel prava concipit deſideria, vel in affectus & perturbationes vitioſas rapitur.

His ita poſitis non erit difficile reſpondere ad quæſtionem, An Chriſtus & primi parentes fuerint tentati, vel utroque illo tentationis modo, vel uno tantum & quali. Dicimus ergo Chriſtum qui in ſe nullam habuit concupiſcentiam vitioſam, & primos parentes in innocentiæ ſtatu, non potuiſſe tentari interna tentatione, neque per carnem, quia perfectè rationi rectæ ſubjiciebatur, neque per ſuggeſtionem Diaboli, phantaſiam intus moventis. Nam talium imaginandi facultas, nulla recipiebat phantaſmata, niſi ex deliberato rationis judicio. Et in tali ſtatu, in quo ratio perfectè ſubjiciebatur Deo, multo minus in Chriſto fieri poterat, ut motus vel operatio inferioris cujuſdam facultatis, nutum dominantis rationis præveniret. Non fit autem phantaſiæ per phantaſmata mutatio, ſine ipſius phantaſiæ operatione. Quod ſi quis dicat tum homini etiam inſomnia potuiſſe accidere, etſi id incertum ſit, tamen ſi concedatur, dicemus ad ea ſemper fuiſſe futurum rectæ rationis conſenſum, ſaltem habitualem, quia ſomnia

ſemper

ſemper fuiſſent bona, & tanquam divinitus immiſſæ ecſtaſes, & fortè nunquam ſine præſenti rationis uſu, qui, etiam in hoc ſtatu, ſomnio non repugnat.

Cum itaque Diabolus ante peccatum nullam potuerit ſibi in hominem attribuere poteſtatem, ſequitur etiam ipſum non potuiſſe hominis phantaſiam immutare; ideò autor comment. in Epiſt. ad Rom. qui nomen Ambroſii mutuatus eſt, rectè ſentit, ante prævaricationem, & priuſquam homo ſe manciparet morti, non fuiſſe dæmoni poteſtatem ad interiora hominis accedere, & cogitationes adverſas inſerere. Sed poſtquàm circumvenit eum, poteſtatem in eum accepiſſe, ut interiorem hominem pulſaret, copulans ſe menti ejus.

Ex quibus liquet, interiorem tentationem, locum non habuiſſe in ſtatu integro, quæ in hominibus in ſtatu lapſus frequens eſt, quia ex contagio primi peccati, caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & merito pœnæ transgreſſionis, Diabolo aperta eſt porta interiorum hominis, ita ut etiam hoſtis ille interius jam oppugnet de noſtro, & de noſtro roboretur, ut nos opprimat.

Quod ſi quis dicat, per ea quæ foris ſunt immutari phantaſiam ejus cui aliquid ſuggeritur, dum ſuggeſtio exterior per auditum vel viſum penetrat ad ſenſum interiorem, atque ad ipſum intellectum: Reſpond. Eſt, id ad naturalem hominis conditionem pertinere, ut exterius propoſita vel objecta audiat vel videat, atque ea poſteà ſenſu interiori & intellectu percipiat. Sed non pertinere ad primam ejus conditionem, ut clauſis exterioribus ſenſibus imaginatio ejus ab alio movente externo præterquam à Deo, immutetur.

Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 4. quæſtionem proponit, cur Deus tentari permiſerit hominem, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat? Reſponſioni piam præfationem præmittit. *Altitudinem quidem,* inquit, *conſilii ejus penetrare non poſſum, & longè ſupra vires meas hoc eſſe confiteor. Eſt ergo aliqua cauſſa fortaſſis occultior, quæ melioribus ſanctioribuſque reſervatur, illius gratia, potiùs quam meritis eorum.*

In primis removendæ ſunt, nonnullorum reſponſiones periculoſæ & falſæ, qualis eſt quam Rupertus affert lib. 3. de proceſſ. Sp. Sancti cap. 10. in Matth. Ubi docet, Deum neminem tentare permittere, ea tentatione qua ſcit eum lapſurum in peccatum, niſi ille priùs aliquo peccato tentaverit Deum, aut eum offenderit. Imò lib. 13. in Matthæum, aſſerere auſus eſt, Deum non potuiſſe peccatum hominis & Angeli impedire, quia ſcriptum eſt Joan. 5. verſ. 30. *Non poſſum à me ipſo facere quicquam, ſed ſicut audio & judico.* Sentit ergo *hoc facere, Deo impoſſibile eſſe, ut aliter judicet quam audit ſive intelligit. Vnde non potuiſſe ſe communicare creaturæ illi, quæ auſa eſt velle ſeipſam ſufficere ſibi.* Quæ ſententia eſt erronea, & omnipotentiæ Dei derogat, quaſi Deus nihil poſſet facere vel permittendo vel exequendo erga hominem, niſi anteà præceſſiſſet hominis actio. Locus autem quem citat detortus eſt, quia de filio agit, vel ſecundum perſonam, quæ cum ſit à Patre, ita agit à patre, qui ordo per *auditum* ſignificatur; vel potius ſecundum humanam naturam, in qua factus eſt ita obediens patri, ut nihil ſuſceperit, niſi ut exequeretur voluntatem & mandatum Patris.

Neque etiam probari debet, quod apud Hieronymum legitur, Com. in Epiſt. ad Philemonem, ubi ad quæſtionem, cur non fecerit Deus hominem qui non poſſet peccare; reſpondet, quia aliter bonum ejus non eſſet voluntarium ſed neceſſarium, nec eſſet Deo ſimilis. Id enim verum non eſſe conſtat, bonum non eſſe voluntarium in eo qui peccare non poteſt. Nam Deus peccare non poteſt, & tamen multa bona facit liberè & voluntariè. Chriſtus homo peccare non potuit. Nec etiam id poſſunt Beati, tam Angeli quam homines, qui tamen ſunt Deo ſimillimi. Sed hic autor, aut is, cujus verba (quod ſæpè in commentariis facit) mutuatus eſt, fallitur (ut hoc tempore multi) in eo quod exiſtimat liberum arbitrium includere peccandi poſſibilitatem. Quam tamen de potentiæ illius eſſentia non eſſe, certum eſt.

Qui exiſtimant primos homines ante tentationem, in ſuperbiam quandam elatos, occultè peccaſſe, & hujus peccati merito, permiſſos fuiſſe tentationi, nodum non ſolvunt, quia poſſet ultra quæri, cur Deus permiſerit eos in ſuperbiæ peccatum incidere, nec quod potuit, impedivit? Quæ etiam difficultas movetur, ubi agitur de Angelorum lapſu. Sed præterea id ſententiam illam refellit, quod ſi homo ſibi ipſi ſua culpa talem tentationem meritus fuiſſet, non Satan, ſed ipſe homo, fuiſſet homicida ab initio, qui primus ſibi mortis cauſſam intuliſſet. Denique conſtat, ſuperbiæ & vani deſiderii in ipſis occaſionem ortam fuiſſe ex verbis ſerpentis, *eritis ſicut dii*; verum quidem eſt, Auguſtinum & Proſperum, ubi de hac quæſtione agunt, videri hoc ſupponere, hominem jam Deum deſeruiſſe priuſquam tentaretur. Sic enim Auguſt. de Geneſ. ad lit. lib. 11. cap. 30. mulierem non fuiſſe credituram verbis ſerpentis, niſi jam ineſſet menti ejus, quædam de ſe ſuperba præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda: & Proſp. lib. 2. de vita contempl. cap. 19. *non tentarentur,* inquit, *niſi deſerti, nec deſererentur, niſi prius deſererent Deum.* Sed id illi intelligunt, non de tentatione abſolutè per quam factum eſt ut primò in cogitationes malas inciderint; verum de tentationis ultimo eventu, cum peccatum prodiit foras. Sic enim ipſe Auguſt. cap. 4. ejuſdem libri, ſenſum ſuum expreſſerat, *Nec arbitrandum eſt, quod hominem dejecturus eſſet tentator iſte, niſi in anima hominis præceſſiſſet quædam elatio* &c. Volunt igitur, hominem non fuiſſe dejiciendum in plenam transgreſſionem præcepti, de non comedendo fructu, niſi prius intus aliqua præceſſiſſet præſumptio.

In ea re ſi quis exiſtimet ſe ita poſſe reſpondere, ut vel

vel rationem cur id Deus permiſerit certiſſimè attingat, vel humanæ curioſitati ſatisfaciat, valdè fallitur ipſe. Nec etiam valent probabiliſſimæ rationes ab aliis olim allatæ, & nunc etiam à nobis vel repetendæ vel confirmandæ, ut oſtendamus, melius fuiſſe abſolutè ut ſic fieret, vel ita ſimpliciter fieri oportuiſſe: ſed id tantùm, habuiſſe Deum ſuas rationes, & eſſe etiam nonnullas quæ ab hominibus poſſunt percipi. Quicquid ſit, in hac quæſtione & ſimilibus locum habet illud filii Syrach, *altiora te ne quæſieris*, cap. 3. ℣. 33. & ad Rom. 11. ℣. 22. *ô altitudo.* Ideo Auguſtini ad vicinam huic quæſtionem de Geneſ. ad lit. lib. 11. cap. 10. *Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit penes ipſum eſt.* Nec ſanè debemus plus ſapere.

Et tamen quia nihil facit Deus niſi juſtæ rationi conſentaneum, culpari non debent qui modeſtè & reverenter diſquirunt & aſſignant eas rationes, cur id ſapienter à Deo permiſſum fuerit. Hanc igitur affert loco ſupra citato Auguſt. quam verbis ejus repetemus. *Tamen* (inquit) *quantum vel donat ſapere, vel ſinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet benè vivere, quia nemo malè vivere ſuaderet: cum & habeat in natura poſſe, & in poteſtate velle, non conſentire ſuadenti, adjuvante tamen illo qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Hinc judicat congruum fuiſſe ut homo tentari permitteretur, *quem conſenſurum eſſe ipſe præſciebat altitudine conſilii ejus, cum id faceret propria voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æquitate per pœnam, ut etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ, ad eruditionem futurorum ſanctorum, quam rectè ipſe uteretur animarum voluntatibus, etiam malis, cum illæ perverſe uterentur naturis bonis.*

Eſt præterea hoc animadvertendum, pertinere ad ornatum, perfectionem & veluti ſubſtantiam univerſi, ut varii rerum gradus perfectione & imperfectione differentes in eo reperiantur, hinc eſt quod quædam motum habent ſine vita; quædam vitam habent ſine ſenſu; quædam ſenſum habent ſine intellectu. Inter ea autem quæ vim intelligendi cum arbitrii libertate acceperunt, quædam ſunt corporea, quædam incorporea. Si autem omnia eſſent in perfectiſſimo gradu, nihil univerſo accideret præter numerum; deeſſet autem varietas, & gradus ſuperiorum & inferiorum. Itaque non eſſet tale univerſum, quod in ſe complecteretur varia rerum genera & gradus.

Videtur autem id etiam ad hanc rerum varietatem pertinuiſſe, ut Deus crearet, non tantum illas intellectuales ſubſtantias, quas præſciret, ex præveniente dono ſuo in peccatum non lapſuras, ſed etiam eas, quas ex proprio arbitrio ſibi dimiſſo tentationi ſuccubituras prævideret; & ita Angelos & homines quos peccaturos ſciebat crearet, & tentari permitteret. Ex hac conſideratione Auguſt. de Geneſ. ad lit. lib. 11. cap. 7. ſumpta ex perfectione univerſi, oſtendit cur id convenienter fuerit à Deo permiſſum. Non quod peccatum per ſe & abſolutè aliquid faciat ad univerſi perfectionem vel ornatum, ſed quatenus creaturæ peccantes diverſum locum à non peccantibus in univerſo ſortitæ, duos ordines & gradus conſtituunt eorum qui tanquam inferiores ordinantur ad pœnam, & aliorum qui tanquam ſuperiores, ordinantur ad gloriam.

Hanc rationem ſequitur alia à parte providentiæ Dei deducta; cui congruit unamquamque rem gubernare ſecundum principia rebus in creatione indita; creaturas itaque quibus initio liberum arbitrium indidit quo vel non peccare poſſent vel peccare, ita gubernat, ut etiam permittat quaſdam ad defectionem induci, & reipſa deficere, per liberum ſuum arbitrium: ut in rebus corruptibilibus varios permittit particulares eventus, quibus læduntur & corrumpuntur, quos alioqui ſi vellet, impedire poſſet. Sed non facit, ut oſtendat, providentiam ſuam res, ſecundum modum naturæ earum regere. Quo referuntur ſententiæ, Dionyſii, lib. de divinis nomin. cap. 4. *Corrumpere naturam, non eſſe divinæ providentiæ.* Auguſt. lib. 7. de Civit. Dei cap. 30. *Sic Deum adminiſtrare omnia quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat:* id eſt, ut ſecundas cauſſas ab agendo non impediat, neque proprium ac naturalem modum agendi earum tollat, ſed magis in eis, ſecundum earum naturas, quas ipſis conceſſit operetur. Quò ſpectat illud Thomæ, *Deum movere unumquodque ſecundum motum ejus quod movetur.* 2. 2. q. 52. art. 1.

Tertia ſimilis ratio ab omnipotentia Dei deſumitur, quam multis locis tradit Auguſt. ut lib. 22. de Civit. Dei cap. 1. & Enchirid. cap. 11. *Quem*, inquit, *hominem, quum prævaricatione legis Dei, per Dei deſertionem, peccaturum eſſe præſciret, nec illi ademit liberi arbitrii poteſtatem, ſimul prævidens quid boni de malo ejus eſſet ipſe facturus.* Et paulo antè dixerat, Deum, *potentius & melius eſſe judicaſſe, etiam de malis benè facere, quam mala eſſe non ſinere.* Ergo, idcirco Deus voluit permittere hominem tentari & peccare, ut oſtenderet ſe adeò eſſe potentem, qui etiam de malis bona poſſet elicere.

Huic quarta affinis eſt à Dei bonitate, quia Deus tam bonus eſt, ut non ſolum nullum malum permittat, ex quo bonum aliquod non eliciat; ſed etiam quod majori bono non compenſet, quam fuiſſet illud quod per interveniens malum ablatum eſt.

Quinta etiam accedit à juſtitiæ & miſericordiæ divinæ manifeſtatione, quia Deus tentationem & lapſum permittendo, tam in Angelica quam in humana natura, viam ſibi ſtravit, non ſolum ad patefaciendum liberrimam ſuam in homine regendo poteſtatem, ſed etiam miſericordiam ſuam, in hominum aliis per remiſſionem peccatorum ſalvandis, tum ſuam juſtitiam, in aliis propter peccata damnandis. In Angelis quidem declaratum erat bonum juſtitiæ punientis, ac vindicatricis.

Sed in hominibus non ſolum juſtitia, verum etiam miſericordia manifeſtatur, dum ex corrupta humani generis maſſa, alii ſibi relicti peccantes puniuntur juſtè, alii liberati per gratiam glorificantur benigniſſimè.

Sexta & potiſſima ratio eſt, quod occaſione peccati hominis, quod Deus ab æterno permittere decrevit, & prævíam ad illud tentationem non impedire, quod etiam prævidit futurum; ex æterno Dei conſilio, conſequutum eſt illud omnium bonorum ſummum, alias non futurum, quod filius Dei in mundum miſſus fuit, homo factus, ut potentiam ſuam, juſtitiam, & miſericordiam, mirabili modo Deus patefaceret. Potentiam, in hominibus ſalvandis & liberandis; miſericordiam, in peccatis remittendis; & juſtitiam, in præparatione juſtæ & ſufficientis ſatisfactionis.

Has omnes rationes veras eſſe, indicat eventus, à quo deſumptæ ſunt. Nam à poſteriori, non à priori à nobis deducuntur; non enim novimus Deum ideò tentationem & peccatum permiſiſſe, quia ſcimus à priori, Deum ſibi utilitates tales propoſuiſſe; ſed id novimus, quia, quoties ex quocunque bono vel malo, conſequitur aliquid boni, non dubitamus quin ut hoc ex illo ſequeretur, à Deo fuerit ante ſecula conſtitutum.

Illud tamen adjiciendum eſt, tales & ſimiles rationes, reſolvendas eſſe in liberrimam voluntatem & beneplacitum Dei, qui, ut omnium ſuarum actionum abſolutus Dominus eſt, ita pro ratione, imò pro omnibus rationibus habet ſuam voluntatem.

Calumnia eſt quam in hac cauſſa noſtris impingunt Pontificii & qui eodem in ea re ſpiritu ducuntur, quaſi dicerent, *hominem à Deo conditum eſſe ut peccaret.* Nuſquam enim diximus, vel hunc fuiſſe creationis finem, vel etiam finem fuiſſe hominis: nec eſt aliquis inter nos, qui ſic inſaniat. Imò fatemur eos qui peccant, aberrare à fine creationis ſuæ. Is enim finis fuit propter quem Deus hominem in mundo collocavit, ut creatorem ſuum glorificando, ad beatitudinem perveniret. At (inquies) ſi Deus hominem condidit ad beatitudinem per glorificationem nominis ſui conſequendam, nonne ſequitur Deum ſuo fine fruſtratum fuiſſe, cum hominem permiſit tentari & in peccatum labi? Huic quæſtioni reſpondeant, qui calumniæ ſunt autores, quia illi utrumque hoc dicunt quod nos dicimus, & Deum condidiſſe hominem ad permanendum in bono, & tamen permiſiſſe hominem tentari, quem lapſurum ſciebat. Si reſpondeant, nos abſolvent. Nonnulli ſic diſtinguunt, alium eſſe finem Dei, quem ſibi propoſuit, alium finem creaturæ, quem ipſi præſtituit. Deum nunquam poſſe aberrare à ſuo fine, creaturam autem, quæ defectibilis eſt, non ſemper aſſequi finem, quem ipſi Deus præſtituit. Deum itaq; homine peccante non fruſtratum fuiſſe ſuo fine, ſed ipſum hominem à fine, ad quem conditus fuerat aberraſſe. Quam reſponſionem, nos ut veram amplectimur, nec alitèr intelligimus, quæ de fine creationis hominis dicuntur.

Diximus tentationis hujus autorem non fuiſſe ſerpentem, animal brutum, nec talium machinationum capax; ſed fuiſſe tantum inſtrumentum Satanæ, qui per ſerpentem loquutus eſt, & homines ſeduxit, unde emergit quæſtio, quum Moſes hic deſcribat quomodo primi parentes ſeducti ſint, ut transgrederentur mandatum Dei, & verè ex Scriptura conſtet eos fuiſſe à Diabolo ſeductos, cur nullam hîc Diaboli mentionem fecerit Moſes, ſed tantùm ſerpentis, per quem ipſos ſeduxit? Reſpondent nonnulli, cauſam hujus rei videri eſſe, quia Moſes ſtylum ſuum attemperavit ruditati populi Iſraëlitici, cui ſcribebat, ſicut infrà, ubi de Angelis loquitur ad cuſtodiendum Paradiſum à Deo collocatis, nomen illorum non expreſſit, ſed *cherubim* nominavit; quo vocabulo notæ erant Iſraëlitis duæ illæ humanæ imagines, collocatæ ſuper arca fœderis, per quas Angeli ſignificabantur. Sic cap. 1. narrans hiſtoriam creationis, non fecit expreſſam mentionem Angelorum, & videri Moſem, declarationem iſtiuſmodi pronunciatorum, ſtudio reliquiſſe ſacerdotibus, tanquam legis Moſis interpretibus. Ita quæſtionem illam ſolvebat bonus ſenex, Joan. Piſcator. Et non dubitandum eſt Moſem in multis rationem habuiſſe ruditatis populi illius. Multa tamen ſcripſit in eodem hoc libro, quæ difficultatem majorem præ ſe ferunt, quam ſi Angelorum lapſorum meminiſſet. Et quando concedit ea à ſacerdotibus fuiſſe expoſita, utique populo, non video cur planè Moſes abſtinuiſſet propter ruditatem populi à mentione ejus rei, quæ ipſis declarari ab aliis potuit. Imò videbatur intereſſe, ut Moſes anteà fundamentum jaceret, & ut ex revelatis in ſcriptis legis reſponderent ſacerdotes. Si quod volunt multi, hiſtoria Jobi conſcripta fuit tempore captivitatis Ægypti ad conſolationem afflictorum Iſraëlitarum, non potuerunt eos latere technæ Diaboli, nec per conſequens ejus & Angelorum ſuorum exiſtentia, lapſus, & invidia contra genus humanum.

Præfero itaque reſponſionem eorum, qui dicunt, Moſem rem geſtam narrare, prout accidit, & quemadmodum oculis objecta fuit, quia hiſtorici partes agebat, non interpretis. Rem igitur qualis viſa eſt, talem ab ipſo deſcriptam fuiſſe, imo qualis ab Eva percepta fuit, quæ ſerpentem vidit, audivit, & de Satana non cogitavit, qui etſi in ſerpente lateret, clam erat tamen Evæ, atque oculorum & aurium ejus fugiebat ſenſum. Ita ſolet Moſes, ſecundum externam, quam præ ſe ferunt, ſpeciem, res deſcribere. Sic cap. 32. deſcribit hoſpitalitatem Abrahami erga viros illos, qui verè erant Angeli. Imò Paulus, qui longo poſt tempore Moſem ſequutus eſt cap. 11. 1 ad Cor. fraudem illam ſerpenti adſcribit. Quia ſcriptoris eſt res geſtas narrare, & ejus qui eaſdem poſt primum ſcriptorem recitat, ejuſdem verba ſervare. Quod ita fecerunt Moſes & Paulus, ut tamen ex circumſtantiis narrationis, ſatis indicarint quo ſenſu ſit accipiendum, quod de ſerpente & ejus verbis

verbis dicitur. Nam cum Serpens & ſermonis & ratiocinationis capax non ſit, loquutus tamen fuerit & ratiocinatus, neceſſariò concluditur per Serpentem rationalem aliquam & intellectualem naturam Evæ ſe inſinuaſſe. Jam vero, ſi dicta ejus eſſent bona & ſancta, nec ad ſeductionem, ſed ad ſalutem hominis tenderent; poſſent adſcribi ipſi Deo, creaturam illam extra ordinem moventi. Quum autem mala ſint, mendacia, & ſaluti hominis inſidiantia, imo Deo injuria; neceſſarium eſt, ut ab aliqua natura mala procedant. Mala autem non poteſt eſſe natura, qua natura; ſed malum eſt in bono: Neceſſarium eſt igitur ut ſit aliqua intellectualis natura mala, ſed quæ aliter condita, propria ſua culpa in perniciem illam inciderit. Tunc autem homo non erat lapſus, nec potuit Serpentem movere, præter hominem autem nulla fuit intellectualis creatura viſibilis. Quærenda eſt itaque inviſibilis aliqua, quæ mala facta fuerit. Sic per neceſſariam conſequutionem colligi poteſt ex Moſis Hiſtoria hoc loco, ſpirituum creatorum exiſtentia; & eorum etiam à prima origine defectio.

Laboravit antiquus Serpens ne talis agnoſceretur quantum potuit, & quamvis in Eccleſia detectus, habuit tamen ſuos fautores, & qui Evam deceperat miſeros quoſdam homines in hunc abominandum errorem pertraxit, ut non puduerit eos Serpenti illi, qui Evam ſeduxit, divinos honores tribuere, imo eum pro Chriſto habere. Illorum hominum inſaniam referunt & refellunt Epiphanius Panarii Hæreſ. 37. Auguſtinus de Hæreſ. cap. 17. & qui ex illis poſteà ſuas Hæreſeologias concinnarunt. Vocati fuerunt *Ophitæ*, à Serpente vel colubro; Attribuebant huic Serpenti omnem cognitionem, & panem ipſi offerebant, alentes in eam rem Serpentem naturalem in ciſta, ſalutabant eum, oſculabantur eundem, ſive incantatum per præſtigias ne noceret, ſive Diaboli operatione ad decipiendum, ad blandiendum cultoribus ſuis manſuefactum. Adorabant eum prætereà cultu religioſo, ut Chriſtum, quem cultum à Nicolaitis & Gnoſticis ad eos deductum, traditum fuiſſe ſuo tempore, teſtis eſt Auguſtinus.

Talem inſaniam detexiſſe refutaſſe eſt, nec multum etiam in eo immorantur veteres. Habet Epiphanius eorum argumenta, quorum primum ab eo deductum erat, quod Adamum & Evam ad ſcientiam boni & mali, quam anteà ignorabant perduxiſſet. At talis ſcientia neque bona fuit per experientiam mali, & agnitionem amiſſionis boni; neque à Serpente fuit, niſi ex accidenti. Et ignorantiam indidit homini, ſublata ſalutari ſcientia. Secundum erat, quod Moſes Serpentem exaltavit in deſerto, ut medela eſſet à Serpente læſis. Reſp. Epiphanius per βίαιον, quia ſi Serpentes ſunt nocivi, utique non ſunt boni. Deinde Serpentem illum æneum non ſanaſſe, ſed Dei voluntatem ad ſigni aſpectum. Denique, Serpentem illum æneum fuiſſe figuram Chriſti in cruce exaltati, qui Serpens non fuit, ſed contra Serpentem venit, & Serpentis venenum in cruce ſuſtulit, ne ſuis noceret. Tertio, objiciebant Chriſtum Serpentis commendaſſe prudentiam. Sed erat fallacia cauſſæ, non enim prudentiam illam aut potius calliditatem reſpexit, qua uſus eſt in ſeductione Evæ, ſed eam quam exercet, ut ſe, vitam corpuſq; tueatur, quam imitari debemus in conſervanda præcipuè ſpirituali vita.

EXERCITATIO XXX.

Explicatio verborum mulieris, non tangetis eam. *An dubitaverit de veritate comminationis?* פן pen, *non eſt ſemper dubitantis particula. Expenditur regula de negatione præpoſita verbo vel gerundio.* Aperiri oculos *quomodo intelligatur? Satan amphibolia ludit.* Eritis ſicut Dii, *quomodo intelligendum? Expenditur ſententia Druſii. Tria mendacia in verbis tentatoris. Exponitur Iacobi locus*, cap. 1. verſ. 14.

IN reſponſione mulieris & replicatione Serpentis nonnulla ſunt, quæ interpretes in varias diſtrahunt ſententias, quorum præcipua examinabimus, & poſteà commodius accedemus, ad arduas illas quæſtiones, quale fuit primorum hominum peccatum, & quo modo qui nullam in ſe pugnam affectuum habebant, neque mentem obtenebratam, in peccatum incidere potuerunt? Primùm laborant de mulieris intentione in verbis hiſce, ולא תגעו *veló tignu*, id eſt, & non tangetis eam. Plerique volunt, mulierem jam laborantem odio præcepti, calumnioſè id addidiſſe, quod tamen à Deo in prohibitione expreſſum non fuerat, voluiſſe ergo exaggerare præcepti gravitatem, ut mulier quæ prohibita à marito ne domo exiret, interrogata cur id non faceret, reſponderet, ne quidem ſibi per maritum licere extra cubiculum pedem inferre, & ſic exaggeraret diſplicens ſibi mariti præceptum. Volunt itaque jam Diabolum mulieris animum pervertiſſe, 1. Excitando in ea cupiditatem vaniſſimæ libertatis, tum injiciendo tale illius præcepti odium, ut mulier in falſam ejus exaggerationem proruperit. Hanc ſententiam pluribus perſequitur Ambroſius lib. de Adam & Eva, ſive de Paradiſo, ubi inde doctrinam illam inculcat, nihil eſſe addendum mandatis divinis, ne quidem quod bonum videtur. Non tamen exiſtimo talem additionem referri debere ad id genus quod in lege damnatur, ſi præſertim verba illa non abſolutè & ſeparatim conſiderentur, ſed conjun-

ctim cum præcedentibus. Nam tunc exprimunt efficaciſſimè ſenſum præcepti, non comedetis ex ea, & non tangetis eam, quaſi diceret, prohibuit Deus ſeveriſſimè ne arborem illam tangeremus eo animo, ut ex fructu ejus comederemus. Sic enim oſtendebat, non ſolùm prohibitam fuiſſe à Deo actualem (ut ita loquar) fructus comeſtionem, ſed etiam comedendi deſiderium & manus extenſionem ad fructum illum, quæ eſſet deſiderii index. Id autem non eſt addere præcepto, quod ex præcepto neceſſario fluit, quaſi diceret, adeo graviter id Deus prohibuit, ut ne tangi quidem à nobis oporteat, eo nempe animo, de quo dictū eſt. Hinc poſteà in prohibitionibus ſeveris & ſcrupuloſis, ejuſmodi phraſes fuerunt uſurpatæ, μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς. *ne attigeris, ne guſtaris, neque contrectaris.* Coloſſ. 2. ℣. 21. Etſi enim hæc in perſona ſuperſtitioſorum dicantur, ratione præceptorum humanorum, tamen ubi de prohibitionibus divinis agitur, certum eſt minimum quidem motum ad rem prohibitam ex animo aut deſiderio profectum, eſſe in vitio. Rectè ergo doctiſſ. interpres, *Videtur* (inquit) *potius adhuc in obedientia perſtare, ac exprimere pium affectum, in Dei præcepto anxiè obſervando.* Ego igitur ſenſum verborum Evæ talem tum fuiſſe cenſerem, de arbore illa dixit Deus, non ſolùm actu ipſo ex ea non comedetis, ſed nec tangetis quidem, aut manum extendetis ad fructum ejus animo comedendi. Rectè itaque Mercerus, id quod dixit mulier incluſum fuiſſe præcepto, ut omnia quæ ad uſum adducere poterant, certis enim gradibus ad nequitiam & ſcelus labimur, & nemo fit repentè turpiſſimus. Nihil itaque in his Evæ verbis culpandum; quæ hactenus fideliter Dei præceptum eſt interpretata. In eo tantum non ſatis prudenter ſe geſſit, quod dum ita reſpondet Serpenti, & cum eo colloquitur, anſam ipſi præbet ulterius in tentatione procedendi, cum initio potuiſſet & debuiſſet quem jam mendacem & calumniatorem videbat, abominari & à ſe repellere.

Addit comminationem his verbis, פן-תמתון *pen-temutun*, in qua etiam qui in præcedentibus eam abſolvunt, culpant, quod videatur dubitanter proponere comminationem mortis, additam præcepto. Quia illud פן *pen*, per *ne fortè*, interpretandum cenſent, ubi admiſcetur particula dubitandi. Attamen non poteſt ex hac phraſi convinci, Evam dubitanter fuiſſe locutam. Taceo, quod LXX interpretes abſolutè vertunt ἵνα μὴ ἀποθάνητε *ut non moriamini.* Sed illud certum eſt, particulam *pen*, non ſemper dubitationem ſignificare, ſed ſimpliciter notare argumentum à fine, ſive ab eventu ductum, & reſpondere Græcis particulis ἵνα μὴ, & Latinis *ut ne*, ut ſit ſimpliciter negantis particula. Ideò, etſi nonnulli à פון quod dubitare & anxium eſſe ſignificat eam deducant, alii tamen potius putant à פנה *panah*, derivatam, quod aſpexit, vel reſpexit, ſignificat: quaſi dicatur reſpectu hujus incommodi vitandi. Quicquid ſit de origine, certum eſt non eſſe ſemper dubitantis particulam. Id probatur ex iis locis, in quibus certa res aliqua denunciatur, addita hac particula. Eſa. 27. v. 3. *Ego Iehova cuſtodiam eam* (id eſt, vineam Eccleſiam) *ut ne quis inviſat eam*, ubi eſt פן יפקד *pen jiphkod.* Pſalmo 2. verſ. 12. Oſculamini filium, פן יאנף *pen jenaph.* ne iraſcatur. Malach. 3. ℣. 24. *ne veniens percutiam terram anathemate.* Ebr. פן אבוא *pen abô.* Ubi non eſt dubitatio, quaſi id facturus ſit Dominus, vel non facturus, nam haud dubiè facturus erat quod comminabatur, ſi homines ſibi indulgerent, & ad Deum ſe non converterent. Itaque non poteſt Eva hactenus culpari, quæ pœnam quam comminatus fuerat Deus ſimpliciter ſubjunxit, & ſenſum præcepti, fideliter ſatis expoſuit.

In ſerpentis inſtantia, verſ. 4. conſideratur 1. Negatio effectus comminationis, 2. pollicitatio contrarii eventus utilis. Negatio his verbis enunciatur, לא מות תמתון *lo mot temutun.* In qua iiſdem verbis quibus uſus erat Deus repetitis, addit ſerpens negationem. Affirmatio Dei fuerat: certo, vel omnino moriemini. Addita negatio certitudinem tollit, non eſt certum vos morituros. Quibus verbis Trem. & Junius exiſtimarunt, non intelligi præciſam certamque negationem mortis, ſed contingentem tantum, quaſi dixiſſet, fortaſſe non moriemini, aut fortè continget quod non ſitis morituri. Et hanc regulam affert Junius: Cum Ebræi dicunt, *moriendo non moriemini*, univerſè negant & conſtantiſſimè, id eſt cum negatio immediatè verbo præponitur: Cum autem dicunt, *non moriendo moriemini*, præponendo negationem immediatè gerundio, tum aut ex parte negant, aut quodammodo atque contingenter. Sed regula non eſt univerſalis, & in utroque membro fallit aliquando. Nam etiam ſervato eodem verborum ordine, vehementia nihilominus negationis notatur Pſal. 49. v. 8. ubi ex Ebr. habemus, *fratrem non redimendo redimet vir*, quæ verba iidem interpretes ipſi ita accipiunt, fratrem nullo modo redimere poteſt quiſquam. Contrà alibi negatio appoſita immediatè verbo, imminuit certitudinem aut ſaltem gradum comminationis. Ut Jerem. 46. v. 28. *innocentando non innocentabo te*, id eſt non prorſus innocentem te habebo, ſed modicè ſum caſtigaturus te, non autem prorſus relicturus impunem. Exiſtimo itaque eſſe directam contradictionem factam divinæ comminationi, cui veritatem planè voluit derogare, ne mulier mortis metu deterreretur à peccato. Si enim rem in dubio reliquiſſet, non ſatis potuiſſet animum ejus percellere, ſuſpenſum ſemper metu dubii eventus. Ideò ſplendidè & audacter mentitur, & Deum, impurus ſerpens accuſat fraudis, dum ipſe fraudulenter agit & ſophiſticatur, jam tum ingenium illud ſuum detegens vafrum & ambiguum, ut ex ſequentibus apparet, in quibus comminiſcitur alias interdicti cauſſas falſas, & Deum calumniatur, ut mulieris animum ab amore divino averſum, facilius trahat ad delictum.

Verſ. 5.

Verſ. 5. כי יודע *Chi jodea*, quoniam *ſciens eſt*, id eſt, novit Deus, quod in die אכלכם *acolcem*, comedere vos, id eſt qua comedetis ex ea, ubi etiam ſervat ipſa Dei verba, ut formaliter magis contradicat. Dixerat enim Deus, cap. 2. verſ. 17. *In die quo comedes ex ea, morte morieris.* At Serpens, non morte moriemini in die quo comedetis ex ea, ſed novit Deus, quod *aperientur oculi veſtri.* Non quod cœci antea fuerint, qui oculos habuerunt ſatis perſpicaces, ſed loquitur de oculis mentis, qui aperiri dicuntur, quando quis quæ anteà non percipiebat, poſteà animadvertit. Quo ſenſu dicuntur aperti fuiſſe diſcipulorum oculi, ut Chriſtum, quum à ſe receſſiſſet agnoſcerent, quem præſentem non agnoverant. Luc. 24. v. 31. Sed rectè notatur amphibolia verbi illudere Satanam, ut poſteà in oraculis ſuis, qui idcirco λοξίας aut λοξὸς ſub Apollinis nomine dictus eſt, ob ea quæ ambigua & obliqua reddebat reſponſa. Nam aperti fuerunt eorum oculi poſteà, ut teſtabitur Moſes, ſed alia prorſus ratione, quam ex verbis ſeductoris conceperant. Sub iiſdem verbis (ut benè notavit Rupert. de Trinit. lib. 3. cap. 8.) *Eva ſapientiæ altitudinem, illa autem conſcientiæ confuſionem cogitavit, &c.* Ita cum dicit, *Eritis ſcientes bonum & malum.* Rurſus utitur amphibolia, ex ambiguitate verbi *ſcire*, quippe quod volebat intelligi de ſcientia ſancta, qualis eſt in Deo, & quæ facit ad exornandam & perficiendam hominis mentem, adeoque ad augendam hominis fœlicitatem; Ille contra intelligebat de ſcientia conjuncta cum ſenſu miſeriæ, & miſero experimento, quo ſenſerunt ſe nudatos innocentia, juſtitia & vita, peccato & morti obnoxios, ut eventus docuit.

Ne autem id olfaceret, & de ſcientia beata & perfectiſſima ſe loqui indicaret, præmiſit, *eritis ſicut dii,* כאלהים *cælohim*, Chald. Paraphraſtes, *ſicut magni Principes.* Nam vox *Elohim* de Angelis, & omnibus in magna aliqua dignitate conſtitutis in ſcriptura uſurpatur. Piſcator vult ſenſum eſſe, eritis æquales tribus illis perſonis divinis: Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Quod probat ex collatione verborum Dei infra, verſ. 22. ubi Adamum irridens quod huic promiſſioni Diaboli fidem habuiſſet, ait, *En Adam factus eſt ſicut unus ex nobis ſciens bonum & malum.* Hanc interpretationem, *eritis ſicut divinæ perſonæ*, redarguit Ioan. Druſius, ad loca diffic. Veter. Teſt. cap. 11. *Nam* (inquit) *ſi divinæ perſonæ vocantur dii, quid obſtat quominus poſſimus dicere plures Deos eſſe? Quis ita cum ſcriptura loquentem culparet?* Quod ſi hoc impiè ſonat in auribus noſtris, contendit non minus impium eſſe, dicere tres Elohim eſſe, cum unus tantùm ſit. Excuſandum tamen eſſe illum qui hoc dicit, quia ſequutus fuit Magiſtrum ſententiarum, qui ſic locum illum olim expoſuit. Addit, quod apud Græcos legatur ὡς θεοὶ, ſicut dii, mirum autem eſſe ſi de vero Deo intellexerunt, cur uſi ſint numero multitudinis, cum alias ſemper hoc nomen ita acceptum reddant θεὸς, *Deus.* Poſteà quærit, an peccaret qui ſic argumentaretur? LXX & Hieronymus nomen Elohim, quando verum Deum denotat, etiam cum eſſentialiter ſumitur, ſemper convertunt ὁ θεὸς, *Deus*; ergo hic ubi referunt ὡς θεοὶ, ſicut dii, non intellexerunt de Deo vero, & per conſequens de tribus perſonis. Hoc argumentum ſolvi optat ab iis quibus hic locus prora & puppis eſt (ut loquitur) pro contraria ſententia, & qui eo tanquam ariete utuntur ad oppugnandam ſententiam, quam credit eſſe veram.

Monet tamen, locum verti poſſe *eritis ſicut Deus.* Quia Elohim, tam Deum ſignificat quam Deos, quia eſt communis numeri. Id oſtendit Procopii verbis, in Geneſ. pag. 27. *Ajunt Ebræos iiſdem literis eodemque numero ſcribere Deus & dii. Proinde quidam legunt eritis ut Deus, non, eritis ut dii. Verum quia præſens additum habet, ut unus è nobis, ſatis liquet eandem dictionem, & ſupra in plurali numero eſſe enunciatam.* Fatetur tamen Druſius ibidem, nomen hoc quando eſſentialiter accipitur omnes tres perſonas in ſe comprehendere, qua ratione dici non abſurdè poſſet habere ſenſum pluralem, non quidem terminationis, ſed acceptionis vi, ut cum Deus ita ſumitur. Sic ὁ θεὸς Græcis eodem modo ſumptum, quandam pluralitatem inſinuat: nempe tres perſonas, quarum fortaſſe reſpectu poſt ait εἰρωνευόμενος, *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis.* Qui ſic loquitur, Deus eſt æternus, Deus creavit cœlum & terram; dicit Patrem, Filium & Sp. Sanctum eſſe æternum & creaſſe cœlum & terram; quo ſenſu concedit, nomen *Elohim* ſignificare pluralitatem, quia ubi tres perſonæ, ibi pluralitas aliqua, ſed id negat fieri vi terminationis, quia etiam nomen Dei in eo ſignificatu in aliis linguis denotat pluralitatem. Hæc ille, qui locum hunc perdifficilem eſſe dicit.

Certum eſt, & id antea etiam probavimus, vocem *Elohim* vi terminationis ſuæ non denotare pluralitatem, & ſæpiſſimè in terminatione paſſiva, habere ſignificationem ſingularem. Quod aliter non poteſt intelligi ubi una perſona etiam ab alia diſtincta eodem loco, *Elohim* terminatione plurali appellatur. Non dubito etiam veteres, qui Græcè & Latinè per voces plurales nomen illud reddiderunt, non habuiſſe eam mentem, ut de uno vero Deo & Trino uterentur voce θεῶν & Deorum; & latinè non dicimus Pater, Filius & Sp. Sanctus ſunt Dii, vel ſunt tres dii. Quapropter exiſtimo verum eſſe LXX & Hieronymum, locum illum non interpretatos fuiſſe pluraliter de tribus perſonis Trinitatis. Et ſatis mihi videtur firmum argumentum ex eo quod nunquam alibi, ubi nomen *Elohim* pro vero Deo ſumitur, interpretatur per pluralia nomina. Quid ergo, an exiſtimarunt LXX & Hieronymus, ſenſum eſſe, eritis ſicut Judices, vel eritis ſicut Angeli? Id certè vix mihi perſuaderem. Tum enim in terra judicum mentio non erat. De Angelis autem ſub Deorum nomine, an Evæ aliquid notum eſſet, merito dubitari poteſt. Si autem ita ſit (ut ferè omnes interpretes ſentiunt) quod ſerpens voluit inſinuare Deum per invidiam vetuiſſe fructum illius arboris,

ris, ne evaderent ſimiles Deo, quid hoc ad Dei invidiam feciſſet, ſi homines in cognitione boni & mali, Angelis vel judicibus fuiſſent ſimiles vel æquales facti? Res igitur ipſa cogit ut de vero Deo intelligatur ſimilitudo illa. An ergo interpretandum, *eritis ſicut Deus?* Hic hæret difficultas. Si enim id dicamus, non ſolum rejicienda erit interpretatio LXX. Vulgata latina, & omnium ferè quotquot ſunt interpretum; ſed id etiam non videbitur reſpondere Ironiæ quæ poſteà additur, *ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*; qua Deus voluit perſtringere fallacem dæmonis promiſſionem, & ſtultam hominis credulitatem.

Ut nodum illum ſolvamus, exiſtimamus retinendum eſſe numerum pluralem, & *Deos* interpretari numero multitudinis; neque tamen de Angelis aut judicibus, ob rationes anteà allatas eſſe intelligendum hoc nomen, nec etiam inſinuatam fuiſſe à ſerpente diſtinctionem perſonarum in Trinitate. Sed hoc voluiſſe tentatorem, *eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*, ut illud *ſicut Dii* referatur tam ad Deum quam ad homines hoc modo (ut ita loquar) deificandos: quaſi diceret eritis æquales Deo ſcientia, & cum eo Dii, ita ut cum Deo multitudinem Deorum conſtituatis, quum non ſolus gaudebit hoc privilegio, quod vobis erit cum illo commune. Quo ſenſu particula כ caph, *ſicut*, ita ſimilitudinem denotat, ut tamen ſimiles cum eo cui aſſimilantur conjungat. Quo ſenſu diceremus in regno ubi eſſet unicus Rex, de iis qui vellent eum imitari in iis quæ ad Regiam majeſtatem pertinent, vivunt aut ſe gerunt ſicut Reges. Illud nomen plurale non oſtenderet eſſe multos Reges, ad quorum ſimilitudinem ſe gererent, ſed multos eſſe qui ſunt velut totidem Reges. Rem illuſtrabo exemplo minus ambiguo, unicus eſt ſol nec poſſunt eſſe plures, dicimus tamen aliquando viſos fuiſſe tres ſoles, propter impreſſiones quaſdam in aëre factas ſolem referentes. Si ergo quis tum dixiſſet de duobus illis ſolem repræſentantibus, ſunt ſicut ſoles, non abſurdè locutus fuiſſet. Quiſque enim intelligeret id dictum fuiſſe propter ſimilitudinem cum ſole. Sic eritis ſicut dii, id eſt, in eo ſimiles eritis Deo, & velut totidem dii, in conſortium quaſi divinitatis admiſſi. Ita quod poſt peccatum Deus dicit, *ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*, poteſt intelligi ac ſi Deus diceret, jam nos ſumus ſimiles, non ſum amplius unus, ſed ſumus plures, quandoquidem Adam mihi jam adjunctus cum uxore factus Deus, eſt unus ex nobis. Ubi benè notavit doctiſſ. interpres, Adamum ſub dictione *nobis* etiam intelligi, proinde non eſſe eandem rationem quæ ſuprà fuit cap. 1. ℣. 16. in his verbis *faciamus hominem &c.* Idcirco judicavit Calvinus, vix eſſe firmum argumentum, quod ex duobus hiſce teſtimoniis ſimul junctis ad Trinitatem probandam adducitur. Sic etiam Mercerus, efficaciora inquit argumenta, puto eſſe afferenda adverſus Judæos, ad Trinitatem oſtendendam. Pauci etiam hoc argumento uſi ſunt apud veteres. Solus Tertul. contra Praxeam cap. 12. hoc utitur teſtimonio, *tanquam unus ex nobis*, ad probandam Trinitatem: cui hoc eſſe peculiare, notat Pamelius. Simile tamen aliquid habet Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 39. etſi dubitanter proponat. Argutum eſt quod habet doctiſſ. Junius, Satanam illuſiſſe verbis Dei, quibus dixerat *faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*, & ſenſum fuiſſe, nondum perfecta eſt imago Dei, quam ille in creatione inſtituebat; tunc demum perfecta erit, poſtquàm comederitis de arbore ſcientes bonum & malum. Nam quis poteſt affirmare verba illa *faciamus hominem*, quæ προφορικὰ non fuerunt niſi quando à Moſe fuerunt ſcripta, vel Diabolo tum, vel fœminæ fuiſſe nota? Voluiſſe autem ſerpentem argumentum deducere ex nomine arbori ſcientiæ boni & mali jam indito, probabile eſſet, ſi quis oſtendere poſſet hoc nomen non fuiſſe ipſi inditum ab eventu, ſed ab initio hominibus revelatum. Nam etſi à Moſe ita vocetur dum narrat prohibitionem divinam, id tamen factum fuiſſe oſtendimus, quia tempore quo Moſes loquebatur, ſic arbor illa deſignabatur. Ideò in reſponſione Evæ, dicitur tantùm *arbor quæ erat in medio horti*, ex quo probabile eſt tunc nomen ipſi non fuiſſe notum, quod anteà Moſes expreſſerat per anticipationem, quod in Scripturis frequens eſt.

Ut jam ad certa veniamus, tria hic ſunt in verbis tentatoris mendacia. Primò enim negat hominem moriturum; Secundo, arbori vim ſcientiæ tribuit. Tertio dicit Deo talem vim eſſe notam, vel ut oſtendat invidum eſſe ſi ab ejus uſu homines arceat, vel non prohibuiſſe, ſi bonus ſit. Ubi advertendus eſt ordo tentationis; facta objecti propoſitione, primò Diabolus negat pœnam, ut excutiat timorem. Noverat enim initium ſapientiæ eſſe timorem Domini, Prov. 1. ℣. 7. Et promittit utilitatem, ut delectationem & deſiderium ingeneret. Duo itaque præſertim adverſus peccatum præcipuè ſunt cavenda; excuſſio timoris, & admiſſio vel inchoatæ cujuſdam delectationis; quæ duo totidem verbis & eodem ordine indicavit Jacob. cap. 1. ℣. 14. Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος, *abſtractus*, ut neque Deum neque pœnam timeat, & *illectus*, ut aliis quam Deo delectetur. Si enim timor abeſt, abeſt frœnum, quod appetitum contineat, & ſi delectatio adeſt, adeſt ſtimulus qui appetitum urgeat.

EXERCITATIO XXXI.

Explicatur verſ. VI. *& notantur gradus præcipitii in quod incidit Eva.* Videndi *verbo quid intelligatur? Ordo quo in peccando proceditur. Qua ratione mulier virum induxerit. Adam fuit deceptus. Explicatur dictum Pauli,* 1 *ad Tim.* 2. *verſ.* 14. *Quàm grave fuerit Adami peccatum, & quas ob cauſſas. Quinam in complicatis Adami peccatis fuerit ordo, & quod primum fuerit conſiderandum. An hæc quæſtio ad fidem pertineat? Calvini ſententia ejus verbis proponitur. Quæ etiam fuit Lutheri, qui infidelitatem primum gradum fuiſſe cenſent. Confirmatur ratione; etiam veterum ſuffragiis. Martyris ſententia.*

SEquitur verſu ſexto tentationis eventus cui ſuccubuit mulier. Deſcribuntur autem ordine gradus quibus fuit præcipitata. *Audierat* ſerpentem,& jam ejus verbis locum dederat. *Confirmat* ſe aſpectu arboris, & opinione effectus promiſſi, *admovet manum,* contra quam dixerat non tangetis ex ea; *comedit,* contra quam audiverat, non comedetis ne moriamini; *dedit viro ſuo,* ne ſola peccaret,ſed Diabolo ſuccenturiata, eſſet etiam marito ad peccatum perpetrandum adjutrix.

Primus gradus fuit *quod vidit.* וירא *vajaré.* Certum eſt Evam vidiſſe arborem oculis corporis, quod ipſi anteà potuit accidere, nec videre illam, per ſe malum fuit. Sed jam dicitur *vidiſſe* eo modo quo anteà non viderat, quia eam non conſideraverat cum ea præſumptione cum qua nunc intuita eſt. Rectè ergo Ebræi *videndi* verbum ad ſenſus internos referunt, quaſi à ſerpente inducta, jam pulchrum judicaverit, & animo ejus adlubeſcere cœperit, quod anteà abhorruerat: ita ut tamen ad ſenſus etiam externos, tanquam ab iis à quibus initium factum eſt, ſit reſpiciendum, per quos adducta ad internos pervenit, & per utrorumque conſenſum peccatum patravit. Sic enim peccatum perficitur,cum externis primùm ſenſibus res oblata, poſtquàm eos affecerit, ad internos poſteà transfertur, & mutuo conſenſu utrorumque tandem approbata perficitur. Quò facit Proverb. Ebræorum, *oculos & ſenſus externos, cordis eſſe proxenetas.* Notat Rupertus cap.9.lib.3. de Trinit. tum mulierem curioſius attendiſſe, & judicem eorum quæ ipſa audiverat ipſam eſſe voluiſſe. Audierat dixiſſe Deum in quocunque die comederis ex ea, morte moriemini. Audierat ſerpentem contrarium dixiſſe, nequaquam moriemini. Inter hæc anceps, naturam ligni propriis ſenſibus dijudicare voluit, ut ſciret cui potiſſimum, Deo videlicet vel ſerpenti, palmam concederet veritatis, at illi qui hoc judicare debuerant interiores oculi, exteriorum jam erant oculorum concupiſcentia præpediti, &c.

Vidit itaque, 1. *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum,* prius crediderat arborem eſſe noxiam, non quidem per ſe, ſed propter divinam prohibitionem. Nunc verbo Dei repudiato, longè aliter judicat, & triplici deſiderio titillatur, quia judicat idoneam eſſe ad cibum, ad oblectationem oculorum, & ad prudentiam comparandam. Ergo non amplius arborem videbat innocuo aſpectu, & affectu, ſed guſtandi cupida.

Notat Cajetanus, tria hic eſſe triplici vitæ hominis correſpondentia; nam ad vegetativam ſpectat, quod fructum illum bonum ad veſcendum exiſtimarit; ad ſenſitivam, quod videbatur delectabilis; ad rationalem denique, quod ad rationem ſciendi faceret; ubi gerundium illud להשכיל *lehaſchil,* vulgata non benè expreſſit, per *aſpectu delectabile,* ſic enim nulla eſſet differentia inter verba præcedentia & hæc ſequentia, vix enim poteſt aliqua inſtitui, inter pulchrum oculis, & aſpectu delectabile. Melius igitur LXX. καὶ ὡραῖον ἐστι τοῦ κατανοῆσαι, *& ſpecioſum ad intelligendum,* ut id potius ad intelligentiam referatur, quam ad externos ſenſus. Imò illud להשכיל commodius vertitur fatentibus etiam doctis Pontificiis, *ad faciendum intelligere;* quaſi diceret, vidit mulier, lignum eſſe utile, ut illius eſu promiſſam à ſerpente ſcientiam conſequeretur. Vidiſſe autem id dicitur, quia ſic exiſtimavit. Verè enim dixit Philoſophus, *prout quiſque eſt affectus, ita judicat.* Quod elegantius à Dom. noſtro dictum eſt, Matth. 15. ℣. 19. *De corde exeunt cogitationes.* Id igitur propius videtur tentationi & verbis ſerpentis, ut ad intelligentiam mentis quam ille erat pollicitus, & ipſa etiam jam ſibi promittebat, referatur.

Supereſt poſtremus actus, tulit de fructu, contra quam dixerat *non tangetis,* & comedit. Nec ipſa peccaſſe contenta, dedit viro ſuo עמה *immah,* ſecum, id eſt, ut ſecum comederet, non quod vir fuiſſet cum illa tempore quo fuit tentata, ſed quod eum poſteà convenit & in conſortium peccati ſecum deduxit. Habemus itaque progreſſum & gradus omnes illius peccati. Mulier primum audivit ſerpentem, tum vidit arborem & concupivit, poſteà fructum decerpſit, comedit, & denique maritum ad comedendum induxit. Quo eodem ordine & modo uſu venit, ut in peccando procedamus. 1. Suggeſtio Diaboli antecedit, 2. ejus conſideratio ſequitur. 3. procedimus ad delectationem. 4. inde oritur deliberatus conſenſus. 5. ſequitur pravi operis effectio. 6. Tandem etiam proceditur ad communicationem criminis cum aliis.

Qua de cauſa maritum ſuum ad peccandum induxerit,

xerit, qua arte pellexerit, quibus verbis ſuaſerit Scriptura non dicit, quæ ſimpliciter narrat Evam dediſſe viro de fructu, & comediſſe. Nec ille etiam cum Deo reſpondet plura addit. Et tamen non eſt veriſimile id factum fuiſſe ſolo nutu, aut fructus exhibitione, Evamque nihil aliud adjeciſſe, vel mentionem non feciſſe cauſſarum quæ eam induxerunt, ut fructum illum decerperet. Quo animo autem id fecerit, ne id quidem Scriptura refert; ſive quod maritum ſummè diligeret, eumque conſortem facere cuperet gaudii ſui, ſive ad id etiam à ſerpente inducta fuerit, qui anteà in plurali numero locutus fuerat, ſi *comederitis, eritis ſicut Dii*, ſive proprio motu ad id fuerit delata. Maritum ſollicitaſſe conſtat; eundem uxoris voci auſcultaſſe, & ei obtemperaſſe adverſus Dei præceptum, certa res eſt. Quid autem eum præcipuè moverit, in incerto eſt apud nos, quod Deo notum eſt, cui ſatis fuit, nobis peccatum hominis teſtari, & ex pœna, quam grave fuerit nobis indicare.

Id tamen videtur, ex Ironicis Dei verbis quæ poſteà ſequuntur, verſ. 22. *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*, &c. poſſe probari, Adamum verbis ſerpentis ab uxore recitatis credidiſſe, de effectu eſus illius fructus, & ideò ad comedendum adductum fuiſſe, quia putavit, ſe acquiſiturum ſcientiam quæ ipſum ſimilem Deo faceret. Cur enim argueret illum Deus affectatæ illius ſimilitudinis divinæ, & ſcientiæ boni & mali, ſi nullo modo id cogitaſſet, ſicut voluit Auguſt. de Civit. Dei, lib. 14. cap. 11. Ut Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum, non conſenſit inductus, ſed ceſſit obſtrictus; ſicut Salomon, non errore ſed blanditiis fœminarum ad ſacrilegia fuit impulſus, ſic Adamus, non credidit uxori loquenti inductus, ſed ſociali neceſſitudini paruit?

Nec id certè diffitentur plerique veteres Theologi, credidiſſe Adamum falſis illis promiſſis, & comminationem Dei in dubium vocaſſe. Atque ita ſerpentis promiſſionibus ſtultè credulum, divinæque ſimilitudinis & poteſtatis cupiditate incenſum, graviſſimo cum mentis errore & fidei jactura, fuiſſe deceptum. Citantur in eam rem verba Ignatii, Epiſt. ad Trallianos, *Diabolus*, inquit, *per Evam ſeduxit Adam, patrem generis noſtri.* Iren. lib. 3. adverſ. hæreſ. cap. 35. *Ab altero* (inquit) *ſeductus fuit, ſub occaſione immortalitatis, ſtatim timore corripitur & abſconditur.* Epiphan. contra hæreſ. 38. diſputans, ſeductionem ſerpentis utrique Evæ & Adam, communem facit. Ipſe Auguſt. in Pſal. 68. *Quis rapuit primum? ille qui ſeduxit Adam.* Et paulo poſt, *rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt fœlicitatem.* Et lib. 11. de Geneſ. ad lit. Quid mirum, *ſi ſuperbi, volentes eſſe ſicut dii, evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum?* Leo ſerm. 4. *Homo primus invido deceptori, temerè atque infeliciter credidit.* Plerique aliorum in eandem ſententiam citari poſſunt; qui omnes Adamum fuiſſe deceptum cenſent, & id ut oſtendimus ratio & ipſa Dei verba ſuadent.

Unum obſtare videtur, quod etiam Auguſtinum movit, & eos qui in eo hæſitarunt, dictum nempe Apoſt. 1. ad Timoth. 2. v. 14. *Et Adam non fuit deceptus, ſed mulier ſeducta, obnoxia facta eſt transgreſſioni*, vel ut vertit Beza, *cauſa transgreſſionis fuit*, ἐν παραβάσει γέγονε. Qui locus nonnullis occaſionem præbuit ut negarent, Adamum errore lapſum eſſe; ſed uxoris tantùm illecebris fuiſſe victum. Itaque putant mulierem tantum actu Diaboli deceptam, ut ſe & virum diis ſimiles eſſe crederet; Adamo autem, nihil fuiſſe perſuaſum, ſed fructum guſtaſſe, ut morem uxori gereret. Quam opinionem jam ſupra refutavimus. Ad locum autem hunc Pauli, dicimus eum nullo modo his ſuis verbis ſignificare, Adamum non eadem implicitum fuiſſe Diaboli fallacia; ſed tantùm oſtendere, cauſſam vel originem tranſgreſſionis ab Heva profectam eſſe. Sic plerique interpretes Græci interpretantur, primum quidem, ut ſubaudiatur, *prior*; quia mulier præceſſit; deinde illud *non fuit ſeductus*, exponunt, quaſi diceretur, non legitur fuiſſe ſeductus. Ad comparationem igitur mulieris, non abſolutè negat Paulus virum deceptum fuiſſe. Sic Thomas, Adam non ſeductum, ſcilicet primò, quod fortior eſſet; ſed à debiliori inceptum, ut fortior facilius deciperetur. Ita Ambroſ. lib. de Paradiſo cap. 21. *Mulieris prior error inventus eſt; viro enim mulier, non mulieri vir, autor fuit erroris.*

Ergo in dicto Pauli, ubi legitur *Adam primus formatus eſt, deinde Eva*, & poſteà ſubditur, *Adam autem non eſt ſeductus, rectè repetitur primus.* Deinde poſſunt etiam adjici verba ſequentia, *Adam non eſt ſeductus, ut fieret in prævaricationem*, in quo differt ab Eva. Nam illa ſeducta Adamum ſeduxit, Adam autem ſeductus, nemini poſteà prævaricationis autor fuit, nec potuit Adamo objicere mulier, quod Adam mulieri, idcirco in eo potior fuit Adami conditio.

Non ſunt itaque audiendi qui, hac occaſione voluerunt extenuare peccatum Adami, quaſi de fructu vetito non comederit voluntate transgrediendi, aut quod crederet ſerpenti, aut appetitu inordinato impulſus, ſed tantùm in gratiam uxoris. Non enim minus transgreſſus eſt, & præceptum actu violavit quam Eva, quia comedit ipſe de arbore vetita. 2. Apoſtolus cap. 5. Epiſt. ad Rom. illud deſcribit tanquam inobedientiam, quæ mortem in mundum introduxit, non ſolum ipſius Adami, ſed etiam poſterorum omnium reſpectu. Accedit, quod ſciens & prudens fructum vetitum à muliere accepit, & ita factum mulieris probavit, & ejuſdem participem ſe fecit. Pœnæ etiam graviſſimæ peccato inflictæ oſtendunt nec leve nec veniale fuiſſe, ſed graviſſimum & ſevera animadverſione dignum, quod neceſſario dicendum, niſi Deo injuſtitiam & ſeveritatem nimiam attribuere velimus.

De comparatione autem peccati illius cum aliis ſi quæratur, certum eſt variè reſponderi poſſe, pro circumſtantiarum ratione. Nam peccatorum gravitas ex multis rebus ſolet æſtimari; vel ex ipſa peccati ſpecie, ut adul-

ut adulterium gravius eſt fornicatione; vel ex intentione affectus peccantis, ut ſi quis vehementiori affectu rapiatur ad malum perpetrandum; vel ex effectu peccati, id eſt ex eo damno quod conſequitur; vel etiam ex peccati objecto, ut ſi quis Regem, aut parentem percutiat; vel ex aliis circumſtantiis peccato adjunctis, ut perſonarum peccantium, loci, temporis, &c. gravius enim peccat, qui aliis exemplo præire debet, qui pluribus ornatus eſt Dei-donis. Item qui peccat in loco ſacro, item qui tempore cultui divino conſecrato, &c.

Etſi peccatum Adami ratione ſpeciei non videatur adeò grave, tamen ſi conſideretur tunc unicum hoc fuiſſe ipſi datum præceptum poſitivum ſub comminatione mortis, quod eſſet velut Deo debitæ obedientiæ ſymbolum, non potuit etiam non eſſe gravis ratione ſpeciei, præſertim ſi non tam ad externam illam rem animum attendamus, quam ad ea quæ neceſſario præceſſerunt, priuſquam fructum attingerent.

De intentione affectus, res eſt quæ à ſolo Deo potuit judicari, & non eſt humanæ diſquiſitionis. Ad damnum vero ex peccato conſequutum quod ſpectat, maximum fuiſſe patet, ex jactura tot tantorumque bonorum, nunquam deinceps recuperandorum, & tot tantorumque malorum, quæ peccatum illud peperit, neceſſitate allata. Quod damnum non fuit illorum hominum qui peccarunt proprium, ſed univerſi generis humani, quia pertraxerunt hoc peccato ſuos omnes poſteros in mortis exitium.

Conditio autem Adami talis fuit, qualis nulla alia peccatum adeo poteſt aggravare: quia transgreſſus eſt, quum ſapientia & gratia Dei excelleret, nullamque haberet ad malum proclivitatem; ſed contra, magnam ad bonum propenſionem. Quo enim ſanctior eſt voluntas exorbitans, & quo peccatum magis eſt voluntarium, eo fit gravius & deformius. Nullus autem homo tantam habuit unquam arbitrii libertatem, quantam habuit primus homo peccando: nec talis poſt lapſum in ullo homine reperitur voluntatis perfectio. Summa itaque facilitate, quantamlibet tentationem poterat propulſare, omneque peccatum vitare nullo labore poterat: Quamobrem, tanto fuit major ejus in peccando iniquitas, quanto major erat in eo, non peccandi facilitas. Quod Auguſt. de Civit. Dei lib. 14. cap. 15. his verbis notavit, *Si quis damnationem Adami, vel nimiam vel injuſtam putat, metiri profectò neſcit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.*

Loci circumſtantia; peccavit in Paradiſo, & amoenum hortum ipſi à Deo ad habitandum & colendum conceſſum, dehoneſtavit & dedecoravit, ubi nulla erat peccandi occaſio, nullumque malè agendi irritamentum: ubi contrà erant plurima & acerrima ad Deum laudandum, colendum, & amandum invitamenta.

Nec minus amplificat peccatum circumſtantia temporis. Nam cum Deus talem hominem feciſſet qui quovis tempore, ſumma cum facilitate, ſanctus & innocens perſeverare potuiſſet, omne peccatum vitare, & quamlibet tentationem ſuperare, ille tamen adhuc è manibus Dei recens, tam cito, tam facile, tanquam inermis & imbellis ceſſit primæ tentationi, & miles ignavus, primo impetu proſtratus eſt.

Adde etiam, legis violatæ conſiderationem, eo enim gravius eſt peccatum, quo lex quæ violatur eſt levior & obſervatu facilior. At in tanta fructuum ubertate & ſuavitate, quid facilius fuit quam ab unica arbore abſtinere? Nec ulla lex poſt lapſum tam facilis fuit lata, quo reſpectu peccatum illud primum fuit graviſſimum.

Quod ſi ſpectemus peccati illius objecta, tunc gravitas peccati major apparebit. Nam in Deum fuerunt injurii, qui fidem ejus verbis detraxerunt, ejus comminationes pro veris non habuerunt, & Diaboli fraudibus plus fidei quam Dei oraculis habuerunt. 1. In Deum ingratiſſimi, largitorem tot bonorũ ſpiritualium & temporalium. 2. In proximum etiam & omnes poſteros ſuos fuerunt injurii, quos ſuo peccato miſeriis omnis generis, culpæ & poenæ, ſubjecerunt. 3. Seipſos præterea foedè contaminarunt, & tam ſpirituali, quam corporali vita, gravi homicidio, privarunt.

Hæc & ſimilia docent peccatum illud non eſſe extenuandum, quod ſine Dei injuria fieri non poteſt. Nec propterea quis cogitare debet, nos tali exaggeratione patris verenda detegere, qui tantùm commune humani generis malum agnoſcimus, & deploramus; ne oblatum remedium negligamus, vel de juſtitia Dei conqueramur, aut miſericordiæ & gratiæ ejus abundantiſſimæ obliviſcamur.

Non planè rejicimus diſtinctionem eorum qui docent, peccatum illud primum, etſi extenſivè fuerit graviſſimum, non tamen planè, ſi intenſivè ſpectetur, quælibet alia peccata gravitate præponderare. Nam certum eſt peccatum in Sp. Sanctum intenſivè conſideratum gravius eſſe, quatenus includit odium Dei & veritatis divinæ, idque confirmatum, & ideò irremiſſibile eſt.

Quod enim quidam reſpondent, gravius eſſe illud peccatum reſpectu extrinſeco, nimirum *irremiſſibilitatis*, non autem reſpectu intrinſeco, falli eos putamus. Nam irremiſſibilitatis cauſſa eſt intrinſeca, quæ maximè intendit peccatum, quo peccans fertur in odium veritatis, & à Deo planè averſus manet. Nam quod addunt non eſſe irremiſſibile per ſe, ſed per accidens, nempe impoenitentiæ, in eo etiam eos falli cenſemus. Quia impoenitentia etſi conſequens ſit neceſſarium talis peccati, non tamen eſt cauſſa cur non remittatur, niſi cauſſa, quam vocant, ſine qua non, quæ propriè cauſſa non eſt: ſed habet in ſe propriam cauſſam cur is qui ſic peccat, ab omni Dei miſericordia excludatur.

Intereà fatendum eſt, quod omnes veteres penè, & recentiores Theologi notarunt, in protoplaſtorum peccato plurima fuiſſe complicata. Nam, ut eleganter Tertul. lib. 2. contra Marc. *Primordialis lex data eſt Adæ & Evæ in Paradiſo, quaſi matrix omnium præceptorum.*

ceptorum. Denique ſi Dominum ſuum dilexiſſent, contra præceptum ejus non feciſſent, ſi proximum diligerent, id eſt, ſeipſos, perſuaſioni ſerpentis non credidiſſent, atque ita in ſe ipſos homicidium non commiſiſſent, excidendo de immortalitate, faciendo contra præceptum Dei. A furto quoque abſtinuiſſent & de fructu arboris non guſtaſſent. Nec falſum aſſeveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei quod ſimiles Deo eſſent futuri. Si alienum non concupiſcerent, de fructu vetito non guſtaſſent. Igitur hac primordiali lege Dei, quam in arboris fructu obſervari Deus ſanxerat, omnia præcepta legis poſterioris, ſpecialiter condita fuiſſe cognoſcimus. Eadem ferè habet Auguſt. Enchir. ad Laurent. cap. 45. quæ pluribus perſequi non opus eſt; ſed ad quæſtionem illam veniendum quæ maximè controverſa eſt, quinam fuerit peccatorum ordo, id eſt, in tot complicatis in uno peccatis, quodnam fuerit primum, aut primus actus vitioſus, quo primorum hominum innocentia corrupta fuit, & quo admiſſo, alia peccata, quaſi, qua data porta ruerunt, qua de re cum varient ſententiæ, 1. Videndum erit, qualis ſit neceſſitas cognitionis ejuſmodi ordinis, 2. Quinam ex ſacrâ Scriptura maximè probabilis poſſit aſſignari.

Non exiſtimamus agendum eſſe ſeorſim de peccato mulieris, & poſteà de peccato Adami; quandoquidem unius & ejuſdem peccati à Deo rei peraguntur. Idcirco quod de uno dicetur, de altero etiam debebit intelligi. Conſtat inter omnes hominis peccatum primum, fuiſſe παράβασιν, παράπτωμα, παρακοὴν, transgreſſionem, delictum, inobedientiam, quibus omnibus nominibus in explicando lapſu illo utitur Paulus cap. 5. Epiſt. ad Rom. At quodnam ex multis in illa inobedientia quaſi complicatis peccatis primum fuerit, id Scriptura apertè non dicit, Ideò determinationem talis quæſtionis non exiſtimamus fidei neceſſariam, nec etiam magna contentione dignam; nempe an præceſſerit ſuperbia, & ſequuta ſit infidelitas, vel an infidelitas primum ſubierit cor primorum parentum, & poſtea ſequutus fuerit affectus ille vitioſus propriæ dignitatis, extra aut ſupra conditionem humanæ naturæ conceſſam.

Calvinus inſtit. lib. 2. cap. 1. ſect. 4. eo quo ſolet judicio, idque modeſtè quæſtionem hanc tractat. Hoc ponit, quod pleriſque omnibus in confeſſo eſt, prohibitionem ab arbore ſcientiæ boni & mali, obedientiæ examen fuiſſe, ut Adam parendo, ſe Dei imperio libenter ſubeſſe probaret. Nomen autem ipſum arboris oſtendere, præcepti non alium fuiſſe finem, quam ut ſua ſorte contentus, ſe ſupra ſuam ſortem, improba cupiditate non efferret. Nec malè Auguſtinum ſuperbiam malorum omnium initium dixiſſe, in Pſal. 19. Cujus rei eam affert rationem, quia niſi hominem, altiùs quam licebat, & quam fas erat extuliſſet ambitio, manere poterat in ſuo gradu, pleniorem tamen definitionem ex tentationis ſpecie, quam deſcribit Moſes, eſſe ſumendam. Nam cum deceptione ſerpentis abducitur mulier per infidelitatem, à verbo Dei, jam initium ruinæ apparet fuiſſe inobedientiam. Quod Pauli dicto Rom. 5. ℣. 19. confirmatur. Sed notandum ſimul eſſe, deſciviſſe primum hominem ab imperio Dei, quod non tantum Satanæ illecebris captus fuerit, ſed contempta veritate, deflexerit ad mendacium. Proinde infidelitatem, Radicem defectionis fuiſſe. Hinc emerſiſſe ambitionem & ſuperbiam, &c.

Præiverat Calvino Lutherus Comment. in Geneſ. cap. 3. ubi ex deſcriptione Moſis colligebat, incredulitatem, ſeu defectionem à verbo Dei, fuiſſe primum hominis peccatum. Diabolus enim primum ſollicitavit hominem ad dubitationem de verbo Dei, quod deinde prorſus negat, aut tanquam falſum arguit, tum demum ad ſuperbiam movit, promiſſa divina ſcientia, hinc voluntatem verbo averſam cupiditas prava occupavit, quæ poſteà in actum externum prorupit.

Huic ordini ex hiſtoria petito, favet etiam manifeſta ratio, ex eo ſumpta, quod quamdiu homo verbum Dei ſibi proponit, & fiduciam erga Deum retinet, non poteſt adverſus eundem ſuperbire, ſiquidem obedientia erga verbum & contumax ſuperbia è diametro invicem pugnant. Item: Ut radix atque initium converſionis poſt lapſum eſt fides, Ebr. 11. ℣. 6. *accedentem ad Deum oportet credere*, ita radix atque initium omnis injuſtitiæ eſt incredulitas, teſte Chriſto Joh. 3. ℣. 18. Qui non credit, jam judicatus eſt, &c.

Huic ſententiæ veteres nonnullos ſuum aſſenſum præbuiſſe, ex eo conſtat, quod principium lapſus in eo ponant, quod Dei mandatum in dubium revocarunt protoplaſti. Ambroſ. de Parad. cap. 12. *Quod mulier Dei mandato aliquid addit, lapſus incipit eſſe principium, hinc cœpit prævaricatio prima eſſe mandati.* Proſper in reſponſ. ad cap. Genuenſ. dubio 3. *Fidem niſi primam Adam amiſiſſet, cæteris bonis omnibus non careret: credendo enim Diabolo, non credidit Deo.* Tertul. anteà, lib. 2. contra Marc. cap. 2. *Quis* (inquit) *dubitabit, ipſum illud Adæ delictum, hæreſim pronunciare, quod per electionem ſuæ potius quam divinæ ſententiæ admiſit,* &c? Et paulò ante dixerat, *Ideò non habendo fidem, etiam quod videbatur habere ademptum eſt illi*, &c. Apud Auguſt. lib. 1. contra Julianum, Olympius negat Adamum transmiſſurum fuiſſe peccatum originale, *ſi fides in terris incorrupta manſiſſet, ac veſtigia defixa tenuiſſet.* Rurſus Ambroſ. in Luc. cap. 4. *Adam nudatus eſt mandati cœleſtis cuſtodia deſtitutus, & exutus fidei veſtimento, & ſic lethale vulnus accepit.* At ſi ſuperbia eum invaſiſſet ante infidelitatem, jam accepiſſet vulnus lethale, nondum fide concuſſa. Nicolaus Lyranus in cap. 3. Geneſ. *Stante*, inquit, *ſtatu innocentiæ, non poterat eſſe deordinatio in viribus inferioribus, niſi prius eſſet in ratione, ideò non tentavit primo de comeſtione ligni, ſed de reſtrictione præcepti;* cur præcepit? *Quaſi diceret, iſtud præceptum non fuiſſe conveniens,* &c.

Et

Et certè vix cogitari poteſt, quomodo affectatio gradus majoris, & inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, potuerit voluntatem hominis afficere, niſi, prius naturâ, aliquis in intellectu error fuiſſet admiſſus. Nam cùm omnis actio, mentis compotis hominis, tendat in finem; primus homo non potuit elicere hunc voluntatis actum, circa propriam excellentiam independenter à Deo, niſi priùs talem ſibi finem tanquam bonum propoſuiſſet. Hoc autem ipſum eſt error & infidelitas: ſibi ſtultè fingere hominem, ſe poſſe eſſe velut Deum, & beatius eſſe à ſe ipſo quam à Deo pendere. Hic autem error effecit, ut id ipſum ſtatim appeteret. Unde ſatis liquet quæ totius mali fuerit origo & radix.

Sunt nihilominus Theologi quidam, etiam Orthodoxi, qui ſentiunt infidelitatem ex ſuperbia ortam fuiſſe. Petrus Martyr, in cap. 3. Geneſ. ad verba illa *videns mulier*, ſi hoc peccatum (inquit) excutimus, ibi ſuperbiam videmus, nam mulier, dum perſuaſionem Diaboli audiret, & fortè anteà, cœpit cogitare, cum tam nobili eſſet natura prædita, ſibi multo plura à Deo deberi, quam à Deo data ſint: & mentem cœpit cupiditas titillare majoris excellentiæ, quæ cupiditas deceptioni viam aperuit. Subſecuta eſt infidelitas, ut minus fidei haberet divinis verbis quam par erat; atque ita inobedientia eſt ſequuta. Hæc ille.

Ubi non negat Martyr errorem præceſſiſſe in mente appetitum inordinatum excellentiæ: error enim fuit cogitare ſibi multo plura à Deo deberi quam data fuerant. Sed errorem illum nondum appellat infidelitatem, quam mox inſequutam fuiſſe dicit, quum Eva ſeducta, fidem Dei comminationi detraxit. Tunc igitur plenam fuiſſe infidelitatem, quæ tamen anteà ex parte concepta, titillationem cupiditatis, de qua loquitur, excitavit.

EXERCITATIO XXXII.

Proponitur Bellarmini & aliorum Scholaſt. ſententia de primo peccato. Perpenditur arg. I. ex Syrac. cap. X. Principii *ambiguitas diſtinguitur. Explicatur locus ex Tobiti cap.* IV. *& Rom.* V. *verſ.* 19. *Reſponſio ad objectiones ex Patribus. Solvuntur argumenta à ratione. Defenduntur argumenta noſtrorum. De controverſiæ hujus neceſſitate judicium. An cenſeamus* ſola infidelitate *amitti gratiam? Quænam fuerit primorum parentum ſuperbia? Quinam hoc tempore eam imitentur?*

Bellarm. lib. 3. de amiſſ. grat. & ſtat. peccati cap. 4. ex quorundam Scholaſticorum doctrina, ſentit, primum peccatum fuiſſe ſuperbiam. Idque nititur confirmare, Scripturæ dictis, Patrum autoritatibus, & rationum momentis. Id autem notandum eſt, Bellarminum & qui cum eo ſentiunt, non ponere ſuperbiam & propriæ excellentiæ appetitum in voluntate hominis, ſine errore in intellectu. Statuunt enim Adamum, verbis ſerpentis, quibus dixerat *eritis ſicut dii*, per uxorem ad ſe relatis, priuſquam conſenſiſſet ad præcepti divini tranſgreſſionem (nempe actualem & externam) ſuperbiam animo concepiſſe. Et per ea verba, ad conſiderationem propriæ excellentiæ fuiſſe inductum, atque ita ad ſemetipſum converſum, ut à Deo recederet cor ejus. At, quemadmodum diximus, id fieri non potuit niſi ſibi antè propoſuiſſet falſum finem, & verbis ſerpentis *eritis ſicut dii*, fidem adhibuiſſet. Credere autem mendacio, eſt error intellectus. At infidelitatem eſſe nolunt, niſi poſtquàm elati ſuperbia homines verbo Dei fidem derogarunt. Quaſi verò non id factum fuiſſet, cùm primùm promiſſionem ſerpentis veram eſſe crediderunt, cùm Adam appetivit, quod ſerpens promiſerat, *eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum*. Certè cùm affirmatio illa, ſit comminationi divinæ contraria, non potuit pro vera haberi, quin aut dubitatio de veritate comminationis divinæ animo injecta fuerit; aut jam eadem planè ex mente eorum eſſet excuſſa. Atque ita vix concipi poteſt, quomodo ſuperbiæ appetitus in homine naſci potuerit, ſine aliquo præeunte infidelitatis actu, etſi poſtea elatione animi ſuperinvecta, aucta fuerit infidelitas & averſio à Deo.

Sed audiamus quibus argumentis hanc ſuam ſententiam Bellarm. & alii ſtabilire conentur. Primùm, adferunt ex cap. 10. Eccleſ. ℣. 14. hæc verba, *initium ſuperbiæ hominis recedere à Deo, quia ab eo qui fecit eum receſſit cor ejus*, & ℣. 15. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*. Non excipiam librum filii Syrach non eſſe Canonicum. Quia in verbis illius autoris, nihil eſt quod ſententiæ quam primò poſuimus repugnet. Nam qui recedit à Deo, id facit per actum infidelitatis, qui ab autore dicitur apoſtaſia. Apoſtaſiam illam facit initium ſuperbiæ; unde ſequitur ſuperbiam ex infidelitate ortum duxiſſe, non contrà; etſi infidelitatem poſteà augeat ſuperbia. Quæ autem ſequuntur in Vulgata editione verba, *initium omnis peccati eſt ſuperbia*, in codicibus Græcis variè leguntur: quidam enim habent ut legit Vulgata, *initium peccati ſuperbia*; quidam contrà, ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἁμαρτία, principium ſuperbiæ peccatum. Quæ lectio melius convenit cum præcedentibus, ἁμαρτίαν enim vocat, quod antea dixerat *defectionem à Deo*. Sed quamvis retineatur communis lectio, nihil inde accedet adverſariis, 1. Quia plerique Pontificiorum id referunt ad peccatum Angelorum. Potuerunt autem Angeli peccare primo peccato ſuperbiæ, nec ſequeretur idem accidiſſe in hominibus. Sed notandum eſt ad explicationem omnium locorum tam Scripturæ, quam veterum, in quibus ſuperbiæ videtur

detur aſſignari primus in peccato locus, 1. ἀρχὴν non ſemper ſumi pro eo quod ordine primum eſt, & à quo quæ in eodem genere ſequuntur originem trahant, ſed ſæpè pro eo quod præcipuum eſt & quaſi primarium, quo ſenſu ſuperbiæ primus inter peccata locus aſſignari poteſt. Deinde, ſuperbiam accipi ſpecialiter pro peccato illo, quod humilitati per exceſſum opponitur, id eſt, pro vitio quod inclinat ad appetitum perverſè excellendi, quo modo eam accipiunt, quibus cum nobis eſt res; vel impropriè, interpretativè & generaliter; quo ſenſu nullum eſt peccatum in quo non ſit ſuperbia. aut ad eam referri non poſſit. Quia ſuperbia habet ad omnia ſcelera univerſalem influentiam, non tamen inde efficitur, ſuperbiam præceſſiſſe vel tempore vel ordine infidelitatem, quia ipſa infidelitas aut incredulitas ſic dicetur ſuperbia. Ideo Janſenius in hunc locum Syracidis; *Nec tantum* (inquit) *de ſuperbia primorum parentum verum eſt quod ſit initium omnis peccati; ſed etiam in quovis homine, ſuperbia eſt omnis peccati initium: quia omne peccatum ex eo incipit, quod homo Dei voluntate relicta ſuam facere præligat, quod ad ſuperbiam pertinet.* Hoc ſenſu omnes peccantes ſunt ſuperbi, nec tamen in omni peccato eſt ſuperbia propriè dicta, alioquin etiam puſillanimis eſſet ſuperbus.

2. Non magis ad rem facit quod ex alio lib. Apocrypho profert Bellarm. ex Tob. 4. ℣. 14. *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio.* Nam textus Græcus ſic habet, ἐν τῇ ὑπερηφανίᾳ ἀπώλεια καὶ ἀκαταστασία πολλή, *id eſt, in ſuperbia eſt perditio & perturbatio multa.* Tobias enim dehortatur filium à ſuperbia ex hoc fundamento, quia ſuperbia ſolet hominem, in quaſvis calamitates præcipitem dare. Sequentia ad id faciunt, *& in animi ferocia, ineſt depreſſio magna.* Id ad quæſtionem de primo hominis peccato nihil prorſus facit, etſi non negemus in Adami peccato ſuperbiam concurriſſe, eo nempe ſenſu quo ſuprà diximus, in omni vel minima cujuſque præcepti divini violatione ſuperbiæ aliquid apparere, dum qui Deo ex aſſe ſubditus eſſe deberet; ſupra ſeipſum it, divinæque legis transgreſſionem appetit. unde Proſper lib. de vita contempl. cap. 2. *Nullum peccatum ſine ſuperbia poteſt vel potuit eſſe vel poterit.* Sed ſi locus de ſuperbia propriè dicta intelligendus eſſet, & Vulgata editio ſequenda, de Angelorum peccato potius eſſet accipiendus quam de peccato hominum, quod etiam ex Pontificiis plerique agnoſcunt. Vaſquez enim 1. part. Tom. 2. diſput. 232. cap. 3. *Commodius,* inquit, *ad omne peccatum etiam Angelorum refertur, cum abſolutè dicat Scriptura initium omnis perditionis fuiſſe ſuperbiam.* Poſſet igitur ſuperbia etiam hominum perditionis eſſe cauſſa, ſed mediatè, nempe quia Angeli in ſuperbiam lapſi, hominibus fuerunt cauſſa peccandi.

3. Trahere etiam conatur ad ſententiam ſuam, verba Pauli Rom. 5. ℣. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Ex hoc loco ſic argumentatur, inobedientia eſt peccatum illud quo conſtituti ſumus peccatores per Adamum. At inobedientia eſt primus actus ſuperbiæ. Ergo ſuperbiæ actus primus eſt peccatum illud quo conſtituti ſumus peccatores. Major eſt manifeſta ex Apoſtolo. Minor etiam probatur à Bellarmino, quia actus primus ſuperbiæ eſt nolle ſubjici imperio & præceptis alterius, at inobedientia propriè dicitur talis actus, ergo inobedientia eſt primus actus ſuperbiæ. Reſp. inobedientiæ nomen accipi quemadmodum ille dicit propriè & formaliter ut loquuntur vel ſpeciali ſignificatione, & tunc eſt actus ſuperbiæ; vel in genere & communiter, & tunc quodvis peccatum eſt inobedientia, imo etiam ſic dici poteſt peccatorum congeries, qualis eſt ea quam in Adami peccato primo agnoſcimus omnes. Sed ſi illa inobedientia, quæ etiam nomine ſuperbiæ intelligi poteſt, in partes reſolvatur, apparebit primos parentes fuiſſe primum ſollicitatos, ad defectionem à Dei verbo; deinde ad ſuperbiam per falſas promiſſiones fuiſſe permotos. Hoc modo non repugnabimus ſi quis hunc peccati actum, ad ſuperbiam, in genere intellectam, referre velit.

Qua ratione facillimum erit ſolvere inſtantiam Bellarmini, *Si,* inquit, *primum hominis peccatum fuit infidelitas, non verè nec propriè Apoſtolus illud appellaſſet inobedientiam.* Nam verè etiam dicuntur, quæ generali aliquo nomine comprehenduntur. Nec adverbia illa *verè* & *propriè*, debent pro eodem ſumi, multa enim non dicuntur propriè, quæ verè tamen dicuntur. Nec etiam impropriè ſub inobedientiæ nomine comprehenditur infidelitas. Quid enim magis ad inobedientiam referri debet, quam ſi quis diſcedat à verbo Dei, cor ab ejus præceptis avertat, & magis credat impoſturis Satanæ, quam veritati divinæ?

Patrum quæ afferuntur dicta, eodem modo debent explicari. Nam vel nihil aliud dicunt præter id, quod homo à Diabolo ad ambitionem & ſuperbiam fuit ſollicitatus, & primi parentes ſuperbia peccarunt, quod nemo noſtrum in dubium vocat. Sed totius tentationis ſeries, ut oſtendimus, docet Diabolum primò omnium, à verbo Dei hominem abducere conatum fuiſſe, atque occultum dubitationis venenum, cordi ejus primum inſpiraſſe, antequam vanam illam divinitatis opinionem inſtillaſſet. Sic Baſil. Homil. quod Deus non ſit autor peccati, *Serpens dolis hominem aggreſſus eadem ambitionis cupiditate, quam ipſe ab initio habuit, velle ſimilem eſſe Deo, rurſum uſus eſt ad nos decipiendos.* Hoc extra controverſiam eſt: ſed Baſilius non negat dolis Satanæ hominem fuiſſe adductum ut de verbi divini veritate dubitaret. Nec eſt ullus ex his quos citat patribus, qui de peccatorum ordine ita loquatur, ut pronunciet, primum actum peccati fuiſſe actum ſuperbiæ propriè dictæ. De Auguſtino tantùm dubitari poteſt, præſertim in verbis citatis ex lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 30. *Quomodo his verbis crederet mulier à bono*

atq; utili re divinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio, quæ fuerat per illam tentationem humilianda? Qui etiam generalem ſententiam pronunciat lib. 2. de peccat. merit. cap. 19. *Præcedit in voluntate hominis appetitus quidam propriæ poteſtatis, ut fiat inobediens per ſuperbiam.* Reſpondeo, in his locis Auguſtinum loqui, non de primo infidelitatis gradu, quo homo in dubium revocavit verbum Dei, qui gradus elationem illam animi antecedit, ſed de gradibus infidelitatis qui ſuperbiam ſequuntur, quando mens hominis magis ac magis obtenebratur, poſtquàm peccatum in animo concepit, etſi nondum planè pepererit. Id ita eſſe teſtatur, quod alibi Auguſtinus, lib. 14. de Civit. Dei cap. 17. *Si credentes Deo*, inquit, *& obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent?* Ubi infidelitatem inobedientiæ manifeſtè præponit. Quod ſi (ut vult adverſarius) inobedientia idem ſit quod ſuperbia propriè dicta, ſequitur infidelitatem ſuperbiam præceſſiſſe. Sed ubi habemus ordinem rei in Scriptura ſatis manifeſtum, non opus eſt ut hominum, qui ipſi in eo ſatis ſibi non conſtant, nos moveant judicia.

Ad rationes quas formant ut obtineant illam ſuam peccati genealogiam quod attinet, ſic primam earum Bellarminus concipit. Inter actus malos priores ſunt externi quam interni, tam circa objecta ſpiritualia quam ſenſibilia. Non potuit autem eſſe in homine cupiditas inordinata boni ſenſibilis, niſi primùm ipſe animus à Deo fuiſſet averſus; jam verò inter actus internos qui verſantur circa objecta ſpiritualia, prior eſt ille qui circa finem, quam qui circa media verſatur, nam media appetuntur ob finem, finis autem hominis, in malis, eſt excellentia propria, quæ proprium eſt objectum ſuperbiæ. Neceſſe eſt igitur ſuperbiam primum peccatum primorum parentum fuiſſe. Non ergo infidelitatem. Hæc ratio ex Thoma deſumpta eſt. Reſp. Veram eſſe majorem prioris ſyllogiſmi, imo etiam concluſionem quæ ex ea deduci poteſt. Si enim aſſumatur: At primus homo commiſit actum malum externum, id etiam verum erit. Si ſequatur concluſio, ergo præceſſit malum internum. Nihil verius, ſed quid tum? Proſyllogiſmi ſequentis, propoſitio major, inter actus internos circa objecta ſpiritualia prior eſt qui circa finem verſatur. Vera eſt, ſi finem ſpectemus in genere tanquam bonum aliquod, omnis enim actio ad bonum aliquod refertur. Sed de particulari aliquo fine id verum non eſt, prius enim de fine illo cogitandum eſt, an ſit necne, an bonum, priuſquam ad illum feramur. Quod ſi quis judicet hoc ſibi bonum eſſe & expetendum, ut propriam excellentiam appetat & ſe Dei poteſtati ſubtrahat, committit errorem contra fidem, priuſquam determinet ſuam voluntatem ad illum perſequendum. Ergo infidelitas non eſt conſideranda tanquam medium, ſed tanquam cauſſa ſuperbiæ; nec ſuperbia eſt propriè finis, ſed *propria excellentia* finis eſt, ad quem ſuperbia tendit, poſtquam per errorem circa fidem enata eſt. Nam ſi in fide homo non fluctuaſſet, appetitio propriæ excellentiæ vitioſa nunquam cor ejus ſubiiſſet.

2. Non potuit, inquiunt, mens primorum parentum divino lumine illuſtrata in errorem induci, niſi anteà per averſionem à Deo lumine illo fuiſſet deſtituta. Ergo infidelitatem præceſſit averſio à Deo & peccatum. Reſp. Infidelitatem ſumi pro radice infidelitatis, vel pro infidelitate confirmata. Secundam illam eſſe pœnam peccati, cum tollitur omne lumen ſpirituale intellectus, fatemur; at primum illum infidelitatis actum, ſequi primum peccatum negamus, cujus cauſſa eſt & pars. Quid eſt enim averſio à Deo quam averſio à Dei verbo, quando homines præſtigiis Satanæ à lumine verbi Dei ſe abduci paſſi ſunt?

3. Mater infidelitatis eſt ſuperbia, teſte Auguſt. lib. de paſt. cap. 8. Ergo ſuperbia infidelitatem præceſſit. Reſpod. Superbiam eſſe matrem infidelitatis completæ; at infidelitatem inchoatam eſſe matrem ſuperbiæ, & in moralibus nihil abſurdum eſt, ſi vitia ſe mutuò generent. Deinde, dici poſſet apud Auguſt. ſuperbiæ nomen ſumi in genere, pro quavis inobedientia, & ſic eſſe infidelitatis matrem.

4. In peccatis prior eſt converſio ad bonum creatum, quam averſio à bono increato, ſiquidem averſio nec bona eſt, nec appetibilis. At infidelitas eſt averſio à bono increato, ſuperbia eſt converſio ad bonum proprium, ergo hæc eſt illâ prior. Reſpond. Converſionem ad bonum creatum non poſſe eſſe ſine errore mentis, tale enim bonum judicatur præferendum. 2. Etſi averſio à Deo non ſit per ſe appetibilis ut loquitur, non poteſt tamen ab eo qui Deo adhærebat fieri converſio ad aliud, niſi per illam averſionem, & una non poteſt eſſe ſine alia; ſed in ordine terminus à quo, præcedit terminum ad quem.

Præterea, ut rationibus iſtis omnibus obviam eatur, & reliquis quæ eodem modo formari poſſent, 1. diſtinguendum eſt, inter electionem, & ſeductionem. Cum enim aliquis ſponte quid eligit, tum quidem de fine prius cogitat, poſteà verò de mediis ad finem. At cum quis ſeducitur, ſæpè contrarium accidit. Sic aliquis poteſt alium ad iter ſuum vel exemplo vel hortatione adſciſcere, cui poſtquàm viam ingreſſus eſt indicat finem. Ut Iſaac finem profectionis ſuæ ignorabat, Gen. 13. ad quam tamen promptus erat, quia à patre deducebatur, cui credere tutum putabat. Quid ſi tale quid acciderit Evę ut ſerpenti credere tanquam benevolo & benè conſulenti exiſtimaverit?

2. Diſtinguendum eſt etiam inter finem ſeducentis, & finem ſeducti. Finis ſeducentis erat mandati divini violatio, atque ita ad hanc primum ſollicitabat; Medium erat promiſſio ſapientiæ, quam ſubjungebat; Finis autem hominis, erat major excellentia, medium, neglectus verbi. Sed in ordine actuum, non tam conſidera-

ſideratur intentio finis, quam quid primum actum fuerit. Id autem primum egit homo, ad quod primò tentatus eſt. Fuit autem dubitatio & infidelitas tanquam finis tentationis. Ita Diabolus à ſuo fine initium fecit tentandi, & homo ab eodem, initium peccandi. Nec certè Adam ſibi etiam finē illum proponere potuit, à ſe ipſo, potius quam à Deo pendendi; niſi id antè conſtituiſſet apud ſe, beatius eſſe ut à ſe ipſo quam à Deo penderet; & conducibilius putaſſet, quod Diabolus ſuadebat, quam quod Deus præceperat.

Exceptiones, quibus Bellarminus vim argumentorum, quæ pro ſententia Lutheri & Calvini adducuntur, vult infringere, ſunt, 1. Satanam non ſolum ad infidelitatem, ſed etiam ad ſuperbiam conatum fuiſſe Evam adducere, itaque primò ad ſuperbiam deductam fuiſſe, poſteà demum Diabolo credidiſſe, & non credidiſſe Deo. *Reſp.* Verum eſſe ad utrumque fuiſſe tentatam, ſed textus Moſis tentationis ordinem ponit, quem adverſarius invertit.

Ad ſecundum reſpondet per inverſionem. Quia fides eſt origo juſtitiæ, ideò non eſſe infidelitatem originem, ſed finem injuſtitiæ, quia quod eſt in generatione primum, id in reſolutione eſt ultimum; unde eſt quod nunquam in Scripturis dicitur, *initium omnis peccati eſt infidelitas*, ſed *initium omnis peccati eſt cupiditas*, id eſt, amor ſui. Quam ad rem citat Apoſtolicum dictum 1. ad Tim. *6.* ℣. 10. Vis hujus argumenti, aut potius reſponſionis, in eo ſita eſt, quod cum fides ſit fundamentum juſtitiæ nobis fatentibus, fundamentum autem ultimo diruatur, ſic fides in deſtructione juſtitiæ, qualis eſt injuſtitia ultima aufertur. Videtur enim Bellarminus per *finem* intelligere nō id quod movet agentem, vel intenditur ab agente, ſed complementum ultimum rei alicujus, quum illa planè abſolvitur. Sic vult infidelitatem eſſe complementum injuſtitiæ, quia infidelitas eſt deſtructio fidei, quæ eſt fundamentum juſtitiæ. Sed mera cavillatio eſt. Cum enim dicimus fidem eſſe originem juſtitiæ, non intelligimus id, quomodo in rebus materialibus arte factis aut in rebus naturalibus, pars quædam prima incipitur, quam poſteà aliæ ſequuntur, aut cui ſuperſtruuntur, ita tamen ut ab invicem poſſint ſeparari. Sed in moralibus alia res eſt, præſertim in fide & juſtitia. Ita enim eſt origo juſtitiæ fides ejuſque fundamentum, ut etiam ſit ejus potiſſima pars, atque ita per omnes juſtitiæ actus permeet iiſque ſe immiſceat. Proinde non poteſt deſtrui juſtitia niſi primo deſtruatur fides, quæ velut anima eſt juſtitiæ. Id tamen verum eſt, pro ratione majoris vel minoris injuſtitiæ, fidem labefactari plus vel minus. Secundum autem Pontificios qui fidem eamque veram, putant ſine charitate poſſe ſubſiſtere, & ſine ullo bono opere, fides non deſtruitur per injuſtitiam, cum qua conſiſtit ſi iis ſit fides. Proinde ipſis non poteſt eſſe finis injuſtitiæ, deſtructio fidei. Argumentum autem noſtrum optimè procedit ex theoremate Logico, contrariorū ſunt contrariæ affectiones & contraria effecta. Fides & incredulitas ſunt contraria, ergo fidei & incredulitatis ſunt contrariæ affectiones & effecta contraria. Ut igitur ex fide procedunt omnis generis bona opera, ita ex incredulitate oriuntur omnis generis peccata.

Quod autem dicit nuſquam id in Scriptura habere, ex infidelitate omnia oriri peccata, in eo etiam fallitur, nam quoties Scriptura pronunciat infidelitatem eſſe peccatum illud capitale, quo manente, reliqua manent; quo ſublato, reliqua tolluntur; ſatis indicat infidelitatem eſſe omnis peccati matrem & cauſſam. Ebr. 11. ℣. *6.* *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Rom. 14. verſ. 73. *Quicquid non fit ex fide, peccatum eſt.* Joan. 16. ℣. 9. *Arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.*

Quod adverſarius probat, cupiditatem eſſe omnium malorum radicem, ex loco 1. ad Tim. *6.* ℣. 10. ut illud ad ſuperbiam referat, eſt mera loci detorſio, in quo manifeſtè agitur de φιλαργυρία, & textus evidenter probat. Hoc etiam agnovit Thomas in loci expoſitione, & ipſi Scholaſtici intelligunt *avaritiam* dici *radicem omnis peccati*, non quod ab ea omne peccatum ſumpſerit initium, ſed quia nullum eſt peccatum, quod ex cupiditate diteſcendi non poſſit conſequi, etſi id non ſemper fiat. Itaq; Vaſquéz in 1. 2. Tom. 1. Diſp. 136. quæſt. 84. cap. 2. fatetur, tam cupiditatem quam ſuperbiam, dici poſſe initium & radicem omnis peccati, hoc eſt cauſſam, ut principium non ſumatur pro principio durationis, ſed pro cauſſa. Cæterum cum hæc duo vitia dicuntur cauſſa reliquorum peccatorum, id non eſſe accipiendum ſtrictè, ut reliquorum omnium peccatorum ſint cauſſa; ſed quia hæc duo genera peccatorum ſunt cauſſa, ut permulta alia committantur. Hæc ille. Quibus oſtendit, Sophiſticè agere Bellarminum, & impertinens eſſe argumentum, quod ex eo deducitur ut probetur ſuperbiam & cupiditatem eſſe initium durationis, & alia omnia peccata anteceſſiſſe.

Ad 3. reſpondet, Initium ſuperbiæ in homine potuiſſe eſſe ſine ullo mentis errore præcedente, per ſolam incogitantiam, ſive inconſiderationem. *Reſp.* Solam incogitantiam hominem non potuiſſe in ſuperbiæ vitium præcipitare, & ipſa incogitantia principium eſt diſcedendi à Dei verbo, cui homo intimè debet adhærere. Prætereà, ſi incogitantia præceſſerit ſuperbiam, talis incogitantia in re tanti momenti non poteſt à peccato excuſari, & ita erit aliquod peccatum quod præceſſerit ſuperbiam, contra adverſarii ſcopum. Deinde fatetur, ipſos poſt auditum ſerpentem, volvere cœpiſſe intra ſe, *pulchrum eſſe non pendere ab alio.* Ad quid hoc aliud eſt quam error etiam in fide, ſi nempe id creaturæ applicetur, quod certè tum ab illis fiebat. Itaque manent argumenta, quibus probatum fuit initium omnium peccatorum fluxiſſe ab eo quod à verbo Dei deſciverunt primi parentes, & Satanæ crediderunt.

Id tamen quod initio diximus hic iterum repetimus, non eſſe quæſtionem propter quam vadimonium ſit deſe-

deſerendum; dummodo id apud omnes certum ſit, in peccato Adami & ſuperbiam & infidelitatem, & ingratitudinem concurriſſe, quæ pleraque etſi diſtingui poſſint & debeant in ſe, & ſæpè unum vitium aliud tempore antecedat, tamen aliquando ſimul ſunt,& eodem momento animam hominis invadunt. Non eſt enim novum ſi quædam vitia ſe mutuò ampleƈtantur, & ita ſe inſinuent animis, ut difficile ſit explicatui cui primas dare debeamus. Ipſe Bellarm. agnoſcit primos parentes ſimul volvere cœpiſſe, pulchrum eſſe ab alio non pendere, & cœpiſſe deleƈtari propria poteſtate, eamque appetere, ac vehementer placere ſibi. Quidni etiam ſimul potuerunt, & Dei verbo fidem derogare, & Satanæ credere, & ſibi ipſis placere, eamque excellentiam quæ ipſis non conveniret exoptare?

Quod exiſtimant noſtros hunc ordinem quo infidelitas alia peccata præcedit ideò urgere, ut tueantur dogma noſtrum, ſola infidelitate amitti gratiam Dei, falluntur maximè. Quia nemo noſtrorum dicit gratiam Dei amitti infidelitate, ſi id de gratia Dei juſtificante intelligatur, quam nunquam amitti cum Scriptura docemus,nec eum qui eâ donatus eſt in infidelitatem corruere poſſe cenſemus. Quomodo igitur tali uteremur argumento? Qui autem Lutherum ſequuntur, & gratiam ac fidem etiam amitti poſſe cenſent cum aliquis incidit in gravia peccata & ſcelera, quæ mortalia vocant, non poſſunt etiam docere ſola infidelitate amitti gratiam Dei, nec per conſequens ideo cenſere primum hominis peccatum fuiſſe infidelitatem. Scimus prætereà (quod etiam inter Pontificios nonnulli docent) differentiam eſſe maximam inter modum quo Adam fidem habuit, & quo nos habemus. Quia fidem habuit dependenter ab originali juſtitia, qua ſemel amiſſa per quodcumque peccatum, ſic fides etiam & omnes virtutes originales amiſſæ fuerunt. Nunc autem, fides eorum qui regeniti ſunt, ut nec juſtitia qua donati ſunt, per unum aƈtum peccati amittitur.

Quum autem inter omnes conſtet primos homines ſuperbia fuiſſe elatos, & in eo graviſſimè peccaſſe,non immeritò quæſitum fuit, quænam fuerit eorum ſuperbia; in quo propriè ſita fuerit, & quid illud ſit quod appetiverunt? Quidam voluerunt eo proceſſiſſe ſuperbiam eorum, ut homo propriè atque expreſſè divinitatem appetiverit, ac Deus eſſe voluerit. Auguſt. certè, aut quiſquis fuit autor ſermonis 25. de Tempore cap. 3. ſic homini loquitur; *Tu cum eſſes homo, Deus eſſe voluiſti*, quod opponit humilitati Chriſti, *ille cum eſſet Deus, homo eſſe voluit*. Quæ antitheſis hoc poſtulare videtur, ut ſicut Deus verè & propriè homo eſſe voluit, ita ſignificetur hominem verè & propriè Deum eſſe voluiſſe. Idem expoſ. in Pſal. 68. ad illud, *quæ non rapui tunc exolvebam*, dicit *primos parentes voluiſſe rapere divinitatem*. Quod etiam alii plerique veterum patrum, eodem modo, dicere ſolent.

Non tamen inde colligendum eſt, autores illos voluiſſe, hominem expetiviſſe æqualitatem Dei in eſſentia, quod etiam verba Moſis non inſinuant. Non autem adſcribenda eſt homini major ſuperbia, quam ea ad quam legitur à Diabolo per ſerpentem fuiſſe tentatus. Serpens autem non dixit *eritis dii*, ſed *eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum*. Non ergo tentando promiſit divinitatem per eſſentiam, ſed per ſimilitudinem.

Reƈtè igitur ſentire videntur, qui in eo ſitam fuiſſe dicunt primam illam ſuperbiam, quod voluerint eſſe *ſicut dii*, id eſt, Dei quandam ſimilitudinem appetiverint, non quidem qualemcunque, nam eſt aliquis appetitus divinæ ſimilitudinis laudabilis, qualis eſt eorum qui nituntur Deo ſimiles eſſe per imitationem virtutum: ſed vitioſus eſt talis ſimilitudinis appetitus & ſuperbus, quo homo ſuæ voluit eſſe poteſtatis, & non ſubjici voluntati Dei: ita ut, ſicut Deus omnium habet ſcientiam, nec indiget reƈtore, nec cujuſquam ſubditus eſt poteſtati, ſic expetiverint ut ipſi omnia ſcirent, nec cujuſquam ſubditi eſſent poteſtati, nec ab ullo regerentur, ſed à ſe independenter, & ſuo jure atque arbitrio viverent. Qui hoc volunt, non propterea appetunt direƈtè divinitatem, id eſt, eſſentiam divinam; Appetunt quidem divinam proprietatem, quæ eſt ſui juris & poteſtatis eſſe, nullumque habere ſuperiorem; ideoque dicuntur ipſam divinitatem appetere, interpretativè nempe, & ex conſequenti; quomodo intelligenda ſunt diƈta veterum ſupra allata, *hominem voluiſſe eſſe Deum* interpretativè nempe, & conſequutivè, propter appetitum illum ſimilitudinis divinæ, id eſt, ejus excellentiæ quæ non poteſt niſi in ſolo Deo reperiri. Qua ratione, & divinitatem, & Dei æqualitatem, appetiviſſe & rapere voluiſſe homines, non incongruenter dicitur. Quia hæc ſunt Deo propria. Hujus ſuperbiæ ſemina in humano genere reliƈta eſſe ex primo illo peccato, dubium non eſt; ut videtur apud illos qui ſuam volentes ſtatuere juſtitiam, Dei juſtitiæ non fiunt ſubjeƈti. Qualis fuit ſuperbia Philoſophorum, Phariſæorum, Pelagianorum, & eorum hodiè, qui magno conatu hoc agunt, ut ſalutem ſuam non aliundè quam à ſuo ipſorum arbitrio pendere, & gratiæ omnem efficacitatem ab ipſis eſſe, & ipſi credant, & aliis perſuadeant. Quam væſaniam ſignificavit Dominus parabola filii luxurioſi, qui reliƈto Patre, ſui juris eſſe voluit. Sed nemo magis imitatur ſuperbiam Adami & Evæ, quam Pontifex Romanus, qui ſe extollit ſupra id omne quod dicitur Deus, ſibi omnem ſcientiam vendicat,ſe omnium controverſiarum infallibilem judicem conſtituit, & ea omnia ſibi ſacrilegè tribuit, quæ ſunt Deo propria. Proinde etſi dicat ſe ſervum Dei, imò ſervum ſervorum Dei; tamen ex iis quæ affeƈtat & ſibi tribuit, merito accuſatur à nobis quod homo cum ſit, imò homo peccati, tamen divinitatem ad ſe rapiat. Quod etſi direƈtè neget, tamen ſatis alioqui profitetur; ſed, ut loquuntur ipſi Scholaſtici, *interpretativè & conſecutivè*.

Exer-

Exercitatio XXXIII.

Expenditur axioma, neceſſe eſſe eum qui peccat, in eo quod peccat, errare. Argumenta ſecus ſentientium Affirmantium rationes. Reſpondetur argumentis negantium. Diſquiritur quomodo in peccatum labi potuerit homo in innocentia & juſtitia à Deo creatus? Differentia inter voluntatem immutabilem & mutabilem. Non datur peccati cauſſa efficiens, ſed deficiens. Excutitur ſententia Thomæ de primo peccato. Solvitur difficultas, & ſiſtitur humana curioſitas. Abſtergitur Bellarm. calumnia. Exponitur locus 1 Tim. 1. verſ. 9. Varii legis fines diſtinguuntur.

ET hæc quidem de peccato Protoplaſtorum, ratione ordinis & ſpeciei. Sed non levis oritur difficultas ex conſideratione originalis juſtitiæ de qua anteà actum eſt, & modi quo peccatum ſolet in homine formari & produci, quia ſtante originali juſtitia nullus peccato poteſt eſſe locus, amiſſio autem juſtitiæ illius ex peccato eſt. Cauſſa difficultatis ab eo maximè pendet quod ſupra inſinuavimus; errorem in mente, præcedere voluntatis errorem in peccando; error autem in mente Adami aut Evæ, nondum corrupta voluntate, aut affectibus puris exiſtentibus, quomodo locum habere potuerit, non ſatis percipitur.

Igitur id primo videndum eſt, an axioma illud verum ſit, neceſſe eſſe eum qui peccat, in eo quod peccat, errare; errore nimirum falſi judicii, quo judicat hoc eſſe nunc eligendum atque agendum, quod judicium dicitur practicum. Sunt qui ut difficultatem propoſitam vitent, de peccato tam Angelorum quam primorum hominum, negant eſſe neceſſarium ut judicium practicum erroneum præcedat in peccato, vel electionem, vel exercitium voluntatis, & in ea quam agimus cauſſa, etſi fateantur primos parentes intelligere debuiſſe id ad quod per peccatum animos ſuos traduxerunt, nullum tamen judicium practicum fuiſſe neceſſarium, ut Eva propoſitis à ſerpente liberè aſſentiretur. Quamvis enim intellectus ſpeculativè judicet, ex duobus unum turpe & honeſtum aliud; illud fugiendum, hoc ſequendum; attamen voluntas turpe poterit amplecti, non quidem ſub ratione turpitudinis, ſed cujuſdam efficta delectationis, utilitatis, vel honeſtatis, quod in iis conſtat qui aliquando contra propriam conſcientiam faciunt, juxta illud Medeæ, *video meliora proboque, deteriora ſequor.* Ex quibus illi concludunt, voluntatem tam quoad exercitium, quam quoad ſpeciem actus, etiam poſt judicium intellectus practicum, manere indeterminatam, ut illud vel recipiat vel reſpuat.

Rationes eorum præcipuæ ſunt, 1. quæ facultas omnium potentiarum & ipſius intellectus eſt domina, ei imperat, non ſolum ut cogitet, intelligat & ratiocinetur, verum etiam ut aſſentiatur; ea poterit etiamſi intellectus judicet de facto aliquo particulari, & omnibus ejus circumſtantiis, ex ſua libertate & dominio, quod habet ſupra intellectum, eligere quippiam, idque faciendum imperare contra dictamen rationis. At voluntas talis eſt, quæ omnibus potentiis & ipſi intellectui dominatur, ergo.

2. Voluntas comparatur regi, intellectus conſiliariis: atqui Rex poſt auditas ſenatorum ſententias, poteſt aſſentiri & non aſſentiri, pro ſuo jure: ergo voluntas poteſt intellectu non errante, ad malum ſe ſua innata libertate flectere.

3. Si aliqui peccant contra conſcientiam, ergo non omnis peccans errat. At ſunt qui peccent contra conſcientiam: ergo. Connexum majoris probatur, quia is dicitur peccare contra conſcientiam qui agit contra judicium practici intellectus, de aliqua re in particulari hic & nunc facienda, vel non facienda.

4. Si ſufficiat ad electionem voluntatis, ut ratio ei proponat aliquid tanquam delectabile, vel utile, & in eo non errat, etiamſi quod proponitur non ſit honeſtum, nec ſimpliciter bonum; ergo peccatum non ſimpliciter ponit errorem in ratione practica. At id ſufficit ad electionem voluntatis: ergo &c.

5. Si quis ſibi poteſt dicendum imperare, quod certo novit eſſe falſum, & de quo in particulari nullo modo errat; ergo eadem ratione quis poteſt ſibi faciendum imperare, quod certiſſimè novit eſſe malum; & de quo ut particulari agibili, nullo modo errat. Prius autem eſt poſſibile, ergo & poſterius.

6. Auguſt. in Pſal. 118. concione 8. *Prævolat inquit intellectus, & ſequitur tardus aut nullus effectus.* Ergo ſecundum Auguſt. voluntas non pendet à practico rationis judicio.

Ex his quidam Scholaſtici olim, & hoc tempore omnes qui Pelagianorum & Semipelagianorum dogmata recudunt, contendunt, voluntatem ſemper manere in ſua poteſtate eligendi contrarium, quicquid ratio practica dijudicet. ita ut voluntas poſſit ferri in malum, ſub ratione mali.

Contra ſaniores Scholaſtici, ut Thomas & qui eum ſequuntur, rectè docent, omnium humanorum actuum principium eſſe rationem, & illud Socratis, *præſente ſcientia non peccari*, verum eſſe, ſi ſcientia extendatur ad uſum rectæ rationis in particulari quod eligendum proponitur. Ideò Thomas 1,2, quæſt. 77. artic. 2. dicit Socratem, ponentem omnes virtutes eſſe ſcientias, & omnia peccata ignorantias, eatenus rectè ſenſiſſe, quia cum voluntas ſit boni, vel verè, vel apparenter, nunquam ipſa in malum moveretur, niſi id quod verè non eſt

eſt bonum, aliquatenus bonum appareret, unde infert voluntatem nunquam in malum tendere poſſe, niſi cum aliqua ignorantia vel errore rationis, atque ad id ſæpè citat quod dicitur Proverb. 14. ℣. 22. *Errant qui operantur malum.*

Inde eſt quod in ſumma contra Gentiles, lib. 1. c. 95. ex eo probat, Deum non poſſe peccatum velle, quia peccatum non eſt ſine errore circa objectum, ſaltem in particulari. Error autem in Deum cadere non poteſt.

Id anteà viderat Ariſtot. qui libro Ethic. 3. cap. 1. ſic ait, ἀγνοεῖ μὲν οὖν πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν, καὶ ὧν ἀφεκτέον, καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται. id eſt, *Ac ignorat quidem improbus omnis, quæ facienda ſunt, quæque fugienda: injuſtique & omnino mali ex eo errore naſcuntur.* Neſciunt autem pravi, quæ facienda ſunt aut fugienda, quia decipiuntur ſuis cupiditatibus, propter quas ita falluntur ut verè jucunda, verè utilia, & è diverſo verè triſtia, vereque damnoſa, non intelligant. Sunt itaque judicio corrupti, & finis naturam propter quam operantur ignorant. Idem Philoſophus lib. 6. Ethic. cap. 15. contendit non poſſe eſſe peccatum, exiſtente recta prudentia in particulari, quia ubi eſt recta ſcientia, ibi eſt virtus. Ipſa Scriptura, quæ nobis credendi regulam figit, paſſim inculcat eos qui peccant non intelligere ea quæ agunt, eoſque *cæcos* appellat. Jerem. 12. v. 11. *Deſolatione deſolata eſt terra, quia non eſt qui recogitet corde.* Idem habetur Eſai. 57. v. 1. Ideò petit Pſal. 13. v. 4. *Illumina oculos meos, ne unquam obeam in morte.* quia ſciebat ſomnum peccati, qui mors eſt, non aliunde provenire niſi ex tenebris intellectus. Id experimento compertum in nobis quoties peccamus: nam ſi quis attrahitur à delectabili, nec recta ratio impedit voluntatis affectum, ita ſe habet intellectus, ut rationem delectabilis in peccato efficacius, & penitius conſideret, rationes autem retrahentes à peccato, levius cogitet, & expendat.

Idem docet Auguſt. lib. 2. *de peccat. meritis & remiſſione* cap. 17. ubi cum quæſiviſſet, quare homines non ſint ſine peccato, & dixiſſet ſe recte poſſe reſpondere, *quia nolunt*, ſubjungit hæc verba; *Sed ſi ex me quæritur quare nolunt, imus in longum.* Et paulò poſt. *Nolunt homines, ſive quia latet quod juſtum eſt, ſive quia non delectat. Tanto enim quicquam vehementius volumus, quanto certius quam bonum ſit novimus, eoque delectamur.* Ubi agnoſcit defectum voluntatis in cor ſenſu ortum habere ex defectu delectationis ex re propoſita: delectationem autem oſtendit deficere, quia latet id, quod bonum eſt, non completa ignorantia, ſed levi cogitatione. Poſteà enim reddit cauſſam cur aliquid magis delectet, nempe quia vehementius conſideratur, in hac enim cogitatione efficaci & vehemente, quæ facit ut in operibus bonis velimus, gratiam ſpecialem agnoſcit Auguſt. quam eodem lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 19. vocavit certam ſcientiam, delectationem autem, quæ inde naſcitur, victricem, quia facit ut vincamus peccatum. Et idem in illud Pſal. 62. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*, inquit, *illuminat enim Chriſtus animas, & facit eas vigilare, ſi autem lumen ſuum detrahat, obdormiunt*, nempe in peccato; in cujus rei confirmationem adducit quod citatum eſt ex Pſal. 13. Sentit ergo cauſſam ſomni peccati, eſſe tenebras intellectus. Lib. autem de Prædeſt. & grat. cap. 4. *Obdurare*, inquit, *dicitur Deus, quem mollire noluerit; excæcare, quem illuminare noluerit.* Conſtat autem eum qui obduratur à Deo, ſimul etiam excæcari; quod enim eſt in voluntate obduratio, id eſt, in intellectu excæcatio: atqui omnis qui peccat obduratur, ergo omnis qui peccat excæcatur. Nondum autem quærimus, an voluntas moveatur neceſſariò à cogitatione illa, qua intellectus efficacius proponit delectabile, ſufficit quod talis intellectus cogitatio in eo qui peccat ſemper præcedat, quod etiam agnoſcunt plurimi ex iis, qui cenſent, manere adhuc libertatem voluntatis ad exercitium; quæ res eſt alterius conſiderationis.

Huc facit, quod Scripturæ ſæpè peccata errores appellent, Pſal. 58. ℣. 4. *Erraverunt ab utero*, id eſt, *peccarunt.* Pſal. 119. ℣. 110. *de mandatis tuis non erravi*, id eſt, *non peccavi.* Eſai. 53. ℣. 6. *Omnes nos tanquam oves erravimus*, id eſt, *peccavimus.* Jacob. 5. ℣. 19. *Si quis ex vobis erraverit*, id eſt, *peccaverit.* Rom. 3. *Non eſt intelligens*, ubi poſteà addit, *omnes peccaverunt.* Proptereà in Scripturis homines juſti, paſſim *ſapientes* appellantur; injuſti contrà, *inſipientes* & *ſtulti.*

Idem probatur ex cap. 23. Lucæ, v. 34. ubi Dominus pro ſuis inimicis orans dicebat, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Nam licet pro electis tantum precatus ſit, ut teſtatur ipſe Joan. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo* &c. non tamen pro iis ſolum qui ex ignorantia, vel facti, vel juris, peccabant; ſed etiam pro multis, qui neque jus neque factum ignorabant, ſed vindictæ appetitu, aut invidia & aliis malis affectibus ducti, in particulari determinatione judicii practici, errabant; quales fuerunt multi ex principibus, de quibus Petrus Act. 3. v. 17. dicit, *ſcio quod per ignorantiam feciſtis ſicut & Principes veſtri.* Itaque de omnibus peccatoribus dici poteſt, quod in libro Judicum aliquoties, de iis qui vivebant ſine Rege & lege, repetitur; *Vnuſquiſque quod ſibi bonum videbatur hoc faciebat.* Semper enim falluntur peccatores circa bonum apparens.

Rationes etiam ſunt efficaces ad id probandum. 1. Objectum voluntatis bonum eſſe apud omnes conſtat. Ergo niſi aliquid voluntati ab intellectu tanquam bonum objiciatur, non poterit voluntas appetendo in illud ferri. Cum ergo voluntas peccando fertur in id quod in ſe malum eſt, neceſſarium eſt, ut anteà ab intellectu judicatum fuerit bonum, quod fieri non potuit, niſi per errorem.

2. Voluntas eſt appetitus rationalis, ergo non poteſt eligere, niſi quod ratio judicaverit eligendum. Si enim poteſt aliud eligere contra rationis judicium, tum electio non erit rationalis, ſed planè temeraria & cæca. Unde ſequitur, nunquam voluntatem peccare in eligendo, quin priùs ratio aberraverit in judicando.

3. Si peccatum poſſit conſiſtere cum judicio omnino recto, ſequetur hominem eſſe poſſe ſimul prudentiſſimum, & moribus corruptiſſimum. Atque ita prudentia à reliquis omnibus virtutibus erit ſeparata, contra Moralis philoſophiæ regulas communes & confeſſas, quæ virtutes omnes cum prudentia connectunt, ut videre eſt apud Ariſt. Ethic. lib. 6.

Ex quibus omnibus liquet, omnem eum qui peccat, in eo quod peccat, ex falſo rationis dictamine, in peccatum incidere; Itaque ſi voluntas ſequatur judicium contrarium, & minus bonum majori præferat, nunquam id faciet tanquam planè rationi contrarium, neque tanquam ſibi minus bonum, omnibus perpenſis. Imò ſi, quod volunt nonnulli, exercendæ libertatis gratia, id quod malum eſſe novit eligat potius quam bonum; id tamen ita fiet, quia majus bonum exiſtimabit eſſe ex intellectus practico judicio, ſic ſuam libertatem exercere.

Hoc cum ita ſit, ſupereſt ut ad argumenta contrariæ ſententiæ initio propoſita, reſpondeamus. Ad primum, Reſp. Verum non eſſe, voluntatem eſſe ita intellectus dominam, ut poſſit ei imperare, niſi prius intellectus id voluntati dictaverit, ut ipſi imperet, & calculo ſuo comprobet quod ipſa facit. Alioquin enim, cum ſit rationalis appetitus, niſi intellectus judicium præceſſiſſet, id non poſſet imperare cum ratione. Imperium ergo, magis propriè ſpectat ad intellectum, tanquam præcipuam animæ potentiam, quam ad voluntatem. Nec verum eſt etiam quod ſupponunt, naturalem libertatem voluntatis exigere, ut ſtante judicio rationis practicæ, voluntas poſſit diverſum eligere, ab eo quod judicatum eſt ultimo: ſed ſufficit, ut poſſit diverſa eligere, quatenus ratio poteſt diverſa proponere, quia libertas, originaliter, dependet ab intellectu.

Ad ſecundum Reſpond. comparationem Regis & Senatorum, eo uſque valere, ut concedamus, locum eam habere, ubi in rationis judicio conſideratur tantum, ſcientia univerſalis boni vel mali, ut nullum malum eſſe eligendum, nihil injuſtum faciendum, nullum adulterium committendum, &c. Item iſtarum propoſitionum in habituali judicio, hoc adulterium, hoc perjurium, &c. eſt vitandum. Cum enim non ultrà procedit intellectus, tum adhuc voluntas poteſt non elicere actum ſuum, & ſe non determinare ad hoc vel illud, quia non eſt ultimum judicium practicum. Tum enim voluntas, aliquo contrario habitu aut paſſione ad contrarium propenſa, exigit à ratione aliud judicium, nec tamen unquam ſe determinat, ne quidem ut id exigat, niſi præeunte judicio quodam practico intellectus, cui voluntas paret, antequam ipſa jubeat.

Ad tertium de peccantibus contra conſcientiam, dicimus non ſequi, in iis non præcedere aliquem mentis errorem. Peccant quidem contra conſcientiam, qui ſcientiam habent ſeu opinionem facto ſuo contrariam, id eſt, qui ſciunt vel exiſtimant malū eſſe quod faciunt: ſive id judicent in univerſali propoſitione, ſive, in particulari quoad hunc actum, & judicio habituali; & in eo non errat intellectus, quando conſcientia malum judicat quod verè malum eſt. Sed illud judicium, etſi practicum, ultimum non eſt; ſed illud quo intellectus judicat, id etſi malum ſit, tamen bonum eſſe hic & nunc fieri, in quo qui antea non erraverat, errat in actuali judicio, de quo in hac quæſtione loquimur. Quod quidem judicium etſi erroneum, non eſt tamen de licito, ſed de faciendo, ſive licitum judicet, ſive non. Proinde non eſt judicium ſemper quod impingat in fidei articulos, quia manet cognitio habitualis veri & boni; ſed rationis judicio perturbato, propter paſſionis vehementiam, vel perverſum habitum, judicat in particulari agendo, cum errore.

Ad quartum, Reſpond. Negare nos, ſufficere ad voluntatis electionem ut aliquid ei proponatur tanquam utile aut delectabile: ſed oportere prætereà rationem omnino & præciſè judicare id eſſe eligendum. In quo judicio error conſiſtit, ſi quod judicat faciendum, ſit contra legem Dei.

Ad quintum, Negamus aſſumptionem. Qui enim imperat ſibi, ut aliquid dicat quod novit eſſe falſum, is illud dicere eligit, & etiam exequitur, tanquam bonum quoddam, à ratione errante propoſitum. Quod accidit iis qui mentiuntur, qui etſi ſciant ſe mentiri; id tamen faciunt tanquam ſibi ipſis utile, & commodum. In eo igitur errant, etſi non errent in eo, quod falſum eſſe illud dictum judicant. Sic errat in particulari agibili, qui hic & nunc judicat eſſe faciendum, quod in habitu vel in genere, novit eſſe malum. Eſt tamen differentia inter judicium de vero & falſo, & judicium de bono & malo. Nam qui falſum dicit ſciens, nunquam poteſt dicere falſum ſub ratione veri, ſed tantum judicat, ſibi bonum eſſe falſum dicere. Sed qui malum facit, quod in genere & habitu novit eſſe malum, is poteſt malum illud, alia ratione apprehendere tanquam bonum. Idcirco rectè etiam negatur connexum majoris, quia non ſunt paria quæ comparantur.

Quod affertur ex Auguſtino, non repugnat huic doctrinæ. Hoc enim tantùm ille vult, eſſe quoſdam qui peccant, non ex ignorantia, ſed ex certa ſcientia. Nihilominus eos qui ita peccant per errorem intellectus peccare ſupra oſtendimus. Quando igitur in bonis prævolat intellectus, & nullus aut tardus ſequitur effectus, id fit, quia judicium illud intellectus de bono, vel practicum non fuit, vel ſaltem ultimum. Hinc eſt quod non ſequatur effectus bonus, ſed contrarius.

Hoc

Hoc fundamento ſubſtrato, quum ex dictis ſuprà manifeſtum ſit, hominem primum in innocentia & juſtitia à Deo creatum in peccatum incidiſſe, qua ratione id fieri potuit inveſtigandum ſupereſt, & unde fuerit in homine origo peccati, diſquirendum.

Id primum notandum occurrit, quum peccare nihil aliud ſit quam declinare à rectitudine actus quam agens debet habere, ſive peccatum intelligatur in naturalibus, ſive in artificialibus, ſive in moralibus, & ſolum eum actum declinare non contingat, cujus regula eſt ipſa virtus agentis (quod ſoli competit Deo, cujus ſola divina voluntas eſt regula ſui actus, quia non ordinatur ad finem ſuperiorem) ſatis ex eo clarum eſt, in ſola divina voluntate peccatum eſſe non poſſe, in cæteris autem poſſe, ſi ſecundum conditionem naturæ ſuæ ſpectentur.

Omnis enim natura creata, quatenus creata eſt, id eſt ex nihilo facta, non poteſt eſſe ſummè bona, ſed imperfectè & ſola tantùm participatione, ideoq; deficere poteſt ab ea bonitate quam habet; & irrationalis quidem natura deficere poteſt, per actiones vel paſſiones ſuo bono contrarias: Rationalis autem qua rationalis, non niſi per actum propriæ voluntatis, quæ non eſt ſui juris, ut voluntas divina; voluntas enim cujuſcumque creaturæ rectitudinem in ſuo actu non habet, niſi quatenus ſequitur regulam voluntatis divinæ.

Quum autem malum, non ſit niſi defectus quidam & privatio boni, patet ejus non eſſe cauſam aliquam propriè efficientem, ſed deficientem. Nam homo, exempli gratia, deficiens ab eo quod bonum eſt, non rem aliquam acquirit, ſed bonum aliquod amittit, atque in ejus defectum & privationem incurrit. Quia quærens bonum, ſed in ejus proſecutione, non utens ordine legibus divinis præſcripto, deficit à bonitate. Quod deficere, peccare eſt. Idcirco Auguſt. lib. I. contra Jul. cap. ult. optimè docet, mali, hoc eſt peccati, originem, eſſe non poſſe niſi ex bono, ſed eo imperfecto & defectibili, id eſt ex voluntate creaturæ intellectualis. Quærenti itaq; cauſſam & ordinem peccati in homine, vel omnino in intellectuali creatura, planè reſpondendum eſt, nullam aliam eſſe quam voluntatem ipſius, in operatione ſua deficientem.

Difficultas magna non eſt, in aſſignanda origine peccatorum hominis, poſt lapſum Adami; Apertè enim conſtat oriri ex concupiſcentia prava, quam *fomitem* vocant, cum qua omnes naſcimur, vel ex immoderata paſſione, vel ex ignorantia rerum agendarum: At cum neque in Angelo, neque in homine primo, fuerit locus errori aut ignorantiæ agendorum, ſive in univerſali, ſive in particulari, priuſquam peccarent; ne, quod erat contra Dei ordinationem, prius eſſent miſeri quam mali, oritur inde ardua quæſtio, quomodo voluntas primorum hominum deficere, in ſua actione, atque ita peccare potuerit, ſi verum eſt quod ſupra docuimus, omnem eum qui peccat, in eo quod peccat errare, nec poſſit eſſe ullum peccatum ſine errore aliquo, aut ignorantia in intellectu?

Huic difficultati ut reſpondeat Thomas I. q. 63. artic. 2. ad. 4. docet dupliciter contingere peccatum in actu liberi arbitrii; uno modo quia malum aliquod eligitur; ac tale peccatum dicit ſemper procedere ex aliqua ignorantia vel errore. Alio modo, dum eligitur aliquid quod ſecundum ſe bonum eſt, ſed non cum ordine debitæ menſuræ aut regulæ. Primum modum vocant aliter *peccatum commiſſionis*; ſecundum *omiſſionis*. Secundum autem hoc, vult non præexigere ignorantiam aut errorem in intellectu, ſed ſolùm abſentiam conſiderationis eorum quæ conſiderari debent. Sic exiſtimat primùm Angelos peccaſſe. Idem judicium facit de primo hominis peccato, ad quod referunt quod habetur Pſal. 49.℣.21. ſecundum Vulgatam, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.*

Quum autem ſectatores Thomæ viderent, hanc reſponſionem non convenire cum eo quod toties alibi docuit, omne peccatum eſſe cum ignorantia, Cajetanus ibidem admonet, in hac generali doctrina, quæ tradit omne peccatum eſſe cum ignorantia, nomen ignorantiæ extendi ad actualem inconſiderationem, ejus quod in actione conſiderandum eſt. Et ipſe Thomas, I. 2. q. 6. art. 8. vocat ignorantiam malæ electionis, cum quis actu non conſiderat, quod poteſt & debet conſiderare.

Sed contra hanc reſponſionem objici poteſt, ejuſmodi *inconſiderationem*, verè eſſe actualem ignorantiam & mentis errorem, proinde non opus eſſe, ut extendatur vox ignorantiæ, ad talem inconſiderationem comprehendendam, quæ ſub ejus propria ſignificatione continetur. Antecedens probatur, quia talis inconſideratio ejus quod debet conſiderari, eſt abſentia actualis conſiderationis (ut vult ipſe Thomas) eſt autem actualis conſideratio, actualis cognitio, cujus proinde abſentia, eſt privatio cognitionis hujuſmodi, quæ eſt definitio ignorantiæ. Auget difficultatem, quod illa *inconſideratio*, ſive Angeli ſive hominis, non ſolum convincitur eſſe *ignorantia*, ſed etiam videtur verè eſſe *peccatum*; ſi enim talis conſideratio aberat, quæ tamen eſſe debebat, quia ponitur eſſe ejus quod debebat conſiderari, ſequitur abſentiam conſiderationis peccatum eſſe; ſicut nobis peccatum eſt abſentia actualis attentionis, ejus rei ad quam attendere poſſumus, & debemus. Unde iſtiuſmodi inconſideratio, etiam à Thoma, vocatur *defectus intentionis*. Qui etiam, I. 2. q. 76. artic. 2. ad. 3. apertè pronunciat, ipſam *inconſiderationem* eſſe *peccatum*, Et alibi eandem ponit inter vitia, facitq; ſpeciem *imprudentiæ*, quatenus eſt defectus judicii. Idem confirmatur ex eo, quod omnis ignorantia ejus quod ſciri debet & poteſt, eſt peccatum; Nam ſi *inconſideratio* (ut oſtendimus) ſit talis ignorantia, conſequitur eſſe *peccatum*.

Id præſentem difficultatem auget maximè, quod ſive

 pona-

ponamus talem inconſiderationem in primorum hominum peccato, ſive non; illud tamen ex eo quod anteà docuimus, negari poſſe non videtur, actum, nempe, illum voluntatis, qui fuit primum peccatum, imperatum fuiſſe ab intellectu practico, judicante illum actum tunc faciendum eſſe. Tale autem judicium maximè erroneum fuiſſe, negari non poteſt. Quamobrem neceſſe eſt, non qualemcumque ignorantiam, ſed errorem agnoſcere, etiam in primo hominis peccato. Et Thomas ipſe, ſcribens in diſt. 5. lib. 2. ſent. quæſt. 1. artic. 1. in Angelis peccantibus agnoſcit errorem electionis. Id etiam neceſſario ſequitur ex eo, quod ſupra probavimus, omnem peccantē in eo quod peccat errare, & non tantùm aliquo modo ignorare; itaque ignorantia illa ſecundum quam omnis qui peccat ignorat, ab ipſo Thoma, modo *deceptio*, modo *error* appellatur. Quid, ſi quod volunt etiam nonnulli Scholaſtici, in omni peccato, præter judicium illud rationis, quo talis actus judicatur faciendus, requiritur inſuper imperium, tanquam actus ejuſdem rationis ab illo judicio diverſus, quo ratio efficaciter imperet voluntati actum quem judicavit faciendum? Certè tunc ſequeretur non poſſe eſſe peccatum in voluntate, niſi dupliciter peccet intellectus, nempe falſo judicio, & iniquo imperio. Sed rectiùs judicant qui cenſent, imperium illud efficax, quod inter alios, requiritur à Cajetano ad electionem voluntatis, non aliud eſſe quam ultimum, & ut loquuntur, *particulariſſimum* judicium practicum, quo actus particularis, hic & nunc, judicatur, dictatur, & decernitur faciendus. Nihil enim præter hoc judicium requiritur, ut actus voluntatis conſequatur.

Sunt, qui ut explicent difficultatem propoſitam, videntur docere, in peccato actum voluntatis præcedere judicium intellectus, & intellectum à voluntate determinari ad judicandum alterum oppoſitorum eſſe faciendum. Sed nullo modo comprehendi poteſt, quî fieri poſſit ut voluntas determinet intellectum ad judicandum & imperandum actum aliquem, ſi omnem voluntatis electionem prius, ſaltem naturâ, debet præcedere judicium rationis, quo ipſa voluntatis electio imperatur. Idcirco multo probabilior eſt reſponſio, ſi dicamus, illam ſive ignorantiam, ſive inconſiderationem, ſive errorem, ſecundum quem omnis peccans ignorat & errat, non eſſe propriè cauſſam peccati, nec peccatum formatum per ſe, ſed potius *aliquid* vel *initium* peccati. Homo enim eo ipſo quod ratio pravè judicat, peccat *inchoativè*, & in eo quod voluntas malè eligit, peccat *conſummativè* aut *completivè*. Itaque in omni peccato, conſiderandæ ſunt duæ illæ partes quibus conſtat & abſolvitur aut conſummatur, falſo nempe judicio, & electione mala; quorum utrumque fit liberè ſuo quodam modo, quia radix ſeu origo libertatis in intellectu eſt, terminus autem & perfectio in voluntate. Sicut igitur actus intellectus, non eſt ſeparandus ab actu voluntatis (eſt enim ille quaſi de hujus ratione) ita error judicii non eſt ſeparandus à peccato, ſed in plena ejus ratione includitur. Et quamvis error judicii, naturâ prior ſit mala electione voluntatis, tempore tamen ſimul eſt. Itaque quoad actum internum pertinet, in inſtanti conſummatur totum peccatum.

Ex his poteſt propoſita difficultas ſolvi. Hoc enim poſito, in primo peccato fuiſſe *inconſiderationem*, eamque *propriè dictam* fuiſſe *ignorantiam*. Item, in eodem peccato fuiſſe errorem judicii; non tamen ſequitur, in Angelo, vel in homine fuiſſe locum errori aut ignorantiæ priuſquam peccarent, vel eos fuiſſe miſeros priuſquam malos, quia iſta vel inconſideratio, vel ignorantia, vel error, quocumq; nomine appelletur, non præceſſit peccatum, ſed fuit aliquid peccati, fuitque actus vel potius defectus voluntarius, ac proinde culpabilis, & ſuo modo peccatum, id eſt inchoativè, ideoque per eum, non ſolum miſera ſed etiam mala facta eſt intellectualis creatura, atque ideò miſera, quia mala.

Hæc ſufficere debent ad quæſtionem, in qua ut in aliis ſimilibus, cenſemus curioſitati humanæ non eſſe laxanda fræna. Alioquin enim interrogationum nuſquam eſſet finis. Primos homines juſtos fuiſſe creatos extra dubium ſit; mutabiles tamen fuiſſe factos apud omnes conſtet. Mutationem in malum, à Diabolo fuiſſe ſuggeſtam, ab homine imprudenter nimis, ſuo & noſtro malo, fuiſſe ſuſceptam, experientia ſatis nos docet. Hominem fuiſſe deceptum Scriptura teſtatur; ſpem potioris conditionis ex verbis ſerpentis concepiſſe, nimis verum eſt, & ita comprobatum, ut etſi non poſſemus ita exponere initia & momenta illius peccati, intellectus & voluntatis in eo, actuum ordinem & connexionem, atque ita difficultates aliæ ex aliis, ut fit, orirentur; non ideò de comperta veritate rei, aut litigandum eſſet, aut dubitandum; ſed potius humiliter agnoſcendum, quod etiam nunc facimus, multa eſſe Deo reſervanda quæ nos latent, neque noſtrum eſſe ea nimis anxiè quærere, extra ea quæ nobis Scriptura revelavit.

Quicquid ſit, quando non ſolùm primus homo in innocentia conſtitutus in peccatum lapſus eſt, ſed etiam Angeli multi (ut Scriptura teſtatur) *non ſervata ſua origine reliquerunt ſuum domicilium*, Judæ ℣. 5. Vanum eſt eorum delirium, qui jam olim ductore Pelagio, & hoc noſtro tempore inter Pontificios & alios Semipelagianos, non exiſtimant, hominem potuiſſe ſeduci à Diabolo & peccare, niſi ante lapſum fuerit aliqua in homine inclinatio ad id, quod lege prohibebatur: nec verentur, ut ſuum illud dogma ſtabiliant aſſerere, concupiſcentiam illam, qua in homine eſt repugnantia inter rationem & appetitus, inter carnem & ſpiritum, eſſe à prima naturæ conſtitutione. Quod certè ſi neceſſarium ſit ad peccatum, oportet etiam ut in ipſis Angelis inferiorem appetitum & luctam ſpiritus & carnis ſtatuant, quandoquidem Angeli etiam peccaverunt; aut affectum naturalem ad ſpirituale malum, in ipſa ſpirituali creatura à Deo inditum fuiſſe affirment.

Quod

Quod quam ſit abſurdum, ſatis verbis exaggerari non poteſt.

Adamum igitur & Evam verè peccaſſe, & propria culpa lapſos fuiſſe, qui acceperant unde ſtarent, in confeſſo eſt apud omnes Orthodoxos; apud quos nullum eſt principium, ex quo contrarium deduci poſſit, ut calumniatur Bellarminus, lib. 3. de amiſſ. gratiæ & ſtat. pecc. cap. 1. Narrat Lutherum, referre comment. in cap. primum Geneſ. fuiſſe inventos fanaticos, qui dicerent præceptum datum à Deo primis hominibus de arbore non comedendi, non fuiſſe legem, ſed tantum admonitionem. Quod quidem ſcribit Lutherus de uno quodam fanatico, non de pluribus, cap. 2. non 1. in Geneſ. Nec dicit fanaticum illum aſſeruiſſe primos parentes neque peccaſſe neque peccare potuiſſe, ac ne tentationi quidem obnoxios fuiſſe. Sed id Bellarminus excogitavit, ut inde occaſionem ſumeret exagitandi calumnioſè Lutherum, & qui cum eo ſentiunt in doctrina de lege & peccato, quaſi principia docerent ex quibus talis ſequeretur concluſio: ſic enim ille, *Hoc confirmat* (inquit) *argumento ex principiis Lutheranorum petito & ſatis aptè deducto,* quia videlicet, *lex juſto non eſt poſita,* ut Apoſt. ſcribit 1 ad Tim. 1. v. 9. Primi autem homines in paradiſo degentes juſti erant omnium conſenſu. Et quoniam ubi non eſt lex, ibi non eſt peccatum nec prævaricatio, Rom. 4. colligebat primos homines cum pomum vetitum guſtarunt, non incidiſſe neque incidere potuiſſe in prævaricationem, ac per hoc nec in peccatum, quum peccatum ſit ἀνομία, id eſt, prævaricatio legis, teſte Joan. 1. epiſt. cap. 3. Quod dicit argumentum eſſe deductum ex principiis Lutheranorum, in eo fatetur principia Lutheranorum, eſſe Sacram Scripturam, ex cujus expreſſis teſtimoniis conſtant major & minor. Quod addit *ſatis aptè deductum eſſe*, ſi verum ſit; debuit etiam tranſire in ſententiam quam fanaticis illis tribuit, quod enim *ſatis aptè* ex Scripturis deducitur, id pro vero habendum eſt. Non rectè autem deduci, ipſe poſteà oſtendit, quia in majore vitium eſt in qua quod de *lege* dicitur *juſto non poſita,* aliter accipiunt quam ab Apoſtolo fuit intellectum, quod ipſe oſtendere conatur allatis ex Ambroſio & Auguſtino interpretationibus, non quod juſti non teneantur lege, vel ſi legem non ſervent, non peccent, ſed quia non habent legem ſupra ſe, quaſi cervicibus imminentem, & flagello minantem ac terrentem, ut habent injuſti, qui timore pœnæ bonum operantur. Operantur autem juſti bonum amore juſtitiæ, & libenti animo; operaturi etiamſi lex non eſſet, vel pœnam nullam minaretur. Falſa eſt ergo argumenti conſequentia, propter amphibologiam. Nam cùm varii ſint legis fines, 1. inſtituere de voluntate Dei, 2. ad obedientiam præſtandam invitare. 3. cogere minis. 4. damnare transgreſſores. Juſtis quidem lex data eſt ratione priorum finium; non autem data eſt quæ eos minis cogat aut damnet. Etſi autem id ad omnem & quamlibet Dei legem referri poſſit, id tamen verum eſt quod Lutherus excipiebat, Apoſtolum, dum hoc dixit, reſpexiſſe ad legem datam homini poſt peccatum, non ad eam legem, quam initio dedit Deus Adamo, ad obedientiæ exercitium. Quia agitur de accidentario legis uſu, quem in cogendo, accuſando, & damnando, poſt lapſum obtinet. Ideò non dixit Apoſtolus, juſto νόμος οὐ τίθεται, ſed οὐ κεῖται, quia prius ſignificat promulgationem & obligationem ad obedientiam, poſterius autem accuſationem & damnationem. Ergo propoſitio Apoſtoli, non abſolutè eſt accipienda, ſed ſecundum quid, quæ intellecta ſimpliciter, falſa eſſet. Et hactenus de transgreſſionis opere dictum ſit.

EXERCITATIO XXXIV.

Explicatio verſus ſeptimi. Apertio oculorum de corporeis intelligenda. Vnde nuditatis ignominia? Subligacula quæ fuerint? Varia de ficu proverbia. Delrii in Orthodoxos furor arguitur. Explicatur verſus octavus. Vox Dei quid? Articulatam fuiſſe, ex forma viſibili apparente. Quid aura *dici? Ficus Indica. Cur poſt peccatum latebras quæſierint primi homines. Conſcientiæ deſcriptio ex Ioanne. Simplicitas cordis vel duplicitas Ebræis. Conſcientia pertinet ad judicium practicum. Quid inter* συντήρησιν *&* συνείδησιν *interſit. Conſcientiæ variæ acceptiones. An erronea conſcientia obliget? An dubia & hæſitans? Explicatur locus Rom.* XIV. *verſ.* 14. *Diſtinctiones conſcientiæ ratione ſubjecti, & alia ad eam pertinentia.*

CAp. 3. v. 7. ſcribitur, *Tunc aperuerunt ſe oculi amborum, ut cognoſcerent ſe nudos eſſe: conſutiſque foliis ficus ſibi fecerunt ſubligacula.* vatipakachná, ותפקחנה *& ſunt aperti*, oculi amborum ipſorum, וידעו *vajedeu*, & cognoverunt: quæ duo verba juncta, oſtendunt, apertionem oculorum intelligendam eſſe, non de corporis oculis, ſed de oculis mentis, & cognitione acquiſita per experientiam, quam anteà non habuerant: ne quis putet, quod ex Ebræis nonnulli delirarunt, ante peccatum fuiſſe oculis corporis cæcos, qui anteà viderant & agnoverant opera Dei. Sed tunc agnoverunt, quod anteà non viderant, quia nondum erat; nempe nuditatem corporis ſibi eſſe turpem & ignominioſam, propter inordinatos & obſcœnos carnis affectus, & motus adverſus rationem rebellantes; nudi erant antea, & non confundebantur,

non quod eis ſua nuditas eſſet incognita, ait Auguſt. de Civit. Dei lib. 14. cap. 17. ſed *quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat; nondum ad hominis inobedientiam redarguendam, ſua inobedientia, caro quodammodo teſtimonium perhibebat.* Item. *aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum, nam & anteà videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant.* Id autem præſertim referri debet ad ſenſum peccati, ex eo enim dedecus etiam corporis ortum habuit, ita ut eos puduerit tum, organorum animæ depravatæ, & innocentiæ veſte denudatæ. Inde nuditas corporis ignominioſa, quæ anteà quibuſvis pretioſis veſtibus præcellebat. Quia innocentiam habebant anteà homines, & puritatem, non tanquam veſtem, ſed etiam pluſquam veſtem. Nam veſtis motus inordinatos tantum tegit, & corporis externa utcumque ornat. At interna illa dona, non tegebant latens virus, quod nullum erat, ſed planè impediebant, & velut lampas præfulgida in corpore diaphano, ſic etiam, anima innocentiſſima, corpus illud ſuum tota illuſtrabat. At ſuccedente intus cordis deformitate, membra externa eandem participant, ita ut hominem ſui ipſius pudeat. Sed de hac nuditate anteà dictum eſt ſub finem capitis primi.

Quod hic conſiderandum ſupereſt integumentum eſt, quod illi primum elegerunt, ad ignominiam ſuam obvelandam. *Conſutis foliis ficus, fecerunt ſibi ſubligacula.* חגורת *chagorot*, à verbo quod *cingere* & *præcingere* ſignificat, ergo cinctoria, vel præcinctoria, ſubligacula. Vulgata nomen Græcum retinuit, quo uſi ſunt LXX, fecerunt ſibi περιζώματα; ſic autem dicitur Græcis τὸ περὶ τῇ κοιλίᾳ ζῶμα, interprete Julio Polluce, id eſt, quod ventrem circumtegit, Suidæ τὸ ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα, quod Latinis eſt ſubligaculum. Ad eam rem cur ſibi potius ficus folia, quam aliud quid elegerunt ſolet quæri. Exiſtimarunt quidam, fuiſſe eam arborem quæ iiſdem fuit materia peccandi, nulla probabili ratione adducti. Imò contra facere videtur, quod cum ſcirent abuſu illius arboris hoc malum ſibi accidiſſe, non eſt veriſimile, eandem poſteà dum illos & facti, & ſuimetipſorum puderet, attingere voluiſſe. Ergo probabile eſt maximè, ficus arboris folia prima fuiſſe quæ ipſis occurrerunt ad eam rem apta, propter latitudinem, & ramuſculorum flexibilitatem. Notat enim Plinius lib. 16. latiſſima fuiſſe ei arbori folia; quæ certè in communibus ficubus etiam in partibus hiſce, talia ſunt, quæ integumento tali eſſe poſſunt; ſed non dubium eſt quin initio, in oriente, & in tali horto, fuerint multo majora.

Quod quidam ex veteribus voluerunt, inter quos Irenæus, non ſine conſilio & ratione tegumentum illud ex foliis ficus confeciſſe, ſed ut manifeſtam darent ſignificationem pœnitentiæ, quia folia ficus admota carni pungunt, & affligunt eam, dilutius eſt, quam ut probari poſſit iis qui ſequentia apud Moſem perpendent: etſi enim aliquo peccati ſenſu ducerentur, ut tamen propterea affligere vellent corpus ſuum, nihil eſt quod oſtendat; cum uterque apud Deum peccati excuſationes adduxerit. Multo probabilius alii cenſuerunt, qui vanitatem omnium eorum quibus homines peccata ſua per ſemetipſos & ſua induſtria tegere volunt, foliis illis ſignificatam fuiſſe exiſtimant. Certè ipſi claſſici autores inter Gentiles, à ficus ligno fragili & invalido, & ad omnia fermè inutili, multas parœmias deduxerunt. Homines molles & nullius frugi, apud Theocritum & Ariſtoph. ἄνδρες σύκινοι viri ficulnei, dicuntur. Horatio, truncus *ficulneus, inutile lignum.* Apud Heſychium, συκίνη μάχαιρα, *ficulneus gladius.* Non fuiſſe tamen pro re nata, ad ſubitum velamentum inidonea, ficus folia, cenſemus; præſertim ſi ficus illa fuit, quales ficus Indicæ, folia ferentes clypeum vel ſpeltam Amazonicam æquantia, ſi Theophraſto credatur, lib. 4. de plantis, & Straboni, lib. 13. Geogr. Certum eſt nullam cæterarum arborum umbroſius & latius folium habere. Sed cum velamen hoc fragile, & brevis temporis fuerit, ſtatim ruptum, prodebat ea ad quæ tegenda fuerat uſurpatum; unde rectè deducitur adagium, pro re inutili, & non duraturo culpæ velamine. Igitur dici poſſunt *conſuere folia ficus*, & ſibi facere περιζώματα, qui palliatis verbis, peccata ſua tegere conantur, qui ſatisfactionibus propriis vel alienis extra Chriſtum redimere, Nemo fur, adulter, homicida qui ſit, vult talis videri (ut benè hic Lutherus) ſic hæretici nullo modo agnoſcunt errorem & volunt videri Catholici, id ut obtineant folia ficus ſatis lata conſuunt, hoc eſt tentant omnia quæ ad colorandum & palliandum peccatum apta ſunt. At Martinus Delrio pro ſuo more hic in noſtros furit. *Eant*, inquit, *Lutherus, Oecolampadius, Fagius & cæteri de hoc grege porci* (en modeſtiam Jeſuiticam!) *ſiliquis & filice quàm ficubus digniores, qui hoc adagium nobis ingerunt, quaſi corruptæ (ut loquuntur) naturæ deformitatem, bonorum operum foliis conemur operire.* At nemo eorum quos hic tam barbarè & inhumaniter appellat, id Pontificiis objecit, vel agnovit eos bonis operibus velle peccata ſua tegere. Verba Fagii ſunt, *Nam fici foliis ſe adhuc hodiè tegunt, quotquot nuditatem ac turpitudinem ſuam variis operibus extra Chriſtum obvelare conantur. Hi, ubi increbeſcet vox judicii, ſentient ſe non poſſe conſiſtere.* Si id neget Delrio, ad porcos ſuos relegandus eſt. *At*, inquit, *impudenter mentiuntur, nos operum merita Chriſti opponere merito, in hoc enim illa fundamus, & quaſi in* ἔμβαμμα *pretioſiſſimum cuncta intingimus.* Scilicet, Chriſti merita hoc faciunt, non ut mereatur nobis ſalutem immediatè, ſed id tantùm, ut mereatur meritis noſtris vim meritoriam ſalutis. Hoc facit Chriſti ſatisfactio, ut ſatisfactionibus noſtris vim ſatisfactoriam tribuamus. Quid hoc eſt aliud, quam opponere opera noſtra merito Chriſti; imò etiam præponere? Nam quæ cauſſa proximè effectum attingit, illa propriè cauſſa eſt. Non

ergo

ergo mentiuntur qui id dicunt, ſed litant impudentiæ, qui poſt tot ambitioſas operum ſuorum commendationes id negant. At *caritas operit multitudinem peccatorum.* 1 Pet. 4. v. 8. Rectè, non expiando, aut ſatisfaciendo, quod fictæ veſtræ caritati tribuitis; ſed ſignificando, & declarando tecta eſſe peccata, id eſt, *remiſſa*, quo caritatis & eleemoſynarum effectu contenti non eſtis. Ita ſupremus ille judex, operum bonorum teſtimonium in die illa quo judicabit vivos & mortuos, non tanquam vitæ æternæ cauſſam, ſed tanquam vitæ illius candidatorum conditionem, proponet. Hoc qui dicunt non *litarunt ficulneo Baccho*, ſed qui id ipſis impingit, impudentiæ & calumniæ litavit.

Verſ. 8. *Deinde cum audirent vocem Iehovæ Dei, itantem per ipſum hortum, ad ventum illius diei, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Iehovæ Dei, inter arbores illius horti.* Audiverunt את קול *eth kol* vocem Dei. Quæritur quænam fuerit vox Dei quam audiverunt. Vocis Dei in Scriptura ſæpè fit mentio, & ſic vocatur tonitru, Pſal. 29. v. 3. vocatur etiam *vox Iehovæ*, verbum Dei, etſi ab alio enunciatum. 1. Sam. 15. v. 1. *audi vocem verborum Iehovæ.* Hìc, *vox Iehovæ* non fuit ſonus inconditus, aut ſtrepitus aliquis excitatus, ſed vox articulata, qua Deus peccatores homines vocabat, ut infra Moſes teſtatur. Sed an formata fuerit in aëre, ita ut nemo videretur loqui & vocem attollere, ut factum eſt in vocibus illis quarum meminit Evangelium, in baptiſmo & transfiguratione Domini; vel potius an vox fuerit efformata in corpore aliquo, forma humana viſibili, per quod Deus locutus ſit, & ſe primis hominibus manifeſtavit, ut poſteà factum eſt, tacet hoc loco Moſes. Eſt tamen maximè probabile tum Deum aſſumpſiſſe corpus humana figurâ, eaque virili, præditum, ut poſteà ſæpè fuit factum, quando ſe Patriarchis patefecit. Idque videtur innuere ratio tota proceſſus judicialis à Deo inſtituti, quando interrogavit, & ſententiam pronunciavit. Id enim factum videtur in figura corporea, ſed cum inſigni & divina majeſtate. Huc facit, quod ambulationis meminit. מתהלך *mithalec*, ambulantis, nempe Domini, non vocis, etſi ad conſtructionem & ſyntaxin quod attinet, etiam ad vocem poſſet referri, ſed præſtat ut ad Dominum Deum, de quo immediatè dixerat, referatur. Ambulaſſe autem dicitur Dominus in horto, in ſpecie illa corporea quam aſſumpſerat, cùm ad Adamum redarguendum accederet. Eſt autem probabile, tam ambulationem quam vocem, terribiles fuiſſe, & Deum qui anteà placatè Adamum ſolitus erat compellare, tunc ei ſe formidabilem repræſentaſſe, quaſi peregrè venientem, & velut ira tumentem, & ſuo inceſſu terram velut concutientem.

Circumſtantia temporis quæ his verbis indicatur לרוח היום *lerüách hajom*, ad auram diei, varias interpretationes ſortita eſt. Neque enim apud omnes conſtat, quid per auram & ventum diei ſit intelligendum. Tempore Hieronymi, quidam codices Latini legebant *poſt meridiem, quia* (inquiebat) τὸ δειλινὸν *Græcum ſermonem ad verbum transferre non poſſumus*, pro quo in Hebraico eſt לרוח היום lerüach hajom, *quod Aquila interpretatus eſt* ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας, id eſt, *in vento diei. Symmachus vero* διὰ πνεύματος ἡμέρας, id eſt, *per ſpiritum diei. Porrò Theodotion manifeſtius*, ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας, *ut meridiano calore tranſacto, refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet.* Hæc Hieronymus, in quæſt. Ebraic. in Geneſim. Paraphraſis Chaldaica habet *ad quietem diei*, qua Phraſi ſignificat veſperam, quo tempore ventus ſpirare ſolet, maximè Zephyrus. Ut ventus aut aura diei ſit, quæ ſpirare ſolet poſt meridiem & ante ſolis occaſum, in locis maritimis. Tremel. & Jun. nullam ſpecialem diei partem ſignificare putant, ſed indefinitè, ad ventum illius diei, id eſt, cum ventus ſubinde reflaret, vocem Domini in aures eorum fuiſſe reportatam. Eadem prorſus phraſis in Scriptura alibi non reperitur. Ideò difficile eſt de variis opinionibus judicium. Eorum interpretatio, qui intelligunt veſperam & declinantem diem, quia tunc ſpirant maximè venti, videtur confirmari ex deſcriptione ſimili veſpertini temporis, Cant. 2. v. 17. *Donec aſpiret dies, & fugiant umbræ* &c. Quamvis ibi Ebræorum quidam tempus meridianum intelligant, quo ſole aſcendente ſuper Zenith noſtrum vix umbræ comparent. Placeret quod Mercerus, phraſim illam *ventum diei* non exiſtimat Chronologicè intelligi debere, pro vento qui certa diei hora flaret, ſed qui ad Domini adventum excitatus fuiſſet, quo ſignum daret ſuæ præſentiæ, ut de Elia legimus 1 Reg. 19. quod apparente ei Domino præceſſerat ventus vehementior, qui etiam de turbine locutus eſt Jobo, & ita deſcribitur Pſal. 18. Id tantum mihi ſcrupulum injicit, quod non dicitur abſolutè, *audiverunt vocem Domini ambulantis ad auram*, aut *ventum*, ſed additur *diei*. Cur autem *ventus diei* diceretur ventus extra ordinem excitatus ad ſignificandam Dei præſentiam? niſi forte illud היום quis velit interpretari, *die illo*, aut *diei illius*, ut à Trem. & Jun. factum eſt, tunc enim intelligeretur ventus extraordinarius, qui die tantum illo ſufflaſſet. Calvinus intellexit per *ventum* ſive *auram diei*, periphraſim auroræ, ſive diei exorientis, quia aura veſpertina impropriè *aura diei* vocaretur, quaſi tota nocte ſecuri in tenebris latuiſſent, manè autem exorta luce, & nuditate eorum apparente, conſcientia & vox Dei eos perturbare cœperit. Unaquæque ſententia ſuam habet probabilitatem, nec facilè eſt quænam cæteris præſtet definire. Id certum eſt, veniſſe Deum ad ipſos de die, & aura ſive vento flante. reliqua non adeò certa ſunt, idcirco unicuique relinquendum eſt liberum judicium. Calvini interpretatio mihi videtur probabiliſſima, & confirmata loco illo Cantici quem ſupra citavimus. Nam donec aſpiret dies & fugiant umbræ videtur eſſe periphraſis incipientis diei, & finientis noctis. Tunc enim fugiunt umbræ nocturnæ *aſpirante die*, quid autem eſt *aſpirante*

die,

die, niſi *in aura dici?* Ariſt. problem. c. 25. ſect. 4. autor eſt, flatum incipere aut ortu, aut obitu ſolis.

Abſcondit ſe Adam, &c. בתוך עץ *betoc etz*, ad verbum, in medio arboris, horti, ubi nomen ſingulare pro plurali, arbor, pro arboribus, ut Exod. 10. ℣. 13. *Omnem fructum arboris quem reliquum fecerat grando.* Quamvis etiam verum ſit, tales quaſdam eſſe arbores, quarum ſub unica, non ſolùm unus & alter homo, ſed aliqua hominum multitudo, latere poſſit. Quod de ficu Indica ſcribunt hiſtorici, quarum unica ramis ſubinde in terram decidentibus, & novas radices agentibus, maximum terræ ſpatium occupare poteſt, dum hoc modo pullulant, & novos producunt ſurculos, qui ſtatim in arbores ſuccreſcunt. Adeò ut ex unica arbore integrum nemus fieri poſſit. Hinc voluerunt quidam latuiſſe primos homines ſub eadem arbore, ex qua fructum vetitum decerpſerant, eamque fuiſſe ficum. Sed hæc incerta ſunt, & ſimplicior eſt ſententia, quam initio poſuimus, latuiſſe intra arborum horti denſitatem.

Cur autem latuerint, & abſconderint ſe à facie Domini, quibus anteà nihil jucundius erat quam Dei familiaritate uti, non eſt difficile divinare, & id fatebantur ipſi, quia ſe nudos & deſtitutos ſanctitate videbant, *ſine qua nemo Deum videbit.* Ebr. 12. ℣. 14. Sic per peccatum animus à Deo alienatur, confunditur & timet, & à Domino fugere nititur, cujus deſperabundus juſtitiam odit, conſolationemq; in creaturis proſequitur, amiſſa gratia creatoris. Ubi Rupertus exiſtimat, utrumque de Deo malè ſenſiſſe, infidelium inſtar; alioquin agnoviſſent Deum eſſe ubiq; præſentem, nec ſe abſcondiſſent. Pſal. 139. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Sed nolim hoc ipſis imputare, quia tunc turbati & pavidi, vix cogitabant ea quæ ſpectabant immenſitatē Dei, quam alioquin non negaſſent. Nec ſemper fuga judicii divini, teſtimonium eſt hominis malè de Deo ſentientis, ſed conſcientiæ accuſantis.

Ideò rectè Chryſoſtomus in ea occultatione rectè animadvertit conſcientiæ remorſum quem vocant, & eam συντήρησιν, quæ intus, in ipſo velut corde poſt peccatum homini litem movet, eum ad judicium vocat, & ſententiam fert condemnationis. *Quippe*, inquit, *judex incorruptus conſcientia, cum adverſus hominem exurgit, clara voce clamat, & accuſat, & oſtendit, & quaſi ante oculos ſcribit, peccatorum magnitudinem. Ideoque miſericors Deus principio cum formaret hominem, conſcientiam illi indidit, accuſatricem perpetuam; & licet quis commiſſo peccato perpetratoque ſcelere, omnes homines celet, ab illa tamen accuſatrice non poterit deliteſcere; hanc enim intrinſecus habentes, ubicumque ſimus, circumferimus. Ipſa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quieſcit; ſed & domi, & in foro, & in templis, & in menſa, & dormientem, & ſurgentem, adoritur; rationem delictorum exigit, & ob oculos ponit delictorum gravitatem, & ſubſecuturam pœnam*, &c. Quibus ſanè perquam eleganter depinxit, accuſantis conſcientiæ motus & effectus, quos cum in ſe ſentirent protoplaſti, ideò latebras quærunt, & qui ſeipſos latere non poſſunt & ſecum accuſatorem & judicem ſecundarium perpetuum habent comitem, fruſtrà à ſummi judicis præſentia ſe ſubducere conantur. Quia autem hic primus fuit malæ conſcientiæ accuſantis & damnantis effectus, non erit abs re, ſi hoc loco de conſcientia quid propriè & qualis ſit agamus, quum præſertim maximus & fermè ordinarius ſit hujus doctrinæ uſus, ubi agitur de caſibus conſcientiæ, quorum natura cognoſci non poteſt, niſi prius quid de conſcientia ipſa ſentiendum ſit ſtatuamus, quod paucis quantum fieri poterit, & perſpicuè abſolvemus.

Sunt voces duæ Græcæ, quibus indiſcriminatim aliquando utuntur autores ad rem illam ſignificandam, quam Latinè *conſcientiam* appellamus, συντήρησις nempe, & συνείδησις. Prima fit à συντηρέω quod eſt conſervo & attendo, unde συντηρητικὸς Græcis conſervator eſt. Συνείδησις autem, ſeu τὸ συνειδὸς à συνειδέω, id eſt, *conſcius ſum.* Quæ duo etſi inter ſe aliquam habeant affinitatem, & una alteri inſerviat, non tamen debent confundi. Propriè enim συντήρησις eſt habitus principiorum practicorum, quæ nobis à natura indita ſunt. Quæ in eo differt à prudentia, quod cum utraque ſit habitus intellectualis, qui verſatur circa ea quæ agibilia appellantur, illa fines virtutibus moralibus præſcribit, hæc media ad illos fines inquirit. At συνείδησις ſive conſcientia, non eſt habitus, ſed actus, ut ex ipſo nomine conſtat, videtur enim idem eſſe conſcientia, ac *cum alio ſcientia*, unde & Græci συνείδησιν à σὺν & εἰδέναι derivant. Ideò videtur in unius rei ſcientia duos conjungere, qui duo in hominum factis, alias latentibus, non poſſunt eſſe niſi cum hominis corde, Deus ipſe, cui interiora cordis nota ſunt. *Nam ſi nos condemnet cor noſtrum, potentior eſt Deus corde noſtro & novit omnia.* 1. Joan. 3. ℣. 20. Ubi eſt elegans deſcriptio malæ conſcientiæ, quæ nos condemnat in malè factis, una cum Deo cui ſunt omnia nota. Et contra verſ. 21. bonæ conſcientiæ deſcriptio his verbis, *Si cor noſtrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum.*

Hinc eſt quod Ebræi ad conſcientiam denotandam, nulla alia utantur voce quam cordis לב *leb.* Et ארות הלב *odot haleb*, id eſt, *rationes cordis.* Bona autem conſcientia cum aliquis mali ſibi conſcius non eſt, dicitur, *ſimplicitas cordis.* בתם לבבי betam levavi, *in integritate* vel *ſimplicitate cordis mei* hoc feci. Geneſ. 20. verſ. 5. Semel in veteri Teſtam. Eccl. 10. ℣. 20. vox מדע *madá*, ſcientia, pro conſcientia uſurpatur. Etiam במדעך *bemadacá*, in ſcientia tua, Græci, ἐν τῇ συνειδήσει σου, *in conſcientia tua, regem ne vilipendas.*

Igitur ad practicam rationem, quam vocant, quæ ſemper παρακαλεῖ ſeu hortatur ad ea quæ judicat meliora, pertinet συντήρησις, ſic dicta, quod ſit vis mentis, cuſtos & conſervatrix notitiæ legis naturæ, hoc eſt notitiarum illarum, quæ nobis innatæ ſunt, de rectè factis

ad

an ſecus, & ita vitiorum eſt adverſaria. Eſt habitus principiorum practicorum (id eſt ad actiones moreſq; pertinentium) nobis innatus, attendens & ſervans ea, inſtigans ad bonum, & revocans à malo, deſcribente Damaſceno, ut contrà σύνεσις eſt habitus principiorum, contemplationis ſtudio comparatus, illa conſervans. In Syllogiſmo practico, ſeu morali facultate judicandi, συντήρησις adhibita ſuppeditat majorem propoſitionem. Conſcientia verò ſeu συνείδησις promit ac ſuggerit aſſumptionem, factum ſingulare ad regulam univerſalem accommodans. Dictatrix autem ratio concludit, id eſt poſt ſubſumptionem conſcientiæ, judicat de facto, an laude vel vituperatione, præmio vel pœna dignum ſit: quem ſyllogiſmum practicum in mente, dolor vel triſtitia ſequitur, vel etiam ſpes aut metus. Sic David abſtinuit à Saulis interfectione in ſpelunca ſibi oblata, hoc inductus ſyllogiſmo, non eſt vis inferenda perſonis à Deo conſtitutis, at Saul à Deo conſtitutus eſt, igitur non ei vim inferre debeo. Majorem dictavit ipſi ſynterefis; minorem præbuit conſcientia, unde poſteà concluſio à malo diſſuadens, quum adhuc factum non eſt, quæ condemnans eſſet, poſt malum perpetratum; ut in Juda factum eſt, cui dictabat ſynterefis, non erat prodendus ſanguis innocens; conſcientia, Hoc ego feci, &c. inde ſequuta eſt concluſio, quæ eum in deſperationē adegit.

Eſt itaq; conſcientia propriè dicta, applicatio ſcientiæ noſtræ ad actus noſtros in particulari. Ubi ſcientia non ſumitur pro habitu, ſed pro eo actu quo de noſtris actionibus in particulari judicamus. Quia autē contingit, ut de noſtris actibus variis modis judicemus; hinc fit ut conſcientia varias etiam habeat acceptiones, quas diſtinguere erit operę pretium. Sunt autē omnino tres præcipuæ. Accipitur 1. pro actu, quo cognoſcimus quidnā ipſi egerimus, vel non egerimus. Quo ſenſu intelligi debet Gen. 43. ℣. 22. quod fratres Joſephi ad diſpenſatorem dicunt, ſe neſcire, quis pecuniam poſuerit in marſupiis ſuis, aut ſaccis, ubi Vulgata habet, *non eſt in conſcientia noſtra.* Et Eccleſ. 7. ℣. 23. *Nam multoties conſcius eſt animus tuus, te quoque maledixiſſe aliis.* Ubi textus Ebræus habet ידע לבך *jadá libecà*, novit cor tuum, quod benè ad ſenſum expreſſit Vulgata, *ſcit conſcientia tua.* Hoc etiam ſenſu dicitur conſcientia *teſtimonium perhibere*, 2. Corinth. 1. ℣. 12. *Hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*

Secundo accipitur conſcientiæ nomen, pro eo actu quo judicamus de factis quorum ſumus nobis conſcii, an benè vel ſecus facta fuerint. Quo modo uſurpatur, quum dicitur redarguere & mordere, quia malefactorum notitia triſtitiam ingerit. Quo pertinet illud Sapientiæ cap. 17. ℣. 11. *Res timida eſt improbitas teſte proprio condemnata, & ſemper res graves præſumit dum conſtringitur conſcientia.* Unde Auguſt. lib. contra Secundinum Manich. cap. 1. *Senti de Auguſtino quodlibet*, inquit, *ſola me conſcientia in oculis Dei non accuſet.*

Sumitur tertio idem conſcientiæ nomen pro actu illo, quo ratio dictat, quid ſit agendum aut fugiendum in aliquo actu particulari. Quod ratio dictat dupliciter; nimirum vel ſtatuendo quod aliquid ſit debitum ex præcepto, ita ut oppoſitum ſit malum; vel judicando ſimpliciter quod virtuti ſit conſentaneum, tametſi neque oppoſitum ſit malum contra præceptum. Rurſus autem contingit, id rationem judicare utroque modo vel verè, vel falſè. Unde diſtinctio inter conſcientiam erroneam, & conſcientiam veram, quemadmodum ratione ſecundæ acceptionis diſtinctio eſt inter bonam & malam. Bona enim conſcientia dicitur, cum judicamus id quod à nobis factum eſt bonum eſſe, atque ita ſecundum Dei verbum per eandem nos excuſamus vel abſolvimus. Mala autem dicitur, quæ nos accuſat & condemnat, reoſque malè factorum peragit, quæ moleſtiſſima eſt, & propterea *carnifex* appellatur, quia torquet, & doloribus multis afficit & excarnificat, ob mala perpetrata, & pœnarum metum.

Erroneam conſcientiam intelligimus, dictamen rationis falſum, de eo, quod vel agendum eſt, vel vitandum, tanquam ex aliquo præcepto, ita ut oppoſitum falſo judicetur malum vel fugiendum; cui contraria eſt quæ verè judicat ex præcepto de verè bono faciendo & de verè malo fugiendo.

Præter ſuperiores tres acceptiones, ſumitur etiam conſcientiæ nomen impropriè, pro dubitatione, qua hæremus dubii, an aliquid ſit faciendum necne, in particulari; cui etiam affinis eſt ſcrupulus, hoc eſt anxietas & timor, quem injicere ſolet conſideratio rationum contrariæ partis; qui etiam eodem nomine aliquando deſignatur. Dicimus enim *dubiam*, vel *ſcrupuloſam* conſcientiam.

Quæſtio magni momenti agitatur, an conſcientia erronea obliget, ita ut peccare dici poſſit, qui aliquid facit, contra id quod falſò malum eſſe judicat, quum ſit bonum, ſibi tamen perſuadet eſſe malum? Cui reſponderi debet talem conſcientiam obligare proculdubio ad peccatum. Nam quicquid fit contra conſcientiam, aut repugnante conſcientia, id non poteſt fieri ſine peccato, quamvis talis conſcientia gravem errorem implicet. Exempli gratia, Pontificius qui credit imagines eſſe venerandas; ſi eas metu pœnæ pedibus conculcat, graviter peccat: Qui credit grave peccatum eſſe carnes diebus Veneris, aut tempore quadrageſimali comedere, ſi id faciat, à conſcientia ſua redarguitur. Sic Anabaptiſta qui juramentum abſolutè prohibitum in Dei verbo credit, ſi, etiam ad Magiſtratum pertractus, & poſtulatus juret, is certè peccat, non quidem quod juramentum præſtare non liceat, quod etiam à Deo mandatum eſt ſervatis ſervandis, ſed in eo quod id præſtitit quod malum eſſe credidit, repugnante conſcientia. Quæ conſideratio maximi uſus eſt, in pleriſque hominum actibus externis, in quibus ut hominibus placeant, vel in religionis negotio, vel in communi converſatione, ſæpè conſcientiæ ſuæ vim faciunt.

Rectè enim definiunt Theologi, ne quidem Scholaſticis exceptis, voluntatem, quandocumque diſcordat à ratione, eſſe malam, ſive ratio erret, ſive non; ſive erret circa neceſſaria, ſive circa indifferentia. Quod hac ratione probant. Velle malum eſt ſemper malum. Sed voluntas quandocumque diſcordat à ratione, vult malum, ergo ſemper tunc eſt mala. Probant minorem, tunc enim in re de qua agimus voluntatem dicimus à ratione diſcordare, cùm id amplectitur quod ratio judicat malum eſſe. Tum autem in tali occaſione voluntas ſemper vult malum. Quod ex eo probatur, quod objectum voluntatis eſt id quod ab intellectu ipſi proponitur. Unde ſequitur id objectum bonum vel malum cenſeri debere, quod ab intellectu ipſi proponitur voluntati ſub ratione boni vel mali.

Agimus autem de eo quod intellectus proponit, tanquam bonum vel malum moraliter, non tanquam bonum & malum, quovis modo intellectum. Nam certum eſt, voluntatem nihil apprehendere niſi ſub ratione boni ab intellectu monſtratum, ſed non ſub ratione boni moralis ſemper; ſæpè enim quod malum oſtendit moraliter, practicè tamen proponit, tanquam bonum delectabile & tunc faciendum. Ideò etiam tunc contra conſcientiam peccat, qui bonum illud delectabile facit, quod intellectus judicavit eſſe contra præceptum, id eſt morale malum.

Quod ſi quis dicat eum, qui facit id quod conſcientia falſo judicat eſſe malum, bonum facere. Eſt enim bonum, quod falſo malum eſſe judicatur. Qui autem bonum facit, non peccat. Reſpondendum eſt, in moralibus, boni & mali diſcrimen omne non ſumi ab objecto materialiter (ut ita loquar) in ſe conſiderato, ſed etiam ab animo agentis, & circumſtantiis. Qui autem bonum facit, quod malum eſſe credit, ille repugnat manifeſtiſſimè principio naturali, quod dictat, *malum non eſſe perſequendum, ſed vitandum*. Quod enim facit, quod putat & credit malum, idem eſt ac ſi diceret, *malum eſt perſequendum, non vitandum*. Nam hoc ipſo, quantum quidem in ipſo eſt malum ſectatur, qui verè ſeu falsò judicat aliquid eſſe malum, & nihilominus illud perſequitur.

Ergo, quamvis quod ratio erronea judicat eſſe malum, non ſit quidem per ſe malum omnibus, ex accidenti tamen fit, ut revera ſit malum ei homini qui id malum eſſe judicat, atque ita, actus ejus hominis circa tale objectum, reipſa redditur malus. Unde eſt, quod ipſe Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 9. & lib. 7. cap. 1. docet, duobus modis contingere ut aliquis ſit incontinens; uno modo per ſe, ſi actum incontinentiæ in ea materia exerceat, quæ per ſe pertineat ad incontinentiam. Altero modo per accidens, ſi faciat aliquid, quod ipſe quidem putet pertinere ad incontinentiam, etſi non pertineat reipſa.

De conſcientia dubia & hæſitante, idem dici poteſt; nam in rebus per ſe indifferentibus, ſi dubitet conſcientia, an res aliqua bona ſit necne, an facienda ſit vel non facienda; tunc is qui dubitat, planè ab ea debet abſtinere. Si autem ſit bona per ſe & neceſſaria, dubitet tamen, laborare debet, ut dubium illud, ſibi quamprimum eximatur, quod in rebus neceſſariis non difficile eſt. Sic in primitiva Eccleſia, etſi uſus ciborum moraliter indifferens fuiſſet redditus, quia tamen nonnulli adhuc dubitabant & hærebant, ſi compulſi ad edendum id feciſſent, dubitante conſcientia, dubio procul peccaſſent. Id teſtatur Apoſt. Rom. 14. v. 14. *Ei qui cogitat de re aliqua, quod polluta ſit, ei res illa tantùm polluta eſt.* Et verſ. 23. *Qui verò ambigit, ſi ederit, condemnatus eſt, quia non edit ex fide.* Intelligit autem nomine fidei ibi, eſſe certum & ſecurum in rebus indifferentibus. Quam fidem explicuerat, verſ. 14. *Novi & perſuaſus ſum per Dominum Ieſum, nihil eſſe impurum per ſe.* Qui enim dubius & hæſitans aliquid facit, is quantum in ipſo eſt, cenſetur velle malum. Quia cum facit, vult rem illam ſeu mala ſit ſeu bona; quod autem in tali caſu, bona vel licita ſit, eſt per accidens, quantum quidem attinet ad voluntatem hujuſmodi hominis. Si quis inter homines, faciat id de quo dubitat an diſpliciturum ſit amico necne, is haud dubio, cenſetur hoc ipſo offendere amicum. Unde ſequitur qui id facit de quo dubitat, utrum Deo placebit, an Deum offendet, eum certè in Deum peccare. Et quamvis is qui facit id de quo dubitat, an ſit malum, non uſque adeo convincatur, quantum in ſe eſt malum velle facere, ac ille qui rem proſequitur quam malam eſſe judicat, tamen etiam dubitans vult malum quantum in ipſo eſt, & legem naturæ violat, quæ prorſus prohibet velle malum.

Sic poſuit Deus conſcientiam in medio animæ rationalis, tanquam lumen quo diſcernat, quid facere vel non facere debeat, Diabolus autem arctam & largam ſuadet conſcientiam. Arctam, ne quid boni audeat efficere, ut etiam crebrius delinquat homo, ſcit enim eum peccare qui id agit, quod pro certo, conſcientia malum eſſe judicat, quanquam res in ſe mali nihil haberet; Id etiam facit, ut qui peccat in deſperationem ruat, judicans ſe reprobum & à Deo damnatum. Nonnunquam conſcientiam reddit amplam & ſecuram, ut neque peccare quis formidet, neque poſtmodùm pœniteat.

Et hæc quidem ad conſcientiæ naturam in ſe ſpectatam pertinent. Aliæ ſunt diſtinctiones ratione ſubjecti in quo eſt. Nam pro ſubjecti diſpoſitione variant conſcientiæ gradus & qualitates. Alia enim eſt in regenitis, alia in non regenitis; & in utriſque rurſum major ejus vis eſt in uno quam in alio, pro ratione cognitionis vel apprehenſionis. In quibuſdam torpet conſcientia & velut ſtupeſcit, ita ut nullo malefactorum ſenſu ad tempus tangantur, quales ſunt qui obdormiunt in peccatis. Sic in fratribus Joſephi ſtupeſcebat, donec per vexationem expergefieret. Gen. 42. v. 2. In aliis cauterio obducta eſt, quæ neque accuſat neque condemnat, quolibet,

libet, etiam graviſſimo peccato perpetrato. De qua Apoſt. 1 ad Tim.4.℣.2. quorum conſcientia ferro velut candente aduſta, callum obduxiſſe videtur, quos ita deſcribit Apoſtolus Epheſ. 4. ℣.18.& 19. *Cogitationem habentes obſcuratam & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam quæ eſt in ipſis, ex obduratione cordis eorum,* οἵτινες ἀπηλγηκότες, *qui poſtquàm dedoluerunt, ſemetipſos dediderunt protervia, ad certatim patrandam impuritatem omnem.* Alioqui ubi conſcientia vigilat in malis, nullum eſt majus tormentum. *Omnibus diebus improbi ipſe doloribus ſe conficit, & numero annorum reconditi ſunt violento. Sonus pavorum eſt in auribus ejus, in ipſa pace vaſtatorem invaſurum eum. Non credit ſe rediturum è tenebris, cum ſpeculantur credit ſe eſſe expoſitum gladio;* &c. Job. 15. v. 20. & ſeqq. Itaque Theodoretus ad illud Jerem.17. v.1. *in ungue adamantino,* hanc adamantinam tabulam, interpretatur conſcientiam. *Nihil* (inquit) *potentius conſcientia, in qua ſcilicet, infixæ literæ ſunt ſolidæ. Quanvis enim omnes homines ſuæ ipſorum conſcientiæ de bona vita teſtificari conentur, peccata nihilominus eorum qui mentiuntur, conſcientia ferre nequit, ſed percutitur, ac perforatur, incorruptamque profert ſententiam.* Ei igitur merito tribuitur ratio teſtimonii, laus & reprehenſio: & quia ſolus arcanorum animi ſenſuum ſcrutator eſt Deus, hinc nonnulli ex Philoſophis conſcientiam Deum dixere, quia per eam Deus etiam ſuum exercet judicium. Citatur ex Menandro

Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις Θεός.

quia laudat bona opera, mala reprehendit & judicat, quo refertur Juvenalis illud Satyr. 13.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet autori, prima hæc eſt ultio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſolvitur.

Experiuntur impii, quantumvis lateant hominum oculos, quam dirè mala ſæviat, eoſque lancinet conſcientia. Legatur unus, præ tot aliis profanis autoribus Plutarchus, libro de ſera numinis vindicta, tum id maximè quod refert de ſomnio Apollodori. *Narrant,* inquit, *Apollodorum aliquando in ſomnis vidiſſe cutim ſibi à Scythis detrahi, deinde elixum ſe, & cor ex ipſo lebete ſibi tacitè dicere, ego tibi horum ſum cauſſa.*

Hujus conſcientiæ vis poſt peccatum patratum Adamum & Evam exagitabat. Statim ubi vocem Domini audiunt, abſcondunt ſe. An non antè audiverant? Audiverant certè, ſed non terrificam, non formidabilem, ſed amicam, benignam & affabilem. Patris, non judicis vocem, benefacientis, non ultoris, ſeu punire volentis. At unde hic metus? Ex conſcientia, qua ſcivit Adam quicquid prohibitum erat à Deo fuiſſe fugiendum, non patrandum. Hanc majorem ipſi ſynteresis ſuggeſſit; addidit minorem patrati criminis conſcientia, ego id feci, ego tranſgreſſus ſum; hinc horror & metus pœnæ, ex peccati ſerio ſenſu in penetralibus cordis per teſtem & judicem incorruptibilem conſcientiam. *Hic eſt liber in quo inſcribimus peccata, quæ geſſimus, hi ſunt libri in die judicii aperiendi conſcientiæ noſtræ.* ait Chryſoſt. in Pſal. 50. Homil. 2.

EXERCITATIO XXXV.

Explicatio verſ. XIV. *An maledictio utrumque ſerpentem tam corporeum quam incorporeum feriat? Proponuntur quatuor ſententiæ & earum motiva. Expenduntur. Tertiâ probatur verba Dei utrumque ſerpentem ferire. Cur Deus pœnam intenderit animali bruto? Cur nullo examine prævio Deus in ſerpentem tulerit ſententiam? An greſſus ſuper pectore ſit ſerpenti naturalis &c. Expenditur ſententia affirmans. Reſolvitur quæſtio, item de manducatione pulveris. Explicatur Eſaiæ locus ex cap.* LXV. *Item Proverbium ex Mich.* VII. *Variæ accommodationes hujus maledictionis ad dæmonem. Proponitur & explicatur aptiſſima. Satanam non tunc primùm, fuiſſe maledictioni obnoxium. Quid ergo fuerit additum?*

IN maledictione ſerpentis quæ habetur Geneſ.3. ℣. 14. & 15. includitur maxima benedictio miſericordis Dei in genus humanum, eo accuratius perpendenda, quod qui ſub ſerpente latebat, & jam olim, & etiamnum hoc tempore, enixè laboraverit & laboret, ut eam tenebris involvat, & ejus fructum & effectum quem nobis invidet, impediat. Verſus 14. ſic habet. *Et dixit Dominus ad ſerpentē, quia hoc feciſti, maledictus tu præ omni animali & omni beſtia agri, ſuper ventrem tuum gradieris, & pulverē comedes omnibus diebus tuæ vitæ.* In quibus verbis nulla eſt difficultas in verſionibus, quia formulæ loquendi vulgares ſunt & obviæ. Variant ſolum in his verbis על גחנך *al gechonecá*, quæ alii *ſupra ventrem tuum,* Vulgata, *ſuper pectus tuum*, utrumque conjunxerunt LXX. ἐπὶ τῷ στήθει, καὶ τῇ κοιλίᾳ, ſuper pectus & ventrem. Quod etiam utrumque verum eſt, quia ſuper pectus non poteſt ambulare ſerpens, quin venter etiam terram contingat, & viciſſim, id intelligendum de ventre ad pectus, quia in ſerpente venter & pectus pene idem eſt, nec dicitur גחון *gachon* apud Ebræos niſi de reptilibus. à גוח *goach*, exivit, erupit, quia rependo ſpiritum educunt.

Diximus anteà, in ſerpente latuiſſe Diabolum, qui autor fuit tentationis, cujus ſerpens fuit tantùm inſtrumentum. Hujus rei occaſione primum quæritur, an hoc

hoc loco denunciata pœna, vel ſerpentem ſolùm, vel Diabolum ſolùm, vel utrumquè ſimul; vel partem comminationis, unum, partem aliam, alterum reſpexerit. Totidem enim ſunt modi, quibus hic locus ab interpretibus acceptus eſt. Qui primum cenſent, nituntur tota verborum ſerie, quia nihil eſt in verbis ſive verſus iſtius, ſive ſequentis, quod non ad verum & naturalem ſerpentem poſſit accommodari. Qui ſecundum, ea ratione moventur, quod bruto animali, qui in culpa eſſe non potuit, cùm peccati non fuerit capax, non videtur juſtum pœnas decernere, vel caſtigatorias, vel quæ juſtitiæ divinæ ſatisfaciant, quandoquidem lædi non poteſt ab iis animantibus, quæ ratione non utuntur. Qui tertiam, hoc reſpiciunt, quod Satan cum inſtrumento conjunctus fuerit in perpetratione peccati, ut corpus hominis ab anima motum peccatum perpetrat, ita in ſerpente accidiſſe. Itaque ut pœnæ corporis redundant etiam ad animam, & plectuntur una corpus & anima, ſic maledictionem & minas, contra ſerpentem pronunciatas, petere cum inſtrumento, motorem; & ſub ſerpentis pœnis, analogicas etiam, pro ratione naturæ ſpiritualis aſſignari Diabolo pœnas. Quibus magis arridet quarta ſententia, id ponderant, quod nonnulla ſunt quæ ita ad ſerpentem verè referantur, ut Diabolo nullo modo quadrare poſſint, ut, quod *maledictus ſit præ reliquis animalibus &c.* Alia etiam quæ ita Satanam reſpiciunt, ut, etſi verba ſerpenti accommodentur, non tamen poſſint, hoc modo expoſita, totam vim comminationis continere; ita ut neceſſarium ſit inimicitias & pugnam illam, inter ſemen mulieris & ſemen ſerpentis; ad perpetuum piorum cum Satana diſſidium & conflictum referre &c.

Prior ſententia, quæ Judæorum eſt præſertim hodiernorum, non poteſt conſiſtere, quia, ſi tantùm ſerpenti inflicta fuiſſet maledictio, impunè Satan impoſtor hominem ſeduxit. Et Protoplaſti tum fruſtrati eſſent & nos in ipſis, longè ſaluberrima promiſſione de Chriſto caput ſerpentis contrituro, qua non dubium eſt quin ſe primùm ſolati fuerint, & poſteros ſuos in ejuſdem conſolationis participationem vocaverint. Neque enim alibi legimus, ullam de ſua reſtitutione ipſis factam fuiſſe promiſſionem, ſine qua tamen miſerrimi vixiſſent, qui tot hominum ex ſe naſcituras myriades, in exitium conjeciſſent ſine ulla reparationis ſpe.

Secunda ſententia, quæ in alio extremo conſiſtit, premitur ea difficultate, quod ſi tantùm dicamus Satanæ maledixiſſe Deum, verbis tamen quæ de ſerpente primo aſpectu intelliguntur, improprius & figuratus erit totius loci ſenſus, qui etiam ad ſuperiora ſe extendet, ita ut quæ de ſerpente dicta fuerunt, etiam figuratè intelligantur, & hiſtoria tota in allegoriam deſinat. Quod ſi fiat, præter alia pericula, illud etiam metuendum erit, ut difficulter ad objecta Judæorum reſponderi poſſit.

Quarta quam in ordine poſuimus, qua hujus maledictionis & judicii partes, ita inter ſe divelluntur, ut una ſerpentem ſolùm, altera vero Satanam reſpiciat, non caret etiam ſuis incommodis. Quia ſi prima ad ſerpentem ſit accommodanda, id etiam pari ratione de ſecunda judicabitur. Quia contextus oſtendit manifeſtè, integram illam Apoſtrophem non dirigi ad diverſos, nec mutari perſonas vel objecta, nec Deum priùs unum, poſteà alium, ſed eundem ſemper alloqui perſonatum ſerpentem.

Supereſt ſententia quam tertio loco poſuimus, quæ eſt etiam Chryſoſt. Homil. 7. in Geneſim, quam etiam aliis omnibus præfert doctiſſ. Mercerus, externè quidem & ſecundum verborum (ut ita loquar) corticem quæcumque hic dicuntur, ſerpenti tanquam Satanæ organo accommodari, quia is erat quem audiverant & viderant primi parentes, qui tum etiam comparebat; quia Moſes rem deſcribit, quomodo externè facta erat. Sed tamen, ob rationes prædictas, in ſerpente ita Satanam intelligi, & in pœnis ſerpenti inflictis, pœnas Satanæ inflictas enunciari, ut ſenſus unus, alteri includatur; ut fit in typis, & à Spiritu Sancto uterque intentus fuerit, adeoque etiam literalis ſive hiſtoricus haberi debeat, imò ſenſus qui Satanam ſpectat principalis, & maximè intellectus à Spiritu Sancto dici. Igitur ut in typis, ad duo referuntur quæ dicuntur, ad unum apertè, ad aliud tectè, ſic hoc loco, quæ de ſerpente à Moſe dicta ſunt, apertè ſerpentem feriunt, ſed tectè etiam Satanæ maledicunt, imò ſatis apertè, quia non alia ratione plectitur ſerpens quam ea quod organum fuerit Satanæ. Si autem organum maledictione peculiari percuſſum fuerit, quis credet impunitam manſiſſe cauſſam principalem, quæ totius mali fuit origo. Id igitur ratum maneat. utrumque ſerpentem, & corporeum, & ſpiritualem, ſuo modo, & apta ad naturam ſuam ratione, hac Dei ſententia peti & plecti.

Hinc emergit prima difficultas, quam anteà paucis attigimus, cur Deus pœnam non ſolùm denunciaverit, ſed etiam intenderit, animali bruto, propter deceptionem Evæ, quùm tamen id non fuerit capax peccati, nec proinde plectendum? Reſp. Solutionem pendere ex dictis, quibus oſtendimus ſerpentem, fuiſſe Satanæ inſtrumentum. Non autem eſſe rem iniquam, ſi organa mali, etſi vel bruta, aut etiam inanimata, vel deſtruantur, vel etiam pœna afficiantur. Punitur uterque & Satan & ſerpens, quia Diabolus autor fuerat, ſerpens autem ſeductionis organum. Sic Exod. 32. cum de Idololatris Deus pœnam ſumit, etiam jubet comminui inſtrumentum Idololatriæ, vitulum fuſilem. Quatuor affert rationes Moſes Bar-Cepha, cur punitus fuerit ſerpens, etſi peccare non potuerit, quas refert cap. 17. comment. de Paradiſo. 1. Deum ſerpentem deteſtatum eſſe, ut hoc ipſum Satanæ moleſtum accideret, qui eo uſus fuerat tanquam inſtrumento, velut ſi quis muſicum inſtrumentum confringat, quo dolore afficiat eum, qui ad canendum eodem utebatur; aut equum abſciſ-

abſciſſis pedibus proſternat ut ſeſſori noceat; aut navem ſubmergat, ut qui ea vehitur naufragio pereat. Ita Deum maledixiſſe ſerpenti, ut affligeret inſidentem, quemadmodum Matth. 8. legimus, Chriſtum legionem dæmonum afflixiſſe, porcos perdendo. II. Ideò quoque maledixiſſe ſerpenti, quòd is homini, peccandi cauſſa vel occaſio extitiſſet; quæ ratio pleriſque interpretibus arriſit, Deum voluiſſe hoc modo demonſtrare, ſe tantoperè deteſtari & abominari peccatum,ut etiam inſtrumenta per quæ illud admiſſum eſt, eadem pœna quam illius autor meritus erat, involvi voluerit; ſic legem tulit, ut ſi quis maſculus, aut ſi qua mulier, rem habuerit cum jumento, non ſolùm ille,aut illa occidatur, ſed etiam jumentum, Levit. 20. ỳ. 15. & 16. III. Ideò maledixiſſe Deum cenſet ſerpenti, propter Satanam, quemadmodum maledixit terræ propter hominem, & ad eundem modum propter eum, jumenta volucreſque diluvio periere, quæ tamen non peccaverant. David etiam 2 Sam. cap. I. maledixit montibus Gelboë, propterea quod in ipſis ceciderant Saul & Jonathan, à Philiſtæis interfecti. IV. Hac etiam de cauſſa maledixiſſe Deum ſerpenti, quo, Adam & Eva videntes, quantam brutum animal ſuſtineret ex divina maledictione mulctam, intelligerent, quanto major pœna maneret eos, qui ratione præditi, in creatorem ſuum eſſent perfidi. Addo tamen pœnam illam fuiſſe utcumque conſolatoriam, oſtendebat enim quantum ipſi diſpliceret hominis ruina, propter quam ne beſtiæ quidem parcebat; ut poſteà legem tulit, Exod. 21. ỳ. 29. ut ſi alicujus bos, per negligentiam domini ſui hominem interfeciſſet, non ſolùm ipſe dominus capite plecteretur, ſed etiam bos lapidaretur. Ex quibus conſtat neque abſurdum eſſe, neque inſuetum poſteà fuiſſe, ut in brutis etiam, iræ divinæ veſtigia apparerent.

Hic autem benè notant pleriq; interpretum, Deum interrogatione & examine fuiſſe uſum, priuſquam ſententiam ferret in homines. Hic autem rectà ad ſententiæ pronunciationem venire, cujus rei variæ redduntur rationes, ſed hæ potiſſimum, quarum prima ſerpentis naturam reſpicit. Nam cum eſſet brutum animal, quorſum fuiſſet interrogatum, mutum inquam animans, quàtenus in eum competit expreſſa maledictio. Secunda autem ſpectat Satanæ conditionem, quia ille nec factum negare, nec etiam aliò transferre poterat, ut alii; qui totius mali autor fuerat & inſtigator. Nullum igitur examen Deum inſtituiſſe ante inflictionem pœnæ, quia Satan ex propria malitia ſine alterius inductione, peccaverat. Quod ſi adverſus primam reſponſ. aliquis objiciat, ut opus non fuit interrogare mutum animal, ſic nec ſententiam pronunciare adverſus idem, quùm non potuerit intelligere, aut animadvertere quæ dicebantur. Reſp. Ideò expreſſam fuiſſe ſententiam, non ut eam intelligeret ſerpens; ſed ut qui ſerpentem inſederat dæmon, & qui à ſerpente fuerant ſeducti homines, hac ſententiæ pronunciatione, intelligerent, quam deteſtabile Deo eſſet peccatum, ut anteà dictum eſt.

Sequitur in ordine quæſtio, quæ non minus ingenia doctorum exercet, an greſſus ſuper ventre ſeu pectore ſit ſerpenti naturalis, itemque an pulveris uſus in cibo aut comeſtione fuerit ſerpentibus deſtinatus? Sunt enim, qui maledicta illa ſerpentis, ſimpliciter & abſolutè loquendo fuiſſe ipſi naturalia contendunt, atque ita ſerpentem nullam ex eo pœnam ſenſiſſe, niſi ea ratione, quod ea quæ fuerunt ſerpenti ante peccatum naturalia, eidem poſtquàm Satanæ inſervivit adverſus homines, fuerunt apud eos quos ſeduxerat ad magnum dedecus, opprobrium, odium, & execrationem. Qui enim anteà non fuiſſet homini propter ea execrabilis, & inviſus; poſt peccatum eo nomine exoſus & abominabilis extitit. Deum igitur putant, hoc judicio, ſerpenti de priori inceſſu nihil mutaſſe, ſed tantum naturam vertiſſe in pœnam, quia non ipſis eſt veriſimile, Deum poſt lapſum, mutaſſe animalium naturas. Id ſe confirmare putant tribus exemplis. I. Nuditas homini naturalis erat, tamen poſt peccatum in pœnam verſa fuit. 2. Naturalis fuiſſet mulieribus partus cum dolore, eundem tamen proponit Deus difficilem velut peccati pœnam. Addunt; mors homini naturalis erat, eadem tamen infligitur homini propter peccatum. Inde ſequi putant, naturalem ſerpentum greſſum & cibum, ſine aliqua mutatione in re, ſolius ordinationis ratione, converſam fuiſſe in pœnam, atque ita ſerpentem, qui adverſus hominem dominum ſuum inſurrexerat, in ordinem fuiſſe redactum, ut ad priſtinam conditionem reverteretur, ſorte ſua contentus eſſe diſceret, nec amplius inſoleſceret, in hominis contumeliam.

Alii exiſtimant, aliquid in natura & conſtitutione ſerpentis fuiſſe mutatum, & quæ hic à Deo pronunciantur in pœnam, beſtiæ illi non antea competiviſſe, quia verba textus apertè docent, ſerpenti greſſum illum in pœnam additum fuiſſe, unde colligere ſe poſſe putant anteà pedatum fuiſſe ſerpentem. Item pulveris cibum pœnæ loco fuiſſe additum, quum anteà pro cibo, ut aliis animalibus herbæ fuiſſent aſſignatæ, ſuprà cap. I. v. 30. Expreſſè enim ibi dicitur, Deum omnibus beſtiis terræ, dediſſe omnes herbas virides ad comedendum. Moſes Bar-Cepha citat in lib. de Paradiſo B. Ephræm, qui exiſtimavit anteà ſerpentem fuiſſe pedatum, at in pœnam peccati, pedibus orbatum & in ventrem projectum. Didymus, naturaliter ſerpſiſſe putavit, ad tempus tamen, à Deo, vel potius à Diabolo, Dei permiſſu, erectum, cum Eva fuiſſe loquutum. Auguſtinus & alii ad allegoriam confugiunt, qua contenti de proprii ſerpentis pœna non ſunt ſolliciti. Sed ſupra oſtendimus id non ſufficere, ut vera habeatur textus intelligentia. Alii volunt ſerpentem initio, etſi pedes non habuerit, & inter reptilia annumerari debuerit, poſteriori tamen ſui corporis parte, minori cum difficultate ſerpſiſſe, capite, ac toto pectore à terra erectis,

inde verò ad pœnam totum in terram fuiſſe projectum.

Non dubito quin aliquid in ipſo ſerpente fuerit immutatum, quod pœnæ rationem habuerit, nec adduci poſſum ut exiſtimem, quæ naturalia erant ſerpenti, ipſi facta fuiſſe pœnalia ex ſola deſtinatione, ut volunt autores primæ ſententiæ. Nam argumenta quæ adferunt, nihil tale probant. In hominis nuditate, fatentur ipſi additam fuiſſe ex peccato, membrorum rebellionem turpem & fœdam, qualis nulla fuiſſet in ſtatu innocentiæ. Proinde dedecus illud non fuiſſe ex ſola ordinatione Dei judicantis, ſed in ipſo homine ſuam habuiſſe cauſſam. Dolores autem partus, in ſtatu innocentiæ futuros fuiſſe, nec probant, nec probare poſſunt. De morte quod adjiciunt, anteà contrarium evicimus, oſtendimuſque eam homini naturalem non fuiſſe futuram. Imò exemplum illud contra ipſos facit, quia ex doctrina Eccleſ. Romanæ, etſi mors homini fuiſſet naturalis, nunquam tamen mortuus homo fuiſſet niſi peccaſſet. Per peccatum enim ipſi moriendi neceſſitas incubuit. Si itaque valeat ſimilitudo, ipſis fatendum eſt, ſerpentem ante maledictionem illam, habuiſſe quidem diſpoſitionem naturalem ad ingreſſum illum & ad pulverem edendum, ſed ejus rei neceſſitati fuiſſe ſubjectum poſt inflictam pœnam; quod ex principiis ſuis dicere non poſſunt, quia volunt id ſupernaturale fuiſſe homini quod à morte liber futurus fuiſſet, quod ipſi per peccatum ablatum eſt. At ſupernaturalia ſerpentibus non attribuent. Addunt quidam aliud argumentum, nullam eſſe rationem, ob diaboli abuſum, cur Deus non tantum unum, ſed omnes ſerpentes puniret; qui certè eodem modo poſſent argumentari, nullam eſſe rationem, cur Deus propter unius Adami & Evæ peccatum, omnes homines & omnes fœminas puniret, & cur propter hominis peccatum, multa animalia deſtrueret, quæ non ſunt vel peccati vel culpæ capacia.

Quid ergo dicemus, ſerpentes omnes ante maledictionem divinam pedibus inceſſiſſe, & pulverem non comediſſe? Sunt (ut diximus) qui id pro maximè probabili habeant, inter quos Lutherus putavit ſerpentem erecto corpore inceſſiſſe, non quidem ut homo, ſed velut cervus aut pavo, quia non videtur ſerpens ita ut nunc eſt, humi repens, ſed aliquatenus erectus à terra, & decoro utens inceſſu mulierem compellaſſe, alioqui deformem ejus gyrationem refugiſſet mulier. Putarem ego hæc duo in unum conjungi debere, ſuper pectus tuum ambulabis, & pulverem comedes, omnibus diebus vitæ tuæ, ita ut primum ponatur tanquam ſecundi cauſſa, ac ſi diceret, cogêris ita pronus reptare in terram, ut pulvis terræ tibi ingeratur ori, quia gradiendo, elevare te non poteris, ſed reptando per ſinuoſos inceſſus terram movebis, quæ tibi os & nares implebit. Alioqui novimus ſerpentes aliis uti cibis, neque terra nutriri, quia etiam herbas, & alia animalcula devorant & deglutiunt. Non itaque refertur *eſus terræ*, ad alimentum, ſed ad incommodam & velut coactam terræ in os receptionem, ob concitatum rependo pulverem, præſertim additis per peccatum inimicitiis inter homines & ſerpentes, quibus fit, ut ſerpens aſpectum hominum fugiens in terræ cavernis & meatibus deliteſcat, & ſi aliquando egrediatur, perpetuò pavidus, dum fugere tentat, cogitur ſe in pulvere volutare. Ante maledictionem vero, non horrebat conſpectum humanum, non cogebatur ſe ſubducere cum pavore & metu, addimus prætereà, ſummam corporis partem, quicquid ſit de alia, terram non contigiſſe dum ſe moveret, quæ mihi maximè probabilis eſt opinio, ut ſi nihil mutatum fuerit in corporis forma & figura, tamen hoc certum ſit, de agilitate, & inceſſus decore fuiſſe ei aliquid ademptum, & hoc ad maledictionem pertinere quod terram lingat, & in pulvere volutet ſe. Nam quod Mariana dicit, *ut verum peccatum ſerpentis non fuit, ſed in ſpeciem, ita fictum eſſe ſupplicium, ut matres puero cadente ſolent verberare terram*; id certè probari non poteſt, ſic enim in ludicrum ſchema tota hæc hiſtoria converteretur. Itaque in eo ſingulare Dei judicium ponimus, quod nunc ſerpentes humi repentes, pulvere & ſordibus velut ſaginantur, & à locis cultis & amœnis ita arceantur, ut inter omnia animalia vitam degant miſerrimam.

Nec repugnat huic noſtræ ſententiæ, quod Eſai. cap. 65. ℣. 25. ubi plenam naturæ integræ ac bene compoſitæ aut conſtitutæ inſtaurationem Deus ſub regno Chriſti promittens, inter alia commemorat, *pulverem ſerpenti pro cibo futurum eſſe.* Sermonem enim eſſe allegoricum, præcedentia oſtendunt, *Lupus & agnus paſcentur unà, Leo ut bos comedet ſtramen.* Senſus igitur eſt, nihil tunc à ſerpente, aut ab iis qui ſerpentis naturam induerunt periculi timendum fore, ſicut nec à leone & lupo, quia ſtatim addit, *non nocebunt, neque occident in omni monte ſancto meo.* Ergo quod de aliis nocentibus beſtiis dicitur, id etiam de ſerpente intelligendum, qui nunc etiam carnibus veſcitur, & inſidiatur hominis calcaneo, tunc metuendum nihil fore à ſerpente, quia pulvere ſuo contentus, carnes humanas non appetet. Quod tamen (ut diximus) planè allegoricum eſt, nequicquam contra nitentibus Judæis, & fanaticis millenariis.

Ex hac ſerpentis maledictione Proverbium ortum habet, *Lingent pulverem ſicut ſerpentes,* Micheæ 7.v.17. de ſumma & extrema abjectione, & habitu eorum qui ſe victos fatentur, & à ſe verbera, plagas, aut gravem aliquam ignominiam ſupplices deprecantur, aut humillimum aliis & abjectiſſimum deferunt & profitentur obſequium. Hi enim abjiciunt ſe quam maximè poſſunt, ita ut humi ſtrati terram toto corpore contingant. Sic Jeſai. 49. v. 23. *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Et Thren. 3. verſ. 29. *Ponent in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.*

Nunc quæritur quomodo hæc pœna Satanæ poſſit accommodari. Ubi varii varia comminiſcuntur. Auguſt.

guſt. de Geneſ. ad lit. cap. 13. & 18. Super pectus, inquit, & ventrem graditur, quia duplici peccato, ſuperbiæ inquam & luxuriæ homines maximè impugnat. Vel quia ut Gregorius exponit 12. Moral. cap. 2. homines ad cogitationes, ſimul & actiones libidinoſas inducit, vel denique (ut idem explicat) quia gula & libidine tentat. Paſtor. part. 3. cap. 30. Et in Pſal. 101. *Terram*, inquit, *comedit, quia peccatores quærit & depaſcitur, eiſque ut cibo gaudet.* Caballici Judæorum, hoc ita exponunt quod Satan non poſthac ſit habiturus poteſtatem in animam, ſed in corpus tantùm, quod pulvis eſt. Unde inquiunt, dæmones & malignos ſpiritus, in ſepulchris, maximè ubi ſunt cadavera verſari, & hujuſmodi dæmonem *Azazelum* appellant. Addunt etiam, mortuorum corpora ſæpè induere, & in ea tranſire, unde nata ſuperſtitio apud Pontificios, qui ideo aqua luſtrali cæmeteria aſpergunt, ne in cadavera fidelium ingrediatur dæmon. Quod genus ſuperſtitionum ſæpè à nugatoribus & ſomniatoribus Judæis hauſerunt. Loca quidem deſerta & ſolitaria dæmones infeſtare compertum eſt, etiam mortuorum cadaveribus abuti, unde & necromantiam Satan commentus eſt. Sed talia ad hujus loci interpretationem non pertinent. Hieron. in Eſaiæ cap. 65. verſ. 25. videtur à Judæis hauſiſſe quod ſcribit, diabolum, qui priùs hominum mortibus paſcebatur eos tantùm comedere, qui pulvis ac terra ſunt, id eſt, homines terrenos. Et Ambroſ. lib. 1. de pœnit. cap. 13. ubi *pulverem* exponit hominum carnem, & à Deo permitti diabolo veſci his carnibus, hoc eſt fidelium corpora torquere & lacerare, ſed animæ poteſtatem nullam ei eſſe permiſſam, &c. Sed hæc ad rem non pertinent. Propiùs accedunt, qui damnari Satanam cenſent, ut perpetuò humi & in terrenis his & inferioribus repat, ac demiſſus verſetur, nunquam aſpiret ad lucem cœleſtem, qua in æternum privatus eſt, & quod ad terreſtria homines impellat, non ad cœleſtia & ſuperna, ſecum omnes cupiens in exitium & gehennam trahere. Ideò myſticè pulverem ei cibum eſſe, quia in cœlis nulla ei hæreditatis ſpes reliqua eſt, ut homini electo, ſed de cœlo præcipitatus damnatur, ut perpetuò humi in ſordibus terrenis repat, cum impurus ille ſpiritus non modo ipſe ſe inquinamentis mundi conſpurcat & oblectat, ut ſus in volutabro, ſed & reprobos iiſdem, ſecum immergit ac perdit.

Hæc quidem mihi non improbantur. Sed exiſtimarem aliter eſſe Satanæ applicanda comminationis verba, ut quæ ad literam de ſerpente dicuntur & ei conveniunt, per quandam analogiam ita ad Satanam pertinerent, ut ipſius analogiæ haberemus Scripturam interpretem. Nuper dicebamus greſſum illum ſerpentis, & pulveris eſum, aut per phraſim illam *lingere pulverem prono in terram capite*, ſummam abjectionem intelligi. Ut etiam Eſai. 29. v. 4. poſt pronunciatam maledictionem contra Ariel, *Humiliaberis* (inquit) *de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* Ubi eſt deſcriptio hominis victi, proſtrati, extrema paſſi, aut extrema ſaltem metuentis. Qui enim in eo articulo ſunt, neque hiſcere audent coràm hoſtibus, demiſſo vultu & ſtrati humi. Pſal. 72. v. 9. *inimici ejus pulverem lingent.* Solebant præterea victores, hoſtium victorum cervices pedibus premere, quod fecit Joſue cap. 10. quinque Regibus. Baruch cap. 4. v. 25. *Perſecutus eſt te inimicus tuus, ſic citò videbis perditionem ipſius, & ſuper cervices ipſius aſcendes.* De ſumma afflictione & abjectione David, Pſal. 44. v. 25. *Dejecta eſt in pulverem vita noſtra, adhæret terræ venter noſter.* In his & ſimilibus locutionibus habemus deſcriptionem ſummæ miſeriæ & abjectionis. Satanam eſſe ſuperbiſſimum ſpiritum, nemo qui artes ejus novit dubitare poteſt, & communis eſt omnium ferè Theologorum ſententia, ob ſuperbum indebitæ gloriæ & dignitatis appetitum, cœlo fuiſſe deturbatum. Nec tamen propterea ſuperbiam depoſuit qui divinos honores affectat, & præſertim hoc agit, ne infra generis humani conditionem ſubſidere videatur. Ideò nullum non movet lapidem, ut hominibus ſpem beatitudinis & æternæ gloriæ præripiat, eoſque ſecum in barathrum detrudat. Qua invidia pulſus tendiculas poſuit protoplaſtis, quos videbat ſibi prælatos, eoſque de gradu dejecit. Nulla igitur potuit ipſi gravior infligi pœna, quam ſi ignominia, ſubjectio, contemptus, & abjectio ſumma, quam anteà commeritus fuerat, & ex parte paſſus, confirmaretur & adaugeretur, adeò, ut præciſa ipſi omni ſpe veniæ & reſtitutionis, pedibus etiam ipſorum hominum conculcaretur, & humi velut repens & pulverem lingens, victoriam infirmis hominibus quos ſe proſtraſſe putabat, concedere cogeretur. Tu ergo Satan, qui primos in cœlo gradus & honores affectaſti, qui homini gloriam quam amiſeras invidiſti, ſuper pectus tuum gradieris & pulverem linges, id eſt victus & proſtratus, ſubjicieris iis quos perdere voluiſti, & in ſummam abjectionem & ignominiam detruderis illorum hominum more quorum victores colla premunt, & qui hoſtium à quibus ſunt devicti pulverem pedum humi proſtrati lingunt. Quæ certè pœna & Satana digna eſt, & confirmatur ab eventu, porroque confirmabitur, in extremo illo die. Hæc applicatio mirificè convenit cum ſequentibus, de inimicitiis, & victoria ſeminis mulieris.

Ad quam accedemus, ſi antè ſatisfecerimus quæſtioni, an tum primum Satanæ pœna fuerit denunciata & aſſignata, quaſi anteà non fuiſſet pœnis adjudicatus, quas, poſtquàm reliquit ſuum domicilium non ſervata ſua origine commeruerat. Certè, *Deus Angelis qui peccaverant non pepercit, ſed in Tartarum detruſos, catenis caliginis tradidit, damnationi ſervatos.* 2 Pet. 2. v. 4. Id cum ita ſit, non putandum eſt maledictionem & reprobationem ejus hucuſque fuiſſe dilatam. Eſt igitur dicendum, non ei nunc maledixiſſe primò Deum, ſed maledictioni augmentum addidiſſe, poſtquàm homini perdi-

perditionis autor fuit; cujus maledictionis prætereà declaratur *duratio*, quia ad omnes dies vitæ ejus extenditur. Cùm autem ſpiritus ſint immortales, præcluditur etiam ei omnis veniæ & reſtaurationis ſpes. Ideò non inconcinnè notatur, quod ubi Deus cum hominibus egit, & pœnis eos addixit, maledictionis nulla facta eſt mentio, ſed pœna tantùm iis temporaria abſolutè proponitur, & eorum externa opera maledicuntur tantùm, non perſonæ; ſecus ubi de ſerpente & dæmone actum fuit. Sed prætereà (ut diximus) additus eſt novus gradus miſeriæ, iſq; ad culpam recentem accommodatus, quia infrà eos detruditur, quos ſibi ſubjicere voluerat.

EXERCITATIO XXXVI.

Explicatio verſ. XV. *Expenduntur verſiones. Diſſertatio de vulgatæ verſionis errore* IPSA conteret. *Guidonis Fabritii fraus notatur. Ad quam falsò prætenditur autoritas Franciſci Pici. Etiam Ioannis Pici patrui. In Græco non eſſe pronomen fœmininum, ut pùtavit Picus. Probatur ex collatione omnium exemplarium, & Græcorum Patrum commentariis. Ieſuitarum pertinacia, & in primis Martini Delrio* διαϐολή. *Adverſus quem defenduntur argumenta noſtra. Ejuſdem inſcitia. Merſenni ſententia ad examen revocatur, an* mulieris *nomen ſit collectivum? Hieronymi de eo judicium. Lindani, Andradii, Eugubini, Cani, & aliorum aperta & notanda teſtimonia.* שוף ſchuph *verbi ſignificatio. Serpens* שפיפון ſchephiphon.

HÆc res in ſequentibus fuſius & clarius declaratur, verſ. 15. ubi ſic Deus pergit ſerpenti maledicere. *Et inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem, & inter tuum ſemen, & inter ſemen ejus, ipſum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Quorum verborum, priùs expendendæ ſunt nobis verſiones, & ad ſenſum poſteà deveniendum. Prima difficultas eſt in pronomine היא, quod cum referatur ad vocem זרע zéra, *ſemen*, tamen in vulgata verſione, quam authenticam fecit Concilium Tridentinum, legitur *ipſa*, ut ad mulierem referatur, quod de contritione capitis ſerpentis dicitur. Quam lectionem ita mordicus retinent Pontificii, ut apud eos repertus ſit non nemo, is fuit Guido Fabricius Boderianus, qui ipſum Ebræum textum mutavit, addito puncto *chiric*, ut illum accommodaret vulgatæ editioni, in Bibliis interlinearibus à Plantino cum magno opere regio excuſis, appoſita nota קרי וכתיב, qua nonnullis ex ſuis impoſuit, qui ex eo collegerunt, variam reperiri apud Ebræos, in codicibus lectionem, & aliter legi debere ipſis Ebræis fatentibus, quam ſcriptum ſit. Quod *verum non eſſe*, ingenuè fatetur Leonardus Marius Profeſſor Colonienſis ſcribens in hunc locum, & à Guidone Fabricio additam fuiſſe tantùm iis codicibus quos notavimus, ex conſilio, ut ille ait, Franciſci Pici Mirandulæ comitis. Id deſumpſit ex Franciſco Luca Brugenſi, qui in notationibus ad ſacra Biblia idem refert, Guidonem Fabricium, Pici Mirandulani comitis autoritate nixum, in Ebraicis illis Bibliis Regio operi adjunctis, quibus Latina interpretatio intèr contextus lineas inſerta eſt, excudi curaviſſe הוא *hi.* Id tamen rectè notat, errore poſitum eſſe הות *hit*, ubi ת pro א irrepſit, ut error manifeſtus lectorem moraretur, & ita falſi crimen commiſſum, ipſi hæſitanti innoteſceret. Hallucinatus eſt autem Marius, cum id dicit Franciſci Pici conſilio factum fuiſſe, qui certè ut patet ex ejus Epiſtolis ad Pagninum, nihil magis in votis habuit, quam ut Latina editio, ex Ebraico fonte corrigeretur, & à maculis quibus eam ſcatere non diffitetur, expurgaretur. Verba ejus ſunt, *Vt qui de turbidis ſincerè potare nequeunt, ad purum fontem pro reſtinguenda ſiti, jure ſe conferunt, ita, qui in variarum, utriuſque deeſſe videtur Teſtamenti tranſlationum, quibuſdam quaſi labyrinthis fatigati, regium iter non facilè inveniunt, ad originem, hoc eſt ad Græcæ & Ebraicæ linguæ primordia, unde illa ipſa Labyrinthi fila religata ducuntur, ſeſe recipere debent. Quibus tu, quantum attinet ad Vetus Teſtamentum, non ſuffragatus modo fueris, ſed laborem dempſeris, ſi ſe tibi, qui eas ignorant literas, planè crediderint.* Quis credat, eum qui ita loquitur velle conſilium dare, ut ad trutinam Latini codicis expenderetur textus Ebræus? Joannem igitur Picum patruum, voluit intelligere Lucas Brugenſis, cujus autoritate à Boderiano talis mutatio fuit attentata. Sed neque Joannes Picus exiſtimavit mutandam eſſe Lectionem Ebræam. In Epiſt. ad Baptiſt. Mantuan. ſcripta 20. Martii 1490. agit, de diverſitate tranſlationis Latinæ à litera Ebraica in hoc loco. *Sic equidem* (inquit) *cenſeo, eſt in Ebræo quemadmodum ſcribis, ipſum conteret caput tuum, referturque ad ſemen Evæ, de quo dixerat, inimicitias ponam, inter ſemen tuum, & ſemen illius, &c. Septuaginta vero & Hieronymus tranſtulerunt,* ipſa conteret caput tuum. *Vtrobique autem idem ſenſus. Nam quod dicitur* ipſa conteret, *non tam ipſam Evæ perſonam, quam Evæ poſteritatem reſpicit, cum id dicatur factura, quod in ſemine ſuo factura eſt. Sed cur maluerint* ipſa *vertere, quam* ipſum, *hoc fuiſſe arbitror in cauſſa, ut ſignificarent, cum ex Eva non fœminæ ſolum, ſed mares eſſent propagandi, quod de ſemine dicebatur, ad fœmineum ſolum referendum.* Hæc ille. In quibus, nullo modo ſuadet ut mutetur Ebræus textus, cujus veritatem tuetur; id tantum exiſtimat verſionem, quæ pronomen fœmininum adhibuit

hibuit eundem referre ſenſum, ſi benè intelligatur. In eo tamen hallucinatus eſt, quod exiſtimavit LXX legiſſe *ipſa*. Nam, ut notavit etiam Franc. Lucas, exemplaria Bibliorum celeberrima, Complutenſe, & Vaticanum, legunt αὐτὸς, ipſe, item Germanicæ editiones, & Aldina. Quæ lectio etiam, Pariſienſibus annotantibus, in Sancti Germani oblongo, & Sorbonico correctorio, Latinè habebatur. Sic etiam legiſſe Hieronymum in Ebraicis quæſt. in Geneſ. *Melius habet*, inquit, *in Ebræo, ipſe conteret caput tuum*. Quibus in verbis *etiam conſpicitur, Hieronymum, lectioni prædictæ conformiter*, ipſe *vertere*, ait idem Brugenſis. Ubi notandum eſt in Græcorum & Latinorum editionibus quæ pronomen maſculinum uſurpant, convenientiam eſſe (quod apud Græcos ſæpè accidit) cum re, non cum voce. Quod aliquando apud bonos autores Latinos animadvertimus, ut apud Terentium, *ubi eſt ſcelus qui me perdidit?* Item, *curemus æquam uterque partem, tu alterum*. In Græcis habemus exempla in Novo Teſt. Matth. 28. v. 19. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς &c. & Luc. 8. v. 5. ὃ μὲν nempe σπόρος, ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν &c. καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτό. ubi vox σπόρος maſculina eſt, & pronomen αὐτὸ, neutrum. Philo Judæus, qui LXX editionem ſuo tempore ſatis integram habebat oſtendit in ea ſcriptum fuiſſe αὐτὸς ipſe, allegoriarum legis pag. 752. ubi ita loquitur ut omnem ſuſpicionem tollat, καὶ ἡ γυνὴ αὐτὸς οὐκ ἔστιν ἀλλ' αὐτὴ, τί οὖν λεκτέον; ἀπὸ τοῦ περὶ τῆς γυναικὸς λόγου μετελήλυθεν ἐπὶ τὸ σπέρμα καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτῆς, id eſt, *De muliere non dicitur ipſe, ſed ipſa: quid ergo dicendum? A ſermone quem habuit de muliere tranſit ad ſemen, & ad principium ejus.* Ex quibus judicandum eſt, quid ſit ſentiendum de eo quod objiciunt Pontificii, olim Ruffinum apud Joſephum legiſſe nomen *mulieris*, quum ſic interpretatus eſt, *præcepit ut mulier capiti ejus plagas inferret*. Quam *mulieris* vocem (quum nunc in Græcis exemplaribus non compareat) adddititiam eſſe, ſive id à Ruffino factum fuerit, ſive à Ruffini exſcriptoribus monachis qui in Vulgata, *ipſa* legebant, quod magis exiſtimo, ſatis conſtat. Idem judicium de Chryſoſtomi Latinis exemplaribus fieri debet, in quibus aliquando retinetur vox *ipſa*, quia quum edita fuerunt, ſic in Latinis Bibliis legebatur, quorum à correctoribus, aut aliquando ab interpretibus, verba fuerunt uſurpata. Sed in Græcis manuſcriptis conſtanter legitur αὐτὸς, quæ vox etiam ubique fuit expreſſa, in Græco-latina editione Pariſienſi, etſi à Jeſuitis procurata; & in Anglicana Græca Savilii, quam ex variis manuſcriptis expreſſit. Irenæus antiquiſſimus ſcriptor, lib. 3. cap. 38. & lib. 4. cap. 78. & lib. 5. cap. 21. ubi non ſolùm pronomen maſculinum *ipſe* exprimitur, ſed etiam additur interpretatio loci ad *ſemen* relata, *quemadmodum & Scriptura ait, dixiſſe ſerpenti Dominum, & inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & inter ſemen mulieris, ipſe tuum calcabit caput, & tu obſervabis calcaneum ejus. Et inimicitiam hanc Dominus in ſemetipſum recapitulavit, de muliere factus homo, & calcans ejus caput.* Sunt verba ſecundæ citationis, eadem, paucis mutatis, habentur in tertia. Irenæo Cyprianum adjungimus, ipſi fermè æqualem, Teſtim. adverſus Judæos lib 2. cap. 9. ubi legit, *ipſe tuum obſervabit caput*. Ubi etſi in MSS. quibuſdam legeretur *ipſa*, tamen fatetur Pamelius, genuinam eſſe lectionem, *ipſe*, tum quod præmittatur, *Hoc ſemen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput Diaboli*, tum quod Græcè ſit apud LXX αὐτὸς & αὐτοῦ, non autem αὐτὴ & αὐτῆς. Ipſe Leo Papa, ſub init. ſerm. 2. de nativit. Domini, *Denuncians* (inquit) *ſerpenti, futurum ſemen mulieris, quod noxii capitis elationem, ſua virtute contereret, Chriſtum ſcilicet in carne venturum Deum hominemq; ſignans* &c. Ex quibus patet veterem & incorruptam lectionem, pronomen illud directè ad ſemen mulieris retuliſſe, non ad mulierem, & de textu Ebræo, vel corrupto, vel ambiguo, nullam fuiſſe motam quæſtionem.

Quum tanta nubes teſtium nos circumſtet, & textus originalis à nobis ſit, non eſt quod moremur convitia Jeſuitarum & ſimilium, qui certè, ſi uſquam alibi, hic ſuam oſtendunt pervicaciam, & totius antiquitatis neglectum; idque nonnulli eorum cum ea petulantia, quæ filios Diaboli decet. Inter quos eminet Hybrida ſemi-Hiſpanus Delrio, in Adagialibus ſuis parte 1. Adag. 6. Ubi eos qui pronomen illud fœmininum non probant, tanquam *ſternaces mulos, auritos aſinos, ſalaces hircos*, maledicentiſſimè traducit, quos dicit *nimium addictos maſculino generi*, & διαβολὴν de ſtigmate, in Calvinum contorquet. Aliis *frontem hæreticam, ſupercilium luciferinum, objicit*; Alios *conſibilantes aſpides, coaxantes rubetas, indigitat*, quæ impuriſſimi hominis maledicta, & fœdiſſimi canis latratus non repeterem, niſi aliquando etiam conduceret talia recitare, ut quo ſpiritu ducantur boni illi Jeſu, ſcilicet, ſocii, unicuique ſit manifeſtum. Quis enim credat purulentum iſtiuſmodi virus ab alio ore procedere, quam eo quem impurus ſpiritus occupavit? Sed ut ad rem veniamus.

Conatur ille reſpondere, noſtrorum argumentis, quæ *blitea & planè ſtraminea vocat*, quod etiam anteà fecerant Bellarminus, Gretſerus, Gordonius & alii. Primum erat, quod in textu Ebræo, legitur pronomen maſculini generis, quod ad nomen ſeminis, maſculinum etiam in Ebræo refertur. Bellarminus reſpondet ſe in uno codice legiſſe היא *hi*. Sed de illo codice, & à quo ſit profecta mutatio illa, jam diximus, & Pontificios habuimus confitentes. Addit Delrio, Eugubinum & alios doctos viros quoſdam, dubitare utrũ olim היא *hi*, an הוא *hu* ſcriptum fuerit, nam jod & vau, facilè commutantur. At ſi talibus dubitationibus aliquid concedendum eſt, facilè erit, omnes maſculos, in fœminas commutare. Pergunt omnes, & dicunt, cum ſine punctis Biblia legerentur, tam *hi* quam *hu* potuiſſe legi. Et id quidem verum eſt, *hi* fœmininum in quinque

libris Moſis ſcribi ſemper per *vau*, undecim locis exceptis, ut notavit Maſora magna, ſed tunc ſequuntur verba aut nomina fœminina, & chiric ſub ה ſcribitur, quod hoc loco non factum eſt, ubi contrà, omnia ſunt maſculina.

Addit Delrio, ut liberalius decidam cum adverſariis, licet legatur הוא *hu*, poterit tamen accipi pro היא *hi*, ut ſuperius verſ. 12. & Exod. 3. v. 8. Sed falſum eſt legi הוא *hu* ſuprà verſ. 12. Nam expreſſè ſubſcribitur punctum chiric; idem etiam dicendum de loco Exodi, ubi legitur *hahi*. Nec certè hoc dicit Lucas Brugenſis, cujus teſtimonium ad id falsò uſurpat. Nec verum eſt Mirandulanum contendiſſe, poſſe hoc loco, *ipſa* verti ſi codicis Ebræi ratio habeatur. Contrarium in ejus Epiſtola vidimus. Id etiam judicium falsò tribuit Pagnino in Lexico, ad vocem הוא *hu*, qui ne verbum quidem facit de hoc loco, & de cujus ſententia, non ſinit nos dubitare ejus verſio, in qua neutrum expreſſit pronomen, ad ſemen relatum. Idem fecit Cajetanus in hunc locum, *Non de muliere*, inquit, *ſed de ſemine dicitur, quod conteret caput Diaboli.* Sic etiam Iſidorus Clarius in Bibliis ſuis, poſt Cenſuram deputatorum Concil. Trident. Venetiis 1564. editis.

Pergunt adhuc. *Non obſtat nobis, verbum maſculinum quod ſequitur, frequens enim eſt Ebræis hujuſmodi conſtructio, quæ Græcis & Latinis foret enallage generum.* Exempla affert Delrio, ex Eſteræ cap. 1. v. 20. & Eccleſiaſte, cap. 12. v. 4. Addit Bellarm. Ruth. 1. v. 8. At, diſſimilia eſſe exempla patet ex eo, quod in citatis locis ſint peculiares rationes, nam in duobus prioribus, obſervatur regula, qua tertia & ſecunda perſona pluralis promiſcuè fœminino generi tribuitur ἀρχαϊκῶς, propter alterius fœmininæ vocis homonymiam, quæ ratio locum non habet hoc loco. In poſtremo autem per figuram, virile fœminarum enunciatur factum. Ut ut ſit, non recurrendum eſt ad ἐναλλαγὰς, ubi nulla cogit neceſſitas & omnia commodè fluunt. Nam ſi id uſurpetur, idem dicendum erit de mutatione generum, quod à Bellarm. de mutatione perſonarum, de verbo Dei lib. 2. cap. 12. *Si licet perſonarum, ſine cauſſa, fingere mutationes, nihil certi unquam ex ſacris literis, colligi poterit*, quod ſanè verum eſt, præſertim ſi talis uſurpetur licentia, ubi, etiam demptis punctis, ſcriptura alicujus voculæ per ſe ambiguæ, jungeretur non uno tantum verbo determinati generis, ſed etiam duobus, ut hoc loco, jungitur הוא cum ישופך *jeſchupheca*, & תשופנו *teſchuphennu*, quæ duo non patiuntur, ut aliqua ſit in ſenſu ambiguitas. Alia ratio eſſet, ſi (quod in allatis exemplis obſervatur) etiam demptis punctis, ex literarum poſitu vox una manifeſtiſſimè differret genere ab altera ei juncta, etiam demptis punctis; tunc enim manifeſta eſt enallage, quam hoc loco, nemo veterum, vel Ebræorum, vel Chriſtianorum in Ebræis verſatorum annotavit.

Ebraiſmo depulſi (ait Delrio) *ad Helleniſmum confugiunt, volunt* LXX *interpretes tranſtuliſſe* αὐτὸς *ipſe. Fateor iſta quoſdam libros exhibere, ſed alii habent* αὐτὴ, *ipſa*; *ut videtur in Ioſepho legiſſe Ruffinus.* Neque Ebraiſmo nos poſſunt depellere, neque ad Helleniſmum confugimus, etſi oſtendamus Græcos Ebraiſmo conciniſſe, & LXX interpretes, quos Pontificii aliquando extollunt tanquam θεοπνεύστους, ad mulierem non retuliſſe pronomen. *Fateor* (inquit) *iſta quoſdam libros exhibere.* Os impudens! *quoſdam*, inquit, *libros*. Proferat vel unum, qui aliter habeat. Pro omnibus debuit ſufficere codex Vaticanus, qui jam ante mille ducentos annos ſcriptus, ſi fides ſit Jeſuitæ Poſſevino, pluribus aliis exemplaribus collatis, juſſu Gregorii XIII. & Sixti V. Romæ editus fuit, anno 1586. In quibus omnibus exemplaribus cum docti viri ad id delegati, in hac voce nullam variationem invenerint, eamque in editione illa Pontificia expreſſerint, mirum eſt Jeſuitam, adhuc velle de fide illius lectionis, prætextu aliorum exemplarium dubitare, quod non feciſſet, niſi deſperatione adactus. Nam, quod de Ruffino ait, ſupra refutavimus. Item quod Chryſoſt. apud LXX. legiſſe *ipſa* mentitur, Homil. 17. in Geneſ. & Homil. 46. in Matth. falſum eſſe oſtendimus. Quod autem de Ambroſio, Auguſtino, Alcimo Avito, & Mario Victorino citatur, nihil aliud oſtendit præter id, vel quod jam illorum tempore mendum illud irrepſiſſet in codicibus latinis, vel quod ex eo tempore corrupti fuerunt libri eorum, quod certè in multis accidiſſe, ne ipſi quidem Pontificii negant.

Sed quod addit Delrio, præter impudentiam, ignorantiam prætereà præ ſe fert. Non deſunt (inquit) qui αὐτὸν legerint neutro genere; nec alii qui αὐτός. Addit, qui αὐτὴ legerunt, ad proximum de muliere retulerunt, qui αὐτὸν ad τὸ σπέρμα. Ibi, ne quis errori Typographi id deputet, bis αὐτὸν ſcribit, quaſi eſſet terminatio nominativi caſus neutri generis, quæ eſt accuſativi maſculini; quæ inſcitia ſi alicui ex noſtris excidiſſet, quas Tragœdias excitaſſent Jeſuitæ! αὐτὸ igitur nonnulli exiſtimarunt ſcriptum fuiſſe à LXX. ſed perperàm, quia putarunt, maſculinum non reſpondere neutro generi. Sed oſtendimus ſuprà, quomodo id accidat apud Græcos & Latinos. Marinus Merſenius, ex ordine Minimorum, in hunc locum. *Gratis*, inquit, *concedere poſſumus puncta à Rabbinis rectè fuiſſe collocata, etenim mulier eſt nomen collectivum, totam Eccleſiam deſignans, ac proinde virginem partem nobiliſſimam Eccleſiæ; at Maſſoretæ, nomina collectiva communis generis eſſe volunt, ut docet Pagninus lib. 2. Gram. cap. 2.* Sed quis ei dixit, mulieris nomen eſſe collectivum? Id ſi ita eſt, quando verſ. 13. *Dixit Deus mulieri, quid feciſti hoc?* toti Eccleſiæ hoc dictum fuit, & nobiliſſimæ ejus parti Mariæ virgini. At quod ille falsò de nomine mulieris, nos verè de nomine זרע *zerá*, dicere poſſumus, eſſe nomen collectivum; proinde ſi verum eſſet quod volunt, pronomen eſſe fœminini generis, poſſet tamen referri ad

zeræ,

zéra, nomen collectivum ex regula quam ex Pagnino citat. Cui tamen non videtur ſatis attendiſſe: quia Pagninus agebat de nominibus generum & ſpecierum, quæ utrumque comprehendunt ſexum. At nomen *mulieris* etiam collectivè ſumptum, quis utrumque ſexum ſignificare dicet? Delrio vult qui αὐτὸς legerunt, id eſt, LXX interpretes, reſpexiſſe ad nomen Ebræum *zéra*, quod eſt maſculini generis, & regulam ponit, *ſolere ſacros interpretes in divinis libris illud retinere genus, quod in fonte ſeu originario idiomate repererunt.* Sed veram hujus rei rationem ſupra reddidimus, & exemplis probavimus.

Tertium (inquit Delrio) refugium, eſt D. Hieronymi autoritas, quem volunt adverſarii maſcul. genere, tranſtuliſſe *ipſe*. Reſpondeo, D. Hieronymo placuit, *ipſe:* nunquam tamen ſcripſit, ſe hoc in Vulgatam verſionem introduxiſſe, quam conſtat, *ipſa*, ſemper habuiſſe. Rationes addit, 1. Quia legitur *ipſa*, in Romana editione, juſſu Pontificio excuſa, quod optima quæque exemplaria confirmant. 2. Quia ſic ante Hieronymum legebatur, nec ipſe auſus fuit id corrigere. 3. Quia poſt Hieronymum adhuc Eccleſia Catholica ſemper retinuit. Poſtremùm id probat, quia, Gregorius, Eucherius, Beda, Rabanus, Rupertus, Bernardus, Fulbertus, Hugo & Richardus de Sancto Victore ſic legerunt. Ad quæ ut ordine reſpondeam, dico, 1. cum ipſe fateatur Hieronymo placuiſſe, *ipſe*, ſatis ſequi, eum ſic tranſtuliſſe, niſi velit Hieronymum, verſionem inſtituiſſe, quæ ſuæ ipſius menti & conſcientiæ repugnaret. Etſi enim non ſcribat, ſe id in Vulgatam introduxiſſe, aſſerit tamen ſe Pentateuchum ex Ebræo tranſtuliſſe, & *ſi in tranſlatione* (inquit Præfat. in Pentat.) *tibi videor errare, interroga Ebræos, diverſarum urbium magiſtros conſule*; ad quos certè nunquam provocaſſet, ſi Ebræa non exiſtimaſſet ſe expreſſiſſe. Tranſlationem autem Pentateuchi, quæ jam in Eccleſia Romana Vulgata eſt, eſſe verſionem Hieronymi ex Ebræo, non Vulgatam Italicam, ipſi Pontificii contendunt. Rationes autem quas affert Delrio, ut probet in editione Vulgata, *ipſa*, ſemper lectum fuiſſe, nugatoriæ ſunt. Prima inter omnes, quia ſic cenſuerunt recentiores Pontifices, hoc enim eſt quod ipſis objicimus, & de quo conquerimur, quod Vulgatæ editionis errores authenticos fecerint, & canonica autoritate donarint. Secundam non probat, quod ante Hieronymum ita lectum fuit, & falſiſſimum eſt, ut ex Cypriano ſupra oſtendimus, idque etiam argumento probamus invincibili. Fatentur adverſarii Vulgatam editionem ante Hieronymum fuiſſe ex Græca vel LXX, vel Luciani expreſſam. Id ſi verum ſit, cum Græcæ conſtantiſſimè legerint αὐτὸς, nec ſit ullus Græcus autor qui repugnet, ſequitur id etiam legiſſe Vulgatam illam. Tertium argumentum perinde ineptum eſt. Nam, 1. Eccleſia Catholica non continebatur limitibus Latinæ linguæ, quum, qui Græcis uterentur Bibliis tunc plures Eccleſias habuerint eaſque florentiſſimas. 2. Quos citat ex Latinis, & pauci ſunt, & poſt ſextum ſeculum floruerunt, & ſæpè menda ipſa librariorum in ſcriptis ſuis retinuerunt, quod de Gregorio qui primus eſt in ordine probari poteſt. Nam exempli grat. Homil. 34. in Euangelia, ubi Luc. 15. legitur v. 8. καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν, *& vertit domum*, legit Greg. *evertit domum*, qui error planè evertit ſenſum. Ergo his & ſimilibus teſtibus, non obtinebunt adverſarii lectionem illam fuiſſe in Eccleſia receptam. Leo Papa Gregorium anteceſſit, quem oſtendimus pronomen illud ad *ſemen* retuliſſe. Idem fecit Petrus Chryſologus Epiſcopus Ravennas, anno Domini, 440. Homil. 173. *Serpentis germen*, inquit, *caput hominis petit, cui ſuum caput ſententia principali ſciebat addictum: ipſe ſervabit caput tuum, & tu illius obſervabis calcaneum.*

Jam verò præter eos quos ex adverſariis citavimus qui ſtant à noſtra ſententia, VVil. Lindanus, lib. 3. de opt. Gen. interp. cap. 3. pag. 177. ita cauſam noſtram agit, ut mirum ſit, à Delrio non fuiſſe exceptum honeſtis illis epithetis, quibus noſtros nuper delinivit. Sic enim ille, ut oſtendat, quæ in editione Vulgata variè nunc in variis codicibus extant, certam atque definitam lectionem accipere non poſſe, niſi ad ſuos fontes, Latina verſio revocetur. Geneſ. inquit, 3. *Conſtanter legitur, ipſa conteret caput tuum, genere fœminino: certè germanum eſſe ipſe, generis maſculini, docet præter Latinos codices veteres caſtigatiores* (arrigat aures Delrio) *& Græcos interpretes Chryſoſtomum & alios, ipſa etiam Ebræorum lectio, apud quos duo ſunt argumenta, quæ ad hanc lectionem lectoris ſtudioſi animo, ad veritatem perſuadeant.* ישופך ראש jeſchuphecá roſch, *inquit*, הוא hu, *ipſe conteret tibi caput. Quod ſi quis contendit* ו *pro* י *eſſe, is ſanè ex verbo futuri maſculei ita refutabitur, ut nullum ſit ei tergiverſationis refugium. Conſentiunt D. Hieron. quæſt. Ebr. Roberti codices, vetus D. Germani oblongum & Sorbonicum Correctorium. Suffragantur, quatuor Lovanienſes.* Hæc ille.

Eadem habet Andradius, Defenſ. fidei Trident. lib. 4. & cum Joanni Harto objiceretur à Rainoldo, colloquii quod cum eo habuit cap. 6. quod in locum *ipſe*, Pontificii ſubſtituiſſent, *ipſa*. *Minime vero*, inquit Hartus, *retinuimus enim illam lectionem*, ipſe, *etiam in Vulgata noſtra Latina editione, Lovanienſes enim Theologi annotant, in duobus manuſcriptis codicibus reperiri: & fatemur nos magis conſonum eſſe Hebraico ſcripto, & Chaldææ Paraphraſi, Græcæque interpretationi, etiam ita S. Hieronymum legiſſe.*

Auguſtinus Eugub. in 3. cap. Geneſ. Ipſum conteret tibi caput. *Non refertur itaque ad mulierem*, inquit, *ſed ad ejus ſemen, qua interpretatione plerique decepti* (nempe ea quæ id ad mulierem referebat) *malam expoſitionem invexerunt in hunc locum.*

Bellarminus reſpondebat Vulgatam editionem variè habere, quia, quidam codices habent *ipſe*, quidam

ipſa, & prætereà non eſſe contra Vulgatam editionem, ſi convincatur debere legi *ipſe* vel *ipſum*. Quæ exceptio locum habere non poteſt, quum juſſu Pontificum, ſublatis & exautoratis omnibus variis lectionibus, ſola illa remanſerit, quæ retinet fœmininum genus, quamque Sixtus & Clemens volunt fuiſſe genuinam lectionem. Proinde ſi *ipſe*, vel *ipſum* convincatur eſſe legendum, id directè eſt contra Vulgatam editionem. Quid quod præter Chaldaicam Paraphraſim Onkeli, quam à nobis ſtare non diffitentur adverſarii, etiam Targum Hieroſolymitanum, id diſertè referat ad ſemen mulieris, *Erit* (inquit) *quando filii mulieris operam dabunt legi & fecerint præcepta, tunc ſtudebunt tibi conterere caput, & occident te.* Quod principaliter ad Chriſtum refert, ait enim ſerpenti caput conculcandum ביומי דמלכא משיחא *bejóme demalca meſchicha*, id eſt, *in diebus Regis Meſſiæ.*

Melchior Canus Epiſc. Canarienſis de loc. Theol. lib. 2. cap. 15. *Geneſ.* 3. inquit, *Hieronymus legendum ait,* Ipſe conteret caput tuum, *non* ipſa; *cùm enim apud Ebræos neutro genere ad ſemen referatur, interpres rem ſignificatam perpendens, in maſculino genere tranſtulit, ipſe, quod imperiti non intelligentes, vitiumque ſcriptoris exiſtimantes, ſubſtituerunt, ipſa.* Ubi videmus Pontificium illum Epiſcopum, errorem imperitorum judicaſſe, id quod nunc à Pontificibus eſt authentico textui inſertum, tanquam genuinum. Fr. Ribera etiam Jeſuita in 1. cap. Hab. num. 32. *Geneſ.* 3. inquit, *ipſe, reſpicit nomen* זרע zéra, *quod Ebræis maſculinum eſt. Idem fecerunt* LXX, *qui verterunt* αὐτὸς, *id eſt, ipſe, quomodo legit Hieron. &* CORRECTIORA *Latina, & Chaldæus.* Quæ, ne ipſi excidiſſe videantur repetit lib. 2. de Templo, cap. 2. Mariana in notis, *Ebraicè & Græcè maſculino genere, ut referatur ad ſemen fœminæ, ad filium, verum de Chriſto vaticinium.* Joſephus Acoſta Jeſuita, lib. 5. de Chriſt. revel. cap. 1. *Tametſi, noſtra Vulgata habeat, ipſa conteret caput, ut referatur ad mulierem, tamen juxta Hebraicum &* LXX, *ad ſemen mulieris potius refertur. Itaque Antiquiores patres legunt, ipſe obſervabit caput tuum, & tu obſervabis calcaneum ejus, quod de Chriſto ſerpentem perimente atque homini ſalutem reddente declarant* &c.

Nulla eſt igitur ratio cur ii qui ex Pontificum decreto, Biblia Latina ediderunt, dicantur pronomen fœmininum retinuiſſe, quia Judæi textum corruperant; cur enim Judæorum malitia hanc mutationem inſtituiſſet, ſi ex lectione Ebræi codicis habeamus, *verum de Chriſto vaticinium?* Quod autem comminiſcitur Merſſenius, pronomen *hi* ſcriptum cum *vau*, ut maſculinum, magnam denotare Emphaſim, & *ipſiſſimum*, magis quam ipſam, ſignificare, nulla ratione probatur. Sæpè enim fœmininum illud pronomen ſic ſcribitur, ubi nulla eſt, potius quam alibi Emphaſis. Denique quid obſtaret, quominus poſſet etiam verti vel maſculinè, ipſiſſimus filius; vel neutrè, ipſiſſimum ſemen? Hæc certè ab otioſis hominibus excogitantur, ut chartas repleant, & imperitis imponant. Sed quod idem audet aſſerere LXX, qui verterunt αὐτὸς non ad σπέρμα quod eſt neutri generis, ſed ad אשה *iſcha*, quod hic eſt maſculini, reſpexiſſe, neſcio unde ſumpſerit; Nam, *iſcha* eſſe nomen generis maſculini, nemo anteà dixit, & reſpexiſſe eos ad rem non ad nomen, vel ſaltem ad nomen Ebræum, alii Pontificii agnoverunt. Ut tandem finiamus hanc de verſione hujus loci diſputationem, ex dictis pluſquam manifeſtum eſt, nulla alia ratione adductos fuiſſe Pontificios ut hanc lectionem præferrent niſi iſta, quod cum viderent in Eccleſia Latina jam à multis annis receptam fuiſſe, noluerunt fateri culpam, quam in librarios non poterant rejicere, quia non tantùm vocem reperiebant in pleriſque ſuis ſcriptoribus, ſed expoſitionem, aut potius corruptionem voci accommodatam; quam cum viderent à noſtris merito reprehendi, ne viderentur ipſis aliquid ceſſiſſe, etiam repugnante apud ſuos doctiorum judicio, eorumque neglecto conſilio, frontem perfricuerunt, & quæ hactenus refutavimus, effutiverunt. De ſenſu & interpretatione rei ipſius, poſteà videndum erit; ſunt enim nonnulli qui etiam non procul à vero ſenſu recedunt, quos ſuorum hallucinationis merito pudet.

Sequitur ibidem, ישופך ראש *jeſchuphecá roſch*, id eſt, *conteret tibi caput.* Verbum שוף *ſchuph*, propriè ſignificat contundere, percutere, vulnerare. alii vertunt שוף ſchuph, *obruere*, primum quidem ad tegendum & occultandum, ut Pſal. 139. v. 11. *forſan tenebræ*, ישופני jeſchupheni, *obruent me*, id eſt, *tegent me.* Deinde ad opprimendum & delendum. Job. 9. v. 17. *qui tempeſtate obruet me*, ישופני *jeſchupheni*, id eſt, opprimet vel conquaſſabit. Quo ſenſu hic accipitur. Vulgata editio Latina, in primo ſervavit hanc ſignificationem *conteret tibi*, ſed eam mutavit in תשופנו *teſchuphennu*, vertit enim, *inſidiaberis* calcaneo ejus. Sic LXX verterunt, non τειρήσει conteret, ſed τηρήσει, id eſt, obſervabit, vel inſidiabitur; etſi in nonnullis exemplaribus, & præſertim in editione Complutenſi per ει legatur τειρήσει, id eſt, conteret. Quod etiam exemplar imitata ſunt Regia Biblia. Sed liber Vaticanus habet τηρήσεις obſervabis, & ſic legerunt ex LXX vetuſtiſſimi Patres, Irenæus, Hieronymus, Ambroſius. Sic etiam Paraphraſis Chaldaica Onkeli, quæ in utroque loco, obſervandi ſeu cuſtodiendi verbo utitur. Ubi malè per ראש *roſch*, & עקב *akav*, non corporis partes, ſed temporis interpretatur, ac ſi primum ſignificaret, *in principio*, ſecundum autem, *in finem*, cum tamen Ebræorum quidam rectè moneant hæc duo nomina ſcribi ſine præp. ב, ut intelligamus non ſignificare tempus. Et certè hoc modo tolleretur inſigne quod hic notatur inter duo membra diſcrimen, capitis & calcis, ſupremi & imi, ut in illo victoria, in hoc ſtudium quidem nocendi notetur, ſed quod minimum poſſit, cum illud vires omnes adimat, & robur prorſus frangat, in capite maximè ſitum. Significationis

ficationis hujus verbi pro obſervare, vel inſidiari, nullum exemplum habemus alibi, niſi id quod Pſal.139.ꝟ.1. legitur, *tenebræ operient me*, ad opertas inſidias trahatur. Schindelerus ad eam radicem refert, Arabicum אשוף *aſchvab*, quod *vidit*, & *intuitus fuit* ſignificat. Quicquid ſit, non incommodus eſt ſenſus vulgatæ editionis, quæ in primo uſa eſt verbo *conterendi*, & in ſecundo verbo *inſidiandi*, quia ſemen mulieris ſerpentem lædit conterendo; ſerpens, ſemen mulieris inſidiando; ſemen mulieris aperto marte, ſerpens occulta fraude. Quò ſpectarunt, qui à נשף deducentes, quod *ſufflare* ſignificat, vertunt *mordebis* ipſum in calcaneo, quia ſerpens morſurus *ſufflare* ſeu *ſibilare* ſolet. Quo reſpexit Paraphraſis Jeroſolymitana, cujus verba Fagius ita refert: *Et erit quando filii mulieris operam dabunt legi, & fecerint præcepta, tum ſtudebunt tibi conterere caput, & occident te. Cum verò deſeruerint filii mulieris præcepta legis, nec ſervabunt mandata, tu operam dabis ut mordeas eos in calcaneis eorum, & ita noceas eis. Verumtamen remedium erit filiis mulieris, tibi vero ſerpenti nullum erit remedium. Quandoquidem futurum eſt, ut amoveant morſum, qui factus eſt in calcaneo, in fine dierum, in diebus ſcilicet Regis Meſſiæ.* Hæc ille. Sunt qui notant eſſe genus ſerpentis, quod שפיפון *ſchephiphon* appellatur, conterens homines quos mordet. Quo referunt verba Jacobi Gen. 49. ꝟ. 17. Erit Dan שפיפון *ſchephiphon* in via. Ad quod nomen fieri potuit alluſio. Exiſtimo tamen potius Ceraſten ſerpentem ita vocatum fuiſſe alluſione facta ad verbum שוף *ſchuph* quo hic utitur Moſes.

EXERCITATIO XXXVII.

Diſſertatio de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis. Expenduntur variæ interpretationes. Mulieris *nomen immediatè de Eva intelligi. Odium hominis in ſerpentum genus. Inimicitiæ inter homines & ſatanam, ad benedictionem hominum & ſatanæ maledictionem pertinent.* Semen *pro poſteritate. Ad litteram & immediatè hic* collectivè *accipi. Expenduntur argumenta Parei pro negativa. An hæc verba de Beatiſſima virgine intelligi debeant? Examinantur criminationes Delrii & Marii. Pontificiorum quorundam de Beata virgine ſententiæ paradoxæ. Exceptiones eorundem refelluntur.*

Jam ad ſenſum nobis eſt veniendum, in quo non leves occurrunt difficultates. Omnes quidem, quotquot ſunt Chriſtiani interpretes, in hac ſerpentis maledictione, includi ſentiunt promiſſionem de Chriſto ſemine benedicto, ſerpentis antiqui, id eſt Satanæ caput contrituro. Sed an directa ſit & literalis loci interpretatio ſine anagoge ulla, an cum directa interpretatione ad ſerpentem beſtiam relata, anagogia etiam literalis ſpectet conflictum ſpiritualem inter ſemen mulieris & ſemen diaboli, quæſtio eſt. Item, ubi de hoc ſecundo conveniunt, adhuc occurrit nova difficultas de ſemine illo, an collectivè accipi debeat an ſingulariter ubique; item, an collectivè ex parte una, & ſingulariter ex alia? Totidem enim ſunt hujus loci expoſitiones, quot hic notavimus variationes.

Exploſa fuit à nobis Judæorum ſententia, qui ultra ſerpentem beſtiam, & ſemen mulieris carnale, ſuas expoſitiones non protendunt, ut plurimum, etſi paucis aliquando, præſertim ex antiquis, aliud ſuboluit. Probavimus in verſu præced. cui hic adhæret, ejuſque eſt continuatio, ultra corticem illum penetrandum eſſe, & pœnam quidem ſerpenti animali fuiſſe à Deo inflictam, ſed in organo, motori præſertim & inſidenti. Proinde ex temporalibus & externis pœnis ſerpentis, ſpirituales & æternas pœnas ſatanæ inflictas eſſe colligendas, quas etiam ipſi analogicè accommodavimus, ex ſerpentis incommodo greſſu, & pulveris terræ comeſtione.

Quum autem non mutentur hoc loco perſonæ, neceſſarium eſt, ut quæ dicuntur hoc verſu, utrique etiam adaptentur, ſerpenti animali primò, deinde ſpirituali per anagogem ut diximus literalem, ſaltem in prioribus hujus verſiculi verbis. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius.* Ubi mulieris nomen ſcribitur cum ה *he*, quod vocant *hajediá*, cujus cauſſa nonnulli putarunt collectivè ſumi debere pro toto muliebri ſexu; ſed totius loci ſeries potius monet reſtringi hanc vocem, ad eam ipſam mulierem quam ſeduxerat ſerpens, nempe Evam, ita tamen ut odium illud & inimicitiæ, quemadmodum extenduntur ad univerſum mulieris ſemen, muliebrem etiam ſexum, præſertim ſi ſerpentem beſtiam ſpectemus, maximè comprehendant. Quaſi Deus diceret ſerpenti, familiaritatem illam quæ tibi fuit cum muliere, cujus occaſione ad eam acceſſiſti, & factus es inſtrumentum diaboli ad eam ſeducendam, mutabo in grave odium, & inimicitias irreconciliabiles, & ita tibi deinceps, eam adimam familiaritatem qua es abuſus; Illa enim deinceps, memor illius impoſturæ, te proſequetur odio. Id autem potius de muliere quam de viro dicitur, quia immediatè mulier à ſerpente fuit decepta, cujus rei cauſſa, non dubitandum eſt primam mulierem exitiali odio ſerpentem fuiſſe proſecutam, & cæteras poſteà mulieres hujus facti memores. Sed id præterea cenſemus, quando Deus, hoc loco, dicit, *inimicitias ponam*, ita ut non tantum prædicet futuras, ſed denunciet à ſe ponendas,

 inſtin-

inſtinctum aliquem dediſſe mulieri & ſemini ejus, adverſus ſerpentum genus. Quia etiam qui de ſerpentis facto nihil audiverunt, horrent ad ſerpentis aſpectum. Animalia autem omnia poſt peccatum hominis obedientiæ ſe ſubduxiſſe ſatis conſtat, etſi nonnulla minus, alia plus; ſed quæcumque noxia reddita fuerunt homini, ea poſt peccatum adverſus eum rebellarunt. Sed inter omnia ſerpentum genus maximè homini inſidiatur, & venenum effundit pernicioſiſſimum. Teſtatur experientia, hominis in ſerpentem odium eſſe capitale, & contrà, ſerpentis in hominem, ut non ſolùm quoties hominem offendit, caput ejus conterere conetur tanquam infeſtiſſimi animalis; ſed etiam, etſi non offenſus, eum præveniat, & elidere laboret, non parum lucri ſe feciſſe putans, ſi nocentiſſimarum beſtiarum numerum minuat. Sunt, qui ſaliva hominis ſerpentem necari dicant; Et Rupertus lib. 3. de Trinit. cap.20. poſtquàm notavit, utrumque non tam rationis judicium, quam ſenſum naturalem perpetuum ſervare odium, addit, *Nam ſi nuda mulieris planta, dentem ſerpentis prævenerit, & vivaciſſimum caput ejus, vel leviter, preſſerit, ſtatim totum cum capite corpus, repentè interit, ita ut nullus omnino motus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit, quod tamen nec malleis, nec vectibus, nec gladiis concidentibus, citò aut leviter effici poteſt, ſiquidem exciſum caput, cum duobus aut tribus digitulis, vivere & abire perhibetur.* Quod ſe fida relatione eorum, qui per induſtriam id exploraverunt, comperiſſe perhibet. Addit viciſſim, ſerpentem quamlibet exiguum, ſi vel extremæ plantæ dentulam inflixerit, occidere. Quam obſervationem, etſi certam non eſſe exiſtimem, tamen id exploratum eſt, maxima diſſidia, & pericula corporalia, inter homines & ſerpentes intercedere, & quod Ebræi inquiunt, non majorem, naturâ, homini cum ſerpente ſimultatem eſſe quam cum cæteris reptilibus, verum non eſt, ſi gradus odii ſpectemus. Alioquin, hominem etiam alia reptilia naturæ quodam inſtinctu abominari non diffitemur, ſed id ex eo procedere exiſtimamus, quia inter reptilia princeps eſt ſerpens. Et hæc quidem de applicatione horum verborum ad ſerpentem beſtiam. Sed quia bellum hoc minus principale eſt, ad aliud veniendum, quod non tam cum Diaboli organo intercedit, quam cum ipſo Diabolo & Angelis ejus.

Prædicitur ergo hoc loco, perpetuum bellum inter Satanam & mulierem, inter ſemen mulieris, & ſemen Satanæ. Item in eodem bello, inimicitias exercentium inæqualitas, & vires diverſæ. Quæ ut aptè intelligantur, videndum erit, quæ ſit mulier, cujus fit mentio, quod mulieris ſemen. Item, quis ſit alter Antagoniſta, quale ejus ſemen; & tandem qualis eventus iſtius conflictus.

Ad primum quod attinet, jam diximus Deum, quum ſerpentem, tanquam perſonatum Satanam alloqueretur, oſtendiſſe velut digito, mulierem quæ fuerat ſeducta, id eſt Evam; proinde, neque mulieris nomen eſſe collectivum, neque immediatè indicare virginem beatiſſimam, quia inimicitiæ illæ de quibus agit, non tum primum inceperunt, poſtquàm nata fuit Maria, ſed è veſtigio, cum Deus eas poneret & conſtitueret, inter mulierem & ſerpentem. Et quia ſerpentem illum individuum tum alloquutus eſt Deus, ut ex præced. verſu patuit, non dubitandum eſt etiam de muliere, tum præſente & exiſtente, loquutum fuiſſe. Neque aliquid contra facit, quod Deus utitur futuro verbo *ponam*, quia præcedentia verba comminationis, etiam in futuro poſita fuerunt, quamvis ſignificarent pœnas præſentes. In futuro autem enunciantur, propter continuationem & durationem. Quod autem potius fœminæ meminit, quam viri jam diximus; non quod eædem inimicitiæ poſitæ non fuerint inter Adamum & Satanam, ſed quia immediatè ſeducta fuerat Eva, deinde ut infirmioris & debilioris vaſis mentione, pœnam hoſtis generis humani augeat, utpote qui debellandus etiam eſſet à muliere. Ergo inter Mulierem & Satanam, jam ab initio talis conſtituta eſt à Deo inimicitia, quæ irreconciliabilis eſſe debet, utpote propaganda in venturas generationes.

Quæ quidem inimicitiarum prædictio, non debet accipi quaſi pars miſeriæ noſtræ, quaſi per eam Diabolo eſſent conceſſæ vires, vel argumentum earum, quibus nos fortius debellaret; non enim hic eſt hujus loci ſenſus, cum tales inimicitiæ inſtituantur tanquam pœna Diaboli, neque Deus unquam Diabolo vires ad hoc certamen addiderit. Sed potius hic continetur Prophetia futuræ aliquando liberationis noſtræ, qua nos Deus mirabili modo è ſervitute Diaboli erepturus erat. Quæ ſententia hominibus eſt conſolatoria, & cum gaudio legenda. Nam cum per peccatum ſe ſponte ſubmiſiſſent homines ſub Diaboli poteſtate, ſi poſt peccatum nullæ ipſis inimicitiæ, nullumque cum Diabolo diſſidium ſucceſſiſſet, permanſiſſent utique in perpetua damnatione; Quum autem nunc *inimicitiæ* prædicuntur, eadem opera, prædicitur homines redituros ad eam animæ reparationem, ut grave illud Diabolicæ tyrannidis jugum ipſis diſpliceat, quærantque illud excutere, illoq; ſemel fœliciter excuſſo, deinceps continua adverſus eum pugna advigilent, ne illud iterũ ſubeant. Hęc igitur verba, *Inimicitias ponam*, promittunt, Deum daturum hominibus aliquid, quo ipſi ſemel victi victorem oppugnent, ac deinceps eidem ſemel devicto, fortiter reſiſtant.

In verbis illis ſequentibus, ובין זרעך *ubein zaracá*, & inter ſemen tuum, volunt quidam, conjunctionem *&*, non tam eſſe conjunctivam, quam declarativam, *&* pro *id eſt*. Sic Vatablus; ſed malumus eſſe conjunctivam, quia videtur expreſſe diſtingui mulier à ſemine ſuo; Hoc enim ſignificare velle apparet, quod plerique interpretum benè obſervant, non tantùm unius ſeculi fore odium, ſed duraturum quam late propagabitur humanum genus, ut ſint inimicitiæ hæreditariæ, vel quæ ad hæredes tranſire debeant.

Semen,

Semen, etſi propriè dicatur id, ex quo ſimile aliquid gignitur, quemadmodum grana tritici, & fructuum nucleos vel acinos, ſemina vocamus; metonymicè tamen, præſertim in Scripturâ, ſumitur pro eo quod ex ſemine genitum eſt. Ideò apud Ebræos talis acceptio, vix pro figurata habetur, qua liberi, familia & poſteritas alicujus dicuntur ejus ſemen. Sic ſæpè ſeminis Abrahami fit mentio, & ejuſdem ſeminis multiplicationis. Eſt autem vox ſeminis ut plurimùm collectiva, etſi aliquando etiam pro uno accipiatur, quod ex loci circumſtantiis judicandum eſt: Ut infra Gen. 4. ℣. 25. Eva dicet, *poſuit mihi Deus ſemen aliud*, quod cum opponat amiſſioni Abelis, ſatis conſtat intelligi filium unum. Sic Geneſ. 21. ℣. 13. *Magnificabo filium ancillæ, quia ſemen tuum eſt.*

Quoniam autem dicuntur etiam filii analogicè & figuratè in Scriptura, qui aliquem imitantur, ipſi parent & obediunt, ſive in bonum ſive in malum, fit etiam ut qui verbo Dei tanquam ſpirituali ſemine geniti à Deo, ipſi obediunt, & patrem illum cœleſtē imitantur, dicantur filii Dei. Contra, qui Diabolo obtēperantes ſe ipſi mancipant, & ejus opera faciunt, dicantur filii Diaboli, utriq; etiam *ſeminis* nomine intelliguntur, atq; ita ſemen ſerpentis antiqui, ſunt omnes, *qui à patre Diabolo ſunt, & opera patris ſui volunt perficere,* Joan. 8. 44. Unde idem 1. Joan. 3. ℣. 8. *Qui facit peccatum ex Diabolo eſt.* Hoc ſenſu intelligi debet, quod hic dicitur de ſemine ſerpentis illius. Nam ſi intelligatur Diabolus ſerpente veſtitus, quomodo dicebamus, dæmones autem ſemen propriè non habeant, nec gignant ſibi ſimiles, neceſſarium eſt, ut id ad ſemen ſpirituale & figuratum referatur, id eſt non ſolùm ad eos qui Satanæ Angeli appellantur, ſed etiam ad omnes impios à principio mundi uſque ad finem, conſtituentes eam quam Auguſt. appellat civitatem Diaboli, oppoſitam civitati Dei.

Non autem ſolum in hoc ſecundo membro, ubi de inimicitiis inter ſemen ſerpentis & ſemen mulieris agitur, accipi debet *ſeminis* nomen ſecundum ſpiritum, ſed etiam in primo. Quia etſi ſemen mulieris ſint verè omnes homines, tamen odii iſtius inter Satanam & homines, non omnes qui ſemen mulieris ſunt ſecundum carnem, in partem veniunt; cum dixerimus etiam à partibus Satanæ multos futuros tanquam illius ſemen, qui ex hominibus ſunt prognati. Idcirco neceſſario reſtringendum eſt *ſemen* illud, ad pios & fideles, qui amplexuri eſſent promiſſiones divinas, & filii Dei futuri. Ideò *ſeminis* nomen, ubi de ſemine mulieris agitur, non debet accipi univerſaliter, ſed ſecundum modum, & indefinitè; quia omnes filii Dei inter homines ſunt ſemen mulieris, non autem quicumque ſunt ſemen mulieris ſunt filii Dei.

Exiſtimamus enim hoc loco ad literam, *ſemen mulieris* accipi collectivè, non pro uno tantùm qui ex aliqua muliere natus ſit, ſine viri ſemine, ſed pro omnibus hominibus piis, qui (ut de Baptiſta loquitur Dominus Matth. 11. ℣. 11.) ſunt *nati ex muliere*. Primò enim, oſtendimus, *mulierem illam* quæ tum indicabatur fuiſſe *Evam*, unde concluditur poſteros Evæ intelligendos eſſe, nempe eos qui non degenerant in ſemen ſerpentis. Idem probatur per antitheſim ſeminum. Nam quemadmodum ſemen ſerpentis collectivè ſumitur, ſic etiam ſemen mulieris ſumi debere, ut oppoſitio apta ſit, apparet. Denique cum inimicitiæ prædictæ pertineant ad omnes pios Evæ poſteros, inde ab initio, non poſſunt excludi, quin ſub ſeminis nomine intelligantur, etiam qui ante Chriſtum in mundo manifeſtatum vixerunt fideles. Neque valet quod quidam objiciunt, *ſemen* de muliere non dici, niſi peculiari quadam ratione, ut ſumatur pro eo qui ita eſt ex ſemine mulieris, ut non ſit ex ſemine viri; quæ ratio firma non eſt, ad probandum id quod dicitur ſingulariter eſſe accipiendum, non collectivè. Nam Eva etiam de Setho dicet, *Deus poſuit mihi ſemen*, infrà cap. 4. verſ. 25. Et improbi Judæi vocantur *ſemen adulteræ & fornicariæ*, Eſai. 57. verſ. 3. Quamobrem quod de filio virginis dicitur, etſi ad rem quod attinet verum ſit, peculiariter eum eſſe *ſemen mulieris*, non tamen ex hac phraſi poteſt evinci, nullum eſſe filium, qui mulieris alicujus ſemen dici poſſit, niſi ſine ſemine viri fuerit conceptus.

Si autem pergamus ad reliqua, *Ipſum conteret tibi caput, & conteres ipſi calcaneum*, ſatis evidens eſt uſurpari verba, quæ ad ſerpentis animalis conditionem ſunt accommodata, qui cum humi repere cogatur, obnoxius eſt huic incommodo, ut caput ipſi elidatur ſub pedibus hominis: & quia non poteſt aſſurgere ad hominis caput, ideo calcaneo ipſius dentem imprimat. Sed quia diximus agi de ſerpente perſonato, & maledictiones ita ſerpentem attingere corporeum, ut tamen in eis per tropum, intelligamus magis principaliter pœnas Diabolo inflictas; Itaque nec ſoli ſerpenti, nec ſoli Diabolo, ſed Diabolo in ſerpente, & ſerpenti propter Diabolum illa verba convenire: ideò nunc videndum eſt, an hæc verba de ſolo Diabolo ita intelligi debeant, ut ad ſerpentem nullo modo pertineant, & quæ dicuntur de profligatore Diaboli ſemine, ſingulariter accipi debeant, ita ut intelligi non poſſint collectivè. Non deſunt enim viri docti, qui etſi nomen ſeminis aſſerant collectivè accipi debuiſſe in proximo membro, in hoc tamen omnino ſingulariter intelligi debere contendant. Tamen videre non poſſum, ſi nomen ſeminis mulieris accipiatur collectivè in præcedentibus, & ad illud nomen *zéra*, de quo dictum eſt, referatur pronomen *hu*, quomodo pronomē relativum pro uno ſolo individuo accipi poſſit, & ejus antecedens pro pluribus. Hanc tamē ſententiam argumentis quibuſdam ſtabilire conatus eſt vir Doctiſſ. David Pareus, quam pace tanti viri, non exiſtimamus cum præcedentibus, quæ ipſe argumentis probavit, conſiſtere poſſe. Nam aut omnino ſingulariter accipiendum eſt nomen ſeminis in antecedente & relativo, aut in utroq; accipiendū eſt collectivè.

Argu-

Argumenta quinque affert, quæ nos modeſtè expendemus, non litigandi animo, præſertim cum tali viro, & de Eccleſia Dei optimè merito, ſed tantùm ut oſtendamus, vel non debuiſſe eum à ſententia Calvini, quam ex parte ſequutus eſt, in hoc membro recedere; vel ubique ſequi debuiſſe ſententiam eorum, qui directè per mulierem, intelligunt, *Beatam virginem*; per ſemen mulieris, *Meſſiam promiſſum* excluſivè; per contritionem capitis ſerpentis per ſemen illud, eam quæ fit propriis viribus ſolis; & per contritionem calcanei, ſolos Diaboli impetus adverſus Chriſtum filium virginis. Quam ſententiam ut piam cenſemus, & ad rem quod ſpectat, hac prophetia includi, tamen ita expreſsè his verbis contineri, ut alia ratiocinatione opus non ſit ad eam eruendam, nondum perſuadere nobis potuimus.

Primum argumentum ex eo deſumit, quod Deus hoc membrum à præcedente, non ſine cauſſa diſtinctione magna ſeparat: & pergens loqui de ſemine mulieris, non dicit וזרעה *vezará* & ſemen ejus, ſed dicit הוא *hu* ipſum, vel ipſe, non repetito nomine priore, ut, jam non de ſemine communiter ut priùs, ſed ſingulariter de uno & certo quodam ſemine, hoc eſt filio, loqui intelligatur, ex communi illo mulieris ſemine prodituro, ad ſingulare cum ſerpente certamen. Sicut olim David, ex Iſraëlitarum exercitu ſolus prodiit in aciem contra Goliathum, eumq; ſingulari certamine devicit. Hæc ille, qui cum immediatè ſubjungat, *hanc rationem non convincere*, ejus debilitatem vidit. Nam quamvis addat, plurimùm habere ponderis aliis junctam, fatetur pondus ſuum aliundè mutuari debere, cum in ſe levis ſit, quod verum eſt. Nam argumentum, à diſtinctione ductum nullius eſt momenti, cum diſtinctio illa atnach colon tantùm efficiat, & indicet, nondum perfectam eſſe ſententiam. Quod autem nomen non repetatur, ſed pronomen relativum vice nominis ponatur, id etiam facit pro diverſa ſententia. Si enim repeteretur nomen, dici poſſet, cum nomen ſit aliquando collectivum, aliquando ſingulare, ſecundo loco ſingulariter accipi. Sed quum relativum pronomen, referat ſuum antecedens in eadem ſignificatione, ſequitur (ut oſtendimus) ſi antecedens fuerit collectivum, etiam relativum in eadem ſignificatione ſumi debere.

Secundum igitur argumentum profert, ex eo quod LXX reddiderunt αὐτός, ad ſingularem quendam mulieris filium denotandum, hoc eſt Chriſtum, cum quibus etiam Chaldæus Paraphraſtes conſentit. Neque enim (inquit) refertur ad τ̃ σπόρον quia non præceſſit ὁ σπόρος, ſed ad τὸ σπέρμα ad quod ſi relativum referre voluiſſent αὐτὸ vel τῦτο dixiſſent. Reſpondeo, eſſe etiam rationem valdè debilem, quia conveniunt omnes, interpretes LXX reſpexiſſe vel ad rem ſignificatam ſeminis nomine in præced. membro, vel ad nomen Ebraicum זרע *zéra*, quod eſt maſcul. generis: Et nemo hactenus negavit relativum illud, referri debere ad præcedens nomen, quod ipſe etſi neget, affirmat tamen eodem loco, quum ait non referri ad σπόρον, ſed ad τὸ σπέρμα. At τὸ σπέρμα, ipſo fatente, collectivè ſignificabat, ergo relativum quod ad illud refertur.

Tertium arg. Semini huic nō opponitur aliud ſemen ut priùs, ſed antagoniſta ſingularis, ipſe ſerpens. Ergo & ipſum haud dubiè innuitur ſingulare; ac ſingularis monomachia ſerpentis & Chriſti deſignatur. Reſpond. Etſi diſtinctè non repetatur vox ſeminis ſerpentis, intelligi tamen ſub ſerpentis nomine, & ſub eventu pugnæ & inimicitiarum, nam non ſerpens ſolus ſed cum ſemine ſuo conterit calcaneum ſeminis mulieris; ſic etiam non ſoli, ſed cum ſemine ſuo capitis contuſio ipſi imminet.

Quartum argum. deſumit ex *conterendi* verbo, ſeu ex victoriæ modo, qui hic promittitur planè inſuetus & ſingularis, quod nempe per ſemen hoc, non clava aut telo, ſed pede (id quod calcanei vulneratio docet) ſerpentis omnium vaſtiſſimi, caput ſit contriturum. Reſp. Certum eſſe figuratam eſſe locutionem quatenus de ſerpente antiquo intelligitur, ſed ab eo (ut diximus) deſumptam, quod cum ſerpens repat pronus in terram, pes hominis ejus caput poteſt attingere, ille viciſſim hominis pedem morſu petere; ſed inæquali ſorte. Id tamen & verum & certum, non ſolum fatemur, ſed & contendimus, viribus pluſquam humanis ad hoc opus eſſe, & de eo non diſputatur: ſed tantùm an nomen ſeminis collectivum ſit: alioquin enim in illa collectione unum eminere qui cæteris caput ſit, & vires ſubminiſtret, apud omnes fideles in confeſſo eſt, tantum agimus non de re, ſed de modo interpretandi ſententiam illam, directè.

Huc etiam referuntur argumenta, à divino opere, quia ſolius eſt divinæ virtutis, Satanæ caput conterere; Ab eo quod Chriſtus in aliis Scripturæ locis *ſemen* ſingulariter appelletur, ab ejuſdem officio, frangendi potentiam Satanæ: & ab impletione, quæ in N. Teſt. maniſeſtiſſimè declaratur. Quæ omnia argumenta efficaciſſima ſunt, adverſus eos qui Chriſtum ab eo opere vel excluderent; vel tanquam ex aliis unum, eum, in communi, in partem vocarent. At nihil faciunt contra eorum ſententiam, qui exiſtimant & *ſeminis* nomen, & relativum, *ipſum* collective accipi pro mulieris ſemine univerſo, quod non degeneravit in ſerpentis ſemen; ſed ita ut includatur ſub nomine ſeminis, & præcipuè intelligatur is, qui facit ut ſemen mulieris ſit etiam ſemen Dei, & qui ſub pedibus ſuorum Satanam conterit.

Quum igitur Calvinus videret, nomen ſeminis in prima parte collectivè accipi debere, & nullam rationem eſſe, cur poſteà relativum pronomen, aliter acciperetur, niſi ſeminis nomen nimis violenter torqueretur, eam interpretationem ſequutus eſt, quæ melius cum externo typo convenit, & ita rem ipſam, & dulciſſimam Prophetiæ conſolationem ſervat, ut tamen præcedentia omnia cum ſequentibus jungat, & utrumque ſenſum integrum & continuum tam organo, quam

inſeſ-

inſeſſori applicet, ut nihil detrahatur de prærogativa venturi Meſſiæ, cujus vim & robur hoc oraculo includi oſtendit & probat. Quoniam igitur diſſidii perpetuitas, per ſeminis utriuſque mentionem notatur, ita per continuam temporum ſeriem, ſoboli humanæ victoriam promitti ratiocinatus eſt. Semen itaque, de poſteris mulieris rectè accipi in tota hac periodo, id eſt, ut diximus, de poſteris non in univerſum, ſed indefinitè, & de ea poſterorum mulieris parte, qui filii Dei efficerentur. Nam ad eos fideles qui Eccleſiam conſtituere debebant ſemen illud reſtringi, Calvinus docuit, & rei veritas id confirmat. Quum enim (ut optimè ratiocinatur) experientia doceat multum abeſſe, quin ſupra Diabolum victores emergant, omnes filii Adæ, ad caput unum venire neceſſe eſt, ut reperiamus ad quos pertineat victoria. Sic ille in comment. & Inſtit. lib. 2. cap. 13. ſect. 2. *Si probè* (inquit) *expenditur Moſis teſtimonium, ubi ſemen mulieris dicit contriturum caput ſerpentis, litem prorſus decidet. Neque enim de uno duntaxat Chriſto, illic ſermo habetur, ſed de toto humano genere. Quoniam acquirenda nobis erat à Chriſto victoria, generaliter pronunciat Deus, poſteros mulieris ſuperiores fore Diabolo. Vnde ſequitur, Chriſtum ex humano genere eſſe progenitum; quia conſilium Dei eſt, Evam quam alloquitur, bona ſpe erigere, ne mœrori ſuccumbat.*

Summa hujus interpretationis eſt, ſeminis mulieris nomen collectivè ſumi, ſed quatenus eos comprehendit ſolos qui non ſunt ſerpentis ſemen, quum ipſis opponantur. Ergo ſub nomine *ſeminis*, Eccleſiam univerſam intelligi. Et quoniam Eccleſia corpus myſticum eſt, quod ſuum habet caput & membra, Satanæ debellationem ad membra non pertinere, niſi quatenus cum capite conjuncta ſunt. Ex eo ergo ſatis conſtare victoriam eſſe Chriſto propriam, nobis participatione communem. Prophetiam itaque hoc loco eſſe de Chriſto, qui inter eos qui ſemen ſunt mulieris primas tenet, & qui etiam in illo ſemine, mulieris eſt ſemen ſpeciali modo. Nihil enim impedit quominus ſub nomine collectivo, aliquis intelligatur in toto illo, cui ſpecialiter quod totius eſt tribuatur, quando, ut hoc loco, quod totius eſt, ejus non poteſt eſſe, niſi per unum illum.

Huc referebat Calvinus, quod Paulus Galat. cap. 3. ℣. 16. à ſemine Abrahami, ad unum nos deducit, *Abrahæ* (inquit) *dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus, ut de multis, ſed ut de uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Neque enim ibi negat Paulus hoc dici de multis hominibus, etſi de uno ſemine non de pluribus. Nam hoc tantum oſtendit ita dici de multis, ut ad unum omnes referantur, qui eſt Chriſtus, nempe myſticus, cujus Chriſti myſtici caput eſt perſona illa ſingularis à qua ſortitur nomen totum corpus. Cum enim dicit Deus Geneſ. 17. verſ. 7. *Stabilio autem fœdus meum inter me, & inter te ac inter ſemen tuum poſt te per ætates ſuas in fœdus perpetuum: me eſſe tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te. Daturumque tibi, & ſemini tuo poſt te regionem peregrinationum tuarum*, &c. Non dubium eſt quin ſeminis nomen ibi collectivè fuerit ſumptum, nec de ſolo Chriſto voluiſſe Paulum ita intelligi, ut ille ſolus eſſet particeps futurus illius promiſſionis, etſi ſub terræ promiſſione intelligatur, ut fieri debet, promiſſio cœleſtis regni: ſed quia ſolus futurus erat cauſſa communicandæ illius benedictionis, & ita in illo, id eſt propter illum, erant benedicendæ omnes gentes. Sed non exiſtimandum eſt, id Paulum ex eo ſolùm collegiſſe, quod dictum non ſit in numero plurali, *ſeminibus*, ſed in numero ſingulari, *ſemini tuo*: tum quia apud Ebræos nomen illud plurali caret, tum etiam quia in ſingulari ſumi ſolet pro omnibus filiis poſteritatis, quod manifeſtum eſt adeò, ut probatione non egeat. Non reſpexit ergo Paulus ad numeros grammaticos, ſed ad rem ipſam, neque numeri rationem, tanquam probationem adduxit, ſed tanquam accommodationem ad inſtitutum ſuum aliunde probatum. Neq; ſingulari numero nititur, ut de uno homine dictum hoc fuiſſe probet: ſed tantùm ut oſtendat nomen *ſeminis* in aliquo reſidere, qui in illo ſemine ita emineat, ut ad unitatem in ſe totum ſemen Abrahæ ſecundum ſpiritum revocet. Quod vidit Auguſtinus, qui agnoſcit in Chriſto ſignificari omnes Chriſtianos fide imitantes Abrahamum. Hi namque ſunt illud ſemen, cui promiſſio facta eſt, cum Chriſtus propriè ſemen ſit per quod promiſſio erat adimplenda, in quo tamen etiam illi omnes per unam fidem ad ſingularitatem rediguntur. *Et quia nos* (ait ille ſerm. 61. de verb. Euang.) *ad id pertinemus quod eſt Chriſtus: nobis ſimul corporatis, & illi capiti cohærentibus unus eſt Chriſtus. Et quia & nobis dicit, Abrahæ ſemen eſtis ſecundum promiſſionem hæredes. Si enim unum eſt ſemen Abrahæ, & illud ſemen Abrahæ non intelligitur niſi Chriſtus; hoc autem ſemen Abrahæ nos ſumus, hoc ergo totum, id eſt caput & corpus, eſt unus Chriſtus.* Non igitur ad unum hominem, ſed ad unum ſeminis genus, collectivum illud nomen ab Apoſtolo reſtringitur; ſed quia plura Abrahami erant ſemina collectivè etiam ſumpta, in ſuo genere, ut ſemen Iſmaëlis & ſemen Iſaaci, ſemen carnale, & ſemen ſpirituale; voluit reſtringere promiſſionem ad illud ſeminis genus quod in Chriſto ſpirituale factum erat.

Hos duos locos appoſitiſſimè comparavit Calvinus, nam utriuſque eſt idem ſcopus, & quæ promiſſio initio facta fuit protoplaſtis, Abrahamo confirmatur, qui credentium omnium futurus erat pater, ut ergo totum ſemen Abrahami ſecundum ſpiritum, participare debuit promiſſioni de hæreditate, ſic etiam univerſum mulieris ſemen ſecundum ſpiritum, in conflictu contra Satanam, victoriam reportare debuit. Sed quemadmodum in Abrahami ſemine, benedictio caput reſpicit omnium qui verè futuri erant Abrahami poſteri, quia ſeminis carnalis multi fuerunt filii degeneres, imò maxima pars fuit adulterina propter infidelitatem, unde ſequitur unitatem corporis illius à capite fluere; ſic hoc loco,

ſenſus eſt, humanum genus, quod opprimere per ſeductionem ſuam conatus erat Satan, fore tandem ſuperius; quomodo autem id fieri poſſit, & qualis futurus eſſet vincendi modus, Scriptura apertè deſcribit. Filios hominum, ſeculis omnibus, pro ſua libidine Satanam duxiſſe captivos, & hodiè luctuoſum de illis triumphum agere, nimis in comperto eſt. Ideò princeps mundi vocatur Joan. 12. ℣. 31. & 14. ℣. 30. & 16. ℣. 11. Sed quia tandem fortior emerſit è cœlo, qui eum ſubjugaret, hinc fit ut ipſi ſimiliter tota Dei Eccleſia, ſub capite ſuo inſultet magnificè. Quo ſpectat illud Pauli, Rom. cap. 16. ℣. 10. *Dominus brevi conteret Satanam, ſub pedibus veſtris.* Quibus verbis ſignificat virtutem conterendi Satanam, diffundi in omnes fideles, atque ita, communem totius Eccleſiæ benedictionem eſſe. Eodem pertinet illud 1. Joan. 2. ℣. 13. *Filioli ſcribo vobis, quia viciſtis illum malum.* Et quod Chriſtus de ſe & forti armato prædicat, Luc. 11. cap. 21. Quibus ex locis collatis, apparet, victoriam eſſe omnibus fidelibus communem, ſed autorem victoriæ in illo ſemine, eſſe eum qui primas tenet, & ad quem, tanquam ad caput, cæterorum omnium reducitur unitas.

Ex dictis patet, *ſeminis* nomen & relativum *ipſum*, collectivè quidem accipi, quod neceſſarium eſſe putamus, propter oppoſitionem ſeminis ſerpentis. Nihil tamen impedire, quin autor illius collectionis, & quaſi centrum in quo omnes lineæ conjunguntur, etiam his verbis includatur, imò præcipuè. Et ita Chriſtus per *ſemen mulieris* intelligatur, qui victoriam ſuam cum omnibus electis communicat, ut & ipſi, per illum, Satanæ caput conculcent; vires, regnum & potentiam ejus, conterant ac evertant. In quo agnoſcimus hoc eſſe peculiare Chriſti ſervatoris & redemptoris totius generis humani opus, quamvis capitis totius ſeminis mulieris beneficium, ad totum mulieris ſemen non degenerans pertineat. Sic etiam Calvinus, Inſtir. lib. 1. cap. 14. ſect. 18. *Quia autem promiſſio illa, de conterendo Satanæ capite, ad Chriſtum & omnia ejus membra communiter pertinet, ideò nego vinci unquam vel opprimi ab eo fideles poſſe. Conſternuntur quidem ſæpè, ſed non exanimantur, quin ſe colligant,* &c. Quem locum, cum citet Marinus Merſennus, videat qua fronte impingat Calvino, per ſemen mulieris intellectos fuiſſe ab eo omnes homines, quod ille tanquam falſum refellit, quia impii *ſemen*, ſeu *filii* Diaboli, dicuntur, Joan. 8. Sed cùm Calvinus de membris Chriſti & fidelibus loquutus ſit, ſatis indicavit ſe ab hujus victoriæ participatione impios omnes arcere. Ergo nihil aliud quam Calvini ſenſum exprimit ipſe Merſennus, cum dicit, *Vulgatam editionem tribuere Eccleſiæ victoriam, quia ſemper durat collectivè, cum tamen filii ejus diſtributivè deſinant & tranſeant, idque confirmat ex* Matth. 16. *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Portæ vero iſtæ,* inquit, *quid aliud ſunt quam ſerpentis caput?* Et rectè id quidem, dummodò Eccleſiæ nomine intelligatur totum corpus adunatum ex capite & membris. Sed tum (ut id obiter notemus) neceſſe eſt ut locum illum Matth. 16. referat, contra ſententiam ſuorum, ad eam Eccleſiam quæ nullo modo poteſt à ſerpente ſuperari, non modo in veritate doctrinæ, ſed etiam in peccati dominatione. Cùm autem multi Papæ tales fuerint (ipſis Pontificiis fatentibus) quorum capita contrivit Satanas, quos debellavit & ſibi ſubjecit, conſtat non fuiſſe capita illius Eccleſiæ, adverſus quam portæ inferi non prævalent. Id autem quod dicit, filios Eccleſiæ deſinere & tranſire, ſi ita intelligat quaſi non ſint amplius, injurius eſt Eccleſiæ filiis. Si autem reſpectu militantis Eccleſiæ ad quam poſt hanc vitam amplius non pertinent, id quidem verum eſt; ſed tamen non propterea ipſis detrahi debet victoria adverſus ſerpentem, qua illi ita potiuntur, ut triumphum agant. Quod ſi velit victoriam illam ita eſſe Eccleſiæ collectivè, ut non ſit uniuſcujuſque membri in ſe ipſo, etſi non per ſe ipſum, etiam graviter fallitur. Nam quod collectivè alicui toto tribuitur, etſi non ſemper ſit uniuſcujuſque partis niſi in toto; aliquando etiam, eſt uniuſcujuſque partis in toto & in ſe, juxta partium proportionem. Alioquin, ipſam virginem ſanctiſſimam ab hac victoria arceret, quam alii non tam in partem vocant, quam ipſi totum adſcribunt, qua de re dicetur poſteà.

Sed prius vindicandus eſt nobis Calvinus à quorundam Lutheranorum calumniis & criminationibus, qui ſententiam ejus de loci iſtius ſenſu, nomine ſeminis & pronomine collectivè ſumpto, maledicentiſſimè traducunt, adeò ut Hunnius non dubitaverit, eo nomine, tanquam in Judaiſantem Chriſti hoſtem adverſus eum debacchari, & ſententia ejus decurtata & detorta, ei affingere, quæ ne per ſomnium quidem cogitavit. Id præſertim capitale crimen, quod promiſſionis divinæ Calvinus fundamentum evertat. Cur obſecro? An quia Calvinus generi humano fuiſſe promiſſam de Satana victoriam aſſeruit? Hæc eſt promiſſio inquiet, cujus fundamentum eſt Chriſtus, Calvinus promiſſionem ponit, ſed fundamentum tollit. Id quam falſum ſit, ex iis quæ diximus manifeſtum eſt. Nam etſi ſubjectum propoſitionis Calvinus interpretur collectivè; in eo tamen Chriſtum intellexit præcipuè; ſed exiſtimavit, ex ſubjecti nomine, nihil poſſe firmiter probari contra Judæos, quia videbat eos habere rationes firmas, cur ſub ſeminis mulieris nomine poſſent intelligere non unum, ſed plures. Igitur tutius judicavit in prædicato propoſitionis hærere, & ex victoriæ promiſſæ qualitate, evincere homines ſimpliciter in ſe conſideratos tantæ victoriæ & de tali hoſte, non potuiſſe pares eſſe; neceſſariò igitur intelligendum promiſſioni fuiſſe incluſum caput illud, in quo & per quem genus humanum à Diaboli laqueis liberatus eſt.

Utraque interpretatio, tam quæ ſingulariter nomen ſeminis accipit, quam quæ collectivè, eo modo quo eam ex Calvino aſſeruimus, eundem ſcopum habet, & utrumque conjungit, ſed ordine inverſo, non quidem

à parte

à parte rei, ſed à colligendi & ratiocinandi modo. A parte enim rei conſtat apud omnes cauſſam illius victoriæ totam in Chriſto eſſe ſitam, qui ejus eſt fundamentum. Et id Calvinus fortiter aſſeruit. Sed in colligendi modo eſt diverſitas. Nam qui directè volunt ſub nomine ſeminis & immediatè ſolùm Chriſtum intelligi, poſteà ex eo deducunt omnium membrorum Chriſti victoriam, ratione ducta à capite ad membra. Si enim caput hoſtem devicit eique caput contrivit, non eſt quod membra metuant ſibi deinceps à Satana, vel horreant illud bellum, cum adverſario jam devicto. Qui vult autem directè ſemen mulieris collectivè ſumi, pro omnibus credentibus, ex mulieris ſemine à corpore & toto ad caput argumentatur, idque in ea materia firmiſſimè, attributo conſiderato, quod talis eſt naturæ, ut nullus homo ex muliere prognatus, qui ſupra hominem nihil habeat, ipſi ſufficere poſſit: unde rectè infert, contra Judæorum pertinaciam, Satanam vincere non eſſe virium humanarum. Promittit tamen Deus hominibus victoriam contra Satanam, eamque ab ipſis hominibus, qui Satanæ caput ſunt contrituri, obtinendam, promittit ergo illis vires divinas; unde neceſſariò infertur, ex illo ſemine oriturum aliquem qui viribus divinis præditus, illud acquiſiturus erat toti ſemini, cujus caput eſſet.

Dicent, Annon directa argumentatio magis eſſet naturalis, propria & minus intricata? Fateor, ſi ſubjectum illud, de quo quæſtio eſt, ita eſſet enunciatum, ita deſcriptum & reſtrictum, ut nullum adverſariis reliquum eſſet effugium. At non ita eſt. Idcirco cum id, pro eo quo pollebat judicio videret Calvinus, maluit eam argumentandi rationem ſequi, quæ etſi obſcurior eſſet, ipſi tamen firmior videbatur, & minus obnoxia cavillis. Quod cum iſti non curent quibuſcum nobis res eſt, & ſecuri agunt, ubi contra infideles diſputandum eſt, in hoc ſolùm intenti ſunt, ut ex præjudicatis opinionibus invidiam concilient iis, quorum fides Deo & piis nota eſt, & acumen ſolidum Judæis formidabile, utpote qui pondere potius argumentorum, quam numero pugnare malunt. Quid enim lucri faciemus, ſi inter nos qui credimus per Dei gratiam, aut ſaltem credere profitemur, accommodationes quædam locorum recipiantur, & etiam pluribus placeant, ſi tamen ubi ad conflictum cum adverſariis ventum eſt, difficultatibus non facilè ſuperandis implicemur? Certè hic peſſimus mos, parum Chriſtianos homines decet, qui cum aliundè de ſenſu & mente alicujus dubii eſſe non poſſint, ex eo quod unum aut alterum argumentum aliter explicet quam vulgus, aut paucioribus contentus, ea negligat quæ ipſi non videntur firma, dicam ei illico ſtatuunt impietatis, Judaiſmi, Mahumetiſmi, & quid non?

Igitur, quando Judæi hoc loco noſtris reſpondent, *ſemen mulieris*, collectivè intelligi de genere humano, idcirco ad Chriſtum non debere reſtringi, ſi nos antecedens negemus, & eorum probationi ex textu, quod ſemen collectivè utrobique accipiatur, opponamus autoritatem Apoſtoli, qui in hoc ipſo libro Geneſ. nomen *ſeminis* ſingulariter accipit pro uno, illi ridebunt probationem illam, & præterea (ut vidimus ſupra) inter ipſos Chriſtianos multi cenſent Apoſtolum non argumentari à ſingulari numero. Si urgeamus, quod *ſemen mulieris*, non viri dicatur, & reſpondeant quemlibet hominem eſſe ſemen mulieris id eſt prolem matris, & cauſſas fuiſſe ipſis Chriſtianis probatas, cur mulieris potius mentio facta fuerit, non viri, quæ myſterium illud virginis puerperæ non reſpiciunt; ne de phraſi litigare ſit neceſſe, cujus etiam exempla poſſunt proferre ex hominibus vulgari modo genitis; certè tutiſſimum erit ad Calvini reſponſionem confugere, & conceſſo antecedente, invertere conſequentiam, ex natura & vi attributi. Quoniam enim ſemini mulieris, hoc eſt generi humano promittitur victoria de Satana, quæ omnibus hominibus, extra Meſſiam, eſt impoſſibilis; neceſſario ſequitur Meſſiam, & quidem præcipuè in hoc ſemine fuiſſe promiſſum. Si qui ita argumentatur judaiſat, certè id intelligendum de eo judaiſandi genere, quo quis cum primis illis Judæis ſentit, à quibus Chriſtianam religionem accepimus.

Calvinus expreſsè dixerat, *Deum ſub nomine ſerpentis maximè Satanam petere, & in eum hîc ſtringere judicii fulmen, quod facit duplici de cauſſa, primùm, ut ſibi cavere homines à Satana diſcant tanquam ab hoſte mortifero; deinde, ut certa vincendi fiducia cum eo prælientur.* Qua igitur conſcientia audent iſti homines mentiri, Calvinum de naturali ſerpentis & hominum odio id Ethnico more interpretari? naturali item ſerpenti ſuam pœnam fuiſſe ſtatutam, & nullam Diabolo in hoc judiciario actu ſtatutam putare? At inquit Hunnius, *quanta jam obſecro rima Iudæis aperta eſt elabendi, ſi largiaris per ſerpentem ejuſque ſemen ſerpentes naturales, per ſemen mulieris poſteros omnes, per inimicitias, naturale illud odium notari? Iam certè nulla ratione comprehendi ſe patientur, ut de Meſſia quicquam hic haberi concedant, ſed in ſententia ſemel à Calvino conceſſa, unicè volent acquieſcere.* Utinam ita eſſet, ut in ſententia Calvini acquieſcerent! Quod autem de rima dicit calumnioſum eſt. Nunquam enim conceſſit Calvinus, ibi vel ſolùm, vel præcipuè agi de ſerpente naturali, tum certè non rima ſolùm aperta eſſet Judæis, ſed porta patens qua elaberentur. Sed expreſsè addidit, Deum non ita evomuiſſe iram ſuam in brutum illud organum, ut Diabolo parceret, quin ſerpentis nomine, Satanam præcipuè petiiſſe, & quia omnes filii Adæ ſupra Diabolum victores non emergunt, propterea ad unum aliquod caput, Chriſtum nempe veniendum. Certè Judaiſmi arceſſi non poteſt talis doctrina, niſi per ſummam διαβολήν. Quod ſi qui ſerpenti animali etiam inflictas fuiſſe his verbis pœnas ſentiunt, aperiunt rimam Judæorum infidelitati; certè rima illa aperta fuit ab ipſo Moſe qui terminis illis utitur qui immediatè

præſentem ſerpentem reſpiciunt. Et pauci erunt veterum Chriſtianorum, qui crimine illo non involvantur. Certè nemo unquàm hactenus Chryſoſtomum tanquam Judaiſantem traduxit, cujus interpretationem ita Calvinus ſequutus eſt, ut ex ejus relatione manifeſtè cuivis apparere poſſit hanc ſententiam novam non eſſe in Eccleſia Chriſtiana. Sic igitur ille, Homil. 17. in Geneſ. *Nam & inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen ejus. Neque hoc contentus ero, qui ſuper terram reptes, ſed & inimicam irreconciliabilem faciam tibi mulierem. Neque eam ſolam, ſed & ſemen ejus ſemini tuo hoſtem perpetuum faciam, ipſe tuum ſervabit caput, & tu ejus ſervabis calcaneum. Tantum enim illi robur concedam, ut continuò immineat capiti tuo; te autem faciam ſub pedibus ejus jacere. Vide hîc dilecte, quomodo per pœnam huic beſtiæ decretam, quanta humani generis cura ſit Deo, demonſtretur. Et hoc quidem de viſibili ſerpente. Licet autem, volenti poſteà conſiderare Scripturæ tenorem, & agnoſcere, quod ſi de ſenſibili ſerpente hæc dicta ſunt; multo magis accipienda ſunt hæc de ſpirituali ſerpente. Etenim & pedibus noſtris illum ſubjecit humiliatum, & nos incumbere illius capiti fecit.* Eodem ſenſu Procopius Gazæus ad hæc Geneſ. verba, *De apparente*, inquit, *& viſibili ſerpente quaſi per excellentiam loquitur, nam homo, ubi ſerpentem invenerit, totum corpus ejus deverberat; in primis autem capiti infert lethales ictus, quo vulnerato ſerpens interit. Serpens quoque totum, ſi poteſt & datur, humanum violat venefico morſu corpus: ſed cum humi repat, magis lædit hominis calcaneum. Nequit enim ſtantis poteſt attingere caput: at homo, facilè deſuper ſerpentis caput conterere valet. Per illa verba innuitur, quanto nobis inferiorem Deus Diabolum fecerit &c.* Hæc non ideò afferimus, ut præjudicium ulli objecta quorundam patrum autoritate faciamus, quominus poſſit ille in Dei timore, & eorum ſententias expendere, & controverſi textus ſenſum, quem tutiorem exiſtimabit inquirere: ſed tantum, ut oſtendamus, illorum non eſſe ferendam malitiam & calumniandi libidinem, qui abrepti odii & invidiæ affectibus, tanquam Judaicum & Ethnicum damnant in fideli Dei ſervo, quod longè anteà apud veteres Chriſtianos inter orthodoxas Scripturæ interpretationes locum habuit. Et certè, ubi in doctrinę capitibus retinetur veritas fidei, nec ab ejuſdem analogia quis in alicujus loci interpretatione deflectit, etſi receptam apud pleroſque opinionem in aliqua expoſitione non ſequatur, non poteſt traduci tanquam heterodoxus, niſi à malevolis, & fidei aliorum dominatoribus.

Deinceps nobis res erit cum illis Pontificiis, qui ad ſanctiſſimam virginem ita hoc oraculum referunt ex falſa verſione pronominis, ut eam in locum Chriſti ſubſtituant, eique adſcribant, quæcumque ſunt redemptoris propria. Hic paratragœdiat Delrio. Verba ejus ſunt, *ſupponunt conſibilantes aſpides, coaxantes rubetæ, per hanc lectionem*, ipſa conteret, *adimi Chriſto Domino quod ejus erat; Deiparæ verò tribui quod ejus non erat. Supponunt mendaciſſimum mendacium, quod probare debuerunt, ſed quia non poterant, ne tentarunt quidem.* Alter quidam Colonienſis commentator nuperus, *Gravis hoc loco hæreticorum, inimicitias ſimul cum ſerpente contra beatam noſtram mulierem exercentium, in nos calumnia, quod legamus,* ipſa, *non,* ipſe. Sic Marius, in quo ut in Simone Mago Act. 8. ℣. 23. eſſe *amaritudinis fellem, πικρίας χολὴν*, verba tam amarulenta, tam à veritate aliena ſatis indicant. An qui Beatam Virginem tanquam filii Dei matrem, omnium mulierum beatiſſimam, veræ ſanctitatis per Chriſtum, participem, vas Dei electum &c. concelebrant, argui poſſunt, ut inimicitias cum illa exercentes? At nolunt ipſi concedere eos dignitatis gradus qui Deo ipſi, vel Chriſto ſoli competunt. An propterea ſunt ejus hoſtes & oſores? Ipſa certè ſi in terris ageret, pro ſua modeſtia & veritatis amore à partibus noſtris ſtaret, & vel cum indignatione, falſos honores rejiceret, quos dum illi tribuunt Pontificii ipſi faciunt injuriam, & filio, à quo quicquid honoris poſſidet habet, detrahunt. Certè laudabile eſt Senecæ dictum. *Similiter eſſe reprehenſibilem, nimiam laudationem, & immoderatam vituperationem.* Vult quidem & debet virtus in pretio haberi, ſed laudem ſuam ab ore mendaci non mutuatur. Quia apud veritatem ſatis ei laudis eſt. Apud Ælium Spartianum, Imperatoris Nigri celebratur reſponſum ei, qui ipſi recitare volebat orationem in qua laudibus nimiis facta ſua efferebat, *Scribe*, inquiebat, *laudes Marii, vel Annibalis, vel alicujus talis ducis cui hoc debetur.* Si jam virgo in terris eſſet idem diceret iis, qui ipſi tribuunt omnes noſtræ ſalutis cauſas. Hæc ſcribite de filio meo, non de me, non enim mea ſunt, ſed ejus qui meus eſſe voluit.

At (inquit) Delrio non probatis illud mendaciſſimum veſtrum mendacium, quod Deiparæ tribuimus quæ ejus non ſunt, ſed filio Dei propria. Quid alia probatione opus eſt, cum ipſi fateamini, vos capitis ſerpentis eliſionem & contritionem ipſi tribuere? Diſtinguimus inquit, *Nam Chriſtus contrivit ſolus, propria virtute & in ſe ipſo, Maria in Ieſu, & per Ieſum, virtute & gratia Ieſu contrivit.* Rectè, ſi nihil aliud dicatis, patimur, imo laudamus, cur enim Mariæ negaremus, quod de quocumque fideli verum eſſe credimus? Maneat ergo Chriſto ſoli tanquam capiti privilegium illud κατ᾽ ἐξοχὴν, quod Mariæ & cunctis fidelibus commune ſit per gratiam. Id certè nemo noſtrum culparet, ita intellectum. Sed alia eſt ratio cur Mariæ id tribuatis. Non enim id de Maria dicitis, *quod contriverit caput ſerpentis* ut membrum aliquod corporis Eccleſiæ, eo modo quo alia membra in Chriſto & per Chriſtum victoriam illam adipiſcuntur. Sed ſingulari ratione, idque non ſibi ſolùm, ſed etiam aliis, qui eo nomine Mariam laudant tanquam liberatricem ſuam, neque eam ponunt in eorum numero, quibus Paulus ait *victoriam*

datam eſſe per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, 1 Cor. 15. v. 57. *imò*, quos dicit *eſſe pluſquam victores per eum qui dilexit nos.* Sed per eam nobis eſſe datam victoriam, & per eam nos eſſe pluſquam victores. Quod ne deinceps pro ſolita impudentia, negent Papiſtæ, quorundam verba proferemus, qui id diſertè affirmant.

Extat liber Bernardini de Buſto dicatus Alexandro ſexto Papæ, cui à nomine Mariæ, titulum fecit, *Mariale.* Hujus libri parte XI. ſerm. 2. ad lit. S. fol. 369. ſic loquitur. Fingit Mariam in cœlum aſcendentem, cum perveniſſet ad cœlum Martis, ibidem fuiſſe invitatam, & *ait potuiſſe ei ſic dici. Mars à gentilibus eſt appellatus Deus belli, & inclinat ad igneas operationes fabrorum ferrariorum. Tu vero victorioſiſſima virgo de omnibus hoſtibus ſemper triumphum & victoriam habuiſti ſicut prædixerat Dominus Diabolo à te conterendo Geneſ. 3. ipſa conteret caput tuum.* Poſteà, part. 12. ſerm. 2. ad lit. H. id ita explicat, ut planè tribuat Mariæ victoriam illam excluſivè aliorum omnium reſpectu. Gen. 3. *Ipſa conteret caput tuum, oſtenditur victoria virginis ſuper Diabolum, quadruplici ratione. Primò ratione conterentis, ipſa, quia* NON FUIT VIR *ſed fœmina. Secundò ratione modi conterendi, quia non percuſſit, nec vulneravit, ſed contrivit. Tertiò ratione partis quam contrivit, quia non caudam ſed caput &c. Quartò ratione perſonæ quam contrivit, quia non aliquem de parvis Dæmonibus, ſed ipſum Principem, &c.* Addit, ut oſtendat ſe intelligere id de victoria mulieris in gratiam totius humani generis, non de victoria quam ipſa habuit in Chriſto ad ſalutem ſuam propriam, quam nemo ipſi denegat, *Ipſi igitur benedictæ virgini ſupplicabat humanum genus dicens illud Eccleſiaſtici 36. Tolle adverſarium & affige inimicum, & contere caput Principis inimicorum noſtrorum. Et iterum illud Pſ. 9. Contere brachium peccatoris & maligni.* Talia innumera apud eum autorem leguntur, quæ ne quis dicat eſſe jam obſoleta, & ſobriè magis loqui hoc tempore, qui de prærogativis ejus ſcribunt, ſic nuper Barradius Harm. Euang. lib. 3. cap. 7. *Non fuit Siſaræ infeſtior Iael, cujus caput adacto per tempora clavo terebravit, nec Holoferni Iudith quem pugione obtruncavit, nec Eſter Regina Amano quem Rex Aſſuerus in crucem egit, quam fuit virgo ſanctiſſima Draconi, cujus immane caput contudit.* Hinc compellationes publicæ ad Mariam, in Antidotario animæ, *Salva me, ſalvatrix, redime me mea redemptrix: peccata mea gravant me, mundus involvit me, caro premit & inquinat me, hoſtis inſidiatur ut rapiat me: hora mortis & ſententia judicis terret me, peccata habeo, merita neſcio, ſed tu adjutrix fortis in tribulatione adeſto doloribus meis.* fol. 107. In libro de Miraculis Beatæ Virginis recuſo Moguntiæ anno 1612. proferuntur multa exempla eorum qui in ſtatu damnationis mortui, in prædam ceſſerant Diabolis, qui tamen, quoniam recitaverant ſalutationem Angelicam, opera Beatæ Virginis, Dæmonibus eripiebantur, qui confuſi recedebant, ut autor loquitur. Imò cum peccata coram Deo judice præponderarent, illa tamen ſuccurrebat, latronibus, adulteris, & ſimilibus, & efficiebat ut pondus adderetur ſtateræ. Talia innumera recitantur, quibus voluit Diabolus homines avocare à Chriſto, ut victoriam illam tribuentes Mariæ, ipſius fructu & uſu privarentur. Cujus rei exempla eaque horrenda, longum eſſet recitare. Hæc tantùm delibavimus, ut appareat impudentia Delrii, qui aſſerit nihil aliud Mariæ tribui, quam quod Satanam contriverit ex gratia Chriſti. Quod ſi dicat id non repugnare, quod id fecerit ex gratia Chriſti & per virtutem ejus, & tamen propterea ipſi ab hominibus gratiæ agantur, atque invocetur, ut eis ſit auxilio contra Diabolum. Reſpondemus, id planè repugnare. Ratio eſt, quia ſi id Maria fecit tanquam aliquod Eccleſiæ membrum, etſi nobiliſſimum, id fecit ſibi & non aliis, virtute communicata, quo ſenſu à parte fidelium eſt tanquam una ex iis quæ ſalvantur. Si autem id fecit ſingulariter, non collectivè, quomodo id ipſi tribuunt Pontificii, tum illa ſubſtituitur Chriſto, & fit aliis ſalutis cauſſa, non tanquam una ex iis quæ ſalvantur, ſed ut quæ ſalvat. Quo ſenſu id intelligunt Pontificii, & nos deteſtamur.

Id quum alii, magis ingenui, negare non poſſint; aliâ rimâ elabi conantur. Itaque fatentur illa ipſa quæ ſunt Chriſti, Mariæ à ſe tribui, ſed per aliquam figuram; Chriſtum igitur *contriviſſe propriè caput ſerpentis*, & meritis ſuis vires Diaboli protriviſſe. Sed id *orthodoxè* ut loquitur Marius, *& verè tribui Mariæ Virgini*, quia id factum eſt per Chriſtum, tanquam ſemen, *in quo benedicendæ erant omnes gentes.* Id etiam conatur ex Scriptura probare, *Nam ſicuti*, inquit, *Domini noſtri qui ſerpentis caput contrivit, mater fuit, ita Abraham fuit illius Pater. At vero, propter rationem & dignitatem Patris, dictum eſt Abrahamo* IN TE *benedicentur univerſæ cognationes terræ, idque aliis locis apertè explicatur, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, ergo ſimiliter, quia in ſemine & à ſemine Beatæ Virginis conterendum erat caput ſerpentis, potuit propter rationem & dignitatem Matris, ei dici, in te, vel à te, conteretur caput ſerpentis.* Hæc Marius, in cap. 3. Gen. ℣. 16. Reſpond. 1. aliam planè rationem eſſe hujus locutionis, *in te benedicentur omnes nationes terræ*, & ejus de qua nunc diſputamus. Non enim agitur ibi de aliqua actione quæ tribuatur Abrahamo tanquam cauſæ efficienti, ſed de aliqua paſſione, quæ ipſi tribuitur tanquam ſubjecto recipienti. Et quia Abraham futurus erat pater omnium credentium, ideò credentes omnes debebant fieri participes benedictionis Abrahami. Ut enim privilegia patrum tranſeunt in filios, ſic etiam benedictio Abrahami tranſiit in omnem poſteritatem Abrahami. Quod autem ait, id quod alibi additur, *in ſemine tuo*, eſſe explicationem illius phraſeos *in te*, etſi poſſet in dubium revocari, quia *in* præpoſitio, in primo loco ſubjectum poteſt ſignificare, in ſecundo cauſam efficientem

cientem

cientem & modum, & ita reſolvi, *in te benedicentur omnes gentes per ſemen tuum:* Tamen ſi etiam id concederemus, nihil lucri accederet adverſario. Quia hæc dicta fuerunt Abrahamo, quum ſemen illud adhuc eſſet in lumbis ejus, qua ratione etiam Davidi aliquando tribuuntur quæ futura erant Chriſti, ſed typicè tantùm; quo ſenſu de beata virgine dici potuiſſet ante quam Chriſtum peperiſſet, *in te benedicentur omnes nationes terræ*, etſi non planè pari ratione, quia aliquando nomen patris tribuitur filio, ut Davidis Chriſto, matris autem non item. Sed etiamſi illud in genere dici potuiſſet, imò etiam hoc tempore non eſſet abſurdum dicere, in Beata Virgine benedictæ fuerunt omnes gentes, propter Chriſtum, aliud eſt in genere benedictionem aliquo modo tribuere parentibus quæ in liberis quos procrearunt cauſas ſuas habet; aliud ipſis tribuere ſuorum filiorum actiones, vel paſſiones ſingulares. Rem exemplo familiari declarabo. Si mulier aliqua mater fiat viri, qui in maximam poſteà per virtutem ſuam, evectus dignitatem, ad primum in Republica gradum conſcendat, regio etiam diademate decoretur, & quo regnante ſtatus reipublicæ floreat, non ineptè loquetur qui dicet, in muliere illa, aut etiam per mulierem illam fœlicitas magna nobis obvenit: Sed quis propterea dicet, illa mulier, equo vecta, inter armatos milites fortiter ſe gerens hoſtes proſtravit, prudentiâ maxima rempublicam gubernavit, in conſilio procerum regni eloquentiſſimam & efficaciſſimam orationem habuit &c? Quis pateretur hominem ita ineptientem qui diceret, quæcumque geſſit domi & foris S. Ludovicus Rex Francorum, à Blanca matre ejus facta fuiſſe? vel Monicam, fuiſſe Manichæam, genuiſſe filium ex fornicatione, poſteà factam Chriſtianam ad Epiſcopatum Hipponenſem evectam fuiſſe, contra Pelagianos accuratè cauſam Catholicam egiſſe, &c. quæ ab Auguſtino, Monicæ filio, facta fuerunt? Et ne egrediamur extra ipſum exemplum, quo abuti voluit adverſarius, an quia in Abrahamo, id eſt in Abrahami ſemine benedictæ fuerunt omnes gentes, ideò dicere poſſumus, natum eſſe Abrahamum ex Maria virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, reſurrexiſſe, in cœlum conſcendiſſe, ſedere ad dexteram Patris? Illud quidem ultimum non verentur Pontificii tribuere virgini Mariæ, in Blaſphemo illo Pſalterio Bonaventuræ, quod ab iis ſingulis diebus recuditur & commendatur. *Dixit Dominus Dominæ meæ, ſede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Sed hæc & talia ſummè blaſphema aliquo colore etſi infuſcare conentur, nullus eſt tamen qui hucuſque auſus ſit dicere, Virginem Mariam crucifixam fuiſſe, & deſcendiſſe ad inferos, & per mortem aboleviſſe eum qui mortis habet imperium, quod de Chriſto dicitur Ebr. 11. ℣. 14. aut beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaſſe. ibid. verſ. 9. Eſſet tamen eadem ratio, ſi quicquid dicitur de ſemine alicujus, id propter rationem & dignitatem Patris & Matris, de parentibus dici poſſet. Si enim argumentatio valeret: Quia virgo mater eſt Chriſti, & Chriſtus contrivit caput ſerpentis, ergo virgo contrivit caput ſerpentis. Valeret in omnibus aliis quæ Chriſtus fecit & dixit. Ergo Maria prædicavit Euangelium, Apoſtolos inſtituit & miſit, cæcis viſum reddidit, paralyticos ſanavit, Phariſæis os obturavit, &c. Quæ portenta & abſurda nemo ſanus admittere poterit, & tamen hoc ſuo invento, putavit homo, ſcilicet acutus cornicum oculos confixiſſe.

Exercitatio XXXVIII.

De pœna mulieri inflicta in partus doloribus. Quomodo naturales dici poſſint? Scholaſticorum de ea re ſententia examinatur, & contradictiones notantur. Explicatur Pauli dictum, Salvabitur liberos gignendo. *Refellitur error Pontificiorum qui Pauli verbis abutuntur, ut ex Matrimonio faciant Sacramentum. Quos etiam arguit Gabr. Vaſquez. Subjectio mulieris reſpectu viri quomodo pœnalis? Triplex viri pœna.* בעבור baabur *quid? Explicantur verba* in labore tuo. *Adamah quid? Maledictio terræ quo reſpectu intelligenda? Spinæ & tribuli an fuerint ante peccatum? Quis ſenſus verborum*, comedes herbas agri? *Quid* ſudore vultus *intelligendum?* Panis *pro quovis cibo. An glandes fuerint primus hominum cibus? An manuarium opus omnibus imperetur? Mortis inflictio ultima pœna.* In pulverem reverti. *Diſtinctio finis pœnarum. Quomodo poſt remiſſam culpam, remaneat pœna? Quomodo res mutata prius ſuum nomen retineat? Solvitur objectio ex eo quod non omnes in pulverem redigantur. Expenditur locus Syracidæ* x. *verſ.* 13.

POſt indictas utrique ſerpenti graves pœnas, quia homini fuerant autores peccandi; mitius agit Deus cum homine lapſo, cui reparationis ſpem fecerat. Sed tamen in hac vita utrique tam Evæ quam Adamo, aſſignat ſua exercitia caſtigatoria, ut peccati memores per quod à beato illo ſtatu, etiam temporali exciderant, toto vitæ curſu diſcerent illud deteſtari, & ſeriam agere pœnitentiam. Sequitur autem ordinem in ſententiæ dictione, qui in facti cujus cauſſa in judicium Deus deſcendit, narratione fuit obſervatus. Serpens enim mulierem adortus eſt primùm; Mulier in peccatum conſenſit. Maritum

poſteà ſuum ad transgrediendum mandatum ſollicitavit, qui uxori nimium credulus, etiam lapſus eſt in peccatum.

Deus itaque primùm in tentatorem ſententiam pronunciavit, exinde adoritur Evam, & poſteà tranſit ad Adamum. Quæ obvia ſunt, non attingemus, dubia tantùm nonnulla in pœnis contra Evam & Adamum pronunciatis, movebimus, & ſolvere conabimur. Ad duo capita referuntur, quæ Deus tanquam pœnalia mulieri infligit. 1. Partum cum dolore, & 2. ſubjectionem erga maritum. הרבה ארבה עצבונך *harbah arbeh itſbonec.* Multiplicando multiplicabo dolorem tuum. Ubi verbi finiti cum infinito conſtructio, certitudinem, evidentiam, & continuationem denotat, quaſi diceret, omnino & certiſſimè dolores tuos multiplicabo. Intelligit autem dolorem, mulieribus peculiarem, ideò ſe explicat in ſequentibus, והרנך *veheronec*, & partum tuum, ubi copula duo ſubſtantiva conjungit, quorum ſine copula alterum eſſet genitivi caſus, *dolorem partus tui.* Quod etiam apud Latinos fit, per figuram quæ dicitur ἓν διὰ δυοῖν, ut *chalybem frænoſque momordit*, id eſt, *chalybeos frænos.* Quæ ſequuntur ergo ſunt exegetica, *cum dolore paries filios*, quæ etſi propriè ad dolores partus pertineant, videntur tamen etiam comprehendere omnes moleſtias mulieribus peculiares, non ſolum in partu, ſed etiam toto graviditatis tempore, quo cum variis morbis & ſymptomatis conflictantur, ut dolore capitis, faſtidio ciborum, &c. Alioqui multiplicatio conceptus ad benedictionem pertineret, ſi ſimpliciter acciperetur, ſed juncta doloribus & incommodis, eſt peccati pœna.

Hic quæritur, An, ſi lapſi non fuiſſent homines, doloribus & anxietatibus caruiſſet in mulieribus conceptus, & partus? Naturales eſſe illos dolores hoc tempore, id eſt in natura qualis jam eſt, notarunt etiam inter Ethnicos qui Phyſica tractarunt, qui ejus rei cauſſas multas afferunt. Agnoſcit nihilominus Ariſtot. lib. 7. de Hiſt. anim. cap. 9. *Cæteris animalibus partus non laborioſos evenire, & minus cum parturiunt infeſtari videri: At mulieribus dolores vehementiſſimos incidere, præſertim ſellulariis, & quibus non bona latera ſunt, neque facultas retinendi ſpiritus ſuppetit*, &c. Quibus verbis indicatur, dolores illos, etſi nunc ex naturalibus cauſſis accidant, non tamen pertinere ad naturam per ſe & neceſſario, quia cum in cæteris animalibus aut nulli ſint, aut minores, colligitur talem poſſe eſſe naturæ conſtitutionem in animali, ut fœmina poſſit concipere & parere ſine moleſtia & ſenſu doloris, quod etiam nonnullis, etſi paucis, accidit. Non ergo exiſtimarem (quod nonnulli putant) opus futurum fuiſſe miraculo novo, quotieſcumque fœmina peperiſſet, ut à labore & dolore liberaretur, idque proventurum fuiſſe ex gratia ſupernaturali; ſed Deum, conſtitutionem mulierum ante peccatum talem inſtituiſſe, & ſervaturum fuiſſe ſecundum naturæ ordinem, ut quæcumque hoc tempore in partu & fœtu ſunt moleſta, fuiſſent tunc omnis moleſtiæ & doloris ſenſu expertia. Sic cenſet Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei cap. 26. *Cum* (inquit) *fœtus in utero jam partui fuiſſet maturus, tunc fore, ut materna viſcera, ſponte in tantum laxarentur, ut commodum fœtui, ſine matrum dolore tranſitum præberent.*

Inter Pontificios de ea re variant ſententiæ, Nam Thomas Aquinas cum ſequutus eſſet ſententiam Auguſt. 1. part. q. 98. art. 2. ad 4. Et exiſtimaſſet nullam futuram fuiſſe, neque in coïtu, neque in partu, locorum fœmineorum ruptionem violentam, ſed tantum laxationem & dilatationem, & poſteà retractionem ſine rupturâ; fuerunt, qui inde conſequi putarunt, in ſtatu innocentiæ fœminas omnes futuras fuiſſe, B. Virgini in modo pariendi æquales, ita ut quod in ipſa fuit eximium & ſingulare miraculum, illis omnibus fuiſſet commune, quod Pererio abſurdum eſt, & *nemo niſi amens & excors dixerit*, inquit Cornelius à Lapide Jeſuita: Id tamen tanquam verum tuentur, Dominicus Bannes, Cumel & alii; Itemque Marius Colonienſis, cui *meritò* (ut loquitur) *probabilior ſententia videtur, ne tantos dolores in ſtatum tam fœlicem admittamus, à quo morbi & miſeriæ longè minores Dei dono erant abfuturæ.* Neque tamen exiſtimat proptereà ſequi, tales mulieres admitti ad B. Virginis privilegium; quia aliud eſt ſine dolore; aliud ſine virginitatis læſione parere. *Poteſt enim* (inquit) *lædi & amitti virginitas etiamſi dolor abſit, nempe per experientiam venereæ delectationis, quæ à beata virgine ſemper abfuit. Nunc in congreſſu & in partu, circa læſionem virginitatis*, inquit, *ſunt duo; unum materiale, læſio & ruptio partium, alterum formale, voluntaria experientia delectationis. In ſtatu innocentiæ prius abfuiſſet, poſterius adfuiſſet; à beata vero virgine abfuit utrumque. Vnde non debebat Cornelius hic ità referre ſententiam S. Thomæ, quaſi is dicat in ſtatu innocentiæ ſalva corporis integritate quæ virginitas dicitur, futurum fuiſſe conceptum & partum. Nam Sanctus Thomas nunquam dixit in ſtatu innocentiæ conceptum, vel partum futurum ſalva virginitate, ſed ſalva integritate partium.* Hæc ille. Ex quibus apparet ſententiam Thomæ & qui eum ſequuntur, eſſe, laxationem & dilatationem partium muliebrium in partu, & earundem poſt partum retractionem, non lædere virginitatem, ſed rupturam tantum materialiter, & delectationem veneream formaliter. Quod ideò notandum eſt, quia plerique alii inter Pontificios pro maxima hæreſi habent, ſi qui in partu virginis nolunt admittere penetrationem dimenſionum, in qua nec *dilatatione*, nec *retractione* opus eſt. Qua de re aliàs à nobis dictum eſt, ad verſ. 28. capitis primi.

Alluſiſſe ad hunc locum non dubitamus Paulum, 1. ad Tim. 2. ℣. 15. *Servabitur tamen liberos gignendo, ſi manſerint in fide, ac charitate & ſanctificatione, cum modeſtia.* De hujus loci ſenſu, quia etiam huic videtur parallelus, & ſine difficultate non eſt, aliquid dicam.

Græcè.

Græcè habetur, διὰ τῆς τεκνογονίας, *per liberorum generationem*, ubi illud διὰ (ut benè notavit venerabilis Beza) non cauſſam cur ſalvabitur, ſed ſtatum in quo ſalvabitur, deſignat; Ut δι' ἀκροβυςίας, pro ἐν ἀκροβυςίᾳ. Rom. 4. ℣. 11. Sed quod additur in Græco, ἐὰν μένωσιν, *ſi maneant*, quod verbum plurale, ſummo codicum conſenſu legitur, quæritur ad quod referatur, an ad τεκνογονίαν, an vero ad nomen mulieris. Certè nomen τέκνων non poteſt ἀπὸ τῆς κοινῆς commodè repeti, & ſi id referretur ad liberorum fidem, inde ſequeretur mulierum ſalutem periclitari, ſi liberi in fide, charitate & modeſtia non perſiſterent, cum certè in ea re majus eſſet patribus periculum, ad quos maximè ſpectat educatio. Idcirco dicimus verbum illud plurale, ad mulierem referri per Syntheſim, quia mulieris nomen collectivè accipitur, ubi Apoſtolus in genere diſſerit de mulierum Chriſtianarũ officio. Notat Mariana Gothicum exemplar id retuliſſe ad mulierem, & vertiſſe *manſerit*, in numero ſingulari. Sed perinde eſt, ſi, quod diximus manente plurali, idem ſenſus (qui certè genuinus eſt) remaneat, nempe mulieres ſalvatum iri per liberorum generationem, id eſt in ſtatu illo in quo ex Dei ſententia multis laboribus & doloribus ſunt obnoxiæ; id inquam, id eſt pœnam illam & ſubjectionem, cui propter peccatum & ſeductionem obnoxiæ fuerunt, non impedituram, quominus ad ſalutem perveniant, ſi moribus ornentur, Chriſtianis mulieribus dignis, quales ſunt *fides, charitas, ſanctificatio & modeſtia*, σωφροσύνη, quæ poſtrema virtus, mulieres maximè decet. Non dubito hunc eſſe verum & ſimplicem hujus loci ſenſum. Apoſtolus enim, ut mulieres arceret à publicis functionibus doctrinam ſpectantibus in Eccleſia, indicens ipſis ſilentium, inter alias rationes hanc attulit, quod mulier ſeducta cauſſa transgreſſionis fuit. Notat poſteà obiter pœnam mulieri inflictam, τεκνογονίαν, ſub qua voce comprehendit omnia quæ hoc Moſis loco pronunciantur, id eſt cum difficili liberorum partu, ſubjectionem moleſtam, etiam difficili marito. Potuit quis objicere, pœna illa temporalis ergo poterit ne obeſſe ſaluti ſpirituali mulierum, quæ obnoxiæ factæ ſunt his laboribus? Occupat Apoſtolus. Minimè, inquit, ſtatus ille etſi laborioſus & moleſtus, non impediet quo minus ad ſalutem perveniant, in Chriſtianis virtutibus perſiſtentes, etſi propter ſubjectionem, & partus moleſtias, non ſint aptæ ad munera docentium in Eccleſia, nec id ſibi debeant uſurpare. Ergo τεκνογονία, non debet intelligi ſimpliciter apud Paulum, ſed talis τεκνογονία quæ mulieri poſt peccatum à Deo fuit impoſita, his verbis, *multiplicando multiplicabo dolorem tuum & partum tuum*, id eſt, *dolores partus tui.* Ne quis autem novum eſſe exiſtimet, quod poſt Bezam, verbum plurale *permanſerint*, ad mulieris nomen referamus, Hieronymus, Primaſius, & Sedulius in Scholiis ſuis, pluraliter itidem legunt, & ad mulierem tamen referunt, ut ſicut Paulus ante à plurali numero ad ſingularem tranſierat, *ſimiliter* (inquiens) *mulieres amictu honeſto, cum verecundia & modeſtia, &c. Item, quod decet mulieres, &c.* ℣. 9. & 10. Et poſteà verſ. 11. *Mulier in ſilentio diſcat, &c.* Ita hic ex ſingulari ad pluralem redeat, quum utrobique ſub nomine tam ſingulari quam plurali, de pluribus agatur, non de una. Recte igitur illi, *ſalvabuntur* mulieres, ſi in bonis, Deoque placentibus operibus permanſerint. Quem etiam ſenſum apud Græcos ſequitur Theodoretus, non modo nullum ex Eva damnum accipere, ſi benè ſe geſſerint, ſed maximam quoque utilitatem percepturas, per fidem & charitatem, ſervantes ſanctificationem & caſtitatem. A quo ſenſu ſimpliciſſimo & obvio, qui receſſerunt, implicarunt ſe variis difficultatibus.

Sed Pontificiorum plerique doctores graviter impegerunt, dum ex eodem loco Sacramenti ſui Matrimonii propriè dicti pro ſigno conferente gratiam ſanctificantem, confirmationem petere voluerunt, quam obiter etiam examinabimus & vim ipſius infringemus. Petrus à Soto, lib. de inſtit. Sacerd. lect. 1. Quem penè ad unum omnes Pontificii hactenus ſequuti ſunt, inter omnes autem Jeſuitarum Primipili, Bellarminus, Gregor. de Valent. Toletus & alii, ſic probare contendunt Sacramentum eſſe propriè dictum, matrimonium ſub novo fœdere. Idque maximè ex ea lectione quam ſequuti ſumus, qua illud *permanſerint*, aut ad mulieres referimus pluraliter intellectum, aut ſi ſingulariter legatur, *permanſerit*, ad mulierem communiter ſive collectivè, eadem enim eſt ratio. Et nunc Pontificiis ſic eſt ſingulariter legendum, ſi *permanſerit* mulier, quia Codex emendatus juſſu Pontificum in vulgata ſic habet, à qua recedere non permittitur, & ſic legitur apud Auguſt. in Pſal. 83. ubi explicat illud *paſſer invenit ſibi domum*, &c. Et ſic etiam legit Beda. Nec eſt quod de ea re pluribus agamus, quia hoc fatemur, ſenſum conditionis illius quomodocumque legatur, ad mulierem quæ per τεκνογονίαν ſervabitur, referri debere. Sic igitur illi argumentantur, ſi mulier ſervatur per generationem filiorum, hoc eſt in filiorum generatione, ut Act. 15. ℣. 21. *per ſingula Sabbatha*, id eſt, *in ſingulis Sabbathis* (quam etiam expoſitionem non improbamus) ſi inquam permanſerit in fide & ſanctificatione, hoc eſt bonis matrimonii, ſignum eſt per ipſum matrimonium, gratiam conferri, quæ bonis matrimonii conſervata, conjuges ſalvabat. Dicunt autem à Paulo quatuor bona matrimonii numerari, contra quatuor mala quæ ex illo oriri ſolent, videlicet fidem, contra adulterium; dilectionem, contra rixas & jurgia; ſanctificationem, contra turpitudinem; ſobrietatem; contra intemperantiam, & ideò dixiſſe Paulum, ſi permanſerit *in fide, dilectione, cum ſanctificatione, cum ſobrietate.* Si hujus argumenti terminos numeraremus, tot reperirentur quot pedes in polypo. Si connexionem quæramus prorſus nulla eſt. Primò, probare non poſſunt, non agi de fide in Chriſtum, ſed de fide matrimonii; neque probant non agi de

de charitate Chriſtiana, ſed de fide conjugali; neque poſſunt evincere non agi de ea ſanctificatione quæ omnes Chriſtianos decet, id eſt, de ſanctificatione totius vitæ per bona opera, quod etiam concedunt quidam interpretes Pontificii; non autem de peculiari aliqua ſanctitate collata in matrimonio, ad uſum illius. Neque ſi hoc probarent virtutes illas reſtringi ad conjugium, ſequeretur collatas fuiſſe per ſpeciale Sacramentum, & vi aliquorum verborum. Totum igitur argumentum nutat. Quod ingenuè tandem faſſus eſt Gabriel Vaſquéz Jeſuita, in opere poſthumo, de Matrimonii Sacramento Diſp. 2. cap. 6. Sic enim ille. *Cæterùm cùm ex doctrina Patrum & interpretum non conſtet, per ſanctificationem intellexiſſe Paulum peculiarem ſanctitatem, collatam in matrimonio ad uſum illius, ſed intelligi rectè poſſit, ſanctificatio totius vitæ per bona opera, non video quo pacto ex hoc loco efficax argumentum colligi poſſit: videtur autem hoc loco Paulus conſolari mulieres, ut contentæ ſint filiorum procreatione, neque in Eccleſia prædicare & docere velint, quia ſatis illis erit in ſtatu conjugii cujus munus eſt filios prócreare ſalvari. Ne autem putarent id eis ſufficere ad ſalutem, ſubdidit, ſi permanſerint in fide &c. quaſi diceret, ut ſalventur mulieres in matrimonio, ita ſatis erit illis filios procreare, ut tamen ſimul etiam fidem ſervent maritis, eoſque diligant, & in ſanctificatione bonorum operum cum ſobrietate permaneant, alioqui neque per procreationem filiorum, aut in ea, ſalvari poterunt.* Hæc ille, qui in eo noſtræ interpretationi conſentit, quod virtutes quæ in conditione ponuntur, referantur ad mulierem non ad liberos. De cætero, etſi aliter accipiat *generationem filiorum*, & virtutum fidei & charitatis ſignificationem, tamen in eo veritati dat manum, quod efficax argumentum ex hoc loco colligi non poſſit, ad matrimonii rationem ſacramentalem probandam. Multo minus ſi accipiatur locus quomodo interpretati ſumus, ex collatione ſententiæ apud Moſem contra mulierem latæ, quia Paulus non agebat de matrimonio per ſe, ſed de oneribus matrimonii ex peccato impoſitis, adverſus quæ conſolationem efficaciſſimam proponebat.

Inter quæ onera, etiam id additur in textu, *& ad virum tuum* תשוקתך teſchukatec, *deſiderium tuum*, & ipſe ימשל בך jimſchol bac, *dominabitur in te.* LXX habent, καὶ πρὸς τὸν ἄνδρά σου ἡ ἀποστροφή σου. *Et ad virum tuum, converſio tua*, quod ita acceperunt nonnulli interpretes, quaſi id Deus intellexiſſet, etſi cum doloribus paritura eſſet mulier, tamen ſponté rurſus appetet virum. Sed hujus commenti fundamentum in verbis nullum eſt, quorum ſenſus eſt, quicquid deſiderabis aut voles, id oportebit te à viro conſequi & impetrare, debet enim mulier, in hoc viri revereri poteſtatem, ut quicquid agit, illius nutu & conſilio agat. Unde apud Romanos fœmina dicebatur *capite deminuta*, eo quod non eſſet ſui juris ſeu capitis. Ideò vir apud Apoſtolum, vocatur *caput mulieris*, 1 ad Cor. 11. v. 3. Capitis autem eſt regere & gubernare.

At ex modo quo fœmina è viro educta eſt jam oſtendimus hoc naturale fuiſſe, ut uxor viro ſubjiceretur, quandoquidem erat os ex oſſibus ejus, & inde etiam deducta eſt ratio illa capitis. Quod ſi naturalis fuit dependentia & ſubjectio uxoris, & mariti prærogativa & autoritas, merito quæritur, cur tanquam pœna infligatur nunc, quod in ipſo ſtatu innocentiæ naturæ conveniens fuit? Reſpond. non eſſe pœnam ſimpliciter, ita ut deſideria uxoris à viro pendeant, ſed accedente peccato, id factum eſt pœnale per accidens, propter utriuſque ex peccato ortam imperfectionem. Non eſt gravis dominatio & autoritas ubi qui dominatur ſemper æquè & moderatè ſe gerit, & qui ſubeſt, officio defungitur placidè & volens. Sed cum talis turbatur harmonia, tum ſubjectio cum pœna gravi conjuncta eſt. Hoc effecit peccatum, & id declarat Deus, rem nempè futuram uxoribus moleſtam, quia non ſimili modo ſe gereret uterque quo in innocentiæ ſtatu: tum enim, ſub viri poteſtate erat mulier, non coactè, nec moleſtè, vel aliquatenus repugnante voluntate; ſed cum mulier eſſet integro animo rectaque mente, non niſi quod rectum & honeſtum erat expetens, libens gaudenſque ſub imperio viri fuiſſet, qui etiam rectitudine & juſtitia ornatus, cum æquitate & charitate uxori imperaſſet. Jam, cum peccato, acceſſit muliebris ingenii levitas & vanitas, cum animi ſuperbia, qua mulier iniquo animo plerumque fert, maritum ſibi præeſſe; quia etiam eandem ob culpam, tales ſunt plerique viri, ut ſuas uxores ſuperbè, iracundè, & aſperè tractent; atque ita imperium ſuum oneroſum, & inviſum reddunt. Hoc modo intelligendum eſt, quod Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 17. dicit, *mulierem dominari in virum, non permittere Apoſtolum; hoc enim viro potiùs Dei ſententiam detuliſſe, & maritum habere dominatum, meruiſſe mulieris non naturam, ſed culpam.* Id enim intelligendum eſt de dominatu moleſto. Quod idem paulò antè rectè explicavit. *Neque enim* (inquiebat) *& ante peccatum aliter fuiſſe decet credere, niſi ut vir mulieri dominaretur, & ad eum ipſa ſerviendo converteretur. Sed rectè dici poteſt hanc ſervitutem ſignificatam, quæ cujuſdam conditionis eſt, potiùs quam ſubjectionis.* Ante lapſum quædam ἐξοχῇ prærogativa & præeminentia viro erat conceſſa præ muliere, ſed quæ nihil difficultatis aut moleſtiæ conjunctum habuiſſet, quia nec maritus quicquam importunè vel iracundè feciſſet, nec uxor in ulla re ſe refractariam exhibuiſſet. Sed poſt lapſum illa εὐταξία & harmonia fuit turbata, ut dictum eſt, & ita ſubjectio moleſta reddita in pœnam ceſſit.

Sequitur pœna viri, verſibus 17. 18. & 19. cujus, 1. cauſſa præponitur; *Quia paruiſti voci uxoris tuæ, & comediſti ex arbore quam tibi præcepi*, &c. Ubi eſt Antitheſis potius paruiſti voci uxoris tuæ, quàm præcepto meo. Item, debuiſſes uxorem regere voce tua, & tu paruiſti voci

uxoris. Eſt autem triplex pœna, quarum prima extra hominem eſt ſed ad ipſum refertur; ſecunda & tertia in ipſo homine ſunt.

Maledicta terra בעבורך *baavurecà*, propter te, בעבור *baavur* enim *propter*, ſignificat, etſi à עבר *avar*, quod eſt præterire & tranſgredi, deducatur. Ideò Theodotio, *in tranſgreſſione tua*, vertit. Sed tum legendum eſſet בעבורתך *baaburatecà*. Simplex interpretatio, eſt *propter te*, ut alibi, בעבור האדמה *baavur haadamà*, propter terram. Jerem. 14. v. 4. Græci pro reſch, legerunt daleth, ac ſi ſcriptum eſſet, בעבודך *baavodecà*, in cultura tua, aut labore tuo, ἐν τοῖς ἔργοις σου, in operibus tuis. Quam veterem fuiſſe & genuinam lectionem Ebraicam volunt, qui in Vulgatæ verba jurarunt. Vidimus tamen Theodotionem legiſſe per *reſch*. Favet Paraphraſtes Chaldæus, qui legit, בדילך *bedilac*, propter te. mutatio literarum *daleth* & *reſch*, propter ſimilitudinem facilis eſt. Sic ſeptuaginta, apud Jerem. loco citato, legerunt καὶ τὰ ἔργα τῆς γῆς, *& opera terræ*, ubi tamen Vulgata rectè *baavur*, non *baavod* legit, *propter terræ vaſtitatem*. Ad ſenſum tamen, ſi ſpectemus, verum eſt, propter opus Adæ maledictam fuiſſe terram, ſi per opus, peccatum intelligamus; & in opere ejus maledictam eſſe, ſi per opus laborem & culturam. Sed (ut diximus) ſimplicius eſt ut Ebraicæ lectioni adhæreamus, quæ aptè exprimit ſenſum. Vocatur autem hoc loco terra *Adamah*, unde *Adam* dictus fuit. Heſychio Ἀδάμα, παρθενικὴ γῆ, terra virgo. Joſephus lib. 1. cap. 2. Ἄδαμος σημαίνει δὲ κατὰ τὴν γλῶτταν τὴν Ἑβραίων, πυῤῥὸν, ἐπειδὴ ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει. τοιαύτη γάρ ἐστιν ἡ παρθένος γῆ καὶ ἀληθινή. *Significat autem hoc Ebræorum lingua rufum; quandoquidem è rufa humo fermentata, factus eſt. talis enim eſt virgo terra & vera.* Maledictio terræ, ut & contraria benedictio, ſpectat proventum vel inutile, aut nullum, aut noxium; vel utile, & abundans. Ergo, *maledicta terra propter te*, id eſt, experieris terram tibi ingratam quæ proventum non reddet pro labore, nec deinceps te frugibus ſuis ſponte naſcentibus paſcet, ſed etiam cum maximo labore ſubacta, inutilia multa producet.

Id declaratur in ſequentibus. *In labore comedes ex ea, ſingulis diebus tuæ vitæ, ſpinam & tribulum germinabit tibi, & comedes herbam agri.* Homo, poſtquàm creatus fuit & in horto collocatus, ibi eſcas habuit ſine labore paratas, eaſque ſuaviſſimas & convenientiſſimas. Nam etſi debuiſſet hortum colere, fuiſſet cultura ſine labore tædioſo & moleſto, cum levi & jucundo exercitio, quale nobis eſt, cum deambulamus & ſaltamus. Nunc alia planè ratio eſt, *in labore comedes* בעצבון *beitſavon*, in labore cum dolore conjuncto & fatigatione, utitur enim eadem voce qua ſupra, ubi egit de dolore partus muliebris; multiplicabo, עצבנך *itſvonec*, dolorem tuum. Quod autem dicit תאכלנה *tocalená*, ad verbum *comedes eam*, intelligendum eſt per ſynecdochen, pro frugibus quas profert, ut *veſcentes menſa*, pro frugibus aut cibis menſæ. Quod de terra eo aptius dici poteſt, quod origo ciborum ſit ex terra, quæ etiam ſubſtantia ſua producit & alit fructus ſuos. Exaggeratur labor & moleſtia à duratione & continuatione, *omnibus diebus vitæ tuæ*, id eſt, quamdiu vives huic pœnæ ſubjacebis. Ut quies certa non ſit in hac vita ſperanda. וקוץ ודרדר *vekotz vedardar*, ad verbum *ſpinam & tribulum*, ſingulare pro plurali. Ubi vox לך *lecá* addita, oſtendit in quo conſiſtat pœnæ ratio, non quod terra ſpinas & tribulos non germinaret, id enim ab initio fecit ſuis locis, nec tales plantæ ſunt etiam inutiles, ſed tantùm ubi nimis luxuriant, & occupant agros & ſulcos utilioribus herbis aut fruticibus deſtinatos. Fatendum igitur, etiam antea, talia progerminaſſe terram & ad varietatem, imò & oblectamentum facere poſſe, ita ut etiam in pluribus locis, præſertim ad muniendas ſepes iis utantur agricolæ: non tamen propterea verum eſt quod Pererius dicit, *Naturalem terræ fertilitatem, propter hominis peccatum, neque omnino demptam fuiſſe, neque diminutam: eodem modo ſe illam habuiſſe, ante & poſt hominis peccatum.* Nam ut concedamus, quibuſdam in locis terram fuiſſe minus fertilem, imò in nonnullis ſterilem, & non omnes terræ regiones adæquaſſe hortum Edenis; certum eſt tamen, ex ea maledictione factum eſſe, ut terra, in locis in quibus fertilis erat, paſſa fuerit diminutionem, ſublata benedictione divina, quæ ſemper præſto fuiſſet in ſtatu juſtitiæ. Per Synecdochen vero, ſub ſpinis & tribulis, quæcumque noxia ſunt agris, & laborem hominis irritum reddunt intelligimus, poſtquàm

--- Frumenti labor additus, ut mala culmos
Eſſet robigo ſegniſque horreret in arvis
Carduus: intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta,
Infœlix lolium & ſteriles naſcuntur avenæ.

Virgil. Georg. 1. qui pœnam eleganter deſcribit, cujus cauſſam ignorabat.

Quod additur, *& comedes herbas agri.* non ita intelligendum ac ſi ante peccatum homo non uti debuiſſet herbis ad cibum. Nam anteà in prima conſtitutione rerum omnium ante peccati ſtatum, cap. 1. v. 10. Ita diſtinxit Deus herbas quæ in cibum hominum cedere debebant, ab aliis quæ cæteris animalibus conceſſæ erant; *Ecce* (inquit) *dedi vobis omnes herbas ſementantes ſemen quæ ſunt in ſuperficie totius terræ, omneſque arbores in quibus eſt fructus arboris, ſementantes ſemen, vobis ea ſint ad comedendum. At omnibus beſtiis terræ &c. dedi omnes virides herbas ad comedendum.* Non itaque exiſtimandum eſt poſt peccatum redactum fuiſſe hominem ad conditionem brutorum, & pœnam ejus eandem fuiſſe quæ impoſita fuit Nabucad. quem *homines depulerunt à ſe, ut cum beſtiis agri eſſet habitatio ejus, & herbam ſicut bobus comedendam darent &c.* Dan. 4. v. 32. & 33. Quaſi ſenſus eſſet, anteà ô Adam fructibus & herbis ſuaviſſimis paradiſi victitabas, deinceps

ceps autem viles illas herbas agrorum colliges, unde cum belluis vivas qui te per peccatum, ad belluinum ſtatum cœleſtis originis oblitus, ſponte redegiſti, juxta illud Pſalmi, *Homo cum in honore eſſet non intellexit, ſed aſſimilatus eſt jumentis &c.* Pſal. 49. v. 13. & 21. Non, inquam, hoc voluit Deus, ſed id tantùm, herbas illas ſementantes ſemen, ut frumentum, triticum, ſecale, varia leguminum & olerum genera, quibus etiam nunc utimur, non ſponte aut facilè proventura ut anteà, ſed poſt labores maximos, ſatis parcè colligenda, quaſi dicas, comedes herbam tantis laboribus ſatam, & altam; cum ego anteà ſine ſudore, ſpinis, & tribulis eam tibi velut præparatam & ſponte creſcentem, dediſſem.

Quæ ſequuntur faciunt ad id explicandum, *In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo.* בזעת *bezeat.* Quibus verbis exaggerat hominis laborem, & oſtendit non futurum levem aut facilem, ſed durum & moleſtum ad ſudorem uſque. Quia duro labore tanquam violento exercitio corpus incaleſcit, unde ſudor excitatur in toto corpore, ſed in vultu maximè teneriore corporis parte, in qua copioſiſſimè fluit ſudor, ut docet Ariſt. ſect. 2. problem. & experientia teſtatur. Optimè diſtinguit Mercerus, inter laborem עצבון *itſavon* de quo ſupra, *dolorem & anguſtiam*, & זעה *zeah*, ſudorem, id eſt, laborem ſudorificum de quo hic agitur; ut prior ille referatur ad anxietatem, ſollicitudinem & curam, victus parandi, & conquirendi; poſterior autem, ad corporis defatigationem immodicam, ex qua ſudor ex omnibus corporis partibus, maximè autē ex vultu erumpat.

Panis nomine quemvis cibum intelligi apud Ebræos, לחם, res eſt notiſſima. Sic autem per excellentiam panis dictus eſt, quia præcipuus eſt cibus, quo hominis vita & corpus alitur; An autem talis panis qualem jam habemus, à primis hominibus tanto labore ſuo fuerit comparatus quæri poteſt? Reſp. Quemadmodum non habemus firmam rationem, qua affirmationem poſſimus corroborare, quia non planè initio, omnia quæ vitæ homini ſunt utilia fuerunt inventa; ſic probare non poſſumus eorum aſſertionem, qui de primis hominibus id conſtanter docuerunt, priorem ætatem, *facili glande fera ſolviſſe jejunia*, ut loquitur Boëtius. Quod tamen non putamus planè vanum eſſe, ſi glandis nomen ſtrictè nimis non accipiatur. Sunt enim glandes ex arboribus decidentes non planè ad cibum hominum ineptæ, qualis eſt glans fagi, quam omnium dulciſſimam eſſe ſcribit Plin. lib. 16. & Gellius cap. 16. lib. 7. noctium Attic. Glandem Ibericam optimam eſſe cenſet. Quicquid ſit, alia etiam addit Ovidius Metam. 1. fab. 3.

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iovis arbore glandes.

Quibus omnibus, pro ratione locorum quo incolebant primos homines, ut victitaſſe non negamus; ſic certum eſt eos comediſſe herbas, & terræ fruges ex cultura ſua provenientes. Id enim paulò poſt teſtabitur Moſes de Caino, qui fuit Agricola &c.

Sed quæritur, an his verbis, *cum ſudore faciei tuæ comedes panem &c.* contineatur non ſolùm pœna, nam id extra controverſiam poni debet; ſed etiam præceptum, de comparandis neceſſariis cibis per manuum laborem? Reſp. Manifeſtum quidem eſſe ex ſermonis conſequentia, his verbis contineri pœnam. Sed tamen id non impedit quominus contineatur præceptum, aut ſaltem in iis fundamentum habeat. Non enim alibi videtur reſpexiſſe Paulus 2 ad Theſſ. 3. v. 10. *Etenim, cum apud vos eſſemus, hoc denunciabamus vobis, quod ſi quis nolit operari, etiam non edito.* Certum eſt Deum his verbis laborem homini impoſuiſſe, & ignavum otium prohibuiſſe. Atque ita voluiſſe otioſitatem quæ malorum fomes eſt, amovere. Indicere laborem velut frænum carnis petulantis, & quæ jam propter peccatum ſpiritui eſt rebellis, ut illis cohibeatur. Ignavia præterea non ſolùm legi divinæ, ſed ipſi etiam æquitati adverſatur: quis enim injuſtior eſt eo, qui alieno parta labore conſumens, ipſe nihil operæ & emolumenti affert humanæ ſocietati? Tales ab ipſis Ethnicis furti arguuntur. *πᾶς γὰρ ἄεργος ἀνὴρ ζώει κλοπίμων ἀπὸ χειρῶν*, teſte Phocylide. Et merito Athenienſes trahebant in jus otioſos, & in ſingulos inquirebant, qua arte ſe alerent. Ut autem deſidiam Deus prohibet & execratur; ſic obedientibus & morigeris in benedictionem convertit, quod homini initio tanquam pœna impoſitum fuit. Pſal. 128. ℣. 2. *Laborem manuum tuarum comedes: beatus es, & benè tibi erit.* Quod ſi qui objiciant, pauperes vexari hac ſententia, non divites, falluntur. Nam divites qui laborare non videntur, ſunt vel pii, vel impii. Si pii ſint, non certè vivunt abſque labore & negotio. Otiari enim quibuſdam videntur qui ſunt omnium hominum occupatiſſimi, qualis eſt eorum qui in literario otio vivunt, ſtatus. Nulli boni vivunt abſque labore, quantumvis divites ſint, Reipublicæ conſulunt, laborant ut proſint aliis, & ita nunquam non ſunt occupati. Qui autem divites ſunt, & impii, illi in otio etſi vivere videantur, curis & cupiditatibus plurimum torquentur, nec habent ſine labore quæ maximè deſiderant, imò quæ habere videntur ſæpè non habent. Hic videmus promiſſionem de conterendo capite ſerpentis primis parentibus factam, non eſſe exemptionem ab omni miſeria, ſed tantùm liberationem à morte æterna. Sed temporalibus miſeriis ad mortem uſq; corporis, Deum voluiſſe omnes homines, etiam pios exercere.

Hic terminus hæret, temporalium nempe miſeriarum, *donec revertaris in humum, nam ex ea deſumptus es.* Ita tamen terminus eſt miſeriarum mors corporis, ut ipſa etiam miſeria ſit & pœna, de qua abundè à nobis dictum eſt, Exercit. XI. ad verſ. 16. & 17. cap. 2. Ubi refutavimus exceptionem adverſariorum, qui dicunt, hic fieri mentionem mortis non tanquam pœnæ, ſed

tanquam termini ad quem uſque, illa pœna duratura ſit. Quia impiis mors non eſt pœnarum terminus, niſi temporalium, quos manent duriores pœnæ poſt hanc vitam. 2. Quia eadem mors in executione intelligi debet, quæ in comminatione. In comminatione autem fuit pœna, ergo in executione. Sed non opus eſt longa repetitione eorum, quæ pluribus nuper fuerunt à nobis diſcuſſa.

Ergo Deus ita ærumnas ſtatuit homini per totum vitæ decurſum, ut pro ſcopo habuerit (ut diximus) addere ultimam miſeriam, mortem nempe temporalem, quaſi diceret, non prius defungeris miſeriis hujus vitæ, quam ipſam exuas vitam, quod anteà comminatus ſum. In morte autem duo ſunt, 1. Separatio corporis & animæ quæ eſt prima compoſiti diſſolutio. 2. Incineratio, & reductio in pulverem, quæ propriè in Scriptura dicitur corruptio. Uterque gradus omnibus hominibus communiter accidit, & ſecundus neceſſariò primum ſupponit, non primus ſecundum. Nam filius Dei homo factus, morti ſe ſubjecit, & primæ diſſolutioni corporis & animæ, non ſecundæ corruptioni, quia noluit Deus *ſanctum ſuum ſentire corruptionem.* Pſal. 16. Quam ſenſit David, cujus ſepulchrum adhuc oſtendebatur, poſt Chriſti reſurrectionem.

Deus in comminatione non diſtinxerat, quia mortis nomine, omnes mortis ſpecies voluit intelligere quas homo commeritus eſt per peccatum. Sed quia ſpem fecerat per miſericordiam liberationis ab animæ morte, ne intercideret, nunc expreſſe diſtinguit, & ſolius *corporis mortis* meminit, ut oſtendat ſe non punire ex juſtitiæ rigore, ſed notam inurere tantum velle aliquam, ut homo peccati commonefieret pœnis caſtigatoriis, non ſatisfactoriis, in ſuis etiam hoc efficiens, ut mors ſit, meta laborum, depoſitio ſarcinæ peccatorum, & tranſitus ad meliorem vitam. Ergo piis non terrori ſed conſolationi debent eſſe poſtrema hæc ſententiæ verba: Impiis autem comminatio formidabilis, utpote quibus mors corporis, eſt aditus mortis æternæ, & inferni porta.

Non igitur exiſtimandum eſt, quando etiam poſt fidem & regenerationem pii ſubjiciuntur miſeriis illis quæ enumeratæ ſunt & ipſi morti, ex eo confirmari dogma Pontificium, de culpæ remiſſione, ſine remiſſione pœnæ temporalis, quaſi illa infligi deberet poſteà vel in partem ſatisfactionis debitæ, vel loco ſatisfactionis totius, per commutationem. Nulla enim fieri potuit commutatio, ubi totum fuit debitum. Ut vero ſit pars aliqua ſatisfactionis etiam concedi nequit, quia pars ſatisfactionis non eſt ſatisfactio, eſſet enim contradictio in adjecto, cum ſatisfactio propriè dicta, ſolutionem totius ſupponat, præſertim in offenſarum remiſſione, ubi non poteſt fieri quod in pecunia & rebus materialibus diviſibilibus. Aut nihil, aut totum dat Deus. At negari non poteſt aliquas etiam pœnas temporales per peccatum remanere, & peccati occaſione. Fatemur: Sed negamus eſſe *ſatisfactorias.* Agnoſcimus eſſe *caſtigatorias, probatorias, debitæ miſeriæ demonſtratorias,* ut loquitur Auguſtinus: Addimus etiam, ex dictis, *abolitorias* (ut ita loquamur) concupiſcentiæ & fomitis in carne reſidui, ac proinde piis potius benedictiones quam pœnas.

Ineptum eſt etiam quod nonnulli Pontificii, ex eo quod homo pulvis dicatur & cinis, quia de pulvere ſumptus eſt, ſolent eludere argumentum deſumptum, ex eo quod poſt benedictionem in S. Cœna, panis nomen ſæpè repetitur de ea re quæ datur & comeditur. Quia inquiunt, ſæpè res mutatæ, nomina retinent earum rerum ex quibus factæ ſunt, ut inter alias homo dicitur pulvis, quia ex pulvere factus eſt, etiamſi caro ſit & ſanguis. Primum enim hoc tantùm verum eſt in iis rebus, in quibus remanet materia ex qua facta ſunt. At non dicent materiam panis remanere in Chriſti corpore, quod per converſionem (ut volunt) factum eſt. 2. Quia nunquam Scriptura vocat rem aliquam nomine ejus rei, quæ fuerit, niſi cum mutatio ſenſibus manifeſta eſt, & planè ſublata forma exterior rei quæ fuit, & ex qua facta eſt. Sic Eva dicta fuit os ex oſſibus Adami, ſed cum oſſis forma externa planè eſſet abolita, ſola remanente materia. Sic Adam dicitur *pulvis*, abolita forma externa pulveris, cum ſenſibus noſtris non ſit pulvis homo. Planè contrarium videtur in Euchariſtia, volunt panem eſſe mutatum in corpus Chriſti, & ibi nulla mutatio ſenſibus apparet, ſed remanet externa panis forma, nec ſenſibus noſtris aliud objicitur. Non poteſt ergo locum habere in hoc myſterio metonymia materiæ; quam ſi inducerent, tot abſurdis involverentur.

Unum ſupereſt in his verbis, *in pulverem reverteris,* An id intelligendum ſit immediatè, poſt mortem, an mediatè tantùm? Occaſio dubitandi multiplex eſt. 1. Quia ſunt cadavera quæ ad multos annos ſervantur, nec unquam diſſolvuntur, qualia etiam & hic videmus allata ex oriente. 2. Quia multa fiunt eſca piſcium & beſtiarum, &c. Reſpondere poſſumus uno verbo, ſive mediatè ſive immediatè fiat, ſemper veram eſſe ſententiam. 2. Immediatè fieri ut plurimum, & hominis cadaver ad id inclinare. Proinde ſi terræ mandetur, ut fieri debet, etiam in pulverem reverſurum. Dubitant nonnulli, & Syracidæ illud opponunt Ecclef. 10. ℣. 13. ἐν γὰρ ἀποθανεῖν ἄνθρωπον κληρονομήσει ἑρπετὰ καὶ θηρία καὶ σκώληκας. Quod ita vertit vulgata, *Cum morietur homo hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Unde exiſtimant ſequi, etiam humata corpora, prius à vermibus rodi, à ſerpentibus & aliis reptilibus devorari, & in ipſorum ſubſtantiam tranſelementari, quam in pulverem & terram redigantur.

Nihilominus certum eſt regulariter & ordinariè humata corpora in pulverem converti, quod experientia quotidiana teſtatur, ubi à veſpilonibus ſæpè moventur corpora in quibus nulla apparent veſtigia eroſionis, nulli vermes reperiuntur, & quæ ſæpè integra videntur,

inota,

mota, in pulverem abeunt & quaſi evaneſcunt. Nec etiam videtur rationi conſentaneum, ut in ſepulchris excavatis & ſatis profundis, vivant vermes vel ſerpentes, nedum ut ibidem naſcantur.

Scio eſſe nonnullos qui olim ſcripſerunt, ex ſpina dorſi hominis, ſaltem ex ſpinæ medulla, naſci ſerpentem. Id Plinius affirmat lib. 10. cap. 66. hiſt. Natur. Et Plutarchus in Cleomene ſimile quid narrat. Quum juſſu Ptolemæi Cadaver Cleomenis in crucem actum eſſet, & cuſtodes cadaveris draconem ejus caput circumplicantem, faciemque operientem, ita ut nulla carnivora avis advolaret, vidiſſent, Alexandrinos frequentes ad eum locum commeaſſe, heroëm Cleomenem & Deorum filium appellaſſe, tantiſper dum eorum doctiores monuerunt, putrefacto bovis cadavere apes, equi veſpas, aſini ſcarabeos generari; in humano autem corpore confluente ſanie quæ eſt circa medullam, & in unum coaleſcente angues naſci. Quæ refert Philippus Camerarius cap. 11. lib. 1. horarum ſuccisivarum, ubi & alia nonnulla affert, ad eorum ſententiam confirmandam qui id ſentiunt. Quæ pleraque vel fabuloſa ſunt & affiсta, nonnulla, ſi vera, probant tantum in quibuſdam cadaveribus ſerpentes fuiſſe repertos, non quod ibi nati fuerint, ſed quod aliunde acceſſerint. Sed id nihil facit adverſus divinam ſententiam, cujus effectus adeò notus eſt omnibus, ut jure metuendum eſſet ne videremur abuti tempore, & bonas horas perdere, ſi id multis probare aut vindicare niteremur, quod ex oculorum inſpectione, vel ipſis lippis & tonſoribus manifeſtum eſſe poteſt.

EXERCITATIO XXXIX.

Explicatur verſ. XX. *Impoſitio nominis primæ matri. An tum primùm facta? Ruperti hallucinatio.* Viventium *nomen cur de hominibus ſpecialiter uſurpetur?* Evæ *nomen quàm ineptè transformatum? Refellitur* ὀνομομάντεια. *Veſtium primarum efficiens, & materia. Vſus pellicearum veſtium olim frequens. Forma qualis fuerit? Finis ſimplicitatis veſtium. Allegoriarum ſobrius uſus approbatur.*

PErgit Moſes, verſ. 20. ויקרא האדם *vajikrá haadam*, & vocavit Adam uxorem ſuam חוה *chavah* (id eſt, viventem) quia fuit mater omnis viventis. Jam ſuprà vocaverat uxorem ſuam אשה *Iſchah*, id eſt, *viram*, quia ex viro ſumpta erat. Sed non fuit nomen ipſi proprium, quia quodammodo commune eſt omnibus mulieribus quæ virum habent. Ideò cum Scriptura meminit deinceps primæ mulieris, ſemper nomen *chavah* tanquam ipſi proprium uſurpat. Quæritur autem, an tum primò ſic vocaverit uxorem ſuam poſt peccatum, an vero anteà ſic vocaſſet, cujus tamen ὀνομαθεσίας mentio hoc loco fiat ex occaſione, quia immediatè præceſſerat judicium mortis, & prædictio reductionis in pulverem ex qua deſumptus fuerat homo? Quaſi diceret Moſes, Ante peccatum nihil tale homini accidiſſet, mortis non fuiſſet mentio; Ideò vocaverat Adam uxorem ſuam *chavam:* non ſolùm quia vivens erat ipſa, ſed quia omnium viventium mater futura erat; nunc autem futura eſt mater morientium, vel morti addictorum. Tremel. & Junius huic ſententiæ favent, qui perfectum *vocavit,* verterunt per pluſquamperfectum, ut ſuprà verſ. 7. *Formaverat Deus hominem.* Item verſ. 8. *plantaverat Deus hortum in Eden,* &c. Ut ſit ὕστερον πρότερον, quo narretur, quod prius factum fuerat, quam interpretandi rationem ſequuti ſunt Ebræorum plerique.

Alii contrà cenſent, Adam ſic uxorem ſuam appellaſſe poſt latam à Deo ſententiam, qui bene animadvertunt, rationem additam, eſſe Moſis, non Adami, quia Moſes reſpicit ad id quod jam factum fuerat, non ad id quod futurum erat. Dicit enim היתה *hajeta*, fuit. Quo argumento ſatis validè refellitur Ruperti Tuitienſis ſententia, quam Pererius dicit plus novitatis & admirationis habere quam fidei, quaſi Adam, ex ingenti ſuperbia animique pervicacia, divinam mortis ſententiam, adverſus ſe prolatam, aut minimè credens, aut parvipendens, appellaſſet uxorem ſuam, *matrem viventium*, ut qui mortem non timeret, quinimò ſe victurum crederet, nihilominus quam ſi non peccaſſet.

Non mirum eſt ſi qui de Adamo poſt auditam ſententiam divinam ita judicavit, ejuſdem poſteà ſalutem, ut jam antè à nobis animadverſum eſt, in dubium vocaverit. Id ut ſuſpicemur, non patitur religio quam Adamus poſteris ſuis inculcavit, & quæ de eo ubique in Scriptura dicuntur. Si itaque tunc de novo nomen illud impoſuit Adam uxori ſuæ, melius de ejus animo judicant, qui cenſent Adamum auditis divinis ſententiis, ita fuiſſe conſternatum, ut tamen ſimul ſpem conceperit melioris alicujus ſortis, quam prima fronte expectabat. Quum enim audiret inter ſemen mulieris & ſemen ſerpentis, perpetuas inimicitias ſanciri, ex eo certus factus fuit, ex muliere orituros qui bellum illud ſubinde redintegrarent. Cùm intellexit mulierē parituram cum dolore, ſatis percepit, Deum non planè retractaſſe benedictionē de humano genere multiplicando per propagationem, inde potuit excitari, ut indito nomine uxori ſuæ, qui id ſignificaret, & ſe ipſum confirmaret, & afflictam ſolaretur.

Quicquid ſit, certum eſt, hoc nomine inſinuaſſe Adamum, ex Eva uxore ſua proditurum genus humanum.

num. Sed an id ante peccatum ſignificaverit tali nomine, vel poſt peccatum, ſtatuere difficile eſt, quia rationes quæ ex utraque parte afferuntur, etſi probabilitate quadam arrideant, non certò tamen id evincunt quod volunt qui rem determinant. Malim ergo in eo ἐπέχειν, quam audacter nimis definire. Et tamen in ſententiam illorum magis inclinarem qui hyſteroſin hic agnoſcunt, & hunc verſum, ad præcedentia pertinere, ad quæ reverſus eſt Moſes, poſt interjectam peccati hominis & ejuſdem pœnæ hiſtoriam. Anteà enim immediatè egerat de impoſitione nominum omnibus animantibus, inter quæ nullum repertum erat homini adjutorium. Quod adjutorium poſtquàm Deus creaſſet, agnovit homo ex ſe ſumptum fuiſſe. Tum potuit præter ſexus nomen, addere illud proprium, cujus nunc meminit hiſtoria, cujus ratio non tunc primùm poſt peccatum Adamo innotuit, quia ante quam peccaret, acceperat cum uxore benedictionem multiplicationis, eorum qui in illo ſtatu potiori jure dicti fuiſſent viventes, quam poſt contractum mortis reatum.

Certum eſt tamen, apud Ebræos, eos *viventes* dici, qui à Latinis dicti ſunt *mortales*; & per utroſque communiter homines intelligi, ut non ſit neceſſe hoc loco, quæſtionem inutilem agitare, quomodo omnium viventium dicta fuerit mater Eva, quando etiam reliqua animalia, inter viventia reponi debeant. Ut enim nomen Creaturæ per excellentiam de homine intelligitur, ſic etiam titulus *viventis* in Scriptura veteri. *non juſtificabitur coram te omnis vivens*, Pſal. 142. ỷ. 2. id eſt, nullus homo juſtificabitur. Ita etiam omnis caro, dicitur de omni homine.

Nominis *chavah*, ſignificationem aliam excogitare, præter eam quæ allata eſt à Moſe, hominum eſt non ſolùm ineptientium, ſed etiam impiè audacium, quales ſunt Ebræi illi, qui variis alluſionibus nomen illud deformant, in præjudicium ſexus muliebris; quorum nonnulli ſic dictam volunt, vel ab חוה *chavah* radice Ebraica, quaſi loquacem taxaret, qui nugantur decem cados colloquiorum deſcendiſſe in mundum, & novem abſtuliſſe mulieres. Alii dictam fuiſſe volunt quaſi חויה *cheviah*, ſerpentem, quia fuit noxia toti ſuo generi. Benè eſt quod Spiritum Sanctum habeamus interpretem, qui non paſſus eſt nos de vera ſignificatione dubitare. Laudanda eſt Pererii hoc loco ingenuitas, qui fatetur nominis hujus corruptelam apud Latinos effeciſſe, ut multi dixerint *Ave*, ductum eſſe ab *Eva* per inverſionem literarum, ob idque Gabrielem Archangelum, Deiparam virginem ſalutando, dixiſſe illi *Ave*, quaſi ea mundo allatura eſſet bona, planè contraria iis malis quæ invexerat *Eva*. Id cum ad corruptelam referat, mirum eſt, hujus ineptiæ non puduiſſe Breviarii Romani reformatores, qui in hymno *Ave maris ſtella*, initio officii Beatæ Mariæ in Sabbatho, ſic eam affantur, *Sumens illud Ave, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Evæ nomen*: id anteà Eugubinus notaverat, qui addebat, *pietatem non falſis ſed maximè veris debere inniti. Hujuſmodi ineptias penè infinitas inveniri apud Latinos, propter linguarum inſcitiam, ſed ſilentio prætereunda eſſe, ne in immaniſſimam, quorundam petulantiam incideret &c.*

Nominis impoſitionis jus, pertinebat ad eum, qui poteſtatem & dominium in id cui imponebatur nomen, exercere poterat, adeoque ejus poteſtatis ſignum erat, quæ cum Adamo in uxorem, & ante, & poſt peccatum, à Deo conceſſa fuiſſet, jure potuit eidem pro libitu nomen imponere. Id autem prudenter fecit, non ſolùm diſcretivum aliquod ei nomen imponens, ſed etiam ſignificativum; quod plerumque obſervabant priſci illi, ut ex tota Hiſtoria Moſis palàm eſt, in qua nullum nomen imponitur cujus non attexatur ratio, vel ratione eventus præteriti aut præſentis, vel expectati & futuri. Quæ ratio nunc non obſervatur, ſed plerumque nomina imponuntur ex affectu quodam erga eos qui eadem nomina primi habuerunt, & ubi ſuperſtitio viget, ex calendario deſumuntur, pro ratione dierum, quibus aliquis natus eſt.

At ſive ex judicio imponantur nomina, ſive caſu, non poteſt tolerari ſuperſtitio eorum, qui exercent ὀνομαμαντείαν, ſive per anagrammatiſmos, ſive per numerales alicujus nominis literas, vel aliqua alia ratione. Non quod ſentiamus varia illa encomia, ſive elogia, quæ per anagramma, ex inverſis literis alicujus nominis ingenioſè plerumque excogitantur, per ſe culpari debere; ſed tantùm ſi quis id eo animo faciat, ut exiſtimet, quicquid ex literis alicujus nominis quomodocumque diſpoſitis efficitur, id genium vel fortunam ejus cujus nomen eſt, referre per divinationem; quod non ſolùm ſuperſtitioſum eſt, ſed etiam falſitatis, ex eventu, redarguitur; mitto quod in unico nomine ſæpè contraria latent, ſecundum variam diſpoſitionem. Ad numerales autem literas quod ſpectat, idem judicium fieri debet. Quam vanum eſt enim, quod de longævitate, vel vitæ brevitate, ex eo judicare volunt inepti homines, ſive abſolutè ſive comparatè? Qui certè ſi ipſi crederent ſomniis ſuis, ea ſuis liberis inderent nomina, quæ aliquot myriades continerent, & pro ratione affectus ſui in longævas, vel brevioris vitæ uxores, procarentur eas quas ſibi jungere vellent, expenſis prius earum nominibus. Ineptiæ ſunt, ſed impiæ, quæ potius flagris, quam rationibus refutari debent. Quot in una navi ſubmerguntur, quorum inæqualia ſunt nomina? Quot pereunt uno incendio, quorum nomina ſi ſupputentur, non eandem conficient ſummam? Id tamen fundamentum fuit artus caballiſticæ, cujus fautoribus maximè placuit illorum inſania, qui aſſeruerunt, literis & ſyllabis, quandam eſſe cum cœleſtibus corporibus & mentibus ſympathiæ connexionem; quod tamen nulla vel ratione, vel recepta autoritate, probare unquam potuerunt. Ut neque id quod addunt, verba illa majoris, naturâ ſuâ, efficaciæ eſſe, quæ ſunt orta à lingua digniore, & quæ

res

res ſanctiores ſignificant, quod Diabolus ideò commentus eſt, ut ſanctiſſimis quibuſque rebus, facilius & libentius myſtas ſuos abuti faciat. Cum tamen, nec ſanctæ rei ſignificatio, nec linguæ dignitas, nec inſtituentis hominis probitas, ullam qualitatem Phyſicam operativam poſſint nominibus imprimere.

Nec minus vanum eſt quod ſomniant, nomina propria radios quoſdam eſſe, rerum quas ſignificant, & in ipſis nominibus quaſi vitam quandam latere. Nomina enim, cum ſint arbitratu hominum impoſita, quam vim poteſt ipſis homo indere, quam rebus communicent? Neque ſunt ſubſtantiæ corporeæ, vel ſpirituales, nec ſunt accidentia ſubjecto inhærentia, ſed rebus quas ſignificant, & denominant, extrinſecus planè adveniunt; quapropter non poſſunt dici radii à rebus emanantes. Ipſa etiam nomina quæ naturam rei ſignificant, qualia fuerunt quæ Adamus impoſuit animalibus, nullum potuerunt à naturis rerum influxum recipere, quia res corporeæ naturaliter nihil efficere poſſunt in id quod corporis expers eſt, ut ſunt nomina, nec etiam nomina aliquam potuerunt habere efficaciam ut rebus illis aliquid adderent, quarum notare potuerunt proprietates, non efficere vel augere. Sic nomen *Chava*, non indidit primæ matri, ut eſſet viventium mater, ſed quod futurum erat, per ſuas proprias cauſſas, declaravit.

Id etiam ad nomina ab ipſo Deo indita referri debet. Nam etſi Deus, dum aliquid nominat, efficiat etiam, vel effecturus ſit quod nomen ſignificat; non tamen ſyllabis vel literis efficientiam ſuam communicat, & virtutem aliquam indit. Quapropter quod accidit rebus, id ab alia cauſſa effici ſtatuendum eſt, vel naturali vel ſupernaturali. Ex quibus benè intellectis, non tantùm magorum vanitas redarguitur, ſed etiam aliorum ſuperſtitioſorum hominum væſania, qui nominibus & verbis prolatis, aut ſcriptis, eas conferunt agendi vires, quæ ipſis non competunt; qualium ſuperſtitionum exempla nimis abundè Papatus ſubminiſtrat, in variis exorciſmis: quæ ſi quis comparet cum characteribus & invocationibus incantatorum, facilè percipiet lutulentos utrinque rivos duci ab eodem fonte. Et hæc ſatis pro occaſione nominis primæ matri inditi, cujus ſignificatio ducta fuit à futuro eventu, certo illo quidem, non ex vi nominis, ſed ex ordinatione divina Adamo patefacta.

Sequitur ℣. 21. Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ſuæ כתנות עור *cotnot or*, veſtes pelliceas; ad verbum, *tunicas pellis*, & induere fecit eos. De veſtibus primis parentibus poſt nuditatem ignominioſam procuratis, non levis agitatur quæſtio, quæ variis interpretum ſpeculationibus magis obſcurata eſt quam illuſtrata. Mitto veterum & recentiorum allegorias, quibus fidem hiſtoriæ detrahunt, quam etiam parum Deo convenientem exiſtimant, quia ſic factus fuiſſet primus pellio, quod ridiculum cenſuit Origenes. Quod tamen nec mirum nec ridiculum videbitur iis, qui perpendent Deum non fuiſſe dedignatum, cibum hominibus parare, qui etiam ſine arte, ſine labore, aut vili aliqua opera, potuit hominibus de neceſſariis veſtibus proſpicere.

Dubium non eſſe patitur Moſes, an Deus illius inſtituti fuerit autor, necne? Quæritur tantùm an immediatè Deus ex pellibus veſtes fecerit hominibus; an tantùm feciſſe dicatur, quia ut facerent juſſit & induſtriam ipſis contulit, quod exiſtimavit doctiſſ. interpres, ita ut rudi Minerva & populariter id Moſes repræſentaverit, & quod ſuggerente eorum mentibus Domino fecerunt, in autorem Deum tranſtulerit. Alii ſentiunt Deum ipſum paraſſe primas illas veſtes immediatè, & juſſiſſe ut induerent; quibus favere Moſis textus videtur. Alioquin, inquiunt, ſi docere voluiſſet Moſes ipſos homines ſibi veſtes feciſſe, id ipſum verbis explicaſſet; ſicut ſupra dixit, illos ſibi feciſſe *ſubligacula*. Nec tamen ſequi oſtendunt, Deum fuiſſe pellificem, quaſi inſtar pellionis tunicas illas fecerit, quia potuit id facere modo majeſtati ipſius convenienti, nempe ſolo juſſu vel nutu. De facilitate potentiæ divinæ dubitare nefas eſt. Sed modum quo id Deus fecerit determinare, noſtrum non eſt, tacente Scriptura. Inclino magis in ſententiam eorum qui feciſſe Deum dici putant, quia hominibus indicavit ut facerent. Nec me movet Piſcatoris argumentum, ab eo deductum quod in ſubligaculorum inventione Moſes directè ad homines retulit quod ab iis factum fuerat. Non eſt enim par ratio. quia tunc Moſes ipſis tribuebat quod tumultuariè fecerant, & propria induſtria; nunc vero Deo, quod fecerant Deo inſtigante, quando non ſufficiebat prius illud inventum. Poteſt etiam addi, quod præter induſtriam quam à Deo acceperunt, poteſtas ipſis facta fuit, animalia in hunc ſuum uſum deſtruendi. Non enim credibile eſt quod Theodoretus putavit, initio Deum creaſſe tantùm bina in unaquaque animalium ſpecie, maſculum unum, fœminam alteram. Cum ex Scriptura contrarium magis probari poſſit, quæ cœlum & terram cum exercitu eorum creata fuiſſe dicit, & animalia ex terra producta, in quibus cauſſa nulla fuit vel ratio cur unaquæque ſpecies à duobus tantùm individuis propagaretur, quæ locum habet in hominibus. Sed de modo & ratione quâ factæ ſint illæ veſtes, non multum eſt laborandum, dummodo & factas fuiſſe, & Deum fuiſſe facti autorem, & uſum earundem fuiſſe poſt peccatum homini neceſſarium, apud nos conſtet.

De materia veſtium, mirum eſt quod quidam voluerint controverſiam movere, cum in Scriptura vox Ebræa עור *or*, nuſquam reperiatur alia ſignificatione, quam pro externa animalium pelle uſurpata. Sine fundamento itaque loquuti ſunt, vel qui voluerunt novam pellem homini fuiſſe ſuperindutam, quaſi ex eadem materia ex qua ſunt ungues; vel ex corticibus arborum indumenta fuiſſe deſumpta. Veras igitur animalium pelles

pelles fuiſſe ſtatuendum eſt, paratu faciles, & naturâ, non arte, contextas & veluti conſutas. Unde mos inolevit apud vetuſtiſſimos mortalium, teſte Platone in Protagora, ut animalia cæderent, & pellibus eorum tegerentur. Et eundem animalium uſum cum reliquis enumerat Cicero Tuſcul. 1. Poſt inventam vero contexendi artem, qui ſimplicitatem vitæ profitebantur, inter Philoſophos pellibus tegebantur. Imò primos Romanæ urbis ſenatores, quo tempore adhuc ſimplicitas vigebat, *Pellitos patres, & ruſtica corda* Propertius appellavit. Pii etiam viri olim, *quibus indignus erat mundus, in deſertis errantes & montibus ac ſpeluncis & cavernis terræ, oberrarunt cum ovinis & caprinis pellibus.* Ebr. 12. ℣. 37. & 38. Non quod habitus pelliceus quondam in populo Dei fuerit magnæ venerationis, ut nugantur Jeſuitæ; ſed quia, *deſtitutis, oppreſſis, malè habitis*, ut ibidem dicebat Apoſtolus, non aliæ veſtes ſuppetebant quibus ſe tegerent. Quod an veſtibus Eliæ & Joan. Baptiſtæ aptandum ſit, poteſt dubitari, etſi plures ita ſentiant. Certè de Joanne dicitur Matth. 3. v. 4. habuiſſe veſtimentum ſuum *è pilis camelorum* ἀπὸ τριχῶν καμήλου, & Zonam pelliceam. Et Elias 2 Reg. 1. v. 8. dicitur *vir piloſus, cingulo coriaceo accinctus*: eandem prorſus ob rationem, videtur enim, qui in virtute & ſpiritu Eliæ venerat Joannes, ejuſdem veſtitum imitari voluiſſe. Neuter autem dicitur pellibus fuiſſe indutus, ſed pilis, indumento nempe ex camelorum ſeu caprarum pilis rudi opere contexto. Ut vani & inepti ſint pictores Pontificiorum & Idolorum fictores qui utrique aptant cameli pellem, cauda etiam pendente, ne quid ad deformitatem deſit, quo modo pingitur Hercules cum leonis exuviis. Nec propterea dicimus mollibus & delicatis veſtibus tectos ambulaſſe, prout calumniantur Pontificii, qui ſtultorum more ad extrema currunt, quaſi nullum eſſet medium inter molles & delicatas veſtes, & pelles animalium informes.

De forma veſtium primarum nihil etiam ſingulare habemus ex Scriptura. Simplicem valdè fuiſſe extra controverſiam poni debet. Appellantur à Moſe כתנות *cetonot*, cujus ſingul. כתנת *cetonet*, tunica, habetur Gen. 37. v. 6. Unde Græcum χιτών, & Gallicum *hoqueton.*

Hic notatur magna Dei benignitas, qui contemptores ſuos pudore affectos ſua culpa, veſtire dignatus eſt, ipſiſq; providere non ſolùm ad tegumentum, ſed etiam ad frigus repellendum, pluviarum, æſtus, & ventorum injurias propulſandas. Quo facto etiam ipſis demonſtravit, ſe non planè abjeciſſe eorum curam, nec eos ſuâ providentia deſtituturum, quemadmodum poſteà apud homines etiam Ethnicos, *non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum.* Act. 14.

Datas autem fuiſſe hominibus pelliceas veſtes in eum finem notant veterum nonnulli, tum ut homo haberet perpetuam mortalitatis memoriam, quoties ſe exuviis mortui animalis indutum cerneret: tum ut ſciret, veſtes neceſſitatis eſſe non ambitionis, atque in pœnæ peccati ſignum datas, non ad novas peccandi occaſiones, aut ad ſuperbiæ oſtentationem. Et certè ſi quis ob veſtes ſuperbiat, perinde facere comperitur, ac ſi quis ad patibulum vel ad remos damnatus, ipſe dein vel ejus poſteri pro glorioſo familiæ ſuæ inſigni & ornamento geſtarent patibuli aut remi figuram; aut ſi quis crucis & furcæ reus, ambitioſe quæreret, furca pendere argentea.

Allegoriis non indulgeo, neque cuiquam ut in eis ſibi multum placeat autor ero. Sed tales eſſe poſſunt aliquando quæ ſalivam moveant, duas hîc tangam non inſulſas, quas etiam nonnulli Pontificii, parum conſtantes in ſuis dogmatibus, contra ſe ipſos proferunt. Hominem per ſe nuditatem ſuam ſpiritualem tegere non poſſe: ſi id ſuâ induſtriâ ſuſcipiat, ficulnea tantum ſubligacula, id eſt planè nihil tegumenta, inventurum; donec Deus ipſe peccata tegat noſtra, qui ſolus poteſt.

Altera, Mortuorum animalium pellibus, utcumque ſignificatam fuiſſe mortui Chriſti, agni immaculati, innocentiam; qua, ſi tecti & veſtiti ſimus, non pudebit nos in conſpectum Dei venire, &c.

Exercitatio XL.

Explicatur verſ. XXII. *Variæ expoſitiones verborum*, ſicut unus ex nobis. *Cabbaliſticum ex Rheuclino commentum rejicitur. An ex his verbis Trinitatis myſterium efficaciter probetur? Defenditur Calvini interpretatio adverſus objectiones Piſcatoris. An, ſi Adam poſt peccatum potuiſſet ad arborem vitæ accedere, immortalitatem fuiſſet conſequutus? Negatur, & explicatur ſenſus verborum Dei. Afferuntur & expenduntur variæ ſententiæ de vi ligni vitæ. Poëtarum figmentum de Nectare, Ambroſia, &c. Explicatur verſ.* XXIII. *de ejectione hominis ex horto. De tempore quo Adam fuit in terreſtri Paradiſo, variæ ſententiæ. Petri Cottoni Ieſuitæ curioſitas. Prudens Auguſtini cautio.*

Sequitur verſ. XXII. *Ecce, homo factus eſt* כאחד ממנו *ceachad mimmennou, ſicut unus ex nobis, ſciens bonum & malum*, aut, *ad ſciendum.* Quæ verba variè accipiuntur, & attentionem aliquam requirunt. Deum loqui manifeſtum eſt, & de homine loqui dubium nullum moveri poteſt. Sed quibus loquatur, & quo ſenſu, ſerióne an ironicè, diſputatum fuit. Quidam Deum introducunt tanquam conſultantem, cum iiſdem quibus anteà dixerat *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, id eſt,

id eſt, cum filio & ſpiritu ſuo; & verba illa *ſicut unus ex nobis*, eadem eſſe putant cum præcedentibus, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* quaſi diceret, Homo ad noſtram imaginem creatus eſt, & novit bonum & malum, & ecce jam qualis ſua culpa factus eſt, quam deformatus, &c? Sed ante peccatum, nuſquam homini tribuitur cognitio boni & mali; & prætereà talis interpretatio tollit omnem exprobrationis divinæ gratiam, in qua Deus reſpicit ad fallaces ſerpentis promiſſiones.

Alii, & rectiùs, cenſent Deum coram ipſo homine ſic fuiſſe loquutum, ut ipſum perſtringeret, & vanitatem promiſſionum quibus deluſa fuerat Eva, inſinuaret. quaſi diceret, Adamo & Evâ ſic pellibus animalium veſtitis, en jam ſtatus ille divinus ad quem homo aſpiravit, ecce factus eſt alter Deus, & cognoſcit, ſcilicet, bonum & malum, quod affectavit.

Reuchlinus lib. 1. Cabbalæ, mirificam affert hujus loci explicationem, nomine cujuſdam Simonis Judæi. Summa eſt, verba hæc à Deo dicta fuiſſe Angelis, ita ut tamen illud, *ſicut unus ex nobis*, ad Angelos non referatur, quia non eſt unum in Angelis ſicut in Deo, idcirco non dixit *ex vobis.* Sed Adamum illum talem factum non intelligit Adamum lapſum, conjicit potius de altero quodam Adamo dici, cæleſti nempe, Angelis in cœlo demonſtrato: duos enim Adamos initio à Deo factos fuiſſe fingit, unum ex Deo quem verbo fecerat, & alterum terrenum, repulſum à Deo, quem manibus effinxerat, & horto exegerat. Iſtum, unum fuiſſe cum Deo; hunc autem, non modo alterum eſſe, verum etiam alium & aliud à Deo. Deum itaque poſt miſerabilem hominis caſum, docuiſſe Angelos, quis eſſet humanum genus redempturus, quia tunc prædeſtinata fuerat ſalus hominum. Hunc autem Adamum fuiſſe in æternitate cum Deo unum, ante quam tempus fieret. Verba autem ſequentia, refert ad dilationem redemptionis, quia Deus impedivit quo minus ille Adam cœleſtis ſtatim poſt peccatum, ſumeret de ligno vitæ, de quo poſteà ſuo tempore ſumere debuit, &c. Addit miſſum fuiſſe Angelum Raziel ad Adamum qui hoc ipſi nunciaret, ut ne ſupra modum gemitu conficeretur, quod, ſe duce, genus humanum in ſummam corruiſſet perditionem; quoniam originale peccatum expiandum erat per eum qui ex propagatione ejus naſceretur. *Hæc* (inquit) *fuit prima Cabbala, primordialis ſalutis nuncia. O rem gratam!* &c. Mirum eſt homines doctos & pios, talibus commentis non ſolum fidem adhibere, ſed ea etiam commendare, quæ certè apud adverſarios cauſſam noſtram lædunt, aliis fulcris munitam & nitentem. Quis enim unquam ſibi perſuaderi ſinet, tale myſterium ſub his verbis latere?

Aliud eſt, quod de pronomine primæ perſonæ pluralis numeri, multi, & melioris notæ interpretes ſentiunt, & hoc loco ſolent inculcare; Trinitatem perſonarum, ſaltem pluralitatem in unitate Dei, numero plurali ab una perſona, vel à tota Trinitate uſurpato, deſignati: ut ſuprà etiam oſtendimus verbis illis fuiſſe inſinuatum hoc myſterium, *faciamus hominem.* Nec me dimoveret, quod Oleaſtrius, cum Judæis, id referri poſſe ſentiat ad Angelos; quibus Deus hæc verba dixerit; Incongruum enim etiam nos exiſtimamus, & à Dei majeſtate alienum, Angelis, qui ejus ſunt miniſtri & ſervi, quaſi ſodalibus ſuis & æqualis conditionis, ejuſdemque dignitatis & autoritatis, talia dixiſſe: Sed nec moramur, quod idem, Deum exiſtimat magnatum & Principum in morem fuiſſe loquutum in numero plurali, quamvis etiam id doctiſſimo Mercero placuerit, qui ideò non putavit ex his deduci argumenta ſatis efficacia, pro Trinitate, adverſus Judæos. Quod in genere dictum concedere non debemus. Idcirco Calvinus, qui ex hoc loco, & verbis iſtis *ſicut unus ex nobis*, non exiſtimat firmum elici poſſe argumentum pro doctrina Trinitatis, addit non eandem eſſe rationem quæ ſuperioris loci, cap. 1. ℣. 26. *faciamus hominem*, quoniam hic, Adam, ſub dictione, *nobis*, comprehenditur, illic autem aliqua in Dei eſſentia diſtinctio exprimitur. Opponit Piſcator, conſiſtere non poſſe, hanc doctiſſ. interpretis expoſitionem. Poſthac Adam erit mihi ſimilis, ut ſimus inter nos ſocii. Dixiſſet enim, ecce Adam factus eſt ſicut ego, id eſt, tam ſublimis quam ego ſum; Multò autem minus conſiſtere poſſe illam expoſitionis partem, qua dicitur Adamum ſub dictione, *nobis*, comprehendi; Quid enim hoc eſt dicere, Adam factus eſt ſicut unus, ex me & ipſo, & quomodo dictione, *nobis*, poteſt comprehendi Adam, quum iſtæ dictiones inter ſe opponantur? Hæc bonus ille ſenex, qui putavit, ſe hoc modo ridiculam & abſurdam oſtendiſſe Calvini ſententiam, dum ipſi ſua affingit commenta. 1. Enim, fallitur in eo quod expoſitionem dividit in partes differentes, quia quam primam partem facit, eſt expoſitio ejus quam ſecundo loco ponit, quia Calvinus pro eodem ſumit, *nos erimus deinceps ſocii, & factus eſt Adam, ſicut unus ex nobis*, id eſt, ut jam ſint plures Dii, cujus unus ſim ego, Adam autem cum uxore alii duo; ſic *ex nobis*, ſatis exprimit Ironiam & Sarcaſmum, quo redarguitur affectata Deitas. quaſi diceret, ecce non ſum amplius unus, quia Adam factus eſt alter, ideò jam duo ſumus aut plures, quorum iſte ſocius meus unus eſt, nempe ex nobis duobus, hoc poſito, quod Adamo exprobraret affectatam Deitatem, in quo omnes noſtri interpretes conſentiunt. Commentum eſt quod affingit Calvino, *ecce Adam factus eſt unus ex me & ipſo.* Quis enim ſic nugaretur? Neque enim vel ſerpens pollicitus eſt, vel Adam imaginatus eſt, ex Deo & homine, in Adami perſona unum conflatum iri. *Factus eſt*, igitur, *ſicut unus ex nobis*, Calvino nihil aliud eſt, quam *factus eſt Deus*, ita ut jam non ego ſolus, ſed ambo dii ſimus, & jam ex me & Adamo pronomen plurale *nos*, tanquam de duobus ejuſdem ordinis uſurpari poſſit. Quo modo non inter ſe

opponuntur dictiones illæ *Adam*, & *unus ex nobis*. Ut nulla eſſet oppoſitio ſi jam dicerem, ſumus duo litigantes, & unus ex nobis Piſcator eſt. Ita, Deo velut reſumente fallacia promiſſa ſerpentis, qui Deorum pluralitatem tanquam poſſibilem inſinuaverat, potuit dicere, cum jam Adam factus ſit Deus novus, factus eſt velut unus ex nobis, præſertim ſi jungitur quod additur, ad *ſciendum bonum & malum*.

Scio & ſupra id indicavi, ex veteribus nonnullos, & pleroſque omnes recentiorum interpretum, eam ſententiam amplecti, quam paucis verbis idem Piſcator ſic explicat, *ſunt verba Patris, ad filium & ſpir. ſanctum*, ut percipitur ex collatione verborum ſerpentis ad Evam, *eritis ſicut Elohim*. At hæc collatio verborum ut ibi oſtendimus, non videtur talem interpretationem pati, niſi quis dicat, Satanam, per *Elohim*, intellexiſſe tres perſonas divinas, & hoc nomine, myſterium illud ab Eva fuiſſe intellectum quæ ſimilitudinem affectaverit cum divinis perſonis. Hoc ſi ita ſit, nomen *Elohim* cum ibi non accipiatur ſingulariter ſed pluraliter, cum per plurale *Dii*, ab omnibus interpretibus expreſſum ſit, (ad quod fatemur Deum alludere, cum pronomen *nobis* uſurpat) ſi nomine *dii* intelligantur tres perſonæ, & Deus pronomine *nobis*, Deos intelligat, ſequetur tres perſonas eſſe *tres Deos*, quod abſurdum ut evitaret Calvinus, prout pollebat judicio, non putavit agi de Trinitate perſonarum, ſed de multiplicatione Deorum, ſaltem eo uſque ut Dii fierent homines, in affectata cognitione boni & mali. Talia enim ad perſonalem aliquam notionem novam non pertinent, ſed ad eſſentiæ divinæ attributum ſeu proprietatem. Neque pollicebatur Dæmon perſonalem ſimilitudinem, ſed eſſentialem, quam etiam affectavit homo, aut ſaltem eſſentiali ſimilem. Ut igitur piam eſſe eorum ſententiam exiſtimo, qui pluralitatem perſonarum pronomine plurali putant inſinuatam fuiſſe, & nunc etiam probari poſſe contra Trinitatis hoſtes; Solidam tamen probationem ex eo deduci, cum Calvino, non putamus, ob rationes alibi allatas, quas hic repetere non opus eſt. Rem ipſam ut indubitatè & firma fide credimus, ſic non cenſemus numero pugnandum eſſe contra adverſarios, ſed rationum & teſtimoniorum pondere. Non malè obſervavit Eugubinus in Coſmopœia, ad hunc locum. Quæ Deus dixit, *ecce factus eſt quaſi unus ex nobis*, recitari non ut ſunt, ſed ut promiſſa & quæſita ſunt, promiſſa à ſerpente; quæſita, & optata ab homine. Quod certè verum eſt. Ac proinde, ut diximus, verba Dei ironica, referenda ſunt ad verba ſerpentis. Quo ſenſu dixerat ſerpens, *eritis ſicut Dii*, eodem dicit Deus, ſed ironicè, *factus eſt Adam quaſi unus ex nobis*. Serpens inſinuaverat πολυθεότητα, deorum multitudinem, ſaltem eo reſpectu, ſcientiæ boni & mali. Deus quos Deos ſerpens vocaverat, pronomine plurali reſumit. Unde ſatis patet, nihil ex eo firmum adduci poſſe pro myſterio Sacratiſſ. Trinitatis, niſi probetur ſatanam per Deos, intellexiſſe tres in divinis perſonas. Quod an probare poſſint qui aliter ſentiunt ipſis diſquirendum permitto. Non tamen exiſtimamus eandem eſſe rationem alibi ubi loquitur Deus numero multitudinis, Etſi Bellarm. de Chriſto lib.2.cap.6. dicat omnes illos locos à Rabinis ita eludi, ut difficile ſit eos convincere. Aliter enim judicavimus & probavimus ad illud Gen. 1. *Faciamus hominem*. Sed locus quem tractamus habet aliam conſiderationem. Ideò ejus non meminerunt patres Syrmienſes, in exemplo fidei contra Photinum conſcriptæ, quod habetur apud Hilarium lib. de Synodis, ſed Can. 13. ſic definiunt. *Si quis*, faciamus hominem, *non Patrem ad filium dixiſſe, ſed ipſum ad ſemetipſum dicat Deum locutum, anathema ſit*.

Sequitur apud Moſem ꝟ. eodem: *Et nunc, ne fortè mittat ſuam manum, & ſumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in ſeculum*. Elleipticam eſſe orationem plerique interpretes judicant. Tigurini ſuppleverunt, *periculum eſt*, Tremel. & Jun. *videndum, ne* &c. Alii *cavendum eſt*, quæ eodem recidunt. Senſus igitur erit, cavendum eſt, ne deinceps homo, poſtquàm abuſus eſt ligno ſcientiæ boni & mali, & ſibi mortem conſcivit, de fructu arboris vitæ decerpat, & in æternum vivat. Hanc eſſe loci conſtructionem, apud omnes conſtat. At non perinde quo animo hæc dixerit Deus, & an ex ſententia ſua, finem illum & eventum manducationis arboris vitæ propoſuerit, vel ex ea opinione quam Adamus habuiſſet?

Non pauci id tanquam in ſe abſolutè verum accipiunt; Si nempe, poſt peccatum Adam potuiſſet fructum illum deguſtare, in æternum fuiſſe victurum, ſive æternitas accipiatur pro longiſſimo tempore, ſive pro duratione ſine termino. Proinde in hac præcautione Deum uſum fuiſſe miſericordia, qui noluerit in perpetuum prorogari hominis miſerias, ſed ideò voluerit mortem accelerare, ut per eam homo eximeretur tot moleſtiis quibus in hac vita per peccatum factus eſt obnoxius, Eorum qui ita ſentiunt, alii exiſtimant, in fructu arboris vitæ talem vim fuiſſe quæ hominem ad ſenium vergentem innovare potuiſſet, & ita vitam ejus, ſi non in perpetuum, tamen ad aliquot annorum millia continuare, ſi præſertim fructus illius uſus repeti potuiſſet, quoties eo fuiſſet opus. Alii putant, ex unica fructus illius prægustatione, immortalitatem perpetuam conſequuturum fuiſſe, atque ita mori impoſſibile futurum fuiſſe Adamum, niſi prohibitus fuiſſet ab illius arboris eſu. Proinde idem eventurum fuiſſe homini, quod Diabolo, cui vita perpetua relicta eſt, ad perpetuam miſeriam. Id ergo ad Dei miſericordiam pertinere.

Sunt tamen, qui idem ſentientes de arbore vitæ, hanc Dei cautionem ad pœnam referunt, & Deum voluiſſe præcavere, ne Adamus eluderet mortis ſententiam, remedium quærens in vitæ fructu, atque ita obſtinatus

ſtinatus

ſtinatus adverſus Deum, ſibi plauderet, ut qui inſtructus adhuc eſſet mediis neceſſariis ad vitam ſuam conſervandam, quicquid Deus comminatus fuiſſet, ut hic ſit ſenſus; Jam mortis ſententiam pronunciavi adverſus hominem peccatorem, quam ut executioni mandem, præcavebo, ne utatur fructu illius arboris, quam in horti medio collocaveram, eo fine ut homo in æternum viveret. Hos exiſtimamus propius accedere ad veram loci intelligentiam. Sed ut commodius de ea judicare poſſimus, præmittendum eſt aliquid, de vi & efficacia arboris illius, & an talis fuerit, quæ etiam homini peccatori, vitam prorogare potuiſſet, ſi penes eum manſiſſet facultas, quam ei Deus impedimento poſito voluit adimere.

Id neceſſariò ſentiunt autores ſententiarum quas retulimus. Quod tamen mirum eſt, ſi, quod Auguſtinus, & alii poſt eum docuerunt, vis illa non fuerit arbori naturalis, ſed ſupernaturalis. Utitur enim Auguſt. lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 5. ſimilitudine ſubcinericii panis Eliæ adminiſtrati, qui ex eo aliud perhibetur habuiſſe præter vim ordinariam, *cujus*, inquit, *una collyride hominem Deus ab indigentia famis, dierum quadraginta ſpatio vindicavit.* Item, olei illius viduæ Eliſæi, cum *in fictilibus vaſis farina & oleum deficientes reficerent, nec deficerent.*

Bonaventura in 2 ſent. diſt. 17. Dictam eſſe dicit arborem vitæ, *non propter effectum quem ipſa habuit, ſed ad quem ordinabatur, & quem ſine dubio, habuiſſet, ſi homo in Dei gratia perſeveraſſet.* Ibidem, diſt. 19. *Quia humidum radicale paulatim conſumitur, nec poteſt reparari per quodcumque alimentum, ideò data eſt quædam virtus ſpiritualis cuidam ligno quod dictum eſt lignum vitæ, per cujus ſumptionem repararetur humidum radicale, & hoc quidem non fuit ex conditione naturæ, ſed ex beneficio conditoris.* Paulo poſt addit, *quod lignum vitæ talem effectum haberet, hoc fuiſſe ſpirituale donum Dei, ut quando tanto tempore veſtes & calcei populi Iſraëlitici conſervati fuerunt.* Tandem ſub finem concludit, *lignum vitæ, potuiſſe præſtare perfectam immortalitatem, non quia propria virtute corpus hominis poſſet facere incorruptibile, cum hoc ſit ſolius potentiæ divinæ, ſed quod virtute ſibi data habebat ad hoc diſpoſitionem, & divina virtus illi ligno tanquam ſacramento, aſſiſteret, quæ immortalitatem perficeret.* Et affert ſimilitudinem Sacramentorum, *quæ*, inquit, *dicuntur conferre gratiam, quamvis non ipſam gratiam creent, ſed divina virtus ipſis aſſiſtens.* Sic, ait, *in propoſito intelligendum, cum lignum vitæ eſſet primis hominibus in ſacramentum, ſicut dicit Auguſt.* Hæc ille.

Ex cujus & Auguſtini ſententia, non ſequitur hominem poſt peccatum ex uſu illius fructus, potuiſſe immortalitatem adipiſci. Nam virtus ſupernaturalis, poſt peccatum hominis, non affuiſſet arbori, nec homini peccatori profuiſſet. Et fatentur ipſi Pontificii virtutem Sacramentorum, quia ſupernaturalis eſt, in eo qui cum peccato ea ſuſcipit, &, ut loquuntur, *obicem ponit*, non operari ſuum effectum. Proindè non eunt inficias, qui ad conſequentiam reſpiciunt, poſita virtute ſupernaturali in arbore vitæ, nullum fuiſſe periculum etſi homo deguſtaſſet ad irritandam comminationem divinam. Unde ex eo firmiter inferre putant, arborem illam non habuiſſe Sacramentalem relationem, nec aliquid ſupernaturale ex ejus eſu conſequuturum fuiſſe, quia hoc loco præcautio qua Deus utitur, innuere videtur, talem vim inditam fuiſſe fructui vitæ, ut, ſi homo fructum illum decerpere potuiſſet, & jam qua talis erat peccator, in æternum fuiſſet victurus. Quod tamen, ut notavimus, ita exponunt, ut in diverſas ſententias abeant, aliis æternitatem interminabilem aſſignantibus, aliis diuturnam ſed non perpetuam durationem, poſt eſum illius ligni.

Perpetuari potuiſſe corpus hominis per fructum ligni vitæ poſt peccatum, rectè refutat Bonaventura ſeqq. rationibus. 1. Rom. 6. *ſtipendium peccati mors.* Ergo, ſi poſtquàm homo peccavit, neceſſarium fuit eum peccaſſe, neceſſarium fuit ipſum mori, ergo neceſſarium fuit corpus ejus diſſolvi. Igitur non poterat perpetuari per eſum alicujus ligni. 2. Sententia lata fuerat Geneſ. 2. *Quocumque die comedetis*, &c. Si igitur illam ſententiam nulla virtus creata poteſt infirmare, quantumcumque homo comederet de fructu vitæ, neceſſe erat eum mori, & corpus ejus reſolvi. 3. Non minus eſt de mortali immortalem facere quam de mortuo vivum. Sed mortuum ſuſcitare hominem eſt virtutis ſolius Dei quæ infinita eſt, ergo corpus diſſolubile ad indiſſolubile reducere eſt ſolius virtutis divinæ. Ergo ſi homo poſt peccatum de ligno illo comederet, corpus ejus nihilominus diſſolvi eſſet neceſſe. Et hæc quidem ille ad rem appoſitè.

Sed tamen eam reſponſionem adfert ad locum quem tractamus, ex qua liquet, eum cum iis ſenſiſſe qui docent, hominem poſt peccatum ſi attigiſſet hanc arborem victurum fuiſſe diutius, idque Deum voluiſſe impedire tali ejectione. *Ad illud* (inquit) *quod objicitur in contrarium de textu, dicendum, quod æternam non dicit ibi vitæ interminabilitatem: ſed vitæ quandam diuturnitatem, quomodo ſæpè conſuevit loqui ſcriptura. Quamvis autem lignum vitæ illud corpus non poſſet perpetuare, poterat tamen adeò naturam ipſius adjuvare, & vigorare, ut diutius viveret.* Hanc ſententiam amplectuntur Pontificii, & probant plerique omnes, velut cauſſam illius impedimenti, excepto Bellarmino, qui in aliam magis inclinat.

Sed quamvis concederemus vim aliquam fuiſſe ipſi fructui inditam, qua aptus erat ad humidum radicale conſervandum, & alia quæ ipſi tribuuntur; non ſequeretur tamen, poſt peccatum, vim illam in homine tali, fuiſſe exerendam. Sunt enim, qui rectè attendunt, quemadmodum hoc tempore vitæ diuturnitas non ab alimentis tantùm pendet, ſed à corporis etiam conſti-

tutione, quæ ſi mala ſit, quæ magis nutriunt alimenta, ſunt nociva: Sic, etiamſi in primo illo ſtatu, quo hominis conſtitutio fuit perfectiſſima, quæ præſertim pendebat ex bona animi conſtitutione, id eſt, juſtitia, etſi fructus arboris vitæ ſummæ fuiſſet efficaciæ, bona tamen corporis qualitate per peccatū deperdita, non debuit expectari effectus vel immortalitatis, vel diuturnitatis, ſupra eam menſuram quæ Adamo conceſſa fuit, poſt peccatum. Quam ſententiam confirmat Pauli dictum Rom. 8. *Corpus mortuum eſt propter peccatum.* Quo ſignificatur in ipſo corpore nunc eſſe mortis & corruptionis cauſſam, quæ ante peccatum non inerat, ſive ſit illa morbida quædam vel mortifera qualitas ſive potius privatio bonæ illius conſtitutionis ac temperaturæ quæ ante peccatum inerat, cujus defectu nunc corpus mortuum dicatur. Unde eſt quod Patres Concil. Arauſicani Can. I. definierunt, totum hominem ſecundum corpus & animam, in deterius fuiſſe mutatum. Ex quo ſequitur, quemadmodum ante peccatum in ipſo corpore fuit quædam qualitas qua ita benè ſe habebat, ut, illa manente, non poſſet mori; ſic contra, poſt peccatum, ex illius privatione non poſſe ab ulla externa naturali cauſſa à morte præſervari.

Addimus & hoc, ſi jam in hac vita non vivat homo, *ex ſolo pane*, ſed *ex omni verbo quod ex ore Dei procedit*, ita ut Deo frangente baculum panis, vim nutriendi, ratione noſtri, amittat; non opus fuiſſe cuſtodia, ut homo à fructu illo arceretur eo fine, ne vitam prorogaret, quando nihil facilius fuit, quam vim illam à fructu illo auferre, præſertim ratione objecti illius: Nec dubitamus, fuiſſe oblatam hoc reſpectu, quia tota vis arboris vitæ, hominem reſpiciebat in ſtatu innocentiæ conſtitutum, cui data erat. Si ergo, ut vult Auguſt. lib. v. de pec. merit. cap. 3. lignum vitæ daturum tunc fuiſſet ſtabilitatem contra vetuſtatem, id referendum ad illud tempus, quo homo ſine peccato victurus fuiſſet in terris, donec transferretur ad cœleſtem & ſupernaturalem beatitudinem, cujus arborem illam fuiſſe Sacramentum, ſive ſacrum ſignum, cum Auguſtino, Bonaventura, & aliis, cenſemus. Itaque non rejicimus quod nonnulli volunt, habuiſſe vim quandam naturalem adverſus ſenium, & alias infirmitates, ut in terra homo viveret iis malis exemptus quibus obnoxii ſumus, ſed in naturali illa proprietate, ex divino inſtituto, fuiſſe ſignum vitæ illius beatæ, quam homo, Deo in perpetuum obediens, in cœlum tranſlatus, adeptus fuiſſet.

His poſitis, ad objectionem ex verbis quorum occaſione in hanc diſputationem incidimus, communiter reſpondetur & rectè, accipienda eſſe ſicut proximè præcedentia, *ecce Adam quaſi unus ex nobis*, &c. ut ſit continuatio redargutionis Ironicæ, Nam quemadmodum Adam ſimilis Deo factus non erat, ſciens bonum & malum, ſed per peccatum, & ignorantiam ex peccato contractam, longiſſimè à Deo receſſerat: ſic non erat futurum verè, ut habita facultate utendi ligno vitæ, viveret in æternum; ſed inde ejectus eſt, & ab eſu arboris prohibitus, ne ſtultè ſibi ex ejus ligni uſu, promitteret immortalitatem.

Sed id prætereà adjungimus, Arborem vitæ ut ex Auguſt. diximus, habuiſſe rationem Sacramenti. Fuit enim in ea talis vis naturalis (quod concedimus & ſupponimus) ut poſita optima corporis conſtitutione, qualis erat ante peccatum, arboris illius fructus ſenii incommoda potuiſſet prævenire; ſed hoc quaſi ſymbolo voluit Deus confirmare in homine ſi in innocentia perſiſteret, cœleſtis & ſupernaturalis vitæ ſpem & fruitionem. Quemadmodum autem nunc, ex Dei inſtituto à Sacramentis arceantur indigni, ne ſibi ſymbola ſumant ad judicium & condemnationem, ita, hac prohibitione uſus eſt Deus tanquam excommunicatione minori, quam abſtenſionem vocant, ad hominem magis ac magis humiliandum, ut ſe indignum agnoſceret vita, qui à vitæ Symbolo arcebatur. Prætereà, tale Sacramentum, homini lapſo, non erat amplius aptum; Quia arbor vitæ non data erat ut vitam reſtitueret mortuo, ſed ut viventem in ſtatu vitæ commodo, conſervaret. Ergo Adamo per peccatum mortuo, & mutata ejus conditione, mutanda fuerunt Sacramenta. Proinde, à Sacramentis in ſtatu innocentiæ conſtitutis arcendus fuit, ne ea profanaret; quando eorum legitimus uſus ceſſaverat; & in iis quæreret, quod fruſtrà expectaviſſet.

Concludimus ergo, his verbis, non reſpexiſſe Deum ad ipſam rem & eventum, ſed ad opinionem & ſpem Adami, ob rationem nominis arboris vitæ non benè intellectam, quaſi per eſum fructus arboris iſtius in vita conſervandus eſſet, ſive peccaret, ſive non. Sed arbor illa ſic dicta fuit, quod eſſet Sacramentum ſeu divinum ſignum atque teſtimonium, quod Adam, cum in vita hac terrena conſervandus, tum maximè quod in vitam cœleſtem transferendus eſſet, ſi perſiſteret in obedientia mandatorum Dei, quippe per quorum tranſgreſſionem, mortem ſibi attracturus erat. Quapropter, excluſione ab arbore vitæ, ſignificare voluit Deus eum jus illud ad vitam amiſiſſe. Non eſt ergo loci ſenſus, timuiſſe Deum ne prægustata vitæ arbore, in multa tempora vitam prorogaſſet; nam ſi omnes ejus arboris fructus devoraſſet, non putandum eſt eum poſt acceptam mortis ſententiam, fuiſſe vitam protracturum ultra naturaliter ſibi conſtitutos dies. Neque hoc dicitur, quaſi immortalitatem aut longiorem vitam Deus homini invideret; ſed quod, qui mortem peccando amiſerat, & re ſe privaverat, ſigno eſſet privandus, vel cui longior vita denegabatur, non abuteretur ſigno immortalitatis.

Quum ſit recepta ſententia, ex illius arboris uſu in ſtatu innocentiæ, hominem omnibus ſenectutis infirmitatibus exemptum, manſurum fuiſſe in ſtatu vegeto & valido, ſive ipſi fructui talis vis naturaliter fuerit

indita, reſpectu habito ad corpus;ſive ex Dei inſtitutione,talis promiſſa fuiſſet eſui fructus aſſiſtentia; non incredibile eſt quod quidam cenſent, ex obſcura quadam doctrinæ iſtius traditione, Poëtas & Philoſophos Ethnicorum, deſumpſiſſe, quod de Nectare, Ambroſia & Nepenthe fabulati ſunt, his nominibus cibum & potionem deſignantes, quibus veſcentes ſuperi, mori non poterant. Appellabant enim Nectar referente Suida, quaſi νεόκταρ, τοὺς νέους ποιοῦν τοὺς πίνοντας, quia juvenes faciebat bibentes, vel ut alii volunt à νή & κτείνω, id eſt, non interficio, quaſi non ſinens mori. Sic *ambroſia* dicitur quaſi ἀβρωσία, ſine mortalitate, eſt enim βροτὸς mortalis, & nepenthe, *ſine luctu*, quia triſtitiam excutiebat. Luctus enim Græcè πένθος. Hæc inquam potuerunt à Philoſophis & Poëtis fingi, occaſione eorum quæ filii Noachi poſt diluvium & confuſionem linguarum ſparſerunt de arbore vitæ; quæ à patribus accepta, apud eos qui veram Religionem excuſſerant, facilè degenerarunt in ſuperſtitionem, & fabularum vanitatem: Etſi nonnulli putent talia omnia à Poëtis & Philoſophis non fuiſſe credita prout dicebantur, ſed tantùm ſuaviſſimis ciborum nominibus, immortalitatem viſionemque ſupernam innuere voluiſſe, quam priſcorum Theologorum philoſophandi rationem fuiſſe exiſtimant. Quicquid ſit, etſi concederemus antiquorum poëtarum fabulas, ſimilitudinem aliquam habere cum hac noſtra veritate, non propterea ſequeretur (quod quidam Antinomi voluerunt) Moſis narrationem fabulas redolere. Si enim aliquando veritatem ludificetur Satanas, fictas narrationes plurimas, uni veritati divinæ opponendo; non propterea veritati aliquid decidit. Falſum enim mentitur veritatem, vel ut loquitur Tertullianus, *omne falſum poſthumat adnaſciturque veritati.* Sed veritas manet ſui ſemper ſimilis, quæ etiam ex eo manifeſta eſt, quod ipſum mendacium prodire non audet in publicum, niſi veritatis velamine turpitudinem ſuam tegat.

Quod autem quidam, quicquid de arbore vitæ dicitur, ad allegorias transferunt, & nomen tantùm arboris à rebus naturalibus deſumptum volunt, rem autem ipſam totam ſpiritualem fuiſſe; id certè probari non poteſt. Sunt enim expreſſe nimis quæ de horto, arbore plantata, & ſimilibus dicuntur in Sacro textu. Sint verba tantùm quæ Poëtæ & Philoſophi excogitarunt, quæ rem nullam ſenſibilem exiſtentem ſupponerent, ſed inſenſibilem aliquam ſignificarent: At, ut benè monet Eugubinus, Deus fecerat *re*, quod illi fecerunt *loquendo*; nempe fecit Deus in oculis rem quandam deguſtabilem, qua declararet immortalitatem. Hinc eſt quod poſtea Salomon Prov.3.Sapientiam comparavit *ligno vitæ*.Sic infinita Dei Sapientia, rebus apertis, & notis & ſenſui patentibus, hominibus corporeis, rerum ſuarum magnificentiam quæ videri non poterant, voluit oſtendere. Moſes autem retulit verè & ſincerè, quæ in oculis gerebantur, ſenſus interiores apertè non tangens. Exponens ſimpliciter quid geſtum ſit, & quo ordine res proceſſerit. Beatitudinem autem vitæ æternæ deſignatam fuiſſe re, & nomine figurato, Sp. Sanctus poſteà ſæpè expoſuit, quod ut optimè Severianus, citante Eugubino, Deus δέδωκε τὸ δένδρον χαρακτῆρα τῆς βασιλείας, dedit arborem quæ regni ſignum foret. Ita Auguſtinus, in aliis lignis fuiſſe alimentum, in iſto Sacramentum, id eſt, rem arcanam & occultam. Quem ſequutus Beda, *Recordemur* (inquit) *fluminum de ventre fidelium manantium, recordemur illam aquam, quam dixit æterna Sapientia; exituram ex eorum pectore qui in ſe credidiſſent, ipſam videlicet innuens ſapientiam.* Nam quod per aquas vivas poſteà loquendo deſignavit, expreſſit à principio per fructus vivos, re & effectu, non ſermone, idem in utroque tempore figurator; tunc rebus ipſis corporeis, poſt ſermone, tunc utens re figurata, poſt ſermone utens figurato. Repetamus item quod idem dixit, *Amplius non bibam de hoc genimine vitis, niſi cum bibam illud vobiſcum in regno Patris mei.* Matth. 26. ℣. 29. Semper delectatus eſt his figuris, ut faceret opes regni ſui, inviſibiles, & animis noſtris imbecillis incomprehenſibiles, clariores; utens in ſermone rebus noſtris ſuavioribus, & melioribus, ad rerum æternarum bonitatem & dignitatem ſignificandam. Ex quibus colligimus, non latuiſſe in ipſius arboris natura, virtutem, quæ beatitudinem æternæ vitæ produceret; Sed fuiſſe æternitatis Symbolum, & Sacramentum, à quo jure arcebatur, qui ſua culpa à re ſignificata exciderat.

Ejectionem hominis deſcribit Moſes, ℣. 23. *Et emiſit eum Dominus Deus de horto Eden, ad colendam terram, quod ſumptus eſt inde.* Ubi duo conſideranda veniunt, 1. dimiſſio & expulſio ex Paradiſo, qui eſt terminus à quo: 2. Terminus ad quem, *terra ex qua ſumptus erat*, quam deinceps *excoleret*. Verbum שלח *ſchalach*, per ſe, non accipitur in malam partem. Sed notant quidam Ebræi, tum in malum ſumi & ignominiam, quum ſequitur præpoſitio מן *min.* Quicquid ſit, ex ſequenti verſiculo, ubi habetur, ויגרש *vajgareſch*, & ejecit Deus hominem, ſatis apparet fuiſſe violentam & pœnalem ejectionem, qualis eſt domeſticorum, qui propter infidelitatem, à patre familias ex ædibus ejiciuntur. Cum autem hortus Edeni, ex quo ejectus eſt, opponitur terræ quam poſteà excoluit Adam, cogitandum non eſt, hortum Eden fuiſſe extra terram, nec fuiſſe partem terræ habitabilis, ut quidam nugati ſunt, cum fluvii qui hortum illum irrigabant, adhuc ſint in rerum naturâ; Sed pars illa terræ excultior, & benedictionibus Dei fœcundata, opponitur reliquæ terræ,non ita excultæ, ex qua deſumptus erat Adam, quia ex antedictis conſtat, eum extra hortum fuiſſe creatum, in quem poſteà fuit introductus. Quod autem additur, *ad colendam terram*, etſi nonnulli exiſtiment, non fuiſſe poſitum tanquam ejectionis finem, ſed tantùm eſſe conſecutionem, quandoquidem neceſſe eſſet eum colere.

colere terram unde vivere poſſet, ſecus tamen judico, finem hic denotari, nempe pœnam illam, quam Deus anteà, inter alias, denunciaverat; *In ſudore vultus tui comedes panem tuum.* Ut enim executioni mandaretur, debuit homo detrudi in illas partes terræ quæ incultæ adhuc, nihil homini producere poterant, niſi longo labore ſubactæ. Meminit autem Deus originis hominis, ex eadem terra, ut indicet, quandoquidem per peccatum indignum ſe reddiderat habitatione amœni horti, in quo fuerat collocatus; nihil juſtius eſſe, quam ut mitteretur in illam terræ partem, ex qua primum deſumptus fuerat, & rediret ad locum originis ſuæ. Quomodo ſi quis à Rege evectus ex humili caſa, in palatio habitaret, poſt culpam aliquam ejiceretur, & iterum detruderetur in humilem illam tabernam in qua natus & educatus fuerat.

Quomodo autem facta fuerit ejectio, an verbo ſolùm, an quaſi prehenſa manu, Angelorum miniſterio, Scriptura non dicit, nec curioſe nimis inquirendum eſt. Sufficit ſic fuiſſe factam, ut homo non potuerit reluctari, quod Deo facile fuit, ſolo nutu. Ubi non malè notant aliqui, tale quid accidiſſe Adamo, quod iis qui ob malè facta exilio mulctantur, & dulciſſima patria carere coguntur; vel iis qui per excommunicationem Eccleſiaſticam arceantur à ſacris, cujus velut formam habemus in hac expulſione Adami, qui non ſolum prohibitus eſt eſu arboris, ſed etiam excluſus habitatione horti illius in quo benedictio Domini maximè eminebat. Sed quemadmodum excommunicationis ſcopus, eſt peccatoris humiliatio & converſio, ſic non dubitandum eſt tali animo erga protoplaſtos fuiſſe Dominum, qui etſi à Sacramento innocentiæ homines rejecerit, & eam habitationem negaverit, quæ iis tantum parata erat qui in juſtitia permanſiſſent, non tamen eos deſtituit aliis mediis quibus reparari poſſent, & in gratiam redire. Et quamvis excluſio ex Paradiſo, teſtimonium eſſet meriti privationis æternæ vitæ; non tamen fuit indicium Deum adverſus eos exequi voluiſſe actu, quod ipſi meriti fuerant, quia animus erat, eos ad pœnitentiam revocare.

Luxuriant hoc loco curioſæ quorundam Scholaſticorum quæſtiones, quot horis, vel diebus, vel annis fuerint primi homines in Paradiſo? In quibus etiam ſudarunt antea Judæorum doctores & nonnulli ex veteribus. Cabbaliſtæ exiſtimarunt non potuiſſe damnari Adamum ante viceſimum annum à creatione ſua; Alii plures annos aſſignant, alii dies tantum 40. alii diem unicum, nonnulli ſex tantum horas, alii paulo plures, quidam dies octo. Sed omnes infirmis utuntur conjecturis, quibus dum indulgent, neque ſibi ipſis, neque aliis ſatisfaciunt. Ideò tandem huc deveniunt, ut fateantur, præciſe & definitè id non poſſe conſtitui, quia neque colligi poteſt ex divina Scriptura, nec ut certum traditum eſt à divinis Scriptoribus, nec veriſimilibus conjecturis perſuaſum. Sic enim loquitur Pererius, & alius ex iiſdem partibus, hanc quæſtionem ſupra modum nobis viatoribus difficilem eſſe, &c. Non tamen moleſta nobis debet eſſe talis difficultas, in re non neceſſaria, nec opus eſt ut nos in ea enodanda maceremus. Benè monet Merſennus, nihil de ea quæſtione ſtatui poſſe certi ſine revelatione divina. In eo monachus Minimus, prudentior Petro Cottono Jeſuita, qui, quemadmodum de eo refert Ampliſſ. Thuanus Hiſtoriæ ſuæ lib. 132. ad annum Chriſti 1604. ab Hadriana quadam Fraxinea, ſive potius à ſpiritu maligno à quo erat obſeſſa, quærebat inter alia, quamdiu in cœlo fuiſſent dæmones, & in terreſtri Paradiſo primi parentes? Qui certè ſi veritatis amore ductus fuiſſet, non eam à Mendacii patre fuiſſet emendicatus. Nos huic quæſtioni & ſimilibus idem reſponſum adhibemus quod Auguſt. lib. 11. Confeſſ. cap. 12. quærenti, quid faciebat Deus, ante quam faceret cœlum & terram? *Reſpondeo,* inquiebat, *non quod quidam reſpondiſſe perhibetur, joculariter eludens quæſtionis violentiam:* Alta, *inquit,* ſcrutantibus gehennas parabat. *Aliud eſt videre, aliud ridere. Libentius enim reſponderim: Neſcio quod neſcio, quam illud unde irridetur qui alta interrogavit, & laudatur qui falſa reſpondit.* Hæc ille. Sic nos in talibus non inviti profitemur ignorantiam noſtram, cum talis ignorantia non ſit pravæ diſpoſitionis.

Exercitatio XLI.

Cherubim & gladius verſatilis viſibiles figuræ. De iis variæ ſententiæ. Angelos fuiſſe. Cur ſic dicti? An liceat Angelos pingere? Angeli incorporei. Qualis eorum unio cum aſſumptis corporibus? Qualitas aſſumptorum corporum. De Angelorum ordinibus. Quid in eo certum ſit, quid non. Audacia nonnullorum. Reprimitur.

Poſt ejectionem Protoplaſtorum ex horto, quid fecerit Dominus narrat Moſes verſ. 24. his verbis: *Et collocavit ab oriente horti Eden Cherubim & aciem gladii verſatilem ad cuſtodiendam viam arboris vitæ.* וישכן מקדם *vajaſchcen mikkedem*, & collocavit ab oriente. Græci καὶ κατῴκισεν, addentes αὐτὸν, id eſt, *habitare fecit eum*, illud autem מקדם הגן עדן *mikkedem hagan Eden*, verterunt, ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς, id eſt è regione Paradiſi voluptatis, ut verba referantur ad hominem, quem ejectum ex Paradiſo, juſſerit Deus habitare è regione illius. Sed collatio illa, in Ebræo textu manifeſtiſſimè refertur ad Cherubim, non ad hominem. Idcirco vulgata rectè interpretata eſt, *& collocavit ante Paradiſum*

Cheru-

Cherubim. Et Chaldæa Paraphr. *Et collocavit ad orientem horti Eden Cherubim*. ואת להט *veeth lahat*, & aciem gladii, Trem. & Jun. *mucronem*, propriè flammam ſignificat, à להט *lahat* quod eſt *ardere*, inflammare, ideò plerique vertunt, *flammeum gladium*. Sed *rutilans* gladius, flammeus dici poteſt, quia ferrum politum & fulgens, flammas videtur emittere. המתהפכת hammithaphecet, *ſe vertentis*. LXX στρεφομένην quæ vertitur, id eſt, quæ vibrat ſe, refertur enim ad gladium.

Senſus igitur eſt, Deum poſt ejectum ex horto hominem, cuſtodes ab ea parte qua pervius fuiſſet, appoſuiſſe; qui, ſi homo attentaret in Paradiſum reverti, eum perterrefacerent, igneo & verſatili gladio minitantes. Ubi quæſitum eſt, 1. An hiſtoricè hæc ſint intelligenda prout narrantur: vel allegoricè accipienda, quod nonnullis placuit, qui nihil aliud toto hoc verborum apparatu deſignari putant, quam Deum impedimenta talia homini objeciſſe, ut nullā ſpem reliquerit, ipſi viam ad arborem vitæ iterum repetendi, quæ impedimenta etiam potuerunt eſſe inviſibilia. Sed textus manifeſtè pugnat, qui meminit viſibilium figurarum & gladii verſatilis. Fuerunt inter ipſos veteres, ut Theodoretus, & Procopius Gazæus in Geneſim, qui per Cherubin intelligunt ſpeciem quandam velut animalium formidoloſorum, pro foribus paradiſi ſtantium. Alii Zonam torridam ſignificari voluerunt, quæ metaphoricis verbis à Moſe deſcriberetur. Paradiſum itaque fuiſſe inacceſſibilem quia Zona torrida undiquaque circumdabatur. Sed ut omittam, conſtare ex deſcriptione, Moſis Paradiſum non fuiſſe in locis illis quos ambit Zona torrida; certum eſt etiam, ex noſtri temporis navigationibus, regiones quæ ſub Zona illa ſunt, pleraſque eſſe temperatiſſimas, ab aliis cauſſis, calorem illum moderantibus, & ſub ea eſſe loca paſcua & irrigua, multis oſtendit Joſephus à Coſta lib. 2. Hiſt. Nat. Indiarum, cap. 6. Qui Paradiſum in altiſſimo monte collocantes, eundem igne volunt ab omni parte ambiri, & montis cavernoſis locis erumpente, id contra rationem planè excogitarunt. Neque enim ſitus paradiſi cacumini montis competit, neque talis ambitus conveniens fuiſſet loco adeo temperato & amœno. Sed, ſupra omnes ridiculi ſunt, qui *ignem purgatorium* ſomniant, tanquam his verbis indicatum, nec tamen vident, quod ex ſociis eorum animadvertit non nemo, talem ignem Pontificios non ponere, ut excludat homines paradiſo, ſed ut juvet & promoveat ad tempus excluſos. His igitur omiſſis, per Cherubos intelligimus Angelos Dei miniſtros, & per gladium verſatilem, ſpeciem quandam gladii vibrati modo viſibili ab Angelo ſive Angelis quibus id demandatum fuerat, quo modo ſæpè in Scriptura, tale Angelorum miniſterium deſcribitur, ubi de judiciis Dei exequendis agitur. Sic Angelus quem primò vidit Aſina Balaam, & poſteà ipſe herus poſtquam ipſi fuerunt oculi reſerati, Num. 22. ỿ. 22. & 23. Angelus itèm qui Joſuæ apparuit, quem rogavit ab utris partibus ſtaret, qui viri ſpecie, ſtabat ex adverſo ejus cum gladio ſuo ſtricto in manu ſua, Joſ. 6. ỿ. 1. Et Ezech. 9. ỿ. 2. ſex Angeli forma hominum apparent deſtructuri Jeruſchalaima, habentes ſinguli in manibus inſtrumentum lethiferum, &c. Sic alienum videri non debet Cherubos à Deo fuiſſe diſpoſitos in aliena & viſibili forma, qui ad Paradiſi viam cuſtodiendam aliquamdiù ibi apparuerunt. Quamdiu autem ibi hæſerint, an iidem, an ſemper, nec noſtrum eſt definire, nec opus eſt anxiè quærere. Id ſufficit, ſi dicamus tamdiù ibi hæſiſſe, quamdiu viſum fuit Deo, qui eos diſpoſuerat, quaſi in excubiis.

Sed quæritur, 1. cur Angeli illi *Cherubi* appellentur, cujus nominis ratio varia affertur. Quidam Ebræi ut Aben Ezra, putarunt hoc nomine quamvis figuram ſignificari, non humanam ſolùm, ſed brutam quoque, quia Ezech. 1. tribuitur figuris bovis. Sunt qui aliam originem ei aſſignant, ut כ *caph*, ſit nota ſimilitudinis, רוב pro רביא *rebia* accipiatur, quod nomen Babyloniis, *puerum* ſignificat, quia Angeli juvenili forma apparebant & figurabantur, & ita Cherubim ſuper arcam erant informati. Sed quia apud Ezechielem hoc nomen generaliter refertur ad figuras volucres propriè, alii volunt affinem eſſe voci רכב *rekeb*, per tranſpoſitionem, unde etiam transfertur ad ventos qui velociſſimi ſunt, & ad Angelos qui incredibili celeritate & agilitate prædìti ſunt. Qui à radice רבב *rabab*, multiplicatus fuit, deducunt, ob ingentem eorum multitudinem, nulla ratione ſubnixi ſunt, etſi enim ב & כ *beth* & *caph*, figurâ ſatis conveniant, non ſunt tamen literæ commutabiles. Qui כרוב à multitudine ſcientiæ derivant, Hieronymum citant autorem, in Epiſt. ad Paulinum, Tom. 3. *Cherubim* (inquit) *quod interpretatur ſcientiæ multitudo, per omne corpus oculati ſunt*. Eodem tomo tamen, Epiſt. ad Marcellam, dicit, *opus Cherubim* interpretatur *varium & depictum, ita tamen*, inquit, *ut* ו *literam cherubim non habeat, quia ubicumque cum hac litera ſcribitur, animalia magis quam opera ſignificat*. Quomodo autem fieri poſſit ut à multitudine ſcientiæ derivetur vox כרוב *cerub*, fateor me videri non poſſe, nec id docet Hieronymus. Nam feſtivum eſt quod Marinus Merſenus, deducit à נכר *nachar*, cognoſcere & רב multitudinem, Cujus compoſitionis apud Ebræos nullos exemplum dari poteſt, nec analogia ulla poteſt inter talia inſtitui. Simpliciſſima interpretatio mihi eſt, quæ Angelos Dei miniſtros, hoc nomine populo Iſraëlis indicaſſe vult Moſem, quia figuræ illæ duæ, Angelorum miniſterium repræſentantes, in operculo Propiciatorii *Cerubim* appellabantur, quæ erant figuræ alatæ, vultu humano. Moſem igitur, qui hactenus de Angelis nihil dixerat, ſe accommodaſſe ad captum populi illius.

Unde conſtat, nomen *Cerubim*, accipi non ſimpliciter pro Angelis, ſed pro angelis quatenus vel apparebant, vel figurabantur, aliqua externa forma vel homi-

hominis, vel alterius animalis. Quæ Angelorum figuræ, ſive aſſumptæ, ut in apparitionibus; ſive effictæ, ut in Arca & Tabernaculo, fuerunt hieroglyphicæ. Unde obiter reſponderi poteſt ad quæſtionem, An liceat Angelos pingere & ſub qua forma? Qua de re antiquã fuiſſe motam controverſiam liquet ex Iconolatrica Synodo VII. Nicæna, in qua imaginum abuſus uſq; adeò invaluit, ut ad ſummum impietatis Pſeudoſynodi illius decreta gradum conſcenderint, ita ut opus fuerit Antiſynodica correctione Latinorum, ſub Carolo Magno. Contenderunt igitur Synodici, Angelos pingi poſſe quia ſunt corporei, quam ſententiam à Tharaſio propoſitam Synodus approbavit. Nam cum Gentilibus objicerent Deum pingi non poſſe cum ſit incorporeus, regerebat Ethnicus in Dialogo Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis Chriſtianos pingere Angelos, qui tamen ſunt incorporei. Reſpondebat Chriſtianus Iconolatra, corporeos eſſe Angelos, proinde licitè efformari poſſe: Deum autem nullo modo, quia planè incorporeus eſt. Qua in re à priſcis Iconoplaſtis diſſident novi dupliciter. 1. In eo quod rectè nobiſcum negant Angelos eſſe corporeos, qua in re fateri coguntur erraſſe Synodum illam ſuam Oecumenicam. 2. In eo quod Deum pingunt & coloribus efformant, adverſus Nicænorum ſtatutum.

Aliter autem probat Becanus Angelos incorporeos, rectè tamen corporea ſpecie efformari. 1. Ex uſu Veteris Teſtamenti, quia conſtat ſtatuas Cherubinorum in Templo fuiſſe erectas. At hæc probatio nulla eſt, quia non revocanda eſt Vet. Teſtamenti pædagogia; Nec datum eſt nobis vel mandatum, vel exemplar, ut Iſraëlitis ſub lege. 2. Idem probare conatur ex conſuetudine Eccleſiæ Chriſtianæ, in qua ſtatuæ & imagines Angelorum fuerunt ſemper in honore. Reſp. falſum hoc eſſe de Eccleſia Chriſtiana primitiva; Errantem vero poſteà Eccleſiam id uſurpaſſe, falſo fundamento ſubnixam, ut ipſe Becanus agnovit. 3. Sic argumentatur, ſi Angeli dignati ſunt nobis figura corporea apparere, cur non liceat eos hoc modo depingere. Reſp. Rationem eſſe, quia pictura referre non poteſt ea, quæ figuræ corporeæ jungebantur, quibus omnis occaſio erroris tollebatur, quam ipſi Angeli præſentes αὐτοπροσώπως præveniebant. Quod ita tamen acceptum volumus, ut nemo cenſeat nos planè abhorrere à picturis hiſtoricis in quibus Angelorum apparitiones utcumque repræſentantur; Sed tantùm, ut agnoſcamus id non eſſe neceſſarium, neque fieri aliquando ſine periculo, & planè prohibitum eſſe ubi de actibus & objecto religionis agitur.

Huic quæſtioni adjungemus alias nonnullas, quæ ex viſibili Angelorum apparitione emergunt. Apparuiſſe enim Angelos in aſſumptis corporibus vel aëris, vel igneis, vel etiam terreſtribus, pro confeſſo & conceſſo ſumimus. Sed quæſtio eſt 1. qualis ſit unio, qua Angeli aſſumpta corpora ſibi uniunt? Unionem duplicem eſſe in rebus conſtat, unam ſubſtantialem, alteram vero accidentalem. Subſtantialis unio fit duplici modo, uno per informationem, ut vocant, qua ratione anima humana unitur corpori; altero per hypoſtaticam unionem, quo modo Verbum divinum aſſumpſit humanam noſtram naturam. Harum unionum neutra locum habet in hac de qua agimus materia. Non prima, quia cum Angelus ſit ſubſtantia completa & integra, non eſt alterius rei pars ſubſtantialis, non igitur forma informans. Conſequens eſt non poſſe informare corpus. Quod ex eo patet, quod effectus cauſſæ formalis ſine cauſſa formali fieri non poteſt; Corpus autem informare eſt effectus cauſſæ informantis: Ergo non poteſt fieri ab Angelo, qui naturâ ſua eſt ſubſtantia completa, non informans forma.

Non ſecunda, quia Angeli corpora illa aſſumunt per virtutem naturalem bonis & malis communem, vel per divinam potentiam. Si per naturalem virtutem, quod multi Scholaſtici putant, ſequitur non per unionem hypoſtaticam, quia naturaliter fieri non poteſt. Si autem talia corpora non ab ipſis Angelis fabricentur, ſed ab ipſo Deo creentur; non diſputamus an poſſit Deus naturam creatam hypoſtaticè unire alteri naturæ creatæ; ſed diſquirimus an unionis Hypoſtaticæ proprietates tali conjunctioni conveniant? Id negamus, neque enim talia corpora in unitatem perſonæ ab Angelis aſſumuntur, neque ſubſiſtunt aliena ſubſiſtentia, neque indiviſibiliter uniuntur, &c. quod etiam nemo ſanus hactenus ſuſtinuit.

Eſt ergo unio illa, qua Angeli aſſumpſerunt corpora, unio accidentalis, quæ in his duobus conſiſtit, 1. ut uniantur illis, ſicut motor unitur mobili. 2. ut in illis appareant & repræſententur, ita ut Angelicam velut perſonam ſuſtinere dicantur, qui finis aſſumptionis eſſe videtur. Quo ſecundo modo Angelorum ſive bonorum, ſive malorum apparitiones, diſtinguuntur ab unione illa, qua aliquando moverunt res aliquas, quibus tamen non repræſentabantur, ut cum Angelus movit linguam Aſinæ Balaam, cum etiam Energumeni vexantur à Dæmone. Addunt alii motionem qua intelligentia movet orbem, tanquam motor mobile. Sed quia de eo variant Philoſophorum opiniones, hoc exemplum urgere nolumus.

De qualitate corporum aſſumptorum etiam agitatur quæſtio. Certum eſt poſſe aliquando aſſumere & movere corpora prius exiſtentia, ut mortuorum cadavera, quod tamen de bonis Angelis non legimus. Alia autem corpora quę de novo fiunt, non poſſunt eſſe verè corpora humana, ſed tantùm apparentia, quæ fiunt ex aëre condenſato, qui exhalationibus & vaporibus permixtus eſt. In illis autem aſſumptis corporibus, etſi edant, bibant, loquantur, & opera exerceant quæ videntur vitalia, talia tamen non eſſe conſtat, quia in illis corporibus non eſt vita ſubſtantialis, quoniam Angeli propriè talia corpora non informant. Ergo nec opera vitæ ſubſtantialis faciunt.

Quum

Quum nomine Cherubonim, Angelos deſignari ſpecie aliqua viſibili apparentes ſuppoſuerimus, indagandum eſt an per Cherubim, intelligatur aliquis Angelorum diſtinctus ordo, ex ſuperiori vel inferiori, quam vocant Hierarchin. Huic quæſtioni nobis occaſio datur, ex diſputationibus Scholaſticorum, & aliorum doctorum ſub Papatu, qui Angelos omnes in tres Hierarchias diſtinguunt, & novem ordines, unicuique Hierarchiæ & ordini, ſua privilegia aſſignantes; nobis etiam ſuccenſent, quia quæ Scriptura de Hierarchiis illis, & ordinũ determinatione tacuit, non affirmamus, aut affirmantibus fidem non adhibemus. Communiter dicunt in prima Hierarchia, eſſe Seraphim, Cherubim, & Thronos. Cherubim igitur de quibus hic agitur ſi Angeli fuerint, ad primam Hierarchiam erunt referendi, & in ſecundo ordine collocandi. Hoc ſi ita ſit, non potuerunt ex ſententia Aquinatis miniſtrare, & mitti à Deo in terras, quia contendit Angelos primæ Hierarchiæ ſemper Deo aſſiſtere, nunquam mitti ad nos, aut venire. Propterea, ſunt alii qui ſuum Thomam deſerentes, contra nituntur, & dicunt ex omnibus ordinibus & Hierarchiis Angelos mitti, quæ prima eſt Pontificiorum in hac de Angelis doctrina pugna.

Alias etiam notabimus, cum id ferat loci quem tractamus natura, & paucis agemus de Angelorum ordinibus. Inter Angelos enim non diffitemur eſſe ordinem à Deo inſtitutum. Cum enim Deus ordinis ſit, & omnia velit ordinatè fieri, non eſt veriſimile eum velle in Angelis confuſionem pati, cum, ne quidem ab inferno ipſo, exulet omnis ordo. Sed ut definiamus qualis ſit ordo ille, qui ejuſdem ſint gradus, non videmus id ab aliquo fuiſſe ſuſceptum, ſine temeritatis nota. *Dicant nobis*, inquiebat Irenæus, lib.2. cap. 54. quæ ſit *inviſibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonſtrent thronorum Sacramenta, & doceant diverſitates dominationum, principatuum, poteſtatum atque virtutum. Sed non habent dicere.* Et Cyril. Hieroſol. Catecheſi 11. *Dic mihi primum ὦ πλημμελὲς, ô audaciſſime, quid thronus differat à dominatione, quid ſit Principatus, quid poteſtas, quid virtus, quid Angelus? & tunc factorem perquire curioſè.* Auguſt. pro more ſuo modeſtiſſimè. *Quomodo autem ſe habeat beatiſſima illa & ſuperna Societas, quæ ſint ibi differentiæ perſonarum, ut cum omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur, &c. ſint tamen ibi Archangeli, & utrum iidem Archangeli nominentur virtutes, &c. Et quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus univerſam illam cœleſtem Societatem Apoſtolus videtur eſſe complexus, dicendo ſive ſedes, ſive poteſtates, ſive dominationes, ſive Principatus, dicant qui poſſint, ſi tamen poſſunt probare quod dicunt, ego me iſta ignorare confiteor.* Idem ad Oroſ. contra Priſcillianiſtas, cap. 11. *Eſſe itaque ſedes, ſive dominationes, ſive Principatus, & poteſtates in cœleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid, indubitata fide teneo, ſed quo me contemnas quem magnum putas eſſe doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant neſcio, nec tamen ea ignorantia periclitari me puto, ſicuti non obedientia, ſi præcepta Domini neglexero.* Hæc ille.

Qui limites hos transgrediuntur, videamus an fidem vel ſuis faciant. Scripſit Becanus tractatum de officiis Angelorum, ex quo pauca delibabimus non injucunda. Cap. 1. *Thomæ ſententia eſt, omnes beatos Angelos in tres claſſes ſeu hierarchias eſſe diſtinctos, &c. At tres eſſe Angelorum Hierarchias, ex Scripturis probari non poteſt. Hanc doctrinam magno conſenſu amplectuntur Scholaſtici, unde autem profecta ſit non conſtat.*

Sequitur poſteà apud eundem, Sect. 4. *Quomodo verò inter ſe diſtinguantur tres hierarchiæ, minus exploratum eſt.* Item Sect. 5. *Verba Thomæ ſunt obſcura, & obſcurius ab interpretibus explicantur.* Pergit. *Vult Thomas tres Hierarchias diſtingui ex parte cognitionis ſupernaturalis, quia ſuprema immediatè illuminatur à Deo, media à ſuprema, infima à media, & conſtat hanc eſſe mentem Dionyſii, &c. Sed hæc doctrina non ſatis explicata eſt.* Item, *Nolim affirmare.*

Sect. 8. *Aliquam eſſe diſtinctionem Hierarchiarum concedo, ſed quæ illa ſit, incertum eſt. Incertum eſt an ipſis data ſit gratia, ſecundum proportionem naturalium. Hoc neque probari poteſt, & contraria habemus exempla.* Hæc contra Thomam.

Sect. 10. *An plures fuerint quam novem ordines, non omnium fuit eadem ſententia.* Sect. 11. *De Serie ordinum, ac diſpoſitione, nihil certi haberi poteſt, ne quidem ex D. Dionyſio. Nam qui illum legerunt, aut apertè ab ejus doctrina recedunt, ut Bernardus, aut de ipſius ſententia contendunt, ut Thomas & alii.*

Sect. 12. *Porro quomodo diſtinguantur inter ſe ordines, multo minus affirmari poteſt. D. Auguſt. fatetur ingenuè ſuam in hac re ignorantiam. Nihilominus alii Patres & Scholaſtici, ſumunt ordinum diſtinctionem ex eorum nominibus. Hæc doctrina, partim dubia eſt, partim obſcura.*

Sect. 15. *Si Thomas ſuis vellet inſiſtere principiis, dicendum ipſi eſſet, Cherubinos præferri Seraphinis. Oppoſitum tenet Scotus.*

Ex his videre eſt, quam vanæ ſint iſtorum hominum extra Scripturas vagantium diſquiſitiones, ut ex eorum diſpendio, compendium noſtrum faciamus, & ſapere ad ſobrietatem cum in his, tum in aliis diſcamus, ne eorum numero ab Apoſtolo adſcribamur, qui *ſeſe ingerunt in ea quæ non viderunt, & temerè turgent carnis ſuæ ſenſu.* Coloſſ. 2. ℣. 19.

AD CAPVT IV.

Exercitatio XLII.

Diſſertatio de verbis Evæ Caino nomen imponentis. Particula את eth, *non eſt ſemper nota accuſativi caſus. Eva non putavit Cainum eſſe Meſſiam Deum verum. Qui ſecus ſentiunt contra charitatem aliis impingunt Iudaiſmum. A quo defenduntur Calvinus & Mercerus. Caini & Abelis inſtitutum vitæ & Sacrificia. An Sacrificare ritu externo lege naturæ ſit imperatum? Id negatur, & Pontificiorum contraria ſententia refellitur. Cur Sacrificium Abelis præſtantius fuerit? Quale teſtimonium ei præbuerit Deus.*

CApite quarto ℣ſ. 1. Poſtquam Eva peperit Cainum, dixiſſe perhibetur, *acquiſivi virum* את יהוה *eth Iehovah.* Quæ poſtrema verba, propter ambiguitatem articuli את *eth*, varias interpretationes ſortita ſunt, & occaſionem dederunt quæſtioni. Num *Chavvah*, intellexerit Meſſiam promiſſum verum Deum eſſe, atque ita exiſtimaverit, ſe primo fœtu enixam eſſe eum, qui genus humanum à peccato redimeret, & caput ſerpentis contereret. Sunt qui id ita aſſeveranter pronunciant, ut aliter ſentientibus Chriſtianis dicam judaiſmi non vereantur ſcribere, & verba Evæ ſic conſtrui debere contendunt, *Acquiſivi virum Iehovam.*

Certum eſt particulam את *eth*, ut plurimum eſſe notam accuſativi caſus, quem verba tranſitiva regunt. Sed tamen accipi non rarò, pro *à, ex, de,* & *cum*, præpoſitionibus, & probant grammatici, & exempla adferunt ex Scriptura, ubi particula illa, juncta verbo intranſitivo, aut Hithpael, accipitur pro עם *im*, cum Exod. 1. ℣. 1. *venerunt* את *cum Iacob in Ægyptum.* Geneſ. 5. ℣. 22. התהלך את אלהים *hithhallec eth elohim*, non, *ambulavit Deum*, ſed *cum Deo.* & alibi ſæpè. Pro מן *min*, *à* vel *abs*, &c. Geneſ. 44. v. 4. *Ipſi egreſſi ſunt*, את העיר *eth hair*, ex urbe, &c. Vulgata editio hoc loco utitur præp. *per*, Septuaginta ſequuta, qui habent διὰ τοῦ Θεοῦ. Sunt qui את pro nota dativi caſus ל accipiunt, *acquiſivi virum Domino*, id eſt, qui loco noſtri poſt obitum noſtrum, Dominum colat. Trem. & Iunius tam hoc loco, quam cap. 44. ℣. 4. volunt eſſe Eclipſim particulæ, ut את ſit pro מאת *meeth.* à Domino, quomodo interpretatur Targum Onceli. Mercerus & alii docti viri, malunt pro עם *im* accipere, ut ſit *cum Domino*, idem quod Græci dicunt σὺν θεῷ. Dei favore, ope, gratia & benedictione. Quem eundem ſenſum tribuit verbis Onceli Paulus Fagius. *de coram Domino*, ſive à facie & conſpectu Domini, hoc eſt Dei gratia & favore, acquiſivi hunc filium: ut agnoſcat & fateatur Dei dono ac munere ſibi hunc filium contigiſſe. Notat autem quædam exemplaria non habere præpoſitionem מן, ſed tantum *Kodàm Iehova*, coram Domino, ſicut Complut. editio. Unde quidam hunc ſubeſſe ſenſum putant, *Acquiſivi virum coram Domino*, hoc eſt, *qui nobis defunctis, Dominum Deum timeat & colat, adeoq; verum Dei cultum conſervet.* Quem ſenſum ſequitur, non malus apud Ebræos autor Nachmanides, qui in commentario ſuo ſuper hunc locum ita ſcribit. *Conveniens mihi videtur, quod dixerit, filius iſte erit mihi poſſeſſio Domini: quoniam cum nos moriemur, erit loco noſtri ad colendum creatorem ſuum.*

Præfero ſenſum interpretationis, quæ *cum Domino*, accipit pro eo quod eſt, *favore & dono Dei.* Cui firmando facit, quod ſanctæ mulieres poſteà Evam imitantes, Deo adſcribebant benedictionem partus. Sic Lea Geneſ. 29. ℣. 32. *Vidit Dominus afflictionem meam.* Et alibi, *audivit Dominus quia deſpicior.* Et cap. 33. cum peperit Judam, *modo confitebor Domino, &c.*

Jonathan Uzielis filius in ſua Paraphraſi, articulum *eth* tanquam accuſativi notam accepit, & nomen *Iehova*, pro *Angelo Iehovæ* poſitum putavit, atque ita vertit, *Acquiſivi virum Angelum Iehovæ.* Quæ de Chriſto intellecta validum argumentum præbere contra impietatem & perfidiam Judæorum, notavit Fagius: & Forſterus eandem interpretationem in lexico ſuo ſequutus eſt, *Acquiſivi virum Dominum.* Quam aliis prætulit in ſuis poſtremis curis, Lutherus. Et Valentinus Schindelerus vir doctiſſimus, hanc regulam in ſuo lexico ſtatuit, *Articulum* את *eth*, quando inter duo nomina ponitur, illa per appoſitionem conjungere, citatque hunc locum, *Acquiſivi virum Iehovam.* Sed benè animadvertit Druſius, id uſu venire, quando articulus *eth*, in utroque nomine repetitur, ut in eodem cap. ℣. 2. את אחיו את הבל, τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν Ἄβελ. Et Zach. 11. את מקלי את נעם *eth makkeli eth noam*, id eſt, τὸν ῥάβδον μου τὸ κάλλος, *baculum meum decorem.* Itaque ut locum haberet interpretatio illa, dicendum fuiſſet. את איש את יהוה *eth iſch, eth Iehova.*

Prætereà, ſi Evæ hoc myſterium cognitum fuerit, nempe incarnationis ipſius Dei, non potuit etiam ignorare, myſterium illud tale eſſe debere, ut mulier ſine viri opera conciperet filium, præſertim ſi hoc ipſi notum fuerit, quod illi putant, ex oraculo de ſemine mulieris, intellecta *muliere* pro *virgine.* Itaque nunquam ita hallucinata fuiſſet, ut exiſtimaret eum qui Deus erat ab æterno, venturum eſſe in mundum & aſſumpturum carnem, ex cohabitatione viri cum muliere. Scio objici Cabbalam, ex qua Reuchlinus hæc citat, *Evam incredibili*

dibili gaudio perfuſam, quod putaret ei mox Salvatorem eſſe natum, ſic exclamaſſe, Acquiſivi virum illum quatuor literarum, quas literas ab Angelo jampridem receperant. Sed quæ fides adhibenda ſit iſti Cabbalæ ex eo quod ibidem ſequitur quivis conjiciet, addit enim Abelem, *opinione illa ductum fuiſſe*, quod eſſet promiſſus Salvator, ideoque mortem patienter tuliſſe, nec fratri reſtitiſſe, *quia non ſolum ſatiſdare pro nobis volebat Deo, verum etiam & originale debitum omnino tollere.* Quæ opinio, quam pietati & humilitati Abelis conveniat, videre non poſſumus, quum etiam non tam inepta quam blaſphema ſit. Sed ibidem multa alia ſunt, planè ſtulta, ne dicam impia, quæ Cabballiſtarum autoritatem potius infirmant, quam ſtabiliunt.

Non itaque immeritò expoſitionem illam coactam ſibi videri doctiſſimus Mercerus profeſſus eſt ingenuè. Quod antea etiam ſcripſerat Calvinus, qui hoc nomine apud quoſdam Lutheranos vapulat, tanquam *Iudaiſans.* Iſtis hominibus, ſi quis non adhæreat, vel levibus quorundam conjecturis, quibus rem per ſe certam, & aliundè firmatam, potius infirmant quam probant, illicò Judaiſmi arceſſitur. Quæ certè agendi ratio nec charitatem, nec prudentiam redolet; & calumniandi libidinem in eo etiam detegit, quod quum multi, antè Calvinum, non pauci eodem tempore, ſic ſenſerint, ſolus tamen impetitur, ac ſi primus diverſæ interpretationis autor eſſet. Quum tamen receptæ apud Judæos & Chriſtianos communiter verſiones & Paraphraſes, ſenſum illum ferre non poſſint; nec in veterum Chriſtianorum commentariis ejus ſententiæ veſtigium ullum appareat, in iis etiam qui ex profeſſo adverſus Judæos diſputarunt. Neque ullo argumento, præterquam grammatico illo, de quo initio actum eſt fulcire ſuam ſententiam poſſint, quod quam leve ſit ex eo patet, quod propoſitionem univerſalem non poſſint pro fundamento ſubſternere, nempe ubicumq; reperitur articulus את *eth*, ante aliquod nomen, eſſe notam accuſativi caſus. Eſt enim propoſitio falſa, univerſaliter ſumpta. Quæ ſi particularis fiat, tunc argumentum erit ridiculum. Et talibus, ſcilicet fulcris, innitetur Religio Chriſtiana! Nulli magis Judaiſmum & Arrianiſmum juvant, quam ii qui nullo argumentorum facto delectu, quicquid poſſunt ad ſuas pertrahunt copias. Nam ſua imprudentia, cauſſæ bonæ præjudicant. Pietatem eorum laudamus, qui bono animo conjecturas ſuas modeſtè proponunt, etſi aliquando parum firmas, ſed quis feret eos qui aliorum fidei dominari volunt, nec pati poſſunt qui vel leviter ab eorum ſententia in liberis alioqui rebus diſcedunt?

Nolumus adverſarios premere Pontificiorum autoritate, qua neque illos, neque nos, teneri certum eſt. Pudere tamen debet qui reformationem profitentur, ſi in doctrina de qua nulla eſt inter nos & Pontificios controverſia, qualis eſt ſententia de Deitate filii aſſerenda, & magis cum judicio, & minori cum virulentia ſe gerant. Certè plerique doctiſſimorum apud eos viderunt quid pati poſſet articulus את *eth*, quid nonnullis de ea re viſum eſſet. Qui tamen in aliis ſæpè licentioſius abutuntur Scriptura, omnes hic præferunt ſimplicem ſenſum quo inducitur Eva agnoſcens beneficentiam Dei, cujus ope & virtute maſculum erat enixa, quaſi diceret, poſſedi hominem divina favente gratia, ſine qua id fieri non potuiſſet.

Hinc omnes interpretes, locum ad praxim revocantes, optimè deducunt, gratias Deo referendas eſſe, ob accepta beneficia, etiam in donis naturalibus, nedum ut in ſupernaturalibus id omitti debeat.

Item, parentes debere diſcere, liberos ſuos ita eſſe fructus naturæ, ut etiam ſint dona Dei; adeoque non magis eos deberi naturali affectioni, quam divino honori, &c.

Evah itaque imponendo nomen filio ſuo primogenito ſuam teſtari voluit gratitudinem. A verbo קנה *Kanah*, acquiſivi, deduxit nomen קין *Cain*, quod acquiſitionem ſive poſſeſſionem ſignificat, eamque à Domino ſe accepiſſe profitetur. Hinc eſt quod David in genere pronunciat, Pſal. 127. ℣. 3. *Ecce poſſeſſio Iehovæ ſunt filii, merces eſt fructus ventris.* Ubi notandum, nomen שכר *ſacar*, quod mercedem & præmium ſignificat, in genere accipi pro beneficio divino, etſi nulla præceſſerit actio, cui debeatur compenſatio, ut hoc loco, eandem dicit mercedem, quam dixerat hæreditatem, à Domino gratuito datam.

Abeli, qui poſteà natus eſt, (an gemellus fuerit, an alio congreſſu conceptus, & alio partu editus non diſputo; poſterius, cum pluribus malo,) nomen inditum fuit, à vanitate; non quod junctum nomini Cain, ut Judæorum nonnulli delirant, ſignificaret poſſeſſiones, ſive acquiſitiones omnes humanas, eſſe vanas; ſed ut hoc nomine ſignificaretur, humanam conditionem meram eſſe vanitatem, ideoque Ebræi הבל *hebel*, appellant oris anhelitum qui cito evaneſcit. Falluntur autem qui luctum ſonare putant, quia ſcribendum fuiſſet cum א.

Sed quod de utroque poſteà dicitur verſibus 3. & 4. conſideratione dignum eſt, obtuliſſe munera Domino, Cainum de terræ fructibus, Abelem autem de primogenitis gregis ſui, quiſque pro ratione inſtituti ſui, aut conditionis quam amplexi erant. Noluit enim Adamus filios ſuos in otio vitam tranſigere, contra inſtitutionem Dei, ſed unumquemque applicuit ſuo operi, eoſq; artibus primariis omnium innocentiſſimis addixit. Cainum agriculturæ ad quam ipſe Adamus à Deo fuerat addictus, Abelem arti paſtoritiæ, quam utramque, vitæ humanæ maximè neceſſariam eſſe, ſatis conſtat.

Sed præter ea quæ rem domeſticam ſpectant, & civilem vitam, narrat Moſes ℣ſ. 3. מקץ ימים *mikketz jamim*, in fine dierum, id eſt indefinitè, poſt aliquot dies, vel aliquod tempus elapſum, utrumque oblationes ſuas adduxiſſe Domino. Unde conſtat cultum etiam ali-

quem externum Majeſtati divinæ fuiſſe inſtitutum, & à Patre Adamo de eo fuiſſe inſtructos, & utrumque externa profeſſione, actus Religionis frequentaſſe. Sed quomodo vel Adamo, vel ipſis innotuerit Deum eſſe colendum tali ritu, oblationibus, nempe, & ſacrificiis; Et quo modo tales oblationes conſecrandæ eſſent Deo, id à nonnullis in dubium vocatur.

Sunt inter Pontificios nonnulli, imò plerique, qui exiſtimantes ſuppoſitionem illam facere ad probationem neceſſitatis alicujus externi Sacrificii perpetuò duraturi quamdiu homo terram incolet, & miniſterio ſenſuum utetur; contendunt, eſſe de jure naturæ ut Deus colatur aliquo externo Sacrificio, quo res ſenſibilis mutata & deſtructa, Deo offeratur ab aliquo ſacerdote. Etſi enim quidam diſtinguant inter id quod eſt de jure naturæ, ita ut ejus omiſſio ſit peccatum; & id, quod ſecundariò eſt de jure naturæ, quatenus naturæ congruit, & conveniens eſt; velintque hoc ſecundo modo tantùm, Sacrificiorum oblationem ad jus naturæ pertinere: alii tamen ſentiunt, Thomæ ſui opinionem, quam præferunt, fuiſſe, ſacrificii oblationem ad jus naturæ pertinere, primo modo.

Inde eſt quòd exiſtimant, Adamum ſi primus Sacrificium obtulit & filios ſuos docuit offerre, id feciſſe naturæ ductu, & ſi aliqua revelatio addita fuerit, pertinuiſſe eam ad Sacrificii circumſtantias & determinationem, non autem ad mandatum aliquod poſitivum Deum colendi per Sacrificium externum, quia mandatum naturale eſſe volunt, quo homo non ſacrificans inexcuſabilis redditur, etſi nullum ſpeciale mandatum à Deo habeat. Proinde debuiſſe ſacrificia offerre primos homines, ex ipſo naturæ inſtinctu; idque potuiſſe percipere Adamum, & debuiſſe aliis ſuggerere.

Imò eo uſque procedunt, ut ſcribant, ex eo quod lumen naturale vel obſtringit vel ſuadet, ſacrificiorum oblationem vel ipſis Ethnicis; etſi nihil tale præcepto ſpeciali juberet Deus, nec determinaret ſpeciem vel modum ſacrificii, etiamnum, apud Ethnicos, non fore ſuperſtitionem, ſi vero Dei Sacerdotes eorum offerrent Sacrificia animalium & fructuum terræ, & hoc modo apud Indos & Japonios licita eſſe, cum alia divinitus inſtituta non habeant, cenſet Jeſuita Leſſius de Inſt. & jure, lib. 2. cap. 38.

Ubi tamen hoc illum torquet, quod cum ad tale Sacrificium, quod vult opus eſſe cultus publici externi, requirat miniſtrum idoneum ad id legitima autoritate offerendum deputatum. Quærit enim, unde illi haberent Sacerdotes ad iſtiuſmodi Sacrificia idoneos? Ubi reſpondet, *ex electione & dedicatione Reip. id fieri poſſe, quia ut Reſpubl. perfecta jure naturæ habet autoritatem conſtituendi Principem, qui illam juſtis legibus regat in iis quæ ad politicam conſuetudinem, & contractus pertinent: ita etiam poteſt conſtituere ſacerdotem, qui eam regat in cultu divino, & ſacra adminiſtret, juxta modum & capacitatem illius ſtatus. Et hic eam haberet poteſtatem in ſpiritualibus illi ſtatui accommodatis, quam princeps in temporalibus, deberetque Princeps ei ſubeſſe in iis quæ ad cultum divinum pertinent*, &c. Ubi fingit Religionem eſſe poſſe, Deo gratam, in qua externo cultu Deus legitimè colatur, ſine ulla revelatione divina, ex ſola ordinatione humana, quod univerſa Scriptura abſurdum eſſe teſtatur. Quod etiamſi locum haberet, ſequeretur, quæcumque Deus revelavit, non ad eſſe religionis facere, quæ aliter potuiſſet inſtitui, ſed ad ſtatum commodiorem, & benè, aut melius eſſe. Mirum eſt tamen quod homo Jeſuita, parem poteſtatem tribuat reipub. conſtituendi ſtatum politicum, & decernendi de Sacrorum præfectis, quandoquidem aliàs ſtatuunt ſodales ejus, diſcrepantiam eſſe ſummam, qui volunt immediatè ab hominibus eſſe Regum & Rerumpublic. gubernationem: Eccleſiaſticam autem juriſdictionem immediatam Dei inſtitutionem requirere. Quod poſtremum certè verum eſt, ſi initia ſpectemus, & ita etiam obſervatum à primordio Eccleſiæ, in ſtatu tam Veteris quam Novi Teſtamenti.

Sed ut de propoſita quæſtione preſſius, & huic loco accommodatè agamus: Etſi fateamur non inviti, ex inſita & naturali Dei cognitione, etſi corrupta, ſequi etiam in genere Deum eſſe colendum, Item, non ſolùm interno affectu cultum illum fieri debere, ſed etiam externo actu; Negamus tamen, naturali lege, determinatam eſſe ſpeciem illam externi cultus, nempe Sacrificium quale definitur externum & ſenſibile, id eſt naturam hominibus dictare, vel neceſſarium eſſe, & cadere (ut loquuntur) ſub præcepto; vel conſentaneum eſſe, ut dona & munera ſenſibilia Deo, ritu proprio, offerantur, in teſtimonium ſupremi ipſius dominii. Contrarium enim naturalis ratio dictare poſſet, quæ ſi recta eſſet, ſciret Deum talibus non indigere, neque ea à nobis requirere; Quæ tamen tunc conſentaneum id eſſe judicat, quando Deus à nobis exigit, & præcipit ut eum ita colamus, ritibus etiam additis & præſcriptis. Quia naturæ conſentaneum eſt Deo obedire, etiam ubi de præcepti ratione non conſtat.

Id juxta nobiſcum, cum alii in Papatu, tum Suaréz nuper in 3. part. ſum. Thom. q. 83. art. 1. diſt. 71. ſect. 8. ſentire ſe profitentur. *Nullum eſt*, inquit ille poſtremò citatus, *naturale præceptum, ex quo ſufficienter colligi poſſit determinationem illius ad talem modum cultus, ſcilicet per Sacrificium, eſſe omnino neceſſariam ad morum honeſtatem.* Et id certò veriſſimum eſt. Nam cum ipſi adverſarii fateantur, *deſtructivam* immutationem rei quæ offertur, eſſe ad Sacrificium propriè dictum, neceſſariam; nunquam poterunt oſtendere, id profluere immediatè ex lege naturali, ut juris naturæ dici queat. Nam deſtructio ejus rei quæ offertur, non eſt Deo grata niſi tanquam ſignum, quum autem non ſit naturale ſignum, ſed ex inſtituto; ſequitur non eſſe rem Deo gratam, niſi interveniente aliqua inſtitutione legis poſitivæ. Quæ enim ex inſtituto, non

naturâ

naturâ, ſignificant; non poſſunt referri ad legem naturæ.

Objiciunt qui aliter judicant, legem naturæ obligare hominem non ſolum ad cultum Dei externum, ſed etiam ad quam optimo modo cultu externo profitendam, ſummam & infinitam Dei majeſtatem & dominium, & ſuam ſubjectionem & ſervitutem. Optimum autem illum modum rurſus quaſi ex naturali quadam determinatione inveſtigabili per humanam rationem, ſitum eſſe in ritu ſacrificali, quatenus habet rei oblatæ deſtructivam immutationem. Sic ergo Sacrificium lege naturæ præceptum eſſe. Reſpond. In hoc Scholaſticorum argumento, ſupponi falſa pro veris. 1. Id certum non eſſe, eum eſſe optimum cultus externi modum, quo res oblata deſtructivè immutatur, & quod in quæſtione eſt, pro confeſſo ſumi vitioſè, ſaltem ſi id univerſaliter accipiatur falſum eſſe, niſi ratione alicujus rei inſtitutio divina accedat. Debemus nos ipſos Deo offerre, idque optimo modo. Ad id tamen neceſſariam eſſe deſtructivam immutationem noſtri, natura non dictat. Deinde falſum eſt etiam, Determinationem illam deſtructivæ immutationis, eſſe inveſtigabilem humana ratione, vel naturam dictare id maximè facere ad cultum Dei externum, nulla interveniente Dei lege poſitivâ.

Dicimus itaque primos homines ſenſibilia illa & externa ſacrificia obtuliſſe Deo, poſtquàm per revelationem edocti fuerunt de voluntate Dei, ratione cultus ſui. Ideò Abel dicitur *fide obtuliſſe Sacrificium*, Ebr. 11. ℣. 4. Fides autem non eſt naturalis, vel ex naturali dictamine, ſed ex verbo Dei revelato, quod à primis parentibus ad filios per inſtitutionem publicam & privatam tranſiit. Ad infideles autem quod attinet, apud quos ut plurimùm Sacrificia fuerunt in uſu, id factum eſt ex eo, quod per vetuſtiſſimam traditionem acceperant, talem cultum Religionis fuiſſe ab initio, quæ tamen (prout accidit, ubi vel non innovatur revelatio, vel non aſſervatur in ſcriptis, ne mutetur) paulatim humanis inventis corrupta, nihil habuit reliqui præter aliquam externi actus imitationem, eamque non integram, ſublata vera doctrina de cauſſis Sacrificiorum. Accedit, quod apud gentes illas apud quas non vigebat ex traditione talium rituum memoria, Dæmonum, quos colebant vafrities; qui cultus divini avidiſſimi, etiam eos ritus ſuis ſuggerebant clientibus, quos à Deo præſcriptos fuiſſe populo ſuo noverant. Unde liquet, nullam eſſe neceſſitatem illationis illius, qua nonnulli ex eo inferre volunt, Sacrificiorum inſtitutum à naturali lege procedere, quia aliquorum Sacrificiorum uſus, ferè apud omnes gentes invaluit. Ergo partim ex κακοζηλίᾳ, qua mundus in quibuſdam ſolet imitari Eccleſiam, partim inſtigante Diabolo, varia ſacrificia & varii ritus, etiam apud Ethnicos obſervabantur. Non ergo ex eo ſequitur Sacrificiorum propriè dictorum oblationem ex lege naturali, quæ apud omnes homines una eſt, produxiſſe.

Falſum itaque eſt, quod hoc loco Pererius dicit, Abelem, nullo docente, potuiſſe naturali ratione id cognitum habere. Qui tamen, quicquid ſit de eo quod potuit fieri, fatetur id *Abelem didiciſſe ex Patre Adamo, qui id à Deo doctus, itidem filios ſuos docuerat.* Quæ vera eſt reſponſio, nec aliter placuiſſet Deo Sacrificium Abelis, quandoquidem rejicit omnem ἐθελοθρησκείαν.

Materia oblationum Caini & Abelis diverſa fuit, pro ratione inſtituti cujuſque illorum. Simpliciter dicitur Cain obtuliſſe de fructu terræ מנחה *minchah*, oblationem Domino. Quæ oblatio, ideò non diſplicuit Deo quod de fructu terræ deſumpta eſſet. Talem enim oblationis ſpeciem etiam in populo ſuo poſteà Deus inſtituit. Nec verum eſt quod Pontificii volunt, oblationem *minchah*, ſacrificii animalium dependentiam ſemper fuiſſe. Sæpè enim ſola offerebatur, ut etiam factum eſt à Caino, qui certè, ſi in eo conſiſteret ordo Melchiſedeci, ut, nempe, offerretur oblatio ſine ſanguine, ex fructibus terræ, non poſſemus rationem afferre differentiæ, inter ordinem Melchiſedec, & ordinem Caini, qui niſi fuiſſet à Deo reprobatus, procul dubio etiam nunc tanquam ἀναιμάκτου Sacrificii primus autor, & oblationis Euchariſticæ figurator, apud Pontificios audiret.

Cenſent ut plurimum, Cainum è frugibus terræ ſelegiſſe, non meliores quæ Deo offerret, ſed viliſſimos quoſque, ut in eo differentiam ſtatuant pretii oblationum, quia dicitur Abel obtuliſſe de *primogenitis pecudum, & de adipe earum*, ubi illud ומחלבהן *umechelbehen*, non ita intelligi debet, quaſi adipem ſeparaverit, & ſeorſim obtulerit, ut inde Sacrificia pacifica ab ipſo oblata fuiſſe conſtet, quod tamen ex eo probari non poteſt; ſed ut benè monuit Mercerus, *Adipum* nomen ad animalia ipſa referri debet, pinguiſſima nempe & optima, per hypallagem. Sed non fuit illa ratio, cur ab Apoſtolo dictum fuerit, fide Abelem obtuliſſe πλείονα θυσίαν. ad verbum *plurimam hoſtiam*, id eſt præſtantius Sacrificium. Non enim id intelligi debet, ratione materiæ aut quantitatis, ſed animi offerentis, & fidei, ut loquitur Apoſtolus; etſi non negandum ſit, aliquando in delectu rerum quæ offeruntur, indicari vel fidem & reverentiam, vel contrà contemptum aut neglectum; ut patet ex eo quod Malach. 1. ℣. 8. exprobrat Iſraëlitis Propheta; quod afferebant ad ſacrificandum, *cæcum, claudum, aut ægrotum*, quibus probat fuiſſe *contemptores nominis Dei.* Sed quando ſcriptura differentiam illam ſtatuit in fide, nec culpat oblationem Caini ob materiam, quorſum vera & expreſſa ratione relicta, alias quæreremus?

Teſtatur Moſes ℣. 4. *Deum reſpexiſſe ad Abel, & ad oblationem ejus*, ubi Abelis ſacrificium etiam vocat מנחה *minchah*, unde apparet nomen illud aliquando generalius eſſe, & ad oblationes omnes & munera Deo oblata in genere referri. Sed in lege Moſis communiter accipitur pro oblatione ſine ferculo, quod fiebat ex fa-

rina & ſimila, cum oleo & thure, & in clibano, ſartagine aut craticula coquebatur. Cujus oblationis ritus deſcribitur Levit. 7.

Apoſt. cap. 11. Epiſt. ad Ebr. ℣. 4. dicit Abelem, *per fidem teſtimonium obtinuiſſe quod eſſet juſtus, teſtimonium perhibente Deo de donis ejus.* Hinc quæſitum eſt, quale fuerit illud teſtimonium quod Deus perhibuit? Si dicamus id referri debere ad teſtimonium Moſis, quod Deo tribuitur tanquam autori Scripturæ illius, id non ſufficiet, quia teſtimonium illud non datum fuit Abeli, ſed de Abele longè poſt ejus obitum; Certum eſt autem, loqui Apoſtolum de tali teſtimonio quod obtinuit Abel, quo confirmatus fuit in fide, & certior factus oblationem ſuam Deo placuiſſe. Imò quæ in Hiſtoria dicuntur de conſternatione, invidiâ, & tandem conjuratione Caini in fratrem ſuum, indicant, teſtimonium acceptationis illius divinæ innotuiſſe ipſi Caino, cujus defectu, ratione muneris ſui, adeò excanduit. Sunt qui putant ex rerum ſuarum ſucceſſu utrumq; hoc cognoviſſe, & cum Cain ſentiret res ſibi malè cedere, fratri contrà proſperrimè videret, inde conjeciſſe Deum acceptaſſe oblationes fratris ſui, rejeciſſe ſuas. Et id eſſe ut plurimum invidiæ argumentum negari non debet. Notat Fagius שעה *ſchaá*, unde וישע *vajiſchá*, & reſpexit, Ebræis eſſe, ubi quis delectum facit nutu oculorum, hoc eſt favorem nutu & oculis indicat, & amanter reſpicit. Deus propriè id facere non poteſt, ſed uſurpatur de Deo hoc verbum, ubi ſigna favoris ſui erga aliquem exerit. Sunt autem vel ordinaria & communia, vel extraordinaria & miraculoſa. Hic quæſitum fuit, an extraordinario & miraculoſo ſigno innotuerit hæc Dei complacentia. Videtur id indicare Apoſtolus his verbis μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ. Habet enim articulus vim aliquam, quaſi diceret, *ipſo Deo teſtimonium perhibente de donis ejus.* Quare in eam ſententiam inclinamus, quæ aliquo ſigno extraordinario evidente, miraculoſo, & viſibili Deum teſtatum fuiſſe de ſua acceptatione judicat probabiliſſimũ.

Quodnam autem fuerit illud ſignum, noſtrum non eſt definire. Plerique Ebræorum, quos in ea re multi ex Patribus & recentioribus ſunt ſequuti, Theodotionis interpretationi adhærentes, putarunt, Deum igne cælitus demiſſo incendiſſe oblationes: Abelis atque ita indicaſſe ſibi quam acceptiſſimam eſſe voluntatem & propenſionem ſancti illius viri, ad quem etiam primò Scriptura dicit reſpexiſſe, poſteà vero ad ipſius oblationem. Et certè multa ſunt exempla poſteriorum temporum in Scriptura, talis approbationis per ignem delapſum cœlitus, quo combuſtum fuit Sacrificium. Levit. 9. ℣. ult. conſumpſit Deus ſacrificium Aaronis. 2 Chronic. 21. ℣. 26. idem teſtimonium datum fuit Sacrificiis Salomonis. Item Sacrificio Eliæ 1 Reg. 18. ℣. 38. Adverſus hanc ſententiam duo objicit doctiſſ. Mercerus. 1. Miraculum comminiſci, cum Scriptura non exprimat, incommodum videri. 2. Sacrificium Abelis fuiſſe cibarium, talia autem non ſolita fuiſſe comburi. Sed non videntur adeò firma argumenta, ut propterea culpari debuerint Ebræi quaſi *temerè divinantes.* 1. Enim, etſi Scriptura miraculi expreſſè non meminerit, talia tamen dicit, ex quibus ad extraordinariam aliquam revelationem recurrendum eſt: Et ad minimum id dicendum erit, Deum (ut tunc temporis fiebat) per angelum aut apparitionem quandam viſibilem teſtatum fuiſſe Sacrificium illud ſibi placere. Quod ſi dicatur, manet miraculum, aut ſaltem revelatio divina, & non opus erit ut ſecundo argumento reſpondeamus, niſi in eorum gratiam qui cum Theodotione ἐνεπύρισεν legunt. *Vnde* (inquit Hieronymus) *ſcire poterat Cain, quod fratris ejus munera ſuſcepiſſet Deus, & ſua repudiaſſet, niſi illa interpretatio vera eſt quam Theodotio poſuit: & Inflammavit Dominus ſuper Habel.* Fateor id non eſſe neceſſarium, quia alio modo poterat ſciri, ut diximus, ſed tamen probabile eſſe negari non poteſt, quia ſæpè tali ſigno poſteà Deus uſus eſt. Quod autem dicitur Sacrificium illud fuiſſe cibarium, neque inflammari debuiſſe, quia non fuit mos in talibus Sacrificiis, id ſine probatione ſupponitur. Taceo quod non pauci exiſtiment primos illos homines ante diluvium carnibus in cibo non fuiſſe uſos, qua de re aliàs erit dicendi locus. Sed probabibile eſt Sacrificium Abelis *ex grege*, fuiſſe ſacrificium pro peccato; Et quamvis fuiſſet Sacrificium Euchariſticum aut Votivum, atque adeò cibarium ex parte, erant tamen nonnulla in talibus ſacrificiis quæ igne conſumebantur. Oblatio ſive munus Gidhonis, non erat ſacrificium pro peccato, ſed munus cibarium. *Paravit enim hœdum è capris & epha farinæ azymos panes, & carnem poſuit in caniſtro, & jure poſito in cacabo protulit ad Angelum ſub quercum, & illi appoſuit. Tum extendens Angelus Iehovæ extremitatem ſcipionis illius qui erat in manu ejus tetigit illam carnem, & illos azymos panes, aſcenditque ignis ex illa petra qui abſumpſit carnem, & azymos panes illos, ſic Angelus Iehovæ abiit à facie ejus.* Judic. 6. ℣. 19. & 21. Simile quid accidit Manoach patri Sampſonis, offerenti munus in rupe quadam, Jehovæ; tunc *enim mirabiliter egit, Manoacho & uxore ſpectantibus. Nam cùm aſcenderet flamma quadã ab altari verſus cœlum, aſcendit Angelus Iehovæ in flamma illa altaris,* &c. Judic. 13. ℣. 19. & 20. Nihil igitur obſtat, quin tale quid acciderit ſacrificante Abele, etiam in conſpectu fratris ſui; ex quo aut ſimili teſtimonio, Cain concepit invidiam, cujus etiam cauſſam indicare voluit Sp. Sanctus, ut ejuſdem effectum pernicioſum deſcriberet. *Si* enim in ſeqq. Deus compellare dignetur Cainum viſibili modo, ut eum redarguat, quare cenſebimus vel coactum, vel temerè inventum, ſi dicamus teſtimonium perhibuiſſe Deum fidei & ſacrificio Abelis, ſumpta externa forma, idq;, prout alias factum eſſe oſtendimus, mirabili modo ſignificaſſe? Alioqui vix conjici poterit, unde orta fuerit tanta odii & invidentiæ aut livoris cauſſa in Caino.

Exerci-

EXERCITATIO XLIII.

Explicatur admonitio Dei ad Cainum in fratris perniciem conjurantem. Peccatum in foribus cubare quid? Cujus deſiderium ſubjiciatur Caino, an Abelis an peccati? Reſpondetur argum. Pontificiorum. Quid per ſanguinem intelligat Scriptura? Sanguinem clamare quid? Explicantur obiter loca. Ebr.11. verſ.4.12. verſ.24. & Apoc.6. verſ.10. Vbi refutatur aliquot Ieſuitarum delirium. Abel quo ſenſu loquatur poſt mortem. Explicatur querela Caini de ſupplicii atrocitate. Quomodo ei Deus indulſerit. Quale fuerit ſignum Caino impreſſum ne quis eum læderet?

SExto & ſeptimo verſibus, continetur admonitio Dei ad Cainum, qui ira inflammatus iniqua, dejecto vultu, in fratris perniciem conjurabat. Sic autem loquitur Deus, ✝︎. 6. *Nonne ſi benefeceris* שאת ſeæth, *elevare? Et ſi non benefeceris ad oſtium* חטאת רבץ *Chattath robetz,* peccatum cubans. *& ad te* תשוקתו teſchukató, *appetitus ejus, & tu dominaberis,* bó בו *in eum.* Locus per ſe difficilis eſt, & aucta eſt difficultas variis interpretum ſententiis. Prima illa verba, *nonne ſi benefeceris, &c.* ſic verterunt Græci interpretes: οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκης, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλης, ἥμαρτες; *Nonne ſi rectè offeras, non autem rectè dividas, peccaſti?* Cujus interpretationis Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 7. *obſcuritatem, multos ſenſus peperiſſe* notat, *cum divinarum ſcripturarum quiſque tractator, ſecundum fidei regulam id conatur exprimere.* Sed non opus eſt ut variis illis ſenſibus aut referendis, aut refellendis, inhæreamus; cum in Ebræo textu authentico, nihil tale habeatur, ut mirum ſit, unde talia deſumi potuerint. Saltem ſi priora ſpectemus, *ſi rectè offeras non autem rectè dividas.* Nulla enim eſt in Ebræo ambiguitas, niſi fortè quod in voce פתח quæ oſtium ſignificat ת tau, loco ח cheth, legerint, quia, ut notavit Mercerus פתת *pathath,* in fruſtra concidere ſignificat, unde ſumpſerunt ſuum illud *dividere.* Nomen autem חטאת *chattath,* quod peccatum ſignificat, pro verbo ſumpſerunt, aliis vocalibus ſubintellectis, ut etiam participium ſequens, quod per ſcheva ſub primâ, poteſt pro imperativo ἡσύχασον accipi. Sed nec præcedentia nec ſubſequentia quadrant.

Vulgata editio, *Nonne ſi benè egeris recipies?* ubi verbum שאת *ſeath,* à נשא *naſa,* varias patitur ſignificationes, inter quas etiam eſt illa accipiendi, vel recipiendi. In ſequentibus Ebræa exprimit, niſi quod adverbium *ſtatim,* adjicit. Sed cum vox *naſa,* inter alia *elevare* ſignificet, ex collatione præcedentium, præferendus videtur hic ſenſus, *elevabis* vultum aut faciem, qui opponatur ſtatui in quo *conciderat vultus ejus.* qui enim bona conſcientia fruuntur, erecto vultu incedunt, quod Gallicè dicimus, *marcher la teſte levée.* Itaque repetenda eſt ex præcedentibus vox faciei, aut vultus. פנים *panim*: quaſi digito oſtenderet, cauſſam dejecti vultus eſſe odium in fratrem, quod ſi deponeret, rurſum faciem ſuam hilaris eſſet elevaturus.

Sequitur, *in foribus peccatum cubans.* Ubi vox *peccati* quæ fœminini generis eſt, jungitur participio maſculino רבץ *robetz.* Unde voluerunt etiam nonnulli nomen חטאת *chattath,* eſſe maſculinum; ſed perperàm, neque id probari ullo exemplo poteſt. Rectius ergo alii eſſe enallagen generis, quæ etiam alibi in Scriptura reperitur, præſertim ſi alia ſit vox Synonyma generis illius, cujus eſt adjectivum aut participium. Poteſt ergo referri ad nomen חטא *chet,* peccatum, quod eſt maſculini generis, vel עון *avon,* iniquitas. Niſi potius ſit elleipſis ſatis uſitata in Scriptura particulæ ſimilitudinis כ caph. quaſi diceret, *peccatum eſt velut excubans canis.* quam ſimilitudinem expreſſit Oleaſtrius.

Quid autem per *peccatum excubans* intelligatur, videndum erit. Nos aliis omiſſis ſententiis, peccatum pro vindicta ſeu peccati pœna accipimus, quia ſenſus, loci circumſtantiis convenit; ſive per שאת intelligamus faciei elevationem, ſive remiſſionem, ſive mercedis acceptionem, his enim ex adverſo reſpondet, peccati pœna, vel ſupplicium. Deinde, *non benè facere eſt peccare.* Quamobrem ſi de peccato propriè dicto acciperetur, incommoda eſſet, ne dicam nugatoria oratio, *Si peccaveris, peccatum eſt pro foribus,* quia cum quis peccavit, jam peccatum ingreſſum eſt. Optimè ergo, ſi non benè feceris pœna præſto eſt, ut impium & mala cogitantem à propoſito deterreat. Nomen autem *peccati* pro *pœna* ſumi, negari non poteſt. Thren. 4. ✝︎. 6. *Major eſt pœna filiæ populi mei, ſupplicio Sedomi.* ubi duę illę voces עון *avon,* & חטת *chattath,* uſurpantur pro pœna, Ut 1 Sam. 18. ✝︎. 10. promittit Saul Pythoniſſæ, *nullam iniquitatem,* id eſt, *pœnam,* ipſi propterea eventuram, ſi artem ſuam exerceret, etſi Saul in tales ſtatuiſſet ſupplicium. *In foribus* autem eſſe dicitur, proverbiali loquendi forma, pro eo quod proximum & præſentiſſimum eſt, ſive ſit bonum ſive malum, ſive præmium ſive pœna. Marci 13. ✝︎. 29. de extremo die, aut die ultionis: cùm videritis hæc fieri, ſcitote quod in proximo ſit, in oſtiis. ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις. Iacob 5. ✝︎. 9. ὁ κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν. Judex ad januam aſſiſtit. Sic de Sapientia, qui eam quærit, πάρεδρον εὑρήσει τῶν πυλῶν, *aſſidentem inveniet foribus ſuis.* Ad quam phraſim referri poteſt illud Plutarchi, πυρετοῦ περὶ θύρας ὄντος, *febri ad fores exiſtente.* Ergo pro foribus eſt peccatum, id eſt, non ſolum certò, ſed citò inſtabit pœna. Ideò probari non

poſſunt

poſſunt utriuſque Thargum autores, qui expoſuerunt *in diem judicii ſervatur peccatum tuum*, ſenſu prorſus contrario, quo pœnam longè protrahunt, quam Deus contrahebat, & proximam eſſe indicabat.

Hactenus quidem in ſenſu eodem conveniunt plerique interpretum, nec in his verbis controverſia movetur alicujus momenti. Sed quæ ſubſequuntur, contentioſè agitantur inter noſtros & Pontificios. Noſtrorum plerique editionem LXX & Chryſoſtomum ſequuti, relativa pronomina maſculina, in תשוקתו *teſchukatho*, *appetitus ejus*, & בו *bó*, *in eum*, referunt non ad peccatum aut peccati pœnam, ſed ad Habelem fratrem Caini, quam interpretationem verbis Chryſoſtomi quæ maximè ſunt perſpicua deſcribemus. *Congruam* (inquit Homil. 19. in Geneſ.) *ipſi Deus medicinam protulit, ſua omnia faciens, tametſi ille repulſo medicamento, in fratricidii profundum ſe præcipitarit. Ne putes*, inquit, *licet tuum averſatus ſim Sacrificium ob pravam mentem, fratriſque oblationem acceptam habuerim ob ſanam intentionem, quod ideò primatu te deſtituam, & primogenituræ dignitatem à te auferam. Nam licet honore ego illum proſequutus fuerim, acceptáque fuerint illius dona; verumtamen ad te converſio illius, & tu ipſius dominaberis. Atque poſt peccatum hoc permitto, ut primogenituræ privilegiis gaudeas, illumque ſub tua poteſtate & dominio eſſe jubeo.* Et paulò poſt: *Motus mentis illius videns, ac crudelem & ſanguinariam illius voluntatem ſciens, nunc præmitigare ipſius rationem vult, & ſerenitatem menti inducere, ſubjiciendo ipſi fratrem, & poteſtatem ipſius nihil minuendo.* LXX præiverant his verbis, πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. quod pronomen non poteſt referri ad peccatum cujus nulla antea facta erat mentio, nec eſt peccati nomen apud Græcos maſcul. generis. Firmant hanc interpretationem ex textu deducta argumenta. 1. Nomen תשוקה *teſchuka*, neque ad peccatum propriè dictum, neq; ad pœnam peccati commodè referri poteſt. Quia propriè ſignificat reverentiam quam inferior ſuperiori, vel etiam par pari, ut conjuges ſibi invicem debent, & qua aliquis ductus, ad quemvis ejus, erga quem ita affectus eſt, nutum, ac vocem libenter accurrit. Quod ἔτυμον ſatis indicat, eſt enim à שוק *ſchok*, id eſt, crus, & השיק *heſchik* verbum hiphil, excurrit profundendo. Radix etiam cognata שקק *ſchakak*, cucurrit & diſcurrit ſignificat, quod facit ſervus ab hero miſſus. Quomodo autem de peccato dici poſſit quod ad nutum & vocem hominis libenter currat, præſertim ubi agitur de peccato ſubigendo, non facile videmus. 2. Ex locis parallelis hujus loci interpretatio confirmatur. Sic enim de Eva dicitur Geneſ. 3. ℣. 16. *Et ad virum tuum deſiderium tuum, & ipſe dominabitur in te.* Sic ſponſa Cantic. 7. ℣. 11. ועלי תשוקתו *vealai teſchukathó*, & ſuper me deſiderium ejus, ubi agitur manifeſtiſſimè de appetitu & deſiderio ſpontaneo, & in quo qui deſiderat aut appetit ſibi placet. Quod peccato, quatenus homo illud reprimit, tribui non debet. Niſi cum Oleaſtrio dicamus deſiderium peccato, id eſt pœnæ peccati tribui per proſopopæiam, quatenus pœna nocentem petit. Sed tum verba nihil facerent ad ſententiam eorum qui inde volunt deducere in hominis poteſtate ſitum eſſe concupiſcentiam & peccatum frænare. 3. Etſi participium רבץ *robetz*, ſit maſcul. generis, propter eam quam diximus cauſſam, tamen relativa duo quæ ſequuntur, vix patiuntur ſe trahi ad peccatum quod alterius planè generis eſt, & in quibus non eadem eſt ratio. 4. Particula אל in priori membro אליך *eleica*, non *ſub* ſignificat, ſed *ad*, vel *erga*, quod primam interpretationem confirmat. Hæc certè levia non ſunt, ſi quis omnibus junctis & conſideratis ſine præjudicio judicet. Et ad me quod attinet, cenſeo Chryſoſtomi expoſitionem eſſe genuinam.

Fatendum eſt tamen Ebræorum nonnullos; ex Orthodoxis etiam aliquos, aliam, quæ hæc relativa ad peccatum refert, amplecti; inter quos Mercerus, *Simplex*, inquit, *ſenſus eſt, meo judicio, & ad te eſt appetitus peccati, quaſi dicat, tui vincendi deſiderio tenetur, nihil aliud cupit quam te in ſuam ſententiam pertrahere, eleganti proſopopœia, ſed tuum eſt illi dominari, tuum ſcilicet officium eſt illi reſiſtere quantum potes.* Hanc interpretandi rationem mordicus arripiunt Pontificii, eamque ita amplificant, ut ex ea triumphare ſe poſſe putent, & palmarium in hoc dicto, pro ſuo libero arbitrio ſtatuminando argumentum, ſe habere præſumant. Sed Bellarm. de grat. & lib. arb. lib. 5. c. 22. non cum Oleaſtrio, Mercero, & aliis ſentit, qui primum illud membrum accipiunt de deſiderio peccati quod circa hominem verſatur, quia ille etiam inde argumentum ad ſuum arbitrium format, *ſub te erit appetitus ejus*, id eſt, *in poteſtate tua, erit peccati cupiditas.* Alterum autem membrum fortius ſtringere putat, hoc modo, *tu dominaberis illius*, id eſt, ſi volueris cupiditati reſiſtere, & ita efficere ut non regnet peccatum in tuo mortali corpore, poteris. Sed (ut benè notavit Mercerus,) etiam hac interpretatione data, ſi rectè intelligatur juxta Ebræum contextum, & verborum proprietatem, nihil omnino facit ad laxam illam Pontificiorum conſequentiam. Quia tantùm indicaret Deus quid Cain deberet, non quid, jam perverſus, poſſet; quemadmodum omnia ferè mandata ſimilibus verbis enunciantur, futuri nempe temporis, quibus Ebræi utuntur pro imperativis. Non autem quicquid homini imperatur in poteſtate ejus eſt, nec in ea re eſt abſurditas, ut volunt adverſarii, quia poſſibilitate amiſſa, culpâ hominis, poteſt Deus ſuum jus repetere, ut homo convincatur. Sic explicat autor libri de vocatione Gentium lib. 2. cap. 13. *ad te tua culpa revocetur, noli peccato regnum in te dare, ſed tu potius in ipſum ſume dominatum.* Sic etiam Auguſt. lib. 15. de civit. Dei cap. 7. *Ad te enim converſio ejus, non ſubauditur, erit, ſed ſit, præcipientis videlicet, non prædicentis modo.* Ita etiam Hieron. & ex eo Strabus in gloſſa ordinaria.

dinaria. *Ad te ſocietas ejus, ſed tu magis dominare ejus.* Intereà non negamus, hominem non regenitum, etſi nullam actionem facere poſſit quæ verè bona ſit, proinde ſemper aberret à ſcopo, poſſe tamen abſtinere à ſceleribus, quale erat illud quod meditabatur Cain, & externas corporis ſui vires ita continere, ut malum illud conceptum, extra non erumpat. Proinde, neque etiam fruſtrà monetur ut reſiſtat, quia in eo aliquid poterat, non ut planè immunis eſſet à peccato, aut ad Deum converteretur, ſed ut averteret manum à patrando fratricidio. Si autem Pontificii ſtatuant eſſe in hominis libertate reſiſtere cupiditati, & à peccato planè abſtinere, loquor de irregenito, & peccato dominari, fruſtra Pelagio litem intendunt, qui nihil aliud voluit. Et certè, ſi argumentũ Bellarmini & aliorum in hac cauſſa valeat, & talis fuerit in Caino facultas, quem gratia deſtitutum fuiſſe conſtat, vicerit Pelagius, arbitrium enim hominis, gratiam preveniet, atque ſecundum merita dabitur illa.

Verſ. 10. *Vox ſanguinum fratris tui clamantium à me è terra.* Uſitatum eſt in Sacra Scriptura, ut *ſanguinum* nomen in plurali, uſurpetur pro cæde, vel homicidio. Ideò dicitur *civitas ſanguinum,* Nahum. 3. ℣. 1. in qua ſanguis humanus effunditur. *Vir ſanguinum,* Pſalm. 5. ℣. 7. pro homicida. *Sanguines clamare,* pro peccato parricidii, quod dicitur vindictam petere, quia Deum provocat ad puniendum. Hinc ſumpta eſt diſtinctio peccatorum *clamantium* ad Deum. Nam etſi nullum ſit peccatum quod vindictam Dei non mereatur, & attrahat; pro ratione tamen gravitatis & graduum peccatorum, quædam κατ᾽ ἐξοχὴν dicuntur *peccata clamantia.* Sic infra cap. 18. ℣. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrorum multiplicatus eſt.* & Iacob cap. 5. ℣. 4. *Merces operariorum quæ fraudata eſt à vobis clamat.* Quod autem Scholaſtici dicunt, peccata clamantia eſſe quatuor, homicidium voluntarium inſontis, Sodomiam, oppreſſionem viduarum & orphanorum, & fraudationem mercenariorum; id ſi reſtrictivè accipiatur, & ad alia privativè, verum eſſe non poteſt. Alia enim ſunt etiam graviſſima ſcelera, quæ vindictam Dei accerſunt & provocant præter illa quatuor, præſertim ea quæ ex deliberata malitia, & quaſi *elata manu* perpetrantur. Vel potiſſimum clamare dicerem ad Deum illa peccata, quæ vel à Judicibus inter homines neglecta, vel ob vim & potentiam eorum qui peccant diſſimulata, vel etiam hominibus incognita ut clam perpetrata, quale erat peccatum Caini, cujus fortaſſe apud homines convinci non potuiſſet, Deum vindicem appellant, qualia ſunt quibus vis infertur iis, qui auxilio humano ſunt deſtituti.

Apoſtolus ad Ebræos bis meminit locutionis Abelis poſt mortem. Semel cap. 11. ℣. 4. *& mortuus adhuc per hanc, fidem, loquitur.* Item cap. 12. ℣. 24. ubi fit comparatio ſanguinis Chriſti, cum ſanguine Abelis. In hoc ſecundo, non dubium eſt alluſiſſe ad hunc Geneſeos locum Apoſtolum. Nam etſi articulus τὸν, non directè referatur ad αἷμα, ſed ad ipſum Abelem, manifeſta tamen eſt oppoſitio ſanguinis utriuſque. Et quæ locutio Abeli ab Apoſtolo tribuitur, de ſanguine ejus dicitur apud Moſem. Ego igitur cum illis ſentio, qui percipientes vocem ſanguinis Abelis ad Deum, eſſe vindictæ petitionem, judicarunt vocem ſanguinis Chriſti eidem opponi tanquam meliora pronunciantem, quia remiſſionem peccatorũ impetrat. Si ergo Abel dicatur loqui, id intelligendum erit figuratè, quemadmodum dicimus rem ipſam loqui. Alioqui non exiſtimandum eſt pios in Domino mortuos, vindictam petere, vel de eadem dilata ſollicitos eſſe, ſi propriè id accipiatur. Itaque cum grano ſalis accipiendum eſt quod legimus Apoc. 6. ℣. 10. Martyrum animas *clamaſſe voce magna,* & dixiſſe, *uſq; quo Domine, qui Sanctus es & verax, non judicas ac vindicas ſanguinem noſtrum, de iis qui habitant in terra?* Neque enim, cum nonnullis hoc intelligerem de animarum beatarum deſiderio, & de aliquo earum actu proprio, qui non competeret earum fœlicitati; ſed de eodem modo quo dicitur clamare ſanguis Abel, quia mors eorum & cædes in conſpectu Dei ſemper recens, vindictam à divina juſtitia flagitat, ſanctis illis intereà manentibus ſecuris. Sed humano more, talia nobis deſcribuntur, ut quod dicuntur *animæ illæ ſub altari fuiſſe,* ubi per *animas* intelligendi ſunt ipſi homines qui perſecutionem paſſi, martyrium ſubierunt. *Sub altari* autem dicuntur *viſæ,* velut oves mactatæ, quia eorũ martyrium fuit quodam ſacrificium Deo, quam intelligentiam non reſpuit Blaſius Viegas in Apocal. Altera autem quam affert cum Ribera & aliis nonnullis Pontificiis ita ſtolida eſt, ut non poſſim ſatis mirari quomodo hominibus non planè ineptis, placere potuerit tam inſulſum inventum. Animæ inquiunt, id eſt *oſſa* ſive *reliquiæ Sanctorum,* ſub altari, intellige propriè dicto altari in quo miſſa celebratur. Quia in illis altaribus eſt receptaculum quoddam, in quo ſolent occultari Sanctorum oſſa, adeò ut altaria, ſint *ſepulchra* apud Pontificios. Miror quod aliàs tam iniqui ſint Bezæ, qui animam alicubi accepit pro mortuo hominis corpore, quod tamen ex Scriptura probavit fieri poſſe; cum jam velint oſſa defunctorum ſignificari per animas. 2. Quomodo non viderint, ſi quæ de altari dicuntur ad literam intelligenda ſint de altari viſibili & propriè dicto in terris, reliqua omnia quæ ibidem dicuntur de variis equis & ſtolis albis, non in viſione & figuratè, ſed propriè eſſe intelligenda. 3. Quod non vidiſſet ſub altari tot animas Ioannes, ſed ſub infinitis altaribus, neq; enim ſub uno altari ſunt corpora martyrum. 4. Sed præſertim, quod non ſenſerint commentũ illud ſubſiſtere non poſſe, quia neceſſarium eſſet, omnium illarum animarum oſſa aut corpora, in altaribus fuiſſe condita, eorũ nempe quibus ſtolæ albæ datæ ſunt, at quantula pars oſſium martyrum ſub altaribus lateat, ipſi Pontificii norunt. Addimus etiam, non martyrum tantùm, ſed aliorum ſanctorũ corpora ibidem recondi. Sed nimium hoc eſt, adverſus tam putidum commentũ.

In primo loco ex cap. 11. ad Ebræos, non ita evidens eſt, ad hunc noſtrum alluſiſſe Apoſtolum cum dixit, *per hanc*, fidem, *mortuus adhuc loquitur*. Nam ſanguinis clamor, poteſt etiam eſſe eorum qui fide caruerunt, quia interfectorum ſanguis de homicidis vindictam petit. Fidei tamen mentio, addere aliquid poteſt, quia quo dignior eſt perſona, eo gravius eſt crimen. Ideò ſanguis fidelium quorum mors pretioſa eſt apud Deum, efficacius clamat, & pœnas majores exigit. Quo ſenſu eodem modo accipiendus eſſet locus uterque. Poſſet tamen hic, & fortaſsè commodius, Abelis locutio per fidem latius extendi, nempe ad exemplum, cujus adhuc vis magna eſt, & velut continua ſollicitatio. Ut apud Virg. Æneid. 6. de Phlegya in inferis tormentis addicto,

----miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras,
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Ut talium impietas in pœnis ſemper loquitur ut terreat, ſic illuſtria exempla fidei & pietatis ſanctorum, perpetuò inculcant, eandem vitæ rationem. Inter exempla maximè movent quæ prima ſunt & illuſtria, qualia fuerunt in Abele, pietas erga Deum, patientia, & innocentia, quæ etiamnum loquuntur, & prædicant, pretioſam eſſe Deo fidelium mortem; oppreſſores manere Dei vindictam, & talia quæ per ſe clara ſunt.

Redeo ad Cainum, & verba ejus hæc perpendo, גדול עוני מנשא *gadol avoni minneſó*. Quæ Pagninus vertit, *major eſt punitio mea quam ut feram*. Alii, ut Arias; *Major eſt iniquitas mea quam parcere*. Quæ verba vulgatæ ſenſum referunt, *major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*, ubi *mereri* ſumitur pro *conſequi*, non ſuppoſita dignitate operis præcedentis (quod obiter eſt notandum.) Ad duas haſce verſiones reliquæ omnes referuntur. Habent autem diuerſos ſenſus. Secunda Caino attribuit deſperationem de miſericordia Dei; Prima, querelam de gravitate ſupplicii, in qua *iniquitas*, ſumitur pro iniquitatis pœna. Huic favent ſequentia, in quibus ipſe querelam ſuam explicat, *ecce ejeciſti me à facie terræ*, &c. Ubi non tam peccati ſui gravitatem confitetur, quam pœnæ ſeveritatem quaſi deprecatur, non tam ſollicitus de reconciliatione cum Deo, quam de vitæ ſuæ miſerrimæ conſervatione. Metuebat enim malus animus, ne deinceps, qui vitam fratri eripuerat, omnium injuriis, juſto Dei judicio expoſitus, ſuam brevi amitteret. Verbum נשא *naſa* frequens eſt in ſignificatione portandi, ſed quia ferre & tolerare etiam apud latinos ſignificationem habent parcendi, ideò eſt in voce ambiguitas. Nec ullum eſt, ad rem quod attinet, periculum, quoquo modo legatur. Imò eodem recidet, quia de Dei ſeveritate conqueritur, & eum accuſat ac ſi graviorem pœnam indixiſſet, quam res poſtulat, indicat ſe à vera pœnitentia, aut peccati confeſſione alienum eſſe: Ut mirum ſit Chryſoſtomum hæc verba habuiſſe pro exacta exomologeſi, quæ tamen veniam non fuit adepta, quia intempeſtiva & ſera fuit, quæ verba faverent Novatianis. Alioqui nulla pœnitentia, ſi fiat, ut ipſe loquitur, μετὰ πολλῆς τῆς ἀκριβείας, ſi ſit ἀπηρτισμένη, perfecta, poteſt eſſe vel ſera, vel intempeſtiva. Conſideratio itaque ſola ſubſequentium facit, ut ex duabus verſionibus quas Ebræus textus originalis non reſpuit, ſecundæ potius adhæreamus. Paulus Burgenſis triplicem inſtituit comparationem inter pœnam Adamo inflictam poſt peccatum, & eam quæ adverſus Cainum fuit lata. 1. Quod Deus non maledixit Adamo, ſed terræ propter Adamum. Caino autem maledixit, *maledictus* (inquit) *eris ſuper terram*. 2. Quod in ſententia contra Adamum lata, non ei fructus laboris denegatur, ſed contra includitur quædam promiſſio panis neceſſarii poſt laborem. Caino autem dicitur, *Quod coles terram non addet dare robur ſuum tibi*. 3. Quia Adamo, etſi ex paradiſo expulſo, locus tamen commodus fuit aſſignatus ipſi connaturalis, in quo habitaret & terram coleret. Caino autem dictum fuerit, *vagus & profugus eris in terra*. Inde Cainum de gravitate pœnæ ſuæ conqueſtum eſſe, & ad deſperationem remiſſionis adactum. Ubi tamen notandum eſt, ſecundam pœnam qua Caino denegatur fructus laboris, non abſolutè differre à pœna Adami, ſed tantum ratione gradus. Non eſt enim ſimile vero, cùm Cain diu vixerit & multiplicaverit, denegatum ipſi planè fuiſſe à terra alimentum, ſed laborem ipſius fuiſſe auctum, & proventus imminutos.

Si quis dicat tertiam illam pœnam ſæpè etiam piis & juſtis accidere, ut in exilio vagari tanquam profugi cogantur, quapropter non eſſe neceſſarium maledictionis teſtimonium, nos etiam non refragamur, ſi abſolutè vel univerſaliter id intelligatur. Sed, ſi addatur cauſſa, tum facilis erit diſcretio, inter exilium Caini, qui ubique carnificem ſuum gerebat, nec ob malam conſcientiam poterat in uno loco conſiſtere; & piorum qui etiam fugientes & palantes, conſcientiam bonam comitem habent, & gaudium quod auferri non poteſt. Ideò poſteà ipſe Cain agnovit, quid maxime in exilio ſuo eſſet pœnale, quod *à facie Dei abſconderet ſe*, id eſt non amplius compareret coràm Deo, ſive cultus divini cauſſa cum parentibus, ſive quærendi auxilii, quæ ſatis oſtendunt pœnam illum graviſſimam ſenſiſſe.

Nihilominus, etſi miſer & profugus, mortem timuit, eamque violentam, prout ſemper pavidi ſunt, qui hoſtem & teſtem in præcordiis gerunt. Quod autem Deus ipſi videtur indulgere, & adverſus mortis metum illum munire, data ſecuritate, imò gravi denunciata ſententia contra ejus percuſſorem, mirum nonnullis videtur. Qui enim nulla vera ducebatur pœnitentia, Deumque non invocabat ex fide, quomodo à Deo fuerit exauditus quæritur. Reſp. Deum aliquando etiam in ira ſua concedere impiis vota & petitiones, ſi rem in ſe ſpectemus, ſed alio planè quam eo quem ſibi propo-

nunt fine. Si vitæ prorogationem petant, id faciunt utilitatis cujuſdam gratia quam ſibi imaginantur. Deus autem eis quandoque longævitatem concedit, ut ſint exempla juſtitiæ ſuæ, & ſuppliciis viſibilibus & notis alios à peccando exterreant. De piis dicitur, quod à Deo exaudiantur dum non exaudit, quia vel negat quæ petuntur, in bonum finem ad quem alia via tendit, vel meliora concedit. Contrà de impiis dicendum, Deum exaudiendo eos non exaudire. Sic Caino concedit ut non interficiatur, ut magis ac magis in terrâ plectatur: quo modo David impiis deprecatur mortem, Pſal. 59. ✠.12. *Ne occidas eos, ut non obliviſcantur populares mei, exagita eos virtute tua, & dejice eos.*

Verſ. 15. dicitur Deus poſuiſſe in Cain אות *oth* ſignū, ne quis percuteret eum. Et certè nulla poſſet dari ratio cur ſeptemplici pœna aliàs plecti deberet qui Cainum occidiſſet. Si enim res in ſe conſideretur, non æqualiter reus eſt qui impium hominem occidit, & qui fratricidium commiſit, præſertim adverſus inſontem & ſanctum. Neceſſarium ergo fuit, augmentum illud pœnæ, quo criminis gravitas indicatur, procedere ex Dei interdicto ſpeciali. Nam etſi lex communis naturæ prohibeat homicidium, ſi aliquis ſpeciali Dei interdicto, contra percuſſores munitur, dupliciter peccat, qui videtur in ipſum Deum inſurgere velle. Id autem interdictum notum eſſe debet, alioqui non ſufficeret ad pœnæ augendam gravitatē, interdictum planè ignotum, & ea ignorantia quæ ſupina non poteſt eſſe. Itaq, neceſſarium fuit omnibus qui Cainum videbant innoteſcere, Deum velle ut ab ejus cæde abſtinerent, idque aliqua evidente nota ipſis indicaretur. Hoc fuit ſignum, quod Deus in Caino poſuit, ad hunc finem. Quale autem fuerit illud ſignum, varii variè rimantur, & quia apud LXX interpretes, ubi habemus *profugus eris & vagus*, legitur, *ſuſpirans & tremens eris ſuper terram*, plerique putarunt, horribilem quendam tremorem, quo Cain perpetuò fuit concuſſus & agitatus, fuiſſe ſignum illud quod omnes ab ejus cæde debuit avocare. Sed eorum imitanda eſt modeſtia, qui de ſigno non dubitantes, eoque tali quod hominibus ſufficiebat ad voluntatem illam Dei intelligendam, nihil in particulari determinant, quale fuerit, an in facie, vel alibi poſitum, & ſi quæ talia, de quibus cum ſcriptura taceat, nobis etiam ſilendum, & judicia Domini adoranda.

EXERCITATIO XLIV.

Matrimonia inter fratres & ſorores cur initio conceſſa. An prohibita ſint ordinariè lege naturali. Variæ de eo opiniones. Expenduntur & affirmativa aſſeritur. Ratio exceptionis initio mundi. Caini & poſterorum cur deſcribatur hiſtoria. Quando urbem ædificaverit. Quomodo id conveniat cum comminatione exilii.

PRimi matrimonii inter homines natos mentio fit ✠. 17. *Et cognovit Cain uxorem ſuam.* Uxorem illam, fuiſſe Caini ſororem neceſſarium fuit. Quamvis autem aliàs impius & profanus fuerit, id tamen in culpam ipſi non debet imputari quod ſororem in matrimonium duxerit. Idem etiam crimen alioquin impingendum eſſet Setho, viro pio. Hujus rei occaſione quæſitum eſt, an talia matrimonia in primo gradu conſanguinitatis in linea collaterali ſive tranſverſa æquali, eſſent jure divino prohibita, vel humana tantum inſtitutione. Id certè nimis præcipitanter olim pronunciavit Viclephus Dialog. lib. 4. cap. 20. *Non delector*, inquit, *multitudine cauſſarum divortii, cum multæ ſint infundabiliter humanitus ordinatæ, ut patet ſpecialiter de cognatione. Nam tempore primi hominis, fratres & ſorores fuerunt ex ordinatione divina taliter conjugati; & tempore Patriarcharum, ut Abraham, Iſaac, & talium, ſatis propinquè cognati. Nec ſupereſt ratio, quare non ſic liceret hodie, niſi humana ordinatio.* Hæc ille. Ex quibus patet, non immeritò talem ſententiam fuiſſe ipſi à Bellarmino attributam lib. de matrimonio cap. 25. Qua de re dubitarunt nonnulli ex noſtris, quibus liber Vuicleffi non fuit ad manum. Sed nos ipſa verba adduximus qualia habentur in noſtro exemplari fol. 134. Occaſionem tamen dubitandi dederunt ipſi Pontificii, qui contrariam aut diverſam ei affingunt ſententiam. Dominicus enim à Soto, in 4. Sent. diſt. 40. art. 3. *planè contrariam ei tribuit, prohibitiones, nempe, quæ habentur in Levitico, vim ſuam jure divino, etiam apud Chriſtianos retinere*, quod habuit à Thoma Valdenſi, Tom. 2. de Sacram. cap. 134. Id ſi verum ſit, dicendum erit VViclefum melius edoctum mutaſſe ſententiam poſt Scriptum Trialogum, in quo fatemur in eo fuiſſe hallucinatum, ſed id fortaſſe accidit ex eo quod cum tunc temporis nondum depoſuiſſet opinionem de Pontificis in talibus autoritate, putavit non poſſe defendi Rom. Pontificis diſpenſationes, niſi id poneretur, gradus nullos excepta linea aſcendentium & deſcendentium, impedire matrimonium, aliqua divina vel naturali, vel ſcripta lege. Quod etiam aliis in Papatu viſum fuiſſe nec ipſe Bellarminus diffitetur. Sic enim ille, cum poſuiſſet ſex gradus, naturali jure prohibitos, 1. filii cum matre, 2. patris cum filia, 3. fratris cum ſorore germana, 4. fratris cum ſorore ex altero parente, 5. privigni cum noverca, 6. vitrici cum privigna. *De his*, inquit, *quatuor gradibus poſterioribus non deſunt, qui negent eos lege naturæ prohibitos, in quibus eſt Cajetanus*, 2.2.*q*. 154. *art*. 9. Vidit enim ille non poſſe aliter defendi factum quod affingi-

tur Martino V. Papæ, qui per diſpenſationem alicui conceſſit ſororem germanam ducendi facultatem. Quod cum objeciſſet Beza, in lib. de Polyg. & divortiis, Bellarminus dicit eum *mentitum* fuiſſe, quia (inquit) *non cum ſorore germana permiſit conjugium, ſed cum ſorore ejus quam ante cognoverat per fornicationem.* Si hoc ita ſit, non erit Bezæ mendacium, ſed Pontificiorum, qui Bezam & nos id docuerunt. Angelus enim de Clavaſio in ſumma, folio 307. edit. Pariſ. anno 1519. ſic habet. *Dom. Archiepiſcopus Florentinus in ſumma, dicit ſe audiviſſe à fide dignis, quod Papa Martinus V. habita conſultatione cum multis doctiſſ. viris in Sacra Theologia, & jure Canonico, diſpenſavit cum quodam qui acceperat* GERMANAM *ſuam in uxorem, propter multa mala & ſcandala, quæ eveniſſent ſi eam dimiſiſſet, & quæ evitari non poterant, niſi ſic diſpenſaretur.* Agnoſco tamen eſſe ambiguitatem in verbis Antonini, quæ fefellit Angelum Clavaſium. Sic enim ſcribit, *Reperitur enim Papa Martinus V diſpenſaſſe cum quodam qui contraxerat & conſumaverat matrimonium, cum quadam ejus germana quam cognoverat fornicariè: cum magna tamen difficultate.* Ubi pronomen *ejus* accepit Angelus pro reciproco *ſua*, cum videatur potius referri debere ad eam mulierem, quam fornicariè cognoverat, cujus ſoror erat illa quam poſteà duxerat. Et certè huic interpretationi favet ſcopus Antonini in 3. part. Tit. 1. cap. 11. ubi agit de gradibus affinitatis, contractæ per cohabitationem, ſive legitimam, ſive illegitimam. Sed tamen verba Bezæ non poſſunt mendacii convinci. Martinus V. inquit, *in præclaro illo Conſtantienſi Concilio electus, fratris cujuſdam cum ſorore germana matrimonium* SCRIBITUR *comprobaſſe.* Id ſcriptum fuiſſe ab Angelo Clavaſio in ſumma ſua, manifeſtiſſimis verbis oſtendimus.

Nec id etiam iniquum judicarunt multi Doctores Pontificii. Nam cum apud eos pro certo habeatur, Pontificem diſpenſare poſſe in omnibus gradibus, qui non ſunt jure naturæ prohibiti: Si qui cenſent, in primo gradu conſanguinitatis in linea tranſverſali æquali, matrimonium jure naturæ non eſſe prohibitum, id eſt inter fratrem & ſororem, iidem concedere debent ex ſuis principiis, in talibus à Papa diſpenſari poſſe. At matrimonium non eſſe jure naturali nullum inter fratres, cenſent Thomas Aquinas in 4. diſt. 4. q. 1. art. 3. & in ſumma, part. 3. q. 54. art. 3. Bonavent. ead. diſtinct. part. 2. q. 2. Richardus ibid. q. 2. Scotus, quæſt. unica, Durandus. ead. diſt. quæſt. 1. Alenſis 2. part. quæſt. 169. memb. 4. Cajet. 22. q. 154. art. 9. Roffenſis in tract. de Matrim. Regis Ang. Henrici VIII. Et victoria, in relectione de Matrim. part. 2.

Sunt tamen inter Pontificios ipſos qui contrariam ſententiam probabiliorem putant, & matrimonium, jure naturæ, inter fratres & ſorores, conſiſtere non poſſe cenſent. Qui ad id probandum autoritates quaſdam afferunt & rationes. 1. Auguſt. lib. 15. de civit. Dei cap. 16. excuſat prima illa matrimonia, quia facta fuerunt *compellente neceſſitate*, quæ legem non habet, extra quem caſum, *non licere fratres ex utroque, aut ex altero vel altera parente natos, necti conjugio*, aſſerit contra Fauſtum lib. 22. cap. 35. 2. Theodoretus in lib. de legibus, matrimonia Perſarum inter fratres, tanquam ipſo naturali jure perverſa & invalida vituperat. 3. Ipſe Philoſophus 2. Politic. cap. 2. abſurdam & deformem reputat carnalem conjunctionem, non modo inter patres & filios, ſed etiam inter fratres. Ubi hoc præſertim argumento, confuſionem quæ oriretur ex communitate uxorum à Platone invecta improbat, quia inde ſequeretur commixtio parentum cum liberis, & fratrum cum ſororibus, quod naturæ adverſatur, & omnes tollit neceſſitudinum inter homines nexus.

Rationem autem hanc addunt autoritatibus, quia nimium accenderetur inter ſanguine junctos concupiſcentia, ſi ad amorem naturalem, qui inter fratres eſt maximus, accederet vinculum & conſuetudo conjugalis. Dictare autem rationem (quando aliud urgens generis humani neceſſitas non exigit) non eſſe ratum matrimonium, niſi inter eas perſonas inſtitutum ſit, inter quas facilè poſſit, quantum eſt ex ipſa conditione Matrimonii, eſſe moderatus conjugii uſus, & ad nonnullum etiam remedium, non autem ad incendium majus concupiſcentiæ.

Et hæc quidem non otioſè dicuntur. Sed prætereà & in primis, habemus teſtimonium divinum, quo conjunctiones tales in Ethnicis culpantur à Deo in lege, Levit. cap. 18. ℣. 24. & 20. ℣ 23. Ubi poſt expreſſos gradus prohibitos, addit Deus, in his contaminatas fuiſſe univerſas gentes, quas ejecturus erat. Item, *Omnia hæc fecerunt gentes, & abominatus ſum eas.* Cur vero id, niſi ipſa natura, dictare debuiſſet illicitas eſſe tales conjunctiones? Ideò etiam inter eas Gentes quæ honeſtatem omnem non exuerant, fratrum cum ſororibus matrimonia fuerunt improbata. Unde factum eſt, cum Abraham & Iſaac conjugia ſua cum Sara & Rebecca, inter gentes apud quas peregrinabantur tegere vellent, Geneſ. 20. ℣. 12. & 26. ℣. 7. vocarent eas *ſorores*, ut omnem matrimonii ſuſpicionem cujus cauſſa in periculum ſe venturos metuebant, amolirentur. Et quamvis inter Ægyptios & aliquas alias gentes talium connubiorum exempla proferri poſſint, non tamen approbata fuiſſe docet quod apud Herodianum legimus, lib. 1. de Imperat. *Ptolemæum Aegypti Regem eo turpitudinis prolapſum, ut contra Macedonum & Græcorum leges, etiam ſororiis amoribus implicaretur.* Suetonius in vita Caji, inter flagitia ejus refert, *quod ſororem Druſillam uxoris loco habere voluerit.* Et Lucanus lib. 8. de Bello Pharſal. de Ptolemæo Lagi filio, *Degener, inceſtæ ſceptris ceſſure ſororis*, Cleopatræ nempe, cujus nuptias à patre conſecutus fuerat, & moriens ei regnum reliquit. de qua lib. 10. *Facieſque inceſta perorat.* Item, *nupſit ſoror impia fratri.* Hinc Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16.

Etiam

Etiam inter impios Deorum multorum falſorumque cultores ſic obſervari cernimus, ut etiamſi corruptis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen conſuetudo, ipſam malit horrere licentiam, & cum ſorores accipere in matrimonium primis humani generis principiis licuerit, ſic averſetur, quaſi nunquam licere potuerit. Nec etiam Bellarm. cap. 17. lib. de Matrim. diffitetur, *matrimonium cum propria ſorore, ubique, apud omnes homines qui recta ratione utuntur judicari malum, niſi extrema omnium cogente neceſſitate, qualis fuit initio mundi.* Quod ſi verum ſit, non tantùm inter probabilia id poni debet, vel per *videtur* enunciari, quod ille facit, ſed certò ſtatuendum tanquam neceſſarium & exploratum, jus naturæ à talibus nuptiis abhorrere.

Quod autem addit poſt Auguſtinum de caſu neceſſitatis, illud eſt quod jam nobis eſt perpendendum, ad propoſitę difficultatis ſolutionem. Quæſtio enim agitatur, quomodo ſi jus naturæ tali commixtioni repugnet, id licuiſſe potuit initio conſtitutionis naturæ, & primæ propagationis generis humani? Reſp. igitur Auguſt. ubi ſuprà, *id factum, quanto eſt antiquius compellente neceſſitate, tanto poſteà factum eſſe damnabilius, religione prohibente.* Ideò poſt Auguſtinum, rectè omnes ad neceſſitatis cauſſam recurrunt, quæ ſi talis ſit quæ evitari non poſſit, & à Deo impoſita, cum mandato expreſſo faciendi id, quod aliter fieri non poteſt, tunc licitum facit, quod aliàs fuiſſet ſceleſtum. In ſumma ergo neceſſitate à Deo impoſita propagandi genus humanum, qualis fuit initio mundi, validum & licitum fuiſſe matrimonium fratrum cum ſororibus certum eſt, in eoque claram fuiſſe diſpenſationem divinam, quamvis alioquin expreſſa non fuiſſet. Nam cum unam tantùm fœminam Deus creaviſſet, non plures, juberet autem propagari genus humanum, ſatis planum erat, ejus eſſe voluntatem, ut fratres ex ſororibus liberos ſuſciperent. Qua neceſſitate ceſſante, natura ipſa dictavit, cum alia ratione multiplicationi hominum provideri poſſet, ceſſare eam debere, quam initio neceſſitas invexerat. Non tamen exiſtimo, quod Andreæ Oſiandro viſum fuit, exceptionis illius meminiſſe legem, Levit. 20. ℣. 17. *Vir qui acceperit ſororem ſuam filiam ſui patris vel filiam matris ſuæ & viderit nuditatem ejus, & ipſa viderit ejus nuditatem,* חסד הוא *cheſed hu*, id eſt, *opprobrium hoc, & ſuccidentur in oculis filiorum populi ſui.* Vult ille verba illa intertexta fuiſſe per occupationem חסד הוא *cheſed hu*, quaſi diceret, non objiciendum eſt id licuiſſe Patriarchis in prima ætate, nam id factum eſt & conceſſum ex ſingulari gratia, quæ *cheſed* Ebræis dicitur, qua ceſſante, ut ſit ubi non eſt invincibilis neceſſitas, tum morti addici debent, qui ita conjunguntur. Nomen *cheſed* gratiam & miſericordiam ſignificare verum eſt, ſed quia etiam per antiphraſim ſumitur pro impietate, re mala & opprobrio, loci circumſtantia ſatis indicat, non alio ſenſu ſumi debere, quia nihil eſt in præcedentibus aut ſubſequentibus quod referri poſſit ad primam illam neceſſitatem. Quin pronomen demonſtrativum הוא reſpicit quæ præceſſerant. De viro revelante nuditatem ſororis tempore illo. Itaque commentum illud Oſiandri cenſemus carere fundamento, & alias eſſe quærendas hujus exceptionis rationes. Illa autem quam adduximus ſola ſufficit.

Neque tamen rejicimus quod addunt quidam, inter quos ipſe Bellarminus, Deum, per internam inſpirationem, vel etiam fortè per Adamum, ſignificaſſe & declaraſſe ejus filiis voluntatem ſuam: & ita nullam eſſe abſurditatem, quod ab ipſo mundi initio in illa lege Deus diſpenſaverit, quandoquidem voluit rerum autor, omnes homines ab uno procedere, neque bonum judicavit plures ſimul maſculos, pluresque fœminas procreare. Actor. 17. ℣. 26. Quæ confeſſio Bellarm. poteſt ipſi opponi, quoties exemplis quibuſdam Patriarcharum in quibus aliquid extraordinarium accidit, evincere vult nonnulla eſſe juris tantùm poſitivi, de quibus tamen dicimus, ea naturali lege ordinariè eſſe prohibita. Nam ſi illos in ea re planè à peccato velimus eximere, quid obſtabit quo minus, diſpenſationem ex inſpiratione ſingulari poſſimus excogitare, & talem neceſſitatem, qualem judicavit Deus, ejuſmodi conceſſionem requirere?

Pergit Moſes in hiſtorica deſcriptione rerum à Caino, & ejus progenie, geſtarum, cujus deſcribit Genealogiam. Cur autem id fiat in quæſtionem venire poteſt. Nam cum à Deo fuerit maledictus, & quaſi derelictus, quorſum fuit opus ut deinceps in Sacra hiſtoria locum haberet? Reſp. fatendum quidem Sacræ hiſtoriæ ſcopum & adæquatum veluti ſubjectum eſſe Eccleſiæ Dei propagationem & progreſſus deſcribere. Sed quia dum militat in terris, cum variis hoſtibus ei negotium eſt, non poſſent ejus geſta & exercitia deſcribi, niſi exterorum etiam à quibus exercetur ortus & conditio, conatus item & molimina nota fierent. Quod in omnium nationum Hiſtoriis uſu venit, in quibus nuſquam aberrare à ſcopo judicatur, qui rebus nationis ſuæ præſertim intentus, eas admiſcet, quæ etſi aliorum ſint, connexionem tamen habent cum iis quas tractat neceſſariam. Itaque, cum in genere humano *duæ ab initio*, ut cum Auguſtino loquar de civit. Dei lib. 15. cap. 1. *procurrerint civitates, & ſocietates hominum, quarum eſt una quæ prædeſtinata eſt in æternum regnare cum Deo, altera æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo*, & prior illa (ut idem ait lib. 1. cap. 1.) *Glorioſiſſima Dei civitas, hoc temporum curſu inter impios peregrinetur*, non poteſt ejus peregrinatio deſcribi, quin etiam impiorum mentio fiat, quamdiu civitas Dei, *expectat per patientiam, quoadusque juſtitia vertatur in judicium.* Et hæc eſt ratio, cur etiam Caini & poſterorum ejus ſit mentio in hiſtoria ſacra, & aliorum Eccleſiæ hoſtium.

De Caino dicitur quod poſt ſuſceptum filium חנוך *chanoc*, cui videtur nomen impoſuiſſe ab initiatione & dedicatione, quaſi *initiatus* vel *diſciplinatus*, ut oſtenderet ſe ſperare in eo initiaturum & dedicaturum popu-

Ee 3 lum,

lum. Ideò videtur etiam eam ob cauſſam filii nomen imponere voluiſſe urbi quam ædificavit, quæ eſſet veluti dedicatio naſcentis Reipubl. Ubi primùm diſquiritur de tempore quo genuerit filium illum & ædificaverit civitatem? An ſtatim poſt ſuſceptum filium? Si primogenitum Caini fuiſſe ſupponamus, quod pleriſq; viſum eſt, rationi non eſſet conſentaneum eum tum ædificaſſe civitatem, cum familia ejus nondum in populum accreviſſet. Quare ſtatuendum eſt id factum fuiſſe multiplicata poſteritate, quam numeroſam potuit videre, quo tempore homines erant μακρόβιοι. Non enim Deus tum ipſis etiam impiis denegabat benedictiones temporales longioris vitæ, & poſteritatis numeroſæ. An autem uxorem duxerit ante fratricidium, & liberos ex ea habuerit. quod tamen Moſes narret, ut fecit alia nonnulla, ὕστερον πρότερον: vix poteſt definiri. Si tamen poſſet, ceſſaret difficultas de tempore urbis conditæ, potuiſſent enim tum eſſe aliquot Caini poſteri. Si verum ſit quod nonnulli dicunt, Abel à Caino fuiſſe occiſum, cum ageret Cain annum circiter centeſimum trigeſimum, ſatis probabile eſt eum longo ante tempore uxorem duxiſſe. Sed nutat fundamentum quod huic ſuæ ſubſternunt opinioni, Cainum natum eſſe patris ſui anno 1. Et occidiſſe fratrem, paulo ante Sethum natum, anno patris centeſimo trigeſimo. Etſi probabile ſit natum fuiſſe Cainum paulo poſt Adami ejectionem è Paradiſo, ſed occidiſſe Abelem paulò ante natum Sethum nihil eſt unde poſſit evinci. Putarem tamen ante fratricidium illud, habuiſſe uxorem & liberos, quia ſatis temporis ad id præterierat, & vix credibile eſt poſt facinus illud perpetratum, & notam inuſtam fratricidæ ullam ex ſororibus Caini convenire voluiſſe in matrimonium cum homine maledicto, niſi anteà fuiſſet alligata. Sed id prætereà animadvertendum, non talem initio à Caino fuiſſe conditam urbem, quæ murorum ambitu, & ædificiorum ſtructura & numero, commendaretur; ſed prout ſemper exigua ſunt rerum initia, talem, quæ etſi communi nomine inſigniatur urbium, nondum pagi aut municipii conditionem excederet. Id tantum vult Scriptura indicare in Caino & poſteritate ejus, ſæpè improbos homines, ut qui inferioribus hiſce magis addicti ſunt, ſolertia, prudentia & diligentia in talibus præ cæteris pollere, & ad omnia illa ſollicitos eſſe, quæ ad utilitates, voluptates & honores hujus vitæ ſpectant, poſthabitis rebus quæ ad æternam ſalutem pertinent. *Iniqui enim*, inquit appoſitè Gregorius lib. 16. Moral. cap. 6. *dum corde tranſire ad æterna negligunt, & cuncta præſentia fugitiva eſſe non intuentur, mentem in amore præſentis vitæ figunt, & quaſi longæ habitationis in ea ſibi fundamentum conſtruunt, quia in terrenis rebus per deſiderium ſolidantur. Sic primus in terra Cain civitatem conſtruxiſſe deſcribitur, qui videlicet peregrinus apertè monſtratur, quia ipſe in terra fundamentum poſuit, qui à ſoliditate æternæ patriæ alienus fuit.*

Sed talis peregrinatio quæ attribuitur Caino à Gregorio, non ſolvit alium nodum, quomodo vagus & erro fuerit in terra, cui permiſſum fuit ædificare civitatem? Non eſt enim talium urbes conſtruere, & ſocietatem aliquam inſtituere. Ego quidem eorum ſententiæ ſatis ſuffragor, qui putant hac ratione impium hominem voluiſſe comminationem divinam eludere, firmam aliquam ſibi & ſuis ſtationem eligendo. Fateor etiam peregrinationem in terra, piis magis convenire, quam impiis. Hi enim cœlo extorres, ut Gregorius dicebat, fundamentum in terra jaciunt, & radices agunt; illi contrà, cœlum ſpectantes & eo tendentes, peregrini ſunt & exteri. Quapropter ſatis conveniret impiis illis Caino & poſteris & cura & ſucceſſus rerum temporalium, præ aliis qui Deo chari erant. Id tantùm mirum videri poteſt, quomodo id ipſi ſucceſſerit, poſtquam ipſi dictum fuerit, eris vagus & profugus in terra. Cui difficultati ſic reſpondendum cenſeo. 1. Comminationis veritatem poſſe ſtare, ſi id acciderit Caino per tempus aliquod longum, etſi aliquando tandem permiſerit ei Deus aliquam ſtationem. 2. Non ſequi ſi ædificavit urbem, in eadem potuiſſe eum diu figere larem, vel ſubſiſtere. Accidit enim aliis multis, ut ab illis locis exigantur in quibus manſionem ſibi paraverant. Nec improbabile eſt Cainum, etſi poſteris ſuis proſpexiſſet, non potuiſſe tamen diu in hominum conſortio vivere, ſed conſcientia eum ſubinde lancinante, huc illuc divagatum fuiſſe. Accedit, quod ſemper vagus & profugus fuit à Domini facie, & à conſpectu parentum, in quo præſertim conſiſtebat vis comminationis, quam infringere non poterat, etſi alias in palatio regio habitaſſet.

Exercitatio XLV.

Polygamia Lemechi, cujus occaſione agitur de Polygamia in genere, an ſit contra legem naturæ & repugnet primæ inſtitutioni divinæ? Qua ratione excuſari poſſit Patriarcharum Polygamia? An peccaverint? vel cum iis diſpenſatum ſit? Ius naturæ variis modis dicitur. Ad permiſſionem vel diſpenſationem circa Polygamiam quæ rationes inducant. Permiſſio ſolum Dei populum ſpectavit, non alios. Chriſtus omnem exceptionem ſuſtulit. Refelluntur qui Polygamiam ſub Chriſtianiſmo licitam volunt.

INter poſteros Caini ſeptimus ab illo nominatur Lemech, in cujus vita nonnulla notantur ſingularia & nova, quæ præteriri non debent ſine accurata conſideratione. Verſ. 19. dicitur de illo, *& accepit ſibi Lemech duas uxores*, &c. Ubi videmus id tanquam ſingulare, & nondum à quoquam anteà attentatum, ut duas aut plures ſimul haberet uxores. Sic enim intelligimus Polygamiam, quam alii

alii ſimultaneam appellant, ut à Polygamia diſtinguant, qua ſucceſſivè aliquis plures uxores ſibi conjungit, ita ut tamen unicam habeat viventem. Quæ Polygamia dici non debet, nec aliquid habet cum ea commune quæ Lemecho tribuitur. Adverſus quam id maximi præjudicii loco eſt, quod eam primus uſurpaverit, unus ex fratricidæ Caini poſteris, cum nullus antea, etiam Cainitarum, id ſibi conceſſiſſet.

Nihilominus, & jam olim, & hoc noſtro tempore, variè agitata fuit quæſtio de Polygamia, aliis aliud aſſerentibus vel negantibus; & unoquoque ſuæ ſententiæ argumenta proferente, quæ propter exempla varia, & rationes aliquando ſpecioſas, minus cautis negotium faceſſere poſſent. Nos quam paucis fieri poterit quæſtionem illam ventilabimus, & quid ex veritate ſentiendum ſit, Scriptura duce, explicare conabimur.

Singulares quaſdam nonnullorum opiniones in medio relinquemus, nec privatas aliquot Lutheri ſententias, quæ à Pontificiis citari ſolent, ut eum Polygamiæ approbatorem faciant ſub incudem revocare conabimur. Etſi enim non dubitemus eos per calumniam conſequentiis odioſis invidiam ipſi conciliare, fatemur tamen nonnulla ab eo in eo genere ſcripta fuiſſe, quæ planè excuſari non poſſunt & ex toto, niſi quatenus initio, nondum ſatis re conſiderata, incautius locutus eſt; & dum problematicè diſputat, in ſequiorem partem nimis viſus eſt inclinare. Sed hæc & talia in ipſo, ſic etiam eodem monente, Præfat. in edit. operum ſuorum, *legimus cum maxima commiſeratione, & recordamur illum aliquando fuiſſe Monachum, & Papiſtam inſaniſſimum.* Quicquid autem ex eo Pontificii afferre poſſunt, vix æquivalet propoſitioni Cajetani Cardinalis, Comment. in N. T. fol. 196. *Iure divino non eſt prohibita uxorum pluralitas. Multi in primitiva Eccleſia habebant duas uxores, imitantes Patres V. Teſt. Iure naturæ pluralitas uxorum non eſt prohibita.* Idem de *jure naturæ* ſcripſit Durandus in 4. ſentent. diſtinct. 33. q. 1. & Aleph. Toſtatus Abulenſis in Matth. cap. 19. q. 30. Quorum opiniones ſi præſtare nolint Pontificii, neque nos Lutheri dicta omnia incommoda, præſertim cum alibi commodius ſe explicet. Nam ad cap. 16. Geneſ. quicquid ſit de Polygamia ſub V.T. non negat ſub Novo Teſtam. Polygamiam verbis Chriſti fuiſſe ſublatam Matth. 19. *In principio non erat ſic.*

Nos cum iis ſentimus qui judicant Polygamiam ſimultaneam ſemper fuiſſe illicitam, utpote juri divino & naturali contrariam, & contra jura illa peccaſſe Lemechum primum Polygamum, aſſerere non dubitamus. Primum inquam Polygamum, nam etſi non omnia Moſes recitaverit quæ acciderunt in familiis primorum hominum, ut manifeſtum eſt eum non meminiſſe multorum liberorum quos tum ſuſceperunt; clarum eſt tamen nullam fuiſſe cauſſam cur Polygamiæ Lemechi peculiarem mentionem faceret, niſi id tanquam extraordinarium accidiſſet, & fuiſſet prima naturæ legis in hoc caſu violatio. Neque eum juſtificat quod induſtrii fuerunt ejus filii & artium utiliſſimarum inventores. Sæpè enim accidit ut in talibus quæ ad vitam hanc terrenam pertinent Deus impiorum poſteritati hoc indulgeat, quibus privilegium filiorum Dei denegatur. Ideò notant hiſtoriæ, ſæpiſſimè eveniſſe in nothis, ut ſupra alios in talibus eminerent, quibus aliquando datur, ut arte & induſtria, natalium defectum corrigant. Cujus rei exemplum in Jephte, Hiſtoria Sacra nobis exhibet; Prophana in Homero, Themiſtocle, Hercule, Romulo & aliis: Noſtrorum etiam temporum in Eraſmo Roterodamo. Quorum tamen propterea non ſunt laudandi natales, tanquam Deo grati, aut conjunctio ex qua orti ſunt, legitima habenda.

Qui Polygamiam improbant, non omnes pari paſſu ambulant, ſunt qui eam juri naturæ & divino putant contrariam; ac proinde ſemper fuiſſe illicitam. Sunt qui juri naturæ repugnare non cenſent, ſed lege divina poſitiva fuiſſe prohibitam communiter. Sunt qui putant, legem illam poſitivam tantum habere locum ſub N. Teſtamento, quæ Judæos non obligaverit, nec etiam gentiles obliget.

Priorem ſententiam veram eſſe, ſequentibus argumentis adducti, aſſerere non dubitamus. 1. Quia cum Scriptura Geneſ. 1. de ſexu utroque ad conjugium apto loquitur, unius maſculi & unius fœminæ meminit, *Maſculum & fœminam creavit eos*, quod etiam repetitur cap. 5. Atque ita ſignificatur, non unum pluribus, ſed unum uni in matrimonio debuiſſe copulari, quam probationem innuit Chriſtus Matth. 19.

2. Sed quod Geneſeos 2. legimus magis urget, unam coſtam ablatam fuiſſe viro, non plures, eandemque in unam fœminam fuiſſe converſam, non plures, ubi additur de viro, *agglutinabitur uxori ſuæ*, non *uxoribus*, & demum, *erunt duo in carne una*, non *tres* vel *plures*. Quam probationem maximè urget Dominus, Matt. 19. ℣. 5. ubi repetitis verbis præcedentibus, concluſionem elicit, verſ. 6. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Id autem fieri non poſſet, ſi unus multis jungeretur.

3. Addi poteſt quod Levit. 18. ℣. 18. ad verbum legitur, *& uxorem ad ſororem ejus non accipies, ad affligendum eam*, &c. Etſi enim primo intuitu videatur agi de duabus ſororibus unà non accipiendis, tamen ſi phraſis Ebræa benè perpendatur, quod etiam monuit Junius, *uxorem ad ſororem ejus non accipere*, poteſt hoc ſenſu accipi, ut prohibeatur, ne quis mulierem unam cum altera vivente aſſumat. Cujus Phraſis multa profert exempla, ex Geneſ. 26. v. 31. Exod. 26. v. 3. Ezech. 1. v. 9. & 3. v. 13. Joel. 2. v. 8. Quibus in locis fratrum & ſororum nomina, accipiuntur pro aliis qui aliquid ſimul faciunt, etſi nulla ſit inter eos conſanguinitas aut affinitas. Sic apud Ezechielem, ubi agitur de alis animalium, legimus, *junctæ fœmina ad ſororem ſuam*, ubi vulgata rectè phraſim exprimit, *junctæque erant pennæ eorum*

rum, alterius ad alterum. אשה אל אחותה *Iſcha el achothah:* quæ ſunt eadem verba. Ergo poſſumus hoc loco interpretari, *non accipies unam ad alteram*, id eſt duas uxores non habebis ſimul, *ad revelandum nuditatem ejus ſuper eam, in vita ejus.*

4. Huc etiam referunt quidam quod dicitur, Deuter. 17. v. 17. de ipſo Rege, *Neque multiplicato ſibi uxores, ut non recedat animus ejus à me.* Nam ſi regi fuit prohibita uxorum multiplicatio; nulla ratio videtur eſſe cur aliis fuerit permiſſa. Et certè argumentum eſſet efficax, *ſi multiplicare uxores*, abſolutè intelligeretur, non comparatè, pro ea multiplicatione quæ multum excederet, & oneri eſſet regi & regno. Ratio tamen quæ additur eſt magni momenti, quia periculum eſt, ne multis uxoribus illigatus, animum ad multa intentum, à Deo avertat, ſed quæ ratio moralis eſt, nec propriè contra matrimonii finem. Quæ ibidem præcedunt & ſequuntur, faciunt ut cum iis ſentiam qui non putant Polygamiam abſolutè ibi prohibitam fuiſſe regibus, ſed effrænem illam libidinem coërcitam, qua plerique reges Orientalium populorum, trecentas, quadringentas & plures etiam ut plurimum, vel uxores vel concubinas ſibi deligebant. Quem ſenſum confirmat, prohibitio ibidem facta multiplicandi equos, aurum & argentum, &c. Ubi non certus & definitus numerus, vel etiam unitas, injungitur, ſed exceſſus in numerò prohibetur. Præſertim alienigenas mulieres videtur ſpectare, & quæ providebat Deus eventura condemnare. Contigit enim ſapientiſſ. Salomoni, ut in gratiam exoticarum quas deperibat mulierum, 1. Reg. 11. ℣. 1. Idolis Aſtaroth, Camos & Milcom columnas & altaria ædificaret. Rabbini Judæorum octodecim uxores Regibus fuiſſe conceſſas communiter ſentiunt, ſed iis argumentis innixi, quæ nullo probabili fundamento ſuperſtruuntur. Citat Rabb. Schel. Jarchi ex 2. Sam. 5. ℣. 13. quod David habuerit ſex uxores; & tamen, 2. Sam. 12. ℣. 8. illi dicitur, *ſi parum eſt, addam tibi ſicut illæ, ſicut illæ*; hoc eſt, inquit, totidem alias. Sed id ridiculum eſt, quia ſimilia illa non ad uxores referuntur, ſed ad alia multa de quibus immediatè dixerat, ad domum Saulis, regnum, &c. Ideò alii Rabbini numerum illum dicunt ſe habere *ex orali auditione*. Sed hæc omnia incerta ſunt. Quicquid ſit de numero, non exiſtimamus ex hoc loco poſſe certo probari Polygamiam expreſſe & abſolute, tum regibus fuiſſe prohibitam.

Sed præter autoritates anteà adductas quæ ſufficiunt, ut oſtendatur ab ipſo initio fuiſſe illicitam Polygamiam; adduntur rationes efficaciſſimæ. Prima deducitur ex paritate juris matrimonialis inter virum & uxorem. Nam etſi impares ſint in multis, id tamen inter conjugatos eſt commune, ut corpus uxoris ſit in poteſtate viri, & corpus viri in poteſtate uxoris. Quemadmodum igitur viro fieret injuria, ſi alteri uxor poteſtatem ſui corporis traderet, ſic injuria fit uxori, ſi plena in corpus mariti ei auferatur poteſtas. Hujus doctrinæ fundamentum habetur, 1. Corinth. 7. verſ. 4.

2. Non debet in familiis benè ordinatis illud locum habere, ex quo diſcordiæ & rixæ neceſſariò oriri debent. Talis eſt Polygamia, ergo. Aſſumptio probatur, quia variæ cauſſæ interveniunt, quibus diſcordiarum materia & fomentum præbetur. Amor conjugis zelotypus, liberorum prælatio, inæqualitas favoris in quo vix æqualitas ſervari poteſt, & alia innumera, quæ ſatis unicuique in mentem venire poſſunt.

3. Si Polygamia licita fuiſſet, & ad propagationem ſpeciei utilis, nullo unquam tempore potius fuiſſet permittenda quam initio mundi, quo maximè fuit procuranda hominum multiplicatio. At neque id Deus permiſit, neque providit ut id ab Adamo fieri poſſet, unde ſatis ſequitur rem Deo non fuiſſe viſam naturæ hominum conſentaneam.

Hæc & talia argumenta proferuntur, ut probetur Polygamiam juri naturæ repugnare, proinde ab initio fuiſſe illicitam, & contra fines matrimonii. Cui ſententiæ, etſi, hoc tempore, penè communi inter eos qui ſe Chriſtianos profitentur, non parum affert difficultatis Sanctorum Patriarcharum & aliorum juſtorum exemplum, de quibus durum videtur aſſerere, eos legem divinam & naturalem tam manifeſtiſſimo crimine violaſſe, atque in facto culpabili, ad extremum uſque permanſiſſe. Id cum Fauſtus Manichæus olim objiceret, & eo etiam nomine non ſolum in Patriarchas & in viros Sanctos, ſed in ipſum autorem Veteris Teſtamenti injurius eſſet, Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 47. reſpondet tunc non fuiſſe crimen quando mos erat, & nunc propterea crimen eſſe, quia mos non eſt. Diſtinguit ibidem inter peccata, quorum alia dicit eſſe contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Negat Polygamiam veterum fuiſſe contra naturam, quia non laſciviendi ſed gignendi cauſſa pluribus utebantur mulieribus. Si morem ſpectemus, contra morem fuiſſe negat, quia illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum ſpectemus, negat fuiſſe legem qua id præciperetur. Crimen autem nunc eſſe, quia moribus & legibus non licet. Hæc ſi ita ſe haberent, compendiaria & facilis eſſet reſpondendi via; ſed jam diximus, legem aut jus naturæ id improbare, & Deum ab initio aliter ſtatuiſſe.

Ambroſius lib. de Abraham Patriarcha cap. 4. fatetur 1. Polygamiam fuiſſe adulterium, ſed dicit adulterium non fuiſſe tum lege prohibitum. Quod niſi intelligat de ſcripta non nata lege, non poteſt excuſari. Tandem dicit ejus facti Abrahamum egiſſe pœnitentiam à Deo injunctam, unde conſtat ipſo judice fuiſſe peccatum, ſed illud excuſat, quia id fecit ad ſignificandum aliquid futurum. Et certè fatendum eſt, cùm id Apoſtolus ita explicet Saræ & Agaræ typis aliquid fuiſſe ſignificatum; ſed an id Abrahamo fuerit cognitum, &

ea

ea intentione Agaræ ſe conjunxerit, dubitari poteſt. Imò contrarium verum eſt, quia uterque tam Abraham quam Sara eò devenerunt, quum non amplius ſperarent prolem ex mutuo contubernio, idcirco ſemen aliunde quæſierunt.

Ex noſtris ſunt, qui non eo animo quo Manichæi, ut Deo maledicerent, ſed ut ejus miſericordiam prædicarent, exiſtimarunt hos fuiſſe in Patriarcharum converſatione nævos, nec planè eſſe excuſandos à peccato, etſi non legatur propterea à Deo fuiſſe reprehenſos. Ut non legimus fuiſſe reprehenſum Jacobi cum duabus ſororibus conjugium, nec inceſtum filiarum Lothi cum Patre, quæ tamen non potuerunt, nec poſſunt à culpa liberari, quia Patres illi non erant deſtituti lege naturæ, quantumvis corruptæ, à qua conſcientiam eorum oportuit redargui. Neque tamen propterea qui ſic ſenſerunt, inter impuros ſcortatores & adulteros Patres illos numerarunt: quia (ut etiam cum Auguſtino notant) tollendæ potius prolis, quam explendæ libidinis gratia, Polygamos fuiſſe pleroſque ſatis conſtat, etiamſi aliquid humanæ infirmitatis paſſi ſint, ut patet in Jacobi Rachelem præ Læa diligentis, & in Davidis hiſtoria. Addunt etiam & agnoſcunt, judicii potius errore quam aperta improbitate peccaſſe, exempla & tot in oculis habuiſſe, ut eorum multitudo id effecerit, quod peccatum quandam rei indifferentis ſpeciem induerit. Itaque Deum tam in primis populi Iſraëlitici autoribus, quam poſteà ſub ejuſdem populi politia, ad eorum Polygamiam velut connivere voluiſſe, &c.

Ad id autem quod objicitur tanquam in ea re præcipuum, quid ſentiendum ſit de illis Patribus factum fuiſſe, quos in Polygamia perſeveraſſe, nec tamen pœnituiſſe legimus, reſpondet venerabilis Beza, quod perſeverarint, nec fortè eos pœnituerit, idcirco factum eſſe, quod ſuum hoc peccatum non ſatis intelligerent; non ſequi tamen illud eorum factum venia non indiguiſſe. Ad inſtantiam vero, quod peccatum non remittitur ſine pœnitentia, regerit non neceſſe eſſe nos ſingulorum peccatorum expreſſè pœnitere, quia multa ſunt quæ non rectè fiunt, quæ tamen ſceleratè non agimus, ſed non ſatis erudita conſcientia; multa etiam quorum obliviſcimur. Ad talia autem ſuffeciſſe quod boni illi Patres ſeſe in omnibus vitæ ſuæ partibus miſerrimos eſſe peccatores, etiam atque etiam agnoverint, nec dubium eſſe quin talis pœnitentia & fides in venturum Chriſtum eos ſervaverit.

Petrus Martyr, ſcribens in 2 Sam. cap. 25. ℣. 48. poſtquàm multis rationibus ab utraque parte adductis, tandem poſtremis ſe moveri dixiſſet, ut putaret ſimpliciter non licere Polygamiam; dum perpendit qua ratione Patres poſſint excuſari, qui fuerunt Polygami, duobus modis id fieri poſſe dicit, 1. illo quem nuper ex Beza attulimus, 2. ſi dicamus Deum pro conditione illorum temporum, remiſiſſe ipſis legem quam tulerat ab initio. Utrumque modum probabilem cenſet, ſed hunc ſecundum præfert, & rationem hanc addit, *video enim Deum omnino voluiſſe augeri populum ſuum; Deinde, etſi non dubito Patres illos non caruiſſe peccatis, tamen ubi commodè defendi poſſunt, nolim eos nimium aggravare*. Ejus veſtigia ſecutus Hieron. Zanchius de oper. creat. lib. 4. cap. 1. *Licet* (inquit) *Patres Veteris Teſtamenti fortè non peccaverint, cum multas ducerent uxores, nobis tamen certò non licere, ſine graviſſima Dei injuria, & manifeſta mandati Chriſti transgreſſione, patrum exempla in hac re imitari.*

Sentiunt ergo viri illi doctiſſimi, Patriarchas non peccaſſe in talibus nuptiis contrahendis; non quod initio lex poſita non fuerit, ut unus tantum maſculus & fœmina in uno conjugio ſociarentur, ſed quia Deus ſemen Abrahami multiplicari voluit, ideò circa legem illam diſpenſaſſe, & ab ejus obligatione cum Patriarchas, tum Iſraëlitas abſolviſſe, licentia illis facta multas ſimul uxores in matrimonium adſciſcendi, etſi neque tempus quo diſpenſatio facta fuerit, neque formam, & modum quo innotuerit aſſignare nobis poſſint.

Certè ſi, quod nonnulli volunt, Polygamia tantùm fuit prohibita lege poſitiva, etiam divina, non autem, ſit adverſus naturæ legem omnibus inſitam, &, per ſe, contra honeſtatem, minor erit difficultas, imo nulla tunc enim, ſi dicamus Deum diſpenſaſſe, ſequetur in ea re nullum fuiſſe peccatum: potuiſſe autem diſpenſare ſine diſpendio juſtitiæ & honeſtatis, quia nihil eſſet adverſus naturæ dictamen in tali facto. Sed ſi ſupponamus Polygamiam eſſe contra jus naturæ, difficultas oritur non minima, quomodo Deus voluerit concedere ut Sancti illi viri, naturæ jus impunè violarent. Huic malo remedium conantur afferre Scholaſtici, qui lege naturæ prohibitam fuiſſe Polygamiam aſſerunt, jus itaque naturæ hoc modo diſtinguunt, duo eſſe præceptorum genera ad jus naturæ pertinentia. Quædam tanquam principia juris naturæ, alia quæ ex principiis tanquam concluſiones deducuntur. Priora illa continere univerſaliter regulam rectitudinis, ita ut nullus occurrere caſus poſſit quo ea mutari conveniat. Ideoque ut mutari non poſſunt, nec in his poteſt diſpenſatio locum habere. Tales ſunt leges de diligendo Deo, de non mentiendo, non concupiſcendo, & alia decalogi præcepta. Poſteriora autem ita continere regulam rectitudinis, ut tamen aliquando mutatis rerum & perſonarum circumſtantiis, ipſa quoque mutari conveniat, idque ejus tantùm autoritate à quo olim proceſſerunt. Hæc igitur mutari poſſe & de iis diſpenſari. Talem eſſe legem dicunt de non occidendo inſonte, contra quam Deum diſpenſaſſe putant, quando juſſit Abrahamum ut filium immolaret. Sic etiam diſpenſatum fuiſſe initio cum primis hominibus ut ſorores ducerent uxores. Talem eſſe legem de Polygamia ſimultanea, quam diſpenſationem admittere poſſe dicunt, quia Polygamia non repugnat primario fini matrimonii

trimonii qui eſt liberorum procreatio, ſed ſecundario tantùm, quem aliquando negligere expedit, ut certiùs & uberius obtineatur primarius. Deum igitur in paritate juris conjugalis diſpenſaſſe, minuendo jus uxoris & ampliando jus mariti, propter ampliorem ſobolis propagationem.

Sunt qui diſtinctionem illam intellectu difficilem judicant, 1. quia ab autoribus nulla exempla aſſignantur, quibus ſecundarium illud naturæ jus in quo Deus diſpenſare poteſt, explicetur, extra rem controverſam. 2. Quia ſi illæ concluſiones neceſſariò deducuntur ex illis primis principiis, tunc in iis diſpenſari non poteſt, ita ut deſinant obligare niſi diſpenſetur in principiis, ſicut in neceſſaria conſequentia, etſi antecedens poſſit eſſe falſum vera exiſtente concluſione, impoſſibile eſt tamen hanc everti, niſi illud evertatur. Quod ſi non ſit neceſſaria conſequentia, ſed tantum per aliquam convenientiam, tunc obligabunt tantùm ex quadam decentia, non neceſſariò, niſi accedente præcepto ſuperioris. Qua ratione ferè omnes actus poſitivis legibus prohibiti ſunt contra jus naturæ, docentis prohibendos illos eſſe ob periculum mali quod ex his provenire poſſet. Aliter itaque jus naturæ diſtinguunt. 1. quod ſecundum ſe intrinſecè, ut eſt actus quidam Phyſicus talis ſpeciei, eam includit malitiam inſeparabiliter quæ juri naturæ repugnat, quale eſt odium Dei, libido contra naturam, & ſimilia; qualia Deus licita facere non poteſt, niſi mutando rerum eſſentias, quod fieri nequit. 2. id dicitur ad jus naturale pertinere, quod intrinſecè, & ſecundum naturalem ſpeciem, non ita juri naturæ repugnat, quin in ſe licitè fieri poſſit; ſed in eo repugnans eſt juri naturæ, quod adjunctum aliquod habet eidem juri repugnans. Id adjunctum ſi poſſit tolli, tum rem illam liberam manere cenſent. Exemplum afferunt, in furto, quod Phyſicè nihil aliud eſt quam uſurpatio rei alienæ; moralis autem malitia quæ contra naturam eſt, cum ſit invito domino; qui ſi alteri det veniam eam rem ſibi uſurpandi, manebit actio eadem cum actione furis, ſi eam phyſicè conſideremus; nec tamen erit illicita, quia nulla fit proximo injuria. Sic copula unius & ejuſdem viri cum aliqua muliere, ante nuptias, eſt contra jus naturæ; quia eſt acceſſus ad non ſuam, poſt nuptias, manente actione ejuſdem ſpeciei, licita erit. 3. Illud dicitur eſſe contra jus naturæ, cui communiter aliquod periculum peccandi contra jus naturæ conjungitur, quod ſi abſit, tum ceſſat malitia. Exempli gratia, ſi aliquis vir honeſtus lupanar ingrediatur, & cum ſcortis ibi confabuletur, ſi periculum ſit ne corrumpatur, vel obſit aliis ſcandalo, peccat contra jus naturæ. Sed ſi ceſſante ratione ſcandali, & periculi proprii, id faciat alias ob cauſſas, bonas & juſtas, tum ſeparatur id quod erat contra jus naturæ, ab actione quæ licita fiet.

His ita conſtitutis, notant, corporum noſtrorum dominium eſſe Dei, penes nos autem tantùm eſſe uſumfructum, atque ita non poſſe iis aliter uti, vel aliis utendi poteſtatem concedere quam prout Deus conceſſerit, qui poteſt omnem uſum concedere non repugnantem intrinſecè & inſeparabiliter juri naturæ. Hinc inferunt, Deum poſſe jure ſuo concedere, ut vel nos ipſos, vel aliquem alium innocentem occidamus, ſine peccato: quemadmodum Abraham filium ſuum occidiſſet, niſi fuiſſet ab Angelo impeditus. Huc referunt quod Sampſon, ſine peccato, ſe ipſum cum aliis, ſub ædium ruina quam fecerat, obruit; ex ſpeciali divino inſtinctu. Ex quibus putant dubium illud ſolvi poſſe, quomodo etſi communiter verum ſit illud Theologorum axioma, Deum nunquam poſſe in jure naturæ diſpenſare, potuerit tamen præcipere Abrahæ ut filium occideret; aut Iſraëlitis ut Ægyptios ſpoliarent, quia vitæ bonorumque noſtrorum ſupremus eſt Dominus, qui poteſt etiam nobis invitis, vel per ſe vel per alios, prout libuerit, & vitam & bona auferre, & cuivis quam ipſe voluerit, in ea concedere poteſtatem.

Hoc poſito fundamento, negant Polygamiam contra jus naturæ pugnare primo modo, quia alioqui Deus non potuiſſet eam concedere, quia tale jus naturæ mutare non poteſt. Pugnare autem ſecundo modo, quia eſt uſus quidam rei alienæ invito Domino, proinde invalidè fieri ſi poteſtatem ſui corporis alteri aliquis concedat, quam quatenus, & qua ratione id Deus conceſſit. Cum autem inſtituens matrimonium ab initio, non conceſſerit in hac re, ut aliter poteſtatem corporis noſtri alteri concederemus, quam per vinculum inſolubile unius cum una, ergo invalidè & malè id fit, cum ab aliquo attentatur. Ubi dicunt non opus eſſe, ut id fiat invalidè, poſitiva Dei prohibitione, ſed tantùm non conceſſione; ſicut ut quis invalidè vendat proximi ſui fundum, non opus eſt ut id proximus prohibeat, ſed tantùm ut non concedat. Atque ita non fuiſſe opus diſpenſatione divina propriè dicta, ſed ſimplici conceſſione, ut Polygamia licitè exerceretur. Tertio etiam modo Polygamiam eſſe contra legem naturæ communiter, ratione periculi & ſcandali, non eunt inficias, ideoque à Deo non fuiſſe communiter permiſſam. Sed quia potuit à Deo tolli periculum tam peccati, quam ſcandali, ideò judicant, Deum etiam potuiſſe Polygamiam concedere Patribus & Iſraëlitis, eaque utentes ad multiplicationem populi Dei, fuiſſe planè extra culpam.

Inter duas illas poſteriores ſententias hoc intereſt, quod prima quæ diſpenſationem requirit, ſupponit eſſe prohibitionem tam juris naturæ, quam legis divinæ poſitivæ, quæ ſemper manet in genere, etſi cum quibuſdam Deus diſpenſaverit, per juris aliquam relaxationem. Secunda autem, non judicat neceſſariam eſſe diſpenſationem, ſed tantum conceſſionẽ actus, ab eo qui dum concedit, tollit annexa omnia quæ contra jus naturæ pugnarent, ſive ſecundo modo, ſive tertio, quia Deus poteſt omnia incommoda inde nata ſequi, impedire.

Sunt

Sunt qui relictis tot ambagibus, & neglectis diſtinctionibus, paucis dicunt, πολυγαμίαν intrinſecè & per ſe peccatum non eſſe, ſed tantum ex cauſa extrinſeca, nempè quatenus voce divina prohibetur, quod cum factum non fuerit tempore Patriarcharum, ideò & eos multas uxores ducendo non peccaſſe.

Eò tendunt omnes prædictæ ſententiæ, non ut Polygamiam introducant, vel Patriarchis & alijs pijs viris ſub V. T. dicam adulterij ſcribant, eoſque ex eo gradu in quem à Deo fuerunt evecti, pietatis & fidei nomine commendati, dejiciant. Itaque contra charitatem agere exiſtimo, ſi quis ex utravis contra ſentientium parte, id aut ſimile quid imputet aliter ſentientibus. Nam omnes Patriarchas excuſare volunt; quidam etſi non à toto, tamen à tanto; nec eorum ſalutem in dubium revocant, ſed infirmitatem hominum agnoſcentes, quod non pereant, aſcribunt Dei miſericordiæ. Alij, eos planè liberant à peccato, & modos excogitant, quibus Deus id permittendo non derogavit juri naturali. Quid ſi Deo modum relinquentes, quem controverſum videmus inter eos qui illum definire volunt, ita Patres abſolvamus, & Dei jus, æquitatem, & ſummam poteſtatem agnoſcamus, ut de modo quo id fieri potuit minus ſolliciti, quos videmus in gratia Dei perſeveraſſe, & laudem ab ipſo Spiritu ſancto reportaſſe, in ijs in quibus non reprehenduntur, immunes fuiſſe à peccato cenſeamus: Id etiam quod in judicijs criminalibus fieri ſolet eligentes, ut in mitiorem partem inclinemus? In ea re libertatem aliquam judicandi ac ſentiendi permittendam eſſe cenſemus, quia non agitur de aliquo fidei articulo; proinde quæſtionem illam, de Patrum, ſive plena abſolutione, ſive aliqua excuſatione, ponimus inter eas de quibus in utramque partem diſputari poteſt, ſalva unitate fidei, dummodo ex utraque parte nihil pro fundamento afferatur aut probatione, quod in dogmata fidei neceſſaria impingat. Quod certè non faciunt, qui indecentiam & inconvenientia Polygamiæ agnoſcentes, eam ab initio à Deo non fuiſſe indultam ſentiunt, nec potuiſſe uſurpari niſi ex conceſſione divina, in qua Deus potuit tollere periculum mali; aut qui prohibitam fuiſſe dicunt, lege divina poſitiva, ſed quæ conceſſione aut diſpenſatione fuerit à legiſlatore relaxata. Aut qui in ea re peccatum agnoſcentes, illud elevant, & remedia etiam quibus cenſent non obfuiſſe Patribus, aſſignant. Tribuatur ergò illud quicquid eſt, vel diſpenſationi Dei, vel permiſſioni, vel tolerantiæ, dummodo id firmum ſtet, conjugium ex prima Dei inſtitutione, eſſe vnius maris & unius fœminæ coniunctionem; & hanc inſtitutionem fuiſſe ita à Chriſto revocatam, ut conſtet, vel permiſſionem vel tolerantiam ſub Chriſtianiſmo locum nullum habere.

Dixi me inclinare in ſententiam illam, quæ Patres abſolvit à peccato ratione Polygamiæ. Potuerunt eſſe defectus in modo, aut in executione, ratione perſonarum; potuit à quibuſdam excedi, ſed in ipſa re, vix adduci poſſum ut credam, tot & tales viros, frequenter, & perſeveranter, eam iniviſſe vivendi rationem quæ Deo diſpliceret, & benedictionem prolis quæſiviſſe in conjugio, quod abſolutè juris naturalis & divini regulas perverteret. Rationes quibus adducor ut in ea re hæream, nec facilè contra eos pronunciem, has aſſigno.

1. Aut lex fuit nota qua Polygamia fuit à Deo prohibita, aut non fuit. Si fuit, tum Patres illi eam noverunt, & ſic contra propriam conſcientiam peccarunt; quod durum eſt de illis ſentire, aut dicere. Si non fuit, ubi non eſt lex, ibi non eſt peccatum. Si quis dicat fuiſſe talem legem, ſed eos ignoraſſe; ignorantia talis non poſſet eos excuſare, quia ſupina fuiſſet, nec conveniret cum illa Dei familiaritate qua fruebantur, & qua ſæpè in rebus minoris momenti revocabantur. Nec probabile eſt, ſi res Deo diſplicuiſſet, & ignorantia peccaſſent, Deum ſinere voluiſſe ut tamdiu in ignorantia verſarentur? Id præſertim de Davide vix credi poteſt, qui cum in lege Dei die ac nocte meditaretur, legis illius ſenſum non potuit ignorare.

2. Accedit quod nullus Prophetarum, quos Deus in eum finem miſit, ut populo annunciarent peccata ſua; nullus Sacerdotum, qui tamen conſtituebantur à Deo, ut pro populi peccatis offerrent; unquam meminerint Polygamiæ tanquam ſtatus à Deo prohibiti huic populo; cum tamen ſæpè alia peccata taxarent, eaque nominatim quibus ſanctum conjugium polluebatur. quod certè magno præjudicio eſt, tunc temporis Polygamiam apud populum illum non habitam fuiſſe à Prophetis illicitam, qui vix alioqui poſſent à negligentiæ culpa liberari, in tanta ſic peccantium, ſi peccatum fuiſſet, multitudine & frequentia.

3. Ubi nulla eſt diſplicentia, ibi remiſſioni peccati locus non eſt. Talem autem ſtatum patribus illis non diſplicuiſſe certum eſt; Itaque vix cogitari poteſt, quomodo veniam potuerint impetrare. Fateor equidem multa eſſe peccata quæ nos latent, & de quibus diſplicentia in genere, & ut ita dicam, *interpretativè*, ſufficit, ut ſupra à nobis ex ven. Beza expoſitum fuit. Sed id intelligi debet de peccatorum circumſtantiis, quæ nos facilè fugiunt, aut de illis quæ ſubrepunt, quorum non tam ratio nos fugit aut natura, quam factum ipſum: alioquin enim ſi de facto nobis conſtet, aut meminerimus, novimus etiam eſſe ſuâ naturâ peccata. At in Polygamia neque potuit eſſe *ſubreptio*, in multorum annorum continuatione, neque *ignoratio facti*, in re tam aperta, neque *oblivio* in ordinario vitæ genere. Proinde, ſi ponatur Polygamiam in ipſis fuiſſe peccatum, vix locum habebit talis excuſatio.

Si quis dicat illos quidem factum non ignoraſſe, ſed in ea opinione fuiſſe, rem non eſſe à Deo prohibitam, aut non cogitaſſe, quia illud videbant in more poſitum. Reſpōſio recurrit eadem quę anteà de ignorantia, cui prętereà hoc addimus, opinionem erroneam non abſolve-

re à peccato,ut nec morem gentis ac nationis. Si quis in ea regione educatus in qua ebrietas frequens eſt, & tantùm non pro vitio non habetur,ut etiam inter ea quę ad converſationem ciuilem faciunt reputetur, quod nimis proclive eſt pleriſque in locis, an propterea à peccato abſolvetur apud rectè iudicantes? Non exiſtimo. Hæc & ſimilia inducunt me,ut exiſtimem ſanctos viros Polygamos & Iſraëlitas qui morem illum ſequuti ſunt, non fuiſſe adſtrictos præcisè legi matrimoniali quæ ad duorum in carne una coniunctionem reſtringitur, proinde in eo nō peccaſſe, niſi aliquid addiderint per exceſſum, aut alia ratione ex qua aliqui eorum culpari potuerint.

Quid igitur, dicemus ne cum Patribus pleriſque, Deum ſpecialiter Polygamiam patribus permiſiſſe? Si *permiſſio* ſumatur pro ſimplici *tolerantia*, non excuſat eos à peccato, quia Deus etiam maximos peccatores tolerat: Si verò intelligamus nomine *permiſſionis*, licentiam facti, qua Deus liberat homines ab obligatione legis alicuius, tunc peccati ratio tollitur. Talem igitur permiſſionem interveniſſe cenſemus, quæ notaverit carentiam obligationis, & fuerit licentia faciendi utrumlibet, ſeu multas uxores ducendi, ſeu unicam ſibi conjungendi.

Deum igitur dicimus, in prima quidem conjugij inſtitutione ſanciviſſe quid communiter conveniens eſſet, & in perpetuum ab omnibus ſervari vellet, & quaſi regulam generalem propoſuiſſe, cui exceptionem aliquam dare non fuerit in hominis poteſtate. Peccaſſe itaq; Lemechum id attentando, non accepta à Deo licentia, ſed ſua ductum libidine. At, quia Abrahami ſemen multiplicari volebat Deus, Deum circa legem illam exceptione uſum fuiſſe probabile cenſemus, & à communis legis obligatione Iſraëlitas abſolviſſe, licentiamque conceſſiſſe plures uxores ducendi, quod cum facerent, non peccabant, ſublata à Deo legis obligatione quantum quidem eos ſpectabat. Quod niſi concedatur, vix poteſt excogitari valida ratio, qua poſſint Patres excuſari à grauiſſimo peccato, & perſeverantia in illud.

Sunt qui ut probent non ſolum permiſſionem illam, ſed aliquando neceſſitatem & mandatum Polygamiæ, producunt legem illam quæ habetur Deut. 25. ỳ. 5. *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſq; liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.* Ex quo ſic argumentantur, Quod Deus fieri vult & præcipit, peccatum intrinſecè non eſt, ſed tantùm ratione prohibitionis poſitivæ. At Deus Polygamiam voluit & præcepit. Ergo Polygamia, ſublata ratione & obligatione legis poſitivæ, quod fit per permiſſionem vel mandatum, peccatum non eſt. Argumentum valeret, ſi oſtendi poſſet, non aliter potuiſſe ſuſcitari ſemen defuncti, quam per eum qui iam alteri uxori eſſet alligatus. Sed ut benè notavit Beza, loquitur lex de fratribus una habitantibus, id eſt qui nondum diſtinctas habent familias, & videtur intelligi debere ſuſcitatio ſeminis facienda, ab eo qui nondum ſibi uxorem aſſumpſerat. Quod enim objicitur de Booz, qui duxit Ruth, uxorem relictam ab Abimelecho cognato ſuo, non evincit quod volunt, quia etſi ibi dicatur Booz habuiſſe filias, proinde fuiſſe aliquando conjugatum, tamen viduus tunc eſſe potuit. Ad id ergo probandum, Deum aliquando in ea lege indulſiſſe, non opus eſſe cenſemus alio argumento, quam facto Sanctorum, benedictione divina, ſilentio Prophetarum, & ſimilibus rationibus quas adduximus.

Ex quibus etiam id ſatis perſpicuum eſt, permiſſionem illam ſive diſpenſationem non fuiſſe omnibus populis communem ante Chriſtum, quod nonnulli voluerunt. Proinde Polygamiam, quæ Patriarchis licita fuit, apud Ethnicos fuiſſe peccatum, quos etiam in ea re, Deus *ſivit ſuis ipſorum vijs incedere.* Act. 14. ỳ. 16. Præterea, non ſequi Chriſtum tanquam novum legiſlatorem Polygamiam prohibuiſſe aut condemnaſſe deinceps, quia legem non ſancivit novam, ſed veterem revocavit, exceptione ſublata, poſtquàm populus Dei non amplius multiplicari debuit carnali propagatione.

Quæ hactenus dicta ſunt, quocunque modo accipiantur, ſatis elidunt vim objectionis Ochini, & eorum Anabaptiſtarum qui, patrum memoria, licentiam illam, ſeu potiùs effrænatam libidinem ſibi indulſerunt, tot uxores ſibi conjungendi, quot libitum eſſet, & Mahumetanorum morem inter Chriſtianos invehere conati ſunt. Quod, inquiebant, exemplo ſanctiſſimorum Patriarcharum quadrat, nec fuit in illis peccatum inſtitutioni conjugij repugnans, illud idem ſub novo Teſt. Chriſtianis licitum & conceſſum eſt. Talis eſt autem Polygamia ſimultanea: Ergo Chriſtianis licita. Nam major multis modis falſa eſt. 1. quia non omnes actiones Patrum, etiam inculpabiles, in exemplum trahi debent: multa enim ſunt quæ ad imitandum non fuerunt propoſita, ſed ob alios fines memorata. 2. Falſum eſt, qui hoc tempore Polygamiam uſurparent, eos imitaturos eſſe exemplum Patriarcharum, quia ad imitationem exempli, non ſufficit ſimilis actio externa, ſed requiritur idem jus, eadem ratio, ijdem fines. Quæ omnia hoc tempore ceſſant; idem jus, quia nulla eſt permiſſio, ſed potius prohibitio: eadem ratio, quia non multiplicatur populus hoc tempore Dei in una natione vel ſtirpe; non ijdem fines, quia tali non opus eſt multiplicatione, ut alicui promiſſæ terræ, cujus incolæ exterminari debeant, novę colonię parentur, ad Rempub. conſtituendam, & cultum divinum inſtituendum.

Sed id præcipui momenti eſt apud Chriſtianos, quod primævam inſtitutionem Matt. 19. & Marc. 10. de temerarijs divortijs apud Judæos uſitatis interrogatus Chriſtus, revocavit nos ad primā matrimonij inſtitutionem. *Ab initio*, inquit, *non fuit ſic.* Ubi non ſancit novam aliquam legem, ſed ex propria ſede & verbis inſtitutionis, ſapientiſſimè infert, conjugium eſſe unius viri cum una fœmina individuam conjunctionem. Itaq;, quicquid ſit ſive

ſive de *diſpenſatione*, ſive de *permiſſione*, ſive de *tolerantia* Dei, ratione Polygamiæ in V.T. uſitata, apparet nihilominus, ex tam clara primę inſtitutionis repetitione, polygamiam à Chriſto ex Dei verbo fuiſſe rejectam.

Nec eſt quod quempiam moveat adverſariorum exceptio, Quæſtionem Chriſto propoſitam fuiſſe non de Polygamia, ſed de repudijs, reſponſum itaque Chriſti non Polygamiam, ſed divortia excludere. Non enim advertunt ex uno & eodem principio poſſe varias conſequentias erui: nec tantùm reſpiciendum eſſe cui materię id applicuerit Chriſtus, ſed quibus etiam pari jure applicari poſſit. Vis argumenti Chriſti in eo conſiſtit, quod per inſtitutionem divinam, duo tantùm, non plures, in unam carnem conjunguntur: Unde infert eum qui vivente priori uxore quam deſeruit, alteram ſibi jungit, peccare contra illam inſtitutionem, quia jam amplius non ſunt duo una caro, ſed plures. Quis non videt eandem eſſe rationem, imò fortius etiam adſtringere in Polygamia?

2. Itaque, quotieſcunque Dominus, vel poſt eum, Apoſtoli, conjugij aut conjugatorum mentionem faciunt, nunquam plures numerant, quam virum unum & fœminam unam, ut patet inductione locorum omnium in quibus mentio fit matrimonij, niſi quis objiciat Epheſ.5.℣.22. & Coloſſ.3. ℣.18. in plurali dici, *mulieres ſuis viris ſubditas eſſe debere*. Sed vix eſt qui ſit adeò rudis, qui facilè non videat, verba accipienda eſſe per diſtributionem, ut quælibet uxor proprio ſuo marito ſubjiciatur, quomodo exponitur, 1.Corinth.7. ℣.2.

3. Sed urget maximè ſententia Chriſti, Matth.5.℣.32. *Omnis qui dimiſerit uxorem excepta fornicationis cauſſa facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit mœchatur*, conjuncta conſimili, ex Matth.19.℣.9. *Dico vobis quia quicumque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Et Marc.10. Quicunque dimiſerit uxorem & aliam duxerit, mœchatur ἐπ᾽ αὐτὴν *ſuper ea*, aut ut quidam volunt, *adverſus eam*. Ex his locis argumentum nectitur inſolubile. Si vir dimiſſa priori uxore, aliam ducens mœchatur, multo magis ſi priori retenta aliam duxerit. Prius eſt verum, ergo & poſterius. Hinc autem ſequitur poſteriorem fœminam, quam priori ſive dimiſſæ, ſive retentæ ſuperduxit, non poſſe, dum prior illa vixerit, eſſe ejuſdem viri uxorem, cum adulterium cum uxore non committatur. Hîc certè, vt benè notavit vener. Beza, locum habere non poteſt Ochini exceptio, quæ fœminam tantùm reſpicit, cui vir occaſionem mœchandi præbet eam dimittendo; quia de viro nubente poſt divortium tale, addit eum mœchari. Rectè autem rejicit Bellarminus Cajetani effugium, qui verbis illis apud Marcum ἐπ᾽ αὐτὴν, exiſtimat, quandam limitationem & reſtrictionem contineri, quæ ſpectat injuriam factam uxori injuſtè dimiſſæ, cujus ratione adulterium dicitur committere, qui non eſſet adulter, ſi aliam uxorem duceret, retentâ primâ. Imo potius id dici ad αὔξησιν, vt oſtendat magis peccare, qui id committit quod iam de ſe adulterium eſt, addita etiam injuria dimiſſionis iniquæ. Quamvis dici poſſit, & fortaſsè ſimplicius, verba illa eſſe pleonaſtica; quiſquis enim mœchatur, adverſus legitimam uxorem mœchatur: Ideò nec verba illa repetuntur in altero membro, nec illa reliqui Evangeliſtæ expreſſerunt, qui abſolutè pronunciarunt, mœchari qui aliam ſuperducit.

4. Non eſt de nihilo, quod Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ℣.2. ſic loquutus eſt, *Propter fornicationem unuſquiſque* τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, *ſuam uxorem habeat, & unaquaque* τὸν ἴδιον ἄνδρα, *ſuum virum habeat*. Oſtendit enim ſatis evidenter unumquemq; virum una uxore debere eſſe contentum, & unumquemque virum ſuę uxori eſſe proprium. Qui autem multis commiſcetur, nec ſuam uxorem habet, nec ἴδιος eſt alicui uxori, qui pluribus eſt communis. Ideò cum factus eſſet Jacob Polygamus ſuperducta Rachele, hoc ſorori objiciebat Lea, *quod ſibi maritum præripuiſſet*, quem videbat ſe non poſſe ἴδιον vocare, Gen.30. ℣.15. Propterea etiam Dominus dicebat mulieri Samaritanæ, *Quem nunc habes non eſt vir tuus*, quia non erat ipſi juncta maritali vinculo, cum alium virum haberet, aut alios à quibus fuerat dimiſſa. Joan.4. ℣.18.

5. Hûc etiam referri debet, Canon Apoſtolicus de Epiſcopis Eccleſiæ, *Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, unius uxoris maritum*. 1.ad Tim.3.℣.2. Ex quo ſequitur illum non eſſe irreprehenſibilem, qui plures habeat uxores in matrimonio; Polygamos igitur non eſſe irreprehenſibiles. Qui autem non eſt ſine culpa, & crimine non vacat, ob eam rationem, quod plures habeat uxores, convincitur peccare contra conjugii legem. Hoc argumento uti non poſſunt Pontificii, qui id referunt ad bigamiam ſucceſſivam, contra omnem rationem. Talis enim bigamia crimine prorſus vacat, nec ceſſat eſſe maritus unius uxoris, qui unam tantùm habet viventem. Sed ille non eſt unius uxoris maritus, qui plures habet ſimul in familia, vel qui una quam antè habebat dimiſſa, aliam duxit; quod genus hominum à Miniſterio arcere Apoſtolum hoc loco mihi certum eſt, ex collatione conſimilis loci de viduis, in eadem Epiſt. cap.5. ℣.9. *eligatur* γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, quæ fuerit unius viri uxor, i. quæ plures non habuerit ſimul maritos per abuſum divortii, quo modo mulier plures maritos habere potuit, à pluribus repudiata. Si tales erant reprehenſione digni, & rei criminis, multo magis qui uno & eodem tempore, multas uxores alebant domi. Ad hoc, argumentum Polygamiæ defenſores regerunt, Cum Polygamia Epiſcopis & Diaconis prohibeatur, ex eo videri reliquis fuiſſe conceſſam. Reſp. Si dicerent initio naſcentis Chriſtianiſmi, in reliquis fuiſſe toleratam, donec magis eſſent in doctrina pietatis confirmati, aliquid dicerent: ſed inde non ſequitur licitam fuiſſe, quæ reprehenſioni ſubjiciebat eos qui in tali ſtatu manebant. Nec minus abſurda eſt talis conſequentia,

quam

quam ſi quis diceret, quia requirit ibidem Apoſtolus in Eccleſiaſticis viris,ut ſint ſobrii,juſti,ſancti,& continentes, aliis permittere, ut ſint ebrioſi, injuſti, impudici, & prophani. Manet itaq; vis argumenti, invicta propoſitione, Quicquid impedit quominus aliquis ſit ἀνεπίληπτος καὶ ἀνέγκλητος, irreprehenſus, & inculpatus, illud eſt illicitum. Quare cum id jam Polygamia impediat, ſequitur eam eſſe illicitam, & ab ea neceſſariò in Chriſtianiſmo, ut à reliquis ſancti Matrimonii corruptelis eſſe abſtinendum. Et hæc quidem occaſione Polygamiæ Lemechi, de incurrentibus quæſtionibus dicta ſufficiant.

Exercitatio XLVI.

Filiorum Lamechi nomina, induſtria & artes. Cur Deus in talibus impiis etiam benedicat? Fabula Vulcani, à Tubalcaino. Noëmæ cur fiat mentio? Lemechi oratio ad uxores, Fabula de Caino & puero occiſo. Marii Colonienſis calumnia. Paulus Burgenſis laudatur. Exponitur Lemechi Thraſoniſmus. Iacobi Cappelli ſententia. Quid ſepties, & ſeptuagies ſepties. Obiter exponitur locus, Matth. 18. v. 22. Ruperti mira commenta.

Trium filiorum Lemechi, Jabal, Jubal, & Tubalcain, nomina Ebræa ſunt, ut de nomine Caini ante dictum eſt; priora duo videntur eandem habere radicem, & ejuſdem eſſe ſignificationis, eſt autem Jubal, idem quod defluens vel germinans. Item *buccina*, quod nomen quadraret inventori organorum muſicorum. *Tubal cain*, interpretantur *mundanam poſſeſſionem* vel *æmulationem*, aut *confuſionem poſſidentem*. Hi tres dicuntur *Patres* opificiorum cujus fuerunt inventores & promotores, Ebræa phraſi, qua patris nomen in genere tribuitur iis, qui aliquid ex ſe producunt, quod transfertur à generatione carnali, ad productionem ingenii. Ubi tamen notandum eſt, *Patres* non dici earum rerum quas invenerunt; ſed Patres eorum qui poſteà ipſorum imitatione, & ab illis edocti, talia exercuerunt opificia; quo ſenſu Doctores, dicuntur Patres eorum quos docent, & quos etiam generant, ratione alicujus ſcientiæ aut artis. Quemadmodum in Scriptura dicuntur filii Prophetarum, eorum diſcipuli; & in Scholis ἰατρῶν παῖδες, filii medicorum, qui Medicinam didicerunt. Sic viri iſti patres fuerunt habitantium in tentoriis, canentium cythara, & fabrorum ferrariorum. Diximus, cur aliquando accidat homines mundo addictos, & in cæteris prophanos, in iis quæ ad hanc vitam pertinent eſſe induſtrios, quia ad illa magis ſunt attenti. *Filii enim hujus ſeculi in ſuo genere prudentiores ſunt filiis lucis.* Luc. 16. ℣. 8. Id tamen, ratione artium utilium & honeſtarum, referendum eſt etiam ad Dei beneficentiam, qui dona egregia etiam in improbos confert, ut eos magis reddat inexcuſabiles. Videntur Ethnici pleraſque ſuas fabulas, præſertim in Genealogia Deorum ſuorum, ex veſtigiis & reliquiis memoriæ primi illius mundi deſumpſiſſe, pleriſque mutatis, aut etiam additis ſuis deliriis. Quæ poſſent ex collatione (ut etiam à nonnullis factitatum eſt) ob oculos poni. Id tantùm hoc loco notandum mihi videtur, quia ſummam habet præ cæteris probabilitatem. Ex hiſtoria nempè *Tubal caini*, deſumptum fuiſſe, quod de *Vulcano* fabulati ſunt. Nomen convenit, quia ex Tubalcain, levi inflexione Vulcani nomen deductum eſt. Convenit ars & induſtria, quod Tubalcain fuerit pater eorum qui æs & ferrum acuunt. Nam id etiam Vulcano attributum fuit, quod faber fuerit, & arma Diis contra gigantes fabricaverit. Quod artis fabrilis induſtria omnes ſuperaverit, ideò quicquid artificioſè ex metallo unquam fuerat fabricatum, ad eum autorem referre ſolebant.

Sed quæritur, cur Noëmæ fit mentio, ſororis Tubalcaini, cum in aliis deſcribendis genealogiis Moſes, etiam inter Sanctos, vix alicujus fœminæ meminerit? Nomen habet à pulchritudine, & venuſtate, unde etiam poſſet colligi inde ſumpſiſſe Ethnicos quod de Venere dixerunt, ſorore, item & uxore Vulcani. De hac Genebrardus in Chronologia ſcribit, fuiſſe ingenioſiſſimam fœminam, ideòque à Scriptura nominatam præter ejus conſuetudinem, quæ non ſolet in generationibus mulieres commemorare, niſi ſint virtute vel miniſterio ſingulares, lanificii & texturæ fuiſſe inventricem, linum in fila traxiſſe, & pannum texuiſſe. Unde id deſumpſerit non dicit, nec talis eſt, cui ſine probatione fides ſit adhibenda.

Verſ. 23. & 24. recitat Moſes thraſonicam Lemechi orationem in qua duas uxores ſuas compellat; cujus orationis ſcopus, à variis etiam diverſimodè fuit acceptus. Res quidem in ſe non pertinet ad fidem, nec talia ſunt quæ inde eruuntur, de quibus contentioſè ſit agendum, ut ad eorum, qui aliter quam nos verba Lemechi accipiunt, condemnationem proni ſimus, vel eos convitiis excipiamus. Recepta eſt apud pleroſque ex Pontificiis ſententia, contineri his Lemechi verbis narrationem caſus jam à ſe commiſſi, & conſolationem uxorum, viro ſuo, ob cædem patratam malè metuentium. Hieron. Epiſt. 125. ad Damaſum, caſum narrat quem dicit ſe habere ex quodam Ebræo volumine, quem hoc ferè modo Pontificiorum interpretes huic loco accommodant. Lamech cum famulo egreſſus ad venationem, quum famulus inter arbuſta motum obſervaret, feram ſuſpicatus, hero oſtendit; ille ad obſervationem directa ſagitta,

gitta, Cain occidit, tritavum ſuum; ac deinde re cognita, famulum quaſi id ex malitia feciſſet, percuſſit ad livorem, non quidem occidere ſed corripere volens; ſed quod correctio eſſet vehemens nimis & imprudens, ille etiam moritur. Cum ergo intellectis his cædibus, uxores Lemech turbatæ eſſent, viroque malè metuerent, ille pro earum conſolatione, expoſita primùm totius hiſtoriæ ſerie, deinde oſtendit ſibi non facilè à quoquam mali aliquid inferendum. Audite, ait, ſeu nolite nimium metuere, occidi quidem virum Cain, *in*, id eſt per, *vulnus meum*, ſeu à me inflictum, & occidi adoleſcentem in livore, id eſt, quem tantum ad livorem volui percutere, ſed tamen nemo ſe putet impunem, ſi propter hoc me lædat, nam ſi is qui Cain deliberatum fratricidam, deliberatè occidiſſet, *ſepties*, ſeu *graviter*, puniendus fuerit: multo magis punietur qui me occiderit, non deliberatum, ſed imprudentem homicidam. Hæc ſuaviter nugatur Leonardus Marius Profeſſor Colonienſis, qui opinionis illius præjudicio abreptus, in noſtros interpretes bacchatur: *Hæretici* (inquit) *interpretes ita hunc locum pervertunt, ut ex Lamech faciant peſſimum & deliberatum homicidam: dum præteritum* occidi, *vertunt per futurum* occidam, *vel* occidero, *eumque introducunt contemptorem divinæ comminationis, poſitæ ſuprà, adverſus Cain.* Hæc ille.

Paulus ex Judæo factus Chriſtianus, & Burgenſis Epiſcopus, dum perpendit hoc commentum quod à Nic. Lyrano in poſtilla fuerat allatum, axioma notandum ponit, *In hoc loco & ſimilibus, ubi Scriptura prætermittit totalem narrationem facti: illam expoſitionem videri magis literalem, quæ minus præſupponit de facto in litera non expreſſo, eo quod juxta ſententiam Hieronymi, Quæ autoritate Scripturæ non habentur, eadem facilitate condemnantur, qua approbantur.* Ad quam regulam ſi examinentur quæ ex Mario allata ſunt, videbimus non eſſe Scripturæ interpretationem, ſed fabulam extra Scripturam excogitatam, ad quam verba Scripturæ obtorto collo trahuntur. Multo enim plura ſupponuntur, quam in litera ſcripta reperiuntur. 1. Lamechum fuiſſe venatorem, de quo in Scriptura ne verbum quidem apparet. 2. Egreſſum fuiſſe ad venationem. 3. habuiſſe famulum, qui obſervaret motum inter arbuſta, 4. oſtendiſſe locum hero ſuo, & feram indicaſſe. 5. Lamechum habuiſſe arcum & ſagittas. 6. Cainum ſagitta confodiſſe. 7. famulum propterea cum tantùm caſtigare vellet, trucidaſſe, 8. Lemechi uxores fuiſſe propterea metu turbatas. His putribus & nihili fundamentis poſitis ædificium ſuæ interpretationis ſuperſtruit. At ſi licentia ita nugandi in ſacris permittatur, nihil obeſſe poterit quominus Scripturæ affingamus quicquid libuerit. Quare, pace eorum qui tale quid inter veteres, vel excogitarunt, vel ab aliis excogitatum ſuſceperunt; dicimus ea contemni debere pari facilitate qua proponuntur, quippe extra Scripturam, imò etiam contra Scripturam excogitata, quod planum fiet, ſi locum ex ſuo fonte diligenter perpendamus, & omni ſepoſito præjudicio ipſius Moſis ductum ſequamur.

Verba ſunt, כי איש הרגתי לפצעי *ci jsh haragti lephitſi.* Quæ verba Arias reddidit ad verbum, *quod virum occidi in vulnus meum.* וילד לחבורתי vejeled lechabburati, *& puerum in livorem meum:* Quibus verbis ſanè ſic acceptis videtur ſupponi, Lemechum occidiſſe virum, & puerum aut adoleſcentem: verba autem *in vulnus meum*, & *in livorem meum*, ſi prout ſonant accipiantur, nihil aliud ſignificabunt, quam fateri Lemechum ſe hoc facto, ſibi vulnus & livorem attraxiſſe, aut utrumque commeruiſſe. Sed hæc quæ ſequuntur huic confeſſioni non quadrarent, *quia ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lemech ſeptuagies ſepties.* Ad quid enim referretur illud quia? ſi pro particula cauſali ſumatur? Quod ſi ל, in nominibus illis, accipiamus non pro *in*, ſed *per*, quomodo accipiunt autores commenti ſuprà memorati, deberent illi exempla afferre in quibus aliquis de vulnere ſuo & livore ſuo loquens, illud intellexiſſet activè pro vulnere aliis à ſe inflicto, aut livore, quem ictu aliquo in alio induxiſſet. Quod nunquam facturos certum eſt. Quis enim unquam dixit, *hoc eſt vulnus meum, hic eſt livor meus*, hoc ſenſu?

Notandum eſt igitur, particulam כי *ci*, initio poſitam, non eſſe ſemper cauſalem, ſed ſæpè poni loco אם *im*, id eſt, *ſi*, pro particula conditionali, quod viderunt docti viri inter Pontificios Santes Pagninus, & Iſidorus Clarius, qui hoc loco ita acceperunt, Si *occidi* hominem. Præterea idem Pagninus, præteritum per futurum vertit, *Si occidero.* Noverat enim vir in Ebraica verſatiſſimus, id pervulgatum eſſe, & frequentiſſimam eſſe mutationem præteriti in futurum, quotieſcunque id ratio poſtulat; quam tamen interpretationem, quæ Monachi fuit, tribuit Marius *hæreticis interpretibus.* Illud autem לפצעי *lephitſi*, & לחבורתי & *lechabburati*, per ablativum vertit, *In vulnere meo*, quam interpretationem expreſſit Vatablus in notis. H*ic* (inquit) *præteritum pro futuro ponitur, & futurum pro præterito perfecto, vertique debet ad hunc modum, Et ſanè hominem interficerem in vulnere meo, etiam adoleſcentem in livore meo, hoc eſt, ſi à quoquam, etiam viro fortiſſimo, vel ab adoleſcente qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem, valeo enim viribus:* Hæc vir ille doctiſſimus, cujus ſententiam non expunxit inquiſitio Hiſpanica. Mercerus etiam notat ex Alben Ezra, verba illa præteriti temporis accipi poſſe δυνητικῶς, vt ſint præterita pro futuris, ut vocant, potentialibus, cujus rei aliquot citat exempla, nec res eſt ab aliis linguis aliena, maximè Græca, in qua præteritum aut Aoriſtus ſæpè futuri vim habet, adjecta particula ἄν, tum autem כי *ci* per *ſanè, certè*, explicandum eſſet. *Sanè virum occiderem aut occiderim in vulnere meo*, i. ſi vulnus mihi conaretur infligere, & adoleſcentem ſive iuvenem ad plagam meam, i. ſi me conaretur plagis afficere, non id ferrem, ſed eum protinus confoderem. Et hæc quidem

mihi

mihi videtur ſimpliciſſima conſtructio; id tantùm videndum cur Lemech, aut quo fine in hæc verba proruperit.

Thraſonicam eſſe roboris & virium ſuarum apud uxores ſuas jactationem verba ipſa ſic intellecta oſtendunt. Jacobus Cappellus vir doctiſſ. in Hiſtoria ſacra & exotica ad annum mundi 129. exiſtimat Lemechum tumentem gloria rerum à filiis ſuis inventarum, addidiſſe Muſicæ Poëticen, confićto hoc hymno Thraſonico, quem totidem verſibus latinis ſic expreſſit.

O Tſilla & Ada, audite ſermonem meum,
Vocem meam attendite Lamechi conjuges.
Pugni vel uno vulnere occidam virum,
Meoque juvenem tumice confoſſum dabo;
Si vindicetur ſeptuplo Kain, Lamech
Se vindicabit ſepties ſeptuagies.

Et certè non caret probabilitate ejus ſententia, ut Moſes, hac recitata cantiuncula, qua cum uxoribus ſe oblectabat, vanitatem & profanitatem hominis voluerit traducere, & dignum Caini tritavi, ſucceſſorem exprimere. Hoc ſenſu ſola vanitas eum adduxiſſet ad talia jactanda. Alias cauſas alii rimantur. Quidam metum uxorum, quæ cum ejus violentiam omnibus exoſam ſentirent, angebantur, timentes ne tandem aliqui in ipſius perniciem conjurarent, quas ille talibus verbis ſolaretur, non eſt quod mihi metuatis, nemo enim impunè me adorietur, qui vel leviter me attigerit, id morte luet, mea manu, &c. Alii putant importunas ipſi fuiſſe uxores, & propter induſtrios filios inſolentiores factas, Lemechi aures ſua æmulatione & altercationibus obtudiſſe, animumque ejus fatigaſſe. Ab his occaſionibus profecta fuiſſe verba ſilentium imperantis, & Thraſonicè minantis. Et hæc etiam ſatis probabilia ſunt, & circumſtantiis conveniunt. Omnes in eo conſentiunt, verba eſſe feri & crudelis hominis, qui de ſua feritate gloriatur, in quo velut ſpecimine aliquo voluit nobis exhibere Moſes ingenium filiorum hominum, maximè eorum de quibus poſteà acturus eſt cap. 6, ℣. 4. potentiſſimorum illorum & celeberrimorum in terra.

Hæc ſanè interpretatio per ſe fluit, nec aliundè extra textum mutuatur novas hiſtorias, ſeu potiùs fabulas, ideò eam meritò præferimus, rejecto commento de Caino in carrectis, aut arbuſtis latente, à Lamecho occiſo, &c. Quam meritò, etiam inter Pontificios rejiciunt, qui rem ſerio expendunt, & nuper, præter Burgenſem, Catharinum, Oleaſtrium, Auguſtinus Torniellus. Nec certè conveniret hic eventus reſponſioni Dei ad Cainum, qua eum ſecurum fecit in ea re, appoſito ſigno ne quis eum occideret. Nec de Lamecho ſeptempliciter propterea punito aliquid habemus in Sacra hiſtoria, vel ex his Lamechi verbis colligi poteſt aliquid tale. Nec ex aliquo autore probato comperta eſt hiſtoria de Caino à Lamecho occiſo, quam ex Judæorum fabulis deſumptam eſſe certum eſt.

Sed jam accedendum nobis eſt ad ſequentia verba, quæ benè intellecta præcedentibus etiam lucem ſunt allatura. *Quia ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lemech ſeptuageſies ſepties.* Vulgata, *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lemech verò, &c.* LXX. ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει, ſeptem vindictas exolvet Cain. Alii aliter. Chaldæa Paraphraſis, *Si ſeptem generationes ſuſpenſæ ſunt ipſi Cain, numquid ipſi Lemech filio ejus, ſeptuaginta & ſeptem?* Quod ita intellexerunt plerique ex ſenſu Paraphraſtæ, quaſi ſuprà innuiſſet Dominus, ipſum Cain non tum mox periturum, ut ipſe timebat, ſed in ſeptimam uſque ætatem aut ſeculum duraturum, quo demùm lueret pœnas ſui homicidii. Sed nihil tale habetur in verbis Domini. Verba enim non pertinent ad durationem ſeu dilationem pœnæ, vel ad perſonam ſeptimam, ſed ad gravitatem pœnæ modumque illius, ut *ſeptuplum*, idem ſit quod *ſeptempliciter*, quo modo rectè expreſſit Aquilas Ebræum שבעתים *ſchibatajim*, quod hoc loco ſignificat, multum & graviter. Phraſis eſt in Scriptura uſitata, ut Pſal. 11. ℣. 6. *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* i. perfectiſſimè. Pſal. 79. ℣. 13. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* i. cumulatiſſimam vindictam. Proverb. 6. ℣. 31. *Deprehenſus reddet ſeptuplum.* i. pleniſſimè luet, & quod alibi dicitur, ad ultimum uſque quadrantem, & ſic aliis multis in locis. Quod autem dicitur *ſeptuagies ſepties*, eſt amplificatio gravitatis pœnæ, nam ſepteñarii numeri geminatione indicantur pœnæ innumeræ, quod docet Chriſti reſponſum de venia danda, ubi eâdem utitur phraſi, & fortaſſe, ut nonnulli Patres putaverunt, hinc deſumptum. Matth. 18. ℣. 22. *Non dico tibi uſq; ſepties, ſed uſq; ſeptuageſies ſepties.* Ubi etſi hæc referantur ad multitudinem & numerum, tamen ubi agitur de pœnis, ſimul gravitatem includunt. Eſt itaque ſenſus verborum Lamechi ſimpliciſſimus, *Si* Cain ſeptempliciter, id eſt graviter & multis modis vindicandus eſt, ego longè gravius & pluribus modis ſi quis me laceſſat vindictam ſumam, ſi Cain ſepties, ego ſeptuageſies ſepties. Non enim exiſtimo voluiſſe illum de vindicta loqui quam Deus ſumpturus eſſet de iis qui in ipſum attentarent, hoc ſenſu, Si Deus de occiſore Cain vindictam ſumpturus eſt graviſſimam, & ſeptempliciter puniturus, multo gravioribus pœnis vindicaturus eſt, ſi quis in vitam meam attentarit. Sed quemadmodum anteà de ſuo robore & viribus vaniſſimè diſſeruerat, ſic pergens in eadem jactatione, neminem ſe impunè laceſſiturum profitetur, quo ſenſu nonnulli ſimiles dicunt, ſi quis me leviter pungat, ego eum confodiam; ſi mihi vel tantùm ſummam cutim attingat, ego eum diſcerpam. Quibus verbis hominem vanum, violentum, ſuis viribus fidentem graphicè depinxit Moſes, ut ex ungue de leone judicaremus, & in hoc homine dignum Caino nepotem, agnoſceremus. Faceſſant igitur fabulæ de Caino à Lemecho occiſo, de uxorum ejus ſollicitudine ob id, & quæ inde ſequutæ ſunt conjecturæ, vel de Lemechi pœnitentia & confeſſione, quaſi

quaſi agnoſceret, deberi ſibi pœnam longè majorem quam Caino, qui exemplo Caini monitus, ab homicidio non fuiſſet deterritus, quod nonnullis placuit: vel aliis, quod factum ſuum elevarit, quia imprudens id fecerat, & de vita ſua ſollicitis mulierculis reſponderit; Si quis Cainum occidit, pœnas ſeptemplices ſubiturus eſſet, qui tamen fratricida fuerat, idque perpetraverat deſtinato conſilio, longè gravius luiturum, qui Lemechum occideret, qui quidem eſſet homicida, ſed non deſtinato conſilio. Hæc, inquam, & talia debili nituntur fundamento, & ferè arbitraria ſunt. Aliorum allegorias non attingimus, & eorum qui putarunt, aut potiùs excogitarunt, Lemechum ſeptuageſies ſexies punitum fuiſſe ob patratam cædem, quia ſeptuaginta ſex ejus filii perierunt diluvio, quod eſt vaticinari, non Scripturam interpretari. Ruperti Tuitienſis interpretationem, quam meritò Pererius, *ſanè novam & miram appellat*, non commemorarem, niſi aliquando expediret perpendere quantum licentiæ ſibi ſumpſerint boni illi viri, & quantum indulſerint genio, aut ingenio ſuo in Scripturis verſandis. Quis enim hoc ferret, ſeptenarium numerum in pœna Caini, deſignare æternitatem ſupplicii ejus: In pœna autem Lemechi, ſepties ſeptuageſies, ſignificare temporalem pœnam, non perpetuò duraturam, & indicem eſſe ejus pœnitentiæ. Taceo, quod in numeris illis, ut probavimus, neque de Caini, neque de Lemechi pœna agitur, ſed de pœna eorum qui in vitam eorum attentarent; ſed quod ille de numeris imparibus, ſimplicibus, compoſitis & mediis philoſophatur, planè contra Scripturę ſimplicitatem impingit. Summa eò redit, quod ſeptenarius incompoſitus eſt numerus, proinde inſolubilis; ſeptuagenarius autem eſt compoſitus, ac proinde ſolubilis. Sed cum in Chriſti dicto citato, ſeptuageſies ſepties, opponatur ſeptenario numero, tanquam major minori, nulla eſt ratio cur prior perpetuitatem, poſterior durationis finem ſignificet. Contrà enim voluit Chriſtus, ſecundo illo numero indicare, nunquam ceſſandum eſſe ab ea actione quam ibi commendabat. Nam quod Rupertus verba illa, aut reſponſionem Chriſti, ad ſuum commentum torquet, non moramur; quaſi hoc voluiſſet Dominus, Non dico tibi ut proximo tuo peccatum in te dimittas, ſi peccaverit ſepties, nam hoc eſt inceſſanter & inſolubiliter peccare. Sed ſi peccaverit uſque ad ſeptuageſies ſepties, tunc debes illi dimittere, quia ſic peccare, eſt peccatum quidem committere, ſed per pœnitentiam ſolvere. Scilicet h[illegible]t acu rem tangere. Diximus quod maximè probabile judicavimus, in re alioqui perplexa, ſed in qua non eſt fundamentum alicujus neceſſarii dogmatis.

EXERCITATIO XLVII.

Nativitas Sethi; & ratio nominis ejus. Quando ſuſceptus? Cur ad imaginem Adami? Enoſchi nativitas. Diſſertatio de ſenſu verborum, tum cœptum eſt invocari nomen Dei. *Verbi* הוחל huchal *ambiguitas. Invocatio pro toto cultu divino. Refutatio corruptelarum Marii & Bellarmini.*

Sub finem capitis quarti, quaſi ex diverticulo, poſt Caini Genealogiam ex occaſione deſcriptam, redit Moſes ad præcipuum inſtitutum de propagatione filiorum Dei. Mortuo Abele, ſola Caini progenies reliqua erat, Adam & Evah orbati filio, qui pietatem ſeriò colebat, & de quo ſpes erat, ſi ſupervixiſſet, cultum Dei ab ipſo & poſteris propagatum iri. Quo ſublato præciſa videbatur ſpes, & civitatis Dei fundamentum penè avulſum. Quùm ergò aliter Deus ſtatuiſſet, alium filium in benedictione ſua concedit Protoplaſtis, quem pia mater ulnis excipiens, agnoſcit à Deo poſitum fuiſſe loco Abelis, & prophetico quaſi ſpiritu, non tantùm intelligit ſuppleturum Abelis locum ratione numeri, ſed pietatis & cultus divini. Dicitur autem *Seth*, à verbo שית quod eſt ponere, quia, inquit illa, שת *ſchat*, poſuit mihi Deus ſemen alterum. Quando autem id factum fuerit cap. 5. ℣. 3. explicat Moſes, anno nempè Adami & mundi centeſimo triceſimo. Quo tempore, in tali fœcunditate primorum hominum, vix credibile eſt Adamum & Evam nullos alios filios, ſed tantùm filias procreaſſe. Horum tamen non meminit Moſes, niſi in genere, quia propoſitùm ipſi tantùm fuit eos enumerare, ex quibus propagatum eſt genus humanum quod tunc vivebat, aliorum enim Adami filiorum progenies per diluvium prorſus deleta fuerat. Sed quod ibidem addit, Adam genuiſſe Sethum, *ad ſimilitudinem ſuam & imaginem ſuam*, cur dictum fuerit quæri poteſt. Id plerique referunt ad conditionem lapſus & peccati, ut imago, & ſimilitudo Adami, nihil aliud ſit; atque ita imago & ſimilitudo Adami, opponatur imagini Dei, ad quam initio conditus fuit homo, ut ſenſus ſit, corruptum, reum, & mortalem, talem etiam genuiſſe filium. Huic ſenſui obſtare videtur, quod de aliis Adami filiis hoc non dictum fuerit, cum tamen eadem eſſet ratio in Caino & Abele. Proinde videtur quærenda ratio ſpecialis, cur id de Setho dictum fuerit. Valdè mihi ſe probat illorum ſententia, qui cenſent hoc propriè dictum fuiſſe de Setho, quia poſteritas Adami in eo ſolo conſervari debuit, & humanæ naturæ ſpecies per eum in omne ævum conſervari & propagari. Nam cum Caini & aliorum poſteritas per diluvium prorſus deleta fuiſſet, ſolius Sethi poſteritas adhuc remanet, in qua ſimilitudo & imago primi hominis appareat.

Filium habuit אנוש *Enoſch*, quod nomen appellativè ſumitur pro quovis homine; hoc loco, propriè pro filio Sethi. Deducitur à themate אנש *anaſch*, quod eſt infirmum & fragilem eſſe. Nam pius ille vir Seth non inſoleſcebat in filii ſui nativitate, potiùs impoſitione nominis voluit humanæ conditionis fragilitatem ſibi & ſuis in animum revocare.

Sequitur in textu, אז הוחל לקרא בשם יהוה *az huchal likrò beſchem jehova*, Arias Montanus, ad verbum, *tum cœptum eſt ad invocandum in nomine Domini*. Vocis *huchal* ſignificatio ambigua, hujus loci non tam diverſas, quam contrarias & pugnantes peperit interpretationes. Radix eſt חלל *chalal*, quæ ſignificat, 1. dolere, violatum eſſe, ſauciatum, &c. 2. ſecare, incidere, perforare, 3. prophanare, corrumpere, contemnere, &c. 4. incipere, exoriri. Prima ſignificatio in hoc argumento nemini arriſit, nec etiam ſecunda, de quibus nulla eſt planè difficultas: tertia & quarta in controverſiam venerunt, & utraque ſuos habet fautores inter veteres & novos interpretes. Primam ſignificationem ex illis duabus, quæ *prophanare* redditur, tribuerunt Paraphraſtæ Onkelos, cujus verba ſic vertit Paulus Fagius, *tunc, in diebus ejus incœperunt filii hominum, ut non orarent in nomine Domini*. Quam verſionem, quæ videtur, ut ipſe ait, contraria textui Ebræo, putat proceſſiſſe ex ambiguitate vocis החל huhal, quam alii pro incipere, alii pro violari & prophanari exponunt. Poſtremam ſignificationem ſequutum fuiſſe Onkelum, quaſi ita legerit, *tum prophanata eſt invocatio nominis Domini*. Norat tamen Complutenſem editionem convenire cum textu Ebraico, & habere, בכן שריאו ביומוהי בני אנוש *becen ſchiriu bejomohi bene Enoſch*, &c. tunc cœperunt in diebus ejus homines orare in nomine Domini. Aliæ editiones non habent שריאו *ſcheriu*, à שרא *ſchera*, ſed חלו chalu, inter quas nova clariſſ. Buxtorfii, quod verbum in lingua Chaldaica *profanare* ſignificat; proinde ſenſus eſt juxta hanc lectionem, *tunc profani fuerunt in diebus illius filii hominum, ad non invocandum in nomine Iehova*. Ubi tamen etiam verbum *hucal*, poſſet in ſignificatione incipiendi, ut apud Ebræos, accipi, niſi obſtaret negatio poſteà, in voce מלצלהא *milletſallaha*, ad non invocandum. Itaque non dubito quin ſenſus Onkelos hic fuerit, tunc homines profanaſſe, quia relicta invocatione nominis Jehovæ, ad profanos cultus ſe converterunt. Unde Ebræi plerique ſic paſſim exponunt, idque referunt ad initium idololatriæ, quæ tunc apud homines, inventis artibus, invaluiſſe creditur. Hunc etiam ſenſum ex noſtris nonnulli ſunt amplexi, inter quos Lambertus Danæus, qui ex hoc loco, publicam nominis Dei profanationem tandem inter mortales invaluiſſe, probare conatur, de 1. mundi ætate, lib. 3. cap. 1. Sect. 2. Quæ cum privatim anteà cœpiſſet in Caini poſteris, ex immani ambitione nata apud illos, cum ſe viderent induſtrios & robuſtos, rebuſque ad hanc vitam neceſſariis inſtructos, obliti ſunt Dei, ut ſe ſolos admirarentur & ſpectarent. Quo factum eſt ut paulatim per contagionem hic contemptus Dei ſerpſerit, donec tandem publica & popularis nominis Dei profanatio ſequeretur, ceſſante in Caini poſteritate præſertim ipſa Dei invocatione & cultu. Quod vitium & ſcelus tum publicè incipiens, ideò notatur, tanquam fons ex quo orta ſunt ſcelera & flagitia, quæ horrendum illud diluvium, de quo poſteà dicetur, advocarunt. In qua interpretatione nihil eſt, quod analogiæ fidei repugnet, & ſtatui temporum illorum, ſi maximam mundi tunc exiſtentis partem ſpectemus.

Altera interpretatio plures habet fautores, etſi in vertendis verbis varient veteres interpretes. Græca communis quæ LXX tribuitur, hoc modo legit, οὗτος ἤλπισε ἐπικαλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου, *hic ſperavit invocare in nomine Domini*. Acceperunt enim אז *az*, pro זה *zeh*, iſte. & הוחל *huchal*, pro *hochijl*, à verbo יחל *jachal*, ſperavit. Aquila propiùs ad textum Ebr. τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι Κυρίου, *tunc cœptum eſt vocari nomen*, vel in nomine, *Domini*. Quidam etiam nomen קרא kara, accipiunt pro eo quod eſt *prædicare* in nomine Domini, quaſi ſenſus eſſet, tunc cœptum eſt prædicare de vero Deo doctrinam, & refutari idololatriam. Alii ſic accipiunt, *Tunc cœptum eſt appellari nomine Domini*, quam interpretationem non reſpuit Aquilæ verſio, eamque ſequuta eſt noſtra Gallica, *Alors commença-on d'appeller du nom de l'Eternel*, id eſt tunc cœptum fuit vocari de nomine Jehovæ. Quaſi tunc incœpiſſet diſtinctio, quæ poſteà à Moſe notatur, inter *filios Dei*, id eſt pios, qui de nomine Dei vocabantur, & *filios hominum*. Quæ certè interpretandi ratio, ſi eam verba ferre poſſunt, mirè convenit, & quaſi ſpontè ſe offert. Nam cum narret Moſes poſt Caini poſteritatem multiplicatam, Deum dediſſe Adamo ſemen pro Abele, & filium pietatis cultorem, qui & ipſe factus eſt pater ſimilis filii, nihil videtur convenientius, quam ſi addat, tum facta eſt diſtinctio hominum manifeſta in terra; quia poſteritas Sethi incœpit vocari de nomine Dei, ad diſtinctionem poſteritatis impiorum. Præſertim cum poſteà tam ſæpè ſimilis diſtinctionis mentio fiat. Hanc ſententiam ſequutus eſt qui eſt autor Homiliarum ſub nomine Euſebii Emiſſeni, *ſperavit*, inquit, *invocari nomine Domini, hoc eſt Deus dici & filius Dei. Iuſti enim qui erant ex ſemine Seth, filii Dei vocabantur*, nempè Geneſ. 6. ℣. 1. Huic tamen interpretationi duo obſtant. 1. Quod ubi *filii Dei* appellantur, nomen יהוה tetragrammaton non habetur, ſed אלהים *Elohim*. Alterum, quod maximè movet, eſt quod phraſis non quadrat, quia dicendum fuiſſet, לקרא שם *likro ſchem Iehova*, ad vocandum nomen Domini, nempè באדם *baadam, in hominibus*, vt loquitur Geneſ. 48. ℣. 16. *Et vocabitur in eis nomen meum*. i. vocabuntur de nomine meo, id eſt, filii mei. Aliud eſt autem לקרא בשם *likro beſchem*, vocare, aut *ad vocandum* in nomine

mine, id eſt, invocare nomen Domini. Hoc argumentem Druſius tanquam præcipuum opponit. Non pugno, etſi fortè eſſet quod regeri poſſet. Non enim video, cur *vocare* vel *vocari* in nomine Domini, non poſſit etiam accipi pro eo quod eſt per nomen Domini aliquem vocari, cum ב initio accipiatur non ſolum pro *in*, ſed etiam, *per* vel *propter* ſignificet, imò accipitur pro מן *min, de*, è, ex. Ergo poſſet verti, *ad vocandum de nomine Iehovæ*. Quem ſenſum etiam innuit vir doctiſſ. Cornelius Bertramus, in libello de politia Iudaica, cap. 2. Inde enim vult deſumptam fuiſſe diſtinctionem illam totius generis humani, quæ extitit tempore Enoſchi, in filios Dei & filios hominum.

Tremellius & Junius in prima editione, utramque verbi *huchal* ſignificationē conjunxerunt, *tunc cœptum eſt profanari in invocando nomine Iehovæ*. id eſt, alii poſteri Sethi apud quos manſura erat Eccleſia, à Kainitis corrupti cœperunt profanare ſe. Sed utramque ſignificationem ſimul, vix poteſt ferre hoc verbum, adeò inter ſe differunt. Ideò Junius poſteà reſiliit, & ſimpliciter vertit, *tunc*, id eſt, poſt natum Enoſchum, *cœptum eſt invocari nomen Iehovæ*, ut is ſit ſenſus, Adamum & Sethum, ubi corruptos à poſteris Cain reliqui mundi mores, ex converſatione in ſuis imbibi poſſe animadverterunt, & Dei cultum, cujus fuerant adminiſtri, labefactari, inde ab eo tempore ſuos in corpus Eccleſiæ contraxerunt, eodem alios prædicatione verbi Dei provocarunt, ſanctis precibus & exercitamentis pietatis, ab impietate & injuſtitia palàm graſſante vindicarunt, &c.

Quidam ad nomen יהוה *jehova* referunt id quod dicitur, non quod tum primùm cœperit invocari nomen Dei, cum Seth pater Enoſch fuerit vir inſignis pietatis. Adam item cum prioribus filiis Deum ritu etiam externo coluerit. Cajetanus igitur inde colligit, non fuiſſe quidem Enoſch primum qui Deum coluerit, etiam cultu publico, ſed fuiſſe primum qui cœpit invocare Deum uſurpato hoc nomine tetragrammato. Sed id falſum eſſe evincit, quod de Eva dictum eſt ſupra verſ. 1. hujus cap. quod poſtquam peperiſſet Cain, dixerit acquiſivi virum את יהוה *eth Iehova*, à Domino, in quibus verbis dicebamus contineri gratiarum actionem Jehovæ directam.

Uſitatum eſt in Scriptura, invocationem uſurpari pro toto cultu divino, qui non ſolum invocationem propriè & reſtrictè dictam, ſed etiam gratiarum actionem, prædicationem verbi, & confeſſionem comprehendit. Quibus etiam adduntur aliæ partes cultus externi à Deo inter homines inſtitutæ, qualia tum fuerunt ſacrificia & oblationes. Leonardus Marius in Lutherum inſurgit, qui קרא *prædicare* interpretatus eſt, quod ab eo factum fuiſſe dicit ex prædicationis affectu & orationis tœdio, & ut Catholicis hunc locum eriperet, ne ex eo probarent ceremonias divini cultus, ab hominibus inſtitui & augeri poſſe. Vult autem verſionem illam in ſyntaxim Ebræam impingere, quia etſi verbum קרא ſignificet aliquando prædicare, idque per κηρύσσω LXX alicubi vertērint, tunc regit accuſativum rei quæ prædicatur, vel ponitur ſine caſu. Sed quando conſtruitur cum ב, non ſignificat *prædicare*, ſed *invocare*. At ſe ipſum ſuo gladio jugulat, nam vetus interpres hoc loco illud ita interpretatur, ut accuſativum rei ſubjiciat verbo invocandi aut appellandi; quod ſi dicat non expreſſiſſe phraſim Ebræam ad verbum, ſed ad ſenſum, id etiam nobis ſufficeret, quia ſenſum voluit exprimere Lutherus, *prædicare nomen Dei*, id eſt cognitionem ejus & famam. Sed prætereà falſum eſt quod aſſerit, ubicumque in ſignificatione prædicandi ſumitur, regere accuſativum rei ſignificatæ. Hoc ille ſupponit, nec probare poteſt: quia etſi alicubi fiat, non tamen hoc neceſſe eſt ubique locum habere. Quid ſi dicamus, *prædicare in nomine Domini* eſſe phraſim uſitatam etiam in N. Teſtam. ut Luc. 24. ℣. 47. *Et prædicari in nomine ejus reſipiſcentiam.* Dicet accuſativum rei prædicatæ ſubjici, nec negamus: ſed poteſt ſubintelligi, imò ſub prædicandi nomine abſolutè ſumpto continetur, nempe prædicare verbum, in nomine Domini. Non putamus tamen ad prædicationem arctari debere factum illud de quo agitur, & libenter Pererio concedimus, *propterea dici Enos primum invocaſſe nomen Domini, quia ſuper omnes priores pius ac religioſus erga Deum fuerit, non modo colendo pietatem & religionem adverſus Deum, ſed eam quoque* PRÆDICANDO, *divulgando, aliosque homines docendo. Vel quia cœpit congregare populum ad tractandum ſimul Dei cultum, quaſi Eccleſiam fidelium inchoans & adunans.* Neque illud etiam rejicimus, *potuiſſe tum ſanctum illum virum, quaſdam precationum Dei formulas condere, ritus & ceremonias divini cultus præſcribere, cujuſmodi fortaſſe fuit altarium erectio, & certorum locorum ad invocandum.* Sed inde non ſequitur, quod Pontificii excudunt, inter quos Marius, qui dicit ex hoc loco adverſus nos, poſſe ſe ſatis commodè demonſtrare, quam immeritò Eccleſia Catholica à nobis accuſetur de inſtitutione ſacrarum ceremoniarum & rituum, quibus invocatur & colitur Deus, quaſi Deus eis coli nolit, ut nos loquimur, eaque tanquam mandata hominum rejiciat. *Nam ſi Enoſch Scriptura laudat à ſpeciali Dei cultu, ſignum eſt eum Deo non diſplicere ut benè notavit Valdenſis.* Scilicet hoc eſt adverſarium proſternere! Primò, nemo noſtrûm accuſat Eccleſiam Catholicam, ſed Romanam Synagogam ream facimus, non propter inſtitutionem ſacrarum Ceremoniarum quibus colitur Deus, ſed propter inventiones humanas, quibus fruſtrà prætendit Deum coli. Specialem Dei cultum, qualem exercuit Enoſch cum ſuis illo tempore, non fuiſſe alio modo ſpecialem dicimus, quam contradiſtinctè ad cultus falſos profanorum hominum, qualis eſt omnis piorum neceſſaria, non arbitraria Religio. Nec eſt verbulum in toto contextu, ex quo poſſint ſuam illam exprimere ſuppoſitionem, Enochum

autorem fuiſſe novarum ceremoniarum. Dicimus enim quod verum eſt, ſanctos illos homines per fidem Deum coluiſſe, per conſequens præeunte verbo Dei, ſine quo fides eſſe non poteſt. Si ergo ſancti illi adhibuerint ritus, in quibus cultus Dei fuerit inſtitutus, non fuerunt humanitus inventi ſed à Deo dictati. Ejus rei probationem ex Scriptura petit Marius. At id probare noſtrum non eſt, qui partem negativam ſuſtinemus. Sic enim procedit argumentum Marii, ſi Enoſch potuit inſtituere novos ritus in quibus conſiſteret cultus divinus & qui grati eſſent Deo, ſine divino mandato, id etiam poteſt Eccleſia. At id fecit Enoſch. Ergo. Nos aſſumptionem negamus, quæ ipſi probanda eſt, & quod nunquam ex hoc loco facturus eſt. Nihilominus ex abundanti probamus noſtram negationem, aut potius oppoſitam affirmationem, quicquid ad colendum Deum ab hominibus inſtituitur ſine Dei mandato vanum eſſe. Eſai. 29. ℣. 13. & Matth. 15. ℣. 8. *fruſtrà colunt me*, &c. Item, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Ebr. 11. ℣. 6. Et *fides eſt ex auditu, auditus ex verbo Dei.* Rom. 10. ℣. 17. Non tamen negamus poſſe eos qui Eccleſiam regunt, præſcribere aliquid ſingulare de circumſtantiis ad Dei cultum pertinentibus, ex verbi Dei generalibus axiomatis, ut de loco & tempore publicorum conventuum & ſimilibus, quæ ad politiam Eccleſiaſticam pertinent. Sed negamus in talibus formaliter cultum Dei conſiſtere.

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 5. ubi agit de origine *factitiarum*, ut vocant, Religionum, conatur hoc eodem loco abuti ad probandas inſtitutiones Monaſticas, ſic enim ait. *Habemus inprimis Geneſ. 4. de Enos, Iſte cœpit invocare nomen Domini. Ex quo loco colligunt autores, hunc Enos inſtituiſſe peculiarem aliquem cultum & ſublimiorem quàm eſſet Religio vulgi: nam ante Enos certè Adam, & Abel, & Seth Deum invocarunt: & tamen iſte dicitur primus cœpiſſe invocare nomen Domini.* An igitur fuit Enoſch Monachus, qui filios & filias genuit? An votum emiſit paupertatis, vel obedientiæ Monachalis. Qui talibus argumentis rem conficere volunt, cur non ex quolibet, quidlibet ſunt expreſſuri? Taceo quod in eo omnes Pontificii falſæ verſioni adhærentes de Enoſch prædicant quod in genere de tempore quo Enoſch natus eſt dicitur; Sethi enim laudatur diligentia, qua non inſtituit novam Religionem, ſed veram, primam, & unicam conſervare conatus eſt, eamque in ſua familia quaſi ſepire, ne in impietatem cum reliquo mundo ruerent poſteri ſui. Caulam igitur Eccleſiæ colligendo, ſemen ſuum ita voluit conſervare Domino: de monaſtica vita, aut ſimili vitæ genere, nihil cogitans. At, inquit, primus cœpit invocare; invocaverat tamen Abel, &c. Ergo de aliquo cultu ſpeciali nondum anteà uſitato loquitur. Reſp. Negari conſequentiam, ſi cultum Dei in ſe, & formaliter, ſpectemus. Sed verum eſt ſpeciale aliquid fuiſſe tempore illo factum, nempe, ut benè animadvertit Pererius, quia cultum Dei in una tantùm familia incluſum, cœpit dilatare, & convocare populum, ut Eccleſiam fidelium inchoaret & adunaret. Cœpit ergo tum forma Eccleſiæ conſpici, & publica invocatio nominis divini. Hæc eſt mens ſacræ hujus hiſtoriæ.

Id ſcopus Moſis oſtendit. Deſcripſerat Caini & poſteritatis ejus ſtudia, mores item impios & profanos, ſimulque indicarat eos mundanarum rerum ſtudiis addictos, de Dei cultu parum fuiſſe ſollicitos. Qua de re Joſephus, ἀρχαιολογίας lib. 1. cap. 4. *Adhuc vivente Adamo, contigit Caini ſobolem per ſucceſſionem eſſe nequiſſimam, & alium alio pejorem exiſtere, qui utique ad bella incontinentes erant, & ad latrocinia properabant. Si quis autem eorum ſegnis erat ad effundendum ſanguinem, aliis rebus peſſimis imminebat, contumeliam faciens, & avarus exiſtens.* Ex quibus ſatis intelligitur apud tales extinctam fuiſſe pietatem omnem, & timorem Dei fuiſſe excuſſum. Subjicit itaque, quibus autoribus, & quando potiſſimum, vera Religio fuit reſtaurata in terra. Nempe tum, cum apud homines pleroſq; res eſſent deploratiſſimę, & Adamo, Sethus; Setho Enoſch natus eſſet. Ab his igitur, non ſolùm ab Enoſch, verum Dei cultum, qui propter impietatis diluvium penè interierat, non peculiarem aliquem, qui Monachatus adumbrationem quandam haberet, reſtitutum fuiſſe, non de novo inſtitutum, ut iſti volunt: quem non pauculi quidam, ſed Adam, Seth, Enoſch, cum ſuis omnibus, fideliter obſervarunt. Sic enim ibidem Joſephus. *Seth perveniens ad ætatem quæ jam poſſet ea quæ ſunt bona diſcernere, virtuti ſtuduit. Et cum fuiſſet vir egregius, imitatores ſui filios dereliquit. Illi autem omnes cum boni fuiſſent orti, in eadem terra ſine vexatione viventes fœliciſſime commorati ſunt, nihilque eis, uſque ad vitæ terminum crudele provenit. Diſciplinam verò rerum cœleſtium & ornatum earum primitus invenerunt.* Et mox. *Iſti quidem ſeptem generationibus permanſerunt, Deum judicantes eſſe Dominum omnium, & ad virtutem ſemper inſpicientes.* Hæc deſumpſit ex his Moſis verbis, *Tunc cœptum eſt invocari nomen Iehovæ*, nempe Eccleſiâ collectâ, & publico miniſterio ordinato. *Significat* (inquit Iſidorus Clarius) *illius temporibus inſtauratum fuiſſe cultum Dei.* Ipſe Emanuel Sa Jeſuita, *Invocare*, id eſt, *palàm colere.* Et Mariana, *tunc cœptum eſt populariter coli Deus, aut palàm, & excellentiùs quam anteà conſueverant.*

AD

AD CAPUT V.

EXERCITATIO XLVIII.

Liber generationis quid? ספר ſepher *pro Catalogo. Explicatur locus Num. 21. v. 14. Chronologiæ ratio quomodo deducta. Error editionis LXX. Quem ſequuta eſt vetus Eccleſia. Etiam Romana. Baronii de Chronologia ſacra perverſum judicium. Ejuſdem de verſione Græca Romæ edita, refellitur ab ipſo Serario. Patriarcharum longævitas. Annorum quibus vixerunt ratio. Refelluntur qui menſtruos putarunt annos. Cur ad mille annos nullus pervenerit? Longævitatis cauſſæ. Mors tandem inſequuta.*

CApite quinto deſcribit Moſes Chronologiam ſacram primi mundi, quæ vocatur ספר תלדות *ſepher toledoth*, liber generationis Adami. Ubi notandum vocem Ebræam ספר *ſepher*, à ספר *ſaphar*, numeravit, per numeros recenſuit & collegit, propriè ſignificare catalogum, ſeu recenſionem, & enumerationem, etiamſi poſteà accipiatur in genere pro omni ſcriptione brevi vel longa, pro epiſtola, libro, &c. Quod obiter notandum, quia poſſemus nobis aliquando libros confingere, qui propriè libri non eſſent, ut factum eſt ab iis qui Num. 21. ỳ. 14. *librum bellorum Domini*, pro hiſtorico volumine acceperunt: cum verba ſic intelligenda ſint, *dicetur in recenſione aut enumeratione bellorum Domini*, aut *dici ſolet*, &c. Vox autem תלדות *toledoth*, accipitur tam activè quam paſſivè, tam pro generatione, aut genealogia generantis, quam pro generatione, aut genealogia geniti. Hîc primo modo, ubi agitur de generatione Adami, & Matth. 1. ỳ. 1. ſecundo modo, ubi de genealogia D. noſtri Ieſu Chriſti.

Optimo autem & convenientiſſimo modo deducitur Chronologiæ ratio, dum in unoquoque Patriarcha narrat Moſes quandiu vixerit antequàm naſceretur ei filius, cujus generationem poſteà perſequitur. Alioquin ex recenſione annorum vitæ uniuſcujuſque non potuiſſet certus aſſignari annorum numerus, quia cum parentibus filii vixerunt. Conſtituenda ergò fuit unicuique certa periodus, quæ aliis itidem certis addita, numerum rotundum efficeret. Quod adeò aptè à Moſe inſtitutum fuit, ut nihil facilius ſit, poſtquam de uniuſcujuſque recenſiti nativitatis anno conſtat, ſummam ſupputare certiſſimam. Dixi poſtquam de nativitatis anno conſtat, nam ſi varietur, per additionem, vel imminutionem, tum turbatur totius Chronologiæ ratio. Id accidit in Græcorum enumeratione, qui cum ſingulis ferè Patriarchis addiderint centum annos, ſummam confecerunt uſque ad diluvium, excedentem eam, quam conſtantiſſimè dat textus Ebræus, annis 584. Quod poſteà etiam iiſdem accidit in ſupputandis annis à diluvio finito, ad mortem Therah patris Abrahami, ubi rurſùs excedunt annis 884. Unde factum eſt ut Græci autores, qui non conſuluerunt fontes, codicibus Græcis affixi, in ſupputandis annis mundi, ultra veram & certiſſimam ſummam, addiderint 1468. annos, ut in Euſebii Chronico videre eſt. A quibus id factum fuerit, an à primis illis interpretibus Græcis, an verò ab eorum exſcriptoribus, diſputatum olim fuit: & Auguſtinus de ea re varias affert conjecturas, lib. 15. de Civit. Dei cap. 10. & 13. Qui, quamvis ſummè addictus fuerit verſioni LXX. non potuit tamen ſibi perſuadere, potiorem eſſe Græcorum codicum enumerationem. Qua de re vix hoc tempore ulla reſtat controverſia. Nam cum Pontificii in verba editionis vulgatæ juraverint, ejuſque autor Ebræos ſequutus ſit, coguntur omnes errorem agnoſcere in editione LXX. qui ex eo manifeſtus eſt, quod cum Græci codices cum Ebræis conveniant in enumeratione annorum Mathuſalæ, nempè 969. ſi poſteà juxta eoſdem Græcos ponamus, ipſum genuiſſe Lemechum anno vitæ ſuæ 167. Lamechum autem Noachum anno vitæ ſuæ 188. Noachum autem, cum immiſſum fuit diluvium, fuiſſe annorum 600. ſequetur ex illa ſupputatione Mathuſalam poſt diluvium vixiſſe annos 14. Cum tamen certum ſit manſiſſe poſt diluvium tantùm octo perſonas, quæ in arca ſervatæ fuerunt, inter quas ille non erat. Idcircò rectè Auguſt. lib. ſuprà citato, quæſtionem non aliter diſſolvi potuiſſe agnoſcit, *quàm agnito librorum errore*, qui etiam ibidem, *rectè fieri nullo modo dubitat, ut cum diverſum aliquid in utriſque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potius credatur, unde eſt in aliam per interpretes facta tranſlatio.*

Mirum eſt itaque cur errorem adeò palpabilem ſequuti fuerint omnes veteres tam Græci quam Latini, ita ut Baronius in fine Apparatus ſui ad Annales, non dubitet aſſerere, *Sanctam Eccleſiam Dei, antiquitùs conſueviſſe ſupputare annos ab origine mundi, non ſecundum Ebraicam editionem, ſed ſecundum LXXII. interpretes*, ubi profert Juliani Toletani contra Judæos hæc verba, *Illa nobis & ſola pro his annis eſt obſervanda autoritas LXX. interpretum, quam etiam huc uſque omnes ſcriptores Eccleſiaſtici tenuerunt, & in hac præcipue annorum ſupputatione ſecuti ſunt.* Et ex Anaſtaſio Sinaita Epiſc. Antiocheno, æquali Gregorio I. lib. 7. in

Hexam. *Sciendum quod aliter computant Ebræi, aliter Romanæ Eccleſiæ traditio.* Addit etiam, *Profiteri Romanam Eccleſiam in ſuo Martyrologio, ſe annos ſupputare ſecundum eoſdem interpretes.* Quod certè patet ex iis quæ habentur in illo martyrologio ad xxvi Decembris. Ubi Baronius pluribus hoc agere conatur, ut oſtendat in ſupputatione annorum mundi uſque ad Moſem, nihil eſſe certum, non ſolùm in Græcorum ſupputatione, ſed neque etiam in Ebræorum; proinde totam ſacram Chronologiam in dubium revocari, propter diſſidentes hominum opiniones. Sed cum conſtantiſſima ſit Ebræorum codicum Genealogia, & de vitio editionis LXX conſtet, iſtorum hominum iniquitas intolerabilis eſt, qui exemplo meretriculæ illius quæ coram Solomone litigabat, malunt vivum infantem in partes ſecari, quam uno mortuo, alium viventem ſervare. Sic cum LXX hallucinationem, aut ſaltem codicum ante multa ſecula, & Eccleſiæ quæ eos ſequuta eſt, negare non poſſint, id ſatagunt, ut in partem culpæ & erroris trahant codices Ebræos, & ipſis autoritatem derogent. Quod ſi fiat, jam nullis libris autoritas ſtabit, nec ipſa Eccleſia poterit damnum illud reſarcire. Non dubitamus igitur, quod etiam Auguſtino viſum eſt, recenſionem Ebræi codicis veram eſſe, & mendum eſſe in textu Græco, quod etiam agnovit Hieronymus in Ebraicis quæſtionibus. Genebrardus ipſe in Chronologia ſub finem libri 1. dicit, LXX interpretes circiter ſexcentos annos addidiſſe, *vel eorum potius corruptores.* Item LXX habere, 586. ſupra juſtum numerum, juxta quos Mathuſala annis 14. poſt diluvium vixiſſet. Unde ſatis ſequitur, in ratiocinijs annorum mundi Septuaginta interpretum verſionem non eſſe ſequendam, quod tamen mallet Baronius, quam ſolam putat dignam cujus habeatur ratio. Bellarminus tamen cautior, de verb. Dei lib. 2. cap. 6. admittit in ea errores, & ſupputationem annorum mundi quæ hoc loco in LXX. habetur, nullo modo cum veritate cohærere. Alia etiam menda eſſe non dubitat, & ad id quod nonnulli dicebant, LXX ſeniores *olim de induſtria quædam omiſiſſe, quædam addidiſſe, & quædam aliter vertiſſe, quia ſic eis dictabat Sp. ſanctus:* reſpondet, *iſtos patres pie quæſiviſſe rationes excuſandi & defendendi eam verſionem qua Eccleſia uteretur.* Quas tamen rationes ille rejicit. Unde illud conſequitur hoc noſtro tempore notandum, non eſſe neceſſarium illam verſionem eſſe in omnibus perfectam, qua Eccleſia paſſim utitur, vel eo nomine ita eſſe authenticam, ut nemo ei contradicere in aliquibus poſſit, quod tamen Pontificii ſuæ vulgatæ, hoc tempore deferunt. Item, non propterea exiſtimandum eſſe in neceſſariis Eccleſiam illam eſſe à Sp. ſancto deſtitutam, quæ utitur ea verſione quæ perfecta non ſit, & cujus ipſa quoſdam defectus agnoſcit, imò etiam quæ aliquando eos non agnoſcat, ſed imprudens ſequatur; quod Eccleſiæ Catholicæ accidiſſe fatentur ipſi Pontificii in ea re. Tertiò. Non propterea habendum eſſe aliquid certum & indubitatum, ſi ita toti Eccleſiæ viſum fuerit, quando ipſi coguntur agnoſcere, univerſam Eccleſiam erraſſe in ſupputatione annorum mundi.

Non poſſum hoc loco præterire, quod Baronius in fine ſui Apparatus, ubi ea de re agit, dicit, *hoc nomine plurimum debere omnes eruditos, imò & totam Dei Eccleſiam, Antonio Carafæ Cardinali Bibliothecario, qui multo labore & ſtudio tandem Græcam LXXII interpretum editionem, jam penè antiquatam in lucem revocavit, eandemque Latine redditam, non minori labore emendatam, ac perpolitam edendam curavit: Opus planè divinum, & divinitus inſpiratum,* &c. Debere eruditos viros aliquam gratiam iis qui hoc opus procurarũt, nolim in controverſiam vocare. Sed editionem illam, quæ Romæ cuſa eſt, eſſe verſionem LXX. opuſque eſſe planè divinum, & divinitus inſpiratum, ne ſuis quidem perſuaſit Baronius. Negat Sorarius Proleg. cap. 27. Quæſt. 21. *adhuc eſſe omnino puram, ſynceram & incorruptam.* Rationes addit, 1. quia è LXX. citantur à Patribus interdum nonnulla, quæ in iſta verſione aliter ſunt, ut vel ex nonnullis in ea notationibus perſpicuum. 2. Quia Vaticanus liber antiquiſſimus dicitur quidem rectiſſimè ad literam expreſſus, ſed additur, *quoad fieri potuit per antiquorum orthographiam, aut librarii lapſus.* 3. Quia in hoc ipſo Vaticano exemplari, dicuntur ibidem quædam, *ſi minus menda, certè mendi ſuſpicione non carere.* 4. dicitur ibidem ſic: *Antiqui ſacri ſcriptores ferè nuſquam hujus exemplaris lectiones non exhibent ac reponunt.* Ubi notat, non dici *ſemper & ubique* exhibent, ſed *ferè & nuſquam non.* 5. Quia ſoli Prophetarum libri dicuntur in eo maximè reſipere LXX. editionem. 6. Ex ipſis etiam excipitur Daniel. 7. dicuntur etiam adhuc nonnulli *uniuſcujuſque arbitratu adjuvantibus libris,* reſtitui poſſe. 8. Quædam expleri poſſe, & quidem ex communibus libris. Addit alias rationes, quibus ſatis oſtendit, ſe à Baronio & aliis in ea re diſſentire, idque non ſtudio contradicendi, ſed vi veritatis adactum, quæ etiam coëgit Aug. Steuchum, Eugubinum, Bellarminum, Genebrardum, Tornielum, & alios celebres Eccleſiæ Romanæ Chronologos, LXX interpretum epilogiſmum reſpuere, & ad Ebræos recurrere: etſi Eccleſia Romana jam olim aliter judicaverit, quod in controverſijs hoc tempore agitatis, notatu dignum eſt, ſuam habiturum utilitatem, ſi quis id cum judicio perpendat. Sed de tota hac controverſia, & annexis, pro aſſerenda veritate Ebraica, adverſus eum qui nuper ex codice Samaritano & LXX interpretum editione, Ebraicis codicibus litem movit, legatur doctiſſ. lucubratio viri Cl. *Simeonis de Muis* Sacrarum Ebræarumque literarum Pariſiis Profeſſoris Regii, anno 1631. edita, in qua veritatem Ebraicam fortiter aſſerit, & nequicquam annitente contrà Morino, Pentateuchi Samaritani autoritatem labefactat.

Dubitatum eſt à quibuſdam de annorum, quibus Patriarchæ

triarchæ vixerunt longitudine. Variam fuiſſe apud diverſas nationes annum numerandi rationem certiſſimum eſt, cujus (ut notat in lib. de emend. Temporum primo illuſtris Scaliger) tot ſunt periodi, aut conſtitui poſſunt, quot ſunt ſiderum errantium. Quia annus eſt circuitus ejus periodi, cujus cognominis ipſe eſt. Sic ſolaris annus cognominis circuitus illius ſideris, vel ab uno ſolſtitio ad unum, aut à bruma ad brumam, vel ab uno zodiaci puncto ad idem punctum. Sic poſſunt numerari anni Saturni, Iovis, &c. Qua de re poteſt conſuli idem illuſtris vir, qui benè notat, obtinuiſſe vulgò ut duorum ſiderum Solis & Lunæ, labentem cœlo qui ducunt annum, ratio in temporibus civilibus haberetur. Lunæ igitur primùm unum circuitum pro anno fuiſſe habitum apud Ægyptios, poſteà tres circuitus, ut apud eoſdem & Arcades, tandem duodecim periodos lunares annum civilem conſtituiſſe dierum 354. Duodecim etiam ſigna zodiaci conſtituere annum ſolarem. Ut autem æqualiter tempora currerent, inventæ fuerunt variæ intercalationes, de quibus conſulendi ſunt Chronologi, & inprimis magnus ille vir quem laudavimus, de quibus nunc agere non eſt inſtituti noſtri. Id tantùm præfari voluimus, tanquam præparationem ad ea quæ dicenda ſunt.

Quæritur ergò an anni vitæ Patriarcharum, quorum unus ad annos uſque 969. pervenit, fuerint anni lunares primi modi, an ſecundi modi, vel ſolares; qui ultra trecentorum ſexaginta dierum ſpatium metiuntur. Fuerunt qui annos illos paulo plus quam menſtruos eſſe putarint, & tantùm dies ſex & triginta effeciſſe, ut eſſet numerus quadratus, quia efficitur ex numero ſenario ſexies ducto. Quorum itaque annorum ex noſtris unus decem contineret, & talibus annis in duodecim menſes diviſis, unuſquiſque menſis tres dies contineret. Auguſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. putat, eum qui numeros ita mutavit & pervertit in LXX interpretum editione, fuiſſe in illa ſententia, *qui cum vellet perſuadere, ideò numeroſiſſimos annos vixiſſe antiquos, quod eos breviſſimos nuncupabant; & hoc de maturitate pubertatis, qua idonea filii gignerentur, conaretur oſtendere: atque ideò in illis centum annis decem noſtros inſinuandos putaret incredulis, ne homines tamdiu vixiſſe recipere in fidem nollent, addidit centum, ubi gignendis filiis habilem non invenit ætatem, eoſdemque poſt genitos filios, ut congrueret ſumma, detraxit. Sic quippe voluit credibiles facere idonearum generandæ prolis convenientias ætatum,* &c. Hæc Auguſtini ſententia non caret probabilitate, quam etiam ex eo confirmat, quod id non fecit in ſexta generatione, quia cum videret in Ebræo Jared vixiſſe antequam genuiſſet Henoch, 162 annos, cum videret illam ſummam annorum brevium, facere noſtros ſexdecim, & talem ætatem ad generationem aptam eſſe, ideò nihil mutandum cenſuit. Quicquid ſit de illius hominis intentione, certum eſt, eos qui annos vitæ Patrum ita voluerunt decurtare, à Scripturæ ſenſu longè abiiſſe. Nam ſi ita eſſet, Ebraica veritate manente, quæ præferri debet, cum Henoc & Cainan filios genuerint, anno ætatis ſuæ 65. ſequeretur, ſi decem ex illis unum noſtrum efficiant, paulo minus quam ſeptennes pueros, fuiſſe patres filiorum. Quod ſi addantur etiam centum anni qui in edit. LXX. reperiuntur, cum omnes tam Ebræi quam Græci codices in ſumma vitæ uniuſcujuſq; conveniant; nullus autem diutiùs vixerit quàm Mathuſala, cujus anni fuerunt 969. ſequeretur nullum Patriarcharum perveniſſe ad 97. annum, cum tamen hoc etiam tempore reperiantur qui illum ſunt ſupergreſſi. Prætereà, aut mutata eſſet ratio numerandi poſt diluvium, cujus rei veſtigium nullum apparet, aut ſi annorum calculus ſic eſſet reducendus, ridiculum eſſet quod de Abrahamo Scriptura dicit, plenum vel ſaturum dierum, in bona ſenectute diem obiiſſe, qui cum 175. annos vixerit, mortuus eſſet anno ætatis ſuæ 18. nondum completo. Sed commentum illud planè refellit, quod infrà cap. 7. illo anno quo diluvium duravit, numerantur menſes uſque ad decimum, & menſis ſecundi diei 27. fit mentio. Unde ſatis patet, annos illos vitæ Patrum, noſtris fuiſſe pares, aut omnia confunderentur.

Cur autem in tanta hominum longævitate, ad milleſimum uſque annum nullus pervenerit, (deerant enim Mathuſalæ 49. anni ad numerum illum implendum) res myſterio carere non videtur. Quale autem illud fuerit, malim Deo relinquere, quam temerè definire. Quod enim nonnulli afferunt, mille annos coram Deo eſſe velut diem unum, ut ergo veritas comminationis divinæ locum haberet, qua illo ipſo die mors homini denunciata erat, quo peccaret, conſtare poſſet, detractos fuiſſe de illo die annos aliquot; id valdè dilutum eſt, & anteà à nobis refutatum. Plus habet probabilitatis, quod Deus oſtendere voluerit, etiam hominis longævam vitam, ipſius Dei reſpectu, eſſe breviſſimam, quæ ne quidem attingeret ſpatium, quod apud Deum æternitatis reſpectu, unum diem non abſolvit, quo ſenſu ipſe etiam Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. vitam hominis longiſſimam comparat vitæ beſtiolæ illius ephemeræ quæ ad Hippanim fluvium naſcitur, quæ ſi moriatur occidente ſole, decrepita mortua eſt. *Confer* (inquit) *noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate, in ea propemodum ætate qua illæ beſtiolæ, reperiemur.*

Abſolutè tamen loquendo, etiam comparatè ad ſequentia tempora, longæviſſima fuit hominum illorum vita; quæ, noſtræ collata, pro miraculo haberi poteſt. Nihilominus cum fuerit tum ordinaria, non eſt opus ut ad miracula eam referamus, etſi non dubitandum ſit ſpecialem Dei providentiam id diſpenſaſſe, & vitam hominibus, ob cauſas graviſſimas, tunc ita prorogaſſe. Non eſt planè nihili, quod quidam notant de cauſſis naturalibus, bonitate complexionis hominum, naturâ adhuc vegetâ & quaſi in principio ſuo; temperatâ victus ratione, quæ nondum delitiis & ſuperfluitatibus diffluebat;

fluebat; alimentorum vi ſucculentâ, herbarum & frugum ſaluberrimo uſu, antequam diluvio terra in deteriorem ſtatum eſſet mutata; peritiâ rerum naturalium in primis parentibus, longo uſu auctâ, & experientiâ confirmatâ, denique ſalubritate cœli & ſiderum in ea quam incolebant regione. Hæc, inquam, omnia, præſertim ſimul juncta, ad longævitatem non parùm conducunt: ſed præcipua cauſſa in voluntate & diſpoſitione divina quærenda eſt, cujus ſapientiæ, ita viſum eſt generi humano conſulere, & Eccleſiam ſuam propagare, atque in ea cultum ſuum ſtabilire, ac veram doctrinam promulgare. Per longam enim hominum vitam, commodè propagari potuit genus humanum, quod tunc, naſcente mundo, neceſſarium fuit. Præterea in tam diuturna vita, *per varios caſus artem experientia fecit, exemplo monſtrante viam*; unde Philoſophus rectè dixit, Tempus eſſe inventorem & promotorem omnium ſcientiarum. Sed præſertim id conſultum fuit ad pietatem & fidem promovendam. Nam cum tunc temporis Deus per Scripturam nondum Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſet, nec etiam revelationes extraordinariæ omnibus ſuppeterent, vel etiam nimis frequentes eſſe deberent, ne tandem in contemptum adducerentur, Deus in vita voluit conſervare ſanctos illos ſeniores, qui plurimùm apud poſteros autoritate valerent, & crebra dogmatum ſacrorum repetitione, obſtarent corruptioni, quæ ſubinde mentes hominum occupat, quando crebrò variatis hominum ſucceſſionibus, vix intelligi poteſt quid priores ſenſerint, inclinante ſenſim doctrina, dum quiſque prioribus addere de ſuo præſumit, aut præcedentium oblitus, nova & anteà inaudita prætextu tamen antiquitatis, obtrudere. His incommodis vita illa longæva mederi potuit, quum Patres illi, ſeculis pluribus, iidem, eadem proferre poſſent, ſenſum ſuum explicare, & ſi quid à poſteris variaretur corrigere, atque ad principia revocare. Ex quo etiam obiter notandum, cur planè abſurda ſit conſequentia Pontificiorum, qui ex eo quod toto illo tempore Eccleſia in familiis piorum conſervata, fuit ſine verbo ſcripto, illud non eſſe neceſſarium nobis hoc tempore inferre volunt. Taceo quod illi dicunt de Eccleſiæ conſervatione tempore illo. Nam hoc verum fuit in paucis, non in maxima mundi illius parte. Sed quod præcipuum eſt, inconſequentia eſt maxima, à tempore illo ad noſtrum, quia nec Eccleſia adeò fuit dilatata, nec hominum ſucceſſiones adeò crebræ tot mutationibus erant obnoxiæ.

Recenſioni longævæ Patriarcharum vitæ, additur tandem ultima linea, *& mortuus eſt*. Quæ in omnibus repetitur; non, procul dubio, abſque gravi cauſa. Præcipua eſt, ut oſtendat non vanam fuiſſe comminationem divinam adverſus hominem peccatorem: contrà, vanam & fallacem fuiſſe ſerpentis promiſſionem. Atque ita omnibus, etiam ſanctiſſimis, in quibus mors tanquam ſtipendium peccati locum habet, detrahamus in hac vita perfectam illam ſanctitatem, quæ ad viſionem Dei neceſſaria eſt. Idcircò, ordinario modo, per mortem defecantur, ut fomite peccati cum corpore mortuo, ad immortalitatem puri reſurgant. Huic rationi aliæ minus principales addi poſſunt. 1. Quod deſignare voluerit omnes illos ſua & naturali morte obiiſſe, non diluvio fuiſſe abſorptos, aut alia morte violenta ſublatos. 2. Ut manifeſtum diſcrimen indicaret inter vitam præſentem quæ morte finitur, & futuram quæ finem non habet. 3. Nihil diuturnum eſſe quod finem habet, quia quicquid præterit, quantumcunque fuerit, pro nihilo ducitur. 4. Ut nemo hoc tempore, vel deinceps, quantumvis longævus, ſibi immortalitatem in hac vita polliceatur, ſed vitam tranſigat in mortis meditatione, ad finem illum ſemper paratus, quando ex ſua ſtatione Deus eum evocare voluerit.

Exercitatio XLIX.

Ambulare cum Deo quid? Lex Dei quomodo ſervari poßit. An Henoch ſit mortuus. Druſii opinio ventilatur. Calvinus à calumnia Marij defenditur. Henoch immortalitate donatus. Expoſitio loci Rom.5.v.14. & Ebr. 9.v.17. Orthodoxa ſententia de loco, ſtatu, & fine tranſlationis Henochi. Veterum quorundam de ea re ſententia. Solvuntur argumenta adverſariorum contra beatitudinem Henochi. Vbi exponuntur loci aliquot ex Epiſt. ad Ebr. Pontificiorum opinio ventilatur. Paradiſum terreſtrem non eſſe locum tranſlationis, nec amplius eſſe. Solvuntur objectiones. Adverſariorum adverſæ ſententiæ. De ſtatu Henochi quàm variè ſentiant. Commenta eorum de fine cur tranſlatus fuerit, refelluntur. De prophetia Henochi. Explicatur locus Epiſt. Iudæ. An aliquis liber ab Henocho fuerit conſcriptus? Noachi & filiorum nativitas. Quis inter filios Noachi natu major.

IN decem generationibus iſtis quarum mentio fit à Moſe, de omnibus Patribus qui Noachum præceſſerunt, additur expreſſa mortis clauſula iiſdem verbis. Unus tamen excipitur Chanoch filius Jered, in quo Scriptura ſtylum mutat, & de eo dicit, quæ interpretibus amplam diſquirendi materiam ſubminiſtrarunt, quæſtionibus etiam variis locum dederunt. Itaque non judicamus celebrem locum ſilentio eſſe prætereundum, maximè cum audacia, & olim, & hoc tempore, reperta fuerint ingenia,

ingenia, quæ curioſitati ſuæ laxare habenas non dubitarunt, & ea definire quæ Spiritus ſanctus intacta reliquit. Verba Moſis ſunt, ℣. 22. Et ambulavit Chanoch את-האלהים *eth hacloim*, cum Deo, poſtquam genuit ipſe Methuſchelach, trecentos annos, &c. Et ℣. 24. Et ambulavit Chanoch cum Deo ואיננו *veænennu*, & non ipſe, quia tulit eum Deus לקח אתו אלהים *lachach otó elohim.*

Quod primùm perpendendum occurrit, eſt phraſis illa, *ambulare cum Deo*, Tremel. & Iunius, ambulavit *continenter*, vel *indeſinenter* cum Deo, ut vim exprimerent præteriti *hitpaël*, quod in illa conjugatione actionem immanentem ſignificat: ſed non omnis immanens actio eſt continua: quamvis ergo verum ſit ambulaſſe indeſinenter coram Deo Enochum, id tamen aliundè eruendum eſt quam ex vi verbi. Eſt autem *ambulare cum Deo*, vacare cultui divino, & ſanctam vitam inſtituere. Sic enim communiter malim accipere, quam peculiari ſignificatione, pro eo quod eſt Deo miniſtrare, & ſacerdotio fungi. Etſi 1. Sam.2. id exigat loci circumſtantia ℣.3. *& ambulare ad facies Dei*, id eſt, coram Deo, accipiatur ſenſu illo peculiari. Sed eodem modo hìc accipimus, quo ambulare in via Domini, & in præceptis ejus. Quo Ebraiſmo ſignificatur homo rectè & inculpatè vivens, & voluntati divinæ obtemperans. Ductaque videtur Metaphora à duobus amicis, qui inter ſe benè conveniunt, & libenter unà iter inſtituunt concordes & unanimes. Ut dicitur Amoſi cap. 3.℣.3. *An ambulaturi eſſent duo unà, niſi convenirent?* Quia Deus ambulaverat cum populo ſuo, & populus cum Deo. Sed quia ceſſaverant Iſraëlitæ, ideò præſentiam ſuam ſe ablaturum minatur. Ergò ambulat cum Deo, cui cum Deo benè convenit. Non tamen ſatis expreſſerunt ſenſum LXX. εὐηρέστησε τῷ θεῷ, i. benè placuit Deo; etſi per conſequentiam deduci poſſit. Eadem phraſis de Noacho uſurpatur cap.6. ℣.9. *Noë vir juſtus, integer erat in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit.* Quò pertinet oratio Dei ad Abrah. Gen.17. ℣.1. *Ambula coram me, & eſto integer.*

Ex hac phraſi (inquit ad hunc locum Marius) *habemus apertum documentum contra noſtri temporis hæreticos, legem Dei ſervari poſſe, & à quibuſdam etiam extra ſtatum gratiæ, ſed tamen beneficio gratiæ ſervatam.* Extra ſtatum gratiæ beneficio gratiæ ſervari legem Dei omninò abſurdè dicitur. Qui enim beneficio gratię aliquid facit, eſt in ſtatu gratiæ. Inde procedit væſania, quod ſtatum gratiæ interpretantur poſt exhibitum Chriſtum in carne; quo tempore, etſi gratia major data ſit, non tamen ſtatus gratiæ ad illud arctari debet. Quod autem ſpectat præcipuam obſervationem, ſic debet concluſio ex præmiſſis elici. Qui ambulat coram Deo, & perfectus eſt, is implet legem divinam per integram & omnimodam præceptorum obſervationem. Talis fuit Chanoch, talis Noë,&c. Ergò legem divinam ita impleverunt. Hujus ſyllogiſmi major neganda eſt, quia in via illa Dei, perfectione, & integritate, fides vera locum habet, amplectens Dei gratiam, & peccatorum remiſſionem. Itaque ambulat cum Deo, qui Dei promiſſis innixus, agnoſcit Deum ſibi eſſe propitium, etſi ſubinde irrepant affectus carnis adverſus quos pugnat ſpiritus, & miſericordiam Dei implorat. Sic Noë fuit vir integer vel perfectus, & ambulavit cum Deo, incidit tamen in ebrietatem, ſed tales defectus pœnitentibus Deus ex gratia dimittit, qui infirmitatis ſuæ conſcii, alioqui ſincerè ſe gerunt, nec diu hærent in peccatorum ſordibus, legem Dei obſervantes, non perfectione graduum, ſed perfectione, ut loquuntur, partium; quia nullæ ſunt legis partes in quibus ſe non exerceant, etſi ad exactum illum gradum, quem lex requirit, non perveniant. De Henocho autem, pro temporis illius ratione, non dubitamus illum inter pios eminuiſſe, & fuiſſe vitæ exemplaris, alioqui nulla eſſet ratio, cur aliquid de eo ſingulare diceretur, niſi præ aliis etiam ſanctis, fuiſſet ſanctitatis alicujus eximiæ.

Sequitur ואיננו *veænnenu*, & non ipſe. Quæ phraſis habet manifeſtam elleipſin, ideò aliquid ſupplendum eſſe, nemo eſt qui neget; ſive, *fuit*, ſive, *repertus eſt.* Nam quod quidam ſupplent *mortuus eſt*, ut ſit negatio mortis ejuſdem, non ita videtur aptum, etſi ad rem quod attinet, verum eſſe cenſeamus, ſed quod ex totius & integri loci conjunctione debet evinci. LXX ſic ſuppleverunt, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, & non inveniebatur, quorum verba ſequutus eſt autor Epiſt. ad Ebr. cap.11. ℣.5. Quando autem hæc phraſis abſolutè uſurpatur, tum mortem circumſcribit. Sic Geneſ. 42. ℣.36. *Ioſeph non eſt*, quem Jacobus putabat mortuum. In textu Ebræo eadem vox eſt, *Et non ipſe.* Hinc eſt quod nonnulli inter Ebræos, quos etiam ſequuntur quidam hoc tempore, mortuum fuiſſe Henochum putarunt, inter quos eſt Judæus Aben Ezra. Leonardus Marius, cum ſumma impudentia, idem tribuit *Hæretico*, ut loquitur, *Calvino*, Enoch verè mortuum fuiſſe. Si de Oecolampadio id dixiſſet, non litaſſet impudentiæ; ſcribens enim ad verſ.14. cap.5. Epiſt. ad Rom. dicit *Enoch & Eliam non fuiſſe exemptos à morte, quamvis communis opinio credat illos adhuc vivere.* In eadem ſententia fuiſſe videtur Joan. Druſius, qui in hunc locum ſcribens, illum ita interpretatur, *Et non fuit*, in vivis videlicet. Sic non eſſe dicitur etiam qui mortuus eſt. *Rachel plorans filios ſuos noluit conſolationem accipere, quia non ſunt.* Jerem.31. ℣.15. hoc eſt, non vivunt. Eſſe igitur dicitur qui vivit, & non eſſe qui non eſt in vita. Addit *Tulit*, id eſt, abſtulit eum Deus, rapuit ante juſtam ætatem. Sæpenumerò, inquit, miratus ſum, & adhuc miror Judæos (nam de Chriſtianis nunc non loquor) quid eos moverit, cur ex hoc loco collegerint Henochum adhuc vivere. Nam ut concedamus hoc verum eſſe, tamen ex his verbis non poteſt colligi quod illi volunt. Siquidem non eſſe dicitur qui mortuus eſt, & rapi ſive tolli, qui morte immatura abripitur. Hoc qui negat, oſtendit ſe

in his literis puerum eſſe. Forſan eo adducti fuerunt, quoniam Scriptura non utitur verbo moriendi, ut in cæteris Patriarchis, &c. Quorſum, inquit, iſta? nempe ut oſtendam non neceſſariò ſequi ex hoc textu Henochum adhuc vivere. Negari non poteſt phraſes illas ſumi de iis qui tolluntur è vita per mortem ſæpiſſimè: ſed tamen non malè Ebræi illi judicarunt, non ex una & altera phraſi, ſed ex totius hiſtoriæ ſerie. Conſiderarunt præfationem de Henochi pietate & juſtitia. Noverunt longævitatem piorum ad benedictionem Dei pertinere. Audiebant Henochum non attigiſſe in hac terra patrum ſuorum, ut neque filiorum, ætatem: Videbant de aliis omnibus expreſſè dici *mortuos fuiſſe*, de Enocho aliis verbis uſam eſſe Scripturam, quibus ſatis indicabatur eum non amplius viſum fuiſſe in terra, ſed nec ab hominibus humatum. Conſiderabant non ſolùm hoc dici, *quod non fuiſſet*, ſed addi, quod *Deus eum tuliſſet:* quod viderunt non ad animam ſolùm, ſed ad corpus transferri debere. Noverant etiam phraſin illam איננו *anennu*, non ipſe, non tantùm (ut vult Druſius) ad mortuos referri, ſed etiam ad eos, qui etſi viverent, non amplius à nobis videndi eſſent. Sic Patriarcha Jacob de Simeone filio in Ægypto relicto, cap. 42. ℣.36. dicebat, *Simeon anennu*, non eſt ampliùs, quia tunc non expectabat ſe eum ampliùs viſurum. Miror itaque Druſium, qui unicuique phraſi ſeorſim ſumptæ inhærens, totum textum non conſideravit, ut ſub Judæorum nomine, Chriſtianos omnes, qui idem ſenſerunt, infantiæ aut puerilitatis argueret. Et certè everſo literæ fundamento, etſi addat ſe nolle repugnare Apoſtolo, enervare tamen conatus eſt veritatem hiſtoriæ, ex qua id Apoſtolus deſumpſit. *Abſit* (inquit) *ut contradicam Apoſtolo aſſeveranti tranſlatum eſſe ne videret mortem. Mortem videt qui moritur. Sed eſt mors quædam peccatorum, de qua ſi Apoſtolus non eſt loquutus, tamen autor libri Sapientiæ pro eo dixit*, ne malitia mutaret intellectum ejus. *Verba ſatis clara, rapuit, ne vitiis ſeculi ſui corrumperetur.* At, ſi ad verba illa reſpexiſſet Apoſtolus, cur claram & expreſſam locutionem mutaſſet in obſcuram & ambiguam? Oſtendere debuit Druſius hanc phraſim *videre mortem*, alicubi pro morte peccati fuiſſe uſurpatam, nec ex Apocrypho libro orthodoxas interpretationes conari convellere. Dicam liberè, viri illius eruditionem agnoſco, in multis probo diligentiam, nec in quibuſdam culpo libertatem. Sed in eo, nunquam mihi placuit, tanquam ex tripode ſæpè prolata ſententia, & aliorum contemptus. Quid enim attinebat tot verbis id infringere velle, quod Apoſtolus tàm perſpicuè ſcripſit, ſi verum erat quod tandem ſubjungit, *potius ſe inclinare ut credat immutatum fuiſſe?* Niſi enim id habeatur ex hiſtoria Geneſeos, certè nutat ejus inclinatio; & probatio, quam affert Apoſtolus, inde deſumpta eſt. Quod autem addit, eos qui immutantur mori quidem, ſed non more communi hominum, proinde non mori dicuntur, id verum non eſt, ſi mors propriè intelligatur, pro ſeparatione corporis & animæ.

Ad Calvinum quod attinet, non poteſt melius defendi à Marii calumnia, quam ſuis verbis. *Impudenter* (inquit) *contentioſus erit, qui non fatebitur aliquid extraordinarium hîc notari: Tolluntur quidem omnes è mundo per mortem, ſed clarè exprimit Moſes, Henoc inſolito modo, & præter conſuetum morem, fuiſſe à Domino receptum. Nam* לקח *Ebræis aſſumere, non minus quam tollere ſignificat. Cæterùm omiſſa voce rem ipſam tenere ſufficit, Henoc in medio vitæ curſu, repentè & inuſitato exemplo evanuiſſe ex hominum conſpectu, quia Deus eum abſtulit, quemadmodum & de Elia factum legimus 2. Reg. 2. v. 11.* Et poſt alia multa in eam rem, tandem concludit, *Porrò ſi quæratur quorſum tranſlatus fuerit Enoch, & qualis nunc ſit ejus conditio, reſpondemus privilegio ſingulari talem fuiſſe ejus tranſitum, qualis aliorum hominum futurus erat, ſi in primo ſtatu permanſiſſent. Etſi enim ipſum exuere oportuit, quod corruptibile erat, exemptus tamen fuit à violenta ſeparatione, quam natura refugit.* Hæc ille. Certè locus Apoſtoli ad Ebræos citatus, dubitationi locum non relinquit, fuiſſe Enochum morte exemptum privilegio Dei ſingulari. Quod verò alii id ipſum probare volunt ex cap. 44. Syracidis, *Henoc placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam:* unde non ſolùm inferunt, non fuiſſe mortuum, ſed etiam in paradiſum fuiſſe tranſlatum, & ſub Antichriſto venturum, ut pœnitentiam hominibus ſuadeat, non convinceret: 1. quia liber non eſt canonicus, 2. quia, quemadmodum etiam animadverſum fuit à Ianſenio & Pererio, Græcè non habentur illa verba, *Et tranſlatus fuit in paradiſum:* & pro aliis illis, *ut det gentibus pœnitentiam*, Græca habent aliter, *exemplum pœnitentiæ generationibus*, ut ſenſus ſit, Deum tranſtuliſſe Henochum virum ſanctiſſimum, ut eo intelligeretur viros pios cordi eſſe Deo, & improbi tunc mirabili exemplo ad pœnitentiam provocarentur. Targum Onkelos, interprete Fagio, negat etiam Henochum mortuum eſſe. *Et non ipſe, quia non mori fecit eum Dominus.* Sic Thargum Hieroſolymitanum, *coluit, ſive ſervivit Henoch in veritate coram Domino, & non ipſe, quia ſubſtractus eſt per verbum à conſpectu Domini.* Adverſus ſententiam illam ire non poſſumus, quam Apoſtolus tam apertè declaravit. Cenſemus itaque Henochum, ſingulari miraculo, à Deo fuiſſe ſublatum, & raptum, ut inter homines vivere deſineret, quorum reſpectu non fuit ampliùs: ſed mortuum fuiſſe negamus. Nam quod objiciunt quidam, Moſem dicere omnes dies Henoch fuiſſe trecentos ſexaginta quinque annos, unde putant ſequi, non amplius vixiſſe, eſt fallacia à dicto ſecundum quid. Agit enim Moſes de diebus illis quibus manſit in converſatione hominum, non de ejuſdem omnimoda duratione.

Non obſtat etiam quod legitur Rom. 5. ℣.14. *Regnavit*

vit mors ab Adam uſq; ad Moſem, in eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem Adami. Id enim intelligi debet, de mortis jure in omnes homines, non quod Deus nullos à morte poſſit eximere. Quid omnes homines meriti ſint his verbis inſinuatur, ſalva tamen extraordinaria Dei diſpenſatione; adverſus quam nihil præjudicant, quæ communiter accidunt. Sic neque quod Apoſt. ad Ebr. 9. ℣. 27. dicit, *ſtatutum eſſe homini ſemel mori.* Id enim intelligitur de ordinaria via & generali regula, quæ non tollitur exemplo uno & altero, ut Enochi, hoc loco, & Eliæ, 2. Reg. 2. ℣. 11. Fuerunt enim cauſæ peculiares, ut Deus hac μετάθεσει publicum ac peculiare teſtimonium daret, doctrinæ de hominum poſt hanc vitam permanentia, & reſurrectione futura, de immortalitate animæ, & vita æterna. Hoc animadvertit Irenæus, lib. 5. cap. 7. *Henoch,* inquit, *tranſlatus eſt, tranſlationem juſtorum permonſtrans. Elias aſſumptus eſt, aſſumptionem Patrum prophetans.* Addimus, quod & ipſi fuerunt morti obnoxii, ac propter adhuc hærens peccatum in carne, ſecundum naturæ curſum ordinarium mortui fuiſſent, niſi ſpeciali Dei privilegio ab hac naturæ lege, & debito omnium communi fuiſſent excepti. Hucuſque igitur, nulla nobis intercedit cum Pontificiis controverſia de raptu Enochi. Concedimus enim corpore & anima raptum fuiſſe à Deo, nec *mortem vidiſſe,* cum id Apoſt. diſertè teſtetur.

Sed Pontificii de tribus inquirunt circa Enochum & Eliam, eaque determinant, in quibus non poſſumus ipſis ſubſcribere. Pertinent autem illa, 1. ad locum, 2. ad ſtatum & conditionem in qua vivunt. 3. ad finem tranſlationis eorum. Non imus inficias hæc etiam poſſe in diſquiſitionē venire, imò poſſe ex Scriptura de his omnibus quantum ſatis eſt, judicium ferri: Sed quæ extra Scripturam proferunt Pontificii, aut ex aliquot locis malè intellectis eruunt, poſſumus eâdem facilitate rejicere, qua obtruduntur. Id antequam faciamus, paucis aperiemus quid de propoſitis ſentiendum ſit. Locum igitur tranſlationis eorum dicimus eſſe Beatorum ſedem. Qui enim poſtquam tempori ſuo cum laude inſervierunt, & cum Deo in hac vita ambularunt, ab eodem rapti, non poſſunt alibi eſſe, quam in loco beatis aſſignato. Itaque de Elia dicitur, *quod tranſlatus fuit in cœlum.* Ita loquitur autor 1. Machab. cap. 2. ℣. 58. *Elias zelo affectus legis tranſlatus eſt in cœlum uſque.* Quæ deſumpta ſunt ex 2. Reg. 2. ℣. 11. ubi expreſſè dicitur, *aſcendiſſe Eliam turbine in cœlum.* Eandem autem eſſe Enocho cum Elia conditionem, non diffitentur Pontificii. Ad ſtatum quod attinet, dicimus eſſe ſtatum beatum, qualis poteſt eſſe eorum qui cum Deo vivunt, poſt hanc vitam; & qualis futurus fuiſſet Adami ſtatus, ſi in innocentia perſtitiſſet, & ſine morte tranſlatus fuiſſet in locum beatis deſtinatum. An autem plena & perfecta fuerit tum eorum fœlicitas, ut ei nihil addi potuerit in omnium Sanctorum conſummatione, diſquiri poſſet; & Calvinum fuiſſe in ea ſententia non negamus, quod etſi in cœlo fuerint, tamen nondum adepti erant cœleſtem gloriam, cujus rei rationem affert, quod cum fuerint ex Eccleſiæ membris, oportuerit eos expectare, donec prodeant omnia Chriſto obviam. Per cœleſtem verò gloriam, intellexit eam quam ipſe Bellarmin. de Sanct. beat. lib. 1. cap. 3. appellat *perfectam beatitudinem corporis & animæ, quam illi adhuc non habuerunt, ne ſine nobis habeant.* Quod Calvinus adverſ. libertinos cap. 22. ſic explicat: *Nam etſi fidelium animæ ſimul atque ſeparatæ ſunt à corporibus, vivunt cum Deo, tamen perfecta omnium filiorum Dei fœlicitas, uſque ad ſecundum Chriſti adventum differtur.* Quicquid ſit, Calvinus fuit in ea ſententia, Enochum fuiſſe cœlo receptum, malis omnibus in perpetuum exemptum, & vita æterna donatum. Qua in re omnes conſentimus. Hoc ſenſu poteſt accipi, quod Tertul. adverſus Judæos cap. 3. Henochum appellat *æternitatis candidatum,* & alii ex veteribus, *obſidem & teſtem vitæ æternæ.* Finem hujus tranſlationis ſi ſpectemus, vix commodiorem poſſumus dare eo, quem Syracides innuit. Id nempè ideò factum fuiſſe, *ut exemplum pœnitentiæ eſſet generationibus.* Syr. 44. ℣. 16. id eſt, ut ita quaſi realem pœnitentiæ concionem mundo proponeret, quia exemplo ſuo docet poſt hanc vitam aliam reſtare, pœnitentibus, ac Dei cultoribus promiſſam.

Quod autem diximus de Enochi & Eliæ tranſlatione in cœlum, idque eo fine ut ibi in perpetuum maneant, ſententia etiam fuit multorum ex veteribus, tam Judæis quam Chriſtianis. Jam audivimus de autore 1. lib. Mac. *cœlum,* inquit, *uſque aſſumptus eſt.* Joſephus Antiq. Judaic. lib. 1. cap. 8. ἔτος ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον, diſceſſit ad Deum. Irenæus lib. 5. cap. 5. *Henochum & Eliam corporibus ſuis tranſlatos fuiſſe in paradiſum, in quem Paulus Apoſtolus aſportatus audivit ſermones inenarrabiles.* Teſtatur autem Paulus, 2. Cor. 11. ℣. 4. fuiſſe tertium cœlum. Ephræm Syrus de *transfigurat. Domini, Chriſtus,* inquit, *oſtendit ſe cœli & terræ creatorem eſſe, ſeque vivorum & mortuorum eſſe Dominum: Imperavit enim cœlo, & Eliam deduxit; innuit terræ, & Moſem ſuſcitavit.* Procopius Gazæus, in cap. 5. Geneſ. poſtquam dixiſſet, *Henochum vivum fuiſſe tranſlatum, ceu ſymbolum conſummationis ſeculi, & ut primitias rationalis creaturæ; Eliam item aſſumptum fuiſſe, & in æterna tabernacula illatum,* objicit ſibi, *qua ratione verum erit illud proloquium Pauli, omnibus hominibus propoſitum eſſe ut ſemel moriantur; nunc verò cognoſcimus magna celeritate raptos & tranſlatos eſſe Henochum & Eliam, & permanſuros perpetuò unà cum ſuis corporibus.* Deinde reſpondet, *Etſi more hominum non legantur defuncti, attamen divina quadam ratione, nobis inexplorata, mortalitatem exuerunt.* Dixerat in cap. 4. *dediſſe eis Chriſtum munus immortalitatis.* Hieronymus adverſus errores Joan. Hieroſ. Henochum *dicit tranſlatum fuiſſe in carne, Eliam carneum*

raptum fuiſſe in cœlum; ubi ait, eos *frui Dei conſortio, & eundem habere Deum, quem & cibum.* Idem cecinerunt Chriſtiani poëtæ. Sedulius Operis Paſch. lib.1.

Aurea flammiferis evectus in aſtra quadrigis
Sidereum penetravit iter.

Alcimus Avitus de Henocho, de diluvio lib.4. cap.6.

--- Quem priſca fides & conſcia virtus
In cœlum ſine morte tulit.

Claudius Marius Victor de eodem, lib. 2. carmin. in Geneſ.

Vivit adhuc, & habet vitæ jam regna futuræ.

His, præter noſtros Theologos, etiam ex recentioribus Pontificiis adſtipulantur nonnulli, ut Auguſt. Eugub. ad hunc locum, & Ambroſ. Catharinus libro de conſummata Chriſti gloria, ubi dicunt Henochum & Eliam, *jam modo frui viſione beatificata.*

His alii opponunt. 1. Nullum corpus mortale, non glorificatum cœlum ingredi poſſe, cum ergò nulla fiat mentio glorificationis Enochi, non convenire ut dicamus eum fuiſſe ſublatum in cœlum, & ibi beatum agere. Reſpondemus, glorificationem corporis ejus, ſatis inſinuari per tranſlationem, & tranſlationis finem ab Apoſtolo aſſignatum, ne videret mortem; non potuit enim immortalitate donari, quam per corporis glorificationem: nam inter præcipuas corporis glorificati dotes, immortalitas primum occupat locum, tanquam aliarum omnium fundamentum. Etſi ergò glorificationis expreſſa non fiat mentio, ea tamen ſatis apertè colligitur ex textu.

Objiciunt 2. Si corpora ſanctorum illorum Enochi & Eliæ ſunt in cœlum ſubvecta, ergò ante Chriſtum aliqui in cœlum aſcenderunt. Hoc autem falſum eſſe probare conantur multis argumentis, quibus ſatisfaciendum eſt.

Dicunt ergò 1. Illud eſſe contra communem Chriſtianorum ſenſum; qui eſt, cœlum uſque ad mortem Chriſti fuiſſe clauſum; & Chriſtum, morte ſua, aditum patefeciſſe. Reſpondemus, morti & ſatisfactioni Chriſti, ab omnibus verè Chriſtianis meritò adſcribi aperturam cœli, per hominum peccata clauſi; Solus enim eſt qui habet *clavem Davidis, qua ita claudit ut nemo aperiat, ita aperit ut nemo claudat*, Apoc.3.℣.7. Sed illi ſenſu Chriſtiano carent, qui tum demùm viam ſalutis & beatitudinis patefactam, & apertam portam exiſtimant, tantùm poſtquam Chriſtus reipſa paſſus eſt, quaſi vis, meritum, & efficacia mortis Chriſti ad tempora antecedentia non extenderentur. Cum Chriſtus ſit *hodiè, heri, & in ſecula.* Ebr.13.℣.8. & Patres ſub V. Teſtam. eandem nobiſcum eſcam ſpiritualem manducaverint, & eundem ſpiritualem potum biberint, hoc eſt, corpus Chriſti crucifixum, & ſanguinem ejus, pro hominum peccatis effuſum. Hæc enim, etſi tum futura & ſperata, per fidem erant præſentia, quæ eſt rerum ſperatarum ſubſiſtentia. Apud Deum etiam, ſatisfactio Chriſti erat præſens & efficax.

Objiciunt 3. Sententiam Domini, Joan.3. ℣.13. *Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.* Quibus verbis ſignificaſſe dicunt, nullum hominem uſque ad illud tempus, conſcendiſſe in cœlum, & cœleſtia luſtraſſe præter ſe ſolum. Non itaque privilegium illud conceſſum fuiſſe Enocho & Eliæ. Reſpondemus fallere adverſarios à figurato loquendi genere, ad proprium; *Aſcendere enim in cœlum*, ibi non dicitur de aſcenſione propriè dicta per motum localem, qualis poſteà fuit aſcenſio Chriſti, tum enim ipſe Chriſtus nondum in cœlum aſcenderat: ſed figuratè dicitur aſcendiſſe in cœlum, qui penetraverat in divina ſecreta, & omnia cœleſtia myſteria noverat. Hoc modo ſolus Chriſtus *in cœlum aſcenderat*, qui in ſinu Patris erat. Quod ſi aſcenſus etiam propriè intellectus, huic ſenſui conjungeretur, non negaret Chriſtus abſolutè aliquem alium in cœlum aſcendiſſe, ſed eo fine aſcendiſſe, ut rediret cœleſtia myſteria patefacturus, ut benè animadvertit Toletus in hunc locum, *Neminem unquam mortaliùm, qui in mundo erant, fuiſſe prius in cœlo, ut deſcendens poſteà, de cœleſtibus viſis loqueretur præter ſeipſum, qui ſemper eſt in cœlo, & aſſumpta carne deſcendit.* Inſtituit enim comparationem Chriſtus inter ſe & alios doctores, & probat ſibi potius de rebus cœleſtibus docenti credendum eſſe, quam quibuſvis aliis, quia ſolus ipſe de cœlis Doctor venit, unde nullus alius eſt expectandus.

4. Addunt eſſe contra Apoſtolum Ebr.6. ℣.20. qui Chriſtum vocat πρόδρομον ſeu præcurſorem in interiora velaminis, ſeu Sancta Sanctorum, quia primus cœlum introivit. Cui congruit illud Joan.14. ubi Dominus Apoſtolis ſuis ait, *vado parare vobis locum.* Ergò ante Chriſti mortem, locus non erat paratus. Reſpondemus, Chriſtum poſſe præcurſorem dici reſpectu eorum qui Chriſti aſſumptionem ſequuti ſunt, ſi ſpectemus realem ſuſceptionem in cœlo & beatorum loco; non ergò ſequitur, Chriſtus fuit præcurſor ratione Apoſtolorum & eorum qui eos ſequuti ſunt, ergò etiam ratione Enochi & Eliæ. Sed præterea addimus, illorum etiam fuiſſe præcurſorem Chriſtum, non quidem actu, ratione aſſumptionis humanitatis ſuæ in cœlis, ſed *virtute & merito*, quo non ſolùm ipſis locum paravit, ſed etiam comparavit. Alioqui, paratum fuiſſe Enocho & aliis omnibus piis locum ante actualem Chriſti aſcenſionem ratione corporis, teſtatur Chriſtus, Matth.25. ℣.31. *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum, quod paratum eſt vobis ab initio mundi.* Et Matth.20. ℣.23. *Sedere ad dextram mihi, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quod ſi quis objiciat, Si iam tum paratum erat, quorſum venit Chriſtus, ut pararet? Reſpond. ab origine quidem mundi fuiſſe paratum, omnibus quos in Chriſto Deus elegit, ſed locum à Chriſto comparandum fuiſſe, nobis à Chriſto præparandis, ratione ſolutionis promiſſæ, cujus vi, anteà quidem conſequebatur effectus, ſed cum reſpe-

ctu ad futuros labores, qui apud Deum certi erant & præſentes.

Subjiciunt 5. Id eſſe contra eundem Apoſt. Ebr. 9. ℣. 8. ubi cum dixiſſet, neminem poſſe ingredi Sancta Sanctorum, præter ſummum Pontificem, qui ſemel in anno non ſine ſanguine intrabat, addit: hoc ſignificante Sp. ſancto, *nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo ſtante.* Quia nimirum pretium nondum erat ſolutum, nondum illud erat exhibitum, quo peccatum ſolveretur. Reſpondeo, totam difficultatem ex eo pendere, ut ſciamus quid per *Sanctorum viam* intelligi debeat, item quid *manifeſtationis* aut *propalationis* nomine. Sanctum Sanctorum olim fuit ipſius Chriſti figura, qui variis modis figuratus fuit per Sanctum Sanctorum, propitiatorium, & Sacerdotem ſummum. Unus & idem homo, hæc omnia ſub typis eſſe non poterat. Sed Chriſtus fuit Sacerdos, victima, altare, arca, propitiatorium, & omnia. *Via igitur Sanctorum*, eſt via ad Chriſtum. Dicitur non fuiſſe *propalata*, non quidem *abſolutè*, ſed *comparatè*, non *communiter*, ut poſteà factum eſt, ſed in uno tantùm populo, ex ſpeciali gratia. Oſtenditur ergò his verbis, non viam ad Chriſtum & æternam ſalutem fuiſſe clauſam, ſed velatam; hoc eſt, Chriſtum non ita fuiſſe apertè revelatum & manifeſtatum, ut poſteà factum eſt, quo tempore ſub typis & ceremoniis legalibus erat adumbratus. Tum autem nullum fuiſſe effectum meriti & ſatisfactionis Chriſti ad piorum ſalutem, abſit ut dicat Apoſtolus. Ergò illud verbum πεφανερῶσθαι, non opponitur clauſuræ, ſed obſcuritati, nec aliter judicavit ipſe Aquinas in Epiſt. ad Ebr. cap. 9. lect. 2. *Durante*, inquit, *veteri Teſtam. via Sanctorum, ſc. Chriſtus, qui dicit Ioan.* 14. *Ego ſum via, nondum venerat. Ipſe enim eſt oſtium, per quod patet introitus in Sanctum Sanctorum. Ioan.* 10. 9. *ſed non erat propalatus, quia latebat ſub figuris literæ obumbratus.* Inde eſt quod in morte Chriſti velum, quod Sanctum Sanctorum obvelabat, ſciſſum eſt. Quo ſignificatum eſt, jam poſt Chriſti mortem, fore aperta & perſpicua, quæ obſcurè ſub typis & umbris latebant. Sic Anſelmus Cantuarienſis, *Non poterat veritas palàm cunctis affulgere, niſi umbra removeretur.* Quod ſi quis inſtet, non tam fuiſſe Sanctuarium intimum inviſibile, quàm fuit inacceſſum, ac proinde cœleſtium bonorum, quæ Chriſtus acquiſivit, non cognitionem tantùm pleniorem, ſed ipſam fruitionem negari, ſtante priore tabernaculo. Reſpond. 1. Id poſſe intelligi de Judæis, in quorum corde tabernaculum primum ſuam habebat στάσιν, & qui ei adhuc erant velut affixi, quibus id Apoſtolus propoſuit, ut Chriſtum amplecterentur. 2. Cœlum etiam ante Chriſti mortem inacceſſum fuiſſe, non ut illud (ante) de tempore intelligatur, ſed de cauſſa quæ eſt ante effectum & cauſſatum; ſaltem in conſideratione. Tamen cauſſa moralis, etſi actu non ſit, ſi ſupponatur futura, ſuum habere poteſt effectum, ante ſuam exiſtentiam realem; quatenus cauſſa efficiens, ab ea poteſt moveri, tanquam quæ conſideratur certò futura. Quod ipſi adverſarii coguntur fateri, cùm Patribus ante Chriſtum, non denegant gratiam juſtificationis & remiſſ. peccatorum, quæ tamen acquiſita eſt morte Chriſti. Quis credet pios illos viros qui ante Chriſtum natum vixerunt, & tum viventes, fruebantur gratiſſima Dei communicatione, poſtquàm peccatores eſſe deſierunt, excluſos fuiſſe ab omni Dei præſentia? Conditionem item martyrum deteriorem fuiſſe poſt, quàm ante martyrium?

Addunt 6. Ingreſſum in cœlum eſſe hæreditatem, quæ datur credentibus ex Chriſti teſtamento. At ubi eſt teſtamentum, non poteſt dari hæreditas, niſi interveniat mors teſtatoris: Ergò nemo potuit ingredi in cœlum, niſi poſt mortem Chriſti. Id deducunt ex verbis Apoſt. Ebr. 9. ℣. 16. Reſpondemus, idem eſſe peccatum quod in præcedentibus, quia non advertunt, ſalutem & hæreditatem ita legari teſtamento Chriſti, ut vis & effectus non ſuſpendatur uſque ad mortem actu perpeſſam. Ideò Chriſtus, teſte eodem Apoſt. ℣. 15. *mortem oppetiit, in remiſſionem tranſgreſſionum, quæ ſub priori Teſtamento erant; ut qui vocati ſunt, promiſſionem acciperent æternæ hæreditatis.* An ergò inde ſequitur, Patres ante Chriſti incarnationem defunctos, redemptionis, juſtificationis, & remiſſionis peccatorum beneficio fuiſſe privatos? Sed id dici non poteſt, quin ſumma ipſis inferatur injuria. Quid ergò? Hæredes fuerunt inſtituti teſtamento, ſicut & nos. Nec dilata fuit hæreditas uſque ad actualem teſtatoris mortem, ſed adita, propter certiſſimam futuram mortem, cujus vis fuit præſentiſſima. Non itaque ratum fuit teſtamentum, niſi interveniente morte teſtatoris; ſed illa apud hæreditatis largitorem præſens erat, & ejus vis & meritum, Enocho & Eliæ, quoad corpus & animam; cæteris, quoad animam, profuit ad beatitudinem.

Inſtant tamen contra glorificationem Enochi & Eliæ. Si, inquiunt, corpora eorum fuerunt glorificata, ergò & animæ gloriam ſunt conſecutæ. Fuerunt ergò & corpore & anima beati ante Chriſti mortem; quod repugnat iis quæ idem Apoſt. ſcribit c. 11. ℣. 39. & 40. epiſt. ad Ebr. ubi de Sanctis V. T. inter quos Enochum & Eliam recenſuit, loquens ait, *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem* (id eſt, promiſſam gloriam) *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Reſp. Apoſtolum id non dicere de Henocho & Elia, ſed de illis quibus dixerat, Ebr. 11. ℣. 13. *Iuxta fidem mortui ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus.* A qua lege generali oſtenderat, ſingulari privilegio exemptum fuiſſe Henochum, qui tranſlatus fuerat ne videret mortem. Ebr. 11. ℣. 5. Sed non agitur ibi propriè de gloria cœleſti; nam per ἐπαγγελίας, quas non ſunt conſecuti, intelliguntur, tum promiſſiones de poſſeſſione terræ Canaam, quam Patriarchæ nondum occupaverãt; tum & maximè, promiſſio de adventu Meſſiæ. Sic rectè intellexit Viegas in Apoc. ad cap. 1. Sect. 11.

num.5. *ne ſine nobis conſummarentur*, &c. *Referendum*, inquit, *hoc ad myſteria gratiæ & incarnationis Chriſti, quia perfecta conſummatio, in lege gratiæ eſt impleta.*

Addunt denique. Falſum erit, *Chriſtum eſſe primogenitum in multis fratribus, & in omnibus primatum tenere*, nimirum non ſolùm in *Geneſi*, quoad divinitatem, ſed etiam in *Palingeneſia*, quoad humanitatem. Quod eſt contra Apoſt. Rom.8. ℣.29. & Coloſſ.1.℣.15. Reſpond. eſſe meram corruptionem Scripturæ. Nam ut à primo loco incipiamus, Apoſt. ad Coloſſ. dicit Chriſtum eſſe *imaginem Dei inviſibilis, primogenitum omnis creaturæ*, id eſt, ex patre genitum antequam ulla creatura conderetur, hoc eſt, eſſe æternum æterni patris filium. Cui teſtimonio nunc volunt Pontificii eos contradicere, qui Enochum & Eliam cenſent fuiſſe cœlo receptos, & jam habere corpora immortalitate glorioſa donata. Ut autem hoc loco Chriſtum dicit eſſe *imaginem Dei, primogenitum omnis creaturæ*, atque ita *hæredem omnium:* Ita ad Romanos ait, Deum *quos præſcivit, prædeſtinaſſe confirmandos imagini filii ſui, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus*. Quis negabit inter hos prædeſtinaſſe Henochum & Eliam, ut conformes eſſent imagini filii ſui, ut reſpectu Enochi & Eliæ, non minus quam aliorum Chriſtus *primogenitus* habeatur? Sed primogenitura in eo non conſiſtit, ut nullus alius in cœlum ingreſſus ſit ſecundum corpus aut animam, aut utrumque, priuſquam Chriſtus carnem aſſumpſiſſet, verum in eo, quod nemo unquam ingreſſus eſt, aut ingredietur, niſi vi & efficacia meriti Chriſti. Quemadmodum Chriſtus non dicitur ἀπαρχὴ, *primitiæ reſurgentium*, 1.ad Cor.15.℣.20. quia nullus ante eum reſurrexit, hoc namq; falſum eſſet, ſed quia ſolus virtute propria reſurrexit, & omnibus iis qui ad gloriam reſurgunt, reſurrectionis cauſa eſt. Ita ſolus virtute propriâ, aſcendit in cœlum, & omnibus beatitudinis cauſa eſt. Itaque, quod dicitur Coloſſ.1. ℣. 17. *in omnibus primatum habet.* Ipſe enim *eſt ante omnes, & in eo omnia conſiſtunt, & ipſe eſt caput corporis, eſtque principium & primogenitus ex mortuis, ut ſit ipſe in omnibus primatum tenens, quoniam in eo complacuit, ut omnis plenitudo habitaret.* Hunc primatum nullo modo tollit, Enochi & Eliæ aſſumptio in cœlum. Quia beneficia Chriſti valent antrorſum & retrorſum, errantque errorem non ferendum, qui vim & efficaciam meriti Chriſti ad vim & momentum illius temporis arctant, quo Chriſtus in ara crucis ſanguinem ſuum effudit.

Stat ergò firma Orthodoxorum ſententia de Enochi aſſumptione in cœlum, ejuſdemque immortalitate. Alioqui quale ſpecimen fuiſſet editum in eo ejus conditionis ad quam homines aſſumendi fuiſſent, ſi in innocentia perſtitiſſent? Si nempè Enoch, ideò vivus conſervatus eſſet in terra, ut iterùm ad homines impios mitteretur, & mortem violentam ſubiret? Examinemus ſententiam Pontificiorum de loco, ſtatu, & fine.

Locum in quo tranſlatus eſt, Bellarminus, Leſſius & Colonienſis Marius, alii etiam, volunt eſſe Paradiſum. Quæ ſententia, ſi de cœleſti paradiſo intelligeretur; nulla nobis eſſet cum illis contentio. Sed paradiſum illum terreſtrem intelligunt, de quo anteà dictum eſt, in quo Adamus peccauit, ex quo expulſus eſt, & planè ab eo exulare juſſus. Vetuſtam hanc fuiſſe nonnullorum ſententiam patet ex Irenæo, lib. 5. cap.5.& aliis quibuſdam; ſed an propterea veritati ſit conſentanea, videndum. Hoc certè ſi ita ſit, neceſſarium eſt hortum illum Edenis, poſt diluvium adhuc integrum manſiſſe, & etiamnum perdurare, ne cogantur autores illius ſententiæ, vel diluvii tempore aliò commigraſſe Enochum fateri, vel Eliam alibi tranſlatum. Hoc itaque etiam illi contendunt; &, vel miracula fingunt, vel paradiſi locum & regionem excogitant ſupra montium omnium quos operuit diluvium, altitudinem. Nihilominus ſunt inter Pontificios non pauci, qui ſententiam illam ad Scripturarum trutinam examinantes, in contrarium abeunt; nec deterret eos audax & temeraria Sixti Senenſis aſſertio, lib. 5. Biblioth. annot.36. ubi ſcribit; Dicere Enochum & Eliam non eſſe tranſlatos in illum paradiſum terreſtrem, inibique verſari, eſſe contra Scripturam, & à recta fidei regula exorbitare. Adverſus quem Benedictus Pererius meritò inſurgit, & autoritatibus Patrum multorum, ac rationibus ex ſacra Scriptura deſumptis oſtendit, non malè judicare qui Paradiſum illum non amplius extare ſentiunt. *Huic* (inquit) *opinioni, quod Paradiſus non exiſtat, adſunt & ſacrarum literarum præſidia, & humanarum rationum firmamenta, &c.* Certè (Mario etiam atteſtãte) quidam Patres, meminerunt tantùm tranſlationis horum Sanctorum in ſecretum quendam terræ locum, ut Gregorius; vel in cœlum, ut Ambroſius; vel in locum ubi Deus ſcit, ut autor libri de montibus Sina & Sion apud Cyprianum; vel de omni loco tacent, ut Tertul. Epiphanius, Auguſt. Alii non eſſe inquirendum dicunt, ut Chryſoſt. & Theodoretus, &c. Rupertus de Trinit. lib.3. cap.33. negat ex Scriptura aſtrui poſſe eos in paradiſum terreſtrem tranſlatos eſſe. Alii qui in paradiſo eos collocant, cœleſtem potius videntur intellexiſſe. Sic Hieronymus, Epiſt.61. modò in cœlum raptos eſſe, mox paradiſi colonos dicit. Sunt inter adverſarios plurimi, qui paradiſum non extare, ſed deſertum & vaſtatum fuiſſe per diluvium pro certo habent. Cujus ſententiæ ſunt Auguſt. Steuchus Eugub. Hieronymus ab Oleaſtrio, Cornelius Janſenius, Maldonatus, Catharinus, Pererius, Genebrardus, Viegas, Cornelius à Lapide, & alii.

Qui contrà ſentiunt Jeſuitæ, ut Bellarminus, Leſſius, & ſimiles, dilutas afferunt ſuę ſententiæ rationes. Fatentur *neſciri ubi ſit Paradiſus terreſtris, ſed credibile eſſe magnam Aſiæ partem amplecti, ubi multa ſunt loca ab hominum conſortio diſſita.* Sed Scriptura apertè docet conſitum fuiſſe Paradiſum in regione Edenis, quæ non eſt valdè magna regio, & ad orientalem ejus partem.

Prætereà

Præterea non ſolùm notæ ſunt & illuſtratæ, ſed etiam habitatæ & cultæ per omnia ſecula poſt diluvium, omnes regionis illius partes in qua hortus ille fuit conſitus. Regio enim Eden eſt pars Babyloniæ, Babylonia autem pars Meſopotamiæ, cujus nulla pars vel incognita, vel inacceſſa, vel inculta eſt. Ideò Benedictus Pererius in Geneſ. lib. 3. q. 5. de Parad. rectè ſic ratiocinatur: Paradiſum fuiſſe in his regionibus, per quas Tigris & Euphrates ex Paradiſi flumine derivati, ſuos agunt curſus, aut certè non procul illis fuiſſe, per ſe manifeſtum eſt. Cum igitur Tigris & Euphrates fontes habeant in Armenia, curſum autem ſuum conficiant per Armeniam, Meſopotamiam, & Aſſyriam, exitum autem habeant in ſinum Perſicum: liquet, vel in iſtis locis, vel non longè ab illis, fuiſſe Paradiſum. Sed in his locis, quæ fuere olim, hodieque ſunt, non modo comperta & nota, ſed etiam à variis Gentibus culta & habitata, nuſquam invenitur Paradiſus: relinquitur ergò nullum eſſe Paradiſum, ſed hunc è medio ſublatum.

Sic etiam Blaſius Viegas in Apoc. 11. comment. 5. ſect. 5. num. 5. Conſtituto, inquit, Paradiſum terreſtrem conditum fuiſſe in oriente circa Meſopotamiam & Armeniam, ducitur ad hanc ſententiam ratio in hunc modum ſanè firmiſſima. Univerſæ illæ Meſopotamiæ & Armeniæ regiones ac provinciæ cultæ hodiè ſunt & habitatæ; nec earum regionum his temporibus vel minimam partem poterit aliquis aſſignare, quæ jam luſtrata non fuerit; & tamen nulla apparent, vel obſcura Paradiſi terreſtris veſtigia: videtur igitur non extare, ſed obrutum cataclyſmo aquis periiſſe. Hæc ille. Si autem Paradiſus non extet, in eo collocari non potuerunt Henochus & Elias.

Bellarmini argumenta, quibus lib. de grat. primi hominis cap. 14. conatus eſt probare Paradiſum illum ſupereſſe, refutarunt ſuprà citati, Viegas & Pererius, cujus poſtremi hæc eſt concluſio, *Nulla igitur, vel probabili argumentatione, Paradiſum nunc exiſtere perſuaderi poteſt.* Abutitur autoritate Auguſtini ex lib. 2. de peccato orig. contra Pelag. & Cæleſt. cap. 23. ubi dicit *fidem Chriſtianam non dubitare Paradiſum eſſe.* Ibi Auguſtinus agit de quæſtionibus, in quibus ſalva fide, quâ Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiva ſuſpenditur, aut aliter quàm eſt, humana & infirma ſuſpicione conjicitur. Exempla multa profert. *Velut*, inquit, *cum quæritur qualis, aut ubi ſit Paradiſus, ubi conſtituit hominem quem formavit ex pulvere, cum tamen illum eſſe Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet.* Hoc vult Auguſtinus, fidem Chriſtianam non dubitare de exiſtentia illius Paradiſi, & hominis in eo collocatione, fuiſſe nempè aliquid reale, & quale à Scriptura deſcribitur. Sed manere nunc Paradiſum in eo ſtatu in quo erat quando ejectus fuit homo, id Auguſt. non dicit. Nec malè Pererius, *Auguſtinum iſtis verbis non aliud ſignificare voluiſſe, niſi Paradiſum quem deſcripſit Moſes, intelligendum eſſe locum quendam corporeum, aſpectabilem, & terreſtrem, non autem, ut Origeni & aliis placuit, tantummodò myſticè & ſpiritualiter eſſe accipiendum. Nam quod ſecundum fidem Catholicam ſentiendum ſit Paradiſum nunc extare, non voluit dicere Auguſtinus. Vbi enim, aut quomodo, hoc fides Chriſtiana docet? An quia perſuaſum eſt multis Henoch & Eliam in Paradiſo verſari? At enim, illo eodem in loco, id dubium & incertum facit Auguſtinus.* Hæc ille. Hoc igitur poſtremum argumentum, ſi in hac cauſa afferant adverſarii, in circulo manifeſto ſaltabunt. Nam ut Henochum & Eliam in Paradiſo verſari doceant, neceſſe habent probare, etiamnum exiſtere Paradiſum: ut autem Paradiſum ſupereſſe probent, afferunt hanc rationem, vt Henoch & Elias *congruentem ſuo ſtatui ſedem haberent.*

At (inquiunt) filius Syrach teſtatur, Eccleſiaſt. 44. ℣. 16. Henochum *tranſlatum eſſe in Paradiſum.* Reſpondemus, neque ibi Eliæ mentionem fieri, ſed Henochi tantùm, neque poſtrema illa verba eſſe Syracidæ, ſed vel Latini interpretis, vel alicujus interpolatoris. Deinde Paradiſi nomen generaliter accipi poſſe (ut etiam notat Pererius) pro amœno quodam loco: & figuratè, pro beatorum habitatione à Scriptura uſurpari: norunt omnes qui verba Chriſti ad latronem legerunt, *Hodiè mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23. ℣. 43. Nec veriſimile eſt lectionem illam, vel fuiſſe veteribus cognitam, vel ab iis pro paradiſo propriè dicto, id eſt, pro horto Edenis acceptam, cum non pauci negaverint locum poſſe definiri in quem deductus fuit Henoch. Et Gregorius, qui Latina verſione uſus eſt, Homil. 29. in Evangelia, non auſus eſt dicere Henochum vel Eliam in Paradiſo verſari, ſed in ſecreta aliqua regione. Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 33. diſertis verbis affirmat nuſquam in S. Scriptura tradi Henochum fuiſſe in Paradiſum tranſlatum: & Theodoretus Quæſt. 45. in Geneſ. ubi quærit, quem in locum Deus tranſtulerit Henochum? *Non ſunt inquirenda*, inquit, *quæ ſilentio ſunt tradita, ſed veneranda quæ ſcripta ſunt.* Si itaque in Paradiſum tranſlatus fuit, eum intelligere debemus in quem raptus fuit Paulus, non autem terreſtrem illum. Aut ſi ibi poſitus fuiſſet, illinc ante diluvium fuiſſe transferendum, alioquin in diluvio periiſſet, tum quia aquæ diluvii totum terrarum orbem obruerunt, Geneſ. 7. ℣. 19. & ſeqq. tum etiam, quia omnis homo qui erat in terra, in diluvio interiit. 1. Petri 3. verſ. 20. præter octo illas perſonas, quæ erant in Arca, ut Scriptura teſtatur. Nam ridicula planè ſunt Pontificiorum ſubterfugia, quæ varietate ſuâ cauſſæ inconſtantiam produnt, aliis dicentibus *aquas diluvii*, quæ univerſum terrarum orbem & altiſſimos montes qui ſub cœlo erant, ſupergreſſæ ſunt, Paradiſum tamen non attigiſſe: aliis, eundem Paradiſum viginti cubitis altiorem imaginantibus altiſſimis quibuſque montibus, ut ſupra aquas diluvii ſcilicet, quinque ſaltem cubitis emineret: aliis laborantibus, ut Henochum in diluvio incolumem ſervarent,

eumque

eumque vel in aëre ſupra aquas, toto diluvii tempore pendulum tenentibus, vel etiam aquis camerato opere, fornicum in morem, tegentibus, vel in angulum aliquem Arcæ, ubi toto diluvii tempore deliteſceret, conjicientibus: aliis denique, Paradiſum uſque ad globum Lunæ in ſublime ſubvehentibus. Quæ certè propoſuiſſe, refutaſſe eſt.

Nec eſt quod quis moveatur Patrum autoritatibus, quas afferunt. 1. Quia ipſi etiam fateri coguntur, Patres in eo variare, nec eodem pede incedere. 2. Quia ab uno ferè id habuerunt, qui illam ſententiam ſequuti ſunt, Irenæo videlicet, viro quidem pio & ſancto, ſed in nonnullis pluſculum credulo. Quam ob cauſam etiam incidit in lapſus ſatis manifeſtos. Sed noſtri Pontificii putant ſe in Irenæi teſtimonio habere nubem teſtium fidei indubitatæ. Nempè quia Irenæus, lib. 5. cap. 5. dicit, Presbyteros, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, dixiſſe eos qui tranſlati ſunt, tranſlatos eſſe ubi primus homo poſitus eſt, ſcilicet in Paradiſum, quemadmodum Scriptura dicit, *Et plantavit Dominus*, &c. Ad quæ verba notat Malvenda de Antichr. lib. 9. c. 4. *Cujus*, inquit, *autoritas, hac nobis in parte, omnium potiſſima meritò eſſe debet, ex traditione Presbyterorum & Seniorum Eccleſiæ, quam nullæ recentiorum argutiæ unquam eludent.* Item, *contrarias opiniones, una Eccleſiæ Presbyterorum traditione ab Apoſtolis immediatè accepta, graviſſimo & omni exceptione majore teſte S. Irenæo aſtipulatore, penitus revinci.* At ſi excutiatur hoc teſtimonium, patebit ilicò ad pompam quidem facere, ſed ad rem minimè. Conſtat enim ex Euſebii hiſtoria lib. 3. cap. ult. Presbyteros illos, Papiæ multa vana perſuaſiſſe, prætextu auditionis ab Apoſtolis, & errores ab initio Chriſtianiſmi invexiſſe, quod etiam duorum inſignium Ieſuitarum verbis, Pontificiis explicabimus. *Non obſtat*, inquit Viegas, in cap. 11. Apoc. com. 5. ſect. 5. num. 9. *illa ab Irenæo commemorata traditio à Presbyteris, qui Apoſtolos audierunt, accepta. Etenim illi ipſi Presbyteri pleraque omninò falſa, & cum divinis literis pugnantia tradiderunt, ut videre eſt apud Irenæum lib. 2. cap. 39. Cujuſmodi eſt illud Chriſtum Dominum annos propè 50. in terris vixiſſe, &c. Quare non eſt quod nos multum torqueat ea Presbyterorum traditio.* Et Pererius in Geneſ. lib. 3. ubi agit de Paradiſo, num. 48. *Verum*, inquit, *Irenæus affirmat, id quod tradit à Presbyteris Aſiæ, diſcipulis Apoſtolorum accepiſſe. Sed quid tum poſteà? An ideò quodcunque ab illis Presbyteris proditum eſt, tanquam certum & indubitatum doctrinæ Chriſtianæ dogma haberi debet? Nonne conſtat iſtos ipſos Presbyteros, eodem referente Irenæo, quædā falſa & divinis literis contraria docuiſſe? Mitto nunc Chiliaſtarum errorē ab iſtis eſſe proſeminatum.* Hæc ille, quibus addo, Irenæum etiam in ea opinione fuiſſe, *non Eliæ ſolùm & Henocho, ſed aliis etiam juſtis hominibus præparatum eſſe Paradiſum: & ibi manere eos qui tranſlati ſunt, uſque ad conſummationem, conſpicantes incorruptelam*, vel, ut alii legunt, *conauſpicantes*. Quæ Pontificiis, ſat ſcio, non probabuntur, & ad errorem Armenorum accedunt, in Concilio Florentino damnatum, de omnium fidelium defunctorum, ante diem judicii, medio quodam ſtatu, extra æternam illam beatitudinem.

Non minùs incertæ ſunt Papiſtarum reſponſiones ad ſecundam quæſtionem de Enochi ſtatu. Nam cum negent eum adhuc immortalem eſſe factum, imò affirment tandem mortem perpeſſurum, eamque violentam, meritò ſolliciti ſunt de multis, ex hac ſua opinione conſequentibus. Dicunt ergò, *neque in ſtatu mortali eſſe, neque in plenè immortali.* Id ſic intelligunt, in ſtatu mortali non eſſe, quia *neque morbo, neque ſenectute deficiet.* Quærunt de veſtitu & victu, de quo fatentur Scripturam nihil exprimere, & Patres ambiguè loqui. Laborant etiam multùm de eo, An confirmatus ſit in gratia? An per bona opera quæ quotidiè operatur, mereri poſſit? Et primæ quidem quæſtioni affirmativè reſpondent. Citant ad id quidam quod dicitur Sap. 4. ℣. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus.* Sed hunc locum ad Henochum ſpeciatim pertinere negat Marius, & de juſto quolibet citò defuncto intelligi debere cenſet. Omninò tamen ſentit, convenire divinæ benignitati eum ad ſtatum talem tranſlatum eſſe, in quo non deſinat placere Deo. De merito ambigunt nonnulli, plerique affirmant eſſe in ſtatu merendi. Qui ambigunt, metuunt, ne ſi ſemper mereatur, in tanto temporis ſpatio, tantam meritorum coacervet copiam, ut Beatæ Virgini, & omnibus Sanctis etiam Beatis Angelis præferatur, & digniorem tandem locum pro meritorum ratione occupet. Aliis is metus ablatus eſt, cenſentibus beatitudinem non tam ſequi meritorum multitudinem, quàm intenſionem & fervorem, in quo Beata Virgo omnes Sanctos ſuperavit. Et hęc omnia magiſtraliter definiunt, nullâ aliâ ratione redditâ, vel teſtimonio aliquo Scripturæ adhibito. Hinc etiam in contrarias ſententias abeunt in quæſtione de beatifica viſione eſſentiæ divinæ, quam Henocho & Eliæ tribuunt, Catharinus lib. de conſum. gloriæ Chriſti, Salmeron, & Barradius, judicantes hoc modo difficultatem tolli de ceſſatione meritorum, quia poſita viſione beata, non ſunt amplius in ſtatu merendi. Item alia difficultas ceſſat: quare feſtum Eliæ celebretur, templa eidem extruantur, & auxilium ejus per orationes imploretur, qui ſi Deum non videat, non vident illi, qua ratione poſſit invocari, & invocantium preces audire. Tertiò, quod ſi non jam fruantur viſione divina, videntur fidelibus qui obierunt, & iis etiam qui vivunt infœliciores, cum neque beatitudinem ſuam habeant, ut Sancti defuncti, neque tamen mereantur, aut brevi eam ſperare poſſint, ut Sancti adhuc vivi.

Alios tamen hæ curæ non ſollicitant, qui exiſtimant, etſi probabilis ſit meritorum in iis ceſſatio, poſſe eandem affirmari, ita ut non inde ſequatur divina viſio. Quia animæ quę ſunt in Purgatorio, in ſtatu quaſi intermedio

medio poſitæ, non merentur. Idem dici poſſe de Henocho & Elia, & aliquid etiam amplius, nempè quod hoc tempore ceſſavit quidem in iis meritum; ſed quia redibunt ad ſtatum noſtrum, eſſe tantùm dilationem meriti; ut in iiſdem eſt dilatio & ſuſpenſio mortalitatis. Poſſe prætereà invocari, quia fundamentum invocationis non eſt beatitudo, ſed amicitia Dei. Poſſe ſcire preces invocantium per ſpecialem revelationem, ſive Angelorum manifeſtationem, ſive per lumen Propheticum, ſive per donum videndi cogitationes cordium, vel alio aliquo modo, veluti ex confabulatione cum beatis, cum quibus loquuntur, vel etiam eos loquentes audiunt, verbo & locutione mentali, quæ conſiſtit in ſola manifeſtatione conceptuum, &c. Nobis autem non eſſe infœliciores, quia de ſua gloria futura ſecuri ſunt: & in gratia confirmatis, corpus non aggravat animam, & Deus compenſabit dilationem gloriæ, ejuſdem magnitudine. Hoc poſtremum, ſi verum ſit, neceſſarium eſt ut præ reliquis omnibus Sanctis in gloria emineant, alioqui non compenſabitur dilatio, ſi nihil habeant præ iis qui ſtatim poſt hanc vitam conſequuti ſunt coronam gloriæ. Hoc tamen abſurdum judicarunt, præſertim comparatione Virginis Deiparæ & aliorum quorundam Sanctorum.

Quærunt prætereà de ſociis cum quibus Henoch vivit, & agnoſcunt quæſtionem eſſe implexiorem quàm ſuperiores. Quidam ipſi ſocium dant Moſem, alii Jeremiam, alii Joannem Evangeliſtam, addunt alii Eliam. Quam opinionem ſolam eſſe veram exiſtimat Marius, tres reliquas rejectitias, etſi ſuos habeant autores inter veteres. Et hæc quidem de ſtatu Enochi ſecundum Pontificios, quæ quàm ſint perplexa, incerta, pugnantia inter ſe adeò manifeſtum eſt, ut non ſit opus ſingula perſequi, quæ vel nituntur ſuppoſitionibus meris, vel ſe mutuò deſtruunt. In has redacti fuerunt anguſtias, poſtquam ſemel ſtatuerunt Henochum adhuc in terris vivere, in paradiſo terreſtri, aut ſimili loco expectare, donec iterùm Deus eum protrudat, ut inter homines tempore Antichriſti Prophetæ munus exerceat, quem præcipuum finem eſſe fingunt, cur in medio illo ſtatu inter mortalitatem & immortalitatem conſtitutus ſit. Jam ergo de illo fine ſupereſt ut videamus quid ſentiant, & unde illum deſumpſerint?

In has ſe conjecerunt anguſtias, quia cum legiſſent Apoc. cap.11. ℣.3. & ſeqq. mentionem fieri *duorum teſtium* Dei, *quibus daturus erat ut prophetarent, diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis*: putarent neceſſarium eſſe, ut per illos duos teſtes, intelligerentur duo individua præciſè ſumpta, & ne aliquid ſupereſſet quod vaticinio ſuo non expedirent, voluerunt duos illos teſtes eſſe Enochum & Eliam. Porrò quia ℣.7. prædicitur beſtiam adverſus eos bellum ſuſcepturam, victoriam reportaturam, occiſuram etiam eos, rectè judicarunt talia non convenire ſtatui beatitudinis & plenæ immortalitatis. Ideò ne cogerentur alios teſtes quærere, quibus id competeret, commenta excogitarunt de ſtatu Sanctorum illorum, quibus exiſtimarunt ſe eludere poſſe quæcunque pugnare viderentur contra præconceptam ſuam opinionem.

Non tamen omnes in eo conſentiunt, nam ut anteà in reliquis, ſic etiam in varias partes abeunt. Qui ſententiam de Enocho redituro tuentur, nituntur precipuè loco Eccleſiaſtici 44. ℣.16. ubi, ſecundum vulgatam editionem, tranſlatus eſſe dicitur, *ut det gentibus pœnitentiam.* Id judicant aptè reſpondere, uni ex duobus illis teſtibus, qui debuerunt prophetare amicti ſaccis. Eſt enim ille veſtitus pœnitentium, vel eorum qui ad pœnitentiam invitant. Sed benè animadvertit Janſenius, ut etiam anteà à nobis dictum fuit, aliter haberi in textu Græco, & id tantùm ſignificari, quod Enoch raptus, hominibus illius temporis fuerit datus à Deo in occaſionem pœnitentiæ, ut ſcilicet ſpe ſimilis fœlicitatis, aut malorum quibus ſubductus fuerat metu, ad pœnitentiam excitarentur. Quam interpretationem affert etiam Pererius in Geneſ. lib.7. num. 137. *Deum idcircò tranſtuliſſe Henoch, virum ſanctiſſimum, ut in eo intelligeretur, viros innocentes & pios cordi eſſe Deo, & improbi, tam mirabili exemplo, permoverentur ad pœnitentiam agendam. Vel ſignificatur Henoch eſſe tranſlatum, quia dum viveret, omnibus erat eximium pœnitentiæ exemplum.* Alcaſar in Apocal. cap.11. ℣. 13. art. 6. non mòdo hanc interpretationem admittit, ſed addit prætereà, ne quidem in Apocalypſi, ubi de duobus Prophetis contra Antichriſtum prædicaturis agitur, de Henocho & Elia agi, imò ſibi certum eſſe *decipi eos, qui opinantur locum Apocalypſeos eſſe fundamentum præcipuum, ut Eccleſia pro certo habeat, Henoch & Eliam eſſe venturos ad prædicandum tempore Antichriſti.*

Et certè fatentur omnes tam veteres quàm recentiores, qui in ea ſunt opinione, non haberi ex ſacra Scriptura, quod hi duo teſtes futuri ſunt Henoch & Elias. Quidam etiam Moſem Eliæ conjungunt; alii Jeremiam, non Henochum. Quod autem de circumſtantiis perſonarum dicunt, quæ ita deſcribuntur, ut ipſis competant quæ de Elia & Henocho alibi dicta ſunt, non convincit, 1. quia id non verum eſt in pleriſque, nedum in omnibus. Certè quod dicitur ℣. 4. *Hi ſunt duæ illæ oleæ & duo candelabra in conſpectu Dei terræ poſita*, apud Zachariam, non de Henocho & Elia dici, ſed de Jehoſchua ſummo Sacerdote & Zerubabele. Zach. 4. ℣.3. Tale quid ſi haberent Pontificii pro ſuo commento, non tamen obtinerent quod volunt; quia ſæpè in Scriptura quæ ventura ſunt, deſcribuntur terminis petitis ab iis quę præterierunt rebus, ſi inter eas ſit aliqua analogia. Inde eſt quod Joannes Baptiſta velut alter Elias nobis proponatur, quod cum nollent Pontificii intelligere, ad Judaicas fabulas de Eliæ adventu in propria perſona, ſe converterunt.

Quod autem de morte Henochi dicunt, ad quam referunt, ut & ad martyrium Eliæ, ℣.7. cap.11. Apocal.

& *beſtia occidet eos, & cadavera eorum jacebunt in plateis urbis magnæ*; id non convenit cum rationibus & finibus, quas attulerunt veteres tranſlationis illorum hominum, ut quod Epiphanius in Anchorato dicit, *in corpore & anima remanſiſſe eos propter ſpem*, reſurrectionis nempè & immortalitatis. Dixerat enim, *Enochum fuiſſe in præputio, & præputium non prohibuiſſe quominus reſurgeret, aut quominus vitam adhuc ſuam in corpore ſuſtentaret.* Verba ſunt, οὐκ ἐκώλυσεν ἡ ἀκροβυστία τὴν ἀνάστασιν, οὐδὲ τὴν τοῦ σώματος διὰ βίου τῆς ζωῆς ὑπομονήν. Ex quibus conſtat eum pro reſurrectione habuiſſe, illam Enochi tranſmutationem. Non ergò exiſtimavit eum addicendum eſſe poſteà morti. Juſtinus Martyr, aut quiſquis eſt autor Quæſt. ad Orthod. quæſt. 85. aſſerit, illos *in immortalitate manere.* Autor libri de aſſumpt. Domini apud Athanaſium, *Henochum*, inquit, *è medio rapiens, mortem hominum victam oſtendit, & docuit immortalitatis terminos accipere vitam mortalem.* At quomodo id docere poterat, qui mortale corpus circumferebat, & laniena deſtinabatur? Quomodo ſecundum Chryſoſtomum, Homil. 21. in Geneſ. factus fuit Henoch *ſuperior ſententia mortis, quam contra genus humanum protulerat Deus*, ſi adhuc obnoxius ſit violentæ morti? Quomodo, ſi *ſpirituale corpus habuit, quale fuit Chriſti quando reſurrexit*, ut voluit Epiphan. Hæreſ. 64. in corpus illud ſpirituale ſævituri ſint Tyranni?

Irenæus, quem ad ſuam trahunt ſententiam, lib. 5. cap. 5. dicit, *eos manere uſque ad conſummationem conſpicantes incorruptionem.* Si uſque ad conſummationem maneant incorruptibiles, quis credet eos poſt conſummationem corruptibiles futuros? Quod ſi cum Feuardentii veteri libro legamus *coauſpicantes*, fortius adhuc ſtringet nodus. Qui enim *coauſpicati ſunt incorruptionem*, corruptioni obnoxii eſſe non poſſunt.

Ratio quam afferunt adverſarii nihil ad rem facit. Nullam reddi poſſe cauſſam finalem tranſlationis Henochi & Eliæ, hac quam aſſerunt ſublatâ. Fuerunt enim vivi in cœlum tranſlati, ut eſſent ὑποδείγματα mundo, quanti Deus pietatem faceret, & ita oſtenderetur, vitam immortalem piis eſſe paratam. Ipſi adverſarii hanc etiam afferunt rationem, propterea raptum fuiſſe Henochum, ut præberetur nobis ſpes immortalitatis. Ut paucis abſolvam, aut invertenda ſunt verba Apoſtoli, Ebr. 11. *Fide Henoch tranſlatus eſt, ut videret mortem*, aut ſi maneant ut ab Apoſtolo ſcripta ſunt, *ne videret mortem*, fatendum eſt tranſlationem illam Henochum à morte exemiſſe. Cum itaque habeamus expreſſum & perſpicuum Scripturæ teſtimonium, non opus eſt ut in teſtimoniis humanis refellendis diutius hæreamus.

Sed priuſquam ad alia tranſitum faciamus, ne aliquid quod de Enocho in Scriptura dictum ſit, à nobis intactum relinquatur, expendendam ducimus ſententiam Apoſtoli Judæ, ℣. 14. *Prophetavit autem de his ſeptimus ab Adam Henoch, dicens, Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis, &c.* Cum Epiſtola Judæ ſit Canonica, nec credendum ſit in ea aliquid falſi aut dubii admiſcere voluiſſe Apoſtolum, quam citat prophetia, certa & indubitata haberi debet. Sed unde eam hauſerit, ab interpretibus fuit quæſitum. Tria poſſunt excogitari, ex quibus id in notitiam Apoſtoli potuit venire. I. Traditio aliqua quæ tum fuerit nota, & in ore omnium, à patribus accepta. II. Liber aliquis vetus, aut ab ipſo Enocho ſcriptus, aut ab alio poſteà qui res Henochi deſcripſerit. III. Revelatio aliqua ſingularis à Deo facta. Plerique voluerunt hæc citata fuiſſe ex aliquo libro Henochi nomine vulgato. Idque Auguſtinus certum putat, Henochum ſcripſiſſe aliquem librum, lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. *Scripſiſſe*, inquit, *nonnulla divina Enoch illum ſeptimum ab Adamo, negare non poſſumus, cum hoc in Epiſtola Canonica Iudas Apoſtolus dicat.* Pace nihilominus tanti viri, hoc non dicit Apoſtolus. Prophetaſſe dicit, ſed ſcripſiſſe librum, aut librum tunc extitiſſe non dicit. Non malè itaque Serarius in Epiſtol. Judæ, *Ex hoc loco probari non poſſe, Prophetiam hanc Enochi librum fuiſſe.* Conſtat tantùm ex Epiſtola Judæ, prophetaſſe ipſum Enoch, an verò literis mandarit ſuam Prophetiam, non conſtat.

Certum eſt olim, idque primis Eccleſiæ temporibus, nomine Enochi ſcripta quædam fuiſſe evulgata, quorum non ſolùm Auguſtinus loco citato meminit, ſed etiam vetuſtior multo Origenes, Homiliâ vltimâ in Numeros, ubi non unum, ſed plures Enochi libellos fuiſſe oſtendit; & è primo iſtorum libro, multa quæ ad Judæ etiam locum pertinent, Græcè deſcripſit illuſtris Scaliger, in notis Euſebianis, pag. 244. ubi etiam oſtendit librorum titulum fuiſſe περὶ τῶν ἐγρηγόρων, *de vigilibus*, ſcilicet *Angelis.* Sed librum vocat commentitium, à Judæis confictum, in quo tot agnoſcit quorum pigebat, tædebat, pudebatque, ut, inquit, niſi ſcirem Judæorum eſſe mentiri, neque nunc illas nugas deſinere poſſe, ne digna quidem cenſuiſſem quæ legerentur. Sed quia ex Ebraiſmo converſa ſunt, ut etiam mediocriter Ebraicè perito conſtare poteſt, & vetuſtiſſimus eſt liber, & à Tertulliano ex eo quædam adducuntur; &, quod caput eſt, locus, qui in Epiſtola Judæ ex hoc loco producitur, manifeſtò ex hoc fragmento excerptus, malui tædium deſcribendi devorare, quàm committere, ut illis benevoli lectores diutius carerent. Hæc ille.

Librum illum ſub Henochi nomine ſcriptum, Canonicum exiſtimavit Tertullianus libro de habitu mulierum, cap. 3. ubi pluribus argumentis ejus autoritatem aſſerere conatur, & in Judæorum malitiam rejicere, quod in dubium revocetur, conjectans à Noacho fuiſſe vel conſervatum, vel poſt cataclyſmum reſtauratum. Certum eſt etiam, Methodium Martyrem, B. Cyprianum, Irenæum, Iuſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, & Athenagoram, tanti feciſſe librum

ſub

ſub Enochi nomine ſuppoſitum, ut inde errorem ſuum hauſerint de Angelis malis, qui aſſumptis corporibus, ex filiabus hominum Gigantes ſuſceperint. Serarius tribuit etiam Bedæ in Epiſt. Judæ ſcribenti, quod eundem librum putavit Canonicum, ſed falſò. Sic enim ille. *Vera quidem eſt hæc ſententia, quia Dominus in judicio veniens, impios, non ſolùm de operibus, ſed etiam de verbis arguet; & judicabit iniquitates. Attamen ſciendum, quia liber Enoch, de quo illam aſſumpſit, inter Apocryphas ſcripturas ab Eccleſia deputatur, non quia dicta tanti Patriarchæ abjici ullatenus poſſint, aut falſa debeant æſtimari; ſed quia liber ille, qui ſub nomine ejus offertur, ab alio quodam editus videtur. Si enim verè ejus eſſet, non eſſet fidei Chriſtianæ contrarius. Nunc autem, quia multa incredibilia continet, in quibus illud eſt de gigantibus, qui non habuerint homines Patres, ſed Angelos, meritò doctis claret, non eſſe viri veracis ſcripta, quæ mendacio ſordent. Vnde & hæc eadem Iudæ Epiſtola, quia de Apocrypho libro teſtimonium habet, primis temporibus à pleriſque rejiciebatur: Tamen autoritatem jam vetuſtate & uſu meruit, ut inter ſanctas Scripturas computetur, quia tale teſtimonium de Apocrypho Iudas aſſumpſit, quod non Apocryphum & dubium, ſed veræ lucis lucida eſſe veritate conſpicuum.* Hæc ille. Quibus redarguitur Serarii error, tribuentis Bedæ contrariam planè ſententiam. Pleraque autem quæ ibi dicit Beda, deſumpſit ex Hieron. qui lib. de Script. Eccleſ. aſſerit, propterea Epiſtolam Judę à quibuſdam Eccleſiaſticis Patribus fuiſſe rejectam, quod Apocryphum librum Henoch citet. De quo tamen Apoſt. Judam excuſat, in comment. Epiſt. ad Titum, quod uti liceat parte libri, etiam ſi totum librum quis non approbet. Chryſoſt. comment. in cap. 6. Geneſ. ſententiam illam de Angelis ex libris Enoch deſumptam, fabulam nuncupat. Auguſtinus pleniſſimè hanc quæſtionem tractat, de Civit. Dei lib. 15. cap. 23. & lib. 18. cap. 38. ubi oſtendit, libros illos eſſe Apocryphos, & fabulas continere, & Canonis caſtitatem eos non recipere, &c.

Serarius in Epiſt. Judæ, etſi agnoſcat Apocryphos eſſe libros, qui ſub Enochi nomine circumferebantur, exiſtimat nihilominus veriſimillimum, 1. Fuiſſe aliquem librum Enochi: 2. Ab ipſo Enocho fuiſſe ſcriptum: 3. A principio fuiſſe Canonicum, 4. poſteà fuiſſe inquinatum nonnihil ac depravatum, 5. etiamſi Apocryphus tãdem factus ſit, non ſequi tamen in eo veri nihil fuiſſe. Quemadmodum enim in profanis poſſunt quædã eſſe vera, quæ ipſe atteſtetur Sp. ſanctus, uti Act. 17. in Arato, 1. Cor. 15. in Menandro, Tit. cap. 1. in Epimenide Cretenſi, vel Callimacho, ſic & in Apocryphis. Primum verum eſſe non dubito, fuiſſe aliquem librum eumque vetuſtiſſimum, ſub Enochi nomine. Secundum falſum eſſe certum mihi eſt, ab Enocho fuiſſe ſcriptum. Scio Joſephum, & alios ex illo, meminiſſe duarum columnarum, unius lateritiæ contra incendia, alterius æneæ contra inundationes, quibus volunt Enochum aut etiam Sethum, inſculpſiſſe liberales artes, præſertim doctrinam de Deo & Mathematicas. In earum altera, fuiſſe promiſſionem de ſemine Adamo factam. Sed an fides ſit adhibenda talibus narrationibus, judicandum naſutis relinquo. Quicquid ſit, hæc non pertinent ad libros Enochi, quos planè ſuppoſititios eſſe, ut mihi perſuadeam, facit quod in Eccleſia Dei ante Babylonicam captivitatem in nullis Prophetarum libris ſit mentio tam rari theſauri, quem non credibile eſt, ſi in rerum natura fuiſſet, Moſem latuiſſe; qui etiam ſcriptorum Enochi meminiſſet in hac hiſtoria, ſi tunc extitiſſent. Tertium itaque falſum eſt, talem librum ab initio fuiſſe Canonicum. Cenſeo potius, Henochi nomine ſcriptum fuiſſe à quibuſdam Judæis librum, in quo admiſcuerunt nonnulla bona, quæ fortè ex traditione de Henochi Prophetiis audiverant, prout notum eſt ad talia fuiſſe proclives Judæos, & vera fabulis admiſcuiſſe. Nec negarem librum illum progreſſu temporis, magis ac magis fuiſſe inquinatum. Itaque merito ſuo tanquam Apocryphum rejectum. An verò ex illo libro Judas teſtimonium illud acceperit, dubitari poteſt. Nollem tamen multum repugnare, & tum locum haberet quod quinto loco ex Serario adduximus; Liberum eſſe ſacro ſcriptori ex Apocrypho, vel etiam prophano ſcripto, ea ſeligere quæ ad ædificationem faciunt, eaque ſanctificare in Eccleſiæ uſum. Addo tamen, ubi agitur non de aliqua ſententia morali quæ à quolibet pronunciari poteſt; ſed de Prophetia, tunc neceſſariam fuiſſe Sp. ſancti peculiarem revelationem Scriptori Canonico, puta Judæ, ut certò ſtatuere potuerit talem prophetiam, quæ ab autore Apocrypho recitatur, ab Enocho manaſſe. Alioqui ſi Apocryphi libri niteretur tantùm autoritate, non magis eſſet Canonica relata à Juda Prophetia, quam apud Apocryphum ſcriptorem. Nec tamen ſequitur, ſi Canonicus ſcriptor aliquando ea admiſceat ſuis libris, vel quæ ex traditione habentur, vel ex libris dubiis, eadem nobis libertate utendum eſſe, in rebus ad confirmandam fidem facientibus, quia non habemus eam menſuram ſpiritus diſcretionis, quæ data eſt Apoſtolis. Quod ſi quandoq; in iis quæ mores ſpectant Ethnicorum ſententias uſurpemus, id fieri non debet, niſi in iis in quibus conveniunt cum lege divina; quia in talibus κριτήρια habemus certiſſima. Sed in narrationibus præteritarum rerum, non poſſumus fidem eis adhibere certam, multo minus in prædictionibus futurarum, quia talium veritas humanam certitudinem non excedit, niſi etiam conveniant in omnibus cum ſacra hiſtoria. Sed quando Canonici ſcriptores, talia dicta faciunt ſua, tunc divinam autoritatem conſequuntur. Ex quibus patet, quàm ineptè paralogizent Pontificii, quando ex eo quod Apoſtoli aliquando vel ex traditione, vel ex humanis ſcriptis, aliquid quod ad res divinas facit, tranſcripſerunt, idem ſibi in omnibus licere volunt, & pari paſſu ambulare, cum tamen alia

ſit planè ratio eorum quos Sp. ſanctus immediatè agebat, & aliorum omnium, qui poſt Apoſtolorum tempora, non eadem ſpiritus menſura donati ſunt, nec tali teſtimonio ornati.

Et hæc quidem de Henochi raptu, loco, ſtatu, fine, & lucubrationibus, quantúm ſatis eſt. Superſunt ad finem uſque capitis, quæ pertinent ad propagationem generis ſancti. Lemecho Enochi filio natus eſt Noachus, cujus nominis ratio à parentibus ea datur, זה ינחמנו *zeh jenachamenu*, ipſe nos conſolabitur, & à dolore manuum noſtrarum, &c. נוח *noach*, quietum ſignificat. An reſpexerit ſpiritu prophetico Lémech, ad id quod poſteà accidit, quod tempore Noachi Deus poſt diluvium, quietem terræ reddidit, dubitari poteſt. Certum eſt aliquid in futurum præſagire voluiſſe, & de filio benè auguratum fuiſſe, ſed eò uſque penetraſſe, vix adduci poſſum ut credam. Non puto enim reſpexiſſe ad ſolatium adverſus maledictionem futuram diluvii tempore, ſed contra maledictionem inflictam poſt Adami peccatum, ſperaſſe aliquod ſolatium ex recens nato filiolo, vel aliquam recreationem inter exantlandos labores in cultu terræ. Non tamen negaverim pium Lamechum reſpexiſſe tum ad impietatem hominum ſui temporis, quæ tum plurimum graſſari cœperat, mortuis Adamo & Setho, rapto item Henocho, quorum inſtitutio & reverentia hactenus multos ab impietate continuerat. Quod enim circa hæc tempora magnus ad impietatem gradus factus eſſet, indicat paucis Joſephus Antiquit. lib. 1. cap. 3. *ſuperſtite etiam Adamo homines ſceleratiſſimos fuiſſe, dum poſterior ſit deterior, nec ſolùm imitatur priorum vitia, ſed & ſuperat.* Quæ perverſitas, quantùm afflixerit pium virum non ſatis exprimi poteſt. Affulget illi ſpes aliqua melior in nativitate filii, de quo meliora omnia ſibi jure pollicetur. Id autem facere debuit ad levamen maledictionis terræ, ſi reſtitutâ & redintegratâ pietate, Deus non ſolùm ob Adami peccatum, ſed etiam ob corruptionem magis ac magis invaleſcentem, ad iram provocatus, tandem placaretur, & benedictionem ſuam terræ redderet. Et quamvis omen fuerit affectionis paternæ, non dubito tamen Deum inſpiraſſe etiam bono parenti inſtinctum quendam & impulſum, quo præſagiret in genere, bona quæ poſteà Deus per Noachum diſpenſavit.

Noacho poſtquàm fuit natus quingentos annos, tres filii nati ſunt, ex quibus poſt diluvium mundus fuit inſtauratus: fuerunt autem illi Sem, Cham, & Japhet; non quod nati ſint eodem anno, ſed quia omnes poſt annum Noachi quingenteſimum nati ſunt. Quo autem anno determinatè quiſq; eorum natus eſt, incertum eſt. Nec tamen propterea nutat ſacra Chronologia, quæ deducitur à Semo. Nam cap. 11. ℣. 10. diſcimus biennio poſt diluvium, Schemum fuiſſe centum annorum, cum ei natus eſt Arpacſchad: Diluvium autem incidit in annum Noachi ſexcenteſimum, unde ſequitur Schemum natum eſſe, anno patris quingenteſimo ſecundo. Sic procedit commodè ordo temporum. Mirum autem videri poteſt, quod poſt annum quingenteſimum tantùm, fuit Noachus pater filiorum. Alios enim anteà filios genuiſſe credibile non eſt, fuiſſetque optimo parenti gravis afflictio, ſi numeroſam prolem coactus fuiſſet relinquere cum aliis aquarum diluvio perdendam. Nec tamen propterea putandum Noachum eò uſque vel cœlibem vixiſſe, vel continentem, ſed illorum mihi arridet magis conjectura, qui non ſine providentia Dei ſpeciali factum cenſent, ut ſterilis fuerit, donec adveniente cataclyſmo, Deus ipſi ſemen conceſſit non ita numeroſum, ſed tale quod commodè arca continere poſſet, & quod ſufficeret ad propagationem generis humani. Nomen impoſitum eſt Schemo, à voce *nomen* ſignificante, quaſi *nominatus*, aut *nominans* nomen, nempè, Jehovæ. Japhet, quaſi πειθήνιος, fidelis, obſequens, unde & paranomaſticum illud Noachi oraculum, *Blandè pelliciat & ad fidem alliciat Deus Iaphetum.* Geneſ. 9. ℣. 27. יפת אלהים ליפת *Iaphth Elohim lejephet*. Hunc poſteà Latini Japetum dixerunt. Cham autem, eſt calidus, vel niger. Quis eorum fuerit primogenitus dubitatur. Nam etſi dignitas primogenituræ ceſſerit Schemo, ſunt tamen qui Japhetum naturâ primogenitum fuiſſe ex eo probant, quod infrà cap. x. ℣. 21. dicitur Sem *frater Iephet, majoris*, aut, ut Tremel. & Junius vertunt, *natu maximi*. Ideò ſic ratiocinantur, Noach anno ætatis quingenteſimo gignere incœpit. Sem natus eſt anno patris quingenteſimo ſecundo, Cham autem diſertè minimus natu dicitur, cap. 9. ℣. 24. Inde manifeſtè colligitur Japhetum fuiſſe natu maximum. Quæ ſententia eſt etiam Ebræorum, & eam ſequuntur, præter Tremel. & Junium, Lyranus, Abulenſis & Genebrardus. Item doctiſſ. Mercerus. Alii qui exiſtimant, non præciſè poſitum fuiſſe numerum annorum Noachi cum genuit, ſed tantùm voluiſſe id exprimere Scripturam, non priùs genuiſſe, quàm quingenteſimum annum impleviſſet, Schemum fuiſſe naturà & prærogativâ primogenitum cenſent, & verba hiſtoriæ ſecundum vulgatam verſionem eſſe legenda, *fratre Iaphet majore.* Ideò quod nunc legitur in editione Gręca ἀδελφῷ Ιαφὲθ τοῦ μείζονος, exiſtimant eſſe mendum quod poſt tempora Auguſtini irrepſit, cum ille qui LXX editione utebatur, aliter legerit. Chryſoſtomus tamen qui Græca uſus eſt editione, ita legit Homil. 30. in Geneſin. Tametſi legeretur *major*, poſſet intelligi non comparatè ad Japhetum, ſed ad alium minorem Japheti fratrem, ut Mercator obſervavit in Chronologia, & poſt eum Pareus. Repugnat illuſtris Scaliger, nec eſt lis tanti momenti, ut propterea neceſſe ſit vadimonium deſerere. Ego cum doctiſſ. Mercero, ut exacta magis ſit ratio temporis, Japheto nativitatis primas darem, etſi Schemo primogenitura gratiæ ceſſerit, ex quo Meſſias naſci debuit.

AD

AD CAPVT VI.

EXERCITATIO L.

Qui filii Dei à Moſe dicti fuerint? הנפלים qui? Nominis etymum. Angeli filii Dei dicti. Chryſoſtomi hallucinatio. Accipere ſibi uxorem, aut mulierem, non eſt rapere. Druſius refellitur. Nuptiæ in cultus diſparitate prohibitæ, etiam naturali lege. Filii Dei, cultores Dei. Gigantes qui fuerint. Pulchritudo & forma in conjugio, quomodo in conſiderationem venire debeat? Expenditur veterum ſententia de Angelis cum mulieribus commixtis. Eadem refutatur. Druſii ſolutiones examinantur. Quæſtio de incubis & ſuccubis. An veros homines generare poßint. Negativa confirmatur. Delrio refellitur. Ejus pudendum commentum de poteſtate Diaboli circa virgines.

GEneſ. cap. 6. ℣. 2. *Viderunt filii Dei, filias hominum, quod pulchræ eſſent, & acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant.* In verſione nulla eſt difficultas, ſed in oppoſitione filiorum Dei & filiarum hominum, præſertim propter vulgatam interpretationem vocis הנפלים *hanephilim* verſ. 3. *Gigantes fuerunt in terra, in diebus illis, & etiam poſteà quàm ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, &c.* Qui enim gigantum nomine intelligunt homines prodigioſæ proceritatis, putarunt ex congreſſu Angelorum cum filiabus hominum genitos fuiſſe. Occaſionem huic ſpeculationi dedit, verſionis LXX vetus editio, quâ uſi ſunt Philo Judæus & Euſebius, in qua voces illæ בני אלהים *benei Elohim*, vertuntur per has, οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ. Quam verſionem Aquilam imitatum fuiſſe teſtatur Hieronymus: *Aquila*, inquit, *plurali numero filios Deorum auſus eſt dicere, Deos intelligens Sanctos, ſive Angelos.* Symmachus δυναστευόντων, *potentum, id eſt* (inquit Procopius) *Sanctorum, qui divino auxilio muniti, audent reſiſtere adverſariis.* Chaldæi Paraphraſtræ Onkelos & Jonathan, eundem ſenſum expreſſerunt, vertentes filios potentum, vel magnatum.

Vocem הנפלים *hannephilim*, à radice נפל deſcendere, in confeſſo eſt. Eſt autem *naphal*, cadere ſeu ruere. unde alibi in Scriptura, *hannophelim* dicuntur *defectores*, quaſi cadentes. Sic Jerem. 37. ℣. 13. & 38. ℣. 19. qui ad Chaldæos deficiebant, & 2. Reg. 25. v. 11. qui ad Regem Babel, *hannophelim* dicebantur. Tremel. & Junius in prima editione, hanc ſignificationem ſunt amplexi. In ſecunda repoſuerunt communem, *Gigantum*, ut Num. 13. v. 37. *Vbi vidimus Nephilim, filios Enak de gigantibus:* quos ita dictos volunt Ebræi, quia reliquum hominum vulgus, propter immodicam eorum proceritatem, coram illis quaſi cadere videbatur. Alii ſic appellari volunt, quaſi *irruentes.* Verbum enim נפל id ſignificat. Pſal. 10. v. 10. *cadit validis ſuis*, ſubauditur membris, aut lacertis; *in turbam attritorum*, id eſt, *irruit.* Aquila idcircò vertit, οἱ ἐπιπίπτοντες, id eſt, *irruentes*, & eodem ſenſu Symmachus οἱ βίαιοι, violenti. Quod de priori illa LXX interpretum lectione, *Angeli Dei*, diximus, habemus à Sixto Senenſi. Sed quia conſtantiſſimè apud omnes codices legitur, υἱοὶ θεοῦ, filii Dei, & ſic apud alios ex veteribus qui textum ipſum exprimunt, crederem Philonem & Euſebium, non tam verba LXX expreſſiſſe, quàm ſenſum ſuum præconceptum, & potius ſic ex Ebræo vertere voluiſſe, quia nomen Elohim pro Angelis etiam accipi notum eſt. Diverſorum tamen exemplarium, quorum illi *Angeli Dei*, hi verò *filii Dei*, legendum proponebant, meminit Serenus apud Caſſianum collat. 8. cap. 21. Quod fortaſſe ad Italicam verſionem Latinam referendum, quam ſequutus eſt Auguſt. de Civit. Dei cap. 23. lib. 15. ubi *Angelos Dei*, appellat, qui hîc dicuntur *filii Dei.* Idem in quæſt. ſuper Geneſim, *nonnullos Græcos & Latinos codices, Angelos non habere* dicit, ſed *filios Dei.*

Prima difficultas in eo eſt, quid per *filios Dei* Scriptura intelligat? Chryſoſt. Homil. 2. in Geneſ. negat *Angelos* in ſacra Scriptura unquam fuiſſe appellatos *filios Dei*, vel etiam ſimpliciter *filios.* Qua negatione putabat ſe ſufficienter poſſe redarguere eos, qui per filios Dei, hoc loco, non homines, ſed ſpiritus Angelicos, ſive bonos, ſive malos, ſignificari putarunt. Contrarium tamen verum eſſe conſtat ex Job. 1. v. 6. *Cum veniſſent filii Dei, & ſtarent coram Domino, &c.* & ejuſdem lib. cap. 38. v. 7. Quo ſenſu accipiunt etiam nonnulli, illud Daniel. 3, v. 25. *Et ſpecies quarti, ſimilis filio Dei*, id eſt, Angelo. Quem ſenſum indicavit Hieronymus, etſi veterum multi hunc Meſſiam fuiſſe putarint, qui jam tum ante ſumptam humanam naturam, ejus ſimilitudinem induerat, ut ſe quodammodo ad futurum redemptionis officium exerceret. Sed non video quomodo id potuiſſet eſſe notum Nebucadnetzari, qui poſteà ſenſum ſuum adeò clarè explicat, ut nullus ſit dubitandi locus, verſ. nempè 28. ubi benedicit Deo, *qui mittens Angelum ſuum eripuit ſervos ſuos, &c.* Cur autem Angeli dicantur filii Dei, eadem eſt ratio cum eâ quâ etiam Dii appellantur, ut & Magiſtratus. Junguntur enim duo illa Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*, nempè propter dignitatem, adde etiam pulchritudinem & formam quâ apparebant, quod ex loco Danielis patet, *forma quarti ſimilis eſt filio Dei*, id eſt, venuſtiſſima & quaſi divina, ut Home-

rus ἀντιθέους, θεοικέλους, & διογενεῖς nominat, heroës, & formâ præſtantes viros. Non debuit ergò negari à Chryſoſtomo, quod adeò expreſſum eſt; ſed in eo deceptus fuit, quod Ebræo textu non conſulto, quia vidit apud Jobum in editione LXX. ubi habemus *filii Dei*, οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, putavit nuſquam reperiri in Scriptura, Angelos filios Dei eſſe appellatos. Non ergò eò recurrendum, ut negemus hoc loco, per *filios Dei*, Angelos intelligi. Concedimus ſic appellari. Nec repugnat quod Apoſtolus ad Ebr. 1. ℣.5. negat, Deum cuiquam Angelorum dixiſſe, *Filius meus es tu*. Neque enim propterea negat eſſe filios Dei per gratiam, ſed tantùm per naturam, quod verba ſequentia oſtendunt, quæ non ſunt divellenda, *Ego hodiè genui te*. Ubi obiter notandum eſt Apoſtolum argumentari *à non dicto*, ſeu, ut loquuntur, ab autoritate negativè. Quod argumentum ex Scriptura valet, in rebus ad ſalutem neceſſariis, id eſt, neceſſariò credendis, & arguit Scripturam illa omnia perfectè continere, alioquin eſſet argumentum planè inefficax.

Angelos igitur *filios Dei* appellari poſſe, & etiam reipſa in Scriptura nominari, in confeſſo ſit. Sed hominibus quoque in eadem Scriptura appellationem illam communicari, negari non poteſt. Dicuntur autem filii Dei (ut anteà oſtendimus) qui & *Dii* appellantur, *ad quos ſermo Dei factus eſt*, id eſt, qui vocatione divina aliquod munus exercent, quo in dignitate conſtituti ſunt. 2. Sic appellantur omnes verè fideles, qui non ex carne & ſanguine nati ſunt, ſed qui ex Deo, Joan. 1. per υἱοθεσίαν, adoptionem filiorum conſequuti. 3. Dicuntur etiam filii Dei, qui etſi verè fideles non ſint intus, nec adoptionem filiorum conſequuti ſint omnes, ratione fœderis externi, & profeſſionis religionis approbatæ à Deo, filii Dei apud homines cenſentur, quos etiam Deus, ob talem rationem filios ſuos appellat, ut Jerem. 10. ℣.20. *filii mei exierunt à me*. Ut contrà dicuntur idololatræ, *filii Dei alieni*. Malach. 2. v.11. Deut. 32. v.5. *Corrupit ſe generatio contorta, &c. quod non eſt filiorum ipſius*, id eſt, Dei. Eſai. 1. v.2. *filios educavi & extuli, &c.* Quo ſen aliquis populus dicitur *populus Dei*; eodem, qui in illo populo cenſentur, dicuntur *filii Dei*. Eſai. 63. v.8. *utique populus meus ſunt, filii non mendaciter acturi*. Ideò Hoſ. 1. v. 10. reſpondent ſibi invicem hæ duæ appellationes, populus Dei, & filius Dei, *pro eo quod dicitur non populus meus eſtis*, dicetur, *filii Dei fortis viventis eſtis*. Oppoſitè autem dicuntur *filii hominum*, qui Deo nomen non dederunt. Etſi aliquando opponantur *filiis virorum*, & tum *filii hominum* plebeïos ſignificant, *virorum* autem, nobiles, & quorum proſapia eſt illuſtris. Sed oppoſitè ad *filios* Dei, dicuntur בני אדם *benei Adam*, homines terreni, affixi rebus hujus ſeculi, &c.

Dicuntur hoc loco filii Dei, *vidiſſe filias hominum, quod pulchræ eſſent*: eadem vox pulchram & bonam ſignificat, כי טבת הנה *ki toboth hennah*. Cauſſa proponitur, cur eas ambierint. Additur ויקחו *vajjikchu*, *& acceperunt uxores ſibi, ex omnibus quas elegerunt*. Quæritur quomodo eas acceperint, an ex earum conſenſu, an vi rapientes. Id poſtremum cenſet Druſius, exiſtimatque id eſſe, quod maximè iis hoc loco vitio vertitur. *Quia* (inquit) *accipere uxorem ex infima plebe, aut quæ ſit diverſæ religionis, videtur leve crimen eſſe, præſertim cum hujuſmodi matrimonia nondum eſſent prohibita.* De primo non repugno: id enim etiamnum fieri poteſt ab illuſtri viro, aliquando cum laude. De ſecundo non idem ſentio, *leve crimen eſſe*, nec ita Scriptura judicat, ut videbimus. Non fuiſſe autem talia conjugia prohibita, abſolutè dictum, verum non eſt. Non ſic fuerunt prohibita, ut poſteà populo Iſraëlis, lege expreſſâ & ſcriptâ. Alioquin, ut benè reſpondet Abbas Serenus apud Caſſianum, collat. 8. cap. 23. *Deus naturaliter legis ſuæ ſcientiam homini inſeruerat*, ad quam etiam pertinet ſancta illa diſcretio in eligenda conjuge. Nec defuerunt officio ſancti Patres, ut filiis ſuis ſuggererent quid in ea re deberent; ſed oculorum judicium, prætulerunt judicio religioſæ prudentiæ, & in eo prævaricati ſunt. Notat Druſius verbum לקח *lakach*, quod habetur in fonte, aliquando ſignificare, *capere* per vim, ſeu *rapere*. Citatque Geneſ. 34. v.2. *& cepit eam*, ubi Hieron. *& rapuit eam*, ubi agitur de raptu Dinæ filiæ Jacobi. Negari non debet, *capere* aliquando per vim capere, id eſt, rapere ſignificare. Sed à particulari non valet argumentatio, neque exiſtimamus verbum ſolum eſſe conſiderandum, ſed loquendi modum ויקחו להם נשים *vajjikchu lahem naſchim*, *& acceperunt ſibi uxores*. Accipere ſibi uxorem, non eſt rapere, ſed *ducere*. Sic ſuprà, cap. 4. v.19. ויקח vajjikkach, *& accepit ſibi Lemech duas uxores*: ubi de raptu non agitur. Et cap. 21. v.21. de Agare, ותקח לו אמו אשה *vajttikkach ló immó Iſſchah*, accepit ei, nempè Iſmaeli, uxorem. An rapuit ergò Agar uxorem Iſmaeli? Et cap. 24. v. 4. ולקחת אשה לבני *velakachta iſſcha libni*, & accipies uxorem filio meo Iſaaco, an *rapies*? Quæ phraſis ſæpiſſimè eodem capite repetitur. Eadem phraſis uſurpatur ſæpè in aliis capp. ejuſdem libri, nunquam in alia ſignificatione quàm uxorem ducendi, nunquam pro raptu, aut vi facta. Sic Exod. 2. v.20. & 23. Levit. 18. ſæpè. Non poteſt igitur ſubſiſtere Druſii ſpeculatio de raptu. Sufficiens eſt ratio, quâ Moſes oſtendit corruptos fuiſſe omnes homines, quia libidinibus ſuis addicti, etiam qui de Dei nomine vocabantur, omnem differentiam ſuſtulerunt, & ex commixtione cum familiis alienigenarum, liberos procrearunt violentos, & expertes timoris Dei.

Hanc non dubitamus veram eſſe hujus loci interpretationem; quod, cùm anteà, poſtquam cœptum fuerat invocari nomen Dei, ut ſuprà vidimus, & cœtus diſtincti fuiſſent eorum qui publicè, & certo ritu, Deum colebant, à profanis hominibus ex Caini ſtirpe, ut pii refugiebant communicationem impiorum in ſua impietate

tate, ſic etiam abſtinebant ab eorum affinitatibus, nec libenter ſe eorum filiabus conjungebant. Sed poſteà refrigeſcente zelo & ſtudio Religionis, allectos fœminarum Cainicæ ſtirpis pulchritudine, atque earum amore inflammatos, earum etiam connubia ambiviſſe, & mores imbibiſſe, ſublatâ ſimili prole, quæ in omnem inverecundiam & iniquitatem delapſa & quaſi proſtituta, iram Dei acceleravit. Scopus enim Moſis eſt oſtendere, qua ratione factum fuerit, ut non ſolùm poſteritas Caini planè corrupta & polluta fuerit, ſed etiam omnis Sethi poſteritas, uno excepto Noacho, diluvio fuerit abſorpta. *Cum ergò* (inquit Serenus apud Caſſianum collat. 8. cap. 21.) *inter ipſos ad illud uſque tempus hæc fuiſſet utilis bonaque diviſio, videntes poſteà filii Seth, qui filii Dei erant, filias eorum qui de progenie Cain naſcebantur, deſiderio pulchritudinis earum accenſi, acceperunt ſibimet de ipſis uxores, quæ viris ſuis infundentes nequitias patrum ſuorum, ab illa eos ingenita ſanctitate ac ſimplicitate paterna protinus corruperunt.* Hæc Caſſianus, poſt Chryſoſtomum præceptorem ſuum, quem ſcopum attigiſſe præcedentia & ſubſequentia conſideranti, extra dubium erit.

Quòd autem verſ. 3. dicitur de gigantibus, *qui potentes fuerunt à ſeculo, viri nominis*, qui ex his matrimoniis procreati fuerunt, multi ſunt qui de proceritate corporum interpretantur, quomodo vocem illam accipi alibi in Scriptura non imus inficias. Sed priuſquam id diſcutiamus, perpendenda ſunt verba Moſis. Primò dicit, *Gigantes fuiſſe in terra in diebus ipſis*: poſteà addit, וגם אחרי-כן *vegam achareicen*, & etiam poſteà quàm ingreſſi ſunt filii Dei, &c. Vulgata editio paulò aliter, *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis: poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſeculo, &c.* ubi videtur indicari, originem iſtorum Gigantum deduci ex commixtione filiorum Dei cum filiabus hominum, quaſi anteà nulli tales fuiſſent. Ebræus autem textus, quem ſequuntur Chaldæi & Græci, ſignificat, & antè tales fuiſſe, & poſteà ex commixtione illa ſimiles genitos fuiſſe. Repetit enim Moſes eorum originem altius, & poſteà occaſionem affert, cur tales fuerint multiplicati, etiam in genere piorum, adeò ut terra talibus hominibus violentis & impiis fuerit repleta.

Ut id commodè intelligatur, videndum eſt quinam fuerint, qui Gigantum nomine ſignificantur. Nomen illud נפלים *nephilim*, nunquam in bonam partem accipi in Scriptura notant docti. Unde refellitur eorum ſententia qui voluerunt primos homines à Deo creatos fuiſſe gigantes. Etſi enim per ſe proceritas corporis non ſit in culpa, tamen cum juſtam proportionem excedit corporea moles, indicium eſt alicujus divinæ maledictionis. Multis olim placuit, quod nonnullis etiamnum arridet, hoc vocabulo non ſignificari hoc loco, homines illos quos inuſitata corporis moles & proceritas ſtupendos facit, ſed homines ſuperbos, impios, & crudeles. Sic Joſephus lib. 1. Antiq. *intelligit inſolentes, & fiduciâ roboris omne jus & fas contemnentes.* Et Chryſoſtomus in hunc locum, *Gigantes,* inquit, *hîc à Scriptura dici opinor, non inuſitatum hominum genus, aut inſolitam formam, ſed heroës & viros fortes & bellicoſos.* Ita etiam Cyrillus lib. 9. in Julian. *Mos eſt Scripturæ, Gigantes vocare, agreſtes & feroces atque robuſtos.* Alii tamen cenſent, à Moſe Gigantes appellari, homines inſigni corporis proceritate ac mole, cum qua tamen conjuncta eſſet inſignis ſævitia & crudelitas, quales deſcribit hoc loco gloſſa interlinearis, *immanes corpore, ſuperbos animo, viribus prævalidos, & moribus inconditos.* Caſſianus utramque opinionem per disjunctionem ponit, collat. 8. cap. 21. robuſtiſſimos venatores, violentiſſimos ac truculentiſſimos viros, qui præ enormitate corporum, vel crudelitatis & malitiæ, Gigantes nuncupati ſint. Nollem negare, tales qui hîc deſcribuntur, corpore fuiſſe proceros: ſed an agat Moſes de inuſitata illa proceritate, qualis fuit regis Baſcan, cujus cubile ferreum fuit magnitudine novem cubitorum, &c. aut quales fuerunt filii Enak, Num. 13. ℣. 34. ut dubitem me movet, quod Moſes non quorundam, ſed omnium penè hominum corruptionem voluit deſcribere, ob quam Deus immiſit diluvium. Non eſt autem veriſimile, pleroſque homines qui tum vivebant, fuiſſe Gigantes ſtaturâ: cum itaque Moſes oſtendere voluerit, omnes hominum familias infectas fuiſſe corruptione, quæ à progenie Caini incœperat, & per Cainitas in poſteritatem filiorum Sethi derivata erat, inclinarem potiùs in eam ſententiam, quæ per gigantes intelligit, non tam corporum mole à reliquis diſcretos, quàm latrociniis, graſſandi libidine, & omnis generis impietate, quales ſunt, qui nullâ legum aut honeſtatis ratione habitâ, pro ſua libidine vivunt, nec Deum timent, nec homines reverentur.

Hic locus ita intellectus, ſalutare nobis documentum præbet, contra impiorum ſocietatem & conſuetudinem, quam maximè præcavendam eſſe in conjugiis & affinitatibus docet multorum ſeculorum experientia. Ideò Deus graviſſimis verbis Judæis interdixerat alienigenarum connubia. Exod. 34. ℣. 16. & Deut. 7. ℣. 3. *Non ſociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, & ut magis ſerviat Diis alienis, iraſceturque furor Domini, & delebit te citò.* Notum eſt quod malum acciderit Ebræis, ex Madianiticarum mulierum commixtione, Num. 25. David Pſal. 106. ℣. 35. *Commixti ſunt* (ait) *inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Hæc cauſſa fuit, cur ſancti Patriarchæ Abraham & Iſaac, noluerunt filiis ſuis uxores dare ex Chananæis, ne per eas ad idololatriam deflecterent. Quod accidit Salomoni, qui alienigenis mulieribus cum ardentiſſimo amore adhæſiſſet, jam ſenex, poſt multa raræ ſapientiæ documenta, eò uſque deductus eſt, ut Deos mulierum illarum coleret. Eſdras cum

cum audiviſſet Judæos ex Babylonica captivitate reverſos, mutuis connubiis mixtos eſſe cum alienigenis, poſt doloris acerbiſſimi ſigna exhibita, laceratis veſtibus, evulſis capillis & barba, non priùs à reprehenſione corruptelæ illius deſtitit, quàm plerique ex primariis Judæorum omnes illas uxores abjeciſſent, ut legitur Eſdræ cap. 9. & 10. Sed de ea re actum eſt à nobis pluribus Com. ad Pſal 45. pag. 337. & ſeqq.

Quod notat Moſes filiarum hominum pulchritudinem, moviſſe filios Dei ut eas ſibi deligerent in uxores, dat quæſtioni locum, an cui vitio verti debet, ſi in uxore deligenda formæ rationem habeat? Reſpond. Abſolutè ſumptum id non poſſe damnari, ſed tantùm ratione circumſtantiarum. 1. Si quis formam ſolam ſpectet, nullâ ratione habitâ aliarum conditionum, atque ita ſolâ libidine feratur. 2. Si quis formâ & venuſtate externâ illectus, de pietate & aliis virtutibus adeò non ſit ſollicitus, ut etiam ab iis ipſe ſecedat, in gratiam illius quam deperit, atque ita belluino appetitu & formæ elegantia rapitur, ut à fœlicitate æterna ſe abſtrahi ſinat, levi voluptate. *Fallax gratia, vana venuſtas, fœmina Dei timens, ea laudabitur.* Pſal. 31. ℣. 30. Docet ergò locus hic, in ſancto conjugio colendam eſſe temperantiam, nec leve crimen eſſe coram Deo, ſi quis in tanti momenti negotio profanè ſe gerat. Et hæc quidem de vera & nativa hujus loci interpretatione ſatis.

Sed priuſquam ulterius pergamus, expendenda eſt eorum ſententia, qui per filios Dei Angelos intelligentes, putarunt Gigantes, de quibus dictum eſt, ex Angelorum cum filiabus hominum commixtione, ortos fuiſſe. Quæ ſententia fuit olim veterum multorum, ſed non uno modo ab iis qui ſic ſentiunt, explicata. Sunt enim qui de bonis Angelis id intellexerunt. Sunt qui de malis & defectoribus. Qui de bonis, ſic ſententiam ſuam explicant, ut dicant, bonos Angelos mulierum pulchritudine illectos degeneraſſe poſtquam ſe cum illis commiſcuerunt. Qui de malis, fingunt Dæmones, quos putarunt eſſe corporeos, cum fœminis fuiſſe congreſſos in propriis corporibus, & genuiſſe gigantes. Alii non in propriis corporibus, ſed in aſſumptis, & ſuffurato ſemine humano mulieres quas inierunt, alieno ſemine imprægnaſſe.

Prima ſententia fuit non ſolùm Ebræorum, ut Philonis, Judæi & Joſephi, ſed etiam veterum quorundam Chriſtianorum, imò vetuſtiſſimorum, quales fuerunt Juſtinus Martyr in Apolog. pro Chriſtianis, Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 3. Tertul. lib. de habitu muliebri & virg. velandis. Eandem opinionem inſinuat Ambroſius lib. de Virginibus. Sulpitius Severus in exord. lib. 1. de ſacra hiſtoria, diſertis & apertis verbis id aſſeverat, *Qua* (inquit) *tempeſtate, cum jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus cœlum ſedes erat, ſpecioſarum formâ virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ ſuæ originiſque degeneres, relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt.* Lactant. lib. 2. divin. inſtit. cap. 15. id tribuit Angelis tutelaribus, à Deo miſſis ut obſiſterent Dæmonibus, & impedirent ne Diabolus fraudibus ſuis corrumperet homines, qui tamen ipſi ſe corruperunt illicito mulierum concubitu. Similia habet Methodius Olympi Epiſcopus in lib. de habitu mulierum. Et Euſeb. præparat. Evang. lib. 5. Addimus & Tatianum, Proclum, atque Athenagoram. Quos omnes ideò nominamus, ut inde intelligamus non quicquid aſſeritur autoritate veterum, & eorundem conſenſu olim receptum obtruditur, vel pro fidei dogmate, vel pro vera doctrina eſſe habendum, etiam ubi de Scripturæ interpretatione agitur. Si enim eam hoc loco in veterum Patrum conſenſu quæramus, cum iiſdem in manifeſto errore verſabimur. Quod etiam ipſi Pontificii, qui ad Patrum autoritatem ſubinde provocant, in Scripturarum interpretatione, coguntur fateri. Idcircò Pererius Jeſuita, ubi hanc ſententiam ſibi examinandam proponit, ita præfatur, *Pudet dicere quæ de optimis ſcriptoribus hoc loco dicturus ſum, adeò ſunt non modò falſa, ſed pudenda & abſurda, indignaque cùm tantorum virorum ingenii & doctrinæ famâ, tùm beatorum Angelorum puritatis ac ſanctimoniæ præſtantiâ: dicere tamen cogit veritas, ne fortaſſe cuipiam propter eorum virorum autoritatem probabile videatur, quod nullo modo probandum eſt.* Addit ibidem quod notatu dignum eſt, adverſus alias Pontificiorum hypotheſes, *Eccleſiam Chriſti ab eo tempore ad hanc diem in ſacrarum ſcripturarum ſcientia, rerumque divinarum cognitione magnos progreſſus feciſſe, nam multa quondam vel doctiſſ. viris aut obſcura & dubia, aut etiam incognita, nunc vel mediocriter eruditis perſpicua, indubitata, exploratéque percepta ſunt.* Quod ſi ita eſt, non debent invidere noſtris temporibus aliquam lucem exortam in Scripturarum interpretatione, nec adverſus perſpicuas & firmas expoſitiones, adferre vetera præjudicia.

Sed ut redeamus ad illam expoſitionem, aut potius opinionem tot veterum, meritò pro falſa, pudenda, & abſurda habitam à Pererio, mirum eſt quod tales & tantos fautores habuerit, non ſolùm omni probabilitate deſtituta, ſed etiam veris manifeſtis repugnans. Taceo, naturam Angelorum ſpiritualem, quibus qui corpora tribuerunt, adeò tenuia & levia, atque à noſtris ita diverſa imaginati ſunt, ut impoſſibile fuerit ea ad generationem commiſceri potuiſſe. Sed, quod maximè notandum eſt, ex ſacra Scriptura liquet fuiſſe Angelos defectores, antequam homo peccaſſet, unde ſequitur Angelorum lapſum non accidiſſe ex concupiſcentia mulierum: nam Joan. 8. Diabolum ab initio mundi mendacem & homicidam fuiſſe dicitur, & ſuprà vidimus, antequam formaretur Adam, ſuâ dignitate excidiſſe Satanam, cum Angelis ſuis.

2. Chriſtus, Matth. 22. ℣. 3. teſtatur, *Angelos in cœlo, neque nuptum dare, neque uxores ducere.* Hoc enim exemplum

exemplum affert, ut oſtendat in reſurrectione, tale quid non eſſe cogitandum, quod confuſionem pariat. At ſi Angeli talis eſſent naturæ, qui nubere potuiſſent, & filios procreare, argumentum fuiſſet infirmum.

3. Id etiam conſiderandum venit, quod Moſes has conjunctiones recitat, ut cauſas corruptionis generis humani, ob quas diluvium immiſſum eſt in orbem terrarum. Ubique autem id attribuit hominum peccatis, non peccatis Angelorum, quorum ſi filii fuiſſent Gigantes, de quibus agitur, ne homines quidem fuiſſent ab Adamo prognati, nec ulla ratio fuiſſet, cur genus humanum plecteretur, ob culpam illorum qui ad genus humanum non pertinuiſſent, nec potuiſſent etiam homines illi ad pœnitentiam invitari à Noacho, qui in hominum ſpecie annumerari non debuiſſent.

Iiſdem argumentis refutari poſſunt, qui id ad Angelos jam anteà per ſuperbiam lapſos referunt, quibus id prætereà additur, quod nunquam in Scripturis Dæmones *filii Dei* appellentur. Quæ omnia cum vidiſſet, & ex parte notaſſet Joan. Druſius Miſcellan. cent. 1. cap. 25. rectè judicavit in errore verſari, qui ex hoc loco Angelos colligunt, cum hominibus fœminis fuiſſe congreſſos, ex eoque congreſſu natos Gigantes, nihilque eſſe à veritate Religionis noſtræ magis alienum. *Quod* (inquit) *qui dubitat, haud ſanè intelligo, cur non idem Sol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit.* Et id quidem rectè.

Sed id minus, quod in notis ad Sulpitium Severum, argumenta quibus id probatur, ſi benè expendantur, parum ſoliditatis habere non ſolùm aſſerit, ſed etiam adhibitis exceptionibus & ſolutionibus ſuis, id oſtendere conatur. De argumento Chryſoſtomi, quod nunquam Angeli filii Dei in Scriptura dicantur, non litigamus. Sed alia ſunt majoris momenti.

Excipit ille ad argum. Lyrani, quo ait diluvium hominum cauſſa immiſſum fuiſſe, non Angelorum, id verum eſſe, ſed ex eo non ſequi quod vult Nicolaus ille. Nam (inquit) Angeli, cum ſe matrimoniis mortalibus miſcuiſſent, paulatim mores noxios conferentes, humanam corrupêre progeniem; eâ corruptâ, diluvium ſequutum eſt, non propter Angelos, ſed propter homines, licet Angeli hominibus peccandi occaſionem dederint. Reſpond. Non eſſe argum. Lyrano proprium, quod Theodoretus ante multa ſecula huic commento oppoſuerat. *Oportebat,* inquit, *eos audiiſſe Deum ita dicentem, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus in æternum, quia carnes ſunt, & inde reſpicere naturam incorpoream carnes non habere. Item, multis verbis docet ſacra Scriptura, tum homines deliquiſſe, tum adverſus eos ſententiam fuiſſe latam.* At, inquit Druſius, peccaverunt homines exemplo, & ideò adverſus eos lata eſt ſententia juſtè. Reſpond. loqui Scripturam de peccatis eorum qui ex illa conjunctione nati ſunt, qui ſi fuerint homines & caro, non fuerunt filii Angelorum, proinde manere vim argumenti, quia non ſolùm verba Scripturæ malum exemplum & inſtigationem reſpiciunt, ſed ipſam etiam realem & inhærentem corruptionem, ortam ex corruptis parentibus.

Ad aliud argumentum deductum à ſpirituali natura Angelorum tam bonorum, quàm malorum, quæ proptereà ad concupiſcentias & libidines carnis non eſt prona. Reſpondet contrà cenſere Ebræos, qui ſcribunt eos liberis operam dare, & fabulas narrat Judaicas de filiis Dei, hoc eſt, Angelis, qui ad hæc inferiora detruſi, humanam induerunt naturam: unde in Medras Ruth, *facti ſunt ſicut homines.* Nam in ſpecie humana verſati ſunt cum hominibus, corpora terrena geſtantes, ex quatuor elementis compoſita. Itaque, inquit, legimus in eodem libro, *inter eos Angelos qui mixti fuerunt cum hominibus, non fuerunt ſicut illi qui viri* אישים *iſchim vocantur, nec ſicut illi qui filii Dei vocantur. Nam poſtquam à* Deo *dejecti fuerunt, involuti veſtimentis humanis, veſtierunt ſe eis. Reliqui Angeli cum deſcenderent, parati fuerunt ad redeundum in locum ſuum aërea corpora habentes.* Quibus ſubjungit Druſius: *Quæ produxi, ut oſtenderem argumentum à natura Dæmonum hoc loco nullius ponderis eſſe.* Reſp. quæ recitat ex Ebræis falſa eſſe exiſtimavit, aut vera. Si vera, ſibi repugnat, qui opinionem illam de hominibus ab Angelis genitis rejicit. Si falſa, non infringunt vim argumenti, falſa enim ſuppoſitio veritati non nocet. Debuit igitur dicere non abſolutè nullius eſſe ponderis argumentum, ſed relatè ad Judæos illos, qui Angelos in terra verſantes, & corporeos fingunt, idque donec opinio eorum aliis argumentis refellatur, quod erit facillimum.

Argumentum ex Matth. 22. ℣. 30. deſumptum ſic eludit. Reſpond. inquit, *Angelos non celebrare nuptias in cœlo, ſed hîc agitur de Angelis, qui vel è cœlo deciderant, vel certè miſſi erant ad hæc inferiora, ut humanum genus cuſtodirent.* Piget certè talem virum, in re tanta, adeò ineptè ludere voluiſſe. Non loquebatur Chriſtus de loco in quo Angeli poſſent, vel non poſſent celebrare nuptias, ut concederet in terris poſſe, qui in cœlo non poſſunt; ſed talem eſſe docebat ſtatum & naturam Angelorum, qui poſteà futurus eſſet per gloriam ſtatus omnium beatorum. Illud igitur *in cœlo*, non referri debet ad nuptiarum negotium, ſed ad Angelorum, de quibus loquebatur, conditionem, ut illud ἐν οὐρανῷ ſit epithetum Angelorum, & *Angeli in cœlo,* ſint *Angeli cœleſtes.*

Sed omiſſis nugatoribus Judæis & eorum fautoribus, unicus nobis ſufficiat Apoſtoli locus Act. 17. ℣. 26. ἐποίησε Θεὸς ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων. *Condidit Deus ex uno ſanguine, omne genus hominum.* Hoc enim verum non eſſet, ſi ex alio ſanguine quàm Adami, ſine viri & fœminæ conjunctione, à Deo in natura inſtituta, procreati fuiſſent homines.

Occaſione hujus loci agitatur quæſtio à Theologis

de incubis & ſuccubis Dæmonibus, an in propriis corporibus, aut aſſumptis, vel ineant miſeras illas mulieres, quas ſagas vocant, vel ſubjiciant ſe more mulierum, luxurioſis hominibus. Fuerunt qui id apertè negarent, & opiniones earum quæ ſe tale aliquid paſſas fatebantur, ad morbum ἐφιάλτην referri debere exiſtimarunt. Plerique tamen in contrariam abeunt ſententiam, accidiſſe ſæpè ut Dæmones aſſumptis cadaveribus quæ movebant, vel aliâ ſpecie corporeâ palpabili, quem naturâ non habent, ſexum artificioſè exhibuiſſe; & viris, ſpecie fœmineâ; fœminis, ſpecie virorum, abuſos fuiſſe: qua de re Auguſt. de Civit. Dei lib. 15. cap. 23. *Quoniam* (inquit) *creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab iis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiiſſe confirmant, Sylvanos, Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earum appetiiſſe & peregiſſe concubitum: & quoſdam Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare & perficere, plures taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentiæ videatur. Non hîc* (inquit) *audeo aliquid temerè definire, utrum aliqui ſpiritus, elemento aërio corporati (nam hoc etiam elementum cum agitatur flabello, ſenſu corporis tactuque ſentitur) poſſint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo poſſunt ſentientibus fœminis miſcerentur.* Ubi dubitat quidem ille de modo, rem verò ipſam extra dubium ponit. Thomas, Auguſtinum ſequutus, idem ſentit, & vulgus Scholaſticorum. Martinus Delrio Magic. diſquiſit. lib. 2. quæſt. 15. id adeò multis placuiſſe dicit, ut verendum ſit, ne pertinaciæ & audaciæ ſit ab illis diſcedere. Zanchius etiam in lib. 4. de operibus Dei cap. 16. ſentit, 1. Diabolum poſſe corpora humana aſſumere, & in illis apparere, loqui, & alia multa humanæ vitæ officia præſtare, quod etiam de Angelis bonis probaſſe ex ſacris Scripturis exiſtimat. In qua propoſitione illud tantùm explicatione indiget, quod *de officiis humanæ vitæ* dicit, quia ſi id propriè intelligeretur, falſum eſſet. Non enim propriè Angeli ſive boni, ſive mali, vitales actiones humanas exercent, quia ad id neceſſariò requireretur in eis vita humana, & forma humana. Id itaque intelligendum eſt de actionibus quæ exteriùs ſimiles ſunt actioni vitæ, cum tamen revera non ſint, quales ſunt loquutio & ambulatio. Actionum enim vitalium (ut hoc obiter moneamus) duplex genus eſt. 1. earum quæ ſecundum ſubſtantiam ſuam non poſſunt eſſe niſi à vita, quales ſunt operationes ſenſuum, quæ in corpore aſſumpto fieri non poſſunt ab Angelis. Alterum, eſt earum quæ ſecundum ſubſtantiam fieri poſſunt à principio non vivente, licet non quoad modum, ut loquutio & deambulatio, quæ ab Angelis in corpore aſſumpto poſſunt fieri, non tamen juxta rationem formalem vitæ humanæ. Addit 2. Zanchius, non pugnare cum Scripturis dicere, ipſos Diabolos poſſe corporibus illis aſſumptis, ſeſe cum mulieribus commiſcere. Et hactenus quidem non magna eſt controverſia, tale enim quid & factum fuiſſe, & fieri poſſe, omninò veriſimile eſt, Diabolum poſſe corpus aſſumere craſſum & tactile. Poſſe movere ſpiritus & ſemen in ſtrigis libidinoſis, ut titillatio oriatur, &c. Quo nomine etiam, adverſus mulieres, quæ id ſe paſſas fuiſſe profitentur, legibus agi poteſt. Quæ enim cauſſa eſſet, cur capitis pœnam lueret, quæ bruto miſcetur, & lege non teneretur, quæ cum Dæmone conſueſcit?

Sed major eſt in eo difficultas, an ex tali conjunctione verus homo produci poſſit? Fatentur plerique, Dæmones non poſſe vi ſua, & ex propria ſubſtantia, more animantium generare. Ratio in promptu eſt, quia nullam habent inter ſe individui vel ſpeciei multiplicationem. Addimus nec corpus habent proprium, quod vitales operationes poſſit exercere, qualis eſt generatio, cum ſint expertes etiam animæ vegetantis, cujus eſt functio, naturali calore cibum concoquere, cujus optimè concocti, ſemen in animalibus eſt reſiduum. Sed quæſitum eſt, an quod vi ſua non poſſunt immediatè, id tamen poſſint alienâ vi, & uſurpato aliundè ſumpto ſemine. Id voluit Thomas 1. part. quæſt. 51. artic. 3. quem etiam alii plerique Scholaſtici ſequuntur. Probant etiam id autoritate Auguſtini, lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. ubi etſi non agat expreſſè de hominis procreatione, tamen oſtendit Dæmones applicando activa paſſivis, aliundè aſſumptis cauſſis naturalibus, producere effectus naturales. Ita autor Recognitionum ſub nomine Clementis lib. 2. ſcribit Simonem Magum jactaſſe, ſe ita fuiſſe natum ex Rachele cum adhuc eſſet virgo. Et Vincentius in ſpeculo hiſtor. lib. 1. cap. 3. narrat Merlinum, cujus Anglorum hiſtoriæ meminerunt, ex nobili fœmina ab incubo Dæmone fuiſſe genitum. Idem narrat Hector Boëtius lib. 8. Hiſt. Scotorum, ubi etiam dicit in regione Marrhonia puellam ex Dæmone concepiſſe. Id autem ſic explicant, Dæmonem acceptum à viro ſemen, quâ eſt agilitate & naturalium rerum peritia, conſervare in eo calorem prolificum, quantumvis ille ſubtilis ſit & aërius, ac facilè diſſipabilis, & illud, quo momento cognoſcit mulierem ad concipiendum eſſe benè diſpoſitam, matrici infundere, &c. Addunt autem hominem ita natum non eſſe Dæmonis filium, ſed hominis illius cujus ſemen fuit à Dæmone ſuffuratum: quemadmodum agricola, non eſt pater frumenti, quia non ex proprio ſuo ſemine illud ex terra produxit. Hujus etiam ſententiæ fuit Zanchius,, cujus hæc eſt theſis: *Diabolos aſſumptis humanis corporibus cum veris mulieribus coire poſſe, & ex illis liberos ſuſcipere, verum ratione minimè naturali, ſed tamen vera, quamvis nobis incognita; ut non pugnet cum ſacris literis, tamen illud credere, impium non eſt neque temerarium, cum multi fide digni id factum fuiſſe teſtificentur.* Huc referunt originem Semideorum apud Ethnicos, qualis fuit Hercules, Sarpedon, Æneas, Servius Tullus, &c. quales etiam in Pannonia

nonia Hunni, ex Arlunis ſtrigibus & Faunis nati. Ego neque impietatis, neque erroris in fide inſimulare vellem qui ita credunt fieri poſſe, aut factum fuiſſe. Nihil tamen video quod adigere nos debeat ad talem ſententiam, quæ ſuis laborat incommodis. Certè quamvis eam propugnet Delrio, levibus tamen argumentis id facit, imò in aliorum argumentis refutandis potiùs occupatur, quàm in ſua ſententia confirmanda. Pererius etſi profiteatur, ſe nolle opinionem tam vulgatam probatamque in præſentia oppugnare, *ingenuè tamen fatetur ſe olim de ea re multum dubitaſſe*, & tunc etiam cum ſcribebat, *vehementer ambigiſſe*, ambigendi cauſſam ipſi fuiſſe nec futilem, nec inanem, quod ſemen humanum, vim generatricem & prolificam valdè ſubtilem & aëriam habeat, quæ extra vaſa ſua non conſervatur, ſed abit in tenues auras, ut experientia docet de ſpiritibus vitalibus & animalibus, qui extra humanum corpus, nec generari à Dæmone poſſunt, nec integri & illibati conſervari, ita ut refuſi humano corpori efficaces ſint naturalium ſuarum functionum. Quam ſententiam, ut maximè probabilem, Maldonatus propugnat in tractatu de Angelis olim Pariſiis dictato, & Gallicè edito ab Archidiacono Petracorienſi. Sic igitur ille. Hanc maximè probabilem judico: 1. quia, quemadmodum generatio hominis eſt perfectiſſima, ita eſt difficillima: 2. non video quomodo ſemen humanum poſſit conſervare vim ſuam prolificam, niſi in humano corpore: 3. quoniam quæ allegantur exempla, aut ex incertis fabulis deſumpta ſunt, ut Perſei, Simeonis Magi, & ſimilium, aut ex Scripturis malè intellectis, ut ex eo quod Geneſ. 6. dicitur, &c. Hæc ille. Huic etiam ſententiæ potius ſubſcribendum exiſtimo, ut demus quidem Dæmones poſſe imitari actum generationis humanæ, in aſſumptis corporibus, ſed neque ex ſe, neque ex materia aliundè deſumpta verum hominem poſſe procreare. Quapropter, qui ſive in fabulis, ſive in veris hiſtoriis ab aliis quàm ab hominibus geniti dicuntur homines, nothos fuiſſe non dubito, qui originis ſuæ infamiam, & matrum turpitudinem tegere voluerunt hoc commento, quaſi ex Dæmonibus geniti fuiſſent.

Cum enim ipſe Delrio, qui judicat ex homine vero & Dæmone ſuccubo, non poſſe verum hominem generari, rectè cenſeat, quos legimus matre ſuccuba Dæmone natos, vel ſuppoſititios fuiſſe alterius fœminæ veros partus, vel ab alio Dæmone prolem ementitam, ut non rarò contigit; cur non eandem fraudem à Dæmone fuiſſe adhibitam pari jure cenſebimus, ſi aliquando acciderit, ut mulier viſa ſit parere, quæ tamen ab homine non concepiſſet? An non potuit Dæmon præſtigiis ſuis uteri geſtationem fingere, & tandem ſurreptitium aliquem partum ſupponere? Res pari cum facilitate, imò majori poteſt fieri, ne quis moveatur talibus exemplis, quia non de re quæritur quæ oculis objecta eſt, ſed de modo rei & generationis veritate.

Sed intolerandam judicamus Delrii opinionem, quâ non veretur aſſerere, *poſſe Dæmones efficere, ut virgo mente & corpore permanens, non tamen ſine virili ſemine concipiat.* Quia, inquit, *poteſt virgini dormienti & ignaræ aliundè ſumptum verum & fœcundum ſemen ſine congreſſu carnali, hymene aliiſque clauſtris virginitatis incorruptis, infundere:* quibus verbis obſcurum probat per obſcurius, & rationem reddit, quæ controverſa eſt. Sed periculoſiſſima eſt ſententia, quâ ſemel poſitâ, facillimum erit monialibus, monachorum conſortia & cum ipſis acta, ſi tandem uterum ferant, hoc prætextu excuſare, quod virgines ſint corpore & animo, ſed citra propriam voluntatem, puta dormientibus, infuſum fuiſſe arte Dæmonis ſemen ab aliquo monacho in pollutione nocturna effuſum. Taceo, quod impuro iſto commento non parum detrahitur miraculo ſanctiſſimæ conceptionis Virginis ſine viri opera, ex Sp. ſancto; quando impuri Jeſuitæ, id à Dæmone fieri ſine miraculo ſcribunt, ut quæ eſt virgo mente & corpore, concipiat. Ideò, idem Delrio criminatur nos præcipuam miraculi & virginitatis prærogativam tollere, qui negamus in partu clauſum manſiſſe Virginis uterum; quia miraculum non agnoſcit in virginis conceptione & uteri geſtatione, cum id Diaboli opus eſſe poſſit. An non hoc ſit Judæis & aliis Chriſtiani nominis hoſtibus tela parare amentata, quæ in ſanctiſſimam Chriſti conceptionem vibrent, judicent qui ſenſus habent exercitatos. Si enim objiciamus Virginem concepiſſe ſine viri operatione, reſpondebunt ex iis qui Chriſtianiſmum profitentur, virginem mentè & corporè permanentem, poſſe concipere arte Dæmonis. Sed de his hactenus.

Exercitatio LI.

Interpretationes duæ verſus tertii expenſæ. Vocis ידון jadon *ſignificatio. Caro pro corruptione morali totius hominis. Spiritus Dei quo ſenſu contendere dicatur cum hominibus. Locus 1.Pet.3. v.18. obiter explicatur. Centum & viginti anni, ad tempus pœnitentiæ referuntur. Hyſteron proteron in Scripturis. Corruptio generalis hominum, & ejus ſcaturigo. Verſionis vulgatæ defectus. Refelluntur exceptiones Pontificiorum. Hyperboles figuram in Scripturis uſum habere. Non tamen eſſe hyperbolem in verbis Moſis de corruptione univerſali. Infidelium opera omnia, peccata. Pœnitentia & dolor, quo ſenſu Deo tribuantur. Deus eſt immutabilis, etiam in voluntate. Vorſtii error refellitur.*

In verſu 3. ſunt quædam magni momenti in quibus variant interpretum ſententię, ex verſuum varietate. Vulgata ſic habet, *Non permanebit ſpiritus meus in æternum in homine, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Alii ex Ebræo ſic, *Non contendet ſpiritus meus cum homine in ſeculum, in eo quod etiam ipſe caro, & erunt dies ejus centum & viginti anni.* Sunt autem controverſa hæc, 1. quid nomine ſpiritus intelligatur? 2. quænam ſit actio quæ ſpiritui tribuitur. 3. quid nomine carnis intelligendum. 4. quibus hominis diebus præfigitur tempus centum & viginti annorum. Ex vulgata editione, duo priora ſic eſſe intelligenda apparet, ut ſpiritus Dei accipiatur pro anima hominis, vel pro reſpiratione vitali in homine, & actio quæ ſpiritui tribuitur, ſit permanentia, quâ vita hominis uniuſcujuſque in perpetuum prorogaretur; atque ita, quæ hoc loco dicuntur, ad hominum curſus vitæ abbreviationem referantur, ut qui ante diluvium fuerant longævi, prorogantes vitam ad multa ſecula, vix unum ſeculum deinceps attingerent, aut prætergrederentur. Quo ſenſu ad quatuor illas quæſtiones ſic breviter reſponderi poſſet. Ad 1. nomine ſpiritus, intelligitur in homine ſpiritus vitalis. Ad 2. actio quæ ſpiritui tribuitur, eſt receſſus ab homine poſt aliquod, idque breve, tempus. Ad 3. carnis nomine, intelligitur humana fragilitas, in qua etiam cum reliquis animalibus hoc habet commune, quod carne conſtat, quæ ſubinde indiget reparatione, alioqui diffluit. Ad 4. tempus annorum centum & viginti, erit longior vitæ hominis progreſſus, à Deo aſſignatus. Ad hunc ſenſum pertinet, quod vox *ſpiritus*, etiam adjuncto Dei nomine, ſic alibi accipitur, pro vita hominis, & ejuſdem ſigno, reſpiratione & flatu. Sic Job. 17. ℣. 3. *Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Domini in naribus meis.* Et Dan. 5. ℣. 26. *Deum qui habet flatum tuum in manu ſua, non glorificaſti.* Vox ידון *jadon*, pro ratione radicum ad quas eam referunt, variam ſortitur ſignificationem. Sunt enim qui à נדן *nadan* deducunt, quod vaginam ſignificat, id eſt, *non erit detentus, tanquam in vagina ſpiritus meus.* Alii potius, &, judicio meo, melius, à radice דין *dun*, quæ litigare, contendere, vel cauſam agere, ſignificat. Nec audiendi Pontificii, qui textum Ebræum corruptum eſſe dicunt, & legendum ילון *jalon*, à radice לון *pernoctavit, permanſit.* Nam tempore Hieronymi, ut patet ex quæſt. in Geneſim, legitur ut habemus: & Sixtus Senenſis ad permanendi ſignificationem exiſtimat poſſe reduci verbum דון *dun*, ut ſit judicare & manere, vel, velut judicem ſedere. Illud autem לעולם *leólam*, in ſeculum, pro longo tempore, non pro ipſa æternitate ſumi, notius eſt quàm ut probari debeat. *Carnis* verò vocem, non tantùm pro infirmitate corporis, aut infirmo corpore, ſed etiam pro affectuum corruptione, & totius hominis ἀταξίᾳ accipi, teſtantur S. Scripturæ loci, in quibus caro, ſpiritui Dei, & regenerationi opponitur. Rom. 8. ℣. 9. *vos non eſtis in carne*, quâ acceptione, non ſolùm intelligitur corruptio partis ſenſitivæ, aut inferioris, ut loquuntur, ſed etiam ſuperiorum partium, rationis nempè & voluntatis. Ideò Bellarm. de ſtatu peccati lib. 5. cap. 15. *Non negandum eſt,* inquit, *in parte ſuperiore ſimile vitium etiam inveniri. Nam ea quoque animæ pars, prona eſt ad concupiſcendos honores, inanem gloriam, & alias vanitates.* Et Maldonatus explicans illud Joan. cap. 3. ℣. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt,* ſic ait, *Totus enim homo dicitur ex carne naſci, & caro eſſe totus, quamvis animus altera ejus pars, nec ex carne naſcatur, nec caro ſit, quia ex ſanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, hoc eſt carnali & humano modo natus eſt, quo, qui naſcuntur, peccatores, hoc eſt carnales, naſcuntur. Et animus ipſe, licet ſubſtantia ſpiritualis, peccato inquinatus, carnalis eſt; contrà verò caro, cum peccato libera eſt, Deoque conjuncta, ſpiritus dicitur:* quæ à malo autore benè dicta, quia vera ſunt, libenter uſurpavimus,

His poſitis, ſenſus hic erit; Non diu contendet ſpiritus meus cum homine qui totus carnalis eſt & corruptus, cui ad pœnitentiam adhuc concedam annos centum & viginti, quibus exactis, niſi reſipiſcant, delebo eum; ut ſit prædictio venturi diluvii poſt annos centum & viginti. Itaque *ſpiritus Dei* nomine erit intelligendus ſpiritus Chriſti, per quem olim Dei homines judicia ejus propoſuerunt, & ad pœnitentiam homines invi-

invitarunt. Litigavit itaque Dei ſpiritus cum hominibus corruptis tempore Noachi, cum patientia Dei expectaret. Quam rationem diſceptandi explicat nobis Petrus, 1. cap.3. ℣.18. & ſeqq. ubi ait, *Chriſtum carne mortificatum, fuiſſe ſpiritu vivificatum: per quem etiam ſpiritibus qui ſunt in carcere profectus prædicavit, olim immorigeris, cum ſemel expectaret Dei lenitas in diebus Noë, quum appararetur arca, &c.* Cujus loci interpretationem, alioqui difficilem, mirè juvat collatio verborum Moſis hoc loco, ad quæ etiam exiſtimo Petrum alluſiſſe. Quod enim dicit Petrus Chriſtum per eum ſpiritum, quo poſt mortificationem vivificatus fuit, profectum fuiſſe, & prædicaſſe ſpiritibus olim immorigeris in diebus Noë, quid aliud eſt, quàm quod Moſes dicit, ſpiritum Domini olim contendiſſe & litigaſſe cum impiis hominibus, qui ſpiritus appellantur, ratione temporis illius quo loquebatur Chriſtus, non illius quo per ſpiritum ſuum Noachi voce eos ad pœnitentiam invitavit: Deus igitur hoc loco finem ſe impoſiturum huic ſuæ contentioni proteſtatur, poſtquam nihil profutura erit prædicatio ſpatio centum viginti annorum. Hunc ſenſum expreſſit Onkelos his verbis: *Non permanebit generatio peſſima hæc coram me in æternum, eo quod caro ſunt, & opera eorum peſſima, & terminus dabitur eis centum & viginti annorum, ſi fortè convertantur.* Cui etiam competit Græca verſio, quæ, ne quis id quod dicitur intelligeret de omnibus omninò hominibus indefinitè, addidit τούτοις, *non permanebit ſpiritus meus cum hominibus his.* Itaque veteres ſcriptores qui LXX editionem ſunt ſequuti, communiter hæc verba ſic explicant, ut referantur ad dilationem judicii divini per annos aſſignatos. Sic inter Græcos, Chryſoſtomus & Theodoretus. Inter Latinos, Hieronymus, Auguſtinus, & alii: qui etiam ſuperiorem ſententiam hoc argumento refellunt, quod cum inveniamus, poſt diluvium Abrahamum vixiſſe annos centum ſeptuaginta quinque, & alios amplius ducentis & trecentis annis, non poteſt intelligi ſententia divina ante diluvium prolata de vitæ hominis reſtrictione ad annos 120. Reſpondent nonnulli, Deum pro ſua benignitate ferè ita agere, ut non ſtatim procedat ad extremam & præciſam pœnam, voluiſſe igitur quibuſdam velut gradibus & paulatim de hominis vita aliquid ſuccidere, & ante plenam executionem, quædam illius initia præmittere. Sed non ſatisfaciunt, quia pœnæ executio non ſpectaret perditos illos homines ante diluvium, nec eorum poſteros, ſed poſteritatem Noachi quæ ſola ſuperfuit. Fuit itaque neceſſarium, ut executio iſtius ſententiæ, ipſo diluvio immiſſo, poſt hominum impœnitentiam, fieret: & reipſa in ipſos malorum autores, qui iram Dei provocaverant, pœna caderet.

Sed adverſus eam interpretationem quam judicavimus appoſitiſſimam, aliquid etiam objicitur, ad quod nobis eſt ſatisfaciendum. Si enim relationem Moſis ſpectemus, referuntur hæc verba dicta poſt nativitatis Semi mentionem. Cum autem diluvium contigerit anno ætatis Noachi 600. & Noachus genuerit filios ſuos, cum natus eſſet 500 annos, ſequitur à nativitate filiorum ejus, uſque ad diluvium, ſupereſſe annos centum; proinde, ſi denunciatio illa facta eſt anno poſt nativitatem filiorum Noachi, Deus non conceſſit hominibus illis annos C & XX. antequam diluvio deleret impœnitentes. Hunc nodum ut ſolverent Hieronymus & Chryſoſtomus dixerunt, Deum decurtaſſe dies illos propter ingraveſcentem hominum malitiam. Sed cum Deus numerum annorum præciſè definierit, nec ſoleat de tempore conceſſo ad pœnitentiam aliquid imminuere, qui tardus eſt ad iram, non poteſt eorum reſponſio conſiſtere. Vera eſt, quam & olim vidit Auguſtinus, hæc dicta fuiſſe ante Semi nativitatem annis XX. ſed per hyſteron proteron, figuram in Scriptura frequentem, præmiſſa fuiſſe quæ ſequuta fuerant, iis quæ præceſſerant reipſa, redeunte poſteà Moſe ad ea quæ fuerant omiſſa, præſertim ubi narratur res, quæ non potuit peragi niſi aliquo temporis ſpatio. Quæ enim dicuntur initio hujus capitis, *Et fuit cum cœpit homo multiplicari, &c.* ad ſuperiora etiam Noë tempora pertinere non dubium eſt, quæ Moſes arceſſivit longius, quia voluit agere de cauſſis immiſſi diluvii. Multa enim per prolepſin in Scriptura dici, & ſuprà vidimus & alibi ſæpè, cum Deo, notabimus. Sed anticipationis in nativitate filiorum Noachi ratio manifeſtiſſima eſt, quia voluit autor uno veluti filo, & continenti ſerie, omnes generationes, quæ ab Adamo fuerunt uſque ad diluvium, ſine intermiſſione pertexere.

Commendat autem maximam longanimitatem Dei, tempus illud impiis ad pœnitentiam præfixum. Noluit enim Deus ſævire in eos, cum primùm eum ad iram provocaverunt. Sed diſtulit adhuc, & juſta ſua judicia cohibuit, dum lento pede ad vindictam procederet. Id cum Deus etiamnum faciat, & peccatores tamdiu expectet, cavendum eſt ne judicii tarditatem, ſupplicii gravitate compenſet.

Dixerat anteà *quia caro eſt*, hoc verſu 5. fuſius explicat his verbis, *Videns autem Dominus, quod multa erat malitia hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.* Quibus indicat habuiſſe Deum cauſſas juſtiſſimas, propter quas ad vindictam proſiliret. Duo autem dicit, quorum prius reſpicit conditionem hominum illius temporis, poſterius autem attingit vitiorum omnium fontem & ſcaturiginem, quæ dum nonnulli non diſtinguunt, ſed exegeticè tantùm accipiunt, hujus & ſimilium locorum vim conantur infringere, quibus originalis labes in Scriptura explicatur. Ad eam rem abutuntur editione vulgata, cujus verba attulimus, quæ non ſatis expreſſit originalis textus ſententiam in poſteriori membro, וכל יצר מחשבת לבו רק רע כל היום *vecol jetſer machſchevoth libbó rak raá col hajjom*, id eſt, ad ver-

bum, *Et omne ſigmentum cogitationum cordis ejus tantum malum eſſe, omni die.* Aliud enim eſt cogitationem cordis alicujus intentam eſſe ad malum, aliud nihil aliud eſſe quàm malum. Agnoſco quidem non eſſe neceſſarium ſemper ut bonus interpres de verbo ad verbum reddat, dummodo aliis verbis utens, ſenſum aut vim ſententiæ non imminuat. Fatentur Pontificii in tribus textum ſuum differre ab Ebræo. 1. quod pro *ſigmento cogitationis*, ſolam *cogitationem* expreſſerit. 2. quod ubi ſimpliciter dicitur eſſe *malum*, inclinationem addiderit: 3. quod excluſivam, *tantùm*, omiſerit. Conantur nihilominus oſtendere nullum eſſe interpretis peccatum, & ſenſum eſſe integrum. 1. dicunt *ſigmentum cogitationis*, ſolius cogitationis nomine ſatis intelligi, quia cum verbum יצר jatſar ad omnem formationem & fictionem, non mendacii, ſed plaſtices referatur, per metaphoram refertur ad ſignificandas formationes in mente, id eſt, cogitationes. Et hoc quidem poſtremum verum eſt, ſed tamen figmentum cogitationis, latius patet quàm ipſa cogitatio jam formata, &, ut ita loquar, efficta, oſtenditque non tantùm cogitationem ipſam formatam, ſed etiam ipſius cogitationis formationem malam eſſe in homine corrupto, id eſt, motus illos, quos vocant primo primos. Proinde aliquid magis in originali habetur, quam in illa verſione. Reſpondent de ſecundo, *plus eſſe cogitationes alicujus intentas eſſe ad malum, quàm eſſe malas*, ſi benè intelligatur: quod certè paradoxum eſt, illi enim ipſi minus eſſe dicunt inclinationem ad peccandum, quàm ipſum peccatum, ut etiam ſint inter eos, ut inter Arminianos, qui illam inclinationem à Deo eſſe, dicere non vereantur. Marius ait, cogitationes dici malas in ſpecie, cum proponunt objecta mala, dici autem malas in individuo, cum delectant, inclinatione autem ad malum, ſive cum quis dicit aliquid eſſe intentum ad malum, non tantùm ſignificari nudam propoſitionem mali, vel languidum conſenſum, ſed fervorem & ſtudium propoſitionis & conſenſus. Itaque plus expreſſiſſe interpretem, quàm textum originalem. Sed neque ſic evadit, quia 1. bonus interpres nihil debet addere ſignificationi originalis. 2. falſum eſt quod dicit, nam *intentum eſſe ad malum*, non ſignificat malum illud actu perpetratum, vel actu exiſtens, ſed diſpoſitio ad malum, quæ etſi mala ſit, quicquid aliter alii ſentiant, non tamen malum illud æquat quod intendit, vel ad quod intenta eſt. Tertium diſcrimen non potuit eludere, quàm impudenter conjiciendo, excluſivam potius irrepſiſſe in textum Ebræum, quàm excidiſſe ex Latino & Græco, quæ impudentia refutatione non indiget. Quod enim ait; ubi tria exemplaria diſcordant, duobus potius credendum, quàm uni, id locum non habet ubi agitur de originali & verſionibus; neque ſemper etiam ubi de una ſpecie exemplarium. Sed in omnibus exemplaribus Ebræis, maxima eſt convenientia.

Hæc de verſione. Quod ſenſum ſpectat in duobus à nobis diſſident hoc loco plerique Pontificiorum. 1. quod ſentiunt de Gigantum & priſci mundi pravitate, tantùm loqui Moſem. 2. quod fingunt hoc loco hyperbolem, quaſi plus aliquid diceretur, quàm eſſet in re, non quod omnes & in omnibus ſuis cogitationibus fuerint corrupti, ſed plerique tantùm, in pleriſque. De primo ſic ſentimus, occaſione corruptionis illorum hominum qui tunc vivebant, hæc dicta fuiſſe καθ' ὑπόθεσιν: ſed tamen, ut fit, ab hypotheſi ad theſin generalem proceſſiſſe Deum, habito reſpectu ad omnium ſcelerum radicem. Habet enim ſententiam univerſalem, in qua includitur, 1. ſubjecti univerſalitas, *omne ſigmentum cogitationis cordis*. 2. actus, per excluſivam *tantùm*, eſt *tantùm malum*, id eſt, nihil eſt præter malum, ubi eſt univerſalis excluſiva boni. 3. *temporis*, nullum enim tempus excipitur. Nec reſtrictè dicitur, Omne figmentum *iſtorum* hominum, ſed abſolutè; *Omne ſigmentum cogitationum cordis hominis*. Itaque non debet limitari, ubi Scriptura non limitat.

Præterea, affertur hìc cauſſa interna actualis malitiæ. Quemadmodum enim Chriſtus, Matth. 15. ℣. 16. teſtatur, *ex corde egredi cogitationes malas*, ita hìc malitiam ex depravato cordis figmento ortam eſſe innuitur. Itaque actus ſecundus, actui primo, rivus ſcaturigini, effectus cauſæ, non eſt opponendus. Utrumque Dominus vidit, malos fructus, & malam arborem: Iſtud diluvii cauſſam proximam, hoc autem cauſſam ipſius cauſſæ. Imò cum infantes ipſi diluvio perierint, & hìc reddatur cauſſa immiſſi diluvii, debuit aliqua communis etiam infantibus ipſis proponi. Vel enim infantes puniti fuerunt abſque omni culpa ſua, vel propter culpam: primum dici non debet, quod juſtitiæ divinæ repugnaret: ſecundum ſi dicatur, cum non potuerit in eis eſſe culpa actualis, neceſſariò admittenda eſt originalis.

Accedo jam ad hyperbolem, quam hoc loco excogitant Pontificii. Ubi 1. agam de theſi, an hyperbole ſit admittenda in Scriptura? Deinde de hypotheſi, an verum ſit eſſe hoc loco hyperbolicam locutionem? Video eſſe inter Orthodoxos, in quibus Pareus hoc loco, & alii, qui negare videntur hyperbolicam orationem in Sp. ſancti oraculis locum habere poſſe. Rationem afferunt, quod omnis hyperbole rei veritatem excedit, atque adeò ſpeciem aliquam habet mendacii, non poſſe ergò hyperbolicam orationem Deo adſcribi, ſine ſpecie blaſphemiæ. Sed, pace doctorum virorum qui ita ſentiunt, debuerunt agnoſcere, mendacium eſſe in ſenſu, non in verbis figuratè acceptis, & niſi aliqua hyperbole in Scriptura agnoſcatur, eſſe locos, quorum interpretatio erit impoſſibilis. Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. *Eâ*, inquit, *locutione quam Græci dicunt hyperbolem, ut cæteris tropis, uti ſolere Scripturam, nullus qui eam didicit, ambigit.* Men-

Mendacium quidem eſſet, ſi eadem verba propriè quis proferret, & intelligeret; ſed nullum eſt mendacium, ubi tropicè accipiuntur, ad amplificationem rei de qua loquimur. Cum Deus dixit Abrahamo, *Faciam ſemen tuum ſicut pulverem terræ*, ſi quis id exactè & ad literam intelligeret falſum eſſet, ſed ſi eo ſenſu quo Scriptura dicit, nihil verius. Non enim vult inſtitui comparationem exactam, ſed tantùm vult oſtendere, fore numeroſiſſimam ejus poſteritatem. Eodem locutionis genere dixit Johannes, mundum capere non poſſe libros qui de miraculis Jeſu Chriſti ſcribi poſſent, atque ita ſalvâ rerum fide, plerumque verba videntur fidem excedere. Id autem non fit, quando id quod erat obſcurum vel dubium, cauſſâ & ratione reddità, exponitur; ſed quando id quod apertum eſt, vel augetur, vel extenuatur, nec tamen à tramite ſignificandæ veritatis erratur. Sic enim excedunt verba rem quæ ſignificatur, ut voluntas loquentis, non fallentis, appareat, qui novit quouſque credatur, à quo, vltra quam credendum eſt, vel minuitur aliquid loquendo, vel augetur. Hoc ſenſu Num. 13. ℣. 28. dicunt exploratores ſe vidiſſe urbes magnas ad cœlum uſque munitas, quæ ad corticem litteræ intellecta fallerent, ſed per hyperboles tropum vera ſunt. Non ergò judico negandum eſſe in Scripturis locum habere hyperbolicos loquendi modos. Sed hoc loco non eſſe hyperbolen, teſtantur circumſtantiæ loci, & ſimilia alibi in Scripturis dicta. Loci circumſtantia docet, Spiritum ſanctum voluiſſe verbis efficaciſſimis hominum corruptionem redarguere, ideò non tantùm univerſalem ſententiam protulit de *omni figmento*, ſed etiam excluſivam particulam adjunxit, ne quis exceptione uteretur, quod fit ab iis qui hyperbolen fingunt. Id præterea indicat ſcopus, in quo voluit fontem corruptionis aperire, & cauſam malitiæ & impœnitentiæ illius communis; ſi autem cauſſa non eſſet hominibus omnibus univerſalis, nihil concluderet. Non ſequeretur enim, ſi quis diceret pleræque hominum cogitationes, & plerorumque hominum tantùm malum ſunt, ergò iſtorum omnium quorum hîc redarguitur impietas. Sed optimè ſequitur, omnium hominum, omnia cogitationum figmenta ſunt naturâ prava, ergò ex naturali illo vitio, in omnibus iſtis talis & tanta excrevit malitia. Idem confirmant alia Scripturæ teſtimonia in eam rem frequentiſſima, ut infrà cap. 8. ℣. 21. ubi univerſaliter de hominis natura prava, Deus pronunciat, *cogitationem cordis hominis pravam eſſe à pueritia ſua.* Et Job. 14. ℣. 5. *Quis dabit mundum de immundo? ne unus quidem.* Quod autem objicit Bellarminus, ut hyperbolem probet, de Noacho & filiis nonnullis qui boni fuerunt, ad rem non facit: quia juſti & boni fuerunt, non naturâ, de qua hîc agitur, ſed gratiâ; ſine qua ad eos etiam ſpectaſſet dictum illud, *cuncta cogitatio cordis humani, &c.* fuerunt enim *naturâ filii iræ.* Non magis urget quod opponit de notitiis quibuſdam juſti & honeſti, in hominibus relictis, quæ bonæ ſunt, & quarum cogitationes ſunt naturales. Quia etſi bonæ ſint in genere ſuo, ut loquuntur, ex accidenti tamen, fiunt peccata in impiis, cum ſint ſine fide, & quia eis non obtemperant, ſed multis modis eas depravant.

Hæc cauſa eſt cur dicamus infidelium omnia opera, etiam quæ virtutis ſpeciem præ ſe ferre videntur, eſſe peccata, quod ex hoc loco efficaciter probamus, quia ſi omne figmentum cogitationis hominis, puta in natura corrupta conſiderati, malum ſit, ſequitur neceſſariò, nullum bonum opus à tali homine poſſe procedere, & quicquid facit eſſe peccatum, quia id fit ſine fide, utpote quod nec à bono principio procedit, nec ad bonum finem tendit, per debitas circumſtantias, & modos convenientes. Plura ex hoc loco non extruimus. Proinde calumnia eſt Pererii, qui nobis imponit, inde nos deducere argumenta, ut probemus omnia bona renatorum opera eſſe peccata mortalia: cum agnoſcamus, hîc nullo modo de renatis agi, ſed de infidelibus & impœnitentibus, & deſcribi nativam hominis pravitatem, non conditionem hominis regeniti. De qua aliis fundamentis innixi diſputamus, ubi agitur de peccati reliquiis, quæ diſquiſitio ad hunc locum non pertinet.

Accedimus ergò ad verba verſus 6. *Et pœnituit Dominum quod feciſſet hominem in terra, & doluit in corde ſuo.* Quæ verba, prout ſonant intellecta, abſurdum ſenſum referrent, & Deo tribuerent pœnitentiam & dolorem, quæ à Dei natura planè ſunt aliena. Hæc fortaſſe fuit cauſſa, cur LXX interpretes à verbis pœnitendi & dolendi abſtinuerint, vertentes, ἐνεθυμήθη, id eſt, *cogitavit.* Item in ſecundo loco, διενοήθη, id eſt, *recogitavit*, pro eo quod habet textus *doluit.* Quam lectionem ab Ebræo tam diſſidentem, meritò Pererius miratur ab Hieronymo non fuiſſe obſervatam, ubi in Ebraicis Traditionibus in Geneſim, expendit diverſitatem lectionis Ebraicæ & LXX interpretum. Id tamen ab ipſis factum fuiſſe vero ſimile eſt, quia metuebant ne offenderent hæc verba ſecundum literam expreſſa, lectores minimè aſſuetos Scripturarum phraſibus. Alioquin Aquila, vertit μετεμελήθη, id eſt, *pœnituit.* Symmachus, ἀπέστρεψεν, *averſatus eſt*; Vulgata in quibuſdam editionibus, poſt verba, *quod hominem feciſſet in terra*, addebat hæc alia, *& præcavens in futurum*; quæ cur adjicere voluerit Latinus interpres, fatetur ſe neſcire Pererius. Biblia correctionis Sixti & Clementis VIII. *prudenter ſuſtulerunt, quod plerique vel præponunt, vel poſtponunt*, & præcavens in futurum, ait Franciſcus Lucas.

Ad rem quod attinet, certum eſt propriè tribui non poſſe Deo pœnitentiam, cujus ratio formalis habet in ſe, quæ imperfectionem in eo qui pœnitentia ducitur, includunt. Neminem enim pœnitet alicujus facti, niſi quem fefellit eventus, non anteà prævíſus. Quod de Deo cogitari non poteſt, ſine impietatis nota. Itaque, quando

do propriè loquitur Scriptura, ut 1 Sam. 15. ℣. 25. ſic ait, *Qui eſt æternitas Iſraëlis, non committet mendaciter, neque pœnitebit eum; non enim homo eſt, ut pœniteat eum.* Cujus, ut cum Auguſt. loquar, de Civit. Dei lib. 15. cap. 25. *eſt de omnibus rebus tam fixa ſententia quam certa præſcientia.* Itaque optimè Theodoret. Quæſt. in Geneſ. *Non Deus, ut dicunt quidam, ira & pœnitentia ductus hoc fecit, ſunt enim hujuſmodi paſſiones humanæ, à quibus natura divina prorſus eſt libera, præſertim cum pœnitentia conveniat eis qui periculo facto, rerum conditionem didicerunt, ignorantes enim quod futurum eſt, anteà conſultant, tum periculo facto, quod non rectè deliberaverint pœnitentia ducuntur.* Talia cum in Deum non cõpetant, ſequitur, nec pœnitẽtia duci poſſe.

Idem de dolore propriè dicto dicendum eſt. Cum enim dolor ſit paſſio, conſequens apprehenſionem objecti non convenientis, tanquam præſentis; nullo modo de Deo propriè poteſt enunciari, qui nullis paſſionibus ſubjicitur. Nam cum in dolore appetitus ſenſitivus cum quadam perturbatione & inquietudine execratur malum jam præſens, ſive præſens ſit ſecundum rem, ſive ſecundum apprehenſionem, qui poſſet Deo tribui, in quo nullus eſt appetitus ſenſitivus, nulla perturbatio, aut inquietudo? Quod ſi *doloris* vox pro triſtitia accipiatur, eadem plane ratio eſt. Cum enim triſtitia ſit in eodem genere paſſionum & perturbationum, quam Cicero ægritudinem animi & morbum appellat; non poteſt competere Deo, in quo etiam nullæ triſtitiæ cauſſæ locum habere poſſunt; nempe, amiſſio involuntaria boni habiti, fruſtratio rei expetitæ, caſus in malum quod timebatur, impotentia ſuperandi vim quæ impedit conſequutionem vel fruitionem boni deſiderati; Ira quæ non expletur, cum vindicta ſumi non poteſt; Dilatio in aſſequendo bono quod expectatur, & memoria mali patrati. Talia & ſimilia, ſi de Deo aliquando dicantur ἀνθρωποπαθῶς, ſunt intelligenda θεοπρεπῶς.

Itaque, non inde inferendum eſt Voluntatem Dei eſſe mutabilem, cum impio Vorſtio, niſi voluntas accipiatur pro rebus volitis. Cum enim Deum pœnituiſſe dicitur quod feciſſet hominem. Item 1 Sam. 15. ℣. 10. & 11. quod conſtituiſſet Saulem Regem, & Jonæ 3. pœnituiſſe eum mali quod ſe immiſſurum prædixerat, humano modo de Deo Scriptura loquitur. Et ab effectu conſilium Domini pœnitentia dicitur, quia id facit quod homines ſolent, quos facti, ſive conſulti pœnitet. Hi enim conſulta mutant, aut conſtructa diſſolvunt. Quod optimè Theodoretus explicat cap. 7. quæſt. in Geneſ. *Pœnitentia*, inquit, in Deo, *nihil aliud eſt, quam mutatio diſpenſationis ejus.* Et Auguſt. in Pſal. 115. *Pœnituit* dictum eſt, quia mutavit quod eos perditurus videbatur. *Et apud Deum quidem diſpoſita & fixa ſunt omnia: nec aliud facit quaſi conſilio repentino, quod non ex æternitate ſe facturum eſſe præſcivit, ſed in creaturæ temporalibus motibus quam gubernat mutabiliter, ipſe non temporaliter motus, quaſi repentina voluntate facere dicitur, quod ordinatis rerum cauſſis, conſilii ſui ſecretiſſimi immutabilitate diſpoſuit, qua ſuis quæq; temporibus agnita agit, ita & præſentia facit, & futura jam fecit.* Simili modo Gregorius, Moral. expoſ. in Job lib. 20. cap. 24. *Quia ipſe* (inquit) *immutabilis, id quod voluerit, mutat; pœnitere dicitur, quamvis rem mutet, conſilium non mutet.* Lyranus hac utitur diſtinctione, Pœnitentiam & dolorem Deo tribui, non ſecundum rem, ſed ſeçundum modum, quia ideo pœnituiſſe dicitur Deus, quia ad modum pœnitentis ſe habuit, volens diſſipare quod prius fecerat.

Duas autem ob cauſſas talia tribuuntur Deo per eam quam diximus ἀνθρωποπαθείας figuram, 1. quia ſublatis paſſionibus & defectibus, quicquid in iſtiuſmodi paſſionibus in homine bonum eſt, illud in Deo etiam agnoſci debet, quod talibus paſſionibus in homine adumbratur. 2. Quia Deus per immutabilem ſuam naturam, & voluntatem, talia facit, qualia homines talibus affectibus incitati, facere ſolent. In ſumma, Deum non pœnitet, ſecundum affectum, ſed ſecundum effectum, quia incipit aliud facere, quam quod antè cœpit, imò quod fecit, deſtruit.

Ubi notandum eſt, aliud longè eſſe mutare voluntatem, & velle aliquarum rerum mutationem. Non enim Deus ſolùm, ſed etiam homo quodammodo, poteſt eadem voluntate permanente velle, ut nunc hoc fiat, deinde aliud priori contrarium. Tunc autem ſolùm mutatur voluntas; cum quis incipit velle quod prius non voluit, vel deſinit velle, quod anteà voluit. Quod accidere non poteſt niſi poſita mutatione, vel ex parte cognitionis, vel circa diſpoſitionem ſubſtantiæ ipſius voluntatis. Accidit enim dupliciter ut aliquis de novo aliquid velit, vel quia de novo quidpiam incipit ei eſſe bonum, ut cibus eſurienti, requies fatigato, &c. vel quia de novo cognoſcit, vel opinatur, tale quid ipſi eſſe bonum, cum id prius ignoraret. Quo poſteriore modo propriè ſolemus in homine voluntatis mutationem conſiderare, non autem in priore, tametſi non ſit ſine mutatione voluntatis ſecundum diverſos actus ſibi ſuccedentes. In Deo neuter modus locum habere poteſt, eo quod tam ſubſtantia Dei, quam ejus ſcientia eſt planè immutabilis. Sed quæcunque Deus vult, cujuſmodi ſunt quæcunque in tempore facit, licet diverſiſſima ſint, atque invicem contraria; vult ea omnia æternâ & immutabili voluntate.

Ubi ergo in Scriptura videntur prędictiones, in quibus declarabatur voluntas vel aliqua ſententia Dei, quæ tamen non executioni mandata eſt, ut 2 Reg. 20. quæ denunciata fuit Ezechiæ, Item Jonæ 3. Ninivitis, &c. agnoſcendum eſt, ſententias fuiſſe ut vocant, *interlocutorias*, non abſolutas. Nec Deum mutaſſe voluntatem ſuam, ſed tantùm declaraſſe, quid per ſe vel ex cauſſis naturalibus, vel ex hominum demerito ſequeretur, non quid abſolutè facturus eſſet. In pleriſq; præterea etſi non appoſita ſit conditio, eadem tamen eſt ſubintelligenda.

Impiè

Impiè itaque Vorſtius, Tractatus de Deo fol. 212. *Non ſatis circumſpectè loqui, qui Deum, ut eſſentiâ, ſic etiam voluntate prorſus immutabilem eſſe affirmant.* Ratio ejus præcipua eſt, quod quicquid habet potentiam ad oppoſita, eſt mutabile, *Voluntas autem Dei,* inquit, *ad oppoſita vertibilis eſt, ſive indifferens, ita videlicet, ut velle aliquid, vel non velle, vel ſic, vel aliter velle poſſet.* Reſpondemus, illud ſolum mutabile eſſe, quod habet potentiam, vel, ut loquitur, eſt vertibile ad oppoſita, ſucceſſivè, ita ut aliud poſt aliud recipiat: quâ ratione potentia ad oppoſita, competit creaturis, ut modo velint, modo non velint aliquid. Sed potentia ad oppoſitorum electionem Deo competit ſine ſucceſſione, quia ab æterno, ubi non eſt temporum ſucceſſio, liberrimâ voluntate elegit oppoſitorum alterum. Atque ita in Deo ſumma eſt voluntatis libertas, cum immutabilitate conjuncta.

EXERCITATIO LII.

Noachi deſcriptio. Invenire gratiam *quid ſit. Oculi cur Deo tribuantur? Gratiæ operantis & cooperantis diſtinctio ventilatur. Iuſtitia inhærens qualis tribuatur Noacho? Quæ perfectio homini juſto competat? Diſtinctio Bellarminiana triplicis perfectionis examinatur. Explicatio loci Matth.* 19. *v.* 21. Si vis perfectus eſſe, &c. *Reſpondetur argumento Pelagianorum. An lex Dei in hac vita perfectè poſſit impleri? Perfectio alia abſoluta, alia reſpectiva. Quamnam Deus ab homine exigat? Quæ fuerit perfectio Noachi. Auguſtini de perfectione ſententia. Cajetani notabile dictum. Explicatur locus ad Hebr.* 13. *v.* 16.

EXpoſitis cauſſis quibus Deus motus fuit ut diluvio perderet primum mundum, quia malitia hominum adeò invaluerat, nec ſpes erat emendationis in corruptis hominibus, quorum *figmentum cogitationum* erat *omni tempore malum*, narrat Moſes, qua ratione Deus voluerit providere, ne genus humanum penitùs aboleretur, ſervato nempè Noacho cum tota familia ſua. Idcircò per antitheſim aliorum hominum, Noachum deſcribit, à duplici juſtitia, quâ à Deo donatus fuerat, quarum una paſſiva fuit, ſeu imputata; altera activa, ſeu inhærens. De prima dicitur ℣. 8. ונח מצא חן בעיני יהוה *venoach matſa chen, beenei Iehova,* Et Noë invenit gratiam in oculis Domini. Phraſis eſt Ebraica, quæ etiam de hominibus dicitur, ut Geneſ. 18. ℣. 3. *Si inveni gratiam in oculis tuis,* ait Abraham uni ex tribus illis quos exiſtimabat homines eſſe, hoc eſt, ſi tibi gratus ſum, ſi digneris me favore tuo. Geneſ. 34. ℣. 11. Sichemus Jacobo & filiis ejus, *Si* (inquit) *inveni gratiam in oculis veſtris.* Et 1. Sam. 1. ℣. 18. Anna Eli, *Si inveni gratiam in oculis tuis:* quibus in locis patet eſſe verba humiliter de ſe ſentientium, & favorem ambientium ſine meriti aut dignitatis præſumptione, etiam apud homines. Eadem phraſis hoc loco & alibi uſurpatur de Deo; idque figuratè, ſi oculorum mentionem ſpectemus, qui Deo propriè tribui non poſſunt. Sed quia homines, oculorum quaſi nictu, & benigno aſpectu favorem ſuum teſtantur, eâdem loquendi formulâ exprimere voluit Spiritus S. favoris divini ſignificationem. Non enim dubium eſt, quin hoc loco, ex omnibus acceptionibus gratiæ convenientiſſima ſit, quæ pro favore divino accipitur.

Invenire autem *gratiam* dicuntur, non ſolùm qui eam quærunt & ambiunt, ſed etiam quibus illa occurrit non quærentibus, quo modo neceſſarium eſt ut primò inveniatur gratia, nemo enim aliàs ejus fieret particeps. Sic Eſai. 65. ℣. 5. *Expoſitus ſum eis qui non interrogabant, inventus ſum ab iis qui non quærebant me,* &c. Sic etiam εὕρημα Græcis dicitur fortuitum & inſperatum lucrum. Non ergò putandum eſt cum Pelagianis, gratiam dari ex merito, & iis communicari, qui eam anteà quæſierunt. Non enim quæritur gratia, ſine gratia, quæ prima hominem perditum in ſe, quærit & invenit, ut poſteà eam quærat, & conſervet inventam. Hinc diſtinctiones apud Auguſtinum prævenientis, & ſubſequentis gratiæ, operantis & *cooperantis*, etſi ſecundum illud membrum gratiæ divinæ non conveniat; quia cooperatio eſt hominis, non Dei, infert enim cooperatio aliquam imperfectionem, ſuppònitque alium primum agentem, atque ita, ſi Deus cooperaretur homini per gratiam, homo præiret, & Deus ſequeretur.

Notant interpretes Pontificiorum, Noachum gratiam inveniſſe, quia juſtus erat, & invenit eum Deus quæ ipſi placita ſunt facientem. Et certè Deus hanc affert rationem cap. 7. ℣. 1. cur Noachum voluerit eximere à pœna illa communi, *etenim,* inquit, *te proſpexi juſtum coram me, in generatione hac.* Non igitur negandum eſt, pios Dei cultores in executione judiciorum divinorum, ſive temporalium, ſive æternorum, ab impiis diſcerni, habitâ pietatis eorum ratione; ſed non propterea concedendum eſt, eos gratiam divinam promereri, quæ fons eſt omnium beneficiorum Dei, inter quæ debet reponi, ſi quis piè vivat, & ſincerè Deo ſerviat. Hoc enim illi habent etiam à gratia, qua Deo fuerunt accepti, priuſquam aliquid ab eis acceptaret. Sic beatæ Virgini dicitur ab Angelo, *inveniſti gratiam apud Dominum*, id eſt, favore

te proſequitur Deus, qui certè maximus fuit, cum eam delegit ut eſſet mater filii Dei, quod nec quæſierat, nec ſperaverat.

Hoc loco, gratia quam invenit Noë, non ſpectat ſolam illam liberationem à diluvio, anteà enim gratus erat Deo, & ipſi reconciliatus. Ideò diximus his verbis ſignificari Noachi juſtificationem, qua à Deo peccatorum remiſſionem obtinuerat, & fide miſericordiam Dei amplexus erat. Quæ prima eſt & præcipua fidelium juſtitia, quæ judicio Dei ſatisfacit, & condemnationem tollit, quæ *nulla eſt iis qui ſunt in Chriſto*, ut loquitur Paulus Rom. 8. ℣.1. Quinam autem illi ſint, hac deſcriptione ſignificat, *Qui non ſecundum carnem incedunt, ſed ſecundum ſpiritum.*

Hæc eſt juſtitia inhærens, cum imputatâ ſemper conjuncta, tanquam verus fidei fructus, quæ etiam tribuitur Noacho ℣.9. *Noach vir juſtus, integer erat in generationibus ſuis, cum Deo continenter ambulabat Noach.* Ubi Noacho tribuitur juſtitia, integritas, ſeu, ut alii interpretantur, perfectio; & actiones ex illa integritate manantes, quæ *ambulandi cum Deo*, phraſi exprimuntur. Juſtitiam illam, actualem ſive activam, & inhærentem interpretamur, & vocem תמים *tamim*, perfectus, accipimus ἐξεγητικῶς, vel pro epitheto juſtitiæ integræ, vel perfectæ. Proinde fatemur Noachum, juſtè & integrè ſe geſſiſſe, dum alii qui corripuerant viam ſuam, ſuis cupiditatibus indulgerent, & in hac oppoſitione ſtudiorum & operum contrarietatem eſſe conſiderandam. Sed quouſque progredi potuerit talis juſtitia conſiderandum eſt, & quænam perfectio poſſit homini tribui in hac vita.

Pelagiani jam olim hoc loco & ſimilibus abutebantur, ut eam in homine poſſe eſſe in hac vita perfectionem juſtitię oſtenderent, quę omni macula & labe careret. Ex eo fundamento, tritum illud erat apud eos, *hominem eſſe poſſe ſine peccato*, quia Scriptura nonnullis perfectionem tribuebat. Adverſus quos edidit Auguſtinus ex profeſſo tractatum de *perfectione juſtitiæ*, in quo oſtendit qua ratione in hac vita homini tribuatur perfectio. Bellarminus dum hoc eorum argumentum ponderat, lib. 1. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati, cap. 6. triplicem perfectionem diſtinguit: unam actualis dilectionis Dei ſupra omnia ſine ullo defectu, qualis eſt beatorum in cœlis: ſecundam deſertionis omnium bonorum, de qua Dominus Matt. 19. ℣.21. *Si vis perfectus eſſe, vende omnia*, &c. tertiam propoſiti diligendi Deum ſuper omnia, & deſerendi omnia, etſi actus non ſemper adſit. Primam dicit non præcipi, nec conſuli: ſecundam conſuli, non præcipi: tertiam præcipi, & eam eſſe quæ Noacho tribuitur, quæ cum aliquo peccato, & imperfectione, ſed veniali, poteſt conſiſtere.

At in hac diſtinctione ſunt quæ probari non debent. Primum ejus membrum concedi poſſe non negamus ex parte. Non enim requiritur in hac vita perfectio qualis eſt in beatis, quia cum illi confirmati ſint in bono, in ſtatu gloriæ, non ſolùm non peccant, ſed etiam extra omnem peccandi aleam ſunt poſiti. Illi prætereà liberi curis & ſollicitudinibus vitæ præſentis, nihil aliud cogitant quàm quæ ad Dei gloriam pertinent immediatè, & actu non intermiſſo. Hoc modo fatemur nullum eſſe hominem *viatorem* (ut vocant) qui talem poſſit attingere perfectionem. Secundam quod ſpectat, non agnoſcimus eſſe perfectionem, id eſt, in eo conſiſtere perfectionem quæ ſit Deo grata, ſi quis vendat bona ſua, & ea diſtribuat. Nec id probat dictum Domini noſtri. Neque enim dicit perfectionem in eo conſiſtere, ſed, *ſi vis perfectus eſſe, vende omnia.* Quæ verba ſunt accipienda pro ratione circumſtantiæ perſonæ, cui Dominus reſpondebat. Quæſierat ille quid ſibi faciendum eſſet, ut vitam æternam poſſideret. Reſponderat Chriſtus, propoſitâ legis conditione, *Hoc fac, & vives.* Ille, ſeipſum decipiens profitebatur ſe omnia ſervaſſe inde à juventute ſua, proinde ſe perfectum eſſe gloriabatur. Ut id Dominus refelleret, injungit ipſi renunciationem illam, quia videbat eum nimis addictum hiſce terrenis, & ut ipſi & aliis detegeret, quantum abeſſet à perfectione, id eſt, ab exactâ mandatorum Dei obſervatione, & à vera charitate. Non quod perfectionem in eo collocaret; ſed quod promptitudo id exequendi, ubi opus eſſet, perfectionem illam indicaret. Itaque etſi talis promptitudinis demonſtratio non omnibus injungatur, non tamen exiſtimandum eſt, conſuli tantùm à Chriſto iſti homini, cui id ſeriò imperabatur, ut impedimentum tolleret perfectioni, à qua eum avocabant divitiæ ſuæ. Quæ ratio ſi eadem alicui ſe offerat, tum præcepto Dei tenetur ad idem præſtandum, nec eſt res conſilii tantùm, cui liberum ſit aſſentiri, vel contrà. Adverſariorum in ea re hallucinatio eſt, quod perfectionis à Chriſto huic juveni propoſitæ nomine, non exiſtimant ſignificari eam quæ neceſſaria eſt ad vitam æternam; cum tamen Chriſtus id manifeſtiſſimè doceat, reſpondens quæſtioni propoſitæ. Nam *Si vis perfectus eſſe*, nihil aliud eſt, quàm ſi vis talis eſſe qualis debet, qui ad æternam vitam admittendus eſt. At, inquiunt, is actus non omnibus præcipitur. Fateor, quia ſunt qui ſine illo actu poſſunt iter ſanctitatis ingredi, & in eo incedere, ita ut talia eum non remorentur. Sed ſi aliqui ſint aliter affecti, quod imperfectionis eorum indicium eſt; tum eruere debent ſibi vel oculum dextrum, vel manum dextram, &c. Itaque nihil habere carum quod non abjiciant, ne ipſi pereant, eorum exemplo qui navigantes, dum in periculo verſantur, projiciunt in mare quicquid ſuppellectilis habent oneroſæ, quamvis pretioſæ, ne ſubmergantur, ſed potiùs, etſi ægrè tandem & difficulter, portum occupent. Idcircò, ne ipſi quidem Pontificiorum Scholaſtici negant, ſtatum religioſorum quem vocant, imperfectiorem eſſe ſtatu Epiſcoporum, qui ſua non vendunt, ut pauperibus diſtribuant. Quod expreſſè diſputat Thomas,

2.2. q. 184. art. 8. Quia (ut loquitur) cum agens ſit perfectius patiente, & in generatione perfectionis ſecundum Deum, Epiſcopi ſe habeant ut perfectores, Religioſi autem ut perfecti, manifeſtum eſt ſtatum perfectionis potiorem eſſe in Epiſcopis, quam in religioſis. Ad locum autem à Bellarmino allatum, *Si vis perfectus eſſe*, &c. reſpondet, abrenunciationem propriarum facultatum dupliciter conſiderari poſſe, uno modo, *ut eſt in actu*, & ſic in ea non conſiſtere eſſentialiter perfectionem, ſed eſſe quoddam perfectionis inſtrumentum. Ideò nihil ſtatum perfectionis prohibere eſſe ſine abrenunciatione propriorum; ſicut etiam dicendum eſt de aliis exterioribus obſervantiis. Alio modo conſiderari *ſecundùm præparationem animi*, ut ſi homo ſit paratus dum fuerit opus, omnia dimittere vel diſtribuere, & hoc pertinet directè ad perfectionem. Hæc autem perfectio, ſi ita dicenda ſit, neceſſaria eſt ad vitam æternam, proinde imperata, quæ cum tertia benè intellecta, coincidit. Dixi *benè intellecta*, quia eam non benè explicat Bellarmin. Qua de re paulò poſt agemus.

Sed ad argumentum Pelagianorum ut reſpondeamus, Negamus eam de qua loquitur Scriptura perfectionem, ſive cum jubet ut ſumus perfecti, ſive cum quibuſdam perfectionis aut integritatis laudem tribuit, in eo conſiſtere ut homo ſit planè expers peccati. Pontificii id etiam dicunt, ſed uſurpata diſtinctione ſua peccati venialis aut mortalis, ex natura ſuâ, quorum hoc à perfectione eliminant, illud autem cum ea conſiſtere poſſe concedunt. Talem diſtinctionem alibi oſtendemus, cum Deo, eſſe planè atheologam. Sed illud conſiderandum ducimus, diſtinguenda eſſe crimina & ſcelera à peccatis quotidianis ſubrepentibus ex infirmitate, & poſteriora illa perfectionem non tollere, quæ juſtis & timentibus Deum in Scriptura tribuitur: ratio eſt, quia in fidelibus ex infirmitate peccantibus, manet juſtitia imputata, quæ imperfectionis maculas tollit, nec aufertur ab ipſis habitus, quo infirmitatem ſuam agnoſcunt, & de commiſſis peccatis, triſtantur ſecundum Deum. Ut in illis ſit perfectio, quod alicubi benè dixit Auguſtinus, imperfectionem ſuam agnoſcere.

Eſt ergo in Pelagianorum argumento fallacia à dicto ſecundum quid ad ſimpliciter. Quia cum Scriptura loquatur de perfectis ſecundum quid, illi de perfectis abſolutè accipiunt. Nam etſi perfectio abſoluta & omnimoda præcipiatur ut ſcopus ad quem tendere debemus, non tamen inde ſequitur, eam in hac vita à quoquam attingi poſſe. Docent enim præcepta, non quales ſimus, aut conatu noſtro eſſe poſſimus, ſed quales eſſe debeamus, aut futuri ſimus ex largitate divinâ, in ſtatu gloriæ. Nec propterea fruſtranea eſt præcepti perfectionis quæ in totali exemptione à peccato conſiſtit, inculcatio; Quia talibus ſtimulis excitantur Sancti, ut per gratiam regenerationis inchoare ſtudeant perfectionem in ſtatu gratiæ, abſolvendam in ſtatu gloriæ. Sic Apoſtolus, Philipp. 3. ℣. 13. agnoſcit ſe *nondum apprehendiſſe*, ſed profitetur, *unum id ſe agere, ut quæ à tergo ſunt obliviſcens, ad ea quæ à fronte ſunt contendat*. & nihilominus addit ibidem, ℣. 15. *Qui igitur perfecti ſunt id ſentiant*, ubi ſe & alios quoſdam, *perfectos* vocat; & tamen ſe adhuc *apprehendiſſe* non præſumit. Et Ioannes Chriſti dilectus diſcipulus, de omnibus *viatoribus*, ſe ipſo non excepto, dicit, 1. cap. 1. ℣. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus.* Ne quis ſibi in hac vita perfectionem tribuat, quæ peccatum omne actu excludat.

Sed Pontificii, qui Syncretiſmum in ea re cum Pelagianis rejiciunt, eam nihilominus homini *poſſibilem* in via perfectionem vindicare conantur, quæ legem Dei implere poſſit, prout impletio ejus ab homine in Scriptura exigitur, & iiſdem abutuntur Scripturæ dictis, in quibus nonnullis Scriptura perfectionem tribuit, & præſertim teſtimonio quod hic tribuitur Noacho, quod *vir juſtus & perfectus fuerit*. Quibus reſpondemus, vocem illam תמים quæ perfectum, aut integrum vitæ, ſceleriſque purum, ſignificat; Phraſi Scripturæ eum, qui ſincerus eſt & ab omni hypocriſi alienus, deſcribere: & perfectionē aliam eſſe *abſolutam*, quam graduum perfectionem appellare poſſumus, aliam autē *reſpectivam*, & conditionatam, quam partium perfectionem dicere poſſumus. Abſoluta perfectio item duplex eſt. 1. Qualis fuit in Adamo in ſtatu innocentiæ, in quo erat perfectio partium & graduum, quia in juſtitia originali creatus, carebat omni prorſus peccato, ſed tamen natura ſua mutabilis, & nondum confirmatus gratiâ qua labi non poſſet, non erat ab omni peccandi periculo liber, ut nunc ſunt Angeli Sancti, & pii homines beati. Talem perfectionem ab homine Deus exigit jure, qualis fuit in Adamo, ut à peccato ſimus immunes, nam etſi eam præſtare non poſſimus, ejus tamen apud Deum debitores ſumus. Aliam perfectionem abſolutam & immutabilem, Deus nunc à nobis non exigit, ſed eam ſuis promittit, in iis efficiendam, poſtquam hoc mortale corpus exuerint. Nec tamen ea perfectione quæ fuit in Adamo, quatenus juſtitiam ſine macula peccati includit, deſtituuntur fideles, ſaltem per æquivalens. Nam juſtitiæ Chriſti imputatio & peccatorum remiſſio, ſupplet ejus defectum, per quam pro juſtis & immaculatis habentur apud Deum qui in Chriſtum credunt. De ea perfectione quam in Chriſto habemus, in quo etiam legis juſtitia impletur à nobis, loquitur Apoſt. Coloſſ. 1. ℣. 28. *Vt præſtemus omnem hominem perfectum in Chriſto.* Coloſſ. 2. ℣. 10. *In eo eſtis* πεπληρωμένοι *conſummati.* Ebr. 10. ℣. 14. Una oblatione τετελείωκεν in ſempiternum ſanctificandos.

Perfectio vero inchoata per omnes partes in nobis, etſi non abſoluta per gradus, eſt ſincera & ἀνυπόκριτος ſecundum totam legem obedientia, ſive ſincerum ac ſerium ſtudium obediendi Deo ſecundum omnia ejus præcepta, etſi reſpectu graduum aliquid deſit, & admiſceantur ex humana infirmitate peccati reliquiæ. Et tamen

men talis obſervatio mandatorum dicitur perfecta, 1. Ratione omnium mandatorum, quia ſtudent pii, non uni tantum, aut aliquibus, ſed ſingulis & omnibus Dei mandatis obedire, etſi id faciant tantùm inchoativè. Eam inſinuat David Pſal.119. ℣. 6. *Tunc pudore non afficiar, cum reſpiciam ad omnia mandata tua.* 2. Perfecta dicitur, habitâ ratione ſinceritatis, qua vero affectu & non ſimulato, ſerio & non hypocritico ſtudio, renati Deo obediunt, ac pravis moribus reſiſtunt. Quo referri debet quod David ait Pſal. 119. ℣. 34. *Toto corde exquiſivi mandata tua.* 3. Ratione etiam probabilis & ſanctæ converſationis, quam ducunt ſine querela, ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, *integri & ſine macula, tanquam filii ſinceri Dei, qui habitant in generatione prava, & perverſa, & conſpiciuntur in eis tanquam luminaria in mundo.* Quæ propriè eſt deſcriptio ſtatus Noachi, de quo hoc loco. Ideo etiam dicitur, juſtum & perfectum fuiſſe, in generatione ſua, ubi de juſtitia & perfectione agitur *comparatè ſumpta*, non abſoluta. Tunc enim aliquis perfectus dici poteſt, cum inter eos habitat, qui planè corrupti ſunt, quales fuerunt homines in ſeculo Noachi, & tamen non ſe polluit eorum criminibus. Quo modo Loth inter Sedomæos perfectus fuit, &c. Diſtinctionem illam laudabilis inter homines converſationis, nobis ſuggeſſit Auguſt. ubi Pelagianis reſpondet objicientibus, quod Luc. 1. ℣. 6. dicit Lucas de Zacharia & Eliſabetha, *Erant juſti ambo, in conſpectu Dei, incedentes in omnibus mandatis ejus, & conſtitutionibus Domini ſine reprehenſione.* *Dictum eſt* (inquit) Auguſt. de grat. Dei contra Pelag. & Cœleſt. lib. 1. cap. 48.) *quantum mihi videtur ſecundum quandam converſationem, inter homines laudabilem, atque probabilem, quam nullus hominum juſtè poſſet in accuſationis & criminationis querelam vocare. Quam præterea in Dei conſpectu Zacharias & ejus uxor habuiſſe referuntur, quia in ea homines nulla diſſimulatione fallebant, ſed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum hoc eſt ſecundum illam perfectionem juſtitiæ in qua verè, atque omnino immaculati & perfecti vivemus. Nam & Apoſtolus Paulus dixit, ſecundum juſtitiam quæ ex lege eſt, ſe fuiſſe ſine querela, in qua lege etiam Zacharias ſine querela converſabatur, ſed hanc Apoſtolus juſtitiam in ſtercoribus & detrimentis deputavit, in comparationem juſtitiæ quam ſperamus, & quam nunc eſurire ac ſitire debemus, ut quandoque ſaturemur in ſpecie, quæ nunc eſt in fide, quamdiù juſtus ex fide vivit.* Paulò ante dixerat, *Si minutius excutias, immaculatus eſſe nemo poteſt, quia nemo eſt ſine peccato.* Ita abſoluta perfectio, tum cognitionis tum obedientiæ, diſertis verbis denegatur renatis in hac vita, 1 Corinth. 13. ℣. 10. Philip. 3. verſ. 12.

Cum autem adverſarii concedentes, perfectionem qualis eſt in vita futura hominem viatorem aſſequi non poſſe, nihilominus perfectionem hujus vitæ talem præſumunt quæ mandata Dei implere poſſit, ſi perfectam impletionem intelligant, ut faciunt, manifeſtè principium petunt. Falſum eſt enim talem perfectionem in ſe legem implere. *Quia virtus nunc in homine perfecta nominatur hactenus, ut ad ejus perfectionem pertineat, etiam ipſius, imperfectionis, & in veritate cognitio, & in humilitate confeſſio. Tunc enim eſt ſecundum hanc infirmitatem pro ſuo modulo perfecta, iſta parva juſtitia, quando etiam quid ſibi deſit intelligit.* Ut ſcitè idem Auguſt. contra duas Epiſt. Pelag. lib. 3. cap. 7. Hoc modo Noë fuit juſtus & perfectus in generationibus ſuis, qui humilis fuit, & ſuam ipſius infirmitatem agnoſcens, ita apud homines ſeculi ſui inculpatè vixit, ut tamen quid apud Deum ſibi deeſſet confeſſus fuerit, & remiſſionem peccatorum per gratiam à Deo adeptus, teſtimonium habuit integritatis, & in mundi interitu, conſervatus fuit in vita. Sed benè notavit Cajetanus in hunc locum, *Rectè dicitur quod invenit gratiam, non juſtitiam.*

Et tamen *Ambulavit cum Deo*, quam eandem Phraſim uſurpavit Moſes cum de Enocho ageret, ubi diximus ſignificari converſationem quę decet eum qui Deum ſibi proponit ſemper pręſentem, & oculis hominum non ſervit, ſed Dei oculis, quem ſpectatorem omnium actionum ſuarum ſibi proponit. LXX hoc loco hanc phraſim reddiderunt εὐηρέστησε τῷ Θεῷ, benè placuit Deo. Qua ſimili phraſi uſus eſt Apoſt. Ebr. 13. ℣. 16. τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς, Quæ vulgata reddit, *talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Omnino mendoſè, & eo verbo uſa, quod occaſionem dedit meritum propriè dictum tribuendi operibus hominum.

Exercitatio LIII.

Noachus quomodo factus præco juſtitiæ? Explicatur locus 2 Pet. 2. verſ. 5. Carnis *nomine quid intelligatur? An omnes diluvio abſorpti excluſi fuerint à regno cœlorum? conjecturæ non leves pro contraria ſententia? Petri dicta 1 Epiſt. 3. & 4 de immorigeris tempore Noachi, explicantur. Explicatur locus Matth. 24. verſ. 37. Cur Deus arcâ uti voluerit ad octo illos ſervandos, non alia ratione? Cubitus cujus in arcæ menſura mentio fit, qualis fuerit? Quæ fuerit ejuſdem proportio? Ejus cum Eccleſia convenientia ex Auguſtino. Fœderis nomen & verbi* ברית berith, *ſignificatio. Stabilitur fœdus, cum initur. Noachi charitas adverſus incredulos aſſeritur. Explicatur verſ.* XIX.

Moſes expoſitâ ratione cur excipere voluerit Deus Noachum & familiam ejus ne eluvione illa univerſali abſorberentur, indicat poſteà, quomodo factus fuerit à Deo *juſtitiæ præco*, quo nomine à Petro commendatur,

mendatur, 2. cap.2. ℣.5. ubi dicit Deum *octavum Noë juſtitiæ præconem ſervaſſe*, quibus in verbis eſt quædam ambiguitas, quia ita poſſunt accipi ac ſi Noachus fuerit *octavus juſtitiæ præco*, ita ut ante eum ſeptem alii præceſſerint; vel Noachum fuiſſe unum ex octo, qui fuit numerus eorum qui ſervati fuerunt. Joſephus primam ſententiam ſequutus eſt, Antiq. lib.1. cap. 4. & 5. incipiens numerum à Setho. Sed nulla ratio eſſet, cur Adamus & Abel ex eo numero eximerentur. Vera eſt ſententia quę id de numero eorum qui ſalvi fuerunt intelligit; quo ſenſu etiam vernaculè dicimus, *il a eſté gardé luy huitiéme*, ut optimè expreſſit verſio Bibliorum Gallicorum, conſentientibus etiam Lovanienſibus. Juſtitiæ autem præco fuit, quia homines dictis & factis ad juſtitiam colendam invitavit, ac prætereà juſtitiæ Dei imminentis eos monuit, ut in tempore reſipiſcerent.

Ad hoc munus præparaverat eum Deus verbo ſuo, jam olim, ſed cum nihil ſuo præconio proficeret, tandem Deus judicium ſuum imminens & conſilium de hominibus perdendis revelavit, quod verſ.13. habetur, *Quamobrem dixit Deus Noacho, finis omnis carnis adventat coram me, eo quod terra repleta ſit violentia, propter iſtos, quare ego perditurus ſum ipſos cum terra.* Quibus poſteà ſubjungit mandatum de extruenda arca. Quibus in verbis, carnis nomine, etſi præſertim intelligantur homines, tamen etiam comprehenduntur animalia, ut non ſolùm ex effectu liquet, ſed etiam ex verſ. 7. *Delebo hominem quem creavi, è ſuperficie terræ, ab homine uſque ad jumenta, &c.* Quo ſenſu poſſent accipi poſtrema illa verba, *perditurus ſum ipſos cum terra,* id eſt cum omni ornatu terræ, animalibus, plantis, &c. Niſi illud את *eth*, accipiatur pro *de*, vel *è*, perditurus ſum eos è terra, quod ſimplicius videtur. Phraſis autem illa, *eo quod terra repleta ſit violentia*, מפניהם *mippenehem*, à facie eorum, à Tremel. & Junio vertitur *propter iſtos*, nempè violentos homines, gigantes. Sed id ſimplicius exiſtimo ſi ad homines in genere referatur, qui nomine carnis præſertim intelliguntur, atque ita per ſyntheſim carnis nomini collectivo relativum plurale jungatur. Eſt autem *à facie eorum*, vel idem quod *ab ipſis*, vel *propter eos*, vel etiam *ab eorum præſentia*, qua terram conſpurcaverant & polluerant ſuis malefactis.

Hîc à nonnullis quæritur, an perditio illa de qua loquitur Deus, ſecundum corpus & ſecundum animam, ubi de hominibus agitur, intelligenda ſit, atque adeò an omnes qui aquis diluvii fuerunt abſorpti, æternæ damnationi addicti fuerint? Sunt qui id affirment. Sunt contrà qui exiſtimant, nonnullos fuiſſe ſalvatos quoad animam, etſi carnis interitum ſenſerint. Hac de re prolixam habet diſquiſitionem Pererius, qui rigidiorem ſententiam amplectitur. Ut paucis agamus, id primò certum & exploratum habemus, neminem eorum fuiſſe qui diluvio perierunt, qui non fuerit in ſe æternæ damnationis reus, quia omnes fuerunt peccatores & corrupti. Secundò, neminem eorum qui pœnitentiam non egerunt ante mortem, potuiſſe poſt mortem ad vitæ emendationem, & peccatorum ſalutarem deteſtationem adduci, proinde eorum ſententiam meritò rejici debere, qui exiſtimarunt Chriſtum eos qui impœnitentes fuerant ex inferno liberaſſe, in quem ſuo merito fuerant detruſi. Tertiò (quod etiam Pererius non negat) certum eſt potuiſſe fieri, ut nonnulli ex iis qui non crediderant prædicanti Noacho, & arcam conſtruenti, cum viderent præſens Dei judicium, ad Deum clamaſſe pro remiſſione peccatorum, & potuiſſe, agnitâ culpâ, pœnam corporis patienter accipere Deum juſtificantes, animâ proinde ſalvos fieri. Supereſt igitur quærendum an id factum fuerit. Nam etiam nos Pererio aſſentimur, dicenti, cum quæſtio incidit de facto, id eſt, cum quæritur an aliquid factum ſit necne, non ſatis eſſe demonſtrare id fieri potuiſſe, quia multa fieri poſſunt quæ nunquam facta ſunt: oportere igitur, ut quod aliquo tempore vel loco factum eſſe dicitur, id eo tempore & loco factum eſſe, gravibus teſtimoniis, aut probabilibus argumentis confirmetur. Sic igitur ſtatuimus, Nihil ea de re certum & exploratum ita eſſe, ut ei qui non crediderit aliquos ſalvos fuiſſe factos, proptereà lis intendi debeat. Sunt tamen quæ affirmativam probabilem reddunt, illud in primis, quod cum Deus uno momento potuiſſet diluvium illud perficere, voluit tamen id ſenſim facere immiſſâ pluviâ, quæ per 40 dies & noctes continuavit; quo tempore, qui videbant ſe ſenſim perire, vel in cacuminibus montium recepti, vel in arborum ſummitatibus, habuerunt unde moverentur ad miſericordiam divinam implorandam. Atque ita valdè probabile eſt, Deum ſpatium illud quo pluvia cecidit in terram donec aquæ ad ſummum eſſent productæ, ideò conceſſiſſe, ut qui in numero delendorum ex electis erant, haberent aliquod ſpatium reſipiſcendi, atque ita ſalutem æternam conſequendi. Huc refert Piſcator ſententiam 1.Petri 4.℣.6. ubi de prædicatione Noachi & diluvio loquens, dicit, *Idcircò mortuis quoque prædicatum eſt Evangelium, ut judicarentur quidem ſecundum homines carne, viverent autem ſecundum Deum ſpiritu.* Sic enim intelligit, judicatos fuiſſe carne, qui morti temporali fuerunt addicti, vixiſſe autem ſecundum Deum ſpiritu, qui pœnitentiam egerunt ſeriam, etſi tardiùs quàm par fuiſſet. Quo ſenſu de excommunicato dicebat Paulus, 1. ad Corinth.5.℣.5. *Ejuſmodi homo tradatur Satanæ ad interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die illo Domini Ieſu.* Et certè ſi verba Petri referantur ad ea quæ præced. cap. ℣.19. & 20. dixerat de immorigeris in diebus Noë, ſententia illa habebit aliquid ſupra probabilitatem. In eo tantùm erit difficultas, quod ſi illi qui *immorigeri* ibi dicuntur, dum patientia Dei expectaret in diebus Noachi, ad pœnitentiam revocati fuerint, dici non poteſt cum vener. Beza, eos tum fuiſſe in carcere æternæ damna-

damnationi addictis deſtinato, quando loquebatur Petrus. Quod ſi interpretationem aliam in præterito recipiamus, *qui in carcere erant*, tunc cùm ipſis prædicatum eſt Evangelium, quærendum erit quinam fuerit carcer ille, in quo tunc detinebantur. Si cum Syro interprete, per animas homines intelligantur, & per carcerem ſepulchrum, nulla erit difficultas, prædicaſſe nempè per ſpiritum ſuum animabus, id eſt, hominibus, qui ſunt in ſepulchro, id eſt, ut ſequenti cap. dicitur, qui mortui ſunt, ſed tunc cum adhuc viverent; quia tunc rectè quadrabit, quod qui carnis interitum ſenſerunt, ob nimis dilatam impœnitentiam, ſalvi tamen facti ſunt, quia ante mortem reſipuerunt. Piſcator tamen amplectitur in prioribus illis interpretationem Bezæ, ſed carcerem præſentem refert tantùm ad eos qui non reſipuerunt tempore ſupplicii, à quibus alios diſtinguit, de quibus poſteà cap. 4. mortuos nempè quibus prædicatum eſt Evangelium, ut *judicarentur*, id eſt, punirentur, propter contemptam Noachi prædicationem, quo ſenſu verbum κρίνεσθαι accipitur 1. ad Corinth. 11. ℣. 31. de pœnis ſeu caſtigationibus corporalibus, *ſecundum homines*, id eſt, quoad notitiam hominum, *viverent autem*, id eſt, vitam æternam adipiſcerentur aliqui ex illis, pœnâ diluvii ad reſipiſcentiam adducti, *ſecundum Deum*, id eſt, quoad notitiam Dei, qui ſolus tanquam καρδιογνώστης, novit eos qui ex illis reſipiſcebant.

Et certè ſatis concinna eſt interpretatio, quâ poſitâ, non tantùm conjectura probabilis, ſed ratio firma habetur, qua mitior illa ſententia confirmetur, in quam etiam inclinarem, etſi nolim iis qui aliter ſentiunt dicam ſcribere, quia in talibus, quiſque poteſt quod ſibi maximè probabile videtur, eligere.

Qui contrà ſentiunt, nullam rationem afferunt, cur id non ſit conveniens, vel ſecum afferat aliquid incommodi. Nam ex eo quod objiciunt nonnulli, ex Matth. 24. ℣. 37. & ſeqq. *Sicut erant dies Noë, ita erit adventus filii hominis, &c.* non ſequitur uno momento fuiſſe oppreſſos à diluvio, ut non potuerint de miſericordia Dei imploranda cogitare; ſed id tantum ſequitur, Quemadmodum in diebus Noë deprehenſi fuerunt homines, ita ut non potuerint evadere mortem, oppreſſi à diluvio, ſic deprehendentur homines in adventu filii hominis, ut non poſſint evadere judicium illud extremum. Eſt enim ſimilitudo deſumpta ab eo quod accidit in judicio particulari ratione temporalis pœnæ, ad id quod eveniet in judicio univerſali ratione pœnæ æternæ. Nec tamen, ut uno die judicium illud univerſale abſolvi debet, particulare id tempore Noë fuit finitum, quamvis verum ſit, nullam evadendi rationem relictam fuiſſe, poſtquam ſemel ingreſſo Noë in arcam, cœperunt aquæ decidere in terram; ſed priuſquam montium cacumina attingerent, aliquot dies intervenerunt, quibus homines, mortem ſibi proximam & inevitabilem cernentes, potuerunt de ſalute animæ cogitare, & ſuam incredulitatem accuſare, qua Noachi prædicationem contempſerant, & eluſerant.

Hic de arcæ conſtructione, capacitate, regimine, &c. multa dici poſſent, ſed quæ ad inſtitutum noſtrum non pertinent, quæ etiam controverſa non ſunt, ſaltem apud eos qui in controverſiam non vocant autoritatem libri Geneſeos. Tantùm id quæri poteſt in genere, cur Deus, qui mille alios modos, & fortaſſe nobis minus difficiles habebat, ſuos conſervandi, & impios perdendi, hac ratione uti voluerit? Quamvis autem pro ratione nobis ſufficere debeat Dei voluntas, cenſemus tamen iſtam non eſſe levis momenti, quam etiam Ebræorum interpretes inſinuarunt, Deum hanc iniviſſe rationem, ut homines conſpicientes talem & tam difficilem ſtructuram ſuſcipi, & tempore adeò longo, habere poſſent unde perſpicerent, Noachi prædicationem, & judiciorum Dei denunciationem non eſſe ludicram aut incertam, cujus ipſe cum eſſet perſuaſiſſimus, cum tanto labore parabat ſibi & ſuis, adverſus aquarum eluviones receptaculum. Nec enim Joſepho fidem adhibemus ſcribenti, Noachum poſtquam prædicatione ſua in omnium odium incurriſſet, coactum fuiſſe aufugere in aliam regionem, in qua arcam fabricavit, extra hominum conſpectum. Non enim convenit, ut credamus eum ſuam deſeruiſſe ſtationem, quandiu ſpes aliqua fuit homines revocandi à viis ſuis.

De arcæ menſura non exigua eſt difficultas. Nam etſi eam Moſes deſcribat verſ. 15. ut longitudo ejus eſſet trecentorum cubitorum, latitudo verò quinquaginta, & altitudo triginta, quæ fuit juſta & commoda proportio, quæſitum eſt tamen, an de communi cubito id intelligendum ſit, id eſt, flexura brachii ad extremam manum, an verò de cubito Geometrico, quorum unus ſex communibus conſtat. Primo enim modo ſi intelligatur de cubito qui ſeſquipedem non excedit, vix capi poteſt, quomodo homines octo, cum omnibus animalium ſpeciebus, & pabulo in annum neceſſario, arcâ potuerint contineri, ut in utroque ſexu bina de immundis, ſeptena de mundis ibi concluderentur, & ſervarentur. Unde fuerunt impii qui hæc fruſtrà fuiſſe conſcripta calumniati ſunt, aut etiam nonnulli, qui cum melius ſentirent de libri veritate, hæc tamen geſta non eſſe putarunt, ſed pro ſolis verborum figuris acceperunt, adverſus quos diſputat Auguſtinus de Civitate Dei lib. 15. cap. 27. Verum quod ibi dicit, tercenta illa cubita longitudinis, &c. per tabulata tria, quæ in arca facta fuerunt ad diverſas habitationes, fuiſſe multiplicata, atque ita ter ducta illa cubita fieri nongenta per longum, centum quinquaginta per latum, nonaginta per altum, id quidem non certum videtur ex deſcriptione Moſis. Sed quia menſuræ deſumptæ ſunt à corpore humano, potuerunt tunc eſſe majores, ex ſtatura hominum majori; & ſi cubiti ratio talis ſit, qualem volunt ii qui de ſacro cubito

to ſententiam afferunt, nulla erit de capacitate quæſtio, tantùm de mole tam vaſta, quomodo fieri potuerit, vel aquis innatare. Sed hìc recurrendum eſt ad Dei diſpenſationem ſapientiſſimam & potentiſſimam, qui Noacho conceſſit tempus, materiam ſubminiſtravit, induſtriam largitus eſt, quâ tale opus ad finem perducere potuit. Nec adeò mirum eſt, ut benè notat Auguſtinus, cum immenſæ urbes ab hominibus poſteà fuerint conſtructæ. Nec ſi cubitorum tantùm ordinariorum ratio habeatur, arcæ capacitas tam anguſta reperietur, quàm primo aſpectu aut cogitatione quis poſſet exiſtimare; nam detractis omnibus impedimentis columnarum, craſſitudinis etiam tabulatorum & aſſamentorum, diſtinguentium nidos & apothecas, ratione geometricâ concluditur fuiſſe eam quadringentorum quinquaginta mille cubitorum, quæ certè ad ea omnia capienda & continenda, quæ fuiſſe in arca Moſes narrat, abundè ſufficiebat.

Notarunt olim veteres, inter quos Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 26. proportionem arcæ fuiſſe eandem, quæ in corpore humano obſervatur; erat enim ſexcupla longitudo ad latitudinem, quæ eſt proportio 300. ad 50. decupla verò ad altitudinem, ut proportio 300. ad 30. ut longitudo corporis à vertice uſque ad plantas pedum eſt ſexcupla ad latitudinem quæ eſt à latere dextro ad ſiniſtrum per medium pectus, & eſt decupla ad ejus altitudinem, quæ eſt linea recta metiens profunditatem pectoris hominis jacentis proni vel ſupini. Hujus conſiderationis occaſione, ibidem Auguſtinus perſequitur aliquot convenientias arcæ cum Eccleſia, cujus figura quædam fuit; ſicut enim per lignum illud ſervatus fuit Noachus, ſic per lignum ſalva fuit Eccleſia. Et ſicut oſtium in latere accepit arca, ſic corpus Chriſti pendens in ligno, lanceâ perforatum fuit, quâ portâ ad eum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur. Et quod de lignis quadratis fieri jubetur, ſtabilem vitam Sanctorum ſignificat, quia quacunque verteris, quadratum ſtabit. Quæ pluribus perſequitur adverſus Fauſtum Manichæum. In quibus omnia præſtare nolim tanquam ſolida, ſunt enim pleraque coacta ſatis, & quæ rigidum examen non ſuſtinerent; ſed illud certum eſt, Eccleſiam in qua ſervamur per baptiſmum, per arcam fuiſſe ſignificatam aquis innatantem, ut Petrus oſtendit 1. Epiſt. cap. 3. ℣. 21. unde idem Auguſt. lib. de unit. Eccleſ. cap. 5. *Nulli noſtrûm dubium eſt,* inquit, *per arcam Noë, ſalvâ rerum geſtarum fide, ut deletis peccatoribus domus juſti à diluvio liberaretur, etiam Eccleſiam fuiſſe figuratam, quæ fortè humani ingenii conjectura videretur, niſi hoc Petrus Apoſtolus in ſua Epiſt. diceret.* Eodem referri poteſt familiaris Eccleſiæ comparatio cum navi, unde eſt quod aliqui dicuntur *fluctuare*, Epheſ. 4. ℣. 14. vel *naufragare à fide*, 1. Tim. 1. ℣. 19.

Ad hanc figuram referri poteſt quod dicitur ℣. 18. *Stabilio fœdus meum tecum, ut ingrediaris in arcam, tu & filii tui & uxor tua & uxores filiorum tuorum tecum.* His enim Deus adoptat Noachum in familiam ſuam, & in domum introducit, in qua vult eum cum ſuis alere & ſervare. Et quamvis fœdus illud videatur tantùm ſpectare præſentem vitam, tamen altius conſcendendum eſt, ad rem ſignificatam. Eſt enim fœdus gratiæ, quæ aliud ſpectat quàm temporalis vitæ aliquot annorum uſuram. Quia autem fœderis nomen hoc loco primùm legitur, non erit abs re ſi ejus ſignificationem explicemus. Vocem Ebræam ברית *berith*, deduci à ברה *barah*, quod eſt *ſuccidere*, communis eſt ſententia, cujus nominis rationem inde deducunt, quod in fœdere ſanciendo ferirentur victimæ. Significat autem hæc vox in genere pactum quodcunque tandem illud ſit, quod etiam fatetur Ribera in Epiſtol. ad Ebr. cap. 9. Sed quia vox illa in Novo Teſtam. per διαθήκην vertitur, ut ſæpè etiam in Veteri factum eſt à LXX. quæſitum eſt, an hac voce Græca tantùm ſignificaretur *pactum*, ut ita loquar, *teſtamentarium*, in quo mors teſtatoris intervenit, an etiam ſimplex pactum quodlibet, qua de re digladiatum eſt, occaſione dicti Apoſt. ad Ebr. 9. qui ita propriè accepit vocem διαθήκης. Id autem verum eſt, non ex vi vocis fieri debere, ſed ex fœderis circumſtantiis erui, quod ab Apoſtolo factum eſt. Alioqui certum eſt ad alia pacta, præter teſtamentaria, nomen illud à Græcis interpretibus fuiſſe tranſlatum, διαθήκην dicentibus pro συνθήκην, quomodo vertere ſolet Aquila. Sic tranſtulerunt LXX. 2. Reg. 28. διάθου ἡμῖν διαθήκην, ubi de ſimplici fœdere agitur, pro eo quod eſt paciſcere nobiſcum. Hieron. in Malach. cap. 2. notat ברית *berith*, Ebraicum, Aquilam συνθήκην, id eſt, pactum interpretari, LXX ſemper διαθήκην, & in pleriſque Scripturarum locis teſtamentum, non voluntatem defunctorum ſonare, ſed pactum viventium, voce nempè Græcâ in generali ſignificatione ſumptâ. Budæus ex Ariſtophane refert hæc verba, ἢν μὴ διάθωνται διαθήκην ἐμοὶ, pro, *niſi ſtipulanti mihi promittant.* Hoc loco διαθήκην habent LXX. & vetus Latina, *fœdus meum.* Ubi quærunt Ebræi, quomodo ſtabiliturum dicat Deus fœdus, quod nondum percuſſerat. Sed utrumque fit uno & eodem momento, ſtabilitur enim cum initur. Fiunt autem fœdera, mutuâ ſtipulatione partium de præſtandis beneficiis & officiis, idque ſtipulatione ſolemni. Hìc promiſſio beneficii ex parte Dei legitur, officiorum ex parte Noachi mentio non fit, ſed tacitè intelligi debet, præſtaturum idem quod antè fecerat, ut juſtè & integrè ambularet. Expreſſa autem cum ſint tantùm beneficia temporalis conſervationis, tamen quia fundamentum fuit in gratia Dei, ut dictum eſt, temporalia fuerunt ſpiritualium ſigna.

Hìc Judæorum interpretes Noacho ſuccenſent, quod propriâ conſervatione contentus, de aliis ſollicitus non fuerit, nec, quod fecit poſteà Abrahamus in cauſa Sodomæorum, pro hominibus generationis ſuæ

precatus

precatus eſt. Sed immeritò culpant pium virum, cujus fidem in arca extruenda meritò celebrat Apoſt. Ebr. 11. quæ certè charitate ſimili non fuit deſtituta. Sed charitas contra fidem non agit, per quam eſt efficax. Non dubitandum eſt igitur, ardentes fudiſſe preces pro hominibus, quandiu res non fuit deplòrata, & aliqua ſpes affulſit; ſed poſt oraculum divinum de perdenda omni carne, non debuit adverſus Dei decretum contendere ſanctus vir, ſed acquieſcere divinæ voluntati, quippe cui revelatum erat omnem carnem corrupiſſe viam ſuam. Secus fuit de Abrahamo, qui ex judicio charitatis putabat, plures eſſe Lotho ſimiles in urbibus planitiei; ideò propter eos ſperavit poſſe conſervari locum illum.

Sub finem capitis verſ. 19. jubetur Noë ex omnibus animalibus bina in arcam introducere. Infrà autem cap.7. ℣.2. ſeptena ex mundis, ex immundis verò bina, ubi tamen nulla eſt diſcordia. Nam hoc loco non exiſtimandum eſt, definiri numerum animalium quæ in arcam recipi debebant, ſed tantùm id moneri, ut paria ſeu conjuga eſſent ad ſervandum ſemen. In alio autem loco certus numerus præſcribitur, iſque diſpar pro eorum diverſitate, nam ex mundis plura, ex immundis bina tantùm accipi debuerunt. Ex mundis autem ſeptena, quorum unum ſine pari, ad ſacrificia reſervabatur, reliqua ad propagationem. Non debet autem nos ſollicitos habere, quomodo fieri potuerit, ut tot animalia in arcam introducerentur & collocarentur? Nam ſicut ea Deus olim ſtiterat Adamo, ut unicuique nomen imponeret; ſic eadem adduxit quæ voluit Noacho, à quo non dubium eſt præparatam fuiſſe ſcalam aptam & accommodatam ad eorum introductionem. Quæ cum facta fuiſſe narret Scriptura, de modis variis quibus aut factum fuerit, aut fieri potuerit, non eſt quod multis inquiramus, ſed quod in toto hoc negotio ſpecialem Dei providentiam in conſervando genere humano per miſericordiam admiremur, dum maximam partem, ut juſtitiæ ſuæ ſatisfaceret, perditum iret.

AD CAPVT VII.

Exercitatio LIV.

Capitis ſeptimi ſumma. Diſcrimen mundorum & immundorum ante legem Moſis. Quot animalium paria receperit arca? Cur ex mundis plura? Phœnix avis fabuloſa. Quo tempore Noë arcam ingreſſus eſt, quo ætatis anno, qua anni tempeſtate? Diſtinctio anni civilis & ſacri. Annum civilem Moſem in Hiſtoria & Chronologia mundi fuiſſe ſequutum. Menſis ſecundi civilis nomen ex Ioſepho. An omnes extra arcam à regno cœlorum fuerint excluſi? Negatur.

Capite ſeptimo narrat Moſes quid circa Noachum & ſuos, & quid circa reliquum mundum factum fuerit, juxta promiſſiones & comminationes divinas. Jubet Deus Noachum ut arcam ingrediatur; obedit ille promptiſſimè, & qui anteà fidem ſuam exercuerat in ſtructura tantæ molis, nunc, quamvis nihil oculis cernat metuendum, ſine alia diſquiſitione, oraculo movetur ut ſe, cum ſuis & paucis animalibus, comparatè ad cætera quæ in terra manebant, quaſi carceri includeret, valedicens mundo, & velut renuncians communi vitæ. Hanc ſervi Dei obedientiam conſequuta eſt judicii divini executio, immiſſo diluvio, & aquis paulatim excreſcentibus, ita ut altiſſimos tegerent montes; unde omnium viventium & reſpirantium in terra ſuffocatio. Clara ſunt ſatis hiſtoriæ verba, & cuncta ita dilucidè expoſita ab ipſo Moſe, ut longâ diſquiſitione opus non ſit; paucula tantùm delibabimus, in quibus ſingularia quædam occurrunt.

Tale eſt quod verſ. 2. dicitur, ubi primùm habemus diſtinctionem animalium mundorum ab immundis, quorum tamen omnium Deus voluit in arca ſervari ſeminarium, quia nulla erant, quæ non inſervire poſſent rebus humanis, & ornatui mundi. Unde diſtinctio illa orta fuerit, an naturali lege, an poſitiva ceremoniali introducta, dicemus Exercitatione ſequenti, ubi eadem diſtinctio recurret in uſu ſacrificiorum. Quæ cum ab initio mundi, poſt peccatum, fuerint inſtituta & oblata, non dubitamus diſtinctionem illam, & ejuſdem uſum, ante legem Moſis obtinuiſſe. De numero animalium arcæ incluſorum, non una omnium eſt ſententia. Ex verbis verſus ſecundi, colligunt plerique mundorum animalium ſeptem paria fuiſſe in arcam recepta; ex immundorum autem genere duo paria. Vulgata ſic habet; *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam, de animantibus verò immundis duo & duo, &c.* Hæc verſio multis impoſuit, qui putarunt ſeptenarium & binarium numerum duplicari. Sed benè notant Tremel. & Junius Ebraicè haberi *ſeptem ſeptem, & duo duo*, qua repetitione utuntur Ebræi pro diſtributivis, ut *ſeptem ſeptem*, ſint *ſeptena*, & *duo duo*, ſint *bina*. Quomodo locum hunc intellexit Joſephus, & poſt Joſephum Chryſoſt. inter veteres, & non pauci recentiores. Alioqui ingens nimis fuiſſet animalium turba, ad quæ capienda non ſuffeciſſet arcæ capacitas. Senſus eſt ergò, ſeptem, id eſt, tria paria mundorum animalium, cum uno impari in arcam veniſſe; immundorum

dorum autem par unum tantùm, ad conſervandam ſpeciem. Mundorum plura fuiſſe accepta, quia ad uſus humanos utiliora erant, nempè ad eſum, de quo poſteà, & ad ſacrificia. Quò referri debet ſeptimum illud uniuſcujuſque ſpeciei mundorum ſine pari ex alio ſexu, quod maſculum fuiſſe ſtatuimus, ut ad ſacrificium reſervaretur quod Noë obtulit ex animalibus mundis, poſt egreſſum ex arca, finito diluvio.

Maſculi & fœminæ tam ex quadrupedibus quàm ex volatilibus expreſſa diſtinctio, indicio eſt, animalia omnia in arca aſſervata, multiplicanda fuiſſe per generationem. Nuſquam mentio eſt avis ſine pari, quæ unica ſit, & ſe ipſam renovet ex cineribus ſuis. Atque ita quod de Phœnice dicitur, fabulam redolet, cum nullus ſit qui avem illam uſquam alicubi viderit, nec inter ſe conſentiant autores qui ejus meminerunt. Falſum enim fuiſſe Phœnicem, qui Romæ ſub Claudio Principe allatus dicitur, ipſi qui referunt autores fatentur. Eum item qui in Ægypto apparuiſſe fertur. Certè Plinius lib. 2. cap. 2. Hiſt. naturalis, ubi Phœnicem deſcribit, non diſſimulat fabulam eſſe, quæ fortè ex Ægyptiorum Hieroglyphicis ortum habuit, qui Solem in Heliopoli, tanquam avem occidentem & orientem pinxerint, quam unicam dixerint, quia unicus eſt in mundo Sol. Teſtantur enim Lactantius (ſi tamen Lactantii poëma illud ſit genuinum, quod non videtur) & Claudianus, à veteribus dictam fuiſſe *Solis avem*. Diſputant tamen hoc tempore nonnulli de vera Phœnicis avis exiſtentia, inter quos autores Conimbricenſium Comment. in lib. Phyſicos Ariſtot. ſed cum dicant non unum eſſe Phœnicem, ſed plures, nec ſe ipſum reſuſcitare, ſed generari communi avium aliarum more; lis erit de verbis, non de re; ex eorum enim deſcriptione conſtabit, nullum eſſe Phœnicem, qualis à Plinio, Solino, & aliis ſcriptoribus depictus eſt.

Tempus ingreſſûs in arcam verſ. 11. aſſignatur anno ſexcenteſimo vitæ Noë. Quæritur, an finito anno illo, an inchoato tantùm. Verſio Græca LXX habet, ἐν τῷ ἑξακοσιοστῷ ἔτει ἐν τῇ ζωῇ τοῦ Νῶε, ad verbum, *in ſexcenteſimo anno in vita Noë*, quæ oſtendunt annum completum non fuiſſe; alioqui ſecundus anni menſis incidiſſet in annum ſexcenteſimum primum, quæ ſupputatio impingeret in ſacram Chronologiam, quę alibi deducitur. Diluvium enim duravit totum annum, & anno 601. vitæ Noë, menſe ſecundo ceſſaſſe conſtat ex cap. 8. ℣. 13. Item Noë poſt diluvium vixiſſe annos 350. legimus cap. 9. ℣. 28. In univerſum autem annos 990. ℣. 29. Si autem diluvium extitiſſet anno 601. vitæ ejus, prorogata fuiſſet ad annum 991.

Tempus autem anni in diem menſis ſecundi 17. incidiſſe, ex codicibus Ebræis conſtantiſſimè apparet; unde in mendo cubare editionem LXX. agnoſcendum, in qua pro XVII. XXVII ſcribitur, quem errorem vetuſtum eſſe ex eo probatur, quod Joſephus etiam ad eundem lapidem impegerit. Sed quod maximè hìc in controverſiam venit, hoc eſt, an ab orbe condito, & ubi de anno diluvii agitur, Moſes habuerit rationem anni civilis & communis, an verò anni ſacri. Hanc enim diſtinctionem tempore Moſis in uſu fuiſſe omnes agnoſcunt; & civilem annum, quo utebantur Ebræi ante egreſſum ſuum ex Ægypto, inchoatum fuiſſe à menſe *Tiſri*, vel *Ethanim*, qui noſtro Septembri reſpondet; alterum à menſe *Niſan*, qui in Martium noſtrum incurrit; qua de re videndus illuſtris Scaliger, lib. 3. de emendat. temporum cap. *de anno priſcorum*. Sacro anno, qui à menſe Niſan incipiebat, in ſupputationibus ſuis uſi ſunt Ebræi, ubi de rebus ſacris & Eccleſiaſticis ac ceremoniis agebatur. Communi autem, in contractibus civilibus. Hìc, quia narrantur res ſacræ, & ad cultum Dei ſpectantes, miracula nempè divina conſervatæ Eccleſiæ, dum peribant impii, putant nonnulli, inter quos eſt Piſcator, de anno ſacro Moſem intellexiſſe quæ ſcripſit, incipiente ab æquinoctio verno, menſe, ut quidam volunt, Martio, alii Aprili, quia utrique, ſecundum diverſas partes, reſpondet. Addunt nonnulli aliam rationem, Deum oſtendere voluiſſe pluviam illam non eſſe naturalem, ſed ſpeciali providentiâ Dei immiſſam, cum ſub initium æſtatis incœperit, quando inchoantur calores & ſiccitates. Nam ſecundus menſis in Maium incurrit. Quod ſi objiciatur, diſtinctionem anni civilis & ſacri factam fuiſſe tantùm poſt egreſſum Iſraëlitarum ex Ægypto, reſpondent familiare eſſe Moſi prolepſi hiſtorica uti, id eſt, res quas narrat nominare vocabulis ſuo tempore, quum illa ſcriberet, uſitatis; etiamſi illa, poſteriore aliquo poſt narrata tempore, in uſu eſſe cœperint. Et hoc quidem verum eſt.

Probabilius tamen exiſtimo, Moſem in ſupputatione annorum mundi & diluvii, ut & vitæ Patrum, uſum fuiſſe anno civili, & currente à mundi exordio. Nam, quod dicunt anno ſacro uſum fuiſſe in rebus ſacris, verum eſt, ubi agebatur de feſtorum dierum celebratione, non tamen univerſaliter, id eſt, ubi quæſtio erat de ſacris rebus formaliter, non tamen de omnibus quæ res ſacras quaſcunque ſpectabant, ubi præſertim hiſtorica ſcribebantur. Videndus illuſtris Scaliger, de emend. tempor. lib. 5. cap. de Diluvio. Nec metuendum ſi Octobri menſi aſſignetur initium cataclyſmi, ne in cauſſas naturales referatur tanta aquarum vis delabens, non ſolùm, quia id à Deo factum eſſe in pœnam impiorum Scriptura teſtatur apertè; ſed etiam, quia nulla poteſt confingi naturalis cauſſa, cujus vi aquæ erumpentes ex omni mundi parte terram contegant uſque ad altiſſimos montes, eoſque ſuperent.

Joſephus Antiquit. Judaic. lib. 1. cap. 5. menſem hunc ſecundum quo diluvium cœpit, vocatum fuiſſe à Macedonibus *Dium*, & ab Ebræis Μαρσουάνην refert, ex diſtinctione Ægyptiorum, quibus menſis ille *Marcheſvan* appellabatur; unde miror quod Lalamantius obſervarit, in Joſepho legi *Marachat*, quæ vox eſt ni-

hili, nam in exemplaribus omnibus legitur Μαρσουάνη, quod nomen non ita à voce Ebræa abludit. Ibidem autem notat Joſephus quod diximus, Moſem in ſuis faſtis ordinaſſe menſem Niſan, qui eſt Xantichus, pro anni initio, & eundem omnium quæ ad rem divinam pertinerent exordium feciſſe: quod verò ad nundinationes rerum venalium reliquamque anni diſpenſationem, nihil de priſtino ritu innovaſſe.

Quid cenſendum de ſalute quorundam qui aquis abſorpti fuerunt, diximus Exercitatione 53. De reliquis quæſtionibus circa diluvium, & hiſtoriæ hujus apud Gentes reliquiis, legantur quæ vir doctiſſ. Lambertus Danæus, præceptor olim meus, ſcripſit, in lib. de prima mundi ætate, Sect. 3. ad XII. & ſeq.

AD CAPVT VIII.

Exercitatio LV.

Diſcrimen editionis Græcæ ab Ebræa in ℣. VII. *cap.* VIII. *An Ebræus textus ſit corruptus? Negatur, etiam Eugubino approbante. Conciliationes variæ. Negatio in textu Latino addita. Ioſephus cum textu Ebræo conſentit. Et Paraphraſis Chaldaica. Lucæ Brugenſis pro Ebræo textu defenſio. Altare à Noacho ædificatum. Non fuiſſe cultum arbitrarium. Ambroſii dictum expenditur. Cur ſacrificiis Deus coli voluerit? An id perpetuum ſit? De ſacrificio Noachi, ratione materiæ. Mundorum & immundorum animalium diſcrimen. An fuerit ante Legem? Affirmatur, idque ex inſtituto divino. Holocauſtum quid?*

CAP. 8. ℣. 7. eſt controverſia quædam literalis, ob textus Ebraici cum verſ. LXX. & Latina vulgata repugnantiam: ubi de Noacho dicitur, *Et emiſit corvum à ſe,* ויצא יצא ושוב id eſt, *& exiit egrediendo & regrediendo, donec ſiccarentur aquæ.* Græca editio habet, καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν. Latina, *qui egrediebatur & non revertebatur.* Quam lectionem ferè omnes Patres ſequuntur, ne excepto quidem Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, ſi vera ſit ibi communis lectio. Inde Melchior Canus, Locorum Theologic. lib. 2. conatur oſtendere, *ad Ebræos non eſſe recurrendum,* quia magis credendum eſt tot Patribus, quàm Judæis hoſtibus Chriſti. Quaſi verò textus Ebræus eſſet à Judæis Chriſti hoſtibus, non autem à Prophetis, imò ab ipſo Dei ſpiritu. Auguſt. Eugub. ingenuè fatetur Latinum textum eſſe corruptum, etſi initio benè fuiſſet verſum, & negationem eſſe auferendam. Lectionem autem vulgatam feciſſe, ut fabuloſiſſimas interpretationes huc invexerint expoſitores, & quæ ſecum maximè pugnent. Si corvus, inquit, egreſſus non eſt, quo, obſecro, loco commoratus eſt ac reſedit, cum aquæ ſiccatæ nondum eſſent? Deinde ſi corvum regreſſum negavit, quomodo cohæret quod mox additur, *donec ſiccarentur aquæ?* Quid enim ſibi vult, *qui egrediebatur, & non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ?* Hæc ille liberius, nondum Concilii Tridentini legibus adſtrictus. Pererius, etſi Vulgatæ ob Tridentini autoritatem addictus, carpit tamen eos, qui *hîc triumphant, contendentes à Iudæis fuiſſe corruptos Ebræos codices,* & verſionem Latinam cum Ebraica conciliare conatur, eadem ratione quâ Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. In Ebræo, inquit, non habetur, *& revertebatur,* ſed exiit eundo & redeundo, donec ſiccarentur aquæ. Quod non ſignificat corvum rediiſſe intra arcam, ſed volitaſſe circa arcam, eundo & redeundo, ut aves ſolent, & fortaſſe etiam redeundo ad tectum arcæ, & inde abeundo, idque ſæpius, donec ſiccarentur aquæ: cum quo benè cohæret, quod egrediebatur & non regrediebatur, nimirum intra arcam. Quod Pererius dicit regreſſum fuiſſe ad arcam extrinſecus, non regreſſum fuiſſe intrinſecus.

Aliam rationem conciliationis init Leonardus Marius, quia verbum שוב *ſchub,* non ſolùm ſignificat *redire,* ſed etiam *abire & recedere;* itaque ex Ebræo ſic interpretandum eſſet, exiit egrediendo & recedendo, nempè ab arca, quæ interpretatio ſatis quadrabit cum vulgata. Et negari non poteſt, pro locorum circumſtantia, verbum illud accipi pro *averti & recedere;* ſed id non videtur hoc loco ferre conjunctio cum verbo egrediendi, quia pleonaſmus eſſet inutilis. Et certum eſt vulgatam accepiſſe in ſignificatione revertendi. Ideò magis conſentaneum eſt quod Eugubinus voluit, fuiſſe poſteà additam particulam negantem. Habemus etiam conſentientem textum Græcum Joſephi, imò totam ejus narrationem, quæ aliter intelligi non poteſt. μεθίησι κόρακα, βουλόμενος μαθεῖν, εἰ καὶ τὸ ἄλλο τῆς γῆς ἐκλελειμμένον ὑπὸ τοῦ ὕδατος ἀσφαλές ἐστιν, ἤδη πρὸς ἔκβασιν. ὁ δὲ πᾶσαν εὑρὼν ἔτι λιμνάζομένην πρὸς Νῶχον ἐπανῆλθε. id eſt, *emiſit corvum, volens explorare num & reliqua terra ab aquis deſerta, ad faciendam exſcenſionem idonea, ſecuraque eſſet: at ille totam adhuc ſtagnantem inveniens, ad Noë reverſus eſt.* Nemo eſt qui videre non poſſit cum præcedentibus nullo modo cohærere, negationem additam ex vulgata interpretatione

tione Ruffini. Habemus prætereà vetuſtiſſimam Paraphraſim Chaldaicam, quæ locum interpretata eſt hoc ſenſu, *Qui exivit eundo & redeundo, donec ſiccarentur aquæ*, id eſt, ut Aben Ezra explicat, *qui jugiter ibat & revertebatur, donec egrederetur Noach: ſic enim dicitur, donec ſiccarentur aquæ*. Quæſtio non eſt, an regreſſus fuerit in arcam, vel ad arcam, neque id definit vulgata, ſed an omninò fuerit reverſus. Id autem ex Ebræo textu manifeſtum eſt, nempè circumvolitaſſe, & indeſinenter rediiſſe, ſive ad arcam, ſive in arcam. Locum ab Ebræis non fuiſſe corruptum, qui ſic tamen legitur in omnibus codicibus, contendunt adverſus ſuos multi Pontificii, inter quos Franciſcus Lucas Brugenſis in Notat. in Geneſ. *Quid* (inquit) *Iudæos moviſſe potuerit, ut hunc perverterent locum? ut corvum in arcam reverſum dicerent, qui reverſus non ſit? An ulli Chriſtiano myſterio ſuâ hac corruptelâ illudere conati ſunt? At, dicet aliquis, ut multis in locis Ebræus textus de induſtria eſt corruptus, ita contigit hoc loco corrumpi. quid? annon præferendi codices Græci, quos omnes ſequuntur Patres? ſed hunc viciſſim interrogatum volo, An rejiciendi ſunt codices Ebræi, quos nulli rejiciunt Patrum? Patres enim LXX editionem, qua tunc omnes utebantur, ſecuti, Ebræa aut non conſuluerunt, aut conſulta non rejecerunt*. Addit Hieronymum, qui in Dialogo contra Luciferianos, juxta LXX interpret. emiſſum de arca corvum, dicit non rediiſſe, in Ebraicis quæſtionibus aliter in Ebræo de corvo dici notaſſe. Et quamvis aliter nunc in Hieronymo legatur, & addatur negatio, eam tamen ipſa Hieronymi verba rejicere. Procopium Gazæum autorem Græcum, teſtari Ebraicum textum ſuo tempore hoc habere, quod corvus in arcam revolavit. Non eſſe ſemper præferendum quod Patres ex LXX interpretibus ſequuntur, alioquin in multis abjiciendam eſſe verſionem vulgatam, quæ Ebræum textum ſequuta eſt ſæpè, ubi Græcum diſſentit. Prætereà editionis vulgatæ multa exemplaria non habuiſſe negativam. Non legi in duobus exemplaribus S. Germani, nec in exemplari S. Dionyſii oblongo, nec in Complutenſi, nec in Regio. Nec fuiſſe illa exemplaria mutata ad Ebræos codices. Habere ſe ab Auguſt. Hunnæo antiquum correctorium Bibliorum, à multis annis ſcriptum, è pluribus fortè compoſitum, quod & ad hunc modum legit, & hanc antiquorum codicum lectionem eſſe aſſerit. Plura habet in eandem ſententiam, quibus lectionis Ebraicæ veritatem defendit. Nihilominus idem in collectione inſigniorum locorum Romanæ correctionis editâ apud Moretum, anno 1603. *Non judicarunt* (inquit) *Romani correctores, omittendam eſſe negationem*. Talis judicii rationem addit nullam. Sola hæc fuit, quod noluerunt fateri aliquem errorem irrepſiſſe, qui tam longo tempore apud omnes ferè Theologos obtinuerit. Sed hoc nobis ſufficit, quod & plurimi, & doctiſſimi inter Pontificios ſuorum coërcent petulantiam, qui textui Ebręo in hoc loco oblatrare conati ſunt.

Accedimus ad alia majoris momenti, ejuſdem cap. verſ. 20. *Extructo autem Noach altari Iehovæ, accepit ex omnibus jumentis mundis, & ex omnibus volatilibus mundis, quæ obtulit holocauſta, ſuper illud altare.* Laudandum & imitandum exemplum. Noachus cùm primùm ex arca egreſſus eſt, & in terra collocatus, prius de altari Deo ædificando cogitat, quàm de ædibus ſibi & ſuis extruendis. Liberatus, ad gratiarum actionem primò ſe componit; ut agnoſcat ſe Deo debere reſtitutam ſibi & ſuis vitam, eamque deinceps magis ac magis obliget liberatori. Notant interpretes hoc primùm loco mentionem fieri altaris extructi. Non tamen exiſtimandum, toto illo tempore quo ante diluvium pii homines Deo ſacra fecerunt, altarium uſum fuiſſe incognitum. Potiùs id credendum, Noachum ſequutum fuiſſe exemplum eorum qui eum præceſſerant, imò morem inolitum, ex quo publicè, ut anteà dictum fuit, *cœpit invocari nomen Domini.* Nec eſt ſimile vero, Noachum ſexcentos annos vixiſſe ante diluvium, fuiſſe hominem juſtum & integrum, & ambulaſſe cum Deo, nulla tamen ab eo anteà oblata fuiſſe ſacrificia, vel extructa altaria. Proinde judicamus, quæ hic fiunt à Noacho, non eſſe planè nova, ſed innovata, & reſtitui ab eo publicum Dei cultum. Id tantùm eſſe extraordinarium, quod occaſione ſingulari permotus fuerit ad ſolemne ſacrificium Deo offerendum, poſtquam à Deo è mortis faucibus ereptus fuerat. Non opus eſt de altaris materia diſputare, an ex terræ glebis conſtructum fuerit, an ex ſolido lapide. Id ſufficit, fuiſſe aptum ad mactandum & offerendum ſacrificium, unde מזבח *mizbeach* dicitur à זבח *zabach*, quod eſt mactare.

De inſtitutione ſacrificiorum anteà diximus. Primos homines talem cultum non uſurpaſſe proprio motu, & ratione ſua adducti, ſed ex inſtituto divino, ſine quo cultus omnis Deo diſplicet. Nec enim gaudet ἐθελοθρησκείᾳ, ſeu cultu arbitrario, ſine mandato ab hominibus ſuſcepto, qui certè in hoc Noachi facto non habet exemplum. Falluntur enim qui putant injuſſu Dei obtuliſſe Noachum. Nec audiendus eſt Ambroſius in libro de Noë & Arca, ubi putat Noachum, non juſſum à Deo aut monitum, erexiſſe altare, & holocauſta obtuliſſe, atque ibidem eam reddit rationem; *Non debuiſſe Dominum quaſi avarum, mercedem gratiæ poſtulare, & juſtum intellexiſſe eam eſſe veram gratiarum actionem, quæ non juberetur, ſed deferretur.* Pace tanti viri, non debuit ad hominum mores exigere Dei facta. Nec Deus poſtulavit mercedem, quæ ipſi nec ſolvi poteſt, nec eo digna eſt; ſed juſſit gratitudinem, quam homo debet Deo, nec ſolvere poteſt, niſi de eo quod Dei eſt. Non enim opponi debent, mandatum & delatio, ſed in cultu Dei conjungi, qui non benè defertur, niſi quatenus jubetur.

Cur autem ſacrificiis Deus coli voluerit, eoſque ritus

ab initio apud homines inſtituerit, duæ rationes ſunt. 1. Quia tunc homines rudimentis opus habuerunt, & externis hiſce actionibus, ad ſpirituales fuerunt deducendi. 2. Et præcipuè, quià voluit adumbrari ſacrificiis paſſionem futuram mediatoris, & repræſentari ſanguine animalium effuſo, homines reos eſſe mortis, nec poſſe Deo reconciliari, niſi ſanguine victimæ Deo ſemel offerendæ ad ſanctificationem omnium fidelium. Non igitur probamus eam, quam afferunt nonnulli Patres rationem, inter quos Chryſoſtomus, ubi reſpondet hoc loco ad objectionem, cur Deus qui ſpiritus eſt, & ab his qui verè adorant, non corporalibus, ſed ſpiritualibus victimis coli debeat, paſſus ſit corporalia tum ſacrificia ſibi fieri. Reſpondet enim id factum fuiſſe, ne vulgus fidelium, cernens alias gentes magnificis & exquiſitis ſacrificiis & oblationibus Deos ſuos colere ac venerari, ad idololatriam delaberetur. Quaſi ſacrificia per accidens tantùm, vel fuiſſent ab hominibus ſanctis uſurpata, vel à Deo inſtituta, non primario fine ut debitus Deo offerretur cultus. Cum contrà ſentiendum ſit, Diabolum nunquam adducturum fuiſſe idololatras, mancipia ſua, ad ſacrificiorum ritus & oblationes; niſi id prius vidiſſet in cultu Dei (cujus eſt æmulus) in uſu fuiſſe. Nam alibi oſtendimus falſum eſſe quod nonnulli contendunt, ſacrificiorum oblationem à jure, aut lege naturæ, immediatè procedere.

Hinc eſt quod hoc tempore externa ſacrificia locum non habent, quo populus Dei adultior factus, in rudimentis detineri non debet, quo veritas ſacrificiis olim adumbrata, ipſa jam adimpleta eſt. Itaque ſuperſunt offerendæ tantùm *ſpirituales hoſtiæ*, ſacrificia laudis, *vituli labiorum*, impletis, & propterea abrogatis Patrum oblationibus. 1. Petr. 2. ℣. 6. Ebr. 13. ℣. 15. Nec objici debet, cauſſas ſacrificiorum externorum perpetuas eſſe, fidei nempè confirmationem, & gratitudinis teſtificationem; proinde eadem etiam ſacrificia continuari debere. Nec enim verum eſt, cauſſas illas eſſe perpetuas, quomodo ſacrificiorum inſtitutionem & uſum exigebant. Vera enim & propria cauſa, fuit adumbratio venturi Meſſiæ, & remiſſionis peccatorum, ac veræ juſtitiæ per eum adducendæ, quæ jam ceſſavit. Aliæ cauſæ communes permanent quidem, ſed quæ ſacrificiorum externorum ritus non requirunt, niſi quandiu id exigit Dei ordinatio, quæ jam aliis modis & ritibus, vult nos gratitudinem noſtram teſtari, iiſque dignioribus ſanctâ vocatione ad quam vocati ſumus, & eâ conditione & dignitate, qua donati fuimus in Chriſto. Ideò prædixerat Daniel cap. 9. ℣. 27. poſt LXX ſeptimanas exciſo Chriſto, ceſſaturum ſacrificium & oblationem.

Objectum ſacrificii Noachi aſſignatur יהוה *Iehovah*, ut omnis divini cultus. *Altare*, inquit, *erexit Iehovæ*. Nam Deo ſoli ſacrificandum, & cultus religioſus deferendus. Sic à veris cultoribus Deo ſoli conſtructa ſunt templa & oratoria. Qui jam templa & altaria, non ſolùm Deo, ſed Angelis & hominibus defunctis erigunt, actionem illam ſuam, ab idololatriæ crimine purgare non poſſunt.

In materia ſacrificiorum Noachi, eſt aliquid in quo immorari debemus. 1. Quænam illa fuerit. 2. Quæ animalium mundorum & immundorum diſtinctio? 3. An nota fuerit ante legem à Deo per Moſem datam? Ad 1. reſpondet textus, accepiſſe Noachum ex omnibus jumentis mundis, & ex omnibus volatilibus mundis. Quod ille potuit ſine ullo præjudicio propagationis neceſſariæ eorum animalium quæ in arca fuerant conſervata; quia præter illa tria paria, quæ ad multiplicationem reſervabantur, juſſerat Deus ex mundis animalibus, unum addi ſeptimum. Ex quo etiam deducitur quod antè probavimus, Noachum habuiſſe mandatum ſacrificandi, à Deo. Vix enim dubium eſſe poteſt, quin Deus, cujus nutu & juſſu arcam fabricavit, & in eam ingreſſus eſt cum tota familia, & animalibus, ipſi indicarit, in quem finem ea aſſervaret, & cur ſeptimum ex mundis animalibus, tribus paribus addidiſſet. Qui ergò mandato ſuo præparaverat materiam, eodem, haud dubio, præſcripſit formam.

Ad diſtinctionem animalium quod ſpectat, iis qui norunt, omnia quæcunque creaverat Deus fuiſſe valdè bona, non eſt dubitandum, nulla animalia naturâ ſuâ immunda eſſe. Appellata autem fuiſſe quædam immunda triplici de cauſſa. 1. ex opinione & inſtituto hominum. 2. ex relatione ad hominis uſum in cibo. 3. propter aliquam ſignificationem, & ratione alicujus myſterii. Tertia tantùm ad inſtitutum noſtrum pertinet. Quæ enim animalia tam in ſacrificiis, quàm in cibo, populo Dei fuerunt olim interdicta, ea immunda dicta fuerunt, ratione ſignificationis & myſterii. Prohibitio expreſſa, unà cum eorum diſtinctione & notis habetur Levit. 1. per totum caput. Notæ binæ ſunt animalium mundorum, quæ ſeparari non debent, ſed conjunctim reperiri; nempè ut ruminent, & ungulam ſciſſam habeant. Piſcium etiam duæ, ut habeant pinnas & ſquammas: Avium notæ non indicantur, ſed ſigillatim ſpecificantur, quæ uſui eſſe poſſint, quæ non. Ratio autem ſignificationis & myſterii in eo maximè ſita eſt, quod animalia illa, quæ immunda habentur, quaſdam tum in corporis membris, tum in quærendo victu notas protulerunt, quæ vitioſitatis homines ſuæ admonerent, & ab ea abſtinendum docerent. Subducebat enim ſuos Deus ad contemplationem ſuæ impuritatis, quæ in natura peccato vitiata cernitur, indicabatque ſe non accepturum eorum cultum, qui ſpiritualiter in ſe haberent, quæ in talibus animalibus velut figurabantur. Cum enim animalia immunda cenſebantur, quæ diviſis ungulis carebant, quæque non ruminabant: cùm ſæva & immania, ea quæ ex rapto vivunt, cum voracia prohibeantur; homines monebantur de prudentia in diſcernendo bono, à malo;

lo;

lo; profano, à ſacro; polluto à mundo: item avaritiam, libidinem, gulam, immanitatem, & omnem intemperantiam Deo diſplicere; contrà, moderationem, clementiam, ſobrietatem, judicium de rebus verum, juſtitiam, & fidem placere. Quarum virtutum ſimulachra quædam apparent in animalibus quæ munda dicuntur, ut in ovibus, capris, columba, turture. &c. Ut contrariorum vitiorum, in canibus, porcis, &c. Ergò quæ permittebantur, virtutum; quæ prohibebantur, vitiorum erant hieroglyphica; excitabanturque tunc homines in pædagogia, ad inquirendam eorum cauſam, adeoque quaſi manu ducebantur in cognitionem vitiorum, à Deo prohibitorum. Qua de re alibi, Deo duce, dabitur fuſiùs dicendi locus & occaſio.

Sed hoc loco quæritur, an tale diſcrimen ante legem per Moſem datam, & ſigna de quibus dictum eſt exhibita, notum fuerit? & an talis diſtinctio in cibis & ſacrificiis fuerit obſervata, necne? Quidam exiſtimarunt, Moſem hoc loco de ea diſtinctione loquutum fuiſſe per anticipationem, quam frequentem eſſe in Scripturis ſatis conſtat, maximè ubi qui loquitur vel ſcribit, nomina vel diſtinctiones quæ ſuo tempore ſunt in uſu, præteritis rebus applicat. Deum igitur indicaſſe Noacho ſpecies animalium nominatim, ex quibus bina tantùm debuit accipere, eas item ex quibus ſeptena, quæ cum poſteà diſtinctæ fuerint in lege per munditiem & immunditiem, ſic etiam à Moſe, cui cum populo res erat, qui talem diſtinctionem acceperat, fuerunt diſcriminatæ.

Ratio ſacrificiorum quæ tunc inſtituta fuerunt, & Deo oblata, nos in aliam ſententiam deducit, ut dicamus, talem diſtinctionem non cœpiſſe ſub lege ſcripta, ſed anteà à Deo Patriarchis fuiſſe traditam, ab ipſis in ſacrificiorum delectu obſervatam; ſed poſteà, in lege renovatam & ampliatam. Nam videmus, fuiſſe multa, quæ ad legem ceremonialem pertinent, & per Chriſtum ſunt antiquata, quæ apud illos Patres fuerunt in uſu. Ut præter altarium extructionem & ſacrificiorum uſum, abſtinentiam à ſuffocato & ſanguine, nuncupationem votorum, oblationem decimarum, ſuſcitationem ſeminis fratris mortui ſine liberis; quibus addi poteſt & debet diſtinctio quæ hoc loco habetur. Quæ certè tum fuit neceſſaria, cum ad ſacrificia ritè eligenda requiratur. Unde autem talia habuerint pii, & qua ratione ipſis fuerint indicata, ſi quis quærat, non dicemus cum nonnullis, majorum traditione in conſuetudinem cultumque fuiſſe inducta, etſi non negemus, ad poſteros ex majorum traditione fuiſſe tranſmiſſam ante latam legem, ſed inde ſumpſiſſe initium concedi non debet; neque etiam ex ſimplici inſtinctu divino, ſed ex revelatione majoribus facta, quam poſteà & doctrinâ, & uſu apud ſuos propagarunt. Non tamen neceſſarium exiſtimamus, eandem fuiſſe adhibitam diſtinctionem in cibo, quæ poſteà obſervata fuit; qua de re poſteà dicendum erit, ubi de carnium conceſſione in uſu ciborum, aget Moſes.

Species oblationis Noachi, *holocauſti* nomine deſignatur. Fuerunt autem holocauſta ſacrificia tota combuſta, quorum nulla pars cedebat ſacrificanti, ſed totum conſummabatur coram Deo. Fiebat autem in lege, ex majoribus pecoribus, ex minoribus, & ex avibus. Quas tres ſpecies Noachus Deo obtuliſſe hoc loco perhibetur. Commodè in tali occaſione uſus eſt holocauſto, quod inſtitutum eſt maximè, ut Deo ſe totos & ſua omnia offerrent homines, in agnitionem ſummi ejus dominii, includebatque gratiarum actionem, ubi ſpeciale ſacrificium laudis non adhibebatur.

Exercitatio LVI.

Explicatio verſ. xxi. Odorari odorem quietis. *Deus odoribus non afficitur. Signum pro ſignato. Explicatur Paulus, Epheſ.* v. *v.* 2. *Sacrificium Chriſti fuiſſe verum & proprium probatur contra Socinum. Deus quomodo* dicat in corde? *Quomodo Deus non amplius erat terræ maledicturus? Maledictio, pro punitione. Pœnæ caſtigatoriæ, non ſunt maledictiones. Conciliatio hujus loci, cum eo quod dictum eſt cap.* vi. *v.* 3. Figmentum cordis, *quid.* Pueritia, *pro prima hominis ætate. Refelluntur Iudæi, & qui eos ſequuntur,* pueritiam *pro* adoleſcentia *accipientes.* Cordis *nomen facultates omnes animæ comprehendit. Ratio an ſemper ad meliora verè tendat? Error vulgatæ editionis. Pontificiorum calumnia abſtergitur.*

Quomodo ſacrificia Noachi placuerint Deo, verſ. 21. oſtendit Moſes, *Odoratuſque eſt Iehova odorem* הַנִּיחֹחַ hannichoach, *quietis,* id eſt, *gratum.* Vulgata, *odorem ſuavitatis.* Chald. *Et ſuſcepit Deus cum beneplacito oblationem ejus. Dixitque Iehova cum animo ſuo,* vel *in corde ſuo,* alii, *ad eum: Poſthac non maledicam ultrà terræ propter hominem,* כִּי *quia,* alii, *quamvis, cogitatio hominis,* vel, ut ſuprà, *figmentum cordis hominis, malum ab adoleſcentia ejus, neque poſthàc percutiam ultrà omnia viventia, quemadmodum feci.*

His verbis ad finem uſque capitis declaratur eventus conſequutus ſacrificium illud Noachi, qui duobus capitibus continetur, acceptatione ſacrificii, & promiſſione. Promiſſio duas habet partes, 1. ſecuritatem, 2. commoditatem. Interſeritur aliquid, quod vel cau-

ſæ rationem habet, vel prolepſeως. De quibus omnibus agemus paucis. 1. Acceptatio ſacrificii verbis figuratis deſcribitur, *Odoratus eſt Iehovah odorem quietis*: quo loquendi modo ab hominibus deſumpto, ſignificatur ſacrificium placuiſſe Deo, ſicuti ſolent homines delectare ſuaves odores, eoſque recreare. Ideò vocatur *odor quietis*, per metonymiam ab effectu, poſſet etiam dici *odor pacis*, in quo Deus acquievit & placatus eſt. Certum eſt Deum non affici odoribus & ſuffimentis, qui organa ſenſuum non habet; etſi quis inter homines bonis odoribus delectetur, nunquam eliget fumum carnium aduſtarum, qui odor per ſe ingratiſſimus eſt, nedum ut inter ſuaves poni debeat. Sed, ut optimè Tertul. contra Marcion. lib. 2. cap. 21. *Etſi Deus ad oblationes Abel reſpexit, & holocauſta Noë odoratus ſit libenter, nulla tamen eſt ipſorum viſcerum, vel nidoris victimarum ardentium jucunditas; ſed animus ſimplex, & Deum metuens, offerentium ea quæ habebant à Deo, & pabuli, & ſuaveolentiæ gratiâ apud Deum deputabatur.* Animus autem ſimplex, & Deum metuens, ſine fide eſſe non poteſt, quæ purificat corda; fides autem non eſt ſine reſpectu ad mediatorem, ſine quo nullus eſt ad Deum acceſſus: ergò ſi cauſſa prima iſtius acceptationis quæratur, ea eſt, ſine qua nihil quod ab homine proficiſci poſſet, gratum eſſet Deo. Eſt autem hoc loco notanda Sacramentalis metonymia, quâ, quod eſt proprium rei ſignificatæ, tribuitur ſigno, odori ſacrificiorum, quod ſacrificio Chriſti debetur. LXX habent ὀσμὴν εὐωδίας, *odorem bonæ fragrantiæ*, ad quæ verba alluſit Paulus, Epheſ. 5. ℣. 2. ubi de Chriſto agit, *qui tradidit ſe ipſum pro nobis oblationem & victimam Deo*, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας: quo ſatis oſtendit, ſacrificia veterum Chriſti ſacrificium adumbraſſe, & totam efficaciam ſacrificiorum ab ipſo fuiſſe, proinde figuratè tantùm & ſacramentaliter ea effecta ipſis attributa fuiſſe, quæ ſacrificii Chriſti erant propria. Quod etiam ex hoc loco deducitur, eſſe verum & propriè dictum ſacrificium, contra Socini & aſſeclarum ejus dogma, quo ſacerdotium Chriſti & ſacrificium planè tollunt, admiſſis vocibus, ſed earum eluſis ſignificationibus. Itaque nullum ſacerdotium proprium in Chriſto agnoſcunt, ſed figuratum, nullam ſui ipſius hoſtiam, ſed tantùm actionum ejus oblationem impropriè dictam *Sacrificium*. Quæ omnia ſatis refelluntur collatis duobus his locis, ubi Noachus obtuliſſe dicitur ſacrificia ex mundis animalibus & volatilibus, & Deus odoratus eſt *odorem bonæ fragrantiæ*; & Chriſtus à Paulo dicitur obtuliſſe ſemetipſum pro nobis oblationem & victimam Deo, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Neque enim ibi dicitur ipſa traditio victima & hoſtia, quod volunt hæretici, ſed Chriſtus ipſe, qui tradidit ſemetipſum hoſtiam, &c. Reguntur enim accuſativi illi omnes ab eodem verbo, & per appoſitionem, hoſtiæ & oblationis nomina de Chriſto tradito dicuntur. Proinde mera eſt ſophiſticatio quod dicunt, *tradidit ſemetipſum*, quæ traditio, aut actio, eſt hoſtia & oblatio bonæ fragrantiæ, quomodo beneficentia dicitur victima, Ebr. 14. ℣. 16. Fatemur victimas & hoſtias dici actiones bonas, ſive ad cultum Dei, ſive ad charitatem proximi ſpectantes. Sed pro locorum circumſtantia judicandum eſt, ubi propriè, vel ubi impropriè voces accipiendæ ſint. Hîc non ſine manifeſtâ corruptelâ poſſunt à ſenſu proprio ad figuratum hoſtiarum ſpiritualium torqueri. Omnia enim ſacrificium propriè dictum exprimunt. Sacerdos Chriſtus *tradidit*; rem ſignificatam, *ſemetipſum*, ad quid? *in oblationem & hoſtiam*, quo euentu? in odorem bonæ fragrantiæ, id eſt, ut verè in ipſo adimpleretur, quod in Noachi ſacrificio præfiguratum fuerat. Scio eos objicere de ſacrificiis propitiatoriis hoc non dici, quod ſint *bonæ fragrantiæ*, ſed de Euchariſticis. Sed hoc falſum eſt, & Noachi ſacrificium non ſolùm Euchariſticum fuiſſe, ſed etiam figuratè propitiatorium ex eo conſtat, quod reſtatur Scriptura, Deum fuiſſe placatum. Dicitur etiam ad verbum *odor quietis*, quia faciebat Deum quietum ab indignatione, & placatum offerenti.

Sequitur promiſſio in propoſito divino. Dixit *Deus in corde ſuo*; ſic etiam LXX. *recogitans in ſe*, hoc eſt, id in ſe propoſuit, & poſteà Noacho indicavit, & addito (ut videbitur) ſigno confirmavit. Eſt autem figurata locutio, de dicto Dei in corde; nam hoc pronomen reciprocè ſumi debet, etſi nonnulli relativè accipiant, quaſi Deus locutus eſſet ad cor Noachi, id eſt, phraſi Ebræâ, ipſum conſolatus eſſet. Sed affixum, ut diximus, refertur ad Deum ipſum, & phraſis nihil aliud ſignificat, quàm Dei decretum internum & æternum; non enim aliquo diſcurſu ab uno ad aliud apud ſe Deus novi aliquid ſtatuit, ut ſolent homines, quando vel irati ad ſe redeunt, vel nova ineunt conſilia; ſed conſilium ſuum ab æterno factum, comparatur conceptibus internis hominum, & ejus patefactio, quæ poſteà fiet, verbo hominum προφορικῷ. Itaque hoc loco revelatur, quod ab æterno Deus in ſe ſtatuerat, ſe non deleturum deinceps mundum univerſali diluvio. *Non addam ut maledicam*, id eſt, *non amplius maledicam terræ*. Quæ propoſitio non debet abſolutè accipi, quaſi Deus revocaret maledictionem illam primam poſt Adami peccatum & propter illud terræ inflictam: illa enim adhuc manet, nec niſi labore ſubacta, & ægrè profert ad hominis vitam ſuſtentandam neceſſaria: imò, quod plerique ſentiunt, maximè probabile eſt, aquis diluvii fuiſſe deterioratam, nec adeò fertilem quàm anteà. Ergò maledictio terræ hîc intelligenda, de hominum univerſali internecione aut deletione, quæ immediatè acciderat, q. d. non amplius delebo homines univerſali diluvio; quod etiam per exegeſim ſequentem indicatur, *nec poſthàc percutiam ultrà omnia viventia*, quæ ita intelligi debent, ut non ſolùm promittat Deus ſe deinceps non immiſſurum diluvium,

luvium, ſed etiam ſe nullâ generali plagâ percuſſurum. Alioqui Deus non ſibi ligavit manus, ne judiciis particularibus, vel unumquemque hominum, vel aliquando nationes integras puniret, quod etiam fecit, clamantibus Sedomæorum & vicinorum peccatis. Non eſt itaque quod impii homines ſibi applaudant, & ſecuri peccatis indulgeant, ſpe impunitatis. Habet enim Deus alia mille flagella, quibus homines, urbes, regiones etiam totas, devaſtare poteſt; ne exceptis quidem eluvionibus aquarum, quarum exempla non pauca extant in antiquis monumenris. Recentia etiam multa oculis noſtris objiciuntur.

Quod autem ait, *propter hominem*, id eſt, *propter hominum peccata*, ideò LXX verterunt διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, id eſt, *propter opera hominum*; quam exceptionem additam eſſe probabile eſt, ut aliæ cauſſæ exciperentur, quibus adductus Deus cœlum & terram in ultimo die incendio conſumpturus eſt. Quæ etiam propriè ad maledictionem non pertinent, ſed ad finem eorum uſus. Detegitur autem hîc cauſſa judiciorum divinorum, quæ propter hominum peccata immittuntur. Et accipitur *maledictionis* nomen, pro punitione, quo ſenſu Chriſtus ad Galat. 4. dicitur factus *maledictio*, quia peccata noſtra pertulit in corpore ſuo: & pronunciatur *maledictio*, adverſus eum qui non obſervaverit legis præcepta. Ubi hoc notandum eſt, cùm maledictio connotet pœnam cum abjectione divina, & nunquam Deus maledicat ſuis quibus in Chriſto reconciliatus eſt, ſequi evidenter quod nos docemus cum Scriptura, pœnas quæ à Deo immittuntur fidelibus reconciliatis, non habere rationem punitionis & maledictionis propter peccata, ſed probationis & caſtigationis paternæ. Non itaque ſatisfactorias eſſe, quia ſic eſſent maledictiones debitæ peccatis, ſed emendatorias ex paterna diſciplina. Itaque falſum eſſe, Deum remiſſâ pœnæ parte, alteram retinere. Non enim poſt remiſſionem retinet partem ſatisfactionis exigendam, ſed neceſſariâ diſciplinâ nos exercet.

Quæ ſequuntur verba, quatenus videntur ætiologica, aliquid difficultatis habent. Dixerat Deus, cap. 6. ſe non amplius diſceptaturum ſpiritu ſuo propter homines, & cum videret *omne figmentum cordis hominis tantùm malum eſſe omni tempore*, ſe deleturum hominem, &c. Nunc eandem rationem aut cauſſam affert planè contrarii effectus, ſe non amplius maledicturum terræ tali maledictione propter hominem, *quia figmentum cordis hominis malum eſt à pueritia ejus*. Id quomodo intelligendum ſit, ſic explicant nonnulli, ut his verbis ſignificetur Deum parciturum deinceps terræ & animantibus, quia non ſunt in culpa, quæ tota eſt hominis corrupti ab ipſis incunabulis. Deum igitur hac promiſſione terram & animalia facere ſecura, non autem homines, quæ explicatio tollit præcipuum promiſſionis fructum, quæ hominibus data eſt ad ſuam conſolationem, non ad animalium exemptionem.

Duabus aliis rationibus nodum hunc ſolvunt alii, 1. Ut Deus ſignificet ſe non amplius velle ita cum hominibus agere, quia cum corruptio ſit homini innata, accideret, ut ſemper peccantibus hominibus, quotidie nova diluvia eſſent immittenda. Ut ſit argumentum ab incommodo ductum, ſi homines ſemper pro meritis eſſent puniendi, quia illi ſemper peccata peccatis addunt, ſemper eſſent pœnæ illæ univerſales repetendæ, atque ita non poſſet ſocietas humana perdurare, nec Eccleſia in mundo colligi. 2. Ut ſit argumentum ab æquo, quaſi æquum ſit mundo parcere, quia naturalis hominum ad malum propenſio digna eſt quodammodo miſeratione: ut ratio reddatur mitigandæ pœnæ, ſumpta ex pronitate hominis ad malum, quaſi clementiam mereatur id mali, ad quod nobis vehementer propenſio atque incitatio naturaliter indita & innata eſt. Prima ratio plus habet probabilitatis, Deum nolle judicia ſua ſæpiùs iterare adverſus homines, quia videt, ſi rigidè vellet agere, hominem quotidie novas occaſiones daturum novis judiciis, quò referri poteſt dictum Davidis, Pſalm. 103. ✝. 14. *Nam ipſe novit figmentum noſtrum, memor pulverem nos eſſe, &c.* Ideò indulget Dominus ſuis quos infirmos videt, non quod digni ſint, vel quod id mereatur propenſio ad malum, abſit; ſed quod Deus ſit miſericors, & ex occaſione miſeriæ noſtræ ſuam miſericordiam exerceat. Et ſic quidem poteſt convenire quod hîc dicitur, cum eo quod anteà dictum erat, ut eadem ratio reddatur contrariorum effectuum, ſed non uno modo ſumpta; proinde nulla ſit repugnantia. Si rigidè agere velim, delebo ſubinde homines paribus pœnis, quia ſunt ſemper in ipſis peccata quæ id mereantur: id ego ſemel juſtè feci; deinceps idem nolo facere, non quod non jure poſſim, ſed quia placatus eorum peccatis, ex miſericordia cum iis agere decrevi, & aliis rationibus providere juſtitiæ meæ, cum miſericordia temperatæ.

Sed quia particula כי *ki*, rectè accipitur pro adverſativa, *quamvis*, vel *etſi*, maximè mihi ſe probat interpretatio, quam Tremel. & Junius ſequuti ſunt, ſi præſertim cum præcedentibus ſequentia conferantur. Dictum eſt poſt ſacrificia Noachi, Deum odoratum fuiſſe odorem ſuavitatis, id eſt, fuiſſe placatum. Ejus rei indicium eſt, quod Deus nolit amplius homines diluvio perdere. At dici potuit, eadem tamen manet cauſſa quæ anteà, corruptio nempè homini innata, quæ ſubinde fructus ſuos emittens, iterùm adductura eſt Dei vindictam. Non ita erit, inquit apud ſe Deus, non addam ut maledicam terræ, *etſi figmentum cordis hominis malum ſit*. Id tamen non efficiet, ut eò adducar denuò. Atque ita plena eſt conſolatio, in qua omnis conditio tollitur. Si enim dictum fuiſſet, non ampliùs delebo homines, aut percutiam plagâ generali, ſi corruptionem innatam corrigant, & vias ſuas mutent, manebit ſemper cauſſa metus ejuſdem periculi

culi ſubeundi. Sed quando dicit Deus, non addam id facere, etſi in hominibus maneat proclivitas ad malum, tunc omnem metum adimit ex ea parte, nec tamen laxat habenas peccatis, & impunitatem pollicetur impœnitentibus, quia alias habet pœnas contra immorigeros, ut anteà dictum fuit. Tollitur autem omnis repugnantia, ex varia conſideratione temporum, quia non uno & eodem tempore vult Deus punire & non punire, ſed diverſis temporibus. Item ex diſtinctione argumentorum pro natura legis, vel Evangelii. Quando Deus dixit, *delebo hominem*, quia figmentum cordis ejus malum eſt, egit ex ſtricto jure, ſecundum legem. Cum ait, *Non amplius delebo*, etſi malum ſit figmentum cordis, agit ex miſericordia ſecundum Evangelium, poſtquam placatus eſt filii ſui victimâ, cujus figura fuit ſacrificium Noachi. Si quis objiciat, Deum quidem placatum eſſe per victimam Chriſti erga pios & pœnitentes, non autem erga impios & impœnitentes, quorum ſemper plenus eſt mundus, poſſe igitur pœnas piis remitti, ſed univerſali pœnâ impios ſemper debere tolli. Reſpond. id non eſſe neceſſarium, ut hoc vel illo tempore, hoc vel illo modo puniantur: Accidit enim ut ad eorum pœnam pertineat Dei longanimitas. Sufficit ergò ad juſtitiam Dei, ſi vel de ſingulis, prout libet, aliqua ſupplicia de impiis in hac vita ſumat; vel tandem, ſi omnes univerſali futuro judicio abſorbeat, quod tandem eventurum eſſe credimus. Intereà erga pios miſericordia ſibi locum fecit in Chriſto.

Quibus nihilominus meditanda eſt humilitatis perpetuæ ratio quæ additur, *etſi figmentum cordis hominis malum ſit, à pueritia ejus.* Ebr. מנעריו *minneuraû*, quæ vox primam hominis ætatem ſignificat, ab ipſa infantia; nec ita intelligenda eſt, ut accipiatur excluſivè ad alias hominis ætates, quin potiùs, ſi ab ortu malum eſt figmentum cogitationum, vult oſtendere Deus, perverſos rivos ſubinde fluere à tam pravo fonte; ut non ſint audiendi Ebræorum quidam interpretes, qui proclivitatem illam hominum ad malum terminant anno ætatis decimo tertio, poſt quem incipit in homine *figmentum bonum*, ut illi volunt. Hoc enim falſum eſſe ex præcedentibus conſtat, ubi quod hîc de pueritia dicitur, grandiori etiam hominum ætati tribuebatur. Ex natura enim ſua, vitia cum ætate in hominibus creſcunt, niſi gratia tollat naturalem pravitatem. Hoc autem teſtimonium poſt diluvium pronunciatum de omnibus in genere hominibus, tollit exceptiones, quas priori voluerunt adhibere Pelagiani veteres & novi: nam reſtringebant ad impios homines ante diluvium, quæ ibi dicebantur; hîc de omni homine, ſine exceptione dicuntur. Ibi id intelligebant de actuali malitiâ multis actionibus contractâ; hic de figmento malo quod innatum eſt, & quod ab ipſa pueritia in homine pateſcit. Sic David Pſal. 51. *In iniquitatibus conceptus ſum.* Job. 14. ℣. 5. *Quis edat mundum de immundo? ne unus quidem.* Epheſ. 2. *Eramus naturâ filii iræ.*

Fruſtrà igitur ſunt qui hæc ad adoleſcentiam propriè dictam reſtringunt cum Judæis, quæ eſt tertia quædam hominis ætas, infantiam & pueritiam conſequens, quia in adoleſcentia pronitas ad malum vehementer & notabiliter erumpit in flagitia, quæ in infantia nulla ſunt, utpote rationis experte; in pueritia pauca & levia tum propter inexperientiam, tum propter ætatis infirmitatem. Quaſi verò Deus hic tantùm ageret de peccatis actualibus, non etiam de originali. Meliùs Ambroſius in lib. de Arca & Noë, *à juventute* (inquit) *ex illa enim ætate creſcit malitia, licet alibi legerimus quod non ſit ſine peccato nec unius diei infans, ſed & infantia ſine peccato non eſt propter infirmitatem, &c.* concludit tandem, *creſcit ergò cum ætatibus culpa.* Atque ita omnes ætates comprehenduntur. Itaque cap. 6. dixerat Deus, ſine exceptione, *omni die*, ſeu omni tempore, malum eſſe figmentum cogitationum hominis. Si quis dicat infantem nondum eſſe cogitationum capacem, proinde non poſſe de infantibus nondum ratione utentibus intelligi hunc locum. Reſpond. Aliud eſſe cogitationes, aliud *cogitationum figmentum*, quod habet textus: intelligitur enim ipſarum cogitationum ſubjectum, & velut forma in qua cuduntur, quæ cum ſit inquinata, neceſſarium eſt etiam, quæ inde oriuntur inquinari. Ideò ſup. cap. 6. ℣. 5. *figmentum cogitationum cordis* dicebatur, expreſſo *organo* in quo finguntur. Quod etiam alibi *pravum* dicitur ſæpiſſimè, ut Jerem. 17. ℣. 5. *pravum eſt cor hominis & inſcrutabile.* Idcircò dicitur *incircumciſum*, ut corruptio ejus indicetur, quæ ad infantiam ipſam ſpectat, cui circumciſio adhibebatur. Suprà oſtendimus, non eſſe vitium ſolius appetitus, ſed aliarum etiam facultatum, quæ *cordis* etiam nomine veniunt in Scriptura, in qua ipſa ratio cordi tribuitur. Falſa eſt igitur Pontificiorum illorum reſtrictio, qui ſenſus quidem & appetitus ad malum tendere & inclinare concedunt; ſed contrà in ratione proclivitatem ad bonum ponunt, ſi id de vero bono intelligatur, & de ratione non regenita. Nec in ea re ſtandum eſt judicio Ariſtotelis dicentis Ethic. lib. 1. cap. 13. *rationem rectè & ad meliora hortari*; ſi de melioribus id intelligatur verè, & qualia requirit Deus. Nam de iis quæ videntur rationi corruptæ meliora, ſi quædam ſit pugna inter appetitum & rationem, ut ſanè eſt, nihil talia ad cauſſam noſtram faciunt, nec impediunt, quominus hæc quæ ratio judicat meliora, ſint cogitationes malæ, ſi non in genere ſuo, aut, ut loquuntur, in actionis ſubſtantia, ſaltem ratione defectuum, qui ſemper conjunguntur in ipſius rationis non regenitæ dictatis, quæ ad cœleſtia non aſſurgit, humanis iſtis affixa. Hic autem iterùm Pontificii vulgatæ ſuæ verſionis errata, nobis pro verbo Dei obtrudunt; ubi enim Moſes habet יצר לב *jetſer leb*, id eſt, *figmentum cordis*, poſuit vulgata, ſenſum & cogi-

cogitationem, unde illi ſuam eliciunt diſtinctionem, de parte ſenſitiva & rationali, ut huic corruptionem adimant, quam in illa agnoſcunt. Quod dicit Moſes, ſimpliciter *malum* eſſe, illa pronitatem ad malum interpretata eſt, unde elevant originale peccatum, ut ſit tantùm pronitas quædam, non etiam peccatum propriè dictum. Denique *adoleſcentiam* dixit pro *pueritia*, cujus interpretationis conſequens ſuprà deteximus. Eſt autem gravis calumnia quâ nos afficiunt, quaſi propterea Deo tribueremus, quod *cor noſtrum malum finxerit ſeu formaverit.* Id enim Deo non eſt imputandum, qui creavit hominem rectum, ſed homini ipſi, qui non perſtitit in juſtitia in qua creatus fuit, ſibique & ſuis autor corruptionis extitit. Citra calumniam dicimus, eos in Deum culpam hominis rejicere, qui pronitatem ad malum, ad naturalem hominis conſtitutionem à Deo inditam referunt. Quod Pontificii faciunt, & qui Pontificiorum placita & Pelagianorum hoc tempore renovant.

EXERCITATIO LVII.

Explicatur verſ. XXII. *Stabilitur ordo naturæ in viciſſitudinibus temporum & tempeſtatum.* Pactum Dei *cum die & nocte. Quod patitur exceptionem particularium Dei judiciorum. Terminus terræ poſitus. An aliquando deſitura ſit? An per mutationem, an per abolitionem? Vtraque ſententia expenditur. Argumenta eorum qui φθορὰν mundi ſubſtantialem tuentur. I. ex Iob.* 14. *v.* 12. *II. ex Pſal.* 102. *v.* 16. *&* 27. *III. ex Eſai.* 34. *v.* 4. *&* 1. *Pet.* 3. *v.* 7. *A ratione. Ab abſurdis. Argumentum pro contraria ſententia. Ex Eſai.* 65. *v.* 17. *&* 2. *Pet.* 3. *v.* 23. *Ejus ſolutio. Vt & ſecundi ex Act.* 3. *v.* 21. *Expenditur locus ad Rom.* 8. *v.* 19. *& ejus interpretatio aſſeritur. De tota controverſia judicium.*

HActenus de promiſſionis parte, quâ hominibus cautum eſt de ſecuritate, contra univerſale diluvium, aut ſimilem pœnam. Sequitur altera pars, quæ ſpectat commoditatem, in qua Deus primò ſtabilit ordinem in natura ſequuturum his verbis, verſ. 22. *Deinceps quandiu erit terra, ſementis & meſſis, friguſque & æſtus, æſtaſque & hyems, dieſque & nox non ceſſabunt.* In verſione nulla eſt difficultas, etſi apud LXX interpretes aliter legatur, quàm aut ferat textus Ebræus, aut habeat Latina verſio vulgata. Junguntur enim priora illa verba, *Omnibus diebus terræ,* cum præcedentibus: *Non ultrà percutiam omnem carnem viventem,* quam tamen Ebraica lectio planè jungit cum ſequentibus: item pro vocabulo *hyemis,* חורף *choreph,* ſubſtituerunt *ver,* diem autem & noctem in eo caſu ponunt, in quo non ſignificat viciſſitudinem diei & noctis, ſed refertur ad durationem aliarum viciſſitudinum, *die & nocte,* quæ planè inutilis eſſet mentio; non enim ſementis & meſſis, frigus & æſtus, &c. diſtinguuntur per dies & noctes. Rectius igitur qui dies & noctes in caſu recto, non obliquo interpretantur, eodem modo quo reliqua, & hæc intelligunt de perpetua temporum & tempeſtatum viciſſitudine, uſque ad noviſſimum diem. Omnia fuerant turbata diluvio, cujus annus viciſſitudines ſuas non habuit. Aquis enim operientibus faciem terræ, nulla fuit ſementis & meſſis. Æſtatis & hyemis, frigoris & æſtus viciſſitudines, non ſentiebantur in tam triſti tempore, quo ſpiſſis nubibus Sol obtegebatur. Diei & noctis vices vix apparebant, nec poterant homines de die ad laborem, ut ſolet, egredi. His omnibus malis, Deus opponit ordinem quem deinceps erat ſtabiliturus: ubi, etſi veris & autumni non fiat mentio, ſub aliis tamen viciſſitudinibus intelliguntur; quæ deſcribuntur à partibus præcipuis & poſtremis inter ſe oppoſitis, à primariis qualitatibus frigoris & æſtus, quæ magis ſentiuntur, & in mixtorum generatione manifeſtiſſimos habent effectus, & ab iis actionibus humanis, quæ maximè ad vitam ſuſtentandam conducunt, ſementis & meſſis.

Stabilit ergò Deus his verbis ordinem naturæ, ejuſdemque reſtitutionem, deinceps immutabilem, quandiu erit terra. Quo decreto ſimul includuntur benedictiones omnes, ad hominis vitam ſuſtentandam neceſſariæ, de quibus deinceps in ſpecie agetur. Atque ita oſtendit Deus, ſe eſſe autorem ordinis, qui in illa rerum viciſſitudine cernitur; nec incœpiſſe vices hyemis & æſtatis, frigoris & æſtus, poſt depravationem hominum, ante quam fuerit ver perpetuum. Sic enim nugatur Ovid. 1. Metamorphoſeωs, de hac inæqualitate temporum, quam dicit non fuiſſe ætate Saturni. Quod ſi verum eſſet, non eſſet hoc loco promiſſio, ſed comminatio & punitio, quâ non reſtitueretur terræ ſua benedictio in hominum gratiam, ſed nova ei infligeretur maledictio. At meſſis & ſementis mentio tollit omnem ambiguitatem, quam viciſſitudinem non fuiſſe novam, teſtatur ſententia Dei contra Adamum lata, de terra excolenda cum ſudore vultus. Habet præterea talis viciſſitudo cauſſas ſuas ab ipſo mundi ortu, immutabilem nempè rationem motus orbium cœleſtium, ac ſyderum, à qua pendet ſublunarium omnium rerum incolumitas & ſalus. Alibi vocatur hæc Dei conſtitutio ratione diei & noctis, *pactum Dei,* quod etiam in aliis, quorum hîc mentio, intelligendum

ligendum eſt. Jerem.33.℣.20.& 21. *Si irritum facere poteſtis pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ita ut non ſit dies & nox tempore ſuo, etiam pactum meum irritum fiet cum David, &c.*

Quæ autem hic dicuntur in communi, non præjudicant particularibus Dei iudiciis, quibus aliquando nonnullis in locis ordinem illum turbavit, aut ad aliquod tempus ceſſare fecit. Sic in Iſraële per triennium ceſſavit viciſſitudo ſementis & meſſis, quo perpetua fuit ſiccitas, donec Elias pluviam à Deo impetraret. Ceſſavit etiam in Ægypto diei & noctis viciſſitudo, cum Deus immiſit tenebras, de quibus Exod.10. *per tres dies, quibus neque ſe mutuò videbant homines, neque ſurgebant è locis ſuis.* Sunt igitur intelligenda quæ hic dicuntur, de communi & ordinario totius naturæ curſu, non de extraordinariis particularibus tempeſtatum & temporum, quibuſdam in locis, mutationibus; cùm Deus, certis de cauſis, horum uſum alicubi tollit, tempora aliter quàm pro natura ob peccata hominum diſpenſans, annique conſtitutionem & rationem pervertens. Nunquam enim id adeò fuit uſquam generale, aut unquam erit, ut non alicubi ſaltem hæc ſuis vicibus manifeſtis diſtinguantur, licet non ſemper pari conditione.

Colligitur autem ex hoc loco, non æternam fore talium viciſſitudinum durationem, quæ limitatur, *quandiu erit terra*, כל ימי הארץ *col jemei haaretz*, *omnibus diebus terræ*, ex quibus verbis benè colligunt Ebræi, certum tempus terræ eſſe præſcriptum; nec proinde iſtas vices in perpetuum duraturas, finiente earum ſubjecto. Qui contrà exiſtimarunt, redarguuntur à Petro, 2. Epiſt. cap. 3. ℣. 3. & ſeqq. *irriſores dicentes, ubi pollicitatio adventus ejus? Nam ex quo Patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.* Auguſtinus cap.67. libri de Hæreſ. ad *QuodvultDeum* dicit, fuiſſe hæreſim quandam ſine autore, quam ſine nomine Philaſtrius commemorat, quæ dicit hunc mundum etiam poſt reſurrectionem mortuorum, in eodem ſtatu in quo nunc eſt, eſſe manſurum, neque ita eſſe mutandum, ut ſit cœlum novum, & terra nova. In quem Auguſtini locum ſcribens Lambertus Danæus, hæreſi nomen indit *Æternalium*, qui mundi hujus ſtatum, qualis nunc eſt, ſtatuebant eſſe æternum. Quod eos ſumpſiſſe judicat ex placitis Philoſophorum, & fortaſſe etiam ex hoc Geneſ. loco perperam intellecto, quaſi in eo perpetuus mundi hujus ſtatus fore promittatur. Cum tamen locus hic benè intellectus contrarium planè confirmet.

Sed alia quæſtio exurgit, an terra planè deſitura ſit, ita ut nullo modo extet, poſtquam ceſſaverit in eâ meſſis & ſementis, &c. Terminum enim iſtarum viciſſitudinum conſtituit Deus, *omnes dies terræ*, quibus finitis, finituras quoque innuit, ceſſaturos etiam terræ dies, atque adeò ipſam terram. Omnes in eo conveniunt Theologi, cœlum & terram, qualia nunc ſunt, non perpetuò duratura, ſed mutationi eſſe obnoxia, quæ etiam in Scriptura ita deſcribitur nonnullis in locis, ut earum rerum interitus & abolitio plena prædici videatur. *Qui nunc ſunt cœli & terra*, ait Petrus, ibi ſuprà verſ. 7. *eodem ſermone repoſiti ſervantur igni, in diem damnationis & exitii impiorum hominum:* & verſ. 10. *Cœli cum ſtridore præteribunt, & elementa æſtuantia ſolventur, terraque, & quæ in eâ ſunt opera exurentur.* Ex quibus & ſimilibus dictis, nullus relinquitur dubitandi locus, quin terra hæc, quatenus ſementem recipit & reddit, atque uſibus animalis iſtius vitæ inſervit, finiri debeat, poſt dies ipſi à creatore conſtitutos. Sed an deſtruenda ſit ſecundùm qualitates & præſentem ſtatum, non autem ſecundùm ſubſtantiam & partes ejus principales, necne, variant ſententiæ doctorum, qui loca in quibus agitur de cœli & terræ interitu, diverſis modis interpretantur. Quidam enim cœlum & terram refundi debere putant, atque ita mutari non per abolitionem, ſed per renovationem. Alii planè aboleri debere,ita ut quod de mari dicitur Apoc. 21.℣.1. *mare non amplius extabat*, de cœlo & terra etiam intelligatur.

Utraque ſententia habet ſuos fautores, viros doctos & pios, apud omnes qui Chriſtianum nomen profitentur, ita tamen ut neutra pars diſſentientium alteram in contrario ſenſu condemnet, quia non agitur de fidei articulo, aut aliquo fundamentali dogmate, ſed de Theologica concluſione probabili. Hæc quidem certa ſunt & indubitata quæ in Scripturis expreſſa ſunt. 1. Cœlum & terram tranſitura eſſe. 2. Cœlum novum & terram novam expectari; ex quibus duobus, qui mutationem qualitatum, non ſubſtantiæ in partibus illis majoribus mundi ſtatuunt, ſuam ſententiam ſtabiliunt, innovationem earundem partium, cœlo novo & terrâ novâ deſignari putantes. Alii contrà qui planè interitura eſſe autumant, cœlum novum & terram novam accipiunt pro habitatione beatorum figuratè ſumpta, & cœli ac terræ nominibus expreſſa.

Sententia quæ per ἀλλοίωσιν tantùm, mundi tranſitum definit, plures habet fautores, tam veteres, quàm recentiores, ut communis dici poſſit, & numero ſententium vincere. Quæ ſubſtantialem mundi φθορὰν tuetur, à paucioribus defenditur, ſed qui argumentis pugnant non levibus, tam ex ſacra Scriptura, quam ex ratione deſumptis.

1. Job. 14. ℣. 13. *Homo cum dormierit non reſurget,* עד בלתי שמים *ad bilti ſchamajim*, *uſque ad non cœlos:* quo dicto volunt manifeſtiſſimè innui totius mundi abolitionem κατ᾽ οὐσίαν: *non eſſe* enim, amplius eſt quàm remanere, & mutari tantùm κατὰ ποιότητας: cum *eſſe* cœlorum non in qualitatibus, ſed in ſubſtantiali formâ conſiſtat; ideoque *non eſſe amplius*, non ſignificat alterationem qualitatum, ſed ſubſtantiæ interitionem. Ad id autem quod regeritur, cœlos viſibiles non amplius fore ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum

dum priſtinam formam accidentariam, replicant, τὸ *non eſſe*, rei corruptionem, non accidentium variationem notare, ob quam nemo diceret in altero ſeculo non amplius fore homines. Quod tamen dici deberet, ſi extrinſecæ formæ mutatio, *non eſſe* rei, ſignificaret. Quia immutabuntur corpora noſtra, & reddentur *σύμμορφα corpori Chriſti glorioſo*. Phil.3.℣.ult.

2. Ex Pſal.102.℣.26.27.& 28. citant, *Opera manuum tuarum ſunt cœli: Ipſi peribunt, tu autem permanes; & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Quibus verbis clarè exprimi putant cœlorum interitionem & abolitionem, propter manifeſtiſſimam oppoſitionem: *Tu permanes, cœli peribunt.* Quia uti accipitur τὸ *permanere*, ita quoque, vi contrariorum, accipi debet τὸ *perire*: τὸ autem *permanere*, καθ' οὐσίαν potiſſimùm accipitur, igitur & τὸ *perire*. Quod etiam confirmant ſequentibus verbis, *& anni tui non deficient*, ex vi enim oppoſitionis, venturum eſt tempus quo deficient anni cœlorum, id eſt, quo cœli non erunt amplius. Trahunt etiam ad ſe indumenti veteraſcentis ſimilitudinem, quia indumenta quæ veteraſcunt, abjiciuntur tanquam nullius uſus, aliis ſubſtitutis novis, non prioribus innovatis.

3. Citant Eſai.34.℣.4. *Tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea, & ut deciduum de ficu:* quo loco, etſi admittant, Deum comminari pœnas Idumæis, ſimul tamen, & quidem primariò, volunt Prophetam reſpexiſſe in diem noviſſimum, quo & omnes Eccleſiæ hoſtes perdentur, & omnis cœlorum exercitus interibit: quem interitum fore ſubſtantialem ipſa vis verborum, & præſertim additæ ſimilitudines, demonſtrant. Quemadmodum enim quando decidit folium, non ſecundum qualitates ſolùm alteratur, ſed mox totum corrumpitur, ita cœlos volunt καθ' οὐσίαν corrumpendos, quia ad modum cadentium foliorum defluere dicuntur. Eandem vim ponunt in aliis Scripturæ locis, Eſai.65.℣.17. Matth.24.℣.35. Marc.13.℣.31. ſed præſertim 2.Petr.3.℣.7. in quem locum ſcribit clariſſ. Junius Paral. Append. Paral.14. effecta in eo poni duo, priùs, quod hi cœli cum ſtridore peribunt, elementa æſtuantia ſolventur, terraque & res quæ in ea ſunt exurentur, omnia denique colliqueſcent, tribus verſibus antecedentibus: id eſt, hæc omnia, vanitati ſubjecta peribunt, glorioſo adventu Chriſti. Alter effectus eſt, quod novi cœli & terra nova, nova urbs, nimirum venturi illius ſeculi, omnia denique nova piis in Chriſto futura ſunt, ut Eſai.65.℣.66. graviſſimè promiſſum eſt, & Joannes prædicat glorioſiſſimè, Apocal.21. *proculdubio innuens, non cœlum hoc, aut terram hanc, quaſi refuſam, ſed illud ipſum habitaculum in quo juſtitia habitat, &c.* Quibus verbis ſatis indicat ſe fuiſſe in ea ſententia, deſitura eſſe quæ jam videntur, & quæ nova promittuntur ad ſtatum beatæ vitæ rerum præſentium ſimilitudine expoſitum, referri debere. Ideò etiam in privatis reſponſionibus ad quæſtiones ſibi propoſitas, eandem ſententiam, *terram hanc, imò hanc naturam non fore*, ratione & autoritate ita ſtabilire conatur. 1. Rat. quia hæc ipſa natura, ſive univerſitas Phyſica, in qua verſamur, non eſt futuri ſeculi, ſed præſentis, non æterna, ſed peritura; quod ipſum non ſolùm ex Script. ſed etiam ex ſingularum partium obſervatione demonſtratur. Quæcunque mutantur, eadem intereunt; ſingulæ autem partes hujus univerſitatis mutantur; ergò & univerſitas hæc peritura eſt. 2. Diſtinctione ſeculi res ipſa demonſtratur evidentiſſimè: nam cum Dei ſit ſolius æternitas, principio & fine carens, ſpirituum creatorum, ævum, principium habens, fine carens: rerum phyſicarum, tempus, & principio & fine conſtans; non magis iſtæ perennitatis, quàm illi corruptionis, aut interitus, capaces videntur. Ac propterea Angelus jurat, *non fore amplius tempus*, in conſummatione myſterii Dei, Apocal.10.℣.6.7. Quod idem argumentum urget Tilenus, nondum transfuga, in Theſ. de Judicio extremo 33. Non obſtare autem huic ſententiæ, quod corpora noſtra in illud ſeculum deportabuntur, glorificanda in communione animarum, quia id opus erit ſingulare gratiæ, ad patefaciendam ejus miſericordiam in glorificatis, & juſtitiam ac ſeveritatem in damnatis. Non obſtare autem docent, quod *novum cœlum & nova terra*, futura dicantur: quia illud non dicitur de hoc cœlo, aut terrâ hac materialiter, ſed dicitur de nova ſede typicè, id eſt, de ſede futuri ſeculi, quæ typicè ex comparatione rerum præſentium, novum cœlum & nova terra appellatur. Quapropter adjecit etiam Petrus, *ubi juſtitia habitat*, ut oſtenderet ſe non agere de hoc cœlo, aut hac terra, ubi homines injuſti, animantes brutæ, omnia mutabilia habitant, ſed de ea ſede, quæ juſtitiæ competit, & in qua ſoli juſti verſaturi ſunt.

Eadem habet in ſuis locis communibus Joannes Chaſſanio, locorum comm. lib.3. cap.22. ubi docet, promiſſionem de cœlis novis & terra nova, ſummam & perfectam Eccleſiæ inſtaurationem in regno Dei Patris allegoricè ſignificare, prout ſpiritualia & æterna, rebus corporeis & aſpectabilibus ſæpiùs in Scriptura figurantur. Ita mundum, iſto viſibili præſtantiorem nobis proponi, ne hujus mundi caſum & finem doleamus. Hujus rei rationem ſubjici, cùm in illis cœlis novis & terra nova, juſtitia inhabitare dicitur. Subjicit, *Hinc liquidò apparere, de novo aliquo cœlo aut terra, non propriè hîc agi, ne quis exiſtimet (ut nonnulli cenſent) hunc mundum renovatum iri, ipſamque mundi ſubſtantiam non perituram eſſe, ſed ejus qualitatem, quatenus vitioſa, & corruptioni obnoxia eſt. Non igitur renovabitur mundus, ſed planè deſinet.* Hæc ille.

Qui etiam cum omnibus aliis qui idem ſentiunt, addit

addit argumentum à finis carentia. Nihil (inquiunt) Deus fruſtrà facit, quoniam ſummè ſapiens. Quod igitur nullum finem habet, illud Deo non eſt attribuendum: ſed mundi immutatio, quoad qualitates, & conſervatio ſubſtantiæ poſt mortuorum reſurrectionem, finem omninò habet nullum. Igitur Deo non ſunt attribuenda. Minorem probant, quia mundus eſt conditus propter homines, ſicut homo propter Deum. Mundus autem poſt reſurrectionem, cum non poſſit venire in uſu hominum, vacuum eſſet domicilium, ac proinde fruſtrà innovaretur; vel oporteret Deum de novo alios homines condere qui illum incolerent, quod neque promiſſum eſt, neque probari poteſt.

Addunt abſurda nonnulla, quæ ſequi exiſtimant ex illa mundi reparatione. Si, inquiunt, nova aliqua expectetur cœli & terræ innovatio, ergò etiam reliquarum creaturarum ἀποκατάστασις expectanda erit, quia non poteſt dari evidens ratio, cur quædam duntaxat & non omnes creaturæ ſint innovandæ. Si elementa ſint renovanda, utique etiam corpora mixta, & animata ex elementis orta, iiſdemque præſtantiora. Si autem animalia, aut plantæ innovandæ, aut omnia quæ unquam extiterunt ſpecierum individua, aut quædam duntaxat, ea nempè quæ ultimus ille dies in eſſe deprehendet. Si prius, quomodo ille novus orbis, omnia animalia, omnes plantas, &c. quæ unquam fuerunt, poterit continere? Si poſterius, quæ dari poteſt ratio, cur Deus iſthæc tantùm individua iſto honore dignetur, neglectis omnibus reliquis quæ anteà interierunt? Sed & brutorum & plantarum innovatæ ſpecies & individua, cui uſui hominibus erunt? ad quod miniſterium? an ſpeciem ſuam ſint propagatura? Hæc & talia congerunt & amplificant, ut incommoda contrariæ ſententiæ multiplicent, & eam ſtabiliant, quæ hujus univerſitatis abolitionem totalem urgent.

Aliorum qui contrà ſentiunt, qui autoritate & numero approbatorum vincunt, non leves etiam ſunt rationes. Quædam ducuntur ex illis Veteris & Novi Teſtam. locis, in quibus promiſſio habetur novi cœli & terræ novæ. Eſai. 65. ℣. 17. *Nam ecce, ego creaturus ſum cœlos novos & terram novam, neque commemorabuntur hæc priora, neque venient in animum*: unde Petrus, 2. 3. ℣. 23. *Cœlos novos & terram novam, ſecundùm promiſſum expectamus in quibus juſtitia habitat.* Sed verba poſtrema Petri videntur oſtendere, per cœlum novum & terram novam, nihil aliud intelligi debere, quàm habitationem piis paratam, quæ cœli & terræ nomine deſignatur, quia quod nobis cœlum & terra in hac vita, id nobis erit in futurâ habitatio beatorum. Ut enim terram incolimus, quam cœli influentiæ aptam reddunt habitationi noſtræ, ſic tunc incolent juſti manſiones æternas, in quibus beatâ vitâ fruentur. Quia enim hoc tempore nihil præſtantius poſſumus concipere hâc terrâ, quatenus tot cœli luminibus illuſtrata & calefacta, arbores elegantes & utiles producit, flores & fructus omnis generis, Scriptura ideò per συγκατάβασιν accommodans ſe noſtro captui, ſolet futuræ gloriæ ſtatum & locum verbis hujus ſeculi deſcribere, ideoque meminit duarum hujus mundi præcipuarum partium, ut ſub hujus mundi, in quo nunc vivimus, typo, τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, *habitatam*, ad verbum, ſeu *habitabilem futuram*, Ebr. 2. ℣. 5. nobis utcumque repræſentaret, in qua æternùm victuri ſumus. Quod ſi κατὰ τὸ ῥητὸν quis vellet intelligere parabolicas & typicas illas deſcriptiones, cogeretur etiam admittere aurum, margaritas, gemmas, & arbores in cœleſti Hieroſolymâ.

Non valdè premit quod adducunt argumentum ex cap. 3. Actor. verſ. 21. ubi de Chriſto loquitur Apoſtolus, *Quem oportet cœlo recipi uſque ad tempora* ἀποκαταστάσεως πάντων, *reſtitutionis omnium*. Sic enim vocat adventum Domini, ad cujus tempora videtur referendum quod ſequitur, *quæ* (nempè tempora) *prædixit Deus.* Syrus interpres refert ἀποκατάστασιν, ad ipſa tempora, ut *complementum* ſignificet prædictorum temporum. Ideò Scholiaſtes Græcus, ἀποκαθιστάνειν, εἰς πέρας ἐλθεῖν, hoc eſt, *ad terminum venire*. Sed etiamſi pro *reſtitutione* accipiatur, particula univerſalis *omnium*, referenda erit ad illa omnia quæ ſunt reſtituenda, non ad omnia quæ ſunt, aut fuerunt, quia inde ſequerentur varia abſurda, de diabolis, de impiis, de omnibus brutis, &c. Ergò reſtitutio poteſt referri ad filios Dei reſtituendos in ſtatum meliorem, quàm fuit is in quo anteà vixerunt, quæ tempora propterea vocavit ℣. 19. καιροὺς ἀναψύξεως, *tempora refrigerii.*

Sed locus eſt Rom. 8. ℣. 19. qui prout vulgò accipitur, & verba etiam præ ſe ferre videntur, inſtaurationem non ſolùm hominum piorum, ſed aliarum etiam creaturarum pollicetur, in cujus tamen interpretatione, quoquo modo eum accipiant expoſitores, difficultates non leves occurrunt. Thomas Aquinas trium interpretationum meminit, ad quas omnes referri poſſunt quæ hactenus excogitatæ fuerunt. Verba Apoſtoli ſunt, *Nam intenta expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat. Nam vanitati ſubjecta eſt creatura, non ſuâ ſponte, ſed propter eum qui ſubjecit eam*; *ſub ſpe quod & ipſa vindicabitur ex ſervitute interitus in libertatem filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ſimul ingemiſcit, & ſimul parturit uſque adhuc; non ſolùm autem, ſed & ipſi primitias ſpiritus habentes, & nos ipſi in nobis ipſis gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Ibi notat Thomas, *creaturam* accipi poſſe, vel pro hominibus in ſtatu gratiæ conſtitutis, qui dicuntur *nova creatura*, vel pro hominibus in ſtatu naturæ conſideratis, quatenus ſunt in potentia ad gratiam & gloriam, ut materia expectat formam; vel 3. pro creatura ſenſibili rationis experte, quæ dicitur *expectare*, vel aliquem finem naturalem, vel aliquem finem ſupernaturalem. Qui expectant innovationem cœli & terræ, poſtremam

hanc

hanc ſententiam amplectuntur: imò fuerunt, inter quos noſtro tempore Puccius novus Pelagianus & Chiliaſta, verba Pauli ita accepit, ut gloriam reſurrectionis non veritus ſit tribuere ipſis brutis animalibus, vim faciens in particula univerſali *omnis*, præfixa voci *creaturæ*. Sunt etiam, qui etſi non exiſtiment mundum innovatum iri, per creaturam nihilominus intelligunt omnem aliam creaturam, exceptâ rationali, & expectationem liberationis à ſervitute corruptionis, accipiunt pro ceſſatione ſubjectionis illius, quâ creaturæ etiam coguntur inſervire impiorum abuſibus, à qua ſervitute & vanitate tum liberabuntur, cum abolebuntur per extremam mundi conflagrationem; qua ratione putant ſe poſſe ſolvere argumentum pro ſententia reparationis ex hoc loco deſumptum, quia ſervitutis illius liberatio, non ſolùm per renovationem, vel reſtaurationem, ſed etiam per *annihilationem* fieri poteſt. Sed abſurdùm mihi videtur, ideò creaturis deſiderium illud intenſum tribuere, & verbis tam efficacibus illud deſcribere, cujus finis eſſet ipſius creaturæ annihilatio, quod planè eſſet contra creaturarum omnium naturam, quæ ad eſſe ſuum conſervandum ſemper inclinat, non autem ad non eſſe ſuum accelerandum. Si nulla igitur alia ſit ſolutio, planè cauſsâ cadunt, qui creaturæ nomen, ad omnes creaturas, præter hominem referunt, nec tamen earum reſtaurationem concedunt.

Qui per creaturam, intelligunt cœlum, terram & elementa in genere, minus laborant in ſua ſententia defendenda, quæ non tot abſurditatibus ſcatet. Sed tamen vix poſſunt ſe expedire; cùm creatura de qua agitur, ita dicitur expectare libertatem filiorum Dei, ut etiam ipſi tribuatur *ſpes, quod ipſa vindicabitur ex ſervitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei.* Sunt enim qui id intelligant de elementis, quatenus elementa omnia ſunt in corpore humano, quæ proinde in reſurrectione corporum, participabunt illam libertatem filiorum Dei, quorum partem faciunt materialiter. Quod quam dilutum ſit, non opus eſt ut pluribus oſtendamus. Cur enim tot ambagibus uſus fuiſſet Apoſtolus, ut oſtenderet corpora hominum reſurrectura eſſe, etſi ex terra ſint deſumpta? Sunt tamen multi inter veteres, qui huic ſpeculationi indulſerunt, quia homo eſt microcoſmus, & omnium creaturarum epitome, qui eſſe habet cum elementis; vegetat, cum plantis; ſentit, cum brutis; ratiocinatur, cum Angelis; proinde in reſtauratione hominis, videtur omnis creatura reſtaurari: quæ arguta magis ſunt, quàm ſolida, præſertim cum nullam connexionem habeant cum præcedentibus. Qui de creaturis illis hoc ita intelligunt, ut reparationem ipſis immediatè tribuant, non mediatè per reſtaurationem hominum, non ſe expediunt, quomodo tales creaturæ poſſint vindicari à ſervitute corruptionis, *in libertatem filiorum Dei*. Quomodo enim competeret libertas filiorum creaturis rationis expertibus? Nam quod nonnulli regerunt, ex phraſi εἰς ἐλευθερίαν colligi non poſſe terminum ad quem creaturarum illarum liberationis, fore unum ac eundem qui filiis Dei, ſed denotari duntaxat liberationis tempus; colorem haberet, ſi Apoſtolus ſcripſiſſet, ἐν ἐλευθερίᾳ: ſed phraſis quâ utitur, id ferre non poteſt, quæ manifeſtè oſtendere videtur, libertatem à ſervitute corruptionis, eſſe libertatem filiorum Dei, quam poſteà Apoſtolus appellat *adoptionem filiorum, & redemptionem corporis noſtri.*

Utraque etiam ſententia patitur difficultatem, ex eo quod creaturæ tribuitur *exerta expectatio & ſpes:* nam etſi reſpondeant id fieri per proſopopœiam, non tamen nodum ſolvunt. Verum quidem eſt locum habere aliquando hujuſmodi figuram, ſed vix ubi tot actiones humanæ congeruntur, ut hoc loco, intenta expectatio, ſpes, gemitus, &c. Deinde, ubi eædem actiones, eodem loco, quibuſdam hominibus tribuuntur, quæ figuratè etiam accipi deberent, ſi figuratè de creatura intelligerentur.

De Angelis ut accipiamus, eiſque tribuamus gemitus, deſiderium, & expectationem liberationis, corruptionis ſervitutem, & ſub ea parturitionem, non poſſumus adduci, quia talem ſententiam abſurda multa conſequi videntur: etſi enim Angeli miniſtrent electis, pugnent adverſus malos ſpiritus, &c. non tamen anguntur, vel gemunt, nec corruptioni obnoxii ſunt, nec ad immortalitatem aſpirant, quam poſſident.

Sententia quæ nomen *creaturæ* ad homines refert, eoſque pios & juſtos, & in ſtatu gratiæ conſtitutos, habet etiam ſuas difficultates, ſed non tales, quæ ſuperari non poſſint, nec caruit ſuis fautoribus, etiam inter veteres. Taceo Auguſtinum, qui per *creaturam*, homines in genere intellexit: Gregorius apertè de piis & juſtis interpretatur, Moral. in Job. lib. 4. cap. 41. *Iuſtos*, inquit, *quamvis nullus deſideriorum carnalium tumultus poſſideat, duris tamen vinculis eos in hac vita poſitos ſuæ moleſtia corruptionis ligat: eo itaque ipſo quod adhuc mortales ſunt, corruptionis ſuæ pondere gravantur, & adſtricti moleſtiâ vincti ſunt; quia in illa adhuc libertate vitæ incorruptibilis non exurgunt, Aliud namque de morte, aliud de corpore tolerant, & contra ſemetipſos quotidiè interno certamine deſudant.* Et paulò poſt, *Vnde benè per Paulum dicitur, Vanitati enim ſubjecta eſt creatura non volens, quia homo qui ingenitæ conſtantiæ ſtatum volens deſeruit, preſſus juſtæ mortalitatis pondere, nolens, mutabilitatis ſuæ corruptioni ſervit. Sed creatura hæc tunc à ſervitute corruptionis eripitur, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta reſurgendo, ſublevatur. Hic itaque electi moleſtiâ vincti ſunt, quia adhuc corruptionis ſuæ pœnâ deprimuntur. Sed quum corruptibili carne exuimur, quaſi ab iis, quibus nunc adſtringimur vinculis, relaxamur.* Hæc ille. Sic Nicolaus de Lyra, *Creaturæ ſunt bonæ, quæ in creatione Dei manſerunt.* Item, *creaturæ*

Dei, eſt homo, non amans iſta caduca, patienter tamen ferens, ſciens Deum ſubjeciſſe ad confirmationem humilitatis, liberabitur autem à cura quærendi victum & alia quibus ſervitur noſtræ mortalitati. Ex quibus patet novam non eſſe interpretationem, quæ verba Apoſtoli reſtringit ad *novam creaturam*, id eſt, fideles, *expectantes beatam illam ſpem.*

Id quomodo conveniat, expendendum. Primum igitur advertendum puto, non dici abſolutè ἡ γδ κλίσις, *nam creatura*, ſed ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, *intenta expectatio creaturæ*, additur autem, intentam illam expectationem expectare. Quæ verba non malè, meo judicio, ſic reſumebat Thomas, *Creatura intentè expectans, filiorum Dei revelationem expectat*; quibus verbis, *creaturæ* nomen circumſcribitur, ut non intelligatur de quavis creatura, ſed de ea quæ capax eſt talis ἀποκαραδοκίας. Talis autem eſt creatura rationalis, eaque pia & juſta. Secundum, verba illa ſubjungi ℣. 18. de futura gloria in nobis retegenda, ad quam oſtendit verſib. ſeqq. omnium fidelium expectantium vota tendere. Tertium & præcipuum eſt, quod deſiderium illud creaturæ fertur in libertatem filiorum Dei, cujus particeps futura eſt expectans creatura, quod non poteſt aliis quàm fidelibus competere. Quartum, quod Apoſtolus illud deſiderium interpretatur de adoptionis expectatione, & redemptione corporis, quæ omnia, niſi valdè coactè, ad aliam creaturam quàm rationalem, miſeriis obnoxiam, ſed quæ liberationem ſperat, eamque adeptura eſt, referri non poſſunt. Quò etiam pertinet, quod dicitur vanitati & corruptioni ſubjecta *non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe.* Quod enim dicitur *non volens*, id refertur ad naturalem inclinationem, quæ mortem & corruptionem, atque alia quæ huc tendunt, refugit; quo ſenſu etiam Chriſtus mortem refugiebat & deprecabatur. Cùm autem ſubjicitur, *ſed propter eum qui ſubjecit*, &c. intelligitur voluntas deliberata, quæ contra propriam inclinationem ſubmittit ſe voluntati divinæ, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, nempè propter Deum, qui etiam liberationis ſpem fecit; de qua poſteà Apoſt. verſ. 24. *Nam ſpe ſervati ſumus. Spes autem ſi cernatur, non eſt ſpes, &c.* Talia, ut cœlum & terram, vel elementa, aut etiam alias creaturas præter hominem reſpiciant, adduci non poſſum ut credam.

Accedit ſimilis ſententia ex 2. ad Corinth. 5. ℣. 4. *Etenim qui ſumus in hoc tabernaculo, ſuſpiramus onerati: in quo non cupimus exui, ſed ſuperindui, ut abſorbeatur mortalitas à vita.* Hæc enim reſpondent verbis hujus loci, ubi de intenta expectatione, gemitu, parturitione, &c.

Sed videamus quid adverſus hanc interpretationem objici poſſit. Quod primum de nomine *creaturæ*, vel indefinitè, vel poſteà univerſaliter ſumpto occurrit, jam prævenimus, dum notavimus agi de *creatura expectante*, proinde reſtrictum fuiſſe nomen. Nam quod poſteà ſequitur, πᾶσα ἡ κτίσις, ad præcedentia refertur, q. d. *Omnis illa creatura. Creaturæ* autem nomen κατ' ἐξοχὴν pro homine poni, notius eſt quàm ut probari debeat, & Dominus ipſe ſic uſurpavit πάσῃ κτίσει, cum Apoſtolos ad prædicandum & baptiſandum miſit 2. Objicitur, creaturam illam expectantem diſtingui à filiis Dei, cum dicitur expectare revelationem filiorum Dei: ſed nullo modo ſequitur, creaturam illam à filiis Dei diſtingui, ita ut adoptionis illius particeps fieri non debeat, ut non ſequitur Apoſtolum, & alios tum fideles ſpiritu Dei donatos, non fuiſſe filios Dei, quia expectabant, ut poſteà dicitur, gementes, adoptionem filiorum. Si nos dicamur nunc expectare beatitudinem Sanctorum, non propterea ſequitur, nos inter Sanctos illos locum non habere. Nam beatitudine Sanctorum, vel adoptione filiorum, aut libertate filiorum Dei, deſcribitur res expectata; non opponuntur autem expectanti creaturæ, qui talis libertatis ſubjectum, vel objectum, ut loquuntur, formale dicuntur. Ego tamen per κτίσιν exiſtimarem hoc loco intelligi debere præſertim partem hominis corruptibilem, nempè corpus, & ita toti homini tribui debere intentam illam expectationem, ut tamen id fiat ratione corporis præſertim, quod corruptioni obnoxium eſt, & tamen libertatis filiorum particeps futurum eſt. Quò referre vellem illud, *omnis creatura ſimul ingemiſcit & parturit uſque nunc*, ut etiam illud deſiderium referatur ad omnes quotquot fuerunt, qui ſub ſpe beatæ immortalitatis ex hac vita deceſſerunt, quorum deſiderium etiamnum, ne beatis quidem exceptis, ad corporum immortalitatem tendit. Hoc poſito, concidit 3. quæ ſequitur objectio, ex eo quod addit Apoſtol. *Non ſolum autem, ſed & ipſi primitias ſpiritus habentes*, &, id eſt, ut Beza benè expreſſit, *nos ipſi, inquam, in nobis ipſis gemimus*, &c. Non enim, ut plerique putant, Apoſtolus his verbis intelligit omnes fideles, ſed eos qui primitias ſpiritus habuerunt, ſe ipſum nempè, & reliquos Apoſtolos, atque alios qui tum donis Spiritus ſancti extraordinariis pollebant, de quibus putare quis potuiſſet eos liberatos fuiſſe à ſervitute illa & vanitate. Imò, inquit, & nos ipſi, cum creaturis illis quæ nunc uſque ingemiſcunt, expectantes beatam immortalitatem, etiam ingemiſcimus, expectantes redemptionem corporis noſtri, etſi primitias ſpiritus habeamus, id eſt, excellentiori quodam modo gratiæ illius participes facti fuerimus, non tamen adhuc obtinuimus futuram illam gloriam, in nobis retegendam, ad quam intentè expectans creatura uſque adhuc aſpirat, & ſimul ingemiſcit, &c. Hæc ſatis aperta videntur, nec iis obnoxia incommodis quæ alias interpretationes ſequuntur, idcircò non exiſtimarem locum iſtum, ad cœli & terræ renovationem referri poſſe, quicquid de re ipſa ſit in ſe.

De qua ut nollem cum quoquam longum contentionis funem nectere, ita etiam non exiſtimo affirmativam

mativam ſententiam de cœli & terræ ſecundum ſubſtantiam, id eſt, materiam & formam permanentia, certis argumentis, & talibus quibus contradici non poſſit, hactenus fuiſſe demonſtratam. Id ſufficere videtur, ſi cum Scriptura rerum iſtarum omnium conflagrationem & diſſolutionem aſſerentes, hoc certum ponamus, futuram habitationem Sanctorum amœniſſimam, & locum etiam horrendum, ſuppliciis impiorum deſtinatum. Primam illam cœli noui & terræ novæ nominibus venire. In ea nihil carnale eſſe cogitandum. Cavendum etiam ne gloriam filiorum Dei communicemus corruptibilibus creaturis, quę beatitudinis ſunt incapaces. In reliquis quæ planè revelata non ſunt, ſobriè nos geramus, nec quæſtionibus non neceſſariis involvi nos patiamur.

AD CAPVT IX.

EXERCITATIO LVIII.

Benedictionis divinæ erga hominem repetitio. Manui tradere *quid?* *Fœcunditas reliquiarum diluvii. Quale dominium homini in animantia fuit reſtitutum. Vſus limitatio. An eſus carnium fuerit conceſſus ante diluvium? Rationes negantium. Argumenta affirmantium. Iudicium de utraque ſententia. Philoſophorum & Poëtarum de ea opinio. Pythagoras Encratitarum magiſter. Cur in eam ſententiam inductus ſit, ut carnium eſum abominandum cenſeret? Pontificiorum de eadem doctrina, & de ciborum ſanctificatione. De carne cum ſanguine non comedenda. Anima quomodo in ſanguine. Explicatur ſtatutum Apoſtolicum ex* XV. *Actorum. Ejus finis. An inter Chriſtianos ſit perpetuæ obſervationis? Græcorum de eo ſententia. Etiam Pontif. quorundam Roman. Refelluntur. Cauſſæ decreti Apoſtolici.*

INitio capitis noni repetitur benedictio Dei erga humanum genus, in qua reſtituit & ſtabilit, primò ordinem œconomicum, tam ratione humanæ propagationis, quàm dominii in bruta, & poteſtatis eadem deſtruendi ad neceſſarium alimentum, ubi etiam occaſione ſtatuti de ſanguine non comedendo, vitæ hominum ita conſulit, ut ſtabiliat ordinem politicum, & juriſdictionem, quam vocant coactivam, in humana ſocietate. Benedictionis prima pars his verbis continetur, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Quæ repetitur ex ea quæ anteà cap. I. ℣. 28. poſt Adami & Evæ creationem pronunciata fuerat, ne quis exiſtimaret paucos tantùm homines in terris Deum ſervare velle, poſtquam impiam multitudinem aquis diluvii immerſiſſet. Quæ ſequuntur de dominio in bruta, aliis verbis enunciantur, ſed æquivalentibus. Quod enim dixerat, *Dominamini in piſces maris, in volatilia cœli, &c.* eodem ſenſu continentur his verbis, *pavor veſter erit ſuper omnem beſtiam, &c.* ubi *pavor veſter*, accipitur activè, non paſſivè, ut ex ſequentibus patet; & dominium plenum exprimitur hac enunciatione, *manui veſtræ ſunt tradita*, id eſt, poteſtati veſtræ, accipitur enim manus pro poteſtate. *Portenta quæ poſui in manu tua*, Exod. 4. ℣. 20. id eſt, *in facultate tua*, vel, quorum autoritatem dedi tibi. Pſalm. 89. ℣. 26. *Ponam in mari manum ejus*, id eſt, ſubjiciam ejus potentiæ mare. Geneſ. 16. ℣. 6. *Ecce ancilla tua in manu tua, fac illi quod bonum eſt in oculis tuis.*

De benedictionis multiplicationis effectu dubitari non poteſt. Nam etſi verum non eſſet, quod narrat Cteſias, & ex eo Diodorus lib. 3. Ninum Monarchiæ Aſſyriorum conditorem, habuiſſe in exercitu decies ſepties centena peditum, & ducenta equitum millia; Zoroaſtrem autem Bactrianorum Regem, cum eodem præliaturum, quadringentorum millium comparaſſe exercitum, quod numeroſæ propagationis intra pauca ſecula indicium eſſet, cùm referant Hiſtorici, Abrahamum natum fuiſſe anno Nini 43. etſi, inquam, id verum non eſſet, patet tamen ex hiſtoria ſacra, & ipſâ experientiâ, fœcundiſſimas fuiſſe illas diluvii reliquias, ex quibus propagati fuerunt qui hucuſque terram habitabilem incoluerunt. Sed de eventu ſecundæ promiſſionis non ita conſtat, nec videntur cuncta animalia hominis dominio ſubjici, quorum nonnulla hominibus ipſis infeſtiſſima, eos adoriuntur, & crudeliter dilacerant, nedum ut paveant ad hominum conſpectum. Videri igitur poſſet reſtringendam eſſe promiſſionem ad paucos illos homines qui tum vivebant, & quorum operâ Deus animalia, etiam fera & truculenta, in vita conſervaverat. Ut ſit conſolatio qua Deus Noachum & filios ejus reddere voluit ſecuros, ne propter paucitatem ſuam metu percellerentur, niſi promiſſione divina muniti, ſe adverſus ferarum truculentiam obfirmaſſent. Sed cùm reliqua omnia, quæ vel prædicuntur, vel promittuntur, vel etiam mandantur, ad genus humanum in communi pertineant, non dubitandum eſt, quin etiam idem illud genus ſpectet, quod de *pavore* animalium hoc loco dicitur.

Fatendum

Fatendum eſt promiſſionem iſtam, non reddere homini plenum illud & perfectum dominium in omnia animantia, quod Adamus habuit ante peccatum; certum eſt tamen ordinariè inditum eſſe omnibus animalibus hominis metum, & aliquam reverentiam, quam vix excutiunt etiam ſævæ beſtiæ, niſi vel laceſſitæ, vel fame compulſæ, aut aliquâ aliâ perturbatione adactæ. Etſi enim multæ ſint, & majores, & robuſtiores, velociores item & naturalibus armis, unguium, cornuum, & dentium validiùs armatæ, quàm homo; prævalet nihilominus adverſus omnes duabus his rebus, ingenio & manu. His enim omnis generis arma & inſtrumenta fabricat, quibus reliqua animalia, qua vi, qua arte ſuperat, aut ſubigit & cicurat. Sed præſertim juxta ordinarium naturæ curſum, fræno providentiæ divinæ prohibentur, ne promiſcuè homines invadant, niſi quando per eas vult exercere judicia ſua. Sic in exteros Samariæ colonos Deus immiſit leones, propterea quod ipſum non colerent, 2.Reg.17. ℣.25. Et inter eas plagas quibus Deus populos caſtigare ſolet, numeratur etiam orbatio per beſtias malas, Ezech.14. ℣. 15. & pueri Bethelis à duabus urſis lacerati fuerunt, ob petulantiam adverſus Prophetam, 2. Reg. 2. ℣.14. Propheta etiam divino mandato inobediens, à leone occiſus fuit, tempore Jeroboami, 1. Reg. 13. ℣. 24. Proinde, ut in brutorum obedientia, Dei benedictio agnoſcenda eſt & celebranda, ita in rebellione & contumacia, ultio Dei adverſus peccata noſtra eſt animadvertenda.

Uſus his verbis promiſſi, *Omnia in manus veſtras tradita ſunt*, effecta ſunt, quod major pars beſtiarum ſe manibus hominum tractari perfert; boves jugo ſe ſubmittunt, equi ſeſſores admittunt, vaccæ, oves, & capellæ mulgere ſe ſinunt, & vix eſt ullum, præſertim domeſticorum jumentorum, quod non præſtet vitæ humanæ multiplices utilitates. Eſt tamen notandum jus illud, aut poteſtatem hominis in reliqua animalia limitibus non carere. Deus enim certas leges adhibuit, quarum aliæ ad objectum pertinent, aliæ ad modum utendi. Ad objectum pertinet, quod Deus poſt diſtinctionem dominiorum inter homines factam, lege cavit, ne quis manum injiceret in bona alterius, imò ne ea concupiſceret. In modo autem utendi, Deus primò præſcribit homini aliquam æquitatem, qua etiam circa alia animalia aſſuetus homo, paratior & aptior ſit ad miſericordiam erga homines ſibi ſimiles. Ideò voluit in lege, *ut quieſceret jumentum & aſinus*. Exod. 23. ℣. 12. Huc etiam pertinet lex Deut. 25. ℣. 4. *Non ligabis os bovi trituranti.* Noluit etiam ut homo brutis abuteretur ad nefandas libidines. Levit.20.℣.15. *Qui coïerit cum jumento, morte moriatur.* Hactenus igitur poteſtati hominum traditæ ſunt omnes beſtiæ, ut in poſſeſſione & uſu nulla ſit confuſio, nulla iniquitas, nulla vis, vel fraus, ſed unicuique quod ei juſtis modis contingit, relinquatur intactum.

Additur verſ. 3. uſus ſpecialis animalium, ubi etiam Deus hominibus providet de commodo alimento. כל רמש *col remes, omne reptile*, ad verbum, Vulgata, *Omne quod movetur & vivit*, quæ rectè ſenſum expreſſit; nam רמש *remes*, hoc loco non ſumitur pro reptili ſtrictè ſumpto, ſed pro greſſili, aut quod ſe movet, niſi quis cum Tremel. & Junio, poſt ſpeciem, genus etiam poni putet, *omne reptile*, & in genere *quicquid vivit*. Certum enim eſt concedi homini uſum omnium animantium ad eſum aptorum, his verbis. cap. 1. Geneſ. ℣.29. *Dederat Deus homini omnes herbas ſementantes ſemen, quæ ſunt in ſuperficie totius terræ, omneſque arbores fructiferas, ut de eis comederet.* De animalium eſu nihil fuerat additum, quod quidem in hiſtoria legatur. Nunc verò, Quæcunque, inquit, reptant, ſive gradiuntur, & eadem vivunt, erunt vobis in cibum, quaſi herbam virentem dedi vobis omnia; q. d. permitto vobis veſci carnibus omnium animalium, ſicut anteà oleribus. Hæc diverſitas locum dedit quæſtioni, quæ in utramque partem agitari ſolet; An ante diluvium in eduliis uſus carnium fuerit homini conceſſus? Ad quam qui affirmativè reſpondent, in duas opiniones abeunt. Quidam, conceſſum fuiſſe, pios tamen qui ſobriâ victus ratione & frugali contenti fuerunt, conceſſione illâ in victu ordinario uſos non fuiſſe. Quidam, promiſcuum fuiſſe uſum. Alii planè negant fuiſſe permiſſum. Potiſſima poſtremorum ratio ex eo deducta eſt, quod nunc primò poſt diluvium legitur permiſſio, etiam per comparationem cibi anteà uſitati, atque ita videatur eſſe amplificatio conceſſionis. Ideò rationes etiam inquirunt, cur Deus prioribus cibis, hos addere voluit poſt diluvium. Et certè non poteſt dici, Deum voluiſſe homines abſolutè majori aut ampliori privilegio donare, quàm in ſtatu innocentiæ. Idcircò ſi id homini initio non fuit permiſſum, oportet id poſt diluvium propter eas rationes fuiſſe indultum, quę infirmitatem majorem in hominibus ſupponant, ne primo ſtatui derogetur. Hæc autem eſt potiſſima, quod diluvio major facta fuit hominis indigentia, qui proinde largiori & validiori cibo opus habuerit. Indigentiæ cauſſas haſce referunt, 1. quod poſt diluvium cœleſtium aſtrorum aſpectus & influxus, minus fuerit humanæ naturæ propitius ac benignus, quàm ante diluvium; & tellus ipſa Oceani aquis per unum annum tota perfuſa & obruta, multo ſterilior facta ſit, proinde fractum fuiſſe herbarum vigorem. 2. Quod fragilior fuit hominum valetudo, plurimiſque incommodis obnoxia, quod ſatis indicat hominum vita uſque adeò contracta, idcircò validioribus adjumentis & fulturis opus fuiſſe. Tertiam addit Theodoretus, prævidiſſe Deum, homines ad idololatriam pronos fore, & bruta animalia adoraturos, quod ut præveniret, vel homines ſaltem magis inexcuſabiles redderet, indulſit ipſis carnem animalium pro cibo; ut inde colligere poſſent abſurdum eſſe, ſi eas res religioſè cole-

rent,

rent, quas ipſis occidere & comedere permiſſum eſſet. Tertullianus jam Montaniſans, & doctrinæ dæmoniorum de ciborum interdicto addictus, id refert ad hominum incontinentiam, quem ſequutus Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, vult hìc demùm fuiſſe conceſſum carnium eſum, ſicut poſteà Judæis divortium, propter hominum σκληροκαρδίαν. Quæ ratio nullo modo convenit cum hac liberrima Dei diſpoſitione, eaque perpetua; & Chriſtianæ etiam libertati injuria eſt.

Qui exiſtimant conceſſum fuiſſe & uſitatum, his rationibus nituntur. 1. Quod poſt peccatum cum Deus homini conceſſerit ad veſtitum pelles animalibus detrahere, vero ſimile non ſit voluiſſe carnes eorum abjici tanquam inutiles. 2. Primos homines ex Dei inſtituto ſacrificia obtuliſſe; eſſe autem hoc uſitatum in pleriſque ſacrificiis, ut qui Deo ſacrificant, de altari vivant, imò etiam convivia inſtituant, ad carnium ſacrificii partem comedendam, quod ex lege poſteà promulgata patet. 3. Cum Deus nihil frûſtrà faciat, & vix ratio alia excogitari poſſit, cur Deus aquas tantâ piſcium multitudine fœcundaverit, cum vix alius poſſit aſſignari piſcium uſus, præter eſum & eſcam hominibus commodam, non videri rationi conſentaneum, ante diluvium non fuiſſe talem cibum hominibus permiſſum. 4. Cùm Caini & Abelis vitæ genera fuerint diverſa, eſſe tamen valdè ſimile vero, utrumque aliquod genus vitæ amplexum eſſe, quo ex Dei inſtituto, panem ſuum in ſudore vultus comederet. Id cùm Cain exemplo patris in agricultura quæſiviſſet, Abelem etiam artem paſtoralem exercuiſſe, ut ex domeſticis animalibus victum ſibi & aliis pararet. Etſi enim pecorum alii ſint uſus, hic tamen eſt præcipuus. Hoc argumentum urget Cajetanus in Geneſ. cap. 4. *Paſtorale,* inquit, *officium Abelis, teſtatur gregem ovium humanis uſibus inſerviiſſe, non ſolùm præbendo lanas & agnos, ſed lac & caſeum. Et niſi,* inquit, *tunc agni fuiſſent hominibus ad eſum, nulla fuiſſet laus Abelis ex eo quod primogenitos pingues elegiſſet ad divinum ſacrificium, perinde enim fuiſſet Abeli pingues atque macilentos ſacrificare, ſi non propter eſum carnium, ſed propter ſolum pellium uſum, gregem paſcebat.* Certè non videtur conſentaneum homini poſt diluvium plus datum fuiſſe poteſtatis in animalia, ratione uſus, quàm initio mundi. Cum plena enim dominatio ipſi conceſſa fuiſſet, videtur etiam concedendum, potuiſſe hominem veſci carnibus, quicquid ſit de ipſo actu. Nam in ſtatu innocentiæ non diu vixit homo, & habitabat in loco, ubi omne genus fructuum ſapidiſſimorum ipſi præſto erat. Sed poſtquam è paradiſo ejectus, terram cum ſudore colere coactus fuit, & greges paſcere, neque licentiam edendi, neque ejuſdem eſum actualem, homini denegari debere, videtur nobis magis probabile; etſi non dubitemus non adeò largè uſum fuiſſe, ut poſteà factum eſt. In eam igitur potius ſententiam inclinaremus, quæ tot rationibus fulcitur. Nam etſi uſquam anteà factum fuiſſe non apertè tradat Scriptura, non ſequitur tamen id non fuiſſe in uſu, quia neque etiam meminit homines uſos fuiſſe frumento, aut panes ex illo confeciſſe, imò ne de potu quidem verba fecit. Quod ſi quis quærat, cur jam hoc loco illius rei fiat mentio? Reſpondeo, id factum ideò fuiſſe, quia Deus voluit legem ſancire de ſanguine & ſuffocato non comedendo, quæ cùm exceptio fuerit appoſita conceſſioni generali, prius voluit conceſſionem illam repetere, ut melius intelligeretur ſequens prohibitio. Addimus etiam, ut ejus eo major haberetur ab hominibus ratio, quo aliàs Deus liberalius cum hominibus egerat. Utitur enim Legiſlator eadem methodo qua initio legem de non comedendo fructu arboris ſcientiæ promulgaverat, Geneſ. 2. ℣. 16. *Ex fructu omnis arboris hujus horti liberè comedes: ex fructu verò arboris ſcientiæ boni & mali ne comedas, &c.* ita hoc loco, *Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia,* nempè animalia, *excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Proinde vero ſimile eſt quod diximus, ideò conceſſionis generalis factam fuiſſe mentionem, quia exceptio tum primùm debuit addi.

Scimus quidem Philoſophos nonnullos, & Poëtas inter Gentiles, ut abſtinentiam ab eſu carnium commendarent, eam à priſcis illis temporibus repètiviſſe, quaſi aureo, quod appellabant ſeculo, cibus ex animalium carnibus prorſus fuiſſet rejectus. Sic Ovidius, *At vetus illa ætas, non polluit ora cruore,* &c. Metamorph. lib. 15. qui etiam exclamat, *Heu! quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi,* &c. Quæ ex diſciplina Pythagoræ hauſta, Encratitæ & Manichæi obtrudere voluerunt in Chriſtianiſmo. Cum enim animarum quandam μετεμψύχωσιν imaginarentur, non ſolum eſum carnium vitarunt, ſed etiam ovorum & lactis, nefas arbitrati ex ullo animantis genere quicquam deguſtare, ne (ut falsè Tertullianus) *bubulam de aliquo proavo quiſquam obſonaret.* In regno Pontificio, non eadem affertur quarundam carnium ſtatis temporibus prohibitionis ratio, etſi nonnulli adverſus creaturas illas Dei ſatis acerbè quandoque declamitent, & ea dicant quæ non longè à Manichæorum placitis abſcedunt. Sed qui mitius agunt, & fatentur neque prohibitum eſſe per ſe carnium eſum, neque eſſe aliquid pollutionis in earum uſu, hoc tamen tribuunt ſuis præfectis, & præſertim Pontifici, ut poſſint, quæ Deus homini libera fecit, illicita reddere ſuâ prohibitione, ita ut conſcientiam ſuam polluat, qui cibo à Deo conceſſo utetur, ſi homo aliter ſtatuerit; qui conſcientias verbo Dei ſolutas, ſuis legibus aſtringat, in quibus etiam cultum Dei conſtituet. De actu externo non litigamus. Poſſet enim vel etiam Princeps politicus illum prohibere certas ob cauſas, cui prohibitioni qui contra iret, pollueret conſcientiam, propter inobedientiam, in ea re à qua, citra ſcrupulum conſcientiæ, abſtinere

ſtinere quis poſſet: ſed alia ratio eſt, ſi in eo cultus Dei ponatur, aut conſcientia hominis immediatè alligetur tali abſtinentiæ.

Advertendum eſt autem in duabus quas ventilavimus ſententiis, non ſitam eſſe controverſiam, quæ inter diverſa ſentientes acerbè debeat agitari; utrumvis enim ſentiat aliquis, non adeò magni refert, ſive dicat eſum carnium in uſu fuiſſe ante diluvium, ſive ambigat, vel neget, exiſtimetque tantùm incœpiſſe poſt diluvium. Sed hoc magni momenti meritò judicandum eſt, quod in his verbis jus habemus donationis divinæ, qua poteſtas nobis fit, ſine tyrannidis aut injuſtitiæ metu, in animalium vitam, ut veſcamur eorum carnibus, quo conſcientia noſtra ſecura redditur, ut non manducemus cum ſcrupulo, ac proinde ſine fide. Quam conſcientiæ certitudinem in uſu legitimo creaturarum, neceſſariam eſſe docet Paulus, Rom.14.℣.14 Huc ex parte referri debet, quod idem 1. ad Timoth.4. ℣.5. docet, verbum Dei nobis creaturas ſanctificare, ut eis legitimè utamur. Quod male acceptum fuit à ſuperſtitioſis, qui verbis & ſyllabis aliquam affingunt efficaciam, qua expellere ſe fingunt à cibis omnem vim malignorum ſpirituum, iiſque aliam infundere, quæ utentes ſanctificet, qui abuſus eſt verbi execrandus. Sed verbo tribuitur ciborum ſanctificatio, quatenus verbo Dei de ipſius voluntate & jure noſtro certi ſumus, ideoque cum gratiarum actione datis ab eo bonis utimur.

Nunc ad exceptionem accedimus, quæ habetur ℣.4. *Excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis*, ad verbum, *Tantùm carnem in anima ejus, ſanguine ipſius non comedetis.* In quibus verbis figuram eſſe, quam Grammatici appoſitionem vocant, ſatis manifeſtum eſt, *in anima ejus, ſanguine ipſius,* id eſt, *in anima ejus, quæ eſt ſanguis ipſius.* Unde Levitici cap. 17. ℣.11. *Anima cujuſque carnis in ſanguine eſt.* Vetus interpres *ſanguinis* tantùm meminit, ſuppreſsâ *animæ* voce, quam ſatis expreſſam putavit per ſanguinem. Quomodo autem vel anima ſit ſanguis, vel ſit in ſanguine, ſic explicari poteſt, ut nomen *animæ* (quod in Scripturis frequens eſt) pro vita accipiatur, quæ *ſanguis* dicitur, vel *in ſanguine eſſe,* propter ſpiritus vitales & animales, qui animæ organa, & virtutis ejus vehicula ſunt, & è ſanguine evaporant; non quod ſanguis propriè ſit vel vita, vel anima. Quod optimè explicavit Auguſt. Tom. 6. contra adverſarium legis & Prophetarum, lib. 2. cap. 6. Objiciebat adverſarius, *Moyſes omnem ſpem futuræ reſurrectionis in hominibus extinxit, qui mortalem eſſe animam pronunciavit, qui eam eſſe ſanguinem dixit. Deinde ratiocinando, magnis viribus conatur oſtendere*, ait Auguſt. *non eſſe animam ſanguinem, & laborat in re manifeſta, non intelligens legem, ſic enim dictum eſt, Anima omnis carnis, ſanguis eſt; quomodo dictum eſt, Petra erat Chriſtus, non quia hoc erat, ſed quia hoc ſignificabatur. Non autem fruſtra lex animam voluit ſignificare per ſanguinem, rem ſcilicet inviſibilem, per rem viſibilem, niſi quia ſanguis per venas omnes ab ipſo corpore diffuſus, in noſtro corpore, plus cæteris humoribus participatur, ita ut ubicunque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, ſed ipſe procedat; ita quoque anima, quia omnibus quibus conſtamus inviſibiliter prævalet, illo melius ſignificatur, quod omnibus quibus conſtamus viſibiliter prævalet.* Hæc ille, qui ſanguinem animam dici exiſtimavit metonymicè, quia ſignum eſt animæ; ut Petra dicitur Chriſtus. Quod exemplum, uſum maximum habet in locutionibus figuratis, de quibus idem utiles tradidit regulas in libris *de Doctrina Chriſtiana.*

His ita poſitis, videndum quorſum tendat prohibitio *de non comedenda carne cum ſanguine.* Sunt qui nihil aliud voluiſſe Deum putant, niſi ut homo, membrum de animante adhuc viva palpitans, aut etiam ſanguinem adhuc palpitantem non comederet, nec eſum alioqui ſanguinis, jugulato animanti qui jam refrixerit, hîc prohibitum directè fuiſſe. Qua in ſententia, etiam doctiſſ. Mercerum locum hunc accepiſſe miratus ſum, quod nimis jejunum eſſe meritò judicavit doctiſſ. interpres. Non quod verum non ſit id etiam hac prohibitione comprehendi. Nam qui prohibet carnem cum ſanguine manducare, ille certè prohibet carnes vivas manducare, quæ ſine ſanguine eſſe non poſſunt, aut animalium fluentem è corpore ſanguinem ſugere, quod de Tartaris referunt, qui equorum ſuorum ſanguine aliquando famem & ſitim ſedant. Sed negamus id totum eſſe & præcipuum, quod hoc loco voluit Legiſlator; nam cum ab eſu vivæ carnis natura hominum vehementer abhorreat, niſi fortè ſint aliqui ferini ingenii, ſupervacaneum fuiſſet homini, ejus rei prohibitionem ſpecialiter mandare.

Igitur non dubitamus eandem eſſe prohibitionem, quæ poſteà repetita fuit in lege, & obſervata uſque ad tempora Apoſtolorum, quibus de eadem re mota fuit aliqua controverſia, & eadem lex, ut ex cap. 15. Act. patet, aliis planè abrogatis, non ſolùm ratione juris, ſed etiam ratione uſus; quoad uſum enim fuit adhuc converſis ex Gentiliſmo ad tempus commendata, idque dubio procul, quia propter antiquitatem, cum data eſſet longè ante Moſis legem, difficilior erat ejus abrogatio, quam ut momento fieri poſſet. Fuit autem legis illius ſenſus, ut homines planè abſtinerent à ſanguine animalium comedendo, non ſolùm, ut diximus, cum flueret à corpore vivo, ſed etiam ſi ex mortuo corpore, aut in ipſo, adhuc manaret; ſive crudus eſſet, ſive coctus; qua ratione autem id fieri poſſet, Apoſtoli duabus vocibus declararunt, *ſuffocati & ſanguinis.* Cum enim dupliciter poſſit comedi ſanguis, vel intra ipſum animal, cum adhuc carni admixtus eſt, vel extra animal, cum fuſus eſt; primus modus ſub *ſuffocato* continetur; ſecundus, ſub voce *ſanguinis* intelligitur.

Legem

Legem illam non eſſe naturalem certum eſt: eſt enim poſitiva, ſed tamen divina. Quæri poteſt in quo genere ſit ponenda? Moralem non eſſe propriè & immediatè ſatis conſtat; nec etiam ad politiam pertinet: inter leges à Moſe datas cum ceremonialibus numeratur. In quo genere eam ab initio ponimus. Non enim putandum eſt præcepta ceremonialia omnia, tum demùm incœpiſſe, quum lex per Moſem data eſt, etſi tum repetita fuerint & ampliata, quia non ſolum hoc præceptum, ſed etiam alia, de ſacrificiorum ritibus anteà, & de circumciſione poſteà, data fuerant à Deo, quæ ad legem naturæ perperam nonnulli referunt, quaſi ad eam pertinerent, quæcunque anteà fuerant quocunque modo vel commendata, vel obſervata.

Hujus autem prohibitionis hic ſcopus fuit, ut homo aſſuetus à ſanguine brutorum animalium abſtinere, ab humano ſanguine effundendo caveret, & omnem crudelitatem deteſtaretur. Præterea ideò uſui hominum interdictus fuit, quia cum eſſet ſignum vitæ aut animæ animalis, Deus ſibi eum in ſacrificiis reſervaverat, ut ſolus agnoſceretur autor vitæ. Quibus rationibus addi poteſt, quæ etiam in lege habetur, *quòd Deus dederat eum hominibus, ut ſuper altare ejus expiarent pro animabus ſuis.* Levit.17. ỳ.11.

Agitata eſt olim quæſtio de legis hujus abrogatione, propter decretum Apoſtolicum, de quo Act. 15. quia prohibitio de ſanguine & ſuffocato, conjungitur cum prohibitione ſcortationis, quæ ad legem moralem pertinet, & perpetuæ obſervationis eſt. Ideoque hactenus non potuerunt adduci Eccleſiæ Græcæ, ut prohibitionem ſuffocati & ſanguinis pro lege ceremoniali haberent, cujus uſus ceſſaverit. Et Theodorus Balſamon ex Canone 63. Apoſtolis áдſcripto, in Latinos invehitur, qui *ſanguinem & ſuffocatum indiſcriminatim comedunt.* Adverſus quam libertatem extat ſevera ſanctio Leonis Imperatoris, Novella conſtitutione 58. circa annum Chriſti 895. *Sciat,* inquit, *quicunque ſanguinem in cibum convertere deprehenſus fuerit, ſe bonorum publicationi ſubjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæſus, ac cute tenus fœdè tonſus erit, perpetuo patriæ exilio multandum eſſe.* Nec ipſi Pontifices Romani omnes libertatem Chriſtianam in ea re noverunt, etiam poſt elapſa aliquot ſecula. Nam Zacharias Papa, qui ſeptingenteſimo quinquageſimo poſt Chriſtum anno, juxta Baronii Chronologiam, ſedit, in Epiſtola ad Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinenſem, quæ extat Tom. 2. Concil. inter alia ſatis inepta, hoc etiam præſcribit: *De quibus flagitaſti à nobis quæ recipienda, quæ reſpuenda ſunt; in primis de volatilibus, id eſt, graculis, & corniculis, atque ciconiis, quæ omninò cavendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum: etiam fibri, atque lepores, & equi ſylvatici, multo amplius cavendi.* Quod decretum Concilii Vormacienſis Canone 65. aliud ſecutum eſt ejuſdem farinæ; *Non licere aves & alia animalia, ſi in retibus ſtrangulantur, comedere.* Quæ ideò adducimus, quia recentiores Pontificii, ut autoritatem Eccleſiæ ſuæ ſtabiliant in novis legibus præſcribendis, vel antiquis abolendis, ſupponunt legem illam de ſanguine aboleri non potuiſſe, niſi interveniente judicio Eccleſiæ ſuæ, id eſt, Pontificis Romani. Quod quàm falſum ſit, uſus & experientia docuit. Neque enim aliquo facto ſtatuto unquam abrogata eſt; ſed ceſſatione cauſſæ, quæ ubi cognita fuit, effecit ut ceſſaret obſervatio, quibuſdam in locis tardius, in aliis autem maturius.

Quod ut magis pateſiat, paucis agendum erit de cauſſis cur Apoſtoli eam obſervationem, dum decernerent jugum ceremonialis legis non eſſe imponendum Gentibus converſis, ad tempus præſcripſerunt. Mitto quorundam veterum, ut Irenæi, Tertulliani, Cypriani & Ambroſii ſententiam, qui putarunt in Apoſtolorum decreto, non intelligendam eſſe abſtinentiam à ſuffocatis beſtiis, vel ab earum ſanguine, ſed per hæc verba intellexerunt *homicidium:* ex qua tamen ſequitur, veteribus illis ſcriptoribus etiam tum abſtinentiam illam non viſam fuiſſe neceſſariam: ſed non dubitamus, Apoſtolos egiſſe de eadem lege, quæ hîc à Moſe recitatur. Quòd autem fornicationem addiderunt, non ideò factum eſt, quod eſſent prohibitiones ejuſdem generis, ſed id iis viſum fuit neceſſarium exprimere, quia plerique Gentilium exiſtimabant, ſimplicem fornicationem non eſſe per ſe malam & illicitam. Quod alii cenſent prohibitionem ſanguinis & ſuffocati fuiſſe prohibitam, non propter obſervantiam legis Moſaicæ, ſed gulæ coërcendæ & voluptatis reprimendæ cauſsâ; id ſine ratione dicitur, quia ſunt alia ciborum genera permiſſa, multò delicatiora, & guſtui jucundiora.

Vera itaque cauſſa hæc fuit, quam Auguſtinus attulit contra Fauſtum Manich. lib. 32. cap. 13. *quia eligere voluerunt Apoſtoli, pro tempore, rem facilem, neque obſervantibus oneroſam, in qua cum Iſraëlitis etiam gentes, propter angularem lapidem duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent, ſimul & admonerent in ipſa arca Noë, quando Deus primùm hoc juſſit, Eccleſiam omnium gentium fuiſſe præfiguratam, cujus facti prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus incipiebat impleri.* Ad abrogationem autem quod ſpectat, addit ibidem, *Tranſacto autem illo tempore, quo duo illi parietes, unus ex circumciſione, alter ex præputio, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibuſdam proprietatibus diſtinctius eminebant, & ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut nullus Iſraelita carnalis appareat, quis jam hoc Chriſtianus obſervat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, niſi quorum ſanguis effuſus eſt? Si qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur.* An verò id faciebant aliquo novo ſtatuto muniti, quo vel Pontifex, vel Eccleſia declaraſſet legem

 eſſe

eſſe abrogatam? Audiamus iterùm Auguſt. *Ita omnium animos erudivit ſententia illa veritatis, Non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit, nullam cibi naturam quam admittit ſocietas humana, ſed quæ iniquitas cõmittit peccata, condemnans.* Hęc ille.

Itaque Baronius cum ageret adverſus Græcos, qui in ſexto Concilio Conſtant. in Trullo, novo decreto abſtinentiam à ſuffocato & ſanguine ſanciverant, non agit autoritate vel Pontificis, vel Eccleſiaſtici alicujus Canonis, ſed rationibus ex Scriptura deſumptis: ſic enim ille, *Canonem,* inquit, *67. ſtatuerunt de ſuffocatis non comedendis, vel ex hac parte Iudaiſantes, dum quod in primitiva Eccleſia illa, ad conjungendos ſimul credentes cum Iudæis, jam Chriſtianis Apoſtoli præceperunt, iſti in perpetuum ſervandum eſſe ſanxerunt, non ſecus ac ſi quis virum quemlibet ſemper lacte eſſe nutriendum ea ratione contenderet, quod eidem infanti ſugendum fuerit propinatum. Quod ſi dicunt id ipſum reverentiâ Apoſtolorum obſervandum eſſe: certè univerſam Eccleſiam Catholicam jam ſeneſcentem iis vinculis modo obligare, quis non cenſeat eſſe dementiæ? cum præſtet Apoſtolico ſpiritu libertatem indictam ſequi, ut manducans manducantem non ſpernat, & non manducans, minimè ſpernere debeat manducantem.* Rom. 14. Hæc ille ex Scripturis, non ex ulla vel traditione, vel nova aliqua lege.

Exercitatio LIX.

Explicatio verſus v. *& ejus cum præced. connexio.* Requirere de manu, *quid? An bruta animalia peccent, & eis propterea infligatur pœna? Socini ſuper eo ſententia refellitur. Explicatio loci Levit.* xx. *verſ.* 15. *&* 16. *de punitione brutorum. Criminis homicidii exaggeratio. Adverſus quod jus gladii ſtabilitur verſu* vi. *qui explicatur. Teſtes primi judiciorum executores apud Ebræos. Vindicatur ſanctio divina contra Socinum. Imago Dei in quolibet peccatore quomodo maneat. Non prædictionem hîc eſſe, ſed ſanctionem,*

Poſtquam Deus verſibus præcedentibus providit homini de cibo neceſſario, eique conceſſit ad victum, non ſolùm olera & fructus arborum, ſed etiam animalium carnes, hoc uno excepto, quod noluerit ut carnem cum ſanguine comederet: in ſequentibus, vitam hominis munit adverſus omnem violentiam, & quam ſibi chara ſit declarat. Verba ſunt ℣. 5. ואך את דמכם *veac eth dimcem, Etiam ſanguinem veſtrum, animarum veſtrarum requiram, de manu omnis beſtiæ requiram illum, & de manu hominis, de manu viri fratris ejus, requiram animam hominis.* Quæ verba aliquam connexionem habent cum præcedentibus. Quænam autem ſit illa videndum eſt. Prohibuerat eſum ſanguinis ſeu animæ animalium; nempè quia noluit populum ſuum beſtiarum ſanguinem, aut membra à ſanguine nondum repurgata comedendo, crudelitati erga ipſos homines aſſuefieri, ac tandem in ſibi ſimiles ſævire. Hunc finem, lex quæ nunc ſequitur *de homicidio*, evidenter oſtendit, q. d. Volo ut ab eſu ſanguinis animalium abſtineatis, ut diſcatis à ſanguine humano effundendo abhorrere, quia vita hominis tanti pretii eſt apud me, ut ne beſtiis quidem parcere velim, quæ hominis ſanguinem effuderint, nedum ut parcam hominibus, ſi qui ſe polluerint ſanguine proximi ſui. Si pretioſus eſt mihi ſanguis veſter, & ejus effuſio ipſis beſtiis pernicioſa: nolo ut comedatis ſanguinem beſtiarum, ne paulatim in feritatem degenerantes, incipiatis etiam humanum ſitire, cujus ea eſt apud me ratio, ut ab ipſis beſtiis eum ſim requiſiturus, multo magis ab homine.

Phraſis autem, *de manu ejus requiram*, non ita accipienda eſt ac ſi beſtiis manus propriè tribueretur, ſed eſt locutio figurata, qua nihil aliud ſignificatur, quàm puniturum Deum ipſa etiam animalia, & quaſi repoſciturum humanum ſanguinem quem hauſerunt. Non autem inde ſequitur quod Socinus ſcribens contra Puccium, libro de ſtatu primi hominis aſſerere non veretur, *beſtias ita errare, ut culpæ alicujus ſint affines, & puniri mereantur. Non poſſunt* (inquit cap. 6. pag. 158.) *tam graviter, nec in iiſdem pleriſque rebus delinquere, in quibus homo delinquit, ſed delinquere tamen poſſunt, id eſt, à quadam via ſibi naturaliter præſcripta aberrare atque deflectere, adeò ut meritò puniri debeant.* Negari non debet poſſe animalia, imò etiam omnes alias creaturas, aberrare à via ſua naturali ordinaria. Eſt autem illa lex Phyſica corporibus cœleſtibus & ſublunaribus conſtituta, juxta cujus normam ſuos motus dirigant illa, hæc autem in uſus hominis & pecorum fructus varios ſtatis temporibus & fixo ordine proferant. A qua lege animalia non eximuntur, ita ut ne venula quidem ſit in toto corpore organico, cui non ſit aliquod attributum officium, & certa lex officii. Ab hac tamen lege cum deficiunt creaturæ, ut ſi terra fructus non edat, ſi ventriculi aut hepatis concoctio non procedat; ſi beſtia in hominem, cui naturâ ſubjici debet inſurgat: negamus creaturas tales peccare, atque adeò reas agi apud judicem Deum. Lex Ethica quæ informat hominum mores, quæ ſub genere ſuo omnes leges propriè dictas comprehendit, ſola eſt, quæ reum agit eum cui lata eſt, cujus legis capaces ſunt tantùm intellectuales creaturæ, non autem quæ ſunt inferioris ordinis.

Cui

Cui rei etiam argumento eſt, quod bruta non ſunt capacia juſtitiæ & ſanctitatis, ergò nec injuſtitiæ & peccati. Contraria enim eſſe in eodem ſubjecto nemo ſanus negare poteſt. Juſtitia autem & injuſtitia, ſive peccatum, ſunt contraria, eaque in homine immediata, utpote in quo non datur *non juſtitia*, ſive negativa injuſtitia, qualis in brutis reperitur, quæ juſtitiam & injuſtitiam propriè dictam negat. Cum igitur unius ex hiſce contrariis non ſit capax brutum, nec etiam capax eſt alterius. Quod ſi negent adverſarii, probent ex Scriptura eſſe aliquam juſtitiam & ſanctitatem brutorum, quæ in rationem venire debeat in die judicii.

Addimus tertiò, in brutis non eſſe ea peccati conſequentia primaria ac præcipua, qualia ſunt, conſcientiæ angores, & infernales pœnæ; neque enim vocabuntur ad tribunal judicis, ut in ſuo corpore reportent quæ fecerunt, &c. Accedit quod ipſi adverſarii alibi in peccati ſubjecto ea requirunt, quæ brutis competere non poſſunt; volunt enim cum Pontificiis peccatum non eſſe, niſi ſit voluntarium, ideoque peccatum originale inficiantur, propter defectum voluntarii in infantibus. Si ſaltem conditionem peccato eſſentialem eſſe ſentiant, cum omnia animalia præter hominem voluntate careant, ſequitur etiam nullum animal præter hominem, poſſe peccatum committere.

Objicit tamen Socinus nonnulla, quibus abſurdam ſuam ſententiam ſtabilire conatur. *Hujuſce rei,* inquit, *habemus præclara teſtimonia in lege Moſis, in qua beſtiæ, quibuſdam de cauſſis, graviſſimè puniuntur; velut cùm jumentum interfici jubetur, cum quo vir aut mulier coïerit, Levit. 20. verſ. 15. & 16. Sed præterea in illis verbis ad Noë, Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, &c. Quibus in lege conſentit illud, quod bos cornupeta, qui hominem occiderit, lapidibus obrui debet, Exod 21. verſ. 28. Natura enim ipſa animantes monet, non debere eas cum homine ſe commiſcere, & ipſum illis reverendum eſſe, non modo non occidendum.* Hæc ille. Sed his locis non probatur animalia peccare adverſus Deum, ut meritò puniri debeant, ratione ſui, id eſt, propter actus illos, ſimpliciter & in ſe conſideratos. Aliundè repetenda eſt cauſſa, cur Deus voluerit animalia tolli de medio, quæ fuerint inſtrumenta mali. Notandum eſt igitur, facta fuiſſe bruta propter hominem, proinde propter hominem deſtrui poſſe, quotieſcunque animalis deſtructio, vel ad hominis pœnam, vel ad emendationem, vel ad præcautionem in futurum poteſt inſervire. Sic Deus in lege ſtatuit, ut animal à quo homo fuerit occiſus, lapidibus obrueretur; non quod illud animal peccatum commiſerit, ſed quia per illud damnum fuit homini illatum, & poſſet etiam deinceps inferri: ut ergò id præcaveretur, tale animal voluit Deus de medio tolli. Præthereà pœna illius animalis domeſtici, dominum ipſum reſpiciebat, qui cùm negligens fuiſſet bovem ſuum ſervare ne noceret, multabatur ejus amiſſione, nulli enim uſui erat aptus, poſtquam lapidibus erat obrutus. Tertiò, Deus oſtendebat ipſis hominibus tali exemplo ſe non parciturum homicidis inter homines: & quod faciunt benigni parentes, qui canes ſæpè, & alias beſtiolas, in conſpectu puerorum flagellant, ob aliquod ſimile factum, quod in infantibus brutam & feram inclinationem portenderet, ut tali exemplo metuant: ſic Deus erga homines ſe gerit, dum in bruta animadvertit, quæ ſanguinem humanum effunderunt. Nec incommodè ſentiunt, qui putant Deum in hoc Geneſ. loco, reſpexiſſe ad leges illas, quas poſteà tulit de nocivis illis animalibus occidendis: etſi ſentiam in genere, id Deum intellexiſſe, non ſolùm quod hominum miniſterio, & lege politicâ in populo ſuo ſancitâ, id facturus eſſet, ſed etiam quod alio quovis modo talia animalia eſſet ſublaturus.

Exempla etiam ſpurcitiei & criminis contra naturam, ſuppliciique communis hominis & beſtiæ, aliò non tendunt. Id enim ſtatutum eſt propter homines, ne talis turpitudinis objectum in aliorum hominum oculis verſaretur; ut illi etiam magis abominarentur actum nefandum, propter quem videbant ipſas beſtias, etſi rationis uſu carentes, morti addici. Quod enim Socinus dicit, ideò peccati reas eſſe beſtias, quia faciunt contra id quod natura ipſa eas monet, nihil probat, quia monitio non accipitur propriè, ſed figuratè; non enim habent aliquam legem inſculptam, ex cujus principiis poſſint ratiocinari, ſe, hoc faciendo, malè facere. Ut igitur breviter argumentum reſumamus deductum à pœnis, ſic deberet procedere; In quod cadunt pœnæ peccatorum, illud ipſum capax eſt peccati, imò peccavit: At in bruta cadunt pœnæ peccatorum; Ergò. Reſpond. ad majorem, eam limitando, vel diſtinguendo; pœnæ peccatorum cadunt in aliquid primò & directim, vel tantùm ſecundariò & indirectim. Primo modo ſi intelligatur major, vera eſt; illud ſubjectum eſſe peccati capax, in quod primò & directim cadunt pœnæ peccatorum; at tum minor erit falſa. Si autem ſecundo modo accipiatur major, in quod ſecundariò & indirectim cadunt pœnæ peccatorum, illud eſt capax peccati; tum falſa erit, & à nobis negabitur. Cum enim Adamus peccaſſet, maledicta fuit terra propter hominem, atq; hæc maledictio fuit pœna peccati hominis, nec tamen terra fuit peccato obnoxia. Sic etiam dicimus de brutis, quia propter hominem creata ſunt, propter hominem etiam deſtruuntur, vel ab irato Deo, vel à favente Deo. Ab irato Deo, cum propter hominum peccata inferiores creaturas, quæ ipſi inſerviunt, tollit. Deut. 28. ℣. 18. *Maledictus fructus terræ tuæ, armentum boum tuorum, & greges ovium tuarum, maledictum horreum tuum, &c.* Sic Deus animalia Ægyptiorum per quintam plagam, quæ deſcribitur Exod. 9. ℣. 6. interfecit, propter iniquitatem tam Regis, quàm populi. Quod ſi propterea peccatum caderet in animalia, etiam inanimata

nimata peccarent, quæ aliquando vindictâ divinâ percutiuntur, ut fructus terræ, ædes, &c. Quid? quod etiam in judiciis humanis, ædes illæ in quibus ſcelus patratum eſt, vel in quibus natus eſt aliquis inſigniter flagitioſus, ſententiâ judicum delentur; imò aliquando ipſa terra, in maledictionis ſignum, ſale conſpergitur: nec tamen adeò inepti ſunt judices, ut exiſtiment terram illam, vel ædes peccaſſe.

A favente Deo animalia deſtruuntur, quando propter nocumentum hominibus allatum, jubet ea occidi, vel ipſe etiam immiſſis morbis ea interficit, aut efficit ut aliis animalibus in prædam cedant. Hoc ſecundo modo intelligendum eſt, quod hoc loco Deus dicit, ſe requiſiturum ſanguinem hominum à beſtiis.

Quod ſequitur, eſt argumentum à minori ad majus. Si à beſtiis, quæ tamen hominem non attingunt cognatione, nec ſunt ejuſdem ſpeciei, nec lege aliqua tenentur, cujus ſunt incapaces, multo magis requiram *de manu hominis*, מיד איש אחיו *mijad iſch achiu*, id eſt, *de manu viri fratris ejus, requiram ejus animam.* Ubi non exiſtimamus cum nonnullis, diſtinguendos ita eſſe gradus, ut homo ſit alius à viro, & vir alius à fratre, ita ut homo accipiatur pro quolibet extraneo; vir, pro eo qui in aliqua dignitate conſtitutus eſt; frater autem, pro eo qui ſanguine junctus eſt: potius id ita intelligendum, ut poſito hominis nomine, per exegeſim addatur vir frater, vel per appoſitionem, *de manu hominis, qui eſt vir frater ejus.* Eſt enim exaggeratio homicidii, quia homines omnes inter ſe juncti ſunt cognatione, omnes ab uno ſanguine, quilibet eſt alteri frater & proximus: itaque qui hominem occidit, effundit ſanguinem fratris, ſeu proximi ſui. Certum eſt, prout conſiderantur gradus cognationum inter homines, vel propinquiores, vel remotiores, exaggerari crimen homicidii, vel etiam extenuari. Nam qui parentem occidit, vel fratrem germanum, graviùs peccat, quàm qui alium hominem magis remotum. Tamen omnis homicida polluit manus ſuas ſanguine fraterno, & Deus ab homine fratre repetiturus eſt animam occiſi.

Id autem qua ratione facturus ſit, exponit ℣. 6. in quo ſtabilit jus publicum gladii adverſus eos qui gladium ſtringunt in proximos. Certum eſt Deum immediatè & per ſe, poſſe requirere ſanguinem hominis de effuſoris manu, etiam ceſſante hominum operâ; quod etiam fecit ſæpè, & porrò etiam facturus eſt. Nihilominus ſtatuere voluit, & ſtabilire judicia inter homines, ad ſocietatem humanam conſervandam, ne qui Dei judicia non timent impii & prophani, impunè graſſarentur, & omnia cædibus miſcerent. Verba ſunt, *Effundens ſanguinem hominis*, באדם *baadam, in homine*, vel, *per hominem*, *ſanguis ejus effundetur, quia in imagine Dei fecit hominem.* Latina vulgata illud באדם *per hominem*, planè omittit; Græca editio obſcurius reddidit, *ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται*, id eſt, *Qui effuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine ejus effundetur.* Pagninus, Arias Montanus, & alii nonnulli illud באדם *baadam*, referunt ad ſubjectum, & quærunt, quid ſit effundere ſanguinem hominis in homine? Quidam id ita intelligunt, ut phraſi illâ ſignificetur, ſuffocatio ſeu ſtrangulatio, aut venenum, vel aliud aliquod mortis genus, quo ſanguis hominis extra non effunditur, ſed intus manet. Sed nunquam talis ſignificationis exemplum proferre poſſent, ut ſanguis ejus dicatur effuſus, qui ſuffocatus eſt, vel periit veneno. Alii, effundere ſanguinem hominis in homine, nihil aliud eſſe volunt, quàm hominem ſuo ſanguine fœdare, quod etiam nimis dilutum eſt. Paraphraſis Chaldaica, illud *in homine*, refert ad teſtes, ut ſignificet, *præſentibus teſtibus*, additque, *juxta ſententiam judicum ſanguis ejus effundetur.* Quæ quidem vera eſt ſententia, ſed exiſtimo Paraphraſim, illud באדם *baadam* expreſſiſſe his verbis, *juxta ſententiam judicum*, id eſt, *per judicem hominem*, illud autem *per teſtes* addidiſſe, tanquam neceſſarium prærequiſitum; non enim ſolet judex ſententiam ferre, niſi teſtibus auditis, ſi quidem juſtè judicare velit: niſi intellexerint, teſtes ipſos debuiſſe eſſe executores, ut ſenſus ſit, ex ſententia judicum, teſtes homines, ejus ſanguinem fundent. Et quidem in lapidatione id factum fuiſſe apud Judæos certum eſt, ut teſtes primi lapides projicerent in reum. An autem ubi gladio percutiendus fuit reus, id à teſtibus factum fuerit non legimus. Quicquid ſit, illud באדם *baadam, in homine*, referri non debet ad ſubjectum, ſed ad attributum, quod etiam indicat accentus *zakephkaton*, voci præcedenti ſuperpoſitus, qui inciſum magis innuit, & diſtinctionem facit. Proinde ב *beth*, eſt nota inſtrumentalis cauſæ, per quam homicidæ ſanguis eſt effundendus.

Eſt igitur hoc loco διάταγμα, ſeu conſtitutio Dei ipſius ore prolata, quâ ſanguis homicidæ voluntarii, qui humanum ſanguinem auſu nefario effudit, *per hominem*, nempè ad id legitimè conſtitutum, id eſt, per Magiſtratum, vitâ privari debet. Id, quemadmodum oſtendimus, Paraphraſtes Chaldæus ad ſenſum quod ſpectat, optimè intellexit; non licere, nempè cuilibet privato, impetum facere in homicidam, & ipſum occidere, ſed hoc pertinere ad Magiſtratum, qui & ipſe præceps eſſe non debet in homicida condemnando, & pœnæ capitali ſubjiciendo, ſed adhibitis teſtibus, cauſſam diligenter cognoſcere. Quod ſi teſtes homicidii non poſſint haberi, cauſſam Deo eſſe relinquendam, rectè judicavit alius Paraphraſtes Jonathan. *Qui effuderit* (inquit) *ſanguinem hominis per teſtes, condemnabunt eum judices ad necem; & qui effuderit abſq; teſtibus, Dominus mundi olim vindictam ab eo ſumet in die judicii magni.*

Hunc locum, quia ſic explicatus, ſententiam Anabaptiſtarum & Socinianorum convellit, qui ſupplicia

omnia

omnia capitalia, præſertim inter Chriſtianos, abominantur; nec exiſtimant homicidæ ſanguinem, vel alterius cujuſvis ſcelerati, effundi poſſe à Magiſtratu; conantur etiam corrumpere, atque ejus vim eludere, præſertim Socinus, & gregales. Primò dicunt, hoc mandatum non eſſe Magiſtratui datum, ſed prædictionem tantùm eſſe pœnæ à Deo immediatè infligendæ, quod patere volunt ex præcedentibus, *ſanguinem animarum veſtrarum requiram, de manu cunctarum beſtiarum requiram eum, & de manu viri fratris ejus requiram animam hominis.* Sed vidimus, addi à Deo, quod *per hominem* ſanguis ejus ſit effundendus, quod de quovis homine privato intelligi non poteſt, ergò de eo qui publica autoritate pollet, ne inter homines introduceretur confuſio, & quivis ad vindictam privatam ferretur. Verum quidem eſt, non ſemper vindictam de facinoroſo ſumi per ordinarium judicium, ſed aliquando Deum immediatè homicidas punire. Eſt enim Dei judicium adverſus eos duplex, unum mediatum, & ordinarium, quod per Magiſtratum exercet, aliud immediatum, & extraordinarium, quod exercet per ſe ipſum.

Id ipſius textûs accurata conſideratio indicat: ſunt enim in eo quinque rationes cædis à Deo prohibitæ. 1. in qua eſt comminatio generalis: *requiram*, inquit, *ſanguinem veſtrum*, id eſt, homicidia vindicabo, quacunque ratione, & infallibiliter, ita ut reus ſupplicium non effugiat: 2. *requiram de manu cunctorum animalium*, ſic nec bruta impunè interficient hominem, nedum ut id homini liceat. Huc refertur lex Exod. 21. ℣. 29. ubi bos occidens hominem lapidibus obrui jubetur; ex quo ſatis conſtat, non tantùm de immediato, ſed etiam de mediato & publico judicio agi. 3. *de manu viri fratris requiram, &c.* id poteſt intelligi abſolutè & in genere, quavis ratione. Sed additur 4. modus ordinarius, *per hominem*, ut dictum eſt. Sequitur 5. ratio, *quia ad imaginem Dei factus eſt homo.* Imago Dei non poteſt impunè deſtrui, Deus enim ipſe læditur, in imagine ſua læſa; ergò ab homicidio, & deſtructione imaginis Dei abſtinendum eſt.

Poſſet autem hæc ratio duplici modo intelligi, vel ut referatur ad occiſum, qui cum fuiſſet ad Dei imaginem creatus, tali injuriâ affectus eſt, vel etiam ad hominem occiſorem, qui cùm habeat in ſe aliquas imaginis Dei reliquias, etiam in notitiis æqui & juſti, proinde noverit (ut ait Apoſtolus Rom. 1.) *qui talia facit dignum eſſe morte, non ſolum ea facit, ſed etiam facientibus patrocinatur.* Utrovis modo accipiamus, ſolida eſt ratio; ſed primo modo Deum id intellexiſſe, ex totius textus connexione patet.

Ex quo (ut id obiter dicamus) rectè colligitur in homine etiam peccatore, remanere imaginem Dei ex parte; nam cum in tribus conſiſtat, ut ſuo loco oſtendimus, 1. in ipſa eſſentia & facultatibus animæ: 2. in juſtitia & ſanctitate vera, animæ dotibus, & in dominatione, ſive præeminentia ſupra reliquas creaturas inferiores: amiſsâ parte illâ quæ juſtitiam & ſanctitatem veram ſpectat, manſit prior integra, eſſentia nempè animæ, & tertia, etſi imminuta: imò etſi quoad ſupernaturalia, homo irregenitus ſit planè ſpoliatus facultate ea operandi ex ſe, manent tamen communes notiones legis naturalis: & præterea, manet ſubjectum δεκτικὸν regenerationis, in quo eſt imago Dei, ratione ſanctitatis & juſtitiæ, ſaltem potentiâ paſſivâ, quam potentiam deſtruit, qui homini vitam tollit.

Non eſſe autem prædictionem ſimplicem ſine mandato, hoc loco, Deus ipſe oſtendit, dum in lege ſua poſteà diſertam addit ſui ſtatuti explicationem, Exod. 21. ℣. 12. ubi hanc legem ſancivit, *qui percutit hominem, ita ut moriatur, omninò morte plectitor.* Præterea ſi verba hæc, *fundetur ſanguis homicidæ per hominem*, nudam prædictionem continerent, falſum aliquid ſubeſſet, quia ſæpiùs non ſequitur id quod prædictum eſt, hoc eſt, homicidarum ſanguis non ſemper effunditur per hominem, ſed aliis modis ipſi trahuntur ad pœnam, vel in hac, vel in futura vita. Unde inferri debet, hæc verba intelligenda eſſe de mandato Magiſtratui dato, non de nuda prædictione eventus. Nec idem abſurdum ſequitur, ſi id ad Magiſtratum referatur, etſi id non ſemper fiat; manet enim obligatio rei ad pœnam, & obligatio Magiſtratûs ad eam inferendam, ſi reus ſit in ipſius poteſtate. Quod autem excipiunt Anabaptiſtæ, etiam ſanguinem Magiſtratûs eſſe fundendum, ſi ſanguinem fundat, eſt fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter; quia id non dicit Deus de quolibet, quovis modo ſanguinem fundente, ſed de eo qui id per privatam vindictam facit, contra expreſſum Dei mandatum. Eadem eſt ratio argumenti quod regerunt, ex eo quod ipſe homicida creatus eſt ad imaginem Dei, quæ ideò non debet aboleri: nam id tantùm ſequitur, non debere deſtrui contra mandatum Dei, ſed ſi ille jubeat, qui jus habet in imaginem ſuam, ei obtemperandum eſſe, & peccare Magiſtratum, qui in eo ſegnis eſt.

Exercitatio LX.

Fœdus ſecuritatis à Deo ſancitum contra univerſale diluvium aliud. Quomodo bruta fœdere comprehendantur? Signum fœderis quale? Arcus cœleſtis cauſſæ naturales. Ejus finis ex inſtituto. Vſus ſignorum. Sacramentorum nomen Ebræum oth berith. *Sacramenta eſſe ſigilla, probatur contra Bellarm. Quomodo Deo recordatio tribuatur? Iris qua res naturalis, non eſt ſignum diluvii non futuri. Ejus pro ſigno inſtituti documenta. An apparuerit ante diluvium? Affirmatur. Et objectioni reſpondetur. Iris in circuitu throni, Apoc.* IV. *verſ.* 3. *& in capite Angeli, Apoc.* X. *verſ.* I. *Significatio & ſenſus allegoricus.*

NArratur in ſequentibus fœdus ſecuritatis à Deo initum cum homine & reliquis animalibus, cujus ſubſtantia verſ. XI. repetitur, ſequentibus autem verſibus, uſque ad 17. incluſivè, inſtituitur à Deo ſignum, ut apud homines in perpetuum ſuam promiſſionem ratam faciat. In fœdere comprehenduntur, ℣. 8. Noachus & ſemen ejus, ℣. 9. omnis anima vivens, in volatili, in jumento, & in omni beſtia terræ. Promiſſio in qua ſubſtantia fœderis continetur, eſt, quod deinceps non excindetur omnis caro ab aquis diluvii. In fœderis objecto quæri poteſt, an animalia ſint fœderis capacia, quæ neque ſtipulari poſſunt, neque promittere. Ex ſuperioribus igitur id repetendum eſt, quemadmodum indirectè & propter hominem, animalia in partem pœnæ peccati venerant, ſic etiam indirectè & propter hominem, fructus fœderis illius de novo diluvio non immittendo, ad animalia pertinet: nec opus eſt ad tale fœdus, quod in libera Dei promiſſione conſiſtit, ut fiat à parte animalium ulla ſtipulatio, quæ ab ipſis non requiritur. Propterea nec etiam ſignum ſequens beſtiis datur, ſed hominibus qui poſſunt ſignorum ſignificationem percipere. Qui itaque propter hominem animalia fuerunt primùm creata, & propter eundem poſteà extincta; hinc eſt quod in ſecuritate adverſus diluvium in futuro, Deus cum hominibus, beſtias comprehendit.

Subſtantia fœderis, eſt de non excindenda iterùm omni carne per aquas diluvii, & non amplius per illud diſperdendâ terrâ. Quod ita intelligendum eſt, ut ad univerſale diluvium referatur, quale fuit primum illud. Alioqùin enim Deus non ſibi manus ligavit, quin poſſet, quotieſcunque id juſtitia ejus requireret, homines punire aquarum eluvionibus, quarum exempla multa in hiſtoriis reperiuntur, atque patrum noſtrorum memoriâ multis in locis acciderunt, quod etiamnum patet ex ruderibus & veſtigiis urbium & pagorum, aquis immerſorum. Sed promiſſio ſatis expreſſis verbis enunciatur, de *omni* carne non excindenda.

Huic promiſſioni & fœderi, addit Deus ſignum confirmatorium, ut certitudinem ejus mentibus hominum magis ac magis ingereret. זאת אות הברית *zoth oth habberith, hoc fœderis ſignum eſt*, ſcilicet, *quod ego do inter me & vos, &c.* Quibus verbis, habemus quale ſignum fuerit, aut potiùs ad quid relatum, nempè ad fœdus divinum. Quæ res autem à Deo fuerit in ſignum data, pluribus verbis explicat. Primò, rem ipſam abſolutè deſcribit, qua res eſt naturalis, ſed ab autore naturæ Deo effecta: *Arcum meum* נתתי nathatti, *dedi in nube.* Etſi enim verum ſit, præteritum apud Ebræos per futurum ſæpè poſſe verti, quod fecit hîc vetus interpres, non exiſtimo tamen mutandam eſſe ſignificationem præteriti, quod ſic accipio, *Arcum meum poſui in nube*, id eſt, vidiſtis, aut potuiſtis videre meteorum illud in nube, ego poſui illud, & meus eſt arcus. Sed hactenus non inſervivit ei uſui, cui eum deſtino; quia erit deinceps *ſignum fœderis inter me & inter terram.* verſ. 13. deſcribit arcus illius ſubjectum, & cauſſam efficientem primariam. Prima cauſa eſt ipſe Deus, qui obnubilat nubem ſuper terram: ſubjectum eſt ipſa nubes obnubilata, in qua fit impreſſio à radiis ſolaribus. Naturaliter enim fit arcus ex diſpoſitione nubium, earumque ad Solem oppoſitione, & radiorum ſolarium reflexione. Atque ita cauſſa efficiens ſecunda & proxima, ſunt radii luminarium tam Solis, quàm Lunæ refractione, Iridem facientes. Sed hoc loco agitur de Iride Solis. Habet autem hoc meteorum finem ſuum Phyſicum, ut nempè denotet pluviam, ſi ſerenitas præceſſit, ſerenitatem contrà, ſi pluvia, quarum rerum eſt ſignum naturale.

Sed illud poſteà Deus ad ſignificationem aliam transfert, quam non habet à natura, ſed ab inſtitutione, eaque divina. *Erit,* inquit, *ſignum fœderis.* Item ℣. 15. וזכרתי vezacarti, *Et recordabor fœderis mei, quod eſt inter me, & inter vos.* Quod idem repetit ℣. 16. *Arcus erit in nube, & illum videbo, ad recordandum* ברית עלם *fœderis ſeculi*, id eſt, perpetui, *inter Deum, & inter omnem animam viventem.* Iterùm ℣. 17. *Hoc erit ſignum fœderis, quod ſtatui inter me, & inter omnem carnem.*

Crebra autem illa repetitio, etſi variatis verbis, faciebat ad anxios hominum animos confirmandos, & roborandos. Sumus enim naturâ noſtrâ, diffidentiæ pleni, nec ullis, quantumvis magnificis atque iteratis, Dei promiſſionibus confirmari poſſumus; ideò tot repetitionibus utitur, ut torpor ille nobis excutiatur.

Hic

Hic autem multa conſideranda veniunt. Et 1. Vſus ſignorum divinitus inſtitutorum, ad promiſſiones ejus nobis confirmandas, præſertim ubi de ineundo fœdere agitur. Quod enim in hominibus uſitatum fuit, ut inter ſe fœdera ferientes, ſigno aliquo fidem darent & firmarent, id etiam voluit Deus uſurpare in hominum gratiam. Hic autem habemus nomen in lingua ſancta uſitatiſſimum & aptiſſimum, quo Sacramenta quæ in Eccleſia Deus inſtituit debent appellari, nempe אתת ברית *ototh berith*, ſigna fœderis; ſed talia ſigna, quæ ſint etiam *Sigilla*, quomodo per σφραγῖδα interpretatur illam vocem Apoſt. Rom. 4. ℣. 11. ex Geneſ. 17. verſ. 11.

Cum autem promiſſiones & fœdera divina aliquando reſpexerint ſtatum hujus præſentis vitæ; aliàs tamen, vitam ſpiritualem gratiæ & vitam gloriæ; Idcirco, etſi ſigna quæ in talibus fœderibus data fuerunt, in genere ſigni obſignatorii convenerint; non tamen in ſignata re, ſeu obſignata. Et quia fœdus gratiæ dicitur *fœdus* κατ' ἐξοχὴν, idcirco cum agimus de ſignis fœderis abſolutè dicti, quæ jam in Eccleſia Chriſtiana *Sacramenta* appellantur, non intelligimus alia ſigna ſacramentalia, quàm ea quæ fidem ſalutarem obſignant: quo ſenſu Iris, inter ſacramenta propriè dicta, referri non debet; quod ex eo patet, quod talis fuit promiſſio hoc ſigno obſignata, cujus etiam fructus ad animalia ratione carentia extenderetur.

Quæ tamen fuit ratio Iridis in obſignando hoc fœdere, eadem eſt ratio ſignorum fœderis gratiæ ſervatâ analogiâ; non ut ſigna efficiant id quod promittitur, ſed ut Deus per hæc ſigna teſtetur, & nos in eorum uſu credamus, ipſum effecturum, imò & efficere, quod promiſit. Unde veriſſimum eſt quod docemus, Sacramenta eſſe ſigilla, & obſignare promiſſiones Dei, quod etſi neget præfractè Bellarminus, idque in definitione noſtrorum maximè improbet, fatetur tamen, imò & contendit alius Ieſuita Gregorius de Valentia, lib. de efficac. Sacram. cap. 2. *Fatemur* (inquit) *Sacramenta novæ legis eſſe ſigna & ſigilla promiſſionis divinæ.* Et cap. 5. de Sacram. V. T. *fuerunt pignora & ſigilla quædam, quibus eſt obſignata & firmata apud homines divina promiſſio, cujus vi atque efficacia conferebatur etiam tunc gratia, propter paſſionem Chriſti futuram. Vt ſigillum Principis ſi dicamus contuliſſe aut exhibuiſſe alicui præfecturam urbis, aut aliud officium, quoniam literas & ſententiam Principis obſignavit, virtute cujus officium ejuſmodi eſt collatum.* Addit ibidem, *Nam negari non debet, quin per Sacramenta quæcumque, obſignetur quodammodo & firmetur apud homines divina promiſſio, ut etiam loquitur Catechiſmus Romanus.* Verba Catechiſmi ſunt, parte 2. cap. 1. ſect. 7. *Quemadmodum in Veteri Teſt. Deus fecerat, ut magni alicujus promiſſi conſtantiam ſignis teſtificaretur: ita etiam in nova lege Chriſtus Salvator noſter, cum nobis peccatorum veniam, cæleſtem gratiam, Sp. Sancti communicationem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis & ſenſibus ſubjecta inſtituit, quibus eum quaſi pignoribus obligatum habemus, atque ita fidelem in promiſſis futurum, dubitare nunquam poſſemus.* Bellarm. tamen, Præfat. in Tom. 4. *Obſignari promiſſiones nunquam legimus, niſi in Euangelio ſecundùm Lutherum.* Item, de Sacram. lib. 1. cap. 14. *Quod Sacramentum obſignet inſtar ſigilli promiſſionem gratiæ, ad excitandam & alendam fidem juſtificantem, falſum eſt & diligenter refutandum.* Sic ſuos etiam refutabit, qui id non eſſe negandum cenſuerunt. Certè Catechiſmus Romanus citato loco, vult inſtituta fuiſſe, *ut credendi tarditatem erigant.*

Id etiam nos confirmamus ex hoc loco, & ex Gen. 17. Nam quemadmodum arcus cæleſtis dicitur ſignum inter Deum & Noachum, ſic etiam circumciſio dicitur ſignum fœderis inter Deum & Abrahamum ac ipſius poſteros. Signa autem fuiſſe confirmantia & obſignantia, teſtantur verba inſtitutionis, *ſtabiliam fœdus meum vobiſcum.* Si autem in ſignis illis fœderis fuit ſigilli & confirmationis ratio, cur idem de omnibus ſacramentis dicendum non erit? Sic (ut diximus) inter homines fœdera ſigno aliquo externo ſanciebantur, ut porca cæsâ, vel dexteræ contactu, vel aliis hujuſmodi ſignis, quæ nihil fuiſſent, niſi præceſſiſſent verba pacti. Cur ergo non dicemus, Deum qui ſe hominum moribus in ea re voluit accommodare, in eum finem ſignis uſum fuiſſe? Bellarminus reſpondet, Iridem & circumciſionem fuiſſe tantum ſigna fœderis ad memoriam juvandam, non ad fidem confirmandam. Quaſi vero hæc contraria eſſent, & non potius conjuncta, ubi de promiſſionibus divinis agitur! Sic enim arcus cœleſtis exemp. grat. memoriam juvare debet, ut revocet nobis Dei promiſſionem, ac proinde fidem faciat, Deum non amplius terram diluvio immerſurum. Nam hæc promiſſio fuit hoc fœdus, quod fœdus ſtabilitum fuit hoc ſigno, *ſtabiliam fœdus meum vobiſcum.* Accipimus ergo quod dat Bellar. ſigna illa inſtituta fuiſſe ad juvandam memoriam; ſed docere debebat, cujus rei memoriam juvarent? Si dixiſſet arcum diluvii præteriti memoriam juvare; reſpondiſſemus non opus fuiſſe ut hoc in memoriam revocaret Noacho & filiis, qui oblviſci non poterant liberationis ſuæ, nec etiam poſteris alio opus fuiſſe memoriali, quàm hiſtoriarum monumentis, ſine quibus etiam ſignum illud non potuiſſet ipſis aliquid indicare. Si verò dixiſſet, memoriam promiſſionis divinæ hoc ſigno fuiſſe confirmatam, quod certè verum eſt, tum videbat nos habere quod petimus. Qui vult enim nos eſſe memores promiſſionum ſuarum, & in eam rem ſignum adhibet, vult ut in earum veritate fide confirmemur. Sic cùm fœdus cum Abrahamo & poſteritate ejus percuſſit, circumciſionem tanquam ſignum inſtituit, quo ita refricaretur fœderis memoria, ut fides promiſſionis confirmaretur, *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* Geneſ. 17. verſ. 7.

Ita apud Ezech. cap. 20. verſ. 11. dicit Deus, ſe dediſſe Sabbatha ſua, ut eſſent ſignum inter ſe & populum ſuum, ut ſcirent, ſe Jehovam ſanctificare ipſos; id eſt, ut ſuam confirmarent fidem de ſua ſanctificatione. Bellarminus vult Baptiſmum & Euchariſtiam eſſe ſigna *commemorativa* paſſionis Chriſti & mortis, negat autem eſſe *confirmativa*. Sed quid valeret memoria ſine fide? Certè Diaboli ſunt memores paſſionis Chriſti, cujus nullum fructum habent. Quod autem idem concedit, in pactis hominum id quidem intendi ut ſigna ſint non tantum commemorativa, ſed etiam confirmativa, ſed non in pactis Dei, quia non poteſt fallere, aut oblivíſci, ut homines; locum haberet ſi ex parte hominum nullus eſſet defectus, ut nullus eſt ex parte Dei. Aliàs eodem argumento poſſet evincere ſuperflua fuiſſe Dei *juramenta*, quia in ſimplici promiſſione non poteſt fallere. Reſpondemus igitur, etſi non poſſit Deus fallere aut oblivíſci, nos tamen eſſe ἀπίςυς, id eſt, incredulos & ſuſpicioſos, ideoque Deum promiſſionibus ſuis ſigna adjeciſſe confirmatoria. Sic hoc loco Deus non ſolùm promiſit ſe non deleturum mundum diluvio, ſed etiam ſignum adjunxit promiſſioni, arcum in nube. Sic Moſi ſigna dedit, confirmantia promiſſionem liberationis populi; Gedeoni in vellere, ut eum confirmaret in promiſſione de reportanda à Madianitis victoria. Iudic. 6. verſ. 32. Sic Ezechiæ dedit ſignum recuperandæ valetudinis in umbra horologii, 2. Reg. 20. verſ. 11. Imò Rex Achas juſſus eſt petere ſignum promiſſionis divinæ, Eſai. 7. verſ. 11. Deus itaque in talibus, non habet rationem ſui, ſed noſtri; nec qualis ſit in ſe conſiderat, ſed quales nos ſimus. Certè quale eſt verbum annexum ſigno, tale etiam eſt ſignum. At ipſe Bellarminus agnoſcit verba ſacramentorum eſſe aſſertoria, Ergo & ſigna. Quod autem eſt aſſertorium, id fidem exigit, eamque elicit & confirmat. Atque ita ſecum pugnat.

Quod diximus, Deum in ſignorum exhibitione rationem ſui non habere ſed noſtri, viam indicat ad quæſtionis ſolutionem quæ ex textu noſtro oritur, in quo verſ. 15. dicitur, quod Deus *cum arcum videret in nube recordaturus eſſet ſui fœderis*, & idem repetitur ℣. 16. quaſi Deus ut recordaretur promiſſionis ſuæ, opus haberet ſigno memoriali. At id non ſic intelligi debet. Sed dicitur Deus recordari promiſſionis ſuæ, tum quando eam effectibus declarat: Et præterea ſunt quædam actiones quæ Deo in ſe non competunt, ipſi tamen tribuuntur, quia eas efficit in nobis. Itaque recordari dicitur fœderis ſui, dum ſigno exhibito facit ut recordemur, & confidamus. Id ita hoc loco accipi debet.

Hanc, quam aſſeruimus, de ſignis, doctrinam, quod ſint promiſſionum Dei confirmativa, expreſſis verbis in hunc locum docet ipſe Ieſuita Pererius. *Deus,* inquit, *promiſſa ſua, variis ſignis externis ſolet confirmare, quo ſcilicet eorum fidem ac ſpem altius in hominum animis defigat. Et interdum quidem utitur ſignis naturalibus, uti hoc eſt ſignum Iridis; aliquando ſupernaturalibus, ut Gedeoni promiſſionem victoriæ confirmavit, ſigno velleris ac roris, &c.*

Quod autem dicit, Arcum fuiſſe naturale ſignum, id quidem Cajetanus Cardin. propriè intelligit, aitque non eſſe ſignum diluvii nunquam futuri, ſed tantum diluvii non tunc futuri, cum arcus apparebit; id eſt, ſignum eſſe non diſpoſiti aëris ad diluvium, quoniam, inquit, arcus cauſſatur ex victoria ſolis ſuper diſpoſitionem nubium ad immenſam pluviam, diluvium autem non cauſſatur, niſi interveniente tali diſpoſitione. Quo fit ut ſi arcus per omnes generationes appareat, ſignum ſemper habeatur naturale aëris ad diluvium non diſpoſiti. Addit, Ex hoc quod arcus ſignum naturale eſt deficientis unius cauſſæ ad diluvium requiſitæ, & ſecundùm curſum naturalem nulla generatio præterit ſine Iride, ſequi, quod diluvium univerſale non eſt naturale, ſed ex ſupernaturali cauſſa. Quæ poſtrema verba refellunt præcedentia, quibus Cajetanus voluit arcum hic proponi tanquam naturale ſignum diluvii non futuri. Nam cum Diluvium non à natura pendeat, ſed à voluntate divina, & ut ipſe loquitur, ſupernaturali cauſſa; ejus non futuri, nullum poteſt eſſe ſignum naturale, qua ſignum: Sed poteſt à Deo res naturalis in ſignum aſſumi, quod ex inſtituto divino, teſtetur de ejus firma voluntate, circa rem de qua agitur. Ita Deus non ſolùm Iridem, ſed rem aliam quamlibet potuiſſet aſſumere, ut inter homines ad ſignificandam agrorum diviſionem, vel truncus, vel lapis eligitur, ex voluntate & conventione eorum qui agros poſſident.

Ita Deus hoc ſignum inſtituit in memoriam & confirmationem promiſſi ſui, memoriam (inquam) & confirmationem, ratione noſtri. Idcirco Chryſoſt. Homil. 27. in Geneſ. illud *recordabor*, pro eo dictum interpretatur, quod *recordari vos faciam*, ut ſemper certi, ſemperque futuri ſitis, nullo tempore deinceps futurum diluvium. quam acceptionem verbi *recordandi*, etiam ſupra explicavimus.

Ex his colligimus, Iridem in cœlo quotieſcumque apparet, non debere à nobis tantùm contemplari, ut ejus naturales cauſſas exquiramus, & iis repertis acquieſcamus, aut oculos noſtros paſcamus mirabili colorum varietate qui apparent in arcu cœleſti, atque in ea delectemur; Sed præcipuè ut ſignum, non futuri amplius diluvii. Atque ita poſſimus recordari 1. juſtitiæ divinæ adverſus primi mundi iniquitates, quas adeò ſeverè ultus eſt Deus. 2. Confirmari in fide miſericordiæ divinæ erga patres noſtros & nos, quibus promiſſione & ſigno deinceps cavit, ne ſimilis diluvii metu percelleremur, & dubii hæreremus. In prima conſideratione humiliemur ſub potenti manu Dei, agnoſcentes ejus omnipotentiam, qua momento poteſt perdere quicquid ſe ejus voluntati opponit, atque ita in timore & tremore, ſalutem noſtram procuremus. In ſecunda, Ad miſericordiam Dei referentes quod non ſumus

mus conſumpti, quando mundi ingratitudo major eſt quam uſquam anteà, amemus benignum patrem, qui erga nos eſt longanimis, ut det locum pœnitentiæ noſtræ, non ad annos centum & viginti, ſed uſque ad mundi finem, cujus tamen cum incerta ſit hora, & brevi noſtra cujuſque immineat, ſerio, & non ſerius quam par ſit, ſed in tempore opportuno, ad ipſum nos conferamus, & ſtudia noſtra ad ejus gloriam omnia referamus.

Quæſtio agitata fuit, an Iris apparuerit iis ſeculis quæ diluvium præceſſerunt, an vero poſt diluvium tantùm Deus in nubibus arcum poſuerit? Quidam exiſtimarunt non anteà apparuiſſe, & fuiſſe rem planè novam; imò putarunt non fuiſſe pluvias ante diluvium. Illi autem ex eo argumentantur non fuiſſe ante diluvium, quia ſi fuiſſet ſignum non venturi diluvii, fuiſſet fallax ſignum, & poſteà fides ipſi à nobis non debuiſſet adhiberi. Sed certè, illud eſt contra naturalem curſum & ordinem naturæ, toto illo tempore quod præceſſit diluvium, videlicet per annos mille ſexcentos quinquaginta ſex, nullam fuiſſe pluviam, nec unquam apparuiſſe Iridem, cum poſt diluvium nullus elapſus ſit annus quo non apparuerit, & quidem ſæpiùs. Nec eorum objectio eſt alicujus momenti, niſi adverſus eos qui volunt arcum eſſe ſignum naturale non futuri iterum diluvii. Sed cum oſtenderimus eſſe ſignum voluntarium ex inſtituto divino ſignificans, inſtitutio autem facta fuerit poſt diluvium, etſi concedamus, imò affirmemus ſæpè anteà apparuiſſe, nulla erit conſequentia qua quis poſſit hoc tempore certitudinem ſigni infringere.

Alios ſenſus ſpirituales Iridis in cœlo apparentis à variis tum veteribus, tum recentioribus autoribus diſquiſitos, non moramur, etſi nonnulli ſint, qui planè non ſunt abſurdi, ſed tamen plerique ab iis circumſtantiis petiti, quæ ad Iridem, qua ſignum eſt, nullo modo faciunt. Sed negligendum non eſt, quod Ioan. Apoc. cap. 4. verſ. 3. ſcribit, *in circuitu throni fuiſſe iridem, aſpectu ſimilem ſmaragdo.* Et cap. 10. verſ. 1. *Se vidiſſe Angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, in cujus capite erat Iris, &c.* Quibus in locis deſcribitur Dominus noſter, in Throno ſuo ſedens, & ejus majeſtas, è cœlo comparentis. Iridis autem utrobique mentionem fieri, ut agnoſcamus Thronum Chriſti miſericordia eſſe circumdatum, eamque etiam in vultu ſuo præ ſe ferre, quando ſe ſuis manifeſtat: præſertim autem, in ipſius facie nos habere Iridem illam, qua certi ſumus, non ſolum aquas non amplius terram in univerſum inundaturas, ſed prætereà, & præſertim, non metuendum nobis eſſe iræ divinæ diluvium, quando Chriſtus patrem placavit, quem dum reſpicit Deus, recordatur miſericordiæ ſuæ, & promiſſionum quæ in ipſo ſunt etiam & amen. Apparet igitur coronatus Iride Chriſtus, tanquam gratiæ & pacis nuntius. Eſt enim *princeps pacis, & pax noſtra.* Eſai. 9. verſ. 6. Epheſ. 2. verſ. 14.

EXERCITATIO LXI.

Noachus agricola. Vir terræ, *Phraſi Ebræâ vinitor etiam agricola. An cultæ fuerint vites, & uſus vini cognitus ante diluvium? Argumenta affirmantium. Contraria negantium. De iis judicium, & controverſiæ conciliatio. Fabulæ Iudaicæ rejiciuntur. Gentilium etiam de Staphylo & Oeneo. An* Janus *fuerit Noachus, ſic dictus à* יין jajin, *vino? Quomodo plantæ conſervatæ fuerint in diluvio? Res vinitoria, & legitimus uſus vini Deo non diſplicent. Expenduntur Encratitarum, Manichæorum, & Turcarum de eo dogmata & inſtituta; & redarguuntur in bonam Dei creaturam convitia, diſtinguiturque uſus ab abuſu. Mahometis fabula. Hermolai Barbari iniquior in vinum declamatio. Reſpondetur objectionibus.*

A Verſu xx, uſque ad verſ. 24. recitat Moſes lapſum Noachi in ebrietatem, ejuſdemque calamitatem domeſticam in facto Chami, & ignominiæ quam patri intulit depulſionem per Semum & Japhetum. Occaſio lapſus præmittitur ℣. 20. ויחל נח איש האדמה, *vajjachel Noach, Iſch haadama*, qua phraſi indicatur Noachum, agricolam, cæpiſſe plantare vineam. Eſt enim *vir terræ*, qui in terra colenda occupatur. Ideò rectè vertit vulgata, *vir agricola*, & noſtra Gallica, *Laboureur de terre.* Sic phraſi Ebræa Pſal. 76. verſ. 6. *viri divitiarum*, dicuntur qui addicti ſunt divitiis, & 55. ℣. 24. *viri ſanguinum*, qui ſe dant crudelitati, & ſanguinis effuſioni. Illud autem ויחל *vajjachel*, & cœpit, non debet referri ad proximè ſequentia *Noach vir terræ*, quaſi Noachus primus cœpiſſet terram colere: Sed ad ſequentia, *Et plantavit vineam.* Eſt enim Phraſis Ebræa, cœpit & plantavit, id eſt cæpit plantare vineam. Non ſine cauſſa autem præmittit fuiſſe agricolam, quia vinetorum cultura ad agriculturam pertinet, cujus non eſt pars poſtrema. Matth. 21. verſ. 33. vinitores Chriſtus appellat γεωργούς.

Quamvis autem omnes vinitores ſint agricolæ, non tamen inde ſequitur, omnes agricolas eſſe vinitores. Quod ideò præmittimus, ne quis putet ideò ſequi Adamum vites coluiſſe, quia agriculturam exercuit. Quæ conſequentia etſi infirma ſit, aliis tamen rationibus innixi, nonnulli exiſtimarunt, quæ hîc recitantur de Noacho, non dici comparatè ad ea quæ acciderunt ante dilu-

diluvium. Sed tantùm ad ea quæ ſequuta ſunt. Proinde, Noachum quidem primum plantaſſe vineam poſt univerſalem illam terræ inundationem: Sed non ſequi non anteà fuiſſe vites, nec fuiſſe excultas, nec vini potu primos illos homines aut uſos fuiſſe aut etiam abuſos.

Quæ controverſia etiamſi talis non ſit, in qua non liceat ἐπέχειν, aut in utramvis partem ſentire, non erit tamen abs re ſi expendamus, quænam ſententia vel negativa vel affirmativa majoribus rationibus videatur innixa. Qui exiſtimant primis mundi temporibus unà cum agricultura vites etiam ad potum fuiſſe plantatas, has rationes afferunt. 1. Quod extra dubium ponendum ſit, vitem in prima creatione unà cum cæteris plantis à Deo fuiſſe conditam: cum autem inter alios fructus, vitis fructus fuerit præſtantiſſimus, vix eſſe ſimile vero, uſum præcipuum talis fruticis, tot ſeculis fuiſſe incognitum.

2. Chriſtus Matth. 24. verſ. 38. cum ſtudia primorum illorum mundi incolarum enumerat, oſtendit eos tempore diluvii immerſos fuiſſe voluptatibus, quarum inſtrumenta, ut in aliis, ſic etiam in cibo & potu conquiſiviſſe, par eſt credere. Aquæ autem tantum uſum habuiſſe vix credi poteſt, cujus potus non ad luxum & ebrietatem, ſed ad frugalitatem & ſobrietatem potius facit.

3. Pſal. 104. verſ. 15. In ſerie rerum à Deo in hominis uſum conditarum, etiam vini mentionem facit Propheta. *Producens fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum; ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo*, &c. Cum autem alia de quibus ibi meminit, communiſſima ad hominum uſum, fuerint ab initio, non negandum videri, etiam ab initio vini uſum fuiſſe inter homines.

4. Primi illi homines in ſanctorum poſteritate, ſacrificia Deo obtulerunt, ex animalibus & fructibus terræ. Solebant autem in Sacrificiis addi libamina ex vino. Et his quidem rationibus pugnant, qui exiſtimant vinum ab initio in uſu hominum fuiſſe, adduntque quod hoc loco Moſes plantationem vineæ tribuit Noacho, non de prima omnium origine intelligi debere, ſed tantum narrari, qua ratione poſt triſtem terræ deſolationem de victu ſibi ſuiſque Noachus primùm proſpicere cœperit, vinique mentionem factam fuiſſe ſpecialiter propter ebrietatis lapſum, & inſequutam in Chamum maledictionem.

Qui contra ſentiunt tum primùm vites coli cœpiſſe, in eum finem ut ex earum fructu potus pararetur, quando poſt diluvium Noachus terram colere cœpit, notant 1. Moſem ante diluvium nullam vini mentionem facere, & quamvis diligenter Caini poſterorum ſtudia & ἐπιτηδεύματα commemoret Geneſ. 4. nihil tamen dixiſſe de inventione, ſeu uſurpatione rei vinitoriæ.

2. Naturam hominum tum robuſtiorem & magis vegetam vini uſu non indiguiſſe, præſertim cum ante diluvium terra præberet cibos magis ſucculentos & ſalubres, cujus imminutionis jacturam, Deus vino conceſſo, voluit compenſare.

3. Addunt, pleroſque veteres fuiſſe in eadem ſententia, ducto maximè argumento, ab eo quod Noachus potu vini inebriatus eſt, tanquam inſueti, & cujus anteà vires non noverat, quo maximè argumento nituntur vel in elevanda ejus culpa, vel in eodem planè à peccato liberando, qua de re poſteà agendum erit. Certe Baſilius orat. 1. de Jejunio id tribuit τῇ τοῦ οἴνου ἀπειρίᾳ, ignorationi facultatis quæ in vino eſt.

Id conſtat apud utramque partem, vites ab initio fuiſſe, non quidem ſativas aut excultas, ſed quas ſponte terra produceret, quales adhuc videntur multis in locis, ubi terra & cœlum huic plantæ favent, quæ ſine hominis cultura fructum ferunt, etſi minus ſapidum: potuiſſe ergo tum homines uvas comedere, ſed modum exprimendi ex uvis vinum, illudque in uſum potus purificandi, tum innotuiſſe negant alii, alii affirmant.

Rationes ex utraque parte allatæ, ſunt tantum probabiles, Eſt enim quod poſſit reſponderi utrobique. Sed quia periculum non eſt erroris pernicioſi, non opus eſt in eo plurimum laborare. Nos, ut ſuprà, ubi actum eſt de eſu carnium, ſic etiam hoc loco utrique parti aliquid concedi poſſe putamus, & dici, uſum vini non fuiſſe communem & frequentem, neque vites fuiſſe tunc ita excultas, quo tempore terra non fuerat diluvio corrupta. Noachum primum excoluiſſe cum arte, & uſum vini ordinarium feciſſe. De primo, etſi dubitari poſſit, probabile tamen eſt: Secundum eſt certum & exploratum.

Vix certè fieri poteſt, ut Noachus in animum induxerit vineas plantare quæ ſedula cultura opus habent, niſi nota ipſi aliquomodo fuiſſet plantæ excellentia, & fructus ejus vis. Chryſoſtomus in hunc locum dicit Noachum, cum magna teneretur triſtitia, ſibi conſolationem inde quæſiviſſe, & allegat Sapientis dictum Proverb. cap. 13. *Date vinum iis qui in triſtitia, & ſiceram iis qui in dolore.* Sed ſi id reſpexiſſet Noachus, verum non eſſet, quod idem aſſerit, per ignorantiam fuiſſe ſupplantatum à vino. Ita non ſatis conveniunt, quæ vir ille magnus in eam ſententiam profert. Id negari non poteſt quod diximus, hoc præſertim ſuppoſito Noachum fuiſſe virum prudentem, non hoc ſuſcepiſſe niſi cognito uſu fructus, & viribus ejuſdem, ſaltem in genere. Nec id negant, qui uſum vini non putant antea notum fuiſſe. Qua igitur ratione id potuit cognoſcere, ſi caruit experientia?

Dicunt, cognitum fuiſſe ipſi fructum ex eſu, nō autem ex potu. Sed tamē videmus plantaſſe vineam, ut ex vite potionē exprimeret. Quare, neceſſarium eſt agnoſcere, eum vidiſſe, fructum illum ad eam rem eſſe aptum; Et, ſi anteà aquæ potu tantùm homines vitam ſuam ſuſtentaverant, deprehendiſſe poſteà non tantas eſſe plantarum vires, nec carnes commodè digeri poſſe cum

ſolo aquæ potu, & cogitaſſe apud ſe, de commoda aliqua potione, quæ coctionem juvaret, & plus roboris corpori præberet, vires decreſcentes foveret, &c. Ac licet ex aliis fructibus potus potuiſſet parari, aut etiam ut poſteà factum eſt, cereviſia ſive zythum ex frumentis, tamen in tanta rerum varietate animum potiùs ad uvas applicuiſſe, ob aliquam cauſſam ipſi notam, ſive experientiâ, quod plerique negant, ſive divinâ aliquâ inſpiratione; quam certè ab inventione tam utilis rei excludere nolim, vel in ea ſpecialem Dei providentiam non agnoſcere. Nihilominus cum non ſemper ad extraordinaria ſit recurrendum, ubi poteſt alia cauſſa reperiri, in eam ſententiam concederem, Deum quidem direxiſſe mentem ſervi ſui in ea re ſuſcipienda, ſed uſum fuiſſe mediis, quæ Noacho objecit, ut inde poſſet conjicere, quid ipſi & reliquo generi humano lucri, ex eo labore ſperandum eſſet.

Fabulas hìc Judaicas non moramur, de hirco quem Noachus miſerat in Corycum Ciliciæ montem, qui ibidem labruſcas comedens inebriatus eſt, & reliqua animantia cornibus petere cœpit. Quod cum Noach comperiſſet, agnitâ virtute labruſcæ, adductum fuiſſe ut vineam plantaret. Quam fabulam narrant Ethnici de Staphylo, capellarum Oenei paſtore, qui cum unam deprehendiſſet lætiorem cæteris, quam animadverterat uvam edentem, fructum Oeneo hero ſuo obtulit, qui expreſſo humore delectatus, cùm vetuſtate cognoſceret miteſcere, Libero patri appoſuit, quem acceperat hoſpitio, à quo didicit cultum vinearum, & ut perpetua inventorum eſſet gloria, viti, Staphyli nomen, vino, Oenei, indidit. Hæc commenta vanorum hominum, ex ignorantia veri procedunt, quod nos habemus in Scripturis certum, ſi cultorem primum ſpectemus poſt diluvium, etſi de occaſione non conſtet. Sed id novimus, Noachum multis ſæculis præceſſiſſe omnes illos, quibus Græcorum vanitas inventionem vini attribuit.

Vini ergò uſum Noacho tanquam Dei inſtrumento, quatenus factus eſt communis, præſertim poſt diluvium, attribuendum eſſe affirmamus: nam ſi concedamus aliquem fuiſſe uſum ante diluvium, non exiſtimamus tamen ſtudioſè elaboratum fuiſſe ex plantatione multarum vitium ſimul, ex qua componitur vinea. Hinc Beroſus voluit Noachum à veteribus Janum fuiſſe appellatum à vino, quod apud Ebræos dicitur יין *jajin*, voce non nimium abludente.

Sed quæſitum eſt, unde Noachus habuerit vitem quam plantaret? Quidam inter Judæos dicunt, Noachum in arca aliquot malleolos, aut vitis radices aſſervaſſe, ut finito diluvio, eas rurſus plantare poſſet. Id fieri potuiſſe non negamus, poſſunt enim ad multum tempus aſſervari. Sed factum fuiſſe ut credamus, obſtat, quod expreſſum fuerit à Moſe mandatum Dei de rebus quas volebat à Noacho in arca ſervari. De plantis autem nulla facta fuit mentio, nec etiam id in tanta varietate & copia potuiſſet fieri. Itaque præſtat dicere, terram adeo vaſtatam fuiſſe aquis diluvii, & plantas omnis generis ſub aquis illis tamdiu manentibus immerſas, eò uſque fuiſſe corruptas, ut tamen ſumma Dei providentia, in radicibus aliquam vim conſervaverit, & ſemina etiam ſub terra condiderit, ex quibus poſteà pullularunt plantæ, ex quarum ſtolonibus aliæ potuerunt multiplicari. Id de vite maximè dicimus quæ altas ſatis agit radices, ex quibus Noachus non ſolùm vites reſtituit, ſed etiam vineas inſtituit, & inventum utile experientia ſubinde auxit, donec ad perfectionem res perveniſſet. Non enim uno ſtatim & altero anno potuit omnia obſervare & noſcere, vel etiam uſurpare; ſed ratione duce, experientiâ magiſtrâ, tandem perfectam vitis culturam comparavit. Dies enim diem, annus annum, etiam in hac agricolationis parte docuit. Error uno anno admiſſus, ſubſequentibus corrigi poteſt, & damnum perpeſſum, cautiorem in poſterum reddit. Id enim uſu venit in uvarum expreſſione & collectione, adeò nihil eſt momento perfectum. In his omnibus Noachum fuiſſe à Deo confirmatum, & peculiari gubernatione ductum, ſtatuendum eſt, ut quæ neceſſe erant, melius videret, & commodius adornaret. Rectè igitur Lactantius de ea re agens lib. 1. cap. 18. *Reliquit hæc ſanè Deus humanis ingeniis eruenda, tamen fieri non poteſt quin ipſius ſint omnia: qui tribuit ſapientiam homini, ut inveniret, & illa ipſa quæ poſſent inveniri, primus invenit.*

Ex quibus apparet, cùm rem vinitoriam, tum legitimum vini uſum, Deo non diſplicere; cum habeant qui artem illam exercent, objectum quod à Deo pro ſuâ ſapientiâ & bonitate conditum eſt, idque in hunc ipſum finem, ut ex ejus cultura homo emolumentum percipiat. Pertinet enim vitis, ad lignum ferens fructum, quod terra protulit, Geneſ. 1. ℣. 12. quod vidit Deus eſſe bonum. Et inter ea quæ dedit Deus homini, nec vult Idolis tribui, enumerat, Oſeæ 2. ℣. 9. *vinum ſuum.* Et Pſalm. 104. ℣. 15. vinum inter quotidiana Dei beneficia, quibus hæc vita noſtra carere non poteſt, commemorat. *Producens* (inquit) *fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum, ut educas panem è terra, & vinum quod lætificat cor hominis.* Jerem. 31. ℣. 12. *Confluent ad bona Domini, ſuper frumento, vino, & oleo.*

Unde refellitur *Encratitarum*, qui ex ſchola Tatiani prodierunt, & qui eos poſtea æmulati ſunt, *Severianorum* pernicioſus error, qui hanc ſaluberrimam plantam ſuis inſectationibus calumniati ſunt. Dixerunt enim vinum eſſe quiddam βδέλυκτὸν, abominabile & diabolicum; omneſque vino utentes, ἀνόμους eſſe καὶ ἁμαρτωλοὺς, legis tranſgreſſores, & peccatores, quibuſcum pii nihil debeant habere commercii: vitem enim non à Deo, ſed à ſerpente, ſeu diabolo, terræ commixto productam eſſe, illudque *draconis in vino venenum*, in cauſſa eſſe, cur mens hominis multipliciter turbata,

turbata, jam ad libidines, jam ad iram, jam ad inſaniam, jam ad alia mala propendeat, & extimuletur. Et ad hæc quidem exempla ex ſacris literis colligunt, de Noacho, Lotho, & aliis, inter quæ, ut Hieron. teſtatur, urgent illud Amos 2. ℣. 12. ubi arguuntur, qui Nazaræis vinum præbebant. Iſti autem ſe *Encratitas*, id eſt, *continentes*, appellarunt, qui ſcilicet toto vitæ inſtituto ἐγκράτειαν, inſtar Nazaræorum ſectarentur, & à conjugio, à carnibus, à vino, cæteriſque omnibus abſtinerent, quæ vitioſis cupiditatibus, vel aliis malis actionibus, cauſam dare ſoleant. Et quidem talia ab eo viro prodita fuerunt initio, qui in caſtris Eccleſiæ militavit, diſcipulo Ignatii Martyris, Tatiano, cætera non indocto, ſed quem abripuit ſanctitatis extraordinariæ præſumptio, qua etiam Diabolus abutitur, ut homines præcipitet.

Tatianum ſequuti Manichæi, circa annum ſalutis 280. inter prodigioſos alios errores, etiam vitibus & vino detraxerunt. *Vinum* (inquit Auguſtinus ad QuodvultDeum) *non bibunt, dicentes fel eſſe Principis tenebrarum, cum veſcantur uvis, nec mulſi aliquid, vel recentiſſimi ſorbeant.* Addit, eos *accuſare dementes, agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tanquam ream plurimorum homicidiorum, quia putant herbas atque arbores ita vivere, ut ſentire credant, & dolere cum læduntur: arbitrantur autem ſuis auditoribus ignoſci talia homicidia, quia inde præbent alimenta electis ſuis, &c.* Hos autem furores in libro de moribus Manich. cap. 13. & 14. tradit, nonnullis ſacræ Scripturæ locis defendere voluiſſe, inter quæ eſt illud Apoſtoli, *Bonum eſt vinum non bibere, &c.*

Nolim in eodem ordine collocare Chriſtianos nonnullos, qui exercendi ingenii gratiâ adverſus vinum declamantes, multa collegerunt quæ Manichæis favere videntur, inter quos ſtylum ſuum exercuit Hermolaus Barbarus, qui laudatâ naturæ providentiâ, quæ nobis de tantâ aquarum copiâ proſpexerat, in vinum poſteà invehitur, quia quicquam non eſt unde plus flagitiorum & ſcelerum ſit: nam quod (inquit) pes & lingua nutent, quod furimus, quod mente movemur, quod unus omnium animantium homo libidini & rei venereæ ſemper indulgeat, vino acceptum ferre par eſt. Jam aſſiduos morbos, repentinas mortes, & venena epota, cui verius adſcribuntur? &c. In quibus & aliis, quæ idem congerit, vel ex ebrietatis odio, vel exercendi ſtyli gratiâ, notandæ ſunt regulæ, quibus etiam ſolvuntur Encratitarum objectiones; Abuſum rei non tollere ejus ſubſtantiam, nec valere argumentum ab eo quod ineſt per ſe, ad id quod per accidens advenit, proinde quæ congeruntur mala, aſcribenda eſſe hominum libidini & intemperantiæ, non bonæ Dei creaturæ.

Mahumetes Azoara 3. & 13. Alcorani, vinum bibere prohibet, & graviſſimum eſſe peccatum aſſerit. Quod etiam Angelis duobus olim genus humanum judicantibus prohibitum fuiſſe fabulatur; qui tamen, cùm tranſgreſſi fuerint præceptum, à fœmina quadam pulchra faſcinati, inebriati in eandem exarſerunt, quæ ea lege in eorum deſiderium conſenſit, ut ab iis ediſceret viam qua aſcendebant ad cœlum, quâ indicatâ, cùm illa aſcendiſſet, à Deo conſtituta eſt, ut eſſet ſtella Lucifer, illi verò cœlo expulſi, ſupplicio fuerunt addicti. Hæc ſcilicet cauſſa fuit gravis, cur Mahumetes vinum ſuis cultoribus prohibuerit; ut mirum ſit, ſi Hermolaus ſeriò dixerit, *innocentiùs Chriſtianis Mahomethea ſecta homines in hac parte agere, qui vino penitus ex lege abſtinent.*

Hoc ſi verum eſſet, prudentior Moyſe fuiſſet Mahometes, imò ipſo potiùs Deo, qui non tantùm vino ſuis non interdicit, ſed in regionem vitibus abundantem ſuum populum traduxit, vineas colere juſſit, totamque rem vinitoriam æquiſſimis legibus munivit. Si vinum vel naturâ ſuâ malum eſſet, vel per ſe perницioſum, nunquam Salvator vertiſſet aquam in vinum, neque initium ſignorum illius fuiſſet vinum ex aqua factum. Si vinum bibere non liceret, non præcepiſſet idem miniſtrantibus in nuptiarum convivio, ut ferrent vinum architriclino, Joan. 2. ℣. 8. nec ipſe, cum diſcipulis cœnans, vinum bibiſſet, aut aliis bibendum præbuiſſet; nec rem deteſtandam in ſanguinis ſui ſacramentum conſecraſſet, aut eos idem facere in ipſius memoriam juſſiſſet. Non Paulus præſcripſiſſet Timotheo, ut aquam non biberet, ſed modico vino propter ſtomachum uteretur, niſi & naturâ bonum fuiſſet, & moderato uſu ſalubre.

Quæ in contrarium afferuntur argumenta omnia ad fallaciam accidentis referri debent, quia non vini uſus, ſed intemperantia culpatur, quæ in aliis omnibus rebus prohibetur, quia nihil eſt; etiam inter res optimas, quo non poſſit humana libido abuti. Non Apoſtolus, Rom. 14. ℣. 21. dicit, *Bonum eſſe vinum non bibere,* abſolutè, ſed *bonum eſſe carnem non edere, vel vinum non bibere, neque quicquam facere in quo frater impingit aut offenditur.* Rectè igitur reſpondet Auguſtinus Manich. lib. de moribus Manich. cap. 14. neminem noſtrûm id bonum negare, ſed eo quem intellexit fine. *Eo enim tempore* (inquit) *quo hæc ſcribebat Apoſtolus, multa immolatitia caro in macello vendebatur. Et quia vino etiam libabatur Diis gentium, multi fratres infirmiores, qui etiam rebus his venalibus utebantur, penitùs à carnibus ſe ac vino cohibere maluerunt, quàm vel neſcientes, incidere in eam, quam putabant cum idolis communicationem. Propter hos autem, etiam ii qui firmiores erant, & hæc majori fide contemnenda judicarunt, ſcientes nihil immundum eſſe niſi per malam conſcientiam, tenenteſque illam Domini ſententiam; non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit, tamen propter hos infirmiores, ne offenderentur, ab his rebus abſtinere debebant. Neque hoc ſuſpicione colligitur, ſed in ipſis Apoſtoli verbis manifeſtè invenitur.*

venitur. Hæc ille doctè & verè, quæ pluribus ibidem perſequitur. Alibi idem ex Scriptura vini commoda celebrat ad ſacras virg. cap. I. *Vinum* (inquit) *triſtitiam removet, omnes animi languores delet, lætitiam infundit, &c.* nempè ὀλιγάκις, μετρίως, καὶ ἐπισταμένως ſumptum.

Conſtat itaque, neque impiam, neque Chriſtiano homine indignam dici poſſe eam agriculturæ partem, quam Noachus exercuit, nec Deo tunc diſplicuiſſe, neque jam diſplicere eum victûs quærendi modum; nec fructum inde perceptum rejici debere, ſed in uſum noſtrum, cum gratiarum actione converti.

EXERCITATIO LXII.

Inebriari *aliquando phraſi Ebræa in vitio non eſt. Noachus inebriatus rationis uſum amiſit, adeò ut eum non puderet nuditatis. An peccaverit in eo. Affirmat Chryſoſtomus. Negant alii, quorum rationes afferuntur. Quorundam allegoriæ. Fr. Georgii commentum arguitur. Prudenter à Chryſoſtomo minuitur Noachi peccatum. A quo tamen non planè excuſatur. Cur Moſes pudendi illius actus meminerit? Scriptura pudicè de pudendis rebus loquitur. Chami impudentia & malitia.* Verenda patris detegere, *proverb. Pſeudoberoſi Anniani fabula, & Græcorum de Saturno. Deus impietate Chami benè uſus. Semi & Iapheti laudabile factum. Quomodo circa errantes majores eorum exemplo utendum. Canoniſtarum circa clericorum vitia conniventia. In filiis Noachi iterata diſtinctio filiorum Dei, & filiorum hominum.*

SEquitur ℣. 21. *Et bibit de vino, & inebriatus eſt, & diſcooperuit ſe in medio ſui tabernaculi ſui.* וישכר *vajjiſchar, & inebriatus eſt.* Verbum hoc accipi in lingua ſancta aliquando non in vitio, pro ſitim explere & largiùs bibere, certum eſt. Sed hoc loco hoc ſenſu intelligi non debere, ex eo patet quod ſequitur, quod Noachus in tabernaculo ſuo ſe denudavit, quæ ideò referuntur, ut pateat amiſiſſe tum rationis uſum per temulentiam. Nam verbum ויתגל *jithgal*, activum eſt, & verti debet, *nudavit*, vel *diſcooperuit ſe*, etſi LXX paſſivè ſint interpretati, non ἐγύμνωσεν ἑαυτὸν, ſed ἐγυμνώθη, *nudatus eſt.* Propterea non eſt nudatio, quæ debeat attribui naturali motui dormientis, aut caſui, alioquin enim non opus fuiſſet præmittere illum fuiſſe inebriatum. *Sanctus Patriarcha*, inquit Calvinus, *inſigne frugalitatis & temperantiæ exemplar, turpem ac pudendum in modum ſui oblitus, nudum ſe in terram projecit.* Huic dicto objicit Marius, *quod plusquam caſualem nudationem indicet, animumque honeſtatis omnis immemorem, etiam extra ſomnum.* Et id quidem verum eſt. Sed omnes Patres, qui veram ebrietatem in eo agnoſcunt, quatenus juncta eſt cum privatione actûs rationis, non aliter id potuerunt intelligere; tum enim animus eſt omnis honeſtatis immemor, ſive vigilantis, ſive dormientis ebrii hominis. Id in Noacho agnoſcit Pererius cum Calvino, ſic enim ille; *Ne putaret quiſpiam vocabulo ebrietatis, ſignificari hoc loco, ut ſæpè aliàs in ſacris literis, largam ac copioſam vini potationem, quæ hilaritatem afferat, non auferat mentem, nec rationis ac ſenſuum integritatem lædat, protinus adjecit, & nudatus eſt in tabernaculo ſuo, HAUD dubiè indicans, tali Noë fuiſſe oppreſſum ebrietate, ut mentis compos non eſſet, & idcircò ſuæ ipſum nuditatis ac turpitudinis minimè puderet.* Hæc ille. Id etiam manifeſtè indicant verba verſ. 24. *Et expergefactus eſt Noë à vino.* Significat enim hac phraſi, vino fuiſſe obrutum in ſomno; & Chryſoſtomus, *Quid eſt autem evigilavit? Id quod nos dicere ſolemus de mente captis, ſi quando in exceſſu fiant, vel ſi quis ſibi reſtituatur, qui à Dæmone vexatus, & ab illius tyrannide liberatur; hoc & hîc dicit Scriptura. Verè enim ebrietas voluntarius eſt Dæmon, &c.* Conſtat igitur Noachum in eam ebrietatem incidiſſe, quæ ei rationis uſum abſtulit.

Sed quæritur, an in Noacho actus hic ebrietatis peccati rationem habuerit? Certè Chryſoſtomus, qui exiſtimavit Noachum incidiſſe in eum ſtatum per ignorantiam, dicit Scripturam non adumbrare propter gratiam juſtorum peccata, τὰ ἁμαρτήματα. Addit poſteà de Noacho, *peccatum quod caſu evenit, obtegere & obumbrare potuiſſe bonis operibus,* τὸ συμβὰν ἁμάρτημα, ubi diſertè peccatum appellat. Dixerat anteà, *ſi fuiſſet negligentiæ, oportebat iterùm eodem peccato capi.*

Nihilominus Pontificiorum Doctores, eum excuſant planè à peccato, etiam qui concedunt eum ex potu fuiſſe mente alienatum. Tunc enim, dicunt, peccatum eſt ebrietas, cum voluntaria eſt. Voluntariam autem intelligunt non per ſe, ſed in cauſſa ipſius. Alioquin enim agnoſcunt ebrietatem nemini per ſe eſſe optabilem, ſed immoderatum vini potum, qui cauſſa ebrietatis eſt, per ſe optatum & electum eſſe. Præoptant enim, qui vino indulgent, brevi illa bibendi dulcedine & voluptate frui, quàm ebrietatis malo vacare. Ebrietatem verò Noachi fuiſſe involuntariam ex eo probant; 1. quod vini potentiam ignorabat, quam anteà nunquam erat expertus, nec eam ab iis qui bibiſſent, cognitam habebat. 2. quia per ſexcentos annos aſſueverat potui aquæ, ideò primus vini potus inſuetus,

cum

eum à mente deturbavit. 3. Quia largius bibit, ignarus debitæ menſuræ. 4. Quia ætas ejus ingraveſcens, id minus ferre potuit. Seniores enim, ut ex Ariſt. ratiocinatur Irenæus, inebriantur citiſſimè, ob paucitatem & debilitatem caloris inſiti, qui facilè vincitur ab eo qui accedit ex vino. 5. Quia ignorabat vinum debere aquâ dilui, quod veteres per ænigma ſignificarunt, dicentes Nymphas fuiſſe altrices Bacchi. Et ita ratiocinatur Theodoret. Quæſt. 65. in Geneſ. *Ab inexperientia profecta eſt ebrietas Noë, non ab intemperantia: Nam ille primus hominum, compreſſis uvis, ignorans non ſolùm quantum eſſet bibendum, ſed etiam quomodo, nempe aqua temperatum, incidit in ebrietatem.*

Quidam, ut autor Gloſſæ Strabus, & qui nomine Eucherii circumfertur commentator in Geneſim, omnia in allegoriam transferunt, & Chriſtum in cruce inebriatum vino charitatis, à Judæis denudatum & irriſum, in Noachi ebrietate vident. Alius Franciſcus Georgius Tom. 1. Prob. 101. hiſtoriæ veritatem alia ratione ſubvertit, Noachum non fuiſſe inebriatum ex vino vitis quam plantaverat, quia ex pura vini ebrietate tot mala ſequuta non fuiſſent; ſed ebrium fuiſſe vel nimia ſuorum affectione, vel ex ſapientia rerum terrenarum, pleriſque in locis per vinum deſignata, hanc enim proſequentes uſque adeo abeunt à Deo, ut multoties in ſcandalū ruant. Hic Noacho tribuit peccatum, ſed alterius generis quam illud, quod ex ebrietate contrahitur. Sed talia refutatione nō indigent. Quæ adferuntur rationes ut hoc ipſius factum excuſetur ab omni peccati macula, non ſufficiunt. Sed cum Chryſoſt. eas eo uſq; admittimus ut excuſetur à tanto, ſeu à gravitate. *Multa ſunt*, inquit, *quæ eum venia dignum declarant*, paulo poſt, πολλὰ γὰρ ἦν τὰ τὴν συγγνώμην αὐτῷ παρέχοντα, id eſt, quæ ipſi veniam afferunt, aut exhibent. Nō eſt neceſſaria venia, ubi nulla eſt culpa. Addit, *quæ non dico, quaſi ebrietatem ipſius excuſaturus*, nempe planè & à toto. Adfert autem hanc rationem, *cum primis quod non in id vitii poſteà relapſus eſt, id quod maximum fuit indicium, quod non negligentia, ſed ignorantia prius deliquit. Alioquin oportuiſſet iterum eodem peccato capi, quod non evenit, quod Scriptura non obticuiſſet*, &c. Certum eſt non contraxiſſe habitum, qui in unicum ebrietatis actum incidit, fuiſſe quidem ebrium, ſed non fuiſſe ebrioſum. Piè igitur afferri omnia quæ dicta ſunt ad peccati aliquam excuſationem, agnoſcimus; ſed ad plenam abſolutionem ſufficere negamus; Cum illi ipſi qui argumentis talibus utuntur, admittant in Noacho *imprudentiam*. Et certè, quicquid ſit, de uſu vini anteà, qui vineam plantaverat & coluerat, non planè potuit eſſe inexpertus efficaciæ fructus illius: Et qui tot annos vixerat, debuit ea eſſe prudentia ne potum ſumeret intemperantius, præſertim non aſſuetum. Par eſt credere, eum guſtus ſuavitate fuiſſe allectum, quod ſine vitio non fuit. Sed non fuit lapſus malitiæ, qui fuit infirmitatis, lapſus tamen, & vitium: quod qui negant fortaſſe non vident, quomodo cum peccato conſiſtere poſſit teſtimonium Noacho datum cap. 6. ℣. 9. *fuit vir juſtus & perfectus in generationibus ſuis.* Quia non norunt quænam ſit vera piorum omnium juſtitia, quæ non in perfectione virtutum, ſed in remiſſione peccatorum conſiſtit, qui ideò petunt, *ne Deus intret in judicium cum ſervis ſuis.*

Quamvis autem excuſabilis fuerit Noachi ebrietas ob rationes allatas, tamen obſervatione dignum eſt, etiamſi careat crimine in aliquo, magnum eſſe malum, quod non caret damno corporis, vel rei familiaris, vel famæ ſuæ, vel alienæ. Jacebat Noachus vir alioqui ſanctus, proſtratus humi, fœdiſſima corporis nuditate, ſimiliſque amenti, nec ab alienis, ſed à proprio filio irriſus. Quod ſanè horrendum ſpectaculum Spiritus S. nobis propoſuit, ut ab immoderato vini uſu omnes deterreret, qui temulenti nollent committere, quorum poſteà ſobrios pigeat & pudeat.

Cum autem in eo Noachi facto, errorem imprudentiæ omnes agnoſcant, quod etiam in ſuis conſequentiis probrum quoddam & dedecus famæ ejus continet, non ſine cauſſa quæritur, cur id Moſes memoriæ prodere, & literis ſemper manſuris conſignatum commendare immortalitati voluerit? Ad quam quæſt. reſpondetur. I. In hac narratione & ſimilibus, in quibus ne ſuas quidem & familiæ ſuæ infirmitates tacuit, apparere Scripturæ Sacræ ſimplicitatem & ſinceritatem, quæ nihil diſſimulat, ſed omnia mala æque atque bona, bona fide & incorruptè narrat. II. *Neque propter invidiam* (ait in hanc hiſtoriam Chryſoſt.) *juſtorum virtutes præterit, neque propter gratiam peccata adumbrat, ſed omnia in medium nobis proponit, ut præſcripta & doctrinas quaſdam habeamus, ut ſi quando etiam nos per ſocordiam in id vitii inciderimus, cautiores ſimus poſteà, & denuo non incidamus.* Scribuntur itaque talia in exemplum & documentum eorum qui lecturi erant, ut vitia & mala, in quæ ſanctiſſimos & ſapientiſſimos viderent eſſe prolapſos, tanto majore ſtudio caverent, ne & in eadem ipſi inciderent. III. Ut doceret quantum ſit periculum in abuſu vini aut potus inebriantis, vel per intemperantiam vel imprudentiam. Ebrietas enim eſt multorum malorum parens & altrix. Præcipuus denique Moſis ſcopus in hac narratione fuit, Iſraëlitis indicare originem maledictionis gentis Chananeæ, cujus terram Deus Abrahamo & aliis Patriarchis addixerat, eoſque in fide promiſſionis illius confirmare, utpote qui noſſent progeniem Chanaan à Deo fuiſſe maledictam.

Habet autem hoc Scriptura in narrationibus ſuis, etiam de rebus pudendis, ut pudicè & caſtè ſemper loquatur, quod in pleriſque ejus phraſibus quæ ad eas res ſpectant, obſervari poteſt. Hoc loco & alibi, quid ſub nomine ערוה *ervah* intelligat, ſatis notum eſt. Nuditatem communi verbo appellat eas partes quæ honeſtè proprio nominari non poſſunt: & quarum etiam potiſſimum ratione, erubuerunt primi parentes noſtri,

cum

cum poſt peccatum viderent ſe eſſe nudos: propterea primùm illas tegere conati ſunt, conſutis foliis ficuum, ut dictum eſt ſuo loco. In eo erat ſtatu bonus ſenex, ut verecundia non tangeretur, partibus illis denudatis.

Verſ.22. *Et vidit Cham, pater Chenaan, turpitudinem patris ſui*, ad verbum, *nuditatem*, *& nunciavit duobus ſuis fratribus in platea.*

Hoc verſu narratur factum Chami, ob quod maledictioni cum poſteritate ejus obnoxius factus eſt. De Acteone narrat poëta, quod *Inſcius viderit ſine veſte Dianam,*

Præda ſuis canibus nec minus ille fuit.

Si tale quid accidiſſet inſcio Chamo, ſi oculos ab hoc ſpectaculo ipſi imprudenti objecto avertiſſet, nihil eſſet in eo quod ipſi ad culpam imputaretur. Sed illud וירא *& vidit*, præſertim junctum ſequentibus, indicat aſpectum impudentem, irreverentem, & planè voluntarium, quo ad videndum ſubſiſtens, ſciens & volens oculos ſuos hoc ſpectaculo pavit, otioſè & attentè ſpectans, atque adeò impudenter irridens.

Non eſt otioſum quod inſeritur, Cham fuiſſe *patrem Canaan*, ſive Canaan ſumatur propriè pro ipſo ejus filio, ſeu patronymicè pro poſteritate Canaani. Nam quia Iſraëlitis primo hæc ſcribebantur, quorum Chananæi erant hoſtes, intererat eos noſſe, ex quo originem ducerent. Hoc etiam ideò fuit additum, quia Noachi maledictio directè fertur adverſus Chanaan.

Quod addit Moſes, illum nuntiaſſe quod viderat duobus fratribus ſuis, eſt etiam mali animi indicium, nec alia intentione refertur, quam ut exaggeretur ejus peccatum. Cum enim paviſſet oculos ſuos hoc turpi ſpectaculo, & Patri illuſiſſet, voluit etiam eum apud fratres ſuos in contemptum adducere, eoſque ad ſimilem impudentiam ſtimulare, & ad patris irriſionem provocare. Quæ non potuerunt proficiſci, niſi ab odio vel contemptu jam concepto de ſuo parente, à mala proinde mente, & malo animo. Probabile eſt, fuiſſe ſæpiùs à patre reprehenſum, & jam occaſione data, voluiſſe ei inſultare, & vitia ſua tegere, patris infirmitatem propalando. Ideò Ambroſius, lib. de Noë & Arca, cap. 30. *Omnis* (inquit) *improbus quia ipſe devius diſciplinæ eſt, aliorum lapſus non ſolum pro ſui erroris ſolatio accipit, quod conſortes invenerit culpæ, verum etiam improbo lætatur affectu, tanquam ſua ipſe delicta correxerit.*

Hinc natum eſt proverbium, *verenda patris detegere*, de iis qui degeneres, & immemores naturæ legum & honeſtatis, parentum, præceptorum, magiſtratuum ſuorum, &c. vitia & lapſus traducunt, & benefactoribus ſuis malam referunt gratiam; quod ingrati animi vitium, omnibus ſeculis multa habuit exempla, & noſtro hoc tempore frequens eſt.

Nugatur multa Pſeudoberoſus Annianus, de arte magica Chami, qua nactus oportunitatem, cum videret patrem nudum jacentem, ejus virilia contrectans, carminibus magicis ſubmurmuratis, eum ſterilem, non ſecus ac ſi caſtratus fuiſſet effecit. Sed hæc fabulamenta, nullo autore fide digno nituntur. Videtur tamen inde ortum habuiſſe fabula de Saturno in Græcorum fabulis, Deorum Patre, cui ebrio filium abſcidiſſe genitalia mentiuntur. Etſi Lactantius lib. 1. cap. 12. contra, Saturnum patri cœlo abſcidiſſe genitalia, ex eorum ſcriptis memoret.

Impius fuit Cham, ſed juſtus fuit Deus, qui Chami impietate benè uſus, peccatum ebrietatis hoc facto profani hominis caſtigare voluit in Noacho, & in aliis exemplo: atque ita nequitiam filii, in pœnam paterni peccati juſtè convertit. Sed etiam in emendationem & præcautionem, qui non poſteà relapſus eſt in idem vitium, ut benè notat Chryſoſtomus.

At impius ille fratres ſuos in eandem culpam non pertraxit, qui contrà paternæ reverentiæ ac pietatis officio ducti, caſtiſſimi animi, & laudatiſſimi pudoris exemplum memorabile præbuerunt. De iis enim dicitur ℣.23. *Et tulit Sem & Japhet veſtimentum, & poſuerunt ſuper humerum ſuum ipſi ambo, & iverunt retrorſum, & operuerunt turpitudinem patris ſui, & eorum facies erat retrorſum, & turpitudinem patris ſui non viderunt.* Quibus verbis indicantur autores facti, factum ipſum, & modus. Autores ſunt Sem & Iaphet: factum, quod operuerunt pallio turpitudinem patris: modus, quod id fecerunt averſa facie. Qui modus merito à Moſe memoratus eſt, quia non parum facit ad laudem facti, quum alioqui ſi imprudenter aut impudenter factum fuiſſet, non parum amiſiſſet laudis ſuæ. Sed circumſtantias omnes obſervarunt, quæ neceſſariæ fuerunt ad pietatem & honeſtatem. Illi igitur praxi ſua docuerunt, quid eſſet *honorare Patrem*, quod præceptum in lege Deus, adhibita promiſſione inculcat.

Erudiamur hinc, inquit Chryſoſt. & ex utriſque lucri faciamus aliquid: & hos quidem imitemur, illius autem mores fugiamus. Nam qui ſenſibilem nuditatem evulgavit, maledicto ſe fecit obnoxium, & excidit ab honore quem parem habuit cum fratribus, condemnatus ut illis ſerviret, &c. Quid patientur qui peccata fratrum evulgant, & non ſolùm non contegunt & excuſant, ſed magis ea faciunt manifeſta, multaque ex hoc operantur peccata? Quando enim manifeſtas patris peccatum, non illum tantum ignominioſiorem effeciſti, & ſegniorem fortè ad virtutis viam: Sed & eos qui audiunt facis negligentiores, neque etiam hoc ſolùm, ſed & Deum blaſphemari facis, &c. Huc referenda ἐπιείκεια quam Paulus commendat, Galat.6. ℣.1. *Si quis occupatus fuerit in aliqua offenſa, vos ſpirituales, inſtaurate ejuſmodi hominem, cum ſpiritu manſuetudinis.*

Non tamen ex hoc facto ſequitur, ubi peccata ſunt publica, quibus Deus blaſphematur, errores obtruduntur, Idololatria omnis generis, autoritate eorum qui ſe patres & paſtores dicunt fulta, commendatur & vires

vires acquirit, ſilendum eſſe, vel eam eſſe obtegendam, ne videamur Chamum imitari. Quo exemplo abutuntur, qui illud applicant piis viris, qui Zelo Dei ducti & ſalutis animarum, larvam Pontifici Romano detraxerunt, ejuſque fraudes, mendacia, & idololatriam detexerunt, ne diutius *animas catervatim manciparet Gehennæ.* Non enim crediderunt, quod in decretis ſuis ſibi Pontifex adſcribit, neminem ei dicere poſſe, *cur ita facis?* Diſtinct. XL. Can. *Si Papa.* C. VI. Quin ex ſcriptura didicerant, *retegendum eſſe impium illum*, 2. Theſ. 2. verſ. 8. quem pro parente non habuerunt, cui deberetur honor, ſed pro Chriſti hoſte: ejuſque Eccleſiam pro meretrice infami, cujus ut omnibus retegeretur infamia, intererat ſalutis publicæ. Quod enim de temporali Babylone ab Eſaia prædictum eſt, ad ſpiritualem pertinet. *Retegetur nuditas tua, etiam videbitur turpitudo tua, ultionem ſumam, neque feram obſtare quemquam mihi,* cap. 47. verſ. 3.

Alia ratio eſt, ubi non de doctrina vel de cultu publico agitur, ſed de privatis præfectorum moribus, aut nondum propalatis delictis. Quo refertur celebre illud dictum Conſtantini apud Theodor. hiſt. lib. I. ca. II. *Sacerdotum vitia non ſunt populo aperienda, ne ille, inde cauſſa ſcandali arrepta, audacter peccare aggrediatur. Quin etiam hoc quoque eum adjeciſſe memorant, ſi ſuis oculis Epiſcopum, cum aliena uxore peccantem videret, ſe purpura ſua facinus tecturum, ne intuitus ejus videntes offenderet.* Hic tamen cavenda eſt nimia illa charitas, quam commendant Pontificii in ſuis gloſſis. *Quamvis tactus & oſcula ſint præludia incontinentiæ in Laicis, ſecus tamen eſt in clericis, nam clericus præſumitur iſta facere pro charitate & bono zelo.* Petrus Ravennas, extra, de immun. Eccleſ. *Item ſi clericus amplectitur mulierem, interpretabitur quod cauſâ benedicendi eam hoc faciat.* II. quæſt. 3. Can. *Abſit*, in gloſſa. Et ibidem in margine, *clericus amplectens mulierem, præſumitur benè agere.*

Alioqui probamus in latentibus ſuperiorum peccatis, in quorum participationem non vocamur, vel ad eam non cogimur, *ſolerter intuendum eſſe, ne quem venerari debemus, imitari velimus, aut quem imitari deſpicimus, venerari contemnamus. Subtiliſque via illa teneatur, rectitudinis & humilitatis, ut ſic magiſtrorum vitia diſpliceant, ut ſubditorum tamen mens, à ſervanda magiſterii reverentia non recedat. Quod in Noë inebriato exprimitur, cujus nudata verenda, boni filii, averſi veniendo texerunt. Averſari quippe dicimus, quod reprobamus.* Hæc Gregor. Moral. in Job. lib. 25.

Vidimus diſſimillimos fratrum mores, & diſſimilia facta. Et quod in familia Adami accidit, in qua per duos fratres mundus fuit diviſus in duas ſocietates, & communitates hominum, piorum & impiorum. Poſtremis hiſce originem dedit fratricida Cain. Idem accidit in reſtaurato mundo per diluvium, in quo etiam incæperunt duæ illæ civitates, de quibus Auguſt. civitas Dei & Diaboli. Renovata enim eſt ſeparatio, cujus parti ſequiori, in familia Noachi initium dedit Cham, irriſor patris. Quæ hominum varietas, licet ex propriis hominum ſtudiis, moribus, factiſque manifeſta fiat, occultiſſimo tamen & æquiſſimo Dei judicio etiam ordinatur, & ad majorem ipſius gloriam dirigitur. *In magna domo, non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea ac fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*, ut docet Apoſt. Roman. 9. & 2. ad Timoth. 2. Deo ita declarante partim miſericordiam ſuam, partim juſtitiam, vel erga vaſa gratiæ, vel erga vaſa iræ ad interitum apta. Quæ in ſequenti maledictione & benedictione à Noacho facta, plenius apparebunt.

Exercitatio LXII.

Quomodo Noachus expergefactus Chami factum noverit? Cham, cur minor *vocetur? Benedicendi & maledicendi ſignificata. Maledictio Canaanis ad prædictionem propheticam refertur. Benedictiones & maledictiones parentum, quàm efficaces? Cur in Canaan Chami filium ſententia pronuncietur? An juſtè pro patre filius puniatur. Reſpondetur per diſtinctiones, temporalium & ſpiritualium pœnarum. De utriſque aſſeritur cum cautionibus. Et Chanaano applicatur.* Servi ſervorum *qui dicantur? An ſervitus ſit à natura? Diſtinguitur.* Servi ſervorum *titulus quomodo Pontifici Rom. conveniat?*

SEquitur ℣. XXIV. *Et expergefactus eſt Noach à vino, & cognovit quid ſibi fecit filius ſuus* הקטן hakkaton, *parvus.* Quid ſit *expergefieri à vino*, ſuprà diximus. Græca editio ἐξένηψε δὲ, *Evigilavit*, id eſt, *Sobrius factus eſt Noë à vino*, interpretibus autoribus edit. Lat. ex LXX. Idem enim eſt, quod *vinum digeſſit.* Sic legit Chryſoſt. Editio Romana, ἐξυπνίσθη, ex Theodoreto qui ſic legit; ſenſus eſt, non ſolum evigilaſſe ex ſomno, ſed etiam ad ſe rediiſſe. *Et cognovit quid ſibi fecit filius ejus.* Quæſitum eſt, qua ratione id cognoverit? Nonnulli recurrunt ad divinam revelationem, & ſpiritum Propheticum. Sed non opus eſt, ubi occurrit communis ratio, qua id reſcire potuit, ut ad miraculum confugiamus.

Non

Non exiſtimamus, fratres data opera id Patri renunciaſſe, ut fratrem onerarent, & accuſatione ſuâ, iram Patris in eum concitarent, Sed cum expergefactus ſenſiſſet, ſe aliis veſtibus opertum, inquiſitione facta comperit, quinam illud officium ipſi præſtaſſent, & tum adacti fratres reſpondere paternis interrogationibus, eum celare non potuerunt, quæ fuerit cauſſa, cur in ejus dormientis tabernaculum ingreſſi, & quomodo nuditatem ejus contexiſſent. Fieri etiam potuit, ut profanus ille rem divulgaverit in toto famulitio, atque manifeſtaverit infirmitatem parentis.

Diximus ſuprà cur Cham vocetur minor aut junior filius Noachi, & eorum ſententiam probavimus, qui Japheto primas tribuunt in nativitate; Semo in dotibus, & Chamum in omnibus minorem exiſtimant. Non poſſumus eorum probare judicium qui pronomen ejus referunt ad Chamum, & nomen *parvum*, ad Cenahan, vel eundem filium parvum Noachi dictum volunt, quia ſic avi ſolent appellare nepotes. Etſi alioqui ſi id ferrent præcedentia, commoda eſſet expoſitio, propter ſequentem maledictionem, in Canaanum directè vibratam. Sed de eo nihil anteà dictum fuit; & quæ acta fuerunt adverſus Noachum, à Chamo patre *Chanaan*, diſertè dicuntur facta. Unde ſequitur per minorem filium, eum eſſe intelligendum.

Verſ. 25. ארור *arur Chenaan*, Noachus maledicit filio Chami minimo, quam rem ut intelligamus, quid per *maledictionem* Scriptura ſignificet, videndum eſt: Ex contrario benedicendi verbo, maledicendi ſenſus cognoſci poterit. Benedicere eſt laudare & celebrare, cum ab hominibus ad Deum refertur. 2. Eſt benè precari, cum de homine erga hominem dicitur; 3. Eſt denunciare quid alicui accidere debet ſpiritu prophetico, aut etiam cum Deo tribuitur circa hominem, eſt benefacere, quia benedictio Dei eſt beneficentia. Contra igitur, maledicere alicui, eſt eum culpare, ei conviciari, & famam ejus lædere, quomodo etiam apud latinos maledicta, pro conviciis accipiuntur. 2. Eſt malè precari, ſive imprecari alicui. 3. Eſt denunciare alicui malum eventurum, vel cum Deo tribuitur reſpectu hominum, eſt reipſa aliquem punire. Hoc loco, in prima ſignificatione accipi non debet, non enim Noë impium Chamum conviciis aut maledictis inceſſivit. Secundo etiam modò non accipimus, pro imprecatione, quæ talem virum, etſi graviter offenſum, non decuiſſet, nec etiam Deus tales maledictiones ſemper ratas habet, quæ ab iratis, ex vehementia furoris & appetitu vindictæ pronunciantur, etiam adverſus non immerentes. Tertio igitur modo accipiendam non dubitamus, pro denunciatione prophetica judicii divini adverſus impietatem Chami, quam Sp. Sanctus ori Noachi indidit, ut tanquam Dei miniſter ſententiam pronunciaret adverſus hominis profani poſteritatem, quæ cum fuerit apud Deum rata, ſuum habuit effectum eo ipſo tempore quo fuit pronunciata ex parte: Cujus tamen pars maxima differebatur ex diſpenſatione divina, in illud tempus, quo debuit poſteritas Canaan vel planè deleri, vel in ſervitutem in reliquiis ſuis redigi. Non eſt ergo ſanctus vir inſimulandus quaſi ardore vindictæ, aut impatientia acceptæ injuriæ hæc verba protulerit, ſed agnoſcendus eſt in eo juſtitiæ zelus, & Spiritus Sancti extraordinarius motus. Alioqui vix fieri potuiſſet, ut vir tam benignus, nec naturali στοργῇ deſtitutus, tam duris verbis in nepotem intonaſſet, niſi Dei voluntate actus, judicis perſonam induens, exuiſſet ad tempus perſonam patris & avi. Id autem voluit Deus, ut exemplum ſtatueret in filios nequam, qui parentes injuria afficere præſumunt, & ut ita exemplo tali deterriti, ſe gererent liberi erga parentes, & omnes erga eos qui parentum loco ſunt, ut eorum in ſe maledictiones non attraherent, quæ ſunt maximè metuendæ ſi juſtam cauſſam habeant. δεῖναι τοὶ κατὰ γαῖαν ἐριννύες εἰσὶ τοκήων, *furiæ ultrices parentum, ſunt atroces per univerſam terram.* Solet enim Deus eſſe ſui ordinis vindex. Syrac. 3. verſ. 11. *Patris benedictio ſtatuminat domos filiorum, maledictio vero matris eradicat fundamenta.*

Sed hoc loco non immeritò quæri ſolet, cur in Chanaanum Chami filium, eumque, ut ex enumeratione quæ ſequetur apparet, omnium Chami filiorum minimum, nominatim maledictionis hujus ſententia pronuncietur, neque ipſum patrem, qui in culpa erat videatur immediatè attingere? Ad poſtremum illud ut primò reſpondeamus, non exiſtimandum eſt, à maledictione voluiſſe Deum eximere Chamum, qui maximè jam antè in ſe habebat maledictionis divinæ indicia, cum eſſet vir profanus & impius. Eſt enim hæc præcipua maledictio, cum aliquem Deus ſibi permittit, eumque ſinit in viis ſuis ambulare. Sed Chanaani præſertim meminit Moſes, eandem ob rationem, ob quam jam ante notaverat Chamum eſſe Chanaani patrem, ad conſolationem populi Iſraëlis, cui cum Canaanitis maximè res erat futura, qui ſuo tempore ſedibus ſuis ipſis cedere debebant. Alioquin etiam, in maledictione nepotum quæ fit audientibus & præſentibus parentibus, maximè plectuntur parentes, qui vident poſteritatem ſuam ob ſua peccata pœnis addici, non in ſe finiendis. Quod præterea fieri ſolet, ut parentes teneriore ferantur amore erga minimos filios, hoc in augmentum pœnæ cedebat Chamo, quod minimus ejus filius in quem indulgentiorem & teneriorem fuiſſe credibile eſt, diris illis peteretur, ob admiſſum à ſe peccatum. Juſtum etiam fuit, ut filius qui parentem contempſiſſet & in eum fuiſſet injurius, in filiis ſuis puniretur.

Quod enim nonnulli commenti ſunt, ideò noluiſſe in Chamum directè maledictionis diras ejaculari, quia comprehenſus fuerat ſub ea Dei benedictione, qua poſt diluvium, reliquias humani generis dignatus eſt,

 nihil

nihil habet ſoliditatis. Nam communis benedictio propagationis, & conſervationis hominum ſtare potuit, etiam extincto Chamo, qui tamen in poſteritate ſua non excluſus fuit à terrena benedictione, etſi poſteà ex parte ſublata fuerit: ſed talis benedictio non præjudicat divinis judiciis, quibus involvuntur impii, etiam cum magis florere videntur. Nam excluduntur à præcipua benedictione fœderis divini, à quo alieni fuerunt Chananæi, quatenus accipitur pro fœdere gratiæ. Id enim præſertim intelligitur in verbis propheticis Noachi, ut ex oppoſitione benedictionis Semi & Japheti ſatis apertè conſtat. Nec poteſt dici maledictioni exemptus pater, cujus filius plectitur ob delictum patris. Redundat enim in patrem maledictio quæ filium petit, qui eò magis afficitur, quò eam ſuâ culpâ aſcivit, & perniciem ipſe ſuis poſteris attraxit.

Difficilior eſt quæſtio, an non ſit contra Dei juſtitiam, ut filius mulctetur pro patre? Difficultatem auget, quod id Scriptura videatur expreſſè negare, *Filius*, inquit Deus per Ezech. cap. 18. ℣. 20. *non portabit iniquitatem patris.* Quomodo igitur cum peccaverit Cham, maledicitur Chanaan filius ejus minimus? Hîc varia afferuntur. 1. Sunt qui nomen Chanaan ſumi putant obliquè pro Chanaanis patre, de quo anteà bis facta fuerat mentio, idque firmant ex eo quod poſteà opponitur Semo & Japheto, tanquam fratribus, quibus ſubjici debuit. Sed vix poteſt exemplum tale reperiri, in quo filii nomen detur patri, niſi hoc loco pondus habeat ſpecialis illa ratio, cujus anteà meminimus, quod à Chanaane in hac cauſſa denominatus fuerit, ut notaret Moſes unde ortum habuiſſet populus, qui populo Iſraëlis in prædam debuit cedere. Non eſſet inconcinna ratio, ſi aliquo pacto poſſet probari nomen Chanaanis uſurpatum fuiſſe in genitivo. Sed id planè repugnat Grammaticæ, quia nullum præfigitur nomen conſtructum.

Alii igitur reſpondent verum eſſe etiam in foro poli, filium non portare iniquitatem patris, quando non eſt reus pariter cum patre. Sic enim Deus ipſe apud Ezech. eodem cap. ℣. 14. *Si filius viderit omnia peccata patris ſui, & non fecerit ſimilia, &c. hic, inquam, non morietur propter iniquitatem patris, ſed vivendo vivet.* Colligunt ergò Chanaanum fuiſſe in eadem culpa cum patre, quia maledictio adverſus eum dirigitur. Certè non eſt vero ſimile, quod nonnulli volunt, tum nondum natum fuiſſe Chanaanum, & Deum maledixiſſe ei, qui nondum editus eſſet in lucem, ſub proprio nomine quo debuit appellari. Etſi enim id Deum non lateret, antequam nomen ei eſſet ab hominibus inditum, tamen cum id nondum notum eſſet Chamo, non videtur Deum, cum per Noachum ei maledicit, in eum nominatim voluiſſe verba illa proferre, de quo Cham ipſe neſciebat, an unquam eſſet naſciturus. Non dubitamus ergò Chanaanum tum natum fuiſſe, eundemque patri chariſſimum, ſed quia ætate fuerit, dici non poteſt. Jam adultum fuiſſe neceſſe eſt, ſi quod multi volunt illuſit etiam avo, imò prior indicavit patri ſuo, quo in ſtatu comperiſſet Noachum. Quod ſi probari poſſet, tum facilis eſſet reſponſio, imò locum non haberet quæſtio. Fieri potuiſſe non negamus, ut particeps fuerit ſceleris patris, ut fuerit κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, prout ſæpè ætas parentum pejor avis fert nequiores filios. Sed hæc omnia ex conjectura tantùm dicuntur, & ſupponuntur ſine probatione ſolida. Accidit præterea aliquando ut parentes in filiis illis puniantur, qui à Deo tolluntur, antequam per ætatem parentum peccata imitari potuerint. Proinde hæc quæſtio ita eſt examinanda, ut etiam ei ſatisfiat, hoc poſito, quod Chanaanus, neque autor, neque particeps fuerit ſceleris paterni. Cur ergò maledicitur ei? Cur Deus in lege ſua, Exod. cap. 20. pronuntiat, *ſe viſitaturum iniquitatem patrum in filios, uſque ad tertiam & quartam generationem?* Ut huic quæſtioni reſpondeatur, id primò præmittendum eſt, pœnas quas infligit Deus eſſe duplicis generis, ſpirituales & corporales, item æternas & temporales. Temporales pœnæ & corporales, conſiſtunt in privatione bonorum ad hanc vitam pertinentium, ut ſanitatis, roboris, ipſius vitæ, honorum, facultatum, amicorum, & cognatorum. Spirituales in hac vita, conſiſtunt in privatione bonorum ſpiritualium, uti eſt divina gratia, ſpiritus regenerationis, &c. & quæcunque hominis bonum ſpirituale conſervant. Poſt hanc vitam autem, in privatione beatitudinis, & inflictione pœnarum ſenſus ac damni.

Circa temporales pœnas minus eſt difficultatis. Quia nulla eſt injuſtitia in Deo, ſi aliquando propter peccata parentum talia damna etiam poſteris infligat, quæ parentibus ſint peccati pœnæ, innocentibus autem filiis poſſunt eſſe medicinæ aut præcautiones, quod ſæpè accidit, non ſolùm in pœnis filiorum, ſed etiam ſubditorum, qui propter Principum peccata pœnis afficiuntur, ut populo Iſraëlis propter peccatum Davidis: & cum maxima parte populi Deum ad iram provocante, pii etiam pœnis iiſdem involvuntur, quod accidit Danieli & Ezechieli, cum pluribus aliis piis, qui deportati in captivitatem Babylonicam, ex temporali illa afflictione reportarunt ſpiritualia bona, & populo profuerunt ad pietatem inter ipſum conſervandam. Taceo quod nullus eſt inter homines adeò perfectè juſtus, in quo non remaneant ſcoriæ peccatorum & reliquiæ, quarum nomine, ſi Deus rigidius adverſus eos vellet agere, non haberent unde quererentur, etſi peccata eorum alia ſint ab iis propter quæ communitati pœnas inflixit Deus.

Quod ſi vel filii iiſdem peccatis communicant cum parentibus, vel ſubditi cum principibus, ut ſæpè fit, vel per imitationem, vel per tacitum quendam conſenſum & approbationem, tum nemo conqueri poteſt, ſi de talibus etiam Deus pœnas ſumat ob ſuperiorum

rum peccata. Quod ſi quis regerat id tum non fieri propter aliena peccata, ſed eos ſupplicium ferre propriæ culpæ. Reſpondemus, verum quidem eſſe quod propter propriam culpam plectantur, ſed tamen id etiam fit propter parentum peccata, quia Deus proptereà cohibet miſericordiam, qua alioquin erat erga filios uſurus; & ita puniuntur propter pecccata parentum, quia Deus ad iram provocatus, rigidius agit cum poſteris impiorum, qui contrà utitur miſericordiâ erga poſteritatem piorum, dum peccantes expectat, invitat ad pœnitentiam, iiſque ea media exhibet, adhibitis internis perſuaſionibus, ut eos tandem revocet ad officium, atque adeò ut ſic caſtiget & viſitet, pœnas infligendo, id faciat non ex ira, ſed ex miſericordia, & ad emendationem labilis vitæ, non ad punitionem peccati.

Ad ſpirituales pœnas quod attinet, & æternam damnationem, certum eſt talibus pœnis neminem innocentem à Deo plecti: proinde ſi aliquis eſſet expers peccati, etſi ex impiis parentibus eſſet ortus, periculum nullum eſſet, ne ob peccata parentum pœnæ ſpirituales, aut ipſa damnatio ei infligeretur, & hìc locum habet dictum Ezechielis citatum, *Non morietur propter iniquitatem patris, ſed vivendo vivet.* Sed cùm omnes homines naſcantur peccatores & corrupti, poſſunt etiam in liberis ſuis impii parentes ſpirituali pœna à Deo puniri. Id quomodo fiat explicabo. Pœnæ ſpirituales ſunt excluſio à divino fœdere, gratiæ illius ſubtractio, quæ aliis communicatur per verbi prædicationem & alia media, quæ Deus largitur in Eccleſia ſua, atque ſimilia, quæ non infliguntur ratione aliquâ (ut ita dicam) poſitivâ, quaſi Deus inſtillaret malitiam, aut eam augeret, intus operando in talibus intellectûs obtenebrationem, aut cordis duritiem; ſed negativâ, quæ dum potuiſſet largiri, & per miſericordiam poſteritati piorum largitur, aliis denegat, & eos in corruptione ſua deſerit. Talibus pœnis ſpiritualibus ob parentum peccata puniri poſteritatem dubium non eſt, quæ tamen ipſa nunquam eſt innocens, cùm quia corrupta eſt ab utero, tum quia dum adoleſcit, corruptionem addit corruptioni.

Ut iſta ad Chanaanum applicemus & ejus poſteritatem, de qua hoc loco præſertim agitur propter populum Dei, vix aliqua ſupereſt difficultas. Nam ſi pœnas temporales ſpectemus, ſervitutem, excluſionem ex poſſeſſionibus ſuis, & ſimiles; ſi Deus id aliquando poteſt exercere in piorum liberos, ad caſtigationem; cur poſteritatem impiorum ad exemplum aliorum, non poterit talibus pœnis afficere, maximè ſi impii ſint, quales fuerunt Chananæi. Idcircò, quamvis hoc loco maledicat Deus Chanaano, ob peccatum Chami, tamen antequam ad plenam executionem maledictionis veniat Deus, illi implent menſuram patrum ſuorum, & propriâ impietate & injuſtitiâ provocant Dei judicia, ut patet ex 18. cap. Levit. & 9. Deuteronomii. Quod tamen cum denunciaretur Chamo longè antequam accideret, fuit ipſi graviſſima pœna.

Sed quia *maledictionis* vox quæ hìc uſurpatur, etiam odium Dei includit, cui abominabiles ſunt, qui maledictioni ſubjiciuntur, ut patet ex clauſula legis, certum eſt addici etiam Chananæos pœnis ſpiritualibus, & conſequenter æternæ in perſona Chanaani, cujus maledictio reprobationem divinam ſupponit, & excluſionem à fœdere illo gratiæ, extra quod nemo ſalvari poteſt. Id etiam denunciat Deus in pœnam graviſſimam Chamo. Nec ulla tamen eſt in eo injuſtitia. Supponendum enim eſt poſteritatem illam ex maſſa corrupta eſſe oriundam, proinde per ſe jam damnabilem. Corruptionem illam Deus non indidit, ſed permittente Deo, homo ipſe corrupit ſeipſum, & poſteros omnes ſuos in idem barathrum præcipitavit. Quos Deus inde eripit, eos per miſericordiam eripit & ſalvat; quibus hoc negat, ipſis negat ex juſtitiæ jure, ut nemo habeat unde conqueratur. Si jam hoc addatur, quod parentes immediati addiderunt corruptionem corruptioni, & Deum graviter offenderunt, quis poteſt culpare judicem, inter ipſos homines, qui privilegia, immunitates & libertates, dum propter rebellionem alicujus patrisfamilias revocat, poſteritatem, quæ ſi non peccaſſet, iiſdem fuiſſet fruitura, privat? Quis igitur poteſt Deo ſuccenſere, ſi de ſuo faciat quod vult, nec dona ſua gratuita largiatur ingratorum poſteris?

Jam verò ſi extra fœdus Dei naſcentes, ſibi & naturæ ſuæ relinquuntur, nihil aliud poſſunt, quàm in viis ſuis ambulare, quæ perverſæ ſunt, & ex conſequenti augere ſibi damnationem, quod poſteritati Chanaani accidit, juſto Dei judicio; qua ratione etiam pœnis & temporalibus, & ſpiritualibus, atque æternis fuit obnoxia, ſalva tamen Deo ſua libertate ex communitate illa, quoſdam pro beneplacito voluntatis ſuæ, excipiendi. Sed in communi, poſteritas Chami maledictioni utrique cùm corporali, tùm ſpirituali fuit adjudicata.

Quæ verbis ſequentibus enunciatur, עבד עבדים *evedh avadhim, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Phraſis Ebræa per reduplicationem ſuperlativum intelligit, ut ſervus ſervorum, ſit ſervus abjectiſſimus & viliſſimus. Sic cùm Abigail coram Davide eam in uxorem petente, 1. Sam. 18. humilitatem ſuam teſtari vellet, *Ecce,* inquiebat, *famula tua in ancillam, ut lavet pedes ſervorum Domini mei.* Sed hæc voluntariæ & ſubmiſſionis fuit ſubjectio, quæ verò in Chamum denunciatur, coacta; qua ſuperbus homo, & qui præ ſe non tantùm fratres, ſed ipſum etiam parentem contemneret, maximè afficiebatur, qui poſteritatem ſuam videbat judicio Dei addictam ei conditioni, quam maximè homines rejiciunt. Ut enim nihil eſt apud homines libertate præſtantius, ad quam conſervandam & tuendam pericula ſubeunt quæcunque, imò ipſius vitæ; ſic nihil eſt propria ſervitute durius & miſerius, ſi præſertim ſpiritualis

ritualis ſervitus addatur, qua homo non ſolùm aliis hominibus, ut Chanaam fratribus ſuis, poſtponitur, ſed etiam Diaboli fit mancipium. Hîc immediatè deſignatur ſervitus temporalis; quam etiam videmus à peccato ortam eſſe. Nam etſi extra peccati ſtatum non negemus futurum fuiſſe inter homines ordinem ſuperiorum & inferiorum, cùm Deus voluerit per generationem eſſe inter homines mutuam dependentiam; nulla tamen fuiſſet ſervitus propriè dicta, id eſt, involuntaria, acerba, odioſa, & contraria naturali libertatis amori, qui, ut diximus, in homine acerrimus eſt & flagrantiſſimus. Proinde Philoſophi qui ſervitutem à natura eſſe dixerunt, vel intelligendi ſunt vocabulo ſervitutis ſumpto pro qualicunque ſubjectione unius hominis erga alium ratione poteſtatis & gubernationis, qualis eſt filiorum erga parentes, &c. vel ſi de ſervitute coacta propriè dicta loquuti ſunt, dicendum eſt eos non potuiſſe aliter loqui de natura hominis, quàm corrupta, in qua, quia in nonnullis majorem obſervabant nequitiam, vel ſtultitiam & imbecillitatem, in aliis elatiores animos, ſervitutem illam naturæ tribuebant, cui etiam talem adſcribebant differentiam, quæ non fuiſſet in natura pura, peccato non corrupta.

Rupertus Tuitienſis obſervat in hunc locum, non dixiſſe Noachum ſolùm *ſervus erit*, quo nomine etiam interdum bona & voluntaria ſervitus ſolet ſignificari, ſed *ſervus ſervorum, quo additamento ſervitus extrema, imò ſervilis nequitia ſolet exprimi.* Ne autem id Pontifici Romano præjudicaret, qui jam tum titulum illum aſſumpſerat, addit, niſi, inquit, cum ſubjectione *Dei*, dum per *egregiam humilitatem ſeipſum profitetur quis ſervus ſervorum Dei.* Egregiam ſcilicet humilitatem, id eſt ludibrium merum. Qui purpuratus incedit; Qui Imperatores & Reges ad pedum oſcula non tam recipit, quàm adigit; Qui pronunciat ſuperbiſſimè, omnes homines de neceſſitate ſalutis ſibi eſſe ſubjectos; Qui ipſum nomen Dei uſurpat, per humilitatem profitetur ſe ſervum ſervorum Dei. At talis ſervitus de corporali ſervitute intelligi non poteſt, ſed de ſpirituali. Si ſervus eſt ſervorum Dei ſignificatione ſpirituali, Chanaano ſucceſſit, qui ex numero ſervorum Dei dejectus, quales erant fratres ejus, pro *minimo* habitus eſt in regno cœlorum, id eſt, pro *nullo*, & libertate ſpirituali excluſus, comparatione filiorum Dei ſervus, fit mancipium Satanæ: ut verum ſit quod à nonnullis benè animadverſum eſt, non ſine Dei providentia accidiſſe, ut hunc Chanaani titulum Pontifex ſibi tanquam proprium vindicarit.

Ad temporalem ſervitutem quod ſpectat, neque in Chami, neque in Chanaani filii ejus perſonis, impleta fuit prophetia. Certum eſt enim potentiſſimos fuiſſe factos Chanaanis poſteros, imò primam Monarchiam initium duxiſſe à poſteris Chami, quia infrà Nimrod enumeratur inter poſteros Chuſi: & Chananæi ſuos habuerunt Reges, & diu poſſederunt terram, quæ ab eorum nomine ſic appellata fuit. Cùm igitur ſit duplex ſervitus, ut diximus, una corporalis, altera ſpiritualis, qua ira Dei, & inde pœnæ æternæ impiis paratæ ſunt: dicendum eſt has pœnas ſenſiſſe, etiam in perſonis ſuis impios omnes, qui à Deo fuerunt abdicati, & à fœdere excluſi; & ſic in omnibus fuiſſe impletam prophetiam de ſervitute. Quamvis enim floruerint opibus, & dominati ſint, non tamen fuit eorum conditio apud Deum libera, cùm extra Dei Eccleſiam conſtituti, fuerint peccati mancipia, & morti addicti: ut contrà pii, in corporis ſervitute libertatem ſpiritûs coram Deo retinent, certi de remiſſione peccatorum & gratia Dei. Etſi autem dilata fuerit ſervitus temporalis, non ablata tamen fuit, quia ſuo tempore Chananæi amiſerunt dominium terræ Chanaam, & ſub jugum Iſraëlitarum venerunt. Comminationes enim Dei non adſtringuntur ad certum tempus, quando non expreſſè præfigitur, ut nec promiſſiones Eccleſiæ Dei factæ, quatenus ſpectant temporalia bona. Habent tamen utræque complementum ſuum; ut ex ſervitute Chananæorum conſtat, poſtquam impleverunt menſuram ſuam. Geneſ. 15. ℣. 16.

Inde ſumenda eſt conſolatio, ſi aliquandò impii dominentur, & pii ſubjiciantur, ut fit non rarò, & Eccleſia durâ ſervitute prematur: quia 1. libertate ſpirituali donata in præcipuis bonis acquieſcit. 2. novit firmam & conſtantem non futuram impiorum proſperitatem, qui etiam dum vigent, & dominari videntur, carnis cupiditatibus ſervientes, ſunt fœda mancipia.

Alia quæſtio naſcitur ex eo quod maledictionis illius complementum, ratione ſervitutis temporalis dilatum fuiſſe dicimus, uſque ad tempora quo deleti partim, partim exacti fuerunt ab Iſraëlitis Chananæi. Quomodo igitur conveniat hæc maledictio, ſeu pœnæ denunciatio cum loco Exod. 20. ℣. 5. ubi Deus dicit, ſe viſitare iniquitatem patrum in filios, uſque ad tertiam & quartam generationem. Chananæi enim non fuerunt ſubacti per Iſraelitas, niſi elapſis quadringentis triginta annis poſt promiſſionem factam Abrahamo de poſteris ipſius ex Ægypto reducendis, & terra Chanaam ipſis tradenda. Geneſ. 15. ℣. 16. &c. Plures autem quàm quatuor generationes interceſſiſſe extra dubium eſt. Reſpondemus, Deum his verbis non præfixiſſe iræ ſuæ aut judiciis modum, ut non poſſit prorogare vindictam, eamque latius extendere, ſed verbis illis tantùm in genere voluit nos intelligere, in comparatione pœnarum & gratiæ, Deum ad miſericordiam multò magis eſſe propenſum, quàm ad vindictam; ſalvâ tamen ipſi libertate hanc extenuandi, quantum & quandiu ipſi libitum fuerit.

Exer-

Exercitatio LXIV.

Benedictio Semi & Iapheti. למו lamo, *pro* להם lahem. *Pietatem filiorum Noachus adſcribit Deo. Deum alicujus eſſe Deum, quid ſit? Iapheti poſteris quid promittatur? Quid ſit aliquem* dilatare. *Habitatio in tabernaculis Sem, ad quem referatur? Solvitur objectio Merceri.*

ET hæc de maledictione Chanaani. Subjicitur benedictio duorum piorum fratrum Schemi & Japheti. ℣.26. & 27. *Et dixit, Benedictus Dominus Deus Sem, & Chanaan ſit ſervus ejus* עבד למו *eved lamo*, ad verbum *ſervus* illi, vel in plurali illis. Sic enim accipitur למו *lamo*, pro להם *lahem*: Etſi aliquando legatur etiam in ſingulari מו *mó*, nam ad utrumque numerum juxta grammaticos pertinet, propter duo affixa, ex quibus compoſitum eſt, ut notavit doctiſſ. Mercerus, qui pluralem ſignificationem præfert, ut referatur ad duos fratres, vel ad Schemum & poſteros ejus. Quicquid eligatur, res eſt in integro, nam idem poſteà dicitur de Japheto. Sed hoc conſiderandum in benedictione Schemi, quod à Noacho ad Deum dirigatur, *Benedictus*, inquit, *Iehova Deus Sem.* Quod non ſine myſterio factum eſt. Diximus ſuprà benedictionem, cum dicitur de hominibus erga Deum, pro laude & nominis celebratione accipi, atque ita includere gratiarum actionem. Cum in eam prorumpit Noachus, indicat ſe in Semo proſpicere raram Dei gratiam, quam non aliter exprimit, quàm Deum celebrando, idque ſub nomine Dei Sem, ne quis putet ob aliam cauſam vel alterius alicujus reſpectu benedixiſſe Domino. In hac autem celebratione, includitur agnitio originis pietatis illius & modeſtiæ quæ in Semo & Japheto apparuit; ne quis exiſtimet, ut Chami malitia & impietas fuit ejus opus proprium, ſic etiam fratribus ejus deberi ſolidam laudem facti illius quo in Patrem ſe probarunt reverentes. Gratias eo nomine agit Deo, à quo ſciebat omne donum optimum procedere. Laudabili ſanè exemplo, quo ſi quid in noſtris vel in nobis boni & honeſti comperiatur, diſcamus in laudes divinas erumpere, & autori Deo benedicere.

Hinc etiam apparet, bona à Deo ex benedictione Noachi Semo collata, non dari ſecundum merita, ſed ex mera gratia, cujus fructus fuit reverentia & ſanctus pudor. Nec tamen improbamus, ſi quis dicat prærogativam illam Semi & poſterorum ejus, eſſe quaſi mercedem reverentiæ ac pietatis, & idem etiam dicatur de Japheto, dummodo merces illa non ſupponat meritum propriè dictum; ſed antecedens aliquod opus, ex Dei gratia factum, quod ſubſequatur benedictio gratuita, quæ in eo habet mercedis rationem, quod in executione ſua conſequitur factum quod præceſſit. Talis enim ſæpè eſt ratio antecedentium & conſequentium, ut unum aliud ſequatur, non velut effectus cauſſam, ſed ex diſpenſatione divina velut conſequens, antecedens; non per naturam rerum illarum, ſed per ordinationem voluntatis ſuperioris, ut conditio quædam prærequiſita, ſed cujus etiam donator ſit Deus, qui ſua dona in nobis coronat. Manifeſtum eſt ergo ex hac loquendi forma, diſcrimen quod inter fratres illos apparuit non fuiſſe à natura, ſed à gratia, quæ duos illos pios fratres afflavit, & Chamum ſibi reliquit. Ideò quod Apoſt. Rom. 6. verſ. 23. ubi mortis & vitæ æternæ cauſſas comparat, *ſtipendium peccati mortem* dicit, *vitam autem æternam* adſcribit *dono gratiæ*. Ita hic *Maledictus*, inquit, *Chanaam*, qui nempe eſt autor ſui mali; ſed *Benedictus Deus Sem*, quia à Deo procedit, quod Sem & Japhet piè & ſanctè erga patrē ſe geſſerunt. Hinc diſcunt pij parentes adſcribere Deo, ſi quas dotes præſertim ſpirituales & ſalutares in liberis ſuis animadvertant.

Includitur autem prima pars benedictionis Semi, eaq; abſoluta, in eo quod *Deus*, Semi Deus, appellatur. Is enim cujus Deus eſt Deus, non poteſt quin omni benedictione ſpirituali repleatur. Nec aliud poſteà Abrahamo in fœderis gratuiti renovatione pollicebitur. *Ego ſum Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, qua de re illic agendum erit. Promittit hæc phraſis Semo, veræ Religionis & ſinceri cultus Dei in familia ſua conſervationem. Dicitur enim Deus Sem διακριτικῶς, quia reſpexit Sp. Sanctus ad id quod accidere debebat, ut verus Deus in ſolo populo Iſraëlis agnoſceretur, aliis omnibus ad alienos Deos converſis, ne quidem ad tempus exceptis Japheti poſteris, qui etiam à vero Deo deflexerunt. Idcirco in privilegio de vero Deo poſſidendo, præfertur Semus ipſi Japheto, ſed vocatur tandem Japhetus in communionem eorundem bonorum, ut infrà videbimus.

Et hæc quidem de præcipua benedictione, eaque abſoluta & planè ad ſalutem neceſſaria. Sequitur altera pars relata ad *Chenaanum*; *erit*, inquit, *ſervus* ei, vel eis. Reſpectu Chami fuit ſervitus paſſiva quæ maledictionis vim habuit. Reſpectu fratrum, fuit ſervitus activa, quæ ad benedictionem refertur. Contempſerat patrem Cham, in ſervitutem contemptibilem detruditur ejus filius. Prov. 30. ℣. 17. *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodient eum corvi de torrentibus, & comedent eum filii aquilæ.*

Commune fuit Japheto cum Semo, quod in perſona ſua verum Deum coleret, eumque haberet pro Deo ſuo. Sed videbat Deus eventurum, ut vera pietate in familia Semi manente, reliqui homines à recta via erant aberraturi: Poſteris itaque Japheti etiam Deus pollicetur participationem bonorum cœleſtium, & revocationem ab errore. ℣. 27. יפת אלהים ליפת *japhte*

elo-

elohim lejapheth, ubi eſt elegans paronomaſia & alluſio ad Japhethi nomen. Verbum פתה unde formatur nomẽ Japheth, Ebræa ſignificatione ſignificat *perſuadere*, ex quo videtur deductum græcum πείθειν. Hanc interpretationem ſequuntur Tremel. & Jun. *Alliciet Deus jephethum*, & noſtrates interpretes, *Que Dieu attire en douceur japhet.* Alij plerique ut Chaldæus, Græci, vulgata, Pagninus & Tigurini, in ſignificatione Chaldaicæ vocis פתא *petha* cum א pro *dilatare, & ampliare*, quam acceptionem etiam hoc loco præfert Mercerus, & exponit cum dativo *Dilatet Deus japhetho*, ut Pſal. 4. ℣. 2. הרחבת-לי *hirchabtalli*, dilataſti mihi, id eſt recreaſti me. Et ſic paſſim accipi à Chaldæo interprete verbum פתה in conjugatione hiphil, notant docti. Ebræos item communiter illud per ירחיב *jarchijbh*, exponere. Quidam ab alia radice nomen Japhet deducunt, יפה nempe, & *pulchrum* interpretantur, verbum autem adjunctum *condecorare*, ſed hoc loco pugnaret cum grammatica, quia futurum hiphil, non eſſet יפת *japht*, ſed *jiphe, aut* ייף *jiph*. Ex alliciendi autem ſignificatione dicendum fuiſſet יפתה *jephatteh*, vel יפת *jephat*. Sed electa eſt forma Chaldæa in ſignificatione dilatandi, ob paronomaſiã. Jonathan paraphraſtes ſupplet *terminum*, ſic enim habet, *dilatet vel dilatabit Deus terminum japhetho*. Utramvis ſignificationem ſequamur, commodus ſemper erit ſenſus. Nam cum promiſiſſet Semo prærogativam Religionis & veri cultus Dei, ſi addiderit, *Alliciet Deus japhetum*, ſenſus erit, erit tandem ut vi Spiritus Dei Japheti poſteritas alliciatur. Si ſequamur *dilatandi* ſignificationem, quam plerique præferunt, nec ubi ſenſus eſt commodus antiquitatem rejiciendam cenſemus, præſertim faventibus linguæ Magiſtris Ebræis, duplici modo poterit accipi dilatatio, ut vel ad extenſionem loci referatur, vel ad cordis dilatationem in ſignificatione figurata, quæ pro *recreare* accipiatur. Si in hac, conveniet cum prima, blandè alliciendi, & tum nihil aliud erit, niſi quod poſtquàm poſteritas Japheti ſub jugo peccati velut oppreſſa jacuerit, tandem recreabitur & cõſolabitur, ut etiam partem habeat in redemptione Meſſiæ qui ex poſteritate Semi erat venturus. Si ad dilatationem loci & termini, quod magis placet, vel accipietur pro amplitudine poſteritatis Japheti, & terminorum habitationis ejus, & ad temporalem benedictionem pertinebit. Erit enim prophetia de propaganda generatione Japheti, quæ etiam originem dedit gentibus multis, in Aſia & Europa; ut ex gentium propagatione de qua ſequenti decimo cap. agit Moſes, ſatis liquet. Ergo hoc ſenſu dilatatio Japhet intelligetur, quantum ad numeroſam prolem, & quantum ad locum habitationis, quod ejus poſteritas futura eſſet numeroſa, & multas terræ plagas habitatura, &c.

Vel etiam ad ſpiritualem benedictionem referetur, ut ſignificaret amplitudinem Eccleſiæ Gentium, quæ ex poſteritate Japheti erat vocanda. Quam verbis potius ſequentibus plerique volunt intelligi, præcedentia ad externam benedictionem referentes. Sequentia tamen ambiguum habent ſenſum וישכן באהלי שם, *vejiſcon beohole Sem.* Et habitet in tabernaculis Sem. Dubitari enim poteſt, an illud *habitet*, referatur ad Japhetum, an ad Deum, ut redeat Moſes ad benedictionem Semi, poſt interjectam benedictionem Japheti, quaſi per parentheſim, & nunc addat, Deus ille Semi habitet in tabernaculis ejus. Sic accepit Onkelos, *habitet divinitas ejus*, vel *quies ejus*, quo vocabulo, ut benè monet Fagius, Ebræi præſentiam divinitatis intelligunt, quæ olim in ſanctuario juxta arcam fœderis ſe exerebat, ad quod etiam locum præſentem alludere putarunt.

Alii referunt verbum habitandi ad Japhetum, voluntque eſſe alteram benedictionis partem, eamque ſpiritualem. Et ſic inter veteres Chryſoſt. qui repetit nomen Japhet, *& habitet japheth in tabernaculis Sem.* Quam interpretationem probat ex eo Cajetanus, quod immediatè ſequitur, *Et Chanaan ſit ſervus ejus*, Quod cum anteà de Semo dictum fuiſſet, nulla videtur eſſe ratio cur hic repetendum eſſet. Dupliciter autem id ad Semum relatum intelligi poſſet, primo, ut tabernacula Sem, ponantur pro locis ampliſſimis & fœliciſſimis, quo modo terram promiſſionis accipimus ferè pro terra fœcundiſſima & amœniſſima. & divitias Crœſi, Midæ, Craſſi, pro divitiis maximis, ut idem ſit habitare in tabernaculis Sem, habitare tam amplè & fœliciter quàm Sem. Sed hic ſenſus jejunus eſt, quia certum eſt loca habitationis Japheti poſteritatis non ceſſiſſe habitationi Semi: Habuit enim amœniſſimas Aſiæ & Europæ regiones. Potius igitur accipienda ſunt tabernacula Semi, pro Eccleſia Dei quæ in poſteritate Semi locum habuit, & ſpecialiter in tabernaculis, quæ Deus inſtituit, & variis in locis habuit, ante manifeſtatam Meſſiam. Proinde ſenſum eſſe, vocandam eſſe Iapheti poſteritatem ad ſanctorum ſortem, & participationem privilegiorum quæ primum conceſſa fuerunt poſteris Semi. Quam rem perſequitur pluribus Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum Manich. cap. 23. Ubi poſt alia multa in quibus ἀλληγορίζει hunc locum ſic explicat. *Benedictus Dominus Deus Sem.* Quanquam enim ſit Deus omnium gentium, quodammodo tamen proprio vocabulo, & in ipſis jam gentibus dicitur populus Iſraël, &c. Hoc prorſus prænunciabatur, cum diceretur, *Lætificet Deus japheth & habitet in domibus Sem* (ubi obiter notandum, alia interpretatione uſum fuiſſe Auguſt. ab ea quæ nunc eſt communis.) *Videte Manichæi videte, ecce in conſpectu veſtro eſt orbis terrarum: hoc ſtupetis, hoc doletis in populis noſtris, quia lætificat Deus Iapheth: videte ſi non habitet in domibus Sem, id eſt Eccleſiis, quas filii prophetarum Apoſtoli conſtruxerunt. Audite quid dicat Paulus jam fidelis Gentibus* Epheſ. 2. ℣. 12. *Qui eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati à Societate Iſraël, & peregrini Societatis teſtamentorum, promiſſio-*

promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Per hæc verba oſtenditur, quod nondum habitabat Iapheth in domibus Sem. Sed paulo poſt, quemadmodum concludat advertite. Igitur jam non eſtis peregrini & inquilini, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei, &c. Ecce quomodo dilatatur Iapheth, & habitat in domibus Sem. Erit ergo vaticinium de vocatione gentium, ad Eccleſiam. Prævidit fore temporale diſſidium inter Sem & Japheth, ſed tandem utrumque populum in unum coaliturum ſub Meſſia.

Adverſus hanc interpretationem unum objicit doctiſſ. Mercerus, qui præfert aliam, in qua Dei nomen repetitur, & ad Semum refertur pars iſta benedictionis divinæ. Quod cum ex Sem Gentiles multi fuerint, ut omnes qui ex Ebero non trahunt originem, & ex Cham gentes etiam ſint ortæ, non videtur id referri debere ad vocationem gentium, quæ ad ſolam Iapheti poſteritatem non pertinet. Reſp. Quod promittitur Japheto, aliis non negatur: Sed tamen aliqua prærogativa in ea gentium vocatione Japheti poſteris parata erat. Etſi enim inter Orientales populos & Africanos etiam dilatata fuerit Eccleſia Dei, certum eſt nihilominus Chriſtianiſmum magis viguiſſe, in partibus Aſiæ & Europæ apud Græcos & Latinos, qui à Japheto ſunt orti. Benè ergo Hieronymus, *Quia lata eſt multitudo credentium, à latitudine quæ Iaphet dicitur, nomen accepit. Quod autem ait, & habitet in tabernaculis Sem, de nobis prophetavit, qui in eruditione & ſcientia ſcripturarum ejecto Iſraël, verſamur.* Hæc ille.

AD CAPUT X.

EXERCITATIO LXV.

Summa capitis X. *In quo de origine Gentium. Deſcriptio primi regni in terra. Nimrod quis fuerit. Etymum nominis. An idem fuerit cum Belo? Gigantem cur vocent* LXX. Potens venator *cur dicatur.* Sicut Nimrod potens venator coram Domino. *Senſus proverbii. Geſta Nimrodi. Anabaptiſtarum objectio contra inſtitutionem Magiſtratus refellitur. Bodinus redarguitur, & regnorum multorum origo juſta aſſeritur. An venatio per ſe improbari debeat? Ioannis Sariſberienſis opinio affirmans. Hubertus venatorum Deus tutelaris. Argumenta quorundam contra venationes. Thomæ Mori Vtopia. Solutio quæſtionis per diſtinctionem. Deus leges venationis præſcripſit. Abuſus culpatur.*

CAp. x. Geneſ. narratur multiplicatio trium filiorum Noachi, & prima origo gentium, nationum & regnorum in terris, quæ omnia fuſe ſatis explicat Ioſephus Antiq. lib. I. Ubi oſtendit, quænam Ebræa vox & quomodo reſpondeat appellationibus nationum, quæ ſuo tempore apud Græcos fuerunt uſitatæ. Quod poſteà à pluribus factum eſt, non ſine aliqua variatione, ſed quæ ad rem Theologicam, quam tractamus, non pertinet. Ideò in talibus hærere non eſt animus. Illud tantum expendendum judicamus quod narratur verſ. 8. 9. & 80. de Nimrodo filio Chus, ex poſteritate Chami. *Ipſe* (inquit Moſes) החל להיות גבור *hechel lihjoth gibbor*, cœpit eſſe potens in terra. & ỳ. 9. Ipſe fuit potens ציד *tſajid*, venatione *in conſpectu Domini.* Et fuit principium regni ejus Babel & Erech, &c. in terra Sinhar. Deſcribitur enim initium primi regni in orbe terrarum ſive inſtituti, ſive uſurpati, ab autore, à potentia ejus, & à finibus dominationis ſuæ, ſive locis quos occupavit.

Autor appellatur Nimrod, cujus nominis Etymon eſt à מרד *marad*, quod propriè eſt oppugnare, opprimere, rebellare. Videtur nomen illud ipſi ab eventu datum fuiſſe à Sp. Sancto, propter ejus violentiam. Euſebius vult eundem fuiſſe cum Belo, Nini regis Aſſyriorum parente primo Babyloniæ conditore, quem fuiſſe Belum ex Eupolemo hiſtorico antiquiſſimo refert Alexander Polyhiſtor, apud Euſebium. Hanc Euſebii ſententiam pleriq; omnes ſequuntur Chronographi & hiſtorici, & Monarchiæ Aſſyriorum initia eidem adſcribunt. Ideo Tremel. & Jun. verſ. II. infra, ubi poſt mentionem terræ Sinhar, in qua primum regni initia poſuit Nimrod, additur, *Ex ipſa exiit Aſſur*; nomen *Aſſur* non accipiunt propriè, pro nomine viri alicujus ſic dicti ex poſteris Semi; ſed pro nomine terræ illius, quæ ab eo Aſſur, ſive Aſſyriæ dicta fuit, quam occupaſſe Nimredum ſignificari cenſent, qui non contentus limitibus prioribus, eam invaſit, & ibi condidit Ninevem, quæ ſic dicta fuit à filio ejus Nino. Sententia certè valdè probabilis. Nam Aſſyriorum Monarchiam fuiſſe omnium primam extra dubium eſt; Sed non putandum fuiſſe in ſuis initiis tam potentem, ut quæ hic dicuntur omnia, de perfectione ſint intelligenda, quæ de jactis tantum Monarchiæ, & amplarum urbium fundamentis & initiis agunt. Sed hæc & ſimilia Chronologis & hiſtoricis diſcutienda relinquentes, in quibuſdam hujus loci phraſibus explicandis laborabimus, & ſi quæ occurrant ad noſtrum inſtitutum ſpectantia, ea enodabimus.

Nimrod dicitur incepiſſe eſſe potens גבור *gibbor*. LXX

 haben:

habent, αὐτὸς ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς, *ipſe cœpit eſſe gigas in terra:* ubi nomen gigantis de ſtatura intelligi non debet, ſed de violentia, qua primus poſt diluvium imitatus eſt gigantes illos potentes in terra, qui dicti fuerunt viri nominis, de quibus dictum fuit in prima mundi ætate. Dicitur cœpiſſe eſſe potens in terra primò abſolutè; deinde *pótens venatione*, id eſt, *potens venator.* Venationem ad feras propriè referri notius eſt quàm ut opus ſit monere: ſed etiam figuratè oppreſſionem à violentis factam reliquorum hominum, venationi & aucupio comparari certiſſimum eſt. Nec poteſt in dubium revocari, hoc loco Nimrodum inſimulari, tanquam qui primus violentiâ ſuâ, & quaſi venatione, alios homines ſubegerit. Probabile eſt tamen, primùm ab arte venandi propriè dicta incœpiſſe, roburque ſuum & induſtriam adverſus feras primùm exercuiſſe, deinde facto periculo, homines ipſos invaſiſſe, prout accidit ſæpè, ut ex nimia venationis conſuetudine, homines ad immanitatem erga ſuos ſimiles procedant, & robuſti venatores, atque alii viribus præpollentes & potentes, tyranni fiant, & aliorum oppreſſores. Sic Eſau dicitur fuiſſe venator, qui etiam homo fuit violentus. Sæpiùs viri fortes & bellicoſi hoc rudimento militiæ fuerunt initiati, & ſunt hæc ferè bellorum crepundia.

Sed quid quod ℣. 9. ſubjicitur, *Ipſe fuit potens venator,* לפני יהוה *liphne jehova, in conſpectu Domini*, adeò ut id in proverbium abierit, *ſicut Nimrod, &c.* quid, inquam, ſignificet illud proverbium, & phraſis illa *in conſpectu Domini?* Proverbium illud ductum fuiſſe à violentia Nimrodi certiſſimum eſt, cujus fuit tanta potentia & tyrannis, ut, Deo volente, primi inter homines tyranni ſcelus traducere, priſci homines ad ſignificandum aliquem injuſtum, reliquorum hominum oppreſſorem, cœperint vulgò uſurpare, Iſte eſt qualis Nimrod, vel, Iſte eſt alter Nimrod, fortis venator coram Jehova; ut cum Poëta dicit,

Alius Latio jam partus Achilles.

Sic crudeles tyrannos vocamus *Nerones*, diſſolutos, *Sardanapalos*, &c. Scripturam autem per venationem, aliquando violentiam & ſævitiam intelligere, multa ſunt exempla quæ probant. Pſalm. 91. ℣. 3. *Quoniam ipſe me liberavit de laqueo venantium:* Jerem. 16. ℣. 16. *Miſſurus ſum ad multos venatores, ut venentur eos ex omni monte, &c.* & Ezech. 32. ℣. 30. *Ibi principes Aquilonis, & univerſi venatores:* ubi tamen Ebraice legimus וכל צדני *vechol tſidonij*, Pagninus vertit propriè, non appellativè, Et *omnes Sidonii*, ſic etiam Tremel. & Junius, idque rectiùs. Sed de re conſtat. Tantùm quæritur, cur additum fuerit, *coram Domino?* Ejus rei varii varias afferunt rationes. Nonnulli id acceperunt, quaſi Nimrod Deum ſacrificiis, quæ ex captis feris comparaverat, placare ſtuduerit. Cajetanus notat verba illa *coram Domino*, intelligi poſſe, vel *contempti vè*, vel *ſimulatè.* Per contemptum, ad exaggerationem violentiæ, & facti majorem deteſtationem, hoc ſenſu, contempto omni Dei timore, & ejus præſentiâ pro nihilo habitâ, tyrannidem in alios exercuit, quo modo exaggeratur crimen commiſſum ſpectante prætore, vel judice. *Simulatè* autem, quia cùm Politici etiam id Principibus ſuggerant, ut religionem ſaltem ſimulent, qua affectatione pietatis, etiam fictæ, capiuntur populi, Nimrod etiam ſe Dei cultorem finxerit, & ita abuſus ſit nomine divino, ut dominationem ſuam firmaret. Chryſoſtomus explicat, quaſi Deus aliquam conceſſerit ei eminentiam, *Coram Domino*, inquit, *id eſt, à Domino conſtitutus, eò quod acceperat aliquam ab illo divinam exiſtimationem.* Alius, *Deo connivente ac ſciente.* Joan. Druſius, Proverb. ſac. claſſ. 1. lib. 1. potiùs judicat id pertinere ad amplificationem virium & potentiæ ipſius: quemadmodum dicitur Ninive, civitas *magna Domino.* Sic vocatur juſtus coram Domino, qui verè juſtus eſt, & quaſi inſigniter. Id cum legiſſet Martinus Delrio, interpretationem ſuam fecit in Adagialibus, & ne deprehenderetur, in novatores declamat, quamvis à novatore id didicerit. Verus (inquit) commentarius eſt, etiam Dei judicio, valdè robuſtum ac potentem tyrannum fuiſſe. Hominibus ſæpè videntur tales, qui tamen imbecilles ſunt, & facilè poſſent everti. Solus Deus non fallitur, qui res omnes æqua lance ponderat. Eſt commoda expoſitio. Dicuntur *magna Deo*, quæ verè ſunt magna. Sic potentia viri illius magna fuit coram Deo, id eſt, verè magna. Abuſus eſt viribus ſuis, ut non ſolùm feras ſubigeret, ſed homines ipſos ſub jugum mitteret, & liberos ad ſervitutem adigeret.

Deſcribit poſteà Moſes regni ejus incunabula, & ei adſcribit urbis Babel & aliarum quarundam ædificationem. Ninivem etiam vel ab ipſo fuiſſe fundatam, vel à filio ejus Nino, plerique autores ſentiunt: etſi ex verſ. 11. alii id referant (ut diximus) ad Aſſur filium Semi. Qui ita ſentiunt, non negant à Nino Beli, id eſt, Nimrodi filio fuiſſe paulò poſt occupatam & auctam. Sed aliter alii verba textus interpretantur, מן־הארץ ההיא יצא *min haaretz hahij jatſa aſſur*, *Ex terra illa egreſſus eſt*, nempè Nimrod in Aſſyriam, id eſt, è terra Sinhar & Babylonia egreſſus Nimrodus, expeditionem fecit in terram Aſſur, ubi Ninivem condidit. Notant viri docti, N. Fullerus & Joan. Druſius, *egredi*, eo in loco ſignificare, egredi ad bellum, aut ad quærendum novas ſedes. Ita ſumi Judic. 2. ℣. 15. & 11. ℣. 3. Ita Zach. 14. ℣. 3. *Egreſſus eſt Dominus, pugnavit in gentes:* 2. Sam. 11. ℣. 1. *Quo tempore egrediuntur Reges, &c.*

Anabaptiſtarum & aliorum ἀτάκτων pervicacia hoc loco abutitur, ut ordinationem Dei eſſe negent, quod regnant Reges, & Principes juſtitiam decernant, etſi id alibi expreſſè Scriptura dicat. Primus, inquiunt, in terris Monarcha fuit Nimrodus, de quo expreſſè dicitur, quod cœperit eſſe potens in terra, & quod principium regni ejus fuerit Babel. Atqui is fuit rebellis & ſeditioſus

ſeditioſus homo violentus. Unde hoc argumentum formant. Quicquid à violenta & injuſta hominum oppreſſione trahit originem, ac malo nititur principio, illud non eſt à Deo conſtitutum. Sed Monarchicum imperium inter homines, à violenta & injuſta hominum oppreſſione originem trahit, ac malo nititur principio, ut ex Nimrodi hiſtoria conſtat; Ergò non eſt à Deo. Reſpondeo, Negari non debere, primam Monarchiam à Tyrannide cœpiſſe; ſed non propterea ſequi, tale regimen nunquam poſſe ſine injuſtitia ſuſcipi, etſi is qui primus illud uſurpavit, non ſine injuſtitia homines ſibi ſubjecerit. Nec probari debet quod Joan. Bodinus, lib. 1. de Repub. cap. 6. aſſerere non veretur, *omnia imperia primùm vi coaluiſſe.* Vidimus enim nuper, ante Nimrodum poteſtatem politicam *gladii* nomine ſignificatam, à Deo fuiſſe inſtitutam, ubi ſtatuit de homicidii pœna, Geneſ. 9. ℣. 6. Igitur neceſſariò diſtinguendum eſt inter poteſtatem in ſe, & poteſtatem in ſubjecto. Poteſtas enim in ſe à Deo inſtituta eſt, ſed non ſemper in ſubjecto eſt juſta & legitima, propter uſurpationem & abuſum. Tyrannis non eſt ipſa poteſtas, ſed vitium adveniens aliundè, ex hominum malitia.

2. A particulari ad univerſale non valet argumentum. Si Babylonicum imperium à violenta oppreſſione cœperit, ex eo non debet inferri, omnia imperia vi cœpiſſe, & per tyrannidem fuiſſe occupata. Nam ante & poſt Nimrodum politica poteſtas ab aliis fuit adminiſtrata, qui vel immediatâ divinâ vocatione, vel populi electione, eam primitùs obtinuerunt. Herodotus Hiſt. lib. 1. ait, Reges primùm à populis electos fuiſſe, & quidem iis qui opinione & laude tum prudentiæ, tum juſtitiæ præſtarent cæteris. Unde Cicero lib. 2. de Officiis; *Mihi quidem non apud Medos ſolùm, ut ait Herodotus, ſed & majores noſtros, juſtitiæ fruendæ cauſſâ, videntur olim benè morati Reges conſtituti. Cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præſtantem, qui cùm prohiberet ab injuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari jure retinebat.* Juſtinus initio hiſtoriæ, *Principio rerum, gentium nationumque imperium penes Reges erat, quos ad hujus majeſtatis faſtigium non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat.* Eadem habent alii, qui naturâ ipſâ duce, rem in ſe juſtam ac legitimam eſſe agnoverunt, etſi modum quo multi ad tales dignitates perveniunt, probare ſemper non poſſint. Si ergò id daretur, Nimrodum fuiſſe primum, qui dominationem in alios homines exercuit, non tamen ſequeretur, Magiſtratum à Deo non eſſe, quia per violentam hominum oppreſſionem gradum ſibi ad hanc dignitatem homo profanus feciſſet: diſtinguendum enim eſt inter rem ipſam, & modum quo quis eam conſequitur. Nam ſæpè res ipſa à Deo inſtituitur, ad quam nonnulli aſpirant, & aliquando perveniunt, per eos modos & rationes, quæ Deo minimè probantur. An non matrimonium eſt inſtitutio divina? Quàm multi autem conveniunt illegitimis modis, aliquando vi illata & raptu, ſæpè fraudibus & arte, nonnunquam alio fine, quàm eo quod Deus ſpectari voluit in conjugio ineundo. Miniſterium Eccleſiaſticum, ſanctam eſſe Dei ordinationem nemo negare poteſt. Sed quis neſcit multis modis peccari ab iis qui ſe ingerunt Eccleſiaſticis muneribus? Neque tamen propter nonnullorum vitia & abuſum, tollenda eſt ordinatio divina, aut ad hominum fraudes & malitiam, ejus origo referenda. Non ergò ſequitur imperia omnia eſſe abolenda, ſi primus qui imperium uſurpavit, nec in ſe juſtus fuit & bonus, nec illud juſtè acquiſierit, nec legitimè adminiſtraverit. Fuit ille quidem in culpa, & ejus dominatio, qua ſpecialiter in illo conſideratur, illegitima; ſed Magiſtratûs muneri, in genere conſiderato, nihil propterea deperit. Addimus etiam non omnia quæ à malo principio ſunt orta, eſſe propterea tollenda, quia ſunt nonnulla, quæ etſi initio non valeant, tractu tamen temporis convaleſcunt. Ex malis moribus bonæ leges naſcuntur, quæ propterea non minùs ſunt in pretio habendæ. Certè Regii ſtatus in populo Iſraëlitico inſtitutio, occaſionem habuit non bonam. Res ipſa in ſe bona fuit, cujus etiam futuræ Dominus in lege ſua meminerat, & Regi leges præfixerat. Et hæc quidem de argumento Anabaptiſtarum ex hoc loco.

Quia autem venationis fit mentio, & vitio dari videtur Nimrodo, quod fuerit *potens venator*, quod etſi tranſlatitiè hominum ratione dici poſſit, primùm tamen de venatione propriè ſic dicta intelligitur; non inutiliter hoc loco quæſtio practica inſtituetur, an venatio ſit honeſtarum recreationum loco habenda, & in viris principibus probanda. Joannes Sariſberienſis in Polycratico lib. 1. cap. 4. rem hanc pluribus perſequitur, & abuſibus qui in ea exercenda committuntur commotus, vix ſibi temperat, quin eam judicet non ſolùm homine Chriſtiano, ſed ne homine quidem dignam. Et inter cætera affert Nimrodi exemplum. *Tyrannidis,* inquit, *faſtigium in contumeliam creatoris à venatore incipiens, alium non invenit autorem, quàm eum qui in cæde ferarum & volutabro ſanguinis, Domini contemptum didiciſſet.* Ibidem pauló antè dixerat, *Venatores omnes adhuc inſtitutionem redolent Centaurorum. Raro invenitur quiſquam eorum modeſtus & gravis, raro continens, &, ut credo, ſobrius nunquam.* Poſteà, *Ab ætate prima, cujus rationis lege natura præſcripſerat, inſpice Patriarchas; data lege, tranſi ad Duces, procede ad Iudices, ad Reges progredere, percurre ſeriem Prophetarum, fidelis populi officia & ſtudia perſcrutare, quos in ſerie veteris inſtrumenti legis exercuiſſe venaticam? Nempè Idumæos & Iſmaëlitas, & gentes quæ Dominum neſciebant.* Et pauló poſt, *Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi, majores*

 tuos

tuos, & dicent, ſe nuſquam legiſſe ſanctum venatorem. Non ipſi fortaſſe notus fuit ſanctus Hubertus, *cui venanti* (ſi credere fas eſt) *inter cornua cervi Chriſtus apparuit*, ut narrat Molanus in indiculo ſanctorum Belgii, quem propterea invocant venatores, ipſumque patronum ſuum elegerunt, eidemque munus curandi canes ab Hydrophobia aſſignarunt.

Addunt alii alias rationes contra venationes. 1. Per eas animo in ſævitiam degenerante, homines à ferarum morte quotidiana, in ipſos quoque homines ſævire. 2. Quod Ariſt. Polit. lib. 1. cap. 5. Venaticam & prædatoriam conjungit, & hanc ab illa ortum habuiſſe docet. 3. Quidam venatorem definivit, *quod ſit beſtia, ſedens ſuper beſtiam, manu tenens beſtiam, ſecum ducens beſtiam, & inſequens beſtiam.* 4. Allegant injurias quas venatores irrogant agrorum & ſylvarum dominis, vinearum fructibus, ſatis & novellis plantis. 5. Pericula etiam quibus ſe exponunt, dum per montes & valles ferarum inſequuntur veſtigia. Ut quod Adrianus Imp. inter venandum fregit humerum, & crus penè contrivit. Quod Baſil. Imp. à cervo in cornua ſublatus, in mortis periculum adductus fuit: & alia multa funeſta quæ venatoribus acciderunt. Objiciunt etiam adverſus principes venatores, quod bona fiſci principalis & ſubditorum in homines leves & venatoria inſtrumenta, quorum ad venandum magnus apparatus eſt neceſſarius, inutiliter profundunt. Citant veterum quorundam dicta contra venatores, ex Hieron. in Pſal. 90. *Eſau venator erat, quoniam peccator erat, & penitùs non invenimus in Scripturis Sanctis ſanctum aliquem venatorem, piſcatores invenimus ſanctos.* Auguſt. in Pſal. 102. *Qui venatoribus donant, non homini donant, ſed arti nequiſſimæ, nam ſi homo tantum eſſet, & venator non eſſet, non donares. honoras in eo vitium, non naturam.* In venationem ſic declamabat Petrarcha. *Si errore depoſito in rem ipſam figis oculos, ſeminobilium ultimi ordinis exercitium hoc videbis, quos à rebus arduis torpor quidam & ignaviæ comes diffidentia, ab humilibus autem pudor & ſuperbia dehortantur & retrahunt. Ad honeſtum igitur nihil idonei ſylvas colunt, non vitam ſolitariam acturi, cui non minus quam politicæ ſe ineptos ſentiunt, ſed feris & canibus ac volucribus convicturi, quod non facerent niſi illis ſimilitudine aliqua juncti eſſent, qui ſi ex hoc voluptatem quandam, ſeu ſolam temporis fugam quærunt, viri ſtulti voti compotes forſan evaſerint. Sin neſcio quam ceu magnificentiæ, gloriam aucupantur, errant. Quænam quæſo, non Principibus modo, ſed ingenuis eſt gloria, mechanicis, imò ſervilibus delectari artibus, atque negotiis.* Sic Thomas Morus Angliæ Cancellarius in ſua Utopia, *totum hoc venandi ſtudium*, ex ſenſu Utopienſium, *ut rem liberis indignam, in lanios*, (quam artem per ſervos obibant) *rejicit, ſtatuebant enim infimam eſſe hujus artis partem, reliquas ejus partes & utiliores & honeſtiores, ut quæ & multo magis conferant, & animalia neceſſitatis duntaxat gratia, perimant; quum venator ab miſeri animalculi cæde & laniatu, nihil niſi voluptatem petat*, &c. Similia in eandem ſententiam à multis afferuntur.

Hæc tamen non debent nos movere, ut exercitium venationis abſolutè, tanquam planè Chriſtiano homine, aut etiam ſapiente indignum, damnemus; nec ea fuit mens illorum, qui aliquando huic arti videntur iniquiſſimi. Ipſe Sariſberienſis qui ſatis acriter rem agit, oſtendit tandem ſe in abuſum potius declamitaſſe, quam in moderatum uſum. *Venaticæ*, inquit, *immoderato voluptatis incurſu virilem animum concutit, & fundamentum rationis ſubvertit, utilis autem & honeſta eſſe poteſt ex loco, ex tempore, modo, perſona & cauſſa.* Ex tempore, ſi ei non impendatur, quod debetur cultui religionis, aut naturæ rerum, aut debito officii, aut magis neceſſariis occupationibus. Ex loco, ut in ſuo, vel communi, vel licito, exerceatur venatio, dum conſortibus non irrogetur injuria, &c. Modo, ne quis diutius licito, in opere tamen licito, ex prava conſuetudine, & immoderato amore, moretur; perſona, quia nulla verſatur in culpa, qui urgente ſtimulo neceſſitatis, non reprobati ſtudii exercitio vitam cogitur exhibere. Qui otii inertiam vitant, qui gerendis negotiis diſponunt membra dum laboribus aſſueſcunt, qui vitioſam corporis fugiunt molem, ſervata in omnibus dignitate perſonæ, juſtæ reprehenſionis non patiuntur aculeos; Opus enim non ex ſe, ſed ex cauſſa fit crimen. Cauſſa quoque actum poterit decorare, ſi aut neceſſitate ſubſiſtat, aut vigeat utilitate, aut honeſtate ſplendeſcat, ex affectu mentis, tota valeat ſubſtantia operis colorari.

Ideò Deus ipſe leges venationis præſcribit, Levit. 17. verſ. 13. *qui venatione atque aucupio ceperit feram, vel avem quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat eum terra.* Iſaacus mandat Eſavo, filio ſuo, ut egreſſus in campum ferinam capiat, Gen. 27. verſ. 4. quo etiam cibo vir ſanctus delectabatur. *Inculpabiliter*, inquit Sariſber. *ex ſancti Patris mandato venatum profectus eſt, ut & patris ſatiaret eſuriem, & promiſſam benedictionem impenſi merito officii obtineret.* Simſon cum Leonis catulo congreſſus eſt. Jud. 14. verſ. 5. David cum Leone & urſo, 1. Sam. 17. verſ. 34. & feras illas divino auſpicio, uterque debellavit. Salomon, dum adhuc ſapientiæ nomine commendaretur, cervorum, caprearum, ac bubalorum menſam regiam ferina inſtruxit. 1. Reg. 4. verſ. 13. Taceo exempla magnorum & piorum etiam aliquot virorum extra ſcripturas, & Philoſophorum ſententias in laudem moderatæ & tempeſtivæ venationis, quam Xenophon Cyropædiæ lib. 1. plurimum ſimilem eſſe notat labori militari, ideoque qui ad bellum aſſuefaciendi ſunt, ſtatim primis annis venationibus eſſe exercendos ſentit.

Quæ igitur in oppoſitum allata fuerunt, vel modum exceſſerunt, ut fit aliquando in declamationibus &

ſcriptis

ſcriptis Satyricis vel dicta fuerunt in eos qui venationibus nimium indulgent, qui *κυνηγητικομανίᾳ* quadam correpti vitam atque ætatem omnem in illis conſumunt exercitiis, ſicut de Mithridate Pontico narrat Patritius, lib. 3. de Regno, tit. 6. *quod annos* VII. *neque urbis, neque ruris tecto uſus, inter ſylvas quaſi errabundus vagatus fuerit*; qui voluptatem venationis præferunt officiis ſuis, & quid Reipub. & ſubditis debeant, obliviſcuntur. *Qui miſellis ruſticis plagas inferunt, ſata læta, boumque labores diruunt, qui inter cervorum greges, quaſi eſſent ex numero ipſorum, obambulantes, id tantùm ab iis differunt, quod lineamenta hominis geſtant*, ut de Hagide Curetum Rege loquitur Juſtinus lib. 44. Hæc & talia meritò culpantur, ſed moderatio qualis limitata fuit in culpa non eſt: quam tamen in tali exercitio, ut neque in plurimis aliis licitis, non ſervari, aut raro admodum, dolendum eſt & deplorandum, & inter venatores plures Nimrodos aut Eſavos reperiri, quàm Simſones & Davides. Sed de his hactenus.

AD CAPUT XI.

EXERCITATIO LXVI.

Quæ fuerit lingua qua initio omnes homines ſunt uſi? Ebræam fuiſſe probatur ſex argumentis. A quo Ebræa *dicta fuerit diſquiritur. Vera nominis ſcriptura. Theodoreti ſententia, quam ſequutus eſt M. Th. Erpenius. Ejus argumenta. Adverſæ ſententiæ rationes quibus ab* Ebero *ſic dictam fuiſſe probat Nic. Fullerus. Satisfit argumentis prioris ſententiæ quæ nomen Ebræum appellativum eſſe cenſet, quaſi* tranſitorem *quis diceret. An lingua Chaldæa Abrahami tempore ab Ebræa ita differret, ut ab Ebraicè purè loquentibus intelligi non poſſet. Negatur, & exemplis tota res illuſtratur.*

MEmorabilia ſunt quæ tractat Moſes cap. XI. de confuſione linguarum, in qua narratione ſunt nobis nonnulla accuratius perpendenda. Præfatur verſu 1. *Omnem terram*, id eſt, omnes terræ incolas, fuiſſe *labium unum*, *& verba una*, ad verbum; id eſt, omnes incolas terræ, eodem ſermone fuiſſe uſos. Hic quæritur, 1. qualis fuerit hic ſermo? 2. Quomodo vocatus & quæ cauſſa nominis? Ad 1. Antiquiſſimam omnium linguarum Ebræam fuiſſe plerique omnes ſentiunt, paucis exceptis, qui eum honorem Chaldaicæ deferre voluerunt. Nam quod Goropius Becanus, & alii nonnulli id ſuis linguis vernaculis aſſerere conati ſunt, riſu dignum eſt, non refutatione. Primam linguam fuiſſe unam ex Orientalibus, ubi primùm homo creatus fuit, ubi multiplicatum genus humanum, ſi quis velit in dubium vocare, ad agnatos & Gentiles eſt relegandus. Inter Orientales autem hanc laudem Ebræam mereri, & argumentis neceſſariis, & doctorum virorum autoritate comprobatur. Argumentis, quorum 1. deducitur à nominibus Patriarcharum, quæ manifeſtiſſimè Ebræa ſunt, nec id negare poſſunt, qui aliam ſententiam ſequuntur, ſed dicunt mutata fuiſſe propria nomina à Moſe, & transfuſa in linguam ſuam. Quibus ſolidè reſpondet Mercerus, Hiſtoricis in more poſitum eſſe nomina propria, etiam barbara, illibata retinere, licet aliquando mutent, ubi ſucceſſu temporis regionum aut locorum nomina ſunt mutata. Sed virorum ferè invariata retinere nomina, tantùm ad ſuæ linguæ flexionem & rationem accommodata, ita ut tamen origo facilè agnoſcatur. Addit, etyma omnia nominum propriorum ante diluvium & poſt, uſque ad diviſionem linguarum, non poſſe ulli alii linguæ tribui, ſicut nec aliorum, poſt illud tempus, quibus Moſes utitur, quam Ebraicæ. Neque enim poſſunt aliundè quam ex Ebraicis fontibus derivari nomina *Sethi & Cain*, aliaque. 2. Argumentum ex eo deducitur, quod quemadmodum in immenſa rerum hujus mundi congerie, præcipuum aliquid & eximium Deus in unoquoque genere produxit, quod reliquorum omnium ejuſdem generis menſura quædam exiſtat, ad quam exigantur, & qua ſingulatim explorentur: Ita in linguarum etiam infinita varietate eveniſſe cenſendum, unam præter cæteras à divina providentia conſtitutam, cujus directione ac puritate, aliarum omnium obliquitatem & impuritatem metiremur. Talem autem eſſe Ebræam agnoſcunt doctiſſimi quique, qui omnes alias linguas ad eam exigunt, ut à Scaligero & aliis factum eſt, in originibus Græcarum & latinarum vocum ſcrutandis. Meritò enim Hieron. Comm. in Sophoniam cap. 3. verſ. 18. omnium linguarum matricem eam appellat. Qui certè ejus rei idoneus fuit judex, qui trium linguarum Ebrææ, græcæ, & latinæ, ſuo tempore erat peritiſſimus.

3. Huic rei firmandæ facit, quod non ſolùm voces multæ, ſed etiam ipſa Characterum & litterarum nomina apud Græcos, originem habent Ebraicam: quod ne ipſi quidem Græci planè ignorarunt, qui ad Phœnices Deorum ſuorum nomina & literarum inventionem retulerunt, quorum quos primos inventores laudant, Cadmus & Palamedes Ebraica nomina habuiſſe certum eſt ex etymo.

 4. Si

4. Si quis autoritate certare velit, habemus in eo conſenſum omnium veterum qui poſtChriſtum ſcripſerunt, uno fortaſſe excepto Theodoreto, qui putat Ebręã linguam non fuiſſe ante Moſem, cui fuit tradita, ipſo autore, in monte Sinai. Antiquiſſimam autem omnium fuiſſe Syram, quod certè nunquam perſuadere poterit, iis quibus nota erit linguarum analogia, ex qua patet, Syram ab Ebræa, non Ebræam à Syra originem duxiſſe.

5. Sed præter noſtros autores, qui pro linguæ Ebrȩæ antiquitate decertant; ſunt etiam qui olim coacervarunt teſtimonia ex variis Gentium ſcriptis, qui jus illud primogenituræ (ut ita dicam) Ebrææ linguæ concedebant, quæ leguntur apud Joſephum contra Appionem: Euſebium, in lib. de præparatione Evangelica, & Cyrillum libro 1. contra Julianum.

6. Maxima omnium autoritas eſt ipſius Dei, qui linguam illam conſervavit in eo populo quem ſibi peculiarem voluit deligere, & in ea ſacra ſua oracula ſcribi voluit, quod argumento eſt nullam præſtantiorem fuiſſe linguam. Decebat præterea, ut verbum Dei primò ea lingua traderetur, quæ linguarum confuſionem præceſſiſſet, eaque conſervaretur in illis libris, qui ab omni confuſione ſunt alieni. Ideò etiam quia in ſacris codicibus manſit, vocata fuit *lingua ſancta* לשון הקדש *leſchon hakkodeſch*; cujus Epitheti hæc præterea poteſt addi ratio, quod turpia honeſtè & caſtè; profana etiam ſanctè ſolet proferre.

II. A quo lingua Ebræa dicta fuerit, vel qua occaſione, controverſia etiam movetur. Omnes quotquot Etymum attingunt ſeriò, volunt ſic dictam eſſe à voce עבר *Eber*, per ע *ajin*. Sed an à nomine proprio *Eber*, an vero à voce ſignificante *trans*, docti litigant, & in varias abeunt ſententias. Quicquid de eo ſit, cum nulli Grammatici literam ע *ajin* exprimant per aſpirationem *H*, ſequitur veram ſcripturam nominis *Ebræi*, vel *Ebraicæ* linguæ per ſimplex *E* apud latinos eſſe ſcribendam, & apud Græcos cum ſpiritu leni potius quam cum ſpiritu aſpero. Alioqui ſcribendum etiam eſſet nomen Emanuelis per *H*, quod nunquam factum eſt ab ullo, & abſurdiſſimum haberetur.

Sed ut ad controverſam quæſtionē veniamus. Theodoretus olim, in quæſt. in Geneſim, cenſuit Ebræos ſic fuiſſe appellatos, ex eo quod Abraham è regione Chaldæorum veniens in Palæſtinam, tranſivit fluvium Euphratem. Hinc eſt quod LXX. Ebræum interpretantur περάτην, id eſt, *tranſitorem* Hieronymo, aut *tranſmiſſum* ſeu *transfluvialem*, ut non incommodè vocem illam ex Græcis tranſtulit Auguſtinus.

Hanc ſententiam nonnulli recentiores docti viri amplexi ſunt, & pro virili confirmarunt, inter quos fuit, beatæ memoriæ, vir doctiſſimus, & collega mihi conjunctiſſimus M. Thomas Erpenius. Is in ea oratione qua linguam Ebraicam commendavit, cum ad ejus linguæ profeſſionem vocatus fuiſſet, dictam fuiſſe negat ab *Ebero* pronepote Sem, uti Joſephus, Hieronymus, aliique opinantur. Rationes has affert, 1. Quod *Eber* potius Chaldaicè quam Ebraicè locutus fuerit, quod ex eo conſtat, quod Abraham Patriarcha, qui ab eo originem traxit Chaldæus fuit, & ex Chaldæis oriundus, ſicut literas ſacras conſideranti clarè patet. 2. Quod ab eo ad Abrahamum uſque, nemo ab Ebero, Ebræus nominatus legitur. Quid ergo? teſtibus, inquit, omnibus Rabbinis, Origene, Auguſtino, & aliis, ab *Ebræis*, qui populus fuit oriundus ex Canaane, quem conſtat poſt confuſionem illam Babylonicam, cum ſuis Aſiæ litoralis tractum occupaſſe, qui eſt inter Jordanem fluvium & mare mediterraneum: & ab ipſis appellatus fuit, *terra Canaan*. Hi enim licet generali nomine Cananæos ſeſe, & ſpecialibus aliis à familiarum patribus appellarent, à Chaldæis, à quibus ſeſe eo migrantes ſeparaverant, & vicinis populis, Ebræi ſunt vocati, ac ſi *Trajectores* dicamus, quod trajeciſſent Jordanem, cujus trajectus in Orientis illis terris memorabilis eſt. Quæ cauſſa eſt cur Abrahamus, cum relicta Meſopotamia, patria ſua, in eam quoque provinciam ſeceſſiſſet, *Ebræus* appellatur in libro Geneſeos.

Addit, non eſſe putandum, ab hoc Abrahami tranſitu primum cœpiſſe nominari Ebræos ipſum Abrahamum, & ſolos ejus poſteros, cum ex hiſtoria Joſephi Patriarchæ conſtet, nationem Ebræam jam tum notiſſimam fuiſſe Ægyptiis, quod utique fieri non potuiſſet, ſi in ſola Iacobi familia fuiſſent Ebræi. Cananæos ergo fuiſſe Ebræos, & Ebraicè locutos, uti & Abrahamus cum ſuis, poſtquàm eam linguam à Cananæis didicerunt. Unde & lingua Ebræa, Cananæa vocatur à Propheta, prædicente fore, ut in Ægypto quinque urbes Ebraicè loquerentur. Hæc vir doctiſſimus, cujus memoriæ ut maximè faveo, ejuſque judicium ſemper magni feci, ſic vellem ut tanti ponderis eſſent ejus argumenta, ut nulla alia me in contrariam ſententiam traherent. Neque id cum viveret vir modeſtiſſimus ægrè tulit, qui noverat ſententiam illam pleriſque Theologis, aliiſque non paucis, ingenio, doctrina & linguarum ſcientia præſtantiſſimis viris, non probari; Inter quos fuit ille, quem magni fecit *Nicolaus Fullerus* Anglus, qui contrariæ ſententiæ argumenta protulit, & ea quæ pro nova illa, quam vocat, opinione (etſi non nova ſit, ut oſtendimus) afferuntur, non evincere quod volunt, probavit in doctiſſima ſua lucubratione *Miſcellan. Sacrorum.* lib. 4. cap. 4.

Primum quod affert argumentum deducitur, ex eo quod initio diximus, Ebræam linguam eſſe antiquiſſimam & ſanctiſſimam, nec id probatione indiget apud autores contrariæ ſententiæ. Id enim in illa ipſa oratione probabat noſter Erpenius. Eſt igitur lingua, quæ conſervata fuit à Deo in θεοπνεύστοις libris, quaſi regula de cœlo delapſa, ad quam omnia omnium linguarum judicia dirigerentur; Unde optimè concluditur, non eſſe

eſſe credibile tanti pretii theſaurum, maledicti Chanaani poſterorumque ejus fidei curæque fuiſſe commendatum & traditum: Sed potius reconditum manſiſſe penes domeſticos Eccleſiæ Dei Noachum, Semum, Eberum, quos credibile eſt non fuiſſe participes conſpirationis illius in campo Senaar initæ, de qua poſteà dicendum erit.

Hæc omnia perſequitur Auguſtinus lib. de Civit. Dei 16. cap. 11. Ubi linguæ illius conſervationem Ebero, & piis ab ipſo ortis tribuit. Et ab eodem nomen ſumpſiſſe non ſemel aſſerit; ut mirum ſit, à viro, alioqui diligentiſſimo, Auguſtinum fuiſſe numeratum inter eos qui contrariæ ſententiæ faverent. Ibi enim dicit, in linguarum confuſione non defuiſſe domum Eberi, ubi ea quæ anteà fuerat omnium lingua remaneret: Unde etiam ſentit factum fuiſſe, ut Geneſ. 10. ℣. 22. quum cœpiſſent enumerari filii Sem, qui ſinguli gentes ſingulas procrearunt, ut primus commemoraretur Eber, quum ſit abnepos ipſius, hoc eſt ab illo quintus inveniatur exortus. Addit, *Quia ergo in illius familia remanſit hæc lingua, diviſis per alias linguas cœteris gentibus, quæ lingua prius humano generi non immeritò creditur fuiſſe communis, ideò deinceps Ebræa eſt nuncupata.* Hæc ille, qui ibidem plura addit in eandem ſententiam. Inter quæ hæc ſunt notanda, quod poſtquàm dixiſſet, manſiſſe linguam illam *quæ fuerat anteà communis, in ea gente à cujus nomine nomen accepit,* ſubjicit, *hoc juſtitiæ gentis hujus non parvum apparuiſſe veſtigium, quod cum aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad iſtam non pervenit tale ſupplicium.* Ubi aptè & appoſitè, à perpetua Eccleſiæ ſucceſſione in illa gente, conſimilem etiam primæ linguæ, immutabilis atque incorruptæ continuationem, ad ipſum uſque benedicti ſeminis adventum, concludit.

Argumentum etiam deſumit ſatis firmum, ab eo quod Eber electo Dei populo peculiare nomen dedit. Cum enim de eo ageretur cap. 10. non ſine cauſſa dictum eſt, *Sem fuiſſe Patrem omnium filiorum Eberi,* unde Auguſt. rectè colligit, linguam primigeniam quam ipſis tranſmiſit ab eo duxiſſe nomen. Quemadmodum enim deinceps, ætatibus ſequentibus, à Juda, Judaica dicta fuit, ſic olim Ebraica, ab Ebero. Certè non poteſt eſſe fine cauſſa, quod Sem potius dicitur *pater omnium filiorum Eberi,* quam aliorum qui ab eo prognati erant. Quia enim Moſes egerat cap. 9. de benedictione quam Semus à parente obtinuerat, oppoſita maledictioni Canaam, ut dictum fuerat de Chamo, quod *pater erat Canaam,* ſic addidit de Semo, quod *pater fuit filiorum Eberi,* id eſt, *Ebræorum*; ut ſuam originem Ebræis ob oculos poneret, & eos ſolaretur quod à tali parente prognati fuiſſent; & ſimul (quod ſupra dictum eſt) oſtenderet Cananæos ab eo patre originem duxiſſe, qui patri filiorum Eberi in ſervitutem redactus fuiſſet. Ergo ut Cham pater Canaam, fuit parens Cananæorum, ſic Sem pater filiorum Eberi, eſt pater Ebræorum, ut vix dubium eſſe poſſit, quin hæc ſit nominis origo & cauſſa, item cur lingua dicta ſit Ebræa quæ anteà communis fuerat.

Huc referendum etiã eſt vaticinium Bilhami, Numerorum cap. 24. verſ. 24. cum extra ſe ipſum raptus, propheticè uſurpat propria autorum nomina, pro conjugatis gentilibus aut patronymicis, *ut naves,* inquit, *à littore Cittæorum ſolventes, affligent Aſſur, & affligent Eberum.* Ubi rectè vulgata, & alii interpretes, Aſſyrios & Ebræos. ut ergo ab Aſſur Aſſyrii; ſic ab *Eber* Ebræi.

In priori ſententia id planè nobis incredibile videtur, quod gens ſancta, Patriarchæ & eorum poſteri, propria qua anteà utebantur lingua abdicata, gentis Cananææ linguam didicerint, eamque ſibi ſervaverint, ut ea lingua Deum colerent. Id enim non convenit cum eo quod ubique ſcriptura teſtatur, non ſolùm Judæos, vel Ebræos, ſed omnium etiam ſeculorum fideles domeſticos Eccleſiæ, & filios Dei, ut eos vocare ſolent ſacræ literæ, ſemper cautè & ſollicitè omnibus ſeculis, uſque ab ultima antiquitate, abſtinuiſſe à profanarum gentium hominumve conſuetudine & familiaritate. Adeò ut, quemadmodum anteà audivimus, hujus cautionis neglectus, diluvii poſteà totum orbem inundantis, præcipua & propè ſingularis & unica cauſa afferatur.

Poſtquàm autem Deus Abrahamo ex natali ſolo evocato, in ejus familia populum ſibi proprium elegit, eundem etiam ab aliis gentibus, maximè Cananæis voluit ſeparare, idque multis & variis modis, inſtitutis in eam rem legalium ceremoniarum & externæ politiæ diſcriminibus, ut ſuos arceret ab impiarum gentium communione, adeò ut Deut. 7. verſ. 2. 3. 4. 5. 6. ſeverè prohibuerit, ne cum eis fœdus inirent; imo nec earum miſererentur, ſed internecioni darent; aras earum, ſtatuas & lucos diſperderent, &c. Quæ magnum illum Patriarcham Abrahamum latuiſſe, non eſt veriſimile; non obſervaſſe ut credamus, pietate ejus indignum eſſet; *quæ præcepturus erat filiis ſuis, & familiæ ſuæ poſt ſe, ut cuſtodirent viam Domini, &c.* Geneſ. 18. verſ. 16. Ipſum autem ab Idololatrarum conſortio quantum fieri potuit caviſſe, ex ſacra hiſtoria conſtat. Quomodo igitur crederemus eum linguam Chananæorum didiciſſe, & poſteros docuiſſe? Quid enim magis abſonum dici queat, quam ut idem eorum familiaritatem devitet, quorum linguam addiſcat? Rectè à non nemine dictum eſt, ſocietatis conjunctioniſque humanæ vinculum eſſe rationem & orationem, quarum illa intima eſt, hæc vero externa, de qua nunc loquimur. Hoc ſi ita eſſet, ſequeretur, quos Deus olim linguarum confuſionis pœnâ (quam Deus in beneficium erga ſuos converterat) quaſi firmiſſimo muro diſcluſerat, facileque evitandos reddiderat, Abrahamum, communi ejuſdem linguæ uſu (qui primarius eſt omnis commercii gradus) propiùs ſibi conjunxiſſe,

junxiſſe, perfoſſo, imò diruto muro illo, ſibi quidem difficiliùs evitandos, poſteris autem inevitabiles propemodum effeciſſe. Quâ certè portâ ſemel apertâ, vix potuit vitari contagio gentis maledictæ. Cùm autem ne ſepulturam quidem voluerit habere cum gentibus idololatris communem, ut ex cap. 23. Geneſ. patet, non eſt credibile, voluiſſe ipſum propriâ linguâ abdicatâ, in exterorum linguam conſentire.

Ex quibus conſequitur, Abrahamum Ebræâ linguâ ſemper uſum fuiſſe, & Chananæam quaſi conſultò rejeciſſe. Non enim pro leviculo olim eſt habitum, ſanctum Dei populum ſermoni peregrino, ne Moabitarum quidem aut Ammonitarum, quanquam Lotho Abrahami conſanguineo oriundorum, quia idololatræ eſſent, conſueſcere, nedum Chananæorum, qui non modo religione profani, ſed genere etiam prorſus extranei, atque adeò ante alios execrandi fuerunt. An Nehemiam Abrahami filium, tanto zelo, tam mirificè accenſum legemus, cùm Judæos quoſdam Azoticè loquentes deprehenderet, Judaicè autem neſcientes, ut eis malediceret, eos percuteret, glabraret; magnum verò Patriarcham, alioqui zelo nemini ſecundum, ita deferbuiſſe, aut potiùs conglaciaſſe cenſebimus, ut patrium & avitum ab Ebero acceptum ſermonem dediſcere, maledictum autem, à Chanaane extrinſecus acceſſitum, addiſcere ſuſtinuerit?

At, inquiunt, Abraham Chaldæus fuit, unde ſequitur eum Chaldaicè fuiſſe locutum. Chaldæum fuiſſe Abrahamum Scriptura dicit, & tum fortè lingua vulgaris Chaldæorum ab Ebræa pura deflexerat in vulgo. Sed Chaldæam linguam, fuiſſe tum Ebrææ dialectum ſatis patet, neque poſteà adeò receſſit, ut à puris Ebræis non intelligeretur, vel illi non intelligerent Ebraicè loquentes. Abraham puritatem linguæ in ſua familia, ſingulari Dei providentiâ ſervavit, in eum, de quo dictum eſt finem. Quod ſi dicant, neceſſarium ipſi fuiſſe, ut aſſueſceret linguæ Chananæorum, cum quibus verſari debuit in peregrinatione ſua, nec etiam legatur eum fuiſſe interpretibus uſum, cum apud eos verba faceret. Idem etiam reſpondebimus, Chananæos quidem linguam Ebræam corrupiſſe, ſed tamen manſiſſe apud eos eam dialectum, quæ intelligi poſſet ab Ebræis. Neque enim tum, etſi differentia obſervaretur, adeò deflexerant ab Ebræa reliquæ orientales linguæ. Quicquid ſit, videmus in unico regno, in variis provinciis diverſiſſimas dialectos; omnes tamen communem linguam intelligere, etſi variè loquantur & aliqui difficillimè intelligantur, ſed qui puram & communem linguam norunt, eam non mutant cum minus puris dialectis; neque enim puri Galli, cum apud Vaſcones verſantur, aut Occitanos, etſi cum iis verba commutent, linguam ſuam mutant.

Secundum argumentum non eſt majoris ponderis, quod ab Ebero ad Abrahamum uſque, nemo Ebræus fuit cognominatus. Nam primò, audivimus Semum fuiſſe dictum *Patrem omnium filiorum Eberi*, id eſt, *Ebræorum*. Deinde, vixit etiam Eber cum Abrahamo, nec mirum eſt in familia Abrahami, Eberi nomen manſiſſe, quia ſola fuit hæres pietatis Eberi.

Tertium, ex eo quod nomen *Ebræorum* notum erat Ægyptiis, quod fieri non potuiſſet, ſi in ſola familia Jacobi fuiſſent Ebræi, non magis convincit. Unde enim probabitur jam tum fuiſſe notiſſimum nomen Ebræorum Ægyptiis? Nempè quia Joſephus puer Ebræus ab Ægyptiis appellatur. Sed cur non dicemus ſic appellatum fuiſſe, quia ſe talem profeſſus erat?

Quod ex Eſaia objicitur, Ebræum ſermonem Chananæum appellari, Eſai.19. ℣. 15. rectè diluit Nicol. de Lyra, reſpondens linguam Iſraëliticam Chananæam dici, non quod eâ Chananæi locuti fuiſſent primò, ſed quod eorum, qui terram Chananæam jam multa ſecula poſſederant, nempè Iſraëlitarum, propria eſſet. Quare lingua Chanaam, non dicitur lingua *Chanaani*, cum jod in fine, ut ad Chananæos referatur, ſed lingua quæ tum in uſu erat in terra Chanaam, quando ſcribebat Eſaias; cui expoſitioni optimè congruunt ſequentia.

Quid ſi concedamus, linguâ propriè Chananæâ, hoc eſt (ſi Hieronymo credimus, Comm. in Eſaiam lib. 5. cap.19. & lib. 7. cap.19.) *Syrâ, quæ inter Ægyptiam & Ebræam media eſt, præconium ſuum ſalutare peregiſſe Apoſtolos, qui in Ægyptum miſſi fuerunt?* quibus cunctis tum linguam Syram fuiſſe vernaculam, extra dubium poni debet. Prior tamen reſponſio mihi magis probatur, ut ſenſus ſit, *linguâ loquentur non ſuâ*, ſed eâ quâ Judæi habitatores terræ Chanaam familiariter utuntur; quia illorum etiam religionem amplectentur, nec amplius per Oſiridem & Iſidem patrios Deos, ſed per Deum, quem colit Iſraël, jurabunt: adeò ut per linguam Chanaam, non tam verba ipſa linguæ illius, quàm verborum ſenſus intelligi debeat, pietas nempè & Religio, quæ ex Sion & Jeruſalem communicari debebat exteris nationibus.

Quod autem diximus, potuiſſe ſe mutuò intelligere Ebræos & Chananæos, patet ex eo, quod Auguſtinus, Tom. 9. tract. in Evang. Joan. 15: cognatas eſſe & vicinas linguas agnoſcit, Ebraicam, Punicam, & Syram. Punicam autem linguam, fuiſſe linguam propriam Chananæorum, quorum pars fuerunt Tyrii & Sidonii, certiſſimum eſt: cui *penè omnia Ebræa conſona eſſe*, alibi ait idem Auguſt. contra Lit. Petil. lib. 2. cap. 104. ſed non tradit, quod prioris ſententiæ autores ipſi adſcribunt, eandem fuiſſe cum Ebræa.

Exer-

EXERCITATIO LXVII.

Vnde linguarum diverſitas inter homines. Quomodo ab oriente *venerint homines in planitiem* Sinhar. *Vbi fuerit mons in quo quievit arca. Solutio quæſtionis de profectione ab oriente. Regio* Schinhar *quænam fuerit? Scopus ædificantium turrim Babel improbatus. Argumenta negantium eos peccaſſe, ſolvuntur.* Filii hominum, *in malam partem.* Aſſurgere faſtigio in cœlum, *phraſis Ebraica, malè à Iuliano accepta. In quo conſtiterit peccatum Babyloniorum. Poëtarum Gigantomachiam ex hac hiſtoria ortam videri: Abydeni apud Euſebium de eo teſtimonium.*

IN ſequentibus narrat Moſes, unde linguarum diverſitas apud homines initium habuerit, & qua ratione factum fuerit, ut homines, qui nondum diſperſi erant per varias regiones, adacti fuerunt ad eam ſeparationem, qua diverſas quærere terras, & novas replere ſedes ipſis neceſſum fuit. Primò locum deſignat in quem omnes convenerant, & quid ibi moliti fuerint explicat. Locus fuit vallis, in terra Sinhar, in quam pervenerunt, בנסעם מקדם *beno'ſam mikkedem,* in proficiſcendo eos ab oriente. Quæ verba difficultatem habent, apud eos qui conſiderant ſitus locorum, tam ejus à quo primùm profecti ſunt homines, quàm illius ad quem pervenerunt. Ut enim benè quadret verſio, videtur neceſſarium, ſi ambulando pervenerint ad orientem, ut ex occidente profecti ſint; vel ſi profecti fuerint ab oriente, in aliam orbis plagam, occidentalem nempè, pervenerint. Moſes in hiſtoria diluvii narravit, arcam in qua Noachus cum generis humani reliquiis conſervatus fuit, requieviſſe ſuper montes Ararat, quos Vulgata interpretatur *Montes Armeniæ.* Intelligitur autem non Armenia minor, quæ pars Cappadociæ à Geographis cenſetur, ſed Armenia major, quæ latiſſima regio eſt: *Noſtris,* inquit Tacitus Annal. lib. 2. *provinciis latè prætenta, penitùs ad Medos porrigitur.* Montoſam fuiſſe & eſſe regionem, omnes tradunt Geographi. In quo autem monte conſederit arca, & in quam planitiem primùm deſcenderint homines, Scriptura non explicat. Autores vetuſtiſſimi apud Joſephum Beroſus, Hieronymus Ægyptius, & Nicol. Damaſcenus, ille quidem montem *Cordæorum,* hic vero montem *Barim,* quem Epiph. *Loubar* appellat, nominat, Antiq. Judaic. lib. 1. cap. 4. ubi nulla eſt inter autores repugnantia, quia mons Baris fuit locus proprius in quo conſedit arca; *Cordæi* autem deſignant communem tractum, cujus mons ille pars fuit, qui ſitus eſt in aquilonari Carduenæ ſeu Cordyænæ latere, ex quo loco, ſaltem ex regione circumjacente, Noachum filioſque cum ſuis univerſis profectos, in campum Sinhar, ſive Babylonicum perveniſſe, apud omnes in confeſſo eſt.

Ex inſignium autem & diligentiſſimorum Geographorum tam veterum, quàm recentium deſcriptionibus liquet, partem hanc Armeniæ majoris, maximè orientalem, à campo Babylonico, rectà ad Septentrionem vergere. Qua ratione, potius homines illi מצפון *mitſtſaphon,* à ſeptentrione, quàm מקדם *mikkedem,* ab oriente profecti cenſeri debent. Hunc nodum ſolvendi duplex affertur modus. 1. Si præpoſitio מן *min,* initio dictionis מקדם *mikkédem,* non ſignificet terminum à quo, ſed potiùs deſignet terminum ad quem, atque ita vertatur, *ad orientem,* non autem, *ab oriente,* ut ſignificetur veniſſe illos *orientem verſus.* Tranſmiſſo nempè Tigri fluvio prope ejus fontes, per Armeniam & Meſopotamiam ſub ipſis Tauri montis radicibus, in campum Sinaar perveniſſe, *orientem verſus.* Nam campus Babyloniæ ad orientem erat, reſpectu non Judææ tantùm, ſed ex Armenia venientes in Babyloniam, tendebant verſus orientem. Præpoſitionem verò מן *min,* poſſe hanc ferre interpretationem, ex eo probatur, quod non aliter accipi poteſt, Geneſ. 13. ℣. 11. ubi cum Lothus diſcederet ab Abrahamo è terra Canaan, & proficiſceretur מקדם *mikkedem,* hoc eſt, Sedomum, ad Jordanis ripam; non poteſt ibi reddi, *ab oriente,* ſed, ut benè animadverterunt Tremel. & Junius, *orientem verſus.* Ita 1. Sam. 14. ℣. 5. Hieron. מצפון *mitſtſaphon,* vertit, *ad Septentrionem,* *ad Aquilonem,* & מנגב *minnegeb, ad Meridiem,* quod non feciſſet, ſi מן *min,* non ſignificaret aliquando motum ad locum. Sic etiam judicat doctiſſ. Fullerus accipiendum eſſe, quod legitur 2. Sam. 6. ℣. 2. *Surrexit, abiitq; David, & totus populus qui erat cum ipſo,* מבעלי יהודה *mibbaale jehuda,* id eſt, *ad Baalima,* vel, *Baalima verſus;* idque confirmat, partim manifeſta loci ſententia, quia oppidum illud, quod vocabatur etiam Kirjath-jearim, erat terminus ad quem tendebat David, ut inde Arcam deduceret Jeroſolymam, partim liquida loci ſimillimi atq; adeò gemini elucidatione, 1. Chron. 13. ℣. 6. ubi dum eadem memoratur hiſtoria, dicitur David cum toto Iſraële aſcendiſſe בעלתה *baalátha,* in Bahalah, in Kirjath-jearim, adjecta in fine litera ה nota motûs ad locum. Qui duo loci inter ſe comparati, nullum dubium relinquunt, utrobiq; nomen בעלה *baalá,* accipiendum eſſe, non pro *dominis,* aut pro *viris,* ut in primo acceperunt plerique interpretes, ſed pro nomine loci, ex quo Arca erat deducenda. Sic uſos fuiſſe particula מן LXX interpretes, patet ex loco Geneſ. 13. ℣. 3. ubi εἰς τὴν ἔρημον, *in deſertum,* vertunt,

quod Ebraicè legitur מנגב *minnegeb*. Sic igitur hoc loco legendum eſſet, *Cùm profecti eſſent orientem verſus*,

Sed quia talis conſtructio apud Ebræos rara eſt, quam nullus interpretum veterum aut recentiorum hoc loco ſequutus eſt, ſi aliter poſſit ſolvi nodus, non exiſtimarem tentandam eſſe verſionem novam. Quo nomine etiam non mihi arridet alia conciliandi ratio, quam acutè excogitavit, is de quo dixi, vir doctiſſ. Fullerus, qui ex eo quod Aquila, Geneſ. 28. illud מקדם *mikkedem*, vertit ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*, exiſtimat hîc ſententiam explicatu facilem eſſe, ſi eam hoc modo quis vertat, *Evenit ut cùm olim, vel initio proficiſcerentur homines, invenirent convallem in regione Sinnaar, & habitarent ibi.* Videtur ergò expeditior via, quam idem Fullerus indicavit, quam ferè omnes inierunt, qui in hac difficultate hæſerunt, nempè ut dicamus, cùm omnia in montibus Armeniæ circumpoſita, montoſa ferè eſſent & aſpera, ex montibus Araratæis ſeu Arduenis, faciliorem fuiſſe priſcis illis mortalibus deſcenſum in partes Mediæ proximas. Unde cùm palantes paulatim progreſſi fuiſſent ad Mediæ Aſſyriæque confinia, in unum velut agmen poſtmodum collecti, ordinatæ & compoſitæ profectionis initio facto, per Aſſyriæ campos latè patentes, ad Tigridis ripam univerſos pariter pertendiſſe, probabile eſt. Quo pacto, iter illud majore ſui parte, eâque præcipuâ, מקדם *mikkedem*, *ab oriente*, veriſſimè factum judicatur. Sic etiam Junius in poſtremis editionibus difficultatem expedivit; Cùm ex montibus Ararati, Aſſyriam primùm Adiabenam petiviſſent, unde regreſſus fuit in Babyloniam, occidentem verſus. Sic difficultas ſublata eſt, niſi obſtet adhuc trajectus Trigidis, fluvii ibidem ampliſſimi, profundi & rapidi. Sed quibus non defuit induſtria ædificandi turres præaltas, iidem etiam potuerunt ſibi parare navigia ad trajiciendos fluvios, quod certè neceſſarium in primis fuit, in hominum diſperſione. Poteſt autem materia parari, non tantùm ex lignis, ſed etiam ex aliis materiis, viminibus, juncis, papyro, corio, &c. quam induſtriam non defuiſſe barbaris hominibus, navigationes ſuperiorum temporum ſatis probarunt.

Et hæc de termino, ut loquuntur, à quo. Sequitur terminus ad quem, *invenerunt* בקעה *vallem*, ſeu planitiem, *Sinhar, & habitarunt ibi.* Hanc planitiem Epiphanius in Aſſyria ponit; Joſephus ex Heſtiæo, in provincia Babylonis, quam ſententiam confirmat Scriptura Zach. 5. ℣. 11. ubi exhibetur Prophetæ viſio de duabus mulieribus efferentibus Epham inter terram & cœlum; Prophetâ autem ab Angelo quærente quò deferrent Epham, reſponſum fuit, ut ædificet ſibi domum in terra Schinaris: ubi manifeſtè agitur de Babylonia. Suprà autem cap. 10. ℣. 10. plures urbes in eadem terra ædificatæ recenſentur, ſub dominatione Nimrodi. Amœnam fuiſſe regionem & fertilem oportet, in qua primùm habitarunt, quorum in poteſtate fuit delectus, & res ipſa indicat, vix eſſe in toto orbe regionem magis fertilem. Hinc eſt quod ibi voluerunt ſubſiſtere, & conſtructis primùm ſparſis domiciliis, aliquandiu habitare, donec aucti, cogitarunt de civitate & turri mirandæ celſitudinis ædificanda.

Finem operis ſuſcepti, non opus eſt ut aliundè petamus, quàm ab ipſorum verbis, quæ certè non patiuntur, ut bonum fuiſſe & laudabilem exiſtimemus. Id quidem verum eſt, urbes & loca munita ædificare per ſe non eſſe illicitum, imò expedire, & in populo Dei multas fuiſſe urbes munitiſſimas, alias etiam quæ ſubinde auctæ fuerunt à piis regibus. Sed multum intereſt, ad facti vituperium vel laudem, ut innoteſcat autorum conſilium & ſcopus. Meritò non probatur pleriſque interpretibus magis accuratis, eorum ſententia, qui putant, homines hoſce voluiſſe ſe munire, vel contra diluvium, vel contra incendium. Utrique opinioni repugnat, quod paucis tantùm hominibus poſt numeroſam multiplicationem uſui eſſe potuiſſet turris, aliorum reſpectu, quos continere non potuiſſet. Primæ etiam obſtat, 1. quod ſciebant diluvium non eſſe ampliùs metuendum. 2. Quod turris nulla potuit arte humana ædificari, quæ montes illos adæquaret, quos aquæ ſuperaverant. 3. Quod ſi metuerint ſibi ab incendio cœleſti, turris præalta ei malo remedium non attuliſſet. Quæruntur potiùs adverſus fulmina & cœleſtes ignes, loca depreſſa & cavernæ terræ.

Sed quid opus eſt vel conjecturis, vel vaticinationibus, cùm Moſes expreſſè conſilium eorum aperiat ℣. 4. *Faciamus nobis nomen, ne fortè diſpergamur ſupra facies omnis terræ.* Ibi duo fines proponuntur, quorum primus famam ſpectabat & nominis celebritatem; ſecundus autem, ut de ſtatione aliqua firma ſibi proſpicerent, & communi vel receptaculo, vel potiùs trophæo erecto, quo viſo è longinquo, ſemper poſſent ſe ad ſuos recipere, nec longè ab iis locis aberrare, in quibus primò ſedes locaverant. Hoc enim videbantur moliri, ne cogerentur ad id, quod tamen ſtatutum erat à Deo, ut diſperſi in varias orbis regiones, terram tandem replerent. Quod cum impedire vellent hac ſua molitione, Deus eadem occaſione uſus eſt, ut opus ſuum perficeret. Neque tamen certò, cum quibuſdam, affirmare poſſumus, eos datâ operâ voluiſſe reſiſtere decreto divino ſibi noto. Ipſis enim fuiſſe notum, ex textu Ebræo non poteſt colligi. Græca verſio, quam Latina ſequitur, id indicat, quæ vertit, *antequam diſpergamur*; ſed ſi locum habeat talis verſio, non impedire voluerunt diſperſionem, quam ſupponunt, tantùm antequam id fieret, aliquid memorabile aggredi voluerunt, ut in eo loco, in quo primùm habitaverant, maneret tale monumentum, quod poſteritati memoriam autorum refricaret. Ebræam lectionem præferentes, duos illos fines fuiſſe his hominibus propoſitos non dubitamus, ut facto aliquo ſingulari in futuro fa-

mæ

mæ conſulerent; in præſenti vero, ut ſe ipſos ſimul continere poſſent, & ita haberent commune ſignum unitatis, ad quod quoties opus eſſet convenirent.

His ita conſtitutis, quæſitum fuit, utrum ædificando civitatem illam & turrim, talibus finibus ſibi propoſitis, graviter peccaverint necne. Sunt qui eos ab omni peccati macula liberant; inter quos Alph. Toſtatus Abulenſis, qu.8. in c.11. Geneſ. hoc argumento ducti. Si peccarunt, peccarunt vel quia in ſe actio erat mala, vel quia finis non bonus. Neutrum autem dici poteſt. Ergo non peccarunt. Aſſump. probatur. De primo, quia turrim ædificare per ſe eſt indifferens, nec bonum nec malum. De ſecundo autem, quia finis uterque bonus fuit; nam primò nolle diſpergi & invicem ſeparari, ſed in ſocietatem convenire & civilem vitam degere, naturale eſt hominis deſiderium, cum ſit homo animal politicum, gaudens ſocietate: Non eſt autem culpabile id expetere ad quod naturâ ferimur, ſi fiat cum ratione & modo, ut ſi quis deſideret comedere cum eſurit, & bibere, cum ſitit.

Præterea, famam & celebritatem nominis quærere, ſi quidem id non fiat per malas artes, tanquam peccatum traduci non debet. Ædificatio autem vel turris vel urbis, non poteſt inter malas artes numerari, & fama per talia opera quæſita, neque honori divino, neque hominum utilitati adverſatur. Addit præterea, Noachum fuiſſe inter ædificatores illius turris, quorum omnium cum eſſet parens, paſſus non fuiſſet, ut perverſo conſilio, pravoque animo, illud opus aggreſſi fuiſſent.

Quod autem Deus noluit permittere ut res veniret ad exitum, eorumque conatus diſſipavit, dicit non eſſe argumentum, quo inferri poſſit malum fuiſſe conſilium, aut pravam fuiſſe eorum hominum mentem. Deus enim ſæpè ob majus bonum univerſi quod intendit, opera hominum alioqui non mala interturbat. Melius autem erat ut terræ omnes partes habitatoribus complerentur, quam ut homines uni quaſi loco affixi manerent, etſi per ſe malum non fuerit, urbem ædificare in eum finem, & celebres apud poſteros eſſe cupere tali facto. Hæc ille profert ſpecioſè, ut eos à peccato liberet.

Sed ſi benè perpendantur quæ de Deo poſteà dicuntur conſilium illud diſturbante, & eos quibus illud adſcribitur: Item verba quibus finem ſuum proponunt, graviter illos hoc molimine peccaſſe comperietur. Ut de poſtremo prius dicamus, qui turrim ædificabant ℣.5. dicuntur *filii hominum*; nam etſi ita aliquando appellantur *homines* in genere, tamē hoc loco comtemptim phraſis illa uſurpatur, non ut ſolet aliquando in ſcriptura pro plebæis hominibus, ſed pro impiis & profanis, ut ſupra expoſitum fuit cap.6. verſ.2. quomodo hoc loco accipit Auguſt. *hoc eſt*, inquit, *non filii Dei*, *ſed illa ſocietas ſecundùm hominem vivens*, *quam terrenam dicimus civitatem.* Inter illos autem neque Noachus, neque pii ejus poſteri poni debent, quaſi in tale conſilium conſenſerint. Hoc ſi fuiſſet, debuiſſet Noachus præire, nec probabile eſt alios homines ipſo adhuc vivente in uno & eodem loco, voluiſſe ſibi alium ducem conſtituere; aut Noachum ipſum alterius dominationi ſubjici. Nimrodum autem ex poſteris Chami, fuiſſe autorem conſilii & ædificaſſe Babel, cap. præced. dictum fuit, quod ideò expreſſit Sp. Sanctus, ne dubitaremus id fuiſſe ſuſceptum ab hominibus impiis. Ideò in punitione per linguarum confuſionem non fuit comprehenſa poſteritas Semi, unde ſatis apertè liquet, neque autores fuiſſe filios Dei ſive pios, neque fautores talis inſtituti. Non pugnabimus incertis conjecturis; nec Judæorum quorundam commentis, & audacibus aſſertionibus eos gravabimus, quod idolum in ſummitate turris voluerint erigere, & in ejus manu gladium ponere, quo Deus territaretur. Vel quod nonnulli ex noſtris dicunt, quod turrim Jovis Beli idolo conſecrabant. Cum enim Belus fuerit Nimrodus, non fuit ab hominibus inter Deos relatus, niſi diu poſtquàm in vivis eſſe deſiiſſet.

Sufficit ad probandum multiplicia concurriſſe peccata, ut ex ſuis ipſorum verbis judicentur. *Faciamus* (inquiunt) *turrim, cujus faſtigium aſſurgat in cœlum*, ad verbum וראשו בשמים *veroſcho baſchſchamajim*, & caput ejus in cœlum. Ex cujus phraſis Ebraicæ ignorantia, Julianus Apoſtata, ut refert Cyrillus contra Julian. lib.4. Moſem calumniabatur, cui non magis credendum eſſe talia ſcribenti dicebat, quam Homero fabulanti de Alcidis, quod ſuperimpoſitis tribus montibus, Pelio, Oſſa & Olympo, Jovem è cœlo exturbare voluerint. Sed rectè reſpondebat Cyrillus, eſſe uſitatam in ſcripturis & lingua ſancta hyperbolem, quâ quæ altiſſima ſunt, ad cœlum uſque exaltata dicuntur. Voluerunt igitur his ſuis verbis inuſitatam & incredibilem quandam ædificii illius altitudinem ſignificare. Quo ſenſu, Deut. 1. ℣.27. qui populum Iſraëlis deterrere voluerunt à ſuſcipienda terræ Canaan expugnatione dicebant, *Civitates eorum ſunt magnæ & munitæ in cœlum uſque.* Ubi non eſt exiſtimandum vel exploratores retuliſſe, vel populum credidiſſe, propriè ad cœlum uſque civitates illas pertingere potuiſſe; ſed præaltas fuiſſe & munitas, atque adeò inaceſſibiles & inexpugnabiles.

Hoc quanvis ita ſit, certum eſt tamen fuiſſe peccatum in talis operis ſuſceptione, quod multum laboris & operæ conſumere debebat, & utilitatis parum allaturum erat; neque enim tales ſtructuræ, uſibus humanis commodæ ſunt. Itaque ad ambitionem ut plurimum extruuntur; & de iſta id dubitari non debet: Hoc ipſi agnoſcunt & profitentur, *faciamus*, inquiunt, *nobis nomen.* Fatemur quidem famam bonam, & celebritatem aliquam nominis quærere, illicitum per ſe non eſſe, ſed quo animo quis id faciat & qua ratione multum intereſt. Negamus autem, quod aſſerebat To-

ſtatus, id factum ab iis fuiſſe cum *ratione & modo*. Nam & hic ratio defuit. Quorſum enim tam immoderatæ & ſuperbæ ædificationis labor? Modum autem exceſſiſſe quis dubitet, in eo quod ad tantam altitudinem turrim ſuam voluerint perducere? Fuit igitur in iis ſumma vanitas, & deſiderium nominis acquirendi in re vana, quæ laboris plurimum & impenſarum haberet, utilitatis autem parum. Recte igitur Chryſoſt. *Nomine cœli audacem illorum temeritatem Scriptura divina per hyperbolem docet.*

Nec caret peccato, quod dicunt, *ne diſpergamur in terrâ.* Quamvis enim homo ſit animal ſocietatem amans, potuit, imò debuit, ſocietas conſervari per hominum diſperſionem; imò alioqui non potuiſſet perdurare. Cum enim Deus ſua benedictione multiplicationem hominibus fuiſſet pollicitus, qua terram erant repleturi per varias colonias, impoſſibile erat, homines naſcituros in eadem & unica terræ particula habitare. Quod cum illi molirentur, vel prudentes, vel imprudentes ordinationi divinæ reſiſtebant. Aut, ſi, quod mihi probabile videtur, non omnes homines qui tum propagati erant, ſed pars illa tantùm quæ ſub Nimrodi ductu convenerat hoc opus ſuſcepit, in eo peccatum fuit, quod voluerint fixas ſibi ſedes parare, aliis neglectis, & dum alii velut palantes errarent, proſpicere ſibi de commodo loco, & ſtatione firma. Quam partem tamen maximam fuiſſe, ex eo quod poſteà ſequetur non eſt dubitandum. Meritò itaque Flavius Joſephus, Antiquitatum libro 1. judicavit, homines illos contemptis Dei juſſis, perverſiſſimo conſilio, peſſimoque animo, ad illud opus faciendum eſſe aggreſſos.

Credibile eſt autem poëtas hinc ſuam fabulam de Gigantomachia fingendi occaſionem ſumpſiſſe, quam Abydenus vetuſtiſſ. autor, apud Euſeb. Præp. Evang. lib. 9. cap. 4. nondum ita deformatam, & magis ad hanc hiſtoriam accedentem refert. *Primos* (inquit) *homines ferunt è terra natos, robore atque magnitudine confiſos, Deis ſpretis, turrim eo in loco ubi nunc Babylon eſt ad ſolem uſque tollere contendiſſe, Cumque jam ferè ad cœlum ædificando perveniſſent, magna ventorum vi à diis miſſa, dirutam turrim ſuper eos cecidiſſe, fuiſſeque tum inter Saturnum & Titanum incœptum bellum.* Hæc ille, qui veram hiſtoriam fabulis cœpit conſpurcare, quas alii poſteà auxerunt. Sed tamen in his fabulatoribus hoc manifeſtum eſt; hoc inſtitutum, communi apud homines fama habitum fuiſſe pro impio, & adverſus Deum ſuſcepto, ut mirum ſit reperiri potuiſſe inter Chriſtianos, qui pro eo Apologiam voluerint exarare: niſi ingenium voluerint exercere in aſtruendo paradoxo, quod tamen in talibus, nempe in rebus ſeriis & ſacris, nemo ſibi permittere debet, neque id impunè cederet.

Sed ex proceſſu Dei, de quo deinceps agendum eſt patebit peccatum; Nec enim judicium inſtituitur tale, aut pœna decernitur, ubi nulla eſt culpa. Utrumque autem à Deo factum fuiſſe ex ſequentibus patet, de quibus deinceps erit agendum.

Exercitatio LXVIII.

Iehovam deſcendere ad videndum *quid? & inde deducta documenta. Improbatio facti ædificantium Babel. Sententiæ dictio, & executio. Argumentum pro pluralitate perſonarum in divinis ex his verbis,* Agite, deſcendamus. *Auguſtini ſententia. Domus judicii. Defenditur orthodoxa explicatio contra Enjedinum. Exceptiones* Kimchii *contra regulam de numero plurali à prima perſona non uſurpato pro ſingulari, ſolvuntur. Confuſio linguarum fuit opus divinum, quomodo intelligenda, & in ea divinus ordo. Ejus providentia in diſpergendis familiis & cognationibus. Sententiæ veterum de numero earum, & linguarum. Expenditur. Deus ex malo bonum elicit. Ejus diſpenſatio in dono linguarum, pro ædificanda Eccleſia Chriſtiana. Lingua quæ intelligatur, in ſacris eſt neceſſaria. Babylonica confuſio in Rom. Eccleſ. introducta. Nominis* Babel *Etymum & ſignificatio.*

A Verſ. 5. uſque ad 9. deſcribitur Dei proceſſus judicialis adverſus conatus ædificantium. Deſcriptionis autem partes ſunt tres, in quarum prima introducitur Deus humanitus, quaſi conſideraturus & exploraturus quid homines agerent. In ſecunda, improbans eorum factum; in tertia pœnam decernens, & infligens. 1. Continetur verſ. 5. his verbis, *Et deſcendit Iehova ad videndum civitatem & turrim, &c.* Quæ omnia per ἀνθρωποπάθειαν de Deo dici, norunt quibus notus eſt Deus. Infinitus enim locum non mutat, non deſcendit aut aſcendit: Nec qui omnia de cœlo proſpicit, & cui nota ſunt omnia antequam fiant, ad videndum aliquid accedit ubi antè non erat. *Nec ulla res eſt creata, quæ non manifeſta ſit in oculis ipſius: imò omnia ſunt nuda & patentia oculis ejus quicum nobis eſt negotium.* Ebr. 4. verſ. 13. Dicendum igitur cum Auguſtino, lib. 16. de Civit. Dei ca. 5. *Non loco movetur Deus, qui ſemper ubique eſt totus; ſed deſcendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter uſitatum naturæ curſum mirabiliter factum præſentiam ejus quodammodo oſtendit.* Dicitur ergo Deus deſcendere, ratione illuſtris alicujus patefactionis, qua

vel iræ, vel gratiæ ſuæ manifeſta indicia oſtendit, & potentiam ſuam palàm exerit. Nec malè Cajetanus, *Deſcendit Deus*, id eſt, *habuit ſe ad ſimilitudinem deſcendentis, quatenus extendit ſe, non quidem coporali motu, ſed cura & providentia uſq; ad hæc infima, humanas ſcilicet actiones & ſingularia hæc corporea.* Cum ergo cognoſcit de his inferioribus *deſcendere* dicitur, vel potius cum facto declarat ſe ea cognoſcere, & quæ mala ſunt punit; ut infrà cap. 18. verſ. 21. *Deſcendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me opere impleverunt.*

Simul etiam indicantur his verbis alia multa, 1. Dei longanimitas, qui non præceps fertur ad vindictam, ſed expectat diu, ante quam puniat: Et quamvis norit omnia hominum facta, habet ſe tamen ad modum hominis ſubinde differentis, & quaſi tempus ſumentis ad ea cognoſcenda & perpendenda. 2. Ejus juſtitia, qui neminem punit, niſi juſta de cauſſa, & poſtquàm apertè convictus eſt, ut in Adamo & Eva vidimus. 3. Id etiam notarunt veteres interpretes, maximè Chryſoſtomus, hæc humanis verbis de Deo dixiſſe Moſem, *ut erudiremur, ne unquam temerè fratres condemnaremus, neque ſolo auditu judicaremus, nec niſi priùs compluribus argumentis certi redderemur.* Talia Philo Judæus hunc ipſum locum explicans anteà ſapienter animadverterat. *Vocabula*, inquit, *migratorii motus nequaquam Deo conveniunt. Sed nihilominus tamen dicitur Deus deſcendens viſere, quia omnia etiam priuſquam fiant, clariſſimè prævidet, ut doceamur ne quis homo de abſentibus rebus & incertis, putet ſe poſſe certum judicium facere, ſed propiùs introſpecto negotio, diligenter cuncta perluſtret, &c.*

Sequitur improbatio facti, & deliberatio de eo interturbando. verſ. 6. Et dixit Deus, *Ecce populus unus & labium unum ipſis omnibus, cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere impleant.* Ad verbum ex Ebræo, *Et hoc incipere eorum ad faciendum*, וזה החלם לעשות *vezéh hachillam laaſoth.* Et *nunc non prohibebitur ab eis omne quod cogitaverunt ad faciendũ.* Quæ verba Trem. & Jun. interrogativè legunt. Tigurini paraphraſticè ſic, *& hoc cum cœperunt facere, poſteà nihil prohibebit eos, quin ſic pergant conſummare omnia quæcunque apud ſe temerè ſtatuerunt.* Senſus obvius eſt, ſi ſimplicem enunciationem eſſe dicamus; neque enim eſt aliquid quod nos cogat, ut exiſtimemus eſſe verba, vel admirantis, vel indignantis; quia hoc ſimpliciter præ ſe ferunt, ut Deus declaret ſe vidiſſe in iſtis hominibus duo culpanda, quorum 1. eſt inceptum temerarium; 2. in eodem urgendo pervicacia, niſi impediantur: Quæ certè Deus non proponeret tanquam actiones quas impedire vellet & confundere, ſi peccati fuiſſent expertes. Sed cum hoc dicit, non ſolùm incœperunt, ſed & in incœpto progredientur, & conabuntur propoſitum ſuum implere, ſatis declarat eos in re mala verſari; nam in bonis & æquis utrumque laudandum eſt, ſi quis incipiat, & non revocetur quominus impleat quod ſemel incœpit.

Pergit verſ. 7. ad ſententiæ dictionem & executionem. Sed ut ſuprà humano iterum modo loquitur, *Agite deſcendamus & confundamus ibi labium eorum.* Dixerant illi ſe invicem hortantes, *Agite exſtruamus nobis urbem & turrim*, dum loqueretur quiſque ad ſocium ſuum. Nunc Deus per quandam μίμησιν, ridere videtur eorum hortationem, opponendo ſuam, *agite deſcendamus, &c.* De quo anteà dixerat Moſes in ſingulari, *Deſcendit Dominus ad videndum, &c.* Hic quæri ſolet, quinam ſint illi quibuſcum Deus conſilium ſuum communicat, & quos ſibi voluerit eſſe ſocios in hoc negotio? Notat Joan. Druſius, LXX interpretes, nunc habere καταβάντες συγχέωμεν, id eſt, *deſcendentes confundamus.* Scire ſe tamen in Chronico Templi ſecundi legi, ſenes reddidiſſe, *deſcendam & confundam:* Addi rationem, ne gentes exiſtimarent plures Deos eſſe apud Judæos. Unde rectè concludit, non eſſe leve argumentum quod hinc ſumitur pro perſonarum in divinis pluralitate. Quo etiam uſi ſunt multi ex veteribus, inter quos Cyrillus Dialog. de Trinit. cap. 3. *Licebit*, inquit, *inculpatè dicere, quod Deus neque Angelis, neque aliis rationalibus virtutibus dixerit, venite & deſcendentes confundamus eorum linguas, ſed ſancta Trinitas, quaſi ſimplici motione naturæ unius, ſe ipſam ad operandum excitavit, quoniam opus erat ad ſolum conditorem ſpectans, transformare expeditam linguam pro ſuo arbitrio, & ſermonis naturam noſtræ ſimilis, & in nobis ex ſimplici voce quæ tunc erat, in multiformem & multiſonam excurſionem extendere, &c.* Addit, *ut igitur poſſimus intelligere, quod minimè Angelorum fuit opus, ſed potius divinæ operationis, venite*, inquit, *ipſa ad ſe ipſam conſubſtantialis Trinitas.* Eadem habet Rabanus in Gloſſa interlineari, & Rupert. lib. 4. comment. in Geneſ. ubi dicit *ad feriendam ſuperbiam, adeſſe ſe, teſtari totam Trinitatem.* Et quia de linguis confundendis agitur, comparat hoc factum *cum oppoſito remedio, ubi enim* (inquit) *in ore Apoſtolorum omnia revocantur genera linguarum, eadem Trinitas ſe aperuit hominibus.*

Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 6. hanc interpretationem attingit, ſed dubius hæret inter eam & aliam, quæ Deum ad Angelos verba feciſſe præfert, quæ Judæorum fuit ſententia, ut patet ex Jonathane paraphraſte. Sic enim ille, *Dixit Dominus ſeptem Angelis ſuis qui ſtant coram illo.* Etſi ſaniores inter Judæos, id dixiſſe Deum ſcribunt *ad domum judicii ſui*, per quam poteſt intelligi ſacroſancta Trinitas. Et certè Geneſ. 1. verſ. 26. ut ibi oſtendimus, illud *faciamus hominem*, non poteſt ad Angelos creaturas referri, qui non poſſunt eſſe creatores; quia etiam additur *ad imaginem noſtram*, & poſteà, *ad Imaginem Dei creavit illum.* Solus Deus creavit hominem ad imaginem ſuam.

Enjedinus Samoſatenianus, in explicatione, id eſt, corruptione locorum V. Teſt. pag. 21. fatetur hunc locum

planè geminum eſſe ſuperiori, in quo de hominis creatione agebatur. Nos id etiam contendimus, & eandem ob cauſſam Deum hoc loco uti numero plurali, ob quam in præcedenti uſus eſt. In utroque loco pluralitatem in divinis ratione perſonarum indicari contendimus, idque indubitato illo axiomate freti, *Plurale de ſingulari Ebraicè in prima perſona dici nunquam poſſe.* Quam propoſitionem ipſi Ebræi confirmant, qui ideò dicunt Seniores hos locos ſingulariter fuiſſe interpretatos, ne Gentiles pluralitatem Deorum innui intelligerent, quod periculum non fuiſſet timendum, ſi in ea lingua numerus utervis uſurparetur in prima perſona. Id negat fieri Grammaticorum Ebræorum facilè Princeps Aben Ezra, fruſtra reſiſtente Davide Kimchio, qui abreptus SS. Trinitatis odio quam paſſim oppugnat, ad hanc regulam infirmandam, in ſuo *Michlol*, nonnullis ſcripturæ exemplis abutitur. Quæcumque autem adducit in hanc ſententiam, eam non infringunt, quia aut dicuntur ab uno (ut vocant) individuo, ſed communi quadam ratione, id eſt ab eo qui pro aliqua communitate loquitur. Ut cum Iob.18. verſ.2. & 3. Bildad dicebat, *intelligentiam adhibete ac poſteà eloquar*, & paulò poſt, *reputamur ut jumentum, &c.* Vel cum Abſalon 2. Sam.16. verſ.2. *date conſilium quid ſumus facturi?* Vel cum Dan.2. verſ.24. ſimiliter, *interpretationem*, ajebat, *dicemus coram Rege*, hæc etſi ſinguli dicant, aut dicantur ſingulis, qui dicunt tamen, ii de ſe & ſociis ſuis intelligunt. Bildado enim amici alii præter Jobum aderant; Abſalomo plures conſiliarii; Danieli tres ſocii qui in periculum adducebantur cum eo, niſi Regi fuiſſet ſatisfactum. Quod autem objiciunt alii ex Cantic.1. verſ.4. *Trahe nos, curremus poſt te, & lætabimur, &c.* cæci ſunt, ſi non videant ab Eccleſia dici, quæ collectivum nomen eſt. Deinde in eodem Cantico, ſponſæ adduntur ut Pſal.45. comites filiæ Regum. Nihil igitur mirum ſi in plurali numero loquatur.

Enjedinus ſuas iterum adhibet machinas jam anteà disjectas, 1. non magis hunc locum favere Trinitariis, quam Ethnicis qui plures Deos fingunt, quia ternus non determinatur numerus. Reſpond. Sufficere ut plurali numero ſignificentur plures perſonæ, quia numerum habemus alibi. Non autem plures Deos ſignificari eodem loco habemus, quia actio de qua agitur, poſteà tribuitur uni, nempe in eſſentia.

Addit 2. Non ſequitur quos hic alloquitur Deus, eſſe æquales, aut ejuſdem naturæ cum ipſo loquente: nec verum eſt quod Calvinus in hujus loci explicatione affert, ſine teſtibus: ſine rationibus, nudè affirmans Deum in pari ſecum gradu conſtituere quos alloquitur. Videbat, reſponderi poſſe & debere, Deum cum illis quos alloquitur communicare opus, quod ſolius Dei proprium erat, ex quo æqualitas colligebatur. Reſpondet ergo, parilitatem non denotari, oſtendere vocem *deſcendamus*, quæ cum eadem analogia & tenore prolata ſit, tamen non æquè competit Deo, & iis ad quos habetur ſermo. Quia Deus propriè non deſcendit, at illi quos alloquitur potuerunt propriè deſcendere. Sed manifeſtiſſimè ſupponit falſum, eos nempe quos alloquitur Deus, potuiſſe propriè deſcendere. Imò ſe ſuo jugulat gladio. Nam ſi vox *deſcendamus*, de Deo dicatur & de iis quos alloquitur, cum Deus non poſſit propriè deſcendere, nec ii quos alloquitur propriè deſcendere poſſunt. Hoc autem poſſunt omnes creaturæ, ergo non alloquitur creaturas. Sed quamvis in deſcenſu vim non faceremus, actio confundendi linguas, ita ut novæ linguæ uno inſtanti infundantur, & prioris oblivio in tanta multitudine inducatur, quæ actio immediatè attingit hominum animas, mutat memoriam, &c. non poteſt ab alio quam à Deo fieri. Ideò dicebat veriſſimè Cyrillus loco anteà citato, *opus eſſe ad ſolum conditorem ſpectans, transformare expeditam linguam pro ſuo arbitrio, &c.* Quæ reſponſio aliam retundit quam idem affert, Deum quæ per alios facit, ipſum feciſſe dici, ut cum 1.Reg.22. ſpiritum mendacem Deus ablegaſſet, qui per ora prophetarum falſa dicebat, dixit Michæas, *Dominus locutus eſt contra te malum.* Ex quo tamen nemo colligit ſpiritum illum & Deum, etſi unà ſint operati, fuiſſe ejuſdem naturæ, aut prorſus inter ſe pares. Ita etiam hoc loco potuit Deus per Angelum unum aut plures, ſicut everſionem Sodomorum, ſic confuſionem linguarum feciſſe, &c. Reſpond. iterum, negari non debere, unum & idem opus etſi diverſa ratione, poſſe tribui Deo & creaturæ, ſine æqualitate cauſſarum. Cum enim omnium rerum Deus ſit cauſſa prima, creaturæ autem nihil agant ſine Dei concurſu, quia ſunt cauſſæ ſecundæ; certum eſt in eodem effectu, Deum concurrentem, & creaturam agentem, poſſe conſiderari, & debere. Sed dicimus, eſſe quoſdam effectus quorum Deus eſt cauſſa ſola, & in quibus non utitur cauſſarum ſecundarum miniſterio. Talis eſt creatio, talis eſt infuſio gratiarum, donum linguarum miraculoſum; miraculoſa etiam unius linguæ in tot hominibus uno momento facta oblivio, & aliarum multarum eodem momento permutatio. Notandum tamen eſt obiter, hæreticum exemplum attuliſſe de communicatione operationis Dei cum creatura planè ineptum, ne dicam impium. Nam quod Michæas dicebat, *Dominus locutus eſt contra te malum*, ℣. 23. non intelligitur de verbis ſpiritus mendacis, quaſi Deus ea cum ſpiritu mendaci protuliſſet; ſed de prædictione ipſius Micheæ, qui jubente Domino, malum pœnæ ſive ſupplicii denunciaverat Achabo.

Tandem eò recurrit ut dicat, verius & tutius eſſe affirmare, hic quoque illa verba, *deſcendamus & confundamus*, eſſe verbo pluralia, ſignificatione tamen eſſe ſingularia, quod probare vult ex eo, quod pro *deſcendamus*, paulo antè dixerat *deſcendit Dominus*; pro *confundamus*, paulò poſt verſ.8. ait, atque ita *diviſit eos Dominus*. Quem autem (inquit) quæremus veriorem

riorem

riorem aut fideliorem interpretem verborum Moſis, quàm ipſummet qui hæc ſcripſit; Optimè, neque nos alium quærimus interpretem. Sed negamus, Moſem verba illa pluralia Deo tribuiſſe, in ſignificatione ſingulari. Cùm autem poſteà ſingulariter Deum introducit feciſſe quæ de pluribus dixerat, oſtendit nobis Moſes, plures illos, unum eſſe, quod credimus; & Deum unum, in plures diſtingui perſonas; plures & unum, idem facere; unum eſſentiâ, plures perſonis. Sed non propterea confundendus eſt numerus pluralis cum ſingulari, vel ſingularis cum plurali.

Quod denique ſubjicit, Deum uſum eſſe numero plurali, ut multiplices ſuas vires opponeret multitudini & conatui hominum, id certè prodit hominis perplexitatem, qui huc illuc excurrit, ut argumentum eludat, nec ubi pedem figat videt. Quorſum enim tot eluſiones, ſi ſolida reſponſione conſcientiæ ſuæ ſatisfaceret? Deum autem vires ſuas multiplices, de ſe plurali numero loquendo intelligere, ut probaret, opus fuiſſet exemplo aliquo ſacræ Scripturæ, eoque manifeſto; quod cum nec attulerit, nec potuerit, ejus conjectura eadem facilitate à nobis rejicitur, qua ab ipſo proponitur. Cum autem ſimpliciſſima ſit Dei omnipotentia, quid opus fuit ut eam indicaret de ſe pluraliter loquendo? Oppoſitio verborum Dei verbis hominum, quam nos etiam ſuprà notavimus, non favet cauſſæ adverſarii. Fatemur quidem Deum, cùm homines dixiſſent, *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim*, ex oppoſito reſpondiſſe, *Venite, deſcendamus & confundamus*, *&c.* Sed hoc modo multitudini & conatui hominum, non oppoſuit multiplices ſuas vires, potiùs oppoſuit perſonas divinas perſonis hominum: & cum vera hominum pluralitas fuerit in primo oppoſitionis membro, oportet in ſecundo fuiſſe veram pluralitatem perſonarum divinarum. Conſtat ergo huic argumento vis ſua, quam infringere non poſſunt Antichriſtorum machinæ.

Poſt deliberationem agit Moſes de executione, in qua etiam magis patebit, totum hoc fuiſſe opus Dei. Executionem illam exponit per effectum & conſequens, quod *diſperſit eos Deus ſuper faciem terræ*, quem finem ſibi propoſuerat Deus. Eundem poſteà repetit in fine verſ. 9. Ubi etiam oſtendit, opus fuiſſe interturbatum. *Ceſſarunt*, inquit, *ædificare civitatem*. Addit nomen ejus vocatum fuiſſe Babel. Propterea קרא *kara vocavit*, nempe vel Deus, vel omnis vocans, quilibet, civitatem illam *Babel*, id eſt, confuſionem. Cujus rei affertur ratio, *quia ibi confudit Dominus labium omnis terræ*. Ordo antecedentium & conſequentium hic fuit. 1. Deus confudit linguas eorum, ut quiſque non intelligeret proximum ſuum. 2. Ceſſarunt ab ædificando. 3. Locus fuit appellatus Babel. 4. Diſperſi fuerunt per univerſam terram.

In confuſione linguarum hoc primum notandum, cùm fuiſſet anteà una omnium lingua, repentè plurimas ortas fuiſſe, & tales quæ non intelligerentur ab iis qui primam linguam retinebant. In nonnullis enim manſiſſe, ſuprà poſuimus. Nec talis confuſio in unaquaq; lingua cogitari debet, quaſi variæ illæ linguæ ſuam non habuiſſent analogiam. Cùm enim Deus earum autor eſſet, ſuam etiam habuiſſe unamquamque proprietatem ſingularem agnoſcendum eſt. Quapropter confuſio potiùs fuit in hominibus, quorum quiſque proximum ſuum non intelligebat, quàm in linguis: etſi aliqua etiam confuſio in eis poſſit agnoſci, quatenus manebant in aliis multa vocabula ex primigenia, ſed aliter prolata, inflexa, aut conſtructa; in qua tamen confuſione, quæ hominum ratione ſic vocari potuit, elucebat ordo divinus, maximè in eo quod ſequitur.

Dicit Moſes Deum linguas confudiſſe, *ut non audiret quiſque labium ſocii ſui.* Id non eſt ita intelligendum, ac ſi tot fuiſſent facta loquendi genera, quot hominum erant individua, Hîc *audire*, ſumitur pro *intelligere*, cujus negatio non de ſingulis hominibus intelligenda eſt, ſed de certa quadam hominum multitudine, vel de certis quibuſdam & diverſis hominum familiis. Erant enim inter homines qui ſe mutuò intelligerent, ſed qui neque alios intelligebant, neque ab aliis intelligebantur. Rem ſic ſe habere patet, quia alioqui nulla ſocietas potuiſſet inter homines conciliari, ſi omnium hominum & ſingulorum fuiſſent diverſæ linguæ, & quæ intelligi à nullis potuiſſent. Nulla enim familia, ſocietas, municipium aut civitas coaleſcere poteſt, niſi beneficio communicationis per linguam communem. Quamvis autem Deus diſpergere voluerit homines, & eorum conatum diſſipare, ad id ſufficiebat, ſi magna illa multitudo, inopinatè & velut uno momento per turmas cogeretur ſe ſeparare; tum enim neceſſariò debuit ceſſare opus, ad quod convenerant animis & linguis conjuncti. Id autem ſic accidere neceſſarium erat, ad Dei conſilium & propoſitum exequendum, de diſperſione hominum in varias orbis partes, quia diſperſio non debuit eſſe ſingulorum, qui ſoli viverent extra omnem ſocietatem, in morem Eremitarum, ſed plurium qui turmatim convenirent ab aliis diviſi. Ad id conducebat ut linguæ variarentur, ſed uniuſcujuſque linguę plures eſſent intelligentes. Ita autem diſpenſatum id fuiſſe à Deo manifeſtum eſt, ut non facta fuerit confuſio familiarum, ut apparet ex cap. x. ubi ſecundum familias ſuas homines diſperſos fuiſſe apparet, ad incolendam terram: ut non ſit dubitandum per familias & cognationes, uniuſcujuſque linguæ uſum fuiſſe diſtributum.

Dixi *familias & cognationes*, quibus nominibus intelligo latius diductas familias, quàm communiter accipi ſolent, non reſtrictas ad unius immediati parentis prolem, & fratres quos vocant, germanos, ſub eodem habitantes tecto, ſed potius ad tribus relatas, ut olim in populo Iſraëlitico. Non eſt autem prorſus abjiciendum, quod plurimi inter Ebræos, & Chriſtianos etiam inter-

interpretes, ſenſerunt, quæ de diviſione totius orbis per familias & cognationes dicta fuerunt cap. x. per ὕστερον πρότερον fuiſſe narrata, & ad hanc hiſtoriam pertinere. Ut quod hoc loco in genere dicitur, quod Deus illos diſperſit per univerſam terram, ibi ſigillatim fuerit expoſitum, ubi actum eſt de migrationibus poſterorum Noachi, & variarum terrarum primis incolis.

Cùm autem ibidem LXXII familiarum fieri mentionem ſupponant, quarum unicuique aſſignata fuit ſua orbis portio, probabile etiam exiſtimarunt plerique, in hac ſubita mutatione, unius communis linguæ loco, LXXII ortas fuiſſe, ut unaquæque familia, ſeu natio, propriam ſuam haberet linguam. Quæ fuit communis veterum, tam Græcorum, quàm Latinorum ſententia, ut videre eſt apud Epiphan. initio Panarii; *Diviſit* (inquit) *Deus ipſorum linguas, & ex una in LXXII diſtribuit juxta numerum virorum tum repertum, unde & Meropes vocati ſunt, propter diviſam vocem, &c.* Eadem habet Hieron. in cap. Matth. 26. Auguſt. de Civit. Dei lib. 16. cap. 3. & 11. Proſper. de voc. Gent. cap. 4. Arnob. junior in Pſal. 104. Hanc ſententiam ab Ebræis deſumpſerunt, qui tamen LXX tantùm numerant, quia apud Moſem non plura ſtirpium capita & principes notantur; juxta numerum filiorum Iſraël profectorum in Ægyptum. Chriſtiani LXXII numerant, ſecundùm numerum LXXII diſcipulorum qui ad convertendas gentes fuerunt inſtituti.

In his certa ab incertis ſunt ſeparanda. Certum eſt, tum invectam fuiſſe multarum linguarum differentiam. 2. Certum eſt, ut diximus, non tot fuiſſe linguas, quot homines. Doctiſſ. vir David Pareus, id quod dicitur, *virum non intellexiſſe ſocium ſuum*, ita ad literam interpretatur, ut exiſtimet, inter illos homines nullum fuiſſe qui alium intellexerit: non tamen quod unuſquiſque propriam ſuam habuerit linguam, ſed quod omnes prioris obliti fuerint, & plerique manſerint prorſus ignari alicujus linguæ, quam poſteà uſu didicerunt. Quæ ſententia multis obnoxia eſt incommodis. 1. enim, ſi hoc verum ſit, nulla familia retinuit linguam Ebræam, ſed unus tantùm à quo reliqui didicerunt, quod incredibile eſt. 2. Id maximè obſtitiſſet tali diſperſioni, quam Deus intendebat per varias colonias: non enim potuiſſent convenire per turmas, ſed palantes erraſſent ſine auxilio mutuo. 3. Non potuiſſent diſtingui familiæ, & poſterorum Noachi pro earum ratione diſcerni domicilia. Multo igitur probabilius eſt, ita oblitos fuiſſe homines prioris linguæ, ut momento alia fuerit eis indita, ſed pro ratione populorum, quos Deus volebat ſimul habitare, ut ex linguæ cognatione ſuam quiſque familiam agnoſceret, & ſedem aptam eligeret.

Sed leve planè & infirmum eſt fundamentum, quo innititur ſententia de numero præciſo LXXII. vel LXX linguarum. Probabile quidem eſt, quod 1. ſuppoſuerunt, totidem fuiſſe linguas, quot gentium fuerunt diviſiones. Sed de numero gentium & nationum, quod vulgò jactatum eſt, ſi ad examen revocetur, non tantùm incertum, ſed etiam falſum eſſe reperietur. Nam quod dicunt cap. 10. ſuprà in poſteris Japheth, XV gentes fuiſſe numeratas; in ſtirpe Cham, unam & triginta; in progenie Sem, XXVI. è quibus omnibus conficitur numerus LXXII. ſi benè expendatur, rem illam, quam certam putarunt, maximè incertam reddit. 1. enim poſteri filiorum Noachi in præced. enumeratione ſunt tantùm LXX. Additis Semo & Japhetho, eſſent LXXII. Sed cur omitteretur Cham? 2. Si diviſio linguarum in annum natalem Peleg incidit, qui fuit primogenitus Eberi, quod ex Scriptura manifeſtum eſt; eximendi erunt Peleg & Joctan fratres, item tredecim filii Joctani, quibus XV demptis ex numero LXX. ſupererunt tantùm LV. Quod ſi præterea, ut fieri debet, ex numero gentium demamus eos, quorum poſteri ibidem enumerantur à Moſe; in poſteritate Japheth duo erant auferendi, Gomer & Javan; in ſtirpe Cham, IV. Chus, Miſraim, Chanaan, & Regma; in Semi, item quatuor, Arphaxad, Aram, Eber, & Jectam. Quos omnes removendos eſſe ex earum gentium numero quas Moſes recenſet, probatur ex eo, I. quod parentes non poſſunt per ſe ac ſeparatim à ſuis poſteris, gentem ullam conſtituere. II. quia ſi id fieret, tum deberent etiam ſeparatim à poſteris ſuis numerari. Noë, Sem, Cham, & Japheth, & ita eſſent non LXXII, ſed LXXVI familiæ.

Ex quibus patet, de numero familiarum vix quicquam certi ſtatui poſſe, ut nec de numero linguarum, quæ in illa multiplicatione & varietate tunc ortæ ſunt; nec etiam neceſſarium eſt id curioſè inquirere, ſi modo quæ certa ſunt retineantur. Nam quod nonnulli reſpondent ad ea quæ objecta fuerunt, certum eſſe ex poſteris Noachi plures fuiſſe natos, quam LXXII. atque adeò in eis facilè poni poſſe LXXII familiarum capita, id quidem verum eſt. Sed tamen non propterea præciſus & certus ſequetur ille numerus, quia ſi non pauciora, tamen plura poterunt enumerari: nam ſi ad multitudinem poſterorum Noachi quæ tum fuit, reſpiciamus, plures fuiſſe quàm ſeptuaginta duos, extra dubium eſt. Sed qui fuerunt autores ſententiæ de totidem linguis, reſpexerunt ad enumerationem capitis x. in qua certè præfixum illum numerum ſuum non repererint. In multas igitur linguas tum diviſos fuiſſe homines, extra dubium ponimus. Quot autem illæ fuerint, non definimus; præſtat enim dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.

Qua ratione accidere potuerit talis & tam ſubita mutatio, res eſt conſideratione digna. Ex textu patet, locutos quidem fuiſſe, ſed mutuò ſe non intellexiſſe, non quidem omnes, aut quemlibet reſpectu cujuſlibet, ſed eorum tantùm reſpectu qui non erant ejuſdem familiæ, aut futuræ coloniæ. Et probabile eſt Deum indidiſſe omnibus hominibus, exceptis iis in

quorum

quorum familia voluit linguam ſanctam conſervare, oblivionem communis & veteris linguę, delendo nempè ex animis eorum habitum, quo anteà cognita habuerant ſingula vocabula, & eorundem ſignificationem; qua oblivione inducta, talis ſequuta eſt ejuſdem linguæ ignoratio, ut Ebraicè loquentes nullo modo intellexerint, & qui anteà fuerant ejuſdem linguæ, pro barbaris mutuò haberentur.

Quum autem præterea neque muti, neque elingues fuerint, neceſſarium eſt ut credamus, ejuſdem divinæ operationis vi, diverſos habitus variarum linguarum mentibus illorum hominum fuiſſe impreſſos, quibus non ſolùm ſingula vocabula potuerunt pronunciare & intelligere, ſed etiam phraſes & loquendi formulas diſponere, iiſque uti expeditiſſimè quotieſcunque opus eſſet: quæ omnia ab alio fieri non potuiſſe, quàm à Deo, qui poteſt immutare hominum mentes, norunt qui modulum creaturæ non extollunt ſupra modum, ut audiendus non ſit Origenes, qui Homil. 11. in lib. Num. id Angelis, familiarum & nationum tutoribus, adſcribit; à quibus variæ illæ linguæ fuerint inventæ, & ab unoquoque ei familiæ cui præfectus erat, aſſignatæ. Quæ opinio orta eſt à falſa interpretatione conſultationis pluralis, de qua dictum eſt. Cùm enim id præconceptum habuerit, Angelos fuiſſe à Deo compellatos, voluit etiam iiſdem adſcribere executionem illius judicii, quæ tamen talis eſt, & talibus veſtita circumſtantiis, ut puræ creaturæ competere nequeat.

Sed adhibitâ potentiæ divinæ conſideratione, eâque ejuſdem voluntati conjunctâ, quæ nobis ex Moſe manifeſta eſt, nulla difficultas nos remoratur, quia facillimum fuit Deo, habitus jam confirmatos ex mentibus hominum delere, & alios confeſtim ſubrogare. Quapropter ut impiorum cavillationibus obviam eamus, qui hanc narrationem ad fabulas & confictas narrationes referre non verentur: haud opus eſt, ut cum Philone Judæo, ad allegorias recurramus, quaſi non eſſet vera hiſtoria, ſed figurata deſcriptio, *disjectionis cunei vitiorum conſtipatorum, fœderum item impiorum quæ Deus irrita fecit, pernicioſæ ſocietatis quam convellere voluit, &c.* Quæ etſi non malè ſint excogitata, ſi intra limites ſimilitudinis ſe contineant, non patiendum eſt tamen, ut literalis & immediati ſenſus locum occupent, & hiſtoriæ veritati derogent.

Sed hoc loco admirandam Dei ſapientiam contemplari lubet. Voluerunt homines unius linguæ communis adjumento impiam inire ſocietatem, vanum opus moliri, & Dei ordinationi reſiſtere. Deus obviam ivit eorum conatibus linguas multiplicando, ut hac ratione inter ſe diviſi, diſpergerentur per univerſum orbem, & varias conſtituerent reſpublicas. Malum fuit quod moliti ſunt, & in eo graviſſimè peccarunt. Malum pœnæ fuit, quod Deus illorum diviſit linguas, & opus ſuſceptum interturbavit. Bonum fuit non ſolùm, quia à Deo, ſed etiam humani generis utilitati inſerviens, quod diſperſio facta fuit. Deus itaque efficit, prout bonus ſolet, ut malum in bonum verteretur; & invitis ipſis hominibus, eorum commodum, & totius humanæ ſocietatis procuravit. Atque ita in pœna parentum providit poſteris, & dum judicaret miſericordiæ ſuæ meminerat, ut ita opus hominum deſtrueret, & ſuum ipſius opus perficeret. Ædificare volebant ex lateribus & bitumine turrim unam, & civitatem; Deus autem ædificare voluit per univerſum orbem innumeras civitates.

Quum una eſſet lingua, quam omnes intelligerent, fuit pœna linguarum multiplicatio, præſertim in qua qui unam intelligebant, aliarum omnium eſſent ignari. Tunc enim hoc ipſis decedebat, quod qui anteà cum omnibus hominibus communicare poterant, cum paucis poſteà potuerunt verba commutare. Hujus pœnæ nos adhuc ex parte ſumus participes, quippe qui non ſine labore & ſumptu, & cum magna temporis impenſa, cogimur alias linguas addiſcere, tam ut de rebus ſacris poſſimus cum exteris conferre, & communionem fovere, quàm ut commercia, & reliqua quæ ad hanc vitam pertinent, cum iiſdem poſſimus communicare.

Ad primum illud, quod ſpectat Eccleſiæ propagationem & ædificationem, neceſſaria fuit variarum linguarum intelligentia, quam Deus per Chriſtum, inſigni miraculo in primis Chriſtianiſmi exordiis largitus eſt, inter alia ſpiritualia dona. Multiplicatione linguarum olim duo fecit: 1. quod opus civitatis & turris inchoatæ diſſipavit. 2. quod hominibus diſperſis, terram habitatoribus replevit. Poſteà autem, dum voluit Apoſtolis, qui anteà etiam in ſua vulgari lingua rudes erant, uſum & intelligentiam plurium linguarum communicare, hoc in eum finem fecit, ut commodius ædificaretur Eccleſia, nec unius provinciæ limitibus arctaretur, ſed longè lateque verbum Evangelii per omnem orbem diſpergeretur in omnibus nationibus & linguis. Diſſipatum fuit opus Babylonicum, quia non intelligebat vir ſocium ſuum. Conſtructum fuit opus civitatis Dei, poſtquam ædificatores potuerunt ſe mutuò intelligere, & aliis qui remotiſſimi erant, ſe præbere intelligibiles. Alia igitur & planè contraria fuit multiplicatio & diviſio linguarum ſub Nimrodo; alia primis Chriſtianiſmi initiis, multarum linguarum conceſſa quibuſdam hominibus notitia. Quia prima illa homines à ſe invicem diviſit; ſecunda autem, diviſos & diſperſos, in unum corpus collegit, ut qui anteà diſſidebant linguis & moribus, variis ſonis eundem ſenſum proferrent, & linguis diverſis, quoad ſyllabas & verba, unàm tamen linguam Canaan, communem haberent, Jeſa. 19. ℣. 18. id eſt, ſenſum veritatis illius, quæ Cananæa lingua primùm fuit populo Dei revelata.

Ex his conſtat, ad ædificationem Eccleſiæ Dei neceſſariam eſſe linguam intelligibilem, non ſolùm ædificantibus,

ficantibus ſed etiam ædificatis. Nam cum lapides qui fundamento ſuperſtruuntur ſint lapides vivi, qui ſemet ipſos ædificant, neceſſarium eſt ut unius & ejuſdem ſermonis ſit inter eos communicatio. Si in turri Babylonica nata eſt confuſio, ex eo quod non ſe mutuo intelligebant, & coacti ſunt ab opere deſiſtere; multo magis id accidet in ædificio ſpirituali, ubi magis opus eſt verbis intellectis. Unde conſtat ſocios eſſe Nimrodi, & ædificatorum turris Babel eos, qui ut tyrannidem ſuam ſtabiliant, non intellectam plurimis ædificatoribus, & pluribus ædificatis, linguam, ſolam volunt in Eccleſia obtinere; abjectis linguis in populis vulgaribus, & ab omnibus intellectis. Hinc ortam eſſe maximam confuſionem, & officii ignorantiam liquet, & accidiſſe etiam ut ſe mutuò non intellexerint, & barbari ſibi invicem fuerint, inconditis ſonis ſæpè effutientes, quæ, ne ipſi quidem qui loquantur, intelligunt. Ut non ſine cauſſa permiſerit Deus, ut ipſi de Babylonis nomine tanquam ſibi proprio contenderint, & argumentis probare conati fuerint, Petrum cum in 1. ſuâ Epiſtola ca. V. ℣. 13. meminit *Eccleſiæ* quæ erat in *Babylone*, per Babylonem *Romam* intellexiſſe.

Nominis ratio hoc loco explicatur ℣. 9. *Idcirco vocavit nomen ejus Babel*, quia בלל *balal*, confudit Deus labium omnis terræ. Unde eſt quod LXX vocis illius energiam Græcè exprimentes, prout in aliis quoque nominibus propriis ſæpè fecerunt, σύγχυσιν *confuſionem*, verterunt, quia ibi συνέχεε *confudit Dominus labia univerſæ terræ*. Quomodo autem nomen illud à *balal* deductum ſit, variè à doctis fuit judicatum. Abenezra putavit eſſe nomen compoſitum, ex בא *ba*, venit, & בל confuſio. Sed *Bel* hoc ſignificatu nunquam alibi reperitur, tantùm legitur contractè pro בעל *beel* idolo Babyloniorum. Sunt qui volunt à בלל *balal* dici בבל, *babel*, prima geminata & ultima contracta, quod aliquando accidit in nominibus propriis. Alii à Chaldæo בלבל *bilbel* confudit, dictam volunt, unde בלבול *bilbul*, confuſio, ut *Babel*, ſit quaſi *balbel*, litera una extrita, ut factum eſt in *Golgotha*, pro Golgoltha. Ego ſecundam Etymologiam præfero, quia radicem nominis Ebræam eſſe teſtatur hiſtoria ſacra. Ex hoc nomine puto vernacula noſtra lingua garrulitatem, & verba confuſa & nihil penè ſignificantia, aut ea quæ ſunt vana & nihili, *babil* fuiſſe appellata, unde verbum *babiller* pro eo quod eſt garrire, & ea quæ vana ſunt & planè nihili effutire.

Hic præſertim notandum eſt, quam egregiè Deus ſuperbiam & vanitatem hominum illorum ultus ſit. Hoc illi intendebant, ut nomen ſibi in terra acquirerent. Quid factum eſt igitur? Nempe, ut opus eorum turbatum, nihil aliud quam confuſionem redoleret; & ab ea etiam, in perpetuam infamiæ notam, nomen haberet & retineret. Hanc maculam inuſſit Deus iis, qui non tam de bono nomine ſolliciti erant, quàm de nomine & fama. Eorum equidem fama pervaſit & perduravit; ſed cum æterno dedecore, quo poſteritati ſint execrabiles, qui audacia ſua iram Dei provocantes, cauſa fuerint cur generi humano tanta clades inflicta fuerit.

EXERCITATIO LXIX.

Difficultas de una generatione addita in textu Græco LXX, *& Evang. Lucæ. Quomodo nomen* Kainan *inſertum fuerit? An Moſes conſulto illud omiſerit? Lucas ab errore liberatur. An etiam* LXX *& an Lucas conſulto editionem illam expreſſerit? Præfertur ſententia quæ etiam* LXX *ab errore liberat, & Lucam ita ſcripſiſſe negat. Culpam in exſcriptores eſſe rejiciendam probatur, & objectioni ſatisfit. Refellitur exceptio contra Epiphanii teſtimonium. Turbatio Chronologiæ in edit.* LXX.

A Verſ. 10. ad finem uſque Capitis, deducitur Generatio Semi uſque ad Abrahamum, ut non ſolùm ſacra Chronologia conſtet, ſed etiam Meſſiæ Genealogia inde ab Adamo per varias generationes inſtitui poſſit. Ex hoc enim catalogo B. Lucas Evangeliſta cap. 3. ab Abrahamo uſque ad Adamum in deſcriptione Genealogiæ Chriſti aſcendit. Sed non levis occurrit difficultas ex eo, quod apud LXX interpretes ℣. XII. generatio una inter Arphacſchadum & Schelachũ inſeritur, quam etiam ponit Lucas, nempe Kainani, quæ tamen in textu Ebræo non comparet, nec hoc loco, nec ubi eadem genealogia repetitur, 1 Paralip. 1. verſ. 26. quamvis etiam ibi LXX illud nomen inſeruerint. Ebræum textum utrobique ſequitur Latina verſio vulgata, cujus autoris tempore non aliter Ebræos legiſſe conſtat quàm nunc habetur. Nec etiam tempore Maſoretarum, qui ad locum citatum ex primi Paralip. 1. cap. notant, duos eſſe verſus in quorum ſingulis dictionibus extat litera ש *ſchin*. quorum unus eſt iſte שם ארפכשד שלח *Schem, Arphacſch, Schalach*. Si autem inter Arphacſchadum & Schalachum inſeratur *Cainan*, in quo litera ש locum non habet, falſa erit nota. Nec certè credibile eſt, nomen illud excidere potuiſſe ex tribus locis, in quibus generatio illa deſcribitur, hoc nempe Geneſeos, & ca. 1. Paral. ℣. 18. & 26. Præſertim cum hoc loco non recenſeatur ſimpliciter Genealogia, ſed etiam cuilibet generationi ſua aſſignatur periodus, quam per ejuſmodi negligentiam excidiſſe vix probabile eſt. Accedit quod Paraphraſis Chaldaica, quæ etiam

etiam ſua antiquitate commendatur, Kainani hoc loco non meminit, non ſolum quæ ab Onkeloſo nomen habet, ſed etiam ea quæ eſt Jonathani. Cujus etiam nullam mentionem facit Hieronymus, quando eandem Genealogiam enumerat quæſt. in Geneſ. Tom. I. uti & Epiſt. 126. ad Evagrium. Addimus, quod annorum ſupputatio & tota Chronologiæ ratio, hoc additamento turbatur: Nam, fieri non poteſt ut Arphaxad genuerit Schelachum anno ætatis ſuę trigeſimo quinto, & eodem anno genuerit Kainanum patrem Schelachi. Cum autem LXX interpretes Kainano, aſſignent centum triginta quinque annos ante quam genuerit Schelachum, immane quantum diſtabit à Græca, Ebræorum ſupputatio; quæ etiam errore LXX adeo increvit, ut ex additione centum annorum vitæ Patriarcharum, Græca editio excedat fontem annis 742. Mira igitur confuſio, cui qua ratione ſuccurri poſſit, jure inquiritur.

Huic malo non medentur, qui ut textus utriuſque ſervent autoritatem, volunt Moſem data opera omiſiſſe generationem unam, ut per decades ab Adamo uſque ad diluvium, & à diluvio uſque ad Abrahamum genealogiam Meſſiæ diſtingueret, eadem ratione qua permotus fuit Matthæus ut per teſſeradecades ab Abrahamo uſque ad Chriſtum eam deduceret, in ſecunda teſſeradecade tres perſonas omiſit. Sed in eo deficit ſimilitudo, quod Matth. nullam rationem habet Chronologiæ, quæ in Moſe neceſſaria fuit, & quæ tamen apud Ebræos incerta manebit, ſi una generatio fuit omiſſa. Deinde, alia ratio eſt illius qui primus hiſtoriam ſcribit, & ejus qui poſteà aliquid ex ea decerpit. Poteſt hic nonnulla omittere pro arbitrio ſuo, quæ ad rei ſubſtantiam non faciunt: At illi hoc non liberum eſt. Ut id taceam, quod ſilente Moſe, vix ſciri potuit aliquam interceſſiſſe generationem inter duos illos. Nam ut ad revelationem novam id referatur, opus erit nova probatione. Si ad Traditionem quis recurrat, ea debuiſſet Judæis eſſe maximè nota, qui tamen in omnibus ſuis Chronologiis ſequuntur ſcripta Moſis.

Nollem cum Eugubino errorem affingere Lucæ, vel incogitantiam aliquam: Sed nollem etiam atro calculo notare eorum ſententiam, qui errorem in LXX editione agnoſcentes, non tamen putant erraſſe B. Lucam, cum ex eorum codice genealogiam deſcripſit, in qua ſciebat errorem fuiſſe commiſſum, ne, in re quæ fidem non tãgebat, diſpliceret novitate, apud Helleniſtas, apud quos præſertim procedebat Evangelii negotium, atque ita uſus ſit œconomica quadam συγκαταβάσει, condeſcendens ad tempus, donec confirmata apud eos Evangelii fide, communi conſenſu, codices Bibliorum Græcorum, ad limam primigenii textus revocarētur. Quod enim de Nov. Teſt. latina verſione ſcribit Sixtus Senenſis lib. 8. Biblioth. hæreſ. 13. *errores in ea, mendas, ac depravationes Divum Hieronymum, ſe conſulto reliquiſſe teſtatum fuiſſe, ſimiliter in nova Editione Eccleſiam ex profeſſo reliquiſſe, non quia tot eruditiſſimi ac ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres ea errata vel non agnoverint, vel approbaverint: ſed quia ad ea diſſimulanda juſtis de cauſis ſe impelli viderint.* Id exemplo Apoſtolorum factũ fuiſſe dicit, qui *quanquam ſcirent editionem* LXX *in multis redundare, & in multis deficere, eam tamen non contempſerunt, ſed ex ea prima noſtræ fidei fundamenta jecerunt.* Rationes autem quibus utrique moti fuerunt has affert, 1. *quod animadverterent, nihil periculi in fide & moribus ex his tam levibus erratis imminere. Deinde ne fideles importunæ ac nimium exactæ correctionis novitate offenderentur, quorum aures uſque ab infantia vetus illa editio occupaverat. Poſtremò ut vetuſtam illam editionem venerarentur, quæ naſcentis Eccleſiæ fidem educaverat, &c.* Ex judicio ſimiliter id putant feciſſe Lucam, & indulgentia quadam, ne dum in minutis hiſce exactus eſſet, diſtraheretur à principali ſcopo. In eam ſententiam conceſſerunt ex noſtris, Clariſ. Junius, & alii, qui etiam huc referunt quod Paulus jubet Genealogias ἀπεράντους vitari, 1. ad Tim. 1. ℣. 4. Eandem ſententiam probant inter Pontificios Cajetanus, Genebrardus, & Janſenius. Neque tamen propterea exiſtimandum eſſet, ſcripturam vel ſpiritum Sanctum erraſſe; neque enim accuſatur alibi erroris, cum ſcriptura aliquando loquitur ex hominum opinione, quibus ſe accommodat, ubi fieri poteſt, ſine diſpendio veritatis neceſſariæ. Parum enim valent objectiones eorum qui dicunt, ſacer ſcriptor non errat volens, quia illius ſcriba eſt qui neminem decipit, neque dignum eſt ſpiritu Sancto ſcribere mendacia &c. Quia neque in eo error eſt ſcriptoris, neque mendacium, ſed tantùm erroris alieni non periculoſi tolerantia ob cauſſas graves, ut dictum eſt, & quia ſolum hoc fuit propoſitum Evangeliſtæ, ut Genealogiam iſtam ad Adamum uſque deducendo, oſtenderet Chriſtum eſſe hominem verum, quod potuit ex vulgata tum apud Helleniſtas editione deſcribere, ſine ſcrupuloſo examine particularis alicujus interpretum lapſus, qui eam quam ſibi proponebat materiam non attingebat. Proinde, non putamus ſententiam eorum qui ita judicarunt præjudicare autoritati Sacrarum Scripturarum.

Hæc quamvis ita ſint, ſunt tamen quæ me movent ut cum iis ſentiam qui tam LXX quàm Lucam, ab errore, aut erroris tolerantia abſolventes, culpam omnem rejiciunt in exſcriptores, qui tam in editione LXX, quam in Lucæ poſteà exemplaribus, nomen *Kainani* addiderunt. Hoc primum ponitur ab iis fundamentum, Moſem potius eſſe ſequendum tanquam primum autographum, cum enim hic tam Chronologiam, quàm hiſtoriam mundi pertexuerit; non eſt credibile eum omiſiſſe annos 30. qui ſecundùm LXX dandi ſunt Kainano, eſſet enim hoc ingens vitium & error, tam in hiſtoria quàm in Chronologia. Nec minoris eſſet periculi dicere, Moſem eſſe mutilum, & falſam deduxiſſe Chronologiam

nologiam, quam dicere Lucam eſſe ſuperfluum? aut dicere textum Moſis hic eſſe detruncatum, quàm dicere, in Luca, Kainanum redundare; pari enim modo corrumpitur, & vel falſa, vel dubia redditur tam hiſtoria quam Chronologia. 2. Ebræa, Chaldæa & latina Biblia, ut dictum eſt, tam hic, quam 1. Paralip. conſtanter omittunt Kainanum. 3. omnes Ebræi, ipſi etiam Helleniſtæ Joſephus & Philo, in enumeratione generationum Adami, eundem omittunt; quamvis & græcè ſcripſerint, & Græcorum codices manifeſtè ſequutus ſit Joſephus in Catalogo Patrum, Quod argumento eſt, Joſephi tempore non habuiſſe hoc nomen Græcos codices.

3. Huc facit, quod Jrenæus, ſcriptor inter Chriſtianos antiquiſſimus lib. 3. cap. 33. à generatione Domini ad Adamum uſque ſeptuaginta duas tantum generationes in Luca numerat, qui numerus ſi Kainan abſit, ſibi conſtat; præſente autem eo fallit: Unde non levis conjectura duci poteſt, nomen Kainan, nec in editione LXX, nec in textu Lucæ, tempore Jrenæi, comparuiſſe. Quod etiam ex eo colligitur, quod in veteri Manuſcrip. exemplari quod olim fuerat Eccleſiæ Lugdunenſis, quo uſus eſt venerab. Beza, hoc idem nomen abfuit. Idem patet ex Hieronymo, in quæſt. in Geneſ. ubi controverſiam iſtam tractat, ſic enim legit, *Arphaxad genuit Sale, Sale genuit Eber.* pag. 207. Edit. Froben. Tom. 3. In quo tamen libro, autor diſſonantiam omnem quæ inter Ebræum textum, & interpretationem LXX intercedit diligenter explicat. Quod argumento eſt, nec in Græco, tempore Hieronymi, nomen illud comparuiſſe. Et cum Ebraici textus conſtans ſit ac uniformis ubique lectio, ut audivimus; etſi in Græcis jam olim ita lectum fuiſſet, ſtandum tamen eſſet regulæ Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei, cap. 6. *Si tranſlatio ab originali diſſentit, ei linguæ potius credendum eſt, unde in aliam per interpretationem facta eſt tranſlatio.*

4. Epiphanius, qui LXX interpretatione uſus eſt, hæreſ. 55. ubi diſputat contra Melchiſedecianos, atque annos exponit ſingularum generationum, quæ fuerunt inter diluvium & Abrahamum, nullam planè fecit mentionem generationis Kainani, quæ etiam in Codice Bibliorum Græco Romæ impreſſo, in exordio prioris libri Paralipomenon, non comparet.

His & ſimilibus rationibus non obſcurè oſtenditur, nomen Kainan, poſt Hieronymi tempora irrepſiſſe in codicibus Græcis LXX interpretum, & inde deductum fuiſſe in exemplaria Evangelii Lucæ, ab iis qui cum illud legerent in textu Græco Veteris Teſtam. exiſtimarunt non omittendum eſſe in textu Novi, ubi eadem repeteretur generatio. In hanc ſententiam conſenſerunt ex noſtris Beza in annot. ad Evang. Lucæ, ubi etiam dicit ſe in illo ſuo exemplari vetuſtiſſ. nomen Kainani non reperiſſe: & Pareus, in hunc locum. Ex adverſariis autem, eandem multis confirmare conatur Cornelius à Lapide, in hunc eundem locum. Pererius agnoſcit argumenta eſſe valida, quibus probatur nomen Kainani non fuiſſe repertum in aliquibus Græcorum Bibliorum codicibus, & ſi tale quid probari poſſet adeò apertè de codicibus Lucæ, ſe eandem ſententiam toto amplexu eſſe complexurum: Sed quia conſtantiſſimè legitur nomen Kainan, apud omnes Græcos autores. nec ullus eſt qui exemplaria viderit in quibus fuerit omiſſum (Bezæ enim teſtimonium diſſimulat) mavult adhuc ἐπέχειν, quam aliquid pronunciare. Concludit itaque, ſe planè nullius eſſe ſententiæ. Si quis tamen hunc modum non probet, ex omnibus minus improbabilem exiſtimare eum, quem Canus & Lipomanus ſequuti ſunt; ut verè generatio Kainani interceſſerit, ſed Moſem ut per decades Generationes illas enarraret, omiſſo filio immediato, nepotem tanquam filium dediſſe Arphaxado. Qua ratione oſtendimus totam Chronologiam nutare.

Nos priorem amplectimur, Utrobique in exemplaribus mendoſè Kainani generationem interſeri, & ad id ſufficere putamus Ebræi textus conſtantem ubique lectionem, ubi tribus locis, generationis illius fit mentio. Nec eſt quod quis exiſtimet id præjudicare veritati librorum ſacrorum, ſi alicubi deprehendantur voces aliquæ ſuperfluæ, aut numeri non benè notati, cujus rei exempla non pauca profert Jacobus Cappellus Chronol. ſuę pag. 36. & 37. in quibus veritas rerum ad ſalutem neceſſariarum, nullum patitur diſpendium. Hoc loco autem non ſine magnis rationibus Kainanum ex albo eradimus. Nam autoritate nitimur omnium quotquot extant Ebræorum codicum, Paraphraſeων Chaldaicarum & Chronologiarum à Judæis ſcriptarum. Item veteris vulgatæ verſionis, quam Concilium Trident. jubet haberi pro authentica. Ipſi Chronologi veteres Chriſtiani nobis etiam atteſtantur, Euſebii enim ſupputatio ex LXX, quam ſequitur Martyrologium Romanum ad 25. Decemb. Kainani generationem pati non poteſt, ut nec Theophili ad Autolycum lib. 3. ubi numerat à Diluvio, ad natum Iſaacum annos mille triginta ſex: unde conſtat eum etiam cum Euſebio expungere Kainanum, alioqui à diluvio, uſque ad Iſaacum natum numerandi eſſent 1166 anni aut 1172. Cum tamen Euſeb. in Chronico, ab Abrahamo uſque ad diluvium retrorſum numerando, computet tantum nongentos quadraginta duos annos. Idem Euſeb. etiam de præp. Evang. lib. 9. Beroſum Chaldæum, LXX interpretibus antiquiorem, ſic ſcribentem introducit. *Decima generatione poſt diluvium apud Chaldæos vir erat juſtus, magnus, &c.* ubi de Abrahamo loquitur, qui tamen non eſſet decimus à Semo, niſi Kainan excluderetur. Temerè igitur Mariana, in notis ad cap. Geneſ. XI. deducit argumentum, ut ille vocat, *fortiſſimum, ad probandum libros Ebræos hac in parte eſſe vitioſos*, quia generationem illam omittunt: Ubi non animadvertit, ſequi inde vitioſam eſſe editionem latinam,

nam, quam Tridentinum Concilium fecit authenticam.

Alii qui utramque editionem ſalvare volunt, ita ut Moſes conſulto unam generationem omiſerit, ne decadem ſuperaret; quam tamen ſuppleverint LXX, vel ex dictamine Sp. Sancti, vel ex certa traditione, non ſatisfaciunt argumento de conturbata ſacra Genealogia, quam Moſes exactiſſimè inſtituit. Ideò quod objiciunt ex Matthæo, omittente aliquot Generationes, planè diſſimile eſt, ut oſtendimus. Quæ cauſſa eſt, cur ex ejus ſilentio (quod alias non liceret) inferre poſſimus & debeamus ſententiam negativam; quia etiam addito Kainan, impoſſibilis eſt & falſa propoſitio, quod Arphaxad anno ætatis ſuæ 35. genuit Schelachum nepotem ſuum. Ne igitur Moſi affingamus mendacium, neceſſario rejicienda eſt generatio ſuperflua.

Ad Epiphanii autoritatem adverſus hæreſim Melchiſedecianorum, reſpondent, rem fuiſſe Epiphanio cum Samaritis, qui Biblia Græca non recipiebant, ideo Ebræis uſum fuiſſe ut eos refelleret. Sed falſam eſſe rationem ex eo conſtat, quod ibidem aſſignat ex LXX centum triginta quinque annos Arphaxado, cum genuit Schelachum. Ibidem in aliis planè exprimit eandem verſionem. Quid quod ibidem expreſsè ait, inter Schemum & Abrahamum fuiſſe decem generationes? Si autem addatur Kainan, erunt undecim. Nam quod reſpondet Marius, in numero undecimo contineri decimum, & ipſum Epiphanium agnoſcere, in numeris imperfectis perfectos contineri, & numerari; ut alibi verum ſit, ibi non poteſt habere locum, quia quantum poterat exactam ſecundùm ipſos LXX texebat Chronologiam, ut oſtenderet Semum non potuiſſe pertingere Abrahami tempora. E re autem ipſius erat eam augere potius quam imminuere. Summam reducit à Semo, ad Melchiſedeci tempus quo Abrahamum excepit, ad mille triginta annos, quæ ſi tempus aſſignatum Kainano adjungeretur, ſupra mille centum ſeptuaginta adderet. Hæc adeo perſpicua ſunt, ut quæ alibi pluribus locis habentur de Kainan, ubi ex profeſſo & exactè non diſputat, merito judicari debeant addita ex corruptis exemplaribus ſeptuaginta.

In quibus etiam hoc notandum eſt quod ab Arphaxado uſque ad Thare Patrem Abrahami, in editione Græca, ubi agitur de tempore quo unuſquiſque Patriarcha cœpit gignere, adduntur ſemper annis Ebræorum, centum, & aliquando plures: qui poſteà imminuuntur in nonnullis ex reliquo vitæ tempore, aliquando multiplicantur, quæ cauſſa fuit magnæ illius diſcrepantiæ in enumeratione annorum à condito mundo, inter Chronologos Græcorum, & eos qui ſequuntur fontes Ebræos. Siquidem ex eo factum eſt, ut à mundo condito uſque ad Chriſti nativitatem, numerent Græci annos quinquies mille, centum nonaginta novem: Cum tamen ex Ebraica veritate, plures non ſint quam ter mille nongenti quadraginta ſeptem, juxta ſupputationem Scaligeri, & Sethi Calviſii. Vel ex ſupputatione Genebrardi, quatermille octoginta novem. Ex ſupputatione Lutheri, 3967. Quæ ſupputationes etſi in omnibus non conveniant, ob nonnullas intercurrentes controverſias, qualis eſt illa de tempore quo natus eſt Abraham, non multum tamen diſſident, & omnes à Supputatione Græcorum longè abſunt. Sed hæc & talia doctiſſ. Chronologis diſcutienda relinquimus.

EXERCITATIO LXX.

Quis primogenitus fuerit inter filios Therach. *Quo anno patris natus fuerit Abrahamus? Opinionum diſcrepantia. Quæ maximè probabilis? Quid in eo certum? & quæ ex eo ducatur conſequentia de anno nativitatis Abrahami? Expenditur præcipuum argumentum adverſæ ſententiæ. Rejicitur diſtinctio de peregrinatione & incolatu Abrahami & reſpondetur objectioni de centenario ad generationem inepto.* Ur *Chaldæorum quæ fuerit? Fabula Iudaica rejicitur.* Chaldæi *à Cheſed filio Nachoris, per anticipationem. Cur Mathematici* Chaldæi *dicti? An Therach & Abraham fuerint olim Idololatræ? Affirmatur; & Calvinus à Bellarmini criminationibus defenditur. Etiam Apologiſtis Maſio, Genebrardo, Aria, Poſſevino, Serario, qui in eam ſententiam multos citat Iudæos & Chriſtianos. Probatur teſtimonio libri Ioſue. Solvuntur argumenta adverſantium. An poſt vocationem Abrahami ceſſarit Idololatria in ejus familia? Negatur, & explicatur.*

A Verſu 26 uſque ad finem Capitis, Ortus Abrahami & eorum qui proximè eum attigerunt narratur, & fratrum ejus poſterorum ideò fit mentio, ut melius percipi poſſit Hiſtoria ſequens, de uxore Abrahami Sarai, de Nepote ipſius Loth, & de Rebecca uxore Iſaaci, atq; uxoribus Iacobi. Reliqua penè nullam habent difficultatem; ſed verſ. 26. ita agit mixtim de trium filiorum Therachi nativitate, ut difficillimum ſit definire, cui trium illorum aſſignandus ſit annus patris ſeptuageſimus, atque adeo jus primogenituræ tribuendum. Quemadmodum enim anteà de Noacho dictum fuit cap. 5. verſ. 32. *Poſtquàm natus fuit Noach quingentos annos, genuit Sem Cham & Iaphet*, ex quo non poteſt colligi eos natos

 eſſe

eſſe eodem anno parentis ætatis: ita hoc loco dicitur, Therach cum eſſet annorũ LXX, genuiſſe Abraham & Nachor & Aram: Senſus utrobique eſt, tum incœptam fuiſſe filiorum illorum generationem, nec utrumque patriarcham prius filios habuiſſe, quàm hanc quæ ibi deſignatur, attigiſſet ætatem. Et quemadmodum ex enumerationis ordine in primo loco, non ſequitur Semum fuiſſe primogenitum naturâ, etſi poſtea dignitate prævaluerit; idem etiam de Abrahamo dici poſſe. Hic in duas partes abeunt ſacri Chronologi. Sunt enim qui primas nativitatis Abrahamo vindicantes, omnino volunt natum fuiſſe anno parentis LXX. Sunt contra qui aliis rationibus expenſis, & præſertim annis vitæ Therachi, cum nativitate Iſaaci centeſimo Abrahami anno facta collatis, exiſtimant neceſſario, nativitatis Abrahami annum incidiſſe in annum centeſimum trigeſimum vitæ Therachi. Nachorem autem fuiſſe majorem natu, Aramum, ſecundum. Abrahamum primum numerari, qui minimus eſſet, ex prærogativa fœderis divini, &c. Ex hac controverſia in ſacra Chronologia, oritur ſexaginta annorum ſcrupulus.

Abrahamum natum eſſe anno ætatis patris ſui centeſimo trigeſimo primo, jam olim Theod. cenſuit, prout in Catena citatur à Lipomano. Hunc ſequuti ſunt Lyranus, Cajetanus, & nuper in Cap. Act. 7. Gaſpar Sanctius: Item, in hunc locum ſcribens Leonardus Marius, & Torniellus in Arnial. Ex noſtris idem ſentiunt Matthæus Beroald. in Chronic. Franciſcus Junius, David Pareus, Joannes Deodatus, Joan. Temporarius, & Jacobus Cappellus. Quam ſententiam impugnant quantum poſſunt alii viri doctiſſimi, Alphonſus Toſtatus Abulenſis, Benedictus Pererius; ex noſtris Joſephus Scaliger, & qui ex eo ſua deſumpſit Sethus Calviſius, quorum argumentis ſigillatim reſpondet Doctiſſ. Pareus in cap. XI. Geneſeως.

Non noſtrum hos inter tantas componere lites. Sed tamen omnibus ritè perpenſis magis me ad ſe trahit ſententia eorum qui nativitatem Abrahami protrahunt in annum Therachi centeſimum trigeſimum, quam plerique, qui contra ſentiunt, non negant, ſi rectè probari poſſit, omnem exhaurire difficultatem quæ ex aliis ſententiis naſcitur, ex collatione variorum Scripturæ locorum, in quibus de variis temporibus agitur ad Abrahamum & ejus patrem ſpectantibus, in quibus adeò hæſit magnus ille Scaliger, ut in nonnullis proverbio Judæis communi uſus ſit, expectandum eſſe Eliam qui nodum ſolvat.

Quatuor ſunt certiſſima ex ſcripturæ fontibus. 1. Therach patrem Abrahami vixiſſe annos 205. hoc enim habemus verſ. 32. 2. Ibidem legitur quod mortuus ſit in Haran. 3. Quod Abraham ex Haran tranſlatus fuit in Chananæam infra 12. verſ. 4. Scribitur, & repetitur à Stephano, Actor. 7. verſ. 4. 4. Abraham in egreſſu ex Haran & migratione in Chananæam, fuiſſe annorum 75. patet ex eod. cap. 12. verſ. 4. Quæ cum ſint omnia exploratiſſima, ut ne unum quidem negari poſſit ſine manifeſta Sp. Sancti injuria; ex his manifeſta videtur conſequentia, cum egreſſus fuerit Abraham ex Charan poſt mortem patris, anno ætatis ſuæ 75. Vixerit autem pater ejus annis 205, ſi detrahantur anni vitæ filii cum egreſſus eſt, ſupereſſe de vita Therach, annos centum triginta, poſt quos Abraham natus eſt. Cui etiam & hoc additur argumentum, quod Stephanus notat tunc cum tranſlatus fuit Abraham, nullum habuiſſe filium, quod ſi verum eſſet natum fuiſſe Abrahamum anno vitæ patris 70, qui anno ætatis ſuæ centeſimo genuit Iſaacum, ſequeretur Iſaacum natum eſſe in Meſopotamia, anno avi ſui 170. quo mortuo, fuiſſet Iſaacus annorum quinque & triginta.

Hunc nodum cum ſatis non expediant, qui varias & diverſas Abrahami migrationes fingunt in terram Chanaan, quas probare nequeunt, neque etiam conveniunt cum reliqua hiſtoria peregrinationum Abrahæ.

Facilius multo mihi videtur reſponderi poſſe ad eorum argumenta qui contra ſentiunt, quorum pleraque levia ſunt: Unum quod majoris eſt momenti, & quod etiam maximè urgent, ventilabimus. Deducitur autem ex eo, quod ſequeretur Moſem in ſua Chronologia minus fuiſſe accuratum, cujus totam rationem perturbari putant, ſi Abraham non fuit primogenitus Therachi, & ejuſdem nativitatis annus non fuerit expreſsè notatus. Cum enim anteà Moſes deduxerit Genealogiam ab eo tempore quo Patriarchæ genuerunt filios ſuos qui ponuntur in linea directa genealogiæ populi Dei, videtur abſurdum eſſe, ſi hæc ratio ceſſarit in Abrahamo, qui inter patriarchas maximè eminuit. Cui objectioni ſatisfieri poteſt, ſi dicamus ſufficere ut ex ſcriptura, etiam Veteris Teſtamenti, ſine ſubſidio narrationis Stephani, habeamus certum tempus nativitatis Abrahami. Id autem non eſſe difficile ſic oſtenditur. Cum conſtet Therach vixiſſe annos 205. & illo jam mortuo Abrahamum egreſſum eſſe ex Meſopotamia cum ageret annum ætatis 75. inde ortus Abrahami facile colligitur, quod nempe incidat in annum patris 130. Nam quod eodem anno quo mortuus eſt Therach, migraverit Abraham, ita ut paterna mors haberi debeat velut nota quædam exitus illius, ſatis evincere videtur Abrahami in parendo promptitudo, etiam in rebus difficillimis. Jam enim iter inſtituerat, & ex patria egreſſus erat, ſed exiſtimans ſatisfactum eſſe vocationi, cùm nondum audiviſſet aliquid de regione in quam Deus eum tranſlaturus erat (quia primùm exiit *neſciens quo iret.* Ebræ. 11. verſ. 8.) non fuit ei difficile inſtitutum iter perſequi, poſtquam parenti juſtis perſolutis, expeditior factus, mandatum ſpeciale accepit de terra Chananæa.

Quod autem regerunt, durum videri, ut cum in generatio-

nerationibus aliis toto cap. xi. quoto quiſque parentis anno fuerit natus, expreſſum ſit apertè, obſcurius id in Abrami ortu notetur. Reſpondemus, non eſſe neceſſarium, eodem ſemper modo narrationis ordinem texi, neq; eſſe id in Scriptura perpetuum, maximè cùm inſtitutus narrationis curſus aut interrumpitur, aut finitur. Sic Geneſ. 5. poſtquam omnes generationes ab Adamo uſque ad Noë eodem ordine fuiſſent deſcriptæ, ubi ventum eſt ad Noë, id eſt, ad poſtremum, narrationis ordo mutatus eſt; tum quia non idem dicendi modus, tum quia non unus, ut in aliis, ſed tres filii nominatim dicuntur fuiſſe generati. Ita ut aliundè deſumendum ſit initium ætatis Semi. Sic etiam quia ordo à Noacho uſque ductus ceſſat in Therach, mutata eſt in eo deſcribendæ generationis ratio. Aliundè tamen, ut diximus, poteſt annus nativitatis Abrahami percipi.

Quod autem qui in contraria ſunt ſententia, diſtinguunt inter peregrinationem Abrahami in terra Canaan, & ejuſdem incolatum; & peregrinatum fuiſſe ante obitum patris, ad quem ſub ejuſdem vitæ finem venerit, ut ei extrema officia perſolveret, & poſteà redierit in terram Canaan ad incolatum, de quo intelligenda ſunt verba Stephani; id, inquam, eadem facilitate negari poteſt, qua affirmatur. Eſt enim diſtinctio nihili de peregrinatione & incolatu, cùm non Abrahamus ſolùm, ſed etiam ejus filii peregrini fuerint in terra Canaan. Sed nec convenit cum hiſtoria de conjugio Iſaaci. Si enim verum eſſet Abrahamum profectum fuiſſe ex Chananæa in Charam, & ibidem fuiſſe, cùm Iſaacus jam ageret annum trigeſimum quintum. Ad quid neceſſarium erat, ut quinquennio pòſt, Eliezer ab Abrahamo miſſus ut acciperet uxorem filio ſuo, tam operosè exponeret parentibus Rebeccæ, quid factum fuiſſet cum Abrahamo à Deo, & Saram in ſenectute ſua ei filium peperiſſe? Non potuerunt eos talia latere, ſi paucos ante annos rediiſſet in Charan Abrahamus, ut inde paternis bonis acceptis, rediret in Chananæam.

At, inquiunt, ſi Abraham natus eſt patri anno ætatis ejus 130. quomodo mirari, aut incredibile haberi potuit id quod promittebat Deus, ſibi centenario naſciturum eſſe filium? Abſonum ſanè. Ergò abſonum etiam fuerit, Abrahamum mortua uxore Sara, non jam centenarium, ſed ſupra 137 annos natum duxiſſe Keturam, & ex ea ſex liberos ſuſcepiſſe. Certum eſt ergò autores illius objectionis dividere conjungenda. Non miratus eſt Abraham, ſi centenario naſceretur filius, ſed ſi centenario ex uxore nonagenaria, eaque anteà ſterili. Hoc ſanè mirum erat. Si quis dicat inter tempus illud quo primum genuit Thare, anno ætatis 70. uſque ad 130. quo Abraham natus dicitur, interceſſiſſe tot annos, ut uxor Thare, non potuerit eſſe minor ætate, quàm fuit Sara; probandum ipſi erit, unam tantùm habuiſſe uxorem Thare, non autem ſucceſſivè plures. Quod nunquam faciet. Sed de his hactenus.

Verſ. 31. ſic habet, *Tulit Therach Abrahamum, &c. & egreſſi ſunt ex Vre Chaldæorum, &c.* ubi duo ſunt expendenda. 1. quis fuerit locus ex quo egreſſi ſunt. 2. cur Theracho tribuitur eductio illa? Ad primum quod attinet, Judæi multa fabulantur de *Vr*, quam vocem appellativè pro igne intelligunt, & narrant Abraham & Aran fratrem ſuum, à Chaldæis injectos fuiſſe in fornacem ignitam, ob reprehenſam ab iis illorum idololatriam, & Abraham quidem nutu Dei incolumem evaſiſſe, Aran verò igni abſumptum fuiſſe. Fabula ortum habet ex mala interpretatione dicti illius Dei, infrà cap. 15. *Ego ſum qui te eduxi ex Vr Chaldæorum.* Quo loco cùm ſupponerent inſigne aliquod miraculum, & liberationem Abrahami neceſſariò ſignificari, ideò voluerunt ex igne fuiſſe ibi liberatum. Sed cùm eductio eadem tribuatur hìc Theracho, tanquam ei qui cùm eſſet paterfamilias, totam ſecum eduxit familiam, paſſivè autem eadem eductio fuerit, non ſolùm Abrahami, ſed etiam Lothi & Saraï, non dubium eſt deſignari locum in quo anteà habitaverant, & in quo mortuus erat Haran; qui locus ℣. 28. dicitur *terra nativitatis ejus*, nempè *Vr Chaldæorum.* Ridiculum eſt, quòd nonnulli per *Vr Chaſdim, civitatem Sanctorum* interpretati ſunt, ob novum cultum in ea inſtitutum, accipientes *Vr* pro *Ir*, & *Kaſdim*, cum כ *caph*, pro *Chaſidim*, cum ח *cheth*, quæ vox tamen *beneficos* ſignificat, non propriè *Sanctos*. *Chaſdim* ergò ſunt Chaldæi, qui etſi poſteà ſic dicti fuerint à כסד *cheſed*, uno ex filiis Nachoris, de quo infrà cap. 22. ℣. 22. Sic tamen per anticipationem appeliantur à Moſe, quia cum ſcribebat, tale nomen inditum fuerat regioni; à qua, quia incolæ addicti fuerunt Aſtronomiæ judiciariæ, omnes Mathematici, Genethliaci, Magi, &c qui hanc artem profitentur, *Chaldæi* dicti fuerunt: atque ita Chaldæorum nomen, non tantum gentis, ſed etiam artis factum fuerit. Pro ſummo autem beneficio ponitur eductio ex tali loco, quia periculum erat, ſi diutius in eo manſiſſet, ne planè corrumperetur ex idololatrarum conſortio. Joſephus & Eupolemus apud Euſeb. lib. 9. præpar. Evang. cap. 4. *Vr* dicunt fuiſſe urbem, quam Joſephus οὐρίῳ appellat. Plinius lib. 5. cap. 24. meminit *Vræ loci, uſque quem fertur Euphrates, in quo converſus ad orientem, relinquit Syriæ palmyrenas ſolitudines, quæ uſque ad Petram urbem, & regionem Arabiæ felicis appellatæ, pertinent.* Cur autem ſic dicta fuerit, incertum eſt: nam etſi Chaldæi fortaſſe pro numine poſteà coluerint ignem ſacrum, ut Perſas feciſſe Procopius teſtatur, qui loca cuſtodiæ πυρεῖα appellabant; non poteſt tamen probari talem ſuperſtitionem ortam fuiſſe tempore Abrahami, vel propter talem cauſam, loco fuiſſe inditum nomen.

Cauſſa quam diximus egreſſus illius prioris ex Ure Chaldæorum, quæſtioni locum dat, num Thare & ipſe Abraham ante ſuam vocationem addicti fuerint idololatriæ,

idololatriæ, etiam Thare poſtquam venit in Meſopotamiam? Epiphanius initio Panarii ſui refert, Thare *æmulum Deo per propriam verſutiam commentum erexiſſe, id eſt, idolum.* Ideò hoc ipſi accidiſſe, quod nemini anteà Patriarcharum, ut per naturalem mortem, ipſe vivens, videret ſibi filium eripi. Quò refert illud, ℣. 28. *Mortuus eſt Haran in conſpectu patris, in terra nativitatis ſuæ.* Thare idolis ſerviiſſe, ſaltem ad tempus, negari non poteſt, quia id diſertè teſtatur hiſtoria ſacra, Joſue 24. ℣. 2. ubi ſic Dominus per Joſuam, *Trans flumen habitabant patres veſtri olim, Thara pater Abrahami & pater Nachoris, colebantque Deos alienos.* Idololatriam autem illam continuaſſe in familia Thare, poſtquam ex Ure Chaldæorum venit in Meſopotamiam, certiſſimum eſt ex cap. eod. ℣. XIV. *Amovete* (inquit) *Deos, quos coluerunt majores veſtri in Meſopotamia & in Ægypto, &c.* An verò ipſe Abrahamus inter majores illos idololatras recenſeri debeat, diſputatur; & quia hoc Calvinus non dubitavit aſſerere, Inſtitut. lib. 3. cap. 14. ſect. 11. magnam ei dicam impingit Bellarm. Præfat. ad libros de Sanct. Beat. ubi, ut probet Calvinum, flagellum linguæ ſuæ extendere, ut vexet conviciis etiam ſanctos, qui multis ſeculis adventum Salvatoris præceſſerunt, dicit eum, *Abrahamum idolorum cultorem facere,* nempè ante converſionem ſuam. Verba enim ejus ſunt, *Dominum imputaſſe fidem Abrahamo ad juſtitiam, non eo tempore, quo idolis adhuc ſerviebat, ſed quum multis jam annis vitæ ſanctitate excelluiſſet.*

Si propterea Calvinus eſt in Sanctos injurius, in eadem culpa erunt plurimi Pontificii ſcriptores, qui idem agnoverunt, & ſe ſufficienter probaſſe putarunt, iiſdem argumentis quibus ad id inductus fuit Calvinus. De Andrea Maſio id extra dubium eſt, qui ſcribens in cap. 24. lib. Joſue, proteſtatur, *ſe eos audire non poſſe, qui magno conatu, Abrahamum ab hoc turpiſſimo idololatriæ crimine vindicare, neſcio quibus argutiis, ſtudent.* Oſtenditque tanto illuſtriorem eſſe Dei gratiam, qua illum eſt complexus, quanto ipſe fuit ſceleratior, minuſque tanto favore dignus. Sacram item hiſtoriam pro magno Dei beneficio commemorare, atque animis noſtris inculcare, quod ipſum quaſi manu arreptum è patria atque idololatrarum conſortio extraxerit. Eandem ſententiam Genebrardus, qui alioqui quamvis anſam libenter apprehendit, ut noſtros conviciis oneret, & blaſphemiarum arguat, pluribus aſſerit in ſua Chronologia, lib. 1. eamque comprobat Judæorum teſtimoniis Johanan & Aninæ, à quibus proditum fuit, Abrahamum 48. ætatis ſuæ anno cœpiſſe agnoſcere verum Deum, omnemque ſuperſtitionem abjicere. Arias Montanus in eadem eſt ſententia ſcribens in eundem locum. Imò ex Jeſuitis non obſcuri homines, Poſſevinus Bibliothecæ ſelectæ lib. 2. cap. 7. *Abrahamum,* inquit, *cœleſti afflatu, tanquam manu injecta, è ſuperſtitionibus patriis exemptum, atque ad colendam ſanctorum parentum pietatem religionemque, revocatum eſſe.* Sed in idem cap. Joſue, Quæſt. ſecunda Nicolaus Serarius Jeſuita ita cauſſam illam agit, ut ſolus ſufficiat ad obturandum os Bellarmino & aliis, qui eo nomine in Calvinum incurrunt. *Ipſe* (inquit) *Abraham, cum ætate eſſet junior, fuit quoque cum ſuis parentibus idololatra. Id affirmant Rabbini in Talmud, ubi de Avoda Zarah diſſerunt, eumque adoraſſe ſtellas ait Rambam, lib. 1. Halacah 4. cap. 1. & lib. 3. Halacah, 1. cap. 8. & Rab. Godolias in Schalſcheleth fol. 8.* Philo lib. περὶ ἀποικίας. S. Ephrem lib. 2. de pœnit. ubi inter pœnitent. exempla ponit Abrahamum, qui *primò Gentilis fuit & Chaldæus.* Idem etiam teſtatur autor libri Recognit. ſub nomine Clementis. Et ſunt qui putent idcirco Apoſtolum ad Rom. cap. 4. ℣. 5. Abrahamum appellaſſe ante ſuam juſtificationem, ἀσεβῆ, *impium.* Gregor. Nyſſenus in orat. de ſanct. Baſil. dicit, *Abraham patrium errorem reliquiſſe:* & Chryſoſtom. Homil. 6. de pœnitent. *infidelitate peccaſſe.* Ambroſ. in Pſalm. 118. octon. 17. docet, *evocatum fuiſſe à Deo, ut Chaldæorum errores relinqueret.* Idem ſentit Gulielmus Hamerus Dominicanus, ſcribens in hunc locum, in ſuis comment. in Geneſ.

Id certè, quicquid dicant qui contrà ſentiunt, ſatis apertè colligitur ex verbis Joſue: dicit enim numero multitudinis, patres Ebræorum ſerviiſſe Diis alienis, exprimit autem quos intelligat, *Thare patrem Abrahami & patrem Nachoris,* ita ut tres illos, patrem cum liberis in eadem categoria ponat, poſtquam enim dixiſſet, *ſervierunt Diis alienis,* addit, & *aſſumpſi patrem veſtrum Abrahamum,* ℣. 3. evidenter indicans in beneficiis Dei erga Iſraëlitas hoc commemorari, quòd cùm majores eorum, nempè uterque Iſraëlis avus, paternus & maternus, Abraham & Nachor, cum patre ſuo in Chaldæa degentes, alios Deos colerent: Deus, Abrahamum, ex mera ſua gratia, non ſuo merito, aſſumpſit, eique hæreditatem & hæredem dedit.

Contraria ſententia infirmis admodum nititur argumentis. Duo affert Pererius. 1. ex Joan. cap. 8. ubi Judæi ad promiſſam à Chriſto libertatem reſpondent, ſe Abrahami filios eſſe, non ex fornicatione natos, ſe patrem habere Deum. Ubi vult fornicationis nomen ſpiritualiter intelligi, & per conſequens negare Abrahamum fuiſſe idololatram. Sed quàm dilutum ſit, quivis percipere poteſt. 1. enim, ſi id Judæi illi diſertè negaſſent, an propterea verum non eſſet? Quaſi verò non aſſueti eſſent vera negare, & falſa ſupponere. 2. Falſum eſt eos agere de fornicatione ſpirituali, ubi de ſua ex Abrahamo origine loquuntur: Reſpondent enim ſe omnimodò liberos eſſe. I. Si prærogativa carnis ſpectetur, Abrahami filios eſſe ex legitima uxore, non ex ancilla. II. Si ſpiritualis libertas, ſe filios eſſe Dei. III. Si per fornicationem intelligeretur ſpiritualis fornicatio, ſequeretur quidem eos negare ſe Abrahami

hami filios eſſe ſpurios, ſed non ſequeretur Abrahamum nunquam ſpiritualiter fuiſſe ſcortatum, præſertim ſi ſpectemus tempus quod præceſſit promiſſionem de numeroſa poſteritate. Denique neque id quidem ſequeretur, ſi Abrahamus poſſet ab idololatria planè abſolvi, eos non habuiſſe parentes idololatras, ſive eos qui ipſum Abrahamum præceſſerunt, ſpectemus; ſive eos qui ſequuti ſunt, quorum pleriq; in idololatriam lapſi ſunt, tam in Ægypto, ut patet ex cap. eodem lib. Joſue, quàm in ipſa terra Chanaan. Unde patet futiliſſimum eſſe argumentum Pererii.

2. Ex eo deducit, quod ſi Abraham in primis annis fuiſſet idololatra, & à tali contaminatione fuiſſet per Dei gratiam extractus, non fuiſſet tacitum tantæ miſericordiæ exemplum in ſacris V. & N. T. literis. At tacitum fuit. Ergò. Major arguit ab autoritate negativè, quam rationem ipſi Pontificii, etiam in rebus ad ſalutem neceſſariis, rejiciunt: ſed præterea minor falſa eſt. Oſtendimus enim Scripturam tanti beneficii meminiſſe.

Illud unum ſupereſt exquirendum, An idololatria ceſſaverit tantùm in familia Abrahami, poſtquam à Deo ſecundò monitus, deſertâ paternâ domo, abiit in Cananæam: an verò anteà melius edoctus, in ipſa Meſopotamia Deum purè & ſincerè coluerit? Sunt qui velint Thare non fuiſſe idololatram, cùm habitaret in Ur Chaldæorum, ſed tantùm cum eſſet in Charris. Sed id falſum eſſe conſtat ex ſcopo eductionis illius: nam ideò eduxit eum Deus, ut è conſortio idololatrarum erutus, deſineret idolis ſervire, & cùm obtemperaſſet vocationi divinæ, ut veniret in Charras, propoſitum ipſi fuiſſe deinceps, verum Deum colere, idq; ab Abrahamo factum fuiſſe tum non dubitarem: ſed ad patrem ejus quod ſpectat & fratrem Nachor, quos idololatras fuiſſe plerique ſentiunt in ipſa Meſopotamia, & ex Scriptura certum videtur; exiſtimarem illos quidem nonnihil remiſiſſe de priſtina idololatria, ſed in ratione colendi Deum, non ſibi temperaſſe à veteri ſuperſtitione, prout accidit poſteà Racheli, quæ, etſi à marito edocta eſſet veram pietatem, ſurripuit tamen idola, ſeu imagines, patris ſui; imò etiam in familia A-[redacted]i in ipſa terra Chanaan, pòſtquam Deus ipſi apparuit in Bethel, neceſſarium fuit ut domum ſuam repurgaret ab idolis. Cenſeo itaque in familia Theraci & Nachoris notham quandam religionem invaluiſſe, qua quidem Deus agnoſcebatur pro eo qui omni cultu eſſet venerandus. Jehovam enim habebant pro Deo, ſed eum colebant in imaginibus ſuis, cultu ſuperſtitioſo. Hinc illud diſcrimen inter familiam Abrahami, & Bethuelis, quod poſteà obſervabitur. Nec tamen planè habebantur Laban & alii fratres pro infidelibus & extraneis, ut patet ex hiſtoria conjugii Iſaaci & Jacobi. Sed puritas cultus divini ab omni idololatria defecati apud Abrahamum & ejus poſteros manſit.

AD CAPUT XII.

EXERCITATIO LXXI.

Mandatum Dei ad Abramum, & ejus circumſtantiæ. Ejus elegans exaggeratio ex Auguſtino. Patriæ amor & deſiderium. Cui tamen multa præponenda. Benedictio Abramo promiſſa quouſque ſe extendat. Vox גוי goj, *pro gente Iſraëlitarum.* Benedici in aliquo gentes, *quid ſit? Explicatur locus ad Galat.* III. *verſ.* VIII. *Laus fidei Abrami.* Animæ *pro* perſonis. Facere animas, *pro* acquirere. *Factum Abrami an faveat iis qui invitis parentibus voto monachali ſe obſtringunt. Negatur, & Bellarm. redarguitur. Ærodii ad filium Pſeudo-Ieſuitam elegans compellatio. Differentia inter Abramum & Monachos.*

INitio cap. 12. exponit Moſes per ὑςέρωσιν ipſi familiarem, cauſſam cur Abraham, relictâ patriâ Ure Chaldæorum, verſus Chananæam iter inſtituerit, mandatum nempè divinum, cum adjuncta promiſſione benedictionis. Quam narrationem quatuor primis verſibus, præmittit hiſtoriæ de profectione Abrahami, unà cum nepote ſuo Lot, poſtquam in Meſopotamia patrem ſuum Thare ſepulchro mandaſſet: cujus ingraveſcentem ætatem, credere par eſt, cauſſam fuiſſe, cur Abrahamus non rectà petierit Chananæam, ſed diutiùs in Charane ſubſtiterit, quam ſententiam anteà, ut probabiliſſimam, ſumus amplexi. Rectè ergò illud ויאמר *vajjomer*, per præteritum imperfectum interpretantur Trem. & Jun. ut ſit ratio, cur ſe itineri accinxiſſet Abraham, & in Meſopotamiam veniſſet, quia *dixerat Deus Abrahamo, vade tibi è terra tua, &c.* ubi illud לך-לך *lec leca, vade tibi*, notatur tanquam pleonaſmus elegans, cum verbis actionis intranſitivæ.

In mandato Dei tria ſunt, quæ obedientiam conſequutam commendant, in deſcriptione termini à quo, *è terra*, inquit, *tua, è cognatione tua, è domo patris tui.* Durum eſt terram ſuam relinquere; durius, ſi in ea quis cognatos multos habeat & affines; duriſſimum, ſi paternas ædes. Eſt igitur gradatio, mandatum aggravans, cui rei etiam facit, quod initio, neque nomen, neque

Vu qualitatem

qualitatem terræ in quam eum tranſportare Deus volebat, ipſi indicet? Ideò Apoſtolus id expendens, Ebr. XI. commendat Abrahami fidem in eo, quod *exivit, neſciens quò eſſet venturus*, ℣. 8. quod argumento eſt, Deum initio ipſi non indicaſſe nomen terræ illius, ſed voluiſſe, ut ab ejus voluntate & nutu planè penderet. Id nihilominus neceſſariũ fuit priuſquam egrederetur, ut Deus ipſi ſignificaret quod iter debuit inſiſtere, alioquin enim dubius hæſiſſet, an ad lævam vel ſiniſtram, an ad orientem vel occidentem, &c. Et certè, ſi Deus Abrahamo nominatim terrã Canaan expreſſiſſet, facilius fuiſſet Moſi ſic mandatum Dei ſcribere, expreſſo loco, quàm tali circuitione, *in terram quam oſtendam tibi*, uti. Niſi quis velit id intelligere de ſingulari loco terræ illius, in quo Deus vellet Abrahamum tentoria ſ[illegible]tendere, ut ſenſus ſit, exiit quidem, ut in Canaan tenderet, ſed neſciens locum in quo in ea pedem figeret, vel etiam neſciens qualitatem & conditionem terræ illius.

Huic expoſitioni favere videtur, quod nuper legebamus verſ. 31. cap. præced. *exiiſſe eos de terra Chaldæorum, ut irent in terram Canaan.* Sed non cogit, quia nomen illud expreſſit non Deus, ſed Moſes per anticipationem. Et quamvis finis eorum peregrinationis indicetur ex intentione divina, non tamen ſequitur ipſis fuiſſe notum, cum primum migrarunt. Et magis facit ad commendationem fidei Abrahami, ſi dicamus terminum ipſi nondum fuiſſe indicatum, ſed tantum viam. Hinc etiam factum fuiſſe, ut ex permiſſione & ductu divino, cum perveniſſet in Charan, ibi ad tempus ſedem fixerit, ita diſponente Deo, ne cogeretur ſenem patrem, qui eum voluerat ſequi, circumducere per regiones planè incognitas. Non dubitarem nihilominus talem diſpenſationem poſt illud obedientiæ ſpecimen, fuiſſe Abrahamo revelatam, atque in Charan eidem nominatam regionem Cananæam, in quam poſt parentis obitum ſe conferre debebat.

Eleganter hoc Dei mandatum exaggerat Auguſtinus Sermone 68. de tempore. *Cui* (inquit) *non magis eſt dulce proprium tugurium, quam palatia peregrina? & voluntaria caſa, quam digeſta prætoria? Cui non eſt durum, illos conſcios natalium parietes, dulcia illa limina, atque amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipſius infantiæ rudimenta commendant, ubi cunabula illa novi, & mox orientis hominis famulabantur, ubi ſecura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni ſimplicitate fœlices, quos ſibi inter laſcivos, atque ipſius ætatis luſus, vernaculo genuina ſola neceſſitas exhibebat? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ cum omni fuerant difficultate relinquenda. Exi, ait, de terra tua. Quis hæc ſine fidei viribus libenter audiret?* Hæc ille.

Et certè quæ relinquere jubebatur, patria, cognatio, paterna domus, ſunt ex rerum genere, quæ nos magis affixos tenent. Ideò de patriæ dulcedine & natalis ſoli affectu multa apud varios ſcriptores leguntur, & ab uno quoque, qui carentiam talium expertus eſt, plura ſentiuntur, quam verbis exprimi poſſint; unde græcum proverbium; ὁ τῆς πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τοῦ παρ' ἀλλοίοις πυρὸς, *patriæ fumus igni alieno luculentior.*

Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre locis.

ait Ovid. 1. de Ponto Eleg. 4. Nec dubium eſt, quin, cæteris paribus, patriæ habitatio omnibus aliis ſit præferenda. Sed dixi, *cæteris paribus*, poſſunt enim multa, etiam quæ vitam hanc ſpectant, ſuadere ut patria relictâ, aliò concedamus. Sic uxor, cauſſa mariti, patriam & parentes jubetur relinquere. Sic etiam multi id ſpontè faciunt, quibus in patria vel non benè eſt, vel minus benè. Illud cogitantes quod proverbio locum dedit, *patria eſt, ubicunque benè eſt.* qui cum Socrate ſe κοσμικοὺς, ſeu κοσμοπολίτας potius ſentiunt, quam unius loci incolas.

Quid ſi agatur de amore divino & rerum cœleſtium patriæ & cognationi præponendo? tunc certè caduca omnia non ſolum ſunt poſtponenda, ſed libenter amittenda, *credenti enim* (ut optimè Hier. Epiſt. ad Paulinum) *totus mundus divitiarum eſt, & facile contemnit omnia, qui ſe putat eſſe moriturum.* Ideò divini illi homines patriam non quærebant in terris, de quibus Apoſt. Ebr. 11. *qui profitentes ſe aduenas eſſe in terra, palàm oſtendebant ſe patriam quærere, quod ſi illius memores fuiſſent ex qua exierant, habere poterant tempus ad revertendum, at meliorem expetebant, hoc eſt cœleſtem*, verſ. 13. 14. 15. Itaque Abrahamus illud juſſus eſt exequi, quod ex ſapientibus Ethnicis, non nemo verbis commendavit, opere non præſtitit, Ἕπου τῷ Θεῷ. *Sequere Deum*, & ſibi hoc propoſuit quod Plotinus apud Auguſt. de civit. Dei lib. 9. cap. 16. eleganter dicebat, *Fugiendum eſt ad clariſſimam patriam, & ibi pater, & ibi omnia.*

Illa omnia comprehenduntur voce *benedictionis*, in genere, cujus tamen ſpecies aliquas Deus in promiſſione ſua voluit deſignare, prolis nempe numeroſæ propagationem, & nominis aut famæ amplificationem, & dilatationem. In quorum conſideratione, illud Apoſtoli pro fundamento ſubſtruendum eſt, *pietas habet promiſſionem vitæ præſentis & futuræ.* 1. Tim. 4. verſ. 8. Idcirco ſcriptura cum benedictionem illam interpretatur, non ſubſiſtit in carnali poſteritate Abrahami, ſed in poſteritate ſpirituali fidelium, in qua præſertim eminuit benedictio divina, & famæ aut nominis Abrahami celebritas benedictionis illius vim conſtituit. Neque enim audiendi ſunt, qui ſpirituales promiſſiones ita novi Teſtam. temporibus vindicant, ut Patriarchis ſub veteri nihil concedant, præter terrenas & ad hanc vitam ſpectantes: neque volunt, vel Deum patribus promiſiſſe hæreditatem æternam, & Spiritus Sancti donationem in tempore; vel eos etiam aliter

aliter illa bona ſperaſſe, quàm conjectura aliqua innixos non autem promiſſione divina confirmatos.

Sed contrà, docet ſcriptura benedictionem Abrahamo factam, eſſe velut fundamentum omnium promiſſionum, quarum ſub N. T. habemus complementum; *Nam ideò Christus nos redemit ab execratione legis, &c. ut in Gentibus benedictio Abrahæ extet, in Chriſto Ieſu, & ut promiſſum illum ſpiritum accipiamus per fidem.* Galat. 3. verſ. 13. & 14. Ergo ut concedamus, temporalia bona, poſteritatis, habitationis, & nominis, fuiſſe hac benedictione comprehenſa, id tamen certiſſimum novimus, & Spiritum Sanctum ulterius proceſſiſſe, & Abrahamum fide confirmatum, longiùs proſpexiſſe.

In verbis hoc notandum, verſ. 2. faciam te לגוי גדול *legoj gaddol.* in gentem magnam. Ubi vox גוי *goj* ſingulari numero, tribuitur poſteritati Abrahami. An autem in plurali tantum uſurpetur pro gentibus à Republica Iſraëlis alienis dubitatur. Id verum eſt, abſolutè ſemper pro gentibus Ethnicis accipi, quo modo illud etiamnum uſurpant Judæi per contemptum, cum tamen per Chriſtum diſcrimen ſit ſublatum. Imò in ſingulari vocem גוי *goj*, pro quocunque qui Iſraëlita non ſit, quomodo *barbari* voce, utimur. hoc loco in ſtatu conſtructo ſumitur pro Abrahami poſteris.

והיה ברכה *Vehjeh beraca*, & eris benedictio, plerique abſtractum pro concreto ſumi putant, id eſt, *eris benedictus.* Alii id accipiunt abſtractè, hoc ſenſu, eris benedictio, id eſt, *benedictionis formula.* Malim concretè accipi, ſed ita ut oſtendatur efficacia, & conſtantia benedictionis divinæ, q. diceret, benedicam tibi, & benedictio erit in te rata & perpetua, quæ nunquam auferetur. Sic poſteà in benedictione Iacobi, Gen. cap. 27. verſ. 33. *ei benedixi,* ait Iſaac, *etiam benedictus erit,* id eſt, non poteſt retractari benedictio.

Augetur autem promiſſionis effectus, & benedictionis abundantia per communicationem & derivationem ad amicos, & contrarium effectum erga infenſos. *Benedicam benedicentibus tibi, &c.* Quod maximum benevolentiæ teſtimonium eſt, cum Deus videtur cum aliquo inire fœdus, quaſi offenſivum & defenſivum. Ex quo etiam patet, quam ſit utilis ſanctorum amicitia, quam noxia eorundem afflictio, cujus rei exempla, omnium temporum hiſtoria profert innumera.

Sed quæ ſequuntur verba Evangelium continent, benedicētur בך *becha* in te, omnes משפחות *miſchpechoth* familiæ terræ. Ubi Pagninus ונברכו *venibrechu*, vertit *benedicent ſe*, quaſi ſenſus eſſet, omnes gentes ſibi benedictionem Abrahami apprecaturas, optantes ſibi benedici: quem ſenſum etiam Chryſoſtomus cum ſuis & Auguſt. dum interpretantur locum Epiſt. ad Galat. cap. 3. verſ. 8. ſequuti ſunt; ſed qui ſatis non exprimit ſcopum benedicentis. Habemus hujus promiſſionis pleniorem explicationem, cap. 22. hujus libri, ubi, *in te* explicatur per alia verba, *in ſemine tuo*, & *familiæ* gentes, intelliguntur. Jam vero dilutum eſt ſi cum Ebræis dicamus, omnes gentes precantes ſibi vel aliis bona, ita dicturas, ſic mihi benedicat, vel faciat Deus, ut fecit Abrahamo. Non enim intelligit hoc loco Deus benedictionem voti & deſiderii, ſed benedictionem rei & effectus. Benedicentur ergo, id eſt, benè erit omnibus gentibus terræ *in te.* Illud *in*, idem valet quòd *per* vel *propter.* niſi quis præferat manente cõmuni particulæ illius ſignificatione, ſignificari, gentes inſerendas ſemini Abrahami, in quo participes erunt benedictionis promiſſæ.

Hunc ſenſum innuit Apoſtol. Galat. 3. verſ. 8. *Providens Scriptura Deum ex fide juſtificaturum Gentes, antè evangeliſavit Abrahæ, Benedicentur*, inquiens, *in te omnes gentes: Itaque qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abraham.* Ubi Apoſtolus docet neminem fieri participem benedictionis Abrahæ niſi per fidem, per quam ſunt filii, cenſentur in Semine, & in Semine benedicto his verbis incluſo, benedictionis illius participes fiunt, ex quo conſtat, ut initio diximus, eam eſſe maximè ſpiritualem.

Ex quibus patet, Abrahamum non gratis Deum fuiſſe ſequutum, in eo tamen laude digniſſimum fuiſſe, & fidem ſuam probaſſe, quod præſentibus valedixit, ut futura expectaret, quorum certitudinem in Dei veritate amplectebatur. Hac promiſſione firmatus, vocationem divinam amplectitur, & deſerta patria, adeoque conſanguineis & affinibus, iis tantum exceptis qui eum ſequi voluerunt, anno ætatis ſuæ LXXV. egreſſus eſt ex Charan; aſſumpta ſecum Sarai uxore, & Loth nepote, cum univerſa ſubſtantia quam ſibi acquiſiverant in Charan. Addit textus ў. 5. ואת הנפש אשר עשו *veeth hannephes aſcher aſu.* & *anima quam fecerant in Charan.* Per animam, animas intelligi, & ſingulare pro plurali poni, notius eſt quam ut in eo hærere debeamus. Sic infra 14. verſ. 21. *da mihi animam*, id eſt animas. Cum autem animæ quas fecerant, diſtinguantur à ſubſtantia quam acquiſierant, per animas intelliguntur homines cujuſvis ſexus, id eſt famulitium. Non enim ſignificantur liberi, quos nondum habebant, ſed ſervi & ancillæ, ſervi inquam, tam emptitii, quam vernæ. Sed quid ſibi vult hæc phraſis, *quas fecerant,* אשר עשו *aſcher aſu*, verbum עשה apud Ebræos pro circumſtantia locorum & rerum variè accipitur, nec tantum *facere*, in genere ſignificat, ſed etiã *comparare, parare* &c. Ergo animæ quas fecerant, ſunt animæ quas ſibi comparaverant. Sic infra Geneſ. 31. ў. 1. *ex eis quæ ſunt patris noſtri* עשה *aſa fecit ſibi*, id eſt, comparavit, *omnem gloriam iſtam.* Deut. 8. verſ. 17. *manus mea fecit* עשה *mihi hoc robur*, ubi Targum, comparavit mihi has divitias. Sic hoc loco LXX commodè vertunt, animas quas, ἐκτήσαντο *poſſederant.* Targum Onkelos id refert ad inſtitutionem in pietate, ut ſit ſenſus, *quas ſubjecerant legi*, & Paraph. Hieroſolymitana, *animas proſelytorum.* Sentiunt enim

 ab Abra-

ab Abraham, viros; & à Sarai, fœminas, inſtitutas fuiſſe ad veri Dei cultum. Ut id verum eſſe non negemus, facit utriuſque pietas, ſed tamen non propterea credimus hunc eſſe loci ſenſum. Simplex eſt is quem anteà attigimus.

Bellarm. lib.2. de Monachis, cap.36. conatur probare, *licere liberis ingredi Religionem parentibus invitis.* Ubi per religionem, non intelligit pietatis neceſſariæ ad ſalutem profeſſionem & exercitia, ſed votivam illam, qua quis abdicatis parentibus, addicit ſe monaſterii præfecto, ut ab ejus nutu pendeat. Sententiam ſuam confirmare nititur hoc Abrahæ facto, ſic enim ille, Probatur, inquit, hæc ſententia ſcripturis, etſi enim hoc diſertè non docent, tamen eis valdè conforme eſt. Geneſ.12. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Argumentum erit, ſi ſeptuagenarius Abraham jubente Deo debuit egredi ex patria ſua & domo patris ſui, ut illam terram incoleret quam Deus poſteritati ejus promiſerat, licebit etiam filiis, parentibus invitis, poſtquàm ad annos pubertatis venerunt monachali voto ſe obſtringere. At prius verum eſt, ergo & poſterius. Nemo ſanus concedet majoris connexum. Non eſt enim eadem ratio, mandati ſpecialis divini, & propoſiti humani non neceſſarii, nec egreſſus ex regione idolololatrica, & egreſſus ex domo patris, veram pietatem nobiſcum profitentis, ut nō impedientis quo minus Deo ſerviamus cum libertate conſcientiæ; neque eſt eadem ratio cultus imperati, & cultus electitii. Rectè igitur Petrus Ærodius quæſitor Andegavenſis in libello eleganti *de patrio jure ad filium Pſeudo-Ieſuitam,* hunc ipſum locum cōtra filii ſui factum retorquet, citata explicatione Marii Victoris, oratoris Maſſilienſis, tit.3. comment. in Geneſ. ubi docet Abraham, qui licet, *primo à lumine vitæ,* ut putat,

Verum mente Deum venerans, gentilia ſacra
Averſatus erat:

Dominum tamen non prius juſſiſſe ut linqueret,

----Sedes patrias, terramque nocentem,
Pollutamque domum, niſi, *poſtquàm morte parentis*
Iuſſa ſequi jam poſſe Dei ſine fraude licebat.

Quid dicemus? ait Ærodius, *an plus poſſe Ieſuitas adverſum te, quam Dominum in Abrahamum? Hic natus erat* XXV *annis, cum, niſi mortuis parentibus juſſit ei Dominus ut patria relicta aſcenderet in terram Chananæan; tu natus annos* XVI, *me & matre tua vivis, quia id Ieſuitæ jubent, & patrem & patriam deſeris. Si alterius voti cauſa, id majus eſt quod mihi Naturâ, ac Deo jubente debes. Atqui Marius ſub Theodoſio & Valente fuit: Ieſuitæ ante Franciſcum primum Regem noſtrum non fuere.* Hæc ille, qui idem argumentum pluribus & nervoſe proſequitur quamvis Pontificius, & doctrinam illam pluſquam Phariſaicam, telis ex pharetra Scripturæ & Sanctorum Patrum deſumptis, confodit. Nos quæ de ea re dici poſſunt hoc loco non repetemus, cum animus tantum fuerit oſtendere exemplum hoc Abrahæ, nullo modo patrocinari vitæ monaſticæ, quatenus dicunt monachi, ſe patriam, cognationem & domum deſerere, & alienis immorari. Nam, ut diximus, Abraham habuit Dei mandatum, ut è patria & cognatione abiret; quo Monachi carent. Abraham ſeparabatur à commercio Idololatrarum, cum monachi ad Idololatras commigrent & magis ac magis ſuperſtitioni ſe addicant. Abraham neſciebat quò iret: At norunt Monachi ſe ad ea loca concedere, in quibus ipſis victus abundè ſuppetit, etiam nihil agentibus. Abraham ſecum ducebat uxorem, famulitium, & peculium: Monachi ſi uxores habeant eis valedicunt, ſi non habeant, matrimonium ejerant, & ſcortandi licentiam ſæpius uſurpant: ex quibus ſatis liquet quam longè ab Abrahami propoſito recedant.

Exercitatio LXXII.

Viſio quid ſit, quid apparitio. Quomodo Abram Deum viderit? Quoties legatur Deus eum allocutus. An Deus ipſe apparuerit in externis ſignis? An tantum Angelus Deum repræſentans? Prius probatur. Solvuntur objectiones adverſæ ſententiæ. Exponitur locus ex Actor. VII. *verſ.* XXX. *An propterea Deus pingi poſſit, & in picturis adorari? Bellarmini ſententia ventilatur. An expetere quis debeat alienas terras? Reſpon. per diſtinctionem. Pontificis Romani uſurpatio divinæ autoritatis. Promiſſionum quæ diu expectantur finis.* לְעֹלָם Leolam, *apud Ebræos, acceptiones variæ.*

Verſ. VII. legimus וַיֵּרָא יהוה *vajiar Iehovah,* & viſus eſt, vel *apparuit, Deus Abrahæ, & dixit, Semini tuo dabo hanc terram.* Ubi conſideranda ſunt, 1. Apparitio, 2. Promiſſio. Et primo notandum eſt, aliud eſſe *viſionem,* aliud *apparitionem* divinam, etſi etiam in viſione Deus appareat. Sed viſio communiter accipitur pro imagine aut ſpecie aut ſimilitudine repræſentante viſui rem videndam, ſive externa ſit imago rei oculis ſubjecta corporeis, ſive imaginaria, imaginationi repræſentata; ſive intellectualis, per ſpecies intelligibiles in intellectu formatas, & rem ipſam repræſentantes, quam indicare vult is qui viſionem efficit. Reſpicit autem viſio prophetias, unde Prophetæ *videntes* dicti ſunt. Certum tamen eſt, Deum ſe in viſione etiam manifeſtaſſe, & ſub communi viſionis termino, apparitiones divinas poſſe comprehendi. Sic enim Deus ipſe, Num.12.℣.6. *Si eſt Propheta in vobis, per aliquam viſionem me ipſum*

notum

notum facio ei, aut per ſomnium alloquor eum. Non ſic ſervus meus, &c. In os alloquor eum, &c. Sed ubi dicitur Deus apparuiſſe, nec *per viſionem* aut *Somnium* additur, tum id intelligendum eſt de externa aliqua ſpecie objecta vigilanti, qualis fuit apparitionis modus, quo ſæpiſſimè perculſi fuerunt viri ſancti, quibus Deus ſe ita manifeſtavit. Quo modo Deum apparuiſſe Abrahamo, maximè probabile judicamus, quia abſolutè dicitur, Jehovam viſum fuiſſe Abrahamo.

Certum eſt autem viſum non fuiſſe Deum in propria figura, quam non habet; & cum ſit ἀόρατος, non ſubjicitur oculis hominum. Deum nemo vidit unquam. Viſus eſt ergo in aliquo præſentiæ ſuæ ſigno. Signa autem variarunt pro ratione voluntatis & diſpenſationis divinæ, pro circumſtantia perſonarum & temporum, quod ex variis apparitionibus patet, in ſcriptura commemoratis. Qua forma hic apparuerit Abrahamo ſcriptura non explicat, nec noſtrum eſt ubi illa ſilet loqui. Id tantùm in genere novimus, viſum fuiſſe Deum in tali figura, proinde fuiſſe viſibilem. Qua ratione, velut familiari colloquio voluit cum ſervo ſuo conferre, eumque in vocatione ſua confirmare. Stephanus cap. 7. Actor. verſ.2. oſtendit non fuiſſe primam apparitionem, quia *Deus gloriæ ei apparuerat* jam tum, *cum eſſet in Meſopotamia.* Sed an viſibili modo factum fuerit, dubitari poteſt; quia etiam apparitionis nomine utitur ſcriptura, ubi voce tantum Deus utitur, nec aliquam ſpeciem oculis objicit. Exempla ſunt, cum Deus legem dando, locutus eſt Iſraëlitis. Exod.20. verſ. 18. Cum Moſes audiebat vocem Dei loquentis ad ſe, de propiciatorio, Deut. 5. verſ.22. Cum ter Samuelem Deus vocavit, ipſe vero ſe ab Heli vocari exiſtimavit. 1.Sam.3.verſ.4.

Novies reperitur locutus Abrahæ Deus, aliquando deſcribitur figura viſibilis apparitionis, ut ſuo loco videbitur: hic de ea nihil dicitur: Sed viſibilem fuiſſe ex eo colligimus, quod verbum וירא *vajar*, ſignificat *viſus eſt*, nempe Deus, Abrahamo. An Deus ipſe apparuerit in talibus figuris, an tantùm Angelus qui Deum repræſentaret, quæſitum eſt. Fuerunt olim qui poſtremum hoc amplexi ſunt, putaruntque Angelos fuiſſe, qui aliquando ſuo nomine, aliquando nomine Dei locuti ſunt ſanctis patribus. Hoc argumento permoti fuerunt, quod etiam nonnulli hoc tempore ad eandem ſententiam confirmandam objiciunt; quia ubi dicitur, Deum apparuiſſe vel Moſi vel aliis nonullis, locutum fuiſſe, legem dediſſe, id alibi ſcriptura *Angelis* tribuit. Moſes ait Deum apparuiſſe ſibi in rubo, Exod.3. verſ.7. At Stephanus Act.7. verſ.30. dicit Angelum apparuiſſe in igne flammæ rubi. Sic Exod. 19. 20. & Deut.4. Lex à Deo ipſo data dicitur. Eodem tamen Act. cap. verſ.58. dicit Stephanus, *qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum.* Ex quibus inferunt, ſi ſpectemus id quod in apparitionibus efficienter fit immediatè, dicendæ erunt Angelorum apparitiones, non autem Dei; Sin autem id quod referunt & ad quod referuntur, Dei ſunt apparitiones, non Angelorum.

Ut non negamus Deum per Angelorum miniſterium ſæpè ſignificaſſe hominibus voluntatem ſuam; Sic non poſſumus acquieſcere eorum opinioni qui id cenſent ſemper fuiſſe factum, nunquam autem immediatè Deum ſe in talibus formis manifeſtaſſe. Certè ſi hoc verum eſſet, dicendum eſſet Angelum, non Spiritum Sanctum immediatè ſuper Chriſtum deſcendiſſe in columbæ ſpecie, quod cum hiſtoria Evangelica conſiſtere non poteſt. Idem dici poteſt de apparitionibus Chriſti poſtquàm aſcendit in cœlos, ut cum apparuit Paulo, &c. Geneſ. cap.28. verſ.12. in viſione Scalæ Iacobi, manifeſtè diſtinguuntur Angeli aſcendentes & deſcendentes, à Domino adſtante ad caput Scalæ. Cum Eſaias cap.6. verſ.1. Vidit Dominum in ſolio ſedentem, unà vidit duos Seraphim, qui ad ſe mutuo clamabant, *Sanctus, Sanctus Sanctus*: Et ut teſtarentur tremendam Dei præſentiam, faciem ſuam & pedes alis ſuis velabant. Quid, quod Exod.33. verſ.1. Cum Deus negaret ſe velle ulterius cum populo proficiſci, ne irritatus peccatis eorum, illos conficeret, & polliceretur ſe Angelum ſuum eſſe miſſurum, noluit Moſes huic promiſſioni acquieſcere, quin profeſſus eſt, ſe nullo modo iturum cum populo, niſi Deus ipſe unà veniret? Taceo mirandam illam Dei apparitionem Moſi à Deo conceſſam Exod.33. verſ.18. quæ Angelo tribui non poteſt ſine blaſphemia. Mitto viſionem Micheæ 1. Reg. 19. verſ.19. Dei cum Angelorum exercitu, &c. Quæ omnia evincunt apertè falſam eſſe ſententiam Dionyſii illius Pſeudareopagitæ, qui cap. 4. cœleſtis hierarchiæ, Deum per ſe apparuiſſe patribus in veteri Teſtam. negat, & loco illius Angelum viſum fuiſſe affirmat.

Nec id probatur duobus locis anteà memoratis. Nam etſi Stephanus *Angelum* vocet eum qui apparuit, non ſequitur Angelum illum non fuiſſe Deum. Angeli enim nomen filio Dei in Prophetis attributum fuiſſe, negare non poſſunt adverſarii. De lege autem verum eſt, datam eam fuiſſe in diſpoſitione Angelorum, ſed non ſequitur non datam fuiſſe ab ipſo Deo apparente in diſpoſitione Angelorum ſuorum, id eſt, diſpoſitis Angelis ſuis eum ſtipantibus, ut Majeſtatem & gloriam Domini ſui teſtarentur. Deut.33.verſ.2. *Cum diceret Iehova è Sinai, prodeunte ut oriretur è Sehhire iſtis, illuceſceret è monte Paranis: ſimul venit turba è myriadibus ſanctorum, &c.* Sed de ea re pluribus à nobis dictum eſt in Comm. in Hoſeam.

Mirum eſt autem, cum plerique Pontificiorum in ea ſint ſententia, non Deum ipſum per illas ſpecies quibus aſſiſtebat, ſed Angelos immediatè apparuiſſe, inde tamen probare velle, ſe non impiè facere, aut contra mandatum divinum, quando Deum picturis & ſculpturis efformant in ſpecie viſibili, imò etiam ſanctiſſimam Trinitatem repræſentant. Nam Bellarm. cap.8.

 lib.de

lib. de Imag. etſi fateatur inter Catholicos ſuos certum non eſſe, an imagines Dei ſint faciendæ, ſed tantùm eſſe in opinione; eandem amplectitur opinionem, ita ut conetur probare, licere imaginem Dei pingere.

Ubi id obiter notatu dignum eſt; Si in opinione tantùm conſiſtat licere pingere, non magis certum eſſe poſſe, an adorari debeant, aut liceat eas adorare: cùm autem quicquid fit ſine fide ſit peccatum, præſertim in cultu Dei; non poſſint autem id facere in fide, de quo opinentur quidem, ſed incerti ſint, an placeat Deo, non poſſe ſe excuſare à peccato, qui imagines Deo, quovis prætextu fabricant, vel eas adorant.

Bellarminus & alii hoc argumento utuntur; Deus viſus eſt corporeâ ſpecie, nam Adæ apparuit tanquam homo ambulans in paradiſo, &c. Poteſt igitur pingi in ea forma, in qua ſeipſum demonſtravit. I. Reſpond. ad hominem, argumentum illud valere non poſſe in ſenſu eorum, qui volunt apparitiones omnes ſub V. T. factas fuiſſe Angelorum miniſterio. Hinc eſt quod Jodocus Chlictoveus ſcribens in Damaſceni de Orthod. fide lib. 4. cap.17. affirmat in Veteri Teſtam. ex natura rei, illicitum fuiſſe figurare Deum, quia etſi apparuerit in forma viſibili, apparitiones tamen fiebant miniſterio Angelorum: in Novo autem Teſtam. licitum eſſe depingere Sp. ſanctum ſub ſpecie columbæ, quia in ea ipſe per ſe, non miniſterio Angelorum, apparuit. Exiſtimavit ergò Deum non poſſe pingi, ſub illarum figurarum ſpecie, quæ apparuerunt, quia in illis non apparuit immediatè.

II. Reſpondeo, etſi Deus aliquando præſentiæ ſuæ viſibilia ſigna dederit, non propterea hominibus licere Deum ſimilibus ſignis repræſentare. 1. Quia nemo poteſt talia ſigna, qualia Deus exhibuit, imitari; etſi enim viſibilia fuerint, non tamen poſſunt aliquâ effigie repræſentari, cùm nullus ea viderit, ac proinde ſemper aliquid efformabit diſſimile; præſertim cùm illa corpora lucida fuerint, & cùm à Deo extraordinariè moverentur, nullum fuerit idololatriæ periculum. Nemo autem effingere poteſt divinam præſentiam ſuis imaginibus aſſiſtentem. 2. Signa illa fuerunt evanida, & ad uſum tantummodo illius cui proponebantur, quæ poſteà diſparebant: unde ſequitur non fuiſſe imagines Dei, nec in eum finem à Deo paratas, ut effingerentur in aliorum uſum. Ideò etiam nunquam ullus fuit ſub V. T. qui ſub tali prætextu imitari voluit, quod Deus non mandaverat, imò prohibuerat. 3. Deus nunquam talia ſigna fecit communia omnibus, ſed nonnullis ea exhibuit, cum neceſſario antidoto. Qui autem eadem effingere conantur, eaque nomine Dei inſignire non verentur, illa faciunt communia quantum poſſunt, & mentes hominum quibus objiciuntur, non poſſunt movere pro ſuo libitu, quod potuit Deus, ne abutantur objectis figuris. Quod autem dixi Deum talia ſigna noluiſſe communia facere, patet ex Deut. cap. 4. cum dicitur, *Memento quod Dominus locutus ſit tibi in monte Horeb, vocem verborum audiviſti, imaginem nullam vidiſti; obſerva ergò teipſum, ne fortè deceptus facias tibi ullam ſimilitudinem, &c.* ubi notandum, Deum ideò abſtinuiſſe ab apparitione publica & communi ſub viſibili forma, ne populus deceptus, eam vellet exprimere: unde patet ſpeciem eſſe deceptionis, ſi quis formare velit ſimilitudinem viſionum divinarum, eo animo ut Dei nomen talibus indat, multo magis ut ei honores divinos communicet. Eodem refertur illud Deuter.31. ℣.16. *Vos vidiſtis ex cœlis me locutum eſſe vobiſcum, ne facite mecum Deos argenteos, &c.* Rectè igitur Abulenſis in Deuter. cap. 4. *In imaginibus ſignantibus Deum purè, ſcilicet Trinitatem, duo inconvenientia ſequi poſſunt; primum, idololatria, ne etiam imago colatur; ſecundum, error & hæreſis, ſcilicet attribuere Deo corporeitatem & eſſentialem differentiam, qualem tres illas figuras ſignare conſpicimus.* Et certè ſuis illis figmentis faciunt Doctores Pontificii, ut plerique ex populo qui eis ſubeſt, non longè abſit à craſſioribus Anthropomorphitarum imaginationibus. Non malè itaque Catechiſmi Romani autores, in explic. I. præcepti; *Moſes*, inquiunt, *cùm populum ab idololatria avertere vellet, aiebat, Non vidiſtis ullam ſimilitudinem in die qua loquutus eſt vobis Dominus, &c. quod ſapientiſſimus Legiſlator ideò dixit, ne quo errore ducti Divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem, rei creatæ tribuerent.* Sed de ea re dabitur commodior dicendi locus, ſi quando Deus dederit, ut ad ipſius controverſiæ ſedem, ubi de imaginibus agitur ex profeſſo, perveniamus.

Quod diximus ſuprà, non Angelum aliquem apparuiſſe Abrahamo, ſed Deum ipſum, probat quod ſequitur eodem verſu, *Et ædificavit ibi altare Iehovæ, qui apparuerat ei.* Nec enim Angelus eſt Jehova, nec ædificanda ſunt Angelis altaria; finis enim talis ædificationis eſt ſacrificium, quod ſoli Deo competit. Quod nonnulli quærunt, an non potuerit Abraham Deum colere abſque altari? Si de cultu quovis intelligatur, præſertim interno, externo etiam qui in voce & geſtu corporis conſiſtit, facilis eſt reſponſio, & potuiſſe, & illud ubique feciſſe. Sed ſi de cultu per ſacrificium externum, tunc conſtat opus fuiſſe loco ad id accommodato, & conveniens ad id fuiſſe ut altaria erigerentur, quibus hoſtiæ imponi poſſent. Horum autem conſtructionem, ut & ſacrificiorum cultum, jam antè oſtendimus, non ſine Dei inſtitutione & mandato à ſanctis viris ſuſceptum fuiſſe, quia alioqui non fuiſſet grata Deo ἐθελοθρησκεία.

Sequitur ut paucis expendamus promiſſionem divinam; *Semini tuo* (inquit Deus) *dabo terram hanc:* loquitur de Cananæa in quam Abraham venerat, nec in ea proprium aliquid habebat, in quo figeret pedem, Nec in præſentia Deus eum in poſſeſſionem immittit, ſed tantùm in futurum poſteris Abrahæ promittit, eo

tempore

tempore quo gentes illæ quæ terram inhabitabant, pollebant viribus, nec ſibi metuebant à tali mutatione. In quo Deus iterùm voluit fidem Abrahami exercere, oſtendens illi bonum quidem, ſed adhuc remotum; in quo poſſidendo, & poſſeſſoribus auferendo, non levis erat difficultas, ſed ſuperanda ei, qui divinis promiſſis fideret. Hîc quæri poteſt, An alicui liceat alienas terras expectare, & de earundem futura poſſeſſione lætari? Et certè, ſi nemo poteſt agrum proximi ſui concupiſcere ſine Dei offenſione, non exiſtimandum eſt poſſe aliquem proprio ſuo motu, alienarum regionum ſibi, aut ſuis affectare dominium. Sed alia ratio eſt, ſi quis nitatur promiſſione & mandato divino. Cùm enim Domini ſit terra, & qui habitant in ea, poteſt ille transferre dominationes & regna, eaque tradere quibus libet. Id teſtatur Daniel, cap. 2. ℣. 21. *Mutat tempora & tempeſtates, transfert Reges & conſtituit Reges, &c.* Poteſt igitur qui juſtus eſt judex & omnium dominus, jubere ut veteres migrent coloni, accedant novi, qui, ſi muniantur decreto Dei, & donatione ipſius, poſſunt inoffenſo pede pergere, & ſine conſcientiæ læſione, non quidem aliena affectare, ſed quæ ſua ſunt, ita volente Deo, poſſidere. Potuit igitur Abraham, imò debuit, idque ei laudi datum eſt, certò expectare terræ promiſſæ poſſeſſionem, eamque tanquam ſuis propriam, tempore conſtituto à Deo, gratulari ſuæ poſteritati, citra injuriam eorum, quos Deus volebat ſpoliare, cum indigni eſſent habitatione, quam ſuis criminibus maculabant.

Sed non eadem eſt ratio eorum, qui ſine mandato divino, alienas ditiones ſpe devorant, & quavis oblata occaſione diripiunt. Qui ambitione & avaritia moti, Dei honorem homini miſero tribuunt, eique poteſtatem adſcribunt, quam ad ſuum emolumentum trahunt, quaſi poſſet regna cui velit tradere, ut eadem poſteà impunè invadant. Hanc ſibi autoritatem uſurpat Pontifex Romanus, qui non ſolùm tempore patrum noſtrorum, Indias occidentales & eorum Reges, Hiſpanorum prædæ expoſuit, ſed idem etiam inter Chriſtianos tentavit, & quibuſdam in locis effecit, operâ eorum qui tyrannidem ſuam quovis prætextu dilatant, ut legitimis principibus ablatis ditionibus, eas jam occupet prædo. Bullam donationis Indiarum lib. 1. Hiſtoriæ earundem generalis cap. 19. Franciſcus Lopéz de Gomara inſeruit, in qua hæc verba leguntur; *Nos autoritate Dei omnipotentis, quæ nobis in perſona Petri data fuit, & quæ in hoc mundo fruimur, tanquam vicarius Ieſu Chriſti, donamus vobis cum earum dominio, urbibus, caſtellis, locis, pagis, juribus, juriſdictionibus, &c. omnes inſulas, & terras continentes, inventas aut inveniendas, &c.* Quæ verba, aut ſimilia, cùm barbaro Regi Peruano Atabalippæ referret Monachus quidam (ut idem autor narrat lib. 5. cap. 6.) reſpondit ille, *ſe nolle obedire Pontifici, cùm daret quæ ad ſe non pertinerent.* Et certè Hiſpanorum rapacitatem & tyrannidem, Indorum converſioni & ſaluti multùm obſtitiſſe, ne ipſorum quidem ſcriptores negant. Poteſtatem autem illam tradendi alienas regiones ab homine uſurpatam, eſſe τεκμήριον Antichriſti, Dei locum uſurpantis, ex Apoſtolo certum eſt. Non poteſt enim ſuam illam portentoſam liberalitatem aliò modo fulcire, niſi eo quo ſub vicariatus Dei ſpecie, omnia divina arrogat. Sed re benè perpenſa non erit vicarius ejus qui Abrahamo dixit, *dabo ſemini tuo terram hanc.* Alius fuit qui Matth. 4. ℣. 8. dicebat, *oſtendens omnia regna mundi & gloriam eorum, Hæc omnia tibi dabo, &c.* Cujus vicariatum Pontifici non invidemus.

Hîc promittitur terra Canaan, nondum datur. De tempore quo promiſſio effectum ſit ſortitura poſteà erit dicendi locus, ubi id Deus ex profeſſo Abrahamo declarabit. Id tantùm hoc loco notamus, ſi promiſſiones divinæ de rebus temporalibus, olim propoſitæ fuerunt patribus, ut per varios caſus & diſcrimina pergerent in curſu vocationis ſuæ, conſolationem accipientes ex ſpe promiſſorum bonorum, quia noverant Deum eſſe fidelem; nihil etiam eſſe quod non libenter ferre debeamus, ſub ſpe non terræ alicujus quæ ut poſſideri poteſt, ſic poteſt amitti; ſed æternæ habitationis cujus Deus nos in verbo ſuo certos reddidit. Nam certè promiſſio illa potior eſt, quæ & rei majoris eſt, & in perpetuum duraturæ, quam etiam ſupra oſtendimus Abrahamum præcipuè ſpectaſſe. Hoc autem loco priuſquàm ad alia pergamus, nodum ſolvemus quem nectere videtur addita huic repetitæ promiſſioni clauſula, cap. 13. ℣. 15. *omnem terram quam vides dabo tibi & ſemi tuo* לעלם *leolam*, in perpetuum, aut *in ſeculum.* Promiſſionem hanc convenire cum eventu ſi rem promiſſam ſpectemus, dubitari non poteſt; ſed perpetuitatem poſſeſſionis quæ promitti videtur, cum eventu non convenire, experientia teſtatur, quia etiam hodie poſteritas Abrahæ de illius terræ poſſeſſione dejecta eſt, unde dubitare quis poſſet hujus locutionis ignarus, de veritate promiſſionis. Quæ tamen conſtabit, ſi duo perpendamus, I. Verbis illis, *uſque in ſeculum*, non denotari æternitatem, ſeu perpetuitatem fine carentem, ſed talem quæ durare debuit, uſque ad novam conſtitutionem in regno Chriſti. Porrò non ſemper phraſi illa æternitatem in ſcriptura ſignificari, ſequentibus exemplis patet. 1 Sam. 1. ℣. 22. Anna de ſuo infante Samuële dicebat, *Non aſcendam donec fuerit ablactatus puer; tunc adducam eum ut appareat in conſpectu Iehovæ in ſeculum*, id eſt, quamdiu vixerit, quomodo dicimus, ero tibi perpetuò ſervus, aut addictus. Sic Deut. 15. ℣. 17. Moſes de afflixione ſervi, è ſervitute exire nolentis, dicit, *& erit tibi ſervus in ſeculum.* Ita Samuel dicebat Sauli. 1 Sam. 13. ℣. 13. *Iam certe ſtabilivíſſet Iehova regnum tuum apud Iſraëlem, uſque in ſeculum*, id eſt, tempus diuturnum. II. Id etiam notari debet, ſæpè quæ ſunt veritatis, tribui typo. Atque ita

ita ſi illud לעלם acciperetur pro duratione æterna, id intelligendum eſſet de typo dictum, ratione rei ſignificatæ. Proinde, cum terra Canaan fuerit typus domicilii æterni Sanctorum, de typo perpetuitatem enunciari, quæ propriè ad ſignificatum referenda eſt.

Exercitatio LXXIII.

Quomodo Sara vetula, ea forma fuit quæ ad ſui amorem viros pelliceret? Conſilium Abrahami & ejus finis, de diſſimulando ſuo conjugio. An reprehendi debeat? Examinantur facti circumſtantiæ. Quo gradu conſanguinitatis Sarai Abram attigerit? Qua ratione ejus cum nepte nuptiæ legitimæ fieri potuerint? An mentiti fuerint Abram & Sarai, cum ille petiit, & illa conſenſit in pactum illud ut ſe ſororem profiteretur? Negatur. Oſtenditurque non favere eos doctrinæ æquivocationum. Scopus utriuſque examinatur. De eo variæ ſententiæ. Periculoſa Chryſoſtomi opinio. Mitior Auguſtini, ſed quæ non probatur in omnibus. Matronarum quarundam pro ſervanda caſtitate conſtantia. Cajetani ſententia excutitur. Iudicium de hoc utriuſque conjugis facto. Ægyptum habuiſſe ſuos Reges Abrami tempore. Pharaonem Cophram poſtremum fuiſſe. Nomen omnibus commune. Vnde dictum? Saram intactam fuiſſe apud Regem Aegypti. An peccaverit Rex ille? Pœnam à Deo inflictam juſtam fuiſſe. Quomodo noverit, Abram eſſe maritum Sarai? Rejiciuntur Iudæorum commenta de geſtis Abrami in Aegypto.

Occasione famis quæ fuit in terra Canaan, deſcendit Abraham cum familia ſua in Ægyptum, & dum unum vitat periculum ne fame pereat, aliud tamen metuit occaſione uxoris ſuæ, unde conſilium novum init cum Sarai, cujus eventus narratur à Moſe, à verſ. 10. uſque ad finem capitis. Ubi primum occurrit cauſa quæ eum ſollicitum habuit, & propter quam ſibi metuebat ab Ægyptiis, nempe pulchritudo Sarai. *Novi* (inquit) *quod mulier* יפת מראה *jephath mareh*, pulchra aſpectu es tu. Et paulò poſt ℣. 13. viderunt Ægyptii mulierem, quod יפה הוא מאד *japhah hi meod*, pulchra ipſa valdè. Unde apparet non ſolum Abrahamo pulchram fuiſſe, qua in re ſæpè falluntur amantes, unde proverbium, *vbi amor, ibi nulla deformitas*; ſed etiam oculis aliorum potuiſſe placere, nec Abrahamum in eo falſum fuiſſe. Itaq; non immeritò quæritur, quomodo in vetula muliere talis ſervata fuerit pulchritudo, quæ tot viros ad ſui amorem potuit allicere? Vetulam fuiſſe ex eo conſtat, quod cum Abraham egreſſus ſit ex Charan annum agens LXXV. Sara quæ nonagenaria fuit cum Abraham eſſet centenarius, tunc nata fuit annos LXV. Id autem quod hoc loco ſcribitur cum acciderit poſtquàm Thare mortuo, Abraham cœperat peregrinari in terra Canaan, conſtat tum cum in Ægyptum familiam ſuam tranſtulit, Saram fuiſſe pluſquam ſexagenariam, qua ætate, hoc tempore ridiculum eſſet, ſi quis metueret ne propter uxoris pulchritudinem, ab ambientibus periculum ipſi immineret. Non ſatisfaciunt quæſtioni, qui pulchritudinem tribuunt Sarai non abſolutè, ſed comparatè ad Ægyptias mulieres, quæ cum ferè deformes eſſent, ideò etiam in exoticas formas viri Ægyptii magis erant intenti. Non enim ſolùm id viſum fuit tum Ægyptiis, ſed poſteà etiam Palæſtinis, quam ob cauſſam ab Abimelecho rege Geraris iterum rapta fuit, ut infrà cap. 20. legitur.

Cauſſæ igitur tres hujus pulchritudinis, etiam in ætate devergente manentis, afferri poſſunt; quarum duæ ſunt naturales, una ſupernaturalis. Naturalium prima fuit, quod illo tempore major fuerit hominum vivacitas, & corporis vigor quàm ſit hodie, vireſque minus fractæ & debilitatæ. 2. Quod cum Sara fuerit ſterilis, potuit formæ ſuæ elegantiam diutius ſervare quam ea, quæ frequenti liberorum geſtatione & lactatione exhauriuntur ſucco nativo, & citius rugas contrahunt, & in faciei colore & lineamentis mutationem. Certè hoc noſtro etiam tempore viſæ ſunt, quædam mulieres ſteriles in ætate declivi, quæ potuerunt opinionem eorum fallere quibus earum ætas fuit incognita. Addimus cauſam ſupernaturalem, in ſpeciali providentia Dei, qui eam deſtinaverat ut in ipſa ſenectute mater fieret Iſaaci, & interim ſtatuerat ſervum ſuum exercere ea occaſione, ut eum cum uxore à periculis liberando diſceret magis ac magis confidere vocanti. Illud etiam poſſumus jungere cauſis naturalibus ſupra allatis, eſſe quandam venuſtatem quæ pulchritudinis partem facit non minimam, quæ ætate & ſeniò non tollitur, quæque aliquando magis afficit, quam decus illud conflatum ex coloribus lineiſque congruentibus. Omnia tamen tunc adhuc in Sarai concurriſſe exiſtimamus.

Id cum perſpectum haberet Abraham, conſilium init cum uxore, ut dicat ſe ejus eſſe ſororem, diſſimulet ſe eſſe uxorem. Finem conſilii illius ſibi proponit, non ſolum vitationem mali, ſed etiam adeptionem boni propter eam. In quo conſilio ſunt nonnulla quæ

in quæſtionem veniunt, an facta fuerint ea prudentia quæ pium & ſapientem decet, & an non impegerit in Legem Dei. Sunt enim qui illud ab omni peccato excuſant: Sunt qui in eo agnoſcunt humanã infirmitatem, cui venia fuerit opus; Sunt qui abutuntur & inde exemplum trahunt pernicioſum ſibi & Reip. cui ut præcaveamus, rem examinabimus quàm paucis fieri poterit & perſpicuè: Idque eo magis, quod iterum recurret in Abrahamo, & filio ejus Iſaaco: Ubi etſi varient nonnullæ circumſtantiæ, eadem tamẽ eſt ubiq; facti ſpecies.

Primùm illud venit conſiderandum, An Abraham exegerit ab uxore ut mendacium proferret, cum petiit ut diceret fratrem eſſe, ſeque eſſe illius ſororem. Id negat Abrahamus apud Abimelechum cap. 20. ℣. 12. *Sed etiam verum eſt*, inquit, *ſoror mea*, *filia patris mei eſt*, *ſed non filia matris meæ*, *& fuit mihi uxor*. Dicit Abraham verè ſororem ſuam eſſe. Quæritur qua ratione, an immediatè, an vero mediatè, & figuratè. Id eſt an verè fuerit Abrahami ſoror ὁμοπάτρις, ex eodem patre genita, quamvis ex alia matre, an vero fuerit quidem filia Therachi, ſed per filium, ita ut Therach fuerit ipſi avus: vel an fuerit ejus privigna, vel alio aliquo modo ſoror Abrahami. Notius eſt quam ut pluribus probari debeat, in Sacra Scriptura *fratres* vocari, qui ex eodem ſanguine ſunt progeniti, etſi non immediatè, quo ſenſu etſi Loth eſſet nepos Abrahami ex fratre, utpote filius Haranis defuncti, frater tamen ejus dicitur. Hoc ſenſu plerique volunt Sarai fuiſſe ſororem Abrahami, quia ut putant fuit Lothi ſoror, & Haranis filia; fuiſſe igitur ſororem ex eodem patre, aut patris Abrahami filiam, tum quia Thare erat ipſius avus: notum eſt autem avos etiam ſimpliciter patres nepotum appellari, tum quia patre defuncto ante avum, fuit ipſi avus loco patris. Non fuiſſe autem hoc modo filiam matris Abrahami ſic intelligendum eſſet in hac ſententia, non ſolùm quia Sarai mater, uxor Harani, fuit fratria non mater Abrahami, id enim non ſufficeret, quia alioquin potuiſſet, eo non obſtante, eſſe filia matris Abrahami, quomodo erat filia Therachi, id eſt, mediatè: ſed etiam quia Haran qui ſupponitur pater Sarai, ex alia uxore, erat Therachi filius. Quod mirum non eſſet illo tempore, quo non ſolum ſucceſſivè unus homo plures potuit uxores habere, ſed etiam ſimul eodem tempore. Fundamentum illius ſententiæ habetur ſupra cap. 29. verſ. 29. *Abraham quoque & Nachor acceperunt ſibi uxores, nomen uxoris Abrahami eſt Sarai, nomen vero uxoris Nachoris Milcha, filia Haranis, patris Milcæ, & patris Iiſcæ.* Supponunt enim iſtam Jiſcam, eandem eſſe cum Sarai, quæ fuerit binominis, quod tradidit Joſephus, & plerique Ebræorũ ſentiunt; idcirco Rab. Salomon, inter alias Etymologias nominis Iiſca, hanc affert, quod ſit ex ſignificatiõne נסכות *neſicut*, & inde defluxum nomen, hoc eſt principatus & autoritatis, ut *Saca* & *Sara* quoad ſignificationem eodem pertineant, etſi voce varient.

Alii ſunt qui verba ſupra allata ex ca. 20. accipientes propriè, & ut ſonant, volunt Saram fuiſſe veram ſororem Abrahami & ex eodem patre immediatè, etſi non fuerit ſoror uterina. *Nam* (inquit Cajetanus) *ſecundum proprietatem ſupradictorum verborum Moſis, apertè dicitur Saram fuiſſe ſororem carnalem Abrahæ, non tamen uterinam.* Si dixiſſet tantùm *ſoror mea eſt*, potuiſſet id accipi in communi ſenſu; ſed adjungendo, *filia patris mei eſt*, *non matris meæ*, aperte ſignificatur eam eſſe filiam patris ſui, non autem avi ſui, aut fratris. Et hic eſt, inquit, literalis ſenſus. Licitum erat enim tunc conjugium, cum ſorore non uterina. Hæc ille, quod an verum ſit, poſteà erit diſquirendum. In utraque ſententia eſt aliquod incommodum, ſtante enim prima, duxit Abrahamus in uxorem neptem ſuam. Stante ſecunda, ſororem ſuam ex patre. Vtrumque poſteà expreſsè fuit prohibitum in lege. Primùm cum filia fratris Levit. 20. verſ. 19. & 20. Ex analogia neceſſaria: Nam, ſi non licuit viro; cum ſorore matris ſuæ, aut ſorore patris ſui conjungi, aut cum amita; certè ſequitur non licuiſſe filiæ, cum fratre patris ſui, aut fratre matris ſuæ conjungi: Eadem enim eſt ratio proximitatis ſanguinis, & honeſtatis. Hic enim obſervanda eſt regula, Prohibitiones Moſaicas non tantùm perſonas expreſſè nominatas, ſed etiam gradus æque diſtantes complecti, & in prohibitionibus illis, non attendi differentiam inter ſexum maſculinum & fœmininum, ſed in quo gradu fœminæ prohibentur maſculis propter carnis propinquitatem, in eodem maſculos prohiberi fœminis, propter eandem carnis propinquitatem. Quod enim objiciunt Canoniſtæ & alii Pontificii, eſſe diſparem rationem inter matrimonium filii fratris cum amita, ac inter matrimonium filiæ fratris cum patruo, quia cum vir ſit caput uxoris, ſi nepos duceret amitam, oporteret eam ſubeſſe nepoti, quod eſt indecens, in altero autem patruo ſubeſt neptis, quod decentius: Hoc quidem evincit magis indecens eſſe filii fratris matrimonium cum amita, ſed cùm ratione propinquitatis ſit idem gradus, etiam matrimonium filiæ fratris cum patruo, cenſendum eſt lege fuiſſe prohibitum.

Stante ſecunda ſententia, Abrahamus uterinam ſororem duxit in matrimonium, quod conjugium etſi licitum fuiſſe dicat Cajetanus, rectè tamen id negat Bellarminus, lib. de matrim. cap. 28. *Si Abraham* (inquit) *& Nachor, accepiſſent germanas ſorores, id feciſſent quia illo tempore, per mores illarum gentium, id licuiſſet. At ſi tunc & per legem naturæ & per mores gentis, licuiſſet tale conjugium inire, nihil profuiſſet Abrahæ dicere, ſoror mea eſt, id enim dixit ad tegendum conjugium. Geneſ. 12. verſ. 20. Oportet igitur fateri homines illorum locorum ita horruiſſe conjugium cum propria ſorore, ut audito nomine ſororis, ſtatim crederent eam non fuiſſe uxorem. Denique, quis credat Abrahamum ſine ulla neceſſitate duxiſſe propriam ſororem, cum propter hoc crimen Deus juſſerit Levit. 20. utrumque conjugum ſi-*

 mul

mul necari? Nec exiſtimandum eſt, id tantum eſſe intelligendum de ſorore uterina, non item de ea quæ ex eodem patre eſſet prognata. Sic enim habet lex expreſſa Levit.18. verſ.11. *Nuditatem filiæ patris tui, quæ genita eſt patri tuo, ſoror ipſa tua eſt, non revelabis nuditatem ejus.* Dixerat prius v.9. *Nuditatem ſororis tuæ, filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ quæ genita eſt domi vel foris, non revelabis.* Ubi cum disjunctivè patris & matris meminit, intelligit de ea quæ amborum ſimul non eſt filia. Et cũ inter eam quæ domi nata eſt, vel foris, diſtinguit; differentiam conſtituit inter legitimam & illegitimam; vel inter eam quam mater habuit ante quam veniret in domum patris, quæ eſſet matris quidem filia, ſed patris privigna.

Hæc cum ita ſint, & tam filia fratris, quàm filia patris, ſint in gradu conſanguinitatis prohibito, difficultas in eo eſt, quomodo Abrahamus ſi pius fuerit & fidelis cum uxorem duxit, voluerit inceſtis nuptiis implicari; Si vero tum fuit in ſtatu ignorantiæ, quomodo poſt vocationem divinam, voluerit inceſto concubitu pollui.

Sunt igitur, qui ut hæc incommoda vitent, verba Abrahami dicentis Sarai eſſe ſororem ſuam, patris non matris filiam, intelligunt filiationem, non ratione generationis, ſed vel affinitatis, vel adoptionis; atque ita Saram fuiſſe filiam Therach, quia erat privigna Harani, & à Therach fuerat adoptata. Quam ſententiam innuit Lutherus in cap.Gen.20. *Cum paulò durius ſit Saram fuiſſe binominem fingere, proximum eſt ut ſtatuamus fuiſſe privignam Haran, qui ſiquidem mortuus eſt ante patrem Thare, Sara in domum Thare tranſlata, atque ibi educata, & inde vocata Thare filia, ut neque naturalis, neque legitima Haranis filia fuerit, ſed cum matre vidua adſcita.* Quæ ſententia, ſi probari poſſet, omnem præſcinderet diſputationem, nec locum relinqueret difficultatibus propoſitis. Sed ſi durum ſit fingere Saram fuiſſe binominem, certè durius erit fingere eam fuiſſe privignam Haranis, & matrem ejus viduam relictam, apud ſocerum vixiſſe, ejuſque filiam fuiſſe adoptatam à Thare.

Alterutrum mihi eligendum videtur, vel ut dicamus fuiſſe ſororem ex eodem patre, quod ipſa verba ſonant, vel ut dicamus fuiſſe neptem ex fratre, & ita filiam Therach, ut ſupra dictum fuit. Utrumvis eligamus, ne Abrahamum poſt converſionem implicemus inceſtis nuptiis, recurrendum erit ad diſpenſationem divinam, ex poſt facto ſecutam, quod certè neceſſarium eſt, ut dicetur ſuo loco in Iacobo Patriarcha, duas ſorores ſibi conjungente. Idem dicimus de Davidis cum Batſebah conjugio, quod etſi initio non fuerit legitimè contractum, interim tamen, poſt actam à Davide legitimam pœnitentiam, divinitus fuit approbatum, & ex eo natus eſt Salomon per quem Chriſti Genealogiam deducit Matth. cap.1.verſ.7. Nec putamus valere rationem Bellarmini, qui ut probet veriorem eſſe ſententiam de Sara nepte Abrahami propriè, impropriè ſorore; falſam eſſe, eam quæ ſororis nomen propriè accipit, hoc utitur argumento; *Quis credat ex illegitimo & inceſto conjugio voluiſſe Deum excitare hæredem Abrahæ, ex quo Meſſias naſciturus erat?* Si enim illud argumentum valeret, non eſſet Phares numerandus inter progenitores Chriſti, quem conſtat natum eſſe ex inceſto concubitu Judæ cum Thamara nuru ſua. Geneſ.38. verſ.16. Rectè enim Hieronymus, comment. ad cap.1. Matth. *Notandum in Genealogia Salvatoris eas aſſumi mulieres, quas ſcriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret.*

Nollem tamen in ea Categoria Abrahamum & Saram ponere, quorum conjugium à Deo legitimatum fuiſſe non dubito, nec fuiſſe contra naturæ legem propriè & primo ſic dictam, etſi extra diſpenſationem divinam, fuerit contra legem naturæ ſecundario dictam, id eſt, contra concluſiones quæ ex principiis primis deduci poſſunt, ut anteà à nobis dictum eſt, ubi agebamus de primorum hominum conjugiis, in illorum temporum neceſſitate. Quæ etiam videtur Abrahamo impoſita, ne cum alienigenis ſe conjungeret; atque ita ipſi à Deo fuiſſe permiſſum, ut è cognatione ſua uxorem duceret, quamvis in eo gradu, qui aliàs extra caſum neceſſitatis, & divinam diſpenſationem, non liceret.

Omnibus enim ritè deductis, eorum ſententiam tutiorem judicamus, qui cenſent quemadmodum Nachor duxit uxorem fratris filiam, ſic idem feciſſe Abrahamum, & maximè probabile putamus, eam fuiſſe ſororem Melchę fratris uxoris, eandem quæ vocata eſt Jiſcha. Etſi enim nuſquam aliàs nominis illius fiat mentio ubi agitur de Sara, probabile tamen eſt eam ſic fuiſſe vocatam antequam nuberet Abrahamo & tum *Sarai* nomen, tanquam dominæ ipſi fuiſſe inditum. Argumento eſt, quod cum Hiſtoria ſacra dixiſſet Abraham & Nachor duxiſſe uxores, uxorem Abrahæ fuiſſe *Sarai* uxorem Nachor fuiſſe *Melcham* filiam Haranis, addit *patris Melchæ & patris Iiſchæ, & Sarai erat ſterilis.* Ubi nulla ratio fuit, ſaltem quæ nobis pateat, cur poſt mentionem duarum uxorum, duorum iſtorum fratrum, adderet nomen duarum filiarum Haranis quarum una nupſerat Nachoro, niſi ambæ illæ ſorores, duobus fratribus, de quibus actum fuerat, conjunctæ fuiſſent, maximè cum immediatè dicat Sarai fuiſſe ſterilem. Quod autem nunquam poſteà Jiſcæ ſit mentio, ſententiæ favet quæ eam cum Sarai eandem facit. Quorſum enim ſemel obiter mulieris alioquin incognitæ meminiſſet Moſes, ejuſque patrem deſignaſſet? Quis credat voluiſſe patrem uxoris Nachoris, fratris Abrahami nominatim exprimere, de patre autem Sarai, uxoris Abrahami ex qua, per miraculum debuit egredi Iſaac ſtirps Iſraëlitarum, nihil dixiſſe? cum præſertim in populi Iſraëlitici gratiam hæc deſcriberentur? Certè maximè probabile eſt, duas illas ſorores fuiſſe duorum fratrum uxores,

uxores, quæ orbatæ parente, à fratribus ſunt ſuſceptæ, pro more tunc uſitato, & qui in poſterorum Abrahami familia poſteà viguit, ut non alienæ gentis mulieres, ſed ſuæ familiæ ſibi uxores eligerent. Diſpenſationem autem divinam in hoc matrimonio non levi fundamento fuiſſe ſubnixam ex eo patet, quod non ſolùm ab alienigenis mulieribus abſtinuerint, ſed etiam quod non ſine charitate, fratris defuncti filias orphanas eripuerint è medio idololatrarum, & caverint ne alienæ à republica Sanctorum viverent, quod maximè contigit Saræ, quæ Abrahamum habuit maritum.

His rationibus additur, quod ſi Saraï fuiſſet immediatè filia Tharah, cùm longè major ſit neceſſitudo patris & filiæ, quàm ſoceri & nurus, non appellaſſet Moſes Saram, nurum Tharah, ſed potiùs filiam ejus, cùm dixit cap. XI. *Tulit Thare Abraham filium ſuum, & Loth filium Haran filii ſui, & Saraï nurum ſuam, uxorem Abram filii ſui, &c.* Quod enim opponunt qui in contraria ſunt ſententia, ſi fuiſſet Harani filia, dicturum id fuiſſe Moſem, cùm dixit Lothum eſſe filium filii Thare, nullius eſt momenti, quia cùm jam Abrahamo conjuncta eſſet, potiùs à marito deſignari debuit, quàm à patre aut fratre: mulier enim nupta tranſit in familiam & nomen mariti, proinde honorificentius illi fuit appellari uxor Abrahami.

Unum eſt argumentum, quo extricare ſe non poſſunt, qui volunt Abrahamum fuiſſe maximum natu filiorum Thare. Si enim hoc verum eſſet, non potuiſſet ducere filiam fratris ſui Haran, quod hac ratione patet. Quia conſtat Saram decem duntaxat annis Abrahamo minorem fuiſſe. Si ergò Abraham fuit maximus, & Sara ſit filia Haran, neceſſariò ſequeretur Haran genuiſſe ante annum ætatis ſuæ decimum, quod prorſus incredibile eſt. Hac ratione convicti qui Abrahamum cenſent fuiſſe primogenitum, in aliam ſententiam de propria ſorore concedunt, vel Saram dicunt alterius cujuſdam fratris fuiſſe filiam, qui genitus quidem fuerit à Thare ex alia uxore, & cujus à Moſe nulla facta fuerit mentio, quia ad argumentum & ſeriem hiſtoriæ quam tractat Moſes, non pertineret. Sed non opus erit talibus conjecturis, ſi, quod anteà oſtendimus, Abrahamum minimum fuiſſe inter fratres ſuos dicamus, & natum fuiſſe anno ætatis parentis ſui centeſimo quinto; tum enim potuit Haran, natus anno patris LXX. filias habere nubiles, cùm Nachor & Abram uxores duxerunt. Id ergò tanquam maximè probabile amplectimur, Saraï fuiſſe filiam fratris Abrahami, ideoque ſororem, eo ſenſu quo fratrum & ſororum nomine in genere cenſentur qui ſanguine ſunt proximi, quo etiam Domino noſtro Jeſu Chriſto fratres in Evangelio aſſignantur; quod fundamentum ſubſterni debuit ſequenti narrationi de pacto inter Abram & Saraï, & ipſius eventu in Ægypto, in quo perpendendo deinceps verſabimur.

Prima quæſtio hìc ventilanda eſt, de mendacio, an mentitus fuerit Abraham, & ſuaſerit uxori ut mentiretur, cùm ab ea petiit, ut ſe ſororem ejus profiteretur. Reſponſio pendet è ſuperioribus, & certum eſt Abrahamum noluiſſe ut Sara profiteretur omnem veritatem, ſed tamen, quantum quidem ex verbis poſſumus colligere, non ſuaſit ut aliquid contra veritatem diceret. Quod verum erat dixit, ſe eſſe Abrahami ſororem; quod etiam verum erat tacuit, ſe eſſe Abrahami uxorem. Quod ſi Abraham exegiſſet ab ea, ut interrogantibus num uxor ipſius eſſet, negaret ſe eſſe, tum certè excuſari non poſſet à mendacio. Proinde in verbis Abrahami eſt quidem veritatis, quam ſibi nocituram putavit, diſſimulatio, ſed non eſt veritatis abnegatio, aut falſi affirmatio. Talem autem diſſimulationem in tempore & loco licitam eſſe nemo eſt Theologorum qui neget, nec qui putet quemlibet ubique teneri, omnia propalare quæ ad ſe ſpectant, aut conditionem ſuam profiteri. Sed tamen in hujus prudentiæ exercitio, cavendi ſunt abuſus, qui adeò graves & pernicioſi in hac materia quorundam Scholaſticorum & Jeſuitarum arte & fraudibus irrepſerunt, ut non ſolùm Orthodoxi eorum artes deteſtentur, ſed etiam inter ipſos Pontificios reperti ſint, qui adverſus eas ſcripſerunt. Abutuntur quidem illi hoc Abrahami facto, ſed adeò craſſè & ſimul perverſè, ut ne ſibi ipſis quidem perſuadeant quod dicunt. Et certè nulla eſt comparatio inter Abrahami factum & doctrinam æquivocationum, ſeu reſervationum, quas *mentales* vocant, quibus illi mendacium apertè proferentes, iis verbis quæ ſenſum verum habere non poſſunt apud audientes, exceptione quadam & reſervatione, ſeu additione, in corde ſuo, volunt mendacii & perjurii rationem eſſe ſublatam. Quod certè abſurdiſſimum eſt, nam quando rei ſignificatæ, ſignum orationis non reſpondet, falſum eſſe id quod dicitur certiſſimum eſt: cùm autem dicunt, ſe non feciſſe, quod fecerunt; non ſcire, quod norunt; & ſimilia, non reſpondet ſignum orationis rei ſignificatæ. Neque juvat quod ſubintelligant ſe non feciſſe, aut non ſcire, ſicut teneantur dicere; quia illa reſtrictio non ſignificatur ullo modo verbis pronunciatis, neque occurrunt ullæ circumſtantiæ, ut meritò tale quid ſubintelligi, exteriùs etiam ſignificatum, judicari poſſit. Verba ergò eorum menti non ſunt conformia, ſed contra eorum mentem proferuntur; ideoque neque mendacii, neque perjurii labem effugiunt, ipſis enim dictat conſcientia, ſe contrarium enunciare, ejus quod fecerunt. Proinde manet eorum mens in mendacio. Recte igitur agnoſcit Malderus Antuerp. Epiſcop. in tractatu nuper edito de abuſu reſtrictionum mentalium cap. 10. ſect. 2. *Nunquam licere uti reſtrictione purè mentali, quia ſolius mentis reſtrictio non tollit mendacium.* Imò illos qui ita ſentiunt, ipſa ſua reſtrictione convinci, non præcipitanter fuiſſe mentitos, ſed quodammodo meditatos eſſe mendacium, quod gravitatem peccati auget.

Nihil tale habetur in Abrahami verbis, nam ſignificabant exteriùs quod verum erat, etſi alio ſenſu poſſent accipi, quem procul dubio Abrahamus aut faſſus fuiſſet, ſi de eo præciſè fuiſſet interrogatus, aut mentitus fuiſſet, & hoc ſuo facto non dediſſet exemplum imitandum. Tertullianus lib. de cultu fœmin. cap. 2. non veretur Abrahamum inſimulare mendacii, *dicit enim injuriam ſpectatorum in uxoris ſuæ ſpecie timentem, Saram ſororem ſuam eſſe, fuiſſe mentitum.* Quod tamen ipſi imputari non poteſt, niſi probetur illum etiam negaſſe eſſe uxorem, quod certè non legitur feciſſe. Negare veritatem, eſt præcepti negativi quod obligat ſemper & ad ſemper, proinde id nunquam licet. Sed eam revelare, cùm ſit præcepti affirmativi, nemo tenetur omni tempore, imò aliquando qui id faceret, non ſolùm imprudens, ſed etiam perjurus eſſet. Si Abraham interrogatus fuiſſet, an Sara eſſet ipſius uxor, potuiſſet reſponſum declinare, aut dicendo non referre eum qui id peteret, aut ſe non teneri ad reſponſum, aut quid ſimile: ſed non licuiſſet dicere, non eſt mea uxor, & mente id ſupplere, ut hoc tibi dicam, aut fatear; quod volunt Jeſuitæ. Aut ſi judex, vel apparitor nomine judicis, petat, an non hac tranſivit homicida, manum in manica? vel in ſinu ponere, & reſpondere, non hac tranſivit: talia enim ludibria mendacium non impediunt. Quam ob rationem non malè nuperus ſcriptor Pontificius, in libro, Pariſiis edito, contra æquivocationes, Joannes Barneſius Benedictinus, Jeſuitarum doctrinam accuſat, non ſolùm mendacii & perjurii, item rebellionis & proditionis, ſed etiam *abnegatæ Religionis & Atheiſmi.* Hac enim ſemel aperta, ad omnem perfidiam & in politia & in religione porta patet.

Gravior hoc loco occurrit quæſtio de Abrahami ſcopo, quia quamvis verum eſſet Saram eſſe ipſius ſororem aliquo ſenſu, tamen certum eſt, voluiſſe ut inde inferrent Ægyptii ſe non eſſe ejus maritum. Cùm autem id voluerit celare Ægyptios, ſequitur voluiſſe eos cenſere Saram eſſe liberam, atque ita poſſe ab alio ambiri, atque duci ſine crimine adulterii: in ſpem verò adduci, vel Regem, vel ex magnatibus aliquem, ſe eâ ſine crimine, ſaltem atroci, poſſe potiri. In hac autem opinione fuit Abrahamus, homines illorum temporum potiùs fuiſſe electuros, ut maritum occidentes ſe homicidii reos peragerent, quàm ut vivente marito alienam uxorem raperent. Adeò grave peccatum apud gentes, etiam profanas, fuit adulterium.

Hìc certè non culpandus eſt metus Abrahami, qui in virum conſtantem potuit cadere, ne ipſius vitæ ſtruerentur inſidiæ. Sed quæritur, an juſtum & prudens fuerit, ita conſulere vitæ ſuæ, ut uxoris pudicitiam in diſcrimen vocaret: an etiam Saraï, cui maritus erat *operimentum oculorum*, ut poſteà ipſi dixit Abimelech, excuſari debeat, quod marito obtemperans, paſſa ſit ſe deduci in ædes regias, eo nomine ut conjungeretur Regi, nec cùm videret id ſeriùs agi, indicarit eſſe maritum ſuum, ejus vitam cariorem habens propriâ pudicitia?

Fauſtus Manichæus olim, calumniator omnium Patrum Veteris Teſtamenti, apud Auguſt. libro quem adverſus eum ſcripſit, 22. cap. 33. & quæſt. 26. in Geneſ. ſuggillat Abrahami conſilium, tanquam infamiſſimi nundinatoris matrimonii ſui, qui avaritiæ & ventris cauſsâ, uxorem ſuam Regi in concubitum vendiderit; atque ita graviter factum exaggerat, præjudicio abreptus. Sunt qui in alio extremo factum confitentes per ſe non honeſtum, utrumque tamen laudibus efferunt, quod tale conſilium inierint. Sunt qui negant in toto hoc negotio inhoneſtum à parte Abrahami & Saræ poſſe animadverti, imò fuiſſe cauſſas graves & honeſtas, quibus ad id ſuſcipiendum adacti ſunt. Contrà ſunt qui, etſi in Abrahamum & Saram benè affecti, veritatem nihilominus & candorem amantes ſuprà omnia, nonnihil in utroque ſibi videntur deprehendere, quod reprehenſione dignum ſit, quorum ſententias paucis perpendemus.

1. Sixtus Senenſis Bibliothecæ ſacræ lib. 5. annot. 89. citat multa ex Chryſoſtomo, in quibus aperte dicit, *Virum juſtum in adulterium uxoris conſenſiſſe, & quaſi ſervîiſſe adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugeret. Saram autem marito in mortis diſcrimen adducto, ſimulationem & adulterium perſuadenti conſenſiſſe, etiam adulterio ſe expoſuiſſe, & barbarorum tuliſſe congreſſum*, ut maritum ſervaret. Homil. 32. in Geneſ. Et in Epiſt. ad Olympiam, *propter mortis timorem Abrahamum uxorem ſuam maluiſſe voluptatibus donare barbaricis & Ægyptiæ tyrannidi.* Addit ibidem, *fabulam ipſum compoſuiſſe injuriæ, & rogaſſe uxorem ut cum eo tam horrendam tragœdiam ſimularet.*, miraturque non erubuiſſe hujuſmodi ſcenæ cauſam proferentem. Quæ cum talibus verbis exaggeraſſet, eadem tamen laude & admiratione digna cenſet, & in omnibus ſuis ſcriptis profitetur, teſte eodem Senenſi, *licere, imò etiam oportere perfectum virum uti fraudibus, dolis & impoſturis, non ſolùm in propriis neceſſitatibus, verum etiam in alienis commodis, non nocendi, ſed juvandi gratia, &c.* Sed ipſe Sixtus fatetur, hæc ad Priſcilianiſtarum hæreſim inclinare, Auguſtino adverſari ac cæteris Theologis, præſertim Scholaſticis. Certè repugnare Apoſtolo manifeſtum eſt, qui diſertè ait, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona. Rom. 3. ℣. 8.

Auguſt. lib. 22. cap. 33. adverſus Fauſtum, negat *Abrahamum flagitio conſenſiſſe uxoris, ſed pudicitiam uxoris de cujus animo nihil dubitabat, Deo tuendam commiſiſſe, certum de Deo ſuo quod nihil eam turpe & flagitioſum perpeti ſineret*, quem etiam fide non fefellit. Reſpondet itaque, cum Abrahæ ingredienti in Ægyptum duplex immineret periculum, unum vitæ propriæ, alterum pudicitiæ uxoris, de primo cavendo ſollicitum fuiſſe; pudicitiam autem uxoris Deo commiſiſſe.

miſiſſe. Dicit præterea, *ſcrupuloſius diſputari poſſe, utrum illius mulieris pudicitia violaretur, etiamſi quiſquam carni ejus commixtus eſſet, cum id in ſe fieri pro mariti vita, nec illo neſciente ſed jubente permitteret, nequaquam fidem deſerens conjugalem, & poteſtatem non abnuens maritalem, &c.* Id olim accidiſſe narrat tempore Conſtantini Imperatoris, Antiochiæ. Ubi cum Acindinu præfectus quendam ſervaret in carcere occidendum, quia libram auri quam fiſco debebat non haberet, unde ſolveret; Uxor mariti charitate commota, unius noctis concubitum, ipſo conſentiente marito, vendidit diviti cuidam id anxiè flagitanti, ac libram auri pro mercede promittenti, ut eo pretio mariti vitam à præfecto redimeret. Quo facto Acindini explicato, liberum unicuique permittit Auguſt. æſtimare quod velit, quamvis in eam partem propenſior videatur, quod id fieri non liceat. Qua in re mirum eſt talem ac tantum virum potuiſſe dubitare, cum ex Sacra ſcriptura conſtet apertiſſimè, malum aliquod pœnæ, nunquam eſſe redimendum malo culpæ, & vitam potius eſſe deponendam, quam ut eam nobis aut aliis ſervemus, id facientes ex quo Deus offenderetur. Nullo modo itaque cenſendum eſt licitum eſſe adulterii remedium vel marito vel uxori, vitandæ alterutrius necis cauſa; quin potius mortem expectare convenit imò vero ultro expetere, quam alterutrius caſtitatem prodere, ob cujus conſervationem multæ pudiciſſimæ fœminę non ſolum ab aliis occidi ſuſtinuerunt, ſed etiam (quod tamen probare nolim) ſibi ipſis vim intulerunt, non ſolum inter Ethnicas, ſed etiam inter Chriſtianas. Euſeb. enim lib.8. Hiſtoriæ refert, de Sophronia præfecti Romanæ urbis uxore, quod cum animadverteret maritum metu mortis perterritum, prodidiſſe pudicitiam ſuam Maxentio Tyranno, cum prius defixis genibus Deum oraſſet, tanquam pudicitiam ſuam Chriſto immolaturam, pectus coram eo ferro transfixiſſe: Cujus exemplum nonnullæ ſanctæ virgines ſequutæ ſunt poſtea, quæ Martyrum Catalogo ſunt adſcriptæ. Non negandum eſt gravem fuiſſe neceſſitatem, ſed tamen factum illud probari non poſſe, niſi quis recurrat ad motum extraordinarium & revelationem divinam, de qua tamen conſtare non poteſt. Quicquid ſit, ex talibus exemplis apparet, pudicitiam & honeſtatem eſſe vitæ huic temporali præferendam. Idcirco Auguſtinus concludit, *ſe multo verius & honeſtius illud accipere, quod Pater Abraham, nec tentavit Deum, quando vitæ ſuæ quantum potuit homo conſuluit, & ſperavit in Deum, cui pudicitiam conjugis commendavit.* Summa reſponſionis eſt, cum duo pericula imminerent, unum præcaviſſe, alterum Deo commiſiſſe, idque prudenter factum; ne ſi utrumque Deo committeret, Deum tentaret.

Hac ratione putavit Auguſtinus ſe objectioni ſatisfeciſſe quam præviderat. Nempe, non minus facile fuiſſe Deo, ſi Abraham & Sarai quod res erat dixiſſent, eſſe inter ſe vinculum matrimonii, eundem ſervare à morte; & efficere ne uxor quamvis pulcherrima, appeteretur ab aliquo. Reſpondet igitur id potuiſſe Deum; ſed tum, ſi interrogatus Abraham illam fœminam indicaſſet uxorem ſuam, duas res tuendas commiſiſſet Deo, & ſuam vitam, & conjugis pudicitiam; Pertinere autem ad ſanam doctrinam, ut quando habet quod faciat homo, non tentet Dominum Deum ſuum. Hæc ille. Quæ tamen reſponſio ſi exactè examinetur, non videtur ſatisfacere objectioni. Nam cum Abrahamus non metueret vitæ ſuæ, niſi propter uxorem, à Deo petiiſſet ut hominum oculos à pulchritudine Sarai concupiſcenda averteret, tum certè cauſa ſublata, effectus etiam fuiſſet ſublatus: Atque ita unica petitione, & uno fidei in Deum actu, utrique metui præcurriſſet. Deinde, ſi duo mala incurrentia talia ſint, quorum unum poſſit ita præcaveri, ut ex ipſa præcautione quæ induſtria noſtra fiat, non oriatur aliud malum, valebit regula Auguſtini, in duobus, nempe, malis ſeparatis, quorum unum homo præcavere poteſt, alterum autem nulla ſua induſtria poteſt vitare. Tum certè opus eſt prudentiæ ſanctæ, ita omnia Deo committere, ut non omittamus, quod in nobis eſt, ſi qua reperiatur honeſta elabendi via. Sed in hoc Abrahami facto alia planè ratio eſt. 1. Enim duo mala, non ſunt ejuſdem generis, quia timebat Abraham mortem, & uxoris infamiam, quorum unum eſt malum afflictionis, alterum eſt malum morale, ſi præſertim accidat cum aliquo conſenſu, etſi extorto per metum. 2. Ex ipſa præcautione aut præcavendi modo, oriebatur periculum illud infamiæ uxoris, quia qui liberam eam putabant ob diſſimulatum conjugium, potuerunt ejus ambire conjugium, nulla oppoſita difficulte ex parte mariti, quod etiam accidit. Quapropter nulla eſt ratio, cur dicamus Abrahamum tentaturum fuiſſe Deum, ſi neceſſitate famis pulſus in Ægyptum, hac fiducia uſus fuiſſet, Deum qui ipſi fuerat autor migrandi per neceſſitatem impoſitam, & quem hactenus habuerat ductorem, non permiſſurum, ut vel uxoris cauſa, vel ulla alia, vita ipſius periclitaretur, cujus poſteritati, nondum notæ, promiſerat terræ Canaan poſſeſſionem.

Rectè animadvertit Cajetanus ſcribens in hunc locum, præcipuam difficultatem in hac conventione conjugum, eam eſſe, quod conventio talis ordinabatur ad finem illicitum: videlicet conjugium Sarai cum alio viro, ut etiam probavit eventus. Oportuiſſe autem ad conjugium cum altero intervenire cõſenſum Sarai, imò verba manifeſtare Abrahamum eam ad conſenſum induxiſſe, *ut benè ſit mihi propter te.* Reſpondet hujus quæſtionis ſolutionem apud Ebræos non haberi, nec deeſſe inter eos qui ejuſmodi conventionem damnent. Sacros autem doctores factum illud excuſare, putat autem ille, ſi nihil aliud intervenerit præter id quod narratur, facilè utrumque excuſari. Rationes ejus ſunt 1. quod in litera nulla mentio fiat, Abrahamum conſuluiſſe

ſe ut conſentiret in aliud matrimonium; ſed narretur duntaxat, quod inſtruxit eam tacere quod conjux eſſet, & manifeſtare ſe eſſe ſororem, propter bonos fines. 2. quod de Sarai duntaxat dicatur quod capta, ſeu ſublata eſt in domum regiam, & poſteà verbum Pharaonis ſubjungitur, *& tuli eam mihi in uxorem.* Ad quam rem non neceſſarius fuit expreſſus Saræ conſenſus in novum conjugium, cum ſufficeret, ſi abſque reluctatione aliqua, permitteret ſe duci tanquam futuram conjugem Pharaonis, hoc præſuppoſito, æſtimatum fuiſſe Sarai & Abraham pro magno beneficio hoc habere, *quia hoc facta præ ſe ferebant.* Quæ poſtrema Cajetani verba, quicquid aliter ſentiat, non dant locum juſtæ excuſationi. Si enim facta Abrahami & Sarai præ ſe ferebant, eos pro magno beneficio æſtimare, ſi Sarai duceretur à Pharaone, certe factis ſuis occaſionem dederunt periculo, & Pharaonem penè induxerunt ad illud facinus perpetrandum. Quòd autem addit, excuſari utrumque ab hujuſmodi factis ferè ſimulatis, ex fiducia quam uterque haberet in Deo, quod prohiberet malum antequam conjugium novum iniretur; quæri poſſet unde illis talis fiducia, quæ in facto ſpeciali, cui aliquam occaſionem dedimus, non potuit eſſe certa, ſine ſpeciali promiſſione revelata. Alioqui vix poſſunt à tentatione Dei excuſari, etſi concedatur non deſtitutos fuiſſe tali fiducia. Nam quod aliqui reſpondent Abraham fuiſſe Prophetam, & prævidiſſe fore ut affligerentur, quicumque ſibi aut uxori injuriam feciſſent, aut facere vellent, & jus pudicitiam tentare, ut Pharaoni accidit, quodque ea occaſio futura eſſet juſtitiæ Domini cognoſcendæ, & timoris ejus in ea regione propagandi, id certè non ſequitur ex eo, quod Abrahamus Propheta fuiſſe dicatur. Non enim Prophetæ omnia futura intelligunt, nec omnia prophetice faciunt.

Quamvis ergo de Abrahamo & Sarai tanquam de fi... Dei ſervis ſentiamus, ſi tamen diligenter eorum factum expendatur, in omnibus excuſari non poſſe exiſtimamus, quin aliquid in eo fuerit diffidentiæ & fragilitatis humanæ. Poterat enim Deus, ut diximus, Abrahami uxorem ſervare æquè ſi uxorem dixiſſet, ac ſi ſororem, tota re Domino cõmiſſa. Et quamvis, eum rem totam, etiam poſt hoc initum conſilium, Deo commiſiſſe par ſit credere, & hoc ſuum conſilium rectius judicaſſe; advertendum eſt tamen, etiam ſanctiſſimos ſæpè judicio ſuo relictos falli, ut hoc loco veriſimile eſt. Non eſt enim quod omnia patrum facta excuſemus, vel omnia quæ à ſcriptura commemorantur, probari poſſe putemus; ſed id tantùm eorum acta utriuſque generis maximè inſignia afferri, ut ſciamus eos homines fuiſſe, & quantumvis eſſent ſanctiſſimi, lapſos aliquãdo, ſæpè per errorem, ut de hoc facto credendum: Quod nõ ſolum Doctiſſimi Ebræorum culpant: ſed etiam inter veteres Chriſtianos fuerunt, qui ne id damnare & vituperare cogerentur, negarunt narrationem Moſaicam iſtius rei, hiſtoricè & ad literam eſſe accipiendam, ſed allegoricè interpretati ſunt, quia alioquin ipſis videbatur turpe factum, & mali exempli. Videri poteſt Origenes in cap. 6. Geneſeos. *Alioquin*, ait, *quæ nobis ædificatio erit, legentibus Abraham tantum Patriarcham, non ſolùm mentitum eſſe regi, ſed pudicitiam conjugis prodidiſſe? Quid nos ædificat tanti Patriarchæ uxor, ſi putetur contaminationibus expoſita per conniventiam maritalem? Hæc Iudæi putent & ſi qui ſint amici literæ, non ſpiritus.* Hæc ille, locum ſuis allegoriis, pro more, quærens. Sed utrumque quod ille hiſtoricè ſumptum non putavit, nobis prodeſt ad præcautionem, & ad miſericordiæ & bonitatis divinæ celebrationem. Id factum Hieronymus in traditionibus Ebraicis in Geneſim, *fœdam neceſſitatem* appellat. Optimè doctiſſ. interpres ut ſolet, Rectum fuiſſe Abræ finem, in conſervatione vitæ ſuæ, in qua videbat ſitas eſſe promiſſiones divinas de benedicto ſemine. Sed in via aberraſſe, ut ſæpè nobis contingit, etiam cum ad Deum tendimus, ab ejus verbo per incogitantiam, captandis illicitis mediis deflectere. Id præſertim uſu venire in rebus perplexis, quia facilè abducimur in varios circuitus, dum exitus nullus apparet. Temerarios eſſe judices qui præciſe damnant factum Abræ, particularem tamen lapſum non eſſe negandum, quod ob mortem quam ſibi propinquam metuebat trepidans, diſcriminis eventum Deo non commiſit, ne uxoris pudicitiam malè proderet. Quo exemplo monemur, in rebus implicitis & dubiis, petendum eſſe à Domino conſilii & prudentiæ ſpiritum, ne quid temerè contra ejus verbum tentemus.

Ex hac hiſtoria conſtat, Abrahami tempore Ægyptios ſuos habuiſſe reges Pharaones dictos, quorum tempora digerere ſive ex hiſtoria ſacra, ſive ex prophana nemo certò poteſt. Quæ enim afferuntur ex Manethonis tabulis ſunt pura puta ſomnia de rebus, quæ non ſolum diluvium univerſale, ſed etiam creationem mundi & omnium hominum, primum Adamum anteceſſiſſe finguntur. Sed hoc certum eſt, quod diximus, à tempore Abrahami jam habuiſſe ſuos Reges, uſque ad excidium Hieroſolymæ & deportationem Babylonicam; quorum poſtremus *Pharao VVaphres* ab Euſebio appellatur, & ab Herodoto, lib. 2. *Apries.* Sed à Jeremia cap. 44. verſ. 30. vocatur חפרע, *chophra*, quem Deus etiam tradidit in manum Nebucharetſar Regis Babel. Ab Abrahamo autem qui ſub Pharaone vivebat cujus hìc fit mentio, uſque ad Sedeciæ interitum, quo regnavit hic poſtremus Pharao, interceſſerunt anni M. CCC. XXXVI. Pharaonis nomen commune fuit omnibus Ægypti Regibus, antequam regnum in Perſarum poteſtatem deveniſſet. Sumptum fuiſſe volunt quidam à Pharo inſula, ſed contra omnem rationem; neque enim credibile eſt ab inſula, eaque non magni nominis vel amplitudinis, nomen inditum fuiſſe regibus potentiſſimis. Joſephus veteri Ægyptiorum linguâ vult fuiſſe nomen appellativum *Regem* ſignificans. Apud Ebræos

bræos certè verbum פרע *phará*, cum ע *ajin* in fine, à quo nomen Pharaonis deductum videtur Ebræis פרעה *pharo*, ſignificat inter alia *liberum eſſe à jugo ſervitutis*, & ex Chaldæorum uſu, *vindicavit*, vel *ultus eſt*. Quæ ſignificatio Regibus optimè convenit. Veriſimile eſt tamen, nomen fuiſſe vel primi Ægyptiorum Regis, vel illius qui inter eos maximè clarus fuit, à quo voluerunt ſequentes Reges nominari. Ut poſt Alexandrum, ab ejus nominis primo Ptolemæo Lagi filio, dicti fuerunt Ptolemæi: Et poſtquam Arabes Ægyptum occuparunt, *Sultani*. Ut à primo qui Monarchiam Romanam invaſit, *Cæſares* dicti fuerunt Imperatores. Reges etiam Ponti *Mithridates*, Philiſtinorum *Abimelechi*, &c. Habuerunt autem Reges Aegypti ſua propria nomina, & nonnullorum meminit ſcriptura, ut *Nechonis, Chophræ, &c.* Quo nomine dictus fuerit is, ad quem deducta eſt Sarai, certum nihil habemus. Funccius putavit fuiſſe *Oſiridem*. Alii vocatum fuiſſe *Tutim*. Si Oſiris fuit idem qui *Miſraim* Chami filius, potuit eo uſque vitam prorogaſſe, cum Sem adhuc viveret: Sed tamen non eſt vero ſimile, hominem ea ætate de conjugio voluiſſe cogitare, cum extera & advena muliere. Hæc enim potius redolent hominem in ætatis vigore, & juventutis fervore. Nec multum laborandum eſt de proprio Regis nomine, cum de ipſa re conſtet, Saram abductam fuiſſe à marito, quem talem non putabant Aegyptii, & in Gynæceum Aegyptiorum Regis deductam.

Etſi autem ſcriptura hoc loco non expreſsè dicat à Rege fuiſſe intactam, quod poſteà dicetur in hiſtoria Abimelechi, idem tamen colligitur ex omnibus circumſtantiis. Ideò enim afflixit Deus Pharaonem & totam domum ejus, ut eum averteret à propoſito congrediendi cum Sarai. Ubi notandum illud verſ.17. על דבר שרי *al devar Sarai*, propter verbum Sarai, intelligendum eſſe de *negotio* aut *re*, quia nomen דבר accipitur apud Ebræos in ea ſignificatione, non quod rem cum ea habuiſſet, ſed quia Deus prohibuit, ne res illa quam meditabatur ulterius procederet. Quare quæ verba Pharaonis ſubjiciuntur verſ. 19. ואקח אתה לי לאשה *vaekkach ota li leiſſcha*, & tuli eam mihi in uxorem, nō intelligenda ſunt de facto, ſed de propoſito; tuli eam, ut mihi eſſet uxor, aut ut eam ducerem, quia liberam putavi & ſolutam. Quod autem Pharao ditavit Abrahamum, id factum fuit, cum abduceretur Sarai, ut animum fratris quem putabat ſibi conciliaret, nec putaret eam ſibi velle vi ac tyrannide aliqua rapere. Tunc autem non auſus eſt Abraham vel rejicere munera, vel profiteri ſe maritum, qui anteà & profeſſus erat ſe fratrem eſſe, & idem ab uxore petierat. Res igitur adhuc procedebat cum aliqua honeſtatis & benevolentiæ ſpecie à parte Pharaonis, in cujus facto hactenus, ſi humano judicio examinetur, vix aliquid reperiri poterit animadverſione & reprehenſione dignum, niſi quis nimiam ſpeciei & pulchritudinis rationem habitam fuiſſe dicat; & in Rege improbet, quod hac ſola ductus conſideratione, ignotam mulierem, alienigenam, tunc primum occaſione famis in Aegyptum adductam, cujus neque originem, neque mores addiſcere per tempus potuerat, quæ etiam infra dignitatem regiam haberi debebat, alieno judicio ſibi indicatam & ex pulchritudine laudatam, conſortem thori delegerit. Sed tamen, id per ſe conſideratum iniquum non erat, præſertim cum principes Aegypti eam judicaſſent eſſe forma regia.

Idcirco dubitari poteſt, an afflictio illa quam inflixit Deus Pharaoni fuerit pœna propriè dicta, an potius νουθεσία, correctio quædam & doctrina, ac quaſi cautela, ne aliquid mali imprudens perpetraret. Nam ſi bono animo & modo licito in hoc negotio proceſſerit, doctrina tantùm fuit & cautela; ſi autem interceſſit aliqua iniquitas, fuit punitio & vindicta, ſimulque coërcitio. Quicquid ſit, certum eſt Deum nunquam infligere pœnas niſi juſtas, etiamſi nos juſtitiam illam videre non poſſimus. Quamvis igitur ex hac narratione appareat, Pharaonem pudicitiam Sarai non læſiſſe, ſed eam inviolatam marito reſtituiſſe, fatendum eſt tamen Deum habuiſſe juſtas cauſſas cur in illum animadverterit, etſi nobis eſſent incognitæ. Huc dubio procul reſpexit Propheta Pſal.105. verſ.14. *Non permiſit hominem injuria afficere eos, & corripuit propter ipſos Reges.* In quibus verbis habemus præcipuum finem plagarum divinarum, nempe injuriæ ſuorum propulſationem, & correptionem Regum, ne illam inferrent: Unde etiam liquet quod diximus de Sarai intacta pudicitia, quia Deus non permiſit eos affici injuria.

Regem autem minimè culpa vacaſſe ex rei totius proceſſu conſtare videtur. Etſi enim ſe excuſet, quod juſſerit adduci ad ſe Sarai per errorem conditionis ipſius; non facturus, ſi noviſſet eſſe uxorem alterius, in tanta re tamen non debuit uti præcipitatione, re non diligentius inquiſita. Probabile autem eſt eum ad libidinem proclivem fuiſſe, qui adeò promptus fuit poſt ſuorum relationem, ad incognitam mulierem ſibi conjungendam, quam, niſi Deus id per miraculum prohibuiſſet, corrupturus erat.

Quod autem addit Moſes, totam ejus domum plagæ illius fuiſſe participem, non debet videri iniquum. Nam etſi aliquando inferiores non ſint participes peccati ſuperiorum, Reges & principes nihilominus puniuntur in ſubditis ſuis, qui tamen etiam ipſi digni ſunt ſupplicio apud Deum, etſi in tali occaſione eſſent extra culpam. Sed in hac videmus eos fuiſſe facti autores, & regis ſui libidinem ultro provocaſſe, ut non immerito dixerit Chryſoſtomus, non ſolùm punitos fuiſſe ſervos propter iniquitatem Domini ſui, ſed etiam de propria improbitate fuiſſe caſtigatos, quia pulchritudinē Sarai majorem in modum laudaverant apud Regem, & ablatam viro ad eum deduxerant, regemq; , ſatis ſua ſponte ad libidinem propenſum, vehementius incenderant.

Igitur,

Igitur, non mirum eos regiæ pœnæ fuiſſe participes, qui regis in patrando flagitio, ſocii & adjutores fuerant.

Quænam autem fuerint plagæ quibus Deus Pharaonem & alios afflixit, ſcriptura non declarat. Ioſephus Antiq. lib.1. cap.8. ſeditiones & peſtilentiam intelligit. Philo, morbos & conſcientiæ remorſum. Alii ſterilitatem putant, ſed id non convenit cum eo, quod ipſe Pharao, & ſervi ejus percuſſi dicuntur. Alii alia conjectant. Ebræi, referente eruditiſſimo Mercero, in *Bereſchit Rabba*, dicunt eum percuſſiſſe morbo quem vocant ראתן *Ratan*, quod quid ſit fatetur ſe ignorare; Sed illos ſimul exponere, genus quoddam fuiſſe ulceris quod inter viginti quatuor ulcerum genera ſit longè graviſſimum, & quod præ cæteris ei grave ſit, qui cum muliere rem habere velit, quo cum laboraret, coactus fuit Saram intactam relinquere. Id nobis ſufficere debet, quod ſcriptura dicat, adhibuiſſe Deum plagas maximas, quod non dubitandum eo fine factum fuiſſe, ut infamiam Sarai præverteret, cujus curam benignè ſuſcepit Dominus, etſi facto mariti & ſuo, in tale fuiſſet periculum adducta.

Qua ratione autem reſciverit Rex, Sarai alterius eſſe uxorem, & eam ob cauſam Deum in ipſum & ſuos animadvertiſſet, non multum intereſt ut inquiramus, idque definire temerarium eſſet. Sufficit enim quod id ipſi notum fuerit, etſi modus ignoretur, an nempe, id fuerit per Aegypti ſacerdotes indicatum, quos de tam ſubitæ pœnæ cauſa conſuluiſſet, quod voluit Joſephus; an divina revelatione innotuerit, quod maluit Chryſoſtomus; an, quod alii ſimpliciſſimum putant, id didicerit ex confeſſione Sarai ipſius, quæ vel ultro, vel interrogata tam ſubiti mali cauſam aperuit. Quicquid ſit, certum eſt, eum virgis Domini eruditum, pœnituiſſe propoſiti, & Abrahamo uxorem reddidiſſe, operamque dediſſe ut abeunti & ex regno exeunti, nemo moleſtus foret, aut ei vel uxori vim inferret, quæ omnia ſpeciali Dei providentiæ ſunt adſcribenda.

Cum autem Abrahamus, tantillo temporis ſpatio in Aegypto peregrinatus ſit (non enim audiendi ſunt qui ejus in Aegypto manſioni plures annos aſſignant, cum id repugnet narrationi Moſis) locum habere non poteſt quod Euſebius lib.9. de præpar. Evangelica ex Eupolemo narrat, vixiſſe eum Heliopoli cum ſacerdotibus, à quo Aſtrologiam didicerunt; vel quod Hiſtoriæ Moſis addit Joſephus de ſuo, vel ex aliqua ſuorum traditione, Regem poſt redditam Abrahamo uxorem poteſtatem ipſi dediſſe congrediendi cum ſacerdotibus, de religione ſermones conferendi, eoſque confutandi: Item, etiam numerorum & aſtrorum peritiam benignè iis impertiiſſe. Hæc omnia à Judæis poſteà fuerunt excogitata, ut majoribus ſuis vindicarent ſapientiam illam qua Aegyptii apud reliquas nationes inclaruerunt, & de qua Protomartyr Stephanus Act. cap.7. verſ.22. loquitur, cum dicit Moſem *eruditum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum*. Quæ ſapientia, cum in pleriſque vana fuerit, nec veram Dei cognitionem attigerit, quam aliundè hauſit Moſes, non multum laborandum eſt, ut ejus vel Abraham, vel poſteà Iacob, aut Joſeph autores, aut propagatores habeantur. Et certè ſi, ut vult Joſephus, apud Aegyptios in magno fuit pretio habitus, & primus qui eos artes illas docuerit, mirum eſt nomen ejus tam citò excidiſſe, cum nullum appareat in ſcriptura veſtigium, Abrahami nomen fuiſſe Aegyptiis cognitum, quando Joſeph ejus pronepos ad ſupremam illam dignitatem evectus fuit, aut Jacob ejus nepos cum univerſa familia in Aegyptum venit; non enim genus ſuum celaſſet Joſeph, vel cum interrogatus fuit à Pharaone de parente & fratribus reticuiſſet, hanc eſſe familiam magni illius viri, qui Aegyptios ſapientiam qua maximè excellebant, docuiſſet.

AD CAPVT XIII.

Exercitatio LXXIV.

Familiarum Abrami & Lothi ſeparatio. In ea Lothi electio notata. Comparatio fœcunditatis regionis Pentapolis cum horto Iehovæ, & Ægypto. *Incolarum perverſitas.* Mali & peccatores *qui dicantur?* Coram Domino, *cur tales? Additio nominis Dei poſt adjectivum, quid ſignificet? Promiſſio de numeroſa prole, comparata* pulveri terræ. *Quo jure inter ſe partiti ſint Abram & Loth, qui in terra illa, ne pedem quidem tum habebant. Quæ cauſſæ fuerint à parte Dei ſeparationis patrui & nepotis. Quomodo Deus oſtenderit Abramo totam regionem promiſſam. Qua ratione conſtet promiſſ. veritas, cum Abram nihil, præter ſepulchrum, in illa terra poſſederit. Quod ſemen promiſſio de numeroſa prole intellexerit, corporale, an ſpirituale?* Mamre *quis fuerit, & qualis erga Abramum?*

Cap. XIII. deſcribitur ſeparatio familiæ Lothi, à familia Abrami patrui ſui, occaſione rixæ, inter utriuſque paſtores ortæ, quia cum utrique Deus abundè benedixiſſet, præſertim eorum multiplicaſſet armenta, ita ut in uno & eodem tractu iiſdem paſcuis commodè uti non poſſent, neutri paſtorum alteris cedere volebant. Hoc cum videret Abramus, etſi ægrè avelleretur à Lotho, ne tamen lis orta tantùm inter ſervos initio, temporis ſucceſſu heros ipſos inficeret, pro ſua prudentia id voluit præcavere, ſumma uſus erga nepotem manſuetudine. Cum enim major eſſet, & haud dubio, potentior,

ſpontè

ſpontè tamen minori optionem obtulit, ut ex locis, in quibus ſuum poſſent alere pecus, commodiorem eligeret. Separationem igitur tanquam neceſſariam ſuadet; ſed ne videretur communem anteà ſtationem ſibi velle uſurpare, dextram vel ſiniſtram proponit, & ſibi perinde eſſe profitetur, utramvis eligat Lotus, dummodo rixarum occaſio tollatur inter fratres.

Loti itaque electio ſequitur à verſ. 10. uſque ad 24. qui cùm videret planitiem Jordani fertilem & pinguem, ſtatuit in eam ſecedere, orientem verſus; in qua electione duo ſunt, in quibus obliquè videtur judicium Loti notatum. 1. Quod reſpexerit ad partem quam longè præſtantiorem exiſtimavit, patruum qui honore eum prævenerat non ſuſpiciens prout debuit, nec cum eo modeſtiâ certans, prout naturæ ferebat ordo, contra quem ſibi priores partes uſurpavit. Quod tamen Abraham pacis ſtudio diſſimulavit. 2. Quod de loci commoditate nimium ſollicitus, non perpendit quales vicinos, ſeu hoſpites, habiturus eſſet, homines nempè ſummè perverſos & impudentes. Ubi notandæ ſunt phraſes, quibus deſcribitur, tam fertilitas terræ, quàm Sedomæorum perverſitas. De planitie Jardenis dicitur, quod *tota ipſa* משקה *maſckeh*, *irrigua*, כגן יהוה *kegan jehovah, ſicut hortus Domini.* Item כארץ מצרים *keerets mitſrajim*, ſicut terra Ægypti, ingredientibus Tſoar: *irrigua*, nempè inundatione Jordanis, qui planitiem illam alluebat, & aquis ſuis fœcundabat, atque amœnitatem regioni conciliabat. Loci autem amœnitas & ubertas per comparationem aliorum illuſtratur, id eſt, *horti Domini*, quam locutionem ſunt qui appellativè intelligant, ut Ebraica phraſi *hortus Domini* dicatur terra illa inprimis fertilis & eximia, qua ratione, quicquid excellit, Ebræi *divinum* appellant. Sed præſtat propriè accipere pro horto Edenis, ab ipſo Deo creato & conſito, quia ut Ægyptus in altera comparatione eſt locus propriè dictus, ſic in hac hortus Domini, ut benè advertit Auguſtinus, eſt Paradiſus in quo Adam fuerat collocatus, & ex quo poſt peccatum fuit ejectus, quem etſi nullus eorum ad quos ſcribebat Moſes, vel vidiſſet antè, vel poſt viſurus eſſet, poterat tamen ejus elegantia, amœnitas & ubertas, ex deſcriptione ſuprà à Moſe facta agnoſci, ut vis comparationis intelligeretur. Ex qua etiam non ineptè colligit idem Auguſtinus, paradiſum illum in terra fuiſſe, non in cœlo tantùm myſticè, ut voluerunt nonnulli, qui quæ hiſtoricè dicuntur, ſuis anagogiis corruperunt. Idem adagium de horto Domini habetur Eſaiæ 51. ℣. 3. Sic enim reddiderunt LXX Ebræum כעדן *keeden*, ὡς παράδεισον Κυρίου. Sic Ezech. 8. ℣. 13. *in deliciis paradiſi Dei fuiſti.* Joëlis 2. ℣. 3. *tanquam hortus Eden, terra coram eo.* Patet dici de quovis loco amœniſſimo, ſicut Gentilibus, & Tertull. de locis amœniſſimis adagia ſunt, *Midæ roſetum, Alcinoi pometum, Theſſalica tempe, Phæacum horti &c.*

Ægypti autem, de qua in ſequenti comparatione, ubertas & feracitas adeò celebrata fuit, ut vulgò horreum cæterarum regionum dicta fuerit, ipſique Ægyptii ſæpiùs in anno ſerere, imò ſingulis penè menſibus, dicti fuerint. Hinc eſt etiam quod vicinis fame penè oppreſſis, non ſolùm ipſi victum haberent ſibi ſufficientem, ſed etiam unde aliis communicarent, ut non mirum ſit, cùm præſertim nota eſſet ſoli nuper inhabitati fertilitas Iſraëlitis, Moſem hac uti comparatione voluiſſe, ut regionem illam Pentapoleos deſcriberet.

Ad malitiam & perverſitatem incolarum quod ſpectat, eam notat verbis efficaciſſimis, *Erant*, inquit, רעים וחטאים ליהוה מאד *raijm vechattaijm lajhovah meod, mali & peccatores Domino valdè:* ubi nomina illa *malorum* & *peccatorum*, non in ſimplici ſignificatione ſumi debent, quo ſenſu nullus hominum eſt qui non ſit malus & peccator, ſi rigidè examinetur, ſed ſpeciali ſignificatione qua ſic appellantur qui deplorati ſunt, & in malitia & peccatis inveterarunt. Ad quod referri debet illud *Domino*, vel *coram Domino*, non quidem oppoſitè quaſi ſoli Domino nota eſſent eorum crimina, non etiam hominibus, ſed ad auxeſim quod talia eſſent, ut Dominum velut de cœlis evocarent ad pœnas de iis ſumendas; utpote quorum clamor uſque ad cœlum aſcenderet, ut poſteà dicetur cap. 18. Additio enim nominis Dei, poſt adjectivum, rei veritatem & perfectionem ſignificat: ut cùm quis dicitur magnus, ſanctus, juſtus, &c. Deo. Cùm enim Deus perfectiſſimè omnia cognoſcat, & ut res ſunt, ita de iis ſentiat; ideò cùm aliquid coram eo dicitur eſſe tale, ſignificatur id verè & ſimpliciter eſſe maximè tale. Etſi enim in omnibus peccatis Deus offendatur, etiam iis quæ leviora putantur, offendi tamen maximè dicitur, & velut directè in eum ferri peccatum, cùm ita grave eſt, ut nequeat diutiùs tolerari. Idcircò addita eſt particula מאד *meodh, valdè*, quæ etiam ad auxeſim facit, ſupplet enim defectum ſuperlativi, quo carent Ebræi.

Id notavit hoc loco Moſes duplici de cauſa. I. Ut oſtenderet, quàm malè ſibi & familiæ ſuæ conſuluiſſet Lotus, electâ ſibi tali habitatione, allectus ſoli ubertate, indicetque prudentiæ non eſſe oculis tantùm credere, potiùs cavere eorum illecebras, ne incautos multis malis circumveniant, quod accidit Loto. II. Ut hac mentione, viam ſibi pararet ad hiſtoriam, quæ poſteà ſequetur de regionis illius adeò amœnæ & excultæ tam horrenda mutatione.

A verſ. 14. uſque ad finem capitis repetitur à Deo promiſſio de poſſeſſione terræ Canaan, & numeroſa poſteritate quæ eam excoleret, quam Deus Abrahamo daturus erat, ubi primò habemus adagium illud, quod ſæpè poſteà repetitur, ad maximam multitudinem indicandam quæ numerari non poſſit, כעפר הארץ *caaphar haarets*, ſicut pulverem terræ; cui aſſinia ſunt alia, de *arena maris*, & *ſtellis cœli*. Quò reſpexit poſteà Bilham, Numer. 23. ℣. 10. *Quis dinumerare poſſit pulverem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſraël?*

Tandem notatur locus ſingularis in terra Canaan, in quem conceſſit Abraham, ℣. 18. quercus nempè Mamre, quæ in Chebron; ejuſque prima cura de cultu Dei inſtituendo & exercendo, etiam inter impedimenta varia & exilia; in quibus pleraque omnia facilia ſunt & expedita, nec opus eſt ut in iis diu hæreamus, cùm nulla ferè ſint, vel difficilia, vel controverſa. Unam tantùm & alteram quæſtionem expediemus, quæ lectorem remorari poſſet.

Prima ex verbis verſus noni naſcitur, *Nonne terra omnis*, לפניך *lephaneca, in conſpectu tuo?* id eſt, in arbitrio & poteſtate tua? Hoc enim ſenſu ſæpè hæc phraſis in Scriptura uſurpatur, ut infrà cap. 20. ℣. 13. *Ecce terra coram vobis eſt, ubicumq; volueris habita.* Trem. & Jun. *tibi expoſita eſt,* id eſt, liberum tibi eſt eam partem eligere, quam commodam judicabis. Certum eſt tamen quod Stephanus agnoſcit, Act. 7. ℣. 5. Deum tum temporis *non dediſſe Abrahamo poſſeſſionem in ea, ne veſtigium quidem pedis, quamvis pollicitus eſſet, ſe daturum ei obtinendam, &c.* Quod ſi Abrahamo, cui jus à Deo promiſſum erat, nondum conceſſum erat pedis veſtigium quod poſſideret; non immeritò quæritur, quo jure Abraham & Lot, inter ſe dividant terram alienam, & tanquam in poteſtate ſua poſitam Abraham liberum faciat nepoti, utramvis partem eligendi pro deſiderio ſuo?

Ut ordine reſpondeamus, id primò ſupponendum eſt, electionem illam non offerri rationem poſſeſſionis. Cùm enim Abraham ſciret ſibi & poſteritati ſuæ eſſe promiſſam, non potuit alium in partem vocare, ſine manifeſto contemptu promiſſionis divinæ, quod nunquam vir maximè pius & fidelis attentaſſet. Quapropter de uſufructu tantùm & incolatu, hæc ſunt intelligenda, quæ ad poſteritatem non pertinebant, cum non impedirent quominus uterque tanquam peregrinus in regionibus illis verſaretur, in quibus neuter habiturus erat certam ſtationem.

Sed tamen nondum ceſſat quæſtionis & dubitationis ratio, etiamſi de uſufructu & incolatu ad tempus hæc intelligantur. Dicit Moſes, ℣. 7. *Chananæum & Phareſeum tunc habitaſſe in terra illa.* Cùm igitur non eſſet terra vacua, ſed haberet ſuos incolas & poſſeſſores, adhuc quæri poteſt, quo jure Abrahamus & Lotus ſibi non ſolùm in ea habitationem eligere potuerint, ſed etiam loca paſcua, pro tam numeroſo pecorum grege occupare? Dicendum eſt igitur, utrumque ſuppoſuiſſe conſenſum populorum inter quos erant habitaturi, vel expreſſum, ex pacto cum iis inito; vel tacitum, ex more temporum & locorum, ſi nullam paterentur reſiſtentiam, quod fieri tunc potuit, cùm terra tota non plenè fuerit habitata; tunc enim non dubium eſt, quin incolæ libenter tulerint, induſtrios maximè homines, & prædivites, ſine ullo incommodo, deſertis paſcuis & liberis in vicinia ſua uti, cùm etiam viderent utiles illos eſſe poſſe, utpote qui & pecunia, & pecoribus abundarent. Aut igitur ſentiendum, in more tum poſitum fuiſſe, ut loca non habitata quivis poſſet incolere, & ſpontaneis uti paſcuis, qualia tum erant multa in regionibus omnibus: aut ſentiendum, Abrahamum & Lotum ſuppoſuiſſe conſenſum veterum colonorum, nec aliter diſpoſuiſſe de partibus illis quas ſibi elegerunt. Et certè infrà videbimus, Abrahamum noluiſſe Saram uxorem ſuam defunctam ſepelire, etiam poſt conceſſionem poſſeſſorum loci, niſi priùs emptâ ſpeluncâ. Unde colligitur nunquam in animum induxiſſe, vel nepoti ſuo perſuadere voluiſſe, ut aliâ ratione, quàm legitimâ, uteretur, vel habitatione, vel paſcuis neceſſariis.

2. Quæri poteſt, An ſeparatio patrui & nepotis habuerit aliquas rationes à parte Dei, præter neceſſitatem illam quæ anteà fuit expoſita? Rectè Auguſt. de Civit. Dei lib. 16. cap. 20. & 21. notat, Lotum à patruo Abrahamo diſceſſiſſe, ſalvâ charitate, *neceſſitate ſuſtentandæ familiæ, non diſcordiæ fœditate.* Sed non dubitandum eſt, quin Deus, qui ſuorum mentes & conſilia, etiam ipſis ignaris, ad finem ſuum dirigit; ſibi etiam alia propoſuerit majoris momenti, quæ ex hiſtoria quæ ſequetur colligi poſſunt. 1. Cùm uterque tam Abraham quàm Lot pii eſſent, & Deum timentes, operæpretium fuit, in tanta piorum in terris illis raritate, ut pluribus inſervirent. Voluit itaque Deus eos ſeparare, ut eorum unuſquiſq; partibus ſuis erga diverſos populos defungeretur, verbis monendo, & exemplis præeundo, quod ab Abrahamo credendum eſt diligenter factum fuiſſe: de Loto ut non dubitemus, facit teſtimonium Apoſt. Petri 2. Epiſt. cap. 2. ℣. 8. ubi dicit, *Juſtum illum in dies excruciaſſe animam ſuam, iniquis eorum factis.* Qua pii viri afflictione, inexcuſabiles magis ac magis facti ſunt. 2. Exemplo Loti Deus oſtendere voluit, quanti referat cum hominibus verſari vel bonis, vel malis, ut vitam non ſolùm tranquillam & fœlicem humanitus degamus, ſed etiam ut ab omni periculo contagii morum tuti ſimus; ut diſceremus prius inquirere in probitatem vel pietatem incolarum, quàm cogitare de fertilitate loci, & omnium rerum copia, vel abundantia. 3. Veriſimile etiam eſt, hac ſeparatione voluiſſe Deum præfigurare, ſeparatam fore habitationem utriuſque poſterorum, nec in unam & eandem coalituros eſſe familiam, vel in eundem populum. Quò referri debet, quod poſt Loti diſceſſum, Deus Abrahamo renovavit promiſſionem de poſſeſſione terræ Chanaan. Quarta ratio hæc addi poteſt, voluiſſe Deum parare occaſionem, qua Abrahamus apud illos populos, clarus etiam bellica virtute haberetur, & regulos vicinos ſibi demerendo, aliis qui ipſum vel ſuos impetere vellent, terrorem incuteret, ut ex cap. ſequenti apparebit.

In repetitione divinæ promiſſionis de terra Canaan occurrunt etiam aliquot dubia, quorum primum naſcitur ex verſ. 14. *Leva oculos tuos, & conſpice à loco in*

quo tu es, ad aquilonem, & ad meridiem, & ad orientem, & ad mare, quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo, &c. Quæritur ergò, an ſolùm promiſerit Deus ſpatium illud terræ quod potuit oculis Abrahami naturali modo objici, quod cùm fuerit exiguum, quia humani oculi acies non extendit ſe longè, præſertim in locis montoſis, in quibus viſus limitatur, non conveniret cum promiſſionis magnitudine & executione, cùm alibi promittat Deus totam terram *à fluvio Ægypti, uſque ad Euphratem.* Deut. 34. & certum eſt Iſraëlitas poſſediſſe terram à Dan uſque in Berſeba. Aciem autem oculorum Abrahami ſpatium tantum luſtrare non potuiſſe extra dubium poni deber. Hîc, vel ad miraculum recurrunt nonnulli, vel ad viſionem imaginariam, noctu factam. Ad miraculum, quo volunt Deum, velut in tabula quadam, miniſterio Angelorum graphicè expreſſa, omnes terræ illius angulos oſtendiſſe. Ad viſionem imaginariam, qua putant dormienti fuiſſe objectam. Alii, inter quos Auguſtinus, putant, ſic poſſe ſolvi dubium, Deum quidem promiſiſſe eam partem quam Abraham videbat tum actu, ſed non excluſivè ad alias partes, quas etiam daturus erat. Simplex reſponſio eſt, Deum oſtendiſſe varias regionis illius plagas, quod verba ipſa ſonant; potuiſſe etiam pluribus verbis deſignare ejuſdem limites, nec opus fuiſſe ut acies oculorum Abrahami ubique per illas terræ partes penetraret. Hanc Dei rationem agendi poſteà imitatus eſt ſimia Diabolus, cùm ex montis cacumine omnia regna mundi, & eorum gloriam Chriſto oſtenderet, promitteretque ſe eum in omnium poſſeſſionem immiſſurum, ſi eum adorare vellet. Matth. & Luc. cap. 4. Neque enim tunc vel tabellam ejus oculis ſubjecit, nec opus fuiſſet ad id, cacumen montis conſcendere; nec imaginationem Domini affecit, nec etiam oculus humanus Chriſti, omnium mundi regnorum ſpatia perluſtravit, aut gloriam contemplatus eſt. Sed ex alto illo monte, indicabat tentator regiones omnes ſecundum varias mundi plagas, & de earum ſitu & regnorum gloria diſſerebat, quæ etiam ſimpliciſſima ratio eſt explicandi difficultatem, quæ ex hoc loco oritur, & minimis incommodis obnoxia.

2. Quæritur, Quomodò conſtet veritas promiſſionis de omni illa terra Abrahamo donanda, cùm ne pedis quidem veſtigium Abraham in ea poſſederit, præter ſpeluncam ſepulchralem & agrum vicinum, quem poſteà emit; præſertim cùm Abraham diſtinguatur à ſemine ſuo, & promiſſio ipſum reſpiciat, & ſemen ipſius in ſempiternum? Reſpondendum, rectè dici dari parentibus, quæ poſteritati dantur parentum reſpectu, & ad parentem, tanquam ad caput & originem referri, quod liberis conceditur eorum gratiâ. Prætereà ſæpè alicui jus concedi ad rem aliquam, & ſic ipſi dari, ut tamen in poſſeſſionem vel ipſe nunquam mittatur, vel longè poſt quàm promiſſionem accepit. Nec abſurdè tamen aut in caſſum promitti, quia certitudo promiſſionis, facit ad eorum conſolationem, & fidei remunerationem, qua vident poſteritati ſuæ benè proſpectum eſſe, quamvis eorum ſtatus adhuc vacillare videatur. Sic Abraham credidit in ſe benedictas fore omnes familias terræ, quamvis in ſemine ſuo poſteà venturo poſt multa ſecula, id impleri deberet. Credidit Jacob *filios matris ſuæ ſe ipſi incurvaturos*, Geneſ. 17. etſi ipſe incurvaverit ſe fratri ſuo, eumque dominum ſuum agnoverit, quia fidei oculi longius penetrabant, & de poſteritate cogitabant, in quâ impletum fuit, quod tum promittebatur.

3. Quæſitum eſt, an promiſſio de prole numeroſa, quæ pulvere terræ ſignificatur, genus Abrahami carnale vel ſpirituale reſpiciat, vel etiam utrumque? Simpliciter reſpond. De carnali genere Abrahami primò & immediatè eſſe intelligendam promiſſionem: de ſpirituali autem conſequenter. Otioſum autem eſſe quod Rupertus, & qui eum ſequuntur, voluerunt, pulveris nomine reprobos ex illa gente fuiſſe intellectos, pulveri ob vilitatem comparatos. Quænam enim fuiſſet promiſſio, dabo tibi poſteritatem vilem & abjectam? Mirandum eſt homines alioqui non indoctos, tale quid cogitare potuiſſe, nedum ſcriptis evulgaſſe. *Pulvis* ergò *terræ* proverbialiter, ut diximus, accipitur pro multitudine quæ numerari non poteſt, eſtque hyperbolica locutio, qua etiam uſi ſunt autores claſſici. Sic Ovid. lib. 1. Triſt. Eleg. 4.

Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent,
Parvaque quot ſiccus corpora pulvis habet.

4. Cùm Deus ℣. 17. jubeat Abrahamum, ut ſurgat, & terram illam perambulet in longitudine & latitudine ſua, verſu autem ſequenti dicatur, tetendiſſe illum ſuum tabernaculum, & habitaſſe in quercubus Mamre, quæritur an præcepto huic divino obtemperaverit? Reſpondeo ſimpliciter, non fuiſſe præceptum, quod momento aut brevi tempore debuerit Abrahamus exequi, ſed per partes, & aliquot annorum progreſſu; cujus executioni non repugnat ejus habitatio in Hebron. Certum eſt enim illum variis temporibus terram illam perluſtraſſe, pro ratione neceſſitatis familiæ ſuæ & rerum ſuarum, & ſubinde in variis manſionibus, fuiſſe confirmatum in ſpe potiundæ hæreditatis promiſſæ. Accepto igitur oraculo in Bethel, ibi non ſedit quietus, ſed mutato loco conceſſit in Hebron, & habitavit juxta quercetum Mamre, qui fuit vir Amorrhæus ſatis humanus, quod ex eo percipitur, quod Abrahamum benignè excepit hoſpitio, & cum eo ſe geſſerit (ut ex ſequentibus patebit) honeſtè & liberaliter. Hæc autem quæ hactenus in hoc capite indicata fuerunt à Moſe præmiſſa ſunt, ut eſſent quaſi προπαρασκευή ad ſequentis capitis hiſtoriam, in qua ſunt multa notatu digna.

AD CAPVT XIV.

EXERCITATIO LXXV.

Quænam fuerint regiones quas incoluerunt Reges adverſus quos Abram bellum geßit? vallis Siddijm *ubi fuerit? Cauſſa belli. Qua ratione rex aliquis tributarius reddi poßit? Qui in ſervitutem conſenſit, etſi injuſtè adactus, an excutere jugum poßit? Rephaijm qui fuerint. Andreas Maſius laudatur.* Amalek *per anticipationem. Loti captivitas, quæ fuit juſta caſtigatio, & cur? Nuntium cladis Abramo allatum.* Ebræus *cur dictus.* Baal berijth, *fœderatus. Poſteà nomen Idoli. An cum diſparis cultus hominibus fœdus iniri poßit? Solvitur quæſtio certis propoſitionibus. An planè infideles fuerint Abrami fœderati? Explicantur prohibitiones fœderum cum Chananæis, & aliis nonnullis. Apparatus belli ab Abramo ſuſcepti. Mancipia, pro temporis ratione, habere potuit Abram. Etſi apud Chriſtianos talis ſervitus ceſſarit in ejuſdem Religionis conſectaneis. Clementis Alexandrini ſpeculatio parum ſolida. Iudæorum fabula rejecta, de exercitu Abrami ad duos homines redacto. Examinatur juſtitia ſuſcepti ab Abramo belli, & reſpond. objectionibus. Cautiones duæ.* Dan *quæ fuerit? Quæ* Hobah? *An per inſidias liceat hoſtem adoriri? Affirmatur & probatur. Satisfit objectionibus. Rejicitur Serarii Ieſuitæ dogma, de ſubornandis coquis & pincernis, & inficiendis veneno fontibus, etiam in bello. Quæ fuerit vallis* Saveh?

IN hoc Capite XIV. texitur hiſtoria expeditionis bellicæ ab Abrahamo ſuſceptæ, ejuſque cum Melchiſedeko communicationis, in qua nobiles aliquot quæſtiones occurrunt, in quibus enodandis aliqua nobis opera eſt adhibenda.

Prima quæ occurrit de quatuor Regibus, qui debellarunt Reges Pentapolitanæ regionis, quinam illi fuerint; etſi difficultatibus ſit involuta, non tamen propterea rei ipſius aut veritas laborat, aut obſcuratur perſpicuitas. Mutatio nominum quæ exinde facta eſt in variis regionibus, difficultatis cauſa eſt, quæ in aſſignandis locis ex quibus reges illi prodierunt, reperitur. Nec etiam intereſt ad ſalutem ut id certò & exploratè enucleetur, dummodo nulla animis noſtris dubitatio hæreat de veritate facti. De regione Sinaris, cujus rex fuit Amraphel anteà ſatis dictum fuit cum ageretur de Babel, quæ in ea regione ſita fuit. Non ita expedita res eſt, quænam fuerit regio *Ellaſar* cujus rex fuit *Arjoch.* Hieronymus Pontum interpretatus eſt. Et Symmachi verſio non abludit, quæ βασιλέα σκυθῶν, *Regem Scytharum*, interpretatur. Vix tamen credi poteſt, populos adeo diſſitos, unà conveniſſe, ut partem unam Palæſtinæ, eamque non admodum amplam invaderent: vel tunc Aſſyriorum Monarchiam, quam fundatam fuiſſe non dubitamus, adeò invaluiſſe. Quod etſi verum eſſet, nihil eſt tamen quod evincat, ipſum Aſſyriorum Monarcham hoc bellum geſſiſſe. Reges enim quorum hic ſit mentio, ex circumſtantiis hujus belli, potius reguli fuiſſe videntur, & eorum locorum Toparchæ, quorum dicuntur Reges: etſi Cedorlaomor qui tertio loco nominatur Rex Elamitarum, ſuas etiam tunc extendiſſet fimbrias, debellatis & tributariis redditis Pentapoleos Regibus, ob quorum defectionem novum illud bellum movebatur.

Quam igitur Regionem dicemus eſſe *Ellaſar*? Hic nos deſtituunt omnes Geographi, nec quiſquam eſt qui nobis locum indicet in illa parte Aſiæ, cui hoc nomen inditum fuerit, quod LXX & Chaldæus Paraphraſtes retinuerunt, niſi quod Stephanus in libro de urbibus, meminit fuiſſe in Cœleſyria civitatem cujus nomen eſſet *Hellas.* Ebræi putant locum fuiſſe in Media, vel Perſide, & dictat ratio neceſſarium fuiſſe, ut non procul diſtaret à regionibus, in quibus reliqui habitabant Reguli, quos omnes Aſſyrios fuiſſe Joſephus autor eſt. Helam regio, cui præfuit Cedorlaomer nomen ſumpſit, ab Elam filio Schemi, de quo cap. 10. ſupra ℣. 22. Eam autem eſſe quam Perſidem appellant, ferè omnes conſentiunt.

Additur quartus Thadal, *Rex gentium* Gojim. Sunt qui Ciliciam intelligunt, ſed quo argumento ducti, non videmus. Alii regionem cujus incolæ peculiariter *Gojim* dicebantur. Andreas Maſius vir doctiſſ. in Iudic. ca. 12. credibile judicat Thadal regnaſſe in oris maritimis Palæſtinæ, in Galilæa ſuperiori, quæ Gentium dicta fuit, quod portuoſa, mercaturæque faciendæ accommoda varias gentes reciperet, ex quibus, ut fit, multos etiam homines ibi manſiſſe ſit veriſimile. Sed ut hoc verum fuerit, poſtquàm pars illa terræ magis fuit habitata, non eſt credibile Thadalis tempore, varias gentes huc confluxiſſe: & Galilæam gentium vocatam potius fuiſſe cenſemus, poſtquàm Iſraëlis populo à reliquis diſtincto & ſeparato, pars illa Galileæ quæ ab alienigenis retenta eſt, Gentium ἀλλοφύλων dicta fuit. Sunt qui poſt nomen gentium, volunt ſuppleri vocem *aliarum*, quia vox *alius* interdum deſideratur, ut Geneſ. 36. ℣. 6. *ivit in terram* ſcilicet aliam. Si aliquis ſit conjecturæ locus, putarem Thadal fuiſſe regem aut ducem quorundam populo-

populorum, qui nullam fixam ſedem aut habitationem ſibi elegiſſent, quales ſunt hoc etiam tempore multi Arabes, in tentoriis degentes & locum ſæpè mutantes. Dictum igitur fuiſſe Regem *gentium* aut populorum, quia certam non habebat provinciam. Procopius in hunc locum, teſtatur Symmachum, per *Ellaſar* Pontum, (à quo id latinus interpres accepit) per Elam *Scythas*, per *gentium*, Pamphyliam, quod idem ferè recidit cum Scythis, quia φυλὴ ſive φυλὸν gens dicitur apud græcos. Sed, ut diximus, viciniores fuerunt, qui regibus Pentapoleos bellum moverunt; nec multum refert ut definitè ſciamus, unde venerint. Non videntur tum potentiſſimi fuiſſe reges, nec eorum exercitus numeroſus, quem fundere potuit Abrahamus, manu non ita magna, etſi in eo agnoſcenda ſit divina manus.

Locus belli verſ. 3. deſignatur vallis השדים *Siddim*, & addit Moſes, *ipſa mare ſalis*, non quod vallis illa campeſtris mare tum fuerit, ſed quo tempore Moſes ſcribebat, poſt vindictam divinam in Sodomitas, facta erat lacus Aſphaltites, & mare mortuum. Vulgata editio, *vallem Sylveſtrem* interpretatur. *Siddim*, ſonat propriè *arva*, à שדד *ſadhadh*, quod eſt *occare & aratro proſcindere*. rectè igitur *vallis campeſtris* intelligitur. Ita etiam intellexit Onkelos, qui vertit *in planitie agrorum*, quia vallis illa agris excultis abundabat. Quanquam Aben-Ezra, non à *Sadeh*, quæ vox agrum cultum ſignificat, ſed à סיד *ſijd*, nomen *Siddijm* deducit, quod calcem & bitumen ſignificat, cujus vallis hæc multum habuit, ſicut poſteà ſequitur, quod multi putei bituminis ibi fuerunt. Sed tunc mutaretur *ſcin*, in *ſamech*. Ad rem ipſam quod ſpectat, non multum intereſt.

Sed de cauſa belli quæ dicuntur verſ. 4. ſunt conſideratione digniſſima. *Duodecim annos ſervierant Cedorlaomor* (reges Pentapoleos) tertio decimo anno מרדו, *maradu*, rebellarunt. *Decimo quarto venit Cedorlaomor*. Cauſa igitur belli, fuit defectio Regũ, qui anteà facti fuerant tributarii regis Elam. Vt itaque jus illud ſuum cujus in poſſeſſione fuerat, recuperaret, cum fœderatis ſuis bellum illud ſuſcepit: Quæ certè juſta poteſt videri belli ſuſcipiendi cauſa. Sed tamen anteà quæri poſſet qua ratione Cedorlaomor hoc jus ſibi acquiſiviſſet in Reges illos? Multæ enim ſunt rationes quibus juſtum in Reges aut populos imperium ſibi aliquis poteſt acquirere, & in ſervitutem eos redigere, ſeu civilem, ſive etiam perſonalem. Hic de ſervitute civili intelligi debet, quod dicuntur iſti Reges ſerviiſſe Regi Elam. Alioquin enim ratione perſonarum, liberi erant; imò & in alios etiam dominatum exercebant.

Inter alias juſtum bellum (quale fieri poſſe ſupponimus) quemadmodum facit ut alia acquiri poſſint, ſic etiam jus imperantis ſive in populum, ſive etiam in eos qui populis dominantur. Tunc enim victis poſſunt legem dare victores, & ad eandem victi tenentur. Quod ſi victores, ſubjectos principes ita ſibi devinciant, ut iis relinquant quod habuerant imperium, eſt ſpecies moderatæ victoriæ & laudandæ æquitatis, etſi victores, ſuæ aliquando ſecuritati conſulant, impoſitis præſidiis, aut tributis, quibus rebellantes poſſint coërcere.

Hi ſi poſteà tributa ſic impoſita denegent, & jugum excutiant, vindictam victoris accerſunt juſtam & legitimam. Alia eſt ratio, ſi bellum fuerit injuſtum & iniquum, ſi à tyranno, nulla ſua culpa præeunte, fuerunt impetiti: tunc enim ſervitus injuſtè fuit acquiſita, nec eam poteſt bona conſcientia imponere victor, qui potius pro latrone haberi debet.

Sed tamen de victo dubitari poteſt, an qui, etſi vi adactus, in ſervitutem conſenſit, juramentoque promiſit ſe tributarium fore in perpetuum, oblata oportunitate jugum, bona cum conſcientia, excutere poſſit, & libertatem ſuam priſtinam recuperare, armis etiam reſiſtendo, ſi ad conditiones ſervandas adigatur? Ita ut libertas, quacumque ratione recuperari poſſit, ab injuſto etiam oppreſſore, ſit juſta belli ſuſcipiendi aut etiam attrahendi cauſa? Certum eſt, abſolutè non eſſe cauſam juſtam, ſi quis dicat ſe velle libertatem recuperare. Alioqui non rectè Apoſtolus monuiſſet eum qui ad ſervitutem vocatus erat, ne ſe torqueret, 1. Cor. 8. verſ. 21. Sed tamen procedit quæſtio de libertate, vi & injuſtè ablata. Reſp. igitur, ſi quis in illam ſervitutem ſemel conſenſit, etſi vi adactus initio, fidem tamen ſuam dedit, non poſſe bona conſcientia jugum excutere, etiam injuſti domini, & præſtare ut fidem ſervet etiam damno ſuo, niſi onera à parte injuſtè dominantis, nova imponantur, contra fœdus initum à principio, & deditionis conditiones. Quod ſi factum ſit à Rege Elami, potuerunt Reges Pentapoleos ei denegare ſervitutem. Sed neque nobis de jure illius regis conſtat, neque de juſtitia aut injuſtitia deficientium ab ipſo; quia ſervitutis illius origo nobis eſt ignota: notum eſt tamen eos conſenſiſſe in ſervitutem, eamque tuliſſe per annos duodecim. Non potuiſſe igitur ſe ipſos vindicare, ſi nulla nova ratio aut cauſſa ipſis data fuerit.

Utroſque tam qui in ſervitutem redegerant quàm qui ſervierant, parum ſollicitos fuiſſe de juſtitia, facit ut ſentiamus, quod utrique fuerunt à Deo alienati; & injuſtos fuiſſe Pentapolitanos tam Reges quàm ſubditos, jam anteà notatum eſt, & porrò ex vindicta divina, apparebit. An autem cauſa quam ſuſcepit Abraham eos juvare poſſit, poſteà videndum erit: Eſt enim in ea re præcipua ſita difficultas.

Certum eſt, peccatum Tyrannorum, qui ditiones alienas ſibi vi ſubjiciunt, eaſque ſibi tributarias reddunt non excuſare perduelles, qui ſemel dediti, negant promiſſam obedientiam, quæ præſtari poteſt ſalva conſcientia; nam, cum ſemel, hac lege, vexationem redemerint, eorum eſt promiſſis ſtare, & liberationem à Deo expectare, poſt pœnitentiæ fructus, non autem prevenire ejus adverſus oppreſſores judicia, intempeſtiva diſceſſione. Nebucadneſar quidem injuſtè Dei populum

pulum oppreſſerat, ſed hoc jugo ſemel per Dei voluntatem impoſito, Iſraël & ſeditioſi quidam principes in terra relicti, importunè rebellarunt, quos Jeremias ad obedientiam civilem, etiam tyranno præſtandam, hortatur, cap.42. & anteà cap.29.

Eventus belli pluribus explicatur, ratione vicinorum, à ℣.5. ad 7. ipſorum rebellium, à verſ.8. uſque ad 10. ratione ipſorum incolarum & hoſpitum, maxime autem Loti, qui captus fuit & abductus, cujus cauſa Abraham bellum ſuſcepit contra quatuor illos Reges.

Ad vicinos quod ſpectat, de cauſa cur bellum ipſis à Regibus Aſſyriis indictum fuit non conſtat, an propter rebellionem, an quia neceſſariò coërcendi erant priuſquàm Reges Pentapoleos opprimi poſſent, an alia aliqua de cauſa. Fuerunt autem ſex populi impetiti à Regibus illis, quos veriſimile eſt fuiſſe oppreſſos non cogitantes, neque enim mentio fit ullius expeditionis bellicæ, qua ſe ad reſiſtentiam paraverint. Contra quàm evenit Regibus Pentapolis, qui clade vicinorum moniti, non expectarunt donec hoſtis in eos irrueret, ſed obviam iverunt, etſi infauſto eventu.

Inter illos quatuor populos nominantur *Rephaim*, de quibus quinam fuerint dubitatur. Vulgata, poſt LXX & Paraphraſtem Chaldaicum, *Gigantes* interpretatur, à רפה *rapha*, quod eſt *diſſolvere*. Alii dictos fuiſſe volunt à *Rapha* gigante, cujus poſteri fuerint, de quo 1. Paralip.20. Sed nomen ibi ſumitur appellativè pro gigante, ſic enim appellatur Goliathi frater. Hic autem accipi nomen Rephaim pro certo populo, ex adjunctione cum aliis populis manifeſtum eſt, etſi fieri potuit ut viri populi illius, corporis proceritate & viribus præ cæteris eminuerint. Vir Doctiſſimus Andreas Maſius, ex Nahamano Judæo, cognomen fuiſſe Hevæorum exiſtimat, quia cum חוים *chivvim*, id eſt Hevæi, à ſerpentibus dicti ſint, qui in cavernis habitant, rectè eoſdem רפאים *rephaim* appellari cenſet, quaſi quis *inferos* dicat, & ſub terra agentes, qua notione uſurpavit hanc vocem Eſaias cap.26. verſ.14. Eos etiam quos *Chivvim* nominat Sacra Scriptura τρωγλοδῦτας, id eſt, cavernas incolentes, cognatam fuiſſe Hevæis gentem, eundem Nahamannum ſenſiſſe; omneſque illos barbaros raræ cujuſdam magnitudinis fuiſſe. Hæc ille cap.12. Joſue. Habitationis autem eorum, quæ hìc vocatur *Aſtaroth*, ſub nomine *Aſtaroth Carnajim*, id eſt, bicornis, Joſue 13. verſ.31. quæ fuit vicus grandis trans fluenta Jardenis. 1.Paralip. cap. 6. ℣. 71. numeratur inter urbes Leviticas.

Si quis quærat, cur Moſes iſtorum populorum & aliorum debellationis tam expreſſam injecerit mentionem, optimè ex Chryſoſtomo in hunc locum reſponderi poteſt, cauſam fuiſſe gravem cur id fieret. Non potuit enim melius & efficacius deſcribi, quàm benignè Deus ſe geſſerit erga Abrahamum ſervum ſuum, & quàm luculentam eidem conceſſerit victoriam, de Regibus Aſſyriis, quàm memorando, una nocte, & non ita magna manu, profligatos ab ipſo fuiſſe tot populorum & regum victores, & qui tanto impetu populos, non alioquin ignavos, oppreſſerant.

Ad rebelles Reges quod ſpectat, narrat Moſes eorum apparatum ad defenſionem, & irritum conatum, à verſ.8. uſque ad 11. Quinque fuerunt adverſus quatuor. Vallem Siddim, de qua dictum eſt elegerunt pro loco pugnæ, in qua fuſi ſunt, & fuga cum aliis elapſi. Eſt autem notandum in verſ.7. ubi dicitur, reges illos ante pugnam cum Sedomæis *percuſſiſſe omnem agrum Amalekitæ*, id intelligendum eſſe per anticipationem, quia *Amalek* autor gentis illius, fuit nepos Eſavi, qui nondum natus erat, cum hæc expeditio facta fuit. Non igitur tum percuſſi fuerunt Amalekitæ, ſed populi qui tractum illum inhabitabant, qui poſteà ab Amalecitis occupatus fuit, & dictus *Amalek* à novis incolis, quo nomine appellabatur tempore Moſis.

Id autem quod dicitur ℣.10. וישאלו שמה *vajiſchalu ſchamma*, & ceciderunt ibi, ſimpliciter intelligendum eſt quod ibi cæſi fuerunt & fuſi, non quod Judæi nugantur, quaſi duo illi Reges Sodomæ & Homorræ, ceciderint fugientes in puteos bituminis, ex quibus mirabili modo extracti fuerint, id enim ab iis ſine teſte dicitur. Ceciderunt itaque gladio, ratione exercitus ſui qui cæſus fuit & diſſipatus; nec etiam negare vellemus, non paucos fugiendo in foſſas illas incidiſſe ut fit, ſed ut id de duobus ſuperſtitibus regibus credamus, nulla ſuadet ratio.

Sed totius hiſtoriæ præcipuus ſcopus ſupereſt verſ.12. in quo memoratur captivitas Loti nepotis Abrami, ejuſque cauſa, *quia habitabat Sedomi*, itaque cum aliis Sedomæis etiam abductus fuit, & victoribus cum omnibus ſuis præda factus, divitiis illis omnibus quibus onuſtus cum Abrahamo patruo Ægypto exceſſerat, planè ſpoliatus. Ut igitur qui in eadem navi vela faciunt, idem patiuntur naufragium, ſic ille cum aliis, quibuſcum ſibi habitationem delegerat involutus fuit, & in eandem captivitatem incidit, ſic Deo negotium illud totum diſponente, ut juſtitiam ſuam ſimul & miſericordiam teſtatam faceret.

Juſtitiam quidem adverſus ingratos illos populos, qui excepti in terra illa fertili & amœna, dediderant ſe impietati & impuritati. Qui, cum inter homines poſt diluvium nequiſſimi fuerint, etiam primi nominantur qui ſervitutis jugo preſſi fuerunt. Servitus enim non à natura, ſed à peccato originem ducit. Et cum fuerint reges illi Chananæi, Aſſyrii autem ex poſteris Schemi, in ſervitute regum iſtorum implevit Deus prophetiam Noachi, qua prædixerat Chamum fratrum ſuorum ſervum futurum, imò ſervorum ſervum. 2. In illa prima clade etſi Deus juſtitiam ſuam exercuerit, ſimul tamen μακροθυμίαν ſuam teſtatus eſt, qua locum pœnitentiæ reliquit impuriſſimis hominibus, antequam

quam adverſus eos πανολεθρίαν decerneret. Sic enim per gradus ad vindictam procedit juſtus judex.

Sed Loti calamitas apertè docet vitandam eſſe impiorum communionem, & ab eorum conſortiis abſtinendum, iis qui iiſdem cum ipſis pœnis involvi metuunt. Hinc eſt quod Deus juſſerit populum ſuum ut exiret ex Babylone, ne particeps fieret plagarum ejus. Fuit tamen juſta caſtigatio, & pœna hæc in Loto locum habuit non Τιμωρίας quidem, ſed ἐπανορθώσεως, neceſſariæ, quam ipſi profuiſſe extra dubium ponimus.

Non autem exiſtimandum eſt cum nonnullis, abiiſſe illos reges poſtquam Sodomam expilaverant, Loto dimiſſo, ſed poſteà rediiſſe, ut eum abducerent, qui poſtquàm verſ.11. dictum fuit וילכו vajeleku, *& abierunt*, ſequitur poſteà verſ.12. *Et ceperunt Lot, &c.* Non enim hæc mens fuit Moſis, ſed poſtquàm in genere deſcripſiſſet quod factum fuerat Sedomi, ſeorſim captivitatis Loti meminit, ut eſſet προπαρασκευὴ ad hiſtoriam ſubſequentem, quia ob Loti abductionem, Abramus ſuſcepit bellum de quo poſteà agitur, contra victores illos Reges.

A verſu 15. uſque ad 18. incluſivè, narratur I. Cladis nuntium Abramo allatum à quodam qui evaſerat. II. Apparatus Abrami & inſtrumenta. III. Hoſtium perſequutio, locus & tempus quo eos invaſit. IV. Succeſſus expeditionis.

De primo, *& venit quidam qui evaſerat, & nunciavit Abramo* העברי *haibrij* Ebræo. Nuntii nomen vel conditio reticetur, de quo multa nugantur Judæi. Probabile eſt fuiſſe aliquem ex familia Lothi, qui ſingulari Dei providentia ſervatus fuit, ut rem Abramo in tempore denunciaret, antequam Reges illi potuiſſent cum impedimentis prædæ pervenire ad ſua. Tum enim actum fuiſſet humanitus de Lothi familia, quæ ſervituti addicta fuiſſet, & periculo etiam expoſita ſpiritualis ſervitutis. Eſt autem hic primus locus in quo Abram vocatur *Ebræus*, de cujus nominis origine pluribus anteà egimus, ad Cap. XI. Ubi oſtendimus, nomen illud non à tranſitu Abrahami, vel aliorum populorum qui in eodem tractu vivebant deductum fuiſſe, ſed ab Ebero, ex quo oriundus fuit Abraham; in cujus familia, poſt linguarum confuſionem primævæ linguæ conſervata fuit puritas. Septuaginta hic habent περάτῃ, id eſt, *tranſitori*, à quibus penè omnes Græci fuerunt inducti, ut opinionem illam amplecterentur ſic dictum fuiſſe, quia ex Meſopotamia veniens, ante quàm Palæſtinam ingredi poſſet, amnem Euphratem tranſivit. Fieri potuit, ut cum Abram *Ebræus* vocaretur ab autore gentis, poſtquàm in Cananæan venit, plurimi putarint ita dictum à tranſitu, quomodo *tranſalpini* & *ciſalpini* dicuntur, & ita, quod nonnullis placuit, quod ſpectat Abrahamum, utraque ſententia poſſet eſſe vera, ita tamen ut potior ſit & prior, quæ ab Ebero deducitur, tum ob derivationem & formationem patronymicorum nominum apud Ebræos, quia ferè communiter deſinunt in י *jod*, quomodo hic ſcribitur עברי *ibrij* ſicut *Iehudij* & ſimilia, quæ à parentum nominibus deducuntur, tum præcipuè, quia (ut ſuprà animadverſum eſt) non ſine cauſa Moſes cum de Schemo ageret cap. 10. verſ.21. appellavit eum *patrem filiorum Eher:* quod Epitheton, nullis aliis filiorum Noachi ratione poſterorum ejus adjunctum, aliquid ſingulare indicat, & gentem denotat, ad quam maximè totius hiſtoriæ ſacræ à Moſe contextæ pertinebat uſus. Huic tamen veræ & propriæ origini, qua Ebræi ab Ebero dicti fuerunt, altera ejuſdem nominis ratio progreſſu temporis addi potuit, transfretatio nempe Euphratis, qua ratione non fuiſſet nomen commune Chananæorum (ut voluerunt nonnulli viri docti, de quibus antea egimus, & quorum ſententia hoc ipſo refellitur, quod hoc loco Ebræus appellatur Abram, ad diſtinctionem Amorræorum, Eſchol & Mamre de quibus agitur poſteà) ſed Abrahamo proprium, ſicut in Iacobo videmus, qui cum primò Iacob, hoc eſt *ſupplantator* vocatus fuerit, quia in nativitate ſua fratris plantam manu tenuit, poſteà tamen, alia ratione, de eo dicebat Eſau, cap.27.v.36. juſtè nomen ejus vocatū eſt יעקב ויעקבני *Iaacob, vaijangkebenij*, & ſupplantavit me altera vice. Eorum minus probabilis eſt opinio, qui Ebræum dictum volunt ab ipſo Euphratis fluvio, qui Syris עברא *Ebra* dicitur, quę fuit Theodoreti ſententia, etſi ille modeſtè ſe gerat, quia concludit tandem, *ſuperfluum eſſe de hoc contendere, quia nullum ex verbo pietati detrimentum accedit, ſive hoc, ſive illud recipiamus.* Quæſt.60. in Geneſ.

Diximus hîc expreſſe Abramum appellari *Ebræum*, & rationem hanc addidimus, quia cum habitaret in Chebron, cum Eſchol & Mamre Amorræis, & eorum hic mentio fieret ut fœderatorum Abrami, opus fuit diſtinctione, quæ per nomina Ebræi & Amorræi ſatis intelligitur. *Cur Moſes* (inquit Pererius) *non ante cladem Sodomorum & captivitatem Loth, nominarit Abram Ebræum, ecquis obſecro, etiam divinando probabilem aliquam & idoneam rationem afferre poſſit?* Exiſtimamus tamen hanc non eſſe improbabilem quam attulimus. Addo prætereà, quia debuit Abraham totius expeditionis futuræ caput eſſe & exercitus ductor, conveniens fuiſſe, ut cum nomine proprio, patronymicum jungeretur, ut tanti facinoris honor, penes illam familiam ex qua oriundus erat Abram, maneret.

Sed non eſt ſilentio prætereundem quod Mamre, Aner, & Eſchol, dicuntur בעלי ברית אברם *baale berijth Abram*, ad verbum *domini* ſeu *viri fœderis Abrahami*; id eſt, *fœderati*. Notat Doctiſſ. Mercerus בעל dominum, generale eſſe nomen maxime Ebræis, eo poſſeſſorem, habentem, & autorem ſignificari, vitiiſque & virtutibus adjungi. Sic בעל ענוה *baal anava*, dominus humilitatis, id eſt humilis, aut modeſtus. Ergo *baal berijth*, fœderatus; cujus nominis poſteà idolum fuiſſe legimus

legimus, Judic. 8. ℣. 33. & 9. ℣. 4. quod fuit idolum Sechemitarum, ſic fortaſſe dictum, quod in fœderibus percutiendis ſpecialiter invocaretur. Quod hi homines fœderati Abrami dicuntur, facit ad intelligentiam eorum quæ poſteà in hiſtoria legimus, cùm Abram iſtis viris, qui cum eo venerant, partem prædæ voluit dare. Sic enim novimus, qua ratione inducti, eodem bello cum Abrahamo in cauſa Loti nepotis, ſe implicuerint; quoniam cum eo fœdus inierant, nempè defenſivum, ut mutuò ſe & ſuos tuerentur adverſus vim hoſtilem, quod prudentiæ fuit, tali præſertim tempore, quo leges non admodum vigebant, & ſæpè à latronibus, aut ambitioſis & inquietis hominibus pericula ingruebant.

Cùm verò non conſtet iſtos homines veri Dei cultores fuiſſe, imò potius rationes ſint, cur credamus eos à vera pietate fuiſſe alienos, quorum iniquitatem perſtringet poſteà Dominus, quando hunc proponet terminum introductionis poſterorum Abrami in terram promiſſam, *poſtquam impleta erit iniquitas Amorræorum*, quæſitum eſt, an Abraham potuerit bona cum conſcientia, cum talibus fœdus inire, & eos in ſocietatem ſuſcepti belli vocare? Hæc hypotheſis à theſi pendet, an in aliquo caſu cum infidelibus aut alienæ à noſtra religionis hominibus, liceat fœdus paciſci? Ad quam quæſtionem, etſi alibi ſatisfacere conati ſimus, comment. in Hoſ. cap. 5. paucis nihilominus occaſione facti Abrahami eam attingemus, & quibuſdam propoſitionibus quæſtionem totam expediemus, quarum hæc erit concluſio. Poſſe aliquando ſervatis conditionibus contrahi fœdus cum infidelibus ſine conſcientiæ ſcrupulo, non etiam ſine Eccleſiæ compendio, & emolumento. Conditiones autem præcipuè ſervandæ ſunt hæ.

1. Ut ab omni communione & confœderatione infidelitatis & injuſtitiæ abſtineamus, ac proinde tales figamus initio limites, quibus retineamur, ne ultra rectam lineam trahamur, ex eorum communione. Nuſquam ergò licere fœdus paciſci cum idololatris vel infidelibus, quod includat aliquam communionem aut propagationem idololatriæ vel infidelitatis.

2. Ut fœdus ſit juſtæ defenſionis adverſus hoſtes communes, vel non offenſionis inter fœderatos: offenſionis autem reſpectu alicujus tertii non facilè ineamus, quod ſi quandoque neceſſarium videbitur, excipiantur ſemper qui eandem nobiſcum religionem profitentur, etiamſi ratio belli fidem initio non ſpectet; quia in executione, fieri non poterit ut is modus teneatur à victore religionis hoſte, à nobis adjuto, qui non in præjudicium Eccleſiæ & veræ pietatis vertatur. Idcircò rectè cenſent, qui talia fœdera ratione illius objecti, nullo caſu permittunt.

3. Ut fœdera cum infidelibus politicas tantùm rationes habeant, ex quibus nullum metuendum ſit religioni periculum; ac proinde non probari poſſet fœdus, in quo fidelis tempore belli, ab omni religionis ſuæ exercitio abſtinere teneretur, aut ſi aliquid tale pars infidelis ſtipularetur.

4. Ut à fœderatorum fidelium animis perverſa omnis opinio tollatur, qua perſuaſionem conciperent ſe non aliter ſubſiſtere poſſe, & eam eſſe ſolam conſervandæ ſuæ reipub. rationem, atque ita à Dei fiducia paulatim abducerentur, ut humanis ſubſidiis adhærerent, quam labem præcipuè culparunt Prophetæ in confœderationibus Iſraëlitarum cum Ægyptiis & ſimilibus.

5. Ut nunquam contrahantur, niſi id requirente reipub. neceſſitate, aut familiæ, illius qui in fœdus venit: atque adeò niſi ex tali fœdere utilitatis evidentis ſpes affulgeat.

His & ſimilibus ſervatis conditionibus, præſertim in hoc rerum ſtatu, in quo ſocietas civilis cum omnium hominum ordinibus & conditionibus coli debet, vix fieri poteſt ut fideles, *quantum in ſe eſt, cum omnibus hominibus pacem colant*, Rom. 12. ℣. 18. niſi ſe etiam quandoque patiantur quibuſdam fœderum vinculis, in rebus humanis alligari. Ita cùm Deus hanc Abrahamo ſervo ſuo neceſſitatem impoſuiſſet, ut perpetuò peregrinaretur inter gentes Cananæas, & ex illis gentibus multos haberet ſemper vicinos, habitaret etiam aliquando in eorum pagis aut urbibus, quî fieri potuiſſet, ut requirentibus fœdus ejus, ubi de pietate quæſtio non erat, ſi moroſum & difficilem ſe præbuiſſet, ut ab illis toleratus fuiſſet? Sapienter itaque & prudenter in eo ſe geſſit, quod eos ſibi fœderatos habere non renuit, qui eum in ſua vicinia benignè exceperant, & non ſolùm ipſi liberam concedebant habitationem inter ſe, ſed etiam non illibenter conſentiebant ad tuitionem ejus, & facultatum quas Dominus ipſi erat largitus; imò etiam ut ex hac hiſtoria patet, ad vindicationem ſuorum qui aliam habitationem elegerant. Qua in re ſupponimus Abrahamum nullam omiſiſſe conditionem, qua præcaveret, ne quid in præjudicium ſanctæ vocationis ſuæ accideret. Quibus poſitis, non ſolùm licitè, ſed etiam prudenter junxit ſe tribus iſtis fratribus, quorum ope adjutus fuit in nepote liberando.

Sunt tamen qui cenſent, nec probabilibus rationibus deſtituuntur, tres iſtos viros, etſi Amorræos, non fuiſſe impios aut idololatras, ſed vel anteà verum Deum coluiſſe, etſi non ſine admixtione ignorantiæ, vel ab Abrahamo melius edoctos, ſi aliquandò in ignorantia Dei verſati fuerint, reſipuiſſe, & pietatem coluiſſe. Videtur enim alicujus fidei fuiſſe, quod Abrahamo extero, cum exigua manu, ducendos ſe præbuerint adverſus hoſtes victoriis ſuis tumidos & præpotentes. Argumento etiam eſt, multùm eos Abrahami conſiliis tribuiſſe, quod poſteà legimus cap. 27. ubi, cùm ſepulchrum venale peteret in illo eodem loco à filiis Cheti, illi ultrò concedunt, ut ſepeliat mortuum ſuum

in

in ſepulchris ſuis, dicentes, *Princeps Dei es inter nos:* quibus verbis agnoſcunt Abrahamum eximiis Dei donis fuiſſe ornatum.

Quicquid de eo ſit, quamvis alioquin in ignorantia perſtitiſſent, non eſſet reprehenſione dignum Abrahami factum, quod idcircò non malè trahitur in exemplum, imò & argumentum, in cauſſa eorum qui in fœdus cum adverſæ religionis principibus, aut rogati conſentiunt, aut ipſi requirunt, ſi ulteriùs non procedant, quàm fecit Abrahamus. Quod ſi quis objiciat prohibitionem quæ habetur Exod.23. ℣. 23. *Non inibis cum iis fœdus*, ubi de Cananæis loquitur; item Exod. 34. ℣. 15. ubi additur ratio, *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cum Diis ſuis, & ſacrificaverint, &c. vocet te quiſpiam, &c.* Notandum eſt, talem prohibitionem fuiſſe factam, poſtquam populus Dei vocatus fuit ad poſſeſſionem terræ illius, quo tempore ſeptem illæ nationes, quæ incoluerant terram Canaan, interdicto fuerant ſubjectæ. Sed ante illud tempus non erat eadem ratio: etſi enim Abrahamo facta fuiſſet promiſſio terræ illius, nondum tamen fuerat in ejus poſſeſſionem vocatus, ſed habitabat in terra aliena. Idcircò non ſolùm ipſi licuit, ſed penè neceſſarium fuit, ut fœdus cum nonnullis in hiſce populis iniret. Alia ratio fuit poſteriorum temporum, ſi populos aliquos lege ſua Deus exprimeret, ſibi exoſos, aut infortunio damnatos. Aut ſi Deus extra ordinem, de nonnullis id ſignificaſſet; tunc enim agnoſcimus nefas fuiſſe, vel eorum tutelam ſuſcipere, vel cum iiſdem arma ſociare. Quò pertinet illud Prophetæ ad Joſaphatum de rege Iſraelis: *Tune improbo opitulari, & eos diligere qui Deum oderunt? At ob hoc ipſum exarſit in te ira tua.* 2.Paralip. 19. ℣.2. Quod non ex natura fœderis dictum eſſe, ſed ex quadam peculiari perſonæ qualitate, vel hinc evincitur, quod Joſaphat grauiter fuerit increpitus eo nomine, quod commercii cauſsâ ſocietatem iniiſſet cum Achazia rege Iſraelitarum, etſi planè alioqui ſimilis fuerit ei, quam David & Solomo inierant cum Hiramo, qui tamen eo nomine partim non fuerunt reprehenſi, partim etiam fuerunt laudati. Aliquando etiam culpantur fœdera, non per ſe, ſed ob animi vitium à quo procedebant, quo nomine reprehenſus fuit Aſa, 2. Paralip. 16. ℣. 2. & 7. quod Deo diffiſus, ad ſocietatem regis Syriæ ſe contuliſſet, & res Deo ſacratas ad Syrum miſiſſet. Sed idem etiam culpatus fuit, 2. Paralip.16. ℣.12. quod in medicis ſpem poſuiſſet, non in Deo. Ergò ex hac hiſtoria & ſimilibus non magis ſequitur per ſe & ſimpliciter loquendo, malum eſſe ſocietatem belli contrahere cum talibus, quàm medicos conſulere. Sunt enim multa per ſe licita, quæ vitiat animus non benè diſpoſitus. Sic in Davide cenſus populi Deo diſplicuit, qui alioqui laudabilis eſt in Rege. Sic in Ezechia, oſtenſio theſaurorum. Idcircò in rebus quæ per ſe licent, inquirendum eſt an expediant, & ſi expediant, quo animo & quomodo ſuſcipiantur. Quod Abrahamo obſervatum fuiſſe, fidem facit, non ſolùm eventus actionis, ſed etiam approbatio divina, de qua poſteà.

Igitur de confœderatorum ſuorum conſenſu & ſubſidio certus, animum adjicit ad liberandum nepotem ſuum vi armata. וירק את-חניכיו *vajarek eth chaniſcau,* Arias ad verbum, *& expediit initiatos ſuos.* Tremel. & Jun. *armavit inſtructos ſuos.* Vulgata *vajarek* vertit *numeravit*, propriè reduxit, expedivit, in aciem produxit: notat Mercerus, ſignificare evaginationem, ſeu gladiorum è vaginis & thecis eductionem, tribui autem ducibus, milites in aciem producentibus. Verbum autem חנך *chanak*, eſt initiare, dedicare donum, etiam homines introducere ad recens aliquod opus aut artificium: unde חנוך *chinuc*, initiatio puerorum, vel Catecheſis dici poteſt. Quo nomine uſus eſt Tremellius in verſione Catecheſeos Calvini. Ergò *ſuos initiatos*, hoc loco intelligo tyrones, quos initiavit militiæ, quamvis generaliter ſumi poſſet pro iis quos initiarat ad omne miniſterii genus, ex quorum numero delegit, quos judicavit maximè ad militiam aptos. Vatablus, *armis inſtructos eduxit tyrones.*

Addit ילדי ביתו *jelide bhetho, natos domus ſuæ*, quos Latini *vernas* appellant, qui ab emptitiis ſervis hoc nomine diſcernuntur, etſi ſint vel emptitiorum, vel in bello captorum filii. De quibus meminerat cap.12.℣.2. ubi dicebatur Abrahamum & Lotum ex Meſopotamia exceſſiſſe, *cum animabus quas fecerant in Charris*, id eſt, famulitio quod acquiſierant, ſive emptione, ſive nativitate. Qui enim ex ſervis naſcebantur, non parentum ſuorum erant, ſed dominorum. Quæ ſervitutis conditio apud Chriſtianos ceſſavit, ſaltem Chriſtianorum ratione, nec enim per leges Principum licet mancipia retinere, qui Chriſto nomen dederunt. Ut nec hoc tempore apud Mahumetanos, qui eandem cum ipſis profitentur religionem, aut qui ex aliis religionibus ad eos accedunt, & fiunt, ut loquuntur, *Muſulmanni*, ampliùs pro mancipiis habentur, qui libertatem hac ratione ſibi & ſuis acquirunt. Jure gentium tamen obtinuerat, ut qui pactione, aut delicto in ſervitutem redacti fuerant, aut bello capti, non ſolùm ipſi manciparentur, ſed etiam poſteri in perpetuum, qui matre ſerva poſt ejuſdem ſervitutem naſcebantur. Hinc Tacitus Annal. 1. *ſervitio ſubjectum uterum* dixit. In tales ſervos jus ac poteſtatem vitæ neciſque fuiſſe inter omnes gentes, referunt hiſtoriæ, & agnoſcunt Jureconſulti, & quæcunque habuerunt, dominorum fuiſſe. Quæ hominum conditio, etſi dura fuerit & rigida, in populo Dei locum habuit, non tamen in perpetuum, niſi ſervus ipſe poſt tempus indictum, perforata aure, conſenſu ſuo manciparetur. Sed etiam initio Chriſtianiſmi qui ſervi erant, etſi Chriſtiani facti, debuerunt in priſtina conditione manere, niſi ab heris ſuis manu mitterentur. Idcircò Apoſtoli ſæpe ſervos

vos monent officii ſui: & Canones nonnulli veteris Eccleſiæ reperiuntur, qui prohibent ſuadere ſervo miniſterium domini ſui deſtituere, Can. *Si quis ſervum*, cauſ. 17. q. 4. & ſeqq. ne quis exiſtimet id in Abramo culpandum, quod domi ſuæ tot habuerit mancipia.

Nam ſi trecentos & octodecim vernas potuit armare, non dubium eſt quin alii eſſent non pauci, qui nondum apti erant militiæ per ætatem, præter emptitios multos. Ut non mirum ſit, quod nuper audiebamus de Abramo cùm exivit ex Ægypto, prædivitem fuiſſe, & abundaſſe pecore, argento & auro. Nam qui tantum alebat famulitium, potentem fuiſſe oportet. Non eſt autem cur incredibile videatur, unum hominem tot habuiſſe ſervos, quod illis temporibus non erat inuſitatum. Nec poſteà defuerunt exempla etiam in aliis populis. Apud Romanos Tiberius Minucius eques 400. armavit. Marcus Craſſus quingentos habuit. In numero trecentorum octodecim, luſit Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 6. cap. 4. quia enim litera T, trecenta notat apud Græcos, quæ figuram crucis refert, & I. H. ſunt initiales literæ nominis Jeſu, inde elicit Abrahæ domeſticos eſſe, qui ad ſignum ſimul & ad nomen Dei profugerunt, qui infideles ſuperant, & alios de captivitate eruunt. Quæ ſpeculatio nihil ſolidi habet, ut pleræque aliæ ejuſdem generis, quæ plus officiunt cauſæ Chriſtianæ apud infideles, quàm potuerint videre boni illi viri, qui ſibi indulſerunt, quidlibet ex quolibet efficiendi.

Notandum eſt in hoc numero 318. non numeratas fuiſſe copias trium fœderatorum, Eſchol, Aner, & Mamre, qui, ut ex ſequentibus apparebit, eum ſunt comitati; cum quibus tamen Abrami copiæ, etſi uſque ad millenarium numerum perveniſſent, non pares erant numero, copiis quatuor regum, quos adoriri ſtatuit; ſed ſupplevit copiarum defectum firma fides, qua Deo fretus, heroicum facinus auſus eſt, non tamen planè contemptis humanis ſubſidiis. Fides enim, etſi magna, media non rejicit, quæ ad manum habet, ne Deum tentare videatur. Quare meritò rejicienda eſt Judæorum fabula, qui poſtquam rimati fuerunt in nomine Dammeſech Eliezeri literas numerales, quibus abſolvi poteſt numerus 318. nugantur, Abrahamum unico Eliezero comitatum, totum hoc abſolviſſe negotium, & reduxiſſe copias ſuas ad unum, excluſis timidis & peccatoribus, quæ cum hiſtoria Moſis apertè pugnant.

Et hæc quidem de apparatu bellico. Cauſa autem hæc una ſuſceptæ expeditionis innuitur, ℣. 14. *Et audivit Abram quod captus eſſet frater ſuus*, id eſt, conſanguineus, erat enim fratris filius. Igitur captivitas Loti eum movit, non aliqua cum regibus victis conſociatio, qui, etſi fructum victoriæ Abrami participaverint, non tamen id factum eſt ex præcipuo fine, quia ſi ſoli fuiſſent, eorum patrocinium aut defenſionem Abramus non ſuſcepiſſet.

Sed quæri non immeritò poteſt, an in hoc ſuſcepto bello fuerint omnia quæ juſtam & probabilem faciunt belli ſuſceptionem? Cauſſæ dubitandi ſunt. 1. Quod Abraham fuit privatus, & adhuc in alieno ſolo. 2. Quod à Regibus illis nullam acceperat injuriam in ſe, aut familia ſua. 3. Quod etſi in captivitate Loti nepotis ſui fuiſſet offenſus, non tamen anteà expoſtulavit, & omnia primùm expertus eſt, quàm armis decerneret. Addatur 4. quod bellum non indixit per feciales, poſtquam de injuria conqueſtus, aliâ viâ non potuit proximi ſui familiæ conſulere.

Ad quæ reſpondemus, I. Non concedi Abrahamum fuiſſe privatum, etſi enim in terra illa ne veſtigium quidem pedis poſſideret, non tamen carebat præfecturâ, non ſolùm Eccleſiaſticâ, cùm ſacris præeſſet apud ſuos, ſed etiam civili & politicâ, in tam numeroſa familia, qualem eſſe oportuit, in qua tot vernæ, armis apti reperiebantur. Quibus addi poteſt, quod ab iis qui primas in illis partibus obtinebant, in fœdus fuerit receptus, & eorum non ſolùm conſenſu, ſed & auxilio, bellum illud ſuſceperit. Nec fuit in toto illo tractu Princeps aliquis ſupremus à quo alii penderent, qui cum Abrahamo potuerit expoſtulare de uſurpata aliena poteſtate.

Ad ſecundum quod ſpectat, etſi in perſona, vel familia ſua nullam paſſus eſſet à Regibus illis injuriam, ſufficit tamen ad belli juſtitiam, quod in amico, & ejuſdem ſanguinis, iniquè abducto, damnum paſſus ſit. Potuit enim in gratiam nepotis ſui & amici, bellum recuperatorium ſuſcipere. Dubium enim non eſt, quin ſocietas mutui auxilii inter ipſum & Lotum manſerit. *Qui autem non repellit injuriam à ſocio, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille qui facit*, teſte Ambroſ. de offic. lib. 1. cap. 36. Si in genere, ſola communis hominum conditio ad opem ferendam ſufficit, quia *Homo in adjutorium mutuum generatus eſt*, ut ait Seneca, de ira lib. 1. cap. 7. Si eidem Ambroſio de offic. lib. 1. *Fortitudo quæ defendit infirmos, plena juſtitiæ eſt*, quis culpabit patruum amantiſſimum, nepotem dilectum cum tota ſua familia & ſubſtantia iniquè abductum, ex uſurpatorum manibus eripientem?

Ad tertium autem dicimus, expoſtulationem, & quæ huc pertinent, locum habere, ubi ſpes eſt injuriam acceptam poſſe reſarciri, & dubitatur an ei conſenſerint qui reipub. præſunt. Sed ubi injuria præſens eſt, & intentatur, tum certè re adhuc integra, violenter erepta, licet eam repetere, ſi quis, cujus intereſt, ſit in eo ſtatu, in quo poſſit injuriam propulſare, & ſua vindicare. Ubi periculum eſſet, ſi diutiùs expectaret, ne periret occaſio. Ex quo etiam reſpondetur ad quartam objectionem. Non enim ſemper neceſſaria eſt denunciatio, ſed tantùm in bello ſolemni, poſtquàm utrinque actum eſt de reſtitutione, aut de ſatisfactione, antequàm bellum ab una parte inferatur. Cicero offic. lib. 1. *Nullum eſſe bellum juſtum*, dicit, *niſi quod*

aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit & indictum. Ergo ubi res repetuntur cenſuit bellum eſſe juſtum ſine denunciatione. Nam bellum inferentem, is qui impetitur à ſe repellere poteſt; & quod ad propulſandam vim ſuſcipitur, non à caduceatore ſed à natura indicitur; ut Ælianus ex Platone refert. Neque per naturæ jus indictio neceſſaria eſt, ſi dominus rei ſuæ manum injicere velit. Qui fuit caſus in quo Abrahamus bellum ſuſcepit. Alia eſt ratio, cum res alia, pro re una, aut pro debito res debitoris invaditur, vel ſi quis res eorum qui debitori ſubditi ſunt occupare velit: tum enim requiritur interpellatio, ut conſtet alio modo fieri non poſſe, ut noſtrum aut nobis debitum conſequamur.

Duo tamen ſunt hic obſervanda. I. Diſtinguenda eſſe tempora, perpendenda diſcrimina, & ſtatum Rerumpub. & populorum, quia pro ratione conſtitutionis eorum, poſſunt varia fieri judicia de belli ſuſcepti juſtitia. Alia enim eſt ratio rerumpub. & regnorum, in quibus ita conſtitutus eſt ſtatus rerum, ut vel ab uno pendeat, vel ab optimatibus, vel à populi comitiis. Alia regionum in quibus nondum eſt conſtitutus certus reipub. ſtatus, & quamvis ſit aliqua ſocietas, nondum tamen convenerunt incolæ ſub iiſdem legibus, qualis videtur fuiſſe conditio rerum in Cananæa, Abrahami tempore. Quamobrem non omnia quæ tum, & ibi facta fuerunt, ad imitationem trahenda ſunt, ubi fixa & permanens eſt Reipub. conſtitutio, & ordo certus inferiorum & ſuperiorum. Certè ſi cauſam Regum Pentapoleos ſimpliciter ſpectemus, videntur fuiſſe in culpa, & Rex Elam potuiſſe jus ſuum armis repetere. Et quod eos ſpectat, non videtur Abramum debuiſſe eorum cauſam ſuſcipere, adverſus alios reges. Quis enim conſtituerat eum judicem? Nec etiam ſcriptura hanc fuiſſe ipſi mentem teſtatur. Ex accidente enim factum eſt, non ex primario ſcopo, quod Regis Sedomæ ſubditos liberavit, & ſubſtantiam eorum prædatoribus abſtulit. Juſtitia itaque facti, ſolum Lothum reſpicit, cujus vindicandi jus, penes Abrahamum fuit.

2. Conſiderandum eſt, etſi in hoc facto eſſent nonnulla, quæ cum ordinariæ juſtitiæ regula minus convenirent, & Abram pro merè privato haberetur; aut ſi in Loto vindicando, qui dum inter Sodomæos viveret, videtur non planè injuſtè à victoribus abductus, tanquam incola hoſtilis loci, eas partes ſuſcepiſſet, quæ ad eum non viderentur pertinere, &c. tamen cum ab eventu non ſolùm, ſed etiam approbatione divina opus illud Deo placuiſſe, & ab eo directum eſſe pateat; extraordinarios motus eſſe in hoc actu agnoſcendos, quales fuerunt poſteà eorum, qui ad populi Dei oppreſſi in terra Canaan liberationem, extra ordinem ſuſcitati fuerunt; prout exempla frequentia ſunt in libro Judicum. Hoc itaque Abraham ſuſcepiſſe, jure extraordinario, & ſingulari inſtinctu divino ſtatuendum eſt. Idcirco ſi non conſtaret hoc factum habuiſſe conditiones omnes quæ jure ordinario obſervari debent in bello ſuſcipiendo, non tamen propterea dubitandum eſt de juſtitia expeditionis, quæ tot habet teſtimonia divinæ vocationis.

Alioqui certè, non eſt credibile, niſi fuiſſet mandato divino & promiſſione confirmatus, auſum fuiſſe cum tam exigua manu perſequi quatuor reges victores. Quæ audacia, vix à temeritate poſſet excuſari, niſi fide ac ſpe divina fuiſſet armatus. Quamvis enim ſervos haberet fideles & ſtrenuos, fœderatos non ignavos, & prudentia uteretur in hac aggreſſione, non potuit ſine præſumptione, ſe parem judicare hoſtibus cum quibus ſe voluit committere, niſi hoc ſibi propoſuiſſet plures eſſe qui pugnarent ſecum, quàm qui contra; & Deum, vel ſimplici nutu, poſſe hoſtium vires frangere. Quod certè factum fuit. Nec tamen bellicam prudentiam (ut diximus) neglexit, ut patet ex iis quæ ſubjunguntur verſ. 15. his verbis, *Et diviſit ſe ſuper eos nocte, ipſe, & ſervi ejus, & percuſſit eos, & perſecutus eſt eos uſque ad Chovah, quæ à læva Dammeſech.* In præcedenti verſu & hoc 15. nominantur tres loci, unus ubi eos aſſecutus eſt, alter, quouſque eos perſecutus eſt, tertius ut ſecundi illius aliàs, ut videtur, minus cogniti, deſignatio certior fieret. Eſt autem Dan, unus ex fontibus Jordanis qui cum alio fonte Jor dicto jungit ſuas aquas, juxta eum locum tribus Nephtali, ubi olim Lais civitas fuit ædificata, poſteà Dan dicta, & tandem Cæſarea Philippi, quod nomen ei indidit Philippus Tetrarcha in gratiam Tiberii. Poſteà *Neronia* dicta fuit in honorem Neronis. Hieronymus *Paneadem* vocat in tradit. Ebraicis, quamvis eam lib. de locis Ebraicis à Paneade diſtinguat, *Dan*, inquit, *viculus quarto milliario à Paneade euntibus Tyrum.* Quod ſi verum ſit, potuit præter urbem, eſſe vicus cognominis. Nam Ioſue & Judicum tempore fuit urbs ſatis celebris. Sed tamen patet ex cap. 29. Joſue, nondum tempore Moſis inditum fuiſſe nomen Dan civitati Laïs, unde non immeritò Jordanis fontem hoc loco intelligendum cenſet Pareus, quia Abrami tempore civitas hujus nominis nondum erat.

Chobah autem putat Joſephus lib. 1. Antiq. cap. 10. eſſe *Sobam* Damaſci, quæ & Hobal Syriæ, poſtmodum Chobaa dicta. Cui ſententiæ ſatis favet quod eam ad lævam Damaſci Moſes ſitam fuiſſe docet. Damaſcus autem tractus ille fuit in Syria, in quo poſteà urbs celeberrima fuit condita, quæ caput extitit regni Syriæ, quam alluebant duo fluvii Pharphar & Albana, inter quam & Danum interjacebat mons Libani. A Dano autem uſque ad Chobah, vix quinq; numerabantur milliaria unius horæ. Sed à Chebrone Danum uſque quinquaginta, unde etiam Joſephus narrat Abramum illos non fuiſſe aſſecutum niſi quinto die. Vulgata anteà legebat *uſque Hoba & Phœnicem quæ eſt ad lævam Damaſci*, quam lectionem retinuit in emendatione Bibliorum ſuorum Sixtus V. Tandem Clementis VIII. nomine

mine qui Biblia correxerunt, gloſſema illud, *& Phœnicem*, ſuſtulerunt.

Ibi Deus Abramum induſtria bellica inſtruxit, ut prudentia compenſaret copiarum inæqualitatem. Itaque nocturnum tempus elegit inſidiis aptum; copias ſuas in diverſas partes diſtinxit, ut inopinato pluribus in locis hoſtes aggrederetur, putarentque plures eſſe, qui eos adorirentur, & numeroſum eſſe exercitum, qui uno & eodem tempore in eos irrueret. Noctu autem non poterant diſcernere an pauci an multi eſſent, ſtrepitum præſertim excitantibus Abrami ſervis, quo incogitantes terrerent. Succeſſit ſtratagema, Deo pavorem immittente in exercitum hoſtilem, quem Abramus fudit, & prædâ quam abducebant potitus, fugientes etiam inſequutus eſt, de quibus quid poſteà factum fuerit, aut quo ſe receperint, ſcriptura tacet.

Hic quæſitum eſt, an juſta fuerit bellandi ratio qua Abramus uſus eſt, ut hoſtem per inſidias & nihil tale cogitantem opprimeret? Atque adeò, an in bello dolo, inſidiis, & ſtratagematibus uti liceat? Reſpondemus, etiam in bello ſervandam eſſe fidem datam, neque in juſto bello, poſſe aliquem uti fraudibus & mendaciis: Sed his exceptis, dolum, inſidias & ſtratagemata adverſus hoſtes adhiberi poſſe. Dico, his exceptis: quia nulla unquam ratione licitum fieri poteſt mendacium. Fides autem data etiam hoſti ſervanda eſt, ideò punita fuit domus Saulis, quia fidem Gabaonitis datam infregerat. 2. Sam. cap. 21.

Alia ratio eſt, ſi prior hoſtis fidem violaverit. Ceſſat enim tum conditio ſub qua fides promiſſa eſt, ergo cum conſtat hoſtem conditioni minimè paruiſſe, libertas ei qui juravit acquiritur, ut pro injurato habeatur.

Sed neque ad mendacium, neque ad fidei violationem ſtratagemata bellica referri poſſunt, quæ alioqui Deus qui veritatis parens eſt & oſor mendacii, nunquam probaſſet nedum ſuggeſſiſſet. At Ioſue 8. verſ. 2. dixit Deus ad Ioſuam, *facies urbi Hai & Regi ejus, ſicut feciſti Iericho & Regi illius, pone inſidias urbi poſt eam.* Judic. 20. verſ. 29. Cum Iſraëlitæ mandatum pugnæ & promiſſionem victoriæ accepiſſent, *poſuerunt inſidias in circuitu urbis Gabaa.* Sic 2. Sam. 5. verſ. 23. dicebat Deus Davidi conſulenti num Philiſtæos adoriretur, *diverte à perſequendis eis, poſteà aggredere eos ex adverſo mororum,*

His divinis mandatis junguntur exempla ſanctorum, Abrahami, hoc loco; Ioſue & Davidis, qui prout mandatum fuerat, obtemperarunt. Quæ duo ſimul juncta argumenta, Auguſt. explicat quæſt. 10. in lib. Ioſue. *Quod Deus* (inquit) *jubet loquens ad Ieſum, ut conſtituat ſibi retrorſus inſidias*, id eſt, *inſidiantes bellatores ad inſidiandum hoſtibus, hinc admonemur non injuſtè fieri ab his qui juſtum bellum gerunt; ut nihil homo juſtus præcipuè cogitare debeat in his rebus, niſi ut juſtum bellum ſuſcipiat, utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt.*

Idem dictavit jus gentium. Virgil. Æneid. 2. *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Ammianus Marcel. Hiſt. lib. 17. *Nullo diſcrimine virtutis an doli, proſperi omnes bellorum laudantur eventus.* Veget. de re milit. lib. 3. cap. 9. *Summa eſt ducum gloria victoriam ſine periculo comparare.* Ideo Ageſilaus apud Plutarchum, σπεισάμενον ἀδικεῖν τοὺς θεοὺς ἐστι καταφρονεῖν, ἐν δὲ τῷ παραλογίζεσθαι τοὺς πολεμίους οὐ μόνον τὸ δίκαιον, ἀλλὰ καὶ δόξα πολλή, &c. *fœderatum fallere, nihil aliud eſt quam Deos contemnere. Hoſtes verò circumvenire, non juſtum ſolùm ſed etiam cum gloria magna conjunctum eſt, &c.* Exempla innumera ſunt, etiam apud Chriſtianos & maximè laudatos duces.

Stratagemata ſunt ſpecies prudētiæ militaris, quæ laude nō vituperio digna eſt. *Civitatem potentium conſcēdit ſapiens, & dejicit robur fiduciæ ejus* Prov. 21. 22. Huc referri poteſt quod idem Prov. 24. 6. addit, *Nam prudentibus conſiliis*, Ebr. *cum variis cogitationibus* בתחבלות *betachbulot*, Arias, *in induſtriis, facies bellum tibi, & ſalus eſt in multitudine conſiliariorum.* Et certè potiora & laudabilia magis videntur quæ ratione & mente, quàm quæ vi & corpore efficiuntur, etſi *arte* ſimul & *marte*, in bello ſit opus.

Id etiam ſæpè neceſſitas dictat, ut quæ vi aperta non poſſumus, inſidiis tentemus; ut quando potentiores ſunt hoſtes & numero prævalent.

Si quæ ſint quæ in contrarium afferantur argumenta, illa potius contra perfidiam, aut mendacia pugnant, quàm adverſus inſidias & ſtratagemata in bello alioqui juſto. Quod enim dicunt; fraudem omnem & dolum à viro bono, cujuſmodi eſſe debemus omnes, abeſſe debere, quia repugnat fidelitati, veritati, & ſimplicitati, virtutibus in ſcriptura commendatis, & ab ipſis Ethnicis laudatis; ut contra graviter vituperantur aſtuti, callidi, veteratores, duplices corde; id nihil contra ſtratagemata & inſidias facit; non enim tales ſunt, qui hoſti, extra crimen perfidiæ, aut ſimilia, ſtruunt inſidias. Fraus & dolus, in quibus injuſtitia reperitur, viro bono repugnant; & ſimplicitas commendatur, quæ talis fraudis aut doli nihil habet, etſi dolo bono utatur. Rejicitur enim ſimplicitas imprudens & ſtolida.

Non magis premit quod de lege naturæ objiciunt, per eam nos aliis non debere facere, niſi quod nobis fieri velimus. Neminem autem velle ſibi inſidias ſtrui. Intelligitur enim lex illa, non de voluntate qualibet, ſed de ea quæ rationi convenienter, nolit aut velit hoc & illud.

Objiciunt, ſi ſemel liceat hoſtem fallere, ſequuturum ut licere putent uti ementitis inſignibus ac vexillis, item novo & inuſitato armorum genere. Sed in eo mendacium eſſe non conceditur, & cum arma & vexilla hoc aut illo colore vel modo facta, non ſint ex ſe, vel communi hominum conſenſu, ad unam partem ita penitus applicata, ut bono jure non poſſit ea aſſumere pars altera, licitum id eſſe, valdè probabile eſt. Nec dubitatur

bitatur de armorum genere inuſitato, quia talia ſunt inventa rationis, & prudentiæ militaris.

Nec tamen probandum, quod Jeſuitæ fieri poſſe bona conſcientia in bello juſto non verentur aſſerere, coquos, pincernas, medicos, alioſque id genus familiares, ut veneno duces nobis adverſarios tollant, ſubornare: ſpicula item telaque omnis generis ad hoſtium perniciem veneno imbuere, fontes & flumina eodem inficere. Id licere in juſto bello putare ſe ſcribit Serarius in cap.8. lib. Judic: etſi habita ſæpè bellorum, hoſtium, conſuetudinis, gloriæ, aliorumque ſimilium ratione, ad extremum illum inſidiarum gradum non ſit deſcendendum: qui etiam Alberici & Scipionis Gentilium fratrum rationes in contrariam partem ſolvere conatur. Doctrina certè Jeſuitarum officina digniſſima, ex qua prodierunt noſtris temporibus Aſſaſſini & venefici non pauci, qui eorum conſilio & ſuaſu perpetrarunt, quorum Ethnicos puderet, apud quos celebratur ille, qui

Noxia pollicitum Domino miſcere venena,
Fabricius Regi, nudata fraude, remiſit
Infeſto, quem marte petit; bellumque negavit,
Per famuli tentare nefas.

ut loquitur Claudianus de bello Gildonico. Generoſi id animi fuiſſe certum eſt, ſed prætereà juſti & æqui, & ſcelus horrentis non ſolum ſervi, ſed ſuum etiam ſi id probaſſet, nedum ut ſollicitare voluiſſet infidum ſervum, aut ipſi venenum porrigere, quod Jeſuita licere concedit. Tali ſtomacho ſunt, qui hæc etiam concoquant boni Jeſuitæ, & pejora, quorum effecta ſunt in propatulo. At ea demum eſt vera victoria quæ ſalva fide, & integra dignitate paratur, ut ait Florus lib.1.ca.12. Legimus in ſcriptura inſidiarum exempla quibus uſi ſunt viri juſti & ſtrenui. Ab ipſis fuiſſe ſubornatos ſervos vel ſubditos qui venenum miſcerent, aut Sicarios qui clanculum occiderent, non legimus; quod non ſolùm animi abjecti, ſed iniqui & perverſi eſſe cenſemus.

Abram, etſi inſidiis, tamen bona fide uſus victoriam benedicente Deo reportavit, Lotum vindicavit, prædam omnem recuperavit, quo facto habet ſibi obvios duos Reges, quorum primus fuit Rex Sedomi, qui anteà aufugerat, de quo poſteà quid ei cum Abramo negotii fuerit videbitur. Sed hoc loco expediendum eſt, quænam fuerit vallis illa quæ vocatur *Saveh* aut *vallis Regis*, vel *refrigerium Regis*, in qua ipſi obviam factus eſt. Chriſtianus Adrichomius in deſcrip. terræ ſanctæ, ſcribit fuiſſe vallem illuſtrem in media tribu Manaſſe, quę *vallis Regis* dicta fuit, Ioſepho *Campus Regius*, propter ſui fertilitatem & amœnitatem, quam *Aulonem* poſteà fuiſſe appellatam ex Hieronymo refert. Incipere autem à mari Galileæ à Bethſan, & extendi per totum deſcenſum Jordanis uſque ad mare mortuum, fuiſſeque illuſtriſſimam priuſquam Dominus ſubverteret urbes Pentapolis, quæ medio Jordane irrigabatur. Vallem Regis tum dictam fuiſſe vix credibile eſt, ſi origo nominis ſit quod Regiis venationibus & exercitiis ſerviret, quod plurimi volunt interpretes. Sic igitur appellata fuiſſet per anticipationem, &, ſi id de Rege populi Dei intelligatur, non potuit Moſes eam vallem Regis appellare, ſed oporteret id ab aliquo Propheta explicationis gratia expreſſum fuiſſe, quo tempore Reges valli nomen dederunt. Quid, ſi vallis Regis dicta eſt ex hoc facto, quia in ea Rex Sedomi obviam factus fuit Abramo, ut ipſo nomine eventus ille notaretur? Id ego in medio relinquo. De alio rege videndum eſt, cujus congreſſus cum Abramo majoris eſt momenti.

EXERCITATIO LXXVI.

Explicatur verſ. XVII. *de occurſu Melchiſedeci. Defenditur verſio noſtra ex Ebræo, à tribus criminationibus. Verbi* הוציא hotſij *ſignificatio. Vaſquez Calvinum calumniatur. Redarguitur P. Cottonus. An particula* vau *ſit cauſalis? Diſtinguitur. Cajetani confeſſio. An* Soph-paſuk, *ſemper faciat diſtinctionem magnam? Bellarm. ſuo gladio jugulatur. Panis & vini nomine quid Ebræi intelligant? Quomodo hic accipi debeant? Vocis* כהן cohen *acceptio. Maldonati futilitas, qua etiam vapulat editio vulgata.*

VERSUS XVII. ſic habet. *Et Melchiſedek rex Salem* הוציא *hotſij*, eduxit *panem & vinum.* והוא כהן vehu cohen, *& ipſe ſacerdos Deo altiſſimo*; De cujus verſione priùs aliquid eſt dicendum, quam Pontificiorum pertinacia controverſam reddit, ob præſumptam hoc loco ſacrificii panis & vini oblationem Deo factam. Culpant igitur verſiones noſtras, 1. quod ubi vulgata vertit *proferens*, noſtri in præterito *protulit*, aut *eduxit*, quidam etiam, *attulit*, repoſuerunt. 2. Et præcipuum, quod ubi vulgata habet *erat enim*, noſtri interpretati ſunt, *& ipſe*. 3. quod in fine verſus, noſtri plerumque colon tantum poſuerunt, ubi periodus eſſe debuit, ut finem verſus cum initio ſequentis conjungeret.

Vulgata editio, particulam ו *vau* initio verſus adverſatiuè ſumit, *At Melchiſedek.* Ut opponatur quodammodo Regi Sedom, qui obviam quidem venerat Abramo, ſed vacuus, cum ipſe etiam bonis fuiſſet ſpoliatus. At Melchiſedek non vacuus venit, ſed protulit panem & vinum. Poteſt tamen ſumi conjunctivè in

propria ſignificatione. Venit Rex Sedom in occurſum Abrami ad vallem Saveh,&Melchiſedec *protulit* panem & vinum. Vulgata *proferens.* Ad ſenſum quod ſpectat non multum intereſt, ſive participio utamur, ſive præterito,eodem enim recidit. Manifeſtum eſt tamen in textu Ebræo eſſe præteritum; quod etiam magis convenit cum ſequentibus præteritis, & *benedixit* & *dixit.* Ideo Eugubinus clariorem eſſe verſionem fatetur quæ præteritum ſervat, quod fecit etiam Græcus interpres, ἐξήνεγκεν. Sed quod præcipuum eſt diſputatur, an verbum הוציא per ſe ſignificet proferre aut educere ad ſacrificandum, & idem ſit,quod *in ſacrificium obtulit.* Etſi enim id vulgata editio non expreſſerit,certum eſt tamen Pontificios omnes quotquot ſunt, participium *proferens,* vulgatæ editionis, ſumpſiſſe in ſignificatione offerendi in ſacrificium , & pro eadem velut pro aris & focis etiamnum pugnare; quæ ratio fuit cur Chemnitius id vulgatæ verſioni imputarit,quod eſt interpretum ejus. Quod vero Gab. Vaſquez *mendacium inſigne* Calvino tribuat quaſi dixiſſet, offerendi verbum à vulgata editione fuiſſe uſurpatum, ipſe in eo mentitur inſigniter,quia Calvinus id nunquam dixit.

Fatetur ergo Bellarminus, idque jam omnes penè Pontificii concedunt, verbum *hotſi* , apud Ebræos, ut verbum *protulit*, vel *eduxit*, apud latinos, ſive græcum ἐξήνεγκε,quo Græca editio utitur, *ex ſe* nihil aliud ſignificare niſi *proferre* aut *adducere.* Et Gabriel Vaſquez diſp. 87. cap. 3. artic.6. concedit hoc loco verbum *proferre,* non ſignificare idem quod *offerre*,ſed ſolùm ſimpliciter *depromere*, & in *medium educere*, quo ſenſu Chryſoſtomum & Epiphanium hic accepiſſe non negat.

Addit tamen poſt Bellarminum, interdum prout circumſtantia loci exigere videtur, verbum illud denotare non quamcunque adductionem rei, ſed hoſtiæ, & victimæ ad immolandum; quam crambem repetit Petrus Cottonus in Geneva ſua plagiaria, quam vocat, ubi conatur oſtendere verſionem noſtram, quæ vertit *attulit*, aut *protulit*, fraudem lectori feciſſe, & eam falſi convincere. Profert autem ille, non ad ſacrificium, ſed ad ſacrilegium, teſtimonium ex cap. 6. lib. Judic. ẏ.19. ubi vult verbum idem *hotſi*, in ſignificatione ſacrificandi ſumptum fuiſſe. Ubi tamen manifeſtè tenetur falſi; nam ibi diſtinguit autor adductionem hœdi præparati ab oblatione, & alio verbo utitur. ויוצא אליו אל-תחת האלה ויגש *vajotſe elau el tachath haela vajjaggaſch.* *Et eduxit ad eum ſub quercu, & obtulit;* ubi verbum יצא ſignificat *educere*,verbum autem נגש *nagaſch*, pro *offerre* ponitur. Et notandum eſt, cùm illud verbum *jatſa* ſæpiſſimè occurat in textu Ebræo veteris Teſtamenti, illudque variis vocibus expreſſerunt interpretes Græci, nullibi tamen in *ſacrificandi* ſignificatione ab eis fuiſſe acceptum, imò ne à vulgato verſionis Latinæ interprete, ut cuivis patebit, ex collatione Ebraicarum concordantiarum cum Græcis & Latinis, quod ſanè mirum eſſet, ſi aliquando *per ſe*, ad ſacrificium referretur. *Per ſe* autem dico, quia nihil lucrantur adverſarii, ſi oſtendant in quibuſdam locis uſum eſſe Spiritum ſanctum hac voce, ubi de ſacrificiis, aut hoſtiis afferendis aut educendis agebatur; tunc enim non ſignificat illud verbum ſacrificare aut offerre, ſed ex rei quæ additur naturâ, finis eductionis aut adductionis colligitur; quod etiam in Latinis verbis proferendi aut educendi uſu venit, quæ per ſe non indicant ad quid res adducatur, ſed vel res ipſa, vel aliæ circumſtantiæ, quæ in locis, ubi de ea agitur, conſiderantur. Ideò Vaſquez omiſſa Grammaticâ & verbi ſignificatione, conatur deducere ſacrificium ex aliis loci circumſtantiis, ſed quia non pertinent ad vocem, ſed ad rem ipſam, ejus argumenta poſteà ſuo loco examinabimus.

Secunda difficultas quæ verſionem ſpectat, & in qua nobis litem intendunt, eſt in interpretatione particulæ *vau*, in voce והוא *vehu*, *& ipſe.* Non negamus pronomen tertiæ perſonæ ſupplere vim verbi ſubſtantivi *erat,* & de eo non controvertitur. Sed an particula *vau*, ſit conjunctiva, vel cauſalis, plurimùm intereſt. Triplex ejus apud interpretes reperitur acceptio, 1. ut ſit conjunctio *&.* 2. ut ſit particula adverſativa *autem,* ſive Græcis δὲ, ut habent LXX. ſive autores verſionis Græcæ, quæ in uſu eſt. Epiphanius ſimplicem habet copulativam, καὶ ἦν ἱερεὺς, *& erat Sacerdos.* Pagninus; & Arias Montanus ſimiliter, ut & Paraphraſtæ Onkelos, & Joſeph cæcus. Hieronymus etiam in quæſtionibus Ebraicis. Vulgata tamen editio, & qui eam ſequuntur, præferunt cauſalem particulam *enim*, & per parentheſim clauſulam illam includunt, quaſi ratio redderetur, cur Abraham eduxiſſet panem & vinum, *quia*, nempè, *erat Sacerdos Dei altiſſimi*, unde poſteà ſuum ſacrificium panis & vini ſtatuminant.

Ut ſuam hanc verſionem ſtabiliant, aiunt, copulam *vau*, in ſacra Scriptura aliquando ſumi pro cauſali, & hujus acceptionis nonnulla afferunt exempla. Licet (inquit Bellarminus) ad verbum non ſit in Ebræo, *erat enim Sacerdos*, ſed *& erat Sacerdos*, tamen illa particula conjunctiva apud Ebræos, ſæpè locum obtinet cauſſalis, & verti debet per *enim*, ſi ſententia Latinè eleganter exprimenda ſit. Quod Hieronymus facere ſolet. Affert exempla, 1. ex cap. Geneſ. 20. ẏ. 3. *En morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum:* ubi in Ebræo eſt particula *vau.* Accumulatis exemplis non opus eſt, quia ultrò agnoſcimus hanc acceptionem. Sed quæſtio eſt, an hoc loco ita debeat accipi? Certum eſt particulam illam, ſignificare propriè copulativam *&*, atque per eam verti debere. An autem particula alicubi vim habeat cauſalis, ex loci circumſtantiis judicandum eſt. Quicquid ſit, ſemper bona erit verſio, quæ *vau* per *&* interpretatur, etſi in locis quibuſdam vim habeat cauſalis; exemplo ſit in ipſa vulgata editione locus à Bellarm. citatus, ex Jeſai. cap. 64. *Ecce tu iratus es, & peccavimus*; ubi Vulgata

&

& retinet, ſine præjudicio ſenſus. Itaque hoc ſaltem ex ipſorum adverſariorum confeſſione habemus, lectionem eam nihil falſi continere, quæ copulam Ebraicam per Latinam vertit. Addimus, etſi in locis illis in quibus aliter accipi non poteſt, quàm pro cauſali particula, non culpandus ſit interpres qui eam exprimit; tamen ubi nulla eſt neceſſitas, ſed vel locus copulam potiùs requirit, aut ſaltem ambigi poteſt, an copulativè, an verò cauſaliter accipiatur, fallere interpretem, qui vocem communem, ad præjudicium ſui ſenſus reſtringit. Ingenuè ergò Cajetanus in hunc locum; *Quod in vulgata editione ſubditur, ut cauſa oblationis, erat enim, in Ebræo non habetur, ut cauſa, ſed ut ſeparata clauſula.*

Addit Bellarminus, nos perturbare totam diſtinctionem orationis. Nam in Ebræo codice, poſt illa verba, *& erat ſacerdos Dei altiſſimi,* invenitur accentus, quem Ebræi vocant *ſoph paſuch*, qui indicat ibi terminari periodum. Quare non poteſt illud, *& erat ſacerdos*, conjungi cum ſequentibus, *& benedixit*; ſed debet ſuperioribus annecti, protulit panem & vinum. Idem ex Bellar. repetit Cotonus, in ſua Plagiaria, in qua verſiones noſtras immeritò culpat, quæ interpunctionem Ebræã ubique retinuerunt. Id tamen non eſt ſilentio prætereundum, Bellarminum, qui alibi mutat cum lubet puncta & diſtinctiones, quas vult, cum aliis multis, à Maſoretis eſſe, contenditque ex punctis & diſtinctionibus, non poſſe bonæ verſionis vel malæ argumentum deduci, hoc loco contra ſua ipſius axiomata interpunctionem Ebræi textus urgere: Quod non ita à nobis dictum accipiatur quaſi eam rejiceremus, ſed tantum ut adverſariorum notemus inconſtantiã. Certè negare non poſſunt in primo membro verſus, poſt *panem & vinum* eſſe accentum diſtinguentem *athnac*, qui etſi per colon ſæpè in textu latino compenſetur, tamen in interpretatione Ariæ Montani punctum adhibetur. Sequitur autem nova propoſitio, *& erat ſacerdos Dei altiſſimi.* ubi etiam additur punctum. Sed in vulgata editione à Pontificibus Sixto & Clemente correcta, in fine verſus habetur tantum virgula. Proinde contra ſuam verſionem authenticam facit Bellarm. qui vult terminari periodum in omni fine verſus. Taceo quod duo illa puncta quæ notant finem verſus, accentum vocet, nec diſtinguat inter accentum *ſilluch*, & *ſoph paſuc*. Et tamen Elias Levita in lib. de accentibus cap. 5. expreſſe ſcribit eos errare, qui has notas duorum punctorum inter accentus numerant. Sed multo magis errare certum eſt eos qui putant ubicumque talia puncta habentur, ita ſenſum perfici & impleri, ut ſequens verſus ad eum nihil pertineat. Sæpè enim apparet, poſtrema verba alicujus verſus, cum primis ſequentis connexa eſſe, ratione ſenſus. Ad diſtinctionem autem verſuum ſatis eſt, ſi ſenſus grammaticus adſit, & propoſitio habeat ſuum ſubjectum & attributum, ut hic, *& erat ſacerdos Dei altiſſimi.* Sæpè etiam fideles interpretes, in ſua interpretatione jungunt, quæ in textu diviſa ſunt. Exemplo ſit locus Pſal. 95. verſ. 8. *Hodiè ſi vocem ejus audieritis.* Hic terminatur verſus. Sequitur poſteà verſ. 9. *Ne obduretis cor veſtrum*: quæ duo in unum verſum conjungunt LXX, & ipſa vulgata editio. Imò ipſe Apoſtolus, Ebr. 3. ℣. 7. An igitur, hoc nomine, dicam Apoſtolo ſcribent adverſarii, tanquam perturbatori totius diſtinctionis orationis.

Hæc præcipua ſunt quæ ad verſionem pertinent, addo duo quæ ſpectant ambiguitatem phraſeων & vocum. 1. Ubi dicitur protuliſſe *panem & vinum*, notum eſt apud Ebræos panis & vini nomine, intelligi propriè & primò creaturas illas diſtinctas, quibus communiſſimè in cibo & potu homines utuntur, panem piſtum ex farina, & vinum ex uvis expreſſum. Sed prætereà notum eſt etiam ſæpè voces illas conjunctas, ſumi pro quibuſcumque quæ ad cibum & potum pertinent; & in genere panis & vini nomine, venire lautum apparatum convivialem, imò ſæpè ſolius panis. Hic igitur non immeritò cenſent noſtri, hoc ſecundo modo ſumenda eſſe, pro opiparo convivio quo Melchiſedec excepit Abrahamum & ſuos ex pugna redeuntes. Fateor quidem non ſemper ita accipi, ſed id intelligendum eſſe pro loci circumſtantia, quam à nobis ſtare poſteà videbimus.

De voce כהן *cohen*, in ſignificatione *Sacerdotis* ſumpta, nulla nobis eſt lis cum Pontificiis, ſic enim hoc loco eam accipimus, ut ſacerdotalem dignitatem addat regiæ in Melchiſedeco. Sed ſunt quidam Judæi qui id non ferunt, quia nolunt Meſſiam, de quo David loquitur Pſal. 110. fore Sacerdotem. Quapropter David Kimki verba Davidis ſic intelligit, *Tu es Rex, vel Dux, &c.* & citat in eam rem, 2. Sam. cap. 8. verſ. ult. in quo qui dicuntur כהנים *cohanijm*, 1. Chronic. 18. verſ. ult. הראשנים *hariſchonijm*, primarii, vel principes ad manum regis, primi poſt regem, dicuntur. Item Job. cap. 12. ℣. 19. *Ducit principes ſpoliatos, & fortes ſubvertit:* ubi idem nomen habetur, quo ſenſu Geneſ. 41. ℣. 45. *Sacerdos On*, Joſephi ſocer, & Exod. 2. ℣. 16. *Sacerdos Madian*, ſocer Moſis, videntur fuiſſe præfecti locorum illorum. Concedimus itaque nomen illud in Scriptura, non eſſe ſemper miniſterii Eccleſiaſtici, ſed aliquando, in genere, honoris & dignitatis; ſæpiſſimè autem, ipſis Ebræis interpretibus, de Sacerdotibus uſurpari. Argumentis autem duobus conſtat, Pſal. 110. nomen illud accipi in ſignificatione ſacerdotis. 1. quia certum eſt alludere Pſalmiſtam ad hunc Geneſ. locum, in quo ne ipſi quidem Judæi negant accipi pro ſacerdote, cur ergo illud non faterentur de loco Pſalmi qui huic eſt parallelus. 2. Nobis Chriſtianis ſufficit autoritas Apoſtoli, qui ſacerdotem interpretatus eſt, & Pſal. 110. Et hoc loco ut videre eſt Hebr. 7. verſ. 1. *Nam hic Melchiſedec rex erat Salem, Pontifex Dei altiſſimi* ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου.

Id obiter notandum fuit, quia etſi Pontificii omnes vocem

vocem כהן *kohen* ad ſacerdotium referant, repertus eſt inter eos unus, qui à cæteris omnibus diſſidens, non vult apud Moſem hanc vocem nomen & officium ſacerdotis deſignare, ſed eſſe participium, & ipſum ſacrificandi actum ſignificare. Hanc enim ſubtilitatem, aut futilitatem potius, excogitavit Maldonatus & in ea ſibi mire placuit, quaſi re benè geſta. Is enim Com. in Pſal.110, ubi de hoc loco agit, contendit verbum Ebraicum כהן *cohen*, eſſe participium activæ vocis, quod *ſacrificantem* ſignificat, & nomen אל *el*, non debere accipi in Genitivo, ſed in Dativo caſu, *erat ſacrificans Deo altiſſimo.* Itaque hac voce actum ipſum ſacrificandi denotari. Sed bis vapulat vulgata editio à mancipio Tridentini Concilii, habet enim illa, erat *ſacerdos Dei altiſſimi.* Ipſe etiam Paulus cenſura notatur, qui ut vidimus ἱερέα interpretatur. Quod autem ſcribit Ieſuita כהן *kohen*, eſſe participium activum, omnibus grammaticis & ipſi rei veritati repugnat, cum ſit nomen Adjectivum quod Ebræi *toar* vocant, quo ſignificatur non actus ut participio; ſed qualitas & habitus; ut aliquis dicitur vel *medicus*, vel *grammaticus.* Nomen autem *kohen*, actum ſacrificandi eumque præſentem, ſignificare, adeò abſurdum eſt quàm quod maximè. Sic enim ſacrificaſſent actu Principes & gubernatores qui *kohanim* appellantur communi nomine, quod quam abſurdum ſit, nemo non videt.

Exercitatio LXXVII.

Quis fuerit Melchiſedec. Vbi ſita fuerit Salem? *Duæ hujus nominis civitates an fuerint? Melchiſedeci ſedem fuiſſe quæ Ieruſalem poſteà dicta eſt. Ejus Etymum. Sententiæ duæ communiſſimæ de Melchiſedeko. Hæreſis* Melchiſedekianorum. *Sententia* Hieracitarum. *& aliorum qui negant hominem fuiſſe. Argumenta quinque afferuntur ex autore quæſt. V. &* N: *Teſt. apud Auguſt. ſolvuntur.* Salem *&* Tſedek *an appellativè ſumi debeant exquiritur, & negatur. Quomodo Melchiſedec in æternum fuerit ſacerdos; quomodo ſine patre, ſine matre, &c. Explicatur Apoſt. ad Hebr. cap. VII. verſ. 5. & 6. & defenditur interpretatio contra virum doctiſſimum. Probatur Melchiſedecum fuiſſe verum hominem tum viventem; filium Dei tum ſacerdotem non fuiſſe. Refellitur qui regium apparatum & ſacerdotalem ad σχῆμα refert. Explicatio verborum Pſalmi* CX. כדברתי kedibrati, *&c. Quomodo Melchiſedek aſſimilatus fuerit filio Dei? An Sem fuerit Melchiſedek? Negatur. & contra ſentientium opinio argumentis refellitur. Melchiſedekum fuiſſe hominem Chananæum. Solutio objectionis; in qua oſtenditur id nihil derogare prærogativis Abrami.*

Et hæc quidem fuerunt in verſione controverſa. Deinceps ad rem veniendum eſt, & primò videndum, quis fuerit ille *Melchiſedec.* Regem fuiſſe certum eſt, & nomen ejus *regem juſtitiæ* ſignificaſſe, hoc eſt Phraſi Ebræa *Regem juſtum.* Civitatem verò in qua regnavit *Salem* fuiſſe nominatam. Ubi autem ſita fuerit, quærunt interpretes. In Cananæa duas urbes fuiſſe quibus hoc nomen inditum fuit in confeſſo eſt. 1. Sic appellatam fuiſſe Ieruſalem, conſtat ex Pſal.76. verſ.31. *In Salem eſt tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Sion.* Aliam *Salem* fuiſſe quæ & Salim vocata eſt, ex veteribus Ebræorum Rabbinis docet Hieronymus Epiſt. ad Evagr. & *de locis Ebraicis.* oppidumque fuiſſe dicit juxta Scythopolin, quod uſque ad ſuum tempus appellabatur *Salem*, ubi oſtendebatur palatium Melchiſedec, ex magnitudine ruinarum, veteris operis oſtendens magnificentiam; de quo Geneſ.33. verſ.18. de Iacobo, *tranſivitque ad Salem, urbem Sichimorum quæ eſt in terra Chanaan.* Et ſic habet Ebræus textus, venit Iacob שלם *ſchalem*, quam vocem Trem. & Jun. appellativè ſumpſerunt non propriè; & verterunt, *venit Iacob incolumis*, credo quia nulla litera ſervilis præpoſita fuit nomini *Schalem.* Ita etiam vertit Pagninus. Sed Arias mutavit in nomen proprium, cum vulgata. Chaldæus Paraphraſtes etiam *ſanum* vertit. Itaque non videtur certa illorum ſententia qui ibi extruunt urbem nomine Salem. Fit quidem in Euangelio mentio loci *Salim* nominati, à quo non procul diſtabat Enon, ibi baptiſabat Ioannes. Ioan.3. verſ. 23. non procul à Jordane fluvio, verſus Lacum Geneſareth. Hieronymus exiſtimat illam fuiſſe urbem, in qua regnavit Melchiſedek, ſed levibus argumentis ductus. Primum enim ſumptum à veſtigiis palatii, valdè infirmum eſt, Hæc enim ex fama habuit, quę in rebus adeò vetuſtis & remotis, ſæpè leviſſima eſt. Nec certè probabile eſt, Hieronymi tempore fuiſſe tam antiqui ædificii ruinas ejuſmodi, quæ operis magnificentiam oſtenderent, cum fuerit urbs æquata ſolo, & ſale ſeminata ab Abimelech, ut Hieron. ipſe teſtatur. Sed nec Ioſephum, diligentiſſimum antiquitatum gentis ſuę indagatorem & ſcriptorem latuiſſent tales ruinæ, cujus tempore notiores, & integræ magis fuiſſent. Probabilius igitur eſt palatium illud fuiſſe conſtructum à Jeroboamo qui urbem illam inſtauravit, & errore indigenarum, aut falſa aliqua traditione Melchiſedeci fuiſſe putatum, & in vulgus ſparſum. Secundum

dum argumentum deducit ex eo, quod civitatem, quæ poſteà Jeruſalem dicta eſt, quam plerique omnes ſentiunt fuiſſe Melchiſedeki ſedem, Abrahamo revertenti à cæde regum diſtantem admodum & deviam fuiſſe putat; contrà verò *Salem*, ipſi fuiſſe obviam, quæ ſita erat juxta Scythopolim. Miror quomodo id Hieronymo in mentem venerit, aut valdè nos fallit topographia terræ ſanctæ. Nam Abramo redeunti ex partibus Damaſci, ut veniret in Hebron, obvia ferè erat Jeruſalem. Altera autem illa Salem devia eidem erat, verſus ſeptentrionem nimis propendens; ſed videtur Hieronymus rationem habuiſſe habitationis Sichem, in quam poſteà migravit Abram, de prima ejus habitatione, quæ fuit in Hebron, non cogitans. Fuit autem Jeruſalem vocata etiam *Iebus*, propter inhabitantes Jebuſæos. Judic. 19. ℣. 10. Sed etiam Jeruſalem tunc dictam eſſe ex eodem loco conſtat, & ex cap. 10. Joſue ℣. 1. Adrichomius in Theatro linguæ ſanctæ, vult dictam fuiſſe primùm *Iebus ſalem*, poſteà autem elemento *b*, mutato in *r*, euphoniæ cauſsâ, *Ieruſalem*; Græcè autem, inflexo nomine, *Hieroſolyma*. Certum eſt, *Ieruſalem* dici ex duabus vocibus in unam conflatis, יראה *jireh*, & שלם *ſchalem*, quaſi quis dicat *viſura pacem*, vel *fruitura pace*, quod nomen fuit ominis. Et ut in aliis nominibus propriis compoſitis, ſic etiam in hoc, aliam partem compoſitionis nonnunquam omitti, ut Pſalm. 76. ℣. 2. Hanc igitur fuiſſe civitatem in qua regnavit Melchiſedek, probabiliſſimum duco, non ſolùm quia hæc communis omnium Doctorum ab initio fuit ſententia, tam Judæorum, quàm Chriſtianorum; ſed quia id etiam videtur facere ad myſterium ſalutis noſtræ, quod in eadem illa civitate duorum annorum millibus antè, præfiguravit Melchiſedek, eum qui in eodem loco Sacerdotium illud erat obiturus, quo nos omnes ſanctificavit, & in eadem conſecrandus per afflictiones quas paſſus eſt. Ubi etiam Rex conſtitutus eſt, juxta illud Pſalm. 2. *Ego autem conſtitutus ſum ab eo ſuper Sion montem ſanctum meum.* Huc etiam facit, quod Rex illius civitatis, tempore Joſue, dicebatur *Adonitſedek*, quod nomen ſignificatione convenit cum *Malchitſedek*; videtur enim fuiſſe nomen Regum Jeruſalem, quemadmodum Reges Geraris vocabantur Abimeleki. Arias Montanus expendens locum illum Joſue, *Adonitſedek rex Ieruſalem audiens Ioſuam cepiſſe Hai, & pacem feciſſe cum Gabaonitis, tremuit valdè, & miſit ad alios Reges Cananæos, ut ſibi auxilio venirent*, exiſtimat huic uni Principi inter Reges Cananæos tributum fuiſſe juſtitiæ nomen, adjunctum Domini vel Regis nomini, ut indicaretur juſtitiæ aliqua poteſtas, qua aliis etiam Cananææ regibus jus dicebat ex communi conſenſu, quotieſcunque inter eos lis aliqua oriebatur, atque ad eum pertinuiſſe publicarum cauſſarum cognitionem, ad gentis, generis, & regnorum conſervationem pertinentium. Utut ſit, nobis maximè probabilis videtur ſententia de Jeruſalem ſede regni Melchiſedeki, ob cauſſas allatas. Cur autem dicta fuerit *videns pacem*, aut, ut alii, *viſio pacis*, non inconcinnè judicant, qui ex eo quod Geneſ. 22. verſ. 7. & 14. mons ille in quo filium ſuum obtulit Deo Abrahamus, ab eventu vocatus fuit *Iehova jireh*, *Deus videbit*, exiſtimant, ad diſtinctionem alterius *Salem*, additum fuiſſe verbum illud *jireh*, omiſſo nomine tetragrammato, & conjuncto videndi verbo, cum antiquo vocis nomine. Et hæc de loco. De perſona deinceps videndum.

De Melchiſedeko gravior eſt quæſtio, quis ille fuerit, & non nuper agitata diſſidentibus ſententiis, de quibus agunt Epiphanius in Panario hæreſi 55. quæ eſt de Melchiſedecianis. Et hæreſi 67. quæ eſt de Hieracitis. Theodoretus lib. 2. hæret. fabul. & Auguſtin. ad Quod vult Deum. cap. 34. ex iiſdem autem plures, & omnes ferè autores Eccleſiaſtici, qui in hunc Geneſ. locum inciderunt, vel Epiſtolam ad Ebræos interpretati ſunt.

Poſſunt autem omnes ſententiæ ad duas generales referri. I. Eorum qui negant Melchiſedekum fuiſſe hominem, & verè regnaſſe in aliquo loco propriè ſic dicto. II. Eorum qui hominem verum fuiſſe contendunt. Rurſus, primæ ſententiæ autores, id eſt, qui in eo conveniunt, non fuiſſe hominem, in aſſignanda ejus natura diſſident. Quidam enim volunt fuiſſe virtutem aliquam Dei magnam, ſupernè in locis innominatis conſiſtentem, & Chriſto ipſo majorem, quia hic ſecundùm ordinem illius factus eſt Sacerdos; quæ fuit hæreſis Melchiſedecianorum, de quibus Epiphan. hæreſ. 55. Alii volunt fuiſſe Spiritum ſanctum, quam ſententiam Hieracitis tribuit, idem hæreſ. 67. Alii, inter quos fuit Origenes, voluerunt fuiſſe aliquem Angelum, qui in humana forma apparuit Abramo. 4. Sunt qui ipſum filium Dei ſuo tempore incarnandum volunt, tunc Abramo humanâ formâ & habitu Regio & Sacerdotali obviam veniſſe, eaque omnia feciſſe quæ hoc loco narrantur, tanquam præludia officiorum, ad quæ, poſtquam eſſet incarnatus, deſtinatus erat, quæ etiamnum ſententia à quibuſdam doctiſſ. viris aſſeritur.

Qui hominem fuiſſe ſentiunt, in duas ferè ſententias abeunt. I. Exiſtimant fuiſſe ipſum Semum Noachi filium, qui alio nomine fuit vocatus Melchiſedek. II. Volunt eſſe Regem quendam Cananæum, qui tamen Dei cognitione extra ordinem imbutus fuerit, legitimumque Dei cultum apud ſuos exercuerit, & à Deo inſpiratus, Abramo officia illa detulerit quæ hoc loco narrantur.

Argumenta quibus priores pugnant, ſunt duplicis generis, quædam communia, quædam ſingularia. Communia ſunt, quæ negant eum qui apparuit fuiſſe hominem. Cùm enim hoc ſit omnium commune fundamentum, id etiam primum adſtrui debuit. Autor

quæſt. Veteris & Novi Teſtam. apud Auguſt. Tom. 4. quem Bellarminus putat fuiſſe Hilarium Diaconum, hominem hæreticum, cùm etiam inter eos eſſent, qui Sp. ſanctum eſſe illum Melchiſedekum dicerent, acriter & prolixè diſputat de ea re quæſt. 109. & multis argumentis conatur docere, non potuiſſe hominem eſſe Melchiſedekum.

I. Argumentum deducit à benedictione qua benedixit Abramo; quia non intelligitur benedixiſſe ſicut faciunt homines Sacerdotes, ut ex legatione daret benedictionem verbis ſolemnibus, ſed quaſi propriâ, quam non per verba, ſed per naturam acceperit, ut ei propria & eſſentialis fuerit.

II. Ab eo quod Abramo non melior dicitur propter ſolum Sacerdotii officium, ſed & naturâ anteponitur illi, ut ultra homines intelligatur. Id probat, quia nullo modo fieri poteſt, ut qui tanto amico Dei præponitur, & fideli uſque adeò, ut filium ſuum chariſſimum voluerit offerre Deo, homo putetur. Probat autem ex operibus Abrami quantum ille omnibus modis excelluerit, ut inde deducat neminem ipſi potuiſſe præferri, qui non eſſet ſupra hominum naturam.

III. Quia Rex pacis & juſtitiæ dicitur, ut ab eo juſtitia & pax originem habere noſcatur. At qui pacis & juſtitiæ autor eſt, non eſt homo, ſed Deus. Ergò Melchiſedek eſt Deus, non homo.

IV. Argumentum, *Similis filio Dei* dici non poteſt, niſi qui ſit ejuſdem naturæ. At Melchiſedek dicitur ſimilis filio Dei; Ergò eſt ejuſdem naturæ.

V. Si Melchiſek homo fuit, quomodo convenit, ut ſecundùm ordinem ejus, Chriſtus ſit Sacerdos in æternum? Jam ambo ſimiles leguntur & unius eſſe diſpenſationis, quia unius ſunt naturæ. Hæc ſunt argumenta quæ ex prolixa diſputatione illius hominis eruuntur, in qua admiſcuit nonnulla planè hæretica, ut in eo quod dixit, ita Chriſtum eſſe ſummum Sacerdotem, ut Spiritus ſanctus ſit tantùm ſecundarius.

Ad argumenta ſic reſpondemus. Ad 1. eſſe ſuppoſitionem ejus quod eſt in quæſtione. Negamus enim benedictionem, qua Melchiſedek benedixit Abramo, fuiſſe aliam quàm miniſterialem; fuiſſe autem propriam & per naturam acceptam, probare debuit, quod non fecit.

Ad ſecundum, dicimus non eſſe neceſſarium ut homo, qui præſtantior non eſt altero, ratione virtutum, non poſſit eſſe alia ratione præſtantior, ſi naturâ non ſit. Sunt enim dignitates & officia quorum ratione, qui naturæ ejuſdem particeps eſt, ſæpè autem inferior virtutibus, tamen ſuperior eſt, & præſtantior. De comparatione virtutum, & pietatis inprimis, non agimus; etſi non dubitemus, pietate etiam excelluiſſe Melchiſedekum; ſed tota comparatio inſtituta eſt ratione dignitatis, quia Melchiſedek Rex fuit, ſimul & Sacerdos Dei altiſſimi, non autem Abramus. Quod ſi urgeat, Abramum etiam fuiſſe Sacerdotem, qui Domino obtulerit ſacrificia, ad rem non facit, quia proponitur Melchiſedek, tanquam Sacerdos alterius generis, & cujus Sacerdotium ad hæredes non tranſierit, quia nemo alius legitur, qui Rex & Sacerdos ſimul fuerit Deo altiſſimo, & hoc modo myſterium regni & ſacerdotii Chriſti præfiguraverit, unicus in ſua ſpecie, & qui ſucceſſores non habuerit.

Ad tertium reſpond. ſupponi etiam quæſtionem, eum qui dicitur *Rex pacis & juſtitiæ*, eſſe *autorem* pacis & juſtitiæ. Nam phraſi Ebræa, *Rex pacis & juſtitiæ*, intelligitur *Rex juſtus & pacificus*, qualis poteſt eſſe, qui non eſt autor juſtitiæ & pacis, naturâ. Dico prætereà, *Melchiſedekum*, eſſe illius viri proprium nomen, & *Salem*, proprium nomen ſedis regni ejus. Quemadmodum poſteà Rex Jeruſalem vocatus fuit *Adonitſedek*, Dominus juſtitiæ. Apoſtolum autem oſtendiſſe, nomina illa propria non fuiſſe homini & urbi indita ſine myſterio; quia, ſi ſignificationem ſpectemus, juſtitiam & pacem ſignificant, quarum ut hic nomen gerebat, Chriſtus venturus, autor erat futurus. Et ſic certè intellexit Apoſtolus Ebr. 7. ℣. 2. *Qui primùm quidem ex interpretatione dicitur Rex juſtitiæ, deinde etiam rex Salem, quod eſt pacis.* Quid enim eſt illud ἑρμηνευόμενος, niſi quod proprium quidem haberet nomen, ſed quod ſi quis interpretaretur, reperiret in eo quæ maximè faciebant ad præfigurationem venturi autoris juſtitiæ & pacis? Hoc certum eſt *Melech*, eſſe Regem; & *Salem*, eſſe pacem, &c. quod non nemo vir doctiſſ. objicit. Sed quod inde deducit, non eſſe nomina propria, vel *Melchiſedek*, vel *Salem*, cum bona eorum pace qui ſic ſentiunt, non accipimus. Certè in *Adonitſedec* ſunt duæ voces, quæ eandem ſignificationem habent, ſed tamen fuit nomen proprium Regis Jeruſalem, ejuſque hominis, & etiam tum impii. *Abimelech* eſt nomen compoſitum, quod habet ſuam ſignificationem, fuit tamen etiam proprium nomen Regum Gerar. Hoc quidem tyronibus in Ebræo haud eſt ignotum. Sed tamen ut hinc deducatur Salem non eſſe nomen urbis, quemadmodum Sedec non eſt nomen urbis, non permittimus. Compoſitum enim eſſe nomen *Melchiſedek*, manifeſtum eſt; ſeparata autem eſſe nomina Melech Salem, ex textu conſtat, ut primum ſit proprium Regis, ſequens autem ſit appellativum Regis, & aliud proprium urbis. Alioqui, qui *Salem* ſtramentitium quid, pro civitate ſumptum, ſatis quidem acerbè, ne quid aliud dicam, eſſe contendunt, pari ratione, negent omnia illa nomina, quæ regis appellativo nomini anteà juncta fuerunt, fuiſſe civitatum aut regionum nomina, & *Melech Sedom*, aut *Melech Elam*, quia *Sedom* & *Elam*, poſſunt habere ſuas interpretationes, ſignificare non locorum reges, ſed reges, quibus poſſunt attribui ſignificationes rerum, quæ his nominibus intelliguntur; exempli gratiâ, ſi Sedom ſecretum ſignificet, ut nonnulli volunt, *Rex ſecreti*. Certè ratio dictat, eodem modo intelligi debere

debere Melchiſedek Regem fuiſſe Salem, quomodo ibidem dicitur Rex Sedom, veniſſe obviam Abramo, aut intelligitur, Regem Elam veniſſe contra Regem Sedom. Hæc fuſiùs dicere voluimus ad tertium argumentum autoris illius, quia videmus eſſe qui hoc tempore argumenta ejus recoquunt, & firmare conantur, idque ſatis acriter.

Ad quartum, Reſpondemus falſum eſſe, non poſſe dici ſimilem filio Dei, qui non ſit ejuſdem naturæ. Contrà in identitate naturæ, non eſt ſimilitudo; ideò meritò rejecit Eccleſia, qui ſimilis eſſentiæ dixerunt filium cum patre, ὁμοιούσιον, non ὁμοούσιον, ejuſdem eſſentiæ. Et certè omnes qui Chriſti venturi fuerunt typi, in eo fuerunt ἀφωμοιωμένοι τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, quia ejus figuram geſſerunt.

Ad quintum, Reſpondemus, cùm dicitur filius Dei Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedek, negari, propterea ſequi Sacerdotem non eſſe in æternum, ſi Melchiſedek homo fuerit, & mortalis. Ratio eſt, quia non ſecundùm naturam ſuam confertur Chriſto, ſed ſecundùm officium, quod in Melchiſedeko fuit æternum, typicè, non autem per naturam, quia originis ejus tanquam Sacerdotis initium vel origo, nec finis in Scriptura habetur. Et id ſufficiebat ut in figura repræſentaret, quod in re debuit eſſe in Chriſto: Sacerdotium nempè, eſſe ἀπαράβατον, quod in alium non tranſit, vel ſucceſſorem non habet. Ebr.7. ℣. 24.

Unde etiam reſpondetur ad id quod omnes inculcant, qui nolunt Melchiſedekum fuiſſe hominem, quod nullus eſt homo, qui patrem & matrem non habeat, qui etiam non habeat genealogiam; quod cùm de Melchiſedeko negatur, tollitur etiam ei quod fuerit homo. Palmarium illud quidem eſt, & quod maximè urgent, qui ad unam Deitatis perſonam occurſum illum referunt. Sed ſi quis perpendat Apoſtoli ſcopum, facilè ſolvitur. Certè ſi de Chriſto id præciſè & abſolutè intelligatur, id quidem falſum erit, neque enim eſt ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia abſolutè. Imò quà homo, quà profectò ratione ſacerdos eſt, genealogiam habet. Quapropter non poteſt dici abſolutè ἀγενεαλόγητος, ſed tantùm reſpectu Leviticorum Sacerdotum, qui tales non poterant eſſe, niſi genus ſuum ad ſtirpem Leviticam referrent. Chriſtus autem reſpectu illius ſeriei, fuit ἀγενεαλόγητος, utpote qui in ſucceſſorum Aaronis non cenſetur genealogia. Ita etiam Melchiſedek fuit, cujus genealogiæ nulla habita eſt in Geneſi ratio, quia illa ad Sacerdotium, quo fungebatur, nihil pertinebat. Probatur quod diximus, 1. ex ℣.5. & 6. cap.7. ad Ebr. ubi illam ſtatuit inter utroſq; differentiam, nempè inter Sacerdotes Leviticos & Melchiſedekum, quod illi, à fratribus ſuis egreſſis ex lumbis Abrahæ, acciperent decimas. Is autem Melchiſedek decimas accepit ab Abram, *etſi*, μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, *ejus genus ad illos non refertur.* Ecce qua ratione eſt ἀγενεαλόγητος, non abſolutè, ſed relatè ad Sacerdotum Leviticorum genealogiam, in qua Chriſtus etiam non reperitur, qua ratione poſteà ℣.13. de eo dicitur, quod φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκεν, *ad aliam tribum pertinet.* Et ℣.14. *cujus reſpectu nihil de Sacerdotio locutus eſt Moſes.* Ubi habemus rationem quę communiter affertur, cur de Melchiſedeko non dicatur, quis pater aut mater fuerit, quod initium, vel quis finis, quia etiam Moſes, ubi de Sacerdotio egit, non locutus eſt de iſtis, quæ ad Sacerdotium ejus non pertinebant, utpote ad quod non neceſſaria erat certa tribus, nec certa ſucceſſio, vel in quo ratio habenda eſſet vitæ & mortis. Et rectè notatur, *ſine genealogia*, non dici qui *genus non habet*, ſed cujus genus memoratum aut ſcriptum non eſt. Ita etiam *ſine patre & matre*, nempè in genealogia, utpote quæ deſcripta non eſt, nec in ea memorati parentes. Quod non malè dixit Eraſmus, *ignoti patris & ignotæ matris.* Et tranſlatio Syra, *cujus nec pater nec mater ſcribuntur in generationibus.* Sic Horat. lib. 2. Satyrarum, *ſine gente*, dixit, eum cujus genus ignoraretur. Huc enim referri debet, quod cap. 7. ad Ebr. ℣. 14. de eodem Melchiſedeko dicitur, ὁ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, *cujus genus ad illos non refertur:* quibus verbis apparet, ubique in eo conſtare typi rationem, quod in ſacerdotalis muneris deſcriptione, apud Moſem, iſtius ratione, nulla generis ejus fuit habita ratio.

Nec nos ab ea interpretatione dimovere debet, viri doctiſſimi, qui aliter ſentit in eruditiſſimo tractatu *de Republica Ebræorum*, exclamatio: *Profectò*, inquit, *hoc non eſt myſteria, ſed rerum ludibria conſectari. Quot enim poſſem Levitas Sacerdotes, quot alios ſanctos illuſtreſq; heroës ex ſacris libris recenſere, de quorum natalibus & morte altum ſilentium eſt. Igitur quod fœlix fauſtumque ſit, totidem figuras Meſſiæ habebimus.* Reſpondeo non ſequi, & fallere virum doctum, à ſecundùm quid ad ſimpliciter. Non enim dicimus ideò Melchiſedekum fuiſſe Chriſti figuram, quia genealogiæ aut mortis ejus mentio non ſit, tantùm; ſed quia fuit Rex ſimul & Sacerdos, & non fuit ex tribu Levitica, in eo enim propriè Chriſtum repræſentavit, qui ex alia tribu Sacerdos fuit. Id prætereà addimus, ut aliquis ſit Chriſti typus, non ſufficere, ſi homines aliquam ſimilitudinem inter eum & Chriſtum poſſint excogitare, ſed ſi ex ipſa Scriptura poſſit probari fuiſſe eum Chriſti typum in aliqua re. Melchiſedekum autem geſſiſſe typum Sacerdotii Chriſti, probat Apoſtolus teſtimonio Prophetæ Pſalmographi; quo principio ſemel poſito, poſteà conformitates rimatur, in quibus propriè Chriſtum repræſentarit, præter ea quæ cum Sacerdotibus Leviticis communia habuit. Hæc non ſunt *rerum ludibria*, ſed myſteriorum Scripturæ ſolidæ conſiderationes. Fatemur quidem non ſequi, id non eſſe, cujus in Scriptura non ſit mentio, nec adeò ſarcaſticè illudendum fuit ſanctis olim viris, & hoc tempore doctiſſimis, quaſi *Tobiæ canem ideò caudam non habuiſſe putare*

tare debeant, quia de ea nihil ſcriptum eſt. Primùm qui ita illudit ſuis deceſſoribus, aut æqualibus, doctis viris, præoccupatus & abreptus ſtudio contradicendi, σφάλμα μνημονικὸν commiſit, quia diſertè Tobiæ cap. 11. ℣. 9. fit mentio caudæ canis in verſione vulgata; niſi fortaſſe putarit, id non ſcribi, quod non legitur in authentica; ſed nec liber ipſe eſt authenticus, nec ulla ejus editio. 2. Non infringit levis objectiuncula vim veritatis, quia non eſt eadem ratio, ut ſuprà pluribus oſtendimus, quæ hîc non ſunt repetenda.

Sed addit idem; *Si nihil aliud dixiſſet Apoſtolus, quàm* ἀγενεαλόγητος, *adduci poſſem, ut in eorum ſententiam pedibus irem, nunc diſertè explicat verba ſua, aitque,* μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές, *nec initium dierum, nec vitæ finem habens, manet Sacerdos in perpetuum. Vtique,* inquit, *non quid Moſes dixerit, tacueritve; ſed quid res ſit, & quid ſibi videatur, ait. Quicquid tribuit illi Apoſtolus, fultum eſt non Moſis reticentiâ, ſed Davidis affirmatione, quod hactenus non obſervarunt interpretes: non enim ait, cujus mors reticetur à Moſe, ſed contrà, de quo Davidis teſtimonium extat, quod vivit,* ὁ μαρτυρούμενος, ὅτι ζῇ. *Quod profectò longè aliud eſt.* Negamus Apoſtolum, reſpectu Melchiſedeki, dixiſſe propriè quod res erat. Cùm enim ageret de typo, illud typicè intellexit; non eſt autem novum, ut quæ propria ſunt veritatis, dicantur figuratè de typo, propter aliquam ſimilitudinem, quæ ſi nulla eſſet, nulla eſſet typi ratio. Melchiſedek itaq; *manet Sacerdos in perpetuum*, quia in eo quod ſucceſſorem non habuit, non tranſiit Sacerdotium ejus ad alium qui ipſi ſucceſſerit, ſecundùm quam rationem, id eſt, quæ ſucceſſorem non patitur, Chriſtus factus eſt Sacerdos, qui propriè *in æternum manet.* Nam quod verſ. 8. dicitur, de quo teſtimonium extat, ſive *cui teſtimonium perhibetur, quod vivit*, certum eſt non conſiſtere in *reticentia mortis*, ſed in *affirmatione vitæ.* Verùm illud teſtimonium Davidis, ratione vitæ & æternitatis propriè dictæ, perſonam Melchiſedeki non reſpicit, ſed Chriſtum, ad quem verba diriguntur, *Tu es Sacerdos in æternum.* Quod ſi quis objiciat, Apoſtolum immediatè egiſſe de Melchiſedeko, cui tribuit illud teſtimonium vitæ. Reſpondemus, ſub Melchiſedeki nomine hæc omnia dici de Chriſto, quod in typis frequens eſt, quæ tamen in typo non fuerunt propriè, ſed figuratè; quatenus Melchiſedeko nulli tribuantur ſucceſſores, ut Sacerdotibus Leviticis, qui propterea ibi dicuntur ἄνθρωποι ἀποθνήσκοντες, *homines qui moriebantur*, & ſucceſſores poſt ſe relinquebant, qua ratione non mortuus eſt Melchiſedek, nempè ut aliis cederet, quia non dicitur Melchiſedek habuiſſe patrem, & ab eo per ſucceſſionem habuiſſe Sacerdotium ſecundùm legem, & ita nihil de initio vitæ ipſius narratur, neque habuiſſe filios, neque vitam finiiſſe, & morte prohibitum manere, filiis ſuis Sacerdotium more Levitico reliquiſſe, ac proinde proponitur typicè tanquam *Sacerdos æternus.* Non opus eſt *Angelorum ſapientia*, ut hæc intelligantur, ſed tantùm expendenda eſt ratio typorum & antityporum, quorùm naturam deſtruunt, qui volunt Apoſtolum hæc interpretatum fuiſſe ſecundùm hiſtoriam, non ſecundùm allegoriam typicam. Qua ratione, ſi in aliis uti vellent, miras nobis parerent confuſiones in Scripturis, ſi quæcunque de typo myſticè dicuntur, ea de eodem phyſicè intelligerent.

Et hactenus quidem argumenta diſcuſſimus, quibus jam olim nonnulli, & hoc tempore quidam, convellere voluerunt rationem typi in hac hiſtoria, & negare fuiſſe verum Sacerdotem ex hominibus deſumptum, eum de quo hoc loco agit Scriptura. Ad ſingulares opiniones quod ſpectat, jam olim inter hæreſes repoſita eſt eorum ſententia, qui Spiritum ſanctum voluerunt eſſe Melchiſedecum, aut virtutem aliquam divinam ſupra ipſum Dei filium, nec habet jam hæreſis illa fautores, ut non opus ſit in ea refellenda multis inſiſtere. Præcipua ratio, quæ etiam adverſus eos pugnat qui Melchiſedekum Angelum fuiſſe volunt, hæc eſt, *quod omnis Sacerdos ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur, &c.* Ebr. 5. ℣. 1. At Melchiſedek fuit Sacerdos, quod ex Moſis textu, & ex Apoſtolo conſtat, ergo ex hominibus aſſumptus fuit. Non ergò fuit, vel Spiritus ſanctus, vel virtus aliqua Dei increata, vel Angelus. Omnium enim iſtorum nullus ex hominibus aſſumitur. Quod argumentum eorum etiam refellit ſententiam, qui volunt filium Dei nondum incarnatum, fuiſſe Melchiſedekum ipſum. Tum enim Sacerdos eſſe non potuit, quia non erat ex hominibus aſſumptus, & pro hominibus conſtitutus, ut offerret ſacrificia. Quæ certè ratio nullo modo poteſt eludi, & ad omnia quæ ſuprà allata ſunt opinionum ludibria refellenda, ſola ſufficit. Quod enim reſpondet idem vir doctus, cujus argumenta examinavimus, qui quæſtionem hanc merè hiſtoricam eſſe ſentit, & de filio Dei in ſua ipſius perſona intelligendam; ſcrupulum injicere cuiquam non debere, quod in Geneſi ſcriptum eſt, *erat Sacerdos Dei altiſſimi*, quia hoc περὶ τὸ σχῆμα τοῦ ἱερέως, ſive ad habitum Sacerdotis pertinet, quem induerat filius Dei, hoc ipſi probandum erat, non ſupponendum, id de habitu & figura externa, aut modo apparitionis dici, non autem de re ipſa. Contrà, Moſem id intelligere de ipſo officio, ex eo patet, quod verba illa præmiſit deſcriptioni actus ſacerdotalis duplicis. 1. in benedictione illa ſolemni, qua Abramo benè precatus eſt. 2. in receptione decimarum, quam adeò urget Apoſt. cap. citato, ut oſtendat eum Sacerdotem, cui decimas ipſe Abram dedit, præſtare Sacerdotibus, qui ab Abrami poſteris fratribus ſuis decimas accipiunt. Unde conſtat verum fuiſſe Sacerdotem, quemadmodum & illi, alioqui futilis eſſet cõparatio. Si enim ille qui tum decimas accepit, non fuit verus Sacerdos, nulla potuit eſſe Sacerdotii ejus præſtantia ſupra Aaronicum.

Huc

Huc facit quod ex Davide citatur, Tu es ſacerdos in æternum כדברתי *kedhibhrathi*, quod Græci κατὰ τάξιν *ſecundum ordinem*, Melchiſedek; quā phraſim Apoſtolus uſurpavit verſ. 15. per oppoſitionem, de ordine Aaronis, utrobique exponitur vox דברתי *dhibhrathi*, quæ ad verbum, ſignificaret κατὰ λόγον, *ſecundùm rationem*, quam alii *ſimilitudinem* dixerunt, Aben Ezra על מנהג *ſecundùm morem*. Senſus eſt, *more Melchiſedeki*, vel ea ratione qua Melchiſedek fuit ſacerdos, quia ſimul fuit Rex & ſacerdos, Rex pacis & juſtitiæ, *tu es ſacerdos in æternum*. Ubi non neceſſarium eſſet æternitatem includi rationi aut ſimilitudini Melchiſedeki, ſed tantùm ſacerdotio addi ejus, qui in morem Melchiſedeki eſſet ſacerdos, etſi æternitas myſtica & figurata typo etiam tribui poſſit, ùt dictum eſt.

Quicquid ſit, nullo modo conveniret ſcopo Apoſtoli, ut is diceretur ſacerdos *in morem Melchiſedeki*, quem Melchiſedekus non revera præceſſiſſet tanquam ſacerdos; aut ut idem diceretur ſacerdos *in eum morem*, quo anteà apparuiſſet cum ſacerdos non eſſet. Certè ut utar eorum verbis, *qui talia excogitant, nihil illi, niſi nubes atque inania prenſant nequicquam, & ſuis ſe tenebris involvunt*, & nunquam probabunt illum, qui κατὰ τὴν ὁμοιότητα μελχισεδὲκ ἀνίςαται, *ſecundum ſimilitudinem Melchiſedeki exoritur*, eſſe eum ipſum qui Melchiſedekus dictus fuit. Nam qui ſimilis eſt alteri, non eſt idem.

Huc pertinet quod de Melchiſedeko dicitur ab Apoſtolo, cap. 7. ℣. 3. quod fuit ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, *aſſimilatus filio Dei*. quibus verbis oſtendit, non fuiſſe ipſum Dei filium, ſed fuiſſe ipſi aſſimilatum, id eſt, factum fuiſſe ſimilitudinem & typum filii Dei, in deſcriptione Moſis, unde patet, Apoſtolum non explicare ſimplicem hiſtoriam, ſed typum, & ſimilitudinem applicare, ei cujus erat ſimilitudo, aut aſſimilatum, ei cui erat aſſimilatus. Hujus teli cuſpidem nititur etiam retundere vir ille doctus, qui contrariam ſententiam tuendam ſuſcepit. Sic enim ille. *Etiam nos exiſtimamus filium Dei, cum in via Abramo occurreret, eum vultum, eumque habitum corporis ſibi finxiſſe, quem poſteà geſſit in terris. atque hoc illud eſſe quod ait Apoſtolus*, ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, *aſſimilatus filio Dei*. Quod miror viro doctiſſimo, & alioqui perſpicaciſſimo, excidiſſe. Nam Apoſtolus ſatis oſtendit, & ibi, & in toto capite, qua in re fuerit aſſimilatus filio Dei; non certè in forma & figura corporis, de qua ne γρῦ quidem in toto textu, ſed in eo quod ſacerdos fuerit, non ſucceſſor patris, non prædeceſſor filii, ſed quod nemo ipſi ſucceſſerit, &c. Quid, quod nuper dicebat, apparuiſſe in habitu regis & ſacerdotis, & ideò dictum fuiſſe regem & ſacerdotem? At in hac figura non repræſentaſſet filium Dei, qui nunquam tali habitu viſus fuit. Nam etſi verè fuerit Rex & ſacerdos, nunquam tamen fuit ſacerdotalibus veſtibus indutus, nec etiam Regiis, niſi ab iis qui eum ludibrio habere voluerunt. Valeat ergo commentum, de habitu & veſtitu regio, &c. & de corporis forma aut figura, &c.

Accedimus nunc ad eorum ſententiam, qui cum viderent, nomen & rem ſacerdotii tribui Melchiſedeko, proinde fuiſſe verum hominem, qui veri ſacerdotis munus obivit, & in eo omnes convenerunt, in deſignatione tamen perſonæ non conſenſerunt. Fuit opinio vetus, à Judæis præſertim hauſta, Melchiſedekum fuiſſe Semum, à quo ipſe Abram originem duxerat, qui adhuc in vivis fuit, quando rediit Abram à cæde Regum, id enim ex Chronologia conſtat. Ex Scaligero, & Setho Calviſio, vixit adhuc poſt Abrami obitum, annos 45. Ex communi & uſitata hoc tempore ſupputatione, à diluvio ad nativitatem uſque Abrahami, non plures intercedunt anni, quam 292. ut patet ex Geneſ. cap. 11. Sem, tempore diluvii fuit centum annorum. Vixit annos ſexcentos.

Si autem hæc res geſta ſit anno Abræ 90. ut volunt plerique, ab ortu Sem, uſque ad illum annum, non plures anni numerantur, quam quadringenti octoginta. Pòſt hoc tempus ergo annos centum & viginti ſupervixit Sem. Quod ſi etiam quis velit demere annos controverſos in nativitate Abrami, qui ſexaginta numerantur, aliis aſſignantibus annum ætatis Theraci 70. aliis 130. Sequetur adhùc poſt annum vitæ Abrami nonageſimum, Semum vixiſſe annos quinquaginta, proinde mortuum eſſe anno Abrami centeſimo quadrageſimo, quam ætatem non attigerat Abramus, cum pugnam hanc inivit. Itaque, non valet argumentum, quo Epiphanius ſententiam illam de Semo vult infringere, à Chronologia deductum, mendoſa enim ſupputatione innixum fuiſſe conſtat, cum exiſtimarit, longè anteà mortuum fuiſſe Semum.

Nulla prorſus ratione nituntur qui Semum cum Melchiſedeko confundunt, & probabiliſſimum eſt, id à Judæis fuiſſe excogitatum, quia non æquo animo ferebant, hominem alienigenam, autori ſuæ gentis, aliqua in re fuiſſe prælatum, & tanquam majorem ſacerdotem, ab ipſo decimas accepiſſe. Sunt tamē nonnulli ex Chriſtianis quibus illa etiam arriſit, qui ſuæ ſententiæ nullas afferunt rationes, præter hanc unam, quam ſupra etiam attigimus, & quam fuſius perſequitur idem vir doctus, cujus mentionem fecimus. Sic enim ille poſt alios. *Res, inquit, inopinata & miraculi ſimilis eſt, illo tempore, cum Eccleſia unius familiæ hæreditas eſſet, extitiſſe in impia Cananæorum gente eum virum, qui non modo rectum teneret numinis cultum, ſed Abramo quoque, ſummo Eccleſiæ præſuli, & recens in eas terræ oras advecto, cœleſtia bona precatus, impertituſque ſit.* Quod argumentum, ſi alicujus ſit momenti, non

 probat

probat Semum fuiſſe Melchiſedekum, ſed tantùm non fuiſſe hominem Cananæum, qua de re poſteà videndum erit, alioquin etiam qui illud profert, eſt in alia ſententia, & eam quæ de Semo eſt, appellat *futilem Iudæorum opinionem*.

Sunt autem contra eam valida argumenta. Quorum 1. ex verbis Apoſtoli deduco cap. 7. Epiſt. ad Ebræ. ubi de Melchiſedeko loquens ait, *cujus generatio non annumeratur in eis, accepit decimas ab Abram*, &c. quibus verbis oſtendit illius genus fuiſſe diverſum à genere Ebrẹorum, à quibus ſi Melchiſedek fuit extraneus, non potuit eſſe Sem, unde genus ducebant. 2. Si fuiſſet Sem Melchiſedek, verũ non eſſet quod dicit de eo Apoſtolus, fuiſſe *ſine genealogia*, *&c.* quia nota eſt Genealogia Semi. Nec valet reſponſio, non fuiſſe factam ſub nomine Melchiſedeki; probandum enim eſſet, Semo duo fuiſſe nomina, quod non fit. Præterea, non exiſtimandum eſt in ſolo nomine tam grande myſterium rimatum fuiſſe Apoſtolum. 3. Probabile non eſt Melchiſedekum ex oriente migraſſe in Cananæam, & de eo nullum eſt veſtigium in Moſis Hiſtoria. Contra mandatum Abrahamo factum ut migraret ex domo patris ſui, & cognatione, oſtendit illum nullam habuiſſe cognationem in terra Canaan. 4. Accedit, quod non tamdiu vixiſſet ibi inter alios Cananæos, ſi in eadem terra habuiſſet gentis ſuæ autorem, in tanta dignitate collocatum, qui tamen hactenus vixerat ipſi ignotus.

Addimus his omnibus (quicquid ſit de poſterioribus Judæis) ex eo conſtare, non fuiſſe eam veteris Synagogæ ſententiam, quod doctiſſimi Judæorum qui vixerunt paulo poſt Chriſti adventum Joſephus & Philo, ubicumque de Melchiſedeko loquuntur, ſemper de eo verba faciunt, tanquam de alienigena, imò vero Joſephus diſertè Cananæum fuiſſe, & *Cananæorum Principem* ſcripto conſignavit.

Non igitur recedemus ab eorum ſententia, qui cenſent Melchiſedekum fuiſſe hominem Cananæum, quem Dominus in communi illa corruptione ſpiritu ſuo imbuit, atque ad tale ac tantum myſterium præparavit, cui rei fidem facit quod nuper attulimus ex Epiſt. ad Ebr. quod ejus generatio non nominatur inter generationes Iudæorum; ex quo ſequitur, ipſis fuiſſe alienigenam. Non pugnabo autoritate multorum qui fuerunt olim in eadem ſententia, vel qui eam etiamnum profitentur. Sufficit, quod probavimus fuiſſe *hominem*, quod patet non fuiſſe *Iudæum*, ut concludamus fuiſſe Judæis *alienigenam*, ſed tamen pium, & ſanctum ſacerdotem, in medio populorum impiorum, inter quos cum eſſent multi ſacerdotes idolis aut falſis Diis ſacra facientes, hic ad diſtinctionem, dicitur *ſacerdos fuiſſe* לאל עליון *leel Eljon*, Deo excelſo.

Unum hoc videtur obſtare, quod nuper cujuſdam docti viri verbis propoſuimus argumentum, ſed cujus vires ipſe enervavit. Fatemur quidem eſſe rem inopinatam & miraculi ſimilem, talem virum, in tali regione extitiſſe. Sed quid tum, an propterea abſurda, quia inopinata? An falſa, quia miraculo ſimilis? Sed id videtur multum imminuere Abrami prærogativas, ſi ipſi prælatus fuerit vir alienigena, qui pater futurus erat credentium. Imò prærogativa Abrami manet, etſi ratione dignitatis & officii alius ipſi fuerit prælatus. Quia id nihil præjudicavit promiſſis Abramo factis de benedictione omnium gentium in ipſo: nec enim Melchiſedekus in omnibus fuit prælatus, ſed in hoc uno tantùm, quod præfiguraret ſacerdotium Chriſti ἀπαράβατον. In eo non potuit Abram eſſe Chriſti figura, neque quiſquã ex ejus poſteris, quia promiſſio innumeræ poſteritatis obſtabat huic ūnitati. Quid mirum igitur, ſi talis circumſtantiæ ratione, ſibi Deus aliam præparavit figuram ſine præjudicio promiſſionum ſuarum erga poſteritatem ſervi ſui? Ad id autem quod hæreditatem unius familiæ, jam tum fuiſſe Eccleſiam, objiciunt, facilis eſt reſponſio. Hæreditatem illam promiſſam, quæ maximè ſpectabat Meſſiæ originem, non excluſiſſe planè à pietatis communione alias omnes familias, extra illius cognationẽ; Hoc tantùm prærogativæ ipſi datum fuiſſe, quod uſque ad adventum autoris ſalutis *pietatis ſucceſſionem*, in ea Deus vellet conſervare: ſervato tamen ſemper ſibi jure, nonnullos inter alienos populos extra ordinem vocandi, qui miſericordiæ ejus fierent participes, quales adhuc, illo tempore, non paucos in terra fuiſſe, facit ut credamus longa priorum hominum vita; quos ab omnibus poſteris ſuis planè deſertos fuiſſe in pietatis profeſſione, vix nobis perſuademus: Et, ſi hoc privilegii retinuerit Abrami familia, quod progreſſu temporis reliquis deficientibus, ipſa ſingulari Dei providentia, oracula Dei ſibi habuerit concredita; quo tamen tempore fuerunt, extra familiam illius in quo Semen Abramo vocatum eſt, qui ipſis Iſraëlitis præluxerunt. Cujus rei teſtis eſt Iob Idumæus, ut plerique volunt, cujus cum amicis teſtantur ſermones, non tunc totam veritatis & pietatis cognitionem & praxim, concluſam fuiſſe in familia Iſraëlis.

EXERCITATIO LXXVIII.

An Melchiſedek panem & vinum Deo in ſacrificium obtulerit? Negatur, & adverſus Pontificios tota hæc controverſia tractatur. Communiter agnoſcunt omnes Abramum & ſocios de illo pane participaſſe. An eum in ſacrificium obtulerit? quæritur. Argum. Pontificiorum proponuntur & ſolvuntur. Vaſquez prolixè refutat Bellarm. & alios ſuos ſodales. Diſputatur, an conſtare poſſit æternitas ſacerdotii Chriſti, ſi perpetuum panis & vini ſacrificium non offeratur. Contrarium aſſeritur contra Bellarm. quem ſodales ipſi ejus refutant. Nunquam ſacrificium, *ſed tantùm* ſacerdotium *referri à Paulo ad ordinem Melchiſedek, agnoſcit Vaſquez.*

HActenus de loco & perſona, nunc ad facta Melchiſedeki veniendum eſt, quæ tria hic enumerantur. Primum quod protulit panem & vinum. 2. Quod benedixit Abramo. 3. quod ab eo accepit decimas omnium. De unoquoque ordine videndum. In primo res nobis erit cum Pontificiis, qui omnibus, (quod dicitur) nervis, annituntur, figuram aliquam ſui ſacrificii in Miſſa nobis efformare, contendentes hunc fuiſſe primum finem, cur Melchiſedek veniens in occurſum Abrami panem & vinum proferret, quod ex iis ſacrificium Deo obtulerit. Quamvis enim negare jam eos pudeat, panem & vinum Abramo ipſi & iis qui cum eo fuerunt data fuiſſe, ut de iis comederent; nolunt tamen fuiſſe convivium civile, quo Rex ille humanitatem ſuam erga Abramum & ſocios redeuntes, pro more illorum temporum teſtatus ſit; ſed fuiſſe convivium Religioſum, & participationem oblati ſacrificii, ad conteſtandam ſuam communionem in Dei cultu, prout in more poſitum erat; in ſacrificiorum ritibus, ut de altari participarent ii qui offerebant, cum miniſtris altaris, qua ratione, ut participes erant menſæ Dei, qui communicabant legitimis ſacrificiis, ſic participes erant menſæ Demoniorum, qui de Idolothytis comedebant. Fatentur ergo Pontificii participaſſe Abramum & ejus comites de hoc pane & vino, quia vident id diſertè exprimere LXX interpretes, *protulit ipſi* Abramo, *panem & vinum.* Itaque non opus eſt ut probemus fuiſſe res illas Abramo à Melchiſedeko communicatas: ſed cum utrique hoc fateamur, affirment autem Pontificii eas anteà Deo fuiſſe oblatas in verum & proprium ſacrificium, quod negamus, ipſis ſuæ affirmationis incumbit probatio, ad quam hæc ſequentia afferunt argumenta, Bellarm. Greg. de Valentia, Vaſquez & alii.

I. Nulla, inquiunt, erat cauſa, cur corporalem refectionem præberet Melchiſedek Abrahæ. Nam rediit è prælio cum ingenti præda, in qua etiam erant ea quæ ad cibum pertinent. Imò in fine capitis additur, milites Abrahæ cibum ſumpſiſſe, antequam iis occurreret Melchiſedek. Quid igitur opus erat pane & vino iis qui ſpoliis abundabant, & paulò ante comederant & biberant? Hæc Bellarminus; ut inde evincat neceſſarium eſſe ut in alium finem eduxerit Melchiſedek panem & vinum. Sed id malè colligit, etiamſi verum eſſet quod ſupponit, quod tamen in controverſiam vocari poteſt. Non id quidem quod milites Abrahæ ſumpſerant cibum ex iis quæ ablata fuerant Sedomeis, & ab Abramo recuperata, id enim textus evincit, *Non accipiam quicquam ex omnibus iſtis, exceptis iis quæ comederunt juvenes.* verſ. 23. Sed quod dicit Bellarm. id factum fuiſſe paulò antè, non poteſt ex textu probare. Cum enim iter fuerit aliquot dierum, potuerunt quæ ad cibum & potum pertinebant conſumpta eſſe, tam à Regibus quos perſecutus eſt Abram, quam poſteà ab ipſis Abræ militibus. Vix etiam poteſt fieri, ut excercitus cum feſtinatione perſequens hoſtes, aut rediens, vini dolia multa ſecum deduxerit, aut eo ſe onerarint Orientales illi Reges. Sed demus etiam Abramum non caruiſſe neceſſario commeatu, nonne hoc potuit ignorare Melchiſedek, & pro ſua humanitate cautionem illam adhibuiſſe, ut, quicquid rei eſſet, non vacuus victori obviam veniret, nec ſine aliquo benignitatis teſtimonio. Addo tertium, omnibus conceſſis quæ ſupponit adverſarius, conſequentiam ejus non valere. Nam etſi pane & vino opus non fuiſſet Abræ militibus, erat nihilominus regiæ munificentiæ, offerre etiam quæ neceſſaria non erant; niſi putaverit Bellarminus, neminem excipiendum eſſe liberali convivio, niſi qui apud ſe careat cibis neceſſariis, quod tamen contra morem & rationem eſſe norunt omnes. Id etiam agnovit Pererius. *Parum*, inquit, *in hac confutatione videtur eſſe roboris, Dicat enim quiſpiam neſciiſſe id Melchiſedek, imò putaſſe eos propter laborem dimicationis & fatigationem itineris, recentibus cibis refici & recreari debuiſſe. Ac licet id ſciviſſet Melchiſedek, voluiſſet tamen eo munere ſuam erga Abramum benevolentiam, & ex victoria ejus, ſingularem lætitiæ ſuæ voluptatem declarare.* Hæc ille. Hunc autem morem fuiſſe tum uſurpatum, & poſteà invaluiſſe, extra rationem ſacrificii, apparet ex cap. 8. lib. Judic. ubi Principes Succoth, ſic reſpondent Gedeoni, verſ. 6. *An manus Zeba & Thalmuna, eſt in manu tua, ut tradamus exercitui tuo panem?* indicantes ſe huic officio non fuiſſe defuturos ſi victor rediiſſet. Huc etiam facit, quod Deut. 23. verſ. 4. Moſes maledicit Hammonitis & Moabitis ob neglectum illud officium, *quia*, inquit, *non occurrerunt*

rerunt vobis cum pane & aqua in iſta via, cum exiretis ex Ægypto, &c.

Inſtat Vaſquéz. Si Melchiſedek voluiſſet milites Abrami revertentes è prælio ſolùm reficere; Melchiſedek non tantùm protuliſſet panem & vinum, illis qui ita onuſti ſpoliis, atque glorioſe admodum è prælio revertebantur; ſed alios etiam pretioſiores cibos illis obtuliſſet, cum tam ingens beneficium tota illa regio ab eis accepiſſet. Reſp. probare debuiſſe Jeſuitam nihil aliud protuliſſe præter panem propriè ſic dictum, & vinum. Illa enim non ſpecificantur, excluſivè ad alia, ſed quia præcipua ſunt alimenta, more ſcripturis uſitato, reliqua omnia ſub ſe comprehendunt. Addo, militibus laſſis, ſolo pane & vino, plus levamenti afferri, quam omnibus lautitiis.

2. Argumentatur Vaſquéz. Cum introducatur Melchiſedek tanquam *propria manu* dans panem militibus & eos benedicens, ſicut etiam propria manu illos benedixit: dicit enim ſcriptura, *proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, &c. benedixit ei, &c.* Ubi denotatur ſimul protuliſſe & proferendo benedixiſſe, videtur colligi, panem illum & vinum fuiſſe conſecratum in ſacrificium, & ita propria manu ab ipſo ſacerdote fuiſſe diſtributum. Reſpondeo, niti falſo fundamento Jeſuitam. Illud enim *propria manu* de ſuo adjicit, quod nec in textu habetur, nec ex eo colligi poteſt. Ridiculum eſt quod dicit *propria manu benedixiſſe*, quaſi vero more Pontificiorum Epiſcoporum, ſublatis digitis, manu crucis ſignum in ore formaverit, ut Abramo benediceret. Apagite nugas. Et certè talibus non multum fidebat ipſe Ieſuita, qui concludit per illud *videtur colligi*, quod ſolvitur per aliud *videtur non colligi.* 3. Argumentum eſt Pererii, qui ſic ratiocinatur. *Tres,* inquit, *hoc loco narrantur actiones Melchiſedeki, quarum duæ poſteriores ſunt planè ſacerdotales, benedicere Abræ & ab eo decimas accipere; ergo prima ejus actio, proferendi panem & vinum, etiam fuit ſacerdotalis, & ad ſacrificandum pertinens.* Additur robur huic rationi, quod latinus interpres illud participium *proferens panem & vinum,* junxit cum illo verbo *benedixit ei,* haud dubie ſignificans, prolationem illam panis & vini fuiſſe ſacerdotalem, &c. Reſpond. Conſequentiam bonam non eſſe, duæ poſteriores actiones fuerunt ſacerdotales, ergo & prior. Contrà oſtendit Moſes, Melchiſedekum ſuſtinuiſſe duas perſonas, Regis nempe & Sacerdotis. Ut Rex munificus, excepit Abrami exercitum convivio, & cibis refecit; ut ſacerdos, Abramo benedixit & decimas accepit ex præda. Quod autẽ de latino interprete dicit, nihil præjudicat veritati, quam ex fonte bibimus, non ex rivo; nec tamen verum eſt hæc junxiſſe latinum interpretem, quia interjecit verba (*erat enim ſacerdos*) verum eſt tamen conjunctionem ab eo fuiſſe ſublatam ante verbum *benedixit:* quæ culpa præjudicare non debet veritati. Sed jam anteà egimus de interpretationis illius nævis.

4. Argumentum eſt Bellarmini. Cum, inquit, ſcriptura in tot locis deſcribat ſacerdotium Melchiſedeki, ut diſtinctum ab Aaronico, & ut ſimillimum ſacerdotio Chriſti, debuit profectò ea alicubi tradere, quale fuerit ſacrificium Melchiſedeki. Nuſquam autem ſit mentio ſacrificii quod obtulerit Melchiſedek, niſi hoc loco. Oportet igitur per panem & vinum, non prophanos cibos, ſed ſanctificatos, & Deo prius oblatos, intelligere. Reſpond. falſam eſſe ſuppoſitionem Ieſuitæ de ſcripturæ debito, quam non probat ſequenti ratione, *Siquidem ad ſacrificium ordinatur ſacerdotium, & ſacrificio ignorato, neceſſe eſt etiam ſacerdotium ignorari.* Reſpondeo, neceſſarium quidem eſſe omnem ſacerdotem habere aliquid quod offerat; ſed tamen falſum eſt, neceſſarium eſſe ad deſcriptionem ordinis alicujus ſacerdotalis, ut aliqua hoſtiæ vel oblationis fiat ſpecificatio, quia ſacerdotii ordo poteſt eſſe ſpecialis, etſi ſacrificium ſit commune. Sufficit ergo ad diſtinctionem ſacerdotii Melchiſedeki & Aaronici, quod Melchiſedek fuit ſimul Rex & ſacerdos, quod Aaronici ſacerdotes non fuerunt. Item quod ſine ſucceſſore fuit, quod de Aaronicis verum non eſt. Tunc enim alius fuit ordo, etſi ſacrificia fuerint utrobique communia. Nuſquam enim ſcriptura ordini Melchiſedeki tribuit proprium & ſpeciale ſacrificium, quod poſteà oſtendemus in defenſione rationum noſtrarum.

Hoc tamen argumentum quia magni facit Bellarminus, prolixè confirmare conatur, hoc ſuppoſito, in ſacerdotio Melchiſedeki, nihil eſſe peculiare aut proprium Melchiſedeko, præter oblationem prætenſam panis & vini. *Nam* (inquit) *quod Melchiſedek benedixerit & decimas acceperit, non eſt proprium illius ſacerdotii, ſed etiam commune Levitico. Quod non fuerit unctus oleo ſenſibili, nec ſucceſſit alteri, nec ei alius ſucceſſerit, non eſt proprium Melchiſedeko, ſed commune cum Abel & cum aliis nonnullis. Denique quod non ſcribatur ejus Genealogia, & inde ſit typus æternitatis ſacrificii Chriſti, præterquàm eſt quid extrinſecum, non eſt proprium ſacerdotio Melchiſedek, ſed commune cum Iob, Elia & aliis. At panem & vinum offerre, eſt proprium Melchiſedek. Cum autem Chriſtus debeat ſacerdotio convenire cum Melchiſedek, in eo quod proprium eſt ſacerdotii.* Nihil *autem proprium ſit ſacerdotii niſi forma talis ſacrificii, ſequitur in eo eſſe ſolam rationem ordinis Melchiſedeki.* Hæc ille, quæ non tam nos quam Apoſtolum petunt, quia, ſi res ita ſit, planè vana eſt tota Apoſtoli diſſertatio de Melchiſedeko, in qua, hoc judice, ne verbo quidem attigit veram ſacerdotalis illius ordinis rationem, cum tamen totus in eo eſſet. Sed benè habet, Bellarmini & aliorum quorundam blaſphemiam ferre non potuit alius Ieſuita Gabriel Vaſquéz, qui eam, autorum diſſimulatis nominibus, aperte refutat Tom. I. Diſp. in 3. part. Thom. diſp. 86. Quæſt. 21. artic. 4. cap. 4. num. 33. Ejus refutationis ſumma hæc eſt, nulla ratione eſſe aſſerendum, ea ſolum ratione vocatum

catum fuiſſe Chriſtum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedek, quin potiùs rationes hujus appellationis eas fuiſſe, quas Paulus adduxit. Falſum enim eſt (notent hoc Bellarmini defenſores) ea quæ Paulus attribuit Melchiſedek, communia aliis etiam Sacerdotibus fuiſſe, ſicut prædicti Doctores contendunt. Nam quod benedixerit Melchiſedek, & decimas acceperit, non illi fuit commune cum Leviticis; ſiquidem probat Paulus, Melchiſedek excellentiorem fuiſſe Sacerdotem, quàm Leviticos, ut ex dictis conſtat, tum quia omnibus Leviticis benedixit in lumbis Abrahæ, tum quod etiam ab iis in lumbis Abrahæ exiſtentibus decimas acceperit, hoc autem Leviticis non erat commune, quibus ex conſequenti in duobus illis Melchiſedek antecelluit.

Addit prætereà quod Levitici Sacerdotes decimas accipiebant à fratribus, qui erant ipſis æquales, Melchiſedek autem ab alienis, in quo etiam Paulus excellentiam Sacerdotii Melchiſedek commendavit. Præterea quod nullus alius ei Sacerdos ſucceſſerit, proprium fuiſſe Melchiſedek agnoſcit, præſertim ſi de Sacerdotio Aaronico loquamur, in quo ſucceſſionem colligit Paulus, quia Sacerdotes morte prohibebantur permanere, de ſolo autem Melchiſedek dicitur, ſine fine dierum fuiſſe, non quod revera non fuerit mortuus, ſed quia mortis ejus non ſit mentio; mortis autem Abelis ſit mentio in Scriptura, ideò potiùs Chriſti figuram geſſit Melchiſedek, quàm Abel. Denique oſtendit proprium etiam eſſe Melchiſedek, quod fuerit ſine patre, matre, & genealogia, ac proinde nec dicatur accepiſſe Sacerdotium jure hæreditario, nec eodem jure in alios tranſmiſiſſe, quod negat convenire Jobo, quia de poſteritate ejus aliquid legitur; non convenire etiam Eliæ, quia ſcimus hoc ipſo quod fuit Sacerdos in Iſrael, fuiſſe de tribu Levi, ac proinde jure hæreditario accepiſſe Sacerdotium ſecundùm legem Moſis, & illud aliis de eadem tribu reliquiſſe.

Negat inſuper Concilium Tridentinum ſeſſ.22.cap.1. cùm dicit, *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedek, ſe in æternùm conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini obtulit*, denotare ea ſolùm ratione appellari Chriſtum Dominum, *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedek*, quod panem & vinum obtulit, quia credendum non eſt Eccleſiam aut Concilium voluiſſe excludere rationes, quibus Paulus ad Ebr. 7. mirâ eloquentiâ probavit Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedek. Ex Patribus etiam agnoſcit, nullum eſſe qui aſſerat ex eo ſolùm dici Chriſtum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedek, quod in Cœna ſacrificium ſui corporis ſub ſpeciebus panis & vini obtulerit, &c. Atque ita ingenuè agnoſcit, alter iſte Jeſuita, Bellarmini argumentationem adverſus ipſum Apoſtolum directam fuiſſe, irrito conatu.

Cujus reſponſionibus hanc addimus, quod etſi fortaſſe in aliquibus ſeorſim tales aut ſimiles conditiones, aut conformitates, quas Apoſtolus in Melchiſedeko notat, reperirentur; una in uno, alia in alio, hoc tamen ſemper manere Melchiſedeko proprium, quod nullus fuerit præter eum, in quo omnes ſimul & conjunctim repertæ fuerint. Quod ſufficeret ad omnes alios excludendos à typi ſimilis prærogativa. Et ne quid deſit ad indicandam argumenti Bellarmini ἀσυλλογισίαν, quod ſupponit ſacrificium panis & vini ita fuiſſe proprium Melchiſedeko, ut nullus alius reperiatur, qui talibus Deo ſacra fecerit, falſum eſt. Nam Levitici Sacerdotes etiam panem & vinum Deo obtulerunt, ut videre eſt, Exod. 29. & Levit. 28. Nec ſatisfacit quod Bellarminus reſpondet, fuiſſe quidem etiam in lege ſacrificium panis & vini, ſed ut partem quandam & velut condimentum alterius ſacrificii, non autem ut ſacrificium principale. Reſponderi enim poſſet idem de ſacrificio Melchiſedeki, & ex appendicibus colligi præcipuum etiam ſacrificium fuiſſe immolatum, quod ſub panis nomine, brevitatis cauſsâ, Moſes comprehendiſſet: ſed neque etiam verum eſt, non ſeorſim panem & vinum ſine ullo ſacrificio cruento fuiſſe Deo oblata. Nam Levit. cap. 2. per totum, habetur lex de voluntario munere & oblatione rerum inanimarum, crudarum, torrefactarum, frixarum, elixarum, & primitiarum, ſine mentione aliorum ſacrificiorum. Taceo quod Kain obtulerit Deo, de fructibus terræ.

Sunt alia duo Bellarmini argumenta, ex quibus exiſtimat, quamvis ex vi Sacerdotii ſecundùm ordinem Melchiſedek, non colligeretur Chriſtum ſacrificare debuiſſe hoſtiam ſub figura panis & vini, id tamen colligeretur ex vi typi, vel figuræ. Quaſi verò alia eſſet vis Sacerdotii ſecundùm ordinem Melchiſedek, alia typi vel figuræ, & non in eo conſiſteret ordo Melchiſedeki, quod factus fuit typus & figura Chriſti. Sed audiamus, I. inquit, *Melchiſedek in illa ceremonia panis & vini fuit figura manifeſtiſſima Chriſti, Sacramentum Euchariſtiæ inſtituentis in pane & vino; ſed Melchiſedek panem & vinum obtulit, ut Sacerdos altiſſimi, ac proinde verè ſacrificavit: Ergò Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ, ut Sacerdos egit, & verè ſacrificavit, aliter figuram iſtam non exactè impleviſſet.* Reſpond. ſupponi quod in quæſtione poſitum eſt. 1. fuiſſe Melchiſedekum figuram Chriſti, in eo quod panem & vinum protulit. 2. verè ſacrificaſſe panem & vinum, id enim eſt quod in controverſiam vocatur, nec probabit unquam Bellarminus.

Secundum ſic proponit; ex conformitate Sacerdotii Chriſti cum Sacerdotio Melchiſedeki, colligitur æternitas Sacerdotii Chriſti à Paulo cap. 7. Epiſt. ad Ebræos, quam etiam teſtatur David, Pſalm. 110. *Tu es Sacerdos in æternum.* Quod ſi Sacerdotium Chriſti durat uſque ad mundi conſummationem (id enim Scriptura *æternum* vocat hoc loco, ut exponunt Anſelmus & Theophylactus cap. 5. Epiſt. ad Ebr.) certè ſacrificii ritus durare debet, niſi fortè otioſum ſit Chriſti Sacer-

 dotium,

dotium. At ſacrificium crucis ſemel peractum eſt; Ergò aliud ſacrificium eſſe oportet, quod jugiter offeratur, quia Sacerdos dici non poteſt, niſi qui habet aliquod ſacrificium quod offerat. Ex quo ſequitur, Bellarmino non alia ratione Chriſtum eſſe Sacerdotem æternum, niſi quia ſingulis diebus per ſacrificulos Pontificios offert ſe Patri, ſub ſpeciebus panis & vini. Hoc commentum adeò ipſi placuit, ut nihil omiſerit quod putaret poſſe afferri ex alia parte, ad æternitatem Sacerdotii Chriſti, extra illud ſuppoſititium ſacrificium ſtabiliendam. Proinde ejus veſtigiis inſiſtendum, ne audax hæc blaſphemia inulta maneat. Eam autem primò veritatis gladio jugulabimus, deinde etiam alterius non minus nobilis Jeſuitæ confeſſione obteremus. Sic igitur ille diſputat adverſus rationes æternitatis Sacerdotii Chriſti à Paulo allatas.

Prima (inquit) ratio, quia Chriſtus vivit in æternum, non eſt ſufficiens; alioqui omnes Levitici Sacerdotes, eſſent Sacerdotes æterni, quia poſt reſurrectionem vivent in æternum, & habuerunt Sacerdotium. Requiritur ergò, ut vivens fungatur Sacerdotio in æternum. Exemplum affert de Rege, qui non poteſt dici fuiſſe Rex per triginta annos, ſi nec regnaverit, nec regnare potuerit, niſi unum diem. Deinde id apertiſſimè B. Paulum requirere, cùm dicit, *oportere Chriſtum, ſi Pontifex eſt, habere aliquid quod offerat*, Ebr. 8. ℣. 3. Ex quo loco, ſic in præſenti tempore intellecto, negat Chriſtum jam poſſe Sacerdotem eſſe, niſi aſſiduè aliquid offerat in terra, nempè per ſacrificium panis & vini tranſſubſtantiati. Hæc certè adeò blaſphema ſunt, ut mirer ſub Chriſtiano nomine talem potuiſſe impietatem proponi. Reſpondemus ergò, apertè contradicere Apoſtolo, qui Sacerdotes Leviticos opponit Chriſto, eò quod mors prohibet eos permanere, quod de Chriſto negat. Ubi notandum illud *permanere*, duo reſpicere, nempè continuationem Sacerdotii, & vitæ continuationem, quæ duo non ſunt in Sacerdotibus, qui per mortem Sacerdotium amiſerunt. Non ſic de Chriſto, qui in ipſa morte functus eſt officio Sacerdotis, quod poſteà nunquam depoſuit. Ad id autem quod objicit, *neceſſarium eſſe ut habeat aliquid quod offerat*, dico habere etiam aliquid quod continuò offert. Quodnam autem illud ſit, dicat Ribera Bellarmino, *Quid*, inquit, *offerat, nunc tacet, cap. 9. explicaturus, cùm dicet*, Non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, id eſt, *ut ſe patri oſtendat, & per illam hoſtiam quam in terra obtulit, nobis omnia bona impetret, & pro nobis interpellet, donec omnes electi ſalutem æternam conſecuti fuerint*. Hæc ille. Huc etiam refertur concluſio, quam habet Vaſquéz, diſput. 85. quæſt. 22. artic. 5. cap. 1. *Si conſideres conſummationem & fructum oblationis Chriſti, Sacerdotium illius dicitur manere in æternum*, qui etiam agnoſcit, ſuum Thomam non aliter explicare perpetuitatem Sacerdotii Chriſti, quàm ratione effectus, & fructus illius qui eſt perpetuus, & in æternum manſurus, nempè redemptio noſtra; nam præter fructum Sacerdotii, nihil conſideravit niſi miniſterium, & functionem ipſam, quam dixit non eſſe manſuram in æternum, ſine fine.

Addit prætereà idem cap. 3. poſt allatum ſuperius argumentum Bellarmini, ſe valdè mirari viros doctiſſimos hac ſola ratione contentos, confutaſſe cauſſam illam perpetuitatis Sacerdotii Chriſti, quam expreſſam fuiſſe à Paulo non dubitat. Ad argumentum autem ipſe pro nobis reſpondet, diſſimilem eſſe rationem Leviticorum, etſi poſt mortem in animabus ſuis vivant, & poſt reſurrectionem in æternum victuri ſunt; proinde rationem eſſe infirmam. Quia cum Levitici non eſſent Sacerdotes ſuapte naturâ, ſed electione & conſecratione, quorum autoritas ſine miniſterio fruſtrà eſt, ideò pro ſola vita eis concedebatur. Chriſtus autem cùm fuerit Sacerdos ex ipſa unione hypoſtatica, ideò hanc dignitatem in æternum duraturam accepit ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis, etiamſi infinito tempore, nullo munere Sacerdotis functus ſit. Addit, illud de Rege temporali adductum argumentum nullius eſſe momenti, quia qui ſucceſſionis jure verè Rex eſſet, etiamſi à tyranno ejectus impediretur, ne regnaret triginta annorum ſpatio, eſſet tamen verus Rex. Aliud enim eſt officio Regis fungi, aliud jus regium habere. Ergò Chriſtus poteſt eſſe Sacerdos in æternum, etſi actu non ſacrificet.

Ad locum autem ex Apoſtolo adductum, Ebr. 7. regerit, locum illum Patres omnes Græcos retuliſſe ad ſacrificium crucis Chriſti cruentum, nullum ad incruentum. Neque hunc eſſe Pauli ſcopum, ut probet, Chriſtum nunc habere aliquid quod frequenter offerat in cœlis; ſed conſtare, ipſum planè loqui de unico ſacrificio, quod cruento modo in cruce Chriſtus obtulit, quia loquitur de ſacrificio, cum quo ſeq. cap. oſtendit, Chriſtum introiiſſe in Sancta Sanctorum, ſc. cœlum, æternâ redemptione inventâ. Itaque reſpondendum objectioni, ſatis eſſe Chriſto aſſignare unum ſacrificium cruentum, hoc ipſo quod eſt Sacerdos.

Secunda ratio Bellarmini, adverſus Paulum probare conatur, nihil facere ad æternitatem Sacerdotii Chriſti, quod virtus oblationis crucis perpetua ſit. Exemplum adfert de Noachi ſacrificio, cujus etſi fructus fuerit æternus, non tamen ſequitur æternum fuiſſe Sacerdotium. Argumentum adverſus quod iſta effutit, deſumunt noſtri ex cap. Ebr. 9. ℣. 12. *Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt Chriſtus in Sacrarium, æternam redemptionem nactus*. Vis argumenti non ſolùm ſpectat effectum æternum, ſed ingreſſum in Sacrarium. Solius enim Sacerdotis eſt in Sacrarium egredi. Sic igitur formatur; Qui æternus in Sacrarium cœleſte ingreſſus, æternam redemptionem nactus eſt, is eſt Sacerdos in æternum. Talis eſt Chriſtus. Ergò eſt Sacerdos æternus.

Non

Non ergò æternitas effectus ſacrificii ſola à noſtris afſertur, ad probandam æternitatem Sacerdotii, ſed æternitas Sacrarii cœleſtis, & Sacerdotis ingredientis, qui nunquam moritur. Quod autem dicit Bellarminus, ſacrificium non poſſe dici æternum, niſi quod jugiter ſacrificatur, id falſum eſt. Sacrificium enim nullum, ratione actus proprii ſacrificandi, poteſt dici æternum. Omne enim ſacrificium hoc modo eſt tranſitorium. Nunquam igitur poteſt dici ſacrificium æternum, niſi ratione rei oblatæ, ſi æterna ſit, & effectus ejuſdem, ſi ſit æternus. Sed præterea in tota hac ratione ſophiſticatur Bellarminus, quia non agimus de ſacrificio, an ſit æternum, necne, ſed de Sacerdote, & Sacerdotio. Non eſt autem neceſſe ad æternitatem Sacerdotii, ut ſit aliquod ſacrificium, quod in ſe quà tale, perpetuò duret. Sacerdos enim veteris Teſtamenti, Sacerdos manebat, etſi actu non ſacrificaret. Deinde, non tantùm eo tempore quo hoſtiam mactabat, ſed etiam cùm in SanctaSanctorum ingrediebatur, fungebatur Sacerdotio. Quidni etiam Chriſtus in perpetuum fungetur Sacerdotio, poſtquam cœleſte Sacrarium ingreſſus, hoſtiam quam obtulit in terra, Patri in cœlo in perpetuum repræſentat? De Noacho idem dici non poteſt, cujus ſacrificii effectum, æternum fuiſſe vult Bellarminus. 1. Enim non concedimus promiſſionem illam de non amplius per diluvium perdendo genere humano, fuiſſe effectum ſacrificii, etſi ejus fuerit conſequens. Niſi quis intelligat, ſacrificium Noachi cauſam dici, quia typus erat veræ cauſſæ, nempè ſacrificii Chriſti, per metonymiam ſigni. Ideò ſi qua in effectu eſt æternitas, pertinet non ad typum, ſed ad veritatem. Negat autem Vaſquéz fructum ſacrificii Noë fuiſſe æternum, quod tamen abſolutè negare nolim, ſiquidem ei includatur remiſſio peccatorum; ſed actio Noachi fuit tantùm typica, quæ in ſe non potuit habere fructum æternum. Addimus, Noachum non ingreſſum fuiſſe Sacrarium æternum, quod in hoc negotio præcipuum eſt.

Eadem eſt reliquorum ratio quæ affert de nativitate, paſſione & morte Chriſti, quę, etſi habeant æternam efficaciam, non ſunt tamen res æternæ. Nam ſunt hæc prorſus diſſimilia; quia non agimus de æternitate alicujus actionis & paſſionis, ſed de æternitate dignitatis Sacerdotalis in Chriſto, quæ quidem æterna eſt, etiamſi actiones quædam ad eam pertinentes ſint tranſitoriæ: cùm præſertim aliæ nonnullæ maneant, quæ à prima illa pendent, eamque ponunt velut in actu continuo.

Tertiam etiam affert Bellarm. oppoſitionem, adverſus æternitatem Sacerdotii Chriſti in eo conſideratam, quod *ſervare poteſt eos qui accedunt ad eum ſemper vivens, ut interpellet pro eis, &c.* Ebr. 2. ℣. 14. ex quo evidentiſſimè colligitur æternitas Sacerdotii Chriſti, etiam ratione functionis. Nam quemadmodum Pontifex V. T. verè Sacerdotio fungebatur, cùm ſemel in anno Sanctuarium ingreſſus orabat pro toto populo, & toto illo tempore quo in adyto illo manebat, non ſolùm Sacerdos erat, ſed etiam fungebatur Sacerdotio. Sic certè in æterno illo Sanctuario, verè Chriſtus Sacerdotio fungitur, eſt enim apparitio pro nobis, & interpellatio ex vi ſacrificii.

Nec verum eſt quod opponit Bellarminus, interceſſionem aut non probare illum eſſe Sacerdotem, aut probare illum nunc per miniſtros offerre. Nam (inquit) ſi contendant illum ut Sacerdotem intercedere, id eſt, mediante oblatione victimæ, tum neceſſe eſt Chriſtum ſemper offerre, & proinde Euchariſtiam eſſe ſacrificium. Ubi poſt multa ad rem non facientia, eò nos vult adigere rationibus, ut dicamus Chriſtum in cœlo non propriè ſacrificare, quod ultrò concedimus. Sed quod inde repetit coccyſmum ſuum, non eſſe Sacerdotem, ſi non actu & verè ſacrificium propriè dictum offerat, eſt mera petitio principii. Dicimus igitur, ſufficere ad interceſſionem ſacerdotalem, ut fiat ab eo qui ſacrificium obtulit ex vi oblati ſacrificii; quæ, quamdiu durat, apta eſt ad interceſſionis efficaciam. Cùm autem vis unicæ illius oblationis in cruce factæ ſit æterna, ſufficit ad actum ſacerdotalis interceſſionis, etſi nec in cœlo, nec in terra iteretur. Id agnovit Jeſuita Ribera in cap. VII. Epiſtol. ad Ebr. ad verba Pſalmi, *Tu es Sacerdos in æternum. Quia,* inquit, *ipſe æternus eſt, nec moritur, ut alii Sacerdotes, qui dum vixerunt, potuerunt hoſtias offerre, ſed morte impediuntur. At Chriſtus etſi mortuus eſt, cùm ſacrificium ſuum obtulit, reſurrexit, & vivit in æternum. Deinde non eſt finita virtus ejus ſacrificii cum ejus morte, nunc etiam illud Patri repræſentat, & res noſtras apud Patrem agit, ut omnes electi vitam æternam conſequantur.* Paulò poſt objiciens ſibi, ad illa verba, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, idem dici poſſe de Leviticis Sacerdotibus, ut de Onia, qui fuit Sacerdos ſummus, qui viſus eſt 2. Macc. 15. orare pro omni populo Judæorum; idem etiam dici de Jeremia, qui fuit Sacerdos; reſpondet, *Oniam & Ieremiam poſt hanc vitam non oraſſe ut Sacerdotes, neque enim tum hoſtias offerebant, ſed ut privatos homines oraſſe, nec manſiſſe tunc virtutem ſacrificii aut Sacerdotii eorum. At Chriſtus* (inquit) *etiam nunc officium Pontificis facit, & virtute hoſtiæ, quam pro nobis obtulit, ad vitam æternam nos perducit.*

Hæc eſt igitur vera ratio æternitatis Sacerdotii Chriſti, quæ non ideò dicitur æterna, quia ad finem uſque mundi duratura eſt, ſed quia nunquam terminabitur. Unde patet quàm abſurda ſit æternitatis determinatio, quam Bellarmin. limitat duratione ſeculi iſtius, aut vitæ præſentis, quaſi de nulla alia æternitate ageretur, quàm de ea quæ tempore circumſcriberetur; unde ſequeretur *redemptionem æternam quam nactus eſt Chriſtus*, duraturam tantùm ad finem uſque mundi, & Chriſtum, cùm dicitur *in æternum manere*, manſurum tantùm ad finem uſque ſeculorum.

Ex his videmus quàm blaſphemæ ſint adverſariorum hypotheſes, ex quibus hæc conſequuntur. 1. Quod Chriſtus, quatenus in cruce pro nobis eſt immolatus, non eſt Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedek, neque quatenus in cœlum ingreſſus eſt, vel pro nobis intercedit. Chriſtum item non habere per ſe Sacerdotium æternum, ſed per ſuos miniſtros in terris ſacrificantes, qui ſi ceſſent offerre panem & vinum, deſinet Chriſtus eſſe Sacerdos, qui nomen illud obtinere non poteſt, abſque conſenſu & intentione Sacrificulorum idoli Miſſatici. Quod quàm impium & abſurdum ſit, etiam viderunt in illa ſecta, qui planè impudentiæ non litarunt. Ideò Vaſquez in loco ſuprà citato, dicit, *ſe non poſſe ſatis mirari, Theologos ſui temporis doctiſſimos, qui cenſent ex vitâ æterna & perpetua ipſius Chriſti, ſub unione hypoſtatica,* non poſſe probari, aut *non rectè colligi perpetuitatem Sacerdotii ejus.* Concluditque, *ſe melius exiſtimare ſacrificium Miſſæ aliundè probari contra hæreticos, quàm ad hoc ſacrificium ſtabiliendum, in eam ſententiam incidere, ut dicamus Chriſti Sacerdotium non manſurum ſine fine in ſempiternum, ſicut docent recentiores, qui hoc teſtimonio utuntur.*

Idem etiam fatetur cap. 4. ſi attentè conſideremus modum loquendi Scripturæ, nunquam inveniri dictum *ſacrificium* Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedek, aut ſecundùm ordinem Aaron; ſolùm enim legi, ipſum *Sacerdotem*, aut *Sacerdotium* eſſe ſecundùm ordinem Melchiſedek, & non ſecundùm ordinem Aaron; idque ſolum contendere Apoſtolum ad Ebræos cap. 7. ubi de modo ſacrificandi non meminit. Et certè, ſi ordo Sacerdotii ex natura ſacrificii ſumi deberet, quod voluit Bellarminus, oportuiſſet Chriſtum fuiſſe, idque præcipuè, Sacerdotem ſecundùm ordinem Aaron, quia cruento modo Patri ſe obtulit in cruce, & per ſanguinis effuſionem expiavit peccata, quod typicè fiebat à Sacerdotibus Leviticis. Ideò Paulus ſacrificii non meminit in comparatione Sacerdotii.

EXERCITATIO LXXIX.

Examinantur teſtimonia quædam Patrum & Rabbinorum pro ſacrificio panis & vini, à Pontificiis allata, quæ in duplici ordine conſtituuntur, & explicantur. Sacrificii *nomine cur uſi fuerint, ubi de Euchariſtia agebatur? Iudæorum quorundam dicta de ſacrificio panis & vini ventilantur. Argumenta noſtra contra Pontificiorum ſententiam proponuntur, & defenduntur. Explicatur locus ex Epiſt. ad Ebr. cap.* v. *verſ.* xi.

Rationibus deſtituti adverſarii, ad Patrum teſtimonia provocant, quæ citant tam ex Græcis, quàm ex Latinis autoribus, & putant per eos negotium eſſe confectum. Sed hoc primùm ipſis reponimus, in dogmate fidei conſtituendo, nullam humanam autoritatem valere aut ſufficere; & cùm Scripturam habeamus ex authentico, quæ ſacrificii alicujus panis & vini non meminit, quæcunque de eo extra Scripturam afferuntur, eadem facilitate poſſunt rejici, qua inculcari. Sed tamen falſum eſt, veteres illos Doctores, in hoc Moſis loco, ullum ſacrificium propriè dictum agnoviſſe, in quo conſtiterit ordo Sacerdotii Melchiſedeki. Sunt autem teſtimonia Patrum in duplici ordine. Sunt enim qui dicunt, Melchiſedekum Abramo panem & vinum protuliſſe, quod nos dicimus. Sunt qui dicunt, hoc factum fuiſſe in figuram Euchariſtiæ, hac nempè ratione, quod quemadmodum Abramo & militibus laſſis, redeuntibus ex cæde hoſtium, panem & vinum dedit quo reficerentur, ſic in Eccleſia, Dominus noſter victoribus Satanæ & peccati Sacramentum panis & vini inſtituit, ut in ejus perceptione fierent participes corporis & ſanguinis Chriſti. Itaque de figura ſacrificii non agunt, ſed de figura Sacramenti. Ita Epiphan. hæreſ. 55. *Melchiſedek propoſuit panes & vinum, myſteriorum ænigmata, præfigurans & exemplaria, cùm Dominus noſter dicat, Ego ſum panis vivus.* Clemens Alexandrinus perſpicuè lib. 4. Stromat. cap. 8. Melchiſedek *Rex Salem, Sacerdos Dei altiſſimi, qui panem & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum, in typum Euchariſtiæ.* Non dicit *ſacrificium*, ſed *nutrimentum.* Baſil. in Pſal. 109. *Quid eſt ſecundùm ordinem Melchiſedek, niſi propter myſteria, quod & ille Abrahæ panem & vinum obtulit?* Joan. Chryſoſtom. Homil 35. in Geneſim, dicit *Sacramentum inſinuari.* Apud Theodoretum, in interpret. Gentiani Herveti, ſic legimus in Geneſ. quæſt. 63. *Abrahæ panes & vinum, & maſſam farinæ obtulit, prout moris erat unicuique Deo talia offerre: animadvertebat enim & hoc in typum patefieri.* In verſione Fr. Zephyri; *Non malè panem vinumque rependit, ut qui fortè talia offerre Deo conſueviſſet.* Si primo modo legamus, tria ſunt contra doctrinam Pontificiorum. 1. Quod *maſſam farinæ* præter *panes & vinum* memorat; in maſſa autem farinæ non figurabatur quod nunc offertur: in Græco eſt σταῖς, quod pinguedinem etiam ſignificat. 2. Quod hæc Abramo oblata dicit. 3. Quod addit, *moris fuiſſe unicuique talia offerre Deo.* Hoc ſi verum ſit, non fuit peculiare Melchiſedeko; nec fuit ſacrificium, ſi moris unicuique fuit talia offerre. Sed intelligitur de oblatione per gratiarum actionem, & agnitionem beneficentiæ divinæ ante cibum. Si autem legatur ſecundo modo, hoc commune habetur quod

Abramo

Abramo repenſa fuiſſe dicit; hoc ſingulare, quod dubitanter loquitur, de materia oblationis Melchiſedeki. Græca ſic habent, in codice edito Lutetiæ 1558. διὸ δὴ καὶ ἄρτους τῷ Ἀβραὰμ καὶ οἶνον καὶ στέαρ αὐτέδωκεν. ὡς τοιαῦτα τυχὸν τινὰ προσφέρειν εἰωθὼς τῷ τῶν ὅλων Θεῷ. Εἶδεν γὰρ κἂν τοῦτο δειχθῆναι τὸν τύπον. Cyprianus, Epiſt.63. ſic rem explicat, *De cœna Domini ſignificata olim à tempore Melchiſedek prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera illius, ſummus ſacerdos panem profert & vinum.* Hæc & talia ad ſacrificium nihil facere quilibet judicare poteſt. Sed eſſe tantum accommodationem, quam ad ſacramentum & ejus diſtributionem referunt, quæ per ſe nihil habet incommodi, quamvis in ea nihil ſit firmi, quia eſt allegoria deſtituta explicatione verbi divini.

Alii autem Patres qui ultrà proceſſerunt, & aliquam ſacrificii, ut vocant, Euchariſtici figuram rimati ſunt, quam in pane & vino à Melchiſedeko (ut putarunt) Deo oblato conſtituerunt, etſi nimis liberales fuerint in allegoriis confingendis, nec eorum Symbolica Theologia argumentum certum præbere poſſit; Id nihilominus attendendum eſt, nullum eorum fuiſſe qui ſacrificium in eo ſenſu acceperit quo à Pontificiis uſurpatur, nempe pro ſacrificio externo, & propriè dicto, corporis & ſanguinis Chriſti. Sed eo tantùm ſenſu, quo vox ſacrificii tribuitur omni bono operi, & quidem propter ſequentes cauſas in materia Euchariſtiæ hanc vocem uſurpaſſe. Primò, quia Eccleſia vetus, voce ex V.T. petita, ut Judæis & Ethnicis ſacrificii ritibus & vocibus aſſuetis ſe accommodaret, omnem fere cultum Novi Teſtamenti & præcipuè cœnam Domini, ſacrificii nomine commendavit. 2. Quia ſacramentum cœnæ, eſt commemoratio unici ſacrificii Chriſti in cruce peracti, & quia propter ſimilitudinem quam habent ſacramenta cum rebus quarum ſacramenta ſunt, ipſarum etiam nomina accipiunt, teſte Auguſt. Epiſt. 120. ad Honoratum: ideò cœna Domini dicta eſt ſacrificium. Addimus quod in celebratione cœnæ, piæ preces fuerunt conjunctæ, quæ in ſacris *incenſa* & *ſacrificia labiorum*, nuncupantur; ſimiliter & gratiarum actio pro redemptionis myſterio, id etiam nomini ſacrificii cauſam dedit. Ita etiam appellarunt, panem, vinum, & alia munera ad ſumptus ſacramentorum adminiſtrationis à fidelibus oblata, quę à patribus cum muneribus Melchiſedeki collata, eos permoverunt, ut utrobique ſacrificii nomen uſurparent figurato loquendi modo. Nec à tali vocis acceptione ſcriptura abſtinet, ut videre eſt Philip.4. verſ.18. & Ebr. 13. verſ.16. Quibus vocabuli ſacrificii ſignificationibus obſervatis, non difficile erit ſolvere, quæcumque ſub Patrum nomine objiciuntur, & ad ſacrificii propriè dicti confirmationem, exemplo ſacrificii, quod vocant, Melchiſedeki, trahuntur. Ubi hoc erit obſervandum, eorum dicta potius ad alluſiones referri debere, &, ut appellant, accommodationes, quàm ad juſtam & propriam interpretationem, eoſque veritati nuſquam poſſe præſcribere, ſi modum non teneant, præſertim ut ex eorum allegoriis extra ſcripturas præſcribantur credendæ concluſiones neceſſariæ. Id niſi advertere velint Pontificii, meminerint, Cyprianum, quem etiam ad hanc cauſam advocant Epiſt. 63. ſcribere, *quod Noë typum veritatis oſtendens, non aquam, ſed vinum bibe-rit, & ſic imaginem Dominicæ paſſionis expreſſerit.* An inde argumentum ſolidum formabunt? Hic autem ſubeſt mirari, quod Pontificii adeo urgent ſacerdotium Melchiſedeki in ſuis Presbyteris, cum Petrus Lombard. Sent.lib.4. diſt. 24. lit.1. ſcribat, *Preſbyteros accipere calicem cum vino, & patinam cum hoſtiis, ut per hoc ſciant ſe accepiſſe poteſtatem placabiles Deo hoſtias offerendi, & hunc ordinem à filiis Aaron ſumpſiſſe initium.* Non ergo à Melchiſedeko.

Quod iis accidit qui aquis immerſi arripiunt quicquid obvium eſt, ut emergere poſſint; adeò ut ne quidem à ferro candenti abſtineant, id Pontificiis uſu venit, qui licet alibi in Judæorum falſas interpretationes declamitent, hoc loco nihilominus miſſæ ſuæ ſubſidium ab iis petunt. Galatinus in libro *de Arcanis Catholicæ veritatis*, nonnullos locos collegit ex eorum commentariis, quos Bellarminus, Coccius, & alii, ad ſuam de ſacrificio ſententiam confirmandam accerſunt. Summa eſt, quoſdam Judæos exiſtimaſſe tempore Meſſiæ ceſſatura omnia ſacrificia, excepto ſacrificio panis & vini. Ad quod etiam Jodocus Coccius citat hæc verba ex Theod. Bibliandri, de Trinit. lib.2.pag.89. *Erat apud veteres Ebræos dogma receptiſſimum, in adventu Meſſiæ benedicti ceſſatura omnia legalia ſacrificia, tantumque celebrandum ſacrificium Thoda, gratiarum actionis, laudis, & confeſſionis, & illud peragendum pane & vino, ſicut Melchiſedek Rex Salem & ſacerdos Dei altiſſimi, temporibus Abrami panem & vinum protulit.* Idem agnoſcit Mercerus in Geneſ. *Volunt* (inquit) *quidam Ebræi quæ hic ponuntur fuiſſe ſigna rerum futurarum, quod poſteri Abrami Levitæ in Salem,* id eſt, *Ieruſalem, eſſent oblaturi farinaceas oblationes & libamina Domino.* Sed, aut Pontificii fidem adhibent dictis & ſententiæ Judæorum, aut non adhibent. Si non, cur igitur eas proferunt; ſi adhibeant, actum erit de ſacrificio Miſſæ, quod erit panis & vini tantùm, non corporis Chriſti, quod non agnoverunt Judæi, item ſacrificium Euchariſticum tantùm, non propitiatorium. Meminiſſe debuit Bellarminus ſuæ ipſius cautionis, quam affert in Pſalmum 71. verſ.16. Cum enim quidam Pontificii, inter quos fuit Maldonatus, poſt Paulum Burgenſem, ex Rabbi Moſe hanc ſive interpretationem, ſive potius detorſionem afferrent, fore ut in diebus Meſſiæ placenta ſacerdotum capitibus imponeretur, quod de Euchariſtiæ ſacramento, ſeu ſacrificio intelligebant, *Scio* (inquit) *Bellarminus, quid Paulus Burgenſis ex Chaldaica Paraphraſi afferat, ad probandum ex hoc loco ſacrificium Miſſæ, ſed ſcio etiam quam multis fabulis Iudaicis Paraphraſis*

raphraſis illa ſcateat, *Ideò piget ex lacunis Iudaicarum expoſitionum haurire*, *quæ nobis ex puriſſimis ſcripturarum ſacrarum fontibus abundant.* Cur igitur de ſua illa puriſſimorum fontium abundantia non profert, quæ Judæorum lacunis non indigeant? Ex quibus, ſi aliquid haurire volunt, ex ſuo Rabbi Pinees, quem inter cæteros citant, & Rabbi Samuele, diſcent, ſub Meſſia offerendos eſſe panes propoſitionis, propter expreſſam legem quæ id in perpetuum edicebat, & quia Melchiſedek protulit panem & vinum. Ex quibus ſi Miſſæ ſacrificium poſſint exprimere, næ aquam etiam ex pumice.

Deinceps videbimus quid Pontificii reſpondeant argumentis nonnullis quibus probamus ſimilitudinem Melchiſedeki cum Chriſto, vel ordinem Melchiſedeki, non reſpexiſſe oblationis ſpeciem, nec de ejus ratione fuiſſe panis & vini ſacrificium. Id probamus ex eo quod Apoſtolus cap.7. Epiſt. ad Ebr. minima quæque excutiens, ut oſtenderet qua in re conſiſteret ordo ſive mos Melchiſedeki, prorſus omiſit ſacrificii materiam & modum, utpote quæ ad id non pertinerent, & quia noverat ſacrificia Melchiſedeki non alia fuiſſe quam cæterorum ſacerdotum. Si autem in panis & vini mentione Gen. 14. latuiſſet aliquod myſterium, non eſt vero ſimile, Apoſtolum in tam exacta diſquiſitione, voluiſſe prætermittere, id quod in ea comparatione adverſarii præcipuum & maximè proprium, quidam etiam ſolum proprium eſſe ſtatuunt. Hoc argumentum valdè torquet adverſarios, qui quò magis ſe extricare conantur, eò plus ſe intricant. Reſpondet Bellarm. lib.1. de Miſſa cap.6. Id omiſſum fuiſſe à Paulo, quia non faciebat ad ejus propoſitum, nam cum vellet oſtendere excellentiam Chriſti ſupra Leviticos ſacerdotes, quod obtulit Melchiſedek panem & vinum, videbat non propriè facere ad excellentiam Chriſti vel Melchiſedek. Eandem reſponſionem habet Vaſquéz Diſp.86. num.28. quod in genere ſacrificandi nulla erat excellentia, & propterea illud prætermiſit, nec in eo quæſivit ſimilitudinem ſacerdotii Chriſti. Sed primùm hoc falſum eſt, ſi cum iis ſupponamus, rationem hanc ſacrificandi pane & vino fuiſſe propriam Melchiſedeko, & ordinem ſpecialem maximè conſtituere. Nam ordo ille nō eſt præſtantior, ſi cauſa illius ordinis, vel id in quo formaliter conſiſtit, nihil habeat dignitatis & præſtantiæ, ſupra alium ordinem. Suppoſito autem quod dicunt, neceſſarium eſt præſtantiorem eſſe ſacrificandi rationem quæ unius ſacerdotis ejuſque præſtantiſſimi propria fuit, eâ quę multorum eorumque non comparandorum communis fuit. Secundò falſum etiam eſt, quod dicunt, ſolum fuiſſe Apoſtolo propoſitum demonſtrare excellentiam Chriſti ſupra alios ſacerdotes Leviticos. Non inquam, id unicum fuit. Sed ſimul explicare voluit, cur Chriſtus à Davide ſacerdos dictus eſſet ſecundum ordinem Melchiſedek, & in quo ordo ille conſiſteret; ſi autem omiſerit quod maximè proprium eſt, imò ſolùm, non poteſt negari, ejus declarationem non ſolum mutilam eſſe, ſed etiam inutilem, præſertim, ſi quod Bellarminus voluit contendere, reliqua omnia, quæ nos cum Apoſtolo dicimus ad ordinem Melchiſedeki pertinuiſſe, aliis multis fuerunt communia.

Hoc cum videret Maldonatus, planè contraria via inceſſit, & ſcribens in Pſal.110. *Paulus*, inquit, *volebat tantùm docere Ebræos, ſacrificia Aaronica poſſe ceſſare, & ſacrificium Melchiſedek illis eſſe præſtantius & melius, & ſic efficere ut reciperent ſacrificium Euchariſtiæ, quod erat ſecundum ordinem Melchiſedek.* Sed quomodo quæſo id fieri potuit, nulla mentione facta utriuſque ſacrificii, ut doceret ſacrificium Melchiſedeki eſſe præſtantius & melius? An fieri poteſt comparatio excellentiæ inter ea quæ planè ſilentio obvolvuntur? Videmus tamen adverſarios linguas ſuas confundere, & ſe mutuò non intelligere, imò neque unumquemque ſe ipſum. Nam Maldonatus addit ea, quæ ſuam cauſam jugulant. Dicit Paulum voluiſſe oſtendere ſacrificium Chriſti præſtantius fuiſſe ſacrificiis Leviticis. In eo autem comparationem inſtituiſſe, quod ſacrificia illa non ſufficiebant ad delenda peccata, quia neceſſe erat ut ſæpiùs fierent. Sacrificium autem crucis Chriſti ſemel factum eam virtutem habuit & efficaciam, proinde non fuiſſe iterandum. Ideò, inquit, noluit Apoſtolus mentionem facere ſacrificii Euchariſtiæ, quia cum ſæpiùs iterari debeat, liquido conſtat, ſi illud cum Aaronicis comparaſſet Paulus, non probaturum fuiſſe præſtantius eſſe ſacerdotium & ſacrificium Chriſti, *quin potius illud omnino evertiſſet.* Quid dici potuit magis adverſum ſacrificio miſſæ quam hoc, nempe quod ſi ejus facta fuiſſet mentio, quia hoc habet quod ſæpiùs iteretur, evertiſſet planè ſcopum Apoſtoli, quo volebat indicare ſacerdotium Chriſti Aaronicis præſtare?

Alii, ut Bellarminus & Vaſquéz locis antea citatis aliud reſponſum cudunt. Dicunt igitur Apoſtolum dedita opera omiſiſſe oblationem panis & vini, ne Judæis ad quos ſcribebat tantum proderet ſacramentum, ut ait Genebrardus in Pſal.110. ne inquam cogeretur explicare myſterium Euchariſtiæ, quod altius erat quam tunc ab illis capi poſſet. Huc referunt quod Apoſt. cap. 5. verſ. dicit, *De quo Melchiſedek grandis nobis eſt ſermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.* Sed reſpondemus falſum eſſe, ſermonem illum δυσερμήνευτον de quo Apoſtolus loquitur, eſſe ſermonem *de cœna Domini.* Nam ipſe Apoſtolus eam Corinthiis quamvis adhuc Neophytis, & à Iudaiſmo & Ethniciſmo nuper converſis dilucide explicuit, nec in ea doctrina proponenda alicujus difficultatis meminit, quamvis inter eos eſſent multi infirmi & rudes, quod ſatis ex initio Epiſtolæ patet, cum eſſent etiam nonnulli, quorum non erat ſanus de reſurrectione ſenſus.

Scribebat Apoſtolus, non Judæis adhuc infidelibus, ſed fidelibus converſis, quos appellabat *ſanctos, vocationis*

nis cœleſtis participes cap.3.verſ.1. Chriſti participes redditos verſ.14. verſantes in congregatione fidelium, cap.1. verſ.25. illuſtratos, verſ.32. *Suſtinentes afflictionem ob profeſſionem fidei, & ſocios eorum qui affliguntur.*verſ.33. *habentes potiorem ſubſtantiam in cœlo manentem.* ✠.34. Non poteſt ergo verum eſſe, quod ex Hieronymo Epiſt. 126. ad Evagrium proferunt adverſarii, Apoſtolum voluiſſe perſuadere *Ebræis*, id eſt, *Iudæis, non jam fidelibus, quibus paſſim proderet ſacramentum.* Non poteſt enim in dubium vocari, tales, quales anteà fuerunt deſcripti myſteriis participaſſe, quorum per conſequens intererat, intelligere quid in iis ageretur, ſi præſertim potiſſima Chriſtianiſmi ratio, quod volunt Pontificii, in ſacrificio panis & vini conſiſtat. Ipſe Ribera in proœmio ad hanc Epiſtolam agnoſcit, ſcriptam fuiſſe ad eos Ebræos, qui, *quia in Chriſtum crediderant, ſpoliati bonis ſuis à Iudæis fuerunt & in exilium ejecti.* An igitur Chriſti confeſſores, indigni erunt quibus præcipuum & unicum Eccleſiæ ſacrificium (loquor ex ſuppoſitione Papiſtarum) declararetur? Quales nam quæſo erant diſcipuli Chriſti, cum ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit, eòſque juſſit facere quod faciebat? Annon adhuc rudes, imperiti, & modicæ fidei, nondum acceptis Spiritus Sancti donis? Quæ igitur eſſet ratio, cur hoc myſterium nō celaſſet Chriſtus ſuos Apoſtolos tam infirmos: Paulus etiam illud tam apertè propoſuiſſet Corinthiis, in ea etiam re peccantibus; & fidelibus Ebræis id denegaſſet, quibus alia multo magis difficilia explicavit? Videtur enim (ut cuivis perpendenti liquebit) in tota illa Epiſtola, quæ maximè in Chriſtianiſmo ſunt difficilia enarrare voluiſſe, ne exceptis quidem myſteriis de filii conſubſtantialitate, ſeſſione ad dexterā & ſimilibus. Sed ne egrediamur ex finibus noſtris, an non difficilius eſt ad intelligendum, qua ratione Melchiſedek fuerit *ſine patre & ſine Genealogia, &c.* quàm fuiſſet, ſi expoſuiſſet Apoſtolus, eum obtuliſſe panem & vinum Deo, ut præfiguraret oblationem panis & vini conſecrati, quæ ſingulis diebus fit in Eccleſia? Valeat quod ex Thoma dicit Ribera in ca.6. ad Ebræos, eadem proponenda eſſe perfectis & parvulis, ſed non exponenda nec pertractanda apud parvulos, nempe eodem modo quo apud perfectos. Sequitur tamen eſſe proponenda, pro eorum capacitate. Quis neſcit apud Pontificios doctrinam de Miſſæ ſacrificio rudibus proponi in Catechiſmo, quibus nō proponitur doctrina de collationibus ſacerdotii Chriſti & Melchiſedeki, quæ ab Apoſtolo Ebręis explicata eſt?

Quod autem objiciunt ex cap. 5. Apoſtolum præmonuiſſe ſibi eſſe *grandem ſermonem & ininterpretabilem ad dicendum* de Melchiſedeko, eoſque factos eſſe tales quibus lacte opus ſit, non eſt præfatio, qua velit excuſare ſuum de ea re ſilentium, vel eos deterrere à meditatione aut ſtudio myſterii illius, cum ſcopum habuerit planè contrarium, excitandi eorum tarditatem, propoſita rei quam tractare volebat difficultate. Intellexit enim per λόγον δυσερμήνευτον, doctrinam de ſacerdotio ſecundum ordinem Melhiſedeki, & de abrogatione ſacerdotii Levitici quam erat expoſiturus, non tanquam *ἀνερμήνευτον non interpretabilem*, ut malè reddidit vetus interpres, ſed tanquam difficilem, & quæ magna attentione opus haberet. Ideò ſub initiis ſexti Capitis, Ebræos ſuos à tyrociniis doctrinæ Chriſtianæ, ad perfectam ejuſdem notitiam excitat, ut intelligamus δυσερμηνείαν illam, non tam reſpicere rem ipſam in ſe, quàm ignaviam & ſocordiam quorundam auditorum, quæ illi neceſſitatem imponebat, ea omnia explicandi διὰ πολὺν λόγον, *multis verbis*, in quibus cum nulla fiat mentio ſacrificii panis & vini, ſequitur nullum fuiſſe, & ad myſterium illud non pertinuiſſe. Quod autem Vaſquéz replicat, non eſſe putandum Paulum ita mutaſſe conſilium, ut illis vellet proponere myſteria, quæ paulo ante cenſuerat omittenda, ſed exhortatum fuiſſe ad novum vitæ genus, &c. planè ineptum eſt, & ſupponit quod in quęſtione eſt; nempe, cenſuiſſe Paulum *talia eſſe omittenda*, cujus conſilii ne veſtigium quidem eſt apud Paulum, qui contra profeſſus eſt, *ſe difficilia illa habere ad dicendum.* Sunt quidē nonnulla quæ ſe omittere profitetur, ✠.1.c.6. nempe *qui in Chriſto rudes inchoat ſermonem.* Unde ſequitur ad aliam pertinere ſpeciem, ſermonem quem poſteà ſequentibus capitibus explicuit, in quo talia ſunt, quę ipſorum etiam ſubtiliſſimorum Ieſuitarum exercent ingenia, nec illi, credo, ſunt negaturi, atque eadem opera probaturi, futiliſſimam fuiſſe exceptionem, qua ſolidiſſimo noſtro argumento voluerunt obniti. Ipſe Ribera cap.7. Epiſt. ad Ebræ. initio, agnoſcit, *Paulum redire ad id quod intermiſerat*, nempe ad illud quod dixerat cap.5. *De quo nobis eſt grandis ſermo, &c. Et quædam* (inquit) *interpoſuit valdè utilia ad eorum animos inflammandos. Sed cum redire vellet ad ſermonem de Melchiſedek, in quo dignitatem ſacerdotii Chriſti erat explicaturus, & quem omitti non oportebat* (contra quàm putavit Vaſquéz fuiſſe conſilium Apoſtoli) *iterum meminit ſacerdotii ejuſdem, & Melchiſedek, &c.* Sic etiam Mariana ad initium cap.6. *Dixerat eos eſſe incapaces altioris myſterii, nunc nihilominus pergit illud explicare, hortaturque ut relictis rudimentis ad perfectiora tendant.* Non igitur conſilium cæperat illa omittendi.

Stat igitur prima ratio noſtra immobilis & inconcuſſa. Cui aliam hanc addimus. Si ſacerdotii ſecundum ordinem Melchiſedeki ratio propria in oblatione conſiſtat, oportet, hoc idem à Chriſto fuiſſe oblatum Deo, quod fuit oblatum à Melchiſedeko. At verus panis, & verum vinum propriè dictum, oblata fuerunt à Melchiſedeko ſi adverſariorum ſtet interpretatio: Ergo & à Chriſto; quod evertit ſacrificium miſſæ. Conſequens majoris ex eo patet, quod alioqui non erit idem ordo, quia non erit idem ſacrificium, ex ſuppoſitione adverſariorum.

3. Si ſacrificium Melchiſedeki in pane & vino non potuit.

potuit eſſe propiciatorium, & Chriſtus propter ſimilitudinem ſacrificii in cœna, ut volunt, inſtituti, ſit ejuſdem ordinis ſacerdos, & ejus ſacrificium ejuſdem ordinis ſacrificium; ſequetur, ſacrificium Euchariſtiæ non eſſe propiciatorium. At hoc evertit ſacrificium Miſſæ, conſequens majoris patet, ex eo quod nunquam ſine ſanguine facta eſt propiciatio. Alia poſſent addi, ſed hæc ſufficient ad textum vindicandum.

Exercitatio LXXX.

Explicatur benedictio Melchiſedeki tanquam ſacerdotis, Abrami reſpectu, benedictio voti & prophetiæ: Dei, benedictio laudis. *De eadem Pauli ad Hebr. cap.* VII. *Conſiderationes. Qualis benedictio præſtantiam benedicentis ſupra benedictum evehat? cur Chriſtus neque benedictus, neque decimatus fuerit in Abramo. Solvitur objectio Bellarm. Contra benedictionem ſacerdotalem, qui etiam cum ſuis ſodalibus committitur. Decimarum ratio explicatur. Earum variæ ſpecies ſub lege ceremoniali. Finis earum quas Melchiſedekus accepit. Quomodo ex præda gratæ fuerint Deo? Decimarum obligatio qualis ſit, & an perpetua? ſententiarum conflictus. Argumenta eorum qui volunt eſſe divini juris & perpetui. Iudicium Bellarm. de Canoniſtarum ſententia, & explicatio ſententiæ negantis. Ejuſdem confirmatio, & argumentorum adverſæ ſententiæ ſolutio. Examinantur Baronii allegationes. An ab Eccleſiaſticis viris fieri debeat* taxatio *ut vocant*, quotæ *ad Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem neceſſaria? Negatur.*

PErgimus ad reliquas actiones Melchiſedeki, quæ in hoc textu narrantur. Prima fuit benedictio, cujus etiam forma deſcribitur. *Benedictus Abram*, לאל עליון *leel Eljon*, Deo altiſſimo. Additur ſecunda pars, & *benedictus Deus altiſſimus qui tradidit tuos hoſtes.* Ubi patet ratio, cur anteà fuerit dictus *ſacerdos Dei excelſi*, hoc enim fuit præmiſſum, ut cuilibet pateret, benedictionem eſſe ſacerdotalem; cujus duæ partes ita connectuntur, ut in prima ſit benedictio, non ſolùm *voti & precationis*, ſed etiam *prophetiæ* de Abramo: In ſecunda ſit benedictio *laudis* ad Deum relata. Idcirco prima pars præſtantiam benedicentis ſupra benedictum indicat; ſecunda contrà ſubmiſſionem benedicentis erga benedictum. Cum dicit autem, *benedictus Deo altiſſimo*, ſupplenda eſt præpoſitio, à, quia autorem benedictionis indicat Deum verum, ab omnibus Idolis ſeparatum, quem ideò vocat *poſſeſſorem cœli & terræ.* ubi LXX *creatorem*, ὃς ἔκτισε *qui creavit*, ut Proverb. 8. ἔκτισέ με creavit me, pro ἐκτήσε, *poſſedit.* Ad ſenſum quod attinet hoc loco, non malè creator dicitur, qui poſſeſſor eſt eorum omnium, quia poſſeſſio ad eum pertinet creationis jure. Sanctè autem & piè Melchiſedek autorem victoriæ Deum concelebrat, & agnoſcit non humanis viribus potuiſſe Abramum victoriam illam reportare.

Hunc locum Apoſtolus expendens cap. 7. Epiſt. ad Ebræos, duo notat. 1. quod *benedixit ei qui habebat promiſſiones.* 2. *Quod ſine ulla contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.* Ex quibus vult oſtendere ſacerdotii Melchiſedeki præſtantiam, ſupra ſacerdotium Leviticum. Ad quod facit, quod in Abramo Levi fuit benedictus. Quod autem dicit de benedicentis prærogativa, id non eſt de omni benedictione intelligendum etiam inter homines, nam par pari benedicit, imò & inferior ſuperiori, Regibus ſubditi, & parentibus filii. Sed illud *benedicere*, nihil eſt aliud quam bona alicui precari ex caritate & amicitia, aut reverentia. Reſtringendum ergo eſt Apoſtoli dictum ad benedictionem quæ fit ex officio, à Miniſtro Dei, ipſius Dei nomine, qualis fuit hæc de qua nunc agimus. Qui hoc modo benedicit, ea ratione & in hoc actu major eſt, ratione ſuæ vocationis, etſi in aliis eſſet vel par, vel etiam inferior.

Hic obiter obviam eundum eſt difficultati, quæ ex hac benedictione, & Apoſtoli conſideratione, tam ejus quàm decimarum ratione, oritur. Poſſet enim dubitari, an ſi minores ſint ſacerdotes Aaronici Melchiſedeko, quia benedictionem acceperunt in Abramo, non etiam inferior fuerit Chriſtus, qui tum in Abramo erat, ex cujus ſemine ortus eſt. Huic difficultati reſpondetur, Chriſtum non fuiſſe in lumbis Abræ ea ratione qua reliqui ejus poſteri, quia etſi ſubſtantiam corpoream ex eo acceperit, non tamen continebatur ejus generatio in virtute ſeminis, cum alia virtute eſſet generandus. Solùm autem in Abramo fuiſſe benedictos, qui in eo erant virute ſeminis, & qui curatione opus habebant, ut notat Auguſtinus. In Chriſto cum neutrum fuerit, neque benedictus, neque decimatus fuit.

Hic autem in Apoſtolum etiam ſub nomine noſtro inſurgit Bellarminus, & conatur oſtendere benedictionem illam nihil facere ad conſtitutionem ſacerdotii Melchiſedeki. *Non rectè*, inquit, *dicunt adverſarii Melchiſedekum ut ſacerdotem benedixiſſe Abræ. Nam etiam Abram erat ſacerdos. Non igitur Melchiſedek ut ſacercerdos, vel quia ſacerdos erat, benedixit Abræ, ſed quia major ſacerdos, vel quia abſolutè major erat, cum Rex & ſacerdos eſſet.* Contra Apoſtolus oſtendit benedixiſſe ut ſacerdotem, quia confert ſacerdotium cum ſacerdotio,

cerdotio, & ex hac actione probat eſſe majorem Sacerdotem Leviticis. Nec obſtat, quod dicit benedixiſſe qua major Sacerdos: hoc enim, etſi verum ſit, nihil facit contra noſtram aſſertionem: qui enim aliquod opus ſacerdotale facit, qua major Sacerdos, illud facit, qua Sacerdos. Quod autem dicit benedixiſſe, quia abſolutè major erat, hoc eſt contra inſtitutum Apoſtoli, qui non agit de majoritate abſoluta, ſed ratione Sacerdotii; & majoritatem probat ex ipſa benedictione, non benedictionem ex majoritate. Meliùs ergò Vaſquéz, *Probat Paulus Melchiſedek excellentiorem Sacerdotem fuiſſe, quia omnibus Sacerdotibus Leviticis benedixit in lumbis Abrahæ.* Et Ribera in cap. 7. ad Ebræos, *Abræ benedixit, quaſi publicus Dei miniſter & Sacerdos.* Pererius etiam contendit duas illas actiones Melchiſedeki, *benedicere, & decimas accipere, eſſe planè ſacerdotales.* Juſtinianus etiam Jeſuita, benedixit, *nempè ſolemni & ſacerdotali benedictione.* Lipomanus etiam, approbante Cornelio à Lapide, notavit tres actiones Sacerdotales, inter quas iſta eſt, quod Abræ benedixerit, &c. ut mirum ſit id auſum fuiſſe Bellarminum in dubium vocare. Utrobique igitur erat Sacerdotium, in benedicente & in benedicto, ſed diverſum Sacerdotium, ob actionem illam & paſſionem. Unus Sacerdos benedixit, alter recepit. Quo indicabatur Sacerdotium Chriſti excellentius futurum Aaronico, utpote à quo Aaronicum debuit benedictionem accipere, illudque tanquam ſuperius & excellentius revereri, decimarum oblatione. Unde perſpicua eſt ratio, cur mentio facta fuerit Melchiſedeki tanquam Sacerdotis, non ut inferamus illum ſacrificaſſe panem & vinum, quod factum non fuit, ſed ut innoteſceret genus benedictionis, & ratio cur decimæ ipſi fuerint datæ; qua de re Theodoretus appoſitè in cap. 14. Gen. *Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, unde & Abram Patriarcha obtulit ei ſpoliorum decimas: & cùm juſtus eſſet, & amicus Dei, ab illo benedictionem conſequitur. Typum enim gerebat Sacerdotii Dominici.*

ויתן לו מעשר מכל *vajjitten lo maaſar miccol, Et dedit ipſi* (nempè Abram Melchiſedeko) *decimam de omnibus.* Eſt enim מעשר *decima*, id eſt, unum de decem. De quo genere, & de ejuſdem ſpeciebus multa habentur in lege Moſis, in qua determinatæ ſunt decimæ ſolvendæ Sacerdotibus, & aliis, quæ ex fructibus terræ & pecudibus dari ſolebant. Decima prima, dabatur Levitis ad alimentum. Decima ex decima, à Levitis Sacerdotibus ſolvebatur filiis Aaron. Erat alia decima, quam ex ſuis novem partibus reliquis poſt decimationem, reponebant ſibi Iſraëlitæ, quam comederent cùm aſcenderent ad templum, diebus indictis, ibique invitarent Levitas Sacerdotes, quæ decima ſecunda vocabatur. Erant prætereà decimæ ab anno remiſſionis, tertio quoque anno, de quibus Deut. 14. ℣. 28. Quas dedit Melchiſedeko Abram, non fuerunt conſtitutæ & determinatæ, neque fuerunt ordinariæ, neque etiam datæ fuerunt ad ſuſtentationem Sacerdotis, qui Rex erat, iſque opulentiſſimus. Sed videntur oblatæ fuiſſe, ut Deo conſecrarentur, & ut ex iiſdem ſacrificia ipſi offerrentur. Quo etiam ſenſu accipimus promiſſionem votivam Jacobi infrà, cap. 28. ℣. 22. *Quicquid dederis mihi, ejus decimas omninò tibi dabo.* Unde patet hunc fuiſſe morem tum temporis piorum, decimas reditus ſui Deo conſecrare. Deus autem cùm in populo ſuo politiam Eccleſiaſticam inſtitueret, & de cultu ſuo ceremoniali legem ferret, ſigillatim voluit præſcribere illarum decimarum uſum, quæ quidem conſecrabantur Deo, ſed ut conſumerentur à miniſtris Dei, ab ipſis fidelibus in ſacris conviviis, & à pauperibus, quos Deus in ea re ſibi ſubrogat, bonorum noſtrorum non indigus. Et hæc quidem ſatis clara ſunt & perſpicua.

Cùm autem hìc agatur de decimis, non ex proventu ordinario, ſed ex præda, dubitari poſſet an tales eſſent, quæ Deo poſſent eſſe gratæ? Ad quod reſpondemus, pro ratione juris quod in res donatas habemus, donationem poſſe vel probari, vel improbari. Si ſit jus legitimum, non eſſe quod dubitemus, poſſe à nobis Deo donari & conſecrari in ſacros uſus pro circumſtantia cultus, rès juſtè conquiſitas, quod de eleemoſynis erga pauperes, nomine Dei erogatis, eſt intelligendum. Sed ſi non bono jure poſſideamus, ea certè non acceptaret Deus, qui ſæpè rejecit ſacrificia Iſraëlitarum, malè acquiſita. *Sacrificium improborum eſt abominationi Iehovæ*, Proverb. 15. ℣. 8. Acceptavit tamen ſacrificia ex præda, non ſolùm ab Abramo, ſed poſteà à populo ſuo, ut teſtatur hiſtoria 2. Chronic. 15. ℣. 11. ubi narratur, Judæos, & qui illis adhæſerunt, temporibus regis Aſæ, ſacrificaſſe Jehovæ, quæ de præda ex victoria contra Æthiopas attulerant, boves ſeptingentos, & pecudum ſeptem millia. Ex quibus conſtat, juſtam alicujus rei acquiſitionem bello fieri poſſe, & à Deo non improbari jus prædæ. Idcircò Deus in ſua lege, de civitate poſt pacem repudiatam expugnata, loquens, Deut. 20. ℣. 14. ſic ait; *Omnia ejus ſpolia diripies tibi, & frueris prædâ hoſtium, quam Deus tibi dederit.* Legimus etiam Rubenitas, Gaditas, & partem tribus Manaſſe, viciſſe Ituræos & eorum vicinos, multamque prædam ab iis abſtuliſſe, hac ratione addita, quod in bello Deum invocaſſent, & Deus eos propitius exaudiviſſet, *quia fiduciam collocaverant in eo.* 1. Paralip. 5. ℣. 20. & 21. Idem de rege pio Aſa narratur, quod Deo invocato, de Æthiopibus, injuſto bello ſe laceſſentibus, & victoriam & prædam reportarit, 2. Paralip. 14. ℣. 13. Joſue etiam benedicens iis, quos diximus Rubenitis, Gaditis, & Manaſſis dimidiæ tribui, *Participes*, inquit, *ſitis prædæ hoſtium, cum fratribus veſtris.* Joſue 22. ℣. 8. Extant etiam leges divinæ de præda dividendi, Num. 31. ℣. 27. Potuit igitur Abram, de cujus jure in bello hoc ſuſcipiēdo anteà diximus, bonâ conſcientiâ, & capta ſibi retinere, & decimam Deo dare gratam oblationem.

Hic locus eſt agendi de decimarum obligatione, à quo jure, & an perpetua ſit, ita ut quemadmodum olim apud Iſraëlitas Levitis dari debuerunt, ſic etiam hoc tempore ſub Chriſtianiſmo, Eccleſiæ Miniſtris cedere debeant? Item, an quod ſecundùm veterem illum morem, imitati ſunt pleriſque in locis Chriſtiani, ex jure divino profectum ſit? Hac in re enim variant ſententiæ, & non ſolùm inter Pontificios, ſed etiam inter noſtros alii aliter loquuntur. Duæ ſunt ſententiæ extremæ; una quam tribuunt VViclefo, cui art. 18. in Conſtantienſi Synodo objectum eſt quod ſcripſiſſet, *Decimas eſſe puras eleemoſynas, & parrochianos poſſe propter peccata ſuorum prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.* An VViclefus ita ſenſerit necne, non poſſumus certò aſſerere. Certum eſt tamen ea quæ Miniſtris ratione miniſterii ſui debentur, ſive decimarum nomine veniant, ſive alio, ipſis deberi ex juſtitia, nec poſſe aut debere eis denegari, niſi poſtquam legitimo judicio fuerunt exautorati.

Altera extrema ſententia eſt penè omnium Canoniſtarum, qui docent decimarum debitum, ratione Miniſtrorum Eccleſiæ, eſſe juris divini, nec in poteſtate Magiſtratuum eſſe eas ſibi adſcribere, etiamſi aliter Miniſtris providerent, aut eaſdem permutare. Quam ſententiam mordicus arripuit Marcus Antonius de Dominis, eamque pluribus aſſerere conatur, lib. 9. de Repub. Eccleſ. cap. 2. Eandem etiam cauſſam agit ſatis acriter Rodolphus Hoſpinianus de orig. bonorum Eccleſ. cap. 3. Valentinus etiam Zepperus, in explicatione legum forenſium Moſaicarum cap. 10. aſſerit, legem de ſolvendis decimis non eſſe abrogatam, & manere adhuc obligationem in populo Chriſtiano ex divino jure.

Hanc ſententiam ſic illi probare conantur. 1. Quia decimæ ante legem latam in uſu fuerunt, quod probant ex eo, quod Abramus hoc loco fecit, ex quo apparet id tum apud homines in uſu fuiſſe, ut ſi ex animi ſententia aliquid eis ſucceſſiſſet, aut ſingularem Dei benevolentiam ſenſiſſent, decimarum oblatione gratitudinem ſuam teſtarentur. Addunt quæ de voto Jacobi ſuprà allata ſunt, & hoc maximè argumento pugnat Zepperus.

2. Objiciunt præceptum de ſolvendis decimis, quod in lege habetur, Exod. 12. Levit. 27. Num. 18. Deut. 14. quod non ſolùm ceremoniale, ratione populi Judaici, ſed etiam morale fuiſſe volunt, adeoque non ceſſare in fidelibus novi Teſtam. quorum juſtitia debet magis abundare, quàm Scribarum & Phariſæorum.

3. Citant Canoniſtæ ſententias aliquot Pontificum & Patrum, quibus aſſerunt, *juberi nos ab omnipotente Deo, omnium bonorum noſtrorum decimas dare:* quę ſunt verba Gregor. cap. *Quadrageſima,* de conſec. diſt. 5. Afferunt etiam ex Clemente, lib. conſt. Apoſt. 2. cap. 35. hæc verba: *Vos ſcire oportet, quod tametſi vos Deus à ſervitute adſcitorum vinculorum liberarit; liberarit, inquam, ab emundationibus, & à victimis emiſſariis, à lavationibus aſſiduis, ab aſperſionibus, nondum tamen à penſionibus liberavit.*

4. Objiciunt, Chriſtum Dominum, Matth. 23. & Lucæ 11. de decimis reddendis cùm ageret, dixiſſe, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Item alio loco Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Dei autem tributa ſunt decimæ, nam illas ſibi reſervavit, & ejuſmodi jus ſuum nunquam remiſit.

5. Addunt etiam gentiles idololatras, naturali quodam inſtinctu, Diis ſuis ſe decimas debere agnoviſſe, ut patet ex Euſebio, Plinio, Diodoro, Plutarcho, Cicerone, Livio, Herodoto, &c. quorum loca citat Joannes Gul. Stuckius, in deſcriptione ſacrorum & ſacrif. gentil. fol. 160. & Pererius hìc; nec de eo eſt conrroverſia. Unde concludunt decimarum ſolutionem ad jus naturæ pertinere.

Alii tamen Doctores Pontificii contra Canoniſtas aliud ſentiunt, imò Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 25. bis in eo peccare Canoniſtas aſſerit; *Semel, in eo quod falſum defendunt: iterùm, quia damnant ferè hæreſeos omnes Theologos, qui contrarium ſentiunt: cùm è contrario, eorum ſententia facillimè convinci poſſit erroris.* Imò Joan. Major in 3. ſentent. diſtin. 37. quæſt. 36. affirmavit opinionem illam Canoniſtarum eſſe hæreſim, cùm oporteat eam niti hæretico principio, videlicet præceptum divinum judiciale, de ſolvendis decimis adhuc obligare. Oppoſitum enim certum eſt de fide. Ubi obiter notandum, quod in pluribus fieri poteſt, non levia eſſe diſſidia inter adverſarios, etſi unionem jactent, quæ doctrinarum & animorum non eſt, ſed neceſſitatis & politiæ.

Dicunt ergò poſteriores iſti, decimas, quoad *quotam,* ut loquuntur, id eſt, præciſè ſumptas, prout nomen decimarum directè & propriè accipitur, non ſolvi ex jure naturali, vel etiam apud Chriſtianos ex jure aliquo poſitivo divino. Quia id tantùm eſt juris naturalis & divini perpetui abſolutè, ut ſufficiens merces Eccleſiaſticis Miniſtris reddatur, ut honeſtè poſſint ſe & familias ſuas alere, eaque quæ ad cultum Dei ſpectant, & miniſterii ſui exercitia peragere ſine diſtractione; cùm igitur id alia ratione, quàm per decimas fieri poſſit, nulla ratio naturalis dictat, talem ſpecificationem, quam juris poſitivi divini ſub V. Teſtam. fuiſſe fatentur, cui tamen cùm non teneantur hoc tempore Chriſtiani, nullumque præceptum divinum de ea re ſancitum fuerit in Novo Teſtam. rectè concludunt non eſſe naturalis vel divini juris hanc decimarum ſpecificationem.

Acquieſcunt penè omnes noſtri huic ſententiæ, etſi non planè ſit conſenſus in eo, ad quam legis partem olim pertinuerit mandatum de ſolvendis decimis. Sunt enim qui volunt fuiſſe id præſcriptum lege Moſis politica, ſunt qui ceremoniali, ſunt qui mixti generis fuiſſe

ſentiunt,

ſentiunt, quibus etiam ſubſcribimus. Clariſſ. Junius diſtinguebat, inter fundamentum & actum, in decimarum inſtituto. Jus itaque naturæ eſſe fundamentum illius formale, quo tenentur ſerere temporalia qui metunt ſpiritualia, ſacerdotum Miniſterio. Huc pertinet etiam in Novo Teſtam. quod Apoſt. miniſtris applicat, *Dignus eſt operarius mercede ſua*. 1. Corinth. 9. verſ. 7. & 14. Dominus ordinavit ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant; Nemo enim militat propriis ſtipendiis, &c. Quæ omnia pertinent ad genus, ex quo non debet determinari tanquam neceſſaria hæc vel illa ſpecies, niſi determinatio fiat à Deo, ut ſub lege Moſis. In qua duo conſiderata fuerunt, 1. Terra Chananæa, quæ data fuerat populo Iſraëlis à Deo, ut quamvis eſſet temporalis poſſeſſio, repræſentaret tamen ſpiritualem poſſeſſionem hæreditatis cœleſtis, ejuſque ſymbolum eſſet; quod juris Ceremonialis erat. Exhibitio autem decimarum ad jus politicum referebatur. Atque ita præceptum ſpecificationis decimarum erat juris ceremonialis & politici, id eſt, ex utroque mixti, in populo illo. Quibus legibus cum non teneantur in ſpecie Chriſtiani, nec etiam juri naturali vel divino repugnabunt, qui alio modo quam per decimarum oblationem, Eccleſiaſticarum perſonarum neceſſitatibus ſunt proviſuri.

Idcirco ipſi Pontificii, poſt legem de ſolvendis decimis in Eccleſia ſancitam, non dubitant quin de ea diſpenſatio fieri poſſit, de qua Suaréz lib. 2. de legibus cap. 14. *In privilegiis* (inquit) *decimarum, non derogatur legi naturæ, ſed humanæ determinationi. Quia licet ſuſtentatio Miniſtrorum Eccleſiæ, ſit de jure naturæ*; *tamen modus, & diſtributio illius oneris inter fideles, humani juris & arbitrii eſt.*

Hujus ſententiæ quæ vera eſt; argumenta hæc ſunt. 1. Illud eſt legis naturæ, quod ex principiis naturalibus colligitur, ſine lege poſitiva adjecta; Atqui decimam partem exhibendam eſſe in uſum Eccleſiaſticarum perſonarum, potius quam aliam, determinatè ex ejuſmodi principiis non colligitur, ut per ſe evidens eſt, ſicut non colligitur, tributi loco præciſè decimam partem ei pendendam eſſe, qui prædium conceſſerit. Unde etiamſi congruentia aliqua in perfectione denarii numeri, quæ ex natura rei conveniat, reperiatur; ex qua aliqua deſumi queat ſaltem probabilis ratio, cur Deus antè legem ſcriptam nonnullis inſpiraverit, ut decimas voverent & ſolverent; & poſtmodum etiam ſub lege juſſerit oblationem decimarum; non tamen ſufficiens eſt cauſa, cur hæc inſtitutio legi naturæ tribui poſſit. Cùm enim à Deo fuerunt imperatæ, aliæ rationes erant ad quas reſpexit, quarum una & præcipua fuit, ut undecim tribuum contributione, inveniretur duodecimæ tribus Leviticæ portio, quæ alioquin exors erat.

2. Argumentum ducunt à conſuetudine, cujus vigore debitum decimarum mutatur, illeſa manente conſcientia ſive mutantium, ſive conſentientium. Atqui contra legem naturæ nulla valet conſuetudo. Ergo lex illa non eſt à natura.

Non eſſe à jure divino poſitivo, ſic probatur. Quia nulla lex talis reperitur in Novo Teſt. Lex autem vetus non obligat Chriſtianos in judicialibus Judæorum, & in ceremonialibus. Quod autem dicunt quidam, determinationem illam quantitatis, eſſe juris divini perpetui, id probare debuerunt, non aſſumere.

Nec objectiones contrariæ ſunt alicujus momenti, ſi benè perpendantur quæ dicta ſunt. Non prima, quia, quæcumque in ſtatu Patrum ante legem (quem nonnulli dicunt ſub *lege naturæ*, ſed perperam) quæcumque inquam, tùm in uſu fuerunt, ad legem naturæ non pertinent. Sacrificia enim pecudum uſitata fuerunt, quæ poſteà planè deſierunt. Ipſa circumciſio ante ſcriptam legem præſcripta fuit, quæ ad jus naturale non pertinet; ſed ad poſitivũ. Quid, quod probari non poſſit tum decimas fuiſſe ſacrorum præfectis redditas ex lege, ſed tantum ex voto particulari, ad quem nulla lex cogebat? Sed, ſi demus fuiſſe legem, fuit certè poſitiva, quam vel Deus nonnullorum mentibus indidit, vel, quod magis crediderim, ſpeciali revelatione ſignificavit, ut de multis aliis dicendum, tum uſitatis, quæ poſteà lege ceremoniali & politica populi Iſraëlitici, fuerunt comprehenſa.

Non ſecunda, quia ſupponit quod eſt in quæſtione, præceptum de decimis perpetuum fuiſſe. Id illi non probant addita ratiuncula, Quod Phariſæi id non debuerint omittere, Juſtitia autem Chriſtianorum abundare debeat ſupra juſtitiam ſcribarum & Phariſæorum. Eſt enim argumentatio fallax, à genere ad ſpeciem aliquam determinatam: à juſtitia in ſe conſiderata, ad omnes actiones juſtitiæ circa aliquam materiam, quæ abſurda multa pareret. Sic enim neceſſarium eſſet, ut ſacrificia offerremus pecudum, cum Phariſæis, ut circumcideremur, & uno verbo, ut exactiores eſſemus in omnibus quæ lex Ceremonialis jubebat, cui Phariſæi ſe ſubjecerunt. Addimus, dictum Domini de juſtitia Phariſæorum, malè uſurpari. Non enim probat Dominus talem juſtitiam, nec ei aliam opponit tantùm ſecundum magis & minus, id eſt quæ differat gradu, non ſpecie, imò toto genere. Hoc enim vult: Juſtitiam Phariſæorum eſſe æquivocam & hypocriticam: abundare debere juſtitiam diſcipulorum præ illa, quia ſincera & vera eſſe debet, non fucata & falſa. Alioqui, in juſtitia vera gradus non ſpectantur juxta numerum actuum externorum aut eorum ſpeciem, ſed judicantur à Deo ex ſinceritate & veritate, atque adeo ex intentione, & difficultate. Uno verbo *ex animo*, non *ex actu* externo.

Non tertia, quia non neceſſario verum eſt quicquid nonnullis patribus viſum eſt, qui falli aliquando potuerunt. poſſunt tamen excuſari eorum dicta qui decimas commendarunt tanquam jure divino exigendas; Id enim vel ad præceptum divinum non retulerunt, ſed

 ad ob-

ad objectum, nempe quod talia ſolverentur Deo, quia pertinent ad jus miniſtrorum Dei: vel ſi de præcepto intellexerunt, id accipiendum eſt ratione fundamenti communis, non ſpecialis determinationis, niſi forte id voluerint, introductum fuiſſe poſteà inter Chriſtianos ex jure divino, non quidem ratione obligationis, quæ ceſſavit; ſed exempli & imitationis, quia id Deus olim in populo ſuo præſcripſerat.

Non quarta, quia quæ citantur dicta Chriſti de decimis non omittendis, pertinebant ad legem Moſaicam, quæ tum obſervabatur, etiã ab ipſo Chriſto, tam ceremoniarum quam politiæ ratione. Generalis autem ſententia de *reddendo Deo quod Dei eſt*, nihil determinat. Nec debemus Eccleſiaſticis quæcumque Dei ſunt, cui nos ipſos debemus, & qui tamen bonorum noſtrorum non eget. Petunt autem principium qui ſupponunt hoc tempore Deum ſibi decimas reſervaſſe, & jus illud nunquam remiſiſſe, quod in quæſtione poſitum eſt. Alia enim fuit ratio terræ Canaan, alia reliquarum in orbe poſſeſſionum.

Non quinta, quia quod in ea re Gentes fecerunt ratione falſorum Deorum, non à jure naturali profectum eſt, ſed ab aſtutia diaboli, Dei ſacra æmulantis, & à ſuis idem poſtulantis, quod videbat Deo vero, pios cultores præſtare.

Zepperus lib. 4. de Politia Moſis, cap. 10. fatetur decimas olim ad ceremonias & typos veteris legis pertinuiſſe, quia per decimas quæ ſacerdotibus dabantur, Chriſtum in carnem venturum venerabantur, eique ſeipſos & omnia ſua debere fatebantur. Quo eodem nomine primitias quoque rerum ſuarum omnium, perſolvebant. Sed quemadmodum in quarto Decalogi præcepto, quod ceremoniale eſt, ceſſavit, manente morali: ita & hodiè decimæ pars ſunt ſtipendii, quod miniſtris, pro officii ſui laboribus, divino & naturali jure deberi contendit. Sed negamus id morale unquam fuiſſe, ut *Decimæ* ſolverentur, ratione ſpecificationis. etſi libenter concedamus generale fundamentum eſſe morale & perpetuum, quemadmodum perpetuum eſt, ut merces ſolvatur operario: ſed ut talis & tanta merces, in hac vel illa ſpecie, nuſquam lege naturali vel divina definitum eſt. Debet enim illa aſſignari ex æquitate & juſtitia pro laboris & conditionis ratione.

Non itaque audiendus eſt Baronius, Annalium Eccleſ. Tom. 1. anno Chriſti 57. ſect. 74. & ſequentibus, in quibus locum hunc maximè urget de Melchiſedeko ſacerdote, decimas accipiente, de Gentilibus religionis impulſu, ſæpè in bello de manubiis decimas voventibus, de iiſdem Herculi decimas ſolventibus, apud Plautum in Sticho, & Jovi apud Herodotum in Clio, Apollini & Dianæ, apud Xenophontem in Cyro, quaſi id quodam jure naturæ exigente ab iis factum fuiſſet.

Sed in eo pluſquam dici poteſt, impiè abutitur ſcripturâ, cum poſt allegata ex Philone ſacerdotum Veteris Teſtamenti privilegia, quos ideò vult autor ille, ſatis ineptè, æquiparatos fuiſſe regibus honore ac majeſtate, quia populi talia illis tanquam tributa ſolvebant, ita argumentatur, *ſi talia ac tanta antiquæ legis ſacerdotio debebantur, quanto majora eſſent tribuenda Chriſtianæ Religionis ſacerdotio, quod antonomaſticè Regale appellatum, tanto eſt illo excellentius atque ſublimius, quanto umbrâ veritas, & typo opus magnificentiſſimè abſolutum? Sanè quidem per Melchiſedek Regem & ſacerdotem Chriſtianæ Religionis ſacerdotium præfiguratum; & per Abram qui ei decimam dedit, laicos omnes adumbratos eſſe (figurâ ſignante nimirum præſtandas à laicis ſacerdotibus decimas) Chryſoſtomus adverſus Iudæos diſputans pluribus docet. Conſidera quanta ſit excellentia noſtratis ſacerdotii, quandoquidem Abram Patriarcha Iudæorum, progenitor Levitarum, comperitur benedictionem accipere à Melchiſedek, illique dare decimas.* Scilicet hoc eſt rem acu tangere. Si umbræ & typi externis donariis & privilegiis ex legis debito, & decimarum ſolutione fuerunt ornati, plura debentur talia miniſtris Evangelicis. Ita ne? Primò quis Baronio dixit miniſtros Evangelicos eſſe veritatem comparatos ad ſacerdotes Veteris Teſtamenti tanquam umbras? Audivimus fuiſſe illos Chriſti typos, ſed miniſtrorum Evangelii nunquam. Pergamus; fuerint typi & umbræ, qua igitur connexione probabit Cardinalis, eandem debere eſſe veritatis rationem quæ umbræ, gradibus tantum diſtinctis? Id ergo potius verum eſt, ſi hæc carnalia umbræ fuerunt ſpiritualium, divitiis ſpiritualibus abundare debent ſacerdotes, aut potius miniſtri Evangelici, & eo nomine maximè fulgere, non auro vel argento, vel reditibus Regiis. Tertio, qua ratione comprobabit, Chriſtianæ Religionis ſacerdotium fuiſſe per Melchiſedek figuratum extra perſonam Chriſti? Id falſum eſſe ex Apoſtolo evicimus. Non enim fuit Melchiſedek typus Miniſtrorum Evangelii, ſed unici ſacerdotis æterni. Omnem impudentiam ſuperat quod affirmat laicos fuiſſe per Abramum adumbratos, quia decimas dedit. Cum Apoſtolus contrà aſſerat, ipſos ſacerdotes Leviticos ab aliis fratribus ſuis decimas accipientes, fuiſſe in Abramo decimatos. Imò Abramum neceſſe eſt decimatum fuiſſe qua ſacerdos, ſed à majore minor. Quod autem ex eo probat noſtratis ſacerdotii majorem fuiſſe excellentiam Chryſoſtomus, oratione 4. adverſus Judæos, huc non ſpectat, quia per noſtrate ſacerdotium, intelligit ſacerdotium Chriſti, alioqui Judæis ſe propinaſſet ridendum, quia noverant, unici ſacerdotis in ſcriptura fieri mentionem *ſecundum ordinem Melchiſedek.*

Sed non mirum eſt, ſi ad deſperatæ cauſæ ſubſidium Chryſoſtomum vel invitum appellare voluit, qui auſus eſt ipſum Paulum hujus impietatis citare fautorem, quando cap. 7. Epiſt. ad Ebræos, dixit, *intuemini quantus ſit hic, cui & decimas dedit de omnibus Abraham*

Patriar-

Patriarcha. Quid inde, ergo quilibet ſacrificulus Pontificius Abrahamo Patriarcha excellentior eſt. Apage nugas. An ergo ſacrificulus miſſam celebrans eſt Melchiſedek? Imò dicent ſupra Melchiſedekum, quia typus eorum fuit, in quibus impleta eſt veritas. Siccine? Ergo tot Meſſias habemus quot Miſſifices.

Sed audiamus iterum definientem Cardinalem. *Certè,* inquit, *niſi Paulus voluiſſet ejuſmodi legis præcepta, in Chriſtianam legem transferri* (loquitur de præceptis Moſaicis de decimis, &c.) *nequaquam inde mutuatus eſſet exemplum & autoritatem mandato etiam Domini confirmatam,* 1. Corinth. 9. *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit, ut ii qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant.* Audio, ſed de decimis nihil, de ſacrificiis tantũ quorum pars cedebat ſacerdoti, pro mercede laboris. Si jam noſtri ſcilicet Melchiſedekici ſacerdotes, parte ſui ſacrificii contenti eſſe vellent ſub Evangelio, næ illi frugaliter admodum viverent, nec ita eſſent *ſeſquipede extento pingues aqualiculo.* Sed ad rem, Debuit olim alimentum neceſſarium adminiſtrari iis qui altari ſerviebant, ergo debet alimentum adminiſtrari iis qui Evangelium annunciant. Optimè, & id juris naturalis eſſe fatemur. Quid tum? An propterea ſequitur etiam Evangelicis miniſtris diſtribui debere portiones elixarum vel aſſarum carnium, & planè eadem in ſpecie, quæ iis qui de altari vivebant? Non puto. Sed heus tu, reſponde quæſo, cur Paulus *comparat iis qui altari ſerviunt, eos qui Evangelium annunciant?* Si utrobique fuit altare, & ſub Evangelio excellentius multò, quam malè facta fuit collatio! Certè ex hoc loco patet manifeſtiſſimè, Chriſtiani miniſterii partem præcipuam in Evangelii annunciatione conſiſtere, quod non ita eſſet, ſi, prout volunt Pontificii, ſacerdotium, ſacerdotio; & ſacrificium, ſacrificio, ſucceſſiſſet.

Miſſo Baronio, quem *Communis* Pontificiorum Theologorum ſententia deſerit; convenit inter nos & illos, juris naturalis eſſe, ut qui ſerviunt Evangelio, ab iis quibus illud adminiſtrant, accipiant temporalia; Et ab ipſis Religionis Chriſtianæ initiis, hoc officium fidelibus fuiſſe commendatum. Nec ſanè poſſunt inter fideles numerari jure, qui ſolliciti non ſunt de paſtoribus ſuis, vel iis denegant neceſſaria ſubſidia. Sed ad ſpecificationem quod ſpectat, quam utrique fatemur eſſe juris poſitivi, merito quæritur, quorum ſit eam præſcribere & velut *taxare?*

Pontificii omnes exiſtimant, quod olim jure divino poſitivo, & præcepto ſpeciali fuit Judæis imperatum, illud idem potuiſſe Chriſtianis omnibus præſcribi, jure (ut illi quidem vocant) Eccleſiaſtico. Proinde Pontificis eſſe & Epiſcoporum, decimas, quoad quantitatem, vel præſcribere, vel minuere, prout ipſis viſum fuerit; nec poſſe Chriſtianos detrectare *quotam*, quæ ſemel ipſis fuerit ab Eccleſiaſticis impoſita, ſive fuerit illa decima pars, ſeu duodecima, ſeu decimaquinta; ſeu commutatio aliqua facta fuerit, quam etiam poteſtatis Eccleſiæ volunt eſſe. Id illi ita proponunt ſine ullo ſcripturæ teſtimonio, ſine argumentis quæ vel aliquam habeant probabilitatis ſpeciem.

Agnoſcimus, poſſe Eccleſiaſticos jure ſuo, fideles ad neceſſarium alimentum ſibi ſubminiſtrandum hortari, ingratos reprehendere, indignos etiam judicare bonorum ſpiritualium communicatione: ſed ut ipſi partiantur ſibi terrarum orbem, quantitatem præſcribant, & exigant, ab eorum munere alieniſſimum eſſe, judicabunt omnes qui ſciunt, quantum interſit ut Paſtores alieni habeantur ab omni αἰσχροκερδείᾳ, & ut omnem occaſionem tollant blaſphemandi bonum Dei nomen. Quorum ergo erit? Primùm certè id erit fidelium officium, ut pro ratione benedictionis divinæ, familiæ ſuæ neceſſitatum, & Paſtorum ſuorum ſtatus, liberaliter & honeſtè in ea re ſe gerant, & aſſignet quiſque quod poteſt, in uſum ſacri Miniſterii, poſteà diſpenſandum ab iis quos Eccleſia ad id præfecerit. Sed, ubi eſt Magiſtratus Chriſtianus, qui in Eccleſia curam gerere debet eorum quæ ſunt *extra*, id eſt, quæ non pertinent ad eſſentialia Miniſterii, ſed ad ordinem & politiam; debet ille procurare, ut ex communibus Chriſtianorum bonis, aſſignetur paſtoribus & Eccleſiæ miniſtris ea pars quæ ipſis ſufficere debet, & populum non gravet. Quod ſui juris eſſe crediderunt primi Principes Chriſtiani, qui initio erga Eccleſias liberales fuerunt, & eorum poſteà nonnulli revocarunt legem de decimis, quæ Politica fuit, non Eccleſiaſtica, cujus legis vi, nec ipſi fideles reformati denegant ſolvere decimas, in regnis illis in quibus ſubjiciuntur Principibus qui illas lege ſolvendas ſanciunt. Qua ratione etiam à Theologis reſponſum fuit, nonnullis qui ſcrupulo conſcientiæ ſe teneri pertendebant, ne Pontificiis Eccleſiaſticis ſolverent decimas, qui Idololatriæ ſunt miniſtri. Id nempe non futurum ſine ſcrupulo, ſi quis id faceret ut eorum ſe ſubjiceret conſtitutionibus. Sed quando id Rex præſcriberet, ſolvi debere, ut regis imperio ſatisfieret, cujus poteſtas in ſubditorum bona ſe extendit, rationem Deo redditurus, ſi bona illa attribuat, iis qui maximè ſunt indigni: quod non obſtabit, quin obedientiæ laudem referant, qui ordini politico ſe ſubjecerunt. Et hæc quidem de decimis, pro loci ratione ſatis.

Exercitatio LXXXI.

Anima, *pro* animabus *collectivè*. Animæ *pro perſonis. Hoſtibus erepta, non poſſe jure vindicari ab iis qui amiſerant.* Levare manum ad Dominum. *formula juramenti apud multas gentes uſitata.* A filo ad corrigiam calceamenti, *Adagium. Æquitas Abrami de iure ſuo remittentis. Ejus ad eam rem motiva, verè heroica. Cur non etiam exceperit decimas Melchiſedeko oblatas, ſicut excepit quæ milites comederant?*

Hactenus de geſtis cum Melchiſedeko. Sequuntur quæ inter Abramum & Regem Sodomorum acta fuerunt, verſib. 21. & 22. in quibus hæc ſunt notanda; petitio & conceſſio Regis, Reſponſio Abrami juramento firmata, & ratio ab ipſo addita. Regis petitio, eſt in his verbis תן לי נפש *then li nephes*, da mihi animam. In qua phraſi, *anima* ſingulari numero collectivè accipitur, pro *animabus*. Animæ autem Synecdochicè, pro perſonis; neque enim ſub animabus comprehenduntur animalia bruta. LXX interpretes vertunt, τοὺς ἄνδρας. Sed fœminas etiam intellexit, qui petebat animas. Sic Geneſ. 36. verſ. 6. *Et omnes animas domus ſuæ.* Deut. 10. verſ. 22. *Cum ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum.* Petit ergo Rex ille, ut Abram reſtituat ipſi perſonas quæ abductæ fuerant ab hoſtibus, & quas ille receperat ex eorum manibus, quæ tamen Abrami ex belli jure eſſe poterant, quia ſervituti addicebantur, qui in bello ſervabantur, ex jure gentium. Ex quo extra controverſiam ponitur, ea quæ per nos hoſtibus erepta fuerunt, non poſſe vindicari ab his qui ea poſſederant anteà & bello amiſerant, quia jus gentium, id hoſtibus tribuerat externum dominium, quod à nobis ablatum fuit, & nobis ceſſit. Hinc eſt quod Iudic. 11. verſ. 23. & ſeqq. cum Ammonitæ litem intenderent Iſraëlitis, & repeterent tanquam ſuam terram illam quam Iſraëlitæ devicto Sichone Amorræorum Rege, poſſederant, quæ ab Amorræis antea fuerat ablata Ammonitis; renuit populus Iſraëlis, & electo Jephte belli duce defendit ſe, primùm rationibus, deinde juſto bello. *Nunc autem*, inquit, *Iehova Deus Iſraëlis ejecit Emorræum à facie populi Iſraelis, & tu illius hæres eſſes?* Sic apud Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 6. Cum Volſci olim à ſe poſſeſſa à Romanis repeterent, Reſpondet Titus Largius, *Romani nos honeſtiſſimas eas atque juſtiſſimas credimus poſſeſſiones, quas belli lege captas habemus, neque verò induci poſſumus, ut ſtulta facilitate deleamus virtutis monumenta, ſi eas illis reddamus quibus ſemel perierunt.* Quod de poſſeſſionibus dicitur, id etiam ad omnia debet extendi quæ juris alieni fieri poſſunt. Quamobrem non potuit Rex Sedomi ſuo jure, ab Abramo repetere *perſonas*, eaſque ſibi vendicare, niſi fortaſſe fuiſſet Abrami fœderatus; tunc enim ſumptibus belli refuſis, potuiſſet omnia recipere quæ vindicata fuerant ex rebus ſuis. Itaque, videtur id ab Abramo petere ex humanitate, non ſtricto jure; Cum ipſe etiam ultrò concedat Abramo, reliqua omnia quæ recuperata fuerant. Omnia autem æquo jure ipſius erant. Quamvis Rex ille cum aliis vicinis impius fuerit, ut ex ſequentibus patebit, in hac tamen petitione virtutis aliquam ſpeciem exhibuit, & verè regii animi, quem videbatur magis ſollicitare perſonarum cura, quam opum & divitiarum. Eſt enim boni Regis officium, eorum quibus imperat ſaluti & libertati, alia quævis temporalia bona poſtponere; quia utilitatem eorum quibus præeſt magis quam ſuam ſpectare debet, niſi tyrannus audire velit. Sed externæ tales aliquando virtutis ſpecies in impiis reperiuntur, quæ veræ virtutes non ſunt, ſed virtutum ſimulachra, præſertim ſi judicem Deum ſpectemus qui renes & cor ſcrutatur.

In eo etiam æquitatem præ ſe fert, quod Abramum fraudare nolit, jure ſuo in reliqua quæ ablata fuerant, nec ei præmium & mercedem rei benè geſtæ detrahere. Sed notandum eſt Abrami reſponſum, cum ejuſdem ratione. Primùm ut in re magni momenti, juramentum interponit, cujus etiam externum ſignum aut geſtus externus, pro ipſo juramento, ponitur. הרימתי ידי אל יהוה *harimothi jadi el Iehova.* רום *Rum*, eſt *levare, elevare.* Levavi manum meam ad Dominum. id eſt, *juravi Domino.* Alludit autem ad verba Melchiſedeki cum addit, *poſſeſſori cœli & terræ*, Unde quidam inferunt Regem Sedomæ præſentem fuiſſe, cum Melchiſedek occurrit Abrahæ. Jurantis habitus & geſtus fuit, manum ad Dominum cœlum verſus attollere: Unde poſteà adagialiter uſurpatum fuit, manum levare, pro *jurare.* Hoc etiam tempore in multis nationibus in uſu eſt, manum aut digitum attollere in ſignum juramenti: & in Gallia ſolent judices, ubi de ſolemni juramento quæſtio eſt, hoc jubere, *Attolle manum,* exceptis tantum Eccleſiaſticis, qui manum pectori admovent. Sic etiam apud Italos, Germanos & Hiſpanos jurantes extollunt digitum. Antiquitus idem apud Romanos uſitatum fuiſſe, teſtatur Cicero, ſexta Verrina, *digitum tollit Iunius.* Ita ſolebant vota nuncupare ſublatis in cœlum manibus. Græci dicebant τὰς χεῖρας πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχεῖν, ut legitur apud Briſſon. de formulis. Sic intelligendum quod hic habemus, Levo manum, id eſt, *Levavi manum meam ad Dominum*, loquitur enim de promiſſione quã anteà Domino fecerat q. d. hoc ego vovi Domino, me nihil de eo

quod

quod tuum fuit uſurpaturum. Non enim puto fuiſſe ſimplex juramentum hominifactum, ſed votum emiſſum ad Deum, propter cauſſam, quam poſteà adducturus eſt. Hac ceremoniâ, promiſſi veritatem & efficaciam ſignificabat, quæ ab humano more tribuitur etiam Angelis, imò ipſi Deo, Apocal. 10. ℣. 5. *Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, levavit manum ſuam ad cœlum, & juravit per viventem in ſecula ſeculorum.* Quod anteà legebatur apud Danielem, cap. 12. ℣. 7. *Cùm elevaſſet dextram ſuam & ſiniſtram in cœlum, & juraſſet per viventem in æternum.* De Deo, Exod. 6. ℣. 6. *In terram ſuper quam levavi manum meam, ut eam darem Abram.* Item Num. 14. ℣. 30. ubi iiſdem utitur verbis, & Deut. 32. ℣. 40. *Levabo ad cœlum manum meam, & dicam, &c.* uſurpatur ergò proverbialiter, pro eo quod eſt ſeriò & cum juramento promittere, ſeu Deo, ſeu homini.

Promiſit autem ſe nihil quicquam accepturum ex rebus quæ fuerant Regis Sedomi, quod ut efficaciſſimè exprimeret, uſus eſt aliâ loquendi formâ proverbiali, אם מחוט ועד שרוך *im michut veadh ſerok, ſi à filo, uſque ad corrigiam calceamenti,* &c. ubi LXX. ἀπὸ σπαρτίου, ἕως σφαιρωτῆρος ὑποδήματος. Vulgata, *à filo ſubtegminis, uſque ad corrigiam caligæ,* quæ etſi ſenſum utcunque exprimat, mutat nihilominus verba, & aliquid de emphaſi detrahit. Senſus eſt, vel ſi minimum quid accepero, nihil enim vilius filo, aut corrigia calceamenti, nedum ut vellet accipere res pretioſas. Ex filo texuntur veſtes, qui ne filum quidem vellet accipere, nollet veſtes pretioſas ſibi ſervare. Qui corrigiam calceamenti, quæ inter viliſſima numeratur, noluit retinere, ſatis oſtendit ſe ab aliis omnibus velle abſtinere. Tale eſt quod apud Latinos dicitur, *ne teruncium quidem* attigit, vel tacturus eſt, apud Ciceronem lib. 2. famil. Epiſtol. ad Caninium. Simile quid legitur apud Syracidem Eccleſ. 46. ℣. 22. de Samuele, χρήματα, καὶ ἕως ὑποδημάτων ἀπὸ πάσης σαρκὸς οὐκ εἴληφεν, *pecuniam, & uſque ad ſoleas ab ullo homine non accepit.* Senſus eſt apud Samuelem lib. 1. cap. 12. 4. *nihil quicquam à quoquam abſtulit.* Profitetur itaque Abramus ſe nih'l quicquam accepturum ex iis quæ Regis Sedomi erant.

Ubi quærunt nonnulli, an aliqua eſſent Regis Sedomi, quæ in bello amiſerat, & quorum jam bis tranſlatum erat dominium? Solutio facilis eſt, intellexiſſe Abramum, non quæ ejus tum eſſent, quia ad illa jus non habebat, ſi rigidè voluiſſet agere Abramus, ſed quæ ejus fuerant. Id autem Abram dixit, ut diſtingueret prædæ partem, quæ non fuerat regum Pentapoleos, ſed regum Aſſyriæ, quam Abramus retinebat, redditis eis quæ fuerant fugitivorum Regum. Excipit autem ex eorum parte duo. 1. ea quæ milites comederant. 2. ea quæ belli ſociis cedere debebant; nam etſi de jure ſuo remitteret, noluit juris alieni liberalis eſſe. Ex quo ſequitur, judicaſſe Abramum, jure belli, omnia quæ recuperata fuerant, ſibi & ſociis eſſe acquiſita, quæ potuerit retinere, ſi voluiſſet.

In hoc Abrami facto habemus praxin regulæ, quam Apoſtolus poſteà ſequutus eſt; *Omnia mihi licent, ſed non omnia mihi expediunt.* 1. Corinth. 6. ℣. 12. & 10. ℣. 23. Ubi oſtendit qualis debet eſſe uſus rerum mediarum, & qua prudentia utendum eſt, ne libertate noſtra aut jure abutamur importunè; ubi ex iis, quæ alioquin licent, poſſet aliquod oriri ſcandalum. Sic licebat eidem Paulo de Evangelio vivere, & mercedem accipere ab iis quos docebat; noluit tamen pro ratione temporis, & maluit propriis manibus operari. *Ego* (inquit) *nullo iſtorum ſum uſus, neque verò hæc ſcripſi, ut ita fiat in me; nam bonum eſt mihi mori, potiùs quàm ut gloriationem meam aliquis inanem reddat.* Gloriatio autem illa erat, quod gratis evangelizabat, quod tum faciebat ad maximam Dei gloriam, ne infirmi, & adhuc neophyti putarent, Apoſtolum lucrum captare ex illo officio, non autem eorum ſalutem præcipuè procurare.

Similis fuit ratio Abrami hoc loco. Poterat omnia bello capta ſibi & ſuis retinere, nec id negabat Rex Sedomi. *Nihil tamen accipiam* (inquiebat ille) *ne dicas,* אני עשרתי אברם *ani heeſcharti Abram, ego ditavi Abram.* Quod non putandum ab Abramo dictum fuiſſe jactantiæ cauſsâ, vel inani famæ ſtudio, etſi vir prudens famam non debeat negligere. Sed alia fuit ratio, quæ ſpectabat Dei gloriam. Cùm enim abundè benedixiſſet Abramo, & porrò benedicturus eſſet Deus, videbat vir ſanctus, ſi ea ſibi reſervaſſet quæ regum iſtorum fuerant, calumniæ materiam uberem inde deſumpturos, & detracturos fuiſſe vicinos illos benedictioni divinæ, quaſi non ab ea profectum eſſet, quod tantis bonis ditatus eſſet Abram, ſed quod vicinorum divitias ſibi reſervaſſet. Id maximè ſpectabat, ne etiam eximii illius facti gratia deperiret, quo tam promptè & ardenter hoſtes perſecutus eſſet, ut nepotem liberaret; videbat enim proclive futurum, ut dicerent non charitate permotum, ſed allectum ſpe maximi lucri tantum facinus fuiſſe auſum. Hæ & ſimiles conſiderationes piæ, prudentes, & heroicæ, Abramum moverunt ut votum illud Deo nuncuparet, & ſe juramento aſtringeret. Qua in re oſtendebat ſe totum à Deo pendere velle, & benedictione ejus contentum, parvi ducere ea quæ ab hominibus magni fiebant.

Ex dictis apparet, verba Abrami per præteritum à noſtris interpretibus commodiſſimè exponi, neque propriè juraſſe Abramum Regi Sodomorum, ſed ne putaret ille, Abramum recuſare quæ ipſi offerebantur non tam ſeriò & ex animo, quàm ex more eorum qui ſe ad humanitatem fingere volunt, ipſi declaraſſe, cujus cauſsâ id faceret, & qua obligatione devinctus, ne etiam ipſum diutiùs urgeret, quaſi diceret; Id neque volo, neque etiam poſſum; nam priuſquam quæ tua fuerant mihi offerres, jam tum id voveram Domino,

&

& juramento confirmaveram, me non quicquam quod tuum fuiſſet accepturum. Qua in relatione ita ſe geſſit, ut occaſione ſumpta, verum Deum gentibus illis commendaret, & gloriam omnium beneficiorum in ipſum derivaret; cùm illud jam notum haberet, quod diſcipulos ſuos docuit Dominus, Matth. 6. ℣. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & iſta omnia adjicientur vobis.*

Quod nonnulli quærunt, cur Abram non excceperit decimas Melchiſedeko oblatas, quemadmodum excepit, quæ comederant milites, & partem confœderatorum, poſſet ſolvi, ſi diceremus, prius tempore à fuiſſe quæ de Rege Sodomorum narrantur, etſi per ὕστερον πρότερον, Melchiſedeki mentione injecta, recitaverit quod poſteà actum eſſet; proinde decimam dediſſe de omnibus quæ ipſi ſupererant, poſt reſtitutas facultates ſpoliatorum. Alioqui non improbamus quod alii dicunt, ejus rei mentionem non feciſſe Abramum, quia tum fortè præſens erat Rex Sodomorum, cùm oblatæ fuerunt decimæ. Malim tamen prius illud, ut ſenſus ſit, dedit ei decimas de omnibus, quæ in partem ejus venerant.

AD CAPUT XV.

Exercitatio LXXXII.

Fuit verbum, *quæ phraſis? Abram Propheta. Metus Sanctorum in divinis apparitionibus. ὑπερασπισταὶ qui? Abrami metus quis fuerit? Mercedis promiſſæ nomen ad quid referatur?* Mercedis *nomen an ſemper* meritum *ſupponat, diſputatur contra Pontificios.* Mercedis *diſtinctio. Objectiones & inſtantiæ Bellarmini, pro merito, ſolvuntur. Nomen tetragrammaton junctum nomini* Adonai, *ſumit puncta nominis* Elohim. *Filius* meſchek, *qui dicatur? An querela de orbitate, Abrami fuerit ex diffidentia promiſſionis divinæ? Negatur, & explicatur.* Liberi, *cur* fructus ventris *dicantur? Comparatio* ſtellarum cœli *frequens pro multitudine. An ſtellæ cœli numerari poſſint?*

De apparitionibus divinis aut viſionibus, Abrami reſpectu, anteà dictum fuit, nec jam immorari lubet in eo quod cap. 15. initio dicitur, *fuiſſe verbum Domini ad Abram in viſione.* Niſi quod notanda eſt phraſis illa היה דבר *hajah devar*, *fuit verbum*, quæ frequens eſt, ubi agitur de allocutione Dei ad Prophetas; Vulgata, *factus eſt ſermo.* Eſt autem hic Ebraiſmus, ac ſi diceret, *locutus eſt Deus.* Ex quo patet Abramum meritò inter Prophetas annumerari. Sed verbum illud Domini eſt expendendum, in quo eſt *mandatum & promiſſio. Ne timeas Abram*, אנכי מגן לך שכרך הרבה מאד *anoki magen lac ſecareca harbeh meod, ego clypeus tuus, & merces tua magna valdè.* Metu aliquo perculſum fuiſſe ſanctum virum, ex verbis hiſce Domini conſtat, ſed qualmetu in dubium vocatur. Certum eſt, quod Pareus notat, pleroſque ſanctos viros fuiſſe perturbatos quotieſcunque Deus ſe ipſis in viſione manifeſtavit, & hoc ſingulari præſentiæ Dei ſigno fuiſſe conſternatos. Id etiam ipſis accidiſſe ex inſolita Angelorum apparitione. Daniel cap.10. ℣. 8. fatetur ſe, cùm videret *viſionem magnam*, manſiſſe omni fortitudine deſtitutum. Sic Angelus Gabriel Mariæ timenti dicebat, *Ne timeas Maria.* Exiſtimo tamen alium fuiſſe in Abramo timorem aut metum, qui non tum primùm cœpit, cùm Deus ipſi in viſione apparuit, ſed anteà eum coquebat, cujus etiam depellendi cauſsâ, Deus ipſum alloqui voluit. Ratio cur id ita ſentiam, eſt, quod Deus ipſi protectionem promittit adverſus hoſtes ſuos. Hoc enim vult *clypei* nomen metaphoricum, quod eleganter, ad ſenſum quod attinet, expreſſerunt LXX. ἐγὼ ὑπερασπίσω σου. Sunt enim Græcis ὑπερασπισταὶ, qui clypei objectu, alterum contra omnes inſultus protegunt. Eſt autem phraſis in Scripturis uſitatiſſima; ut Pſalm.7. ℣.11. *Clypeus meus Deus.* Pſal. 18. ℣.31. *Omnibus ſperantibus in eo*; quod idem habetur, 2.Sam. 22. ℣.31. & repetitur Pſalm. 59. ℣. 12. & alibi ſæpè in Pſalmis, & Proverb. 30. ℣. 5. Unde liquet, maximè probabile eſſe Abramum fuiſſe ſollicitum, ob multiplices hoſtes, à quibus ſibi metuebat, quales erant Reges quos debellaverat, qui, quamvis aufugiſſent, fortaſſè minabantur, poſt copiarum ſuarum inſtaurationem. Addi poteſt quod exteris uſu venit in alieno ſolo, præſertim ſi proſperè agant, invidiæ enim obnoxii ſunt, & ſi divitiis & gloria affluant, non ſunt extra periculum. Hæc cùm Abramus apud ſe perpenderet, rerum & morum non ignarus, potuit in eum metus cadere, qui in conſtantem alioqui virum. Idcircò Deus ipſum confirmat, & promiſſionibus ſuis reddit ſecurum. Neque enim quamvis eſſet pius & ſanctus, tamen omnium infirmitatum exors erat, ut ſubinde non haberet opus divinis conſolationibus & promiſſis, quibus erigeretur ipſius animus: idque Scriptura non tacet, ut heroicas illas virtutes quæ in ipſo emicarunt, gratiæ divinæ præſertim tribuamus, ſciamuſque ipſum, protectore Deo, ſervatum fuiſſe adverſus omnes ſpiritualium

lium & temporalium hoſtium inſultus.

Non autem voluit Deus ipſum tantùm contra metum confirmare, ſed etiam erigere in ſpem bonorum, quæ à Deo expectare debebat Abram, quæque hoc loco, *mercedis* nomine proponit, ejuſdemque *valdè magnæ*, id eſt, *maximæ*. Cùm enim ſuperlativum Ebræi non habeant, illum ſupplent adjectâ voce *meodh*. Sed dubitari poteſt, an hìc *mercedis* nomen abſolutè intelligi debeat, & indefinitè poſitum, ut ſit ſenſus, *merces tua eſt*, *aut erit maxima*: an ad Deum ſit referendum, qui futurus ſit merces Abræ. Dubitandi ratio eſt, quod Deus dicatur *clypeus*, adjungatur autem per copulam conjunctivam, *& merces tua*, *&c.* Atque ita videatur eſſe conſtructio talis, *Ego ſum tuus clypeus, & ſum tua merces.* Nihilominus poſſunt etiam diſtingui, ita ut Deus de mercede non loquatur in prima perſona, ſed in tertia, *merces tua magna*, ſubintel. *eſt*. Hoc poſteriori modo verterunt Trem. & Junius, *Merces tua eſt ampla valdè.* Quæ fuit etiam LXX. interpretatio; ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται σφόδρα, *merces tua ampla erit valdè*; & certè ad rem. Nec aliter Abram intellexit. Si enim hæc verba ſignificarent Deum ipſum eſſe *mercedem*, id eſt, ſe ipſum dare fideli ſuo ſervo, quorſum Abram ſequenti verſu in hæc verba prorupiſſet, *Quid dabis mihi*, *&c?* Ille enim talem mercedem intelligebat, qua augendus eſſet bonis temporalibus, & cogitabat de terra ſibi antè promiſſa. Alioqui, ſi de ipſo Deo id intellexiſſet, non objeciſſet ſe hæredem non habere, cui transferret hæreditatem illam. Fateor, Deum *mercedem* non ſolùm *paſſivè* dici poſſe, ſed etiam *activè*, per metonymiam effecti, quo ſenſu qui dicit, *Ego ſum clypeus tuus*, id eſt, *protector*, dicere potuit, *Ego ſum merces tua*, id eſt, *retributor*, qui ſenſus in idem recidet, ſed alter eſt ſimplicior. Chryſoſtomo autem viſum eſt, promiſſionem mercedis divinæ, oppoſitam fuiſſe à Deo rejectioni prædæ illius quam poterat retinere, ſi voluiſſet, non invito Rege Sedomi; remiſerat autem, & de eo votum Deo emiſerat, ne alii videretur opulentiam ſuam debere, quàm Deo. Itaque Deum immediatè poſt hæc acta, promiſiſſe amplam mercedem, ei qui ſpreverat ſpolia & prædam juſtè ſibi acquiſitam, ne ea occaſione aliquid Deo detraheretur. Quam Chryſoſtomi ſententiam, id nempè ea occaſione dictum fuiſſe, circumſtantia loci probabiliſſimam reddit. *Noluiſti* (inquit Chryſoſtomus) *mercedem accipere pro laboribus quos ſuſtinuiſti, t..ctis periculis te ipſum objiciendo, ſed contempſiſti & Regem, & munera ejus*; *ego tibi mercedem dabo*, *non tantam, quantam accepturus eras, ſed multam, & valdè multam.* Hæc ille.

Hìc litem nobis intendunt Pontificii, quod *meritum* propriè dictum non agnoſcamus, cùm *merces* meriti correlatum, tam expreſſè in Scriptura reperiatur; & hoc ipſo loco Leonardus Marius, *Cùm*, inquit, *hæreticis præſentem locum objicimus, ad probanda bonorum operum noſtrorum merita, eo quod merces præſupponat meritum, ferè reſpondent, Deum dare mercedem ſine merito. Sed apud omnes qui rem ipſam examinant, & in omni lingua, differunt donum & merces, ſicut apud Græcos δῶρον & μισθός.* Non erit ergò abs re, ſi hoc loco, ubi primùm *mercedis* nomen occurrit, ubi agitur de Deo erga hominem, examinemus quam vim habeat πολυθρύλλητον hoc adverſariorum argumentum, ut *mercenariis* iſtis, ſi fieri poſſit, os occludamus.

Id primùm notandum eſt, non diſputari de propria & grammatica vocis ſive Ebrææ, ſive Græcæ ſignificatione. Uſitatum enim eſſe, ut *merces* vocetur, quod alicui datur pro labore, quamvis etiam apud Jureconſultos, pro ea pecunia ſumatur, quæ ex prædiorum ruſticorum locatione percipitur, quam ſignificationem ad inſtitutum hoc noſtrum non pertinere fatemur. Neque negamus, Scripturam ut plurimùm, quando meminit *mercedis*, etiam ubi agitur de Deo mercedem dante, reſpicere aliquam actionem præcedentem, in eo cui merces redditur. Sed in eo eſt controverſia, an id quod præcedit, habeat veram meriti rationem, reſpectu retributoris Dei, & æqualem dignitatem cum ea re quę pro mercede donatur, atque adeò an apud Deum habeat meriti veram rationem: vel an relatio illa inter *mercedem & meritum*, tam ſit neceſſaria ſemper, quàm filii & parentis, mariti & uxoris, domini & ſervi, montis & vallis, taliſque, ut unum ſine alio ne concipi quidem poſſit? Hoc volunt adverſarii perpetuum eſſe, nos diſtinguimus.

Dicimus ergò, mercedis nomen ſumi, vel in propria & rigida ſignificatione, & tunc ſupponere laborem condignum, cui merces illa debetur ex merito, talemque, ut plurimùm, eſſe mercenariorum, quibus datur pro laboris ratione, & pro rei præſtitæ dignitate. Hinc eſt, quod non tantùm temporis, vel etiam difficultatis habetur ratio, ſed maximè elegantiæ operis, etſi temporis, vel laboris minus fuerit inſumptum: pertinetque mercedis diſtributio ad juſtitiam commutativam inter homines. Et in hoc ſenſu procederet argumentum adverſariorum. Sed alia eſt mercedis ſignificatio figurata, & per quandam ſimilitudinem ſic dicta, quam optimè expreſſit Lutherus in libro de ſervo arbitrio. *In merito*, inquit, *& mercede, agitur de dignitate, vel de ſequela, verbum mercedis de præmiis bonorum operum uſurpatum reſpicit ſequelam, non autem dignitatem meriti.* Imò ſimpliciter aliquando pro dono Dei gratis dato ſumitur mercedis nomen in Scriptura. Sic Pſal. 127. ỿ. 4. *Ecce hæreditas Iehovæ filii: merces, fructus ventris*, ubi pro eodem ſumit *hæreditatem & mercedem*; & ubique etiam Genebrardo fatente, donum Dei intelligit, qui etiam *mercedem & lucrum* pro eodem ponit; poſſe autem eſſe lucrum ſine merito, nemo negare poteſt, etiam in rebus humanis. Geneſ. 30. ỿ. 18. *Reddidit Deus* (inquit Lea) *mercedem meam, poſtquàm dedi ancillam meam viro meo.*

An in hoc facto fuerit aliquod meritum, neſcio an Pontificii dicturi ſint. Certè paulo poſt verſ.20. poſtquàm rurſus peperiſſet Lea, quod anteà mercedem vocaverat, *bonum donum* appellavit; *Donavit me Deus bono dono.* Ex quo patet, id non duxiſſe loco mercedis propriè dictæ. Quid, quod ſi hoc loco Geneſ. quem explicamus, *Deus ipſe* ſit *merces*, ut loquuntur *ſubſtantialiter*, utpote qui ſe ipſum dat, quomodo propriè & ſecundum proportionem, qui ita inter Papiſtas ſentiunt, poterunt nomen mercedis accipere?

Ne autem rationibus & conſequentiis tantùm agamus, ut noſtrã confirmemus diſtinctionem de mercede ſumpta propriè vel impropriè, en producimus autorem noſtrũ Paulum Rom.4. ℣.4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito.* Ibi manifeſtiſſimè diſtinguit Apoſtolus duplicem mercedis imputationem, unam quæ fit ex gratia, alteram quæ fit ex debito; ex qua diſtinctione ſequitur, ubi eſt debitum ratione operis & meriti, non eſſe gratiam; ubi autem eſt gratia, non eſſe debitum. Et aliquam eſſe *mercedem ex gratia*, quæ proinde non ſit *ex debito*; malè igitur argumentari Pontificios à communi indiſtincto, ut ſi quis diceret, ſi canis eſt, ergo latrat, ſi taurus, ergo cornua habet. Non enim id ſequitur in voce æquivoca. Rectè itaque Ambroſius Epiſt.1. circa medium, cui ſatis erat nota mercedis relatio & ſignificatio, *Alia*, ait, *eſt merces liberalitatis & gratiæ, aliud virtutis ſtipendium, alia laboris remuneratio.* Nec aliter Auguſtinus, in Pſal.31. *merces noſtra gratia vocatur, ſi gratia eſt, gratis datur, quid eſt gratis datur? gratis conſtat.* Et paulò poſt, *Non tibi reddit Deus debitam pœnam, ſed donat indebitam gratiam.*

Non ergo hic comminiſcimur Metaphoras extra ſcripturam, ſed quam attulit divina ſcriptura diſtinctionem, ea utimur. Alioquin fatemur à propria ſignificatione verborum non eſſe diſcedendum, niſi id poſtulet neceſſitas, & loci circumſtantia. At objiciunt Pontificii, *Quod verbum nihil ponit evidenter aut impoſſibile, aut abſurdum, illud eſt ad litteram accipiendum: Tale eſt Mercedis nomen, ergo, &c.* Reſp. majorem non eſſe univerſaliter veram, nam aliquando ubi litera abſque abſurdo ullo retineri poſſet, loci tamen circumſtantia facit, ut melius figuratè accipiatur: Ut in eo quod Apoſtolus dicit de *bove triturante*, nihil eſt abſurdi ſi ad lit. intelligatur, rectius autem ad Pauli intentionem, de *Miniſtro Evangelizante* intelligitur. Nec certè omnes tropos aut figuras introduxit abſurdorum evitandorum neceſſitas, ſed ornatus aliquando, ut teſtantur Rhetores. Sed minorem negamus; Planè enim abſurdum eſt, & contradictorium, ſi quis debitum & gratiam, mercedem gratuitam & meritum propriè dictum, componere velit. Ideò neceſſario recurrendum eſt ad figuratam, quam diximus, interpretationem.

Objicit Bellarminus, ſcripturam diſertè dicere, *hanc mercedem dari operibus, ſi autem ita ſit, bona opera quibus illa redditur eſſe merita.* Matth.20.℣.8. *Voca operarios & redde eis mercedem.* Reſpondemus, nuſquam dici reddi operibus mercedem, ſed reddi operariis. An vero pro dignitate & merito operis, quæſtio eſt. Hoc nos negamus ubi agitur de Deo remunerante. Etſi enim in parabola talis videatur eſſe ratio, non tamen omnia quæ in parabola dicuntur ad ἀπόδοσιν ſpectant. Hoc tantùm, Deum poſt hujus vitæ decurſum, omnibus qui vocationem ſuam amplexi ſunt, iis etiam qui tardius, daturum vitam æternam. ut pater familias omnibus qui in vinea laborarunt dat denarium. Ubi etiam non poteſt eſſe meritum, cum inæqualibus detur æquale præmium. Quicquid ſit, Paulus dicit *non operanti, ſed credenti*; Ergo non operis merito, ſed fidei in Chriſtum tribuitur merces. Et tamen ſi operariis daretur contemplatione operis, valeret adhuc diſtinctio noſtra de mercede gratuita: quia merces in genere dicitur, quicquid alicui datur poſt præſtitum laborem, ſive multum id ſit, ſive exiguum, ſive labori reſpondeat, ſive minus.

Urgent adverſarii verbum ἀποδιδόναι, quo utitur ſæpè ſcriptura, quo tamen nihil concludere poſſunt pro mercede debita. Nam, ut benè notavit Baſilius in Pſal.7. *Mos eſt ſcripturæ, retributionis nomen non ſolùm in præmium aliquod boni & mali accipere, ſed in actionum principio, ut retribue ſervo tuo, pro tribue.* Ipſi Ethnici in tenebris ſuis hoc viderunt, quod Ariſt. lib. 8. Ethic. cap. 16. ſcribit de progenitoribus quod οὐδεὶς τὴν ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη, nullus reddere poteſt progenitoribus condignam gratiam. An igitur erit, qui Deo poterit reddere quod parentibus non poteſt? Nec valet etiã quod aliqui dicunt de proportione graduũ inter mercedem & opus, quam probare conantur ex Matth. cap. 10. verſ.41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.* Nam ex hoc loco patet non agi de gradibus operum & mercedis, ſed de qualitate; ſi itaque ibi & aliis in locis ſimilibus, reperiantur aliqua vocabula proportionis, nullo modo intelligenda eſt ea quæ meritum facit, quæ proportio eſt *pretii & æquivalentiæ*, quam Paulus exertè negat reperiri, inter paſſiones temporis præſentis & venturam gloriam; Rom.8. verſ.18. Sed de aliqua proportione, *ordinis, conſequentiæ, & ſimilitudinis*, quæ inter gratuitam mercedem, & opera quæ ipſam præcedunt reperiri poteſt, ſine ulla *Meriti* conſequentia. Nec etiam ibi agitur de proportione inter meritum & mercedem, ſed inter mercedem Prophetæ & juſti, & mercedem eorum qui utrumvis recipiunt, ex quo iterum conſequitur, mercedem gratuitò donari. Si enim ſpectanda eſſet proportio æquivalentiæ & graduum, quomodo poſſet æquari viduæ Sareptanæ merces, cum mercede Eliæ quem hoſpitio recepit? Agnoſcenda igitur eſt Dei liberalitas. Si ergo quandoque occurrant loca in quibus vo-

bus voces illæ *ſecundum*, *quia*, *nam*, & ſimiles quæ cauſam notare videntur, legantur, & videantur eo trahi poſſe ut denotent obedientiam noſtram cauſam eſſe mercedis & retributionis promiſſæ vel exhibitæ, quaſi non daretur tanquam conſequens poſt antecedens, ſed ratione dignitatis ipſius, meminiſſe oportet ſæpè in ſcriptura, & ſemper talibus in locis, haſce particulas indicare, non illationem cauſæ ad effectum, meriti ad compenſationem, ſed ſigni & teſtimonii, ad rem ſignificatam & teſtificatam; quemadmodum; cum judicamus de vita ex habitu aut motu, de arboris bonitate ex fructu, ita ex actionibus charitatis de fide, & de iis quibus vita æterna donabitur, ex notis pietatis.

Inſtant adverſarii, putantque ita ſe nodum magis ſtringere, cum dicunt ſe non ſimpliciter à mercede argumentari, ſed ab ea quæ certis deſcripta eſt circumſtantiis, ex quibus meritum ſequitur. Si, inquiunt, aliqua mercede, quædam opera bona ſecundum modum aliquem juſtitiæ compenſari debent, dubium non eſt, quin talia opera ſint proprie, ex condigno, talis mercedis meritoria: Eſſe autem talia opera probant, ex Jac. cap. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe.* Item 2. ad Tim. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo tempore juſtus judex, &c.* Reſpondemus, aliam eſſe compenſationem qua pro uno redditur aliud, aliam qua propter unum aliud redditur. Prima eſt, ut cum pro afflictionibus redditur ſolatium; pro labore, quies; pro bono, malum; aut contrà, & tunc non eſt ratio meriti. Secunda, ut cum propter depenſum aureum, datur ager; Et tunc eſt meriti & dignitatis ratio. Prima locum habet inter Deum & homines, ſecunda non item. Nec juſtitiæ nomen aut juſti judicis qualitas in compenſatione reddenda, meritum infert; quia alia eſt juſtitia conſtantiæ & veritatis, alia commutativa ſive permutationis. Prima vult, ut qui promiſit, ſtet promiſſis, vel propter ſolam promiſſionis rationem, quæ tantum abeſt ut meritum præſupponat, quod neceſſario conjungitur cum bono promittentis, quod ad meritum requirunt Papiſtæ, ut contra etiam cum damno promittentis poſſit conſiſtere. Laudatur enim Pſal. 15. *Qui juravit in malum & non mutat.*

Si igitur adverſarii majorem ſuam intelligunt de compenſatione qua propter unum datur aliud, aut de juſtitia commutationis, negabitur à nobis minor, conceſſa majore. Talia enim ab hominibus fieri poſſe opera non probabunt. Si major autem intelligatur, de compenſatione conſequentiæ, & juſtitia promiſſi aut veritatis, negabimus connexum majoris, talia opera quæ ita compenſantur de condigno mereri mercedem promiſſam & ſequentem. Cum enim exempli gratia, de eo qui ſuffert tentationem dicitur quod coronam accipiet, non idem eſt ac ſi dicamus tentationis patientiam eſſe meritum dignum corona, cum habeamus contrarium Pauli Apophthegma Rom. 8. de quo ſuprà, *non ſunt condignæ paſſiones, &c.* Senſus ergo erit, compenſatum quidem iri tentationes corona illa, ſed compenſatione ſucceſſionis & promiſſionis, non æquivalentiæ & condigni.

Inſtat iterum Bellarminus, nunquam id mercedis nomine appellari poſſe, quod propter ſolam promiſſionem verè ac propriè debetur, niſi conditio operis & conditionis impletio intervenerit, quia eſſet duriſſima & intolerabilis Catachreſis, ſi quis donativum à rege promiſſum ex mera liberalitate, ſine ulla conditione operis, mercedem appellare vellet. Reſpondeo, talem Catachreſim, quam intolerabilem dicit, ſcripturam uſurpaſſe jam anteà probavimus, ubi *merces* ſimpliciter pro gratuito dono ſumpta eſt. Nec eam intolerabilem judicavit Auguſtinus, qui mercedem gratiam appellavit. Agnoſcimus tamen ſæpiùs in ſcriptura, mercedem non ſolam reſpicere promiſſionem, ſed etiam opera, quia datur operantibus & patientibus, ſed non ſequitur dari propter meritum & dignitatem operum, cum detur quidem operibus *conſequenter*, ſed ex liberalitate divina: Ergo ſi conditionem operum requiri agnoſcamus, non ſequetur propterea eorundem cauſalitatem intercedere. Non enim ſupponunt neceſſariò meritum conditio operis, & impletio conditionis, quia utraque eſſe poteſt abſque ęqualitate. Addo etiam conatum potius impletionis in fidelibus reperiri, quam impletionem, proinde & in eo gratia opus eſſe, ſupplente defectum conditionis præſtitæ, & ſic mercedem eſſe planè gratuitam. Quam etiam hoc loco promittit Deus Abramo, & ſine ulla conditione, *Merces tua magna erit valdè.*

Secundo verſu habetur reſponſio Abrami ad promiſſionem de ampla mercede, מה תתן-לי *ma-ttitten-li*, quid dabis mihi? Sed compellat Deum duobus nominibus, cujus majeſtatem in illa viſione contemplabatur: & hic primus eſt locus ubi conjungitur nomen *adonai*, cum nomine tetragrammato, quod cum ſeparatum aſſumat nominis *adonai* puncta, & per illud à Judæis legatur, præcedente *adonai* aſſumit puncta nominis *Elohijm*, & per illud legitur. Quod argumento eſt puncta quibus ordinariè notatur, non eſſe ipſi propria. Sunt autem illa duo nomina ex inſignioribus, quorum unum, *dominium*, aliud *eſſentiam* divinam ſignificat. Unde non dubitandum eſt quin cum maxima reverentia Abram in hoc cum Deo colloquio ſe geſſerit. Quod autem dicit, *Quid dabis mihi?* Non tam ad rem dandam referendum eſt, quam ad finem. Noverat enim quid ſibi promiſiſſet Deus, ſed petit quorſum, vel quo fine talia daturus eſſet, quandoquidem orbum ſe videbat, proinde in eo ſtatu in quo non opus ipſi erat amplis bonis, quæ non erat hæredibus ſuis relicturus.

Occaſionem ergo accipit conquerendi de orbitate ſua: ואנכי הולך ערירי *veanochi holeç ariri*, & ego vado, abſque

do, abſque liberis, *ſolitarius*, id enim ſignificat vox *ariri*, orbum, qui vel nunquã liberos ſuſcepit vel ſuſceptos amiſit. Græci ἄτεκνον reddiderunt. Paraphraſtes Chald. *Sine prole*. Et ego vado, Græcis ἀπολύομαι *dimittor* hinc, ex qua voce Chryſoſtomus elegantem admonitionem moralem eruit, *Vide*, inquit, *quomodo priſcis illis ſeculis juſtus ille philoſophatur, dimiſſionem vocans ſuum ex hoc mundo diſceſſum. Nam qui vitam honeſtè & in virtutibus egerunt, poſtquàm ex hac vita emigrant, verè liberantur & quaſi ſolvuntur à certaminibus, & à vinculis relaxantur. Eſt enim mors his qui benè vivunt, tranſlatio quædam ad meliora, à momentanea vita, ad perpetuam & immortalem.* Simplex ſenſus eſt, *ſine liberis abeo*, id eſt, conſeneſco orbus & paululum vitæ mihi reliquum eſt, ad metam propè perveni, non ergo multis mihi opus, qui hæredes ex me non habeo. Id amplificat, & indignitatem rei auget, ex eo quod alienigena, ipſius hæres erat futurus ובן משק ביתי, & filius meſchek domus *meæ, ipſe Dammeſek Eliezer.* Quid autem ſibi velit poſteà exponit, *filius domus meæ*, יורש אתי *joreſch othi*, hæreditans me. Quid ſit filius *meſchek*, varii diverſe interpretantur. Sunt qui pro nomine proprio matris iſtius Eliezer, quæ ancilla verna erat, intelligunt, & hoc nomen retinuerunt Græci; ſic enim illi, ὁ δὲ υἱὸς μασὲχ τῆς οἰκογενοῦς μου, *filius maſech vernaculæ meæ.* Melius Chaldæus Paraphraſtes, *filius gubernationis ſeu cibationis*, id eſt, œconomus: eſt autem filius gubernationis ſive procurationis, aut cibationis, ex Idiotiſmo linguæ, idem, qui diſpenſator, gubernator, &c. Eſt enim nomen *filii* Ebræis valdè generale, ut filius mortis, perditionis, pro morti addicto, aut perdito. Sic filius procurationis, qui præerat domui, & cui commiſſa erat rei domeſticæ cura: quem poſteà *filium domus* vocat, cui omnia in domo agenda, commiſſa erant. Alii interpretes Græci, retulerunt non ad ipſum Eliezer, ſed ad filium ejus in propria filii ſignificatione, Aquila, ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου: filius pocillatoris domus meæ. Theodotio, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου: *& filius ejus qui ſuper domum meam eſt.* Non malè ſi pro *ejus*, dixiſſet *is*, eſt enim verus ſenſus, *diſpenſator domus meæ, erit meus hæres.*

דמשק אלי עזר *Dammeſek Eliezer*, nomẽ eſt procuratoris illius, ſed *Eliezer* proprium, *Dammeſek*, gentile, vel patrium. Vel quod natus eſſet in agro Damaſceno, vel quod pater ejus Damaſcenus fuiſſet, quod magis puto; videtur enim fuiſſe Abrami verna, qui *filius domus* vocatur. Idcirco deplorat Abram conditionem ſuam, quod vili mancipio omnia ſua relicturus eſſet, ſi orbus maneret. Poſſet objici, Abramum habuiſſe nepotem ſuum Lothum, qui in bonis ipſius jure ſucceſſiſſet, nec fuiſſe neceſſarium ut bona ſua relinqueret vernæ. Sed quia Loth non habebat maſculos liberos, videtur cogitaſſe de illo Eliezer adoptando, niſi fortè, quod magis probabile cenſerem, Abramum in illa ſua querela hoc dixiſſe non quod apud ſe conſtituiſſet, vel quod ex jure futurum eſſe cenſebat, ſed tamen quod accidere poterat, quia vir ille inter heri ſui domeſticos ſummus, potuiſſet ſibi herilem poteſtatem uſurpare hero defuncto. Ergo propoſuiſſe non quod inſtituerat, ſed quod accidere poterat: ut magis ac magis conditionem ſuam deploraret, & ſollicitudinem ſuam exponeret.

Quod maxime difficile eſt in hac reſponſione Abrami, in qua gravem miſcet querelam illud eſt, quod non videtur vir ſanctus, promiſſionibus divinis fidem adhibuiſſe quam debebat. Jam bis ipſi promiſſa fuerat hæreditas terræ Canaan; non ſui, ſed poſteritatis ſuæ ratione: jam Deus ei promiſerat ſemen benedictũ, & numeroſiſſimã prolem. Qua ratione igitur potuit cogitare Eliezerum ipſius hæredem futurum? Reſpondent veteres nonnulli, Deum non expoſuiſſe tum, quale ſemen ipſi daturus eſſet, an proprium, an vero adoptivum, *ſemenque* in ſcriptura ſæpè accipi Metaphoricè, imò & ſpiritualiter, quomodo fideles omnes Abrahami ſemen appellantur. Itaque etſi de promiſſione Dei non dubitaret, eam tamen interpretatum fuiſſe, cum videret ejus effectum ratione proprii ſeminis tamdiu differri, non de tali ſemine ſed adſcititio & adoptivo, de quo tum cogitaverit, quod tamen non tam magni fecit, ut tale ſolatium, triſtitiam omnem quam ex orbitate ſua conceperat comprimeret.

Sed non videtur iſta reſponſio ſatisfacere, nec enim credibile erat, Deum promiſiſſe Abramo legalem & adoptivam poſteritatem, non propriam, cum dixiſſet, *dabo tibi, & ſemini tuo poſt te.* Rectius igitur, meo judicio, dicemus cum doctiſſimo interprete, nec Abramum parvi feciſſe promiſſionẽ divinam de ampla mercede, nec eam abſolutè rejeciſſe, quod prorſus indignum fuiſſet viro tam ſancto; ſed potius promiſſorum Dei repetitione, adductum fuiſſe ad querelam quæ cum precatione eſſet conjuncta: quaſi diceret, quorſum mihi tot bona, quæ liberaliter mihi promittis ſi prole caream? An ut ea relinquam vernæ meo? Tu benedictionem promiſiſti in ſemine meo, omnibus terræ familiis, tempus eſt ut non diutiùs differas id, ſine quo reliquæ benedictiones irritæ videntur: Hucuſque orbus ſum, & grandævus, quid ergo diutiùs expectandum, &c? Non imus inficias videri hanc orationem cum lucta aliqua & tentatione diffidentiæ fuiſſe conjunctam, in qua, confirmatione opus fuit. Quia non reſpiciebat ſimpliciter orbitatem ſuam, dum ita angeretur, ſed præſertim ſollicitus erat de ea re, à qua pendebat omnium promiſſionum effectus. Quia videbat mundi benedictionem & ſalutem, non aliundè quam ex ſemine ſperandam eſſe, ideò dum videret ſibi deeſſe hoc caput, non mirum eſt ſi alia non placent ejus animum, nec vota ſatient. Hæc cauſa fuit, cur audentior factus, effundit velut in ſinum Domini querelam ſuam, quam tamen ab omni infirmitate & diffidentiæ tentatione excuſandam non eſſe putamus. Omnia tamen à

Deo benignè accipiuntur, qui ſcrutator eſt cordium, qui cum ſervi ſui animum noſſet, & affectum videret, ſciretque non plenæ diffidentiæ ſed affectus eſſe verba, non dedignatur placidè promiſſionem ſuam ipſi repetere, verſ.4.

In quo repetitæ promiſſionis divinæ tres ſunt partes. 1. qua negat Eliezerum futurum ejus hæredem. 2. Qua explicitè ipſi promittit hæredem proprium. 3. Qua promiſſionem amplificat ut ſupra, comparatione poſteritatis ſuæ cum ſtellarũ numero. *Non erit* (inquit) *hic hæres tuus.* Quis igitur? אשר יצא ממעיך *aſcher jetſe mimmeeca*, qui *egredietur è viſceribus tuis.* Vulgata, *de utero tuo.* Viſcera Ebraicè accipiuntur pro intimis membris. Inde liberi dicuntur *fructus ventris* Pſal.127. ỷ.3. *Ecce hæreditas Iehovæ filii, merces fructus ventris.* Pſal. 132. verſ.9. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Ubi non audiendi ſunt, qui ſubtiliter nimis philoſophantur, & hac phraſi denotari volunt eum qui ex muliere ſine viri ſemine oriundus erat, qui propterea dicitur fructus ventris Davidis, mediatè per illam mulierem quæ ex Davide erat oriunda. Quamvis enim id verum ſit, ſi rem in ſe conſideremus, non eſt tamen verum, eam eſſe vim locutionis, quia fructus ventris dicitur etiam de viris, ut ex hoc loco patet. Veritas igitur articuli illius fidei de Chriſto ex virgine nato, aliis argumentis eſt fulcienda, quæ aliundè in ſcriptura ſuppetunt, ut opus non ſit, quicquid obvium eſt, ad noſtras trahere copias.

Amplificatio promiſſionis per multiplicationem ſeminis illuſtratur ſimilitudine aut adagio, cui ut majorem emphaſim adhiberet Deus, eduxit Abramum foras (unde liquet quæ anteà dicta fuerunt, accidiſſe cum eſſet in tabernaculo aut conclavi) juſſitque ut ſuſpiciendo cœlum, numeraret ſtellas ſi poſſet. Ex quo apparet viſionem factam fuiſſe de nocte: *Sic* (inquit) *erit ſemen tuum*, quod ad multitudinem referendum eſt, ut anteà notavimus in alia ſimilitudine de *arena maris.* Utraque enim ſimilitudo ad idem refertur, quomodo uſitata fuit, aliquando ſeparatim, aliquando conjunctim, tam in ſacris quam profanis ſcriptoribus. Separatim legimus cap. 13. verſ.16. *Sicut pulverem terræ.* hoc loco, ſicut *ſtellas cœli*, & Deut.1.verſ.10. *Dominus Deus veſter multiplicavit vos, & eſtis hodiè ſicut ſtellæ cœli, plurimi.* Conjunctim, Geneſ.22. verſ.17. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris.* In prophanis exempla ſunt, ſed id expreſſum apud Catullum.

Ille pulveris Erythræi
Siderumque micantium
Subducat numerum.

Cujus Adagii cũ obvius ſit ſenſus littus arant, qui philoſophantur in priori promiſſione per pulverem terræ, humiliationem ſeminis Abræ intellectam fuiſſe, per ſtellas cœli, elevationem. Neque enim ſpectatur iſtarum rerum vel qualitas, vel natura; ſed quantitas & numerus numeratus, ut loquuntur; ſignificaturque, non poſſe ab homine ullo ſubduci numerum poſterorum Abrami, quemadmodum à nullo ſubduci poteſt ſtellarum numerus. Quod enim quidam Ebræi dicunt poſteà numeratas fuiſſe ſtellas ab Aſtrologis, ſi exactè & plenè intelligatur, falſum eſt: Etſi enim ſubduxerint numerum ſyderum ex pluribus ſtellis conflatorum, ſtellas tamen ipſas nec potuerunt numerare, nec omnes etiam videre, ne in ſuo quidem Horizonte. Sed non eſt opus ut multis cum iſtis agamus, cum verum loci ſenſum teneamus. Suprà autem notavimus, promiſſionem quidem immediatè de carnali ſemine intelligendam eſſe, ſed mediatè & præcipuè de ſpirituali, de quo Abramum cogitaſſe indicat ſubſequens ſententia, diligentius à nobis expendenda,

EXERCITATIO LXXXIII.

Explicatio verſus VI. Credere Deo, *&* in Deum, *an differant? verbum* imputandi *latinum an conveniat cum Ebræo* חשב chaſchabh? *An* imputandi *verbum de malo tantùm dicatur? An uſurpetur tantum poſt negationem? utrumque negatur, & contrarium oſtenditur. An* imputare *deſignet imperfectionem rei quæ imputatur? Negatur contra Socinum & aſſeclas ejus. Bertii conciliatio, quæ tandem in Papiſmum erupit. Vera imputandi ratio, ex Salmerone. Differentia inter* juſtum reputare *aliquem, & alicui* imputare *juſtitiam. Fundamentum imputationis eſſe reale. Vaſqueſij conſenſus.*

POſt iteratam & confirmatam promiſſionem divinam, ſequitur verſu ſexto teſtimonium fidei Abræ datum, ejuſdemque effectus, his verbis, *Credidit Deo, & imputavit illud ei juſtitiam*, ſic enim ſe habent ad verbum Ebræa, והאמן ביהוה ויחשבה לו צדקה *veheemin bajhovah, vajjachſchebeha lo tſedaka.* LXX Græce ſic habent, quomodo ex iiſdem Apoſtolus, Roman.4. verſ.3. ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. *Credidit autem Abraam Deo, & imputatum eſt ei in juſtitiam*, vel, ut vertit Beza, *pro juſtitia.* Quæ verba repetuntur Galat.3. ỷ.6. & apud Iacobum cap.2. verſ.23. Pagninus & Arias, illud ביהוה *bajhovah*, vertunt *in Dominum.* Alii qui ב volunt tantùm eſſe notam dativi

dativi caſus, ſimpliciter *Domino*, vel *Deo*. Sic Græci, ut vidimus: ſic etiam Latina vulgata. Chaldaica paraphraſis, *Et credidit verbo Domini.* Verbum *heemijn* eſt conjugationis hiphil; ideò Cajetanus putavit ad verbum ſic interpretandum, *fecit credere*, nempè ſeipſum; quia in illa conjugatione verba propriè ſignificant alicujus actionis eſſe ſuaſorem, impulſorem, &c. Sed regula non eſt perpetua, ſæpè enim ſimplicem tantùm actionem ſignificant, & hoc verbum vix reperiri poteſt in alia ſignificatione. Notant doctiſſ. Mercerus & alii, verbum illud cum ל ſignificare ſimpliciter *fidem habere*; cum ב autem conſtructum, habere majorem emphaſim, & accipi pro *fidere* & *inniti.* Hanc differentiam obſervavit Auguſtinus Tract. 29. in Joan. inter *credere Deo*, & *credere in Deum*, quæ diſtinctio poſteà in Scholis obtinuit, poſt magiſtrum ſentent. diſtin. 23. lib. 3. Sic in hunc locum Cajetanus, *Non dixit Moſes credidiſſe Abram Deo, ſed in Deum, hoc enim plus eſt: nam credere Deo, eſt fidem habere verbis ejus, ut veracibus; credere autem in Deo, addit inſuper fiduciam in Deo.* Verum eſt tamen, quod obſervavit Pererius, hanc differentiam, quæ in ſe vera eſt, ex locorum circumſtantiis eſſe deſumendam, potiùs quàm ex proprietate linguæ ſanctæ, in qua ſæpè confunduntur hæ phraſes, & præponitur etiam particula ב, cùm de hominibus agitur, cujus acceptionis multa proferri poſſent exempla. Id etiam agnoſcit Mercerus; *Quanquam* (inquit) *& de hominibus leges verbum hoc cum ב conſtrui, imò & de rebus invenies etiam dici, credere in hanc rem. Sunt ergò loca diſtinguenda.* Hoc loco circumſtantiæ omnes oſtendunt, Abram non ſolùm credidiſſe Deo, ſed etiam confidiſſe, vel fiduciam in Deo habuiſſe. Id ubique non fieri, ubi ſunt qui dicuntur credere in aliquem, conſtat ex cap. 12. Joannis ℣. 42. *Veruntamen multi etiam ex primoribus crediderunt in eum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne ſynagoga moverentur. Dilexerunt enim gloriam hominum, potiùs quàm gloriam Dei.* Hi certè fiduciam in Deo non collocabant. Alibi cap. 5. ℣. 24. promittitur vita æterna ei qui credit Deo, *πιςεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον*: ubi certò agitur de fide juſtificante, quæ non in intellectu tantùm reſidet, ſed cum affectu & motu voluntatis erga Deum conjuncta eſt. Sed cùm diſtinctionis illius res ipſa vera ſit, ex uſu Theologorum jam ante aliquot ſecula uſurpata, non debet rejici ad diverſitatem illam expreſſiùs declarandam, quod alioqui per ſe non ad id valeret; ſed ex conſenſu & uſu, re benè intellecta, obtinuit.

ויחשבה *vajachſchebeha*, ad verbum, *& imputavit illud*, activè, quod paſſivè interpretati ſunt Græci, ut vidimus, & ad ſenſum rectè. Si tamen activa ſignificatio retineatur, eſt aliqua ambiguitas, qua Ebræorum Rabbini ſunt abuſi, qui pronomen לו *ei*, ad Deum retulerunt, & verbum ad Abramum; quaſi ſenſus eſſet, Credidit Abram Deo, *& imputavit illi*, nempè Deo, *ad juſtitiam*, id eſt, quod acceptam tulit juſtitiæ divinæ promiſſionem illam; per juſtitiam autem intelligunt, veritatem divinam, ejuſdemque gratiam & miſericordiam. Sunt etiam qui nomen *juſtitiæ* accipiunt, pro ea qua dignis digna redduntur, quos non pudet Abramo hanc tribuere præſumptionem, quod Deo laudem juſtitiæ attribuerit, quam erga ſe exercuerat, compenſando digno præmio ſuam obedientiam. Sed, ut notavit doctiſſ. Mercerus, non deſunt etiam apud Ebræos, qui hanc corruptelam confutent, ac doceant illud *jachſchebeha*, non poſſe niſi ad Dominum referri, cùm relativum neceſſariò ſit referendum ad אמונה, quod nomen in verbo האמין *heemijn*, includebatur; ſic enim paſſim in verbis includi nomina fœminea à illis deducta, ut affixum fœmineum ſequens eò ſit referendum, ſicut hoc loco. Quod etiam probant quæ ſequuntur immediatè, *Et dixit ad eum*, nempè Deus ad Abramum, qui imputaverat juſtitiam credenti. Idcircò ut omnem ambiguitatem tollerent, id acceperunt paſſivè interpretes, quod ſatis frequens eſt in literis ſacris. Ut Mich. 1. ℣. 7. ubi textus Ebræus habet, *de mercede meretricis congregavit*, Latina vulgata vertit, *de mercede meretricis congregata ſunt*, & ad ſenſum appoſitè, ſi id referatur ad præcedentia, ſculptilia contundenda & mercedes comburendas. Meritò igitur inter ipſos Pontificios reperiuntur, qui ſodales ſuos redarguunt, ex hac diverſitate aliquam corruptionem in Ebræo textu rimantes, quia ignorarunt, apud Ebræos præterita activa ſæpè paſſivè exponi. Ezech. 23. ℣. 47. *Et confodiet eas gladiis ſuis*, ubi Græci *κατακεντήσωσαν*; Lat. *confodientur.* Eſai. 22. ℣. 8. *Et revelabitur operimentum Iudæ*, ubi Ebræi habent ויגל *vajgal*, *& revelavit.* Steuchus in cap. 9. Geneſ. *Ad imaginem Dei factus eſt homo, Ebraicè non eſt paſſivum, ſed* עשה *aſa*, *hoc eſt, fecit; quod LXX per primam perſonam pronunciarunt*, *ἐν εἰκόνι Θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον*, *id eſt, in imagine Dei fecit hominem. Poteſt etiam eſſe tanquam imperſonale, quam verborum qualitatem non per paſſiva, ut nos, ſed per activa Ebræi exprimunt.* Ita certè hoc loco imperſonaliter accipi poteſt, *imputatum eſt ei*, quod Gallicè dicimus, *Il luy a eſté alloüé à juſtice.*

Verbum autem חשב *chaſchabh*, quod per *imputare*, vel *reputare* vertunt Latini interpretes; Græcus ubique ferè interpretatur, per λογίζω, & verba ab hoc compoſita, aut per δοκέω puto, aut per ἡγέομαι exiſtimo, & ſimilia. Utraque vox tam Ebræa, quàm Græca communior λογίζειν, habet ſuas ſignificationes varias, quas omnes examinare non opus eſt, ſed eas tantùm, quæ faciunt ad rem quam tractamus. Sunt inter Pontificios qui negant *imputandi* vocem Latinam, verbo vel Ebræo, vel Græco poſſe convenire, quia cùm utraque vox ſimplex ſit, & non compoſita, verbum etiam ſimplex & non compoſitum, ut *putandi*, ei reſpondere debeat; qui adeò cæcitate ſunt perculſi, ex

odio

odio quo nos proſequuntur, ut non videant ſe propria vineta cædere; & dum nos petunt, vulgatam ſuam editionem, & in ea ipſos Pontifices, impetere. Dicunt enim nos *ut novam doctrinam & rem novam, ita etiam novum in ea cauſa verbum ad eam ſignificandam excogitaſſe, quo in ea non uſus eſt Apoſtolus.* Certè Apoſtolum Latina *imputandi* voce non eſſe uſum ultrò fatemur; ſed Græcâ uſum eſſe, quæ huic Latinæ æquivaleat, norunt, quibus excæcatus non eſt intellectus. Vulgata Latina, Rom. 4. verſ. 4. & 8. diſertè verbum λογίζεται, per *imputatur*; *merces non imputatur ſecundum gratiam.* Item, *cui Dominus non imputavit peccatum.* Rom. 5. ℣. 13. *peccatum non imputatur.* 2. Tim. 4. ℣. 16. *illis non imputetur.* Ad Phil. ℣. 18. *hoc mihi imputa.*

Quod objiciunt ex adverſariis nonnulli, non uſurpari hoc verbum niſi negatione præpoſita, falſum eſt, ut videri poteſt ex ultima citatione. Sed ſi daremus verum eſſe, nihil propterea ipſis accederet. Eſt enim falſiſſimum quod dicunt, imputare non dici niſi de eo quod grave & moleſtum eſt. Quia imputantur tam bona, quàm mala, ut patet ex illo Apoſtoli loco, *Non imputatur ſecundùm debitum, ſed ſecundùm gratiam*; quod enim ſecundùm gratiam imputatur, pro moleſto haberi non debet; ubi certè ſine ulla negatione in ſecundo membro repetendum eſt verbum *imputandi* affirmativè. Nulla etiam negatio eſt Levit. 25. ℣. 53. *Et reddet emptori quod reliquum eſt annorum quibus antè ſervierit, mercedibus imputatis.* Ipſe Salmero Jeſuita tractatu 30. in Epiſt. ad Romanos; *Voces* (inquit) *Latinas obſerva, reputare, ſive imputare, & accepto ferre, &, ut alii vertunt, deputare, uni ſoli Græcæ voci reſpondere, nempè λογίζεται, quæ in bonam partem, & in malam accipi conſuevit. Et imputare non tantùm in malum accipitur, ut ſolet.* Addit, *Quod quidem ob id annotamus, quod interdum etiam in bonum accipiatur, ut quoties ait Apoſtolus, fidem Abræ imputatam ad juſtitiam. Ita Eraſmus & interpres noſter vertit. Idem etiam poſſumus, autoritate Senecæ comprobare, qui in conſolatione ad Martiam; Optimè, inquit, de poſteris meruiſti, ad quos perveniet incorrupta rerùm fides, magno autori ſuo imputata.* Et Tertullianus ſic eadem voce uſus eſt, adverſus Gentes cap. 3. *Ita nomen, emendationi imputatur.*

Gabriel Vaſquez in primam ſecundæ, tom. 2. diſp. 132. numero 4. *Notandum eſt* (inquit) *Paulum ad Rom. 4. & 5. uſum fuiſſe verbo λογίζομαι, quod Græcis idem eſt atque Latinis ſupputare, computare, imputare, & reputare: & Latinus interpres Geneſ. 15. utitur verbo reputare, in illo teſtimonio quod citat Paulus ad Roman. 4. Credidit Abram, &c.* Paulò poſt, *Latinus interpres pro eadem Græca voce, quandoque utitur vocabulo reputare, quandoque verò imputare. Eſt autem imputare aut reputare quidquam alicui, idem atque inter ea quæ ſunt ipſius, & ad eum pertinent, illud connumerare & recenſere.* Hæc ille.

Obſervat poſteà voces *imputare*, & *reputare*, non ſemper ſignificare gratuitam imputationem, factam ei cui dicitur res aliqua imputari aut reputari, ut colligitur expreſſè ex Paulo ad Roman. 4. ubi inquit, *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Vult igitur aliquid imputari poſſe, ſecundùm debitum, aliquid ex gratia. Quæ obſervatio veriſſima eſt. *Imputare* enim ſignificat, vel agnoſcere id quod in unoquoque verè eſt, ejus eſſe, illique tribuere; vel ei tribuere, quod tamen ejus non eſt, ſive in bonum, ſive in malum. Eſt enim in genere alicujus rei cauſſam in aliquem tranſcribere, vel transferre, aut ei adſcribere. Sic Ulpianus, in lege 1. parag. *Item quæritur*, de ſeparat. *Sibi imputent, quominus idoneum fidejuſſorem acceperint*, id eſt, aſcribant & tribuant. Item apud Iuriſc. *imputare* ſignificat acceptum ſeu expenſum ferre, *ut imputare ſibi debet, qui credulus fuit.* lege 1. §. *dolum.* ff. de eo per quem factum. Priori modo quo alicui imputatur quod in eo verè eſt, imputantur peccata, & *imputatur ſtultitia.* Job. 42. Altero, Paulus ad Philem. vult ſibi imputari factum Oneſimi. Pſal. 32. Lat. 31. ℣. 2. vulgata Latina habet, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum:* quam enunciationem eadem Rom. 4. ℣. 6. ſic interpretatur, *David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus.* Unde ſequitur, *non imputare peccatum,* idem eſſe quod *non adſcribere alicui peccatum*, & *imputare juſtitiam*, idem eſſe quod *adſcribere & acceptam ferre alicui juſtitiam.*

Eſtius, ſcribens in cap. 4. Epiſt. Pauli ad Rom. agnoſcit, vulgato interpreti, tria hæc verba, reputare, imputare, & accepto ferre, quæ hoc capite leguntur, prorſus ejuſdem eſſe ſignificationis, ut quibus unum idemque verbum Græcum λογίζεται, tam activa, quàm paſſiva ſignificatione reſpondet. Culpat autem Eraſmum in paraphraſi, & quoſdam alios exiſtimantes, ex mente Apoſtoli, illud dici reputari pro aliquo, vel ad aliquid, quod cùm verè tale non ſit, ex ſola reputantis aut imputantis benignitate pro tali habetur; ut ſi quis habeat pro ſoluto, quod verè non eſt ſolutum. Dicit autem eſſe falſam reputationem, quæ in Deum cadere non poteſt; & expoſitionem illam, non parum favere novo dogmati hæreticorum (ut vocat) de juſtitia imputativa. Dicunt enim hominem, etſi non verè juſtum, tamen coram Deo juſtum haberi, quia fides qua credit propter Chriſtum ſibi remiſſa peccata, imputatur ei pro juſtitia. Hæc ille.

Fateor eſſe nonnullos, quos etiam pro hæreticis habemus, qui imputandi vocem, ita ut dicit, accipiunt, ſive ab Eraſmo eam hauſerint ſignificationem, ſive aliundè. Volunt enim illud λογίζεται, *imputare*, per ſe ubique in Scripturis ſignificare *gratioſam æſtimationem*, ac proinde rei imputatæ *imperfectionem.* Quam ſententiam mordicùs retinuit Socinus, & ubique inculcavit, ut tolleret neceſſitatem ſatisfactionis. Cùm enim

cogeretur

cogeretur fateri, hominem in hac vita non habere juſtitiam perfectam, neceſſarium tamen eſſe ad juſtificationem coram Deo, ut nullum peccatum imputaretur juſtificato, & cum perfecta juſtitia coram Deo compareret: huc tandem recurrit, *imputare juſtitiam*, nihil aliud eſſe quàm opus fidei, vel etiam alia opera in nobis, à Deo per acceptilationem gratuitam, haberi tanquam perfecta, adeoque non nobis, ſed fidei imputari juſtitiam, & non imputari peccata; non propter aliquam ſatisfactionem, ſed ex mera Dei voluntate, & ita *loco ac vice juſtitiæ haberi.* Hoc ſuum dogma, quia vident non poſſe ſubſiſtere cum eo quod dicit Paulus, *operanti mercedem imputari ſecundùm debitum*, catachreſin, aut elleipſin in Pauli verbis imaginantur, quaſi id propriè non poſſet intelligi.

Id autem nemo orthodoxus approbat. Novimus enim nihil à Deo imputari ad juſtitiam, quod verè & perfectè juſtitia non ſit. Proinde ſi fides non ſit juſtitia perfecta, non poteſt à Deo haberi pro juſtitia perfecta. Neque enim Deo tribuimus in ea re nudam exiſtimationem, & talem, cui veritas non in re ipſa reſpondeat. Sic enim exiſtimat, cujus fallitur intellectus, & qui videtur hypocrita bonus, qui tamen malus eſt. Imputatio igitur nobis eſt conjuncta cum rei veritate, ſed ſua, ut cùm cuique Chriſtiano verè & realiter imputatur juſtitia Chriſti. Res illa non eſt imaginaria aut ficta, ſed vera; ejus imputatio & acceptatio pro nobis vera eſt & certa, etſi res ipſa nobis non inhæreat.

Socini modum imputationis arripuit Vorſtius. Eundem probavit Arminius, & poſt Arminium Remonſtrantes omnes, qui docent fidem haberi pro juſtitia perfecta, quæ lege continetur, ex gratuita acceptilatione; ubi fidem eam intelligunt, ſub qua & opera intelliguntur, unde cudunt juſtificationem ex operibus, quorum defectum ſupplet acceptilatio, non juſtitiæ Chriſti imputatio, vel ex toto, vel ex parte. Quamvis aliter ſenſerit initio Bertius in diſputatione epiſtolica cum Sibrando Luberto, in qua dicebat, eſſe duos actus juſtificationis; in quorum primo Deus ſpectat fidem, non tantùm ut organum apprehendens juſtitiam Chriſti, ſed etiam ut obedientiam quæ à nobis Evangelio præſtatur. Fidem Deum primò pro tota legis impletione acceptam ferre, & poſteà imputare juſtitiam filii ſui. Reſpectu fidei eſſe actum gratioſum, reſpectu obedientiæ Chriſti, eſſe actum juſtitiæ ob meritum illius. Quaſi verò, ſi fides ſine reſpectu obedientiæ Chriſti, pro juſtitia plena habeatur, juſtitiæ Chriſti in juſtificatione reliquus ſit locus. Arminius primum illum actum agnovit tantùm, *nos per τὸ credere, non metonymicè, ſed proprio ſenſu acceptum, juſtificari; & juſtitiam, ſive obedientiam Chriſti, nobis non imputari, neq; imputari poſſe.* Quod à Serveto primùm, poſteà verò à Socino hauſtum, rurſus obtruſit orbi Chriſtiano. Has ſententias tamen ſic vult diſtinguere Bertius in ſecunda ad Lubertum epiſtola. Ut prima, quę Socini eſt, ſtatuat, fidem in Chriſtum eſſe noſtrã juſtitiam, excluſo omni ejus merito & ſatisfactione. 2. Arminii, quæ meritum Chriſti excludit hoc modo. Qui credit in Chriſtum pro ſe natum, mortuum, ſepultum, excitatum, evectum gloriam, &c. ei fides imputatur in juſtitiam. 3. quę ſua eſt, in & ſtatuit quod ponit Arminius, & ſimul, fatetur ita juſtificatis, imputari obedientiam Chriſti. At revera duæ priores non differunt, quia Socinus non negat meritum Chriſti, etſi neget ſatisfactionem, & in fide requirit quæcunque ponit Arminius, dummodo id habeat, non imputari nobis juſtitiam Chriſti in juſtificatione, ſed actum credendi, pro juſtitia nobis neceſſaria acceptari. Bertius autem voluit duas conflare ſententias, quæ ſe mutuò tollunt. Et cùm Socinianam & Pontificiam juſtificandi rationem cum noſtra, quæ Scripturæ eſt, vellet componere, & tandem videret id fieri non poſſe, ad Pontificios defecit, qui ad Socinianos libenter ſe contuliſſet, ſi eadem ſpes lucri affulſiſſet. Iſtorum hominum ſenſum vocis *imputandi*, quatenus volunt ſemper ſignificare rei imputatæ imperfectionem, meritò rejicimus. Quia hoc falſum eſſe ex eo evidenter apparet, quod imperfectio ſi qua ſit, non eſt in re imputata, ſed in eo cui imputatur, aut in ea re cui aliquid imputatur. Res enim quæ imputatur perfecta eſt, ut ſi imputetur debitori ſolutio, perfecta eſt ſolutio, ſed quia imputatur illi quod non præſtitit, arguitur ejus imperfectio. Juſtitia quæ nobis à Deo imputatur, eſt perfecta; alioqui juſtitia non eſſet quæ juſtificaret, aut qua juſti haberemur, ſed ejus imputatio arguit noſtram imperfectionem. Hoc ſenſu rejicimus cum Eſtio, talem imputationem, qua exiſtimetur juſtitia perfecta, quæ imperfecta eſt; quæ exiſtimatio in Deum cadere non poteſt. Sed alio ſenſu, imputationis deſcriptio, quam ille rejicit, in hac cauſa non eſt neganda. Videtur voluiſſe perſtringere Salmeronem, qui in diſp. 7. in Epiſtol. ad Galat. ſic loquitur; *Imputare, ſive verbum Græcum λογίζεσθαι, nihil aliud eſt quàm gratis, aut ob aliquam inſitam cauſam, id in quo res vel perſona deficit, perinde habere aut æſtimare, ſive ad mercedem, ſive ad vindictam, ac ſi aliud quod revera non adfuit, verè adfuiſſet.* Addit poſteà, *Quam verbi ſignificationem expreſſit Pauli interpres alia voce ſimili, etſi Græca ſemper ſit eadem. Ait enim ad Romanos, ſicut & David dicit, beatitudinem hominis cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus. Eſt enim acceptum ferre apud Iuriſconſ. idem habere pro ſoluto, quod non eſt ſolutum.* In hac explicatione, id in quod perſona deficit, eſt juſtitia; defectus eſt in perſona, non in juſtitia. Habetur autem perſona ac ſi in ea juſtitia adfuiſſet, aut adeſſet; quia quod in ea non fuit, in alio reperitur, qui pro eo qui non erat ſolvendo, ſatisfecit. Non ergò juſtificatur homo partim juſtitia partiali & imperfecta inhærente, partim acceptilatione imperfecti pro perfecto; nunquam enim talis imputandi modus in Scriptura legitur, ſed perfectæ juſtitiæ imputatione,

tione, facta ei qui in ſe juſtus non fuit, & qui in eo deficiebat, ut peccata non imputentur ipſi ad pœnam, ſed juſtitia imputetur ad vitam. Deus autem pro juſtitia non habet, id quod non eſt, vel quod ſi ſit, juſtitia non eſt. Quia judicium ipſius eſt ſecundum veritatem. Nam qui omnipotens eſt & omniſcius, decipi non poteſt, nec proinde eam fidem habere pro juſtitia perfecta, quæ talis non eſt; quia ne fides quidem ipſa in hac vita perfecta eſt, nedum ut totam legis perfectionē impleat.

Id etiam agnoſcendum eſt, quod Vaſquéz in loco citato animadvertit, aliud eſſe ſi quis dicat hominem reputari juſtum, aliud ſi aliquid dicatur ipſi ad juſtitiam imputatum. Nec hominem poſſe dici *juſtum imputatum*, qui dici poteſt *juſtus reputatus*. Qua ratione diverſa eſt ratio reputationis & imputationis, etſi utraque uno vocabulo græco ſignificetur, quia illa de concreto dicitur, hæc autem de abſtracto; hæc cauſa eſt, illa autem effectus. Cauſa enim cur aliquis juſtus reputetur, aut habeatur, aut inter juſtos annumeretur (hæc enim omnia idem ſignificant) hæc eſt, quia ipſi imputatur juſtitia, ſive eam habeat in ſe inhærentem; (quo ſenſu potuit juſtitia imputari Chriſto, quomodo nobis imputatur peccatum:) ſive eam non habeat in ſe, ſed ab alio ipſi communicetur, quo ſenſu juſtitia impio imputatur, qua juſtus reputatur, id eſt, juſtificatur, quomodo Chriſto fuit imputata iniquitas, qua *inter peccatores reputatus eſt*, & peccati pœnas luit.

Aliud igitur eſt fidem computari ad juſtitiam, aut imputari, aliud reputari aliquem juſtum, quemadmodum aliud eſt, aliquid alicui computari ad ſapiētiam & prudentiam, aliud reputari eundem ſapientem & prudentem. Quia ſecundum illud poteſt eſſe ſine fundamento in ſola opinione, quæ falli poteſt, multi enim habentur aut reputantur juſti, ſapientes & prudentes qui omni ſapientia, prudentia, & juſtitia carent. Sed quibus computatur, vel imputatur ſapientia, juſtitia, &c. illi habent fundamentum, & rem ipſam, proinde non in ſola opinione, ſed verè tales habentur.

Fundamentum autem illud vel inhæret, vel extrinſecum eſt ei rei cui imputatur. Sic inhæret peccatum, juſtitia autem aut obedientia imputata, eſt extrinſeca. Utrumque tamen fundamentum verum eſt & reale, non in opinione conſiſtens aut fictione juris, ut vocant. Id etiam tandem agnoverunt adverſarii. Vaſquéz ibidem num. 7. *Concedimus* (inquit) *imputari nobis ad aliquem effectum non ſolum ea quæ nobis inſunt, ut peccatum fidem & juſtitiam, ſed etiam aliqua nobis extrinſeca, ut merita & obedientiam Chriſti, quia non modo ea quæ nobis inſunt, ſed etiam aliena intuitu quorum aliquid nobis donatur, computari dicuntur inter noſtra ad aliquem effectum, ac ſi revera noſtra eſſent.* Ergo ad formam loquendi quod attinet, tandem conſentiunt. De fine autem imputationis illius rei, quam extrinſecam vocant, poſteà videndum erit. Tantùm hoc loco probari debuit, phraſim ſic intellectam, neque inſuetam eſſe, neque abſurdam.

EXERCITATIO LXXXIII.

Quid imputatum fuerit Abramo, & ad quid? Iuſtitiæ facti, *& juſtitiæ* perſonæ, *diſtinctio. Explicatur Apoſtoli doctrina de juſtificatione Abrami Rom. cap.* I V. *Fides Abramo ad juſtitiam imputata, an reſpexerit miſericordiam Dei condonantis peccatum? Diſputatur contra Bellarm. & Socinum. Quomodo fides imputetur ad juſtitiam? An non prius fuerit Abram juſtificatus quam Lothum liberaſſet? Affirmatur, & difficultati obviam itur. Diſtinctio Pontific. juſtificationis* primæ *&* ſecundæ, *ventilatur. Quænam opera à juſtificatione excludantur? Solvitur objectio Pererii contra ſolius fidei juſtificationem: Item nodus quem nectit Bellarm. Quomodo fides* apprehendat *juſtitiam?*

ET hæc quidem de ſignificatione verbi *imputare*, nunc vero videndum eſt quid imputatum fuerit, & ad quid imputatum. Id quod imputatum fuit Abramo, non aliter exprimitur, quam per relativum *illud*. Quid autem illud fuerit, ex præcedentibus liquet, nempe quod האמן *heemin*, credidit.

Quod verbum actum fidei ſignificat, Actus autem ſecundus, primum ſupponit, nempe fidem. Propterea Apoſtolus ubique fidei tribuit, quod hic tribuitur actui fidei. Quæ autem fides, aut actus fidei hoc loco intelligatur, in conſideratione objecti ejuſdem explicabimus. Id ad quod imputatur appellat Moſes צדקה *tſedāka* juſtitiam; qua cum Apoſtolo intelligimus, non particularem aliquam facti juſtitiam, qua aliquis agnoſcatur in aliqua re juſtè ſe geſſiſſe, aut juſtum fuiſſe quod fecit, vel tribuatur juſtitia operi ejus, ſed qua homo juſtus habetur univerſaliter coram Deo, quæ diſtinctio ideò neceſſaria eſt, ne quod dicitur de Abramo, confundamus cum eo quod dicitur de Phinea ſacerdote, Pſal. 106. verſ. 31. *Donec conſiſtente Pinhaſo, & exercente judicium, coërcita eſt plaga illa. Quod reputatum eſt ei ad juſtitiam, per quamque generationem uſque in ſeculum.* Ibi enim non agitur de ea juſtitia qua quis coram Deo juſtus eſt aut habetur, quam *perſonæ* juſtitiam appellant: Sed de juſtitia *facti* alicujus quod

alioqui potuiſſet injuſtum videri, quia cum eſſet ſacerdos, non magiſtratus politicus, gladio tamen arrepto, *judicium exercuit*, quod ſi examinetur ad ordinarias regulas, injuſtum & iniquum judicaretur; ſed tamen, quia id à Deo fuit approbatum, ut patet Num. 25. ✝. 7. & ſeq. etiam apud homines manet laus illius facti, qui ſenſus eſt Pſalmiſtæ, dicentis, *Quod reputatum eſt ei ad juſtitiam, per quamcunque generationem.* Nec abludit Bellarminus in hunc locum; *reputatum eſt* (inquit) *hoc factum, non injuſta cædes, ſed juſta punitio, quæ non pœnam mereretur, ſed laudem, & præmium.* Talis non eſt ratio fidei, de qua nemo dubitat an ſit juſtũ opus, vel injuſtum. Nec ubi agitur de fide ad juſtitiam imputata, intelligi poteſt juſtitia facti particularis, ſed univerſalis juſtitia, qualis requiritur ut homo juſtus ſit apud Deum.

Et certè in Eccleſia Chriſtiana negari non poteſt, Moſem hoc intellexiſſe de ea juſtitia qua Abram coram Deo fuit juſtificatus, per remiſſionem peccatorum & juſtitiæ imputationem, juſtitiæ, inquam, plenæ & perfectæ, qua quis coram Dei tribunali poteſt conſiſtere tanquam juſtus & innocens; Id, inquam, conſtat ex tota diſput. Apoſt. Rom. 4. Ut enim probaret concluſionem quam cap. 2. verſ. 28. præmiſerat, *fide juſtificari hominem abſque operibus legis*, ſic ratiocinatur, *ſi Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Ad id citat hunc locum, *Quid enim ſcriptura dicit; Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* Subſumit, *At ei qui operatur, merces imputatur non ex gratia, ſed ex debito, ei vero qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, fides imputatur ad juſtitiam.* Confirmat dictum ſuum ex Davide, *ſicut David*, inquit, *pronunciat beatum eum hominem, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus*, &c. Ubi notandum eſt, quæſtionem eſſe non eam quam Pontificii & qui eorum veſtigiis inhærent ponunt; nempe *quo operum genere fuerit juſtificatus Abram?* Sed, *utrum ex operibus fuerit juſtificatus necne?* Negativam probat hoc primo argumento, *ſi Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Quod argumentum, quia ad inſtitutum facit, & non ab omnibus perinde accipitur, etiam breviter expendemus. Multis videtur, concedi Abramo aliquam gloriationem ſi ex operibus juſtificatus eſſet, negari tantùm, apud Deum haberi poſſe. Cum autem quæritur quam ergo gloriationem habere poſſet, reſpondent *apud homines*, qui oppoſitè ad Deum intelligantur. Sed non videtur hæc fuiſſe mens Apoſtoli, quin potius ex negatione gloriationis cauſę, negare juſtificationem ex operibus hoc modo, *ſi Abram ex operibus juſtificatus fuit, ἔχει καύχημα, habet gloriationem.* Hæc eſt major hypothetica: Aſſumptio eſt, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν. Sed non apud Deum habet gloriationem, Ergo non juſtificatur ex operibus. In majore autem ſupplendum eſt, quod in aſſumptione legimus *apud Deum*, & ita procedet perſpicuè Apoſt. ratio: ſi Abram ex operibus juſtificatus eſt, ἔχει καύχημα πρὸς τὸν Θεόν, Aſſumptio eſt in contextu, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν, repetatur ἔχει καύχημα. Ergo ex operibus non juſtificatus eſt.

Aſſumptionem probat, non habuiſſe gloriationem apud Deum, ex hoc ſcripturæ loco; is non habet unde glorietur apud Deum, cui non imputatur merces ex debito, ſed ex gratia. Atqui Abrahamo non imputata eſt merces ex debito, ſed ex gratia; ergo non habet unde glorietur apud Deum. Aſſumptionem iterum probat; ei qui credit in eum qui juſtificat impium & cui fides imputatur ad juſtitiam, non imputatur merces ex debito, ſed ex gratia: At Abrahamus credidit in eum qui juſtificat impium, & fides ei imputata fuit ad juſtitiam, ergo ei non imputata fuit merces *ex debito*, ſed *ex gratia.* Ne autem quis dicat eſſe particularem juſtificandi rationem, quæ in Abramo locum habuit, non tamen eandem eſſe omnium qui juſtificantur, poſtquam verſu 22. repetiit, Διὸ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, *Quapropter etiam imputatum eſt ei pro juſtitia*, (ubi δικαιοσύνην, exiſtimo pro juſtificatione accipi debere, quæ reſpondeat mercedi gratuitæ. Eſt enim oppoſitio talis; ei qui operatur, merces, nempe *juſtificatio* ſecundum debitum adſcribitur: ei autem qui non operatur, ſed credit, fides imputatur ad mercedem gratuitam, nempe *juſtificationem.* Quæ fidei merces eſt, ſed indebita, ex mera Dei gratia proveniens. Quemadmodum enim peccatum imputatur ad condemnationem, ſic fides imputatur ad juſtificationem; fides nempe apprehendens juſtitiam Chriſti, & miſericordiam Dei.) Addit ✝. 23. *Non ſcriptum eſt autem propter eum ſolum, quod hoc imputatum fuerit ei: ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur, iis qui credunt in eum qui excitavit Ieſum Dominũ noſtrum à mortuis, traditum propter offenſas noſtras, &c.* Ex quo ſequitur, eandem eſſe rationem omnium juſtificandorum quæ fuit Abrahami, id eſt, eodem prorſus modo juſtificari debere, quo Abramus juſtificatus eſt, non ex operibus, ſed ex imputatione juſtitiæ, ſine operibus; vel ex eo quod id quod credunt, imputatur ipſis ad juſtitiam. Sic enim Moſes, imputat illud quod credidit, ad juſtitiam Deus.

Hic primum litigant adverſarii in explicatione fidei, ſive actus illius credendi, & dicunt, actum illum non ſpectaſſe ſpecialem Dei miſericordiam, quia (ut objicit Bellarm. lib. 1. de juſtif. cap. 11.) non reſpexit fides Abræ promiſſionem de remiſſione peccatorum, ſed de vocatione gentium & multiplicatione generis, hoc eſt, ut ejuſdem libri cap. 8. expoſuerat, non credidit ſibi per ſpecialem Dei miſericordiam remiſſa fuiſſe peccata, ſed patrem ſe futurum multarum gentiũ, &c. *Illud*, inquit, *credere, nihil aliud erat, quam credere Deum qui promiſerat, omnipotentem, ac fideliſſimum eſſe.*

Socinus etiam parte quarta de Chriſto ſervatore, cap. 4. negat juſtitiæ Chriſti imputationem poſſe intelligi,

ligi, qua Abram juſtificatus fuerit. Sed fidem Abræ imputatam ad juſtitiam dicit, non qua credidit peccatorum remiſſionem per ſpecialem Dei miſericordiam in Chriſto, *ſed quam verbis Dei habuit*, quam non vult fuiſſe de juſtitia Chriſti imputanda, aut de gratia Dei in Chriſto, ſed de numeroſa poſteritate, &c. id eſt, quæ reſpexerit tantùm Dei omnipotentiam & promiſſiones temporales. Id an verùm ſit videndum eſt.

Dicimus ergo, illud *credere*, cujus meminit Moſes, non reſtringi ad unum promiſſionis membrum, ſed complecti totam promiſſionem, quæ ab initio cap. à Moſe relata eſt; neque ex præſenti tantum oraculo æſtimaſſe ſemen promiſſum, ſed ex aliis quibus addita erat benedictio ſpecialis. Non enim vulgare ſemen ſperavit, ſed illud in quo benedicendus erat mundus. Quo reſpexit Apoſtolus, Galat.3. verſ.16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus, non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus.* Unde apparet promiſſionis illius nucleum fuiſſe Chriſtum, Mediatorem & Redemptorem. Et certè cum fidem Abrahæ proponat Apoſtolus velut exemplar fidei, qua omnes credentes benedicuntur & juſtificantur, fides autem reliquorum ſalvandorum habeat pro objecto principali Chriſtum Mediatorem & Redemptorem, niſi id de fide Abrahæ concedatur, regula, & exempla, inter ſe non conſentient. Quo argumento convicti quidam Pontificii concedunt, in fide Noachi & Abrahami, contentam fuiſſe fidem Dei remuneratoris, de qua loquitur Apoſt. cap.11. ad Ebræos, quod credere oportet Deum eſſe, & inquirentibus ſe, eſſe remuneratorem. Ac rurſus, in fide Dei remuneratoris rectè incluſam fidem mediatoris. Unde hac ratione dici poteſt, tacitam eſſe Apoſtoli mentem, quod Abraham & Noë, per fidem mediatoris juſti fuerint declarati, quæ ſunt Eſtii verba in 4.cap. Epiſt. ad Rom. Quod ſi in eo nolint agnoſcere ſpecialem fiduciam de miſericordia Dei, & peccatorum remiſſione, ex ipſius loci circumſtantia oſtendemus qua ratione fuerit incluſa fidei Abrami. Si enim conſideremus quid hic agatur, ut inde feramus judicium de fide ejus, comperiemus Deum non tantùm hoc, vel illud particulare, ſervo ſuo promiſiſſe, (quomodo etiam aliquando ſpecialibus beneficiis aſpergit incredulos, ſed citra guſtum paterni ſui amoris) quinetiam promiſiſſe, ſe propitium ipſi futurum, & præſidio gratiaque ſua fretum in ſalutis fiducia confirmaſſe. Si igitur id ſtatuamus, quod per ſe conſtat, omnes Dei promiſſiones fidelibus deſtinatas, ex gratuita Dei miſericordia fluere, eſſeque teſtimonia paterni amoris & gratuitæ benedictionis, in qua fundata eſt eorum ſalus, ſatis conſtabit Abramum non potuiſſe promiſſiones Dei fide acceptare, ſine ſenſu reconciliationis per miſericordiam divinam, atque ita abſurdum eſſe ſi quis cenſeat fidelem Abramum arripuiſſe tantùm verbulum unum de generanda ſobole, & in eo ſubſtitiſſe; addendum igitur, amplexum eſſe Deum tanquam patrem. Qua ratione etiam nos juſtificat fides, noſque Deo reconciliat, non ſuo quidem merito, ſed dum gratiam nobis in promiſſionibus divinis oblatam recipientes, certo perſuaſi ſumus nos amari à Deo tanquam filios. Concidit igitur argumentum Bellarmini, ſi Abram non habuit fidem ſpecialis miſericordiæ de ſibi remiſſis peccatis, fides qua juſtificamur, non amplectitur ſpecialem miſericordiam. At non habuit talem fidem. Aſſumptio negatur. Ad inſtantiam, credidit tantùm ſe patrem futurum multarum gentium. Negatur excluſiva, quam Bellarminus nec probavit, nec probare potuit.

Eadem reſponſio convellit argumentum Socini. Nam quamvis conceptis verbis Apoſtolus hoc loco non nominet ſpecialem miſericordiam, aut Chriſti juſtitiam, eam tamen ſatis luculenter indicat, cum ait Rom.4. verſ.11. & 13. Abramum juſtificatum fuiſſe per juſtitiam fidei, & non ex lege. Juſtitia enim fidei eſt redemptio in Chriſto Ieſu, & ſanguine ipſius, quam ſic definiverat Paulus Rom.3. verſ.24. & 25. Illud autem quod dicit idem eſſe apud Paulum, juſtitiam imputari, & fidem imputari ad juſtitiam; bono ſenſu intellectum verum eſſe poſſet, dummodo conſtet, qua ratione fides imputetur ad juſtitiam, aut juſtitia ſit quæ homini imputetur. Si enim id intelligatur formaliter, & quatenus fides in ſe ſpectatur, id falſiſſimum eſſe comperietur; ſed, ſi objectivè accipiatur, nempe pro eo quod fides credit, quo modo etiam nomen fidei in ſcriptura accipitur, ultro concedimus fidem ad juſtitiam imputari, & eſſe juſtitiam imputatam, tunc enim ſub nomine fidei Chriſtus à nobis creditus, & ſpecialiter ejus juſtitia ſolet venire. Diſtinguendum eſt tamen inter has phraſes, quæ etſi in unum ſenſum conveniant, differunt nihilominus in eo, quod una eſt figurata, altera propria. Figurata eſt, *fides imputatur ad juſtitiam.* Propria eſt, *juſtitia imputatur credenti.* Tum enim juſtitiæ nomen ponitur directè pro ea juſtitia cujus intuitu Deus erga nos placatus eſt & pro juſtis habet. In primo autem fidei tribuitur, quod ejus non eſt propriè ſumptæ, nec enim eſt juſtitia, nec juſtitiæ loco habetur: ſed objectum ejus eſt juſtitia vera, quæ per fidem nobis imputatur ut pro noſtra habeatur, quam credendo amplexi ſumus. Hæc ſi capere nolint, aut veteratores Romani aut Novatores Sociniani, ſufficiat nobis Apoſtolos autores habere, qui operibus noſtris, ergo fidei qua opus omnem juſtitiæ laudem detrahunt, eamque in juſtitia quæ ſine operibus nobis imputatur conſtituunt.

Et hæc quidem de imputatione. Sed quatenus hic tribuitur Abramo multis annis poſt vocationem ſuam, quæritur an non prius juſtificatus eſſet, ante quam Lothum liberaſſet, & cum Melchiſedeko communicaſſet. Dubitari enim non poteſt quin longo ante tempore, divinam vocationem ſequutus, acceptis etiam Dei promiſſionibus, pietatem ſuam & fidem teſtatus eſſet. Hoc fieri non potuit, quin eadem etiam opera juſti-

juſtificatus fuerit, & Deo reconciliatus. Quomodo igitur, tum fides dicitur imputata ipſi fuiſſe ad juſtitiam? Hanc etiam quæſtionem movent Pontificii, qui nobiſcum vident fidem Abrami non tunc primùm cæpiſſe, de qua Apoſt. Ebræ. x 1. ℣. 7. *Per fidem vocatus Abram auſcultavit Deo, ut abiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem, & exivit, neſciens quo eſſet venturus.* Præterea, etiã hoc eos merito ſollicitat, quomodo *fides* qua hoc loco dicitur Abram juſtificatus, poſſit conferri cum ea fide, qua creditur in eum qui juſtificat impium, quandoquidem tunc cum credidit Abram, erat jamdiu pius & fidelis. Sunt qui reſpondeant verba illa eſſe referenda ad primã Abrami juſtificationem, etſi dicta ſint occaſione illius actus fidei, de quo hoc loco agitur: Ut ſenſus ſit, credidit Abram Deo, ea fide, quæ ipſi ab initio fuit ad juſtitiam imputata, quæ non ſolùm promiſſiones proximas, ſed alias omnes præcedentes complexa eſt. Et certè ſi habitum fidei ſpectemus, unus eſt non plures. Sed actus poſſunt eſſe plures & diverſi. Tamẽ in omnibus fidei juſtificantis actibus, ſi conſideremus id quod anteà notavimus, nuſquam fideles apprehendere aliquam benedictionẽ divinam, quin eorum fides, aut actus ille fidei feratur in Dei benevolentiã, & paternam benignitatem, manebit ſemper idem objectum ſpeciale in omnibus fidei actibus conſiderandum. Idcirco nihil erit abſurdi ſi dicamus, in quolibet veræ fidei actu imputari juſtitiã credenti. Etſi enim juſtificatio ſit actus momentaneus, cujus nunquam planè amittitur effectus in iis qui ſemel juſtificati ſunt; indigent nihilominus renovatione ſenſus juſtificationis ſuæ, qui ſenſus fit per fidẽ, & tunc dicitur etiam fides imputari ad juſtitiam. Nam apprehenſio illa fidei habet fluxum ſuum continuum ſecundùm plus & minus: præſertim cum fidelis, etſi juſtificatus, ſubinde in peccata incidat, propter quæ opus etiam habet remiſſione peccatorum. Quod continuum beneficium fide apprehenſum, ſi ſecundam juſtificationem appellare velint adverſarii, imo tertiam, quartam, quintam & milleſimam, non repugnamus, dummodo conſtet, nulla alia ratione nos juſtificari à peccatis ſequentibus, quàm ea qua ſemel juſtificati fuimus à præcedentibus. Non eſſe igitur propriè plures juſtificationes, ſed plura unius juſtificationis effecta, aut illius fidei, quæ ſemel nobis ad juſtitiam imputata, ſubinde etiam imputatur credentibus, qui etiam nova quotidiè accipiunt ſuæ juſtificationis teſtimonia in ſe, aliquando etiam Deus illis & aliis atteſtatur, quod hoc loco factum eſt propter eas cauſas, quæ non obſcurè ex Apoſtolo colliguntur, ut in Abramo Deus exemplar exhiberet juſtificationis per fidem.

Hic adverſarii Pontificii, alio planè ſenſu recurrunt ad diſtinctionem ſuam juſtificationis primæ & ſecundæ: & volunt, hoc loco non agi de prima juſtificatione, qua quis ex impio fit juſtus, ſed de ſecunda, qua quis ex juſto fit juſtior, id autem utrumque intelligunt *inhærenter.* Primam enim volunt fieri per infuſionem habitus juſtitiæ, ſecundam per opera ſive actus ex quibus augetur juſtitia. Hinc eſt quod Leonard. Marius in hunc locum, probare vult contra hæreticos, in juſtitia dari augmentum & proceſſum. Idem ſcribit Eſtius in cap. 4. Epiſt. ad Rom. non tunc primum Abramum fuiſſe juſtificatum, ſed quia ea fide tanquam inſigni opere juſtitię declarata fuit & aucta ejus juſtitia. *Auctam*, inquit, *dico ea juſtificatione quæ ſecunda vocatur.* Hæc ille. In quibus hoc eſt notandum, Pontificios ſupponere, juſtitiam conſiſtere in habitu inhærente & operibus emanantibus. Atque ita juſtitiam cum ſanctificatione confundere, de cujus remiſſione & intenſione, vel gradibus & augmẽto, nulla eſt inter nos, cum iis altercatio. Negari enim non poteſt, & fidem qua virtus eſt augeri, & ejus actus majores vel minores eſſe poſſe, quia vetus homo renovatur de die in diem. At in juſtificatione per imputationem juſtitiæ, non eadem eſt ratio, quia quæ ſemel nobis imputata eſt juſtitia, ita perfecta eſt, ut nihil ei addi poſſit. tantum applicatione opus eſt per diverſos fidei actus ad conſolationem noſtram. Falſum igitur eſt quod hic ſupponunt, Abramum fuiſſe juſtificatum juſtificatione ſecunda, ut loquuntur, per augmentum juſtitiæ inhærentis, quia non eſt hæc juſtificatio ſine operibus, quæ manifeſtiſſimè ipſis fit per opera.

Accedit, quod Apoſt. ubi loquitur de hac Abrami juſtificatione diſertè dicit, actum illum credendi habuiſſe pro objecto eum qui juſtificat impium, ex quo manifeſtum eſt non poſſe id intelligi de ſecunda, quã vocant, juſtificatione qua aliquis ex juſto fit juſtior, ſed de ea qua aliquis ex impio fit juſtus. Tertio, ſibi etiam in hac ſolutione manifeſtiſſime contradicunt. Dicunt enim fidem juſtificare *initialiter*, & juſtificationẽ incipere à fide; ſed hominem juſtificari per opera in juſtificatione ſecunda. Si ergo agatur hoc loco de ſecunda juſtificatione, quo jure Apoſtolus hæc Moſis verba de Abramo, applicavit huic juſtificationi quæ fit ex fide ſine operibus? Potius enim ipſi dicendum fuiſſet; quia Abramo fides imputata fuit ad juſtitiã quatenus eſt opus eximium, quo juſtitia ejus aucta fuit, ſequitur etiam juſtificationem credentium eſſe ex operibus. Sed contrarium planè ex his verbis eruebat Apoſtolus, fidem fuiſſe imputatam ad juſtitiam, ſine operibus: ex quibus conſtat nulla opera Abrami enumerari inter juſtificationis ejus cauſas, ne quidẽ poſſe, cum bona pace Pauli, qui exemplo Abrami, omnia opera à juſtificatione vult excludere.

Hic autem ſubſiſtunt adverſarii & diſtinctionum quarundam pulvere, conantur huic luci tenebras offundere. Sunt qui ceremonialis legis opera tantum à juſtificatione contendunt excludi; Quæ exceptio quamvis multis placuerit, minus tamen hoc tempore arridet iis qui controverſias tractant. Inter quos Bellarminus lib. 1. de juſtif. cap. 19. oſtendit id verum eſſe non poſſe, quia Apoſtolus ſimpliciter excludit opera, nulla facta mentione legum ceremonialium, quinimò diſertè teſtatur ſe de iis operibus loqui quæ imperantur lege, per quam eſt *agni-*

eſt *agnitio peccati*, Rom. 3. verſ. 20. *quæ iram operatur*, Rom. 4. verſ. 5. *quæ omnes homines peccati arguit*, *&c.* quæ omnia legem Moralē ſpectare, luce meridiana clarius eſt. Itaque excluſivam, vel oppoſitionē operum & fidei, non poſſe reſpicere opera legis ceremonialis ſola, ſed omnia cujuſcumq; legis; quia propoſitio eſt vniverſalis, quæ applicatur tam legi ceremoniali quā morali. Sed morali præcipuè, quia lex ceremonialis morali ſubſerviebat, & ad totam legem ſervandā obligabat eum, qui vel unico actui ceremonialis legis ſe adſtringebat.

Huc ergo recurrunt adverſarii, à juſtificatione excludi opera facta ſine fide, ex ſolis viribus liberi arbitrii. Ita enim Bellarminus loco citato. *Per opera quæ à juſtificatione excluduntur, intelligi non in genere omnia opera, ſed ea tantum quæ fidem præcedunt, & quæ ſolis liberi arbitrii viribus fiunt.* Quàm exceptionem falſam eſſe ex hoc loco ſic oſtendimus. Abraham dicitur fide, non operibus juſtificatus, quo tempore jam multa bona opera fecerat. Ergo per excluſionem operum, non intelliguntur ea tantùm, quæ ſine fide, & ex ſolo libero arbitrio fiunt. Cum enim Abram egrederetur ex Ur Chaldæorum, fidem habebat, atteſtante Apoſtolo, Ebr. 11. Ergo quicquid poſteà boni operis fecit, id factum fuit cum fide, imo ex fide. Bellarminus reſpondet, operatum quidem fuiſſe Abramum ex fide, & Paulum facta illa non excludere, tantùm oſtendere non facta fuiſſe ſine fide. Excludere ergo quæ facere potuiſſet ſine fide, quia etiam ii qui fidem habēt poſſunt aliquando operari ſine fide, ut cum peccant, aut faciunt opera purè moralia, ſine relatione ad Deum. At hæc omnia arguunt deſperatam cauſam. Quæſtio eſt, an Abram ex operibus juſtificatus fuerit, & certè ex operibus quæ fecerat, quæ cum fide, quæ extabat, comparantur. Quid igitur ſibi vult cum operibus quæ facere potuiſſet? An diſputat Apoſtolus, utrum Abram ex operibus quæ non feciſſet fuiſſet juſtificatus? Siccine tanto Apoſtolo, tantam attribuere abſurditatem? Quid autem eſt quod addit, homines poſſe operari ſine fide, nempe cum peccant. An igitur agitabatur quæſtio, num homines malis operibus juſtificentur necne? An hoc non ſit otioſum, ſi blaſphemum non ſit, lectoribus judicandum relinquo. Sed fortè aliud eſt quod addit, & magis ad rem; potuiſſe Abramum fidelem opera moralia facere ſine fide, hoc eſt, ſine relatione ad Deum. Sed tum negabimus opera illa eſſe bona, negabimus eſſe opera legis, quæ tamen exprimuntur ab Apoſtolo. Quis enim dicet ea eſſe opera legis, aut eam eſſe juſtitiam ex lege, quæ fit ſine relatione ad Deum? Lex enim requirit amorem Dei in omnibus, & nemo poteſt ad legem reſpicere, qui Deum non reſpiciat jubentem & mandantem. Qui ergo operatur ex lege, operatur quia ſic juſſit Deus, aut ſic vetuit, quod non poteſt fieri niſi ad Deum relatè. Cum igitur excludat Apoſtolus omnia legis opera, & neget ex operibus fuiſſe juſtificatum Abrahamum, non potuit fidei attribui juſtificatio formaliter, ut loquuntur, qua opus eſt, quia ſi nullis operibus homo juſtificatur, nec igitur uno opere, etiam eximio, qualis eſt fides.

Objicit hoc loco Pererius, naturalem rationem perſuadere, in ſola fide non poſſe juſtitiam hominis conſiſtere; Nam cum duæ ſint facultates animæ rationalis, intellectus & voluntas, neceſſe utique eſſe, quo ritè & perfectè juſtificetur homo, ſecundum utramque juſtum & rectum fieri. Cum igitur fides ſit in intellectu, & non perficiat voluntatem, & ſæpè uſu veniat, ut intellectu benè ſano & recto, voluntas prava ſit, liquet completam hominis juſtificationem ex ſola fide nunquam effici poſſe. Reſpondemus, 1. falſum eſſe quod dicit, fidem nempe juſtificantem eſſe in ſolo intellectu, non in voluntate. Utramque enim facultatem implet vera fides, atque ita rurſus falſum eſt quod ſupponit, intellectu benè ſano & recto, voluntatem eſſe pravam. Id enim fieri non poteſt, cum voluntas rationalis nullum amplectatur objectum, niſi ab intellectu monſtratum; ſi ergo voluntas mala ſit, neceſſario etiam pravus erit intellectus. Sed præterea argumentum non eſt ad rem, & peccat ab ignoratione Elenchi. Quia in eo confunditur ſanctificatio cum juſtificatione, & inhærens juſtitia cum imputata. Fides præterea accipitur propriè & in ſe quà opus. Quo modo ſi juſtificaret, fatemur & nos tantùm ex parte id intelligendum fore, non tantùm quia unam facultatem perficeret, ſed quia ne unam quidem perficeret ſola conſiderata, nec enim unica virtus, omnem in ſe juſtitiam includeret. Ergo fides, qua opus, non perficit totum hominem. Sed qua gratiam Dei in Chriſto amplectitur, & credenti imputatur juſtitia, fides totum hominem perficit apud Deum, id eſt, obedientia Chriſti fideli imputata, facit, ut perfectus habeatur, in intellectu, voluntate, & actionibus demum omnibus, cui nullum peccatum, id eſt, nulla imperfectio imputatur.

Huic argumento affinis eſt nodus quem nectit Bellarminus hoc modo. *Quæro*, inquit, utrum illud *ſine operibus legis*, excludat omnia opera, & omnem legem, an tantùm aliquod genus operum & legum? Si excludat omnia opera, ergo & fidem ipſam; nam actus fidei eſt quoddam opus, & quidem inſigne. Rurſus ſi excludat omnem legem, quum ſit quædam lex fidei Rom. 3. Ergo excindetur etiam lex fidei: Non igitur (inquit) excluduntur omnia opera, nec omnes leges.

Reſpondemus, neque nos excludere opera, & ea à fide ſeparare ratione exiſtentiæ. Si enim ea excluderemus, ne præſentia quidem eſſe deberent. Alia autem ratio eſt præſentiæ & exiſtentiæ operum, alia efficientiæ ratione juſtificationis. Si vero excluſione omnium operum, intelligatur efficaciæ aut meriti operum & ipſius fidei qua opus tale, ratione juſtificationis; fatemur nos cum Paulo excludere omnia opera, etiam

ipſum fidei opus, quantumvis eximium. Cum id dicimus omnia opera ſimul comprehendimus quæcumque tandem illa ſint, ſed variis modis. Seorſim enim accepta quævis opera excludimus à juſtificationis efficacia, quia unum opus, vel plura ad juſtitiam non ſufficiunt, niſi extent omnia. Excluduntur omnia, quia quamvis ſi extarent ſimul omnia & perfecta, ad juſtificationẽ ſufficerent, cum tamen nunquã extent in uno homine, non juſtificant non exiſtentia. At dicet ſi ex nullis operibus juſtificatio eſt, neque ex fide ſola, aut ſeorſim ſumpta. Concedo, qua opus eſt, & qua meritum ejus ſpectatur. Alioqui nego ſequi, cum fides operibus opponitur, ut fit apud Paulum, ubi *juſtificari fide*, & *juſtificari operibus* tanquam pugnantia ubique ponuntur. Si inſtet, Atqui fides eſt opus; rectè, ſed fides non opponitur tanquam opus operi, ſed tanquam fides, operibus. Fides autem non eſt *omnia opera* quæ excludit; Imò excludit ſe ipſam *qua opus eſt*. Unum enim opus non juſtificat, nec quidem poteſt juſtificare. Redeundum ergo ad controverſiæ ſtatum, quo fides ſtatuitur juſtificare, non *quatenus eſt opus*, ſive *per ſe*, ſed *relativè*, quatenus ſignificat applicationem juſtitiæ Chriſti, id eſt, non noſtræ, ſed alienæ. Juſtificatio enim ex operibus nulla datur niſi ex propriis, non autem ex alienis.

Quod autem de lege addit, ſi omnis lex excludatur, ergo & fidei. Reſpondemus in excluſione legis ſemper reſpici opera, atque ita unam & eandem eſſe rationem. Quapropter ſi lex fidei, non ſit lex operum, non etiam excluditur, ſed includitur. Quamquam quod Apoſtolus ſemel dicit de lege fidei, poſſet intelligi non ſtrictè de lege propriè dicta, ſed in genere quo ſenſu apud Ebræos nomen תורה *torah*, accipitur pro doctrina, ut lex fidei ſit doctrina fidei, id eſt, Evangelium.

Sed inſtant ad id quod dicimus, fidei tribui juſtificationem eo ſolo nomine quod apprehendit ſola promiſſionem juſtificationis, ſeu ipſam juſtificationem credendo applicat. Vel quod eodem ſenſu, aliis verbis proferimus, fidem relativè nominari eam qua credimus in Chriſtum pro nobis crucifixum. Quod virtutibus aliis Chriſtianis non competit, ſaltem propriè & directè, ſed fidei tantùm. Primum enim negat Bellarminus fidem apprehendere propriè. Nam etſi apprehenſio rei in intellectu neceſſaria ſit ad fidẽ, non tamen ipſam eſſe fidem, cum etiam infideles apprehendere poſſint myſteria fidei, quorum tamen nõ eſt fides. In quo ſe Sophiſtarum more gerit, ludens homonymia apprehenſionis. Quaſi vero nulla alia poſſet eſſe apprehenſio præter eam per quam ſecundũ philoſophos, intellectus apprehendit imagines rerum, ex quibus formetur habitus cognitionis: Bellarminus alibi ſe ipſum refutat, cum in Pſal. 2. ad illa verba veteris interpretis *Apprehendite diſciplinam*, ſcribit, *verbum, apprehendere, non ſignificare ſimpliciter ſuſcipere, ſed magno affectu rapere, & complecti; firmiter retinere, quomodo quis complectitur ad oſculandum perſonam valdè amatam.* Unde conſtat, apprehenſionem non tantùm ad intellectum & imaginationem, ſed etiam ad voluntatem pertinere, imò præcipuè, cum in rem per imagines intellectui repræſentatas, & per judicium cognitas, fertur toto impetu. Merito igitur Chriſti & beneficiorum ejus apprehenſio tribuitur fidei. Quo ſenſu à Paulo dictum Rom. 9. *Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehendiſſe juſtitiam, juſtitiam autem quæ eſt ex fide.*

Iterum Bellarm. inſurgit, eſto, inquit, apprehendatur juſtificatio per fidem, certè non ita ut reipſa jam habeatur, & inhæreat, ſed ſit in mente ratione objecti, actione intellectus aut voluntatis apprehenſi, quo modo, inquit, apprehendunt amor & gaudium. Ad id citat Auguſt. Confeſſ. lib. 8. cap. 2. *Volebant eum omnes rapere in cor ſuum, & rapiebant amando & gaudendo. Hæ rapientium manus erant.* Si ergo fides juſtificat, quia juſtitiam apprehendit, dum credo aut confido me eſſe juſtum per Chriſtum, ipſa etiam charitas juſtificat, dum diligo & gaudeo me eſſe juſtum per Chriſtum. Reſp. Nos non dicere, fidem apprehendere juſtificationem ut inhæreat, inhærentiam enim cum ſcriptura negamus, & cum juſtificatio ſit actio divina, nobis inhærere non poteſt, niſi ratione ſui effectus, pacis nimirum & conſcientiæ quietæ. Non ſequitur tamen reipſa non haberi, quod non inhæret. Nihil enim verius à nobis habetur juſtificatione per fidem apprehenſa. Quia Deus non ludit nos. Negatur autem ſimili modo gaudium & amorem apprehendere juſtitiam; non poſſunt enim niſi ſecundariò & mediatè per fidem ipſam, tunc enim amat quis juſtificationem & de ea gaudet, poſtquàm eam per fidem apprehendit tanquam ſuam. Non enim gaudet aliquis ob juſtificationem cujus ſe participem eſſe non ſentit. Diaboli imaginativè apprehendunt & intellectu judicant fidelium juſtificationem, non tamen eam amant, neque de ea gaudent, quia credere non poſſunt eam ad ſe pertinere.

De loco Jacobi qui cum iſto videtur pugnare, quo Abrahamum dicit juſtificatum fuiſſe operibus, quando obtulit Iſaacum filium ſuum, agendum erit tum, cum ad eam Hiſtoriam pervenerimus.

EXERCITATIO LXXXIV.

Cur Abram ſignum à Deo petierit? ſignum petere non ſemper arguere diffidentiam. Excuſatur petitio Gedeonis Iudic. VI. *verſ.* XV. *& ſeqq. Explicatur interrogatio B. Virginis, Luc.*1. *verſ.* XXXIV. *Quis fuerit terminus annorum* CCCCXXX *ſervitutis prædicta Abrami poſteris? Differentia numeri annorum aſſignatorum, quomodo concilietur? Diſſertatio de moræ Iſraëlitarum in Ægypto duratione. Quæ ratio tantæ multiplicationis Ebræorum in Aegypto? Stapletonus à Lorino Ieſuita reprehenſus. Cur ſub nomine Amorræorum, omnes Chananæos comprehendat oraculum.* Compleri, *aut* non compleri iniquitatem, *quid ſit? Explicatio loci ex Epiſt. Iacobi cap.*1. *verſ.*15. *Quæ ſit* menſura *iniquitatis completæ. Cauſſæ principales* IV *quibus motus Deus ad extraordinaria judicia procedat. Cur Deus impiorum & ſceleratorum pœnam tamdiu differat?*

MIrum videri poteſt, quod poſt tantoperè celebratam Abrami fidem, etiam divino teſtimonio commendatam, Deo repetenti promiſſionem de terra Canaan poſteritati ſuæ hæreditario jure donanda, reſpondeat tamen, verſ.8. *Domine Iehovah, in quo cognoſcam, quod hæreditabo eam?* Patet ex his verbis Abramum à Deo petiiſſe ſignum, quo cognoſcere poſſet, ſe terram Cananæam poſſeſſurum eſſe hæreditario jure. Unde quis poſſet cogitare, id eum anteà non cognoviſſe, quod tamen à Deo fuerat promiſſum. Si non cognovit, non credidit. Non poteſt enim eſſe fides ſine aliqua rei creditæ notitia, ſaltem quod res ſit, vel futura ſit certò, ſi fides ſit de futuro: etſi de natura rei ipſius & ejus conditionibus omnibus nondum cognitio perfecta habeatur. Quid igitur? dicemuſne Abram non cognoviſſe, Deum id ipſi promiſiſſe? Id certè non patitur fidei ejus laus. Dicemuſne neſciviſſe an Deus poſſet efficere quod promiſerat? At Apoſtolus contrarium affirmat. An ergo neſciviſſe num Deus, quod promiſerat, vellet exequi? Sed conſtantiam & veritatem divinam in dubium vocaſſet, quod fuiſſet Deo injurioſum. Cur igitur ſignum petit, ſi in horum nullo hæſitavit?

Aliquando ſignum petere eſſe infidelitatis teſtimonium patet ex dicto Domini, adverſus eos qui dixerant, *volumus ex te ſignum videre.* Reſpondebat enim Matth. 12. verſ.39. *Natio mala & adultera ſignum requirit, &c.* Aliquando eſt etiam incredulitatis teſtimonium, ſi quis poſt auditam Dei promiſſionem, ita de modo interroget, ut argumenta contraria proferat, ut rem tanquam impoſſibilem rejiciat. Quo ſenſu dubitare non poſſumus Zachariam initio incredulum fuiſſe, cum Angelo objecit, Luc.1. κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο; *Quo argumento iſtud noſcam? Ego enim ſum ſenex, & uxor mea eſt provecta ætate.* In hac enim petitione dubitaſſe Zachariam oſtendit Angelus, & inſequuta caſtigatio. In eodem ordine ponit Thomas 2. 2æ. q.77. artic.2. interrogationem Gedeonis, Judic.6. verſ.15. & ſeqq. ubi objecta ſua imbecillitate, petit ab Angelo ſignum, verſ.17. *Ede mihi ſignum te eſſe illum qui loqueris mecum.* Qui tamen excuſari poteſt, quia nondum ei nota erat perſona loquens, ex ſequentibus enim patet neſciviſſe eſſe Angelum; putaſſe eſſe hominem certum eſt, qui ſe gereret tanquam Propheta: ab eo igitur ſignum petit, non ut confirmaret ſe loqui, quod evidens erat, ſed ſe talem eſſe cui loquenti fides haberi deberet. Qua in præcautione culpandum non eſſe ſentimus. Alia ratio eſt ejus quod poſteà, cum certo ſciret eſſe Angelum Dei, miracula nihilominus petiit & obtinuit, cum etiam per ignem ex ſaxo egreſſum, ſufficienter fuiſſet edoctus, de dignitate loquentis. Ibi concedunt non pauci timiditate diffidentiaque nimia peccaſſe. Sed nihil eſt quod nos ad id ſentiendum adigat. Potuerunt eſſe aliæ hujus petitionis cauſæ, quam modeſtam & demiſſam fuiſſe teſtatur id, quod veniam iteratæ petitionis ſuæ verſ.39. perhumiliter obſecrat, & non infidelitate peccaſſe, quod verſ.36. agnoſcit Deum de danda ſalute Iſraëli per eum fuiſſe locutum. Volebat ergo id tantùm, alacritatem ſuam magis incitari, & de vocatione ſua amplius confirmari, quemadmodum ſanctorum fides ſolet ſuis gradibus provehi. Potuit etiam id petere in aliorum confirmationem, quos ad bellum erat deducturus.

Quicquid de eo ſit, ſunt alia exempla in ſcriptura, eorum qui informari plenius petierunt, etſi de re ipſa non dubitarent. Quale eſt illud de ſanctiſſ. virgine, quæ Angelo nuncianti, non quidem obſiſtebat, ſed tamen rei magnitudine attonita, & cum modum ignoraret, in hæc erupit verba, Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω. *Quomodo erit iſtud, quoniam virum non novi?* Luc.1. verſ.34. Non enim cum Origene homil.1. in Geneſim, ei adſcribimus *infidelitatem*; nec cum Athanaſio Serm. de Deipara & Chryſoſt. Homil.49. in Geneſim, *hæſitationem* ſaltem & *dubitationem*; Sed cum Ambroſio lib.2. de Abraham, cap.8. & in 1. cap. Lucæ, non eſſe verbum incredulitatis aut diffidentiæ ſentimus, ſed interrogationis & percuntationis, non de re, ſed de rei modo, quia modum ignorabat, quo myſterium peragendum eſſet, idcirco interrogat ut ſciat. Utitur ibidem exemplo Abrahami, ubi audiens promiſſionem

magni-

magnificam, non incredulus myſterii, ſed cupidus ſciendi modum quē ignorabat, petiit, *Vnde ſciam, &c?* Quem modum ſtatim ei Deus aperuit.

Eandem igitur fuiſſe utriuſque interrogationis rationem exiſtimamus. Utrobique fidem fuiſſe veram, ſed tamen agnitionem propriæ infirmitatis, quæ media legitima non abjiceret aut negligeret, quæ ad rem ipſam penitius cognoſcendam pertinebant. Sic enim fideles, Dei familiaritate allecti, auſi ſunt à Deo petere poſt fidem promiſſis adhibitam, circumſtantiarum pleniorem notitiam; ad quas præſertim, referimus petitionem Abrami hoc loco. Nam quatenus ſpectabat beneficium temporale, cujus differebatur poſſeſſio, poterat is qui plenè perſuaſus erat de veritate divina, & qui ſine conditione & non hæſitanter, ſibi Deum propitium noverat, apud ſe perpendere, num fortè promiſſio illa terræ non eſſet conditionata; an non etiam propter venturæ poſteritatis defectus impedienda, vel abſolutè donanda. Et ſanè, ex reſponſione divina, colligendum eſt, quæſtionem Abrami ſpectaſſe circumſtantias illas, temporis, & impedimentorum propter habitatores terræ; & quæſiviſſe non ſolùm ſibi, ſed & poſteris, teſtimonium aliquod, quo inter moras ſuſtentarentur.

Deus Abramum edocet, primùm ſignis, deinde explicatione propria extra figuram, ſive oraculo expreſſo, de quo paucis agemus; non enim lubet hærere in ſacrificio, & reliquis quæ ſupra illud acciderunt, in quibus pleraque ſunt facilia. Sed hoc habet aliquid difficultatis, quod verſ.13. prædicit Deus ſervitutem poſterorum Abrami in Ægypto, & tempus aſſignat annorum quadringentorum: ſive, ut poſteà habetur, verſ.16. quatuor generationum. Nam 1. quæritur, quando incipere debuerit, quadringentorum illorum annorum enumeratio? 2. An numerus hic aſſignatus fuerit rotundus. 3. An fuerint anni captivitatis ſolùm, vel an etiã ſub iis contineantur tempora omnia dilationis, de terra illa donanda?

De primo diſputant Chronologi, de quo inter illuſtrem Scaligerum & Doctiſſ. Pareum, ſatis acerba fuit altercatio. Pareus, ex Apoſt. ad Galat. cap.3. verſ.16. ubi dicit pactionem antè confirmatam à Deo reſpectu Chriſti, legem quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit, non facere irritam, probat terminum annorum 430 fuiſſe, cum data fuit lex. Initium autem illorum annorum ſumendum eſſe à confirmata pactione. Confirmationem pactionis intelligit Pareus, circumciſionis inſtitutionem, quia tum dicit Moſes, Hoc die pepegiſſe Deum fœdus cum Abramo. Scaliger autem rem arceſſit à prima vocatione Abrami ex Ur Chaldæorum, & quia non conveniunt in anno nativitatis Abrami, ut alias dictum eſt, in aliis etiam convenire non poſſunt. Probabiliſſimam reddit Parei rationem terminorum illorum, locus Apoſtoli, qua de re poſſunt videri quæ ille fuſius in hunc locum diſſerit.

De numero aſſignato non eadem ubique dicuntur. Nam ad Galat.3. verſ.17. Apoſtolus addit annos 30. ſupra 400. ex cap. 12. Exod. verſ.40. mendum autem irrepſiſſe, vel in his locis, vel hic apud Moſem, dici non debet. Nodum ſic ſolvunt, ut hic numerus rotundus ponatur, ſine paucorum annorum præjudicio, qui ad quadringentos comparati, omittuntur; tamen alibi, ubi de exacta ſupputatione agitur, exprimuntur. Malim cum aliis dicere, annos illos triginta exactos fuiſſe à promiſſione facta Abramo, uſque ad ortum Iſaaci, quo incipit peregrinatio Abrami unà cum ſemine ſuo; à qua peregrinatione uſque ad egreſſum ex Ægypto interceſſerunt anni 400. A promiſſionis autem confirmatione 430. Tunc autem ſi præciſe numerentur anni ab Iſaaco nato, uſque ad exitum, erunt 405. ſed numerus ille quinarius, qui exiguus eſt, omiſſus fuit, ut ſervaretur numerus perfectus & rotundus.

Tertia difficultas eſt majoris momenti, An mora filiorum Iſraël in Ægypto fuerit 400 annorum? Id multi exiſtimarunt, freti hoc loco in quo Deus dicit, *ſervient illis, affligentque eos, quadringentos annos.* Et Exod. cap.12. verſ. 40. *Habitatio filiorum Iſraël quæ manſerunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum.* Neque minori ſpatio, è ſeptuaginta animabus, quæ ex Ebræorum genere ingreſſæ ſunt in Ægyptum, videtur pullulare potuiſſe tot nepotum ſylva ut ad ſexcenta pugnantium millia excreverint, ſine parvulis, mulieribus, & imbecilli turba. Contra tamen facit, quod mora filiorum Iſraël in Ægypto, excedere non potuit ſummam ducentorum & quindecim annorum. Id ita colligunt. Caath avus Moſis unà cum Levi parente venit in Ægyptum, Geneſ.40. Is autem vixit annos 133. ut legimus Exod.6. Amram Moſis pater, vixit annos 137. Quod ſi colligerentur anni à primo nativitatis Caath, & diceretur genuiſſe filium ſuum Amram anno ætatis ſuæ poſtremo, iſtum autem ſuſcepiſſe Moſem circa vitæ ſuæ finem, & addantur anni octoginta ætatis Moſis, ſumma illa tota non excedet annos 350. Proinde fieri non poteſt etſi extrema quæque numerarentur, ut Iſraëlitæ manſerint tot annos in Ægypto. Nec etiam veriſimile eſt, Caath & Amram tam ſero genuiſſe.

Eſt aliud argumentum, ex eo quod Iochabad filia ipſius Levi, mater fuit Moſis, utpote quæ fuit uxor Amram. Illa enim nata erat in Ægypto, cum Levi exceſſiſſet annum ætatis quadrageſimum. Joſeph enim ætate minor tum agebat annum 39. Ponamus Jochabad genitam fuiſſe à Levi centenario, & à Jochabad ſimiliter centenaria natum fuiſſe Moſem, ſequeretur natum eſſe Moſem anno centeſimo quinquageſimo, aut ſexageſimo, poſt ingreſſum Jacobi in Ægyptum. Quibus ſi addantur anni 80 Moſis, erunt 240. anni. Quod ſi dicamus quadringentos triginta annos fuiſſe in Ægypto Iſraëlitas, demptis ex iis 60 ante natam Jochabad, & 80. poſt natum Moſem, ſequeretur Jochabad fuiſſe ducentorum nonaginta annorum cum

peperit Moſem. Exactis autem tot à diluvio ſeculis, fœminæ ea ætate non concipiebant, cùm miraculo tribuatur, quod Sara nonagenaria conceperit.

Aliud argumentum firmius multò, ſumitur ex loco citato cap. 3. Epiſt. ad Galat. ubi à promiſſione Abræ confirmata, uſque ad datam legem 430. anni interceſſiſſe dicuntur. Quomodo autem id fieri potuit videndum: in quo ſi ſtatuamus, quod verum eſt, à promiſſione illa uſque ad deſcenſum Abrami in Ægyptum, plures ducentis annis interceſſiſſe, liquidum erit, habitationem Ægypti non potuiſſe quadringentos & plures annos comprehendere. Prima promiſſio facta eſt Abræ, Geneſ. 12. cùm annum ageret 75. ex quo ad ortum Iſaaci numerantur anni 25. Genitus enim fuit à patre centenario. Jacòb natus annos 130. venit in Ægyptum. Geneſ. 47. Ex his ſumma efficitur annorum 115. Reliquum eſt ergò, ſi interceſſerunt à promiſſione illa prima uſque ad exitum ex Ægypto 430. anni, habitationem in Ægypto fuiſſe totidem 115 annorum.

Ad citata loca in contrariam partem reſpondendum eſt, numerum illum annorum quadringentorum, non tantùm impleri ex Ægypti incolatu, ſed ex peregrinatione Abræ & poſterorum ejus in terra Canaan. Moſes autem, Exod. 12. meminit tantùm Ægypti, quia ibi longior & durior fuit commoratio; & quia, ut notat Auguſt. de Civit. Dei lib. 16. cap. 24. commoratio in Ægypto, etſi totum illud tempus non contineat, illud tamen complet & abſolvit. Cujus ſolutionis exemplum commodum affert, ex cap. 11. Geneſ. juxta verſionem LXX. *Et fuerunt dies Thare in Charan*, 205. *anni*, quamvis in Charan non omnes exacti fuerint, ſed quia ſunt ibi completi. Ideò LXX locum illum Exod. 12. ſic paraphraſticè explicarunt, *Habitatio quâ filii Iſraël habitarunt in Ægypto & in terra Canaan ipſi, & patres eorum, anni* 430. Qui ſenſus habetur etiam apud Joſephum lib. 2. antiquit. cap. 6. *Reliquerunt*, inquit, *Ebræi Ægyptum anno quatercenteſimo trigeſimo, poſtquam Abraham ſator noſter in Canaan venit: poſt migrationem verò Iacob in Ægyptum anno ducenteſimo decimo quinto.*

Et certè modus ipſe loquendi ſatis probat, annos illos impleri debere ex diverſorum temporum aggregatione, & non tantùm ex incolatu Ægypti; nam ſerviturum, & peregrinum futurum, & affligendum dicitur ſemen Abræ 400. annos: ſi ergò non conjungamus hæc omnia, dicendum erit 400. annos Iſraëlitas fuiſſe malè vexatos, quod verum eſſe non poteſt. Nam certum eſt, ſervitutem eorum cœpiſſe poſt mortem Joſeph, qui poſt ingreſſum Jacobi, vixit in Ægypto annos 71. erat enim annorum 39. quando pater ipſius in AEgyptum venit, & mortuus eſt ætatis ſuæ anno 110. Cœpiſſe autem ſervitutem poſt Joſephi & fratrum ejus obitum, Exod. cap. 1. apertè dicitur. Imò poſtquam mortua fuit cognatio Joſephi, illa nempè quæ ingreſſa fuerat in AEgyptum cum Jacobo. Nec à vero aliena eſt Judæorum ſententia, qui exiſtimant duraſſe vexationem illam annos 87. quam cœpiſſe credunt ſeptimo anno ante natum Moſem, quo nata creditur Maria ſoror ejus, quam eo nomine volunt appellatam à populi *amaritudine*. Maria enim *amaritudinem* ſonat, & ærumnoſum aliquid.

Nec mirum videri debet, aut ſaltem impoſſibile (neque enim miraculum planè in eo rejicimus) tam brevi ſpatio adeò propagari potuiſſe genus Ebræorum. Auguſtinus id tribuit ſpeciali Dei providentiæ, quia promiſerat Abræ, ſe multiplicaturum ſemen ejus, ſicut ſtellas cœli. Ideò Exod. 1. ℣. 7. filios Iſraëlis fœtificaſſe, & abundè progenuiſſe. Deum igitur adfuiſſe illi populo certum eſt, ut ſecundùm promiſſionem progenitori factam, multiplicaret ſobolem. Ratio etiam addi poteſt naturalis; quia cùm omnes diu viverent, & generationi vacarent, pluribus etiam utentes uxoribus, magis multiplicabant. Favebat etiam ſoli AEgyptii vis incredibilis, & uſque ad miraculum generationi favens. Ariſtoteles enim lib. 7. de hiſt. animal. cap. 4. tradit, in terra AEgypti fœminas eodem nixu parere tres, & quatuor ſæpè, neque rarò quinque. Ubi refert quandam fœminam *peperiſſe viginti, quatuor partubus*, majoremq; eorum partem nutriri & adoleſcere potuiſſe. Non obſtat igitur numeroſa illa proles, quin verum ſit habitationem Iſraëlitarum in AEgypto non exceſſiſſe annos ducentos & quindecim, quo certè tempore magna fieri poteſt hominum multiplicatio.

Meritò itaque flagellat Lorinus Stapletonum tanquam graviùs hallucinantem, quàm cæteros, quia in Antidotis ad cap. 7. Act. Apoſtol. vult totos quadringentos annos fuiſſe conſumptos in Ægyptiaca habitatione atque etiam afflictione. Rejicit autem antidotum ejus, quia valentibus opus non fuit antidoto; etſi in ea re eſſent qui quodammodo malè valerent, non eſſet morbus eorum hæreſis, cùm citra fidei periculum, ejuſmodi res variè à Catholicis diſcutiantur.

Verſ. 16. moræ illius redditur ea ratio, cur non citius poſſeſſuri ſunt terram poſteri Abrami; כי לא שלם עון *ki lo ſchalem avon, quia non completa eſt iniquitas Amorræi hucuſque*: ubi per *Amorræos* etiam ſunt intelligendi reliqui omnes populi, qui terram inhabitabant, qui enumerantur tribus poſtremis verſibus hujus capitis. Sed Amorræorum nomine alii intelliguntur, quia erant potentiſſimi & robuſtiſſimi, quales fuerunt Og & Sehon Amorræorum Reges, tempore Joſue. Putarem etiam ideò meminiſſe ſpecialiter Amorræorum, quia tum inter eos habitabat Abram. Erant enim Amorræi incolæ tractus illius, & tres illi viri quibuſcum Abram fœdus inierat.

Sed quid eſt, *non completam fuiſſe iniquitatem?* Iniquitas poteſt accipi, vel pro peccato, vel pro peccati pœna. Si pro peccato accipiatur, certum eſt Amorræos & alios incolas locorum illorum tales fuiſſe,

quorum peccata etiam tum merebantur graviorem pœnam. Non enim poſſum eos audire qui dicunt, nondum tum veniſſe ad talem peccatorum gradum, ut mererentur eam vindictam. Certè ſi de merito, *in ſe*, ageretur, potuiſſet Deus eos jure exterminare. Si verò iniquitatis nomen pro ipſa vindicta accipiatur, ſenſus erit, nondum veniſſe tempus à Deo definitum, quo pœnâ illâ in eorum ſcelera vellet animadvertere: atque ita tota mora ad ſapientiæ divinæ decretum referri deberet, qui ita vult exercere juſtitiam, ut etiam oſtendat patientiam ſuam, in tolerandis & expectandis peccatoribus. De utraque malim intelligere, & de iniquitate, quæ peccatum eſt, & conſequenter de vindicta. Quod ita acciperem. I. Nondum completam fuiſſe iniquitatem, ratione ſubjecti, quia ſupererant adhuc in illis populis quidam honeſti & boni, qualis fuit Melchiſedek, quales etiam fuerunt fœderati Abrami. Dum ergò tales reperiebantur inter pleroſque impios & prophanos, Deus adhuc parcebat reliquis, propter paucos pios. II. Neque etiam ratione adjuncti, id eſt, peccati ipſius, quia prævidebat Deus, populos illos aucturos eſſe ſuam iniquitatem, ſive numerus peccatorum ſpectetur & quantitas, ſive uniuſcujuſque peccati, cui erant obnoxii, ut ita dicam, *qualitas & intenſio.* Tum enim dicitur *compleri iniquitas* in aliquo populo, cùm omnes in univerſum corripit, & cùm corruptio ſingulorum augeſcit, donec tandem ad Deum clamet, & ejus vindictam accerſat.

Ex hac phraſi, ut id obiter dicamus, poteſt exponi dictum illud Jacobi, cap. 1. ℣. 15. *Cupiditas poſtquam concepit, parit peccatum; peccatum verò*, ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα, *peractum*, aut completum, *gignit mortem.* Ubi per *mortem* non eſt intelligendum tantùm meritum mortis, ſed eventus ipſe. Eſt enim ſenſus, initiis eſſe reſiſtendum, & comprimenda eſſe peccata, ne ſi aſſuetudine quadam, menſuram peccatorum quis impleat, ſentiat tandem Deum vindicem, qui mortem irrogat peccatori, quando impleta eſt menſura, ultra quam decrevit non amplius differre pœnam.

Cùm autem agitur, non de uno privato, ſed de tota aliqua natione, diutiùs expectat Deus, & menſuræ illius modus multo major eſt antequàm ad vindictam procedat. Eſt autem *menſura* illa, tempus quo Deus decrevit permittere peccata alicujus gentis impunè fieri, non quidem abſolutè, puniuntur enim multis modis; ſed comparatè, ratione univerſalitatis pœnæ & exterminii, ſive deletionis, cui tempori jungimus etiam multitudinem & gravitatem peccatorum uſque ad aliquem terminum, quem ubi attigerunt, tandem procedit ad notabilem illam vindictam quam diximus, & de qua intelligendum eſt, id quod hoc loco dicitur, nondum impletam fuiſſe menſuram Amorræorum. Nemo autem hominum terminum illum durationis, multitudinis, & gravitatis peccatorum ſcire poteſt, poſt quem Deus decrevit ſumere tale ſupplicium. Quia ſi peccati meritum ſpectemus, Deus poſſet ex juſtitia celerius animadvertere; ſed cùm id à decreto Dei pendeat, id etiam inter ea quæ hominibus ſunt occulta, ponendum eſt; ut quemadmodum finalis illius vindictæ diem nemo novit, ſic & particularium judiciorum adverſus aliquam nationem, diem & tempus nemo ſcire poſſit, niſi id Deus revelet; ut factum eſt hoc loco, in cauſa Amorræorum, ad conſolationem Abrami.

Poſſunt tamen ex conſideratione exemplorum judiciorum ejus generis quatuor principales cauſſæ notari, quibus motus ad talia judicia procedat Deus. Ex quibus, ſi eas vigere videamus in aliquo populo, non levis conjectura deduci poſſit, in propinquo eſſe notabilem juſtitiæ divinæ vindictam. Prima eſt, cùm in aliqua natione, grave aliquod peccatum aut ſcelus ita viget, ut non quidam ſolùm rei ſint, ſed maxima pars, ita ut pauciſſimi ſuperſint, aut fermè nulli, qui non implicentur ſceleratæ actioni, non ſemel patratæ, ſed continuatæ, ob contractum habitum. Hæc cauſſa deducitur ex deſtructione Sedomæorum, de qua poſteà: nam circumſtantia hiſtoriæ hæc eſt, quod concurriſſent ad ædes Loti à puero uſque ad ſenem, adeò ut nullus eſſet, qui ſcelerum non eſſet vel patrator, vel particeps.

Huic primæ cauſſæ, ſecundam ſubjungimus, quæ etiam ferè conjungitur, cùm peccata alioquin per ſe horrenda, fiunt ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo, depoſitâ omni verecundiâ, imò ad extremum illud homines devenerunt, ut honor deferatur ſceleri, & impunè *lætentur mali, cum malè fecerint, exultentque in rebus peſſimis*, ut loquitur Proverb. 2. Sapiens. Quæ cauſſa fuit, cur Eſaias ſuprema minabatur Judæis mala, cap. 3. ℣. 10. *quia obſirmatio vultus eorum teſtabatur contra ipſos, cùm peccatum ſuum ſicut Sedom enunciarent, & non celarent.*

Addatur tertia, cùm remedia omnia in univerſum inutilia ſunt, & omnis ſpes emendationis prærepta, quia ex longo uſu videntur in naturam velut converſa, ut de Cananæis loquitur autor Sapientiæ cap. 12. ℣. 10. *improbam fuiſſe naturam eorum, nativamque malitiam*, ideò addit, *nequaquam mutatum iri malitiam illorum in ſeculum.* Primum quidem dici poteſt de omnibus hominibus, ratione corruptæ naturæ; ſed id aliter intellexit, non tam de origine, quàm de conſuetudine quæ altera eſt natura. Poſtremum illud oſtendit rem eſſe deploratam. Ubi talis eſt corruptio deſperata, tum vindicta divina in proximo eſt.

Quarta ſit, quando alicujus nationis improbitas eò uſque proceſſit, ut non ſolùm ſibi noceat, ſed humanæ ſocietati exitialis reddita ſit, pervertens ac deſtruens ipſam hominum ſocietatem; ubi regnat Atheiſmus, injuſtitia exercetur, libidines omnis generis exundant. Quæ omnia apud Cananæos viguiſſe, cùm Deus ad vindictam proceſſit, teſtatur hiſtoria ſacra. Levit. 18. ℣. 27. *Omnes abominationes iſtas fecerunt homines illius terræ,*

terræ, quæ vobis expoſita eſt, unde polluta eſt terra. Deut.9. ℣.5. & cap.12. ℣.30.31.

Sed quæri poteſt, cur Deus impiorum pœnam, quos tandem perdere decrevit, tamdiu differat, præſertim ſi obſint ſuis, & eorum bona remorentur, quod in Cananæis, reſpectu poſteritatis Abrami, apparet. Hic certè ſola ſufficere debet Dei voluntas, cujus ſapientiæ nemo impunè metas præſcribit. Nihilominus voluit etiam ut ex verbo ſuo, cauſſæ quædam nobis innoteſcerent, cur id non ſolùm juſtum ſit, ſed etiam Eccleſiæ utile & glorioſum. Id primò notandum eſt, Eccleſiam Dei in his terris perfectam non eſſe, & quandiu vel militat, vel ædificatur, non ſperandum eſſe ut ab hoſtibus planè ſit libera, vel ut mallei omnes abjiciantur, nec id eſſe operæpretium. Improbos ergò patitur Deus vivere ad tempus, imò & florere in hoc mundo, ut per eos ſuos exerceat, & aliquando caſtiget, utens eorum viribus tanquam virgis, quibus Eccleſiam ſuam coërcet, & expurgat, donec tandem, ſuo tempore, flagella in ignem conjiciat, poſt ſuorum emendationem. Sic Aſſyrius fuit virga furoris Dei, & baculus in manu ejus. Hæc conſideratio his temporibus utilis eſt, quibus ex omni parte opprimitur Eccleſia, florentibus hoſtium rebus, quos ita menſuram ſuam Deus ſinit adimplere.

2. Facit hoc ad longanimitatem Dei declarandam, & juſtitiam ejus illuſtrandam, poſtquam diu peccatores expectavit, & eis tempus pœnitendi dedit: tum enim, cùm poſt longam moram, tarditatem ſupplicii gravitate compenſat, non poſſunt impii conqueri ac ſi præcipitanter cum illis actum eſſet, qui tamdiu abuſi ſunt Dei patientia, quæ eos ad pœnitentiam invitabat; *ſed ſecundùm duritiam ſuam & cor impœnitens, theſauriſarunt ſibi iram in die iræ, & juſti judicii Dei,* Rom.2.

3. Utitur etiam Deus hac dilatione, non ſolùm ob prædictam cauſſam, ſed quia etſi plerique abutantur patientia ejus, reperiuntur tamen nonnulli, quibus mora illa utilis eſt & ſalutaris, qui ſuo tempore revocantur à malo, & Dei benignitate invitati, per ejus gratiam accedunt. Itaque dum impletur menſura rebellium, ſeliguntur & ſeparantur qui cum iis perire non debent, ſubducuntur à Deo, & aliquando rapiuntur, ne cum reliquis pereant. Sic Deus patienter expectavit primum mundum, donec tandem menſura completa, & ſuis ſubductis, reliquias paucas ſervavit, dum in univerſos animadverteret.

Ergò in illa dilatione Deus ſuas habet rationes, & præter nobis notas, alias etiam occultas, nec aliquid decidit juſtitiæ ejus. Neque enim exigit ejus juſtitia, ut temporales pœnas infligat quotieſcunque homines peccant, idque continuò, quia non neceſſarium eſt ut in hac vita homo ſtatim recipiat digna factis ſuis, quemadmodum poſt hanc vitam; tunc enim impios excipiunt æterna ſupplicia, quibus Deus juſtitiæ ſuæ ſatisfacit, eo majori cum fœnore, quo benignius egit cum ingratis hominibus.

EXERCITATIO LXXXV.

An aliqua fuerit neceſsitas, & qualis, in impletione iniquitatis Amorræorum? An talis neceſsitas excuſet peccatores? An ei difficultati ſatisfiat per ſcientiam, quam vocant mediam? *Socinus negavit ſcientiam futurorum contingentium à voluntate humana pendentium, in Deo. Refutatur argumento ex hoc oraculo deducto: & ſimili loco ex Deut.* 11. *verſ.* 16. *&* 20. *Exceptiones Socini examinantur & refelluntur. Aliud argumentum ex verſ.* 13. *&* 14. *adverſus quod, refelluntur Socini exceptiones. Euphrates quomodo* magnum flumen. *Fluvius Ægypti cujus Scriptura meminit, non eſt Nilus. An populi Dei fines unquam Euphratem contigerint? Variæ reſponſiones expenduntur, & quæ vera videtur, confirmatur. Quam latè regnum Davidis & Salomonis fuerit extenſum.*

PHilo Judæus in libro *de eo qui rerum divinarum futurus eſt hæres,* hunc locum expendens, ait hinc quoſdam infirmiores occaſionem arripere, ut ſuſpicentur Moſem fatum ac neceſſitatem cauſſas rerum inducere. *Sciendum eſt,* inquit, *conſequentiam ſeriemque cauſarum impexarum non ignotam fuiſſe homini Philoſopho, divinis aſſueto colloquiis, attamen eventus eum his non attribuere. Videbat enim aliquid antiquius, quod hoc univerſo vectetur tanquam auriga vel gubernator. Hic enim communis navis, videlicet mundi, clavo aſſidet, in qua omnes navigant, & volucrem cœli currum agitat pro imperio.* Rectè ille quidem agnovit, à prima cauſſa alias omnes cauſas pendere, ejuſque providentia cuncta gubernari, ne peccatis quidem peromnia exceptis, quorum etſi non ſit inſtigator & autor, eſt tamen permiſſor & ordinator. Non ſolùm videbat iniquitatem Amorræorum præſentem, meminerat præteritæ, quæ potiùs ei præſens erat, ſed etiam futuram prævidebat, & eam ordinabat ad ſuum finem.

Promiſit Abrami poſteritati hæreditatem terræ illius, pulſis veteribus colonis; nec eos voluit pellere, priuſquam completa eſſet iniquitas; ergò ut potirentur Ebræi hæreditate illa, præcedere debuit iniquitas

 incolarum,

incolarum; Promiſſio divina de hæreditate infallibilis fuit, non enim potuit Deus vel fallere, vel falli. Hinc evincitur, infallibile etiam fuiſſe, peccata Amorræorum ad eam menſuram perventura, ſine qua completa, Deus illos non exterminaſſet. Introductionis Iſraëlitarum in terram illam fuit autor & ordinator, eamque providit & præordinavit. Idem dicendum de punitione & vindicta adverſus Cananæos: peccatorum alia ratio eſt, quæ prævidit, non providit, etſi de eis providerit. Hìc dicant velim, qui neceſſitatem omnem hypotheticam & infallibilitatis, libero hominis arbitrio ita adverſari judicant, ut aſſerant, ibi nullum eſſe peccatum, ubi aliqua, vel talis eſt neceſſitas, ut aliquid accidat infallibiliter, eventuſque certus ſit; An peccaverint Amorræi implentes menſuram iniquitatum ſuarum, necne? Si non peccaverint, cur mulctati ſunt excidio? Si peccaverint; ergò peccant etiam, quorum nihilominus actiones iniquæ, ſunt infallibiles: non poterat enim non accidere, quod præviderat Deus futurum. Non poterat ſub incerta conditione, & quæ pro ratione voluntatis humanæ poſitis omnibus aliundè prærequiſitis, poterat eſſe & non eſſe, promitti certa hæreditas, & Abrami fidei objici tanquam veritatis indubitabilis, niſi Abram certò credidiſſet, fore ut Amorræi eò tandem improbitatis devenirent, ob quam judicium illud ſuum in eos exerceret Deus. Alioqui potuiſſet Abram, ſine infidelitatis nota, poſitis Pelagianorum & Semipelagianorum hypotheſibus, dubitare de eventu, & impletione promiſſionis, & hac ratione dubitationem ſuam excuſare. Annon Amorræi in peccatis ſuis uſuri ſunt libero ſuo arbitrio? Certè, nam alioqui non peccarent, ex hypotheſi iſtorum hominum. Annon eſt in arbitrio hominis poſitum, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis, agat aut non agat? & hoc vel illud pro arbitrio poſſit eligere? Certè nullum aliud arbitrium liberum agnoſcunt iſti. Quidni ergò potuiſſet Abram addere; Nihil eſt ergò in hac tua promiſſione certum, nam cùm poſſint illi menſuram peccatorum ſuorum minuere, prout poſſunt implere, idque in eorum arbitrio planè ſitum ſit, quis me certum reddet, futurum eſſe certò, id quod æquè poteſt non eſſe? Id autem ſi non ſit, nec implebitur quod promittis de hæreditate.

Hìc recurrunt ad præſcientiam futurorum cum conditione, qua ſe putant poſſe conciliare liberum arbitrium ſic definitum, cum certitudine ſcientiæ divinæ, quia Deus altitudine ſui intellectus certò penetrat ea quæ ab homine liberè fiunt, ſi ponatur in tali, vel tali ſtatu, quo poſito, videt quo ſe inclinatura ſit hominis voluntas. At non ſic elabuntur; rurſus enim quæritur, an ſi is qui eos ponit in tali ſtatu, in quo ſi ponerentur, prævidit, voluntates illorum eò ſe inclinaturas, ex eorum hypotheſibus, ab omni peccati, vel perditionis illorum conſortio eximatur. Nonne poterunt etiam regerere, Sciebat certò Deus, ſi in tali ſtatu poneremur, voluntates noſtras eò ſe inclinaturas, nempè ad malum, & iniquitatum complementum. Sciebat etiam, ſi poneremur in alio ſtatu, aliter inclinaturas fuiſſe noſtras voluntates; cùm id præſciviſſet ante ullum voluntatis ſuæ decretum, decrevit tamen conſequenter, nos ponere in eo ſtatu, in quo ſciebat nos finaliter in peccatis perſeveraturos: idergò vitare non potuimus, in quod Dei decreto conjecti eramus. Si nemo peccat in eo quod vitare non poteſt, ergò non peccavimus. Cur ergò plectimur? Ex his certè patet, quicquid illi afferant, per ambages tamen & obliquas vias, tandem eò devenire, ut vel ipſi involvantur iiſdem difficultatibus, quibus nos volunt obruere; vel cogantur agnoſcere definitionem quam afferunt liberi arbitrii, veram non eſſe, & peccare etiam illos, atque pœnam mereri, qui infallibiliter in peccatum incidunt, & in eo perſeverant, cùm ad id, ex pravo intellectus ſui judicio, judicio tamen; & voluntatis inclinatione feruntur.

Hoc argumento convictus Socinus, nodum quem ſolvere non potuit, ſcindere voluit. Idcircò negavit Deo nota eſſe opera hominum, quæ ab eorum voluntate pendent, antequam fiant. Itaque ei denegavit ſcientiam omnem futurorum contingentium iſtius generis. Oportuit enim eum qui ſemel verecundiæ fines tranſiliit, eſſe naviter impudentem. Ideò prælectionum ſuarum cap. 10. conatur ſe expedire iis vinculis, quæ Scriptura ſacra nectit, & quibus impietas negatæ præſcientiæ divinæ in talibus, redarguitur. Hunc locum de Amorræorum iniquitate, ad cujus impletionis tempus hæreditas differebatur, directè non tangit. Aliud tamen argumentum ex verbis ſequentibus refutare conatur, de quo priuſquàm agamus, quod ex his verbis vim habet præmittemus, adverſus ejus impiam hypotheſim.

Qui certò ſe daturum hæreditatem promiſit, poſtquàm impleta eſſet iniquitas Amorræorum, certò ſcivit iniquitatem illam completum iri. At Deus promiſit ſe certò daturum hæreditatem Abrami poſteris, poſtquàm impleta eſſet iniquitas Amorræorum: Ergò certò præſcivit iniquitatem illam impletum iri. Iniquitatis autem complementum fuit ex iis quæ per humanam voluntatem fiunt; ergò quæ ab humana voluntate fiunt, Deo etiam nota ſunt, antequam fiant. Non reſpondet directè Socinus huic argumento, ſed ad aliud ſimile argumentum, ex cap. 3. Deut. ℣. 16. & 20. ubi Deus diſertè Moſi prædicebat, fore ut populus, mortuo eo, fornicaretur poſt Deos alienos, ſeque derelinqueret, & irritum faceret fœdus quod cum eo pepigerat. Ibi de futuris peccatis agebatur, quæ Deus prænoverat, antequàm fierent, quia futura omnia ei ſunt nota, antequàm fiant. Reſpondet, Deum non prædixiſſe illa peccata, quia ea certiſſimè futura noſſet, ſed quia planè ſic veriſimile erat. Confirmat id ex eo quod ℣. 21. Deus rationem reddens, cur id non ſemel prædixiſſet, ſic loquebatur, *Nam novi figmentum, & id quod ipſe*

facit

facit hodiè, antequam eum introducam in terram, &c. Proinde vult eſſe collectionem probabilem, non certam, ex præteritis actionibus, qualis fuit Moſis, verſ. 27. *Ecce adhuc vivente me vobiſcum rebelles fuiſtis cum Iehova, & quanto magis poſt mortem meam?* Ex quo vult colligere potius tolli præſcientiam quam aſſeri, quia ſi id infallibiliter Deus prænoviſſet, non fuiſſet opus ratiocinatione. Item monere potius Deum, quam aliquid prædicere, ut nos ſolemus cum pueris, quos ut ab errore deterreamus, aſſeverare ſolemus eos in errorem lapſuros eſſe. Hæc ille. Quæ adeo blaſphema, & punitione potius quam reſponſione digna, nō poſſum ſine horrore repetere. Deum enim futurorum ignarū nobis fingit, ex cōjecturis incertis agentē, vel cum hominibus velut cum pueris ludentem. Si quis autem legat integrū Deuteronomii locum, ſatis percipiet exceptiones hæretici planè vanas eſſe, non enim ibi loquitur tantū Deus de eo quod erant facturi Iſraelitæ, ſed etiam de eo quod ipſe facturus erat, qui opera ſua non novit ex conjectura, ſed ex decreto voluntatis ſuæ certiſſimo. Quod decretum, etſi non eodem modo reſpiciat hominum peccata, nempe directè, reſpicit tamen eorum permiſſionem, qua ſe id permiſſurum decrevit. Non autem potuit decernere permiſſionem peccati futuri, quod non præviderit futurum, ex mala voluntate cauſæ peccatricis proximæ. Quod autem verſ. 21. ait, *nam novi figmentum ejus, quod ipſe faciens hodiè, antequam eum introducam in terram quam juravi*, id non additur tanquam cauſſa prænotionis divinæ, de eo quod facturi erant poſteà, ſed tanquam cauſſa ipſius facti, quia ad omne malum erant propenſi. Et tamen id etiam eventum certum indicat. Nam ſi tale erat eorum figmentum, Deus autem prædictione ſua ſatis oſtendat ſe velle eos ſibi permittere, inde certò ſequebatur, Deo non impediente, eventurum eſſe id ad quod perverſitate ſua erant diſpoſiti. Nam ubi eſt figmentum malum, quod Deus non refingit, ibi nihil niſi malum poteſt prævideri. Sed tamen non fuit hæc cauſſa certitudinis præſcientiæ Dei, etſi fuerit cauſſa facti in ſe. Ratio autem non eſt eadem Dei, & Moſis argumentantis à præterito ad futurum per conſequentiam probabilem. Quamvis Moſes in eo ipſo conſiderari debeat, non ſolum tanquam homo ratione utens, & per diſcurſum probabilem concluſionem deducens, ſed tanquam Propheta Dei, eventum certò prædicens. Sic enim ille, *Novi poſt obitum meum, quod corrumpendo corrumpetis vos, &c.* Phraſis autem illa ſignificat rem certam & indubitatam. Non valent igitur exceptiones adverſarii, nec ſi aliquid valerent ibi, poſſent aptari huic loco quem tractamus, ubi rem illam futuram certò ſupponit, quam conſequi debuit executio promiſſionis quam Abram fide credidit: ubi nulla poteſt conjectura fingi, vel veri ſimilitudo, ſine certitudine; ſic enim rueret tota promiſſionis veritas, ſublata certitudine antecedentis. Unde ſequitur, præſcientiam peccatorum, quorum pœnam decreverat Deus ſuo tempore ſumendam, fuiſſe certiſſimam.

Sed videamus quomodo ſe gerat in argumento, quod deſumitur ex verſ. 13. & 14. quod ſic proponit. Deus Abramo prædicit futurum, ut ejus poſteri annis quadringentis peregrinentur in terra aliena, affliganturque & ſervitute premantur. *Verumtamen* (inquit) *gentem cui ſervituri ſunt, ego judicabo.* Jam vero gens iſta omnino peccatura erat, alioqui non dixiſſet Deus ſe illam judicaturum, id eſt, puniturum. Igitur Deus ipſa peccata prænovit, & conſequenter alia omnia. In reſponſione ad hoc argumentum multa verba profundit, quæ nos contrahemus, ſervato pondere exceptionum ſi quod ſit. Summa eſt, Deum decreviſſe populum ſuum affligere dura ſervitute, fuiſſe itaque ſervitutem illam opus Dei, non ergo mirum ſi Deus prædixerit id quod decreverat, & facturus erat. Sed quia videbat, id Deum non eſſe facturum immediatè, & ad id directurum & ordinaturum Ægyptiorum tyrannidem & alia peccata, quibus malis benè erat uſurus, non abuſurus (ut loquitur hæreticus) ipſi aqua hæret, & ut elabatur, intricata multa effutit. Primum dicit, decreviſſe quidem ab initio Deum, ut populus ſuus ab una aliqua gente affligeretur, ſed ut ea gens Ægyptii ipſi forent, non ante decreviſſe, quemquam affirmare poſſe, quam in Ægyptum populus tranſlatus eſt. At quam hoc ſit impium de Deo cogitare, patet ex eo, quod ne de viro quidem prudenti id dici poteſt, eum aliquid certo ſe decreviſſe facturum, de mediis tamen incertum, quæ aliunde expectaret, per ſe non certa, vel non certo ſibi cognita. Quod igitur dicit, quemquam affirmare non poſſe, nos affirmamus, & quicumque de Deo bene ſentiunt. Sciviſſe quibus inſtrumentis uſurus eſſet ad populum ſuum affligendum, decretum faciendo de afflictione illa. Et cum decrevit judicare aut punire gentem, quæ ipſum affligeret, eandem gentem fuiſſe ipſi notam; Nam quemadmodum fuerunt Deo noti Amorræi quorum terram volebat tradere Iſraëlitis poſt eorum completam iniquitatem: ſic ipſi fuerunt noti Ægyptii, quos ſubmergere volebat, poſtquam populum ſuum afflixiſſent. Refellit autem ſe ipſum, adducto loco ex Ierem. cap. 25. verſ. 11. & 12. quem huic noſtro perſimilem eſſe dicit. Prædicit Deus futurum, ut populus ſuus ſerviat populo & regi Babylonio annis 70. deinde ait ſe poſt 70. illos annos viſitaturum ſuper Regem Babylonis & ſuper gentem illam eorum iniquitatem. Rectè. Sed quid inde ſequitur? nempe Deum decreviſſe populum ſuum affligere, ſed cum hoc decrevit, ipſi notos fuiſſe Babylonios, & futuram eorundem rapacitatem & ambitionem, imò & conſilia omnia & expeditiones adverſus populum ſuum. Eadem fuit ratio de Ægyptiis, ergo ſciebat Deus quænam gens illa foret, cujus peccatis erat uſurus in populo ſuo affligendo. At, inquit, quemadmodum ex omnibus prophetis perſpicuum eſt, hujus ſervitutis autor erat ipſe

Deus, ut populum ſuum caſtigaret. Quid tum? Deus erat autor ſervitutis, an non propterea prævidebat eorum iniquitatem, quibus tanquam virgis uti volebat? Imò hoc facit ad præſcientiæ divinæ certitudinem, præſcientiæ, inquam, circa illud peccatum. Quomodo enim decreviſſet pœnam per peccatum illud infligendam, niſi in decernendo notum ipſi fuiſſet peccatum? Quod autem urget, Deum elegiſſe Ægyptios & Babyl. qui populum ſuum affligerent, ut peccata eorū, utpote Ægyptiorum & Babyl. Idololatriam, aliis hiſce peccatis puniret, etſi malitiam eis nō inderet, ſed eam in ipſis inveniret, id quidem facit ad quęſtionem vitandā, & declinandum controverſiæ ſtatum, nō ad probandum Deum non prævidiſſe peccata populorum iſtorum. Nam ſi voluit peccata peccatis punire idque decrevit, quomodo id potuit facere ſi ea non prævidit futura, tam ea propter quæ puniebat, quam ea quibus puniebat? Quod autem ait, Deum prævidiſſe ea quæ ſe facturum decreverat, id non poteſt ad peccata referri ſine blaſphemia, ſic enim eſſet autor peccati. Quod ſi ad actionem referat in qua peccatum hærebat, cujus autor poteſt eſſe Deus, non potuit Deus decernere ſe puniturum eam actionem qua actio, quia ſic bona eſt. Decrevit ergo ſe puniturum eam tanquam peccatum quod non facturus erat, ſed quod facturus erat homo propria vitioſitate: Ergo illud etiam prævidit, quod erat demonſtrandum. Atque ita hic locus, & qui ſimiles multi habentur in ſcriptura ſolidiſſimè refellunt impietatem eorum qui negant æternam Dei præſcientiam circa peccata futura.

Verſ.18. Deus ineundo fœdus cum Abramo, repetit promiſſionem de terra Cananæa, ejuſque limites & terminos *meridionalem* nempe, & *orientalem* figit, fluvium Aegypti & Euphratem, quem *magnum flumen* appellat, quia in partibus illis orientalibus tum cognitis, nullum majus eſſet, præſertim comparatum Jordanis & aliis fluminibus Syriæ, aut Palæſtinæ. Non enim id comparatè intelligi debet ad alia omnia orbis flumina. Quid ſi dicamus, magnum dictum fuiſſe comparatione ejus, qui vocatus eſt, נהר מצרים *nehar mitſrajim*, fluvius Aegypti? Id enim de Nilo ut intelligatur, non patitur topographia terræ ſanctæ, quæ eo uſque non pertingit. Alioquin enim, bona pars Aegypti, Arabia item & Madianitis, aliæque regiones & gentes ad Ebræorum populum pertinuiſſent, quæ nunquam fuerunt ſub ditione Regum Iſraëlis. Ideò qui inter Ebræos, per *fluvium Ægypti*, Nilum interpretati ſunt, coacti fuerunt ad hyperbolem recurrere, quæ in deſcribendis regnorum limitibus periculoſiſſimè uſurparetur. Minus erit difficultatis ſi intelligamus torrentem illum, qui Palæſtinam ab Aegypto diſterminat, quem Adrichomius deſcribit in tribu Simeon, de eremo venientem juxta Rinocoruram, ubi mari magno influit, unde pro *torrente Ægypti*, LXX Rinocoruram ſunt interpretati, ut Hieronymus notavit. *Torrens Ægypti* disertè nominatur, Num.34. verſ.5. Ubi Trem. & Jun. intelligunt *Schichorem* fluvium, influentem in paludem *Sirbonidem*, qui Aegypti propterea dicitur, quod Aegyptum à Iudæa diſterminat. Quod ſi verum ſit, longius protrahetur verſus Aegyptum limes terræ ſanctæ, non tamen ad Nilum uſque. Opponuntur duo illa flumina Schichor & Euphrates, Jerem.2.18. *Nunc enim quid tibi eſt in via Ægypti ut bibas aquas Schichoris? aut quid tibi in via Aſſyriæ, ut bibas aquas fluminis?* intelligitur enim *Euphrates* κατ' ἐξοχὴν. Ioſue cap.13. verſ.3. fit etiam mentio *Schichoris*, *qui eſt ante Ægyptum*, inter promiſſæ terræ terminos. Plerique confundunt cum Nilo, ubi latina vulgata vertit fluvium turbidum, alii nigrum. Et nulli Geographi in Topographia terræ ſanctæ, notarunt eſſe torrentem aut fluvium, qui influat in paludem Sirbonidem, quam notant quidem, ſed ſolam. Putarem igitur *Schichorem*, eſſe eundem torrentem, de quo ſupra dictum eſt, qui juxta *Rhinocoruram* influit in mare. Strabo lib.16. agnoſcit ſupra magnum *Peluſiacum* Nili oſtium, aliud parvum verſus Judæam, ab illo diſtans 300 ſtadiis, quæ faciunt milliaria 37 cum dimidio, hoc eſt duodecim leucas. Diſtat autem *Rhinocorura*, ut colligitur ex Ptolæmeo lib.4. Geograph. cap.5. à *Peluſio*, quæ nunc *Damiata* vocatur, unius diei tantum itinere & ſemis. Probabile eſt de hoc ſive torrente, ſive fluvio Aegypti, intelligendum eſſe quod hoc loco dicitur. Nec tamen improbabilem exiſtimo illorum ſententiam, qui Nilum intelligunt, ſi accipiatur pro uno ex oſtiis Nili, illo nempe, quod influit in mare juxta *Peluſium* ſive *Damiatam*. Hæc enim pars Nili prima occurrit venientibus ex Palæſtina in Aegyptum, nec eo uſque juxta littus maris notantur regiones aliis populis deſtinatæ, quæ enim aſſignantur Iſmaelitis, & Moabitis, magis tendunt verſus orientem, & ſunt *tranſmontana*. Nec parum his qui ita ſentiunt, favet oppoſitio utriuſque fluminis, ut *Euphrati* utcumque reſpondeat *Nilus*. Itaque lectori liberum relinquo judicium, utram ſententiam tanquam maximè probabilem, ſequi velit. Certè *Andreas Maſius* vir eruditiſſimus diligenſque harum rerum indagator, à noſtræ memoriæ ſcriptoribus proditum eſſe narrat, iiſque qui loca illa ipſi peragrarunt, itinere circiter dierum quinque à *Gaza*, verſus Aegyptum, citimum Nili brachium à mari excipi; vulgoque *Carabum* vocari. Et ab eo *Damiatam* uſque, hoc eſt *Peluſium*, viæ tantum intercedere, quantum pedes viginti horis conficere queat. Quod *Strabonis* dictis conſentaneum videtur.

Sed occaſione loci iſtiùs gravior movetur quæſtio, de promiſſionis divinæ complemento. An unquam factum fuerit, ut poſterorum Abrami in hac terra fines ad Euphratem uſque pertinuerint? Auget difficultatem, quod Num. cap.34. ubi terra ab iis poſſidenda exactiſſimè & per partes determinatur, ea non ultra *Emath* extenditur, hoc eſt longiſſimè citra *Euphratem*. Et univerſa

verſa Ebræorum habitatio, qua longiſſimè patebat, ſolet in ſcriptura definiri à *Dan* uſque in *Berſeba*.

Huic difficultati variè ſatisfacere conantur interpretes, quorum tamen ſententiæ, ad duas referri poſſunt. 1. ad eorum qui volunt promiſſionem Abramo factam, fuiſſe partim abſolutam, partim conditionatam. Abſolutam fuiſſe de terra Canaan, quæ Joſue tempore fuit diſtributa per duodecim tribus; conditionatam, de reliqua terra ad Euphratem uſque. Et quia conditioni non ſteterunt Iſraëlitæ, ſed rebellione ſua Deum ad irā provocarunt, ideò factum fuiſſe, ut non ſolùm limites ſuos eo uſque non extenderint, ſed etiam, ut anguſtiorem illam partem, adverſus priſcos incolas obtinere totam non potuerint. Non periclitari autem promiſſorum divinorum veritatem, etiamſi Ebræos nunquam hæreditarias ſuas poſſeſſiones protuliſſe ad Euphratem uſque fateamur, quando illi plerumque ita parum pii erga Deum fuerint, ut miranda potius fuerit Dei indulgentia, qui tamdiu eos in ipſa Cananæa manere paſſus ſit. Huic reſponſioni adhæſit olim Hieronymus, quam amplexus eſt vir doctiſſimus *Andreas Maſius*.

Nec diffiteor facillimam eſſe viam, ſi ex ſcriptura probari poſſet diſtinctio promiſſionis partim abſolutæ, partim cōditionatæ: ſed nullibi apparet. Quia ubicumque terra illa promittitur, & prædicti termini ponuntur, ut hoc loco Geneſeos 15. abſoluta ſemper eſt promiſſio; cui ſi conditio tacita adjungi debeat, ad totam promiſſionem, non ad unicam partem referenda erit: quod ſi fiat, tum non potuit fides Abrami niti ſolido fundamento, niſi etiam Deus certum eum feciſſet de perſeverantia poſterorum ſuorum, in pietatis ſtudio. Quod cum factum non fuerit, nec poſterorum rationē propriè habuerit Deus, in promiſſi ſui executione, ſed Abrami ſervi ſui, non dubitamus abſolutam fuiſſe promiſſionem, eo magis quod ſi Deus rationem habuiſſet indignitatis populi, nunquam eum in poſſeſſionem miſſurus fuiſſet, vel minimæ partis.

Malumus igitur cum Auguſtino, Quæſt. in Ioſue XXI. agnoſcere, & abſolutam fuiſſe promiſſionem, & eandem, prout prædixerat Deus, ſuo tempore complevíſſe, ſed non omnem, uno & eodem tempore, neque planè eodem modo. Id in genere promiſſum fuit, Deum terram illam daturum poſteritati ſervi ſui, his ſupradictis terminis limitatam, extenſam etiam ad *Euphratem* uſque. Poſſunt autem ditiones aliquæ dari populis jure duplici. Primò quidem ut illas immediatè poſſideant, inhabitent, & colant, deductis in eam ſuis coloniis, & ſic data fuit poſteris Abram terra Canaan, à Dan uſque in Berſeba; ut in ea, pulſis Cananæis, tanquam in propriis ſedibus habitarent. Secundò, ut non quidem hæreditario jure, aut tanquā hæreditatem propriam eam occuparent, ſed tantùm ut eam ſibi vectigalem redderent. Sic ipſis etiam data fuit altera pars quæ Euphratem attingebat; non quidem eo ipſo tempore, quo à Ioſua introducti fuerunt in terra Canaan, ſed poſteà ſub Davide & Salomone, quorum temporibus reſervaverat Deus, hanc ditionis dilatationem. Nam Salomoni ſubditam veſtigalemque fuiſſe partem illam uſque ad fluvium Euphratem conſtat ex 1. Regum cap. 4. ubi hæc ſcribuntur, verſ. 20. *Salomo autem erat dominans in omnia regna, ab ipſo flumine ad terram Peliſtæorum, & uſque ad terminum Ægyptiorum offerebant munera, & ſerviebant Salomoni, omnibus diebus vitæ ejus.* Item verſ. 23. *Nam ipſe dominabatur, in tota citeriore parte fluminis, in omnes Reges qui erant citra ipſum flumen.* Ubi de Euphrate agi, qui flumen κατ᾽ ἐξοχὴν appellabatur, & flumen magnum, extra controverſiam ponitur, ut etiam expoſuit Ioſephus Antiq. li. 8. c. 2. *Alii*, inquit, *erant Regi Salomoni Principes, iique in Syrorū aliarumque gentium terra, quæ ab Euphrate fluvio uſque ad Ægyptiorum terram pertinebat, ſive progrediebatur.*

An vero id primùm David obtinuerit, & Salomoni filio reliquerit, poſſet dubitari, quia de eo nihil adeo expreſſe dicitur. Id nihilominus inſinuatur 1. Paral. 18. & 2. Sam. cap. 8. verſ. 3. *Percuſſit*, inquit, *David Hadad-Hezerem filium Rechobi, Regem Tzobæ, cum proficiſceretur* (David) *ad repellendam manum ejus verſus flumen Euphratem.* Ubi etiam verſ. 5. dicitur percuſſiſſe eum è Syris Damaſcenis viginti duo millia virorum, qui Regi Tzobæ in ſubſidium venerant. Unde additur verſ. 6. *Impoſuit David ſtationarios Syriæ Damaſcenæ, & fuerunt Syri Davidi ſervi adferentes munus, ſervabat enim Iehova Davidem, quocumque ibat.* Additur etiam verſ. 12. & 14. devictarum gentium breviculus, ex quo ſatis liquet devictos fuiſſe à Davide populos, qui tributarii fuerunt Schelomoni. Nam tota illa regio cis Euphratem quam probavimus ei paruiſſe, vel id fecit ultrò vel coacta. Non ultro, quia id fuiſſet magnum miraculum, quod non tacuiſſet ſcriptura, cum Salomonis majeſtatem & dilatatiſſimum regnum explicaret. Si ergo coacta id fecit, à Davide factum fuiſſe neceſſe eſt, quia prima & maxima regni ſui parte Selomo nulla bella geſſit, ideò & templi ædificatio ipſi mandata fuit, & Pacifici nomen impoſitum. Ex his conſtat poſteros Abrami dominationem ſuam extendiſſe ad Euphratem uſque, etſi ratione partium dominio diverſo; uno jure proprietatis, alio jure vectigali, quo teſtabantur incolæ ſubjectionem ſuam, quod nobis ſufficere videtur ad impletionem promiſſionis Abramo factæ.

Quod ſi quis objiciat, provincias illas cis Euphratem populo nō fuiſſe datas in hæreditatē, quod jus tamen in promiſſione expreſſum erat. Reſp. denominationē factam fuiſſe à potiori parte, quam verè hæreditario jure poſſederunt. Etſi ergo quoſdā pontes tantùm vectigali jure & ratione impoſiti tributi ſibi ſubjecerint, tota tamen ditio in cōmuni vocatur hæreditas, quod plerumque accidit in rerum denominatione, ubi à principali & majori, totum nomen accipit. Et hæc quidem nobis ad difficultatis propoſitæ ſolutionem ſufficere videntur.

A D:

AD CAPVT XVI.

Exercitatio LXXXVI.

Conſilium Saræ pro ſuſcipienda prole. De cujus qualitate diſputatur, & rejicitur Fauſti Manichæi calumnia. Nec probantur qui in aliud extremum propendent, ut illud planè excuſent à peccato. Calvini ſententia expenditur, & defenditur adverſus criminationes Bellarmini, & Feuardentii. Quouſque poſſit excuſari factum Abræ & Sarai. Aperire & claudere matricem *Scriptura Deo tribuit. Verbum* בנה banah *pro* liberos gignere *aut* ſuſcipere. *Cur Sarai ancillam, potius quam liberam puellam delegerit? Abram duxiſſe Agaram, nec tamen Sarai repudiaſſe. Falſam ergo eſſe Rabbinorum illationem de repudio ſterilis poſt decennium. Agaræ ſuperba inſolentia. Caſtigatione digna; etſi Sarai modum exceſſerit.* Onager homo *cur dicatur* Iſmael. Manum alicujus eſſe contra aliquem, *quid ſit? Quis ſenſus verborum Agaræ,* Vidi poſt videntem me?

Cap. xvi. Deſcribit Moſes conſilium Saræ, quæ ex deſiderio ſeminis benedicti ex Abram ſuſcipiendi, cum aliquot annos expectaſſet ex ſe prolem; tandem, putans aliam à Deo matrem deſtinatam, à marito precibus extorquet, ut ſe jungat ancillæ Aegyptiæ, ea lege ut quod naſceretur ex ea, ipſius heræ diceretur. Facti illius duo effectus narrantur, Agaris conceptio, & inde ortus faſtus ancillæ, & altercatio inter ſanctos conjuges. Deſcribitur poſteà reſipiſcentia ancillæ, poſt admonitionem Angeli, & prædictionem de naſcituri filii conditione; quam prædictionem, ſuo tempore, ſequuta eſt promiſſi filii nativitas.

Maxima difficultas quæ in hac narratione ſe offert, conſilii hujus qualitatem ſpectat, an ſcilicet in omnibus probari debeat, an contra ſit aliquid vel culpæ affine, vel etiam quod peccati veram rationem habeat? In qua duo reperiuntur extrema. Unum Fauſti Manichæi, ut patet ex lib. 22. Auguſt. adverſus eum; qui duplicis criminis voluit ſanctum virum reum peragere; unius, *turpis & nefariæ libidinis*, qua prolis inſana flagrans cupiditate cum pellice volutatus ſit; alterius, *infidelitatis*, quod Deo jam ſibi ſemen de Sara pollicito minimè credens, filios ex alia muliere ſuſcipere voluerit. Ubi benè notavit Auguſtinus falſum ſuppoſuiſſe calumniatorem, quia nondum expreſſam promiſſionem de filio ex Sarai ſuſcipiendo acceperat Abram, licet Deus ipſi promiſiſſet abſolutè numeroſum ſemen. Aliud extremum eſt eorum, qui utrumque Abramum obtemperantem, & Saram ſuadentem ab omni vel leviſſima culpa liberant, quod fecerunt plurimi inter veteres, leviſſimis adducti rationibus, quibuſdam etiam periculoſis, qualis eſt Ambroſii illa, qui cum *Adulterium* vocet factum Abrami, excuſat tamen à peccato, quia putat adulterii omnem prohibitionem Abrami temporibus fuiſſe poſteriorem.

Calvinus in commentario accuratè locum, ut ſolet, expendit, & in toto hoc negotio, ut quæ bona ſunt non diſſimulat, ita etiam modeſtè, ſed tamen liberè pronunciat de iis quæ neque imitanda, neque laudanda judicavit, ex Dei verbo. Primum notat, Conſilium de ſecunda uxore ducenda, non ab ipſo Abram, ſed à Sarai profectum fuiſſe, idque eo fine narraſſe Moſem, *ut ſciamus ſanctum virum non libidine impulſum fuiſſe ad has nuptias, ſed quum nihil tale cogitaret, hortatu uxoris fuiſſe inductum.* Secundo, negat Sarai ſobolis tantùm deſiderio, ancillam ſuam in locum ſuum ſubſtituiſſe, vel credibile eſſe piam matronam earum promiſſionum quæ toties marito repetitæ fuerunt non fuiſſe conſciam, imò vult pluſquam confeſſum eſſe debere inter omnes pios, matrem populi Dei ejuſdem cum marito gratiæ participem fuiſſe ac ſociam. Concludit, itaque eam non naturaliter tantùm, ut fieri ſolet, prolem appetiiſſe, ſed benedictionis (quam divinitus promiſſam ſciebat) potiundæ voto, conjugalem thorum ſponte alteri ceſſiſſe. Tertiò, promiſſionis intuitu juris ſui oblitam, non niſi de procreandis Abræ liberis cogitaſſe, ubi notat memorabile exemplum, ex quo non exiguus fructus ad nos redit. Quarto, agnoſcit laudabile fuiſſe votum Sarai quoad ſcopum aut finem in quem tendebat. Quintò, voluiſſe non modo Abram patrem fieri, ſed etiam cum ſciret in eo benedicendas eſſe omnes gentes, mirum non fuiſſe ſi ſocietate honoris noluerit privari, &c. Sextò, Moſem ſignificare eam non ante petiiſſe ſubſidium ab utero ancillæ, quam ubi neceſſitas id facere coëgit: verbaque ejus declarare, patienter & modeſtè expectaſſe quidnam facturus eſſet Deus, uſque dum ſpes in totum præciſa foret, cum dicit ſe ab eo concluſam, ne amplius pariat. Hæc ille cenſet in Sarai laudanda.

Ex altera parte, judicat eam non vacare culpa. Primò, in eo *quod orbitatis impatiens à verbo Dei diſceſſit, ut verbi effectu frueretur.* Secundo, in eo eſſe aliquid vitii, *quod dum ſterilitatem ſuam & ſenium reputat, obrepit*

obrepit deſperatio (nempe de liberis procreandis) *niſi aliunde liberos gignat Abram.* Tertiò, *quod conjugii legem pervertit, lectum conjugalem qui duobus dicatus erat polluendo: nec excuſationem valere, quod concubinam uxoris loco eſſe voluerit; quia fixum illud manere debuerat, mulierem viro junctam eſſe, ut eſſent duo in carnem unam.* Quarto *ſtultum & præpoſterum appellat uxoris conſilium*, cui dum obſequutus eſt, culpa non vacavit Abram, in quo taxat facilitatem, ut in Sarai præcipitantiam. Tandem concedit in utroque fidem claudicaſſe, ſed cum diſtinctione, *non in ſubſtantia, ſed in medio, vel agendi ratione:* Id in ea culpæ reperiri, quod debuerat hanc curam rejicere in ſinum Dei, nec ejus virtutem alligare ordini naturæ, vel reſtringere ad ſuum ſenſum. Deinde, quod ex præterito colligens quid poſteà futurum ſit, non cogitat, in manu Dei eſſe, vulvam quam concluſerat, rurſus aperire. Hæc ille.

Idem Inſtit. lib. 3. cap. 2. Sect. 31. errores permiſceri fidei, quum homines excedunt metas verbi Dei, dum probare vult exemplis, inter alia profert iſtud de Sarai, *quæ multis modis peccavit, dum ancillam marito ſuppoſuit.* Bellarminus, in præfat. ad libr. de Eccleſia triumphante, quæ de errore aut peccato dicuntur, arripit; cætera quæ de fide & pietate diſſeruntur diſſimulans, ut Calvinum inſimulet *horrendarum in cœlites blaſphemiarum, & extenſi linguæ ſuæ flagelli ad eos ſanctos qui ante Salvatoris adventum floruerunt.* Eandem calumniam pluribus repetit & exagitat impudentiſſimus è Normannia cuculio, Franciſcus Feuardentius Theomachiæ, ut loquitur, Calviniſticæ lib. 9. cap. 1. *Piiſſimam*, inquit, *Chriſti aviam Saram multis vexat contumeliis, multis jactat injuriis.* Enumerat deinde quæ ſupra ex Calvino attulimus, ſed mutata & mutilata, diſſimulatis etiam laudibus, ut ad invidiam, ita odioſè & ſeorſim propoſita verba, magis pateant. Et quod diſertè negat Calvinus, *Sarai voluiſſe domi ſuæ erigere lupanar, vel ancillæ ſuæ productricem vel mariti lenam eſſe* quod probat ex Sarai conſilio à Moſe expreſſo, Sycophanta calumniatur eum *doloſo Schemate, palàm affirmare id ipſum, quod negare ſe de illa fingit.* Quid ad hæc dicemus, niſi quod autor διάβολος, hanc iſtis hominibus mentem indidit, quâ, ſi auderent, adverſus ipſius ſcripturæ verba & ſententias ſtylum ſtringerent; & certe per latus eorum qui cum ſcriptura ſentiunt aut loquuntur, ipſum ſpiritum ſanctum confodiunt. Si enim blaſphemus ſit, qui ſanctos alioqui viros alicujus peccati inſimulat, oſtenditque eos dum in vivis fuerunt, geſtaſſe reliquias infirmitatis; erit ipſa ſcriptura blaſphemiarum refertiſſima. Nam quæ dixit Calvinus, ea ex ipſis ſcripturis didicit, ut in eo ſi blaſphemus fuerit aut falſus, potuerit dicere cum Jerem. cap. 20. verſ. 7. *Seduxiſti me Domine & ſeductus ſum.*

Conſtat enim ex ſcriptura, quum Abramo promiſiſſet Deus hæredem ex ipſo naſciturum, illam quæ liberos nondum pariebat, plus ſeptuaginta annos natam, dixiſſe ei, *Ecce, nunc occluſit me Iehova ne parerem; congredere nunc cum ancilla mea, fortaſſis liberos conſequar ex ea:* Et maritum iſta ratione perſuaſum, ancillam pro uxore dediſſe. Conſtat item ex lege Dei, qui uni Adamo unam Evam creavit, & de duobus dixit, *erunt una caro*, prohibitum fuiſſe duas uxores eſſe uni viro, atque adeo tempore Saræ prohibebatur. Nam Chriſtus docet Matth. 19. ℣. 5. & 8. eam legem ab initio inſtitutam, perpetuò viguiſſe. Ex his judicavit Calvinus peccaſſe Saram, quæ marito ſuo ancillam dedit uxorem. Siquidem tranſgreſſio legis eſt peccatum. 1. Ioan. 3. verſ. 4. Prætereà, ut facto, ſic etiam cogitato & dicto deliquit; quum hæredem quem ſciebat marito promiſſum, ex ſe procreari poſſe diffidens, *Ecce nunc*, inquit, *occluſit me Iehova, ne parerem.* Eodem genere culpæ lapſa quum Domino dicente ipſam parituram Abrahamo filium, riſit, oſtendens ſe exiſtimare id fieri non poſſe. Geneſ. 18. verſ. 10. Nam etſi tum gravius peccaverit diffidentia, quum non credidit Domino dicenti ex ea filium genitum iri, tamen, ne tum quidem vacavit omni culpa, quum marito ſciens promiſſum eſſe hæredem dixit ſe à Domino occluſam ne pareret. Hoc enim multis annis anteà evenit, quam experientia eam falſo & temerè locutam eſſe docuit: Diutiùs ergo cum Abramo expectare, & contra ſpem ſub ſpe, credere debuit, Rom. 4. verſ. 18.

Bellarminus de Sacram. Matrim. cap. 11. unicum affert argumentum, ut eam ab omni culpa eximat. *Non credibile eſt*, inquit, *Saram, fœminam ſanctiſſimam, id facturam fuiſſe, niſi licitum eſſe ſciviſſet.* Nam ſi hoc ſolidum ſit, eadem opera defendet etiam eas actiones, quas ſcriptura, & ipſi Pontificii diſertè reprehendunt. Dicet etiam non eſſe credibile, Saram fœminam ſanctiſſimam diffidentiæ ſuæ documentum riſu fuiſſe edituram, niſi ſciviſſet licitum eſſe diffidere; aut mendacio inficias ituram ſe riſiſſe, niſi ſciviſſet licitum eſſe mentiri. Aut Davidem hominem ſanctiſſimum, & virum ſecundum cor Dei, uxorem Uriæ, vivente marito, polluere voluiſſe, vel Uriam ipſum ut factum celaret periculo objicere, niſi id licitum eſſe ſciviſſet. Quæ defenſio, ſi non poſſit ulla probabilitatis ſpecie defendi, certè nec iſta.

Ad Feuardentium quod attinet, contentus quæ Calvinus dixit, ſuo more, retuliſſe, nullum contra ea affert argumentum. In recitando, laudes omittit, in ſola reprehenſione hæret, ut muſca in ſcabie. Laudes ſupra recitavimus, fidem ei non detraxit, ſcopum etiam approbavit, in mediis tantum deligendis errorem notat, & rationes ejus validæ ſunt; nec tantùm Monacho concedendum eſt, ut ſi ſolem meridie lucere neget, id nos demonſtrare conemur.

Fatemur tamen, poſſe aliquo modo excuſari hoc

ſactum, ſi ſemel hoc ſtatuatur quod ad ca.4. verſ.19. diximus, ubi quæſtionem de Polygamia diſcutere conati ſumus, inclinantes in eam partem, quæ polygamos illos Patres à peccato abſolvit, ex peculiari diſpenſatione divina, qua voluit augeri populum ſuum. Itaque ſi tum Polygamia, non ſolùm conſuetudine invaluerit, ſed etiam divina non tantum conniventia, ſed & diſpenſatione inter ſanctos locũ habuerit, quod ſuadere videtur perſeverantia in tali ſtatu, & ſecuritas eorundem, quos non legimus fuiſſe de eo ſollicitos, tanquam de aliquo peccato; ratio illa ſola ſufficiet ad excuſandum Sarai conſilium, ſaltem ab omni labe impudicitiæ, quod etiam dicendum erit de facilitate Abrami, Sarai in ea re obtemperantis. De utroque enim ſic judicandum eſt, nec Saram ſuaſuram fuiſſe, nec Abramum obtemperaturum, ſi Polygamia tum habita fuiſſet pro re illicita, nedum, ſi putaſſent in eo facto adulterium committi. Mediam igitur in ea re viam tenere poſſumus, ut cum Calvino laudantes fidem & finem ſeu ſcopum, deſiderium poſteritatis benedictæ quam promiſerat Deus; agnoſcamus in hoc medio, humanum factum, ut loquitur Martyr, & quandam ſanctæ mulieris infirmitatem, quæ voluit ſua induſtria Dei promiſſiones quodammodo adjuvare, ut liberi eſſent viro ſuo, qui etiam ad ſe, ſeu adeptione ſeu poſſeſſione pertinerent; ubi videre poſſumus quam non ſit bonum velle ſuis conſiliis divina conſilia antevertere; atque ita ſinamus Deo rationem implendi ſua promiſſa, neque illo ſapientiores eſſe velimus.

Sunt autem phraſes quædam notandæ in oratione Sarai. verſ.2. עצרני יהוה מלדת *atſarani Iehovah milledheth*, cõcluſit me Deus à pariendo, id eſt, ne parerem. Dicitur in ſcriptura Deus claudere & aperire matricem; & agnoſcitur autor ſterilitatis & fœcunditatis. Quamvis enim utriuſque ſint naturales cauſæ, pendent tamen omnes ab autore naturæ. Idcirco pia fœmina ad Deum reſpicit, & ſterilitatem ſuam ſine murmuratione Deo tribuit. Noverat nihil accidere fortuito, & omnia pendere à divina providentia, cui ſe ſubjiciebat. Ebræorum doctores inter quatuor, quorum clavem volunt eſſe in manu Dei, *matricem* ponunt.

Ibid. אולי אבנה ממנה *ulaj ibbaneh mimmennah*, vulgata *fortaſſe ex ea ſuſcipiam.* alii *ædificabor ab ea.* Et certè verbum בנה *ædificare* ſignificat. Sed etiam accipitur in ſignificatione ſpeciali liberos gignendi aut ſuſcipiendi, qui ideo בנים *banijm* dicuntur. LXX hoc loco optimè expreſſerunt vim verbi, ἵνα τεκνοποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς, *ut filios faciam ex illa.* Quo ſenſu Exod. 1. cap. verſ.21. accipiendum eſt, quod Deus promittit ſe ædificaturum domos obſtetricibus; id eſt, quod poſteritatem ipſis daturus eſſet, quæ Ebræorum liberis pepercerant. Ratio eſt, quia per liberos familia fit, augetur & conſervatur, tanquam viva domus, cujus fundamentum ſunt parentes, liberi autem ſinguli, ſinguli lapides.

Quæritur cur Sarai liberam potius puellam non delegerit quã marito ſuò daret uxorem, & potius ſociam thori ſibi fecerit ancillam Ægyptiam? Ratio deſumenda eſt ex fine quem ſibi propoſuit, cum diceret, *ut filios ſuſcipiam ex ea.* Volebat enim filium ex ancilla naſciturum, haberi pro ſuo; cum enim jure dominii ancilla ad ipſam pertineret, ſi qua etiam ex ea naſceretur proles, poterat eam ſibi vindicare: quod non potuiſſet ſi ex libera natus fuiſſet, ne quidem ſi ex ſorore; noluiſſet enim quæ libera fuiſſet, de jure ſuo cedere.

Commodè autem verſu tertio, exprimit Moſes titulum, quo Sarai dedit Abramo ancillam ſuam, non ut ea uteretur tanquam ſcorto, ſed ut ei uxor eſſet. *Dedit*, inquit, *ei in uxorem.* Non itaque concubinam arbitrariam, ſed ſolemni ritu matrimoniali conjunctam, ea tamen lege ut Sarai etiam uxor maneret, imò domina & materfamilias. Id enim non ceſſerat ancillæ. Unde quam abſurda ſit collectio Rabbinorum patet, qui ex eo quod decennio poſt adventum Abrami in Canaan, accepit ſibi Agaram ex qua prolem ſuſciperet; inferunt, licere viro, poſt decennium cum uxore exactum ſi ſterilis reperiatur, eam repudiare & alteram ducere.

Huc non poteſt trahi exemplum Abrami, qui Saram non repudiavit, ſed ſibi retinuit & habuit chariſſimam. Color eſſet aliquis in alia ſuperducenda cum priore, etſi alia fuerit Abrami ratio, cui poſteritas fuerat promiſſa in qua benedicerentur omnes gentes. Proinde, ſi probaretur factum, non propterea imitandum eſſet, iis quibus non eſſet eadem ratio. Quod autem ex eo quod *uxor* appellatur Agar, negant fuiſſe *concubinam* פלגש *pilegeſch*, in eo falluntur, utrumque enim fuit, uxor concubina, quo nomine etiam venit *Cetura*, quam duxit poſt Saræ mortem, ut ex cap. 25. hujus libri apparet. Concubinæ enim fuerunt legitimæ uxores, ſed quæ ſine dote & contractu matrimoniali ducerentur, & quarum dominæ eſſent aliæ, quæ propriæ & juſtæ uxores dicebantur, & præcipuæ erant. Itaque ancillæ illæ uxores concubinæ non propterea manu mittebantur, ſed ſervæ manebant.

Ex quo, Agara poſtquàm concepit, ſuperbia & inſolentia, qua deſpexit heram ſuam, magis intolerabilis fuit. Cum enim ipſi non acquireret libertatem ventris fœcunditas, debuit humiliter ſe gerere erga dominam, eo magis quod non ſolùm conſenſu ſuo, ſed etiam hortatione & ductu, veniſſet in thori conſortium: ut non mirum ſit indignatam fuiſſe ſanctam matronam, dum videret ſe contemni. Qua in re, ſi ex quadam impotentia modum exceſſerit, excuſatione aliqua digna eſt ob rei indignitatem, cum ſentiret ingrati animi vitium in ancilla, quo nullum odioſum eſt magis. Nollem eam

planè

planè excuſare in eo quod verſ. 4. ita acerbè cum marito expoſtulat, quaſi conniventem ad ancillæ inſolentiam, eo uſque ut Deum judicem advocet inter ſe & illum.

Sunt enim verba ſuſpicioſæ & zelotypæ mulieris, quæ modum excedit, & ſui velut oblita, aut potius contemptum ſui nimis graviter ferens, nullam amplius fœtus rationem habet quem tantoperè deſideraverat, & conſilii ſui, fortaſſe præcipitis nimium, pœnas refert. In eo nihilominus ab officio non diſcedens, quod cum ancillam ſuam marito dediſſet uxorem, eam caſtigare non vult, niſi prius accepta ab eo poteſtate, quam ſi petiiſſet moderatius, ſine mariti, in ea re innocentis, ſugillatione, nihil eſſet in hac ejus querela culpandum. Sed ſanctorum etiam exemplo docet ſcriptura, quam proclive ſit excedere modum ubi res noſtra agitur. Tamen, ut fœmina gravis erat & prudens, credendum eſt non levem fuiſſe cauſam, quæ ab ea tantam extorſit acrimoniam. Abrami autem patientia & prudentia eo magis laudanda eſt, quod acerbis verbis provocatus, non imitatur iracundiam muliebrem, ſed facilitate ſua, in permittenda ipſi Agara, omnem culpæ ſuſpicionem à ſe amovet, effectuque probat, nihil eſſe quod poſſit eum à chariſſima ſibi uxore alienare. Nam quamvis poſteritatis maximè cupidus fuiſſet, cujus ſpes ipſi facta erat in ancilla, præfert tamen domeſticam pacem, & rationem habet prioris vinculi, & ſocietatis initæ cum fida peregrinationum ſuarum conſorte.

An autem Sara in coërcenda ancillæ petulantia modum exceſſerit, quemadmodum in accuſando marito, varii variè ſentiunt. Ambroſius, lib. 1. de Abramo cap. 4. id affirmare non veretur, *immoderatiùs ultione permiſſa uſam fuiſſe.* Alii non exceſſiſſe juſtam caſtigationem: ſed ancillam eadem inſolentia qua herilis contubernii ſibi uſurpabat faſtigium, impatienter caſtigationem tuliſſe. Qualis fuerit affligendi modus quo uſu eſt Sara, non dicit ſcriptura; nec noſtrum eſt (quod Judæi faciunt) excogitare, quis & qualis fuerit; videtur inde orta ſimultas inter filios ſervæ & liberæ. Etſi enim Iſmaëlitæ Agareni, ſe Saracenos dicant, & hoc honori ducant, quaſi dominæ non ſervæ eſſent filii, veros Saræ filios quantum poſſunt affligunt & perſequuntur. Hoc exemplum Saræ caſtigantis ſeverius ancillam trahit Auguſt. Epiſt. 48. & 50. ad pœnas hæreticorum, quibus Catholici Principes & Magiſtratus, in eos animadvertunt, non odio & crudelitate, verum ſanandi, & ad meliorem mentem revocandi ſtudio.

Sed (quicquid ſit de punitione hæreticorum, an ſævire debeat in eos magiſtratus, & qua ratione) non videtur, pace tanti viri, hoc exemplum commodè huic rei applicari poſſe. Propriam enim ſuam injuriam vindicabat Sarai, & inſolentiam & tumorem reprimebat, non hæreſim aut errorem mentis. Et certè non poteſt hæreticorum afflictio, ſi quam infligit Magiſtratus, comparari afflictioni Hagaræ, de qua verſ. 11. ubi reddit Angelus rationem nominis Iſmael, dicit *Dominum audiviſſe afflictionem ejus.* Etſi ergo jubeat ut humiliet ſe coram domina ſua, non videtur tamen Deus probaſſe, quicquid in eo à Sarai factum fuit. Corrigit itaque ancillam, ſed & eam conſolatur promiſſionibus, & de Iſmaele & ejus poſteritate prædicit, quorum etiam effectus hoc tempore ſentiuntur.

In ejus deſcriptione verſ. 12. Duo dicuntur quæ proverbii rationem habent. 1. יהיה פרא אדם *jihjeh pere Adam.* ad verbum, erit onager homo, id eſt, *ferus.*

Inter omnia enim animalia ferunt nullum eſſe, quod minus cicurari poſſit, adeò eſt libertatis amans. Ab Ebræo פרא *pera*, ſi cum Ph, ſcribatur, derivatum eſt latinum *fera*, quod nomen etſi generali ſignificatione aliquando accipiatur, volunt tamen Ebræi propriè pro *onagro*, accipi. Metaphoricè autem pro homine *inſociabili & moribus ferinis prædito.* Hanc onagri naturam expreſſit Iob. cap. 11. verſ. 12. *homo ut pullus onagri natus*, id eſt, brutiſſimus inde ab ortu ſuo. De onagri natura multa leguntur apud Jerem. cap. 2. verſ. 24. & Hoſe. 8. verſ. 9. *Onager ſolitarius ſibi*, de quo Proverb. ibi diximus. Quod hic dicitur, ad Iſmaëlitarum feritatem & barbariem propriè referri debet, quam ad hoc uſque tempus non depoſuerunt.

Addit, ידו בכל, ויד כל בו, *jadho becol, vejadh col bo.* Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum. Ubi aliud eſt, manum alicujus eſſe *ſupra* vel *contra* aliquem; aliud, manum alicujus eſſe cum aliquo, ut 2. Sam. 14. verſ. 19. היד יואב איתך *hajad joab itteka*, annon manus Joabi tecum eſt? id enim ſignificat alterum juvare vel opera, vel opere, vel conſilio. Sed phraſis hoc loco alia eſt, quam non rectè expreſſit Paraphraſtes Onkelos; *ipſe indigebit omnibus, & omnes filii hominum indigebunt eo*; niſi legamus cum Paulo Fagio, *Ipſe negotium faceſſet omnibus, & omnes alii homines ipſi faceſſent negotium.* צריך tſaric *eſt indigens, opus habens.* An activè poſſit accipi pro eo qui alios ad indigentiam redigit, videant docti. Sic accepit Fagius, nam id eſt negotium faceſſere; & ſic Ebræo quadraret. Quicquid ſit, manum eſſe ſupra aliquem, eſt affligere, 1. Sam. 12. verſ. 15. *erit manus Dei* בכם bakem, *ſuper vos & ſuper Patres veſtros*, id eſt, contra, ad affligendum vos, ubi Chaldæus, *erit plaga Domini in vobis.* Adagium uſurpatur in eos qui cunctos infeſtant, & viciſſim ab omnibus infeſtantur, qui dicere poſſunt, *Figimus, inque vicem præbemus tela ſagittis.*

His verbis, etſi ingenium Iſmaëlis ferox & agreſte deſcribatur, promittitur tamen ea conditio, quæ dominationem aliquam connotat, fuitque fœminę ſer-

 vilis

vilis conditionis aliqua conſolatio, quod partum eſſet editura, quod aliis ſibi infenſis aut inviſis negotiũ faceſſeret. Et certè in Iſmaelis poſteritate vaticinium hoc impletum eſt, jam à multis ſeculis.

Verſ.13. & 14. notatur impoſitio nominis ei loco, in quo Deus apparuerat Abræ. Locum vocavit, באר לחי ראי *beer lachaj roij*, puteum videntis me; quia Deus viderat eam ibi: *videre*, autem intelligit cum affectu, quia ipſi providerat, ideò vocaverat Deum אל ראי *el roij*, Deus videns me. Sed variè accipiuntur extrema hæc verba, *quia dixit, num etiam vidi* אחרי ראי acharei roi, *poſt videntem me?* Vulgata editio, *Profectò hic vidi poſteriora videntis me.* Ad quæ verba Marius ineptiſſimè notat, *amicorum Dei & perfectorum eſſe facie ad faciem Deum videre, imperfectis autem non faciem, ſed dorſum oſtendere, averſum adhuc, vel nondum planè converſum.* Quid igitur dicet de Moſe, cui poſteriora Deus tantum oſtendit? Græca editio illud *poſt* omiſit tanquam non neceſſarium, ἐνώπιον εἶδον ὀφθέντα μοι, *coràm vidi viſum mihi.* Chaldæus, *etiam cœpi videre, poſtquàm revelavit ſe mihi*, ut intelligat ſe non ante noviſſe eum qui cum ipſa loquebatur, ſed poſteà ex prædictione & aliis ſignis cognoviſſe divinam apparitionem. Cum Tremel. & Junio, cenſeo eſſe admirationem, cum interrogatione. *Anno etiam video, poſt videntem me?* id eſt, annon poſt viſionem divinam adhuc vivo? Vitæ enim functionem unam, tanquam ſignum evidens pro ipſa vita uſurpat. Sic Exod.24. ℣. 11. *quamvis intuiti eſſent Deum ipſum, comederunt & biberunt.* Ergo mirabatur ſe poſt Deum conſpectum videre, quia à conſpectu Dei aut Angeli, mortem ſequuturam putabant. Judic.13. verſ.23. Quem genuinum eſſe ſenſum non dubito, etſi à nemine antè duos illos viros animadverſum, qui hoc nomine & ſimilium, de Eccleſia Dei ſunt optimè meriti, & multis otioſis quæſtionibus anſam præciderunt.

AD CAPVT XVII.

Exercitatio LXXXVII.

Dei nomen Schaddaj *quid ſignificet? Cur hoc loco uſurpatum? Dei cum Abrahamo fœderis conditiones. Quæ perfectio ab homine requiratur, vel quæ homini tribuatur? Procidere in faciem, quid? Mutatio nominis Abrami & ejuſdem ratio. Circumciſionis inſtitutio. Cur ſignum fœderis, fœdus dicatur? Refutatur Bellarminus. Sacramenti definitio. An gratiæ ſpirituales hoc fœdere continerentur? Affirmatur, contra Bellar. & Socinum. An circumciſio eodem modo gratiam contulerit, quo baptiſmus. Quid Pontificiis opus operatum? Circumciſio quomodo baptiſmi figura? Quæ ſit vis ſacramentorum. Refellitur Bellarm.*

DEſcribitur cap.xvii. Sanctio fœderis cum Abramo initi, per ſacramentũ circumciſionis, anno ætatis Abrami 99. id eſt, undecim annis poſt natum Iſmaelem, ut ex fine cap. præcedentis liquet. Natus eſt enim Abramo agenti annum ætatis 86. Pacti illius efficiens cauſa Deus, ſeipſum deſcribit verſ.1. ab omnipotentia ſua, אני באל שדי *ani el ſchaddaj.* אל *Deum fortem*, ſignificat. *Schaddaj*, omnipotentem vertunt, qui græcis παντοκράτωρ. LXX hoc loco vocem illam omiſerunt, qui ſimpliciter dixerunt, ἐγώ εἰμι ὁ θεός σου. *ego ſum Deus tuus.* Non tamen eſt de nihilo, quod ſe hic deſcripſerit Deus per nomen *ſchaddaj*, de cujus etymo variæ ſunt ſententiæ, etſi ad ſenſum quod attinet eodem ferè recidant. Sunt qui deductum volunt à ש *qui*, & די *daj* ſufficiens, quia ipſe ſibi ſufficit, qui græcis dicitur αὐτάρκης, juxta illud Lucretii de natura,

Ipſa ſuis contenta opibus non indiga noſtri.

Quo ſenſu rectè Plato appellavit Deum ἀνενδεῆ nullius indigum. Quo etiam referri poteſt vox ἱκανός, quam uſurpaſſe Aquilam Ponticum & alios interpretes græcos, autor eſt Hieronymus, in Ezech. c.1. *Schaddaj*, inquit, Aquila, *Symmachus, Theodotio*, ἱκανὸν *tranſtulerunt, quod fortem, potentemque ſignificat.* Alibi tamen Epiſt. 136. dicit, Aquilam interpretatum fuiſſe ἄλκιμον *quod nos*, inquit, *robuſtum & ſufficientem ad omnia perpetranda poſſumus dicere.* Aquilæ duas editiones fuiſſe autor eſt ipſe; quare non mirum eſt, ſi in una legerit ἄλκιμον, in alia autem ἱκανόν. Eſt autem ἱκανός ſecundum vetus lexicon, ſufficiens, idoneus, & ἱκανὸν *ſatis.* Alii vocem *ſchadai*, deducunt à שד *ſchadh*, id eſt, *mamma*, unde Ethnici Dianam & Cererem *mammoſam* dixerunt, & *multimammiam*, quod græci dicerent πολύμαστον, quoniam omnium viventium nutrix. Sunt qui potius à שדד *ſchadhadh* deducũt, quod eſt *vaſtare, diripere, ſpoliare, &c.* Ut *ſchaddaj* ſit idem quod *vaſtator*, & per metonymiam, fortis, omnipotens, victor, qui omnia vaſtare & in nihilum redigere poteſt, quemadmodum omnia ex nihilo fecit. Verbum שדד *ſchadhadh*, generaliter etiam ſignificat, *in univerſum permeare*, ſive in bonum ſive in malum, hoc eſt, in univerſum dare, vel adimere, ubertim vel affluenter dare. Quæ ſignificatio ad nomen *ſchaddaj*, convenienter aptari poteſt, ut ſit, quemadmodum interpretatur Kirc-

nerus

nerus in Concordantiis, *uberrimus, cujus bonitas per omnes creaturas permeat, dans illis eſſentiam, vitam & motum.* Septuaginta aliquando non exprimunt niſi voce communi, ὁ θεός. Sed aliquando per vocem ἱκανοῦ, ut Job. 31. verſ.2. aliquando per dictionem παντοκράτορος, ut Job.15.verſ.25. & ſæpiſſimè in eodem libro. In quo etiam periphraſticè, Schaddai interpretantur, ὁ τὰ πάντα ποιήσας. Job.8. verſ.3. Aliquando ad αὐτάρκειαν magis accedente phraſi, ὅτε ἤμην ὑλώδης λίαν, qui materiâ copioſus eſt valdè, Job.29. ℣.5. Hoc poſtremum etymum à שדד mihi videtur præferendum, ut ſit *ſchaddaj*, omnipotens, cui tota natura cedat, & ſyderum ratio, ut eam pro arbitrio poſſit mutare, ſi velit, & cum voluerit; ne quis putaret aliunde proficiſci poſſe, quam ab eo qui ſupra naturæ leges, facit quicquid vult, quod ex nonagenaria Sarai, Abram centenarius, filium ſuſcipere deberet. Eſt autem illud *Schaddaj*, unum ex decem Dei nominibus, etſi putent Ebræi aliquando communiter accipi, ut Job.22.℣.24. *Schaddaj eſt aurum tuum*, quod reddunt potens & validum. Et Ezech.10. verſ.5. *vox Schaddaj*, id eſt, fortis. & Eſai. 13. verſ.6. Sicut *vox Saddai*, id eſt, robuſta, vehemens. Sed ubique poteſt idem nomen pro Deo ſumi, ut *aurum omnipotentis*, & *vox omnipotentis* intelligatur, & non ſit opus commune reddere, quod Deo proprium videtur.

Convenientiſſimè autem hoc Epithetum Deus ipſe ſibi tribuit hoc loco, quia cum vellet fœdus inire cum Abramo, promiſſiones ſuas de rebus arduis & penè incredibilibus repetere & ſancire, opus fuit muniri fidem Abræ, conſideratione αὐταρκείας & omnipotentiæ divinæ. Neque enim unquam aliter quieſcit piorum fides, quam dum certo perſuaſum habent, unicum Dei præſidium ſibi ſufficere. Id neceſſarium fuit Abramo, cui revelatæ fuerant poſterorum afflictiones, qui noverat hoſtium potentiam, qui etiam debuit, ſupra naturæ ordinem, omnium promiſſionum expectare complementum. Certum eſt autem ſufficientiam Dei ad omnia, non poſſe aptiori voce explicari quam *omnipotentis.* Optimè itaque qui fidem & obedientiam à recipiendis in fœdus erat ſtipulaturus, principio propoſuit ſuam potentiam & αὐτάρκειαν, quibus promiſſa bona præſtare, & adverſa mala depellere poſſet.

Huic propoſitioni ſubjungitur ſtipulatio, qua Deus ab Abramo, & in ejus perſona à poſteris ſuis fidem & obedientiam requirit, his verbis, והיה תמים והתהלך לפני *vehjeh thamijm, vehithhalec lephanaj.* vulgata, *ambula coram me, & eſto perfectus.* LXX εὐαρέστησον ἐναντίον ἐμοῦ, καὶ γίνου ἄμεμπτος, id eſt, *place in conſpectu meo, & eſto inculpabilis.* Alii, *eſto integer.* Notum eſt, *Ambulare*, per metaphoram ſumi pro vivere, ſeu tenere aliquod curriculum vitæ, ſive in communi vita, functionibus & ſententiis, ſive in fide. Quo ſenſu, *via* nomen, pro vitæ inſtituto, functionibus, aut ſententiis, aut etiam fide accipitur, non ſolùm ex uſu ſcripturæ, ſed etiam ex uſu communi. *Ambulare* autem *cum Deo*, vel *coram Deo*, nihil aliud eſt quam ex vero animi motu ſentire & agere, quæ Deus præſcribit, eumque ſincerè colere. Ideò paraphraſtes Chaldæus, vocem metaphoricam, per propriam interpretatus eſt, *cole me.* Emphatica tamen eſt metaphora, ſumpta ab iis qui vivunt in conſcientia dominorum ſuorum, & quaſi in eorum oculis, conanturque ſe in omnibus ipſis approbare. Vult igitur Deus, ut veri cultores ipſius, meminerint ſe eum ſemper habere præſentem omnium non ſolùm actionum, ſed etiam cogitationum teſtem & inſpectorem. Quod additur והיה תמים *vehjeh thamijm*, eſt expoſitio præcedentis. Is enim ambulat coram Deo, qui *integer eſt vita.* Ideò ferè ſemper hæc conjunguntur, *Ambulando coram me, in veritate, in toto corde tuo*, 1. Regum 2. verſ.4. *Ambulavit David coram Iehova in veritate & juſtitia, & rectitudine cordis*, ea enim eſt quæ perfectio & integritas appellatur, 1. Reg.3. verſ.6. & 1.Reg.9. verſ.3. *Si ambulaveris coram me, ſicut ambulavit David pater tuus in perfectione & rectitudine cordis.* Et 2.Reg.20. verſ.3. ſic loquitur Ezechias, *obſecro Iehova recordare jam me continenter ambulaſſe coram te fideliter & animo integro, & quod bonum videtur in oculis tuis feciſſe.* In quibus locis, nec putandum eſt Deum tribuere Davidi eam perfectionem in qua nihil deſiderari poſſit, vel eam mandatorum obſervationem, quæ ad juſtitiæ divinæ trutinam exacta, ei plenè ſatisfacere poſſet; aut Ezechiam tantùm ſibi tribuere velle, quod in nulla re offendiſſet, qui ſciebat ſe propter peccata flagellari.

Sciendum igitur eſt, vocem Ebræam תם tam, vel Synonymam תמים *tamijm*, ubi de homine dicitur, ſignificare eum, qui apud Deum habet rectam fidem & bonam conſcientiam, & apud homines eſt inculpatus; cujus cor eſt ſimplex & alienum ab omni fuco & verſutia; ut integritas opponatur hypocriſi, & fraudulentiæ, & pro ſinceritate & veritate ſumatur, ut liquet ex allatis exemplis. Ad quam pertinet, ſi quis agnoſcat ſe adhuc eſſe imperfectum, & ad perfectionem, cui nihil deeſt, voto aſpiret, nec præſumat ſe adhuc apprehendiſſe. Tum enim habetur perfectus apud Deum, qui perfectionem quam in ſe non habet, aliunde ſibi applicat per fidem; & in via propriæ perfectionis ambulans, per gratiam Dei tendit ad metam, etſi eam in hac vita non planè aſſequatur. Hoc eſt quod Deus vult, cum ſuos ad perfectionem hortatur, ut viam inſiſtant, ut Deo in ipſis agente enitantur, & ſemper proficiant. Alioquin enim qui ambulant, & adhuc in via ſunt, propriè dictam perfectionem non attingunt.

Olim Pelagiani ex ſimilibus dictis conati ſunt ſuam ſtabilire ſententiam de perfectione juſtitiæ, qua hominem in hac vita eſſe ſine peccato poſſe, contendebant. Contra quos, & nominatim adverſus Cœleſtium ſtylum ſtrinxit Auguſt. edito libro *de perfectione juſtitiæ*, qui habetur ſub finem Tom. VII. operum ejus. Ubi ſic

 inter-

interpretatur Pauli verba 1. ad Corinth. 13. *Quotquot perfecti ſumus id ſapiamus*: id eſt, *quotquot perfectè currimus, hoc ſapiamus, quod nondum perfecti ſumus, ut illic perficiamur quo perfectè adhuc currimus, ut cum venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt deſtruatur,* id eſt, *non jam ex parte ſit, ſed ex toto, &c.* Addit, *Cum eſt aliquid adhuc carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro ſine anima concupiſcit, quamvis caro concupiſcere dicatur, quia anima carnaliter concupiſcit.*

Ad objectionem autem quæ ex his locis deſumitur in quibus perfectionem Deus imperat, qualis eſt iſte quem tractamus, reſpondet, *Cur non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, ſi quo currendum eſt neſciatur. Quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur? Sic ergo curramus ut comprehendamus.* Ibidem diſtinguit, aliud eſſe, *ſine peccato eſſe,* aliud *eſſe ſine querela*; illud de ſolo in hac vita unigenito dictum eſſe, hoc de multis juſtis in hac vita dici potuiſſe, *quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in iſta humana converſatione, juſta querela eſſe non poſſit.*

Ex his ſatis conſtat, perfectionem ad quam homo debet tendere, & ad quam perventuri ſunt omnes fideles, talem eſſe cui nihil deerit, tam ratione partium omnium, quam ratione graduum. Sed non ſequitur ſi Deus ad eam invitet, ſi etiam aliquis dum hic vivit integer & perfectus dicatur, eum talem eſſe, aut etiam eſſe poſſe abſolutè, & ſine exceptione: Id conceditur aliquem perfectum eſſe poſſe ſecundum quemdam perfectionis modum, κατά τι & comparatè, ad imperfectiores. Quæ tamen perfectio, non eſt hic ſine peccato, ex qua denique non eſt colligenda legis impletio, aut impletionis ejus poſſibilitas. Ideò idem Auguſt. de peccat. meritis & remiſſ. lib. 1. cap. 15. *Cum* (inquit) *legitur in ſcripturis cujuſque perfectio, qua in re dicatur non negligenter intuendum eſt: quoniam non ideò quiſque prorſus ſine peccato eſſe intelligitur, quia in aliqua re dicitur eſſe perfectus; quamquam & in hoc poſſit ita dici, ut non quia jam non eſt quo proficiat, ſed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur.*

Phraſes igitur quæ homini videntur in hac vita perfectionem tribuere, debent intelligi, non de perfectione in eo gradu quem lex à nobis poſtulat, ſed quem fert infirmitas iſta, cum qua luctandum eſt fidelibus; adeò ut tum intelligatur aliquis perfectus, cum quod ei ad hanc perfectionem deeſt, per miſericordiam Dei condonatur. Quod in Davide patet, cui etſi tribuatur quod ſecutus fuerit Deum in toto corde ſuo, excipitur tamen expreſſe *negotium Vriæ.* Et alia multa excipi potuerunt quæ agnovit ipſe, cum deprecatus eſt, *ne Deus intraret in judicium cum ſervo ſuo, &c.* Ergo in renatis perfectio omnimoda & plena nō eſt, niſi quatenus in Chriſto conſiderati abſolvuntur ab omnibus peccatis, & ipſis imputatur juſtitia, Coloſ. 2. ℣. 10. *In eo eſtis conſummati,* πεπληρωμένοι Ebr. 10. ℣. 14. *Vna oblatione conſummavit* τετελείωκεν *in ſempiternum ſanctificandos.*

Ad inhærentem quod attinet perfectionem, & actiones juſtitiæ in quibus ſancti exercentur, obedientia eorum perfecta dicitur, 1, quia nō uni, ſed omnibus & ſingulis mandatis, obedire ſtudēt: 2. ratione ſinceritatis & veritatis, quia vere & non ſimulato affectu, ſerio ſtudio & non hypocritico, obediunt Deo & pravis motibus reſiſtunt. Quo ſenſu intelligi debet Pſalmiſtæ dictum, 119. ℣. 34. *Toto corde exquiſivi mandata tua.* 3. Ratione probabilis & ſanctæ converſationis, quā ducunt ſine querela quomodo Noachus Gen. 6. ℣. 9. dicebatur perfectus in generationibus ſuis. 4. Comparatè, ut diximus ratione infirmorum, qui nondum ad talem cognitionis & obedientiæ gradum pervenerunt. Eph. 4. ℣. 13. *Donec occurramus in unitatem fidei, in virum perfectum, ut jam non ſimus pueri,* Ebr. 5. ℣. 13. & 14. diſtinguuntur qui parvuli ſunt lactis participes, à perfectis quibus ſolidus cibus diſtribuebatur. Abſolutā autem perfectionē, tam cognitionis quam obedientiæ, agnoſcit Apoſtolus in hac vita non haberi, 1. Cor. 13. ℣. 10. Phil. 3. ℣. 12. Ex quibus locis Auguſt. lib. 1. de grat. Chriſti cōtra Pelag. cap. 49. ex Ambroſio ſic diſtinguit, *Perfectos ſecum multos ait Apoſtolus in hoc adhuc mundo ſitos, qui ſi ad perfectionem verā reſpicias perfecti eſſe non poterunt, quia ipſe dixit, videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & ego cognitus ſum. Ita & immaculati ſunt in hoc mundo, & erunt immaculati in regno Dei, cum utique ſi minutius excutias, immaculatus eſſe nemo poſſit, quia nemo ſine peccato eſt.* Abram integer fuit & ſincerus corā Deo, adeoque perfectus omnibus iis modis, quibus homo in hac vita perfectus dici poteſt; ſed ratione perfectionis abſolutæ, quamdiu ambulavit, & fuit in via, non attigit metam, ad quam pervenit, hac corporis liberatus mole.

Poſtquam Deus ab Abramo ſtipulatus eſt fidem & obedientiam, viciſſim declarat quid facturus ſit, ſe nempe ſanciturum fœdus cum eo, & quia non ſolum ſpectare debebat fœdus illud, ipſum Abramum, ſed etiam poſteros, idcirco repetit promiſſionē de multiplicatione, ℣. 2. Quæ verba accepit Abramus, cum ea quam decebat reverentia, *procidens in faciem ſuam,* ℣. 3. Hoc enim ita interpretor, non tam pro pavoris vel metus teſtimonio, ob divinam viſionem, quam pro humilitatis geſtu, reverenter ſe gerentis, in acceptatione mandati & promiſſionum divinarum, ſimulque infirmitatem ſuam agnoſcentis & indignitatem. Agnoſcebant enim ſancti viri tali ſubmiſſione ſeſe demittentes majeſtatem Dei quam ferre non poterant. Imò & in externa reverentia quæ hominibus deferebatur idem mos invaluerat in ſubmiſſionis ſignum, non quidem religioſæ, ſed civilis; quæ differentia agnoſcebatur ex ratione objectorum

ctorum

ctorum, cujus etiam internus motus alius erat.

Promiſſionem de multiplicanda poſteritate confirmat Deus additione ad nomen Abrami, verſ.5. *Non vocabitur ultrà nomen tuum Abram, ſed nomen tuum erit Abraham, quia patrem multitudinis gentium poſui te.* Ubi ratio nominis cum nomine ponitur. Vocaberis אברהם *Abraham* כי אב המון גוים נתתיך *ki abh hamon gojim nethattica.* De cujus nominis etymo otioſa multa leguntur in Ebræorum commentariis, quibuſdam dicentibus ה adjectum fuiſſe ex nomine tetragrammato; aliis agnoſcentibus poſtremam ſyllabam eſſe contractam ex המון *hamon,* ſed priores duas eſſe in unum nomen jungendas אביר *abbir,* quod potentiſſimum ſignificet. Sed tum detrahetur nomẽ patris quod Deus in explicatione retinet. Simpliciſſima nominis Etymologia & ad rem accommodata eſt, quod ſit nomen compoſitum ex tribus, quorum unum eſt integrum אב *abh,* pater; ſecundum & tertium ſunt decurtata, ut fit in propriorum nominum compoſitione. Cum litera ר debet ſuppleri vel ב, ut ſit רב multæ, vel ם ut ſit *ram* excelſus. Cum ultima ſyllaba, debet ſuppleri מון *mon*, ut ſit *hamon*, & totum nomen ſignificat *patrem excelſum multitudinis,* ſi legamus רם *ram*; vel *patrem magnæ multitudinis,* ſi legamus רב: Et tum conveniet illud רב *rab,* vel ſupponet pro nomine גוים quod additur in divina interpretatione. Nam idem erit, pater multitudinis magnæ, & pater multitudinis gentium. Præfero tamen ut prius nomen maneat, & addita ה *he,* quæ eſt prima nominis quod multitudinem ſignificat, pro *Abramham,* dicatur Abraham ad Euphoniam, & qui pater excelſus vocatus fuerat, nunc à Deo dicatur *pater excelſus multitudinis.* Nomina ab hominibus impoſita nihil poſſunt in futurum promittere, etſi ſint ominoſa, & deſiderium parentum indicent. Sed quod nomen os Domini nominavit, propheticum eſt futurorum, & indicium certum effectus. Datum ergo fuit hoc nomen Abramo pro ſigno effectus futuri, de ſobolis multitudine, ut quotieſcunque occurreret ei nomen ſuum, revocaret in memoriam Dei promiſſionem, & fidem ſuam confirmaret. Et hoc ſignum fuit Abrahamo proprium.

Sed verſu decimo & ſeqq. aliud ſignum inſtituitur, commune Abramo & omnibus qui ad ejus familiam pertinerent. Dixerat anteà Deus verſ.7. *ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationes tuas in fœdus perpetuum, ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* Hæc fuit ſubſtantia fœderis divini ex parte Dei, qui ſtipulatus erat obedientiam ab Abramo. Jam inſtituitur fœderis illius ſignum his verbis. *Hoc eſt autem pactum meum quod cuſtodietis inter me & vos, & inter ſemen tuum poſt te, ut circumcidatur omnis maſculus.* Additur verſ. 11. *Circumcidetis vero carnem præputii veſtri, & erit ſignum inter me & vos.* Ex quibus patet, circumciſionem, quam appellaverat Deus *fœdus ſuum,* metonymicè fuiſſe ſic dictam, quia ſigno fœderis, nomen rei ipſius fuit communicatũ. Quod repetitur ℣.13. *erit pactum meum in carne veſtra in fœdus perpetuum.* Hoc exemplum noſtri merito adverſariis objiciunt, ut oſtendant verbum ſubſtantivum *eſt*, in ſcriptura ſumi pro *ſignificat,* aut *ſignum eſt*, & nomen rei ſignificatæ tribui ſigno ſacramentaliter & figuratè. Hoc eſt fœdus meum, id eſt, ſignum fœderis mei, vel ſignificat fœdus meum.

Bellarminus reſpondet, locutionem eſſe propriam non figuratam, qua circumciſio dicitur *pactum Dei*; Et teſtamentum dupliciter propriè dici, 1. quatenus ſignificat ipſius teſtatoris voluntatem. 2. quatenus accipitur pro ejus voluntatis inſtrumento. Lib.1. de Sacram. Euchar. cap.11. *Erat* (inquit) *circumciſio ſignum fœderis, ut fœdus accipitur pro divina promiſſione; & ſimul erat fœdus, ut fœdus accipitur pro inſtrumento, quo explicatur illa promiſſio, & utrumque propriè.* Alii ſic ſolvere conantur, Non ipſam circumciſionem dici fœdus, ſed circumciſionis mandatum, volunt enim mandatum his verbis contineri, *circumcidetur ex vobis omne maſculinum*, ad quod referatur pronomen *hoc*, ut ſit ſenſus *hoc præceptum, eſt pactum meum;* non autem, *circumciſio eſt pactum meum.* Bellarmino reſpondemus, falſum eſſe, inſtrumentum voluntatis alicujus, eſſe teſtamentum propriè dictum ſine tropo, quamvis uſitatiſſimum ſit, ut ſic appelletur. Eſt enim in hac locutione tropus; & quidem talis quem in hac materia ponimus. Inſtrumentum enim nullo alio modo voluntatem teſtatoris continet vel bona legata, quam eo quo ſignum continet rem ſignificatam, quia conſtat ſcriptis verbis, quibus voluntatem teſtari moris eſt publici. Ideò circumciſio quæ *teſtamentum* dicitur, poſteà dicitur *ſignum teſtamenti.* Præterea non verum eſt circumciſionem eſſe hoc modo ſignum teſtamenti, quo inſtrumentum ſcriptum, in quo verbis declaratur quid voluerit teſtator. Aliter enim afficiunt mentem ſigna viſibilia, quale hoc eſt, aliter verba. Mandatum autem de circumcidendo, non circumciſionem ipſam, fœdus fuiſſe dictum, falſum eſſe ex ℣.13. evincitur, ubi dicit, *fœdus meum erit in carne veſtra,* non enim mandatum fuit in carne, ſed circumciſio; & mandatum cum fuerit pars fœderis, non potuit eſſe ejuſdem ſignum. Idcirco Pererius in hunc locum rectè animadvertit, *In hoc capite quinq; inſignes & notabiles res tradi; Primò, fœdus initũ inter Deum & Abraham, &c. Deinde quod hujus fœderis ſignum voluit eſſe circumciſionem.* Et ad ℣.4. Negat fœdus novũ eſſe, vel ab eo diverſum quod ſuprà c.5. narravit Moſes pepigiſſe Deum cum Abrahamo, quin planè eſſe idem, cum eadem illic atq; hic promiſſa commemorentur. Illud igitur hîc renovari, & cauſam renovãdi ejus fuiſſe novam inſtitutionẽ circumciſionis, quã Deus hujus fœderis ſui *illuſtre quoddam ſignum ac perpetuum monumentum eſſe voluit.* Et poſt mutuam obligationẽ quam in omni fœdere neceſſariam agnoſcit, addit.

Hujus porrò fœderis ſignum eſſe circumciſionem voluit. Et Emanuel Sa interpretatur *pactum*, id eſt, *ſignum pacti.* Mariana etiam in notis ad cap. 17. Geneſ. numer. 11. *Signum pacti*, inquit, *fuit circumciſio ut verſ. 11. habes.* Ex quibus liquet de circumciſione utrumque dici, *hoc eſt pactum meum*, & *hoc eſt ſignum pacti mei*, proinde verbum ſubſtantivum *eſt*, in talibus propoſitionibus, per *ſignificat*, eſſe interpretandum.

Objiciunt, licet ſcriptum eſſet, *circumciſio eſt pactum*, non tamen ſignum poſitum eſſet pro re ſignificata. Nam, inquiunt, in circumciſionis ſacramento, res ſignificata, Paulo teſte, erat circumciſio ſpiritualis; ſcriptum ergo eſſe debuiſſet, circumciſio carnalis eſt circumciſio ſpiritualis, ut inde exemplum ſumi poſſet, in myſterio cœnæ, quo oſtenderetur panem ſacramentum, dici corpus Chriſti, hoc eſt rem in ſacramento ſignificatam, metonymicè. Nemo autem unquam ſic loquutus eſt, circumciſio carnalis, eſt circumciſio ſpiritualis. Reſpondemus, rem ſignificatam in circumciſione eſſe *pactum*, ſic enim evidenter legimus, *& erit ſignum fœderis.* Nec propterea negamus circumciſionem cordis eſſe rem ſignificatam, ſed dicimus includi pacto, quia hoc abſque illa eſſe non poteſt; & circumciſio cordis, eſt pars fœderis inter Deum & homines initi. Etſi ergo expreſsè id non legatur, *circumſio carnis eſt circumciſio cordis*, legitur tamen æquivalens, & aliquid amplius in nomine *pacti.* Itaque firmum manet noſtrorum ex hoc loco argumentum, in locutionibus ſacramentalibus ſigni & ſignati nomina ſæpè permutari, & veluti reciprocare.

Verſ. 11. והיה לאת ברית vehajah leoth Berijth, *& erit ſignum fœderis* בני ובניכם *inter me & vos.* Hic habemus brevem definitionem ſacramenti, quod ſit *ſignum fœderis inter Deum & homines.* Omne enim ſacramentum propriè dictum, eſt in genere ſigni. Nec ſacramentum eſſe poteſt, niſi ex inſtitutione divina, quæ in hoc circumciſionis ſacramento evidens eſt. Fœdus autem divinum cujus ſignum fuit, in quo conſiſteret, in dubium vocatum eſt. Fuerunt enim, inter quos Bellarminus, qui negarunt verbis fœderis promiſſam fuiſſe, vel remiſſionem peccatorum, vel vitam æternam; Quem errorem Socinus renovavit, & pro virili propugnavit, negans in fœdere cum Abrahamo facto, talem promiſſionem contineri. Argumentum ex eo ducit Smalcius cap. 7. lib. De Chriſti Deitate, *quod omnes hodierni Iudæi, qui legis non poſſunt non eſſe peritiſſimi, & ejuſdem obſervantiſſimi, quoſque ideo nihil prætermiſſuros pluſquam credibile eſt, quod ad legem Moſaicam oſtentandam pertinere poſſet, quale hoc eſſet, ſi vitæ æternæ promiſſum in ea extaret, fatentur nullum vitæ æternæ apertum extare in ipſorum lege, vel in fœdere, quod Deus cum eis per Moſem pepigit, promiſſum.* Sed argumentum eſt elumbe & ineptum, à ſenſu hodiernorum Judæorum, qui cum cæci ſint, & excæcati juſto Dei judicio, non vident ſpiritualia, & æterna, temporalibus nimium addicti. Digni profecto qui alios ſecum in foveam cæcos præcipitent. Nos ſcripturis adhærentes non Judæis hodiernis, novimus, pactum Dei cum populo ſuo, eſſe idem quod fuerat cum Abrahamo initum, & in eo promiſſionem gratiæ & æternæ gloriæ fuiſſe incluſam, ex loci circumſtantia probamus.

Id enim fœdus deſcribitur, quod Deus futurus eſſet *Abrahami & ſeminis ejus Deus.* Ex quo argumentamur; Quibus Deus promittebat ſe Deum fore, iiſdem promittebat gratiam & vitam. At Abrahamo & poſteris ejus id promiſit Deus; Ergo iiſdem gratiam & gloriam æternæ vitæ promiſit. Major probatur expoſitione phraſeos qua Deus ſe alicujus Deum dicit. Nam gratiam includere teſtatur ipſe Deus Levit. 26. verſ. 11. *Habitabo in eis & ero ipſorum Deus, & ipſi mihi erunt populus.* Habitatiò enim Dei apud aliquos eſt gratiæ communicatio. Quod etiam innuit Jerem. cap. 31. verſ. 33. *Scribam legem meam in corda ipſorum*, quod eſt opus gratiæ, cujus cauſa redditur, *& ero ipſorum Deus, &c.* Addit verſ. 34. *& peccatorum eorum non amplius recordabor.* Eandem Phraſim promittere vitam, patet ex interpretatione Chriſti Matth. 22. verſ. 32. *Deus non eſt Deus mortuorum ſed viventium.* Ex eo enim quod Deus ſe dixerat Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, infert illos vivere, & reſurrecturos à mortuis. Aut illatio Domini bona non fuit, quod vel cogitare blaſphemum eſt, aut vita & immortalitas ſub fœdere quo Deus ſe Abrahami & poſterorum Deum dixit, continetur.

Cap. 3. Deuteronomii, circumciſionis illius externæ ſignificationem ſic deſcribit Moſes. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Idcirco Apoſtolus Rom. 4. verſ. 11. Circumciſionem dicit fuiſſe σφραγῖδα δικαιοσύνης τῆς πίστεως *ſigillum juſtitiæ fidei*; Et Coloſſ. 2. verſ. 11. cum loquitur de circumſione ἀχειροποιήτῳ non manu facta, per quam *evacuatur corpus peccati*, indicat falſum eſſe quod Bellarm. dicit, in fœdere cum Abrahamo inito nullam fuiſſe promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſed peculiaris protectionis & gubernationis, ac terrenæ fœlicitatis tantùm.

Gabriel Vaſquéz in 3. diſp. 163. cap. 1. num. 7. & ſeqq. negat, finem circumciſionis fuiſſe promiſſionis terræ Canaan pactum, quia quamvis promiſſa fuerit terra Canaan Abrahamo & ſemini ejus, hoc cap. 17. tamen anteà dixerat, & *ſtatuam pactum meum inter me & te*, &c. & paucis interpoſitis, explicat ad quid deſervire debebat pactum illud, his verbis, *ut ſim Deus tuus & ſeminis tui:* cui promiſerat benedictionem ſpiritualem. In hujus igitur rei memoriam, ſignum circumciſionis inſtitutum videri.

Sed

Sed preſſiùs rem agit diſp. 149. num. 15. ubi diſertè contendit, hoc loco Geneſ. 17. ubi Deus dicit, *Ero Deus tuus & ſeminis tui*, *Non tantùm promiſiſſe peculiarem curam, & protectionem terrenæ felicitatis Abrahamo & ſemini ejus, ſed remiſſionem etiam peccatorum & vitam æternam*, licet ſub figura terrenæ peregrinationis, ut conſtat ex illo ad Ebr. 11. *Etſi quidem ipſius meminiſſent de qua exierant, habebant tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cœleſtem; ideò non confunditur Deus, vocari Deus eorum:* (Græcè, οὐκ ἐπαισχύνεται, *non erubeſcit) paravit enim eis civitatem*, nempè cœleſtem. Senſus autem eſt, Abram, Iſaac & Jacob, cùm ſe faterentur peregrinos eſſe, non ſolùm ſe peregrinos à Meſopotamia, unde exierant, ſed etiam à cœleſti patria quam SIBI PROMISSAM inquirebant, confeſſos fuiſſe, quia SCIEBANT ſibi à Deo cœleſtem patriam fuiſſe præparatam. In illa igitur promiſſione, Geneſ. 17. ubi promiſſa fuit Abrahamo & ſemini ejus peregrinationis terra, intellexit Abraham, promiſſam ſibi quoque eſſe cœleſtem beatitudinem. Hæc ille; quæ directè pugnant adverſus ſententiam Bellarmini, qui lib. 2. de effect. Sacram. cap. 17. dicit, his verbis, *Ero Deus tuus, &c.* non ſignificari *promiſſionem vitæ æternæ, vel remiſſionis peccatorum, ſed tantùm, ut exponit Chryſoſt. in comment. hujus loci, promiſſionem cujuſdam peculiaris protectionis, qualis debetur populo peculiari.* Quo modo vult, Deum tam fuiſſe *Deum malorum, quàm bonorum.* Eſt igitur inter duos illos Sophiſtas manifeſta repugnantia.

In uno tamen conveniunt, quod in Sacramentis veteribus, ſpecialiter in circumciſione, remiſſio peccatorum collata non fuit, eodem modo, aut eadem ratione, qua ſub novo Teſtamento in Baptiſmo; & inde ſumunt differentiam, quam conſtituunt inter utriuſque Teſtamenti Sacramenta, quod non fuerit eadem vis juſtificandi in utriſque. Non tamen inter Pontificios convenit ratione Sacramenti circumciſionis. Nec diffitetur Bellarminus, eſſe inter Catholicos ſuos, *qui putant circumciſionem juſtificaſſe ex opere operato.* Et Becanus, analog. vet. Teſtam. cap. 14. ſect. 8. ubi quærit, an etiam circumciſio fuerit inſtituta in remedium peccati originalis & conſequenter, an contulerit gratiam juſtificantem? Reſpondet, *multos affirmare cum Auguſtino.* Vaſquéz etiam parvulis fuiſſe collatam gratiam juſtificantem per circumciſionem, agnoſcit fuiſſe multorum Scholaſticorum ſententiam, inter quos nominatim recenſet, Alexand. Bonaventuram, Scotum, Durandum, Paludanum, Gabrielem, Majorem, & Marſilium; quibus ex vetuſtioribus jungit Auguſtinum, Fulgentium, Gregorium, Bedam, Bernardum, Hugonem Victorinum, Rupertum, & Innocentium tertium. Hæc diſceptatio, propriè ad nos non pertinet, quia non dicimus, Sacramenta Chriſtiana conferre gratiam *ex opere*, ut loquuntur, *operato*, vel eſſe tales cauſſas gratiæ, quæ ipſam gratiam creent in hominibus, quæ ſunt Scholaſtica commenta. Quo modo etiam concedimus, circumciſionem, nec peccatum originale ſuſtuliſſe, nec gratiam juſtificantem contuliſſe.

Id tamen dicimus, non alio modo, aut alia ratione, Baptiſmum juſtificare, vel gratiam conferre, quàm quo idem fecit circumciſio, ſignificando nempè & obſignando, Deumque vi ſpiritus ſui in utroque Sacramento operatum olim fuiſſe, & nunc operari quod promiſit in legitimo uſu, in quo vel acceptam per fidem juſtitiam obſignat, quod in Abramo jam juſtificato fecit Sacramentum circumciſionis; vel fœdus gratiæ, quod in infantibus fiebat, ſive antè ſanctificatis, ſive in ipſo actu ſanctificationem recipientibus, ſive poſteà ſanctificandis, tanquam ſigillo confirmat, præter alios fines de quibus inter omnes convenit, quales ſunt, diſtinctio fœderatorum à non fœderatis, proteſtatio fidei quæ fœdere comprehenditur, & ſimiles.

Inter quos tamen, ut id obiter dicamus, quæri poteſt, an verum ſit quod omnes Pontificii uno ore affirmant, & nonnulli ex noſtris, ſaltem ad modum loquendi quod attinet, cum iis conſentiunt, an circumciſio fuerit Baptiſmi à Chriſto inſtituti figura? Cùm enim id ſupponant adverſarii, inde cōfectum putant negotium, differentiam eſſe eſſentialem inter Baptiſmum & circumciſionem, niſi quis velit confundere umbram cum corpore, ſignum & rem ſignificatam, figuram & veritatem. Reſpondemus igitur, Circumciſionem, eo quem aſſumunt ſenſu, non fuiſſe Baptiſmi figuram. Baptiſmi, inquam, quatenus accipitur pro ſigno, ſive Sacramento. Neque enim unquam inſtituta fuit circumciſio, ut ſignificaret inſtitutionem futuram baptiſmi aquæ. Nulla enim eſt inter utramque ceremoniam analogia, ſi externam actionem ſpectemus. Nec id probat locus Coloſ. 2. ℣. 11. ex quo typum, ſive figuram Baptiſmi fuiſſe circumciſionem, conatur probare Becanus. Cùm enim dicit Apoſtolus, *nos in Chriſto circumciſos eſſe, circumciſione quæ fit ſine manibus, dum corpus carnis peccato obnoxiæ exuimus,* indicat, circumciſionem carnis, fuiſſe ſignum & figuram circumciſionis cordis, quæ eadem ſignificatio eſt baptiſmi. Sed baptiſmus externus non eſt περιτομὴ ἀχειροποίητος. Alio igitur ſenſu dicitur circumciſio *figura baptiſmi*, quatenus fuit ſignum, correſpondens baptiſmi ſigno in eo quod utrumque ſignificatione eadem convenit. Ergò circumciſio potiùs dici debet ἀντίτυπον baptiſmi, quàm figura; quo ſenſu Petrus cap. 3. 1. Epiſt. *arcam* ejuſdem baptiſmi ἀντίτυπον eſſe dixit, eo nempè ſenſu, quod arca & baptiſmus eſſent ejuſdem rei ſigna, ſalutis videlicet per Chriſtum in Eccleſiam collatæ: Qua ratione apud Græcos grammaticos ἀντίστοιχα dicuntur elementa quorum idem eſt ſonus. Ergò non inſtituta fuit circumciſio, ut ſignificaret baptiſma, ſed ut eandem gratiam deſignaret, quam hoc tempore baptiſmus confirmat. Ita intelligendus eſt Auguſtinus, lib. 6. contra

Julian. cap. 3. cùm dicit, *Sacramentum circumciſionis in figura præceſſiſſe baptiſmatis, quis vel mediocriter literis eruditus ignoret? Cùm apertiſſimè de Chriſto dicat Apoſtolus, Qui caput eſt omnis poteſtatis, in quo & circumciſi eſtis, &c.* Itaque cùm dicimus, Baptiſmum ſucceſſiſſe circumciſioni, non id ita intelligimus, ut figuræ ſucceſſit veritas, ſed ut ſignum unum, in alterius locum eſt ſubſtitutum, ad unam & eandem rem ſignificandam, anteà quidem obſcuriùs, poſteà verò manifeſtiùs. Niſi baptiſmi nomen accipiatur, pro re in baptiſmo ſignificata & obſignata, id eſt, pro baptiſmo interiori, quo baptiſat ſpiritus. Tum enim non inviti concedimus, talis baptiſmi figuram fuiſſe circumciſionem manu factam.

Petrus Lombardus, quem ſentētiarum Magiſtrum appellant, hanc efficaciam circumciſioni tribuebat, ut tolleret quidem peccatum, non autem conferret gratiam. Quam opinionem alii poſteà tanquam erroneam rejecerunt, & noluerunt in ea *Magiſtrum*, ut loquuntur, *teneri.* Thomas, Scholaſticorum facilè princeps, voluit, circumciſionem & baptiſmum eundem habuiſſe per omnia effectum, ſed tamen in modo gratiam conferendi non conveniſſe. Guil. Eſtius in 4. ſentent. diſt. 1. ſect. 30. poſt expenſas aliorum ſententias, fatendum eſſe concludit, *circumciſionis ſignaculum, gratiam contuliſſe, etiam ex opere operato, juxta declarationem hujus locutionis,* quam ipſe tradiderat.

Ubi hoc notandum eſt, phraſim illam per ſe barbaram & novam, apud recentiores Scholaſticos variis modis fuiſſe expoſitam, ut non mirum ſit, ſi à noſtris eorum mens non ita perſpicuè fuerit intellecta, cùm inter ſe etiam de ea digladiati ſint. Quod diximus de novitate locutionis ipſi fatentur. *Hic ſermo*, inquit Eſtius, *neque in ſacris literis, neque in veterum ſcriptis reperitur, imò non multò ante tempora S. Thomæ Aquinatis primùm uſurpari cœpit, &c.* Imò Dominicus Soto, in 3. ſentent. diſt. 1 quæſt. 3. artic. 1. *Sacramenta* (inquit) *novæ legis juſtificare ex opere operato aiunt, quod quidem verbum non modo in ſacra Scriptura non extat, verum neque apud antiquos patres reperitur. Quare etſi D. Thomas in 4. diſt. 1. q. 1. artic. 5. illius meminerit, quoniam tunc fortè illud idioma ſerpere incipiebat, non tamen quaſi ex ſua opinione: ſed ait, ipſum Sacramentum à quibuſdam dici opus operatum: hîc verò in Summa illud non uſurpat, eſt enim verbum barbarum: operatum enim veriùs actionem, quàm paſſionem ſignificat.* Ibidem dicit phraſim non fuiſſe *neceſſariam*, & qui Latinè loquitur, ab hoc barbariſmo abſtinere poſſe.

Sed miſſo vocabulo, res ipſa eſt examinanda, id eſt, videndum quid hac phraſi intelligere voluerint. Quod anteà dixi, non mirum eſſe, ſi ex noſtris plerique non eam explicarint ad guſtum adverſariorum, ſatis ex eo patet, quod ne quidem hactenus ullus Scholaſticorum in hac explicatione ſatisfecerit Gabr. Vaſquéz, qui diſertè aſſerit, *ſe apud neminem ex antiquis hunc loquendi modum inveniſſe explicatum.* Qui iterùm ſub finem explicationis ſuæ diſput. 131. num. 10. addit, *Et hic eſt legitimus ſenſus horum verborum, & vera origo hujus modi loquendi, quem hactenus fortaſsè non inveni exactè explicatum.* Imò ibidem refellit aliorum explicationes. Summa autem ejus ſententiæ eſt; *Dici Sacramenta ex opere operato homines juſtificare, quia non juſtificant, ratione meriti operis miniſtri, qui Sacramentum confert, & ita non conſideratur ad effectum juſtificandi opus miniſtri, quatenus eſt ipſius ut operantis, nempè qua ratione poteſt eſſe dignus laude aut vituperio, ſed ſolùm ſecundùm ſe, ſive malè, ſive benè id fiat, dummodo fiat ſecundùm divinam inſtitutionem; quia non virtute & merito miniſtri, ſed virtute autoris illud inſtituentis illam vim habet.* Ergò ſic diſtingui opus operatum ab opere operantis, ratione ejus qui Sacramentum miniſtrat, quod opus operatum ſignificet rem perfici virtute ſolius inſtitutionis divinæ; opus operantis autem dicatur de merito adminiſtrantis, quod excluditur per opus operatum. *Iuſtificari igitur per Sacramenta ex opere operato, idem eſt quod non juſtificari opere miniſtri, ſed opere ipſo Sacramenti, quatenus factum eſt ſecundùm divinam inſtitutionem.* Hæc ille.

Eadem ferè habet Eſtius, in 4. ſentent. ad diſtinct. 1. ſect. 7. ubi ſcribit, *Sacramentum valere ex opere operato, id eſt, eo ipſo quod tale opus ſit, non quidem quatenus naturalis actio eſt, ſed quatenus ad effectum gratiæ divinam habet inſtitutionem, atque infallibilem promiſſionem. Ea autem promiſſio, cùm ſit conditionalis, requirens in adultis debitam præparationem, nullo modo ex phraſi benè intellecta conſequi, Sacramenta valere etiam ſine ullo bono motu percipientis.* Id ut clarius intelligatur, ſic explicat, Cùm *opus operatum* dicatur ad diſtinctionem *operis operantis*, quod eſt vel miniſtri, vel ipſius ſuſcipientis, Sacramenta non valere ex opere, ſive devotione miniſtri, neque etiam ex opere ſuſcipientis, quia etſi in ſuſcipiente adulto præparatio quædam per fidem & pœnitentiam neceſſaria ſit, idque ex ipſa Sacramentorum inſtitutione; non tamen Sacramenta ſuam vim & efficaciam inde mutuantur, ſed eam accipiunt ab eo, à quo ſunt inſtituta.

Hæc doctrina ad rem quod attinet, apud nos eſt extra controverſiam, quam ſi ita explicaviſſent ab initio Pontificii, vix in eo capite aliquid fuiſſet controverſiæ; ſed ambiguitatibus ſuis, & variis ſpeculationibus, anſam noſtris præbuerunt ſentiendi aliud quid ſub hoc barbariſmo latere. Nos enim alioquin agnoſcimus, Sacramentorum efficaciam non pendere ullo modo à dignitate miniſtri, vel actionis illius, qua laudabilis eſt, &, ut loquuntur, meritoria. Nec etiam credimus actionem aliquam meritoriam ſuſcipientis, vim & efficaciā tribuere Sacramentis, quibus nullam aliam tribuimus, præter eam quam habet ex divina inſtitutione.

Quænam autem ſit vis illa, quam inſtitutio divina Sacramentis indit, non hactenus inter Pontificios unanimi

nimi conſenſu definitum eſt. Sic quidem omnes loquuntur, Sacramenta operari ex opere operato, &c. ſed qua ratione fiat talis operatio, aut quinam ſit modus, quo gratia, ut loquuntur, à Sacramento efficitur, adhuc ſub judice lis eſt. De ea re multæ ſunt ſententiæ, quæ tamen ad duas revocantur, quarum una eſt, Sacramenta eſſe propriè dicta inſtrumenta Dei, tanquam principalis cauſſæ ad gratiam producendam, & ejus ſententiæ autores tribuunt Sacramentis aliquam virtutem, propriè dictam, &, ut loquuntur, phyſicam: adverſus quam ſententiam noſtri præſertim pugnarunt, & operis operati ſenſum, iſtorum ratione oppugnarunt, quo voluerunt, externâ illâ Sacramenti applicatione, aliquam gratiam ex vi ipſius interna fuiſſe infuſam in animam ſuſcipientis, qua ratione in medicamento eſt vis quædam ſanandi. Altera eſt, non eſſe in Sacramentis propriè dictam inſtrumenti rationem, neque virtutem aliquam creatam ineſſe, quæ gratiæ effectum operetur, ſed dici efficacia gratiæ ſigna, quia divina virtus Sacramentis ad producendum gratiæ effectum certò & infallibiliter, ex Chriſti promiſſione aſſiſtit, ut habeant rationem cauſſæ inſtrumentalis generaliter dictæ, quam inſtrumentum morale vocant. Quæ ſententia eſt Scoti & aliorum multorum, etiam ex recentioribus; hanc ita intellectam non improbamus, ut nempè Sacramenta ſint inſtrumenta moralia, quæ quidem non attingant effectum, ſed taliter operentur, quia ubicunque ritè adminiſtrantur & ſuſcipiuntur, Deus ex pacto adeſt, & concurrit ad effectum ſupernaturale producendum. Quo modo ipſi adverſarii definiunt inſtrumentum morale.

Tale inſtrumentum fuiſſe circumciſionem, non eſt dubitandum; habuit enim pactum & promiſſionem divinam de effectu ſpirituali, & eo ipſo (inquit Eſtius) quo quis circumcidebatur, ex pacto & inſtitutione divina, valebat hoc ad juſtitiam; quod docet manifeſtè Auguſtin. lib. 4. contra Donat. cap. 24. ubi affirmat circumciſionis Sacramentum per ſe ipſum multùm valuiſſe. Nec id diffitetur ipſe Thomas, in 4. ſenten. diſt. 2. q. 9. ubi dicit, circumciſionem tale fuiſſe remedium contra peccatum originale, quod illud ex opere operato aboleret. Quam tamen ſententiam in Summa ex parte retractavit, part. 3. quæſt. 62. artic. 6. ubi quidem agnoſcit, in circumciſione gratiam fuiſſe collatam quantùm ad omnes gratiæ effectus, ſicut in Baptiſmo, non tamen eodem modo, *nempè virtute ipſius circumciſionis*; quia vult, virtute Baptiſmi conferri gratiam, quod ab aliis negatum eſt.

Ratio differentiæ quam affert, ea eſt, quod cùm tempore veteris Teſtamenti, miniſterium paſſionis Chriſti non fuiſſet peractum realiter, ideò non potuerunt legis illius ceremoniæ continere in ſe realiter virtutem aliquam profluentem à paſſione Chriſti, eò quod effectus non potuit eſſe tempore prior ſuâ cauſsâ efficiente. Sed alii rectè reſpondent, rationem illam non eſſe ſolidam; quia potuit Deus reſpiciens in paſſionem Chriſti futuram, conferre hominibus gratiam per Sacramenta illius temporis, vel tanquam divinæ poteſtatis inſtrumenta propriè dicta, vel ut ſigna, quibus divina virtus infallibiliter aſſiſteret, ſicut id facit per Sacramenta novæ legis reſpiciens in paſſionem Chriſti præteritam. Alioqui, ſi quod nondum exiſtit movere non poteſt in genere cauſſæ efficientis; ita neque id quod jam eſſe deſiit, cujuſmodi eſt paſſio & mors Chriſti, quia intelligi non poteſt, ut quicquam actu operetur, quod actu nondum exiſtit. Cum igitur utrinque conſtituatur paſſio Chriſti in genere cauſæ meritoriæ, nihil obſtat quominus futura mors habuerit vim, quam nunc habet præterita in æſtimatione Dei.

Pugnat tamen Bellarminus adverſus efficaciam circumciſionis aliquot argumentis, quorum unum & alterum, quæ præcipua videntur, expendemus, ut de reliquis judicium fiat. Cap. 3. Epiſt. ad Rom. ỳ. 2. ait Apoſtolus; *Quæ utilitas circumciſionis? multùm per omnem modum, primùm quia credita ſunt illis eloquia Dei:* ubi Bellarminus non vult, illud *primùm* eſſe notam ordinis, ſed ſignificare *potiſſimùm* & *præcipuum*, & in eo ſolùm Judæos circumciſos gentibus præſtaſſe, quod illi habuerunt legem & oracula Dei: unde infert, circumciſionem non juſtificaſſe, quia alioqui præſtitiſſent Judæi gentibus juſtitiâ, quod Paulus refutare intendit, gentes & Judæos ſub peccato eſſe oſtendens. Hæc ille. Ad quæ reſpondemus, excluſivam illam quam ponit, non eſſe à Paulo, ex qua tamen tota vis argumenti pendet. Et quamvis id quod dicit, verum eſſet, *primùm* ſignificare, vel *præcipuum*, vel *potiſſimùm*, tamen nihil præcipuum eſt extra comparationem minùs præcipui. Ergò ſi id præcipuum ſit in prærogativis Judæorum, quod ipſis fuerunt commiſſa oracula Dei, ſequitur alias etiam fuiſſe prærogativas. Quod autem dicit, non fuiſſe prærogativam juſtitiæ, quæ per circumciſionem fuerit collata, quia convincit Paulus tam Judæos, quàm gentes fuiſſe ſub peccato. Reſpond. convictionem illam ſpectare juſtitiam operum, quam neque Judæi, neque gentes præſtarunt, ut per eam juſtificarentur. Sed non ſequitur, Judæos fideles non fuiſſe juſtos, qui cum Abrahamo circumciſionem habuerunt *ſigillum juſtitiæ fidei*, cujus juſtitiæ ratione eminebant ſupra gentes, & ſupra Judæos carnales. Quod ſi quis dicat, etiam carnales Judæos fuiſſe circumciſos, qui tamen juſtificati non fuerunt. Reſpondemus, idem dicendum eſſe de carnalibus baptiſatis, qui ſine fide recipiunt baptiſmum externum; de adultis loquor. Quod ſi per culpam propriam, inefficacem, ratione ſui, reddiderunt baptiſmum; quidni idem dicendum erit de ſolo nomine Judæis, non re? De illis autem intelligebat Apoſtolus, non de poſteritate ſpirituali Abrahami. Quid quod alias prærogativas multas enumerat idem Rom. 9. ỳ. 4. *υἱοθεσίαν, δόξαν, διαθήκην, νομοθεσίαν, λατρείαν, καὶ ἐπαγ-*

γελίων; An tot prærogativæ poſſunt pati excluſivam Bellarmini?

Quod autem ſubjungit, Circumciſionem fuiſſe opus legis, ut inde concludat non juſtificare, quia alioquin ex operibus legis fuiſſent juſtificati, eſt merum cavillum. Non enim juſtificat circumciſio, quemadmodum ipſe Bellarminus fatetur etiam de Baptiſmo, *ex opere operantis*, id eſt, quatenus eſt aliquod opus juſtitiæ, ſed ex inſtitutione divina, ſacramentali modo. Sed quando operibus legis, ſive ceremonialibus, ſive moralibus, detrahitur vis juſtificandi, id intelligitur de operum merito, quantenus eſt opus obedientiæ. Nemo autem unquam dixit circumciſionem, vel juſtificare, vel gratiam conferre hac ratione. Ludit ergò ambiguo Bellarminus.

Rectè igitur animadverterunt etiam interpretes Pontificii, Paulum cap. 3. propoſitâ duplici interrogatione, ad priorem tantùm eodem capite reſpondiſſe: reſponſionem verò ad alteram partem reſervaſſe, ut de ea ſequenti capite diceret; in quo (ut notat ibidem Eſtius) *quæſtionem reſumit in perſona Abrahæ, quod fatendum videatur, eum juſtificatum fuiſſe per circumciſionem*; nempè ſacramentaliter.

Sed occurrit Bellarminus, ex eodem capite, ubi Apoſtolus ex profeſſo probat, Abrahamum non in circumciſione, ſed in præputio fuiſſe juſtificatum, ut inde admoneat, circumciſionem non fuiſſe datam, ut juſtificaret. Reſpondeo, hoc argumento rectè probari juſtificationem tribui non debere circumciſioni, tanquam cauſſæ inſtrumentali propriè dictæ, quæ vi ſua agat, & effectum attingat. Talis enim cauſſa præcedere debet neceſſariò ſuum effectum. Sed non eadem eſt ratio cauſſæ inſtrumentalis moralis, cujus operatio eſt, repræſentare, ſignificare & obſignare. Id autem poteſt efficere, etiam ſi res ipſa præceſſerit, aut ſubſequatur. Nihil igitur obſtat, quo minus Abraham anteà juſtificatus gratiâ Dei per Chriſtum venturum, in quem crediderat, juſtificatus fuerit per circumciſionem, tanquam morale inſtrumentum, ſignificans & obſignans in eo fidei juſtitiam. Alioquin etiam Bellarmino concludendum erit, Baptiſmum non juſtificare, quia multi, qui anteà juſtificati fuerant, poſteà fuerunt baptiſati. Id Auguſtinus quæſt. 84. ſup. Levit. teſtatur de Cornelio centurione & domeſticis ejus. *Cornelius* (inquit) *& qui cum eo erant, cùm jam inviſibiliter infuſo ſancto Spiritu ſanctificati apparerent, baptiſati ſunt tamen, nec ſuperflua judicata eſt viſibilis ſanctificatio, quam inviſibilis jam præceſſerat.* Ipſe Bellarminus cap. 13. ſect. 2. aſſerit, *adultos nunc per fidem & contritionem veram juſtificari, antequàm reipſa ad Sacramenta accedant.* Concludat ergò, aut Sacramenta novi Teſtamenti non juſtificare, aut concedat juſtificare etiam circumciſionem, quamvis Abraham antequàm cicumcideretur, fuerit juſtificatus, & nobiſcum agnoſcat varia cauſarum genera, quæ diverſis modis efficere dicuntur.

Objicit ex 1. ad Corinth. 7. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt; ubi Paulus circumciſionem & præputium deſpicit, cùm agitur de juſtificatione.* Reſpond. ex eodem Apoſt. Galat. 6. ℣. 15. *In Chriſto Ieſu nec circumciſio aliquid valet, nec præputium.* Ex quibus verbis facilè quivis intelliget, circumciſionem deſpici, quemadmodum & præputium, poſtquam venit Chriſtus, qui circumciſionem ſuſtulit, inſtitutis aliis Sacramentis. Non itaque dicit circumciſionem nihil fuiſſe, ſed tum nihil eſſe, quia abolita erat; ideò non vult, ut qui circumciſus eſt, præputium attrahat, vel circumcidatur, qui eſt in præputio. Quamvis etiam, ſi de circumciſione intelligeretur quo tempore vigebat, nec ſic obtineret adverſarius, circumciſionem abſolutè nihil eſſe, ſed tantùm κατά τι, nempè ſi tantùm accipiatur pro circumciſione carnali. Quemadmodum poſſemus dicere baptiſmum nihil eſſe, ſi nempè accipiatur pro ſola lotione externa, ab iis qui ſignificationem ejus non ſpectant. Quo ſenſu Deus olim ſacrificia Judæorum rejiciebat, tanquam non requiſita. Eſai. 1.

Exercitatio LXXXVIII.

Circumciſionis ſubjectum. Quinam ad Baptiſmum admitti debeant? De liberis infidelium quid ſentiendum. Lutheranorum in noſtros calumnia diluitur. Cur ſolos maſculos liget circumciſionis præceptum? An fœminis opus fuerit alio externo medio. Examinatur objectio Pontificiorum pro traditionibus. Pontificiorum Scholaſticorum de ſalute infantium incircumciſorum diſſidia. Qua ratione dictum fuerit à nonnullis, infantes fuiſſe juſtificatos fide parentum. Quo ſenſu id intellexerit Beza. Redarguuntur Pontificii. Tempus ordinarium circumciſioni deſtinatum, & cur? Nullo prætextu antevertendum fuit. Mortuorum circumciſio ſuperſtitioſa apud Iudæos. Diſpenſatio aut tolerantia divina erga incircumciſos in deſerto. Inſtrumentum circumciſionis. Ejuſdem duratio. Refutantur argumenta Iudæorum pro ejuſdem perpetuitate. Cur abrogata?

Dictum eſt de circumciſionis fœdere, ratione finis & effectus ſui. Superſunt alia, de ſubjecto circumciſionis, de tempore, & ejuſdem duratione & neceſſitate, verſ. 12. 13. & 14. declarata. Subjectum erat omnis mas octo dies natus, tam ex poſteritate Abrahæ, quàm ex aliis ejus domeſticis: tempus, octavus dies poſt nativitatem: Duratio fœderis perpetua dicitur. Neceſſitas talis, ut exſcindi de populo debeat qui circumciſus non fuerit. In his ſunt difficultates non negligendæ, de quibus ordine dicemus.

De

De ſubjecto primùm; ℣. 12. *Omnis mas circumciditor vobis natus octo dies per generationes veſtras, natus domi & emptus pecuniâ, ex quibuſcunque alienigenis ſit, & qui non ſit ex ſemine tuo.* Quæ eadem repetuntur verſ. ſeq. ex quibus patet, non ſolùm Abrahami poſteritatem, id eſt, eos qui ex ipſius & ſuorum ſemine naſcerentur, fuiſſe ſubjectum circumciſioni aptum, ſed etiam omnes ejus domeſticos qui quovis modo legitimo erant in poteſtate ejus conſtituti; ſervi nempè omnes maſculi, tam emptitii, quàm vernæ; atque ita in partem fœderis fuiſſe vocatos omnes qui ſanctum illum virum quoquo modo attingebant, & qui ad ejus familiam pertinebant. Nam cùm circumciſio fuerit fœderis ſignum, quæ & ipſa propterea metonymicè fœdus dicitur, conſtat Deum noluiſſe communicari ſignum iis, quos à fœdere excluſiſſet. Unde colligimus amplam fuiſſe Dei gratiam Abrahamo collatam, quæ non tantùm ſemen ipſius complexa eſt, ſed etiam in ſervos & domeſticos ejus effuſa eſt. Item non ſolùm inter dona Dei ſpecialia cenſeri debere, ſi quis ex parentibus ſanctis naſcatur, ſed etiam ſi quis ſervituti mancipatus, incidat in herum pium & fœderatum; qua ratione, qui, ſi conditionem ejus vitæ ſpectemus, ſervus eſt; liber eſt nihilominus quoad animam, & ratione vitæ ſpiritualis.

Ex hac conſideratione ſolvitur quæſtio ſæpè ventilata, quæ etiam hoc noſtro tempore recurrit, ubi agitur de baptiſmo eorum qui ex parentibus infidelibus nati ſunt, atque ita ſi originem ſpectemus, non ſunt in fœdere divino? Conſtat enim multos fuiſſe baptiſatos cùm nondum imbuti eſſent vera cognitione Chriſtianæ doctrinæ, nec ad eam ætatem perveniſſent, in qua fidei ſuæ rationem reddere poſſent, poſt ſufficientem inſtitutionem. Eſt enim conſtans omnium veterum & recentiorum Theologorum ſententia, adultos infideles non priùs debere baptiſmo tingi, quàm per diligentem catecheſim examinati, fidei ſuæ rationem reddiderint, & non ſolùm conſentiant, ſed præterea requirant, ut ſibi baptiſmus adminiſtretur. De talibus qui poſt confeſſionem editam baptiſantur, etiamſi non adeò exactè omnia fuerint obſervata, non movetur difficultas; ſed de infantibus infidelium, qui ab hominibus Chriſtianis ad baptiſmum ſunt oblati. Cujus rei exempla ſunt non pauca, his præſertim temporibus, quibus detectis variis regionibus anteà incognitis, infidelium, planè à Chriſto alienorum, infantes abducti, Chriſtiano baptiſmo tincti fuerunt. De his quæritur, an fuerint capacia ſubjecta baptiſmi, cùm ad fœdus Dei non pertinerent, quandoquidem ex infidelibus Ethnicis, aut Mahumetanis orti erant? Reſpondetur ergò, vel infantes illi qui baptiſantur, invitis parentibus non ſolùm tingebantur, ſed etiam in eorundem poteſtate manebant. Tales non potuiſſe baptiſari, & baptiſmum iiſdem adminiſtratum, non fuiſſe ratum affirmamus; quia baptiſmus verus, requirit fœderatos quibus adminiſtretur: vel infantes illi à Chriſtianis capti fuerunt, & in ſervitutem addicti, aut eorundem pecuniâ empti; tum dicimus eodem jure potuiſſe iis baptiſmum adminiſtrari, quo circumciſio vernis vel emptitiis Abrahami ſervis. Proinde, ſi qui in infantia baptiſati fuerunt, procurantibus Chriſtianis, in quorum poteſtatem devenerant, baptiſmum eorum pro rato & valido habentes, non iteramus. Id autem præſumimus de omnibus, qui ex remotiſſimis locis in has oras advecti, baptiſmo fuerunt initiati: & ſic memini definitum fuiſſe in Synodis nationalibus Eccleſiarum Gallicanarum, & judicatum, non debuiſſe denuò baptiſari Africanos Mauros, qui è manibus Hiſpanorum vindicati, in noſtrorum poteſtatem venerant, quos non ſolùm ex nominis ratione, ſed aliis etiam argumentis conſtabat fuiſſe baptiſmo initiatos.

Alioqui liberi infidelium, quatenus & quamdiu parentes eorum manent infideles, in quorum adhuc poteſtate manent, eſſe alienos à fœderibus promiſſionum docet Apoſtolus, Epheſ. 2. ℣. 12. ideoque eatenus & tamdiu excluduntur à ſigno & ſigillo promiſſionum. Sed ſi advocentur aliundè legitimis modis, tum locus ipſis dabitur inter eos qui à Petro deſcribuntur Act. 2. ℣. 38. *Baptiſetur unuſquiſque veſtrùm in nomine Chriſti.* ℣. 39. *Vobis enim & filiis veſtris facta eſt promiſſio, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus.* Advocat autem variis modis, inter quos eſt is de quo nunc agimus, quo mirabili ſua providentia etiam ſaluti eorum, qui priùs erant extranei, conſulit. Per μακρὰν enim ὄντες, intelliguntur Gentes. Epheſ. 4 ℣. 17. Quò referri debet illud autoris de *vocatione gentium* apud Proſperum, lib. 2. cap. 8. *Aliquando filiis infidelium præſtatur hæc gratia, ut baptiſentur, cùm occultâ Dei providentiâ in manus piorum quomodocunque proveniunt.* Unde colligimus eam fuiſſe veteris Eccleſiæ praxim, ut baptiſarentur etiam infantes infidelium, ſed poſtquàm in piorum manus, id eſt, poteſtatem deveniſſent. Nec enim manentibus adhuc liberis ſub infidelium parentum poteſtate id licebat: etiamſi inter Pontificios reperiantur, qui ſtatuant infantes per vim eripi poſſe parentibus infidelibus, ut baptiſentur, quamvis alioquin in eorum poteſtate maneant. Sed à ſuis etiam refelluntur. Eccleſia enim de iis qui foris ſunt non judicat. 1. Corinth. 5. ℣. 12. Eſſet præterea periculum præſentiſſimum, ne baptiſati, in parentum infidelium poteſtate poſt baptiſmum relicti, per eoſdem ad nefariam apoſtaſiam impellerentur. Alia ratio eſt, ſi conſentiant parentes, tunc enim diſputari poſſet, an adminiſtrandus eſſet eorum liberis baptiſmus. Reſpond. difficultatem ceſſare, ſi conſentiant baptiſari ipſi parentes cum liberis, tunc enim cùm in fœdus adſciſcuntur, idem jus ſuis liberis acquirunt. Aliàs non videtur id faciendum, etiam conſentientibus parentibus, ſi ipſi maneant infideles, quia idem periculum, de quo ſuprà dictũ eſt, maneret; nec poſſunt.

filii eorum inter fœderatos haberi, propter conſenſum ad actum illum externum, ab eo factum qui finem baptiſmi vel non novit, vel non credit. Sed ſi ita conſentiat, ut jus educationis in Chriſtianum hominem lubens transfundat, ſpondeatque pro baptiſato vir pius, tum poterit adminiſtrari ſub hac conditione baptiſmus.

Ex his falſum eſſe conſtat quod nobis impingunt Lutherani nonnulli, *ſimpliciter* nos infantibus infidelium denegare baptiſmum. Cùm enim noſtri, quos citant, dicunt, non quoſvis infantes ſe admittere, neque Mahumetanorum liberos recipere, quia fœderis tabulis non comprehenduntur, id non eſt ſimpliciter negare baptiſmum infidelium liberis, niſi quatenus planè excluduntur à tabulis fœderis. Sed cùm advocantur à Deo, alia eſt ratio, ut diximus; dummodo poteſtas plena maneat Chriſtianis ſuſceptoribus. Hoc autem noſtro tempore, præſertim in hiſce regionibus, in quibus locum non habet ſervitus propriè dicta, quia ſervi noſtri mercenarii, ſunt verè liberi; magna eſt adhibenda cautio, ne Sacramentum profanetur ab iis qui jugum excutere poſſunt cùm ipſis lubet. Certè ex ipſis Lutheranis ſunt, qui negant infidelium liberos prius eſſe baptiſandos, quàm catechumeni facti fuerint, & fidem Chriſtianam profeſſi. Sic Hunnius de Sacram. cap. 11. pag. 193. Hoc idem Beza dixit, quæſt. 120. ubi tamen non dicit abſolutè ſe non recepturum infantes Mahumetanorum & Judæorum, ſed ſe non id facturum *temerè*, quod adverbium omiſit Gerhardus Theologus Jenenſis, in recitanda Bezæ ſententia, ne ſcilicet contra Bezam diſputans, ſe ipſum refelleret. Aſſerit enim ipſe, non ſolùm non recipiendos eſſe infantes, qui ſub poteſtate infidelium parentum adhuc manent, ſed ne hæreticorum quidem illorum qui palàm proteſtantur, ſe liberos in poteſtate patria ſibi relictos, in hæreſi illa educaturos eſſe.

Imò rectè reſpondet ex ſenſu noſtrorum, non ideò eſſe parem omnium infantum rationem, quia ſunt omnes obnoxii peccato originali, unde quidam ſtatuunt pariter omnes eſſe baptiſandos. Quia ſemper illud diſcrimen inter eos manet, quod *quidam in Eccleſiæ gremio & pomœriis, quidam extra Eccleſiam nati ſunt*; ad illos autem pertinet promiſſio, *Ero Deus tuus & ſeminis tui*, hi verò *ſunt immundi*. 1. ad Cor. 7. ℣.14. illis ſtatim patet aditus in infantili ætate ad baptiſmum; ad hos verò quandiu nec ipſi, nec parentes ipſorum religionem Chriſtianam amplectuntur, nec Dei promiſſio, nec fœdus gratiæ, nec baptiſmus pertinet. Hæc ille. Mendacem memorem eſſe oportet. Solent iſti homines in eo Pontificiis juncti, calumniam nobis impingere, quod cum Pelagianis συγκρητίζοντες negamus infantes, ſaltem fidelium, cum peccato originali naſci, nobiſque contrarium dicentibus & ſcribentibus, etiam invitis, hanc obtrudere volunt ſententiam. Nuſquam autem apud noſtros hæc verba reperient: imò Pontificii diſputant adverſus nos, poſt baptiſmum nullas manere peccati originalis reliquias, quibus verè peccati nomen tribui poſſit, contrariam nobis tribuentes ſententiam, quam etiam agnoſcimus noſtram eſſe, ſi naturam illius peccati ſpectemus, non reatum, & pœnam. Quomodo igitur fieri poteſt ut in infantibus ante baptiſmum negemus originale peccatum, qui ne quidem poſt baptiſmum ejus carentiam eis adſcribimus, quin potiùs cum Auguſtino dicimus, *manere actu, etſi tranſierit reatu?* Qua ratione etiam retunditur Lutheranorum calumnia. Utrique tam Pontificii, quàm Lutherani inde occaſionem ſumpſerunt, quod dicimus fidelium liberos eſſe ſanctos ante baptiſmum, imò eam eſſe cauſſam cur ad baptiſmum admittantur, quod non fieret, ſi planè immundi eſſent. Sanctitatem autem aliam non intelligimus præter eam, quam ipſi Lutherani agnoſcunt ad baptiſmum neceſſariam, quod in Eccleſiæ gremio & pomœriis nati ſunt, & ad eos pertinet promiſſio, *Ero Deus tuus & ſeminis tui, &c.*

Ad hanc quæſtionem de ſubjecto, pertinet determinatio ſexus eorum qui circumcidendi erant; nam inſtitutio ſolos maſculos obligat, mulieres autem non ligat, neque etiam lex primogenitorum. Nec tamen fœminæ propterea extra Dei fœdus cenſebantur, etſi in carne ſua, fœderis Dei ſignum non haberent. Sed quia in viris activum eſt, ut loquuntur, generationis & propagationis hominum principium, quo tranſmittunt corruptionem in poſteros, ſignum ideò obtinuit in præcipuo ſexu, ita ut tamen fœminæ viris fuerint annexæ, & in iis cenſerentur, qui familiarum capita debebant eſſe. Hìc tamen Pontificii, qui putant circumciſionem datam fuiſſe in remedium peccati originalis; vel ex opere (ut vocant) operato, vel alio modo, pro confeſſo ſumunt, fuiſſe etiam neceſſarium aliquod externum medium quod fœminis applicaretur, ut à naturali corruptione purgari poſſent; de quo, cùm Scriptura nihil dicat, inde inferunt, fuiſſe nonnulla neceſſaria ad ſalutem, ſi non omnium, tamen multorum, quæ in veteri Teſtamento non fuerunt ſcripta: per traditionem ergò non ſcriptam innotuiſſe Iſraëlitis, proinde non in omnibus ad ſalutem neceſſariis debuiſſe iis contentos eſſe, quæ in Scripturâ habentur. Hoc argumento utuntur plerique Pontificii, quod Becanus magni facit; & tamen ineptiſſimum eſt. Nam ut reſpondeamus, 1. notandum eſt totum inniti falſa ſuppoſitione, nempè quod peccatum originale propriè per actum illum circumciſionis, tanquam per aliquod externum remedium tolleretur. Nuſquam enim hoc Scriptura dicit. Nam etſi verum ſit, circumciſionem fuiſſe ſigillum juſtitiæ fidei, non tamen ipſa juſtificabat tanquam cauſſa phyſica, ſed tantùm ut cauſſa moralis ſignificabat operationem divinam qua juſtificat Deus fœderatos ſuos. Si autem dicant, ſaltem aliquod ſignum fuiſſe fœmellis neceſſarium ut maſculis, hoc ipſis probandum eſt. Quod cùm non faciant, eſt

ſecunda

ſecunda ſuppoſitio falſa quam aſſumunt. Et certè id non poſſunt, vel ratione generali probare, vel exemplo ſpeciali. Non ratione generali, quia gratia Dei nunquam fuit ſignis alligata, quæ etſi quando ſunt inſtituta, ſunt reverenter uſurpanda, ubi tamen non habentur, non ceſſat effectus divinæ benignitatis erga ſuos. Ad ſpecialem autem rationē quod ſpectat, non poſſunt Pontificii, neq; ex aliqua traditione Iudaica, etſi traditionibus etiam Judæi multum tribuant; neque ex praxi Synagogæ, neq; ex ulla traditione Chriſtiana, expiſcari aliquod tale remediū, quod olim fœmellis fuerit applicatū. Quod certè ſi fuiſſet, nullo modo credibile eſt, rem adeò ordinariā & frequentem, planè obliterari potuiſſe ejuſque uſum prorſus aboleri.

Nam, cum inter Scholaſticos agitata fuerit quæſtio, non ſolùm de ſalute fœmellarum, ſed etiam de ſalute omnium infantium, ante circumciſionen inſtitutam, qui fide ſua ſervari non poterant, cujus non erant capaces: item, de ſalute eorum qui poſt inſtitutam circumciſionem ante octavum diem incircumciſi moriebantur; Etſi nonnulli fuerint qui propter defectum talis remedii eos omnes à regno cælorum excluſerint, additis etiam rationibus quas ad id efficaciſſimas putarunt; id tamen maximæ ſuorum parti probare non potuerunt, qui ſententiam illam rigidam & crudelem rejecerunt. Auguſtinus olim, nimium tribuens neceſſitati baptiſmi externi, contra Pelagianos, exiſtimavit etiam infantibus ante circumciſionem, neceſſarium fuiſſe aliquod fidei ſacramentum. Itaque lib.5. contra Julianum cap.11. dicit, credendum non eſſe antiquos Patres nullo ſacramento opitulatos fuiſſe infantibus, *quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa, ſcriptura latere voluerit.* Hanc ſententiam ſequuti ſunt non pauci, qui neceſſarium judicarunt, ab hominibus applicari infantibus meritum Chriſti, non ſolum per modum, ut loquuntur, *ſuffragii*, ſed etiam per modum *ſacramenti*; Quapropter cenſuerunt neque parvulos ante circumciſionem, neque fœminas poſt circumciſionem ſalvari potuiſſe, niſi per ſignum externum, etſi nobis ignotum.

Aliter olim judicarunt, Gregorius 4. Moral. cap.3. alias 2. *Quod vero*, inquit, *apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii.* Beda lib.4. in Luc. cap.8. ad illa verba cap.2. *Poſtquàm conſummati fuerunt dies octo, &c.* Ubi ita ſcribit, *Nam qui vel ante tempora circumciſionis, vel etiam poſt datam circumciſionem ex cæteris gentibus extitere fideles, ut exemplar patientiæ Iob, & amici liberique illius, ſive victimis hoſtiarum ſe ſuoſque ab originali peccato, ſeu certè ſola fide ſalvabant.* Eadem habent Bernardus, & Hugo de ſancto victore; Ille Epiſt.77. *In nationibus*, inquit, *quotquot inventi ſunt fideles, adultos quidem fide & ſacrificiis credimus expiatos, parvulis autem etiam ſolam fidem parentum profuiſſe, imò ſuffeciſſe credimus.* Hic autem, lib.1. de Sacram. part.12. cap.2. *Porrò*, inquit, *fœminæ in populo circumciſionis, ſola fide ſalvabantur, ſacrificiis & oblationibus, aliiſque ceremoniis purificatæ: ipſam quoque circumciſionem fide ſuſcipientes: & in eis qui carnem illam ſuſceperunt, venerando participantes. Maſculi qui morte præventi, ad octavam diem pervenire non potuerunt & ob hoc, ſine circumciſionis ſacramento ab hac vita receſſerunt: ſole fide parentum, cum oblationibus & ſacrificiis intervenientibus, non improbabiliter ſalvati exiſtimantur.* Hæc ille.

Hæc ſententia etiam multos Scholaſticos autores habuit, quorum agmen ducunt Thomas & Bonaventura, cum aliis quos citat Vaſquez Tom.2. in 3.part. Thomæ. diſput. 165. cap.3. Ubi etiam poſt alios contendit, *ſolam fidem interiorem ſine exteriori ſigno, ante baptiſmum inſtitutum profuiſſe.* Proinde tale ſignum non fuiſſe neceſſarium, *cum nec ipſa circumciſio fuerit neceſſaria ad juſtificationem parvulorum.* Imò cap.5. reſpondens ad loca ex Auguſtino allata, ubi *ſacramentum aliquod fidei*, non ſolùm *fidem* videtur requirere, reſpondet, Auguſtinum non intellexiſſe ſignum externum juſtitiæ quod aliquo modo eſſet pro ſacramento, vel pro adultis, vel pro parvulis, qualis eſt baptiſmus, ſed myſterium abſconditum & decretum fidei, hoc eſt virtutem & energiam illius ad juſtificandum.

Hic autem valdè ſe torquent, ut explicent qua ratione per alienam fidem infantes juſtificati & ſalvati fuerint. 1. quærunt, an ex habitu fidei qui in parentibus fuit, proceſſerit hic effectus? 2. an neceſſarius fuerit ſingularis actus fidei, quo parentes fidem ſuam parvulis applicarent? 3. An qui infantes ita Deo offert, habitum fidei habere debeat charitate formatum, vel potius an poſſit in peccato mortali exiſtens, fidem ſuam parvulo applicare? & an fides illa per modum meriti juſtificet, vel ex opere operato? An infidelis tunc temporis ſi parvulum obtuliſſet cum intentione faciendi quod fidelis & Eccleſia faciebat, juſtificatus fuiſſet parvulus? Et hoc nonnulli affirmant. Alii etiam abſurdiora, quæ omnia expendere non opus eſt. Hoc tantùm quia certum eſt à veteribus nonnullis Theologis, ut audivimus, parentum fidem fuiſſe propoſitam, tanquam ſupplentem externi ſacramenti defectum, quomodo id intelligi debeat, & qua ratione concedi?

Alphonſus Toſtatus Abulenſis in cap. Matth. 25. quæſt. 677. vult filios fidelium, ante circumciſionem, ſtatim à peccato fuiſſe liberatos, eo ipſo quo naſcentes erant filii fidelium, quod alio modo intelligi nequit, niſi quia abſque ulla alia actuali fidei applicatione ſalvarentur. Quam ſententiam ad veritatem proximè accedere cenſemus, quæ etiam iis non laborat incommodis quibus aliæ gravātur, de fide formata vel informi, de merito fidei, de opere operato, &c. Nam certè, ſi fides vel formata vel informis, neceſſario debuiſſet applicari infanti, ad merendam juſtificationem vel de merito, vel de congruo, valdè dubia fuiſſet infantium ſalus, ab

applica-

applicatione dependens humana, de qua ſi parentes non cogitaſſent, actum fuiſſet de ipſorum fœlicitate. Et ſi illorum ſententia locum habeat, qui requirunt ut parentes non fuerint in peccato mortali, ſed in gratia, periculum adhuc majus fuit infantibus. Fons abſurditatis in eo eſt, quod exiſtimant applicationem meriti Chriſti vel venturi, vel exhibiti, fieri non potuiſſe à Deo, nec jam poſſe per ejus conſtitutionem, niſi præeunte applicatione per *opus operatum*, ut vocant, vel per *opus operantis*. At talem conſtitutionem probare non poſſunt, quæ falſa eſt. Noſtri certè, inter quos venerabilis Beza, in reſponſ. ad acta colloquii Montisbelgardenſis, concedunt infantibus ita tribui fidem alienam, quæ in ipſis non eſt, ut tamen pro ſua in illis ex Dei pacto cenſeatur. Fidem autem intelligunt eam qua parentes non ſibi ſolis, ſed ſuis quoque poſteris, æternæ in Chriſto vitæ jus, Deo ſemper relictis particularibus in hac diſcernenda ſobole judiciis, per Dei miſericordiam receperunt. Nempè quæ innititur promiſſioni divinæ, *Ero Deus tuus & ſeminis tui.* Juxta quam Apoſtolus, *Si radix ſancta, etiam & rami; ſi primitiæ ſanctæ, ergò & maſſa.* Talis autem fides non conſideratur, velut applicans gratiam promiſſam huic vel illi filio dum naſcitur; ſed tanquam acceptans promiſſionem pro ſe ipſo & exinde naſcituris. Hinc eſt quod ſi parens moreretur poſt conceptionem infantis, quo tempore nondum ei actu potuit fidem applicare, infans tamen naſceretur ſanctus ex vi promiſſionis. Imò ſi parens carens vera fide, eam tamen profiteatur, & in externo Eccleſiæ cœtu pro fideli habeatur, aut olim habitus fuerit, ſub veteri Teſtamento, infantes ex talibus naſcentes erant fœderati, & promiſſionis participes. Quia etiam promiſſio acceptata fuit à parentibus majoribus, in gratiam naſcituræ poſteritatis, cui non præjudicat immediati parentis incredulitas, aut hypocriſis, quandiu infans incredulitatem & hypocriſim parentis imitari non poteſt. Faceſſere ergò debet doctrina de merito fidei, cujus vi fiat juſtificatio. Non enim fidei meritum reſpicitur, ſed *apprehenſio*. Ut in civilibus, ſi quis nobilitatem gratis à principe delatam acceptet ſibi & poſteris, non acceptationis merito tribui debet poſterorum nobilitas, ſed liberalitati donantis, etſi non ſine acceptatione deceſſoris.

Mirum eſt autem Papiſtas hìc tantoperè urgere fidei parentum meritum, quod ad juſtificationem liberis applicetur; non poſſe autem pati, meritum capitis applicari membris, eiſque tribui & imputari, etiam cùm ipſa membra illud ſibi applicant per fidem apprehenſum, non eſt enim major conjunctio, non tanta liberorum cum parentibus, quanta eſt membrorum cum capite. Non tamen volumus, fidem parentum ita applicari liberis, ut per ejus dignitatem liberentur & juſtificentur, tanquam per formalem juſtitiam; ſed eatenus tantùm, ut impetret illis eam benignitatem & miſericordiam, quam Dominus promiſit poſteritati juſtorum. Proinde tota vis ex promiſſione oritur, & in executione, à virtute divina proficiſcitur, quicquid accipiunt liberi fidelium, qui in ſe & natura ſua, iræ filii naſcuntur, etſi propter gratiam ab ira liberentur. Qua diſtinctione evaneſcit calumnia de Pelagianiſmo intentato, iis qui de ſanctitate infantium ex fidelibus natorum ex Scriptura loquuntur. Nec conſiſtit objectio, de neceſſaria traditione ſub veteri Teſtamento de Sacramento, ſive de remedio externo, quo fœmellæ gratiæ participes factæ fuerint; quod ne quidem recipit ſaniorum Pontificiorum dogma, ut probavimus.

Hactenus de ſubjecto. Tempus autem in infantibus fœderatis, tam ingenuis, quàm ſervis, fuit conſtitutum, poſt dies octo. In infantibus dico, nam alioquin Abraham ipſe ſenex circumciſus eſt, & ſervi ejus adulti. Neque ulla habebatur ætatis ratio in iis qui ex alienigenis ad Iſraëlitas accedebant. Sic omnium ætatum Sichemitæ circumciſi fuerunt. Sed in hoc tempore, infantibus recens natis præfixo, duo quæruntur. 1. Cur octavus dies, potiùs quàm alius, electus fuerit? 2. An licuerit in aliquo caſu, eum diem antevertere? vel circumciſionem ulterius differre? Ad primam quæſtionem, ſufficere poteſt inſtituentis voluntas. Multi tamen rationes proferunt, quas excogitarunt, quarum hæc prima nobis videtur potiſſima; Cùm vellet Deus, quod etiam convenientiſſimum erat, ut quamprimùm fieri poſſet, poſteri Abrahami in populum ſuum ſigno illo & quaſi teſſerâ inſignirentur, elegiſſe octavum diem potiùs quàm alium, propter nimiam infantium ante illum diem teneritudinem & infirmitatem, propter quam, niſi expectatum fuiſſet aliquod tempus quo cõfirmarentur, periculum fuiſſet, ne ex dolore & cruciatu in vitę diſcrimen adducerentur. Non ante diem octavum ſatis eſſe confirmatos infantes ex eo conjici poteſt, quod Plutarchus in problematibus ſeu quæſtionib. Romanis, quæſt. 12. ait, ſeptimam diem infantibus eſſe valdè periculoſam, eò quod in ea decidat umbilicus. Adverſus hanc cauſam non facit, quod Deus etiam in prioribus diebus poterat impedire, ne quid noxæ aut læſionis adferret circumciſio. Non enim voluit Deus in eo actu, perpetua patrare miracula. Quæ aliæ afferuntur tam à Chriſtianis, quàm à Judæis, etſi ingenioſè excogitatæ, ſoliditatis multùm non habent. Ut quod ad allegoriam refugientes, ſeptem diebus notatam fuiſſe volunt vitam præſentem; octavo die juſſiſſe Deum infantes circumcidi, ut oſtenderet meditandam quidem fuiſſe carnis mortificationem toto vitæ curſu, ſed non niſi poſt ejus finem compleri. Vel quod octavus dies præſignificarit Chriſtum octavo die reſurrecturum, quam rationem perpendit Auguſtin. lib. 16. de Civit. Dei cap. 26. & poſt eum alii multi. Sed non puto aliquam fuiſſe ſpiritualem ſignificationem in octavo die; alioquin Abrahamus & cæteri, qui circumciſi fuerunt poſtquàm ad ſenectutem pervenerant, caruiſſent illa ſignificatione, & eorum circumciſio imperfectior fuiſſet aliorum circumciſione.

circumciſione. Eadem ratio facit, ut quod Judæi afferunt non mihi magis probetur, expectatum fuiſſe octavum diem, ut interim ſabbatum præteriret, quo fœtus ſanctificaretur. Superſtitioſum enim eſt putare, dies vim habere hominis ſanctificandi, cùm potiùs homines dies ſanctificent. Propiùs ad verum accedunt alii ex Judæis, ideò expectatum fuiſſe diem illum, quod ſit ille primus dies quo infans exit à generali membrorum debilitatione, in qua erat exiens ab utero; quæ ratio cum ea quam primam adduximus, coincidit. Hanc autem tanquam probabiliſſimam ponimus, quia cùm nulla in Scripturis fuerit expreſſa, non poſſumus aliquid explorati & certi, ſine temeritate præſcribere.

Quod ſpectat aliam quæſtionis partem, ſentimus cum iis qui nullo prætextu judicant antevertendum fuiſſe tempus à Deo præfixum. Nulla enim poteſt excogitari neceſſitas, propter quam inſtitutio divina ſit infringenda. Nam quod nonnulli de infantium ſalute periclitante cauſantur, id falſo fundamento innititur, quo putarunt eorum ſalutem circumciſioni fuiſſe affixam, quæ ſuppoſitio ex ſuperioribus ſatis fuit eliſa; quibus, ex ipſorum Pontificiorum placitis effecimus, præſtò fuiſſe infantibus gratiam divinam, tanquam fœderatis, & ſanctis ramis ſanctæ radicis, ut non opus fuerit propterea eos in vitæ periculum adducere.

Nec certè exemplum aliquod proferri poteſt hujus facti, ex ſacra hiſtoria; nec etiamnunc Judæi circumcidunt liberos ſuos ante octavum diem, etſi eos videant in periculo mortis, ſed ſi ante octavum diem moriantur, eos in cœmeterio primùm ante foſſam ſepulchralem circumcidunt, ſic tamen ut circumciſioni eorum preces nullæ addantur, ut autor eſt Buxtorfius, Synag. Judaicæ cap. 2. quæ pertinent ad recentium Judæorum ſuperſtitiones. Sed ad circumciſionis dilationem quod ſpectat, facilior eſt reſponſio. Habemus enim ex ſacra Scriptura non ſolùm ad aliquot dies dilatam, ſed etiam planè intermiſſam fuiſſe circumciſionem in deſerto, per annos quadraginta. Quibus exactis, debuerunt Judæi, tranſmiſſo Jordane, intermiſſam circumciſionem repetere: non quidem circumciſos iterùm circumcidere, quod nonnulli ſtultè putarunt, ſed generationem illam quæ circumciſa non fuerat, hoc ſigno notare. Nec putandum eſt id factum fuiſſe, nempè quod tamdiu omiſſa fuerit circumciſio, ſine diſpenſatione divina. Alioqui nunquam hoc paſſus fuiſſet Moſes, ſaltem indicaſſet (ut aliàs facit) Deum ea re fuiſſe offenſum. Sed tum diſpenſavit Deus cum populo ſuo, quia tum nullum ei dabatur quieſcendi ſpatium, quod tamen circumciſis neceſſarium erat ob vulneris dolorem. Pepercit ergò Deus populo ſuo, *& iis qui ſicut nati ſunt, in præputio fuerunt, nec eos in via aliquis circumciderat.* Joſue 5. ℣. 4. Ex illius rationis analogia benè deduxerunt etiam ipſi Judæi, non circumcidendum eſſe infantem die octavo, ubi manifeſtum eſſet periculum, nempe vel ægritudinis ob extraordinariam debilitatem, vel ſimilis alicujus incommodi. Quod enim de Sabbato dixit Dominus, Marc. 2. ℣. 27. *Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbatum*, idem de circumciſione dicendum eſt. Quæ propterea cedere debuit neceſſitati, vel periculo vitæ hominis. Hinc videntur regulam illam ſumpſiſſe Judæi, quam recitat Buxtorfius eodem loco; *Illo die, qui nebuloſus eſt, & illo quo ſubſolanus flat, circumciſionem non eſſe adminiſtrandam, quemadmodum non eſt exercenda phlebotomia.* Sed ſunt Judaicæ ſpeculationes. Non igitur differenda fuit propter dierum & ventorum diſcrimen, ſed tantùm propter neceſſitatem & periculum imminens; expectandum igitur erat donec infans ita eſſet affectus, ut vulnus illud perferre poſſet.

Diſputant nonnulli ſatis acriter, ſed parum prudenter, de inſtrumento quo debuit peragi circumciſio. Buxtorfius ubi ſuprà dicit, cultellum circumciſionis fuiſſe ex materia ſcindente quęcunque eſſe poſſet, ideoque ex lapidibus, vitro & ligno. Judæos verò communiter cultellos acutiſſimos è ferro fabricatos adhibere, qui novaculis, qualibus chirurgi uti conſueverunt, ſimiles ſunt. Et certè cùm de cultellorum aut inſtrumenti materia nihil præſcriptum fuerit, non dubito liberum fuiſſe uti ea quæ magis eſſet ad manum, & quæ aptior judicaretur. Magiſter ſentent. lib. 4. diſt. 1. vult, circumciſionem fieri debuiſſe *cultro lapideo:* & ei favere videtur Auguſtinus, lib. 2. de grat. Chriſti cap. 31. ubi circumciſionis *cultellum petrinum* fuiſſe dicit. Et Bernardus, Sermone 1. de circumciſione dicit, *Chriſtum non repuliſſe cultrum lapideum, in quo ſolo vetus illa quæ raderetur, rubigo non fuit.* Huc referunt quod Exod. 4. ℣. 25. *Tulit Sephora acutiſſimam petram.* Sic enim habet vetus interpres, & Joſue 5. ℣. 2. *Fac tibi cultros lapideos.* Quæ verſio ſi propria ſit & apta, vicerunt certè, qui ſunt in ea quam diximus ſententia. Saltem hoc evicerunt, potuiſſe etiam circumciſionem fieri cultro lapideo. Sed ad id neceſſarium fuiſſe, nec ferro aut chalybe fuiſſe utendum, nunquam probabunt. Neque etiam neceſſarium eſt de lapideo cultro intelligere allata loca; quia vox Ebræa צר *tſor*, aut צור etiam de gladio ferreo aut chalybeo dicitur: ut Joſue 5. ℣. 2. intelligendum cenſent viri docti, gladios petrinos pro *acutis*. Igitur צר *tſor*, erit epithetum gladii aut novaculæ, quia ad lapidem acuuntur. Sic Targhum ad illum Joſue locum, interpretatur *novaculas acutas.* Et Pſalm. 89. ℣. 44. *avertiſti* צר tſor, *petram gladii*, pro *aciem gladii*. Sed res non eſt tanti, ut propterea litigandum ſit, & de ea dabitur alibi dicendi locus.

De duratione, verſ. 13. ſic legimus, והיתה בריתי בבשרכם לברית עולם vehajeta beriti bibſarkem librit olam, *Et erit fœdus meum in carne veſtra in fœdus perpetuum.* Abutuntur hoc loco Judæi, ut probent vigere debere circumciſionem omni tempore, proinde non jure à nobis omitti, quod perpetuum eſſe debuit.

Nos contrà, non ſolùm omitti poſſe circumciſionem poſt Chriſtum exhibitum dicimus, ſed id prętereà cum Paulo ad Galat. 5. ℣. 2. *ei qui circumciditur Chriſtum non profuturum.* Nec opus eſt apud Chriſtianos id pluribus probare; qui cùm de eo mota eſſet quæſtio, Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano definierunt, circumciſionem non eſſe ampliùs neceſſariam. *Quidam deſcendentes de Iudæa docebant fratres, quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moſis, non poteſtis ſalvari,* verſ. 5. Act. 15. *Surrexerunt quidam ex ſecta Phariſæorum qui crediderant, dicentes, quod oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moſis.* Definitio tandem habetur ℣. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, &c.* Hinc Apoſtolus, Galat. 5. ℣. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam, ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Quo loco agebat Paulus, non ſolùm de gentibus ad fidem converſis, ſed univerſaliter de omnibus, tam gentibus, quàm Judæis. Et certè cum circumciſio inter alia etiam hoc fine fuerit inſtituta, ut hunc populum, in quo & ex quo naſciturus eſſet Meſſias, ac penes quem uſq; ad Meſſię adventum futura erat Eccleſia, & publicum docendi miniſterium, ab aliis gentibus viſibili nota diſtingueretur; nunc poſt adventum Meſſiæ, poſtquam τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ ſolutum eſt, Epheſ. 2. ℣. 14. & *factum eſt unum ovile & unus paſtor* credentium omnium ex Judæis & gentibus, Joan. 10. ℣. 16. ipſam circumciſionem ſublatam eſſe oportet. Addimus, à Chriſto fuiſſe inſtitutum Sacramentum analogum, ſignificatione conveniens, facilius & efficacius, quod certè conveniens non fuiſſet inſtitui, niſi circumciſio debuiſſet abrogari.

Ex his refellitur Judæorum pertinacia, quæ tamen ex eo procedit, quod Meſſiam veniſſe negant; ſi enim id faterentur, etiam circumciſioni finem impoſitum fuiſſe fortaſſe non negarent, nec poſſent, ſi Chriſto fidem adhiberent: ideò Chriſtum, quem tamen verbis profitebantur, abnegaſſe ex eo probamus veteres hæreticos, Cerinthianos, Ebionitas, Samoſatenum, & Nazarenos, de quibus teſtantur hæreſeologi, quod circumciſionem retinuerint, tanquam neceſſariam. De Æthiopibus Chriſtianis referunt Chytræus in lib. de Eccleſ. oriental. & Damianus à Goës lib. de Æthiopum moribus, apud eos non ſolùm mares, ſed etiam fœminas circumcidi, antequàm baptiſentur. Dicunt tamen in confeſſione ſua, quam Damianus à Goës ſuæ narrationi interſeruit, *ſe non gloriari ob circumciſionem, nec etiam cæteris Chriſtianis ſe ob id nobiliores putare, vel Deo acceptiores, apud quem nulla eſt acceptio perſonarum.* Ubi addunt, *Circumciſio noſtra immunda non eſt, ſed lex & gratia data patri noſtro Abrahæ eſt, quam à Deo tanquam ſignum accepit, non ut propter circumciſionem ſalvus fieret, aut filii ejus; ſed ut ipſi filii Abrahæ à cæteris nationibus dignoſcerentur: & id quod ſymbolo circumciſionis latenter oſtenditur, eximiè ſervamus, nempè ut corde circumciſi ſimus.* Quæ tamen poſtrema verba oſtendunt, eos circumciſionem etiam hoc tempore uſurpare, tanquam ſignum circumciſionis cordis, quod certè excuſari non poteſt; ex quo etiam patet, vanam eſſe illorum excuſationem, qui id ab Æthiopibus fieri dicunt, ſtudio Chriſtum imitandi. Aliam ipſi rationem afferunt, quia pater eorum Abraham fuit circumciſus; ubi intelligunt ſe eſſe ex poſteritate Abrahami, etiam carnali, & exiſtimare, ſignum illud diſcretivum Abrahami poſterorum & aliarum nationum adhuc perdurare. Quapropter non poteſt ullo colore ritus ille Æthiopum, hoc tempore, à ſuperſtitionis culpa abſolvi.

Nec etiam inter Pontificios à temeritatis nota, qui etiamnum judicant, *poſſe ritum circumciſionis inter Chriſtianos obſervari, ſi major pars orbis conſentiret.* Sic enim Nic. Cuſanus Cardinalis, in lib. de concordantia Catholica; & alter Cardinalis Cajetanus, in 3. quæſt. 37. artic. 1. inclinat in eam ſententiam, *Non malè facturum, imò potiùs benè, illum qui utetur circumciſione, non tanquam legali cæremonia, ſeu remedio peccati originalis, ſed propter conformitatem ad Chriſtum: rem enim illam indifferentem reddi bonam ex fine bono.* Quam ſententiam alii meritò improbabilem dicunt, nos falſam & abſurdam; quia in circumciſione nemo poteſt imitari Chriſtum, niſi qui eam ſuſcipiet ut legalem cæremoniam, ſic enim à Chriſto fuit uſurpata. Nec tamen abſurdus debuit videri vel Cuſanus, vel Cajetanus, aliis Pontificiis; quia etſi malè cenſuerint, ſi principia Chriſtianiſmi ſpectemus, non abſurdè tamen, ſi Papiſmi principia, quorum illud unum eſt à Cardinale Baronio ſubſtratum velut fundamentum, anno Chriſti 58. ſect. 78. *benè conſultum fuiſſe, & ſicut neceſſariò ita & piè effectum, ut conſecrarentur vero Dei cultui, quæ à ſuperſtitione gentilium uſurpata fuerant.* Nam quod de ritibus gentium dicit, alii etiam ad ritus Judaicos referunt, ſublatâ tantum ſignificatione venturi Chriſti: unde eſt quod ſe etiam multa ſervare, quæ ſub Judaiſmo fuerunt inſtituta, non inficias eunt; ſed quia id faciunt, ut quidem loquuntur, fine diverſo, ſatis ſe abſolutos putant. Idem judicabant, qui de uſurpanda circumciſione conſilium inierunt. Utrique certè aut pari jure excuſandi, aut damnandi, tanquam *ſepulchri violatores, mortuas* non ſolùm, ſed etiam *mortiferas* revocantes *ceremonias.*

Ad argumentum Judæorum ex hoc loco, diſtinguendum eſt inter fœdus ipſum gratiæ, & ceremoniam circumciſionis, inter ſignum & rem ſignificatam. Si fœderis ſubſtantiam ſpectemus, negari non debet fœdus fuiſſe ſempiternum, idque ſumendo æternitatem, pro duratione nunquam intermittenda. Senſus ergò poteſt eſſe, *Erit fœdus meum in carne veſtra, in fœdus perpetuum,* id eſt, fœderis ſignum circumciſio erit in carne veſtra, in ſignum æterni fœderis quod vobiſcum ſancio. Atque ita nulla erit controverſia de fœderis æternitate.

æternitate. Item dicendum de circumciſione ſpirituali, quæ etiam ſignificati partem facit, eſt enim perpetua fœderi adjuncta conditio, ut corde ſit circumciſus, qui particeps futurus eſt beatitudinis. Quod ſi quis pertinaciter affirmet, durationem perpetuam adſcribi non ſolum rei ſignificatæ, ſed etiam ſigno quod portabant in carne ſua, ut ſit ſenſus, erit ſignum hoc in carne veſtra, tanquam fœderis ſignum perpetuum; tum neque ſic obtinebunt durationem ſine intermiſſione. Nam ut benè animadvertit Galatinus, de Arcanis Catholicæ veritatis lib. x I. cap. 5. Ebraica vox עולם *olam*, non ſolùm talem durationem ſignificat quæ finem non habeat, ſed etiam ſæpè durationem continuam longioris alicujus temporis, ab una periodo ad aliam. Quo ſenſu *perpetuũ*, dicitur pro continuo, id eſt, pro eo quod quamdiu durat, nunquam interrumpitur. Sic apud Ovid. Metam. I.

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen,

Id eſt, quod ſine interruptione & continuo filo ad mea uſque tempora deducatur, finiendum tamen quando eo uſque venerit. Sic perpetua oratio dicitur, quæ non interrumpitur, etſi abſolvatur. Sic *Dictator, Imperator* perpetuus, non qui ſucceſſorem non habet, ſed qui talis manet dum vivit. Hoc ſenſu fœdus circumſionis fuit perpetuum & continuum in illo populo, quamdiu ſervandum fuit. Sæpè enim עולם ſignificat non quidem durationem non finiendam, ſed longam, quæ finem non capiat niſi in aliqua rerum converſione notabili, qualis fuit in mutatione circumciſionis & Leviticarum ceremoniarum, mutato ſacerdotio. Sic I. Reg. 8. Salom. Templum à ſe ædificatum, appellat locum in quo Deus erat habitaturus עולמים *olamim*, in ſecula: Et Rabbini בית עולמים *beth olamim*, appellarunt eandem ædem, poſtquam tabernaculum fixum habuit locum. Sæpè etiam recurrit quod ſervus poſtquàm ſe domino mãciparit poſt ſex annos, quibus reſtituebatur ipſi libertas, *erit* domino ſervus לעולם in ſeculum, aut perpetuò: Quod tamen intelligi debet uſque ad annũ Jubilæi, tunc enim *debebat egredi cum filiis ſuis, ut rediret ad familiã ſuam, & in poſſeſſionem patrum ſuorum regrederetur.* Levit. 25. ℣. 41. Sic etiam intellexit autor Midraſch. in Deut. apud Galat. loco citato, *Ibi dicitur olam*, id eſt, *cunctis diebus ſeculi Domini, uſque ad Iubilæum, etiamſi emptus eſſet trigeſimo, vel quadrageſimo anno ante Iubilæum.* Ibidem ſimilia multa ex aliis Rabbinis profert. Hanc vocis עולם ſignificationem genuinam eſſe hoc loco, probatur ex eo, quod aliunde multa ſuppetunt argumenta pro circumciſionis abrogatione.

Quod vero citant ex cap. Eſai. 52. verſ. I. ubi de Ieruſalem dicitur, *non perget invadere te amplius præputiatus & immundus.* Si de Sion propriè accipiatur, nihil ad rem facit, quia promiſſio eſſet, gentes non amplius civitatem Ieruſalem invaſuras; quod tamen cum eventu non reſponderet. Si ad Eccleſiam teſtamenti novi referatur, præputiatus & immundus, opponitur mundo & circumciſo, ſed ſpirituali munditie & circumciſione, *cujus laus ex Deo eſt*, ut ait Apo. Rom. 2. Id textus circũſtantia oſtendit. Nã ſi *Sion* ſpiritualiter accipiatur, ſimile judicium debet fieri de circumciſione & munditie. Sed inſtant ex cap. Ezech. 44. verſ. 8. conjungi utramque circumciſionem carnis & cordis. *Nullus filius alienigena incircumciſus corde & incircumciſus carne ingredietur ſanctuarium meum.* Ergo utrumque ſub N. Teſtam. erit neceſſarium. Reſp. ibi nondum agi de reſtauratione Eccleſiæ ſub Novo Teſtam. ſed de inſtauratione Templi Hieroſolymitani poſt captivitatem ſolutam. Idcirco nihil ad rem facit. Neque poſſet, ſi ſpiritualiter intelligeretur, circumciſio carnis ad litteram accipi, niſi quis etiam templum Hieroſolymitanum, & ſacrificia legalia vellet reſtaurare. Ergo vocibus & ritibus antiquis, & antiquatis, deſignaret analogum Novi Teſtamenti cultum. Ex quo nihil ſequeretur in eorum gratiam qui circumcidi vellent.

Afferebant olim hæretici, *Circumciſionem non eſſe ex Moſe, ſed ex Patribus*, Ioan. 7. verſ. 22. Unde inferebant, aliam rationem eſſe ceremoniarum quæ per Moſem datæ fuerant; aliam earum quæ ante Moſem apud Patriarchas in uſu fuerant. Sed hoc verum non eſt ſi abrogationis cauſam ſpectemus, quæ utriſque communis eſt. Et quamvis circumciſio ante Moſem data fuerit, tamen inter ritus Leviticos à Moſe traditos poſtea fuit inſerta, quorum fuerat ſpecimen aliquod antecedaneum, quare abrogata lege Moſis ad quam obligabat, abrogata etiam fuit circumciſio.

Non tamen idcirco putandum abrogatam fuiſſe, quaſi res mala fuiſſet & à malo principio inſtituta, ut Manichæi calumniabantur, quos ideò refellit Auguſt. lib. 6. Contra Fauſt. Manich. cap. 2. Et Encratitæ apud Clement. Alexand. lib. 3. Stromatum. Sed I. quia inſtituta fuit ad certum tempus, nempe pædagogiæ & pupillatus Iſraëlitarum, quo tranſacto ceſſare debuit, anteà utilis, poſteà non inutilis ſolùm, ſed pernicioſa futura. 2. Quia N. Teſt. aliis ſacramentis & facilioribus conſtare debuit. 3. Quia cum Meſſiam ex Abrahami ſemine naſciturum præſignificaret, exhibito Meſſia, ceſſare debuit ſignum rei præſentis. 4. Quia cum diſtingueret populum Iſraëlis ab aliis gentibus, ſublata & diruta macerie, ſignum diſtinguens & divellens, aboleri debuit. Addimus etiam, quod Chriſtus effuſo ſanguine proprio, omnia ſacrificia in quibus ſanguis animalium effundebatur abolevit, & cruentæ ſimiliter circumciſioni, baptiſmum ἀναίμακτον, ac ſpiritualem circumciſionem ſubſtituit.

Exercitatio LXXXIX.

Explicatio verſ.14. cap.17. de circumciſionis neceſſitate. Auguſtini ſententia. Quam Bellarminus refellit. Alii tuentur. Noſtrorum variæ de hoc loco expoſitiones. Subjectum propoſitionis exquiritur. LXX. addiderunt ad textum, & Auguſtino errandi anſam præbuerunt. Chamieri ſententia examinatur, privatio nemini fraudi fuit, extra propriam culpam. Expenduntur rationes contrariæ. Vera ſententia argumentis confirmatur. Quodnam fuerit pœnæ genus, quid exciſio, pluribus declaratur. Bielis & qui eum ſequuntur ſententia, refutatur; & argumentis eorum fit ſatis.

Exercitationem hanc dabimus circumciſionis neceſſitati, & explicabimus verſum XIV. de quo quia ſententiæ variant, ea nobis erit eligenda, quæ ad analogiam fidei magis congruit, & minimis gravatur incommodis. Sic autem legitur in textu Ebræo, וערל זכר אשר לא-ימול את-בשר ערלתו ונכרתה הנפש ההיא מעמיה את בריתי הפר: *Vearel zakar, aſcher lo jimmol eth beſar orlatto venichreta hanephes hahij meammeha eth berithi hephar.* Quæ ad verbum ſic reddidit Benedictus Arias. *Et præputiatus maſculus, cum non circumcidetur caro præputii ejus, & excidetur anima illa de populis ſuis, fœdus meum irritum fecit.* Vulgata editio, *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Nec alii interpretes diſſentiunt, niſi quod Pagninus & Junius, לא-ימול activè verterunt, *non circumciderit*, cum alii paſſivè maluerint, *non circumcidetur*; vel *non circumciſa fuerit caro, &c.* Hic tria ſunt expendenda, 1. deſcriptio ſubjecti ſive perſonæ, 2. comminatio contra tale ſubjectum, 3. ratio comminationis.

In deſcriptione ſubjecti, etſi vox univerſalis initio non addatur, & propoſitio ſit indefinita, plerique tamen eam repetunt ex dictis, eamque etiam arceſſunt ab enumeratione anteà facta verſibus præcedentibus, in quibus omnes maſculi, familiæ Abrahami, tam ex ipſius ſemine, quam alienigenæ, emptitii aut vernæ, jubebantur circumcidi. Nec id in dubium vocari poteſt, quin ſubjectum intelligi debeat ſecundum factam diſtributionem. Quæſtio eſt tamen, an comprehendantur in hac comminatione, & pœnæ ſubjaceant, de qua dicemus, qui ad annos diſcretionis non pervenerint, id eſt, ſi omnes carentes circumciſione poſt octavum diem hic comprehendantur, an ſoli capaces præcepti, atque ita, an de contemptu, an vero de mera privatione, hic agatur?

Auguſt. lib. 17. de civit. Dei cap. 27. hunc locum comparat, cum alio ex Evang. Ioannis, quem intelligit de baptiſmo, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei*, ut oſtendat in utroque loco Deum parem tribuere efficaciam circumciſioni & baptiſmo; remiſſionem peccatorum nempe & juſtificationem; quia alterutrius carentia, privabat hominem tali bono. Res quidem ipſa, ſi efficaciam utriuſque ſpectemus in ſe, vera eſt. Conferebat enim Deus in circumciſione remiſſionem peccatorum, eadem ratione qua eam confert in baptiſmo, ut ſupra à nobis expoſitum fuit. Sed hæc paritas in ea re, aliunde probari debuit, quam ex incommodo amiſſionis ſalutis, quod ex utriuſvis carentia accidere perperam putavit Auguſtinus, nec ſanè tale argumentum ad eam rem probandam, à noſtris objectum fuit adverſariis. Negamus enim, defectum baptiſmi aquæ infantium fœderatorum ſalutem impedire; nec adverſarii omnes infantes abſque circumciſione poſt octavũ diem mortuos, auſi ſunt adjudicare gehennæ.

Idcirco Bellarminus, contra Auguſtinum de eo diſputat, ejuſque argumentum toto conatu refellit; lib.2. de Sacram. in genere, cap.17. Contra, Auguſtini cauſam tuentur non ſolum Pontificii quidam, ut Suarez in 3. quæſt. 61. diſp. 5. artic.3. Sectionis quintæ. Leonardus Marius, in hunc locum, ſed etiam ex noſtris nuperrimè ὁ μακαρίτης Chamierus, Panſtrat. Catholicæ Tomo 4. lib.3. de Sacram. cap.2. Ubi non ſolùm hoc largitur, ſed etiam pro viribus probare conatur, infantes qui poſt octavum diem moriebantur incircumciſi, damnationi fuiſſe addictos. Quam ſententiam videtur hauſiſſe ex Calvino in hunc locum. In quo certè cogimur, vi veritatis, ut nobis quidem perſuaſum eſt, ab iis diſſentire, cum Petro Martyre, qui infantem æterno damnationis ſupplicio haud puniri cenſuit, ſi ſacramento, ſuo tempore, à ſuis curatoribus non fuerit initiatus, ſed ſi ætate adultus neglexerit. Idem etiam Tremellius & Junius judicarunt, quorum verba ſunt, *præputiatus mas, ſi adultus circumciſionem negliget, aut à parentibus neglectam approbabit, &c.* Imò doctiſſ. VVhitakerus in Prælect. de Sacram. cap.3. utitur hoc loco, ut oſtendat, non privationem circumciſionis, ſed ejus contemptum fuiſſe peccatum; & inde inferat, ſi in V. Teſtam. ſervari homines potuerunt ſine ſacramentis, in novo etiam poſſe, quia non durius agit nobiſcum Deus, quam cum illis egit. Vis argumenti ejus in eo ſita eſt, quod cauſa exciſionis quæ in comminatione additur, iis ſolis convenire poteſt, qui capaces ſunt præcepti, illudque ſua culpa poſſunt irritum reddere. Beza quæſt. de Sacram. 146. in eadem fuit ſententia. *Si*, inquit, *id de excluſione ab ipſo fœdere ſalutis æternæ accipias, iſtud quod ſubjicitur,*

tur, Nam fœdus meum ſubvertit, *oſtendit hoc intelligendum eſſe de ſolis iis qui ſcientes, prudentes, aut negligentia circumciſionem fuerunt aſpernati.* Guilelmus Perkinſus in tractatu de Sacram. baptiſmi, *ſententia eſt*, inquit, *quicunque homo in pueritia ſua non fuerit circumciſus, ſi ad annos diſcretionis & ſcientiæ pervenerit, & tum circumciſionem reſpuerit, illius anima è ſuo excindetur populo. Quare hoc dictum de adultioribus loquitur, nō de infantibus, qui fœdus infirmare nequeunt.*

Hanc eandem ſententiam, etſi diſſimilem ob cauſam, aſſeruit Bellarminus, ut diximus; allatis etiam quibuſdam argumentis, quæ communia habet cum noſtris qui eandem telam texuerunt. Nos verba expendemus, & ſenſum ger[illegible]num ex iis inveſtigabimus, relictis iis quæ ad rem non faciunt, & perpenſis objectionibus, aut etiam reſponſionibus eorum qui contra ſentiunt.

Primo, nulla eſt in his verbis difficultas וערל זכר *vearel zacar*, & præputiatus maſculus. Nec poſſumus aſſentiri Perkinſo, qui in loco ſupra citato, vult vocem Ebraicam *zacar*, non infantem ſignificare ſed adultum hominem, ſi id intelligat ex vi vocis, non ex loci & circumſtantiarum ratione. Nam eſt vox ſexum ſignificans. An vero de maſculo adulto, vel infante hic intelligenda ſit, ex circumſtantiis videndum erit.

Auguſtinus permotus fuit, ut eam ad infantem reſtringeret, quia uſus eſt vulgata editione latina, quæ ex græco LXX erat expreſſa; in qua ſic legebatur citatus locus. *Et incircumciſus maſculus, cujus non circumcidetur caro præputii die octavo, peribit anima illa*, &c. Ubi Bellar. In octava die, ſunt addita à Græcis, non enim habentur in codicibus Ebraicis, nec in paraphraſi Chaldaica, nec in vulgata latina editione. Porrò ob illa duo verba, *die octava*, Auguſtinus coactus eſt, locum exponere de parvulis, ac dicere Deum minari pœnam parvulis, carentibus circumciſione. Hæc ille. Reſpondent alii, verba illa non malè à LXX fuiſſe repetita ex præcedentibus, cum ea Legiſlator ipſe ſpeciatim in eis, qui deinceps circumcidendi erant expreſſerit. Chamierus quidem fatetur additionem illam fieri non debuiſſe, ſed inde nihil vult deperire de vi argumenti, quia ſcriptura laxanda non eſt vel diſtrahendus ejus cōtextus; Id autem fieret. Cum enim manifeſtiſſimum ſit, ſanciri uſum circumciſionis, qui erat propriè ut celebraretur octavo die nativitatis, oportuit hunc uſum proprium in ſanciendo contineri. Et poſt citata Suareſii idem ſentientis verba, ſanctionem, nempe, reſpicere omnes tam adultos quam infantes, cum ſit indefinita æquivalens univerſali, hæc addit, *Scilicet egregiam legis rationem dabunt, qui dicant, circumciditor omnis maſculus, tum adultus tum infans octo dierum; intereatque non circumciſus adultus, ad infantem autem, nulla pars pœnæ pertineto. Quis ſanus probet?* Reſpondemus, neminem ſanum improbaturum, ſi comminatio aut pœna dicatur iis tantum competere, quos textus circumſtantiæ ponunt in culpa. Et verum non eſſe indefinitam propoſitionem hic æquivalere univerſali, quaſi de omni maſculo tam adulto quam infante intelligi deberet, quia quæ tribuuntur reo, infantibus adſcribi non poſſunt.

Statuebat Deus 1. ut circumcideretur omnis maſculus in familia Abrahami, & talis qualis tum ibi deprehendebatur, ſive 99. annorum, ut ipſe Abraham; ſive pauciorum, ut ſine dubio fuerunt tot illi ſervi quibus uſus eſt in bello Gen. 14. verſ. 14. 2. Ut poſt hoſce jam circumciſos adultos, deinceps regulariter & ordinariè circumcideretur maſculus omnis, octavo poſt nativitatem die. Huic ſtatuto agnoſcimus hanc addi comminationem quæ ſequitur, *Incircumciſus maſculus, qui non circumciderit carnem præputii ſui*, &c. Sequitur poſteà, *Et tulit Abraham Iſmael filium ſuum, tunc XIII annorum, & tulit omnes natos domus ſuæ*, &c. nempe ſeipſum morigerum præbens Domini mandato, & alios etiam ad eandem obedientiam adducens, vi etiam ipſius comminationis de qua dictum eſt: Quam ideò voluit dominus adjicere, quia difficile fuiſſet alioquin, adultis hominibus perſuadere ut mutilationem illam & præciſionem, quæ ſine dolore acerbiſſimo fieri non potuit, paterentur; niſi gravioris jacturæ metu, puta vitæ aut præſentis, aut etiam æternæ perculſis. Ex quo jam intelligere promptum eſt, maledictionem comminationi adjectam, iis deſtinatam fuiſſe qui annos diſcretionis aſſecuti eſſent, in quibus potuerunt doceri de autore, inſtitutione, cauſſis & effectis circumciſionis, ipſique vel eam perere & ſibi procurare, aut eam rejicere & negligere. Talium animæ de populo debuerunt exterminari.

In quibus etiam ponimus eos qui octavo die poſt nativitatem ſuam non fuerunt circumciſi, ſed ita ut ipſi, poſteaquam ad annos diſcretionis perveniſſent, convinci poſſent culpæ neglectus aut rejectionis, non anteà, cum neque bonum neque malum intelligere poſſent, Deut. 1. 39. vel inter dextram ſuam aut ſiniſtram diſcernere, Ionæ 4. verſ. 11. Proinde, non abſque cauſſa inter infantes & adultos in hac comminatione diſtinctionem urgemus, quæ benè obſervata ſcrupulum adimit, qui certè alioquin etiam eos urgebit, qui rigidiores videri volunt, ut poſteà oſtendemus.

Id certè, quicquid contra dicant, non eſt de nihilo, quod etiam obſervat Chamierus, adverſus eos qui dicunt comminationem reſpicere parentes, qui infantes ſuos non curant circumcidi octavo die, non agi in toto illo textu de circumcidente, ſed de circumciſo, quod tamen ita intelligendum eſt, ut negari non poſſit mandatum dirigi ad eum, qui poteſt curare circumciſionem ſuam, qui ideo dicitur *circumcidere carnem præputii ſui*, quia facere id dicitur, quod per alium facit. Etſi ergo non propriè agatur de miniſtro circumciſionis, agitur tamen de eo, qui in circumſione ſua aliquid facit,

facit, nempe qui procurat & conſentit, &c. Idcirco dicebat Deus verſ.11. *Circumcidetis carnem præputii veſtri.* Quo etiam referuntur verba verſus hujus אשׁר לא־ימול *aſcher lo jmmol*, qui non circumciderit, carnem præputii ſui. Eſt enim futurum kal, à radice נמל *namal*, non autem *Niphal* à מול *mul*. Proinde recta eſt interpretatio Pagnini, quæ eadē eſt Tremellii & Junii. *Hæc*, inquit Cajetanus, *litera dupliciter legitur. Quidā legunt circumciſionem paſſivè, ut habet vulgata. Alii verò activè, videlicet, qui nō circumcidet carnem præputii ſui. Vtra harum verſio vera ſeu verior ſit, incertum eſt. Secunda tamen lectio valdè quadrat, tū rationi, tum literæ.*

Ejus rei argumēta profert eadem, de quibus nobis erit agentum. Primum & præcipuum illud eſt, quod in fine verſus dicitur is, *fœdus Dei irritum feciſſe.* Ubi eidem tribuitur actio culpabilis, cui anteà attributa fuerāt culpabilis illa carentia. Unde ſequitur activè etiam accipienda eſſe verba præcedentia. Id quidem vidit Calvinus, & medelam adhibere conatus eſt his verbis, cum dicit, *non eſſe nimis urgendam hanc vocem, ſed tenendam eſſe antitheſim, quod ſicuti Deus in Patris perſona filium infantem adoptat, cum repudiat pater tale beneficium, dicitur infans ſe abdicare ab Eccleſia.* Sed pace tanti viri, non eſt eadem ratio. Non enim adoptatur infans propter meritum patris, ſed propter Dei fœdus in quod pater fuit admiſſus; ergo non debet reijci infans propter patris demeritum. Nec etiam ipſe pater excluſus erat à fœdere propter negligentiam ſuam, etſi id mereretur, potuit enim pœnitere. Quæ igitur ratio fuiſſet, infantem in populo Dei natum, propterea damnare? Nam quod Marius reſpondet Bellarm. *non habere majorem difficultatem in pacto circumciſionis inito cum Abraham, quam in pacto prohibitionis de non edendo arbore ſcientiæ boni & mali*, id fortaſſe verum eſſet, ſi Abrahamus ſibi & ſuis pactum illud neglexiſſet: quia primus fuit cum quo Deus pepigit, & omnes poſteri Abrahami in ipſo recipiebātur, tanquam in parente communi: At probari non poteſt eandem eſſe rationem aliorum parentum. Nec enim poſt Adamum, peccant in parentibus liberi. Adde, quod in Adamo tranſgrediente eramus omnes. Infans autem octo dierū nō eſt in parente, nec proinde in eo peccare poteſt. Itaque magna eſt diſſimilitudo. Certè ubi eadē pœna alibi denunciatur propter eandem rationem ſpreti verbi Dei, neminem poteſt reſpicere præter eum qui actu peccat ipſe. Sic Num.15. verſ.30. *Anima quæ fecerit elata manu Iehovam afficit probro, excinditor illa anima è medio populi ſui.* Additur ratio, *Quia verbum Iehovæ ſprevit, & mandatum ejus irritum fecit.* Idem videmus in omnibus locis ab ipſo Chamiero citatis Exod. 12. *Quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Iſraël.* Levit.19. *Quia ſanctum Domini polluit, &c.* Quibus omnibus in locis, pœna denunciatur ei qui capax erat præcepti, illudque propria culpa tranſgrediebatur. Audacius itaque vir doctus, adverſus expreſſa textus verba, contra omnes tam Græcorum quam Latinorum verſiones, ſententiam illam activam, *fœdus meum irritum fecit*, mutat in paſſivam, *fœdus meum irritum factum eſt.* Nam quod ille ex Grammatica Bellarmini affert, cap.4. non raro uſurpari tertiam perſonam verbi activi in paſſiva ſignificatione, ut Gen. 16. *vocavit puteum*, id eſt, *puteus vocatus eſt*; hic locum habere non poteſt. Tunc enim ſic reſolvitur tertia perſona activi verbi, cum certæ perſonæ nō fit mentio, atque ita æquivalet imperſonali, *vocavit*, ſupple *quiſque*, vel *vocans*, quod aptè reſolvitur per imperſonale *vocatum eſt.* Hoc autem loco agitur de certa perſona irritante Dei fœdus, nec poteſt imperſonaliter intelligi, quod dicitur *irritum fecit.*

Altera ratio adverſus ſententiam, quæ pœnæ adjudicat infantem, propter meram privationem poſt octavum diem, deducitur ab abſurdo & incommodo, quod etiamnum ſequeretur. Nam tum certè neceſſarium eſſet cum Auguſtino morti adjudicare infantes ſine baptiſmo externo morientes, ſiquidem utrobique eſt fœderis ſignum, quo contempto, contemnitur fœdus ipſum, fitque irritum. Quemadmodum enim vult doctiſſ. Chamierus, *quia omnes infantes in damnatione ſunt, huic autem damnationi remedium oppoſitum eſt fœdus circumciſione ſancitum, ſequi eum qui hanc circumciſionem non habeat damnari quod non habeat, ſive ſuo ſive alieno vitio*, ſic enim loquitur; Eadem prorſus erit conſequentia adverſus infantes Chriſtianorum. Sunt enim omnes infantes natura ſua ſub condemnatione, cui oppoſitum eſt fœdus gratiæ, quod per baptiſmum ſancitur eodem modo quo olim per circumciſionem. Ergo qui baptiſmum non habebit, ſive ſuo, ſive alieno vitio, damnabitur. Nulla poteſt dari diſſimilitudinis ratio.

Imò valebit etiam dura hæc ſententia, adverſus omnes infantes, etiam qui mortui ſunt ante octavum diem, quod tamen noluit Calvinus, nec voluit Chamierus. Si enim damnantur qui non habent, illi certè non habuerunt, proinde damnationi fuerunt obnoxii. Limitari ergo debet conſequentia quam urget à *ſigno ad rem ſignificatam*, neque enim verum eſt univerſaliter, ſigni carentiam inferre carentiam rei ſignificatæ, ſed tantum carentiam culpabilem, ex negligentia vel contemptu carentis. Quod cum ille de baptiſmo concedat non ſolùm, ſed etiam contendat & probet, mirum eſt cur hoc loco ſigni neceſſitatem tantoperè urgeat. Certè argumenta omnia quæ affert lib.5. de baptiſmo cap. 10. eo tendunt ut oſtendat, fœdus divinum ab externo ſigno non pendere. Imò ibi, de ipſa circumciſione agens ſect. 17. carpit Pontificios, exiſtimantes neminē ſervari potuiſſe aut jam poſſe abſque externo remedio. Cui opponit, Dei gratiam abſque externa ope ſuis animabus providere. Quod cum veriſſimum ſit, cur arcet à ſalute infantes ante uſum rationis morientes in populo Dei, ſine ſua ulla culpa?

Hæ ſunt

Hæ ſunt igitur rationes, cur non poſſimus duræ huic cautioni ſubſcribere, & de infantibus Iſraëlitis mortuis poſt octavum diem, etſi incircumciſis, præceptum illud intelligere, niſi hac ratione, ſi cujus circumciſio in infantia à parentibus fuit neglecta, & ille poſteà adultus eam omiſit; tunc enim *filius fuit præcepti*, ut loquuntur Ebræi, proinde culpa ei tum imputabatur, quam ſuam fecerat, ut ex Ebræis obſervat doctiſſ. Mercerus.

Supereſt jam ut dicamus de ipſa pœna comminationi addita, quænam illa fuerit? ונכרתה הנפש ההיא מעמיה *venicretha hannepheſch hahij meammeha*, ad verbum, *Et exſcindetur anima illa de populis ſuis*. Quæritur quid in ſacra Scriptura ſibi velit hic loquendi modus? Gabr. Biel in 4. ſentent. diſtinct. 1. quæſt. 4. artic. 2. *Vbicunque*, inquit, *in Scripturis ponitur hoc verbum, delebitur aut peribit de populo ſuo, denotatur interitus ſalutis & mors æterna*. Hæc verba Bielis probat noſter Chamierus, eaque ratione confirmat; *Non dicit abſolutè peribit, ſed peribit de populo ſuo, & ſic indicari mortem æternam perſuaſum habeo. Quia is populus non erat quilibet; ſed is cujus ſe Deum profitebatur omnipotens, & intra cujus terminos concludebatur hoc pactum*. Quare exiſtimat ſenſum eſſe, talem ita exterminandum eſſe de populo ſuo, ut nulla pars eſſet ejus populi qui pertinebat ad Deum, quo modo qui in Eccleſia Chriſtiana excommunicatur, habetur tanquam Ethnicus & publicanus, & corporalem ſeparationem conſequitur privilegiorum omnium, quæ Eccleſiæ data ſunt, æterna privatio.

Bellarminus intelligebat, non æternam pœnam, ſed temporalem, vel aliquam excommunicationis ſpeciem. Piſcator, allatis etiam aliis expoſitionibus, ut eorum qui ſignificari putant deletionem nominis & poſteritatis, vel qui ad civilem excommunicationem referebant, tandem pronunciat nullam iſtarum expoſitionum genuinam eſſe, percipi poſſe ex conſideratione locorum Scripturæ, ubi locutio hæc, *exſcindi ex populis ſuis*, uſurpatur; ex quibus intelligitur ſic indicari ſupplicium capitis. Id maximè putat declarari, Levit. 20. ℣. 18. his verbis; *Is qui cubaverit cum muliere languente è fluxu, & retegens nuditatem ejus, profluvium ejus nudaverit, ipſaque retexerit profluvium ſanguinis ſui, exſcinduntor ambo è medio populi ſui*. Nam in aliis id genus legibus quæ ibidem recenſentur, reſolvitur hæc locutio in propriam, *morte afficitor*, ut videre eſt verſ. 2. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 16. Itaque exiſtimat, pœnam capitalem fuiſſe decretam his verbis, adverſus eum qui ex ſemine Abrahami exiſtens, circumciſionem rejiceret, aut volens negligeret. Et certè Deus in diverſorio voluit per Angelum Moſem occidere, eò quod tamdiu filium ſuum incircumciſum reliquiſſet. Exod. 4. ℣. 24. Et Levit. cap. 17. ℣. 4. non poteſt aliter accipi quàm de morte temporali, eaque violenta, quod dicitur de eo, qui non obtuliſſet Domino ſanguinem animalis occiſi in caſtris, vel extra caſtra. *Sanguinis*, inquit, *reus erit, quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui*. Quod de ſalutis æternæ amiſſione accipere durum eſſet; nam potiùs afficiebatur ſupplicio temporali, ut per pœnitentiam partem haberet in futuro ſeculo. Nam reum ſanguinis fieri, ac reputari ſanguinem alicui, eſt cenſeri dignum cujus fundatur ſanguis, & ſic extermınetur de populo ſuo, id eſt, ex hac vita, non amplius inter populares ſuos victurus. Id autem fieri potuit duplici modo; nam talem pœnam exigere poterat Deus per hominem alium, pronunciatâ in judicio ſententiâ capitali; vel per ſe ipſum, quandocumque & quomodocumque ipſi videretur. Hoc ſecundum videtur innui, ejuſdem cap. Levit. verſ. 10. ubi de eo qui comederet ſanguinem dicebat Deus, *Ponam faciem meam iratam contra eum ipſum qui comederit ullum ſanguinem, & exſcindam eum è medio populi mei*. Certè talibus locis, *reum eſſe ſanguinis*, & ſic *perire de populo ſuo*, ac ſi quis fudiſſet ſanguinem, inſinuat eam mortis pœnam quæ violenta eſt. Quo ſenſu intelligitur, quod alicujus ſanguis ſit ſuper ipſum, caputve ipſius, Levit. 20. ℣. 9. &c. id eſt, quod dignus ſit morte, vel interficiendus, vel ſibimet cauſa mortis. Tales minæ leguntur in comedentem fermentatum ſeptem diebus azymorum, Exod. 12. ℣. 15. In polluentem Sabbatum, Exod. 31. ℣. 14. & 15. ubi mors, & de medio populi perire conjunguntur. Cujus animadverſionis exemplum extat Num. 15. ℣. 35. & 36. in eum qui collegerat ligna die Sabbati, qui juſſu Dei morte affectus eſt. Eadem decernitur in eum qui pollutus ederet de carnibus pacificorum hoſtiæ oblatæ Domino. Levit. 7. ℣. 20. & 21. Similes adduntur, Levit. 17. in eos qui abominandos concubitus exercerent, cap. 18. ℣. 29. qui darent de ſanguine ſuo Moloch, ubi etiam genus mortis violentæ determinatur per lapidationem, ℣. 6. cap. 19. & alibi ſæpè.

Quapropter non probari ſententiam Bielis & eorum qui eam ſequuntur, *exciſionem è populo ſuo* ſemper intelligi de morte æterna. Nam quod Chamierus vim facit in adjectione ad exciſionem, nempè *è populo ſuo*, non evincit quod vult. Alibi enim ubi hoſtibus populi ſui minatur ruinam & excidium, ut Ezech. 25. ℣. 7. hæc omnia conjungit, *exſcindere è populis, perdere è regionibus, profligare, &c.* quæ de æterna pœna intelligi non debent; quamvis non ſit negandum, eam etiam ſequi in impœnitentibus. Sed non ſignificatur immediatè hac phraſi. Cenſeo igitur phraſim illam immediatè deletionem, vel mortis violentæ pœnam ſignificare. Sed quemadmodum *mortis* ipſum nomen, ad varia transfertur per ſimilitudinem, nolim etiam negare, pro ratione locorum, hac phraſi aliquando mortem propriè intentari, aliquando mortem civilem, aliquando Eccleſiaſticam, aliquando etiam mortem ſecundam & pœnas æternas. Hoc loco, ubi agitur, ut diximus, propriè de contemptoribus fœderis divini,

illudque irritantibus, neſcio an poſſit intelligi de pœna mortis per judicem infligenda; quia nullum tale exemplum in Scriptura reperitur, nec apud Judæos id in uſu fuiſſe videtur. Ut de pœna mortis à Deo infligenda intelligamus, obſtare etiam videtur, quod non legimus, ullos incircumciſos fuiſſe à Deo morte affectos in illo populo, hoc excepto, quod de Moſe dictum eſt. Probabiliſſimum mihi videtur, ut de exciſione ex Eccleſia viſibili accipiatur, ex qua cùm juſtas ob cauſſas facta eſt, ſequuntur omnes miſeriæ temporales & ſpirituales. Cum iis ergò ſentimus, qui tales habitos fuiſſe tanquam excommunicatos ex verbis hiſce colligunt, ita ut in cœtum Domini non admitterentur, quod magnum erat præjudicium contra eorum ſalutem, nî tandem eos pœniteret negligentiæ aut contemptus. Itaque in ratione peccati illius, & ſtatus ex eo conſequentis, à Chamiero non diſſidemus; in eo tantùm, quod id ex phraſi vult colligere, quaſi hoc ſemper ſignificaret. Nos non ex phraſis proprietate, ſed ex tranſlata ſignificatione pro loci circumſtantia. Ut paucis dicta contraham, negamus Iſraëlitarum infantes, qui ante diſcretionis annos moriebantur, reos fuiſſe fœderis divini neglecti aut infracti: fatemur omnes Judæos, qui poſt diſcretionis annos, extra neceſſitatis cauſam non curarunt ſe circumcidi, à repub. Iſraëlis fuiſſe alienos, & in ſtatu damnationis quandiu non reſipuerunt.

EXERCITATIO XC.

Ratio mutationis nominis Sarai. *Promiſſio de filio ex Sara. Riſus Abrami, audito oraculo, qualis. Abſolvitur à peccato, & rationes afferuntur. Quid* vivere coram Deo? אבל abal *particulæ ſignificatio. Impoſitio nominis Iſaaco, priuſquam naſceretur. Enumerantur quibus idem accidit, & exquiritur num inter eos Samſon poni debeat? Differentia inter Iſaacum & Iſmaëlem conſtituta. De circumciſionis miniſtro diſſertatio. Non eandem eſſe rationem in eo, Sacramentorum novi Teſtam. & veteris; neque ex circumciſione à privatis & mulieribus facta, idem ſequi de baptiſmo poſſe fieri.*

Verſu xv. & ſequentibus, narrat Moſes promiſſionem de propaganda Abrahami ſobole, per Saram uxorem ſuam, tunc effœtam vetulam. Ad quam præparatio facta eſt, 1. per mutationem nominis, quam ſequuta eſt à parte Dei expreſſa promiſſio, à parte autem Abrahami, ℣. 17. promiſſionis illius grata ſuſceptio, & pro Iſmaële filio votum. In qua poſtrema parte verſatur præcipua, quæ in hoc loco eſt, difficultas; reliqua enim per ſe ſunt ſatis perſpicua, niſi quis fortè quærat, quęnam ſit ratio mutationis nominis in Sarai. Benè monet accuratiſſimus Mercerus, non agi de mutatione anteà facta, cùm nempè marito fuit nomen mutatum, ut ſimul cum mutatione nominis & dignitatis viri, uxor ejuſdem fieret particeps. Quia Deus loquitur in futuro, & ad ea etiam quæ futura erant, reſpicit, etſi ab eodem fonte à quo mutatio in Abrahamo facta, quod futurus eſſet pater multitudinis. Nunc enim declarat Saram participem futuram ejuſdem boni, & in ea ſe impleturum, quod anteà quidem Abrahamo promiſſum, potuiſſet ad Iſmaëlem referri, non ad aliam novam ſobolem. שרי *Saraj*, deductum eſt nomen à verbo שרה *ſarah*, quod ſignificat, *principem egit*, aut *principatum obtinuit*. Litera jod in fine, vel eſt affixum pronomen, vel nominis proprii formativa. Si affixum ſit, Sarai idem erit quod *princeps mea*. Si ſit formativa nominis proprii, *principem* ſimpliciter ſignificabit. Litera autem ה *he*, adjecta loco jod rejectæ, deſumpta erit ex nomine המון *hamon*, multitudinis; ut ſit *Sarah*, princeps multitudinis, quemadmodum Abraham dictus fuerat pater excelſus multitudinis. Hanc notationem ſequitur Piſcator, quam aliis præfero. Leve enim videtur, quod notat Junius, nomen Sarai fuiſſe formæ Chaldaicæ, quam Deus, ſignificatione non mutatâ, voluerit redigi ad Ebræam formam. Promiſſio enim quæ ſequitur mutationem, majus aliquid indicat. Non eſt extra rem quod alii volunt, differre nomen Sarai, à Sarah, ut relatum & abſolutum, ut illa quæ princeps dicebatur alicujus familiæ, deinceps abſolutè princeps fuerit appellata, quia ex ea oriri debuerunt nationes & reges. Sed hæc etiam habent ſuam relationem, quæ manifeſta eſt in notatione quam prætulimus, in qua litera ה eſt nota nominis המון *hamon*, multitudinis, quia futura erat mater multarum gentium, quod additur, ℣. 16. *Et erit in gentes.*

Ut autem explicet qua ratione id facturus fuerit, ne quis putaret id referendum eſſe ad progeniem aliquam adoptivam, cujus propagatione Sara futura eſſet mater tot populorum, expreſſè promittit, נתתי ממנה לך בן nathatti mmimena leka ben, *dabo tibi ex ea filium*, cui etiam poſteà nomen imponet ex occaſione. Hac promiſſione audita, *cecidit Abraham ſuper faciem ſuam, & riſit; dixitque in corde ſuo, Numquid centenario naſcetur proles, & an Sara nonagenaria pariet?* Addidit ℣. 18. *Utinam Iſmaël vivat coram te.* Vulgata editio verba illa *in corde ſuo*, ad utrumque refert, nempè ad riſum & ad dictum; ſic enim habet, *& riſit in corde ſuo, dicens, &c.* Hinc occaſionem nonnullis præbuit quærendi, quis ſit riſus cordis, & otioſa multa confingendi. In textu Ebræo, ſub verbo ויצחק *vajjitſchak*, & riſit,

& riſit, eſt accentus diſtinctivus athnac. Itaque de riſu propriè dicto verbum eſt intelligendum, non ſolum de interno cordis motu. Dixit autem in corde ſuo, hoc eſt, apud ſe cogitavit. Hæc cogitatio, juncta riſui, & voto pro Iſmaële, non paucos interpretes induxit, ut ſequius judicarent de hoc Abrahami facto, & anxiè laborarent de eo conciliando cum teſtimonio quod tribuit Paulus fidei Abrahami in hac cauſa, Rom. 4. ℣. 18. 19. 20. & 21. *quod contra ſpem ſub ſpe credidit, ut fieret pater multarum gentium, &c.* Et ne quis hoc ad primã & generalem promiſſionem referat, de genere ipſius propagando in immenſum, manifeſtiſſimè ad hanc hiſtoriam reſpexit Apoſtolus, *Abrahamum*, inquiens, *minimè imbecillem fide, non reſpexiſſe ſuum ipſius corpus jam emortuum, cum centum circiter natus eſſet annos, nec vulvam emortuam Saræ: Adverſus promiſſionem Dei nõ diſceptaviſſe infidelitate, ſed robuſtum factũ fuiſſe fide, tributa Deo gloria, ac plenè perſuaſum habuiſſe quod promiſerat, poſſe etiam facere.* Quæ omnia eam fidei Abrahami laudem tribuunt in hoc negotio, quæ ab omni dubitatione fuit aliena.

Fuerunt nihilominus inter veteres Eccleſiaſticos ſcriptores, qui etſi agnoverint fidem Abrahami tandẽ ſuperaſſe omnem diffidentiã, initio tamen nutaſſe, neque dubitant in hoc facto eum peccati reum agere, Chryſoſtomus, Hieronymus, & alii: quorum prior etiam refert captivitatem poſteritatis Abrahami in Ægypto ad hoc infidelitatis peccatũ, ut loquitur. Rationes eorum deſumuntur à riſu Abrahami, quaſi hæc verba tanquam ridicula & abſurda excepiſſet, præſertim, quia addidit interrogationẽ, qua totum hoc negotium velut impoſſibile viſus eſt traducere voluiſſe. Huc etiam refertur promiſſionis repetitio ℣. 19. אבל *verè, uxor tua pariet tibi filiũ:* Videtur enim hoc additum, quia non poterat ſibi perſuadere hoc verè futurũ. Et certè, niſi obſtaret teſtimonium Apoſtoli, maximam probabilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, quæ pro hac ſententia adducuntur. Non poteſt eludi Pauli aſſertio, diſtinctione illa, initii & finis, quam nonnulli afferunt, quia Paulus diſertè negat eum fuiſſe imbecillem fide, *aut reſpexiſſe vulvam emortuã Saræ*; quod non eſſet veritati conſentaneũ, ſi locus daretur alicui infidelitati aut dubitationi in præcedẽtibus verbis. Nam neceſſariũ eſſet ad illa omnia Abrahamum reſpexiſſe, quę Apoſt. negat ipſi in mentem veniſſe, ut ea opponeret veritati divinæ. Abrahamũ igitur malim, cum pluribus, ab omni peccato abſolvere, non ſolũ infidelitatis, ſed etiam *animi vacillantis*, quem ipſi alioqui tribuunt, qui tamen extremam illam ſententiam nõ probant. Præter Pauli ſententiam, quæ nobis pro oraculo eſſe debet, ipſe textus indicat riſum Abrahami, nõ fuiſſe profanum aut deriſoriũ, ſed ex ſancto gaudio profluxiſſe, & intimo benedictionis divinę ſenſu: Itaq; optimè Paraph. Onkelos id ad gaudium illud retulit, interpretatus, *& gaviſus eſt.* Quod ex proximè præced. verbis apertè colligitur, ויפל *vajjippel*, & cecidit, aut proſtravit ſe Abraham ſuper faciẽ ſuam, qui actus non eſt irridentis, ſed reverenter ſuſcipientis divinam promiſſionẽ, & gratias agentis. Qui enim diffidunt, aut rident aliquid tanquam impoſſibile & abſurdum, non ſolent reverentiam ſuam & humilitatem teſtari, erga eum cujus verbis non fidunt. Eſt itaque in hoc geſtu certiſſimum argumentum fidei illius, quam deprædicat Paulus.

Itaque verba quæ ſequuntur, *Numquid centenario naſcetur proles? &c.* non ſunt dubitantis, aut rejicientis promiſſionem, ſed admirantis, quod rationi naturali repugnabat, ex cujus principiis res illa planè impoſſibilis erat. Quaſi diceret, An tale quid unquam viſum eſt, ut homini ſeni & mulieri effœtæ proles naſceretur, hoc tamen mihi à Deo promittitur, quod adorando potius admirari debeo, quam ſcrutari. Hic eſt genuinus ſenſus, conformis Apoſtoli commentario. Ubi notandum quod de ſe centenario dicit, non eſſe ſeorſim accipiendum. Nam jam ſenex anno nempe ætatis ſuæ 87. genuerat Iſmaëlem ex Agare, & poſt obitum Saræ, ducta Cetura juniore, ſuſcepit etiam ex ea prolem ſatis numeroſam. Non erat itaque mirandum ſi vir annoſus, ſed adhuc vegetus & robuſtus, ex uxore juvencula ſuſciperet liberos, ſed id conjunctim erat admirandum, quod vir centum annorum, ex muliere nonagenaria, eaque anteà ſemper ſterili, filium ſuſciperet. Non diſplicet quod diligentiſſimus Mercerus notat, hanc cogitationem, quæ hac interrogatione continetur, non plenè & diſtinctè in mente Abrahami fuiſſe formatam, ſed animo ejus obrepſiſſe confuſam, ut fieri ſolet perplexam, & repentinam, in qua, neque hæſit, neque acquievit, ſed eam tranſcendit & ſuperavit invicta fide, omnia in potentiam Dei rejiciens, non in naturæ vires.

Quod autem addit ℣. 18. de Iſmaële לו ישמעאל יחיה לפניך *lu jiſmaël jichjeh lephaneka*, Utinam Iſmaël vivat coram te! Quod etiam à nonnullis trahitur in præjudicium fidei Patriarchæ, non eo reſpicit. Nam cum reverenter & cum gaudio ſuſcepiſſet promiſſionem, nulla ratione adduci debemus, ut credamus illum ita in Iſmaële acquieviſſe, ut voluerit redimere carentiam filii ex Sarah, Iſmaëlis proſperitate. Verum paterno affectu ſollicitus fuit, de eo quem anteà crediderat ſtirpem futurum multiplicationis illius quam ipſi Deus promiſerat. Cum itaque videret Deum admirabili modo velle fœcundare Saram, nec dubitaret filium ex ea naſciturum Iſmaëli prælatum iri; ſaltem benedictionem ſecundariam ipſi procurat voto ſuo. *Utinam Iſmaël vivat coram te!* Ubi illud לפניך *lephaneka* coram te, idem eſt quod *beneficio tuo* proſperè agat. Locutionis ratio inde ſumpta, quod quæ ob oculos ſunt ea tueri ſolemus, ideò quod à Domino conſervatur, in oculis ejus eſſe dicitur. Metuebat enim vel ne Iſmael diù viveret, vel ſaltem ne proſperaret, ut amor res eſt plena ſolliciti timoris. Id etiam ab eo dici potuit ad majorem beneficii divini amplificationem. Summi beneficii loco mihi erit, ſi Iſmael vivat coram te, tuo præſidio, in

tua clientela, te eum protegente, nam hactenus hoc beneficio contentus vixi. Quid ſi igitur aliud addas, filium nempe ex Sarai contra ſpem omnem? Addimus etiam humilitatis fuiſſe cogitationem, quis ego ſum propter quem ſupra naturæ leges potentiam tuam vis exerere, qui mihi ſatis præſtitiſſes, ſi quem mihi anteà dediſti Iſmaelem conſervaſſes?

Huc facit reſponſio Dei bipartita. verſ.19.& 20. Primum enim repetit & explicat promiſſionem de filio naſcituro, cui etiam nomen imponit. 2. Reſpondet ad petitionem pro Iſmaele. De primo dicit אבל *abhal*, quam particulam aſſeveranter plerique interpretantur, ut ſit *verè* vel *profectò, pariet tibi filium Sara.* Hinc etiã (ut ſupra indicavimus) argumentum ſumpſerunt, qui Abrahamo tribuunt incredulitatem, quaſi dubitationi ejus, opponeret Deus aſſeverationem. Itaque cum Cajetanus illam vocem expenderet, nec vellet tamen in eorum ſententiam pedibus ire, qui ſequius de hoc Abrahami facto judicant, eam excogitavit explicationem, quæ nonnullis viris doctis placuit, ut particula illa *verè*, non quidem opponeretur dubitationi aut incredulitati, quam Abrahamo non tribuebat; ſed interpretationi figuratæ, de qua exiſtimat Abrahamum in corde ſuo cogitaſſe. Supponit enim pium virum nullo modo dubitaſſe de veritate promiſſionis divinæ, vel de poteſtate promittentis Dei, ſed inſcium fuiſſe ac dubium, num promiſſio propriè & ut verba ſonant, eſſet intelligenda, an potius figuratè & myſticè accipienda. Huc igitur ſpectaſſe Deum, ut ipſi hanc dubitationem tolleret, dicens *verè uxor tua Sara pariet tibi filium.* Sic putat ſolidè poſſe defendi Abrahamum ab omni infidelitate, & intereà poſſe reſpondi ad argumenta quæ dubitationem aliquam videntur evincere, per diſtinctionem dubitationis. Quia aliud eſt, dubitare de veritate promiſſionis ſeu rei, aliud dubitare de modo, quando nondum revelatus eſt. Hoc etſi verum ſit, non exiſtimo tamen ſolidum eſſe hoc loco. Quia teſtimonium Apoſtoli, quo maximè nitimur, non ſolùm oſtendit Abrahamum non fuiſſe anxium de veritate promiſſionis, ſed etiam modum ipſi fuiſſe cognitum, & de ſemine per Saram propagando, fidem Dei dictis adhibuiſſe. Præthereà non opus fuiſſet, ſi myſticè aut figuratè intellexiſſet promiſſionem Dei, cogitare de potentia ejus, qua exequi eam poſſet. Quæ omnia ſatis oſtendunt Abrahamum intellexiſſe rem, qualem verba ſignificabant, primò & per ſe.

Ad quid ergo illud, *verè pariet tibi filium?* Particula אבל non ſemper eſt adverſativa, nec ubique aſſeverationem priorũ ſignificat, ſed etiam protractionẽ & amplificationem ſeu continuationem. Unde Rab. David, in lib. radicũ, vult dictionem hanc ſignificare, *non hoc tantùm, verum etiam hoc. Inſuper, &c.* Rectè igitur procedet ſenſus. Petis à me ut Iſmael vivat coram me. Non hoc tantùm concedam, ſed hoc etiam quod dixi facturus ſum; Et nihilominus Iſmaëli ſum benedicturus, &c.

Hac ratione nihil concludet argumentum, quo in dubium revocatur promptitudo Abrahami, in promiſſione hac amplectenda. Sed ex voto ejus pro Iſmaële Deus occaſionem ſumit explicandi differentiam inter duos fratres, & eum informandi non ſolum de ſingularibus quibuſdam circumſtantiis, quibus fides ejus magis ac magis confirmaretur; ſed etiam de ſcopo præcipuo totius hujus colloquii: ut Abraham ſciret, non in Iſmaële implendum eſſe, quod promiſſum fuerat de benedictione familiarum in Abrahami ſemine; ſed in Iſaaco naſcituro, qui futurus erat hæres fœderis cum parente ſuo initi. Prima circumſtantia ſingularis, quæ facit ad majorem rei certitudinem, eſt nominis impoſitio filio naſcituro. Quem enim Deus nominabat ante quam eſſet, de ejus eſſe futuro non erat dubitandum. In quo habemus ſpeciale experimentum dicti Apoſtoli Rom. 4. verſ.17. *qui vocat illa quæ non ſunt, tanquam ſint.* Ex riſu autem Abrahami, nomen Iſaaco imponitur, ut eſſet perpetuum teſtimonium ſanctæ lætitiæ quam cõceperat audita promiſſione. Eſt enim vox יִצְחָק *jitſchak*, deducta à radice צחק *tſachak* riſit.

Notat Mercerus, inter eos qui ortu juniores ſunt quam nomine, hoc eſt quibus nomen inditum eſt ante quam nati eſſent, recenſere Eucherium quatuor; Iſmaëlem, Iſaacum, Samſonem & Joſiam. Quod de Iſmaele & Iſaaco ſcribit, ſumptum eſſe partim ex Geneſ. 16. 11. partim ex Gen.17. verſ.19. liquet. In Sampſone falli putat, & Salomonem eſſe intelligendum. Et certe in ſcriptura de Sampſone ratione nominis ante nativitatem impoſiti, nihil legimus. Nativitatem tamen Sampſonis fuiſſe prædictam & ſpecialiter promiſſam novimus. De Salomone utrumque habemus, 1. Chronic.22. verſ.12. *Ecce filius editus tibi, is futurus eſt quietus, &c. nam Schelomo erit nomen ejus.* Quod de Joſia ſcribunt, ſumptum eſt ex lib.1. Regum, cap.13. verſ.2. *Ecce filius naſciturus eſt domui Davidis, nomine Ioſchija. &c.* Idem de Cyro legimus, Eſai.44. verſ.28.& 45. verſ.3.& 4. De Ieſu, notum eſt ex Evangelio. Addimus Iohannem Zachariæ filium. In his omnibus, ſpeciales fuiſſe cauſas notum eſt ex hiſtoria ſacra. Hic voluit Deus tali nomine, perpetuò tam Abrahamo parenti, quam Iſaaco poſteà, in memoriam revocare, ex ſpeciali gratia, ſupra omnem naturæ ordinem natum fuiſſe gentis illius magnæ parentem, adeoque rem fuiſſe ſtupendam, quam cum admiratione & gaudio ſimul audiverit Abraham. Quod argumento eſt non fuiſſe riſum vitioſum, nunquam enim Deus tali puero, cum quo pactum ſuum inſtituebat, à vitioſa ſubſannatione nomen indidiſſet.

Altera circumſtantia, ad confirmationem etiam promiſſi faciens ſpectat præfixum tempus partui Saræ, למועד הזה בשנה אחרת *lemoed hazzeh*, *beſchanah achereth*, in tempore hoc, in anno altero. Itaque menſem & annum deſignat, hunc eundem menſem quo loquebatur, & annum ſequentem.

Differentia autem inter Iſaacum & Iſmaelem conſtituitur,

ſtituitur in eo, quod cum ſolo Iſaaco ſtatuebatur pactum eique jus primogenituræ tribuebatur, qui ex libera naſci debebat. Iſmaëli autem aſſignabantur promiſſiones temporales, de multiplicatione poſteritatis, & ducum generatione, ſed non ut inter duces illos parens eſſet Meſſiæ, quæ fuit Iſaaci prærogativa, & benedictio quæ ſupra has res terrenas reſpiciebat. Ubi notandum eſt, prærogativam populi Dei non fuiſſe in temporalibus benedictionibus, in quibus ſæpè ab iis qui à fœdere erant alieni fuerunt ſuperati, ſed Deum voluiſſe eos in ſpirituales benedictiones animum magis evehere & intendere. Quod autem quæſitum eſt, an in his verbis excludatur Iſmaël à fœdere divino, cujus ſigni fuerat particeps? Reſpondemus, duplici modo conſiderari fœdus. 1. quatenus ſpectabat genus & poſteritatem; 2. quatenus ſpectabat perſonam. Primo modo cum ſolo Iſaaco initum fuiſſe: altero, potuiſſe etiam cum Iſmaele, quatenus ei non præciſa fuit ſpes ſalutis æternæ, quamvis à ſemine Iſaac petenda eſſet ſalus, in quo reſidere debuit. Non itaque poteſt hoc argumento excludi Iſmael à regno Dei. Sunt tamen alia quæ ejus pietatem in dubium vocant, non ſolùm in deſcriptione ejus, quæ anteà facta fuit, ſed etiam in moribus, & poſterorum educatione, ex qua probabile ſit poſt Abrahami obitum, pietatem apud eum refrixiſſe, & ita ſe ipſum abdicaſſe; de quo tamen, ratione perſonæ, nolim aliquid certi affirmare in utramvis partem.

Quæ ſequuntur ad finem uſque capitis nihil habent quod obvium non ſit. Narratur enim obedientia Abrahami in mandato circumciſionis, tam ſui ipſius ratione, quam filii, & omnium ejus domeſticorum maſculorũ, prout ipſi prçceptum fuerat. Sed quia ℣.23. dicitur Abraham accepiſſe Iſmaelem filium ſuum & omnes natos domi ſuæ, &c. & eos circumcidiſſe, incidit hoc loco quæſtio de circumciſionis miniſtro, quæ ſuam habet conſequentiam, de qua paucis erit agendum. Vix ſimile vero eſt, Abrahamum ipſum, uno die, tot homines per ſe potuiſſe circumcidere, & ſeipſum poſt alios, antè enim non potuit, ſi aliorum circumſionis fuit adminiſter. Quod tamen in dubium vocari poteſt; An, nempe, vir ſenex, non aſſuetus huic aut ſimili operationi, eam per ſe fuerit exequutus?

Exiſtimarem, factum ipſi tribui, quia ejus fuit autor, non quod ipſe ſolus id operatus ſit. Probabile eſt elegiſſe inter ſuos, quos ad id maximè aptos judicavit, & vel unum vel plures ad id deſtinaſſe, hoc tantùm ſibi reſervato, ut de vero ceremoniæ fine, tanquam Dei Miniſter, circumcidendos doceret. Ergo ad ipſam circumciſionem quod ſpectat, mihi ſe probat ſententia Abulenſis in cap.5. Joſue, quæſt. 44. Miniſtrum ejus non fuiſſe ſpeciatim à Deo deſignatum, ſacerdotem aut Levitam, virum aut fœminam, ſicut in ſacramentis Novi Teſtamenti ſpecialis facta eſt Miniſtrorum deſignatio. Cur autem in eam adducamur ſententiam, ratio eſt, quia nihil de ea re ſcriptum legimus, & exemplum habemus de Tſippora Exod. 4. quæ filium ſuum circumcidit. Ex quo etiam autor prædictus infert unumquemque ſe ipſum potuiſſe circumcidere, cum tamen nemo ſe ipſum poſſit baptiſare. Id tamen non exiſtimo poſſe probari ex verſ. ſeq.24. ubi dicitur Abrahamum fuiſſe centum annorum, cum circumcidit carnem præputii ſui, quia id etiamſi per alium fecerit, tribui tamen ei poteſt, tanquam mandanti & volenti, quomodo dictus eſt anteà circumcidiſſe omnes maſculos domus ſuæ, & Ioſue cap.5. circumcidiſſe populum; quod certè ipſius manu fieri non potuit, ſed imperio, monitione & hortatione. Legimus, 1. Maccab.1. verſ.63. ſub Antiocho, *mulieres quæ circumciderant filios ſuos*, morte fuiſſe affectas ex ejus decreto. Ubi non exiſtimamus, id mulieribus attribui, quaſi id ab aliis fieri curaſſent, quod patrum potius fuiſſet; ſed quod hoc ipſç in ſe ſuſcepiſſent, vel maritis conſentientibus & jubentibus, vel ſua ſponte, quod de duabus mulieribus expreſſius dicitur, 2. Mac. 6. verſ.10. Rectè igitur monet Mercerus, non accuratè fuiſſe obſervatũ in Sacrament. V. Teſt. ut adminiſtrarentur per ſolos ſacerdotes; nam agnus paſchalis ab unoquoque patrefamilias domi mactabatur, Exod.12. non à ſacerdotibus in Templo. Hodiè apud Judæos non fit circumciſio à ſacerdotibus, ſed à Judæo in ea re experto, quem vocant המוהל *hamohel*, circumciſorem, adſtantibus multis, & ſolemni ritu, de quo videndus Buxtorf. Synag. Judaicæ, cap.2.

Cum autem Pontificii concedant, imò contendant, circumciſionis miniſtrum non fuiſſe in lege determinatum, & non eandem eſſe rationem in eo circumciſionis & ſacramentorum Evangelii, mirum eſt Bellarminum & alios, ex facto Tſipporæ, & mulierum Machab. argumentari pro ſuo γυναικοβαπτισμῷ. Cum enim Serarius in quintum caput Ioſue, & Vaſquéz in 3. part. Tom.2. diſput. 164. cap.4. differentiam illam agnoſcant, & negent definitum fuiſſe circumciſionis Miniſtrum, ut de facto ſingulari Tſipporæ nihil jam dicamus, ſatis liquet falſam eſſe eorum conſequentiam, ad baptiſmum. Quia non benè inter ſe comparantur ritus, quorum non eſt eadem ratio, vel ipſis judicibus. Quis enim ferat ſic argumentantes. Fatemur præſcriptum fuiſſe à Deo Baptiſmi miniſtrum; circumciſionis non item; Ergo ſicut licuit mulieri in caſu neceſſitatis filium ſuum circumcidere, ſic licebit mulieribus in caſu neceſſitatis infantes baptiſare. *Non permittitur* (inquit Tertul. lib. de velandis Virgin.) *mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officii ſortem ſibi vendicare.* Quod in Eccleſia veteri non permittebatur, id jam in Eccleſia Romana imperatur.

AD CAPVT XVIII.

Exercitatio XCI.

Cur tres Angeli, tres viri dicantur? Factum Angeli perſonati apud Tobiam non poſſe excuſari hoc exemplo. Druſius notatur. Reverentiam quam eis exhibuit Abrahamus, religioſam non fuiſſe. Vnum quidem fuiſſe Jehovam, *ſed nondum tunc ab Abrahamo cognitum. Ex tribus illis non poſſe ſolidè probari Myſterium Trinitatis, cum duo ex illis fuerint creaturæ. Refellitur Eniedinus Samoſatenianus. Qualis fuerit unio corporum cum Angelis. Eum qui* Jehova *appellatur, non fuiſſe creatum Angelum. An verè comederint apparentes Angeli? Quomodo in talibus corporibus poßint fieri actiones vitales? Argumentum pro vera Chriſti reſurrectione ex eo quod poſteà comedit, quomodo valeat?*

Capite XVIII narratur altera Domini apparitio, & promiſſionis divinæ de Iſaaco confirmatio, audiente ipſa Sara, de cujus etiam riſu agitur, & tandem aperitur Abrahamo conſilium de evertendis urbibus Pentapoleos, in quo notandum eſt Dei cum Abrahamo colloquium. Omiſſis facilioribus, quæ minus obvia ſunt enodare conabimur. Verſ. 1. ait Moſes, *Apparuiſſe Abramo Iehovam in convalle Mamre.* Secundo autem, ubi narrare incipit modum apparitionis, dicit *apparuiſſe tres viros, ſtantes prope eum.* Quos etiam Abraham pro hominibus habuit, & qua tales hoſpitio excepit, ipſis cibos appoſuit, qualibus homines utebantur; Tandem ex colloquio, & communicatione conſiliorum Abraham Deum agnovit. Certum eſt igitur, primo, tres illos, non fuiſſe viros, ſed virorum ſpecie apparuiſſe, & ea etiam feciſſe, quibus inductus fuit Abraham initio, ut eos pro hominibus haberet, & omnia hoſpitalitatis officia, eis ſtudioſe communicaret; quæ etiam non rejecerunt; non, quod ipſis opus eſſet, ſed quod voluerint hac actione, commendatam poſteritati reddere Abrahami virtutē. Ex hoc Angelorum facto, Druſius cap. 48. ad difficiliora Geneſeos loca, occaſionem ſumit excuſandi Angeli, qui apud Thobiam, profitetur ſe eſſe Azariam filium Ananiæ; *Si, inquit, Angeli erant, quomodo eos viros appellat? ſic Manoë pater Samſonis Angelum, qui ipſi apparuit, hominem vocat. Reſpondent hoc fieri, quia in ſpeciem virorum & hominis apparebant. Rectè. Sed quare non eodem modo excuſant Angelum apud Tobiam qui ſe Azariam dicebat, quia ejus referebat formam?* Contendit igitur, Angelum illum nō poſſe argui mendacii, quin eadem ſit ratio, cur mendacium libris Canonicis impingatur, qui viros appellant, qui verè nō erant viri, ſed viros repræſentabant, aut in forma humana apparebant. Citatque ex Auguſtino Canonem Theologicum: *ſpecies rerum appellantur de nominibus ipſarum rerum.* Ridet autem ſatis ſalſe reſponſionem quā nonnullis affingit, mendacium eſſe ſi quis hoc dicat in prima perſona, non ſi quis idem de eo enunciet in tertia perſona, vel in ſecunda, ubi jecur Cratetis & cor Zenodoti inclamat. Eruditionis laudem huic viro nolim aliqua ex parte detrahere; ſed modeſtiam ſæpe in eo cogor deſiderare, & minus confidentiæ in aliorum ſuggillandis ſententiis. Qua in re ſibi nimium attribuit, & audacius ſe geſſit quam par fuiſſet. Dico igitur, vel Cratete judice, aut Zenodoto, ſi viverent, non eſſe rationē diſſimilitudinis ridiculam. Qui in tertia perſona loquitur, ſenſum & opinionem illius exprimit, qui de re judicat, prout ipſi externè apparet. Et ſic fatemur aliquando ſcripturam exprimere ſenſum hominum, nō mentientium, ſed judicantium ſecundum oculorum viſum, ut eadem ſcriptura dicit. At qui de ſe loquitur in prima perſona, debet loqui ex ſuo ſenſu, quia de ſe non poteſt falli ex forma externa, qui ſe intus novit. Cū igitur Angelus Tobiæ, voluit perſuadere ſe eſſe Azariā, conſanguineum Tobiæ, contra mentem & conſcientiā loquebatur. Quod ſi Druſius videre noluit, res tamen per ſe ſatis evidens eſt. Addo, aliud eſſe ſi quis communi viri nomine appellet Angelos humana forma apparentes: aliud ſi dicat Angelum hunc vel illum eſſe talem virum, cujus etiam patrem & conſanguineos nominet, imò tribū & captivitatem, ut fit à perſonato illo Angelo, Tobiæ ca. 7.

Tres illos humanis corporibus indutos, tres Angelos fuiſſe plerique ſentiunt. Et certè ad hunc locum alludēs Apoſt. Ebr. c. 13. ꝟ. 2. ubi commendat hoſpitalitatem, *per hanc etiam quoſdam inſcios Angelos excepiſſe hoſpitio*, narrat. Ex quo loco manifeſtum eſt, Abrahamum initio neſciviſſe fuiſſe Angelos, iiſque officia detuliſſe tanquā hominibus ignotis, inter quos tamen unum videbat eminere, quem pro aliorum Domino habuiſſe probabiliſſimum eſt. Cum ergo dicit, Abrahamum *incurvaſſe ſe ſuper terram*, quod vulgata per verbum *adorandi* expreſſit, וישתחו *vajjiſchtachu*; nō poteſt ſatis eorum traduci ſive ignorantia ſive malitia, qui hoc verbum trahunt ad religioſum Angelorum cultum, cum Abraham hoc tantum intenderet, ut viros honoratos exciperet venerabundus, idque civili planè reverentia, qualis locū habet apud eos quos hoſpitio accipimus, & quibus in more

more eſt, apud omnes nationes paulo cultiores, primas deferre in ædibus ſuſcipientis.

Ex tribus hiſce, habitu & externa forma viris, unus vocatur *Iehova*, ℣.22. ubi cum duo ſe ſeparaſſent, & Sedomam verſus profecti fuiſſent, conſiſtebat adhuc *Abraham coram Iehova:* Quem etiam talem agnovit, & judicem totius terræ appellavit, verſ.25. Qui promiſit Saræ effœtæ prolem, verſ. 10. Cujus omniſcientia divina, cui nihil eſt occultum aſſeritur, v.14. Sed non tum agnoverat Abraham, cum primum adoravit, unde ſolidum eſſe non poteſt, quod tamen plerique veterum ubi hujus loci meminerunt, repræſentationem quandam Trinitatis, in hac apparitione finxerunt, quã etiam Abrahamo non fuiſſe incognitam exiſtimarunt. Ex quo illud ferè in ore omnium, *tres vidit, & unum adoravit*, quaſi ſibi repræſentaſſet unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate. Quod ſolidum non eſſe ex eo patet, quod quæ poſteà narrantur longiſſimè abſunt à cogitatione divinitatis in perſonis apparentibus. Itaque non immeritò Calvinus; *Quod vetuſti quidam ſcriptores, hinc myſterium elicere conati ſunt, Abraham unum ex tribus quos viderat adoraſſe, ideoque tres in uno Deo perſonas, fide fuiſſe intuitum, quia frivolum eſt, & obnoxium ſannis & calumniis, omittere ſatius eſt.* Et Mercerus, qui quorundam Judæorum ſenſerat aculeos, noſtros oportuiſſe in Trinitate hinc colligenda cautiores eſſe judicat, ne ſe ita adverſariis deridendos exhiberent. Itaque ſolidiora & apertiora adverſum illos ex ſcripturis pro Trinitate afferri debere loca, quibus urgeantur.

Non igitur opus eſt ut excutiamus Enjedini ad hunc locum diſputationem, cum ipſe agnoſcat Calvinum & Muſculum diligenter hanc applicationem confutaſſe. Fatemur igitur non eſſe ad rem, quod myſterium hoc quidam ex hoc loco probare, aut etiam explicare voluerunt. Congerit tamen abſurda nonnulla hæreticus, quæ inde non ſequerentur. *Si hæc imaginatio*, inquit, *vera eſſet, ſequeretur verum Deum eſſe incarnatum ante tempus. Nam procul dubio iſti non erant Phaſmata & ſpectra quædam inania, ſed revera corpora habebant palpabilia, ambulabant, loquebantur, & revera comedebant, ut etiam Calvinus fatetur. Ergo Pater etiam & Spiritus Sanctus carnem induiſſent, & filius ante matrem fuiſſet homo.* O Chryſippeum acumen! At hæreticus antè dixerat, uſitatum eſſe Angelos in forma & ſpecie virorum apparentes viros vocari, non quidem propterea viros eſſe. Nec igitur incarnatæ fuiſſent perſonæ illæ, ſi in corporibus virili ſpecie apparuiſſent, niſi abſurdè contendant Angelos incarnatos fuiſſe quoties hominibus apparuerunt. Fatemur corpora fuiſſe viſibilia & palpabilia, ſed verè humana fuiſſe negamus. Negamus præterea unita fuiſſe vel naturali unione, vel hypoſtatica, quomodo vel unio fit in nobis carnis & animæ, vel in Chriſto duarum naturarum. Fuit enim unio tantùm, ut vocant aſſiſtentiæ, & ad tempus, pro ratione œconomiæ & miniſterii. Evaneſcit ergo primum hæretici abſurdum, quod ideò fuit refellendum, quia, quicquid ſit de hoc loco, de quo poſteà dicendum erit, certum eſt nobis, aliquas perſonas divinas aliquando αὐτοπροσώπως apparuiſſe, quas tamen ideò incarnatas fuiſſe nullo modo ſequitur, ob rationes à nobis allatas. *At*, inquit, *Deus ſemper & fuit, & eſt ſpiritus inviſibilis, nullam figuram aut formam ullius creaturæ habens, ut tum ipſe, tum omnes ſacri ſcriptores teſtantur.* Et nos etiam contendimus, ſed nihil inde ſequitur, niſi quod figuram nullam habet propriam; non quod aliquando apparere non poſſit, in ſigno quodam præſentiæ & majeſtatis ſuæ, etiam corporeo. Quod factũ olim fuiſſe ſcriptura teſtatur.

Aliud abſurdum non magis nos gravat. *Sequeretur*, inquit, *immenſum & incomprehenſibile numen, certo aliquo termino fuiſſe concluſum, ſi enim tres perſonæ & una eſſentia*, hoc eſt, *quicquid uſpiam Dei eſt, Abrahæ in tribus iſtis apparuerunt, ergo totus Deus concluſus fuit illis corporibus. Itaque cum Angeli ſederunt ſub arbore, & cœlum, & tota reliqua mundi moles, Deum præſentem non habuit. Quo quid magis ſtultum & impium cogitari poteſt?* Fateor id quidem, ſed tota impietas & ſtultitia eſt in cerebro hæretici qui talia cogitat. ſi enim Deus ſit in aliquo, non propterea concluditur, ita ut non ſit alibi. Ut enim eſt indiviſibilis, ſic eſt infinitus. Unitus eſt hypoſtaticè carni noſtræ in Chriſto, nec tamen ſequitur, nullibi eſſe, in quo caro non ſit, quod eſt commentum Ubiquiſtarum. Ad aſſiſtentiam autem & præſentiam quod ſpectat, negare non potuit Enjedinus, Deum habitaſſe in Templo, in Arca fœderis inter duos Cherubim, & tamen non ſequitur ibi fuiſſe incluſum. Nec igitur in corporibus ad tempus aſſumptis, ut ſe aliquando ſuis manifeſtaret, exhibito aliquo ſpecialis præſentiæ ſigno. Et hæc de Enjedini abſurdis, non quidem ad tuendum argumentum pro Trinitate, ſed quia filii incarnationem petunt, & omnem perſonarum divinarum apparitionem.

Secundũ illud faciunt, ne cogantur fateri eum cui tribuitur nomen Jehovæ eſſe verũ Deum, & ita agnoſcere Meſſiam eſſe ejuſdem cum Patre eſſentiæ. Ideò enim in eam conceſſerunt ſententiã, ut reſponderent argumentum ab hoc nomine non valere, quia nomen illud etiã Angelis tribuitur Deum repræſentantibus, quod factum volunt in omnibus locis, in quibus dicitur Jehovã apparuiſſe Patribus. Qua in ſententia plurimos ex Pontif. maximè Ieſuitis, habent aſtipulatores. Nos contrà apparitiones illas, in quibus nomen Jehovæ & honores divini tribuuntur ei qui apparet, alicujus perſonæ SS. Trinitatis fuiſſe contendimus, & plerumq; ſecundæ, idque non per repræſentationẽ Angelicam, nec tamen per unionẽ hypoſtaticam, ſed per aſſiſtentiã motoris in mote, & efficaciam in aſſumpto corpore, vi divina ex nihilo creato, vel ex ſubjacente materia efformato. Qua de re fusè à nobis actum fuit in comm. ad c.12. Hoſeæ, ubi rationes noſtras expoſuimus, & defendimus; & ad argumenta

 adver-

adverſariorum, Seratii maximè, qui quæſtionem hanc accuratiùs tractavit, reſpondimus. Ubi inter cætera diximus, in apparitione trium Angelorum qui ad Abrahamum diverterunt, de qua hoc loco agitur, apparuiſſe filium Dei, ſtipatum duobus Angelis, executoribus judicii ſui, in quo etiam Abraham agnovit majeſtatis divinæ notas. Quem Juſtinus Martyr, contra Tryphonem, *Dominum duorum Angelorum* dicit, *quibus progredientibus, ipſe relictus eſt cum Abrahamo, ea collocutus quæ deſcripta ſunt à Moſe.* Idcirco etiam Stephanus Actor. 7. verſ. 2. dicit *Deum gloriæ* apparuiſſe Abrahamo. Quod autem in hoc cap. & ſequenti, Angeli dicuntur, qui relicto Abrahamo ingreſſi ſunt Sodomam, rectè animadvertit Vaſquéz, in primam partem, tom. 2 diſp. 185. non poſſe nos ex eo urgeri: cum enim Geneſ. 18. dicitur, tres viros apparuiſſe, non refert ſcriptura, omnes tres loquutos fuiſſe in nomine & perſona Dei, ſed unum tantùm ex illis, quem poſſent adverſarii, inquit, contendere eſſe ipſum Deum, & veluti Dominum eorum apparuiſſe; cum quo etiam Abrahamus, tanquam cum Principe & Domino videtur tantùm loquutus, cum dixit, *Domine ſi inveni gratiam, &c.* Unde & cap. ſequenti, non legimus veniſſe tres Angelos Sodomam, ſed duos tantùm. *Venerunt itaque*, dicit ſcriptura, *duo Angeli Sodomam.* Poſſent ergo dicere, duos illos Angelos miſſos fuiſſe à Domino, qui inter eos ut Princeps apparuit. Et res certè ita ſe habet. Nec obſtaret etiam ſi tres angeli diſertè nominarentur, ut tres viri, quia cum unus eorum ſe dicat Iehovam, & ea faciat quæ Dei ſunt, honores etiam divinos admittat, quos Angelus creatus nunquam admitteret, ſi Angelus lucis eſſet; conſtaret ſemper Angelum dici ob œconomiam, qua ſe tanquam ad homines miſſum manifeſtavit, & ratione corporis in quo apparuit, ut in eo apud homines quaſi legatione fungeretur. Qua de re pluribus egimus, ad allegatum Hoſeæ caput.

Poſt apparatum ab Abrahamo hoſpitibus ſuis, quos homines putavit, convivium, narrat Moſes, cum ipſis appoſitum fuiſſet, *comediſſe*, verſ. 8. Ubi movent interpretes quæſtionem, an verè comederint, quos homines verè, non fuiſſe novimus. De qua & ſimilibus prudenter Calvinus: Quemadmodum has quæſtiones attingere utile eſt, nec ulla religio vetat, ſic rurſum nihil melius, quam ſobria ſolutione nos eſſe contentos. Refert autem eſſe qui reſpondeant, Angelos comedentium ſpeciem tantùm præbuiſſe. Commentum autem hoc ipſis in mentem veniſſe, quia non veris corporibus, ſed tantùm ſpectris, indutos fuiſſe imaginantur. Longè autem aliter ſe rem habere, merito cenſet; Quamobrem dubium non eſſe, quin Deus corpora illis ad tempus dederit, in quibus injunctum ſibi munus peragerent. Inde infert, ſicuti verè ambularunt, loquuti ſunt, & perfuncti aliis officiis, ita verè comediſſe, non quod opus haberent, ſed ut laterent uſque ad tempus manifeſtationis.

Hanc ſententiam veriſſimam eſſe non dubitamus, & præferendam opinioni Theodoreti, qui quæſt. 68. in Geneſ. exiſtimat illos non verè comediſſe, quemadmodum non vere erant viri, ſed tantùm ob figuram, qui etiam comediſſe dicuntur, quia id viſum fuit Abrahamo; non quidem quod cibum inferrent in os & ventrem, ſed eum manibus capientes, in ſimulatum os ingerentes, clam conſumerent, prout illis placebat. At (inquit Auguſtin. de civit. Dei lib. 13. cap. 22.) *Non in phantaſmate, Angelos ediſſe credendum eſt, quando eos homines hoſpitio ſuſceperunt, quamvis utrum Angeli eſſent ignorantibus, conſimili nobis indigentia veſci viderentur.*

Hic tamen ſubeſt aliqua difficultas. Nam cum *comedere*, ſit actio propria animalis, corpus habentis anima & vita præditum. Angelorum autem, aut divinarum perſonarum aſſumpta corpora citra unionem hypoſtaticam, fuerint inanima, quia non informabant eos, ſed tantùm movebant; non videntur verè comediſſe. Huc refertur Scholaſtica quæſtio, de qua Thomas, in prima parte, quæſt. 51. artic. 3. An Angeli, in corporibus aſſumptis exerceant opera vitæ? Cum enim corpora aſſumpta non vivant, ſequitur opera vitæ per eos exerceri non poſſe.

Ad id, diſtinguũt opera vitæ, in ea quæ aliquid commune habent cum aliis operibus, ut loquutio, quæ opus eſt viventis, convenit cum aliis ſonis inanimatorum, quatenus eſt ſonus: & progreſſio cum aliis motibus, quatenus eſt motus. Si igitur ſpectemus id quod in talibus Angelorum per aſſumpta corpora actionibus, cõmune eſt cum operibus animalis, poſſe opera vitæ ab Angelis per talia corpora fieri non abnuunt: ſed non quatenus eſt aliquid in eis proprium viventium; quia *cujus eſt potentia, ejuſdem eſt actio.* Quapropter opus vitæ fieri non poteſt, niſi ab eo qui vitam habet, quæ eſt principium potentiale talis actionis.

Hinc reſolvit Thomas, comedere propriè loquendo Angelis non convenire, quia in comeſtione propriè dicta conſideratur ſumptio cibi convertibilis in ſubſtantiam comedentis, per facultatem animalem. Cibus autem ab Angelis aſſumptus, non convertebatur in aſſumptum corpus, quia corpus non erat talis naturæ in quod poſſet alimentum converti; Unde ſequitur non fuiſſe propriam comeſtionem. Non tamen inde ſequitur quod voluit Theodoretus, eos cibum in os non intuliſſe, non maſticaſſe, non deglutiviſſe, ſed tantùm viſos fuiſſe id facere. Nam quod ad illas actiones attinet, id verè fecerunt, in aſſumpto corpore palpabili: ſed ad formalem comedendi rationem quod ſpectat, non verè comederunt. Huc referimus quod alii rectè notant; Actionum vitalium duplex eſſe genus. Alterum earum, quæ ſecundum ſubſtantiam ſuam, non poſſunt eſſe niſi à vita, quales ſunt actiones ſenſuum, audire, videre, &c. Tales actiones in corporibus aſſumptis ab Angelis fieri non poſſe neque ſecundum modũm, neque ſecundum ſubſtantiam actionis. Alterum genus eſſe earum actionum vitalium, quæ ſecundum ſubſtantiam fieri poſſunt

à prin-

à principio non vivente, licet non quoad modum. Ergo veram fuiſſe Angelorum comeſtionem quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum, quia primum illud eſt commune, ſecundum autem eſt animalis viventis proprium. Cum autem actio ſortiatur denominationem, non à ſubſtantia tantùm, ſed etiam à modo, fit ut in Angelis tales actiones non poſſint illo nomine tales nuncupari, ſed tantùm ſecundum ſimilitudinem ita dicantur. Tales actiones ſunt deambulatio, reſpiratio, tuſſis, riſus, palpebrarum motus, actio manducandi, & loquutio. Talia enim ratione ſubſtantiæ motus, eadem fieri poſſunt ab Angelo in corpore aſſumpto, quia non pendent à corpore vivente; ſed modus à quo procedunt, & à quo denominationem ſpecialem accipiunt præter communem motus rationem, ita poſtulat eſſe à vivente ſicut à principio, ut ab Angelo in corpore aſſumpto ſuppleri non poſſit, & ita veram appellationem ab eo non habeat, ſed tantum ſecundum ſimilitudinem.

Et certè hæc ita explicata vera ſunt. Si quis tamen exiſtimaret cum Scoto, in 2. Sent. diſt.8. quæſt. unica, actionē comedendi, in hoc ſolùm ſitam eſſe, ut aliquis motu locali dividat cibum, in una parte, & in aliam trajiciat, ſine ulla relatione ad nutritionem; tunc nihil obſtaret, quin dicere poſſet Angelos verè & propriè comediſſe, quod etiam idem exiſtimavit. *Quantum* (inquiebat) *ad actus vegetativæ qui apparent, ſi loquamur de vera nutritione, nihil ibi poteſt nutriri. Sed ſi loquamur de comeſtione, quæ præcedit nutritionem, illa non eſt niſi diviſio cibi, per motum localem maxillarum, & trajectio ejus in ventrem, per motum localem: & tunc poteſt fieri exhalatio, & reſolutio in humores, vel elementa: & iſti motus locales poſſunt fieri circa corpus, virtute activa Angeli.* Hæc ille. Difficultas autem quæ movetur contra hanc ſententiam, ex argumento pro Chriſti reſurrectione, quia comedit cum diſcipulis, quod firmum non eſſet, ſi comeſtio propriè dicta, ratione ſubſtantiæ & modi etiam Angelis tribueretur, non eſt magni momenti. Quia ſi ſenſum ſpectemus cui hoc argumentum fuit datum, internus comedendi modus ad nutritionem relatus, non potuit ſenſibus percipi. Quapropter non malè ſentire nobis videntur, qui argumentum illud reſurrectionis & alia ſenſibus objecta, ſeorſim & per ſe non fuiſſe efficacia putant, ſed omnia ſimul conjuncta, adjunctis præſertim Angelorum teſtimoniis, & aliis ex ſcriptura petitis. Et hæc quidem de hac quæſtione ſatis.

EXERCITATIO XCII.

Quo ſenſu promittat Angelus reditum ſuum? Quid ſignificet Phraſis כעת חיה Keeth chajiah? *Via mulierum, quid ſit. Explicatio verborum*, An mihi erit voluptas? *Res dicitur late* in medio, *ſi ſit intra aliam. Riſus Saræ culpabilis, cui mendacium addidit. Argumentum à Dei potentia validum eſt ubi de voluntate conſtat. Excuſatur Saræ infirmitas & Dei erga eam benignitas agnoſcitur. Colloquiū Dei cum Abramo, cui conſilium ſuum aperit de Sodoma evertenda. Quomodo Deus dicatur aliquid non poſſe? Deus beneficia beneficiis addit. Expoſitio loci*, Luc. 8. verſ. 18. *Non dantur antecedentibus meritis ſequentia beneficia. Finis cur Deus revelet ſuis futura. Cognitio practica Dei, benevolentiam indicat. Officium pii patrisfamilias. Expoſitio Loci*, 2. Petri 1. verſ. 15. Via Domini quæ? *Quid*, facere juſtitiam & judicium? *Ratio propagandi pietatem Patriarcharum tempore. Quæ perpetua eſſe non debuit. Particulam* ut *conſequentiam, non cauſam meritoriam notare.*

PRomiſerat Deus Abrahamo filium ex Sara: ſed ea abſente. Nec videtur dubitandum, ſanctum virum poſt illud Dei colloquium, cum ea communicaſſe quod crediderat. Quam fortaſſe in eodem credendo non ita promptam habuit, ut ex iis quæ ſequuntur conjicere licet. Quæ tamen à Deo fuiſſe ad ejus informationem diſpenſata, ſatis manifeſtum eſt. Idcirco, hoſpites inquiſierunt ubi eſſet uxor ejus Sarah, non quidem id ignorantes, noverant enim ubi eſſet, ſed ut in ea excitarent deſiderium audiendi quæ ab iis dicenda erant. Cuncta enim ſic diſpoſuerunt ut illa percipere poſſet eorum dicta. Poſtquàm igitur reſpondit Abraham, eam eſſe in tabernaculo verſ. 9. Unus ex illis, qui deinceps loquens introducetur, Revertendo (inquit) revertar ad te כעת חיה Keeth Chajah, *ſecundum tempus vitæ, & ecce filius erit Saræ uxori tuæ.* Ubi promittit ſe reverſurum, aſſignat tempus, & præſentiæ ſuæ efficacis deſignat effectum. Phraſis qua utitur, oſtendit rei certitudinem שוב אשוב *ſchubh aſchubh*, revertendo revertar, id eſt, *certiſſimè revertar.* Augent enim apud Ebræos tales reduplicationes, vel ut magis aſſeverent, vel ut actionem aut rem intendant. Non intelligit autem ſe reverſurum forma viſibili, ſed præſentia efficaci, quomodo Deus dicitur ire, aut venire, cum aliquid magnum efficit, ubi non anteà ita operabatur. It igitur & venit, ratione operationis. Non enim poſteà legimus, veniſſe Deum ad Abrahamum viſibili forma

forma, cum peperit Sara. Ideo id ad effectum & promiſſi impletionem non malè referunt Ebrei,ut dicatur Dominus redire, quando promiſſa implet. Huc refertur quod poſteà, cap. 21. verſ. 1. dicit Moſes, *Dominum viſitaſſe Saram, quemadmodum dixerat, &c.* Hæc enim viſitatio fuit reditus Domini.

Ad circumſtantiam temporis quod attinet, Phraſis obſcura videtur, & variè ab interpretibus intelligitur. כעת חיה *caeth Chajjah.* Vulgata, *vita comite.* Sed addit, *tempore iſto.* Edit. Græca, κτ̀ τ̀ καιρὸν τȣ̃τον εἰς ὥρας. id eſt, *in tempore hoc, in horas.* Chaldæus, *in tempore hoc, quo vos eritis vivi.* Trem. & Junius, *cum hoc tempus vigebit.* Quam interpretationem confirmant, ex ℣. 14. Ubi eadem Dominus repetit. *Ad tempus revertar ad te ſecundum tempus vitæ*, id eſt, ad hoc ipſum tempus quod jam viget; quod Galli noſtri dixerunt, *en cette meſme ſaiſon*; Diodati, *l'agno vegnente, in queſta iſta ſtagione*, id eſt, anno ſequente, hoc ipſo tempore. Interpretationem vulgatam, ex eo refutat Calvinus, quod abſurdum eſſet Deum qui jam magnificè potentiam ſuam prædicat, ſermonem ab hominibus mutuari, ac ſi mortalis foret. Aliorum interpretationes non multo plus habent probabilitatis; non ea, quæ verba refert ad vitam Saræ, ut ſit ſenſus, revertar Sara adhuc vivente. Quid enim opus fuit hoc dicere, cum id neceſſario ſequeretur ex partu? Quod ſi ad utrumque referatur, *vobis viventibus*, qui ſenſus eſt Chaldæi Paraphraſtæ, non multo melius quadrabit. Cur enim neceſſarium fuiſſet vitę eorum meminiſſe, quibus promittebatur orbitatis ſolarium? Alii ergo referunt ad fœtum, ut Deus promittat ſe venturum, juſto & legitimo pariendi tempore, ut Sara vitalis fœtus mater fiat. Neque id videtur multum ad rem. Quid ſi *ad tempus vitæ*, vel potius, quia כ *caph* eſt ſimilitudinis nota, ad ſimile tempus, quale hoc eſt quo vivitis? Coïncidet tum Phraſis, cum Trem. & Iunii interpretat. & Gallicæ ac Italicæ verſionis, quæ ſimplicior mihi videtur, & aliis omnibus præferenda. Ut ſenſus ſit, revertar ad te ſequenti anno, hoc ipſo tempore, *& Sara pariet filium.* Hunc etiam ſenſum innuit Cajetanus, qui interpretatur, *ſicut tempus vitæ.* Quam ſimilitudinem afferri vult, ad ſignificandam certitudinem reditus, & ſenſum eſſe, erit reditus meus certus, quemadmodum tempus vitæ redibit. Non dicit vitæ veſtræ, inquit, ſed abſolutè, ſicut tempus vitæ. Promiſerat ſiquidem Deus, poſt diluvium ſemper ſequuturum tempus vitæ; & propterea Angelus certificat reditum ſuum, ex certitudine ad certitudinem temporis reditus vitæ. Hæc ille; quibus, etſi ſatis obſcurè, exprimit tamen idem quod noſtri, tempus vitæ ſignificare anni tempus ſimile, ſive, ut ita loquamur, eandem tempeſtivitatem.

Niſi aliquis per *tempus vitæ*, intelligere vellet primum ver, cum omnia, quæ hyeme videbantur emortua incipiunt reviviſcere; quod fortaſſe non eſſet ἀπροσδιόνυσον. Nolim tamen id certo ſtatuere, nemine mihi præeunte. Id aliis expendendum relinquo. Dixi quod mihi ſerio cogitanti in animum venit. Eadem Phraſis habetur, 2. Reg. 4. ℣. 16. in eadem cauſa, ubi Eliſæus promittit filium Sunamitidi. Ibi enim ait, למועד הזה, *Ad ſtatutum tempus iſtud* כעת חיה *caeth chajjah*, *juxta tempus vitæ* amplexaberis filium. Ubi Arias Montanus vertit, *ſecundum tempus puerperæ.* Quæ verſio rei ſatis eſt accommoda, ut intelligatur terminus, poſt uteri geſtationem. Sed hæc aliis perpendenda relinquo. Omnibus deductis ſimpliciſſima mihi videtur, quæ id refert ad idem tempus recurrens, anno vertente.

Iterata promiſſio ſequitur his verbis והנה בן לשרה *vehinneh ben leſarah*, & ecce filius Saræ, id eſt, Saræ erit filius. Quæ verba, illa ad oſtium tabernaculi ſtans, riſu excepit, quia reſpiciebat ad *vulvam ſuam emortuam*, quo non reſpexerat Abraham. Ideò notat ſcriptura verbis caſtis, *viam mulierum* ארח הנשים *orach hannaſchim*, ipſi desjiſſe, unde erat extra ſpem concipiendi, vi naturæ. Addidit etiam, *Poſtquàm ſenui, an erit mihi voluptas?* Ubi quæritur, quid illa intellexerit? Plerique id referunt ad actum generationis, quaſi negaret ſe in ea ætate ad eum aptam eſſe. Itaque vetus interpres reddidit, *voluptati operam dabo?* ut ita tectè opus conjugale exprimat. Quo referunt quæ poſteà ſequuntur, & *dominus meus ſenuit*, q. d. dominus meus ſenex eſt, & ego effœta, quæ igitur ratio eſt in ea ætate ex conjunctione noſtra ſperandi prolem? Alii id referunt ad gaudium & voluptatem quam percipit fœmina mater facta, de qua Dominus Ioan. 16. ℣. 21. cum poſt partum, immemor oppreſſionis, *gaudet hominem natum eſſe in mundo.* Hunc ſenſum ſolus innuit Piſcator, & allegat, Pſal. 113. ℣. ult. *Facit ut quæ ſterilis erat in domo, ſedeat mater liberorum læta.* Prior expoſitio magis mihi videtur ad rem, præſertim, cum verbis præcedentibus conjuncta.

Riſus Saræ non videtur fuiſſe manifeſtus, quia riſit בקרבה *bekirbah, in medio ſui*, id eſt, in corde ſuo. Aliquando etiam per tranſlationem, cor tribuitur rebus inanimatis figuratâ locutione, pro medio; ut cùm dicitur, cor cœli, terræ, maris, &c. Non tamen neceſſariò intelligitur medium præciſè ſumptum, ſufficit ſi res quæ dicitur in medio eſſe, ſit intra eam, qua continetur. Sic Tyrus in medio, vel in corde maris ſita dicebatur, quæ non procul aberat à continente. Sic etiam cor eſt in medio hominis, cùm tamen magis vergat ad ſiniſtram partem, ſed quia eſt intra hominem. Notat autem hiſtoria riſum illum Saræ velut internum, cùm, ut videamus, cur illa negare auſa ſit ſe riſiſſe, quia putabat hoc à nemine potuiſſe animadverti; tum, ut intelligamus, cur illa timuerit, cùm videret ſe deprehenſam; videtur enim advertiſſe plus eſſe quàm hominem, qui intima ejus penetrabat.

Reprehenſio riſus Saræ, juſtificat riſum Abrahami. Si enim ille eandem ob cauſſam riſiſſet, magis fuiſſet in culpa, proinde non omiſiſſet hoc factum Deus ſine repre-

reprehenſione. Quod igitur reprehenſus non fuit, argumento eſt aliam fuiſſe in eo riſus cauſſam, quàm in Sara. Hic autem incipit Moſes, Jehovam nominatim appellare eum qui loquitur, poſtquàm nempè oſtendit ſibi notas eſſe cordis cogitationes. Ut autem refellat Saræ incredulitatis argumenta, verſ. 14. potentiam ſuam aſſerit, & promiſſionem repetit. היפלא מיהוה דבר hajippale mejehovah davar, *An abſcondetur à Domino verbum?* Verbum ſumitur pro re; & ſenſus eſt, *An aliquid eſt Domino impoſſibile?* Sic Angelus Mariæ virgini, etſi de re non diffidenti, de modo ſollicitæ, Luc. 1. ℣. 37. οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα, *Non eſt impoſſibile apud Deum ullum verbum.*

Argumentum validiſſimum eſt, ubi conſtat de voluntate Dei, de qua non poterat Sara dubitare, ſi eum agnoviſſet Deum, aut infallibilem Dei nuntium qui loquebatur. Sed illa potentiam Dei non ſpectavit, nimis intenta ordini naturæ, ſupra quem non ſe evexit. Sed falluntur, qui argumentum à potentia Dei urgent, puta in cauſſa tranſſubſtantiationis, ubi de voluntate Dei non conſtat, imò ubi de contrario conſtat; etſi velint verba eſſe expreſſa, & κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda, quæ tamen inuſitatis figuris deformant, dum unam uſitatam, obviam & facilem vitant. Taceo quod nullum verbum, nulla res eſt impoſſibilis Domino. Sed inter verba illa non ſunt numerandæ contradictiones apertæ, & hominum imaginationes abſurdæ. Alioqui ſi probare poſſent, id Deum apertè voluiſſe, quod tamen aliàs non comprehenderet noſtra ratio, tum nollemus de poſſibilitate rei diſputare.

Verſu 15. continetur negatio Saræ, ejus cauſſa, & Dei inſtantia qua illam convincit mendacii. Negat igitur illa ſe riſiſſe, nempè, quia putavit ſe poſſe mendacio tegere, & ſepelire id cujus eam pudebat. Poſtquàm enim agnovit ex dictis, loquentis majeſtatem, puduit eam diffidentiæ, & prætereà metu perculſa fuit; idcircò imprudenter, potiùs quàm ex deliberata malitia, ad hanc negationem proceſſit, quia id Deo diſplicere ſentiebat. Ubi notatur naturæ noſtræ corruptela, qua fit ut timor Dei, qui alioqui debet eſſe virtutum omnium caput, in vitium, culpâ noſtrâ, degeneret. Timor autem ejus animum repentè ſubiit, quia Deus occultum ejus peccatum detexerat. Hinc pudoris & verecundiæ exceſſus, quo ad hanc culpam adacta eſt mulier ſancta, pudori aſſueta, quæ mulierum eſt virtus; ſed cui etiam adhibendus eſt modus, ne pudor veritati præjudicet. Fuit ergò infirmitas, quam non traducimus; ſed in ea diſcimus, quàm circumſpectè ſit converſandum coram Deo, qui occulta novit, & quem celare non poſſumus ſecreta cordium.

Deus paucis redarguit Saræ negationem לא כי צחקת lo ki tſachakt, *non, quia riſiſti*, ubi potiùs כי adverſativè accipimus, ut ſenſus ſit, *Non ita eſt ut dicis, ſed riſiſti.* Qua objurgatione contentus Dominus, nihil durius in Saram pronunciavit, nec gravius ultus eſt, ut potuiſſet, Saræ peccatum, quomodo poſteà in ſimilem Zachariæ incredulitatem animadvertit. Diſpenſat enim Deus variè reprehenſiones & pœnas pro ſua ſapientia. Eſt autem non leve miſericordiæ ſpecimen, quod nihil propterea diminuere voluit de promiſſa benedictione, qua facta eſt Sara ſeminis ſancti mater. Unde liquet, benedictionem illam non fuiſſe ipſius meritis redditam, ſed liberali Dei gratiâ donatam, qui permiſit ut ipſi talia exciderent infirmitatis teſtimonia, ne quod illa ſibi pro ſingulari qua prædita erat modeſtia, non adſcripſiſſet, alii tamen tribuerent.

Sequitur tertius actus à verſu 16. ad finem uſque, in quo conſilium de evertenda Sodoma & ſororibus, Abrahamo aperitur. Occaſio inde ſumpta eſt, quod Abraham, poſt hoſpitum ſuorum refectionem, eos ſequutus eſt, ut deduceret eos. Tunc autem non potuit Abraham ignorare Angelos eſſe; ideò non tam officii humani cauſsâ deinceps eos deducebat, quàm ſtudio eis debitum honorem perſolvendi, & aliquid ab eis diſcendi, quorum conſortio tantùm profecerat, novo beneficio devinctus. Nec fruſtrata fuit ſpes ejus, quæque ſequuntur oſtendunt, non ſine ſpeciali Dei providentia adductum fuiſſe, ut abeuntes ſequeretur.

Olim Deus primum mundum deleverat immiſſo aquæ diluvio univerſali, quo præterito promiſit Deus ſe non ampliùs immiſſurum diluvium ad perdendum omnem carnem. Geneſ. 9. ℣. 15. Non tamen adſtrinxit ſe, quominus variis modis judicia ſua exerceret adverſus impietatem & injuſtitiam hominum. Quorum judiciorum exemplum quod ſequitur, ſæpè ob oculos ponitur in Scriptura, ut homines diſcant horribile eſſe incidere in manus Dei viventis. Ultus eſt enim impietatem & abominandam Sodomæorum vitam, igne cœlitùs demiſſo. Ad hoc judicium procedendo, Deus à Scriptura nobis deſcribitur velut humano more ſe gerens, quia factum hoc tanquam illuſtre proponere voluit exemplum, & modi quo procedere debemus in judiciis exercendis, & longanimitatis ſuæ, & tandem etiam ſeveritatis.

Primùm quod occurrit, eſt conſultatio de conſilio ſuo Abrahamo aperiendo; verſ. 17. המכסה hamekaſeh, *numquid celans ego*, id eſt, numquid celaturús ſum Abrahamum, quod ego facio, id eſt, quod mox facturus ſum? Vulgata, *Num celare potero?* Quæ verba, ad ſenſum quod ſpectat, eodem recidunt, dummodo ſanè intelligamus, qua ratione aliquando dicatur Deus aliquid non poſſe. Nam cùm impoſſibilitatis plures ſint modi, pauci ſunt qui ſine blaſphemia Deo attribui poſſint. Hos omnes hoc tempore non opus eſt ut annumeremus, ſed ut id tantùm ſtatuamus, Deum piè dici, *non poſſe*, quod non eſt conveniens, vel rationi conſentaneum; item contra decretum & ordinationem ſuam, & quod abſolutè effici non poteſt, quia implicat contradictionem. Hoc tertio modo

non eſt intelligendum, Deum non potuiſſe celare Abrahamum quod erat facturus, ſed tantùm quia id non judicabat conveniens, & contrarium decreverat.

Affert duas rationes, cur velit eum facere participem conſilii ſui; quarum prima deducta eſt à dignitate ad quam eum evexerat. ℣. 18. *Quia futurus erat in gentem magnam, & fortem, &c.* Hæc ratio reſpicit præteritum, etſi de futuro videatur enuntiari. Sed non tam ad executionem referenda eſt, quàm ad deſtinationem; quaſi diceret Deus, ego hunc deſtinavi ut eſſet pater multitudinis magnæ, &c. cur igitur celarem illum judicia mea; nam in dignitate quam conceſſerat Abrahamo, incluſa erat promiſſio de Meſſia. Itaque cui magnum illud conſilium de miſericordia Dei fuerat revelatum, non videbatur conſentaneum rationi, ut judicium notandum exerceret Deus in ejus vicinia, clam ipſo; *Non enim facit Dominus Iehova quicquam, niſi cùm revelaverit ſecretum ſuum ſervis ſuis Prophetis.* Amos 3. ℣. 7. Mira autem eſt ratio; Quia jam ipſum evexi ad magnam dignitatem, nolo eum celare quod facturus ſum. Mos eſt enim Dei, beneficia beneficiis addere, & priora novis recentibuſque augere & cumulare. Unde ſumi poteſt expoſitio dicti Domini, Luc. 8. ℣. 18. *Quiſquis enim habet, dabitur ei: & quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.* Quæ verba peſſimè corrumpunt, qui ſupponunt eſſe in hominibus naturales dotes, quibus cùm benè utuntur, Deus etiam addit ſupernaturales, atque ita compenſat bonorum augmento, bonum uſum arbitrii hominum. Quam Pelagianam gloſſam hoc tempore nonnulli interpolarunt, cum ſumma ingratitudine adverſus Deum. Senſus autem legitimus eſt, Deum iis quibus largitus eſt gratiæ ſalutaris initia, etiam progreſſus & complementum daturum: contrà iis qui putant & profitentur ſe multa à ſe ipſis habere, larvam detectam iri, adeò ut non ſolùm participes non fiant verorum bonorum, ſed etiam id ipſum quod ſe putant habere ab ipſis auferatur; quia vanitates eorum Deus detecturus eſt, ut qui ſe divites putant, vani & vacui reperiantur. Quemadmodum igitur hîc, beneficentiæ materiam ex ſe ipſo, non ex Abrahami meritis ſumit Deus; eadem ratione utitur erga omnes pios, ut diſcant initia, progreſſus & finē ſe habere à Domino.

Hîc autem ſuccurrere debet tritum illud, *Fœlix qui potuit rerum dignoſcere cauſas.* Commune eſt omnibus, tam piis, quàm impiis, ut divinorum judiciorum eventus videant, ſed ſolis fidelibus revelatum eſt, à quo procedant, & propter quid inſtituantur, item in quem finem tendant. Itaque norunt fortuitò nihil accidere, quia Dominus per verbum ipſis affulget, ne cum incredulis cæcutiant.

Altera ratio, cur Deus judicium ſuum voluerit Abrahamo revelare, continetur ℣. 19. כי ידעתיו ki jedatihu, *quia novi eum, propterea quod præcipiet filiis ſuis, &c.* verba aliquam obſcuritatem præ ſe ferunt. Vulgata ſic habet, *Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis:* unde Pontificii interpretes occaſionem ſumunt, attribuendi meritis prævifis, ſpecialium Dei benedictionum deſtinationem. Sic enim Pererius in hunc locum, *Deum ſcientem futuram Abrahæ pietatem in filiis ac poſteris ſuis ad cultum Dei & obedientiam religioſè inſtituendis, egregia quædam beneficia antè dediſſe ei, qualis fuit quæ hîc memoratur revelatio futuri Sedomorum exitii, &c.* Non inficiamur, in gratiarum divinarum diſtributione eſſe aliquem ordinem antecedentium & conſequentium. Sed negamus meritis dari antecedentibus ſuccedentia bona, vel Deum aliquid in fidelibus & piis boni prævidere, quod anteà non decreverit in ipſis efficere. Imò aſſerimus præcognitionem, aut cognitionem quæ hîc Deo tribuitur, eſſe fontem omnium quæ in Abrahamo poſteà futura erant laude digna. Itaque non benè verba Moſis vertit Vulgata, *Scio enim quod præcepturus ſit*, quia textus Ebræus primùm ponit cognitionem perſonæ, deinde cognitionem actionum. Nam ידעתיו *jedaatihu*, ſignificat] *novi eum*, nempè cognitione practica, ſeu benevolentiæ & affectus, non ſimplici ſcientiâ aut cognitione theoreticâ. Cognitio enim Dei, ſæpè in Scripturā, ubi ad homines tanquam ad objectum refertur, amorem & favorem ſupponit. Inde eſt quod rejectitii habentur, quos Deus non novit. Ergò cauſſa hîc ponitur, cur facturus ſit Abrahamus, quæ poſteà memorantur; *Quia cognovi eum*, id eſt, elegi, amavi, & favore meo proſecutus ſum, inde fiet, ut *præcipiat filiis ſuis, &c.*

Jam verò ex hoc Abrahami officio, quo ſedulò, ſic Deo ipſum movente, perfuncturus erat, appoſitè ratio illa altera deducitur, cur conveniens, utile & penè neceſſariū fuerit, ut de judiciis Dei & eorum cauſis informaretur, nempè ut aptus eſſet ad munus Doctoris in familia ſua, & acceptis Dei conſiliis, eadem apud ſuos & poſteros propalaret, ad juſti judicis gloriam, & hominum ſalutem. Ubi Deus ſeduli patrisfamilias officium deſcribit, non tantùm in iis curandis quæ ad hanc vitam pertinent; ſed præcipuè in iis quæ ſpectant pietatem, & obedientiam mandatorum divinorum, quia non tam de corpore, quàm de anima ſolliciti debent eſſe, & poſteris in ea parte conſulere.

Sic enim ille, *præcipiet filiis ſuis, & domui ſuæ* אחריו *acharav*, poſt ſe, *ut cuſtodiant viam Domini.* Ubi præcipiendi autoritas parentibus, & paſtoribus conceditur, hîc enim Abraham utramque perſonam ſuſtinebat; ſed agitur de autoritate limitata, ad Domini viam & ſtatuta, ne ſibi uſurpent in cauſa religionis aut cultus divini abſolutam præcipiendi autoritatem. Verba autem Dei hoc loco ita ſunt intelligenda, ut illud *poſt ſe*, nō referatur ad pręcipiendi actum, ſed ad obſervationem mādatorum divinorum, ut ſenſus ſit, Abrahamum, quandiu ſuperſtes erit, diligenter proviſurum, ut poſt deceſſum ſuum poſteritas benè anteà informata, in vero Dei cultu perſeveret, propoſitis judiciis divinis

nis contra refractarios. Geminus eſt huic locus 2. Petri cap. 1. ℣. 15. ubi Apoſtolus ait, *Sed & ſtudebo, ut vos ſubinde poſt exitum meum poſſitis horum mentionem facere.* Quo loco abutuntur quidam Pontificii, ut Bellarminus & Serarius, ut ſuam ſententiam confirment de cura & ſollicitudine Sanctorum defunctorum, circa eorum ſalutem, qui adhuc in terris vivunt, quam ſuis apud Deum precibus procurant. Quaſi diceret Petrus, *Studebo poſtquàm hinc exceſſero, ut horum mentionem faciatis*, cùm ſenſus ſit, *Studebo, quandiu ſum in hoc tabernaculo excitare vos per commonefactionem* (ſic enim paulò antè loquutus erat) *ut poſt obitum meum horum mentionem faciatis.* Quo ſenſu hîc de Abrahamo dicitur, non præcipiet poſt ſe, vel poſtquàm hinc abierit, filiis ſuis & domui ſuæ, ut obſervent, &c. ſed præcipiet filiis ſuis & domui ſuæ, ut obſervent Dei mandata poſt ſe.

Sequitur quid præcepturus ſit Abraham, & quo fine. 1. ושמרו *veſchameru*, ad verbum, *& cuſtodient*, id eſt, ut cuſtodiant, דרך יהוה *derec* יהוה *viam Domini.* Non qua Dominus incedit, ſed quam ex Dei præſcripto homines inſiſtere debent; uſitatum eſt enim in Scriptura totam rationem vitæ inſtituendæ, *viam* dici. Cùm autem homines in ea ſe gerunt proprio arbitrio, genium ſuum ſequentes, dicitur *via hominum*, quomodo Act. 14. ℣. 16. *præteritis ætatibus ſivit* Deus *omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere*, id eſt, vitam ſuam inſtituere ductu proprio, & ſuas inclinationes ſequi. Contrà *viæ Dei* dicuntur, quæ à Deo hominibus credenda & facienda præſcribuntur. *Doce me Iehova viam tuam, ut ambulem in veritate tua.* Pſal. 86. ℣. 11. Hinc eſt, quod verbum *ambulandi* ſumitur ſæpè pro *operari*, ut *cum Deo, coram Deo, poſt Deum, in viis Dei, in præceptis legeque Dei, &c.* Hoc ſenſu, Act. 13. verſ. 10. *vias Dei* appellat, doctrinam & vivendi rationem.

Quæ adduntur ſunt exegetica, & ſignificationem *viarum Dei*, quam propoſuimus, confirmant. לעשות צדקה ומשפט laaſoth tſedakah umiſchpat, *ad faciendum juſtitiam & judicium.* Phraſis eſt frequentiſſima in Scripturis ſacris, ſed quæ hîc primùm occurrit. De ſenſu ſatis apud omnes conſtat, per *juſtitiam & judicium*, intelligi quæ à Deo præſcripta ſunt in utraque legis tabula. Sed quænam ſit diſtinctio inter illas duas voces, & quid unaquæque propriè ſignificet ab alia diſtincta, non perinde conſtat. Judicium & juſtitiam facere tribuitur Deo & hominibus. Deo, ut Pſalm. 99. ℣. 4. *Iudicium & juſtitiam tu feciſti in Iacob:* ubi juſtitia accipitur pro præſidio, quo inopes auxilii Deus tuetur: judicium, pro ultione quam in improbos exercet. Eadem ſignificatione uſurpatur, ſed per analogiam, quando tribuitur regibus aut principibus populi, ut 2. Sam. 8. ℣. 15. *Faciebatque David judicium & juſtitiam populo*, id eſt, *judicabat juſtè.* Item verba Abſalonis, 2. Sam. 15. ℣. 4. *Quis ponat me judicem in terra, & ad me veniat omnis vir, cui ſit cauſſa, & judicium & juſtitiam faciam ei?* id eſt, *juſtè judicem.* Hic alia ratio eſt, quia non ad eos qui in poſteritate Abrahami aliis præficerentur pertinet quod dicitur, ſed ad omnes in univerſum. Propterea *judicii* nomen, additum *juſtitiæ*, nihil aliud ſignificare videtur, quàm id quod æquum & juſtum eſt. Sic apud Jobum, cap. 34. ℣. 23. *ut homo ambulet ad Deum in judicio*, pro eo quod eſt, ut *juſtè* & prout æquum eſt coram Deo verſetur: quamvis hunc locum alii aliter interpretentur, pro *venire in judicium contra Deum.* Sic Jerem. 22. ℣. 15. hæc duo conjunguntur *facere judicium & juſtitiam*, pro eo quod eſt juſtè coram Deo verſari. *Annon pater tuus comedit & bibit, & fecit judicium & juſtitiam, & tum bonum ei?* ubi Tremel. & Junius משפט miſchpat, *jus* interpretantur, quod rectum eſt; quod Gallicè dicimus *droiture, ou ce qui eſt droit.* Contrà, *Ædificare domum in non juſtitia, & cœnacula ſua in non judicio*, Jerem. 22. ℣. 13. hoc eſt, abſque æquitate, cōtra jus & æquum. Hinc eſt quod Dei leges & pręcepta dicuntur ſæpè *judicia*, Pſal. 119. id eſt, *jura*, vel regulæ juris & æqui. Ergò omnibus ſubductis, duæ illæ voces conjunctæ, ubi agitur de omnium hominum communibus officiis, ſic ſimpliciter reſumi debent, ut id quod *rectum & juſtum eſt* ſignificent, quibus comprehenduntur quæcunque in lege Dei præſcribuntur. Ubi tamen per legem Dei non intelligimus legem ſtrictè ſumptam, pro Decalogo aut aliis mandatis, etſi hac etiam ratione jus & æquum inde hauriamus, ſed in genere quicquid à Deo per verbum ſuum revelatum eſt, & hominibus communicatum ad ſalutem ipſorum. Idcircò ſub juſtitia & judicio comprehenditur etiam doctrina Evangelica, imò ſine ea non poteſt exerceri, modo qui Deo gratus ſit, jus & æquum.

In ſumma, his verbis conſtituit Deus Abrahamum Eccleſiæ Doctorem, & indicat hic locus, ante legem per Moſem datam, & Prophetarum revelationes ſcripto comprehenſas, Deum in populo ſuo veram doctrinam propagaſſe, & præcepta vivendi dediſſe viva voce Patriarcharum, qui per domeſticam inſtitutionem & diſciplinam, filios & domeſticos ſuos ea docuerunt quæ ſpectant ad ſalutem animæ, & quæ ad æternam fœlicitatem ſcire eos, tunc temporis, intererat. Ideò familiariter cum præcipuis egit, ut cum Abrahamo, Iſaaco, &c. ut in ipſorum familia verus cultus conſervaretur. Nec tamen propterea cum Pontificiis inferendum eſt, hoc tempore non eſſe neceſſarias Scripturas, & ſufficere vivam vocem eorum, qui quaſi per manus doctrinam neceſſariam poſteris tradunt. Quamvis enim abſolutè neceſſarium non fuiſſe agnoſcamus, ut ſcriptis doctrina ſacra committeretur, quaſi alia ratione Deus ſuos non potuiſſet in officio retinere: tamen poſitâ ordinatione divinâ, de qua jam conſtat, litigandum non eſt de eo quod fieri potuit, ubi certum nobis eſt quod Deus facere voluit. Nec valet argumentatio,

gumentatio, ab uno tempore ad aliud, à ratione propagandi doctrinam divinam in una familia, vel in uno populo, ad univerſum orbem terrarum, ab aliquot ſeculorum extraordinaria praxi, ad ordinariam praxim uſque ad mundi finem. Hæc qui non vident cæci ſunt, aut ſi videre nolint, etſi poſſint, præfracti, & digni qui in tenebris maneant, & cæci cum cæcis doctoribus cadant in foveam.

Hîc autem obiter notandum eſt, cognitionem voluntatis divinæ & judiciorum Dei, non eſſe talentum defodiendum; ſed in eum finem à Deo ſervis ſuis committi, ut lucrum ex eo Deo acquirant, & apud alios communicent, quæ ipſis fuerunt commiſſa. Nullam eſſe cognitionem quæ utilius diſcatur, ſi non ſibi quiſque eam ſervet, ſola ſpeculatione contentus, ſed eam ita, ſui ratione, ad praxim revocet, ut verbo & exemplo aliis præeat, Deo alioqui malè adminiſtratæ villicationis rationem redditurus.

Supereſt finis officii illius Abrahami, & tam benè collocatæ operæ; *ut faciat venire Deus ſuper Abraham, quod locutus eſt ſuper eum:* ſic enim habetur ad verbum Vulgata, *ut adducat Dominus propter Abraham, quæ locutus eſt ad eum.* In quibus verbis promiſſiones divinæ, ratione impletionis, ſuſpendi videntur ab hominum obedientia, & officii debiti præſtatione; imò etiam Abrahami meritum inde excudunt Pontificii, tam ſui ipſius, quàm poſterorum ratione, hæc verba ſic reſumentes, ut Deus propter Abrahami meritum, impleat in poſteris ejus, quod ipſi promiſerat. At particula על *al*, non ſignificat *propter*, niſi etiam in poſtrema voce hujus verſus עליו *alau*, vertere velint *propter eum*, quod abſurdum eſſet. Quod ſi vox illa eſſet etiam cauſalis, non tamen propterea ſequeretur aliquod meritum in Abrahamo. Quid igitur, negabimus ne finem obedientiæ & officii Abrahami hîc poni, impletionem promiſſionum divinarum? Nequaquam certè. Sed negamus, antecedens illud quod in ordine præcedere debuit, tanquam medium à Deo non ſolùm prævifum, ſed etiam proviſum, eſſe cauſſam impletionis; & dicimus particulam *ut*, conſequentiam quidem denotare, non cauſſam, nedum cauſſam meritoriam. Nec inficiamur, obedientiam & officia ſancta piorum eſſe conditiones, ſub quibus impletio promiſſionum nobis proponitur. Nec tamen inde ſequitur, fideles efficere ut Deus promiſſa ſua impleat. Ipſe enim eſt qui conditiones in nobis implet, quæ ſi in promiſſionibus includantur, ut ſit, ſimul etiam includitur, Deum daturum velle & perficere. Alioqui nulla Dei promiſſio certa eſſet, niſi in ſuis Deus impleret immutabiliter conditiones promiſſionibus annexas. Id oſtendebamus contineri verbis præcedentibus, *Nam novi eum*; cognitio enim illa Dei quæ fuit amoris & benevolentiæ, propoſita eſt tanquam cauſſa officii ab Abrahamo benè præſtandi. Si ergò aliquando Deus *propter Abrahamum ſervum ſuum*, aut ſimiles alios promittat ſe benedicturum eorum poſteritati, ita ut etiam fideles ſæpè Abrahami, Iſaaci, &c. meminerint in ſuis precationibus, id non referendum eſt ad aliquam meritorum opinionem in Patriarchis, quaſi propterea Deus debitor eſſet ipſis conſtitutus, ſed ad fœdus cum iis initum, & promiſſiones quibus ſe Deus quaſi adſtringere voluit, quarum etiam complementi partem ſpectabant, in ſanctorum illorum Patrum converſatione, quam opus Dei in ipſis agnoſcebant.

Exercitatio XCIII.

Accuſatio Sodomæ & ſororum. Quid ſit peccatum clamans? De eo elegans Salviani conſideratio. Proceſſus judicialis Dei, ad hominum captum deſcriptus. Quo fine? Tres cauſæ puniendorum peccatorum, ex Philoſophis. Quæ omnes concurrunt in pœnis Davidis. Pontificios ex pœnis poſt remiſſionem peccati, malè inferre eſſe quaſdam ſatisfactorias. Modeſtia Abrahami pro Sodomitis apud Deum agentis. An verum ſit, Deum nunquam perdere juſtum cum injuſto? Differentia juſtorum & impiorum in ſimilibus pœnis externis. Quomodo in Sodomis præter Lotum putarit Abraham eſſe aliquot juſtos. Pererii de Abrahami interpellatione dura ſententia. Indulgentia Dei erga Abrahamum, gradatim de numero dementem. Error vulgatæ editionis. Humilitatis ſcholam aperit Abrahamus. Quomodo ejus precatio ex fide fuerit? Indulgentia Dei remittentis de numero juſtorum, neceſſariam non fuiſſe, ſed voluntariam: neque ad exemplum trahendam. Liberationem Loti Abramo fuiſſe conceſſam.

His præmiſſis, Deus ℣. 20. incipit aperire conſilium ſuum, & rationem quam inire voluit, in judicio ſuo contra Sedom exercendo. Ubi primùm continetur accuſatio, his verbis, *Clamor Sedom & Amorah, quia multiplicatus eſt, & eorum peccatum, quia eſt aggravatum valdè.* Nihil Deo incognitum eſt, ne id quidem quod etiam nos latet à nobis factum. Itaque Deo judici non opus eſt teſtibus; neque ut intelligat quid rei inter homines agatur, opus eſt ut fama id ad eum deferat, vel ut mala perpetrantium inconditæ voces ad aures ejus perveniant. Sed hoc loco Deus, mutuatis ab hominum more

more locutionibus, exaggerat Sodomæorum peccatum, & ſuam ipſius juſtitiam aſſerit. Sicut enim ii qui publicè apud homines peccant, & ſua ipſorum ſcelera propalare non erubeſcunt, de iis gloriantes, provocant judices ad vindictam, ad eam alioqui nimis pronos: ſic Deus oſtendere vult, eò uſque proceſſiſſe impudentem Sodomæorum libidinem, ut, etſi diſſimulare vellet, tamen id amplius fieri non poſſet, quia ad extremum pervenerant. Quia ipſimet contra ſe teſtarentur, & peccatorum enormium voces uſque ad cœlum pertingerent. Quò refertur exprobratio Eſaiæ contra Iſraëlitas, cap. 3. ℣. 9. *Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicaverunt, neque diſſimularunt.* Significans ita ſe eos proſtituiſſe ad omnem nequitiam, ut ſua flagitia nullo pudore jactarent, ac ſi glorioſum ac laudabile apud eos foret, omni diſcrimine turpis & honeſti calcato, quidvis licentiæ ſibi permittere. Auguſtinus lib. *de locutionibus Ebraicis*, notat clamorem peccati ſolere à ſacra Scriptura ſumi pro impudentia & licentia tanta, ut nec verecundia nec timore ullo peccatũ occultetur, quæ ratio verbis Eſaiæ nuper citatis confirmatur.

Generatim tamen omne peccatum in cœlum clamare dicitur, quod gravitate ſua tale eſt, ut diutius non videatur à Deo diſſimulandum, vel ejus vindicta diutius protelanda. Hinc tritum illud de quatuor peccatis ad Deum clamantibus, quorum primum eſt maſculorum concubitus, de quo hìc agitur. Secundum eſt, cædes innocentium, de qua Geneſ. 4. ℣. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* 3. Violenta infirmiorum oppreſſio, Exod. 3. ℣. 7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eorum audivi, propter duritiam eorum qui præſunt operibus.* 4. Mercedis defraudatio, Jac. 5. ℣. 4. *Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Sed talia peccata clamantia ad quatuor illa non debent coarctari. Jonæ enim 1. ℣. 2. in genere de Ninivitis dicitur, *aſcendiſſe malitiam eorum in conſpectum Dei*, ubi LXX legunt, *aſcendit clamor malitiæ ejus*, κραυγὴ τῆς κακίας. Optimè Salvianus Maſſilienſis, lib. 1. de Provid. *Quare* (inquit) *peccata hominum quaſi clamare teſtatur? ſcilicet quia cadi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ut non differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. Oſtendit ergò Dominus quàm invitus puniat, etiam graviſſimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit: hoc eſt dicere, miſericordia quidem mea mihi ſuadet ut parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam.* Hæc ille.

Verſ. 21. humanis vocibus exprimit Deus ſuam in judicando, & vindictam exercendo, ſapientiam & æquitatem. *Deſcendam*, inquit, *nunc, & videbo, an ſecundùm clamorem ejus qui venit ad me, fecerint conſummationem*, ſic enim ad verbum. Addit, *& ſi non, ſciam.* Vulgata, *Videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere impleverint, an non eſt ita, ut ſciam.* Tremel. & Junius, כלה *kalah*, conſummationem vertunt, *facta digna conſummatione.* Chal. Paraphraſtes locum ſic exponit non malè; *Revelabo me nunc, & cognoſcam, num juxta clamorem ſuum qui venit coram me, fecerint: conſumam eos penitus, ſi non fecerint pœnitentiam, quod ſi pœnitentiam fecerint, non ſumam ab iis pœnam.* Certum eſt, ἀνθρωποπάθειαν continuam eſſe in toto hoc judiciali proceſſu, in qua Deus ſe accommodat hominum captui. Nam qui utique præſens eſt, & omnia novit, ei non opus eſt ut mutet locum, nec etiam poteſt, qui loco non continetur. Dicitur tamen deſcendere & aſcendere, &c. vel propter effectus quibus ſe præſentem teſtatur, vel etiam ratione viſibilis alicujus formæ, qua ad tempus ſe exhibet quodammodo viſibilem. Primo modo, ratione effectus, ſuprà cap. 11. ℣. 5. & 7. ubi de pœna ædificantium turrim Babel agebatur. Ratione effectus, ſimul & patefactionis viſibilis, ut hoc loco.

Sed non ideò cogitandum eſt, Deum tanquam vel inſcium, vel adhuc dubium in judicium deſcendere, qui jam teſtatus eſt, clamorem Sedom ad ſe uſque perveniſſe. Nec clamor ille potuit eſſe rumor adhuc incertus, aut fama dubia, qualis ſæpè ad aures principum ex remotis locis pervenit, quibus ideò neceſſaria eſt plenior informatio, antequàm ſententiam ferant. Qui intima cordis novit, quomodo dubius eſſet in publicis & notiſſimis criminibus? Ergò Deus loquitur more hominum, qui judicaturi anteà profitentur, ſe niſi causâ accuratè examinatâ & benè cognitâ condemnaturos. In quo Deus non ſibi regulam fixit, quæ non erat neceſſaria, ſed his verbis exemplum voluit præbere judicibus, ne præcipitanter ſe gererent in judicio exercendo: & proptereà teſtatum reddere, ſe temperato & juſto ordine ad pœnas progredi, ne, quod ſæpè accidit, homines conquerantur, cùm caſtigat, juſto ſeverius cum iis agere. Itaque voluit velut in illuſtri tabula, ſuam in peccatoribus ferendis æquitatem depingere, ut ſciamus, eum nunquam ad pœnas prorumpere, niſi maturis ſceleribus. Huc facit phraſis hæc, *videbo an* עשו כלה *fecerint conſummationem.* Quæ verba intelligi debent ex phraſi conſimili, ſuprà explicatâ, cap. 15. ℣. 16. cùm dixit, *nondum eſſe completas iniquitates Amorrhæorum.* Quod fit, cùm peccatorum gravitas eò uſque proceſſit, & ad cumulum pervenit, ut ſumma & extrema animadverſione digna ſint. Ad quam Deus nunquam procedit, niſi poſt diutinam expectationem, & longi temporis patientiam. Tardo enim gradu ad vindictam divina procedit ira, quæ tamen tam longam poſteà patientiam ſupplicii gravitate compenſat. Hinc eſt quod ſe ubique longanimum & tardum ad iram profitetur, præſertim ubi de extremis ſuppliciis agendum, quæ etiam in multis differt & reſervat in alteram vitam, ſive in diem iræ, ut loquitur Paulus ad Rom. 2.

Quod ſi in hac vita notabilem aliquam punitionem exerceat, non ſtatim ut patrata ſunt peccata, fulmina ſua vibrat, ſed in longum protrahit animadverſionem, concedens peccatoribus pœnitendi tempus. Et ſi aliquando peccata puniat inſigni quadam pœna, ſtatim ut admiſſa ſunt, id fit, cùm talia ſint, & à talibus perpetrata, ut eorum virus longè manans, quamplurimos ſua contagione corrumpere ac depravare poſſet. Propter quod vindictam ſumpſit de Chore, Dathan, & Abiran. Num. 16. Quò etiam referri debet mors ſubita Ananiæ & Saphiræ. Act. 5.

Non malè Philoſophi quidam olim, ut refert Gellius, Noct. Attic. lib. 6. cap. 14. puniendis peccatis tres eſſe cauſſas exiſtimarunt. Una eſt, quæ νουθεσία, vel κόλασις, vel παραίνεσις dicitur: cùm pœna adhibetur caſtigandi, atque emendandi gratiâ: ut is qui fortuitò deliquit, attentior fiat correctiorque. Altera eſt quam ii qui vocabula iſta curioſiùs diviſerunt, τιμωρίαν appellant: ea cauſa animadvertendi eſt, cùm dignitas autoritaſque ejus in quem peccatum, tuenda eſt, ne prætermiſſa animadverſio, contemptum ejus pariat, & honorem elevet. Idcircoque id ei vocabulum, à conſervatione honoris factum putant. Tertia ratio vindictæ eſt, quæ παράδειγμα à Græcis nominatur, cùm punitio propter exemplum, eſt neceſſaria; ut cæteri à ſimilibus peccatis deterreantur. Hi tres fines conſiderari poſſunt in pœnis Davidi poſt peccatum inflictis. De primo, nempè caſtigatione & emendatione, dubium non eſt, cùm ipſe ubique agnoſcat ſe à Domino caſtigatum fuiſſe & emendatum. Secundum exprimitur in verbis Nathanis Prophetæ, 2. Sam. 12. ℣. 14. *quia blaſphemando blaſphemare feciſti inimicos Iehovæ in hoc negotio, etiam filius qui natus eſt tibi, moriendo morietur.* Ad exemplum autem faciebat, quod Deus ipſi pœnas inflixit, *in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu Solis.* Et hæ ſunt cauſſæ, cur aliquando Deus poſt reconciliationem cum peccatoribus pœnitentibus, eos affligit pœnis temporalibus, non quidem, ut pro peccatis ſuis ſatisfaciant, ut volunt Pontificii, ſed ut emendentur, ut Dei autoritas aſſeratur, & aliis ſint exemplo. Vindicta in impios, qua eos planè delet aut evertit Deus, duos poſteriores fines habet, priorem nunquam, ſi planè tales ſint ut Deus eos perdere velit corpore & anima.

Quod anteà notavimus de creationis mundi hiſtoria, de ædificatione turris Babel & ſimilibus, nonnulla ex ſcriptis Moſis innotuiſſe videri Ethnicis ſcriptoribus, ex iis, quæ, fabulis tamen deformata, ſcriptis ſuis inſeruerunt: idem dicimus de hac judicandi formâ, quæ hoc loco deſcribitur: ex qua Ovidius Metamorph. lib. 1. videtur deſumpſiſſe, quæ de ſuo Jove recitat his verbis;

Contigerat noſtras infamia temporis aures,
Quam cupiens falſam, ſummo delabor Olympo,
Et Deus humana luſtro ſub imagine terras;
Longa mora eſt, quantum noxæ ſit ubique repertum
Enumerare; minor fuit ipſa infamia vero.

Quæ non longè recedunt etiam ab iis quæ legimus, Pſal. 14. ℣. 2. *Iehova è cœlis proſpectat ſuper filios hominum, ut videat an ſit intelligens, requirens Deum. Vnuſquiſque receſſit, pariter putidi facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt unus.*

Audito Dei conſilio, cùm Abraham videret Angelos Sedomam verſus tendere, dimiſſis duobus illis judicii divini executoribus, acceſſit ad eum quem ex ſignis & verbis Deum ipſum eſſe cognoverat, cum quo, à verſ. 23. ad finem uſque capitis, inſtituit dialogiſmum, qui dum eum patitur liberius & familiarius agere, ejus tamen affectum ita moderatur, ut ſui non oblitus, cum παῤῥησίᾳ ſervet humilitatem. Scopus ejus erat, precibus Deum flectere, ut miſeros illos populos adhuc toleraret, & tantæ multitudini parceret, in gratiam aliquot juſtorum, quorum tam exiguum numerum, vir bonus, qui ex charitate judicabat, ibi latere non exiſtimabat. Ubi dubium non eſt, quin vir ſanctus, affectus ſuos ita ſit ſemper moderatus, ut deſideria ſua ſubmiſerit voluntati Dei juſtiſſimæ. Supponit igitur ex charitate ibi fuiſſe aliquot juſtos. Ex fide aſſumit, *Deum nolle perdere juſtos cum impiis.* Hoc ille interrogatoriè proponit, ℣. 23. *Numquid diſperdes juſtum cum impio?* Hanc autem interrogationem, non ideò proponit, quod de juſtitia & æquitate Dei dubitet, ſed ut ſpem ſuam corroboret qua ſe ſuſtentabat, decretum illud Dei abſolutum non eſſe, & poſſe tales ibi reperiri qui juſtitiæ rigorem moderarentur. Reſpondet enim ipſe, ℣. 25. per rejectionem, *Abſit à te, ut facias rem talem, ut mori facias juſtum cum impio, & ſit juſtus ſicut impius. Abſit à te. An qui judex eſt omnis terræ non faciet judicium?* Ubi non id ſibi uſurpare putandus eſt, ut Deum officii ſui moneat, ſed id tantùm, ut argumentetur à natura Dei, & hoc ſibi perſuaſum eſſe teſtetur, impoſſibile eſſe ut Deus quicquam iniquè deſignet, quem æquum & juſtum mundi judicem agnoſcit. Sed quia difficultate aliqua angebatur, propter eos quos juſtos cenſebat, ideò nodum illum ſibi ſolvi cupit.

Sed hoc quæritur, an axioma illud univerſaliter ſumptum verum ſit, & nullam exceptionem habeat, Deum non diſperditurum juſtum cum injuſto, & an contra jus eſſet, ſi aliquãdo id Deus faceret? Id certè videtur neceſſarium, diſſimiliũ fines eſſe diſſimiles, nec æqualiter tractari ęquum eſſe, qui nõ ſimili, & æquo pede incedũt. Quod argumentum fatemur eſſe neceſſarium, ubi de extrema perditione corporis & animæ agitur; tum enim maximè apparebit piorum & impiorum non tam diverſa, quam contraria conditio. Ergo ſi de perditione ſpirituali hoc dictum ſuum intellexiſſet Abraham, de privatione divinæ gratiæ, & cõdemnatione ad mortem æternam, nulla poſſet eſſe adverſus ejus axioma exceptio. Sed cum Abraham temporale exitium ſpectaret, & de eo loqueretur, quod iſtis populis impendere vi-

re videbat, non poteſt eſſe neceſſaria ejus ſententia: Nam Deus nihil derogat juſtitiæ ſuæ, ſi pios alioquin & juſtos iiſdem temporalibus malis, cum impiis involvat, & calamitatibus ſubjiciat. Teſtatur Hiſtoria ſacra, duos ſanctiſſimos Prophetas Ezechiëlem & Danielem, una cum aliis pluribus piis viris abſtractos fuiſſe in duriſſimam ſervitutem, cum multis impiis, & iiſdem calamitatibus fuiſſe involutos. Aliquando etiam & non raro accidit, ut non tantùm pii cum impiis exilia paſſi ſint, & bonorum amiſſionem, ſed etiam gladio perierint.

Ubi duo notanda ſunt. 1. Nullos eſſe homines tam juſtos, quos ſi Deus rigidè cum ipſis agere velit, non poſſit ſine ullo juſtitiæ ſuæ præjudicio, in nihilum redigere, ſi id gloriæ ſuæ expediat. 2. Deum etſi videatur aliquando juſtos & injuſtos in pœnis externis non diſtinguere, & eodem quaſi flagello utroſque verberare, diverſo tamen fine atque effectu oſtendere, non parem eſſe apud ſe utrorumque rationem. Efficit enim ut impiis pœnæ iſtæ temporales, ſint quaſi æternarum præludia, quia ad eorum emendationem non faciunt, & eorum reſpectu ſunt punitiones juſtæ, & ſupplicia peccatorum. piis vero, non ſunt ſupplicia, ſed aliquando caſtigationes, ſæpè etiam probationes, quæ vel ad emendationem faciunt ſi opus ſit, ſemper autem ad majorem fidei laudem, & liberationem ab hoc mortis corpore, & aliis hujus vitæ miſeriis, quibus eximuntur. Quæ igitur improbis operantur ad perditionem, Dei amantibus cooperantur in bonum, nempe ad ſaluberrimum medicamentum, ſpiritualium virtutum augmentum, & famæ etiam decus & ornamentum. Non ergo fuit neceſſarium Abrahami argumentum, Deum juſtum judicem, non perditurum juſtum cum injuſto, relatum ad hujus vitæ miſerias & calamitates. Sed tamen quia videbat Deum præparare extraordinarium vindictæ genus, quo etiam æterna ignominia notaret perditos illos, potuit in tali cauſa judicare, Deum non involuturum juſtos cum injuſtis.

Id prætereà poſſet in quæſtionem vocari, quales juſtos in Sedom potuerit Abraham ſibi proponere. Nam ſi Lothum ſuum nepotem qui eo conceſſerat, exciperet, indigenæ omnes in malitia conſtituti erant. Et cum tunc temporis, Deus Abrahamo revelaſſet veræ juſtitiæ quæ ex fide eſt doctrinam, non videntur alibi eſſe potuiſſe, extra ejus familiam, qui verè apud Deum juſti dici poſſent. Dicendum eſt igitur primùm, ſic Abraham locutum fuiſſe ex judicio charitatis, quæ ſemper benè ſperat. Nec tale judicium Deo diſplicere, ſaltem in genere & indefinitum. Nec enim Abraham determinabat quinam eſſent juſti illi. Secundo, etſi Deus Abrahamum tunc ſpeciali vocatione à reliquis ſeparaſſet, inito cum eo fœdere, id non impediviſſe quominus etiam tunc fuerint inter reliquas nationes pii nonnulli, à Deo conſervati, in communi hominum depravatione, qualem fuiſſe Melchiſedecum anteà vidimus. Tertio, duplicem eſſe juſtitiam, unam quidem *perſonæ* ut vocant, & univerſalem, qua homo Deo gratus eſt & acceptus, ſive quis eam in ſe poſſet habere perfectam, quod nulli in hac vita datum eſt, ſive talis habeatur per gratuitam imputationem juſtitiæ fidei. Et tales fuiſſe multos juſtos inter nationes illas Abrahamum cogitaſſe non putamus: Alia eſt juſtitia, vel *cauſæ*, vel *honeſtæ inter homines converſationis*. Cauſæ, ut ſi multi fuerint ibi, qui polluti non fuerint infandis libidinibus, imò quibus aliorum ſcelera diſplicuerint: Cõverſationis inter homines honeſtæ, quæ comprehendit non ſolum alicujus criminis carentiam, ſed etiam multarum civilium virtutum conjunctionem. Hoc modo potuit Abraham exiſtimare, non paucos eſſe juſtos inter Sedomæos. Talis autem juſtitia etſi non reddat hominem Deo gratum ad vitam æternam, comparatè nihilominus ad ſceleratos, juſtorum nomen ipſis inter homines acquirit, facitque ut in punitione alicujus ſceleris à quo abhorrent, cum aliis qui ejus rei ſunt non comprehendantur. Proinde, ut quamvis tali juſtitia aut innocentia coram Dei judicio univerſali conſiſtere non poſſint, eximi tamen poſſint particularibus vindictis, ob crimina quædam ſpecialia irrogatis. Et hæc quidem de primo Abrahami argumento, à juſtitia Dei deſumpto.

Deinceps vir ſanctus ulterius procedit, non enim tantum ſupponit, Deum non diſperditurum juſtum cum impio, ſed etiam quærit, annon Deus propter aliquem juſtorum numerum loco illi, in quo communiter utrique habitant, non ſit parciturus? Id videtur ex eodem principio colligere, quia non poterat perdi cõmunis civitas, quin cives omnes incendio communi perirent. Non tamen id fuit neceſſarium, quia Deus alia ratione potuit juſtorum ſecuritati conſulere, eoſque eripere. Notum enim erat Noachum una cum ſuis, ab aquis diluvii fuiſſe ſervatum; Lothum poſtea ab incendio Sodomæorum fuiſſe ſervatum; Jeremiam à captivitate Judæorum. Et apud Ezech. cap. 9. proteſtatur Deus, ſi adhuc vixiſſent Noë, Iob, & Daniel, ipſos quidem ſe liberaturum fuiſſe, & terram nihilominus Judæorum perditurum. Id ergo non eſt perpetuum vel neceſſarium, ut Deus ne juſtos puniat cum injuſtis, parcat civitatibus quas communiter incolunt. Nam etſi in regno Iſraëlis non pauci eſſent veri Dei cultores; nihilominus, propter communem populi impietatem, Samariam, & alias civitates Deus delevit, & populum univerſum addixit captivitati. Argumenta igitur quibus hoc loco utitur Abraham, ſunt probabilia quidem, & deducta ex conſideratione eorum quæ vel ut plurimùm, vel aliquando à Deo fiunt. Talia tamen adverſus quæ, ſi Deus diſtrictè voluiſſet agere, ſuas habebat exceptiones. Sed indulſit in ea re ſervo ſuo, ejuſque ſollicitudinem pro vicinis ſuis de quibus benè meritus erat, non improbavit. Certè nolim cum Pererio dicere, Abrahamum in hac oratione *fuiſſe ſimilem oratori peſſimam cauſam defendenti, & in omnes partes ſe verſanti.*

ſanti, ut undecumq; poſſit, rapiat qualecumque defenſionis præſidium, miſcere verba, variare ſententias, involvere rationes etiam non admodum probabiles, nec propoſito ſuo valdè congruentes, omnem demum movere lapidem, ut impetret à Deo quod poſtulat. Poſtremum illud ut verum eſt: ſic certè quæ præcedunt dura ſunt, & ſi alicui noſtrorum excidiſſent, *horrendarum in ſanctos cœleſtes blaſphemiarum* reus perageretur.

Deus certè non repulit illam Abrahami compellationem, nec vel abſurdam, vel etiam improbabilem judicavit ejus propoſitionem, quam etiam calculo ſuo approbavit, ſe, nempe, parciturum toti loco, propter *quinquaginta* juſtos, ℣.26. Imò urgenti Abrahamo promiſit, ſe id facturum propter *quadraginta quinque*, ℣.28. Poſteà verſ.29. deſcendit, ad *quadraginta.* verſu 30. ad *triginta.* verſu 31. *ad viginti*, verſ.32. ad *decem*; ſic enim permiſſum fuit ſancto viro, ut de primo numero demeret, & interrogationes ſuas multiplicaret, uſque ad ſextam vicem; Quod Dominus non moleſtè tulit, placitè & benignè ipſi reſpondens. Verſus 28. in textu Ebræo ſatis perſpicuus, à vulgata editione obſcuratus & perplexus redditus eſt; ſic enim in ea legitur, *Quid ſi minus quinquaginta juſtis quinque fuerint? delebis propter quadraginta quinque univerſam urbem.* Ubi in ſecundo membro, contra textus Ebræi, Chaldæi, & Græci, fidem addit *quadraginta*, cum tantùm quinque ponendi eſſent, nempe deficientes quinque, è numero quinquaginta; ut ſit ſenſus, an propter quinque defectum deleturus es civitatem? Hoc vulgatæ ſuæ vitium non correxerunt novæ editionis procuratores, ad quod tamen multi poſſunt impingere.

Non eſt ſilentio prætereundum, quod Abrahamus, Dei familiaritate allectus, & velut audacior factus, dum ſubinde ex affectu quo ducitur, ut vicinos ſuos ab interitu eripiat, paulatim deſcendit à majori numero ad minus, non tamen obliviſcitur ſui, ſed interſerit commodè abjectionis & vilitatis ſuæ coram Deo confeſſionem: ut verſ.27. *Ecce nunc cœpi loqui ad Dominum, qui ſum pulvis & cinis.* Et cum agnoſcat, audacius quã par eſſe videretur ſe gerere in interrogando, deprecatur iram Dei, ante quam pergat, verſ.30. *Ne quæſo nunc ſit ira Domino meo, & loquar.* In primo, etſi aliarum rerum comparatione, non ignoraret quanta ſit hominis dignitas, quem Deus evexit ſuper opera manuum ſuarum, ita ut præcellat elementis, plantis, & animalibus aliis omnibus: tamen cum ad Deum accedit, nihil vilius dici poteſt. Qui enim ratione materiæ ex qua corpus eſt conflatum, pulvis exiguus eſt, etiam comparatione ad Deum, minus aliquid eſt; *omnes gentes, quaſi non ſint ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Eſai.40. verſ.17. Non quidem oblitus erat ſe anima immortali præditum eſſe Abrahamus, ſed quod maximè contemptibile erat elegit, quo ſe omni dignitate coram Deo exinaniret. Alludit autem ad ſententiam Dei Gen.3. verſ.19. *Pulvis ei & in pulverem reverteris*, quæ ipſi nota fuit, cum majorum inſtitutione, tum experientia quotidiana.

Sed hic detegitur uberrima humilitatis ſcaturigo, comparatio nempe noſtri cum divina Majeſtate. Quo enim propiùs ad Deum accedit homo, eo melius ſentit, quam miſeræ ſit & abjectæ conditionis. Proinde, ſolus gloriæ Dei fulgor homines ſtulta & ebria ſui fiducia exutos, pudore confundit & penitus humiliat. Unde apparet quàm verum ſit & appoſitum illud Gregorii lib.18. Moral. in Job. *Omnes ſancti, quanto magis interna divinitatis conſpiciunt, tanto magis ſe nihil eſſe cognoſcunt.* Quiſquis itaque ſibi aliquid eſſe videtur, in Deum convertat oculos oportet, ut ſe nihil eſſe fateatur. Hæc cogitatio ſuperbiam omnem retundere debet, quæ ſignum eſt animi profani, de magnitudine Dei nunquam cogitantis.

In ſecundo, ubi ad ſextam inſtantiam deventum eſt, præfatus ſe ibi ſubſtiturum, iram Dei deprecatur, metuens ne importunitate exacerbetur: Et id iterum ex humilitate, quæ non imminuta fuit, Dei facilitate. Nec eſt quod quis exiſtimet Abrahamum dubium, apud Deum interceſſiſſe, cum neſciret an ea quæ peteret grata eſſent Deo, proinde precatum ſine fide. Non enim id ſequitur. Quia etſi dubius eſſet de ſingulari Dei conſilio in ea re, fide tamen ad Deum acceſſit, quæ dubia nunquam fuit, in eo quod ſpectabat Dei favorem & gratiam erga deprecantem. Reliqua autem omnia, prout in talibus fieri debet, ita proponebat, ut conditionem voluntatis divinæ, gloriæ Dei & ſalutis fidelium ſemper ſupponeret: quod omnes fideles faciunt, qui ea expetunt & à Deo requirunt, quæ in ſe quidem ſunt bona, ſed an expediant, aut an Deus aliter ſtatuerit, certo non norunt.

In reſponſionibus Dei, animadvertendum eſt, conceſſionem illam de tota civitate conſervanda, in gratiam, non tantum quinquaginta, ſed etiam decem juſtorum, regulam non facere, ut ſtatuamus, quotieſcumque talis numerus piorum alicubi ſupereſt, Deum judicia ſua contra locum illum dilaturum. Specialis fuit conceſſio Abrahamo facta, quę trahi non debet in conſequentiam perpetuam, quaſi ad id Deus ex juſtitia vel æquitate teneretur. Id enim à miſericordi voluntate totum pendebat. Nec ſemper & ubique id expediret aut conveniens eſſet, ut propter exiguum bonorum numerum, magnæ impiorum multitudini Deus parceret. Quod certè Deus nunquam abſolutè in verbo ſuo promiſit. Habet nihilominus hæc Dei facilitas, unde agnoſcamus propenſiſſimam ejus voluntatem erga ſuos, in quorum gratiam etiam impiis benè facit, & eorum precibus, etiam in iis quæ juſtitiam ſuam remorari videntur, ſe flecti ſinit. Sed tota hæc inquiſitio non ſine ſpeciali Dei providentia directa fuit, permiſſumque ut ad numerum uſque decimum Abrahamus deſcenderet. Hoc enim maximè facit ad juſtitiæ divinæ æquitatem commendandam, quia exaggeratur hoc

modo

modo maximè, gentis illius malitia. Sic Jerem. cap.5. ℣.1. *Percurrite*, inquit, *plateas urbis Ieruſchalaimorum, & videte jam, atque cognoſcite, & diſquirite in plateis ejus, an inveniatis virum, qui exerceat jus, requirat fidem, & condonabo illi.*

Hic non legimus Abrahamum nominatim precatum fuiſſe pro Lothi nepotis ſui liberatione. Maluit enim Moſes charitatem Abrahami in eo oſtendere, quod de omnibus illis qui civitates illas inhabitabant tam fuerit ſollicitus, quod majus erat; quam, quod non ita magnum erat, meminiſſe petitionis ſuæ in gratiam ejus qui eum ſanguine attingebat. Eſt tamen probabile, id ab Abrahamo non fuiſſe omiſſum, aut etiam Deum præveniſſe, & indicaſſe Lothum ſibi curæ fore; etſi id Hiſtoria Sacra non apertè recitet, niſi quod ex eventu & executione, nobis id judicandum relinquat. Quod facilè fieri poteſt ex verſ. 29. cap. ſeq. *Fuit, cum perderet civitates illas planitiei, ut recordaretur Deus Abrahami; ideoque emitteret Lothum è medio ſubverſionis.* Ex quibus patet, liberationem Lothi etiam Abrahamo fuiſſe conceſſam.

AD CAPUT XIX.

EXERCITATIO XCIV.

Partitio Capitis XIX. *Conſideratio dicti Angelorum præ ſe ferentium ſe in platea velle pernoctare. An faveat æquivocationibus? Explicatur locus parallelus Luc.* XXIV. verſ. XXIX. *Quomodo unum & idem objectum homines differenter moveat? Culpam omnem eſſe in hominum perverſitate. Univerſalis corruptio Sodomitarum. Lothi inter Sodomitas habitatio cui uſui. Explicatur locus* 1. Pet. 2. *& ejuſdem verſio vindicatur. Sodomitarum nefanda petitio. Quis ſenſus verborum*, ut cognoſcamus eos? *Examinatur Lothi conſilium filias ſuas offerentis Sodomitis, ut vim eorum ab hoſpitibus arceret, & qua ratione excuſari poſſit inquiritur. Conſectaria quædam notanda.* Venire in umbra *alicujus. Prætextus impiorum, piis adverſantium. Multitudinis & Antiquitatis prærogativas, non eſſe argumenta ſolida veritatis. Quâ cæcitate percuſſi fuerint Sodomitæ? & quænam illius fuerint cauſæ, & effectus?*

CAput XIX quatuor habet conſideranda. I. Hoſpitalitatem Lothi, & Sodomæorum adverſus Angelos, quos homines putabant crimen atrox intentatum, cum ratione qua vis eorum repulſa fuit. II. Lothi Liberationem, & uxoris ejuſdem metamorphoſim horrendam. III. Excidium per incendium extraordinarium totius impudicæ & impiæ gentis. IV. Filiarum Lothi inceſtus cum patre, ex nimio generandæ prolis deſiderio.

Dixerat Deus, *deſcendam & videbo*; ubi oſtendimus, Deo non opus eſſe inquiſitione, qui omnia novit. Sed aliquando Deus facere dicitur, id, quod efficit aut ab hominibus fieri. Cum enim objecit Sodomæorum conſpectui Angelos ſuos, effecit, ut eorum ſcelus omnibus innoteſceret, & judicii quod meditabatur æquitas, neq; ab Abrahamo, neque aliis in dubium revocari poſſet, poſtquàm actu tam indigno, in quo tot ſcelera multiplicabantur, publicaſſent infamiam ſuam. Occaſio igitur fuit Lothi hoſpitalitas, qui duos Angelos virorum forma incedentes excepit ad portam civitatis, eoſque domum ſuam deducere, & eis officium hoſpitalitatis prębere conatus eſt, quod tandē obtinuit. In ejus invitatione adeò ſedula, & humana, in qua toties & tam continuè inſtat, probatur ſinceritas ejus, & non fucata aut affectata benignitas. Compellatio etiam tam honorifica ignotorum virorum, quorum ſe profitetur ſervum, index fuit humilitatis comitati junctæ. Et hæc quidem omnia per ſe, ſunt ſatis perſpicua.

At ℣.2. ſub finem, in Angelorum reſponſione, qua denegant quod petebat, & profitentur ſe in platea velle pernoctare, cum tamen id nō fecerint, & tandem ſe flecti ſiverint ut ad Lothum diverterent, videtur eſſe quædam diſſimulatio, ex qua etiam & ſimilibus, nonnulli hoc tempore, pernicioſam doctrinam de æquivocationibus & mentalibus reſervationibus, conantur non tam excuſare, quam ſtabilire & propagare. Sunt, qui inter ſimulationem & diſſimulationem ita diſtinguunt, ut per illam intelligant, cum quis fingit ſe eſſe, aut id facere, quod neque eſt, neque facit; hanc vero, cum quis fingit ſe non eſſe, aut nolle, vel non facere, quod tamen cupit aut facit; ut hæc quidem ad negationem, illa ad affirmationem referatur. Utramq; à mendacio diſtinguūt, cum quis aliter ore loquitur, quam in corde ocultum gerit. Mendacium eſſe vitioſum; ſimulationem aut diſſimulationem ad prudentiā ſæpè referri, nec cum veritatis & charitatis regulis neceſſariò pugnare. Ad civilitatē eam réfert hoc loco Mercerus, ut animum Lothi explorarent & cognoſcerent, ejuſq: virtutem magis commendatam facerent, qualium ſimulationum plenā eſſe humanam vitam ut verum eſt; ſic etiā plerumque eſſe affectatas & à ſinceritate alienas. Sed hoc loco nihil tale; nec etiam neceſſarium eſt, ut ad ſimulationē recurramus; cum Angelorum

gelorum verba pro eo tempore quo dicebantur ſimpliciter intelligi poſſint ac debeant; etſi poſteà aliis verbis paſſi ſint ſe permoveri ad aliud conſilium. Quod enim dicunt, *Nequaquam, ſed in platea pernoctabimus*, non eſt prædictio rei futuræ, quæ certè falſa fuiſſet, ſed præſentis intentionis ſuæ ſignificatio, id eſt, ſi non magis urgerētur: tunc enim haud dubio, facturi fuiſſent quod dicebāt. Itaq; in hac verborum & factorū varietate nullum eſt mendacium, nec etiā ęquivocatio. Quia loquūtur ſecundum rei præſentis veritatē. Cum enim aliquid affirmamus & negamus ſecundū pręſentem rei ſtatum, ſi poſteà res mutetur, poſſumus ex veritate aliter de ea loqui. Exemplo nobis ſit huic quaſi parallelus, & quo etiam æquivocatores abuti conantur locus, ex Luc. 24. ℣. 24. & 29. ubi Dominus poſt reſurrectionem ſuā duobus ex ſuis diſcipulis Emauntem proficiſcentibus cum ſe comitem addidiſſet, cum ad pagum accederent, *finxit*, ut habet vulgata editio, προσεποιεῖτο, Eraſmus *præ ſe ferebat* (*quod honeſtius & convenientius* judicat Janſenius) *longius ire*. Non enim ſatis mihi probantur quorundam Scholaſticorum reſponſiones, ut Thomæ, *quod Dominus finxit ſe longiùs ire, ad figurativè ſignificandum, quod ipſe ab eorum fide longè erat*. 2. 2. q. 3. art. 1. ad 1. Ubi dicit, *non omne quod fingimus eſſe mendacium, ſed quando id fingimus quod nihil veri ſignificat. Cum autem fictio refertur ad aliquam ſignificationem nō eſt mendacium, ſed figura veritatis.* Alii id referunt ad Ironiam, jocum, aut tropum Rhetoricum; ut Michæas per irriſionem falſa proferebat corā rege Achab 1. Reg. 22. ℣. 15. nō ut eum falleret, ſed ut falli à falſis Prophetis doceret, quo pacto medici faciunt, cum falſa dicunt ægrotis. Simplicius eſt, ſi dicamus, hoc geſtu externo voluiſſe Dominū augere & propalare deſiderium quo tenebantur diſcipuli ut eum retinerent & ejus præſentia diutius fruerentur, ad communicationē ampliorem: quem finē ſi nō habuiſſet, tunc reipſa diſparuiſſet, aut ulterius proceſſiſſet. Ita Angeli iſti, negatione ſua tacitè conditionata eo tendebant, ut manifeſtarent, cum Sodomitarū impudentiā, tum Loti ſinceritatem in hoſpitibus invitandis & excipiendis. Cum enim eo fine deſcendiſſent, ut viderent, id eſt, ut manifeſtarent mores Sodomitarū, ita ſe gerunt quaſi ignorarent periculū quod in platea pernoctantibus imminebat. Ad Lotum quod ſpectat, negatio eorum tacitè conditionata, eo tendebat, ut oſtenderent ejus hoſpitalitatem fictam non eſſe, nec eum à bene faciendo revocari, etſi hoc ipſi apud concives invidioſum eſſet futurum. Quod poſtquàm evidenter apparuiſſet, tunc Angeli acquieverunt ejus compellationi. Nulla fuit igitur ęquivocatio, ut nec in facto Chriſti. Nā profiteri ſe velle longius ire, aut eſt de præſenti, redditque hunc ſenſum, Chriſtus vult longius ire; ſed id vult inefficaciter ſive conditionaliter, aut donec conſtitutum ſit ei velle contrarium: aut eſt propoſitio de futuro, ſi ſic exponatur, Chriſtus iturus eſt longiùs: Enunciatio verò de futuro ſi ἁπλῶς vera non eſt, vera tamen eſſe poteſt in ſenſu præciſo ſecundum diſpoſitionem cauſarum. In ſumma, talis ſimulatio, quę exploratoria tantum eſt, & in bonum, nullo modo confundi debet cum vitioſa ſimulatione virtutis, aut amicitiæ, aut innocentiæ, doctrinæ etiā vel officii, in qua ſubeſt dolus malus, & impoſtura. Ad hanc referri debet dictum Ciceronis, *Omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa, tollit enim judicium veri atque adulterat, tum amicitiæ repugnat maximè. Delet enim veritatem, ſine qua nomē amicitiæ valere non poteſt.* In *Lælio*, ſive de *amicitia*.

Aliter longè affecti fuerunt cives indigenæ Sedomi, quibus objectum illud talium virorum movit quidē potentiam, ſed nō ad bonum: excitavit enim in illis nefandam libidinem; ideoq; magno numero conveniunt, nō ſolùm ut jus hoſpitalitatis violent, ſed etiam ut injuriam maximā inferrent alienis hoſpitibus. Non dubium eſt, duos illos Angelos ſpecie virorum apparuiſſe forma eleganti & juvenili, in qua micabant etiam majeſtatis non vulgaris ſcintillæ. Hoc autem objecto propoſito eduxit Deus quod intus latebat, tam in Loto, quam in aliis cōcivibus ejus. Lotus enim occaſionē inde arripuit benefaciendi, cujus deſiderium auxit talium advenarū majeſtas & elegātia. Contrà, formæ dignitas & venuſtas quæ in iſtis Dei ſervis illucebat, à quibuſdā ex infamibus iſtis conſpecta, & per totam civitatem ex rumore cognita, concupiſcentiam ipſorum inflammavit. Cui malo circumſtantia temporis etiā aliquid addidit, quod ingreſſi ſunt urbem ſub veſperam, ut ibi pernoctarent.

Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent.

Neque Deo tamen, neque Miniſtris ſuis Angelis tribuēda eſt cauſa tanti mali, ſed hominum iſtorum (ſi tamen homines) effreni cupiditati. Objectū enim quod Deus ipſis propoſuit bonum erat, & tale quod in Lotho aliter diſpoſito, occaſionem præbuit boni operis exercendi. Quemadmodū enim unus & idem ſol radios ſuos emittens in aliquem locum, in roſis odorem ſuavem & gratū excitat, in cadavere fœtorem; ceram liquefacit, & lutum indurat, ſic Angelorum apparitio eadem, eventus habuit contrarios in Loto & Sodomitis. Ipſe Dominus Ieſus in mundum veniens multis fuit in ruinam, aliis in reſurrectionem. Luc. 2. verſ. 34. Evangelium aliis eſt odor vitæ, aliis eſt odor mortis. 2. Cor. 2. v. 15. Divitiæ piis ſunt dona Dei, & virtutum inſtrumēta, impiis contra laquei, & malorum irritamenta. In ſumma quæ præſtantiora ſunt, à malis in occaſionem vertuntur malè operandi, & contra diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Sed à parte hominum ſemper eſt perditio & cauſa mali. A Deo autem procedit omne bonum, cujus eſt effector in ſuis, ut in impiis permiſſor & director.

Et hic quidem habemus rationem unam, cur aliquādo ſcriptura de Deo loquatur tanquam incitante & velut inſtigante impios ad ſcelera patranda, quibus exitium ſibi accerſunt; nempe cum latentem eorum impietatem, aut ſaltem ad tempus, operis externi ratione ceſſantem; oblatis occaſionibus alioqui bonis & ſalu-

ſalutaribus, foras educit; quo tempore etiam novit eos talibus occaſionibus abuſuros in perniciem ſuam. Cum enim miſit Angelos, vultu humano, forma rara & excellenti, ingruente noctis tempore, in civitatem quæ præpoſtera libidine diffluebat, ſatis noverat, quid illi occaſione data molituri eſſent. Id tamen fecit ſapienter & juſtiſſimè, non talem cupiditatem animis eorum inſtillando, abſit! ſed hac occaſione utendo, ut notum omnibus faceret, quam juſte ad extremam illam vindictam deſcenderet, in homines addictos talibus ſceleribus, & tandem ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſos. Hanc providentiæ Dei circa hominum peccata adminiſtrationem, agnoſcit Arminius in Theſib. de provid. Dei in malo, Theſ. 8. ubi dicit, *Eſſe providentiæ Dei circa peccati initium efficientiam, nempe adminiſtrationem argumentorum & occaſionum, quæ ad actum, qui ſine peccato à creatura patrari nequit incitant, ſi non ex intentione Dei, ſaltem ſecundum affectum creaturæ, & non raro ſecundum eventus, qui inde exiſtunt. Quæ argumenta vel menti, vel ſenſibus, tum externis tum internis objiciuntur, & hoc vel mediata creaturarũ opera interveniente, vel immediata actione Dei, &c.* Eventum autem Deo eſſe præcognitum dubitari non poteſt, ſatis enim noverat quid facturi eſſent Sodomæi, cum Angelos ſuos miſit, tali ſpecie, & tali tempore.

A verſu 4. uſque ad 8. deſcribitur Sodomitarum violentiſſimus furor, quo probata fuit ſinceritas & conſtantia Lothi in tuendis hoſpitibus ſuis, quo affectu, per ſe bono abreptus, conſilium cœpit de cujus æquitate videndum erit. Moſes autem diligentiſſimè omnia percurrit quæ ad judicii Dei & vindictæ neceſſitatem demonſtrandam faciunt: inter quæ prima occurrit peccantium univerſalitas, ut quiſque videat non mirum eſſe ſi Deus civitati non pepercerit, in qua omnes ſe iniquitati mancipaverant; *à puero*, inquit, *uſque ad ſenem, omnis populus,* מקצה *mikkatſe*, ab extremo, nempe civitatis. Ubi primùm in genere viros dicit, quos poſteà ſecundum differentias ſpecificat, à minimo uſque ad maximum, ita ut non juvenes pudor, non ſenes ætas abſterruerit à nefando crimine; non ex unò aliquo civitatis loco, ſed ab extremitatibus, ex quibus accurrunt undique velut ſigno dato. Cum autem deſcribitur Sodomæ deplorata corruptio, ab unius crimine de cæteris civitatibus eodem judicio obrutis judicandum. Nam quia erat velut metropolis, ab ejus moribus, de aliis facilis eſt conjectura. Benè notat Ambroſius, Lib. 1. de Abrahamo Patriarcha, cap. 6. *Præſtrui his verbis divini judicii æquitatem, ne fortè quis diceret, quid peccaverunt pueri, ut omnes exitio involverentur? Ita nullus ibi juſtus fuit? Audi ſcripturam teſtificantem: Quia circumdederunt domum, ab infante uſque ad ſenem, totus populus pariter. Nulla ætas erat culpæ immunis, & ideò nullus fuit immunis exitii. Qui poſſibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum, effœtæ vires ſenum, ſed mens plena libidinis.* Hæc tamen extendi non poſſunt ad infantes uſu rationis carentes; qui tamen eodem judicio juſtè fuerunt involuti. Habuerũt enim in ſe corruptionis ſemina, & jure ſublati ſunt, ne ſuorum exemplo & ductu in idem crimen inciderent, qua ratione tolerabilior fuit eorum damnatio, quibus non licuit parentum terere veſtigia.

Mirandum eſſet Lotum, hominem juſtum, tamdiù in talium monſtrorum conſortio potuiſſe habitare, niſi hoc ipſi teſtimonium redderet ſcriptura, quod inter ſceleratos habitans, juſtè tamen ſe geſſit; à Dei ſpiritu ita motus, ut velut divinæ juſtitiæ præco, lachrymis & exemplo conaretur eos avertere à tam profligata vita. Et id etiam facit ad ſcelera eorum exaggeranda, quia Deus non eos planè deſtituerat medio, ſi ei voluiſſent obtemperare. Prætereà hinc maximè commendatur Loti juſtitia, qui inter inquinatiſſimos homines potuit vivere purus ab iſtiuſmodi ſordibus: unde obtinuit hoc elogium, 1. Petri 2. ℣. 7. *Et juſtum Lot, libidinoſa nefariorum converſatione fatigatum eripuit. Iuſtus enim ille, quum habitaret inter eos, in dies animam juſtam iniquis illorum factis, & videndo & audiendo excruciabat.* Sic hæc verba interpretatus eſt Beza, βλέμματι γὰρ καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος, ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν. Quo nomine ei litem intendit & vulgaribus noſtris verſionibus Jeſuita Cottonus in ſua Plagiaria Geneva, quia non ſequutus eſt verſionem vulgatam, quæ legit, *Aſpectu enim & auditu juſtus erat, habitans apud eos de die in diem, animam juſtam iniquis operationibus cruciabat.* Hinc Ieſuita clamitat, noſtros locum horribili mòdo depravaſſe, quia non poſſumus ferre ſi quis dicat juſtitiam ſenſus moderari, & Lotum *auditu & viſu* juſtũ fuiſſe. Quæ mera eſt calumnia, quia neutrum negamus, ſed id tantum, verba Apoſtoli referri debere ad juſtitiam viſus & auditus; quia potius agit de injuſtis operibus, quæ juſtus ille audiebat & videbat. Verſio enim vulgata, verbum *erat* de ſuo addidit; quo ſublato, de verbo ad verbum talis erit conſtructio quam Arias Montanus expreſſit, *Aſpectu enim & auditu, ille juſtus habitans in ipſis, diem ex die, animam juſtam iniquis operibus excruciabat.* Quorum verborum evidentiſſimus eſt ſenſus, in quo ὁ δίκαιος juſtus ille, ſubjectum eſt totius propoſitionis; attributum eſt, quod excruciabat animam juſtam propter iniqua ipſorum opera; illud autem βλέμματι καὶ ἀκοῇ, præponitur tanquam ratio, cur ſe affligebat, nempe *ex viſu & auditu* talium, aut ex talibus viſis & auditis, quia in ſacra ſcriptura ſæpe ponuntur nomina ſenſuum, pro rebus ſenſu perceptis, ſic *auditus*, pro *prædicatione, &c.* Inter ipſos Põtificios Vatablus, Cajetanus, Iſidorus Clarius, Emanuel Sa, ſic cum noſtris intelligunt, *cum ſpectando & audiendo res, nempe adeo turpes, inhabitaret inter illos, quotidiè animum diſcruciabat.* Eſtius etiam fatetur, hunc eſſe verum ex Græco ſenſum, neq; articulum græcum poſſe pati interpretationem quam alii

alii aſſuunt; oſtendit viſum & auditum, ea ſignificare quæ videbat & audiebat,& ad eam rem citat ex Pſal.118. *Vidi prævaricantes & tabeſcebam.* Res ipſa per ſe manifeſta eſt, nihil eſt enim in toto textu, quod non eo nos ducat, ut agnoſcamus afflictionem Lothi profectam fuiſſe, ex eo quod apud ſceleratos illos *videbat & audiebat.*

Inter quæ fuerunt voces iſtæ totius multitudinis, à qua ædes ipſius fuerunt obſeſſæ. *Vbi ſunt viri qui venerunt ad te nocte? Educ eos ad nos,* ונדעה אתם *venedea otam*, & cognoſcemus eos. Quæ verba, etſi alibi ab aliis prolata, eum ſenſum poſſent habere qui non traheretur in malam partem: tamen ex ſceleratorum iſtorum moribus, de eorum ſcopo & intelligentia ita judicavit pius Loth, ut non dubitarit eorum verba ad abominandum illud vitium referre, quod ipſo cogitatu horrendum eſt. Itaque cognitionem illam intellexit, quæ hoſpites ſuos quæreret ad nefandum abuſum, non ut diſcerent quinam eſſent, vel unde venirent, & ad quid? Quod fortaſſe cum aliquo prætextu fieri potuiſſet, quandoquidem apud hominem eo loci peregrinum, divertebant ignoti homines. Et fortaſſe etiam illi turpius enunciarunt, quod ſcriptura honeſto vocabulo retulit. *Cognitionis* enim vox per ſe honeſta, in ſcriptura rem pudendam ſæpè honeſtè refert, & ad omnes carnales conjunctiones, ſive licitas ſive illicitas ſignificandas uſurpatur. Non poteſt igitur convenire eorum interpretatio, qui ita hæc verba accipiunt, ac ſi impii illi ut libidinem ſuam deteſtandam obvelarent, Lotum accuſaſſent, quod temerè ſuſcepiſſet exteros, cum ipſe exterus eſſet, & cum neſcirent quinam eſſent, velle ipſos propiùs cognoſcere. Sunt enim rationes apertæ, cur *cognoſcendi* vox hoc loco, in alia ſignificatione ſumi debeat; Cur enim Lot obtuliſſet filias ſuas? Cur eodem cognoſcendi vocabulo uſus eſſet, dum earum integritatem deſcribit? Certum eſt igitur hoc loco, deſcribi communem illam vocem & deteſtandam, qua Sodomitæ ſcelus ſuum publicarunt, ut ſupra ex Eſai. cap.3. oſtendimus, *hinnientes* non *ad uxores proximorum ſuorum*, ut apud Ierem. 5. verſ.8. nonnulli; ſed libidinis ardore incenſi ad leges naturæ calcandas & vincula omnia confringenda dilapſi. In quo crimine hoc illis accidit, quod quemadmodum juſti illi Abrahamus & Lot, cum homines putarent ſe excipere hoſpitio, Angelos receperunt; ſic iſti cum vellent homines comprimere, ipſos Dei Angelos, quantum in ipſis fuit, injuria affecerunt.

At, quo major fuit eorum impudentia, eo major fuit Loti humanitas & conſtantia, quæ ſe in eo caſu exeruit, ita ut ſe & ſuos maluerit omnibus periculis objicere, quam pati ut jus hoſpitalitatis infringeretur, & vis fieret iis, quos ideo apud ſe invitaverat, ut ſecuri pernoctarent. Primò igitur foras egreditur, nec dubitat ſe objicere periculo; imò clauſo oſtio hoſpitibus proſpicit ſui ipſius oblitus. Deinde etſi graviter offenſus blandè eos alloquitur, & tanquam fratres compellat. Tandem eo uſque procedit, ut potius quam patiatur factum adeò deteſtandum, præfert id quod minus malum cenſet, etſi ipſi graviſſimum & familiæ ſuæ valdè ignominioſum, ut duabus filiabus ſuis, quas etiam à virginitate commendat, potius abutantur, quam hoſpitibus ſuis vim inferant.

Hoc Loti conſilium quale fuerit merito inquiritur, nec mirum eſt de eo eſſe varias interpretum ſententias. Nam cum Lot juſti encomium in ſcriptura obtinuerit, cū eo ipſo tempore quo id proponebat Sodomitis, Deo cōmendatiſſimus fuerit, nec eo nomine legatur ab Angelis reprehenſus; ſunt qui eum etiam ab omni culpa liberant. Alii autem facti qualitatem conſiderantes, quod nullo caſu probari poteſt, illud etiā Pauli perpendentes, Rom.3.8. *non eſſe facienda mala, ut eveniant bona*, excuſant quidem virū bonum, impiorum importunitate abreptum; factum tamen improbant, & bonitatem Dei agnoſcunt, qui non paſſus eſt ut reipſa Lotus filias ſuas proſtitueret.

Inter veteres Chryſoſt. & Ambroſius factum extollunt, hoc tantum argumento quod ex duobus malis minus elegerit; quod ut in malis pœnæ aut ſupplicii laudandum eſt, ſic in malis culpę aut delicti nō eſt probandum. Itaque Auguſt. lib. contra mendacium ca.9. de hoc ipſo Loti facto agens, poſtquàm ea attulerat, quæ alii ad laudandum aut excuſandum uſurpaverant, *Sed*, inquit, *ſi hanc peccatis aperuimus viam, ut committamus minora, ne alii majora committant; lato limite, imo nullo limite, ſed cōvulſis & remotis omnibus terminis, infinito ſpatio cuncta intrabunt atque regnabunt peccata.* Tandem concludit non eſſe imitandum factum, in quo etiam peccatum agnoſcit. Sic enim ille; *Aliena quippe vir ille juſtus timendo peccata, quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum.*

Agnoſcimus Lotum ſibi propoſuiſſe bonum finem, ſed medium illud ab animi perturbatione ſuggeſtū, bonum non fuit; nec ejus factū poteſt approbari, in omnibus ſuis circumſtantiis: Qui in eo laborant, & exiſtimāt, perſuaſiſſimum ipſi fuiſſe, vel homines illas filias ſuas neglecturos alia libidine incenſos; vel certū fuiſſe de Dei favore, qui non permitteret tale dedecus intentari familiæ ſuę; vel prudentię & charitatis fuiſſe, majus malū, minori impedire, vaticinātur quidem multa, ſed videre debuerunt, Deū non eſſe tentandum, vel libitu noſtro non licere, favoris ſui vel potentiæ experimenta & probationes petere. Et certè, ſi id locum habeat, idem ſperare debuit de hoſpitibus ſuis, Deum non permiſſurum ut impiorum libidini objicerentur, poſtquàm eos domi ſuæ excepiſſet. Cogitare debuerunt, non eſſe legitimum & licitum uſum patriæ poteſtatis, quem his verbis Lot uſurpabat. Nec enim parens jus habet, quovis prætextu, filiarum ſuarum pudicitatem proſtituendi, quod potius tyrannicum quam paternum fuiſſet.

Qua-

Quapropter eorum ſententiæ calculum noſtrum adjicimus, qui factum illud fuiſſe culpandũ arbitrantur; elevari autem, aut utcumque excuſari poſſe cenſent, 1. ab ingenti animi perturbatione, quę mentis judicium ſæpè confundit & turbat, cujus ſatis gravem cauſam habuiſſe ſanctum virum in confeſſo eſt. 2. Multum de culpa etiam deterere non dubitamus, flagrantiſſimum illud & acerrimum ſtudium, hoſpites ſuos à tam nefaria injuria liberandi. Non igitur trahendum eſt Loti conſilium ad imitationem, ſed in alium prorſus uſum potius convertendum; ut, nempe, agnoſcamus in toto curſu vitæ ſanctorum, non ſolum, quemadmodum exemplis anteà probatum eſt, obrepere aliquando errores, & peccata quædam immiſceri; ſed etiam, maximè probandas eorum actiones, ſæpè etiam nonnullis maculis deformari.

Nam ut humanitas & charitas Loti, maximè inter tales, virtutes ſunt commendatiſſimæ; Id tamen etiã videmus, animi perturbationem & conſternationem ei ſuggeſſiſſe conſilia præpoſtera. Itaque non ſolùm ſpectanda eſt bona intẽtio, quod boni Idolum pleriq; adorant, ſed potius legibus divinis, quam hominũ exemplis, actiones noſtræ ſunt dirigendæ: niſi ubi eodem incedũt pede, leges & exempla, ut ſpiritus ejus ductu viam rectã inſiſtamus, ſive ſpectemus facti ſpeciem, ſive finem propoſitum, ſive intentionem, ſive media omnia & circumſtantias. In ſumma, ſit *lucerna pedibus noſtris verbum Dei.* Pſal. 119. ℣. 104. Hac ſcoria rejecta, auri multa ramenta ex hoc facto colligimus.

1. Iuſtam quam ſuſcepimus cauſam ex vocatione divina, non tantùm tuendam eſſe ubi omnia plana ſunt & expedita, ſed etiam in mediis difficultatibus rectam viam eſſe tenendam, & in bono facto perſeverandum, atque de officii noſtri debito ita cogitandum, ut in mediis periculis, clauſis velut oculis ambulemus, & conſtanter, periculis neglectis, in bono opere perſeveremus.

2. Omnibus modis, ſed licitis & juſtis, impediendum, non ſolùm ut aliorum peccatis non communicemus; ſed ne illi etiam in malum præcipites ruant; nec excuſari poſſe, qui ſeipſos quidem coërcent, ne cum aliis perpetrent mala, ſed neque verbis, ut precibus, vel reprehenſionibus, alios deterrent; Nam Paulus Epheſ. 5. ℣. 11. non ſolùm prohibet ne communicemus operibus infructuoſis tenebrarum: ſed etiam ut ea redarguamus, monet. Nam ſi inhumanus judicatur, qui cum videt bovem aut aſinum proximi ſui errantem aut lapſum, nõ eum officiis ſuis juvat, Exod. 23. ℣. 5. barbaries erit igne divini judicii vindicanda, *ſi alios terrore non ſervemus, ex flamma rapientes, odio habentes vel eam tunicam, quæ carnis contactu ſit maculata.* Judæ ℣. 23.

3. Sed propenſus Loti animus in protectione hoſpitũ ſuorum, etſi ignotorum, maximè nobis imitandus proponitur: Cujus etiam ſancti officii obſervatorem ſe fuiſſe profitetur Jobus, cap. 29. verſ. 12. & ſeqq. *Oculus*, inquit, *videns teſtificabatur mihi, me eripere pauperem vociferantem, pupillumque, & cui adjutor non eſt, &c.*

4. Tandem, quia perditiſſimis hiſce temporibus accidere poteſt, ut aliquando, etiam in ipſo Chriſtianiſmo, Sodomæ quadrivia comperiantur, ſedulo cavendum, ne ſceleratorum hominum converſatione turpiſſima, vel tantillum inficiamur. Sed in mari ſalſo, dulcedinem nihilominus cum Loto ſervemus.

Poſtremis verſus 8. verbis, indicatur Loti de ſuis hoſpitibus ſollicitudo, quæ tanta fuit, ut ad omne aliud periculum planè fuerit velut ἀναίσθητος. *Tantùm*, inquit, *viris iſtis ne faciatis quicquam.* Sic enim ſunt interpretanda verba textus, לאנשים האל *laanaſchim hael*, viris iſtis, non *viris Dei.* Ubi *hael*, eſt pro *haelleh*, ut verſ. 25. infra, הערים האל *haarim hael*, civitates iſtas, non civitates Dei. Necdum poterat *viros Dei* appellare, quos Angelos eſſe nondum noverat, imò ne norat quidem an Dei timentes eſſent. Non enim reſpexit qualitatem perſonarum, cùm eos invitavit, quos tantum, deſiderio hoſpitalitatem exercendi, exceperat.

Item verba quæ ſequuntur אל תעשו דבר *al taaſu davar*, benè vertuntur, ne faciatis eis quicquam. *davar*, enim tum verbum, tum rem ſignificat. Itaque non facere ipſis rem, eſt nihil ipſis facere, nempe mali; quod ſatis illi ipſi profligati homines interpretantur poſteà, verſ. 9. cum reſpondent, Nunc, inquiunt, נרע לך *naraa leka*, malefaciemus tibi, præ ipſis. Ergo quod requirebat id erat, ut nihil quicquam mali in ſuos hoſpites perpetrarent.

Addit rationem, Propterea venerunt in umbra קרתי *korathi*, tigni mei. Vulgata, *culminis mei.* Targum שריתי *ſcharithi*, habitationis meæ. קורה *korah*, trabem, aut tignum ſignificat, & per Synecdochen uſurpatur pro domo, quam Rabbini vocant בית מקורה *beth mekorah*, domum tabulatam, quales ſunt in civitatibus, ad differentiam tabernaculorum. Ubi Loth non exponit virorum illorum conſilium, non enim ob eam cauſam ad ipſum diverterant; ſed ſuum ipſius conſilium, qui propterea illos invitaverat ne pernoctarent in plateis & eis accideret aliquid mali. Id igitur à ſuis concivibus obtinere ſatagit, ut ſaltem, ſua cauſa, parcant hoſpitibus ſuis. Non quod alias rationes non haberet fortiores per ſe, ſed quia non putabat, ſi eas duceret vel à Dei mandato, vel ab honeſtate, &c. tanti apud impios homines futuras; maluit uti argumento ducto à civili ſocietate, quæ etiam ſæpe apud homines, alioquin impios, eſt alicujus momenti, quia bonũ ſuum ſpectant, & ſibi metuunt vel à retaliatione, vel ab alia aliqua jactura. Jus commune gentium illis adducit, cujus violatio ſemper habita fuit apud omnes periculi plena. Sed ſurdis canebat vir bonus, nec audiebat currus habenas. Ibi non locum habuit illud Virgil. Æneid. 1.

Tum pietate gravem & meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, &c.

Neque igitur ſe ipſum, neque hoſpites ſuos potuiſſet ſceleratorum hominum violentiæ eripere: ipſe prior vim paſſurus erat, quam intentabant, non quidem talem, qualem hoſpitibus moliebantur, ſed ut eum repellerent, & fores effringerent; irritatiores facti, blanda ipſius compellatione, quod ſignum fuit deploratæ malitiæ. Quid enim dixerat vir pius, unde conjicerent eum velle uſurpare dominationem, & judicis partes ſibi aſſumere? qui, *fratres*, eos benignè appellaverat, qui humiliter rogaverat, qui etiam rationem eam addiderat, quæ omnes qui humanitatem non exuerant debuiſſet permovere. Id tamen ex eorum verbis colligimus, non ſemel juſtum illum admonitionibus uſum fuiſſe, ut eos à ſuis vitiis revocaret.

Huc enim referendum eſt, quod indignabundi dicunt, וישפט שפוט vajjiſchphoth, ſchaphoth *& judicavit judicando*, hic peregrinus! id eſt, quamdiu patiemur exterum hominem apud nos gubernatoris & judicis partes uſurpare? Hoc eſt quod Petrus voluit innuere loco ſupra citato ex 2.2. verſ.8. *juſtum illum in dies, animam juſtam, iniquis illorum factis excruciaſſe.* Non enim exiſtimandum eſt, dolorem ſuum & triſtitiam ita preſſiſſe & apud ſe retinuiſſe, ut cauſam ejus diſſimulaverit, & ignem zeli divini & ſalutis animarum intus ita concluſum habuerit, ut non erumperet ſubinde, & juſtitiam Dei prædicaret. Hoc eſt enim piorum officium inter impios, inter quos etſi non proficiant pro voto eorum conatus, tamen reſpiciendum ipſis eſt quid Deo debeant, quid etiam charitati; ſemper enim benè ſperandum, ſaltem de quibuſdam, tantiſper adhuc dum patienter ſe gerit Deus erga homines. Planè autem deſperatos non fuiſſe omnes ſenſu Loti & opinione, ex eo conſtat, quod affinitatem nonnullorum Sodomæ civium, ut poſteà patebit, non exhorruerat. Nec inutile eſt ſervorum Dei miniſterium etſi apud homines non multum proficiant; nam ad hoc ſaltem valet, ut Dei juſtitia & æquitas magis ac magis pateſcat, & ipſi etiam animam ſuam liberent.

Hic autem ſe prodit iniquorum hominum ingenium, quod in Sodomitis non defecit, quia talium ſemper ſatis magnus eſt proventus. Solent illi ſuis perſecutionibus quærere prætextus, optimas eorum actiones, calumnioſis interpretationibus corrumpentes. Lotum accuſant, quaſi dominationem vellet uſurpare, ut eum cum aliquo prætextu vexarent. At nulla cauſa fuit, niſi quod cum videret inundare diluvium criminum, ex officio conatus eſt, innocentes tueri, & impios à maleficiis, blandis verbis revocare. Eadem paſſa eſt noſtris temporibus Eccleſia: Cum enim Loti à Deo excitati nonnulli, adverſus novæ Sodomæ abominationes ex adverſo ſtarent, eamque monerent ex officio, ut *memor eſſet unde excidiſſet & reſipiſceret.* Apoc. 2. verſ.5. pios autem hortarentur, ut caverent ſibi ab idolis, &c. Hoc primum fuit ipſis intentatum crimen, quod autoritatem Principum, ordinum omnium & rerumplicarum convellere ſatagerent. Ut olim Elias ab Achabo tanquam turbator Iſraëlis calumniam paſſus eſt. 1. Regum 18. verſ. 7. Quod anteà acciderat Davidi, poſteà Ieremiæ & aliis, tandem ipſi Chriſto & Apoſtolis. Hinc conſolationis materia ſuppetit, iis qui patiuntur ob benè facta.

Non eſt etiam omittendum, quod perverſi iſti obiter inſinuant argumentum quo jam multi abutuntur, deductum à multitudine ſtante ab una parte, contra paucos, aut etiam unum. Sic enim illi, האחד *haechad*, unus venit ad peregrinandum, &c. Hoc enim illi volunt, hic unus eſt, adverſus tam multos, an patiemur, unum omnibus ſe opponere? Ita, tempore patrum noſtrorum, paucitatem probri loco objecerunt Pontificii, iis qui reformationem urgebant, ſe autem numero longè præſtantes, non putabant pati debere ut à paucis, novis, ut vocabant hominibus arguerentur.

At hanc objectionem retundunt, Noachus, Gen.6. 8.9. &c. qui ſolus cum paucis in Arca ſalvus factus eſt, poſtquàm ſolus contra tam multos diu præconis juſtitiæ munus impleviſſet. Elias qui, 1.Reg.19. verſ. 10. ſe ſolum remanſiſſe putabat, & tamen conſtans in vero Dei cultu contra multitudinem Idololatrarum perſeverabat. Eſaias qui cap.8. verſ.18. exclamat, *Ecce ego & nati, quos dedit mihi Iehova, in ſigna & in oſtenta apud Iſraëlitas ſumus, &c.* Ambulandum igitur cum Deo, exemplo Patrum, ut ſupra dictum eſt cap. 17. verſ. 1. non cum multitudine. *Ne timeas puſille grex, nam viſum eſt patri veſtro dare vobis regnum.* Luc.12. verſ.32. Certè, ſi multitudo errantium patrocinaretur errori, viciſſent Sodomitæ, & notam Eccleſiæ poſſediſſent adverſus Lotum, qua nova Sodoma gloriatur.

Eadem eſt ratio alterius notæ, ut id obiter dicamus, qua etiam Pontificii ſuam inſigniunt congregationem, jactant enim ſuam antiquitatem, & ſucceſſionem à multis ſeculis; nec patiuntur eos, quos novos homines vocant, de reformatione verba facere, eamque urgere, contra veteres cives, & longa ſucceſſione gaudentes, illud ſubinde Tertulliani ingeminantes, *Qui eſtis & unde veniſtis?* Sed adverſus illos vibratum, qui à Deo erant alieni, ſubjicit enim, *Quid in meo agitis non mei?* At qui bonis argumentis oſtendunt ſe Dei eſſe, poſſunt etiam qui ſint, & unde veniant, probare: nec neceſſe eſt ſemper, ut ex ipſis iis exoriantur quos redarguunt, etſi etiam ex iis Deus ſuſcitaverit, qui ei negotio utilem operam navarunt.

Quid

Quid, quod ſi titulos & inſtrumenta ſucceſſionis illius & juris civitatis, quod jactant, examinaremus, vix poſſet etiam ſubſiſtere vel externa ſucceſſio, quæ tamen aut nullius, aut exigui eſt momenti? Sed id tantùm pro tempore animadvertemus, eodem argumento voluiſſe Sodomitas Loto os occludere, quod ſolus eſſet contra multitudinem, & peregrinus homo, vel novus, contra indigenas & veteres urbis incolas & cives. Jam vero quærimus, penes quos jus fuerit in hac cauſa? Si tum Lot in animo habuiſſet, aut tentaſſet, uſurpare civitatem eamque ſibi ſubjicere, ſi leges civitatis, ſi quæ bonæ fuerint, refigere; tunc certè ſevera dignus fuiſſet animadverſione, ſed quæ tamen ex ordine publico debuiſſet fieri, non à promiſcua multitudine, hora intempeſta, & reo non audito. Sed cum ageretur de jure Dei, contra quod, neque antiquitas, neque ſucceſſio, neque aliquid tale præſcribere poteſt; cum nihil aliud moliretur, quam ut ſalvo ſtatu reipublicæ manente, vitia & crimina quibus ſcatebat, abolerentur, pietas & juſtitia ſtabiliretur, ſolus ille, univerſæ multitudini; novus, antiquitati; advena recens, indigenis omnibus, in eo fuit præferendus.

Alioqui cauſa cecidiſſent Prophetæ, adverſus ſacerdotes, multitudine & ſucceſſione prævalentes. Imò ipſe Dominus noſter & Apoſtoli, adverſus ſcribas, Phariſæos, & ſeniores populi, qui etiam iiſdem notis & titulis olim turgebant. Sed veritati nihil præſcribit. Nec novi vel advenæ cenſeri debent, qui ad antiquos dies, aut potius ad antiquum dierum provocant, & homines ad æternam Dei veritatem revocant, extra quam nulla vera ſocietas eſt, vel ſalutaris communio.

Hactenus ſe geſſerunt Angeli tanquam homines, quibus opus eſſet hoſpitis præſidio adverſus vim intentantes: Nec aliud de iis judicaverat Lotus. Deinceps effectis & verbis ſe produnt, & vim ac poteſtatem pluſquam humanam exerunt. Expertus erat quid poſſet ſanctus vir, & quicquid habebat induſtriæ fruſtrà apud refractarios & ſceleſtos homines exhibuerat. Sed vi res gerebatur, cui ferendæ non erat. Jam igitur ſancti illi hoſpites ſuas vices habebunt, & Loti voluntati quidem bonæ, ſed inefficaci, reddent ſubſidium efficacis defenſionis & liberationis, tam à violentorum manibus, quam à communi excidio, cujus executores eſſe debuerunt.

Primum eorum factum hoc fuit, quod narratur verſ. 10. *Et miſerunt viri illi manum ſuam, & introduxerunt Lot ad ſe, clauſeruntque oſtium.* Miſerunt manum, eſt quod latinè dicimus, *manum injecerunt*, qua phraſi vim factam denotamus. Significat igitur Moſes, Angelos illos, etſi nondum tales Lotho cognitos, ita in ſubſidium ejus veniſſe, ut vi facta, eripuerint eum violentis Sodomitis. Quod adverſus tantam multitudinem, & ſic animatam, fieri non potuit vi humana, nam alioqui duo homines, tot furioſis unum non eripuiſſent, nec ſe ipſos, qui præſertim quærebantur, periculo ſubduxiſſent.

Non fuit ſatis eripuiſſe præſenti periculo, niſi etiam in futurum caviſſent, ne tandem in ipſas ædes effractis valvis erumperent. Additur itaque verſ. 11. *Et viros qui foris erant percuſſerunt* בסנורים *beſanverim*, cæcitatibus, *à minimo uſque ad maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent*, Ebraicè וילאו למצא, *vajjilu limtſoth*, & laboraverũt ad inveniendum, nempe fruſtrà. Hic magis exeruerunt potentiam ſuam Angeli, qui tantam multitudinem ſcotomate percuſſerunt momento.

Ubi notandum eſt talem non fuiſſe cæcitatem, quæ eos privaverit potentia viſiva, aut etiam, ratione quorumvis objectorum, ipſis oculorum uſum abſtulerit; Sed tantùm viſus eos defecit, ratione domus & oſtii Lot, cujus factum eſt ut ſitum, & formam diſcernere non potuerint. Quod cæcitatis genus græci nominant ἀορασίαν, cum qui alia videt, quæ maximè quærit & cupit videre non poteſt. Itaque notant Ebræi, nomen illud plurale סנורים *ſanverim*, oculorum & animi cæcitatem ſignificare, quam quis externè videns, non tamen percipit, aut diſcernit, quod videt, nec agnoſcit aut ſcit quid videat, quod gallicè appellamus *eblouiſſement*, cum ſimul interiores ſenſus ſunt præcluſi. Quod accidit in iis qui vino madidi ſunt, qui quamvis videant, non diſcernunt tamen, & ſæpè fatigantur proprium oſtium quærendo. Chaldæus reddidit בשבריריא *beſchabriraja*, quaſi radios, vel irradiationes, cum quis immodica luce offuſcatur, ut ejus oculis velut radii objiciantur, qui ejus oculorum aciem præpediant.

Eadem vox uſurpatur, 2. Regum 6. verſ. 18. Ubi ad preces Eliſæi percuſſi fuerunt Syri ſubito ſcotomate, qui poſteà imprudentes ſequuti ſunt Prophetam quem quærebant, in mediam uſque Samariam. Nam etſi viderent Prophetam, non tamen putabant eſſe Eliſæum, & quamvis viderent Dothan, in qua civitate fuerat, non tamen eam diſcernebant. Benè notat Auguſtinus, in Sodomitis non fuiſſe cæcitatem hac ratione, quia *ſi cæcitas fuiſſet, quæ facit ut nihil poſſit videri, non oſtium quo ingrederentur, ſed duces itineris à quibus inde abducerentur, inquiſiviſſent.* Judicat ergo fuiſſe ἀορασίαν, *cum aliquid non videtur quamvis adſit, ab iis qui alia quæ pariter adſunt vident.* De Civit. Dei lib. 22. cap. 19.

Quomodo autem id fieri potuerit, aut qua ratione factum fuerit dubitari poſſet. Nam de cauſæ efficientis potentia, non eſt controverſia, ſed de formali hujus ſcotomatis cauſa & ratione. Autor libri Sapientiæ ca. 19. verſ. 16. id refert non ad aliquam mutationem in per-

in perſonis ipſis, ſed ad aërem circumjacentem, cum dicit eos fuiſſe *circumamictos tenebris*, non tantum vulgaribus illis nocturnis, ſed talibus quales in tota Ægypto emiſſæ fuerant, excepta habitatione Iſraelitarum. Nec improbabile eſt, obſcuratum fuiſſe aërem Angelorum operâ. Sed præterea aliud in ipſorum oculis, & tota cerebri conſtitutione accidiſſe certum eſt. Alioquin enim non dicerentur percuſſi ſcotomate, quod de Ægyptiis dictum non fuit, ſed obvoluti tenebris. Cum itaque ad videndum hæc omnia ſimul ſint neceſſaria, objectū, medium, & potentia viſiva, unà cum ſenſu communi; ſi aliquid horum deſit, impeditur viſio, puta ſi objectum ſubducatur, quod fieri potuit, ſi operâ Angelorum ſpecies januæ propoſita fuerit, repræſentans parietem continuum, & ſolidum, aut aliam diverſam figuram. Si medium ita obſcuratum fuerit, aëre denſato proximè januam, ut nullas ejus ſpecies recipere potuerit. Si in potentia viſiva vitium contigit, malè affecto ſenſu communi; quod poſtremum mihi probabilius cenſetur, ita ut tamen ex aliis defectibus aliquid fuerit admixtum.

Addit autor Sapientiæ, *quemque ſuarum forium viam perquiſiviſſe*, qui non videtur referre fruſtraneum illum quem inſumpſerunt laborem, ad perquiſitionem januæ Lothi; ſed ad id quod cæcitate percuſſi, cum quiſque domum redire vellet, non potuit tota nocte oberrans, fores ſuarum ædium reperire. Quam ſententiam nonnulli etiam hoc tempore, ex dicto libri Sapientiæ, confirmant, ut Ribera in cap.1. Sophoniæ. Sed ex ipſo textu refellitur, quia antecedentia oſtendunt de aliis foribus id intelligi non poſſe, quam de iis quas paulo antè conabantur effringere, & quæ ab Angelis, Lotho recepto, fuerant occluſæ. Præciſè enim vocatur ubique in ſingulari פתח *pethach*, oſtium, ſine ullius affixi relativi adjunctione. Nec nos movere debet autoritas libri Sapientiæ, quæ purè humana eſt, etſi immiſceat ibi plagam nonam Ægyptiorum; quam comparat cæcitati Sodomæorum, & ad Ægyptios referri poſſit, quod ibi dicit autor coopertos fuiſſe tenebris, & januam oſtii ſui reperire non potuiſſe. Quicquid ſit, perſpicuus eſt hoc loco Moſis ſenſus. Id tantum notandum ſupereſt, cæcitatem illam externam, cum interna cæcitate longe deteriore, fuiſſe conjunctam, qua miſeri iſti homines, quibus judicium Dei proximum imminebat, detinebantur, ne peccata ſua horrenda viderent, & ex irrito ſuo adverſus Lotum & hoſpites ejus conatu intelligerent, aliquid in eo eſſe divinum. Sed Deus voluit eos juſto ſuo judicio obruere; proinde factum eſt ut videntes non viderent.

Exercitatio XCV.

Cur Deus Lothi generos invitari voluit ad eandem cum ſocero ſalutem, quam noverat rejecturos? An duxiſſent Lothi aliquas filias, vel generi dicantur tantum ob deſponſationem? Inter ſponſalia & nuptias honeſtum eſſe, aliquod temporis ſpatium interponi. Quot periculis ſint obnoxiæ affinitates cum impiis? Cunctatio Lothi ex infirmitate. Decretum Dei certum, non tollit neceſſitatem mediorum. Meritis Lothi & ſuorum tribuendum non eſſe quod ſervatus fuerit. Cur ei prohibitum fuerit à tergo reſpicere? Retro reſpicere, *in vitio, moraliter ſumptum. Hanc prohibitionem quomodo Dæmones imitentur?*

PRocedit Moſes à verſ.12. ad liberationem Lothi quam procurarunt ex Dei mandato Angeli, priuſquam ejus judicium exequerentur. Aperiunt itaque Lotho conſilium Dei, ſimulque curam paternam, qua proſpexit ipſi, cui etiam dederat omnes ſuos affines, ſiquidem illi, oblata ſalute frui voluiſſent. Quærunt igitur, an adhuc haberet in civitate generos, filios aut filias, ut ipſis maturè conſuleret. Quæ interrogatio ab eis humano more facta eſt: quippe qui non exuerant humanam figuram. Alioqui non videtur veriſimile, eos ignoraſſe quæ ad Lothum ſpectabant, ſed ita locuti ſunt, ut prævenirent ſollicitudinem quam de ſuis Lotus habiturus fuiſſet, ſi αὐθωρεί quod dicitur, expoſuiſſent ſe ideò veniſſe, ut omnes delerent. Commendant autem Dei benignitatem, qui etiam ad gratiæ illius beneficium voluit invitari Loti generos; quamvis enim ſciret eſſe indignos, & præſciret quid facturi eſſent; id nihilominus non fuit inutile, tum ut juſtitia divina magis ac magis patefieret; tum, ut ex profanorum hominum perditione minus triſtitiæ Lothus contraheret, poſtquàm ipſe teſtis eſſet eos beneficium divinum contempſiſſe.

Quod Loto accidit, cujus cōpellatio generis luſus fuit & res ridicula, idem etiam experiuntur ſæpè qui Chriſti nomine legatione funguntur. Apoſtoli poſt acceptum Sp. Sanctum, viſi ſunt multis auditoribus *muſto pleni*. Actor. 2. ℣. 13. Paulus habitus eſt pro *inſano* à Feſto procuratore Judeæ, Act. 26. ℣. 24. Apud Athenienſes Philoſophos, pro *nugatore*, Act. 17. ℣. 18. Sic olim Iſraëlitæ interrogantes Jehu poſtquàm apud eum ingreſſus eſſet Propheta, ut eum regem inungeret; *Quare* (inquiebant) *venit demens iſte ad te?* 2. Reg. 9. ℣. 11. Iſti etiam, omnium ſecuri, in luxu & abundantia viventes, contemnunt ſoceri exhortationem, exiſtimantes illum pluſculum cōmotum propter recentem injuriam, ſiniſtrè nimis judicare de ſtatu civitatis. Ideò negligūt Dei bene-

beneficium, & ſe cum aliis mox perituris involvunt. Signum fuit animi planè profani & de Deo non cogitantis; alioqui non pauca ſuppetebant argumenta nuntium Loti confirmantia, cujus fides laude digna eſt; nam poſt auditum illud conſilium, de veritate rei non dubitat, eamque expreſſis verbis, & ſine ulla conditione enunciat; *Egredimini*, inquit, *quia diſperdet Dominus civitatem.*

Hic quæſitum eſt, an qui compellantur jam duxiſſent aliquas Loti filias, matrimonio, ut loquuntur, conſummato; vel an generi dicantur, quibus illæ duæ quæ in ædibus erant, fuerant deſponſatæ, ſed nondum ductæ, qui dicantur generi propter ſponſaliorum fidem, inter quæ ſponſalia & nuptias intercedebat ferè ſemper apud pleraſque gentes aliquod tempus, & tamen deſponſata, uxor dicebatur, & qui eam deſponſaverat, maritus; quod in lege Moſis manifeſtum eſt, nam Deut. 22. ℣. 23. & 24. morti addicitur, qui virginem alteri deſponſatam corruperat; quia, ut lex ait, proximi ſui uxorem corruperat. Quæ etiam fuit ratio, cur pœna mortis decreta fuerit adverſus Thamaram, Geneſ. 38. ℣. 11. & 14. quia filio Judæ Selah, erat deſponſata ex lege. Id maximè perſpicuum eſt in ſanctæ Virginis deſponſatione, cujus Joſeph tamen vocatur maritus, etſi non conveniſſent. Matth. 1. verſ. 18. 19. 20. & 25. An talis praxis inter Sodomitas, qui omnia honeſtatis repagula confregerant, in uſu fuerit, magna dubitandi ratio eſt; niſi dicamus, quamvis id non fuerit moris communis, à Loto tamen fuiſſe obſervatum. Quem morem, ut id obiter dicamus, etſi non abſolutè neceſſarium ad eſſentiam veri matrimonii fateamur; negari tamen non poteſt fundamentis inniti & rationibus non levibus. Maximè enim decet ſanctitatem talis fœderis, à Sapiente *pactum Dei* appellati, Proverb. 2. ℣. 17. ut qui illud contrahunt homines, ab omni bruto cupiditatum impetu ſe alienos probent, utpote qui à Deo ſupra canum & equorum ſortem evecti ſunt. Conducit etiam ut aliquod temporis intervallum interponatur, ut magis ac magis confirmetur, & quaſi radices agat honeſta conjungendorum amicitia, & uniantur animi, antequàm conjungantur corpora, & precibus ac communicationibus mutuis præparentur ad futuræ ſocietatis coalitionem conjuges. Quibus rationibus & hæc additur, tempus etiam aliquod neceſſarium eſſe, quo promiſſiones publicè innoteſcant, & non ſolùm ipſi conjungendi, ſed etiam Eccleſia certa reddatur, in contracta affinitate nullum eſſe legitimum impedimentum. Quapropter qui affectuum ſuorum fervore, ordinem hunc benè inſtitutum perturbant, meritò audiunt, naturalis honeſtatis hoſtes, proprii boni & utilitatis negligentes, qui ſuæ ipſorum conſcientiæ vim faciunt, & antiquam obſervationem, ſanctiſſimè in Eccleſia inſtitutam infringunt.

Ut ad quæſtionem priori loco poſitam veniamus, verba textus talia ſunt, quæ utrique interpretationi poſſunt convenire, tam eorum qui exiſtimant dictos fuiſſe generos, reſpectu aliarum Loti filiarum, quæ jam cum maritis habitabant; quæ fuit doctiſſimi Merceri ſententia, in quam etiam inclinavit Pareus, quàm eorum qui ſic dictos putant reſpectu duarum, quæ adhuc domi apud patrem ſervabantur, ſed quæ matrimonii fidem dederant: ſic enim loquitur, ℣. 14. *Et locutus eſt ad generos ſuos*, לֹקְחֵי בְנֹתָיו *lokeche benotav*; Pagninus, *qui acceperant filias*, ad verbum, *accipientes*, quod participium poteſt referri ad ſponſalia æquè ac ad conſummatum matrimonium; imò videtur deſignare rem adhuc in actu non conſummato. Ideò quidam per futurum interpretantur, qui accepturi erant: ſic Trem. & Junius, *qui brevi erant ducturi filias ſuas:* & vulgata editio præiverat eodem ſenſu. Sic etiam Onkelos. LXX verterunt in præterito εἰληφότας, *qui acceperant:* unde colligunt nonnulli, videri Lotum præter duas filias quæ domi erant, habuiſſe alias conjugatas, quæ cum maritis perierunt. Id confirmant, ex eo quod poſteà, ℣. 15. Angeli jubent, ut cum uxore accipiat duas filias quæ inveniebantur: item, quod non eſt probabile Lotum auſum fuiſſe offerre duas filias virgines Sodomeorum libidini, ſi jam civibus duobus fuerunt deſponſatæ, qui de injuria conqueſti fuiſſent. Quid de eo ſit, difficilis eſt determinatio; tamen non poſſum adduci ut credam, Deum, cui Lot adeò curæ fuit, voluiſſe hoc ipſi objicere impedimentum, vel eum hac triſtitia afficere, ut cogeretur filias à ſe prognatas deſerere in communi interitu, quarum, ſi aliquæ fuiſſent, potuiſſet flectere voluntatem, ut patrem ſequerentur, nec in Scriptura aliquod eſt veſtigium hujus rei, quod nempè Lotus plures duabus habuerit filias. Nec eò nos ducit interpretatio LXX. quia verba illa *qui acceperãt*, poſſunt referri ad deſponſationem præteritam. Quod autem ſecundò objicitur, non cogit, quia verba illa *quæ inveniuntur*, nempè domi, accipi poſſunt non oppoſitè ad alias filias, ſed ad ſponſos, vel etiam alios domeſticos qui tum domi non erant. Ad tertium verò argumentum facilis eſt reſponſio, Lotum fuiſſe tunc animo ita perturbato, ut de præſenti periculo cogitans, conſequentias dictorum ſuorum non perpenderet, ideò non eſſe firmam rationem quæ inde deducitur. Omnibus igitur expenſis, probabilior mihi eſt ſententia eorum, qui generos intelligunt eos, quibus duæ filiæ, quæ adhuc domi inveniebantur, deſponſatæ fuerant.

Hoc ſi ita ſit, cùm generi dicantur, qui nondum convenerant, confirmatur inde vulgare dictum, non concubitum, ſed conſenſum facere matrimonium. Item ſponſalia ritè contracta ſolvi non poſſe, ut nec matrimonia jam conſummata. Conſenſus enim partium ſemel datus, indiſſolubilem contrahit ſocietatem; alioqui corporum conjunctio fit etiam inter ſcortatores, ſed quia non conſentiunt in vinculum illud perpetuum, nec id intendunt, non contrahitur inter eos

 conjugium.

conjugium. Alia tamen eſt ratio ſponſaliorum per verba de futuro, ſub conditione; quæ enim talia ſunt, poſt legitimam cauſæ cognitionem, quia non plenus, ſed limitatus & conditionatus fuit conſenſus, diſſolvi poſſunt. Sed quum ſemel data eſt fides abſolutè, nec amplius ſupereſt aliquid præter benedictionem nuptialem, pacto Dei obſtricti ſunt, qui ita conſenſerunt, & ſub vinculo indiſſolubili, apud Deum pro conjugibus habentur. Itaque cautè incedendum, etſi partes conſentirent, in talibus vinculis ſolvendis, & prudenter perpendendum, an fuerit conditionata, an abſoluta promiſſio contrahentium. Quæ cùm talis fuerit inter Loti affines & filias adhuc virgines, idcircò generi appellantur.

Sed hîc non prætereundum eſt, hoc exemplo indicari, quod periculis multis ſint obnoxiæ, quod anguſtiis & moleſtiis variis pateant affinitates cum alienigenis, maximè cum profanis hominibus, & à pietate alienis. Non enim in dubium revocari poteſt, Lotum graviter affectum fuiſſe generorum ſuorum ſorte; cùm enim affinitatem eam cum iis contraxiſſet, quibus filiarum poteſtatem ipſis faceret, certum eſt ſincero erga eos affectu, ut virum bonum decebat, fuiſſe ductum; proinde non potuiſſe non dolore ſummo & triſtitia, ob eorum indurationem, & conſequentem ruinam affici. Quod ſi ipſe cum uxore hanc diſtractionem non paſſus eſt ſine doloris ſenſu, quid de filiabus cogitandum, quæ cogebantur jam deſignatos conjuges deſerere, eoſque horrendæ perditioni deſtinatos intelligebant? Ut mirum ſit, Lotum, qui inter homines iſtos affligebat animam ſuam, non tamen refugiſſe eorum affinitatem. Cui ſocietati Deus non benedixit, & pio alioquin viro, qui inter ſpinarum aculeos habitare voluit, punctiones etiam & aculeos præparavit, ut ejus exemplo diſceremus, à talibus cavere conſortiis, & idem cum infidelibus jugum ſubire, 2. Cor. 6. ℣. 14.

Mirum eſt, poſtquàm ita Lotus cum generis ſuis egiſſet, nec de Angelorum verbis dubitaſſet, quod poſteà adeò cunctabundus introducitur verſ. 15. & 16. adeò ut neceſſarium fuit, ut non ſolùm verbis ad fugam ſollicitaretur, ſed etiam ut quaſi vi pelleretur, Angelorum manibus pertractus extra portam civitatis. Qua ratione id acciderit, & cur adeò lente ſe geſſerit, ubi de vitæ ſuæ & ſuorum conſervatione agebatur, meritò inquiritur. Vix autem alia ratio dari poteſt, præter infirmitatem humanam, & gravem tentationem, qua vir bonus coarctatus in utramque partem, pugnam carnis experitur. Voluiſſet fortaſſe adhuc aliquid temporis ſibi dari, ut generos, à quibus pro deliro habitus fuerat, iterùm adoriretur, eoſque tandem pertraheret, ut judicio divino ſe ſubducerent. Prætereà non dubium eſt, eum facultates multas acquiſiviſſe, quas non ita libenter deſerebat, nec poterat eas ſecum deferre. Fortaſſe etiam mora in eo non tam fuit, quàm in uxore & filiabus, quæ gravatim egrediebantur domo, ut aufugerent, omnibus relictis. Et certè non levis fuit tentatio. Ubi tamen fides verbo divino adhibetur, & ex una parte mors certa, cum facultatum omnium conſumptione oſtenditur; ex altera vitæ conſervatio, cum facultatum tamen amiſſione, electio non videtur differenda.

Quod Angeli hoc argumentum afferunt, *ne fortè abſumaris in ſcelere civitatis*, non ita debet intelligi, ac ſi eventus rei Angelis dubius eſſet. Nam verſ. 22. negat Angelus deſtructor, ſe quicquam facere poſſe, antequàm Lotus ſalvus perveniſſet Segoram. Comminatio ergò fuit, qua ipſum moverent, & qua etiam oſtendebant, decretum Dei, etſi irrevocabile eſſet, ſub ſe continere media, à Deo etiam diſpoſita. Neceſſariam ergò eſſe fugam ut ſalvaretur, quia Deus diſpoſuerat eum ſalvare tali medio. Sic Act. 27. ℣. 24. dicebat Angelus Paulo, *Condonavit tibi Deus omnes qui tecum navigant.* Hoc certum & infallibile noverat Apoſtolus; qui tamen, cùm videret nautas ſtudentes fugere ex navi, dixit centurioni, ℣. 31. *Niſi iſti in navi manſerint, non poteſtis ſalvari.* Ex quibus ſequitur, decreta præciſa, &, ut loquuntur, peremptoria, de ſalute alicujus, ſive temporali, ſive æterna, non reddere admonitiones aut minas inutiles, quia veniunt in rationem mediorum, & aliis mediis procurandis inſerviunt in executione decretorum divinorum. Hoc certum eſt Deum nolle ſuos perire, idque etiam, quia Deus contrarium decrevit, fieri non poſſe; ſubinde tamen vult eos hortationibus excitari, ne pereant. Decreverat Deus ſe Ezechiam à morte liberaturum, Eſai. 38. 1. & ſeqq. voluit tamen ut à Propheta moneretur, imò mortis, tanquàm certæ ſecundùm naturalium cauſarum diſpoſitionem, eidem fieret denunciatio. Aliter nihilominus ſtatuerat; ſed decreverat etiam in curatione, & dierum productione, præmittere tanquam antecedens in executione, etſi non in decreto, pœnitentiam & preces Ezechiæ, & malagmatis applicationem. Sic Deus Lotum ſervare decreverat; voluit tamen Deus ut ab Angelis excitaretur minis, eiq; ob oculos poneret fulmina quæ ſuo & ſuorum capitibus imminebant, ut pereundi metus ad obedientiam Deo reddendam concitaret, & non periret. Deus enim qui ſalutem ſuorum ordinavit, hoc etiam decrevit ut in obedientia perſeverarent; nec ita intenti eſſent in arcanis ſuis ſcrutandis, quàm in contemplanda ejus juſtitia, quæ ſemper ſibi ſimilis eſt. Prohibuit ſuos ne eum tentarent, Deut. 6. ℣. 16. proptereà oſtendit ipſis quid juſtitiæ ejus ordini conveniat, atque adeò vult, ut intelligant, quid mereantur, ſi à præſcripta regula devient: quibus & ſimilibus mediis potenter operatur in cordibus ſuorum, ut eos ſibi retineat, & ad obedientiam revocet. Cunctabundos etiam premit & urget, imò rapit, ut ſervet. Hæc ſanè non ſolùm ex Scripturis ſunt perſpicua & certa, ſed etiam piis omnibus dulciſſima; quæ qui calumniis ſuis obſcurant, & conjungenda dividunt, ſibi

& aliis, quantum poſſunt, viam vitæ præcludunt.

Fons iſtius diſpenſationis divinæ erga ſuos, cujus effectus fruſtrari non poteſt, his paucis, ℣.16. verbis aperitur, בחמלת יהוה עליו bechemlat Jehova alav, *in indulgentia Domini ſuper eum*, ad verbum; id eſt, *eo quod parceret Dominus illi*, ut habet Vulgata. Itaque cum ille moraretur, Angeli prehenſa ejus manu, & manibus uxoris & filiarum, eos nimis reſtitantes, ex urbe extrahunt. Id autem non tribuitur juſtitiæ Loti, qui in eo ipſo prodidit infirmitatis ſuæ teſtimonia, ſed curæ paternæ, & miſericordiæ divinæ, qui indulgenter ſe geſſit erga ſervum ſuum. Periiſſet enim cum aliis, ſi ſibi relictus fuiſſet, etiam poſt ſalutarem Angelorum admonitionem. Ex quo patet, non ejus aut ſuorum meritis, vel præſentibus, vel prævifis, tribuendum eſſe quod liberatus fuit, aliis pereuntibus, ſed gratiæ & indulgentiæ divinæ, quæ contra ipſius imperfectionem pugnavit, eamque ſuperavit. Idem certè judicandum eſt, cùm eripimur ex hoc præſenti ſeculo, & ab iis qui in æternum ſunt perituri, ſeparamur: niſi enim Deus manum injiceret, hæreremus cum aliis. Ex ipſius itaque electione, & miſericordia fit, quod à ſeculo iſto malo eripiamur: nec nos ipſos diſcernimus, ſed Deus nos diſcernit & abducit, imò naturâ noſtrâ invitos & repugnantes, gratiâ ſuâ trahit, & tandem flectit, ut ſalvari velimus, & ipſi reconciliari.

Egreſſo Loto, à verſ. 17. uſque ad verſ. 23. narrantur quæ ab Angelis ipſi fuerunt imperata, quæ ille viciſſim regeſſit & petiit, & in ſumma quæcunque ſpectant ejus fugam, donec perveniſſet in Segor. Primùm itaque Angeli prohibent, *ne poſt tergum reſpiciat, nec ſtet in omni illa regione*; jubent, *ut in monte ſalvet animam ſuam*. Ubi hoc primùm inquiſitione dignum occurrit, cur prohibitum fuerit Loto reſpicere poſt tergum? אל תביט אחריך al tabbit achareka, *ne reſpicias poſt te.* Verba per ſe ſunt manifeſta, ſi actionem externam prohibitam ſpectemus; ſed de prohibitionis ratione aut fine, quæſtio eſt. Non enim id putamus tantùm fuiſſe Deo propoſitum, ut in eo Loti obedientiam experiretur, in præcepto cujus materia non videbatur magni momenti, quemadmodum primi hominis obedientiam probavit, prohibendo ne unius arboris fructum comederet. Id enim tunc temporis ad negotium quod peragebatur, non pertinebat, ad quod tamen reſpexiſſe Deum non eſt dubitandum. Affertur alia ratio quæ propiùs ad ſenſum accedit; quod hac prohibitione voluit Deus oſtendere, quàm deteſtanda eſſet Sodomæorum natio, ut factum illud ad deteſtationem referretur gentis Deo exoſæ, & bonorum virorum commiſeratione indignæ, cum qua nolebat Deus ſuis eſſe unquam aliquod commercium; quo referunt dictum illud Domini, Matth. 10. ℣.14. *exeuntes domo, eorum qui non audierint ſermones veſtros, excutite pulverem pedum veſtrorum, &c.*

Sed genuina prohibitionis ratio in eo conſiſtebat, quod Deus voluit, Loti & ſuorum animum abducere ab omni cogitatione priſtinæ habitationis, & monere ſalutis & vitæ curam potiorem eſſe omnibus, quæ in Sodoma relinquere cogebantur, ne talium amore aut cupiditate titillati, beneficium divinum negligerent & amitterent, quaſi eò redire volentes, unde miraculosè exceſſerant. Voluit itaque ut à loco tam pernicioſo abhorrerent, & ab eo animum ſuum averterent, apud ſe gaudentes & ſibi gratulantes, quod è tanto periculo liberati, velut ex inferni faucibus erepti eſſent. Ipſo igitur corporis motu, debuerunt ſignificare ſe affectus omnes ſuos ita ſubegiſſe, aut ſaltem ſubigere velle, ut de domo, ſuppellectile, armentis, & divitiis relictis, nullo modo deinceps ſolliciti eſſent. Nam in ſacra Scriptura *retrò reſpicere*, indicat cum ipſo corporis motu, pœnitentiam animi, & deſiderium redeundi ad id à quo quis receſſerit. Huc alludebat Dominus, Luc. 9. ℣. 62. dicens, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei:* hoc eſt, militiæ Dei ſemel adſcriptus, ad priores curas & ſollicitudines animum convertere non debet, reſpectans velut ad ollas & porros Ægypti. Sic pii, Pſal. 44. ℣.19. *Non receſſit retrò cor noſtrum*, id eſt, non rediit, ut canis ad vomitum, vel ſus lota ad volutabrum, ne quidem affectu, nam is apud Deum præcipuus eſt. Rectè Auguſtinus ad mores id refert, lib. 16. cap. 3. de Civit. Dei. *Nam quò pertinet*, inquit, *quod prohibiti ſunt qui liberabantur, retrò reſpicere, niſi quia non eſt animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur, ſi ultimum judicium evadere cogitamus.* Videtur Dæmon, quaſi Dei ſimia, id ipſum in magicis ſuis ſacris imitatus; cùm enim vis illorum omnis ſtet penes pactum ictum cum Dæmone, cenſebatur velut quædam reſipiſcentia & irritatio, ſi quis in illis poſt tergum reſpiceret, quò referunt illud apud Theocrit. Idyl. 24. quod Heracliſius inſcribitur.

Ἦρι δὲ συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τις,
Ῥίψατω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα
Ῥωγάδας ἐς πέτρας, ὑπὲρ οὔριον· ἂψ δὲ νέεσθαι
Ἄστρεπτος.

Quæ ita vertit Eobanus Heſſus,

- hinc cineres ſub primum ſideris ortum
Colligat, & fluvii ferat ad vada proxima rivi
Una miniſtrarum; ventique ad flabra ſecundi
Spargat arenoſis petris. Non ipſa retrorſum
Reſpiciens, properè redeat.

Quæ ex Theocrito imitatus erat Virgilius, Ecloga 8. his verbis,

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti
Tranſque caput jace: ne reſpexeris, his ego Daphnim
Aggrediar, nihil ille Deos, nil carmina curat.

Jubebat Amaryllida cineres incantatos ad profluentem deferre, & ibi retrò trans caput in aquam abjicere, nec retrò reſpicere permittebat. Videtur tamen id referri ad prohibitionem nimiæ curioſitatis. Quicquid de eo

fit,

ſit, loci noſtri ſenſus perſpicuus eſt, eo quo diximus modo, intellectus.

Addo etiam inſinuatum eadem prohibitione fuiſſe, magna opus eſſe feſtinatione, imò præcipiti fuga, quia feſtinabat vindicta divina. Similibus formis loquendi, diligentia & feſtinatio ſæpè commendatur in Scriptura. Sic 2. Reg. 4. verſ. 29. Eliſæus mittens ſervum ſuum cum Sunamitide, *Si quem*, inquit, *inveneris*, *ne ſalutato eum*; *& ſi quis te ſalutaverit*, *ne reſpondeto ei.* Quæ verba imitatus eſt Salvator, Luc. 10. cùm mitteret diſcipulos ſuos, ℣. 4. *Neminem in via ſalutetis*; nempè volebat eſſe expeditos, & de eo tantùm cogitare ad quod mittebantur. Sed quod propiùs ad ſcopum noſtrum accedit, Matth. 24. ℣. 16. & 17. ubi ad fugam hortatur eos qui deſolationem quam prædicebat, Jeroſolymorum viſuri erant; *Qui in tecto eſt*, inquit, *non deſcendat ad accipiendum id quod eſt in domo ſua: & qui in agro eſt, non revertatur poſt ſe ad accipiendum veſtem ſuam.* Ubi ſumma feſtinatione opus eſſe indicabat, ut aliquis vitæ ſuæ conſuleret.

Hæc omnia aptiſſimè ad fugam rerum earum referuntur, quæ nobis animæ periculum crearent, quantumvis caræ nobis ſint, quo documento plena eſt Scriptura. Nam ſi hanc præſentem vitam, omnium aliarum rerum jactura redimere debemus ſine cunctatione, quid de animæ ſalute, aut ſempiterna morte cogitandum? Quid ubi agitur de ſpirituali Babylone, an non promptiſſimè egredi debet populus Dei, ne plagarum ejus fiat particeps? Sed id ſatis non erit, niſi egrediamur animo nunquam redeundi, quia quem benefacti pœnitet, is totam gratiam boni operis amiſit. Hæc cogitatio neceſſaria eſt periculoſiſſimis hiſce temporibus, quibus multi terram cœlo præferunt, & ut conſulant vitæ huic labili & periture, æternam amittunt. Alii ſunt, qui in ipſa Babylone manentes, etſi periculum videant, detinentur nihilominus voluptatibus & deliciis ſeculi, non diſſimiles beſtiis in ſtabulo ſaginatis, quæ ne incendio quidem ab aſſueto pabulo poſſunt arceri. De uxore Loti dicendum erit ſuo loco, in quo & nonnulla ad id pertinentia addi poterunt.

Exercitatio XCVI.

Eum quem Lotus invocavit fuiſſe Deum, non creatum Angelum. Infirmitas Loti in eligendo ſibi loco refugii. Vanitas humani ingenii. Dei benignitas in exaudiendis precibus infirmis. Suſcipere faciem alicujus, *quid? Quatuor petitionum genera, quibus Deus indulget. An Deus mutaverit decretum de perdenda Bela? Non abutendum omnipotentiæ Dei doctrina, ut evertatur ejus voluntas. De phraſi illa,* pluit Jehovah à Jehovah, *an probet in divinis pluralitatem perſonarum? De eo diligenter inquiritur. Defenditur Calvinus adverſus Hunnii calumniam: & diſtinguuntur accommodatitiæ à propriis interpretationibus.*

Hucuſque de parte mandati negativa, niſi quod additur, ne in tota illa planitie hæreat; quia Dominus non ſolùm voluit eum avocare ab iis quæ retrò reliquerat, ſed etiam voluit præcavere, ne hæreret in planitie illa fertili, quam pertranſire debebat, quia Deus eam vaſtare decreverat: nec his prohibitionibus aliquid oppoſuit Lotus. Sed cùm Deus ipſi præſcripſiſſet locum, in quem ſe reciperet, ut vitæ ſuæ conſuleret, quod erat præceptum affirmativum; ille contrà, verſ. 18. 19. & 20. precibus contendit, ut Deus vicinæ civitati parcendo, ipſi in ea refugium concedat. In qua precatione, hoc quidem laudandum eſt, quod agnoſcit gratiam liberationis divinæ, & ejuſdem miſericordiam prædicat, cui tribuit conſervationem vitæ ſuæ, ſic enim loquitur, *Quæſo Domine mi, quia invenit ſervus tuus gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam tuam, quam feciſti mecum, ut ſalvares animam meam.* Ubi agnovit eum qui loquebatur Deum eſſe, etſi velint alii fuiſſe Angelum creatum, qui Deum repræſentabat, quam ſententiam alibi rejecimus. Nec dubitamus, eum quem compellat, eundem fuiſſe qui cum Abrahamo, poſtquàm alii duo Angeli Sodomam verſus tendiſſent, locutus eſt, qui etiam Loto præſto fuit cùm egrederetur ex urbe. Huc refero, quod qui anteà duos in plurali numero fuerat allocutus, jam cum uno ſingulariter verba facit; nam etſi ℣. 18. de nomine אדני *adonaj*, dubitari poſſet, ſi per ſe conſideraretur, an ſingulare eſſet, an plurale; quæ cauſſa etiam fuit, cur nonnulli interpretes reddiderunt, *Domini mei*: non tamen ſine cauſſa autor vulgatæ editionis in ſingulari vertit; ut & Onkelos Paraphraſtes, qui ſuprà initio nomen illud verterat רבוני tanquam commune, jam mutat interpretationem, illudque effert per nomen tetragrammatum, quod Dei proprium eſt. Viderunt enim, quæ verſu ſequenti dicuntur in ſingulari numero, unum reſpicere, eumque Deum, nec ulli alii tribui poſſe, quod *gratiam & miſericordiam* feciſſet Loto; nec ab aliquo etiam alio peti, ut parceret civitati Tſoar, nec Angelum creatum potuiſſe ſibi honores & poteſtatem Dei uſurpare, dicendo ℣. 21. *Ecce etiam in eo ſuſcepi preces tuas, &c.* Hoc enim proprium Dei eſt exaudire precantes, ubi præſertim agitur de moderando judicio divino.

Et hæc quidem quæ objectum precationis ſpectant, nihil habent reprehenſione dignum; ſed in ipſa petitione

ne ſunt aliqua perturbati animi indicia, & fidei convulſiones. Dixerat Deus, *in monte ſalvum te fac, ne ſimul pereas.* Opponit Lotus, *Non poſſum in monte ſalvari, ne fortè apprehendat me malum & moriar.* Id ſanè à vitio non poteſt excuſari. Nam quod Gregorius id allegoricè accipiens ad humilitatem retulit, quaſi per montem, ſublimiora Eccleſiæ munera & miniſteria intellexiſſet, quibus ſe non parem eſſe ſentiebat, id juſti examinis rigorem ferre non poteſt, oſtenditque quàm plerumque infirma ſint quæ excogitantur in hoc genere. Manifeſtum eſt, Lotum in ratione ſalutis ſuæ, conſilium quod ipſi mens ſuggeſſit, prætuliſſe ei quod Deus ipſi propoſuerat, qua in re ſi præſumptione non peccaverit, quod vix ei tribuerem, non poteſt tamen negari, quod rectè Auguſtinus animadvertit, quæſt. 44. in Geneſ. *Hac perturbatione timoris non credidiſſe ipſi Domino:* itaque repentinum pavorem ex præſenti malo & metu futuri, viciſſe in eo promiſſionis divinæ fiduciam. Hîc igitur ſunt intermixta bona malis. Bonum eſt, quod agnoſcit beneficia divina, quod precatur in anxietate conſtitutus, quod ſollicitudinem ſuam & metum apud Deum exponit: ſed quoniam Deus loquutus erat, & indicaverat ſecuritatis locum, erravit qui melius putavit conſulere ſaluti ſuæ, quàm ſi Deo obtemperaſſet ſine ulla hæſitatione.

Itaque detegitur hoc exemplo ingenii humani, & rationis noſtrę vanitas. Pauci ſunt qui non fateantur ab ordinatione Dei pendendum nobis eſſe, & voluntati ejus ſubſcribendum; illius eſſe, jubere; noſtrûm, morem gerere; illius, præire; noſtrûm, ſequi: ſed cùm ad rem ipſam ventum eſt, quod oculis noſtris & prudentiæ noſtræ arridet, Deo etiam vellemus præſcribere. Deus nos vocat ad providentiæ ſuæ paternæ montem, ad fidem, ſpem, & preces, in omni difficultate: at carnis brachium plerumque præferimus, & varia conſilia agitamus, imitantes illos de quibus Eſaias cap. 30. ℣. 16. quibus cùm dixiſſet Dominus, *In tranquillitate & fiducia erit potentia veſtra*, non acquieſcebant, dicentes, *Nequaquam, ſed inſidentes equo fugiemus omnes, &c.*

Quæret aliquis, unde proceſſerit hæc Loti opinio, quod non poſſet in monte ſalvari, ſed potiùs in urbe proxima? Diximus jam, perturbato fuiſſe animo; videbat prætereà ſe urgeri, ut promptiſſimè aufugeret, ideoque conjiciebat, quod verum erat, non longè abeſſe vindictam illam divinam: non dubitat, ſi montem attingere poſſet, ſe in eo habere certum aſylum, nec ita ſunt intelligenda verba, *non poſſum in monte ſalvari*, quaſi diceret, in illo monte non eſſem de vita ſecurus, etſi eum pertingerem: non hoc cogitabat. Sed quia videbat montem adhuc remotum eſſe, qui limes erat totius planitiei, metuebat ne celerius inferretur plaga, quàm eò uſque poſſet pervenire, atque ita in via obrueretur, ſe non ita poſſe feſtinare cum ſuis, ſi tam longum iter eſſet peragrandum. Hæc fuit ejus mens, non quidem mala, ſed infirma valdè; nam id debuit cogitare, Deum qui manu eum prehenderat, ut eriperet eum & ſuos reſtitantes è Sodomæorum exitio, operâ Angelorum ſuorum, qui Sodomitas ſcotomate percuſſerat, eumque extra Sodomæ muros ſalvum deduxerat, poſſe ipſi & ſuis novas vires addere, imò etiam, ſi neceſſe fuiſſet, extraordinario & violento motu, vel momento in tuta ſtatione collocare. Id cùm non perciperet vel cogitaret, hæret in conſideratione proximi loci, quem ſibi commodiorem & paratiorem putat: ideoque petit, ut ſibi à Deo concedatur, & argumētum proponit, quod *propinqua* ſit civitas, & ad quam putabat ſe opportunè pervenire poſſe; item quod *parva eſſet*, והוא מצער *& parva eſt*, ubi dubitatur, an id intelligi debeat de civitate, an verò de petitione. Plerique de civitate intelligunt; alii, & meo judicio rectius, de petitione: itaque Tremel. & Junius vertunt, *eſt res perexigua*, ut ſit argumentum ductum à majori ad minus; Jam mihi hoc conceſſiſti, imò ultrò obtuliſti bonum, ut eriperes animam meam à morte, non igitur mihi denegabis exiguum id, ut poſſim in vicina illa civitate hærere, nam hoc eſt parvum quid, ad beneficium illud comparatum, quo jam me donaſti. Si tamen id aliquis velit ad ipſam civitatem referre, non erit incommodus ſenſus; cùm ſit hæc urbs vicina, & ea quidem exigua, quam mihi concedere non tanti ſit, liceat mihi illuc evadere. Eodem ſanè recidit argumentatio, ſi conjunctim iſta accipiantur: ſed primum malim, ut ſit eadem argumentatio quæ Matth. 6. verſ. 25. *Deus dedit vobis animam, ergò multò magis dabit alimentum.*

Reſpondet Deus verſ. 21. ſe in hoc preces ejus ſuſcepiſſe, nec everſurum ſe urbem illam, de qua locutus fuerat. Preces fuerant admixtæ infirmitatibus, ut jam dictum eſt, nec in omnibus potuerunt ex fide fieri. Id tantùm erat fidei, quod agnoſcebat, Deum velle ipſi vitam ſervare, ſed non acquieſcebat in modo. Potuiſſet itaque Deus, ſi rigidè voluiſſet agere, ejus petitionem rejicere. Sed qui jam uſus erat miſericordia, non ceſſat, nec fatigatur; indulget infirmitati, fidem vacillantem erigit, autoritatem ſuam penè deprimit ſub humana infirmitate, & ſapientiam ſuam accommodat regulæ carnalis prudentiæ. Precibus enim illius hoc largitur, ut parcat civitati quam deſignabat, imò ut in rei memoriam nomen accipiat ab argumento quod proponebat, ab eo quod parvum quiddam eſſet, & non magni momenti. Nomen enim צוער *tſoar*, ex eo deductum eſt, quod Lot dicebat הלא מצער *halo mitſar?* Priùs vocabatur בלע *bela*, ut vidimus cap. 14. verſ. 2. Quod nomen Latinè *devorationem* ſignificat Hieronymo in tradit. Ebraicis. Quam etymologiam malè Theodoretus, quæſt. 65. in Geneſ. accommodavit nomini *Tſoar*, κατάποσις καὶ ἡ Σηγὼρ ἑρμηνεύεται, *hiatum etiam Segor ſignificat.* Hoc falſum eſt, niſi referatur ad prius nomen Bela, ut diximus. Rectè autem

imperſonaliter accepit vulgatus interpres verbum קרא *vocavit*, id eſt, vocatum eſt. Nec enim deſignatur qui vocavit, vel Loth vel Angelus, ſed id indefinite uſurpatur.

Hanc civitatem cum petiiſſet Lotus ſibi concedi, licet ex infirmitate, benigne tamen Deus reſpondet, Ecce, נשאתי פניך *naſati phaneka*, ſuſcepi faciem tuam etiam in hac re; id eſt, tui rationem habui; vel exaudivi te, ut communiter interpretantur. Phraſis eadem habetur infra cap. 32. ℣. 20. ubi Iacob poſt parata munera quæ offerret fratri Eſau, dicebat, forte *ſuſcipiet*, aut elevabit *faciem meam*; Et Job. 42. ℣. 8. & 9. de Jobo pro amicis ſuis deprecaturo, dicebat Deus *faciem ejus ſuſcipiam*, aut *elevabo*. Deducta videtur ex more apud orientales uſitato, quibus cum aliquis libellum ſupplicem offerebat, vultu in terram demiſſo, ſi faverent & inclinarent ad petitionem concedendam, jubebant eos ſurgere, quod etiamnum à regibus & principibus uſurpatur erga eos quibus favent, ut pronos erigant, vel jubeant caput operire, qui aperto loquuntur.

Qui judicant ex eventu, hinc etiam evincere volunt juſtam fuiſſe Loti petitionem, & in ea nihil fuiſſe reprehenſione dignum. Si enim preces illius, verbi divini regulis non conveniebant, quomodo exauditus fuit? Sed falluntur, qui precum ab hominibus conceptarum qualitatem ab eventu externo diſcernunt. Sæpe enim Deus ſanctorum precibus piis, & ex formula verbi ſui conceptis, ubi de ſingularibus nonnullis agitur quæ per ſe bona ſunt, non tamen concedit præciſe quæ petuntur, ſed vel meliora dat, vel etiam minora, ad ſalutem eorum & gloriam ſuam magis conducentia. Sic non liberavit Paulum à ſtimulo de quo conquerebatur, 2. Corinth. 12. verſ. 7. Nec Moſi conceſſit ingreſſum in terram promiſſam Deut. 3. ℣. 25. Contrà aliquando impiis in ira ſua concedit ea quæ petunt; ſic in deſerto carnes coturnicum, murmuranti populo dedit, Num. 11. ℣. 4. 18. 31. &c. Nec tamen inter prophanas petitiones ponimus precationem Loti.

Quatuor notanda ſunt petitionum genera, quæ Deo ab hominibus fiunt; quibus etiam videtur Deus concedere quæ petunt. Primi generis ſunt quæ ab hominibus plane profanis funduntur, & quas etiam ipſi Ethnici damnarunt, in uſurariis, furibus, mœchis, gulæ deditis & ſimilibus, qui vota ſua importune emittunt, ut accipiant quæ ſatiandis ſuis cupiditatibus neceſſaria judicant; Quibus permittit Deus aliquando in ira ſua ut potiantur cupitis ad majorem condemnationem. Et huc referenda murmura illorum, qui nauſeantes ad panem cœleſtē, carnes petebant. Secundi generis ſunt, qui ſine Dei vera cognitione, ducti tantum reliquiis illis & ſeminibus religionis, quæ in hominum cordibus conſervavit Deus, inter quos etiam ponimus hypocritas, & eos qui ſine fide & pœnitentia vota fundunt, preſſi calamitatibus & miſeriis, aut neceſſitate aliqua compulſi, ad Deum clamant; Quibus, etſi male conceptis precibus, non denegat ſæpe Deus bonitatis & liberalitatis ſuæ effectus; ſed etiam propitium ſe oſtendit, non quidem per filium redemptorem in quo ſolo dona ſalutaria largitur, ſed ex communi providentia, qua tanquam totius mundi gubernator, omnibus proſpicit, benefaciendo creaturis ſuis, & miſeros ex calamitatibus eripiendo. Quo refertur exauditio precum nautarum, qui cum Jona periclitabantur, & quod Matth. 5. ℣. 45. dicitur de ſole oriente & pluvia cadente ſuper juſtos & injuſtos.

Tertii generis ſunt preces exactæ ad regulam verbi divini ex vera fide conceptæ, non ſolùm à Deo imperatæ, ſed promiſſionibus liberaliſſimis commendatæ, quas Deus acceptat tanquam incenſum, aut boni odoris fragrantiam. Quarti autem, & ejus quidem mixti generis, ſunt preces ſanctorum, quæ etſi ex ſenſu fidei & pietatis vero procedant, admiſcetur tamen in iis aliquid terreſtis ſcoriæ, in quibus nihilominus Deus benigne ſe accommodat ſuorum infirmitati, & petitionibus eorum annuit, ita tamen ut, qui malum à bono novit ſecernere, efficiat etiam ut tandem experiantur, deſideria ſua non fuiſſe vanitatis expertia, & tutius ac commodius fuiſſe futurum, ſi ſe Dei providentiæ in totum commiſiſſent. Sic Abrahamo conceſſit Iſmaëlem; ſed poſteà, tempore ſuo immiſcuit abſynthium ſalutare, cum juſſit *ut ejiceret ancillam & filium ejus*, Gen. 21. verſ. 10. In eo genere ponimus petitionem hanc Loti, qui exauditus à Deo, non tamen poſteà acquievit in hoc aſylo, & tandem conſcendit montem, in quo ea acciderunt, ex quibus didicit conſilium illud ſuum non fuiſſe prudenter ſuſceptum.

Hic autem cum Deus promittat ſe non ſubverſurum civitatem Tſoar pro qua locutus erat, in quæſtionem venit, an preces Loti conſilium Dei de ea delenda mutaverint; ſi non mutaverint, & id decretum non fuerit, quare dicat Dominus ſe id conceſſiſſe precibus ejus? Reſpondemus, primum, cum Deus ſit immutabilis eſſentia ſua, etiam talem eſſe in omnibus ſuis decretis. Neque enim homo eſt qui pœnitentia ducatur. Num. 23. ℣. 19. Sibi ipſi ſemper ſimilis eſt, neque in eo eſt vel mutationis umbra. Jac. 1. verſ. 17. Itaque non putandum eſt, ex inopinato & novo inito conſilio huic civitati pepercíſſe. Statuendum enim eſt, ita decreviſſe Deum prout accidit; nec Angelis mandatum dediſſe de Tſoara deſtruenda.

Ad ſecundum autem de precibus Loti, dicimus, non proptereà fuiſſe inutiles, quia Deus qui uno aſpectu omnia videt, & uno providentiæ ſuæ actu, non ſucceſſivè, de omnibus diſponit, eventus rerum, effectus, & cauſas earum præcipuas & inſtrumentales, præparat, cum adhuc parcere vellet huic urbeculæ, in gratiam quorundam juſtorum aut minus malorum quos ibi fortè cognoverat; vel ſaltem, cum ipſis aliquod vellet concedere pœnitentiæ tempus; voluit etiam in eum finem decernere & præparare Loti preces & petitionem, ut, quod

quod alioqui facere volebat, ejus etiam precibus concederet; atque ita ſe ipſi facilem & benignum probaret. Nec enim providentiæ Dei firmæ & immotæ conſideratio, preces noſtras vanas & irritas reddit, quæ potius inter media voluntati ejus ſubordinata collocantur; Itaque obtemperandum mandato divino de precibus non intermittendis, ut certi expectemus promiſſionum ejus effectus, & à providentia ejus pendeamus.

Huc etiam referre debemus, quod ✝.22. dicit, non potero לַעֲשׂוֹת דָּבָר *laaſoth davar*, ad faciendum rem, id eſt, non potero quicquam facere, in hac vindicta exercenda, *donec ingrediaris illuc.* Id enim refertur ad decretum & ordinationem divinam. Alioqui, Deo nihil eſt impoſſibile, qui in cœlo & in terra facit quod libet. Pſal.115. ✝.3. Non dicam verba hæc referri ad Angelicam potentiam, quæ limitata eſt. Angeli enim, ut miniſtri Dei ordinem & tempus à Deo ſtatutum in exequendis ejus judiciis ſervare debent, nec poſſunt ea, quæ obedientiam creatori ſuo debitam excederent, aggredi. Hoc igitur ita intelligendum dico, Deum reſpicere ad decretum & promiſſionem ſuam de ſalute Loti, qua ſemel data, non potuit, per juſtitiam ſuam & veritatem aliter facere. Et cum hoc dicimus, neque regulam pietatis tranſgredimur, neque potentiæ divinæ aliquid detrahimus. Inepte igitur, ne quid gravius dicam occinunt illud nobis Pontificii, de negata Dei omnipotentia, cum negamus poſſe verum corpus Chriſti, quod ſuis dimenſionibus circumſcribitur, eſſe ſimul in terra & in cœlo, & in locis pene innumeris cœli & terræ. Quid cum dicimus poſt ſcripturam, Deum, nec mentiri poſſe, nec mori, nec ſeipſum abnegare, an aliquid de ejus omnipotentia detrahimus? At idem eſſet ſi diceremus, quod iſti volunt, unam & eandem rem eſſe corpoream & incorpoream, una & eadem ratione. Adoranda nobis eſt potius divina bonitas, quæ in gratiam noſtram ſibi ipſi legem figit, & manus ſuas veluti ligatas tenet, ne in præjudicium ſuorum aliquid exequatur.

Loto tandem Tſoaram ingreſſo, ſub ortum ſolis, exequitur Dominus quod conſtituerat. Executionis modus declaratur ✝.24. Eodem verſu & 25. objectum ejuſdem per partes explicatur. Habemus igitur omnes circumſtantias. 1. Temporis ✝.23. orto ſole; 2. Cauſæ efficientis, Jehovæ; 3. modi, pluviæ ſulphuris & ignis. 4. rerum ipſarum, nempe urbium Sodomæ & Gomorræ, omnis regionis circa, habitatorum urbium, & cunctorum terræ virentium. Addit aliarum civitatum nomina Moſes Deut.29.✝.23. *Adamam & Tſeboim*: & Hoſ.11.✝.8.

In cauſæ efficientis deſcriptione, uſurpatur phraſis, quæ occaſionem dedit litigandi. *Et dominus, pluere fecit à Domino*, מֵאֵת יְהוָה *meeth Iehovah*, ad verbum, *de cum domino.* Veteres enim Chriſtiani, hic contra Judæos diſtinctionem perſonarum in divinis putarunt ſe poſſe probare; & contra Arianos, divinitatem filii, & æqualitatem cum patre; hæc verba ſic reſolventes, pluit Jehova filius, à Jehova patre. Quam interpretationem admittit etiam Fr. Junius, in Analyſi. Plures alii etiam, inter Orthodoxos, ſunt in eadem ſententia. Lutherus in lib.2. de ultimis verbis Davidis, hoc argumento utitur; Sed notanda ſunt ejus verba in cap.18. Geneſ. *Defendamus* (inquit) *Doctores noſtros contra virulentas linguas, qui occulto ſenſu vidiſſe Abrahamum Trinitatem dicunt, ſiquidem Deus ei apparuit, non in paucioribus nec pluribus perſonis quam tribus. Recte igitur Patres hoc loco uſi ſunt; aliud eſt tamen probare, aliud ornare. Rhetorica argumenta non ſemper probant, ſed vehementer ornant & perſuadent ea quæ Dialectica probavit.* Hæc ille, Quæ etſi alia occaſione dicta ſint, habent etiam uſum ſuum in hac & ſimilibus. Nam etſi in hunc quem explicamus locum, aliter ſentiat, & judicet ad probationem facere, non tantum ad ornatum, ut ante; non ſine cauſa tamen Pareus, piam & conſentaneam fidei Chriſtianæ interpretationem eſſe ſcribit, quam eo nomine libenter amplectitur; An vero ſit propria & genuina hujus loci, eoque firma contra Judæos Trinitatis probatio, dubitari poſſe ſentit.

Id quidem ex hoc loco olim collegerunt, Ignatius, in Epiſt. ad Antiochenos, Juſtinus in Dialogo cum Tryphone; Athanaſius in oratione contra gregales Sabellii, Hilarius 5. de Trinit. Tertul. adverſus Praxeam, Epiphanius in Ancorato, & alii. Concilium etiam Sirmienſe, Canone 13.16. & 17. damnat anathemate eos qui negaverint, cum dicitur. *Pluit Dominus à Domino de cœlo*, id de filio & patre, eſſe intelligendum. Sed nimis præcipitanter egiſſe concilium illud agnoſcunt Pererius & Vaſquez, ejuſque autoritatem nullam eſſe, cum in multis deprehendatur Arianum. Idcirco potius reponi debet inter Tritheitas, qui hoc loco abuti voluerunt ut plures Deos eſſe probarent.

Itaque, neque Auguſtinus, neque Hieronymus, neque Eucherius, neque Chryſoſtomus, ubi hunc locum ex profeſſo interpretantur, eum trahunt ad id ſignificandum quod ſuperiores illi voluerunt; nec etiam apud Lyranum gloſſa interlinearis. Quinetiam inter recentiores Scholaſticos Pontificios, non pauci fuerunt, qui aliter plane acceperunt ut nempe ſit Ebraiſmus, & peculiaris hujus linguæ phraſis & elegantia, qua ſæpiſſime antecedens loco relativi ponitur. Hujus locutionis multa etiam congerunt exempla novi Antitrinitarii, ut argumentum illud veterum eludant. Ut cum 1.Reg.8. ✝.1. ita legimus, *Tunc convocavit Salomon ſeniores Iſraëlis ad regem Salomonem, in Ieruſalem*; pro eo quod dixiſſet Salomon convocavit ad ſe. Geneſ.1.✝.27. *Creavit Deus hominem ad imaginem Dei*, id eſt, ſuam. 2.Reg.3. ✝.25. *Quoniam revelatus fuerat Iehova Samueli in Silo, juxta verbum Iehovæ.* pro ſuum. Et ibid. cap.15.✝.22. *Nunquid vult Iehova holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Iehovæ?* pro ſuæ. 2.Paral.7. verſ.2. *Non poterant ſacerdotes ingredi Templum*

plum Iehovæ, eo quod majeſtas Iehovæ, impleſſet Templum Iehovæ.

Quinetiam addunt, hoc uſque adeò eſſe familiare Ebræis, ut licet N. Teſtam. Græcè ſit ſcriptum, tamen quia ejus autores Ebræi fuerunt, ſuæ linguæ idiotiſmos retinentes, etiam in peregrina lingua, iſtius phraſeos exempla multa reliquerint. Ut 1. Corinth. 1. verſ. 8. *Expectantibus revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Ieſu Chriſti.* pro, in die adventus ſui. Sic Luc. 1. verſ. 19. *Herodes corripiebatur à Iohanne, de malis quæ fecit Herodes.* Nihil igitur aliud hic ſignificare voluerunt præter id, quod Iehova à ſe ipſo immiſit pluviam ſulphuris & ignis, ita tamen ut ſit aliqua in hoc dicto Emphaſis, cum dicit à Domino è cœlo, ut innuatur, præter naturam, & prodigioſe miraculo quodam inſigni Dominum pluiſſe ſuper has urbes. Quam Emphaſim alii ita explicant, ut vox Dei, aut Jehovæ, ut aliàs fieri ſolet ſit ἐπιτατικὴ, hoc eſt intenſionem & vehementiam ſignificet; unde etiam *pavor Iehovæ*, & *ſopor Iehovæ* & ſimilia, pro magnis, accipiuntur. Ut Num. 11. verſ. 1. *ignis Iehovæ*, pro magno & vehementi: quæ omnia curioſè colligit Enjedinus, ut oſtendat hunc locum non probare pluralitatem perſonarum in divinis.

Id etiam concedunt, Toſtatus in hunc locum, Cajetanus, Oleaſter & alii nonnulli docti viri, inter Pontificios, ut Pagninus & Vatablus: vultque Cajetanus his verbis ſignificatum fuiſſe, Jehovam præter naturalem curſum, miraculum operatum eſſe in puniendis iniquis. Illud enim *à Iehova*, adjunctum fuiſſe, ad differentiam cauſarum naturalium, &c.

Inter noſtros Muſculus, non eſſe putandum dicit, Moſem de duobus dominis loqui, perinde atque Paulus, cum 2. ad Timoth. 1. dicit, *Det illi Dominus miſericordiam invenire, à Domino, in illa die.* Hieronymus Zanchius ſancti Trinitatis myſterii inter primos aſſertor ſtrenuus, poſter. partis lib. 1. de tribus Elohim. c. 2. inter Tritheitarum paralogiſmos hunc enumerat, cum patrem & filium eſſe duos Jehovas hinc probare volunt quod Jehova pluit à Jehova. Paralogiſmus hic, inquit, oritur inde, quod nō intelligunt hoc Ebraiſmo ſignificari Deum immediatè, per ſe ipſum, extra ordinem naturæ, exerto è cœlis brachio, ſulphur & ignem ſuper illas civitates copioſè emiſiſſe, quaſi dicat Moſes, Jehova à ſeipſo, per ſe ipſum. Eadem repetit & amplificat. lib. 5. cap. 5. Mercerus etiam in hunc locum, *Efficaciora*, inquit, *in Iudæos & alios qui Trinitatem negant, argumenta ſunt proferenda.* Ejuſdem ſententiæ fuit Calvinus, Emphaticam illam fuiſſe repetitionem, quod non uſitato naturæ ordine tum Dominus pluerit, ſed tanquam exerta manu, palàm fulminaverit, &c. Addit poſteà, *Cæterùm, quod veteres Chriſti divinitatem hoc teſtimonio probare conati ſunt, minimè firmum eſt, ac ſine cauſa tumultuantur, qui acrius Iudæos exagitant, quia non admittant tale probationis genus. Fatemur quidem Deum agere ſemper per manum filii ſui, ac tam memorabili vindictæ exemplo filium præfuiſſe non dubitamus: ſed parum ſolidè ratiocinari dicimus, qui plures inde perſonas eliciunt; quum Moſis conſilium fuerit Lectorum oculos ad ſpectandam Dei manū erigere & acuere.* Hæc ille, non ſolus quidem, ſed poſt alios multos, neque abſque ratione, & judicio exacto. Ubi notandum eſt, de re ipſa ſummum eſſe ejus cum aliis omnibus Orthodoxis conſenſum; filium à patre agere & patrem per filium, extra controverſiam ponere; proinde omnem calumniam prudenter voluiſſe prævenire & pervertere; tantùm de hujus loci neceſſaria ad argumentandum in hac cauſa conſequentia, dubitaſſe. Nihilominus non potuit præcavere, quin Ægidii Hunnii διαβολὴ ipſi impingeret, quod adverſus Chriſtianorum interpretes Judeorum cauſam egerit, non ſecus ac ſi à Iudæis hanc ad rem ſtipendio conductus eſſet, nec ſatis putavit ſe acerbitatis invenire poſſe, ad traducendam eam, quam ei tribuit gloſſam Judaicam, audaciam & petulantiam. Scilicet hæc ſunt ingenui diſputatoris, vel Chriſtiani hominis.

Primò, cum Calvinus alios plures in eo ſequutus ſit, cur in eum ſolum maledicta ſua congerit, niſi livore ductus & invidia? 2. Cur Judæorum cauſam agere calumniatur, qui filium Dei à patre agere, etiam in hoc negotio patrem per filium egiſſe docet? An hoc fatebuntur Iudæi? Utinam eò deventum eſſet. 3. Cur cauſam Judæorum appellat, quæ Judaicam religionem non ſpectat? An Judaicum erit, quicquid ad phraſes ſcripturæ ſpectans nobis cum Judæis commune eſt? Iniquiſſimum eſt certè, eum qui alioqui certis & ſolidis argumentis, bonam cauſam aſſerit fortiter, cæterùm in levibus & non neceſſariis, cum adverſario agit liberaliter, calumnioſe traducere tanquam prævaricantem, cui vitio nemo minus quam Calvinus fuit obnoxius. Sed argumentorum pondere potius agere voluit, quam numero, quod certè fuit ſtrenui diſputatoris, non ignavi balatronis, quales plerique fuerunt, qui leoni mortuo, timidi alioqui lepores barbam vellicare auſi ſunt.

Ut hunc locum concludamus, verum ſenſum hujus loci & literalem eſſe putamus eum quem Calvinus, cum aliis quos nominavimus attulit: Nec tamen propterea exiſtimamus, veteres doctores, aut etiam recentiores, qui diſtinctionem perſonarum in divinis hinc elicere voluerunt eſſe traducendos: ſed potius illud Lutheri, à Frantzio etiam laudatum dictum recolendum, aliam eſſe rationem diſputandi & pugnandi contra adverſarios, aliam vero docendi pios auditores. Deinde, quod in conflictu contra adverſarios uſurpari debeant arma, non lignea, ſed ferrea. Cui accedit alia admonitio, quod doctores ſæpè contenti fuerunt Rhetoricis argumentis.

Pererius, etſi in eam ſententiam inclinet, quæ fuit multo-

multorum Patrum, profitetur nihilominus ſe inficias non iturum, Toſtati & Cajetani interpretationem, ſecundum literalem ſenſum & proprietatem linguæ Ebrææ, non eſſe improbandam. Verba illa, *pluit Dominus à Domino*, haud dubiè Ebraiſmum continere, ſignificantem non fuiſſe pluviam illam naturalem nec uſitatam, ſed fuiſſe Dei, à Deo, id eſt, factum ſine concurſu cauſarum ſecundarum, fuiſſeque pluviam extraordinariam & prodigioſam, ac proprium opus divinæ providentiæ, ac fuiſſe hunc ſolum verborum ſenſum ab Ebræis intellectum ſub Veteri Teſtam. Putat tamen altius conſcendiſſe Prophetas, Davidem, Eſajam, Danielem, & in his verbis myſterium Trinitatis percepiſſe; & æternam filii à patre originem; & interpretationem utramque fuiſſe à Sp. Sancto intentam, primam quidem juxta proprietatem verborum; alteram autem in myſterio. Et valeant quidem hæc quantum valere poſſunt. Sed hoc ſemel conceſſo Judæis aut aliis, eum eſſe legitimum ſenſum verborum juxta phraſeos proprietatem, quicquid ſit de myſtico ſenſu, non poterit ex eo duci argumentum adverſus tergiverſantes, quod Calvinus ſolùm voluit, de re in ſe nullam litem movens.

Et certè vellem eos qui hoc tempore, quo ſanctiſſimum illud dogma tam acriter impetitur, ab adverſariis talia argumenta proferunt, eam inire poſſe rationem, quæ ſenſum quem ex hoc loco eliciunt, poſſet ab adverſariorũ exceptionibus ita vindicare, ut mutire non poſſent. Quod ab eorum ullis hactenus fuiſſe factum nondum vidi. Fridericus Balduinus Hunnii olim Collega, Theſes edidit de filii Deitate non contemnendas, in quibus, cum ad hunc locum deventum eſt, quem reciprocè explicandum reſpondent adverſarii, ita ut nomen Jehovæ repetitum locum relativi ſuſtineat Ebræorum more; agnoſcit Ebraiſmum illum eſſe vulgarem, quo idem verbum repetitur loco relativi; ſed ex contextu colligendum eſſe monet, quando id admitti debeat; & id quidem rectè. Addit hunc locum regulam illam prorſus repudiare. Rationem affert, quia *ineptiæ ſunt dicere, Dominum pluiſſe à ſe ipſo, Dominus autem à Domino pluiſſe rectè dicitur, tanquam una perſona ab altera, à qua ad expeditionem hujus rei miſſa fuit.* Et hac reſponſione contentus argumentum ſe vindicaſſe putat. At oſtendunt adverſarii, neque ineptum eſſe ita loqui, neque nugatorium, quia actionem Dei immediatam, citra cauſarum ſecundarum reſpectum voluit ſcriptura deſignare; & alias ſimiles locutiones urgebunt in quibus eſt reciprocatio nominis Jehovæ, neque tamen diſtinctæ perſonæ inde probari poſſunt. Ergo aliis & magis idoneis probationibus, quibus ſcriptura alioqui ſatis abundat, res conficienda eſt. Nec enim propterea Sociniani aut Judæi manum dabunt, ſi noſtri, qui fortius nodum ſtringunt, graventur calumniis ab iis à quibus id minimè fieri debuit, qui candidius egiſſent, ſi ſæpius agnoviſſent per quem profecerant.

EXERCITATIO XCVII.

Pluviæ ignis *phraſi, copiam & abundantiam ſignificari. Naturalium cauſſarum vi non decidiſſe. Ad exemplum ultionem illam proponi in variis ſcript. locis. An quicumque hoc igne perierunt, gehennæ fuerunt addicti, ex dicto Iudæ verſ.* VII. *ſic videri, & quo argumento? Veſtigia judicii illius, in ſcriptis Ethnicorum. Vſus illius varii. Pœnæ peccatis reſpondentes. Elementa omnia ad Dei nutum ſervire.*

HActenus de cauſa efficiente horrendi illius excidii. Jam de forma & modo agit Moſes eodem verſ. 24. *Pluere fecit*, המטיר himtijr *ſuper Sedom & Hamorah*, Synecdochicè, nam aliæ etiam duæ civitates intelliguntur, גפריה ואש *gophrit vaeſch*, ſulphur & ignem. Primi mundi impietatem Deus immiſſis aquis diluvii puniverat; jam vero qui omnibus elementis præeſt, ſulphure & igne immiſſis, tanquam ſævis nuntiis & executoribus vindictæ ſuæ, impios Sodomitas penitus exſcindit. Id paucis verbis deſcribit Moſes, ſed Emphaticis. Copiam & abundantiam, ignis & ſulphuris, *pluviæ* voce deſignat, tranſlatæ quidem ad id ſignificandum, quod non ſolet prima notione: pluvia enim propriè de ſtillicidio dicitur: ſed quia dum pluit, momento terra madeſit aquis, ubicumque pluvia decidat; ſic quia cæleſtis ille ignis, regionem illam totam momento pervaſit, pluviæ comparatur. Latet autem oppoſitio quædam; olim in punitione primi mundi, apertis cœli cataractis pluvia cecidit in terram per quadraginta dies; Geneſ. 7. verſ. 12. Jam verò longe alia pluvia immittitur è cœlo, ſulphuris nempe & ignis. Addunt etiam nonnulli ſal, ex cap. 29. Deut. ℣. 23, Ubi Deus minatur Iſraëlitis prævaricatoribus, *Sulphure & ſale exuſtam totam terram, &c. cujuſmodi fuit ſubverſio Sedomi & Hamorræ, Admæ & Tſeboimorum, quas ſubvertit Iehova, ira ſua & æſtu ſuo.* Et certè, vel admixtum fuiſſe ſalem, vel ex combuſtione terram ſalſuginoſam fuiſſe redditam, vix negari poteſt; ut ad eam etiam referatur quod dicit Pſaltes, Pſal. 107. *Redigit terram fructuoſam in ſalſuginoſam, propter malitiam habitantium in ea.*

Signanter dicitur, *ignem & ſulphurem* è cœlo fuiſſe immiſſos, h. e. ex illa aëris regione in qua ignita meteora generari ſolent. Quod ſi aliquãdo accidat alicubi

 ex di-

ex diſpoſitione naturalium cauſarum, non tamē fit ſine tonitrus fragore, & ſine aliqua terræ concuſſione in ipſis intimis ejus penetralibus, cum tanto impetu, ut vox *Iehovæ confringat cedros, perfringat etiam Iehova cedros Libani, &c.* Item, *dolore afficiat deſertum, faciat ut pariant cervæ, denudet ſylvas, &c.* quæ omnia elegāter deſcribit propheta Pſal. 29. ℣. 5. & ſeqq. Sed hic alia fuit planè ratio, præter naturam; non enim alioqui tanta copia ſulphuris & ignitæ materiæ in uno loco, vi naturalium cauſarum, congeri potuit. Id quidem verum eſt, etiam ubi fulmen à cauſa naturali procedit, ſecundā cauſam pendere à prima, & à Deo dirigi impetum & motū igniti illius teli, cujus mirabiles viſuntur effectus. Sed in hoc negotio Deus immediatè, materiam præparavit tanto incendio, ejuſque caſum ita moderatus eſt ut qua hora ipſe voluit ciciderit, & ea tantum loca attigerit, quæ deſtinaverat exitio. Non eſt inconcinnum quod excogitavit Greg. lib. 14. Moral. in Iob ca. 10. Sulphurem eſſe fomentum ignis; ſed non nutrire ignem, niſi graviſſimum exhalando fœtorem. Itaque in ſulphure libidinem & carnis peccatum fuiſſe notatum, quod perverſis cogitationibus quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, & æterna ei incendia præparat. Vult ergo Deum in ipſa qualitate ultionis, notaſſe maculam criminis, quia ſulphur fœtorem habet; ignis, ardorem.

Gravis quidem fuit ultio, ſed atrocium criminum, quæ poſteà ſæpè propoſita fuit, tanquam horrendum juſtitiæ divinæ exemplum ſub utroque Teſtamento. Jam citavimus locum ex Deut. 29. verſ. 23. Inſinuatur eadem vindicta, ejuſdem lib. cap. 32. verſ. 32. Pſal. 107. verſ. 34. Eſai. 1. verſ. 9. & 10. Ierem. 3. verſ. 9. & 13. ℣. 19. Ezech. 16. verſ. 46. Hoſ. 11. verſ. 8. Amos 4. verſ. 11. Soph. 2. verſ. 9. Matth. 10. verſ. 15. & 11. verſ. 23. & 24. Sed Emphaticè & paucis verbis à duobus Apoſtolis, Petro, nempe, 2. cap. 6. *Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens.* Juda autem ℣. 7. *Sicut Sodoma & Gomorra, & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* In quibus verbis id expendendum venit, an ex dicto Judæ conſequatur, omnes illorum locorum incolas pœna gehennæ punitos fuiſſe; & an talis pœna eo loco per *ignem æternū* ſit intelligenda? Certè vix dubitari poteſt, ignem illum & ſulphurem, quo non ſolùm homines fuerunt incenſi, ſed etiam planities, urbes, & germen terræ, æternùm dici non poſſe, hoc ſenſu quo ignem gehennæ, qualis qualis ille ſit, dicitur à ſcript. *ignis æternus.* Itaq; ſi in verbis Judæ intelligamus pœnam gehennæ, non exiſtimandum eſt in hoc formaliter conſtitiſſe, quod talis pluvia ignis & ſulphuris homines illos oppreſſerit. Fuit enim materia corporea, qua etiam corpora in pulverem fuerunt redacta, quæ tamen ſuo tempore reſurrectura non dubitamus, Sed potuit Judas, ex pœna illa temporali inferre æternas illas pœnas, quibus addicti fuerunt impœnitentes impii, qui per gradum illum temporalis excidii, in incendium æternum fuerunt præcipitati. Tamen hoc loco *ignis æternus* intelligi poteſt, cujus effectus in illa regione perpetuò manent; quia tota illa terra, torrida perſeveravit & exuſta, & nihil in ea creſcit, in quo ſuccus aliquis vel humor reperiatur, quaſi priſtinus adhuc ignis ibi exiſtat. Ad damnationem autem æternam Sodomæorum quod ſpectat, quoniam oppreſſi fuerunt ſubito impetu, vix tempus pœnitentiæ ipſis fuit datum: Et videntur æternis pœnis (communiter ſaltem) adjudicati. Nam Mat. 11. ℣. 24. Chriſtus ita comparat Sodomæos cum Evangelii contemptoribus, ut pronunciet quidem tolerabiliorem fore conditionem terræ Sodomorum in die judicii; ſed tolerabilior conditio ratione graduum, non tollit ſpeciem conditionis, ſed ponit. Nec eſt quod quis objiciat innocentiam infantum qui ab uberibus pendebant, erant enim naturâ filii iræ, ex innata omnibus hominibus corruptione. In hoc igitur judicio, ut in omnibus, conquieſcendū eſt in divinæ voluntatis & ſapientiæ portu; nec ultra inquirendum: ſic enim ipſe apud Ezech. c. 16. v. 50. *Cum itaque exaltantes ſe facerent abominationem coram me; amovi eas, prout viſum eſt.*

Non ſine cauſa repetitur toties horrendi iſtius caſus mentio in ſacra ſcriptura, cujus vel unicum teſtimoniū fidem rei, etſi extraordinariæ & mirabili, indubitatam facere debet. Voluit nihilominus Deus, extare hujus hiſtoriæ veſtigia apud ſcriptores ipſos profanos, ne qui negare non poſſunt, ſoli illius naturam ineptam eſſe ad uſus humanos, & terram eſſe planè ſterilem, & alendis fructibus inidoneam, id referant ad naturales cauſas, quaſi ſemper ita fuiſſet: quo modo montes quidam reperiuntur, ut Æthna in Sicilia, ignem evomētes, & vicinos agros lapidibus & cinere implentes, ſuccedēte ſubinde nova materia, quæ ignem alit, & eruptiones illas flammeas efficit, jam à multis ſeculis. Plinius certè Hiſt. natur. lib. 2. ca. 56. & Julius Obſequens libro de prodigiis narrant, cecidiſſe pluvias ſanguinis, carnis, lanæ, ferri, & coctilium laterum. Notant annos & conſules quibus id accidit. Nemini incredibile videtur. Cur igitur creditu difficile quis putaret, quod hic narratur à Moſe? Annon idem Plinius, li. 2. c. 55. *In Italia, inter Terracinā & ædem Feroniæ, turres bellicis temporibus deſiiſſe fieri, nulla non earum fulmine dirutâ* teſtatur?

Sed audiamus etiam quid Ethnicorum hiſtorici de hoc negotio ſcriptis commendarint. Cornelius Tacitus, hiſt. lib. 5. poſt multa de lacu Aſphaltite ex veteribus commemorata, ſic pergit. *Haut procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos, fulminū ictu arſiſſe, & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe; nam cuncta ſpontè edita, aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania, velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut Iudaicas quondam urbes, igne cæ-*

leſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfluum ſpiritum, eoque fetus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cœloque juxta gravi. Hæc ille. Quæ ex eo tranſcribit Paulus Oroſius Hiſt. lib.1. qui *inclitas urbes* habet, ubi vulgata Taciti exemplaria *Judaicas.* Solinus, Polyhiſtor. cap.48. *Longè*, inquit, *ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cœlo tactum teſtatur humus nigra & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum. Apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licet maturitatis, mandi tamen non poteſt. nam fuliginē intrinſecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ, vel levi tactu preſſa, fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem.* Eadem habet Egeſippus cap.18.lib.4.Sed ſuppoſititius eſt liber.Strabo paulo aliter rem narrat, nam poſt deſcriptionem lacus bituminis in illa parte,in qua,ut benè animadvertit Doctiſſ. Caſaubonus, Sirbonim paludem quæ eſt ad Caſiū, malè confundit cum Aſphaltite lacu,à quo Jordanes ebibitur; hæc addit, *Eſſe autem ignem in ſolo ejus regionis, multis etiam aliis ſignis docent. Nam & petras aſperas exuſtas circa Moaſada oſtendūt: & multis in locis exeſas cavernas, & terram cinerulentam, & picis guttas è petris diſtillantes, & flumina fœtore eminus edito efferveſcentia: & habitationes paſſim everſas: ut his fides haberi poſſe videatur, quæ ab indigenis prædicantur: in hoc loco* XIII *urbes, quarum caput Sodoma adhuc* LX *ſtadiorum habeat ſuperſtitem ambitum; terræ autem tremoribus, & ignis aquarumque calidarum & bituminoſarum ac ſulphurearum eruptione extitiſſe lacum, ſaxa ignem concepiſſe, urbium alias abſorptas, alias ab iis, quicumq; fugere potuerunt, derelictas.* In his de natura & ſitu loci,ab aliis non diſſentit. Sed cauſam aliam affert; quæ cum Moſe, id eſt, cum veritate, non convenit.Nec in numero civitatum exuſtarum, quem auget etiam ſupra fidem rei; ut & Stephanus,in lib. de urbibus,qui decem putat conflagraſſe, cum ſcriptura quatuor tantum meminerit. Potuerunt eſſe aliquot pagi; nam incenſa illa planicies longè ſatis ſe porrigebat. Joſephus enim autor eſt lib.5. de bello Judaico,cap.5.maris mortui,in quo fuerunt civitates illæ abſorptæ,longitudinem eſſe quingentorum & quinquaginta ſtadiorum, Latitudinem vero centum quinquaginta.Adrichonius in deſcript. terræ ſanctæ,dicit latitudinem eſſe quinque, ut alii volunt, ſex milliariorum: longitudinem autem iter habere quatuor aut quinque dierum.Pleriq; volunt urbes conſumptas fuiſſe in illo ſpatio ubi jam lacus eſt.Joſephus contra ire videtur,ſic enim ſcribit. *Huic* nempe lacui, *Sodomitica terra vicina eſt; olim quidem tam fructibus quam divitiis civitatum fortunata, nunc autem omnis exuſta, ut quæ habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. Denique adhuc in ea divini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres.* Ubi tamen fallitur in numero oppidorum.Nam etſi regio dicta fuerit Pentapolis, quatuor nihilominus tantùm igne cœleſti fuerunt ictæ,ut ex hiſtoria ſacra patet,una intacta fuit ex ſpeciali Dei indulgentia; quanquam Joſephi tempore potuit alio caſu periiſſe.

Brochardus Dominicanus,qui terræ ſanctæ quam perluſtraverat Itinerarium & locorum ejus deſcriptionem ēdidit non ita pridem,deformitatem loci,qualis etiamnum viſitur ſic deſcribit,1.part.ca.7.num.36.*Mare mortuum ſemper eſt fumans & tenebroſum, ſicut os inferni, ſicut oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem; vallis, dicta quondam illuſtris, à termino illius maris, ſecus deſertum Pharan, uſque ſupra Iericho, per mediam dietam ferè ſterilis & inutilis reddita eſt; ita ut ne germen quidem producat in ſui latitudine, quæ alicubi quinque leucarum eſt, alicubi ſex: præterquàm juxta Iericho, ubi Cannamellæ & horti, & viridaria ſunt, irrigante fonte Eliſæi. Tanta vero calamitas ei regioni accidit, in execrationem peccati Sodomorum, quod Deus tot ſeculis ulciſcitur, ut etiam regio ipſa, perpetuò pœnas luere videatur. A dextris inſuper & ſiniſtris montes ſteriles ſunt & aridi, vel barbaræ habitationes, per multa & longa terrarum ſtadia, quatenus exitialis iſte vapor, impellente vento pertingere poteſt.* Quæ omnia etiam verſibus hiſce comprehendit Tertullianus,

Tota rogus regio eſt, hinc atro horrore favillæ,
Hincque cavo ſitu cineris incendia ſignant,
Semiperempta etiam; ſi qua illic jugera, lætas
Autumni conantur opes, facile optima quæque
Promittunt oculis pyra perſica, & omnia mala
Donec carpantur: nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

Hæc omnia, quę vel autorum non levium variis temporibus confirmat teſtimonium; quorum etiam notæ in ipſis locis apparent, apud nos non tanti ſunt,ut in comparationem veniant cum ſacrarum ſcripturarum autoritate, ad fidem vel ingenerandam, vel confirmandam; ſed uſum ſuum habent præſertim, ad retundendam quorundam hominum prophanorum inſolentiam, qui talibus judiciis fidem detrahere conantur, nē eorum cogitatio,eos aliquando vellicet. Qui enim non moventur divinis teſtimoniis,quorum vim non norunt; aliquando humanis narrationibus fidem adhibent, aut etiam experientia percelluntur.Nec etiam inutilia ſunt quæ aliundè petuntur,domeſticis Dei,qui etſi de re ipſa tanquam exploratiſſima non dubitent; libenter tamen vident veſtigia eorum quæ jam olim facta ſunt; & cum fructu audiunt eorundem famam etiam apud exteros percrebuiſſe.

In hac hiſtoria quatuor ſunt paucis obſervanda, I. Sapientiſſima & æquiſſima agendi ratio, quam in judiciorum ſuorum executione Deus ſervat. Oſtendit enim ſe Judicem eſſe totius mundi,qui debitas & requiſitas omnes formas adeò exactè perſequitur, quod jam obſervatū fuit,ubi actum eſt de juridiciali proceſſu, cū primis noſtris parentibus; cum Caino, cum 1. mundo

Noachi tempore, cum ædificatoribus turris Babylonicæ. Hic etiam ita ſuſcepit accuſationes adverſus reas iſtas civitates, ut tamen voluerit omnia in aperto ponere, nec prius ad executionem venire, quam ipſæ ſua ſcelera publicaſſent: In qua etiam innocentium meminit, & eorum ſecuritati proſpexit. Sed poſteà omnibus quibus commiſſus eſt gladius exemplum præbet, ne diutius diſſimulent mala, in quibus urendum & ſecandum, quando nulla amplius eſt ratio alia qua limites ſtatui poſſint tranſgreſſionibus, re deplorata: ne brachium juſtitiæ enervetur, & ſcelera diſſimulatione & indulgentia nimia, invaleſcant.

2. Monemur neque dormiendum in peccatis, neque procraſtinandam pœnitentiam, ne abutentibus Dei patientia pondus iræ ſuperveniat. Tunc certè populorum iſtorum ſtatus & conditio talis erat, ut nihil minus cogitarent quam adeo proximam eſſe perditionem: Id tantùm curabant ut in delitiis viverent, & vitiis ſe immergerent, cum ſubito, etſi in pace tum profunda, riſus in planctum imò ululatum, mutatus eſt; vita in mortem, paradiſus in infernum, & deliciæ momentaneæ, in perpetuas miſerias. Id expreſſit Dominus, Luc. 17. 28. *Similiter etiam ut accidit in diebus Lot, edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant: Quo die Lot exiit Sodomis, pluit igni & ſulphure è cœlo, & omnes perdidit.* Nempe, ut ſive diem hunc ſingularem ſpectemus noſtrum unicuique conſtitutum, quo ex hac vita erit exeundum, ſive diem illum ultimum, quo ſiſtemur omnes coram tribunali Chriſti, vigilemus & precemur, quia nec diem novimus nec horam, Matth. 24. v. 42.

3. Notamus proportionem inter crimen & pœnam, tale enim fuit à Deo delectum ſupplicium, quod ſceleratis iſtorum populorum moribus conveniret, prout alibi obſervamus æquum & juſtum fuiſſe judicatum. Ita Deus in lege ſtatuerat Exod. 21. verſ. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. Pſal. 55. 24. *homines ſanguinarii & doloſi, non perducent ad dimidium dies ſuos.* Matth. 26. verſ. 52. *quicumque acceperint gladium, gladio peribunt*, Iob. 31. verſ. 9. & 10. *Si pellectus fuit animus meus ad mulierem; aut ad oſtium proximi mei inſidiatus ſum, molat alteri uxor mea, &c.* Sic Adonibezec Judic. 5. verſ. 6. eadem menſura menſuratus fuit, qua erga alios uſus erat, ut ipſe agnoſcit. Hic etiam vidimus Sodomitas concupiſcentiarum ſuarum ardore inflammatos, excitaſſe fœtorem terram polluentem, & in cœlum uſque pertendentem; Sed tandem audivimus juſtitiam divinam immiſſo igne & ſulphure, quaſi pœna proportionata, conſumpſiſſe fœtidos illos peccatores, & excitaſſe in ruinis urbium illarum tetrum odorem, tanquam perpetuum teſtem abominandæ iſtius libidinis. In quo etiã Deus judicibus commendavit analogiam, inter pœnas & crimina ſervandam.

4. Animadvertimus, Deo omnia elementa & quicquid creaturarum eſt ad nutum ſervire; & nihil eſſe non promptũ & paratum ad exequenda judicia ejus, cum primum verbum emiſit. Aquæ inferiores & ſuperiores vim ſuam conjunxerunt ut impios homines abſorberent diluvii tempore. Non minus promptus fuit ignis cum eo uti voluit, nec defuit alimentum ſulphureum. In ſumma, in poteſtate ſua habet, non ſolum elementa, ſed animalia omnia maxima & minima, quicquid in cœlo, in terra & ſub terra, ſivè ſponte ſive etiam vi coactum, cœleſti judici paret & patet. adverſus cujus brachium nulla eſt ſapiëntia, nulla intelligentia, nulla prudentia Prov. 21. ℣. 30.

Hujus hiſtoriæ uſus hic nobis commendatur à Petro 2. Epiſt. cap. 2. v. 6. *fecit* (inquit) *ut eſſent exemplar, impiè victuris.* Et Judas verſ. 7. *Civitates*, inquit, illæ, *propoſitæ ſunt exemplo.* Sic exemplarem pœnam appellamus quæ extraordinaria eſt & horrenda; ut alii caveant, & alieno malo cauti fiant. Græci ὑπόδειγμα vel παράδειγμα vocant, qui finis eſt pœnarum in quibus judex non intendit emendationem reorum.

Exercitatio XCVIII.

Quid ſit, uxorem Lot reſpexiſſe de poſt eum? *Ejus metamorphoſis opus divinæ potentiæ. Qualis ſpecies ſalis fuerit, in quam converſa fuit? An retinuerit formam muliebrem & ſexus notas? De eo veterum quorundam parum decora. Verus uſus, ex aliis. Quanta fuerit ejus culpa? De peccatorum gravitate, quomodo judicet Deus? Quot vitia fuerint in hujus mulieris facto complicata? Fabulæ Ethnicorum quæ ex hac Hiſtoria videntur ortæ. Sancta Abrahami ſollicitudo. Cur liberationem Loti tribuat Moſes memoriæ Dei de Abrahamo?*

SEquitur caſus uxoris Lot verſ. 26. *Et reſpexit uxor ejus* מאחריו *meacharav*, poſt eum. ותהי *vattehi*, & fuit, *facta eſt ſtatua ſalis.* Vulgata editio, vertit *poſt ſe*, Græci εἰς τὰ ὀπίσω, id eſt, *retrorſum.* Paraphraſis Onkelos, vertente P. Fagio, *reſpexit uxor ejus quæ ſequebatur eum.* Senſus, inquit, redditus eſt, nam ad literam eſt, & *reſpexit uxor ejus de poſt eum*, ſive à tergo ejus: hoc eſt uxor Lot, qui eam antecedebat, eã ſequente reſpexit, atque ita periit, &c. Complutenſis tamen Editio Chaldæi, eodem prorſus modo vertit quo vulgata editio, *reſpexit poſt ſe.* Ad rem quod attinet idem eſt ſenſus. Peccavit enim illa

contra

contra prohibitionem divinam, de qua ỷ.17. *ne reſpicias poſt te*, quæ non ſolum Lotum, ſed etiam omnes ejus domeſticos obligabat. Illa igitur cum ſequeretur maritum à tergo, reſpexit retro, & ſic mandatum violavit. Ergo ad verbum *reſpexit ea de poſt eum*, id eſt, quæ erat à tergo ejus, hoc eſt averſa à tergo illius cum ſequeretur eum, reſpexit poſt ſe. Itaque utrumque verum eſt, reſpexiſſe poſt maritum, id eſt, ad ea quæ erant poſt maritũ, aut cum illa eſſet poſt maritum, & reſpexiſſe poſt ſe, Sedomam verſus.

נציב ותהי *vattehij netſibh* & fuit ſtatua. LXX. vertunt *ϛήλην*, *columnam*, alii *acervum ſalis*. De rei poſſibilitate, ubi agitur de potentiæ divinæ effectu, nemo niſi impius, litem movere poteſt. Tales ſunt qui hanc metamorphoſin cum fabulis Ovidii componunt; nec ſacro autori tribuunt magis, quam Ethnico nugatori. Qui hominem à nihilo creavit, & eum in nihilum redigere poteſt, quamlibet etiam poteſt formam materiæ corporis, antea humani, adaptare; Et ſingulis diebus in natura fiunt, quæ non minus habent difficultatis. Sed Deo nihil eſt difficile. Nec implicat ea res contradictionem, quod muliebre corpus in ſalem converſum ſit, non quidem manens quod fuerat, ſed in aliud mutatum. De anima enim non diſputatur, quæ à corpore ſeparata, in manu Dei eſt, de cujus ſorte pronunciare non eſt noſtrũ.

Statuam ſalis intelligimus propriè & ad literam, ut loquuntur. Nam quod nonnulli volunt locutionem eſſe figuratam, dici non poteſt ſine totius hiſtoriæ jactura. Aliud enim eſt quod pactum vocatur Num. 18. ỷ.19. *pactum ſalis*, ob firmitatem & perpetuitatem; Ubi locutionem eſſe figuratam liquet, quia *pactum*, cum ſit actio relativa inter duos, non poteſt in ſalem converti, poteſt tamen ſale adhibito ſanciri, quemadmodum olim ſacrificia fuerunt ſale condita. Intelligimus itaque corpus illius mulieris in ſalis ſtatuam eamque duriſſimam, concreviſſe, intus & foris, in perpetuam rei memoriam; ſicut propriè intelligendum apud Moſem, Deut. 29. ỷ.23. *Sulphure & ſale exurendam terram*, ad exemplar Sedomi, &c. Unde etiam locus in quo fuerunt civitates incenſæ, *mare ſalis*, appellatur. Itaque non eſt improbabile, Deum id effeciſſe vi ignis & ſulphuris cœleſtis, quo miſera illa fœmina, quaſi fulmine tacta obriguit; & quaſi in calcem verſa eſt. Quicquid de eo ſit, id eſt, de modo, res ipſa explorata eſſe debet. Sed de ſalis ſpecie quæri poteſt. Cum hoc fuerit monumentum, & velut memoriale duraturum, & ut loquitur autor Sapientiæ, *ἀπιϛούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑϛηκυῖα ϛύλη ἁλὸς*, *incredulæ animæ monumentum ſtans ſalis columna*, cap. 10. verſ. 7. colligendum eſt non fuiſſe ſalem, qui liqueſceret, & in aquam brevi reſolveretur, ſed ſalem mineralem, qualis eſt in rupibus, qui nullo imbre liqueſcit, & pro ſaxis ad ædificandas domos idoneus eſt, cujus meminit Plinius lib. 31. cap. 7. Retinuiſſe autem ſtatuam lineamenta muliebria ex Joſepho ſunt qui probent. Sed nihil tale apud eum legitur; tantùm *ſe vidiſſe ait ſtatuam, quæ ſuo tempore extabat*. Sic enim ille, *ἱϛόρηκα δ' αὐτὴν, ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει*. Ubi malè interpres latinus, *dictum mihi jam de illa*. Pro eo quod eſt, *inſpexi eam*. Tertullianus, non ſolum formam externam retinere, ſed etiam ſexus differentiam, imò muliebria pati. Sic enim ille, carmine de Sodoma.

Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſervans
Durat adhuc. etenim nudâ ſtatione ſub æthrâ
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quinetiam, ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio jam corpore ſexus
Munificus ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Quo referri debent Irenæi verba, lib. 4. cap. 51. *Uxor remanſit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, ſed ſtatua ſalis ſemper manens: & per naturalia, ea quæ ſunt conſuetudinis hominis, oſtendens.* Quod à viris antiquitate reverendis, parum verecundè prolatum, meritò fabuloſum cenſet Leonardus Marius. Sed viri boni faciles præbebant fabulis aures, ubi probabilis allegoriæ ſuppetebat occaſio. Sic enim Irenæus, *quoniam*, inquit, *& Eccleſia quæ eſt ſal terræ, patiens quæ ſunt humana: & dum ſæpè auferuntur ab ea membra integra, perſeverat ſtatua ſalis, quod eſt firmamentum fidei, firmans & præmittens filios ad patrem ipſorum.* Hoc ſcilicet eſt rem acu tangere! Nec tamen inutile eſt meminiſſe, ut quam periculoſum ſit in talibus ludere, etiam magnorum alioqui virorum lapſu præmoniti, ſapiamus ad ſobrietatem.

Alio igitur ductu nobis opus eſt in hac hiſtoria perpendenda. Eſſe enim in ea aliquid morale, indicat ipſe Dominus Luc. 17. verſ. 32. hac admonitione, *Memores eſtote uxoris Lot.* Ad quæ verba alludens Sedulius ſic ait,

---dum reſpicit uxor
In ſtatuam mutata ſalis, ſtupefacta remanſit,
Ad pœnam, converſa ſuam, quia nemo retrorſum,
Noxia contempti vitans contagia mundi
Reſpiciens ſalvandus erit; nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in ſua terga referre.

Ubi etiam reſpexit ad dictum Chriſti, Luc. 9. verſ. 62. *Nemo qui manu ſua admota aratro, reſpexerit ad ea quæ retro ſunt, appoſitus eſt ad regnum Dei.* Propterea Aug. lib. 16. de civit. Dei ca. 30. benè monet uxorem Loti remanſiſſe ubi reſpexit, & in ſalem cõverſam, hominibus fidelibus quoddam præſtitiſſe condimentum, unde illud caveatur exemplum. Quod autem præcaveri debet illud eſt, *ne ſemel à Deo vocati, & ab inferis ipſis liberati, aliò quam ad propoſitam ſupernæ vocationis palmam reſpectemus*; ne iterum verſus Ægyptum unde ſemel fuimus liberati cor noſtrum tendat, & cibum Angelorum faſtidientes, porris & cœpis inhiemus, quod Iſraëlitis accidit in deſerto. *Ne inquinationibus mundi*, ut loquitur Petrus, 2. 2. verſ. 9. *per agnitionem Domini & ſervatoris Ieſu Chriſti vitatis, his rur-*

his rurſum implicati ſuperemur, quia ultima conditio, deterior eſſet priore.

Qui hujus loci moralis ſenſus, in literali & hiſtorico ita includitur, ut à Deo præcipuè intentum fuiſſe, non eſt quod dubitemus. Prodigioſam enim illam tranſmutationem Deum inſtituiſſe certum eſt, ut ejus facti recordatione diſceremus ſapere, ut nempè à priſtinis erroribus & vitiis, aut hujus mundi curis ſemel liberati, ac melioris & ſanctioris vitæ iter ingreſſi, nunquam animo vel affectu repetamus, quæ à nobis repudiata fuerunt & rejecta. Et certè verba Chriſti oſtendunt, hunc fuiſſe hujus monumenti finem, ut perpetuò moneret eos qui ſeriò & ex judicio elegerunt viam Domini, nunquam retrò aſpicerent, aut redire optarent, ſi ſalvi eſſe velint; quin potiùs ulteriùs procedentes, ad extremum uſque pertendant.

Unde etiam licet colligere, non levem fuiſſe iſtius mulieris culpam, quantumvis eam nonnulli velint extenuare: res per ſe non videtur magni momenti, ſi externam actionem reſpiciamus; non enim eſt tanti ſi quis retrò reſpiciat, quod ſingulis diebus fieri poteſt ſine culpa. Sed ex circumſtantiis de facto judicandum. Primùm præceſſerat divina prohibitio, quæ ſola rem, per ſe alioquin indifferentem & liberam, illicitam reddit. Non erat res per ſe magni momenti, ut quis decerperet arboris fructum, ſed poſtquàm id Deus prohibuit, nullus excuſationi locus fuit relictus. Sufficiebat igitur ad mulieris illius culpam, quòd in perſona mariti Deus ipſi etiam prohibuerat, ne retro reſpiceret. Sed ſi nihil tale præceſſiſſet, ex pœna nobis de culpa eſſet judicandum, quia in Deo nulla eſt iniquitas, cui omnes cordium latebræ ſunt notiſſimæ, & cujus oculi ad interiora ipſa penetrant, nec de animo judicant ex actionibus, quod faciunt homines, ſed de actionibus ex animo. Cùm Num. 20. ℣. 10. præcepiſſet Deus Moſche & Aaroni, ut petram alloquerentur ante oculos populi, & ſic proferrent aquam è petra, virgâ percuſſa, id quidem ab iis factum eſt, nam Moſche attollens manum ſuam percuſſit petram illam virgâ ſuâ bis: tunc prodiit aqua multa, ut biberet cœtus ille, & jumenta illorum. Sed quia verbis uſi erant, quæ dubitationem aliquam præ ſe ferebant, *Audite nunc rebelles, an ex petra hac proferemus vobis aquam?* Sequuta eſt ℣. 12. in eos hæc ſententia, *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me ante oculos filiorum Iſraëlis, idcircò non introducetis congregationem iſtam in terram quam ego do eis.* At diffidentiam illam, vix aliquis ex eorum verbis collegiſſet, cùm præſertim ex eorum facto ſequutum eſſet quod Deus promiſerat, niſi eos ipſe reos peregiſſet, qui propterea utrique mortem inflixit, antequàm ingrederentur terram Canaan. Num. 20. ℣. 12.

Nec ſanè poſſet judicium humanum, differentiam conſtituere inter riſum Saræ & Abrahæ; vix etiam inter Zachariæ & B. Virginis, *Quomodo fiet iſtud?* niſi Deus cenſurâ ſuâ culpam in aliis notaret, alios autem ſine cenſura dimitteret. Itaque ſi in actione mulieris iſtius, nihil culpæ affine perciperemus, ſtandum nihilominus eſſet Dei judicio, quod nobis ex ſupplicio ſatis innoteſcit. Nihilominus ſunt penitiùs introſpicientibus non pauca, ex quibus non leve fuiſſe ejus delictum colligi poteſt. Apparent enim veſtigia incredulitatis, rebellionis, & ſollicitudinum hujus vitæ, quibus exiguus admodum junctus fuit guſtus divinæ erga eam & ſuos gratiæ. Cùm minas audiviſſet, nec effectum adhuc videret, moras nectebat, & hoc aſpectu retrorſum, viſa eſt tacitè accuſare, aut ſaltem dubitare dè divina veritate. Nulla autem atrocior injuria Deo ab homine fieri poteſt, quàm ſi ejus fidem in dubium vocet. Nec caruit rebellione, quod audito mandato Dei per Angelos, qui urgentes eos manu prehendebant, & prohibebant, ne moras necterent, imò juberent feſtinare expreſſis verbis, ut ſalvi eſſent, illa mandato neglecto, quaſi fidem non adhibens verbis Angeli, cunctabatur. Hinc eſt quod autor Sapientiæ, animam ei tribuit *incredulam.* Accedebat igitur ingrati animi vitium, cùm enim Deus ſalutis viam ipſi apparuiſſet, in re tamen levi detrectavit obedientiam. Denique præter muliebrem curioſitatem, quæ fecit ut nimis leviter oculos reflecteret ad incendium civitatis ex qua ægrè fuerat erepta, apparuit in his omnibus, addictam nimis fuiſſe loco habitationis & rebus ſuis quas auferre non poterat, & adhuc cor hæſiſſe, ubi theſaurus ejus manſerat, Matth. 6. ℣. 21. Autor Paraphraſeos Hieroſolymitanæ, *Eo quod,* inquit, *uxor Lot fuit de filiis filiorum populi Sodomæ, reſpexit poſt ſe, ut videret, quidnam futurum eſſet cum domo patris ſui, atque ita factum eſt, ut facta ſit columna ſalis duratura uſque ad tempus reſurrectionis, quo mortui reviviſcent.* Quò referri debet admonitio Chriſti, de qua ſuprà, cùm enim ageret de calamitatibus venturis in Judæa, Luc. 17. ℣. 32. *In illo,* inquit, *die, ſi quis fuerit ſupra domum, & vaſa ejus in ipſa domo, ne deſcendat ad ea ſumenda: & qui in agro ſimiliter, ne revertatur retrò.* Quibus addit, *Memineritis uxoris Lot.* Docens ubi agitur de vita conſervanda, de aliis quibus vita potior eſt non eſſe cogitandum, ne tandem accidat ut utriſque privemur & vita & bonis. Quod ſi ita in periculo hujus vitæ nos gerere debeamus, quantò magis ubi de vita æterna conſervanda agitur, & æternæ mortis periculo vitando?

Ex hac autem hiſtoria videtur profana antiquitas finxiſſe aliquot fabulas, primam de Niobe, quæ ex nimio filiorum ſuorum amiſſionis dolore in ſaxum obriguiſſe fertur: & de Orpheo, qui cùm Euridicem uxorem ex inferis revocaſſet, eo pacto ut ejus conſpiciendæ gratiâ non prius reſpectaret, quàm cùm domum perveniſſet ſuam, cùm ille haudquaquam fidens voluiſſet oculos in eam obvertere, quam obtinuerat amiſit: ſi credere fas eſt. Talia ſæpè apud prophanos autores inſtinctu dæmonis,

dæmonis, fabulis fuerunt involuta, hoc artificio, ut fidem veris derogaret.

Et hæc quidem de fato uxoris Lot. Inſerit autem tribus ſeqq. verſibus Moſes, ſanctam ſollicitudinem Abrahami, qui ex quo audiverat divinam illam communicationem, non deſierat pro civitatibus illis, & nepote ſuo inhabitante Sedomis angi gravi cura. Itaque ſcribitur de illo ỷ. 27. quod ſummo mane ſurrexit, וישכם בבקר *vajjaſchkem babboker*, ad verbum, *& manicavit in matutino:* hæc eſt temporis circumſtantia. Loci autem additur, nempè quod venerit in locum ubi ſteterat coram Domino, qui erat locus eminens, ex quo totam planiciem ſubjectam potuit contemplari. Subjungitur enim hic finis profectionis ejus, ut reſpiceret verſus illa loca, in quibus vidit fumum aſcendentem, & de executione judicii divini tanquam ex ſigno certiſſimo cognoſceret. Motum fuiſſe Abrahamum, ut quid factum fuiſſet exploraret, ex eo quod jam in dialogiſmo cum Domino fuerat ipſi denunciatum. Nam etſi Dominus appoſuiſſet conditionem de decem juſtis, nec negaſſet tot eſſe in civitatibus illis, jure tamen ſollicitus fuit Abraham, etſi ex charitatis judicio benè anteà ſperaviſſet, etiam de majori numero. Sed aliàs apud ſe perpendebat, non ſine gravi cauſſa Deum eò uſque proceſſiſſe, nec dubium veniſſe de eventu totius inquiſitionis. Id etiam valdè probabile eſt, Abrahamum aliquid extraordinarium factum fuiſſe ex aëris maxima cõcuſſione animadvertiſſe; cùm enim quotidie accidat, ut fulmine cadente, ſtrepitus & ſonus etiam à longè remotis audiatur, quis dubitabit tantum incendium, quo tot civitates conflagrarunt, & ampla regio in cinerem redacta eſt, in tota vicinia magnum edidiſſe ſonitum, & talem ſtrepitum editum fuiſſe, qui non ſolùm vigilantes, qualis in hac anguſtia erat Abraham, ſed vel graviſſime ſtertentes, potuit commovere?

Surrexit itaque ſummo manè, ut exploraret quid rei eſſet: ubi vir pius non tantùm adhibuit corporis, ſed etiam, & præſertim mentis oculos, ut in hoc ſpectaculo juſtitiam divinam adverſus hominum illorum malitiam contemplatus, acquieſceret divinæ voluntati, & Deo gloriam daret. Ut etiam exploraret quid accidiſſet nepoti ſuo, de quo ſollicitum eum fuiſſe non poteſt dubitari, atque adeò pro eo ardentes fudiſſe preces, ne involveretur aliorum perditioni. Id enim apud ſe volviſſe probabile eſt, ſi Deus propter decem juſtos voluerit civitati parcere, noluiſſe eum hominem juſtum, etſi ſolum, cum impiis perdere.

Subjungit itaque Moſes, *Deum cùm diſperderet urbes planitiei, recordatum fuiſſe Abrahami, & emiſiſſe Lot è medio ſubverſionis*, ỷ. 29. Quæ cùm ſubjungantur præcedentibus, de Abrahami ſollicitudine, etſi non exprimat Moſes patefactam ei fuiſſe ſingularem illam Loti liberationem, cùm tamen in illius gratiam fuiſſe ab interitu ſervatum notat, indicare etiam videtur, Deum non deſtituiſſe eum ea conſolatione qua maximè opus habebat, ac eum ejus beneficii feciſſe conſcium, pro quo eum gratias agere debebat.

Hìc autem emergit aliqua difficultas, cùm liberatio Loti tribuatur recordationi Dei de Abrahamo, hoc eſt Lotum ſervatum fuiſſe in favorem Abrahami, id eſt, ut ei gratificaretur, memor promiſſionis ſuæ, cap. 12. verſ. 2. *Benedicam benedicentibus tibi, &c.* Maximè cùm Apoſtolus Petrus 2. cap. 2. verſ. 7. Abrahami nullam faciat mentionem, ſed ereptum fuiſſe juſtum Lot, aſſerat, ex eo quod inter nefarios habitans, animam ſuam iniquis eorum factis affligebat. Unde etiam idem Petrus concluſionem generalem infert, *Novit Dominus pios è tentatione eripere*, verſ. 9. Itaque apud Ezech. cap. 18. verſ. 9. & 20. pronunciat Deus, *eum qui in ſtatutis ſuis ambulat, victurum; juſtitiam juſti cum eo futuram, & improbitatem improbi cum improbo.* Cùm igitur converſatio Loti Deo placuerit, mirum videri poſſet, quod ejus liberationem tribuit Moſes recordationi Dei de Abrahamo, quaſi apud Deum ipſe Lotus in nulla fuerit per ſe conſideratione, & alienâ juſtitiâ ſervatus & ereptus fuerit. Reſpondemus non eſſe inconveniens unius & ejuſdem effectus plures eſſe cauſas vel conjunctas, vel ſubordinatas, nec unâ poſitâ, alteram negari. Id etiam in beneficiorum diſtributione apud homines uſu venit. Principes enim qui apud ſe ſtatuunt, vel ex gratuita beneficentia, vel etiam ut remunerent ſervitia, alicui ex ſuis ſubditis non indigno benefacere, ſæpè nihilominus non id exequuntur, priuſquam ab aliquo ex iis qui apud eos pollent gratia & favore, interpellentur; ſic enim una, quod dicitur, fidelia duos dealbant parietes; dum erga unum liberales ſunt, honore alium afficiunt, favoris ſui teſtimonio. Nihil etiam impedit quominus ex ordine à Deo præſcripto, in beneficiis diſpenſandis, variæ cauſæ, varia item antecedentia conſiderari poſſint, quorum priora non præjudicant poſterioribus, nec contrà. Sic in beneficiis ſpiritualibus quæ Deus nobis largitur, fontem agnoſcimus, electionem divinam; cauſam meritoriam, Chriſti Servatoris obedientiam; inſtrumentalem, fidem qua Deus nos donat, ex qua fluunt opera ſanctificationis, in quibus noſtris & aliorum precibus juvamur, donec accipiamus gratuitam retributionem. Hæc itaque non malè congruunt, quod Dominus juſtum Lot, quem elegerat, & ſuo regebat ſpiritu, curæ habuerit ſpeciali, interim tamen teſtari voluerit in ejus conſervatione quantoperè diligeret Abrahamum, cui non ſolùm ſalutem præſtabat, ſed ei etiam ſuos reddebat incolumes. Adſcribuntur autem hominum pietati & precibus, quæ alioqui gratuitò Deus facit, nec aliundè quàm à ſua bonitate inductus, ut ad Dei cultum & gratitudinem magis ac magis incitemur: non ad id quidem ut aliorum meritis innitamur, vel de noſtris præſumamus, quod in Papatu obtinuit, ubi ex ſimilibus dictis,

dictis, invaluit Sanctorum invocatio, & alienorum meritorum fiducia; ſed ut miſericordiam Dei celebremus, quæ à parentibus piis, in filios pios derivatur; imò & ab amicis, in amicos. Id enim accidit amicis Jobi, cap. 42. ℣. 8. quibus Deus factus eſt propitius, à ſervo ſuo exoratus.

Exercitatio XCIX.

Quis finis fuerit hiſtoriæ de concubitu Loti cum filiabus? Ejus duplex infirmitas. Vanitas humanorum conſiliorum. Deum ductorem ſequi, tutiſſimum. Mutatio loci tutiores non facit ſine ſpeciali Dei auxilio. Via univerſæ terræ, *duplici ſenſu. Expenditur conſilium filiarum Loti, & an à peccato excuſari poſſint, diſquiritur. Negatur, & contrà ſentientium argumenta diſcutiuntur. Alia adferuntur contra factum illud. Moabitarum & Ammonitarum origo. De Loti ebrietate & inceſtu. Iudicium Baſilii. Feuardentii petulantia & calumniæ retunduntur. Filias propinaſſe medicatum vinum negatur. Quid de ejus inebriatione judicandum? Non poſſe planè à peccato excuſari. An opera impura, aut alia, ut vocant* peccaminoſa, *ab ebrio facta culpæ imputentur? Vſus permiſſionis talis impuritatis, contrà duo extrema. Ebrietas quanto ſtudio cavenda?*

A Verſu xxx. uſque ad finem capitis, narrat Moſes, migrationem Loti à Tſoar in montem, conſilium filiarum ejus de poſteritate, & modum per quem ex patre conceperunt, ut tandem duorum populorum originem indicaret, quorum deinceps erit mentio frequens in hiſtoria ſacra. Qui fuit præcipuus finis hujus narrationis, neque enim deinceps aliquid memorat Moſes, vel de Lot, vel de filiabus ejus, cujus hactenus hiſtoriam non texuit, niſi quatenus connexionem aliquam habuit cum hiſtoria Eccleſiæ.

Cùm juſſiſſet Deus Lotum è Sodomis egreſſum, ut feſtinaret montem verſus, & ibi *ſalvaret animam ſuam*, deprecatus eſt tam longum iter, ne opprimeretur priuſquàm eò poſſet pervenire, petiitque à Deo, ut civitatem Tſoar ipſi concederet tanquam refugii locum, ad vitæ conſervationem. Quæ petitio, etſi ex infirmitate profecta, apud Deum tamen benignè cum ſervo ſuo agentem, locum habuit; ita ut ei conceſſerit quod petebat, & civitatem illam cum aliis non deleverit. Jam verò ℣. 30. recitatur; *Aſcendiſſe Lot è Tſoar, & habitaſſe in monte:* additur ratio, quia *timebat habitare in Tſoar*; exprimitur autem, *duas ejus filias fuiſſe cum eo*, propter ſequens factum; item, *cum iis habitaſſe in ſpelunca*, ut loci circumſtantiam deſignaret.

Non indicat Scriptura quandiu habitaverit in civitate Tſoar, circumſtantiæ autem indicant non multùm temporis ibi egiſſe, præſertim *metus*, cujus meminit textus. Metum illum auxerunt triſtia totius viciniæ objecta, & horrenda deſolatio, quæ oculis ejus obverſabatur, quæ etiam memoriam ei refricabat amiſſionis non bonorum tantùm, & variæ ſuppellectilis, ſed etiam conjugis. Addi potuit prætereà, quod incolarum loci mores ipſi non probabantur, aut quod ab iis non ſatis humaniter acciperetur. Sed tamen cùm Deus in ea civitate ipſi refugium conceſſiſſet, non debuit diffidere de protectione divina; itaque arguitur duplicis incredulitatis & diffidentiæ. I. Quod non credidit Deo promittenti ſecuritatem in monte, aut promittenti, ſe nihil facturum priuſquàm montem conſcendiſſet. II. Quod eidem jam non adhibeat fidem, ſed adhuc in metu verſetur, poſtquàm ipſi fuit conceſſa civitas ad habitationem. Itaque cùm juſſus eſſet ſe recipere in montem, maluit habitare in Tſoar; poſtquàm autem ei conceſſa fuit habitatio ex animi voto, mox ejus pertæſus, trepidat ſingulis momentis, & ad locum feſtinat, quem ſibi periculoſum eſſe anteà formidaverat. Ubi notatur inſtabilis animi levitas.

Recte autem ex hoc facto deducitur, quàm vana ſint hominum conſilia, ubi malunt à ſuo judicio pendere, quàm divinas ſuggeſtiones ſequi: & nunquam proſperè ſuccedere temeraria conſilia, quæ ſibi ex carnis ſenſu fabricant homines, præſertim ubi vana ſpe illecti, vel impulſi pravis votis, diſcedunt à Dei verbo. Ubi tamen bonitas Dei elucet, dum etiam ſuis, aberrantibus à via, aliquantulum indulget: cùm enim Lot petiit habitationem Tſoaris, Deus non rigidè cum eo egit, qui locum illum prætulerat monti à Deo indicato, ſed tempus ipſi concedit, ut tandem ſponte agnoſceret culpam ſuam, eamque mutato conſilio damnaret. Atque ita effecit, ut peccati ſui judex eſſet. Nam cùm anteà carnis ſenſum, potiùs quàm Dei mandatum ſequutus eſſet, non poſteà vi, aut hominum manu expulſus fuit ex Tſoar, ſed cæca animi anxietas, eum in cavernam fugavit.

Tutum igitur eſſe, ſi quis ſe Deo committat, & ab ejus ore pendeat, ne experientiâ propriâ diſcat, Deum tentando, quàm malè cedant temerè ſuſcepta conſilia. Cùm igitur in difficultatibus noſtris audimus Deum dicentem, Eſai. 30. ℣. 21. *Hæc eſt via, ambulate in ea*, hoc nobis ſtatuendum eſt, nihil melius eſſe quàm ſi eum ductorem ſequamur, & primùm quidem ubi de ſalutis æternæ via agitur. Sed prætereà in periculis & anguſtiis hujus vitæ, & occurrentibus negotiis alicujus momenti, hoc

hoc ſtatuendum eſt nos in pleriſque cæcutire, affectus noſtros in præceps ruere, & eventus non eſſe in noſtra poteſtate; ne nobis accidat, quod Eſai. 30. ℣.1. dicitur, *ut agitemus conſilia, non ex Deo:* potius omnia ſuſcipiamus ex Dei nutu. Nec enim Deus longè abeſt ab unoquoque noſtrûm, qui *propinquus eſt omnibus qui invocant ipſum in fide.* Pſal. 145. ℣.19. Alioquin etſi arrideant nobis initio quæ ſuſcepimus, Dominus maledicit tandem carnis prudentiæ, cum deſertis Dei auſpiciis, aggredimur quod nobis optimum videtur.

Si Lot tunc temporis montem conſcendiſſet, cùm à Deo mandatum accepit, non dubitandum eſt, quin omnia ei benè fuiſſent ceſſura, quia id ex obedientia feciſſet. Jam verò, cum ex impatientia, & pavore aut metu præpoſtero, & diffidente, latebras quærat, non eadem eſt ejus conditio cum bonis illis viris, *quibus indignus erat mundus; in deſertis errantibus & montibus ac ſpeluncis & cavernis terræ.* Hebr. 11. ℣.38. Hi enim vocationem ſuam ſequuti, impiorum violentiam ad tempus fugiebant. Lot autem, nemine perſequente, quærebat latebras.

Sed non diu expectavit, quin imprudentiæ ſuę pœnas lueret. Ubi enim ſibi bene fore ſperaverat, ibi peſſimè habuit. Simul enim in ebrietatem delapſus, & inde inceſto pollutus, qui inter Sodomæos juſtè vixerat, in ſolitudine in vitia abreptus fuit. Quod juſto Dei permiſſu in pœnam incredulitatis accidiſſe, non ſine cauſa notat Hieronymus. Simulque animadvertimus, non mutationem locorum, tutiores ac meliores facere, niſi adſit firmum animi propoſitum ex recto ſenſu, ante omnia vero gratia divina ex Sp.S. inſtinctu, qui animos in meliorem ſtatum mutando promoveat. Alioquin ut benè poëta cecinit, Horat. lib.1. Epiſt.

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Rectè igitur Gregor. homil.1. in Ezech. *Si deſit ſpiritus, non adjuvat locus. Ecce Lot in Sodomis ſanctus extitit, in monte peccavit, & primus ipſe parens generis humani in Paradiſo cecidit. Quod ſi locus ſalvare poſſet, Satan de cœlo non cecidiſſet.* Scitum eſt etiam quod interlinearis Gloſſa in hunc locum ſcribit, ſicut juſtus Lot in Sodomis fuit, in monte peccavit, ita ſunt qui inter malos ſtatum rectitudinis tenent; cum vero ad altitudinem vitæ aſcendunt, negligentiores facti graviter peccant.

Lapſui Loti occaſionem dederunt filiæ, quæ deſtitutæ maritis, in hac ſolitudine conſilium perverſum inierunt, de ſuſcipienda prole ex ipſo parente. Hujus conſilii precipitati, duas affert cauſas natu maxima, v.32. *pater,* inquit, *noſter ſenex eſt, & non eſt vir in terra qui ingrediatur ad nos,* כדרך *kederec*, ſecundum *viam univerſæ terræ.* Connexio talis eſt, deſtitutæ ſumus viris ex quibus ſuſcipiamus prolem; Solus parens noſter nobis præſto eſt, & ad ſenectutem vergit; ſi nobis elabatur occaſio, orbæ manebimus. *Viam univerſæ terræ,* in ſacra ſcriptura dici conſtat de hominum procreationis modo, & de eorundem denaſcentia, quia nemo naſcitur ſecundum ordinariam viam, qui ſuo tempore non debeat denaſci. Eſt igitur generatio viæ illius initium, cujus mors eſt finis: pro circumſtantiarum autem ratione, phraſis ad utramvis refertur. Hoc loco manifeſtè ſumitur pro congreſſu viri cum muliere, quo ſenſu citat Druſius ex comment. Rab. Salomonis Trecenſis in num.12. ℣.2. *ſeparare ſe à via terræ*, id eſt, à notitia uxoris & viri, ſive ab actu venereo. Alibi pro morte accipitur, idque ſæpius, *ego ineo viam univerſæ terræ*, id eſt, ad mortem propero. Ioſ. 23. ℣. 14. & 1 Reg. 2. verſ. 2.

Non pauci ex his verbis judicarunt, puellas illas hanc concepiſſe opinionem, accidiſſe orbi univerſo, quod Sodomæ & vicinis civitatibus, proinde univerſum genus humanum periiſſe, quemadmodum diluvii tempore, in ſola Noachi familia conſervati fuerunt, ex quibus poſteà propagatum eſt ſecundò genus humanum: quam cogitationem ideò ipſis tribuunt, ut facinus earum excuſent, quaſi neceſſitate adactæ eo deveniſſent. Inter eos qui ita ſentiunt, fuerunt, qui ignorantia invincibili, ut vocant, laboraſſe putarunt, proinde eas ab omni culpa abſolvere conantur; Alii ignorantiam quidem eis tribuunt, ſed pravæ diſpoſitionis, & quæ vinci potuit, ſi animum attendiſſent, quia multa eis fuerunt & aperta argumenta, quibus contrarium ipſis debuit eſſe perſuaſum. Primum enim habitaverant in Tſohar, cui Deum peperciſſe non debuerunt ignorare. 2. ex monte illo in quem ſe receperant, potuerunt percipere, non omnes regiones conflagraſſe; 3. Cum audiviſſent gentes illas fuiſſe deſtinatas perditioni ob iniquitatem & injuſtitiam fœdiſſimam, potuerunt colligere, fuiſſe judicium particulare. 4. Non potuerunt ignorare Abrahamum patris earum patruum, fuiſſe virum pium & ſanctum, eumque Deo fuiſſe curæ, qui Lotum eripuerat ex incendio. Proindè, aut magna fuit in eis ſtupiditas, aut incuria ſumma, aut id non cogitarunt quod illi putant de univerſæ terræ excidio. Idcirco in verbis earum diſtinguitur, univerſa terra, à terra quam inhabitaverant, *nemo*, inquit illa, *virorum remanſit in terra,* id eſt, in toto illo tractu, qui ingrediatur ad nos, *ſecundum viam univerſæ terræ*; ut oſtendant ſe non poſſe expectare, in eo ſtatu in quem redactæ erant, talia matrimonia, qualia alibi in uſu erant; opponunt enim manifeſtiſſimè terram ſuam, reliquo orbi. Id igitur tantum reſpicere videntur, quod cum parens eorum, ſolitudinem hanc elegiſſet, quaſi vellet ſe ab omnium hominum conſortio ſeparare, ſe etiam deinceps privatim victuras, quaſi in alium orbem eſſent relegatæ. Proindè aliqua ratione providendum, ne in parente extingueretur ſpes ſuſcipiendæ prolis, cum ſibi proponerent tantum deſertum illud, & latebras cavernæ, putarunt nihil amplius ſibi fore cum hominibus commercii.

Quod autem nonnulli putant aliquos ex ſervis ſimul habitaſſe, propter vinum & annonam ibidem advectam, vix mihi poſſem perſuadere. Nam in tali anguſtia prætuliſſent ſervorum congreſſum ei conjunctioni, cujus fœditatem ſatis ex eo ſe noſſe oſtenderunt, quod patrem ad eam adduci nunquam poſſe crediderunt, niſi rationis uſu privatum. In hac itaque deliberatione, negandum non eſt fuiſſe valdè turbatas, & non omnia cogitaſſe quę debuerunt, cum in anguſtia eſſent conſtitutæ.

Addimus etiam, non libidinis ardore & impudicitia ad id aggrediendum fuiſſe compulſas, cum enim unaquæque furtivo illo concubitu contenta, illum non repetierit, ſatis indicarunt, ſtulto tantum propagandæ prolis deſiderio ad id audendum fuiſſe impulſas; neque enim ſi libido eas inceſſiſſet, vel patris ſenis & ebrii concubitum appetiiſſent, vel una alteri ſine zelotypia ceſſiſſet: atque ita rectè colligitur, non alio ſpectaſſe, quam ut matres fierent. Itaque non malus fuit is quem ſibi propoſuerunt finis. Sed non ſufficit ad actionis alicujus juſtificationem, ut quis ſibi proponat finem non malum, niſi per legitimas vias ad illum tendat & perveniat.

Non ſatis igitur caute veteres nonnulli eas ab omni culpa abſolvunt; imò penè factum laudant, tanquam propheticum, Irenæus & Chryſoſtomus. Uterque argumentum deſumit 1. à ſcopo; 2. Volunt ſcripturam eas liberare ab omni crimine; Addunt 3. facinus illud fuiſſe peractum, ad magnum quoddam myſterium præfigurandum, ut nempe duæ illæ filiæ, duas ſynagogas figurarent, fructificantes ex patre Deo.

At hæc argumenta merito non perſuaſerunt Auguſtino, ut cum ſuperioribus ſentiret, nec aliis pleriſque qui ſequuti ſunt Theologis. Ad primum enim jam reſpondimus, finis & intentionis rectitudinem non ſufficere ut actio aliqua bona judicetur; alioqui laudandi eſſent, qui dum fideles perſequuntur, putant ſe obſequium præſtare Deo. 2. Non verum eſt eas à ſcriptura abſolvi, Eſt enim apud Moſem ſimplex facti narratio, ſine approbatione, etſi ſine expreſſa improbatione. Ad præfigurationem autem quod ſpectat, eam excogitarunt boni viri extra ſcripturam, neque admodum aptam, neque rei ſatis reſpondentem.

Verum quidem eſt, Deum per ſemen incorruptibile verbi ſui utramque fœcundaſſe Eccleſiam Veteris & N. Teſtament. Sed neque id fecit inſcius, neque ab Eccleſiis illis provocatus, neque genuit populos reprobos, & in congregatione Iſraëlis non recipiendos. Itaque dum tales excuſationes quæruntur, abſurda non pauca ingeruntur. Nec ſequeretur ſi apta aliqua & conveniens ſignificatio poſſet adhiberi, eas fuiſſe extra culpam, quæ nihil tale cogitarunt, dum hoc facinus aggreſſæ ſunt. Rectè enim notavit Auguſtinus, Deum, hominum peccata in bonum convertere, & ea quandoque rerum bonarum ſigna & figuras facere, nec propterea non eſſe peccata.

Sunt autem argumenta, quibus factum illud in Lothi filiabus improbandum eſſe evincitur. 1. Ipſæ contra ſe teſtimonium ferunt; Cum enim quicquid fit ſine fide peccatum ſit, Roman. 14. verſ. 23. non ſolum deſtitutæ fuerunt omni veritatis teſtimonio & lumine, omni mandato divino, vel etiam ſpecie aliqua honeſtatis præeuntis; ſed ipſius conſcientiæ verme lancinantur, & accuſantur. Deliberant inter ſe, *propinare patri vinum*, quod rectè expreſſit vulgata, ſi ſenſum ſpectemus, *inebriemus eum vino.* Sic enim intelligendum quod David Pſal. 69. verſ. 13. conqueritur de iis qui *bibentes vinum*, de eo cantiones pſallebant. Et quod Eſai. 22. verſ. 13. væ denunciat *bibentibus vinum*, id eſt, iis qui vino inebriantur.

Quænam autem poteſt excuſatio excogitari, qua filiarum actio juſtificari poſſit, quæ honoris & reverentiæ patri debitæ nullam rationem habentes, hoc moliuntur, ut ei rationis uſum adimant, & in beſtiam transforment? Nunquam profecto eò deveniſſent, niſi id ipſis fuiſſet perſuaſiſſimum, parentem nunquam conſenſurum fuiſſe in actum de quo cogitabant, ſi ſobrius fuiſſet & rationem habuiſſet integram; quin potius talem mixtionem cum horrore rejecturum fuiſſe. Unde ſatis colligitur eas non ignoraſſe, ſe id ſuſcipere, quod ab omni honeſtate & pudore eſſet alienum.

Chamus maledictioni obnoxius factus eſt, non quod parentem inebriaſſet, vel, quod eo abuſus fuiſſet, ſed quod aliundè ebrium factum, ejus verecundiam detexiſſet. Quid igitur judicandum de iſtis, qui abjecto omnis naturalis honeſtatis ſenſu, paternam omnem reverentiam excutiunt? Nullæ nationes fuerunt adeo barbaræ, apud quas talis conjunctio non habita fuerit contra naturæ leges, deteſtanda & damnabilis; nec potuerunt filiæ Lothi in hoc propoſito ſtare, niſi timore Dei ſepoſito, & excuſſo ad tempus conſcientiæ ſenſu, cui vim fecerunt; alioquin non ignorabant ſe ſcelus prodigioſum machinari, ad quod ſe pervenire non poſſe viderunt, niſi parens earum dementaret, & fraude ad id induceretur.

Nec tamen inficias imus, atrocitatem criminis utcumque extenuari, allegatis antea rationibus, quod nempe, nullo libidinis ardore & carnalis concupiſcentiæ abreptæ fuerint; quod ſolitudini ſolatium quæſierint, ne parente mortuo ſolæ remanerent, omni protectione deſtitutæ, & ſi quid tale excogitari poſſit non quidem ut culpa eluatur, ſed ne ultra modum exaggeretur.

Alioqui præter ea quæ dicta ſunt, peccati hujus facies nimis horrenda eſt. Sit ita, quod anxiæ fuerint & ſollicitæ, quod prolis deſiderio eo devenerint, omnia

omnia tamen tempus habent, cujus circumſtantia eas ad jejunium, gemitus, & lacrymas potius invitabat: miſerè perierant earum ſponſi; recens erat matris metamorphoſis, cujus monumentum non procul ſtabat; & tamen adeò inſipidæ fuerunt, ut recenti earum rerum memoria non moverentur.

Sed prætereà, ubi pudor virginalis, qui etiam in Ethnicis puellis ita obtinuit, ut curam omnem matrimonii parentibus reliquerint. Apud Euripidem in Andromacha, cum Oreſtes peteret connubium Hermiones, reſpondit illa; Eam rem pertinere ad arbitrium patris; & apud Plautum in Sticho, cum Panegyri & Pinacio ſororibus, per Antiphonem patrem abſentium maritorum moram diutius ferre non liceret, etſi res injuſta eſſet, ut ad ſecunda vota tranſirent, his tamen verbis utuntur,

Verùm poſtremò in patris poteſtate eſt ſitum,
Faciendum id nobis quod parentes imperant.

Item.

Quid agimus ſoror, ſi obfirmabit pater adverſum nos? Pati
nos oportet quod ille faciat, quo jus plus poteſt.

Et apud Ovid. ſic Hero Leandro procanti reſpondet.

Non manifeſta queunt inter nos fœdera jungi;
Obſtat uterque parens.

Cum igitur hoc fuerit naturæ dictamen, quod infideles ipſos non latuit, quo colore poſſet puellarum iſtarum obduci facinus, quæ non ſolùm inſcio parente, de prole ſuſcipienda deliberarunt, ſed etiam talem inierunt rationem quæ parentem fœdaret? Et certè id omni excuſatione caret, quod metum ſuum parenti non expoſuerunt, quod adeo præcipitanter, in negotio talis momenti ſe geſſerunt; quod iræ Dei recentiſſima veſtigia à tali conſilio eas non averterunt. Quod non tantum conſenſum patris non quæſierunt, ſed nec etiam Deum precibus compellarunt, ut poſteritatis ſanctæ matres fierent, de præſenti vita tantum ſollicitæ.

Nec tamen in toto hoc negotio ceſſavit divina providentia, qui dum talia permittit, ipſas etiam reddit voti compotes, dum poſt uteri geſtationem duorum filiorum, id eſt, duorum populorum matres fiunt, *Moabitarum* nempe & *Ammonitarum*, quorum poſteà in hiſtoria ſacra crebra mentio fiet. Admiranda ſunt Dei opera, etiam commixta operibus hominum culpandis, ipſa tamen omnis culpæ expertia.

Hîc mulierculæ præcipiti ſuo conſilio, & aliis de quibus dictum eſt defectibus, ſummam addunt impudentiam, nam quaſi re benè geſta, filiis ſuis talia indunt nomina, quæ venturæ poſteritati notent infandum facinus. Prima ſuum Moabum vocavit, ne quis ignoraret ſe eum ſuſcepiſſe *ex patre*; Altera ſuum *Ben-Hammi*, ut etiam indicaret ſe non ex alio ſanguine quam proximo concepiſſe: ut velut ad perpetuam memoriam ſpurcitiæ huic trophæum erigant. At in poſteritate apparuit, tali origine dignos fuiſſe populos, qui ex Moabo & Ammone propagati fuerunt. Et hæc quidem dicta ſint de puellarum iſtarum facinore, non ut eas traducamus, ſed ne incurramus in ſententiam illam Dei apud Eſaiam, cap. 5. verſ. 20. *Væ dicentibus de malo bonum eſſe, & de bono malum, ſtatuentibus tenebras pro luce, & lucem pro tenebris.* Rectè igitur Auguſtinus contra Fauſt. Manich. lib. 21. ca. 43. *potius nunquam matres eſſe, quam ſic uti patre debuerunt.*

Sed de patre jam nobis dicendum eſt, qui aliena fraude inductus, incidit in ebrietatem, & inde factum eſt, ut in eo omnia naturæ jura confuſa fuerint, de quo Baſil. Homil. de abdicatione rerum. *Loth ſe cum filiabus miſcet, idem ſui ipſius gener factus & ſocer: & qui parens anteà, modo vir etiam poſteà efficitur, & avus parens, utrinque in præſcriptos à natura hominibus fines petulanter protervus.* Hæc ille, qui tamen inter Gnoſticos & Manichæos non eſt numerandus, quibus hoc tribuit Feuardentius apud Irenæum lib. 4. cap. 51. quod eis factum Lothi, *horrendum & omnibus ſuppliciis dignum viſum eſt; quibus* (inquit impuriſſimus cuculio) *noſtro ævo aſſentiuntur, Lutherus, Muſculus, Calvinus, & reliqua Gnoſticorum progenies. Apoſtolico autem ſeniori, cujus ſuperiori cap. meminit Irenæus, & Catholicis omnibus Græcis & Latinis, graviſſimis de cauſis, à peccato, vel penitus, vel majori ex parte, ipſum liberare placuit.* Hæc ille. In quibus duplicis mendacii reus peragitur. 1. Quod noſtris eundem animum in facto illo culpando tribuit, quem Gnoſticis & Manichæo, qui talia exaggerabant, ut Veteris Teſtamenti autoritatem elevarent, quaſi non profecti à bono principio; quod noſtris nunquam venit in mentem; qui etſi peccata ſanctorum agnoſcant, de iis ex regula verbi judicantes, non tamen ea vel ſupra modum exaggerant, nec ex uno lapſu de perſona judicant. Secundum mendacium in eo eſt, quod impudenter aſſeverat, omnes Patres tam græcos quam latinos, à peccato vel penitus, vel majori ex parte eum liberaſſe; quod falſum eſſe evincunt ſuperiora Baſilii verba, quibus alia poſteà addentur, ubi de re ipſa actum fuerit.

Id primo conſiderandum venit, quod filiæ Lotho patri largiùs vinum propinarunt, eo fine de quo ille quidem non cogitabat, ſed quem ſibi illæ propoſuerant. Quod ipſis indulgens bibit & inebriatus eſt; quod non ſemel id fecit ſed ſecundo, ab iiſdem provocatus, in eundem finem. 2. Quod in tali ſtatu conſtitutus inſciens cum filiabus concubuerit, Id ſcriptura honeſtis verbis enunciat, cum de utraque dicit, *& non cognovit, quando accubuit ipſa, & quando ſurrexit.* Sunt igitur duo actus expendendi,

 1. quod

1. quod vinum largius biberit ad ebrietatem uſque. 2. Quod cum filiabus inſciens concubuerit.

Sunt qui utrumque actum ita excuſant, ut ab omni peccati labe, ex parte Loti, eum purgare velint. Quod an fieri poſſit, videndum. Qui excogitarunt propinatum ei fuiſſe à filiabus vinum medicatum, artificioſa conditura ad inebriandum paratum, filiarum peccatum aggravant, ut parentem abſolvant. Sed id ſine teſtimonio proferunt? imò ſi verum eſſet, non eſt vero ſimile id Sp. Sanctum celare nos voluiſſe, quod maximè ſcire intereſſet. Scriptura ſimpliciter loquitur de vino, de mixtura autem vel conditura ſilet. Cumque cogitatio de patre inebriando ſubierit animum majoris filiæ, poſt aſcenſum montis, non eſt probabile tuliſſe eam è Segor vinum ad id præparatum, nec in monte talis mixtura fieri potuit. Itaque Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum, cap. 44. *An* (inquit) *aliqua Sodomitarum arte peſſima etiam paucis poculis patrem ſic inebriare potuerunt, ut illud peccatum cum ignorante, vel potius de ignorante, committerent? Sed mirum ſi hoc ſcriptura divina tacuiſſet, vel ſervum ſuum Deus, ſine aliquo voluntatis ejus vitio perpeti ſineret.*

Id quidem perpendendum ducimus, cum alias *Iuſti* nomen obtinuerit, non fuiſſe in Lotho vitium ſolitum ut temperantiæ limites in bibendo tranſgrederetur. Nec enim eorum conjecturæ aſſentior, qui ex eo ſpem concepiſſe putant filias, ſe poſſe vino obruere parentem, quod antea noviſſent ad pocula fuiſſe facilem; hoc enim non patitur talis viri ſobrietas & modeſtia.

Sed inductione filiarum eo adductum eſſe cenſendum eſt, hoc prætextu abutentium, quod in triſtitia ex malis jam paſſis concepta, in horrore ſolitudinis, in amicorum & bonorum amiſſione, in dolore tot ſpectaculorum miſerabilium, neceſſaria eſſet aliqua recreatio & velut refocillatio extraordinaria; Nam cum Deus *vino lætificet cor mortalis*, Pſal. 104. verſ. 15. inde factum eſt, ut largius propinatum fuerit iis qui in luctu verſabantur. Itaque Sapiens Proverb. 31. verſ. 6. *Date*, inquit, *potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo; bibat ut obliviſcatur paupertatis ſuæ, & moleſtiæ ſuæ non memor ſit amplius.*

His addi poteſt, quod jam mœſtitia oppreſſo, non tanta vini copia opus fuit, ut ſenſus jam aliunde ſtupefacti opprimerentur, & ſi quid tale ad aliquam facti excuſationem afferri poſſit; ut quod voluerit natas ſuas conſolari, ne nimia triſtitia conficerentur, & earum etiam allectamentis inductus fuerit. Sed hæc & talia non ſufficiunt, ut ab omni culpa liberetur, in hoc primo facto. Taceo quod hanc ſibi ſolitudinem delegerit ex præpoſtero metu, cujus occaſione hæc omnia acciderunt, qua de re dictum eſt anteà.

Sed id prætereà conſiderandum venit, quod cum eſſet caput familiæ, parens filiarum, & juſtitiæ præco, non audimus eum apud ſuas juſtitiæ divinæ æquitatem occaſione data, prædicaſſe, pro liberatione gratias egiſſe, benignitatem & favorem Domini admiratum fuiſſe, & conſilia imprudentiſſima filiarum ſuarum præveniſſe. Quin potius negligentia quadam & incuria, videtur eorum cogitationibus & deliberationibus locum dediſſe, quæ cum viderent eum minus ſollicitum de familia, hoc ſibi uſurparunt quod à patre debuiſſent expectare; hinc factum eſt, ut contra ordinem & morem currus boves, & equi aurigam abduxerint.

Quicquid autem de vini uſu in anguſtia & mœrore conſtitutis dictum ſit, id non excuſat intemperantiam & abuſum, præſertim in tali occaſione, quæ ad pœnitentiæ actus invitabat. Non poterat ignotum eſſe Lotho quid accidiſſet olim Noacho, cujus exemplo monitus, cavere ſibi debuit à deriſore vino; quod certè ei tum fuit potius narcotica potio, quam ſalutaris purgatio. Fuiſſe autem extraordinariam intemperantiam, ſatis probat talis ſenſuum omnium & mentis alienatio, qualis poſteà ſequuta eſt.

Accedit, quod non ſemel tantum, ſed iterum, idque ſequenti die idem paſſus ſit, quæ circumſtantia factum aggravat. Nam ut aliquid detur, vel triſtitiæ, vel filiarum illectamentis, cum nihil tale anteà ipſi accidiſſet; poſtquam ſemel evigilavit è vino, mirum eſt, quod nec cogitavit de præterito, nec cavit in futurum; unde par eſt credere, in eo pietatem & timorem Dei etiam in deliquium incidiſſe, cum poſteà in ſequenti nocte fovet ſerpentem à quo morſus fuerat. Itaque, quamvis Origenes eum à voluptatis & concupiſcentiæ crimine liberet, addit tamen, Homil. 5. in Geneſ. *Subjacet culpæ, quod decipi potuit, quod vino nimis indulſit, & hoc non ſemel, ſed iterum fecit.* Itaque non eum liberat à peccato ebrietatis.

Auguſtinus reſpondens Fauſto Manichæo, cap. 44. lib. 22. de hoc negotio ſic prudenter judicat. *Culpandus eſt quidem, non tamen quantum ille inceſtus, ſed quantum illa meretur ebrietas. Nam & hanc lex æterna condemnat, quia cibum & potum ad ordinem naturalem, non niſi gratia conſervandæ ſalutis admittit. Quamvis autem inter ebrioſum & ebrium plurimum interſit, nam nec ebrioſus ſemper eſt ebrius, &c. tamen in homine juſto hujus ipſius etſi non ebrioſitatis, at certè ebrietatis cauſa quærenda eſt. Quid enim tandem cogebat, ut filiabus ſuis crebra vina miſcentibus, aut fortaſſe nec mixta crebro porrigentibus, conſentiret aut crederet? An ad hoc filias nimiam triſtitiam fingentes, voluit conſolari, ut illius deſtitutionis & materni luctus dolor, de cogitatione mentis ebriæ fugaretur, etiam ipſas tantundem bibere exiſtimans, & aliqua fraude agentes ne biberent? Sed etiam talem triſtibus ſuis adhibere conſolationem, quomodo virum juſtum decuerit, non videmus.*

videmus. Addit poſteà adverſus impias Manichæorum conſequentias. quibus Monachi Feuardentii in nos calumnia retunditur. *Nos,* inquit, *ſcripturas ſanctas, non hominum peccata defendimus, Non ſic autem de hujus facti purgatione ſatagimus, quaſi hoc Deus noſter aut fieri juſſerit, aut factum approbaverit; aut ita juſti homines in libris appellentur, ut ſi voluerint peccare, non poſſint. Cum ergo in literis quas iſti reprehendunt, Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas literas accuſare contendunt, cum aliis earum locis apertiſſimè inveniantur divinis præceptis iſta prohiberi? Unde in illa re geſta de opere filiarum Lot narrata iſta ſunt, non laudata: quædam vero enunciato judicio Dei, quædam tacito narrari oportuit: ut quando promitur quid inde judicaverit Deus, inſtruatur noſtra imperitia; quando autem tacetur, vel exerceatur peritia, aut quod alibi didicimus, recolamus: vel excutiatur pigritia, ut quod nondum novimus, inquiramus.*

His verbis docet vir accuratus, non eos occaſionem dare accuſandarum ſcripturarum Manichæis aut ſimilibus, qui, quæ à viris alioqui ſanctis, perpetrata ſunt contra legem Dei, ex ipſa ſcriptura arguunt; ſed eos, qui talia à ſcriptura narrari contendunt, tanquam quæ abſque peccati macula patrari potuerunt. Deinde, rectam de talibus judicandi regulam, non eſſe ex ſcripturæ ſilentio in illis locis deſumendam, ſed ex regulis æqui & juſti quæ in præceptis divinis reperiuntur. Itaque cum eodem adverſus tales concludimus, *Deus ergo, qui novit & de hominum opere malo facere opera bona, gentes quas voluit ex illo ſemine propagavit, non ſcripturas ſuas ſanctas, propter hominum peccata damnavit. Prodidit quippe iſta, non fecit; & cavenda admonuit, non imitanda propoſuit.*

Itaque pauci jam ſunt, qui Lotum abſolvant à culpa ebrietatis. Cajetanus expreſsè agnoſcit, *filias eſſe inexcuſabiles, abſque paterna conſultatione, audentes committere talem inceſtum. Lothum vero peccaſſe ſecundum ebrietatem.* Idem cenſet Vaſquez in primam ſecundæ Diſput. 127. cap. 2. *ab ebrietatis culpa eum non fuiſſe immunem, quia revera paſſus eſt ſe iterum inebriari.*

Difficilior eſt quæſtio de inceſtu ratione Loti, an reus fuerit criminis illius perpetrati. Ratio eſt, quia ſcriptura ei omnem conſenſum, imò & ſenſum in ea re adimit; quæ id bis repetit, non ſenſiſſe *quando illa cubuerit, vel quando ſurrexerit.* Qua phraſi, duobus illis extremis honeſta circumlocutione, progreſſus omnis actionis illius execrandæ ſignificatur. Quapropter non eſt probanda eorum ſententia, qui hæc ita ſeparant, ut non noverit quidem filias ſuas ſe ipſi ſuppoſuiſſe, ſed tamen non ignoraverit ſibi cum muliere, quam uxorem forte putabat, rem fuiſſe; & ſatis craſsè & parum caſtè diſputant, de actionis talis poſſibilitate, in eo qui planè ſopitus eſſet ſomno; cum ignorare non debeant, eſſe noctambulos, qui aliquando dormientes ea faciunt, quę vigilantes nunquam aggrederentur.

Intelligimus igitur ex hiſce ſcripturæ verbis, ſenſus ejus fuiſſe ligatos, & voluntatem captivam & ſopitam. Qua in re tamen, etſi planè in hac actione à peccato liberaretur, non poſſet negari, quod ei accidit fuiſſe pœnam ebrietatis; Deumque nunquam paſſurum fuiſſe, ut hac infamia notaretur, niſi provocatus fuiſſet ejus intemperantia, atque ſiviſſe ut ſpiritu vertiginis percuſſus, ita ſe prodigioſè volutaret in illo cœno, permittente Deo efficaciam Satanæ; qui dubio procul, in hoc negotio ſuas partes habuit.

Calvinus agnoſcit, Lothum etſi ſciens non peccaverit, quia tamen ei ebrietas ſtuporis cauſa fuit, levari quidem utcumque ejus culpam, ſed non tolli. Quæ tamen in eam rem dicit omnia, videntur referri ad ebrietatis peccatum, ita ut quod ſequutum eſt, potius pœnæ rationem habeat. Dubium, inquit, non eſt, hoc pœnæ genere, ultum fuiſſe ejus intemperantiam; quia hoc rarum eſt, & prodigii ſimile, ita potu hebetari omnes hominis ſenſus, ut libidinem quaſi mortuus profundat.

Ex hoc actu & ſimilibus, ſumpta eſt occaſio diſputandi, an omnia opera peccati quæ in ebrietate fiunt, culpæ imputentur? De qua varium eſt judicium, quod tamen adhibitis quibuſdam diſtinctionibus à nonnullis explicatur. Nyſſenus, aut potius Nemeſius lib. 5. Philoſoph. cap. 2. affirmat eum, qui operatur in ebrietate, non operari involuntariè, ſed voluntariè, quia ſua culpa inebriatus eſt; & ea quæ in ebrietate fiunt, non fieri ex ignorantia, ſed ignoranter; nec involuntaria eſſe, ſed voluntaria, & ideò reprehendi hæc agentes. Ariſtotel. lib. 3. Ethic. cap. 5. docet eum qui cauſa ignorationis ſuæ fuit, dignum eſſe ſupplicio, ſi ob eam aliquid mali agat. *Etenim,* ait, *pro ignoratione etiam ipſa pœnas inſtituunt* Legiſlatores, *ſi quiſpiam ignorationis cauſa eſſe ſibi videretur; ebrios namque duplici pœna afficiendos eſſe putarunt, quippe cum in ipſorum ſit poteſtate ebrietatem vitare, quæ quidem ignorationis eſt cauſa.* Unde ſequeretur, Lotum non tantum ebrietatis, ſed etiam inceſtus reum eſſe, quia cum voluntariè ſe inebriaverit, ignorantiæ ſuæ cauſam voluntariè dedit, unde eventus ex ea ortus, voluntarius dici potuit per cauſam, & culpæ imputandus.

Diſtinguunt alii, imputari quidem peccata quæ ebrietatem ſequuntur, 1. Si fuerint præviſa, & ei qui in ebrietatem incidit, occurrere potuit aliqua vel generalis periculi occaſio, etiamſi non occurrat in ſingulari. 2. Si eventus illi qui ebrietatem ſequuntur ſint ex iis qui frequenter accidunt, qui potuerunt prævideri, præſertim ſi eis aliquando fuit obnoxius

qui ſe inebriat. Aliàs putant malum quod ab homine ebrio perpetratur, nec eſſe novum peccatum, nec augere primum illud peccatum ex quo ortum eſt. Diſtinctio quidem non eſt prorſus nihili, ſed tamen vix juvat cauſam Loti. Quia etſi non fuerit anteà obnoxius tali peccato, vel ebrietatis, vel eventus ſequuti, tamen id ei debuit eſſe notum, in vino eſſe luxuriam. Proverb. 20. ℣. 1. proinde abſtinendum eſſe à nimio potu, ne inde ſequerentur ad libidinem incentiva. Id conſtat prævidere ſaltem potuiſſe Lotum, vinum immoderatius ſumptum hominem uſu rationis privare; eum autem qui talis eſt, poſſe etiam in actiones brutas incidere, & vel furioſum aliquid, vel luxurioſum perpetrare: ſi itaque poſt ebrietatem tale quid accidat, non dubium eſt quin in culpa ſit, qui ultrò ſibi hoc malum acceſſivit. Quæ ergò hîc debet adhiberi diſtinctio, ſpectat tantùm modum quo quis inebriatus eſt; ſi enim id ei accidit ſine ſua culpa, vel per medicatam potionem, vel alia aliqua ratione, cui occaſionem non dederit; ipſi non poteſt imputari vel mentis alienatio, quæ potiùs miſericordia digna eſt, vel quicquid in tali alienatione perpetrat: ratio eſt, quia mali origo ab ejus voluntate non eſt profecta; ſic maniacis non imputantur quæ vel faciunt vel dicunt, extra veri vel recti regulam. Sed ſi actio ipſa plus æquo potandi, fuerit voluntaria, ſi poſteà homicidium, furtum, vel ſcortatio ſequatur, talia crimina ebrio ſunt imputanda, non quidem omninò prout illa merentur; ſed tamen ita ut gravius cenſeatur peccatum, quàm fuiſſet ebrietas per ſe ſola. Cujus gravitatis pondus à Dei judicio pendet, apud quem ſæpè grave eſt, quod hominibus videtur leve. In hoc Loti facto, rem ipſam per ſe fœdam eſſe & abominandam nemo negare poteſt, & talem cujus exempla pauca, etiam apud Ethnicos reperiuntur. Sobrium de eo cogitaſſe, pium alioqui virum, vel tale quid moliturum fuiſſe mente ſanum, nemo ſanus ipſi tribuet. Potuiſſe moderatius uti vino, nullus dubitat. Culpabilem in eo fuiſſe ebrietatem probavimus. Quouſque autem ſe extendant gradus ſequentium eventuum, & quibus rationibus aggravent peccatum, Deo relinquimus.

Certè non ſine gravibus cauſis permiſit Deus, talem virum in tam horrendum execrandumque inceſtum prolabi; ſeu tantùm pœna fuerit, ſeu culpæ etiam fuerit conjuncta, quod nobis probabilius videtur. Autor gloſſæ ordinariæ duas ejus rei cauſſas reddit; unam incredulitatem, qua Angeli verbis fidem non habuit; alteram, ebrietatem, in quam ſuâ culpâ cecidit. His alias addunt alii, hoc exemplo Deum oſtendere voluiſſe, quàm periculoſum ſit virorum ſolitaria cum fœminis conſuetudo, quando etiam inter eos qui ſanguine proximè juncti ſunt, talia poſſunt accidere. 2. In hoc facto contemplandam dediſſe Deum ſummam bonitatem ſuam, qui ſæpè maxima peccata convertit in occaſionem maximorum bonorum. Nam quamvis fuerit turpiſſima Moabiticæ gentis origo, ex ea tamen fuit orta Ruth, quæ inter eas ex quibus Chriſtus originem duxit, numeratur.

Talia etiam utiliſſimè in Scriptura memorantur, quia ad ſuperſtitionem tollendam faciunt, ad deſperationem præcavendam, & ad ſecuritatem carnalem fugiendam. Id nimis quàm frequens eſt, ut ſervorum Dei qui dum viverent ſæpè contemptui habiti ſunt, memoria poſt obitum ita colatur, ac ſi planè nihil eis defuiſſet ad omnimodam perfectionem, eouſque ut merita eis tribuantur, quibus non ſibi tantùm, ſed aliis etiam poſſint ſuccurrere. Utile eſt itaque, ut aliquando eorum defectus & infirmitates notentur, ut ſalutis eorum fontem ſolam Dei miſericordiam agnoſcamus, & inde noſtram ſperemus, Deo laudem omnem tribuentes. Accidit præterea, ut ſi aliquando pii ex infirmitate labaſcant, in graves incidant tentationes de abjectione, qua Satan conatur, eos quorum maximè tenella eſt conſcientia, in deſperationis barathrum conjicere. Huic malo medicinam adhibent lapſus Sanctorum, quos Deus benigna manu erexit, poſtquàm humiliati fuerunt ex infirmitatis ſuæ ſenſu. Denique talia exempla ad præcautionem faciunt, quia ſi aſtu diaboli tales viri aliquando in gravia peccata inciderunt, neceſſarium eſt ut qui infirmiores ſumus, vigili cura ei reſiſtamus, qui *circuit quærens quem devoret*. 1. Petri. 5. ℣. 9.

Sed id maximè animadvertendum, cavendam eſſe & averſandam omnibus, qui ſanctè vivere volunt, ebrietatis & intemperantiæ fœditatem, quæ neſcientes, imò nec quidem ſentientes, in funeſtiſſima mala præcipitat. *Multa enim faciunt ebrii, quorum poſteà ſobrios pudet*, ait Seneca epiſt. 84. Accedit, quod Deus ejus ebrietatem non leviter caſtigavit, nam ex inceſto concubitu ortæ ſunt nationes odioſæ Deo, & populo Dei infeſtæ, cujus rei cùm teſtimonium publicum extet in Scriptura, ei familiæ perpetua inuſta eſt ignominiæ nota. Non biberat immodicè eo fine ut fieret inceſtus, ſed vel ut curas deponeret & moleſtias, vel ut filiabus gratificaretur, & tamen nimia potus copia virum, alioqui bonum, impulit in fœdiſſimum concubitum, in ſenili ætate, & alieno admodum tempore, quo Deus exercuerat ſua judicia adverſus libidinem Pentapolitanorum. Hoc documentum perpendit Origenes. Homil. 5. in Geneſ. *Audite*, inquit, *ebrietas quid agat, audite quantum facinoris conciliet temulentia. Audite, & cavete, vos ô quibus malum iſtud non eſt in crimine, ſed in uſu! Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Vritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non uſſit.* Sed Ambroſius expreſſiſſimè, lib. 1. de Abraham cap. 6. ſub finem: *Sanè diſcimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cavere non poſſumus. Nam quæ ſobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum eſt quod ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis, ipſam quoque*

mentem

mentem ſubruit, & animum capit, ſenſum extorquet. Addit, *Multi ſe fortes putant, num fortiores quàm Lot? num continentiores quàm Noë? Non utique vitia Patriarcharum Scriptura expoſuit, quos victos vino legimus, ut imitareris, ſed ut tu diſceres quid caveres. Ille nudus jacuit, iſte filiarum errori patuit. Et Noë juſtus deceptus eſt, quia vini vis adhuc ignorabatur, ſed in illo inſtructus es, ne tu ignorares. Lot filiabus ſe credidit, & per ſenectutem madidam, vino ſolutus eſt, commiſit inceſtum ignorans, tu ſic bibe, ne capiaris. Inſtruant Patriarchæ, nõ ſolùm docẽtes, ſed etiam errantes. Ideò iteratum eſt exemplum ebrietatis, ut confirmetur magiſterium cautionis.* In quibus verbis deſino, quibus talium narrationum finis & ſcopus ita expreſſus eſt, ut melius & aptius non poſſit.

AD CAPUT XX.

EXERCITATIO C.

De ſecundo raptu Saræ apud Abimelechum quid cenſendum? Non fuiſſe conjuges extra culpam. Siſtitur iterùm furor Feuardentii in Calvinum debacchantis. De ſomniis divinitùs immiſſis. Quæ quia Satan imitatur, cautione opus eſt. De Onirocriticis *quid judicandum? Somniorum variæ ſpecies.* Vau *particulam conjunctivam, aliquando cauſalem eſſe. Saram integram fuiſſe ſervatam. Cur id expreſſè notetur? Abimelechi apologia.* In ſimplicitate cordis & munditia manuum; *quæ phraſis? Iuſtitiam ſuam vindicat Abimelech* in illa cauſa. *An homo irregenitus poſſit exercere juſtitam quæ Deo placeat? Cur Deus afflixerit eum quem innocentem pronunciat? Solvitur per diſtinct. quæſtio. Quomodo peccaſſet Abimelech, etiam manens in errore conditionis Saræ? Quomodo Abraham fuerit* Propheta? *An faveat interceſſioni Sanctorum, quod nonnullos Deus ad ſervos ſuos amandet, ut pro eis orent? Negatur id facere ad cauſam Pontificierum.* Interceſſor *propriè quis ſit? Speciales conſiderationes in Abrahamo & Iobo. Chriſtus unicus mediator. Notanda Auguſtini ſententia. Calvini recta concluſio.*

CAP. XX. ſimilis narratur hiſtoria, cum ea de qua actum eſt ſuprà cap. XII. ℣. 13. Quod enim acciderat Abrahæ in Ægypto, idem evenit Geraris, & eadem occaſione, cùm nempè Abraham pergeret profiteri Sara eſſe ſororem ſuam, diſſimularet autem eſſe uxorem. Nam quemadmodum tunc Pharao, cùm putaret liberam, eam ſibi accepit; ſic idem fecit Abimelech rex Geraris. Itaque non opus eſt ut pluribus de hoc facto Abrahami & Saræ agamus, vel ut de pacto quod inter eos fuerat conventum, dicamus; quia tunc omnia fuerunt à nobis expenſa, quæ vel ad eorum excuſationem faciunt, vel etiam ad ejuſdem improbationem. Quantum autem nobis liquere poteſt, per juris, æquitatis, & piæ prudentiæ regulas, non ſolùm id quod ab iis factum fuit, nõ imitandum cenſemus, ſed etiam exiſtimamus non caruiſſe notis infirmitatis & diffidentiæ. Saram enim hac diſſimulatione in maximum periculum amittendæ pudicitiæ fuiſſe conjectam ſuprà vidimus; nec aliter, quàm divino miraculo fuiſſe liberatam. Qui factum non ſolùm excuſant, ſed laudant, inde argumentum ſumunt, quod poſtquàm illa res ſemel benè ceſſiſſet, idcircò apud Palæſtinos eadem diſſimulatione uti voluerunt; nec putant ſanctum virum, iterùm voluiſſe idem experiri, niſi crediſiſſet tale conſilium non repugnare voluntati divinæ. Sed quicquid ſit de ſenſu, aut opinione ipſius, non judicandum eſt de factis ex eventu, ſi præſertim eventus bonus aliundè accidat, non ex facti natura procedat, à qua prorſus contrarium fuiſſet conſequutum. At, inquiunt, Abraham noverat virtutem Saræ, & ſpectatam probitatem, & ſe & Saram uxorem in ſingulari Dei cura eſſe & tutela, quam notitiam ei derogare nolumus: fit tamen ſæpè ut in metu perculſis, ubi pericula obverſantur, humana conſilia ex infirmitate, etſi non excutiant fiduciam, eam tamen vel debilitant, vel ab ejus conſideratione mentem avertunt, ut quod primum nobis occurrit, amplectamur. Nec ſanè video, cur hoc poſito fundamento de protectione divina, quod hoc tempore eo certius erat, quod Deus ex Sara promiſerat Abrahamo ſemen; non potiùs judicaverit ſibi in vocatione ſua ita eſſe verſandum, ut quod res erat profiteretur, ſe circumducere legitimam uxorem, quam nemo poſſet attingere ſine crimine. Tunc enim potuit de protectione divina confidere, intra ſuæ vocationis limites manendo. Alioqui quomodo potuit certus eſſe, Deum ſemper novis miraculis pudicitiæ uxoris ſuæ proviſurum, poſtquàm eò adducta eſſet, ut conſentiret in abductionem, & ad thorum uſque regis veniret, ſine profeſſione ſortis & conditionis ſuæ? Admiranda quidem eſt Dei bonitas, qui eam conſervavit; ſed id non imputandum eſt actionibus conjugum, quantum quidem ex regulis Scripturæ, & circumſtantiis judicari poteſt; ex quibus potius culpa videtur gravior,

quod

quod cùm ſemel à periculo fuiſſent liberati, iterùm in illud ſe conjecerint.

Hinc eſt quod Calvinus ſcribens in hunc locum, durius exagitat hanc recidivam, non tamen ea intentione, ut ſanctos Dei ſervos contumelioſè proſcindat (quem ſcopum calumnioſè ei impingunt Monachi quidam) ſed quemadmodum ipſe ſe explicat, ut oſtendat Sp. ſanctum in hac hiſtoria nobis propoſuiſſe, illuſtre tam humanæ infirmitatis, quàm divinæ gratiæ ſpeculum. Non veretur itaque notare, *Abrahamum ingentis periculi oblitum, quod ſibi in Ægypto acciderat, in eundem rurſus lapidem impegiſſe.* Addere inſuper, *quod illi in mentem non venit, ſe Deum ſemel tentaſſe, nec per ſuam culpam ſtetiſſe, quin uxor ad alienum virum tranſiret, in eo excuſari nimis craſſam ſocordiam non poſſe.* Imò, *ab ingratitudine non fuiſſe immunem cenſet, &c.* nempè quia ſi cogitaſſet miraculoſè ſibi fuiſſe ſervatam uxorem, nunquam rurſus ſciens & volens ſe conjeciſſet in tale periculum. Et hæc quidem adverſarii proferunt, tanquam exempla *horribilium,* ut loquuntur, *in cœlites blaſphemiarum,* eaque & ſimilia ita colligit Feuardentius in ſua Theomachia, id eſt, ſuo calumniarum penu, ut ex actu uno, eoque à Calvino infirmitati humanæ imputato, ut gloria Deo tribueretur, colligat impudens monachus habitum; & Calvino impingat, quod Abrahamum appellaverit, *mendacem, perverſum, fallacem, ſtultum, ſocordem, &c.* Quaſi verò, quotieſcunque hominibus etiam piis ſubrepunt talia, quæ meritò culpari poſſint, inde ſequeretur vitiorum habitum ab ipſis fuiſſe contractum, quod certè iniquiſſimum eſſet, cùm conſtet neminem tam juſtum eſſe in terra, qui in aliquot peccata non incidat, qui tamen ſi reſurgat, ut in omnibus piis accidit, & factum ipſe ſuum emendet, nunquam apud æquos judices traducetur tanquam malus. Petrus Chriſtum abnegavit, nec poteſt ejus factum juſtificari; nec tamen immeritò Calvinus deteſtatus eſt Quintinum Libertinum, qui Petrum *Chriſti abnegatorem* appellabat. Nuper audivimus Lotum inebriatum fuiſſe, nec ſine ſua culpa, ut plerique omnes fatentur, quis inde concludet meritò poſſe *ebrioſum* vocari? Imò benè diſtinguebant Patres inter *ebrioſum & ebrium,* quidni igitur inter eum qui aliquando ſtultè agit, & ſtultum? inter eum qui in aliquo actu ab ingratitudine nō eſt immunis, & ingratum? Præterea quænam hæc eſt ratio, cur aliquis ſit blaſphemus, imò & horribiliter blaſphemus in Sanctos, quod nonnulla eorum facta ad normam verbi Dei exacta non probet? An non potius in Deum blaſphemi ſunt, qui laudant quæ Deus in verbo ſuo docuit improbanda eſſe? Et tamen quamvis particulares lapſus notet Calvinus in hoc facto, non prorſus damnat Abrahami conſilium; ſic enim loquitur, *Quamvis ergò temerarii ſint judices, qui præcisè damnant hoc factum Abrahæ; particularis tamen lapſus non eſt negandus, quod mortem propinquam trepidans, diſcrimina eventuum non commiſit Deo, ne uxoris pudicitiam malè proderet.*

Hæc cùm rapta fuiſſet ab Abimelecho, narrat Moſes ℣. 3. & ſeqq. quomodo fuerit reſtituta. Reſtitutionem, nempè Deum procuraſſe oraculo, quo interminatus eſt Regi denuncians mortis ſententiam, niſi reſtitueret uxorem alienam. *Venit Deus ad Abimelechum* בחלום bachalom, *in ſomnio noctis,* quibus verbis indicatur modus, quo Deus extra ordinem voluntatem ſuam Regi Geraris manifeſtavit. Cùm enim variis modis olim Deus uſus fuerit ut homines informaret, vel in officio retineret, unus hic fuit, de quo Elihu, cap. 33. verſ. 14. & ſeqq. in hiſtoria Jobi. *Per ſomnium,* inquit, *viſionem nocturnam, cùm irruit altus ſopor in homines, in dormitationibus ſuper cubile; tunc revelat auri hominum, & eruditionem eorum obſignat: ut amoveat homo opus, ut ſuperbiam à viro obtegat, cohibeat animam ejus à fovea, &c.* Hinc divinatio per ſomnia, qua ſæpè abuſus eſt Dæmon, qui etiam, Deo ita permittente, poteſt dormientibus, quæ vult manifeſtare, multa in eis ſimulachra formando, per tranſmutationem ſpirituum, & humorum, ad rem ſuam accommodata. Itaque non eſt leviter fides adhibenda ſomniis, & diligenter inquirendum eſt, ſi eveniant quæ in ſomniis viſa ſunt & audita, à quo principio fluxerint. Improbat enim aliquando Scriptura divinationes per ſomnia. Deut. 13. ℣. 1. *Cùm ſurgens è medio tui Propheta, aut ſomnians ſomnium, &c. Ne auſcultate verbis Prophetæ iſtius, aut iſti ſomnianti ſomnium,* nempè cùm hoc prætextu invitat ad colendos alienos Deos. Et Jerem. 27. ℣. 9. *Ne auſcultetis Prophetis veſtris, aut diviniis veſtris, aut ſomniis veſtris, aut planetariis veſtris, &c.* Non tamen inde ſequitur in univerſum prohibitam fuiſſe ſomniorum obſervationem, quia Deus etiam veris ſuis Prophetis immiſit ſomnia, ut ipſe teſtatur, Num. 12. ℣. 6. *Si eſt Propheta ex vobis, Propheta Iehovæ, per aliquam viſionem me ipſum notum facio ei, aut per ſomnium alloquor eum.* Exempla habemus varia tam in veteri quàm in N. Teſtam. quibus Deus ſuos per ſomnium inſtruxit: imò id promittit per Joëlem ſub Evangelii initiis, inter reliqua ſpiritus dona, *juvenes ſomniaturos ſomnia:* nec ignotum eſt exemplum B. Joſephi ſponſi ſanctæ Virginis, quem Deus bis in ſomniis erudivit. A lege ergò divina ea ſola ſomnia prohibentur, quæ cùm à Deo eſſe ſciri non poſſit, ſuperſtitioſè tamen obſervantur, cùm ad ea quæ ſignificare dicuntur, nullam habeant cauſſæ & effecti connexionem, ſed tantùm ab humana vanitate ſunt adinventa, tali divinatione in artem redacta, qua ex hominum inſtituto res una aliam ſignificare dicitur. Sed alia eſt ratio divinorum ſomniorum, vel etiam naturalium. Divina ſuas notas habent, extraordinariam aliquam lucem qua confirmantur, & optimum finem ad quem tendunt & incitant. Naturalia autem cauſam ſuam habent, vel à cogitationibus diurnis,

nis, vel ab ipſius hominis conſtitutione, cujus etiam ſunt indicia; ſed de Phyſicis jam non eſt quæſtio: ſupernaturalia ſunt de quibus agimus, qualia Deo procurante ſomniarunt non tantùm Dei Prophetæ, ſed alii etiam extra Dei Eccleſiam, ſed in bonum Eccleſiæ, ut Pharao, Nebucadnezar, & hic Abimelech. Talium ſomniorum tres ſpecies faciunt. I. Oraculum, quod Græci χρηματισμὸν vocant, cum in ſomniis vel parens, vel ſancta graviſque perſona, vel etiam ipſe Deus de periculo monet, vel apertè eventurum quid, aut non eventurum; faciendum, vel evitandum, denunciat. II. Viſionem, Græcè ὅραμα, cùm id quis videt, quod eodem modo quo apparuerat, evenit: ut cùm navigans ſibi viſus eſt naufragium facere, poſteà naufragium facit: quæ ſomnia ab Artemidoro ſpeculativa appellantur, quia ſic eveniunt quemadmodum videntur, nec opus eſt interpretatione. Tertium genus eſt quod ὄνειρον vocant, quod tegit figuris & velut ambagibus rem non-ſine interpretatione intelligendam, qualia fuerunt ſomnia ſervorum Pharaonis, ipſius Regis poſteà, & aliorum. Quod genus allegoricum vocat Artemidorus, quia quæ ſignificantur, per ænigmata oſtendũtur. Inter quæ duo ſomniorum genera: ſpeculativum & allegoricum, hoc adhibet hic autor diſcrimen; quod ſpeculativa ſomnia è veſtigio rem declarant, quæ ſi prædictio ſit, promptiſſimè evenit, quam velut ob oculos ponit: allegorica verò, tempore, aut modico, aut multo, intercedente. In horum interpretatione tota ſita eſt ars, quam ὀνειροκριτικὴν vocant, quæ plerumque vana eſt: alia enim fuit ratio Joſephi in Ægypto, & Danielis in Babylonia, quia non arte quadam excogitata, ſed divino ſpiritu agitati, ſomnia ſunt interpretati. Hoc quod Abimelecho accidit, nihil habet quod aliam interpretationem requirat, omnia perſpicuè & apertè enunciantur.

Ecce, inquit Deus, *mortuus es*, הנך מת hinneka met, *ecce tu mortuus* propter uxorem quam accepiſti: והוא בעלת בעל *vehi beulat baal*, ad verbum, *& ipſa maritata marito*. Tremel. & Junius, *cùm ſit conjuncta marito*. Vulgata, *habet enim virum*. Chald. *eſt enim uxor viri*. *Vau* particula, initio dictionis non ſolùm copulativa eſt, ſed aliquando etiam *cauſalis*, ut hoc loco, quem in eam rem citat Bellarminus, ut defendat editionem vulgatam, quæ Geneſ. 14. ℣. 18. והוא vehu, *& ipſe*, vertit per cauſalem, *ipſe enim*. Negari non poteſt accipi aliquando pro cauſali, ſed non ſequitur ibi ſic accipi debere, ubi nihil cogit ut diſcedamus à prima ſignificatione, in qua *vau* eſt copula. Alia ratio eſt, quando circumſtantia loci oſtendit cauſſam rei reddi, ut hoc loco, & in aliis quæ ad id citantur. Itaque Hieron. in Epiſt. ad Evagr. per adverſativam expreſſit, *erat autem, &c.* & in quæſt. per copulam, *& ipſe erat*. Imò etiam hoc loco, LXX per adverſativam reddunt, αὕτη δέ ἐστι συνῳκηκυῖα ἀνδρί, *iſta verò eſt cohabitans viro*: ut ſenſus ſit, *Tu eam accepiſti uxorem, & tamen virum habet.*

Quod ad verbum dicit Deus, *Ecce mortuus es*, Chaldæus ad ſenſum in futuro interpretatur, *morieris*. Sic etiam Vulgata, *En morieris*, ut ſit ſententia comminatoria, non infligens mortem, quod aliàs Deus potuiſſet, vel nutu. Idem eſt ac ſi diceret, *actum eſt de vita tua*. Non tantùm enim pronunciat dignum eſſe morte, ſed etiam mortem eſſe in proximo. Quæ non eſt enunciatio abſoluta, non enim potuiſſet revocari, ſed conditionata, ſi nempè mulierem illam attingeret, nec eam marito redderet: etſi enim hîc taceatur, paulò poſt tamen declaratur. Voluit autem Deus eum metu præſentaneæ mortis retinere, ne attentaret aliquid contra Saræ pudicitiam, quod etiam hactenus prohibuerat miſericors Dominus; nam etſi de Abrahamo pœnam ſumeret, dum permittebat uxorem ab ipſo avelli, & in alienam domum deduci, in eum quem ſibi proponebat finem Abimelech; paternam nihilominus utriuſque curam gerebat, atque ita ſeveritatem caſtigationis, non ſolùm temperabat lenitate & clementia, ſed etiam ſuperabat.

Verſu quarto ſubjungitur neceſſaria clauſula de integra Saræ caſtitate, *Abimelech porrò non appropinquaverat ad eam*. Quod ideò expreſſum fuit, non ſolùm ne quis ex comminatione adeò rigida putaret jam fuiſſe à rege compreſſam, ſed etiam, quia paulò poſt agendum erat de conceptione Iſaaci, in quo Abrahamo debuit vocari ſemen. Cavendum itaque fuit, ne dubia maneret ejus origo: quæ ratio dari debet, cur in præcedente hiſtoria de Pharaone, etſi certum ſit eam intactam manſiſſe, non tamen ibi fuerit expreſſum, ut hoc loco factum eſt, ne quis Iſaacum ex Abimelecho conceptum putaret, qui etiam purgat ſe ab omni crimine in hac cauſſa, & Deum habet teſtem & approbatorem proteſtationis ſuæ.

Apparet autem in reſponſione Abimelechi, non fuiſſe hominem impium, vel omni cognitione Dei deſtitutum. Nam Deum loquentem agnoſcit, & cauſam ſuam apud eum modeſtè defendit, ſeque tuetur innocentiæ clypeo, coram judice juſto. Talem enim eſſe Deum profitetur, cùm dicit, *Domine, num etiam gentem juſtam occides?* Juſtitiam autem ſuam ex eo probat, quod Abraham dixit ſororem ſuam eſſe, idque intellexerit ipſe, prout verba primariâ ſignificatione intelliguntur, ut non potuerit ſimul eſſe & ſoror & conjunx, proinde ambiguâ locutione ſe fuiſſe deluſum: quod poſteà commoda phraſi explicat, cùm dicit, בתם לבבי ובנקין כפי *betom levavi*, *ubenikkaion cappai*, in perfectione, aut potiùs ſimplicitate vel integritate cordis, & in munditia manuum mearum hoc feci. Animi & corporis in hoc facto puritatem profitetur; cordis integritas opponitur malæ conſcientiæ; manuum puritas, factis improbis aut inhoneſtis: ut ſenſus ſit, in hoc facto, nec conſcientiam meam læſi, nec aliquid inhoneſtum perpetrare fuit animus. Eadem phraſi uſus eſt David, Pſal. 18. verſ. 21. & 25. & 2. Sam. 22. ℣. 21.

*℣.21.Retribuit mihi Iehova ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum reddidit mihi.*Pſal.73.℣.13.*Num in vacuum mundavi cor meum, & in innocentia lavi manus meas?*

At poteſt aliquis quærere, numquid hæc Abimelechi conteſtatio de gente juſta, & juſtitia ſua propria, non ſolùm cum humilitate, ſed etiam cum ipſa rei veritate non pugnaverit? Quis enim credet regem illum fuiſſe in omnibus juſtum, vel habuiſſe domeſticos qui juſtorum nomen poſſent ſuſtinere? præſertim cùm extra familiam Abrahami, in qua Deus ſe manifeſtaverat ſpeciali modo, addito etiam fœderis ſigno, nulla eſſet in terra de voluntate Dei tali ratione informata; cùm tamen in eadem non pauci fuerint, quibus juſtitiæ laus tribui non poſſit, ne quidem omnibus ſancti Patriarchæ filiis. Nec ſane de nihilo fuit, quod cùm veniſſet peregrinatum in terra Gerar, exiſtimavit, *non eſſe timorem Dei in loco illo*, ℣.11. quod judicium non pronunciaſſet, vir charitate non deſtitutus, niſi ex falſo cultu & multorum moribus depravatis, eò adductus fuiſſet. Detur ergò, vel Abimelechum ipſum non fuiſſe prorſus timore Dei deſtitutum, & fuiſſe nonnullos in illa gente quorum laudabilis præ cæteris eſſet converſatio, fuiſſe tamen qui juſtitiæ laudem apud Deum potuerint ſuſtinere, vix ſimile vero exiſtimamus. Itaque ſi vel Abimelec ſe ipſum juſtum apud Deum putaverit, vel reliquos ſuos domeſticos, procul dubio in errore verſatus eſt. Cùm tamen non redarguatur à Deo de mendacio, aut hypocriſi, imò admittatur ejus excuſatio, dicendum eſt, non loquutum fuiſſe de *juſtitia*, quam vocant *perſonæ*, quæ ut perfecta ſit, & coram Deo admittatur, omnes in ſe comprehendit virtutes, & omnia vitia excludit, ſi quidem operibus tribuatur, & habitibus unde opera fluunt; ſed intellexiſſe quod dixit de *juſtitia*, quam dicunt *cauſæ*. Id eſt voluit in hoc facto ſuam & ſuorum innocentiam aſſerere, quod non habuerint in animo alienam uxorem rapere, vel ille ſibi eam conjungere contra legem divinam, & contra hoſpitalitatis jura, ignotam ſibi fuiſſe mulieris conditionem, quam cùm liberam putaret, exiſtimavit etiam nullam fieri injuriam hoſpiti & extero; ſi per ſororem ſuam admitteretur in affinitatem regis loci illius quem ſibi ad tempus inhabitandum delegerat. Non ergò ſibi arrogat munditiem omnimodam, tantùm reſpondet comminationi, *Mortuus es propter uxorem quam accepiſti, quæ virum habet.* Ego in ea re juſtus ſum & innocens, non enim ſcortandi libidine, vel per tyrannidem, vel conſultò, aliena uxore ſum abuſus. Atque ita ſe nullius conſcium eſſe ſceleris, cur tam gravi ſupplicio afficiatur, adjudicatus morti; ideò confidentius agit, conſcientia ſecura, ut ex communi pietatis ſenſu in eam interrogationem irrumpat, *Domine num gentem juſtam occides?* Sciebat enim, idque etiam dictante natura, Deum in pœnis irrogandis, juſtum ſervare diſcrimen.

Hic non eſt, quod patroni virium humanarum in ſpiritualibus, objiciant hominem iſtum juſtitiam coluiſſe extra ſpiritum regenerationis, & inde inferant, etiam in hominibus irregenitis eſſe liberū arbitrium ad actiones bonas. Eſt enim fallacia ab ignoratione elenchi. Quia non quæritur, an homines irregeniti à ſceleribus poſſint abſtinere, & vitam laudabilem apud homines ducere, vel etiam hujus vel illius ſceleris apud Deum abſolvi, ita ut pœnas non luant, quibus alioquin addicerentur; ſed an talem poſſint exercere juſtitiam, quæ Deo grata ſit, & ad examen divini judicii revocata, ſubſiſtere poſſit? Hoc non probabunt ex facto Abilemechi, ſi eum irregenitum fuiſſe ſupponant. Quod ſi probari poſſet, opera ejus fuiſſe verè bona & Deo grata, tunc certè negandum eſſet fuiſſe hominem irregenitum, habuit enim etiam Spiritus ſanctus ſuam efficaciam extra ordinem, in nonnullis quos afflavit, extra Abrahami familiam, & ſepta populi Dei ita ſingulariter dicti. Quid quod ex ſequentibus patebit, Abimelechum, non prudentia ſua aut probitate ſua ab injuria Abrahamo inferenda fuiſſe revocatum, ſed id totum Deo tribuendum eſſe, qui in gratiam ſervi ſui, ſpeciali providentia, eum divino fræno cohibuit, ne thorum Abrahami pollueret?

Verſ. 6. & 7. Reſpondet Deus Abimelecho, & quid ab ipſo fieri velit, indicat, addita comminatione conditionata, nî juſſis divinis obtemperet. In primo membro, Deus confirmat teſtimonium Abimelechi, *de integritate cordis*, quam in ea re profeſſus erat; addit, providentia ſua effeciſſe, ut à peccato patrando abſtineret, & intactam relinqueret Saram. Ubi duo quæruntur: I. Quomodo ſtare poſſit teſtimonium illud divinum de cordis integritate, cum caſtigatione divina, quam Abimelechum cum tota ſua familia ſubiiſſe ex ſequentibus conſtat. Si enim erat innocens, cur affligitur? Si nocens, quomodo integritas cordis ei tribuitur? Reſponſio patet ex ſuperioribus, ubi diximus diſtinguendam eſſe juſtitiam cauſſæ, à juſtitia perſonæ. Agnoſcimus ergò in eo nullam fuiſſe culpam Regis, quod Saram exiſtimaverit eſſe liberam, proinde verum eſſe quod ab omni adulterii crimine, ratione Saræ, alienus fuit, quo in negotio ei tribuitur *integritas cordis.* Non tamen ſequitur expertem omninò fuiſſe peccati, non ſolùm in aliis vitæ actibus, ſed nec etiam in hac occaſione; quia præcipiti nimis uſus eſt conſilio, & intemperanter ſe geſſit, qui cùm uxores domi haberet plures, ut ex ſeqq. fit manifeſtum, ilicò tamen exarſit in externam mulierem, eamq; pro imperio ſibi vindicavit. Etſi enim neque Abraham apertè reluctatus ſit, nec Sara indicarit ſe non poſſe in tales nuptias conſentire, quia alterius viri eſſet; dubitandum tamen non eſt, utrumq; oſtendiſſe ſe non id libenter pati, & autoritate potiùs & metu trahi, quàm conſenſu voluntario. Si nihil aliud fuerit, ſufficiens fuit cauſa, cur Deus animadverteret in inſidiatores pudicitiæ alienæ, etſi ſub

conjugii prætextu. Quapropter non exiſtimandum eſt Deum planè à peccato illum liberare, etſi à peccati gravitate, in quam alioquin incidiſſet. Cùm igitur Deus, veram eſſe ejus excuſationem concedens, illum nihilominus caſtiget, oſtendit eos non prorſus vacare culpa, qui vel humano modo puri ſunt, vel in una aliqua facti circumſtantia, etiam coram Deo ſunt inſontes. Nec tam juſtum cenſeri excuſabilem errorem, cui non aliquid deterius ſit admixtum. Unde rectè colligitur, neminem ſe proprio judicio ſuo abſolvere debere, ſed opera noſtra omnia ad examen Dei eſſe exigenda, quia etſi *recta videantur hominibus via ſua, Domini eſt ponderare corda.* Proverb. 21. ℣. 2. Id præterea animadvertendum, ſi qui ſibi non ſunt malè conſcii, culpam apud Deum non effugiunt; qui propria conſcientia conſtricti tenentur, in gravi periculo verſari.

II. Quæri poteſt, cur Deus dicat prohibuiſſe, id eſt, impediviſſe, ne Abimelech ipſi peccaret, cùm videatur excuſationem ejus admiſiſſe. Si enim aliquod fuiſſet peccatum in hoc actu quem intendebat, prius debuit eſſe in propoſito, quàm in facto. At ex ſuperioribus conſtat, propoſitum fuiſſe inculpatum; ſi igitur, manente errore in conditione perſonæ, ad Saram acceſſiſſet tanquam ſponſam, non videtur tum, peccaturum illum fuiſſe Deo, niſi ante quàm illud attentaſſet, deprecata fuiſſet Sara, & declaraſſet quod res erat; tunc enim ſi ulteriùs proceſſiſſet, reus fuiſſet adulterii apud Deum. Reſpondendum igitur cenſemus, vel id Deum reſpexiſſe, quod eo uſque negotium proceſſerat, ut niſi Deus impediviſſet, nullis poſteà repagulis contineri potuiſſet, etiam à Sara admonitus, quominus ejus pudicitiam violaſſet. Deum igitur in hoc dicto, non reſpexiſſe quod tunc habebat in animo, ſed quod poſteà facturus fuiſſet, ſibi relictus, & niſi fuiſſet præſentaneæ mortis metu coërcitus. Noverat enim Deus, quouſque reſiſtere poſſet tentationi. Itaque noluit eum rationibus humanis tantùm dimovere, quia ſæpè accidit in hujuſmodi caſu, ut earum quarum amore capti ſunt homines, modeſta deprecatione, aut etiam reſiſtentia, ſi eas alioquin in ſua poteſtate habeant, quaſi aquæ guttulis igni injectis, magis inflammentur. Voluit præterea conſulere ipſius Saræ verecundiæ; item mariti ſecuritati, quæ omnia tali miraculo efficacius fuerunt procurata. Addo, etiamſi periculum futuri eventus non reſpexiſſet Deus, ratione infirmitatis humanæ, poſt notitiam conjugii Abrahami, id eſt, etſi ponamus continuationem erroris conditionis in ipſo actu, tamen peccaturum fuiſſe, ſaltem materialiter, quia detrimentum attuliſſet proximo, etſi inſcius, quod quidem excuſaſſet à culpa, non tamen ab obligatione ſatisfaciendi proximo, & dolendi de facto, poſt ejuſdem notitiam. Idcircò in talibus ut præveniantur, etſi Deus per adverſitates non puniat, erudit tamen & monet, ut errore ſublato, caveatur damnum proximi, & injuria quam quis, etſi inſcius, inferret. Tertiò; id etiam eſt notandum, ignorantiam non excuſare à toto, etſi excuſet à tanto. Præcaviſſe ergò Deum, ne ad tantum illud veniret; non tamen ex toto fuit innocens, quia ejus ignorantia non fuit invincibilis. Potuerat enim, imò debuerat, exactius ſciſcitari, quis eſſet Abraham, quæ Sara, ubi hactenus vixerant, & expreſſè etiam inquirere, an nullum eſſet inter eos matrimonii vinculum. Sed quia, vel ex aliorum relatu, vel proprio intuitu, in fœminam illam exarſit, neque regulas prudentiæ adhibuit, nec de aliis fuit ſollicitus, quæ in ſimilibus ſolent obſervari, in eo peccavit. Quid ergò dicit Dominus, *impedivi ne peccares mihi*, id non abſolutè intelligendum, ſed comparatè; nempè ne augeres peccatum, uſque ad extremum actum, & ita reus fieres violati alieni thori, per imprudentiam tuam. Peccatum autem illud, etſi ratione damni illati, vel perpeſſæ injuriæ Abrahamum & Saram reſpiceret, ratione culpæ in Deum fuiſſet admiſſum. Quod de omnibus peccatis adverſus proximum eſt intelligendum, quia legem divinam violant, & Deum ultorem expectant. Hoc etiam huc ſpectabat, ut agnoſceret Abimelech, reges & magnates, etſi legibus humanis viderentur exempti, atque ita impunè quicquid luberet agere, hominum ratione poſſe, habere tamen ſupra ſe Dominum, qui injurias hominibus illatas, qui ſe tueri non poſſent, in ſe quaſi derivaret, & tanquam ſibi factas puniret. Quod agnoſcens David dicebat Pſal. 51. ℣. 6. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.*

Hactenus de impedimento mali, ſequitur mandatum de emendatione propoſiti, & ſatisfactione, ratione proximi. Mandatum conjunctum eſt cum promiſſione vitæ, ſub conditione obedientiæ, & contrà cum mortis comminatione, ſi alienam uxorem retineret. In quo eſt repetitio prioris comminationis, quæ hîc explicatur, & oſtenditur non abſolutam fuiſſe. Omnia ſunt perſpicua, niſi quod in ratione addita hæc verba poſtulant aliquam attentionem, *Redde uxorem viro,* כי נביא הוא *ki navi hu*, quia Propheta ipſe, id eſt, *Propheta eſt, & orabit pro te, & vives.* In quibus verbis id primum expendendum, quonam referatur cauſalis particula, an ad præcedens, an verò ad conſequens membrum; id eſt, an ſenſus ſit, Debes reddere uxorem viro, quia Propheta eſt; an verò, quia Propheta eſt, ille orabit pro te, & vives? Ratio dubitandi circa primum ea eſt, quod dignitas prophetica non eſt cauſa, cur quis obligetur ad reddendam uxorem alienam, itaque ratio adæquata fuit, quia mulieris illius maritus erat. Etſi enim Abraham non fuiſſet Propheta, debuiſſet Abimelech reddere uxorem alienam. Hoc etſi verum ſit, non erit tamen abſurdum, ſi rationem ad præcedens membrum ita referamus, non ut cauſam oſtendat abſolutè cur reddenda ſit uxor; ſed ut dignitate perſonæ propoſita, indicet eò minus eam debere retineri, quò major eſſet injuria tali viro inflicta. Sic enim Deus voluit peculiariter ſibi charum eſſe oſtendere, ut

innueret ſe conjugalem ejus thorum velut privilegio quodam tuendum ſuſcepiſſe: quaſi diceret, ne contemnas virum iſtum tanquam peregrinum, quia vir eſt inſignis & mihi charus, cui factam injuriam non potero diſſimulare, nec inultam permittere.

Convenientiſſimum tamen eſt ut id referatur ad membrum ſequens, dignitatis nempè Abrahami Deum meminiſſe, ut intelligeret Abimelech, eum à Deo poſſe impetrare quod petet. Proinde ſtudendum ei eſſe de eo viro benè mereri, quo orante continuò liberandus eſſet à malis, quibus propter uxorem ablatam erat obnoxius. Hic ſenſus ex ſimili loco confirmatur, Jobi 42. ℣.8. ubi Deus mandat amicis Jobi, *ut adeant ſervum ſuum Iobum, & offerendum curent pro ſe holocauſtum, & Iob oret pro eis. Nam* (inquit) *verè perſonam ejus accipiam, ut non afficiam vos pœnâ, &c.* Sed uterque ſenſus, meo judicio, commodè poteſt conjungi, imò ratio illa inter duo membra collocata videtur, ut utrique inſerviret. Redde uxorem huic viro qui Propheta eſt, & quem impunè non potes injuriâ afficere, qui gratiâ pollet apud me; efficies enim eum ita demerendo, ut apud me pro te fundat preces, quas à viro Propheta profectas ſuſcepturus ſum, & tibi vitam condonaturus.

Quomodo autem Abraham fuerit Propheta explicandum eſt. Nam non ſolum hìc tribuitur ei hoc nomen, ſed etiam Pſal. 105. verſ. 13. 14. &c. ubi ad hanc hiſtoriam alludit Pſaltes. *Cùm irent*, inquit, *de gente in gentem, à regno in populum alium: non permiſit cuiquam opprimere eos, etiam reprehendit propter eos Reges. Ne attingitote*, inquiens, *unctos meos, Prophetas meos ne afficitote malo.* Ubi nomen illud Abrahamo tribuitur & aliis Patriarchis, quibus ſimile quid accidit, ut de Iſaaco poſteà dicetur. Nomen *Prophetæ* quid primò ſignificet, ſatis notum eſt; ſic enim vocati fuerunt, qui afflatu Dei futura prædixerunt, quæ notio vocis in Scriptura eſt communiſſima. Talibus ſe Deus familiariter communicabat, non enim ſine ſpeciali revelatione potuerunt nota habere, quæ ab hominum ſenſibus fuerunt remotiſſima. Quia autem tales viri à Deo ſanctificabantur, & inter cæteros erant eximii, hinc etiam factum eſt, ut Prophetæ dicti fuerint, qui fuerunt magnæ pietatis & ſanctitatis nomine commendati, & ſpecialiter Deo chari. Sic accipiunt multi quod de Abrahamo dicitur, *quod fuerit Propheta*, ut non ſit hoc loco nomen officii, quod propriè aliàs ſignificat, ſed latius pateat pro homine ſelecto, & qui Deo familiaris fuerit.

Nihil tamen obſtat, quominus Abraham, etiam officii ratione, ſic appelletur; præſertim ſi Prophetæ officii ratione fuerint, non tantùm qui futura prædixerunt, ſed etiam qui in genere, fuerunt apud homines voluntatis divinæ interpretes, ſive internuncii. Quo ſenſu etiam ſub novo Teſtamento *Prophetia* accipitur, pro vi interpretandi & exponendi res divinas & occultas, & ab humana intelligentia remotas, ad quam ſignificationem ſpectat diſputatio illa elegans B. Pauli de comparatione doni Prophetiæ, cum dono linguarum, cap. 14. 1. ad Corinth. inde ab initio, in qua concludit, *majorem eſſe qui prophetat, quàm qui loquitur linguis; quia qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & conſolationem, & exhortationem.* Qui autem variis loquitur linguis, admiratione magis auditores afficit, quàm utilitate; ideò donum linguarum per ſe conſideratum, non æquipollet ei prophetiæ dono, quo aliquis res divinas & occultas, ſcituque perutiles ſapienter interpretatur, qui audientes utiliter erudit, informat & conſolatur. Hoc ſenſu cap. 7. Exod. Deus dicit ſe conſtituiſſe Aaronem ut eſſet Propheta Moſis, id eſt, ejus interpres apud Pharaonem. ℣.4. quia ea quæ à Deo acceperat Moſes, Aaron qui dicendi pollebat facultate, ea enunciabat & interpretabatur.

Secundùm omnes Prophetiæ acceptiones, meritò potuit Abraham dici Propheta. Si enim intelligamus id ſpecialiter de eo qui novit & annunciat futura ex ſpeciali revelatione divina, tale donum, ſive Prophetiæ perfectio Abrahamo non defuit; Deo enim revelante, prænovit futuram poſteritatis ſuæ captivitatem & liberationem, aliaque multa de quibus anteà dictum eſt, cùm Deus profiteretur ſe nolle ſervum ſuum Abrahamum celare quod facturus erat. Novit etiam, & ſine dubio ſuis denunciavit benedictionem omnium gentium proventuram ex ſemine ipſius, Chriſto nempè venturo: unde factum eſt ut etiam hoc teſtimonium reddiderit ei Dominus ipſe, Joan. 8. ℣.56. *Abraham geſtivit ut videret diem meum iſtum, & vidit, ac gavíſus eſt.*

De aliis acceptionibus minùs principalibus, hac primâ poſitâ, vix dubitari poteſt, quia nullæ ſunt quæ ex prima illa non conſequantur. Exiſtimo tamen in his Dei verbis utrumque ſenſum poſſe conjungi, ut nomen Prophetæ, & officium ſignificet, & honorem atque præſtantiam, idque ſecundum voluiſſe Deum Abimelecho indicare ex priori, virum eſſe qui divina familiaritate uteretur, quem qui offenderit, non poſſit iram Dei effugere: contrà qui ejus rationem habuerit, ſperare etiam poſſit ſe precibus ipſius commendatum, à Deo accepturum benedictionem.

Sed circa hoc ſecundum, dubium movetur, an id non faveat interceſſioni Sanctorum, cùm Deus alios amandet ad Prophetas ſuos, quibus maximè favet, & quorum faciem ſe acceptaturum pollicetur. Hinc enim conſequi videtur præter Chriſtum primarium & principalem interceſſorem, alios etiam ſine ipſius injuria tanquam ſecundarios, hominibus poſſe patrocinari. Nec ſatisfaciet qui reſpondebit, in hac neceſſitate in qua verſamur, mutuis precibus nos juvare debere, ex charitate, & mutua συμπαθείᾳ, nec eam vocari debere interceſſionem, quæ eſſet conteſtatio communis miſeriæ, & charitatis mutuæ conteſſeratio. Neque ſequi eum

eum qui ita pro alio preces fundit, apud Deum gratiorem eſſe eo pro quo precatur, quia perfectiores etiam minus perfectorum preces expoſcunt, ut ſæpè Paulus fidelium; cùm tamen ſive munus ſpectemus, ſive ſanctitatem, nullus eſſet qui eum adæquaret. In his enim exemplis de quibus agimus, alia ratio eſt; quia qui Deum offenderunt, ad eos amandantur qui in gratia majore ſunt apud Deum, ratione muneris & ſanctitatis. Favere videtur Calvinus, cujus ſunt hæc verba; *Quia Propheta eſt Abraham, quaſi mediator inter Deum & Abimelech ſtatuitur. Erat quidem tunc quoque unicus mediator Chriſtus; ſed hoc non obſtabat, quominus alii pro aliis deprecari poſſent, præſertim verò ut quiſquis ſanctimoniâ pollebat, & Deo erat acceptus: quemadmodum Apoſtolus docet, multum valere aſſiduas juſti preces.* Jacob.5. ℣.16. Hæc ille.

Nihil tamen hæc faciunt ad cauſam Pontificiam. I. Agitur his locis de iis quibuſcum in hac vita nobis eſt commercium, & qui ex aliqua vocatione divina conſtituti fuerunt inter homines, in his quæ ſunt πρὸς τὸν Θεὸν, ut loquitur Apoſtolus, Ebr.cap.5. ℣.1. Tales enim erant Abraham & Job. Id autem negari non debet, hominibus quibuſdam ad id delectis in Eccleſia commiſſum fuiſſe, ut pro aliis preces & ſacrificia offerrent Deo, quoſdam etiam majori ſanctitate pollentes ei gratiores fuiſſe. Sed hinc non ſequitur, ſi ad iſtiuſmodi homines amandati fuerunt alii qui tum vivebant, ſequi idem nobis cum Sanctis defunctis agendum eſſe, qui nullum jam munus in his terris exercent, nec nobiſcum verſantur, poſtquam ſuo tempori inſervierunt. II. Non ſine cauſa de primis illis dixiſſe Calvinum, fuiſſe *quaſi mediatores*, quod ille poſteà interpretatur *deprecatores*; mediatores autem propriè fuiſſe nunquam dixiſſet, ne quidem propriè interceſſores, nempè eo Juriſconſultorum ſenſu, quo *interceſſor*, alienam obligationem recipit, id eſt, ſe vel res ſuas obligat pro alio, qui inter duos eſt veluti medius vel ſequeſter, ut habet Cujacius ad Afric. num.40. tractatus quarti. Vel quatenus intercedere pro alio, eſt fidem ſuam interponere, ſpondere & obligari, ut apud Juriſconſultos tractatur ad Senatuſconſultum Velleianum. Hoc enim modo ſolus Chriſtus pro nobis intercedit. Alii poſſunt eſſe *deprecatores.* Quod munus etiam non denegamus Sanctis qui vivunt cum Chriſto, non quidem ut pro quorumvis ſingularibus negotiis apud Deum agant, ſed in genere, ut pro Eccleſiæ militantis complemento preces fundant. Sed neque propterea ſunt invocandi; nec petendum ut eorum nomine exaudiamur, vel eorum meritis fidendum, ut à Deo neceſſaria obtineamus. Quæ omnia derogarent mediationi Chriſti.

Eſt autem præterea in exemplis allatis id obſervandum, fuiſſe ſingulares rationes cur Deus voluerit homines illos ad ſervos ſuos amandare, ut hinc etiam videamus, ſingulares & extraordinarias illas rationes non debere trahi in exemplum commune. Primùm enim hoc conſtat, Abrahamum fuiſſe ab Abimelecho offenſum, ut & Jobus fuerat ab amicis. Deus ergò idcircò voluit ut eos ſibi deprecatores eligerent, ut ita pateret initam fuiſſe inter eos veram & ſeriam reconciliationem, ſcirentque qui offenderant, bonos illos viros non ampliùs revocaturos in memoriam injurias illatas, poſtquàm teſtati ſolemniter fuiſſent apud Deum, nolle ſe ut earum ratio haberetur in præjudicium ipſorum. Sic enim indicabant ſe ex animo condonaſſe offenſam, qui Deum propitium iis à quibus læſi fuerant, expetebant. Secundò, quia ſancti illi viri in ſua peregrinatione, inter alios homines ſpeciali protectione opus habuerunt, voluit Deus illos tali teſtimonio munire, ut hac ratione commendarentur hoſpitibus ſuis, poſtquàm experientiâ compertum habuiſſent, habitare inter ipſos tales viros, qui apud Deum in eo loco eſſent, & quorum precibus multùm deberent; ut eos magis ac magis obſervarent & venerarentur, abſtinerentque ab omni injuria erga eos. Denique id etiam faciebat ad eorum juſtificationem. Cùm enim Abraham peregrinus eſſet in terra, nec poſſideret tantillum terræ ubi pedem figeret, potuiſſet pro homine vago inter alios homines haberi, & qui non eſſet curæ Deo; imò etiam pro homine fraudulento, qui ſimulatione ſua, ſine neceſſitate, alios in periculum conjiceret. Id Deus voluit prævenire, dum eum in regione Geraris eo loco conſtituit, ut ejus deprecationem tanquam Prophetæ Deo chari, Regi ipſi & ſubditis neceſſariam reddiderit. Quæ eadem ratio fuit in Jobo, quem amici inſimulaverant hypocriſeos, & aliorum peccatorum, & cum eo ſe geſſerant tanquàm cum homine impio. Cùm igitur poſteà Deus voluit, eos ipſo uti tanquam Sacerdote & deprecatore, in illa lite quam tot conteſtationibus inter ſe agitaverant, pronunciavit Deus ſecundùm ſervum ſuum, nec poſteà potuerunt amici ejus dubitare de ipſius ſinceritate, & ſua ipſorum importuna reprehenſione.

Id inſuper addimus, eos qui vel Abrahami vel Jobi preces petierunt habuiſſe expreſſum Dei mandatum, & additam promiſſionem, proinde id potuiſſe, imò debuiſſe ex fide facere. Idem non poſſunt adverſarii probare, & vel ſingulare de aliquo Sancto defuncto, vel generale de omnibus, ex ſacra Scriptura mandatum depromere. Itaque nulla eſt conſequentia à tot diſſimilibus conditionibus, ad id quod ſibi uſurpant Pontificii. Cùm enim viventium, etiam quos nobis digniores agnoſcimus, imploramus preces, non exhibemus iis cultum religioſum, tanquam iis qui ubique invocantes audiant, & gemitus cordis agnoſcant; nec meritis eorum confidimus, ſed officium charitatis à Deo mandatum ab ipſis exigimus, ut infirmiores nos ſublevent, & preces ſuas noſtris jungant, ut quibus de calamitatibus noſtris conſtat, & qui earundem ſenſu afficiuntur, dum ipſi etiam *circumdati ſunt infirmitate*, & propter hanc debent ſicut pro aliis, etiam pro ſe ipſis, precari; quemadmodum olim Sacerdotes propter ſuam infirmitatem,

miratem, *ſicut pro populo, ita & pro ſe ipſis offerre victimas pro peccatis debuerunt*, Ebr. 5. ℣. 2. & 3. A talibus deprecatoribus unicus noſter mediator ſejungitur, ut ſolus maneat, quia pro omnibus intercedit, & nemo pro illo. Quam rationem affert Auguſtinus, ut contra Parmenianum probet Epiſcopum non eſſe mediatorem inter Deum & populum. Verba ejus ſunt notatu digna, Tom. 7. lib. 2. contra Parmen. cap. 8. *Si hoc diceret Ioannes, hoc ſcripſi vobis ut non peccetis, & ſi quis peccaverit, mediatorem habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis veſtris, ſicut Parmenianus quodam loco mediatorem poſuit Epiſcopum inter Deum & populum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Chriſtianorum? Quis ſicut Apoſtolum Chriſti, & non ſicut Antichriſtum intueretur? & tamen lacus detriti, fumoſam aquam, iſtorum ſuperbiam ferunt, & Sp. ſanctum continere non poſſunt, ut ſervent unitatem ſpiritus in vinculo pacis, & in omnibus orationibus ſuis, de uno mediatore ſecuri ſint. Homines enim omnes Chriſtiani, invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus eſt mediator.* Plura ibidem habet de eodem argumento digniſſima, quæ ibidem attentiſſimè legantur, uſui maximo futura, contra adverſariorum hoc tempore importunitatem. Finiemus verbis Calvini, *Quod prætextu precum Abrahami pro Abimelecho, ad mortuorum patrocinium confugiunt Papiſtæ, inſulſum eſt. Quemadmodum enim hic Dominus non ad Noach, vel alium quempiam ex mortuis Patribus amandat regem Gerar, ſed ad vivum & præſentem Abraham; ita non aliud habemus præceptum, quàm ut alii pro aliis viciſſim orando, charitatem inter nos colamus.*

Exercitatio CI.

Summa reliqui cap. XX. *Abimelechi obedientia. Ejus cum Abrahamo expoſtulatio. Impudens Iuliæ dictum. Abrahami in reſpondendo ingenuitas. Nomen Elohim verbo pluralis numeri junctum pro vero Deo accipi. Quæ tamen non eſt ſufficiens probatio Trinitatis, contra adverſarios. Rejicitur prophanum commentum Enjedini Samoſateniani. Explicatio verſ.* 17. Operimentum oculorum *quid?* ונכחת venokachath, *quid ſignificet? Cujus valoris fuerint argentei nummi Abrahamo dati? Quid* ſiclus? *Cur velarent ſe mulieres. Quale fuerit malum quo Deus percuſſit domum Abimeleci. Ebræorum ſententia. Quid in eo ſit maximè probabile?*

IN ſequentibus ad finem uſque capitis xx. narratur obedientia prompta regis Gerar, expoſtulatio cum Abrahamo; reſponſio Abrahami bipartita: Executio mandati divini de uxore reddenda, cum auctario: Admonitio ejuſdem regis ad Saram; Exauditio precum Abrahami pro Abimelecho & familia ſua, quam conſequuta eſt benedictio divina.

Primò egit Abimelechus cum ſervis ſuis, verſ. VIII. quibus ſummo manè vocatis, narravit quæ acciderant. Effectus hujus narrationis fuit omnium timor, ſive metus non vulgaris. Ubi laudatur obedientię promptitudo, etſi non dubium ſit comminationum metu fuiſſe acceleratam. Bonum eſt tamen tremere ad verbum Dei. Quid cum ſervis ſuis ſtatuerit rex, non dicitur, ſed ex ſequentibus colligitur: ſtatutum nempè fuiſſe ut quamprimùm reſtitueretur uxor Prophetæ, & ipſi abundè ſatisfieret, imò etiam ut gratiam ab eo inirent omnibus modis.

Judicavit tamen prudens Rex, ſibi aliquâ expoſtulatione utendum erga Abrahamum, quem propterea interrogat, verſ. 9. idque arte compoſitâ oratione, qua indicat, id Abrahamum celare eos non debuiſſe, ex cujus ignorantia in grande peccatum incidere potuerunt, niſi anteà facto aliquo ab iis læſus eſſet. Cujus cùm non ſint ſibi conſcii, modeſtè infert, Abrahamum non ſe geſſiſſe erga eum prout debuerat. In qua expoſtulatione, id primum laudandum eſt, quod uxoris alienæ pollutionem agnoſcit peccatum grande, quod Regi & toti regno lethale fuiſſet, quia non unum tantum hominem, ſed totum populum quaſi piaculo obligabat. Notum ergò eidem fuit ſacroſanctum jus conjugii; ſe etiam legibus ſubjectum fuiſſe faſſus eſt, nec profanum illud & impudens Juliæ dictum ei placuiſſet, quæ, Suetonio in Caracalla referente, cùm Antonium Caracallam privignum ſuum ad inceſtas nuptias ſollicitaret, illo reſpondente, *vellem ſi liceret*, inſtabat, *Si libet, licet. An neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Illud autem, *Quid feciſti nobis, & quid peccavi in te?* non ita intelligi debet, ut juſtum exiſtimemus ſi quis ab alio offenſus fuerit, ut hac ratione vindictam exigat qua eum in peccatum arte aliqua præcipitet. Nec id fortaſſe judicavit Abimelech, ſed id minus debuiſſe fieri erga eum à quo offenſus non eſſet, quod in hoſte eſſet tolerabilius. Ea non fuit mens Abrahamo, nec id ipſi potuit imputari jure, hoc nempè deſtinatò voluiſſe, tantùm ſuo facto, occaſionem huic malo dediſſe, quam potuiſſet præcavere, ſi apertius egiſſet. Rectè tamen putat Abimelech, Abrahamum, virum gravem, & Deo probatum, non ſine aliqua cauſa hoc iniviſſe conſilium, ideò pergit urgere, ut cauſam ſciat, *Quid ſpectaſti, quod feciſti rem hanc?*

Triplicem affert defenſionem facti ſui Abraham. 1. à metu, cujus rationes ſe habere putavit. 2. à dicti ſui veritate

ritate in ea parte quam profeſſus erat alia diſſimulata. 3. ut oſtendat ſe tum primum non ita loquutum fuiſſe cum venit in Gerar, quia ab initio peregrinationum ſuarum ſic convenerat inter ipſum & uxorem.

Metus cauſam ℣.11. oſtendit fuiſſe judicium de gente apud quam habitabat, *Verè non eſt timor Dei in loco iſto.* Sic igitur fuiſſe argumentatum, ubi non eſt timor Dei, ibi nulla eſt juſtitia vel æquitas, nec ullo repagulo poſſunt homines contineri ab injuriis inferendis proximis ſuis. Hæc major veriſſima eſt, & nimis quam experientia comprobata. Sed aſſumptio fuit valdè invidioſa apud regem & ſubditos ſuos, præſertim ſi voculam illam רק *rak* per *verè*, interpretemur ut à pleriſque factum eſt. In vulgata mitior eſt verſio, *fortaſſe* non eſt timor Dei, quaſi diceret, nondum noveram ingenium loci, & quod alibi expertus eram, idem etiam judicabam potuiſſe accidere, ut timor Dei hinc exularet. L x x verterunt ἄρα, quæ dubitativa particula eſt. Exiſtimo tamen non fuiſſe meram ſuſpicionem, & Abrahamum habuiſſe rationes cur ita ſentiret. Quamvis enim rex caſtigatus & coërcitus à Deo, cum ſervis ſuis, oſtenderit ſe non planè fuiſſe timore divino deſtitutum, potuit illa fuiſſe ſubita mutatio à Deo facta, & fortaſſe paucorum, reſpectu totius multitudinis. Vix certè credi poteſt, apud iſtos homines veri Dei cultum fuiſſe conſervatum, & ſtudium pietatis in tali gente viguiſſe. Hic laudanda eſt Abrahami παῤῥησία, qui quod res erat, ſaltem quod apud ſe ſuſpicatus erat, liberè apud Regem profitetur, nec de eo quod ita ſenſerit expoſtulat Abimelech: proinde talis reſponſio, etiam propheticæ reprehenſionis locum habere potuit.

Secunda facti ejus defenſio deſumitur à veritate dicti ſui, quod Sara ipſius eſſet ſoror, filia patris ſui, non autem matris ſuæ, quæ tamen eadem uxor erat. Quibus verbis purgat ſe à mendacio, à quo diſcernit ſilentium ſuum, & ita ſe defendit ut fateatur in re trepida, ſe ex prætextu cognationis captaſſe obliquum mortis effugium. Sed cum data opera prætexuerit ſororis nomen, ut conjugium velaret, ne quid de eo ſuſpicarentur homines, errandi occaſionem illis præbuiſſe conſtat, qua de re à nobis pluribus dictum eſt cap.12. ubi etiam inquiſivimus, qua ratione Sara diceretur & eſſet Abrahami ſoror, quæ tamen eidem data fuerat conjunx.

Tertia pars defenſionis habetur verſ.13. in quo oſtendit ſe à malitioſa aſtutia fuiſſe remotum, nec aliquid novum aggreſſum fuiſſe, cum id ex pacto cum uxore inter eos fuerit conſuetum, ut ſe fratris & ſororis nomine compellarent. Sed in determinatione temporis à quo inter eos tale pactum intervenit, utitur phraſi, quæ multis variè conjectandi occaſionem dedit ויהי כאשר התעו אתי אלהים *& fuit, quando fecerunt errare me Dii, de domo patris mei, &c.* Hic enim nomen Elohim, quod etſi plurale ſit, ferè ſemper ponitur ſingulariter, ubi de vero Deo agitur, jungitur cum verbo plurali. Paraphraſtes Chaldæus hanc ſententiam in alio planè ſenſu accipit. Sic enim habet. *Accidit, quando erraverunt populi, poſt opera manuum ſuarum, applicuiſſetque me Dominus ad timorem ſuum, de domo patris mei, &c.* Quæ Paraphraſis adeò licentioſa eſt, ut vix unum verbum textus integrum retineat. L x x & vulgata, plurale tanquam pro ſingulari poſitum, ſingulariter ſunt interpretati, *quando me fecit errare Deus.* Verbum autem *errandi*, non intelligitur moraliter, quia tum Deo tribui non poſſet, ſed *Phyſicè*, pro eo quod eſt peregrinari, cujus vitæ neceſſitas à Deo Patriarchis fuit impoſita. Rectè vulgata quoad ſenſum, *Poſtquàm eduxit me Deus è domo patris mei.* Calvinus exiſtimat, quia numerus verbi juncti nomini Elohim eſt pluralis, pro vero Deo accipi non poſſe, ſed pro Angelis, quorum miniſterio Deus uſus eſt in Abrahami vocatione. Sed id non eſt perpetuum quod doctiſſ. interpres pro fundamento ponit, tunc Angelos vel Principes nomen Elohim ſignificare, ubi accedit verbum plurale. Id negant in Ebraiſmo doctiſſimi. Mercerus monet, habita ratione vocis pluralis, interdum etiam cum verbo plurali, aut cum adjectivo plurali jungi, etiam ſumptum pro vero Deo. Idem etiam monet Schindlerus in lexico Pentaglotto, ubi citat ex Geneſ.35.℣.7. נגלו אליו האלהים *niglu elav haelohijm.* Ubi Moſes dicit Jacobum ædificaſſe altare in Bethel, quia ibi revelatus ei fuerat Deus; ad verbum, *revelati ſunt ad eum dii, vel Deus.* Reſpicit autem ad ea quæ Moſes habet, Geneſ.28.℣.13. *Vidit Iacob Iehovam innixum ſcalæ, dicentem ſibi, ego ſum Iehova Deus Abraham, &c.* Sic 2.Sam.7.℣.23. Et quis ſicut populus tuus, ſicut gens Iſraël, una in terra, אשר הלכו אלהים *aſcher halecu Elohim*, quam iverunt dii ad redimendum ſibi in populum. In qua conſtructione pronomen ſingulare לו *lo* ſibi, oſtendit nomen Elohim de uno Deo accipiendum eſſe, etſi verbum ſit plurale. Eadem acceptione jungitur nomen Elohim cum adjectivis חיים *chajjim*, & קדשים *kodeſchim.* Nomen Elohim, inquit Mercerus, Dei virtutes omnes, amplitudinem & majeſtatem ſignificat, ideò pluraliter effertur, ut & alia profana nomina, in hac lingua, quæ Dominos ſignificant: ac ex more linguæ in talibus nominibus, verbo ſingulari jungitur, ne quis niſi unum verum Deum credat; etſi, interdum habita ratione vocis, plurali, licet pauciſſimis certè locis jungatur: In quibus notandum eſt haberi rationem terminationis, non ſenſus.

Quod autem ex noſtris nonnulli hinc colligere volunt doctrinam fidei de perſonarum Trinitate in divinis, argutum nimis cenſet meritò Calvinus. Antea oſtendimus non eſſe firmum, quod ex verbo ſingulari juncto nomini Elohim pluralis terminationis, putarunt nonnulli eſſentiæ unitatem in perſonarum pluralitate poſſe probari; Et certè ſi hoc verum eſſet, ſequeretur cum idem nomen jungitur verbo plurali, non ſolum perſonarum, ſed etiam eſſentiæ trinitatem ſignificari,

cari,

cari, quod abſurdiſſimum eſſet. Proinde à talibus argumentis præſtat abſtinere, quàm adverſariis ſacroſancti myſterii occaſionem inſultandi præbere, quaſi bona cauſſa nullis aliis niteretur fulcris aut fundamentis. Non inviti igitur concedimus Enjedino Samoſateniano, hoc argumentum eam vim non habere, quæ ad adverſarios convincendos ſufficeret. Sed prophanum commentum hoc ipſi non poſſumus concedere, *Abrahamum inter prophanas gentes peregrinantem, favorem ac gratiam illarum captantem, & ſibi valdè metuentem, ſe accommodaſſe, cùm in aliis rebus, tum in loquendi modo gentilibus. Cùm ergò ſciret illos colere multos Deos, obſervaſſe conſuetudinem, & vulgarem loquendi modum illic uſitatum: ut ſicut illi de ſuis, ita etiam ipſe de ſuo Deo loqueretur.* Cùm enim ſæpè alibi Abraham de Deo apud homines idololatras loquutus ſit, nuſquam reperitur hac phraſi uſus, præterquàm hoc loco. In locis autem ſimilibus ex Scriptura citatis, quæ etiam hæreticus vidit, neque Moſes, neque David verba faciebant apud Ethnicos, ſed apud populum Dei. Tertiò, nulla tum erat cauſa cur ſibi metueret Abraham, qui ſciebat Deum verum liberaſſe uxorem ſuam, & apud illum verba faciebat, quem noluiſſet demereri phraſi prophana, poſtquàm non veritus eſt apud eum profiteri, ſe exiſtimaſſe in ejus ditione nullum eſſe Dei timorem. Quod autem addit hæreticus, conjecturam non debere Calvino diſplicere, cùm *non vereatur mendacii & hypocriſeos Abrahamum inſimulare:* primùm, quod de *hypocriſi* dicit, mendacium eſt. Deinde aliud eſt mendacii aliquem inſimulare ex infirmitate, aliud apoſtaſiæ à vero Deo, & conniventiæ cum idololatris & falſorum Deorum cultoribus.

Verſus 17. habet aliquid ſingulare, in verbis Abimelechi ad Saram. *Ecce*, inquit, *dedi mille argenteos fratri tuo: ecce eſt tibi* כסות עינים keſut enajim, *operimentum oculorum*, ואת כל ונכחת *& cum omnibus, & corripuit ſe*, ſic ad verbum Arias Montanus. Vulgata, *& quocunque perrexeris, memento te deprehenſam.* Aliter longè Paraph. Chald. refert enim illud velamen non ad maritum, ſed ad argentum: *Ecce ipſum eſt tibi velamen honoris, pro eo quod miſi & tuli te, vidique te & omnes qui tecum ſunt, & in omni eo quod locuta es, verax inventa es.* Tremel. & Junius, *Sit etiam apud quoſcunque, & eſto erudita.* Tigurini cum Chaldæo ad argentum etiam referunt, *En dedi fratri tuo mille argenteos, idque pro velamento erit oculis tuis, & evidens argumentum coram omnibus qui tecum ſunt.* Nec abludit editio LXX. *Dedi mille didragmas fratri tuo. Hæ tibi erunt in pretium faciei tuæ, & omnibus quæ tecum ſunt: & omnia verè dicito.* Iſidorus Clarius etiam, *velamen oculorum* ad argentum refert. In tanta varietate non levis verſatur difficultas, ut quod magis ad rem facit, & ſimpliciſſimum eſt eligamus. Expendamus omnia ſigillatim.

Primùm de argenteis nummis Abrahamo datis, cujus valoris fuerint, quæri poteſt. Plerique de ſiclis intelligunt, qui Græcè τὸ δίδραχμον, ſic enim LXX verterunt. Et Eſai. 8. ℣. 23. ubi in Ebræo eſt eadem vox, χιλίων σίκλων habent. Monet etiam Mercerus argenti nomini in genere ſumpto, ſubaudiendum eſſe ſiclum, quia ferè monetæ nomen omittitur, quod notum eſſet. Siclus autem communis intelligendus, quia ſacer non erat in uſu ante legem à Moſe datam. Erat autem communis ille duplo minor ſacro, & æſtimabatur decem obolis Ebraicis; quos valuiſſe duodenos Atticos, ſeu duos denarios Romanos volunt ejus rei periti, ſive totidem drachmas Atticas paulo minus. Unde Græci voce διδράχμα pretium ſicli hujus exprimunt. Id probat Caſpar VVaſerus ex Heſychio, qui hæc habet: δύναται δὲ σίγλος δύο δραχμὰς ἀττικὰς, *valet ſiclus duas drachmas Atticas:* reſpondere autem vult idem VVaſerus, lib. 2. *de antiquis nummis Ebræorum*, quadranti *Taleri* imperialis, & dimidio circiter *franco* monetę Gallicæ. Supputat itaq; mille ſiclos argenteos, quos Abimelech Abrahamo dedit, facere ducentos quinquaginta Thaleros imperiales, reducto Thalero ad quinquaginta ſeſtertios, vt fit in his regionibus; ſumma fuit quingentorum quinquaginta florenorum; ſed multò major, ſi ſequamur ſupputationem illuſtris Scaligeri & clariſſ. Snellii: volunt enim ducentos ſiclos facere coronatos Gallicos octoginta. Ergò mille ſicli argentei facient florenos mille & ducentos; quod ſatis magnificum honorarium fuit, homini peregrino collatum, & illis partibus antè ignoto; præſertim ſi addatur quod anteà dictum fuit ℣. 14. de ovibus, bobus, ſervis & ancillis. Nam quod nonnulli voluerunt hæc omnia contineri mille hiſce argenteis, quaſi Abimelech pretium donarii ſupputaret quod aliis in ſpeciebus fuerat datum, nulla ratione nititur, & hæc manifeſtiſſimè diſtinguuntur.

Poteſt quæri, cur hujus donarii meminerit Abimelech apud Saram; non enim ſine cauſa videtur id præmiſiſſe. Quod nonnulli volunt, eo fine fuiſſe datos hoſce argenteos nummos, ut Sara deinceps ſibi compararet velum, quo omnibus pateret eam eſſe ſub poteſtate mariti, non convenit ſcopo Abimelechi, fuiſſet enim exprobratio ſarcaſtica; quaſi dixiſſet; Hactenus fortè non habuiſti notam ſubjectionis ſub viro, quia ei non ſuppetebat, unde tibi emeret velum; jam effeci ut deinceps omnis prætextus aut excuſatio tollatur, quandoquidem ei dedi tot nummos qui non ſolùm tibi, ſed omnibus aliis mulieribus quæ tecum ſunt, talibus coëmendis poſſit ſufficere. Hoc, inquam, omni ratione caret, nec tali excuſatione uſam fuiſſe Saram probari poteſt, quia maritus ejus non carebat neceſſariis omnibus ad uſum & honeſtatem. Agnoſco pronomen הוא *hu*, eſſe ambiguum; & quia Ebræi carent neutro, uti promiſcuè maſculino pro utroque, pro locorum circumſtantia; ſed hîc nihil cogit ut pronomen neutro genere accipiatur, cùm immediatè mariti meminerit.

Præſtat igitur ut dicamus, præfationem Abimelechi eò

eò tendere, ut ſignificet Saræ, quanti faciat Abrahamum, quem tali honorario dignatus eſt; quaſi diceret, Hic quem fratrem tuum dixiſti, apud me eſt in tali pretio, ut libenter amicitiam ejus voluerim redimere, idcircò benè muneratum eum dimitto, qui talis eſt ut deinceps non ſit quod metuas vel tibi vel ipſi, ſi maritum eum voces, nam eâ pollet gratiâ & autoritate, ut nemo qui eum viderit, & noverit te eſſe illius uxorem, velit contra pudicitiam tuam aliquid attentare.

Alii ſic; quod te dimitto ſine ullo munere, & fratri tuo dono mille argenteos, id ideò facio, ut ſit tibi operimento oculorum inter omnes, id eſt, ne quis exiſtimet, me voluiſſe redimere gratiam tuam aliquo munere, & quadam velut mulcta compenſare injuriam tibi factam. Sed hoc durum mihi videtur, imò etiam tale, quod majorem ſuſpicionem injeciſſet. Poſſet enim aliquis id interpretari, ac ſi Saram voluiſſet monere, non eſſe cauſam cur ſibi metueret ab ira mariti, propterea quod abducta fuiſſet in alienum thorum, quia injuriæ compenſationem accepiſſet. Præſtat ergò ut priorem ſententiam ſequamur, quæ hæc omnia refert ad cognitionem dignitatis & autoritatis Abrahami, qui apud Deum in eo loco erat, ut ejus conſideratio ſufficere deberet, non ſolùm ad tuendam uxoris pudicitiam, apud omnes qui cum ipſa erant, ſed etiam apud alienos.

Sequens igitur relativum ad Abrahamum refero. Erit tibi frater ille tuus, כסות עינים *keſuth enajim*, operimentum oculorum, id eſt, erit tibi inſtar veli quo te tegere debeas, ne alienis expoſita ſis, quam ſententiam amplectitur doctiſſ. interpres. Cajetanus etiam, ipſe maritus tuus, cùm talem eſſe omnibus innotuerit, erit tibi velamen oculorum, ne aliquis eorum qui tecum ſunt, vel etiam aliorum, te pro uxore concupiſcat, & ad ſe rapiat; prohibebuntur enim, cùm communi illo jure, quod ad uxorem alienam nemo debet accedere, tùm autoritate viri tanti, cujus conſideratio talis erit, ut nemo in te oculos ſit conjecturus, ut te ambiat.

Alludit autem ad morem illum, quod nuptæ velo obnubilabantur, unde apud Latinos *nubendi* verbum. Paulus etiam, 1. ad Corinth. 11. ỷ. 10. ait, velum quod capiti geſtat mulier, eſſe ſubjectionis ſymbolum. Ideò velavit ſe Rebeca cùm videret Iſaacum ſponſum, infrà c. 24. ỷ. 65. Hîc autem ſignum ponitur pro re ſignificata, nempè pro jure & autoritate mariti in uxorem, quæ autoritas & poteſtas mulierem nuptam, omnibus aliis ſubducit, ut lateat omnes præter maritum, quod jus conjugii ſpectat. Proinde judico hunc eſſe ſcopum Abimelechi, monere Saram ne deinceps diſſimularet ſe uxorem eſſe Abrahami, quia cùm pudicitiæ ejus cuſtodem Deus præfeciſſet, decuit illam latere ſub mariti velo, non autem ſe ſponte nudare, & ſe tanquam liberam gerere.

His poſitis, minor erit in ſequentibus difficultas. ונכחת *venokachath*. Pagninus, & *erudivit ſe*. Arias, & *ſe corripuit*, quod referretur ad Abimelechum, qui divina admonitione & caſtigatione, prudentior factus, corripuit ſe ipſum, ne deinceps tale quid imprudenr er aggrederetur. Alii tranſitivè accipiunt, & referunt ad Saram, quaſi talibus verbis eam corripuiſſet Abimelech; quò ſpectat Paraphraſis Latini interpretis, *memento te deprehenſam*. Malim intranſitivè in tertia perſona, & id ad Saram referre, quæ his omnibus quæ ipſi acciderant ob diſſimulationem conditionis, in poſterum velut caſtigata & correpta, eam amplius non uſurpaverit.

Duobus poſtremis verſibus quomodo proviſum fuerit Abimelecho, quem Deus percuſſerat plagâ, ſanatum nempè fuiſſe Deo exaudiente preces Abrahami. Quænam fuerit Dei viſitatio, indicat verſ. 18. quia *claudendo clauſerat Iehova ſuper omnem vulvam, domus Abimelech, propter Saram, &c.* Per quæ quis peccat, per hæc & plectitur. Quia alienam concupiverat uxorem, Deus omnium fœminarum in ædibus ejus matricem reddit ſterilem, ne legitimi etiam thori fruatur benedictione, qui ſuo non contentus, alienum, etſi imprudens, ambierat. Quale fuerit hoc malum, varii variè definiunt. Multi putant ad partus difficultatem id referri debere, quia poſt ſanationem additur, *& pepererunt*; quaſi anteà quidem tam uxor, quàm ancillæ uterum geſtaſſent, ſed circa terminum variis torminibus afflictis accidiſſet, quod Propheta alibi dicit, *Venerunt filii uſq; ad os matricis, & vis non eſt ad partum*. Eſai. 37. ỷ. 3. Sed hoc incommodum eſt in tali ſententia, quod eâ ſtante, gravidæ tantùm & parturientes plagâ iſtâ fuiſſent percuſſæ. At textus id non refert ad gravidas & prægnantes, ſed ad omnem vulvam domus Abimelech, quas omnes tunc temporis gravidas fuiſſe, vix credibile eſt. Quid, quod ipſe Abimelech inter eos ponitur, qui ſanati ſunt?

Alii igitur id referunt ad ſterilitatem, quod nempè prorſus infœcundæ fuerunt redditæ mulieres omnes, in ædibus Abimelech. Sed hinc oritur nova difficultas: Cùm enim non fuerit multorum dierum detentio Saræ, & probabile ſit ſtatim poſt ejus reſtitutionem, Abrahamum preces fudiſſe pro Abimelecho, imò tunc jam cùm juſſiſſet Deus Abimelechum, ut Patriarchæ precibus ſe commendaret, plagam illam fuiſſe domui ejus illatam, quæritur quomodo ſterilitas omnium mulierum tam exiguo tempore deprehendi potuerit? Hîc nolim recurrere ad *hyſteron proteron*, quaſi inverſa fuiſſet hiſtoriæ ſeries, & habitaſſet Abraham in Gerar, cùm ipſi promiſſus fuit Iſaac, quia certum eſt eum habitaſſe tabernaculum ſuum in convalle Mamre. Præſtaret, quod doctiſſ. interpres præmittit, judicium illud Dei modo incognito tum fuiſſe perceptum.

Refert doctiſſ. Mercerus, Ebræos putare in Bereſith rabba, omnia foramina tam virorum, quàm mulierum obſtructa fuiſſe, ut nullo modo ſuo munere fungi poſſent, ne os quidem ad cibum capiendum, nec alia ad excrementa purganda, ad quæ omnia extendunt

matricis nomen, imò ad bruta etiam animalia plagam veniſſe volunt, viros etiam fuiſſe percuſſos in ea parte qua viri ſunt; ita ut neque cum Sara, neque cum alia rem habere poſſet Abimelech. Poſtremum illud mihi probabiliſſimum videtur, reliqua ſunt ſuperflua, imò ridicula. Sed quia clauſæ vulvæ fit mentio, & ſanationis Abimelechi, exiſtimo plagâ fuiſſe affectam familiam tali, qua & viri & mulieres inhabiles eſſent ad concubitum, illudque fuiſſe omnibus manifeſtum. Hoc enim etiam faciebat ad conteſtandam Saræ pudicitiam, cujus conſervationis cauſſâ, Deus & regem & ejus domeſticos omnes cujuſvis ſexus tali plagâ percuſſerat. Nec eſt quod nos moveant hæc verba, *& pepererunt*, quibus ex effectu conſequente indicatur ſublatum fuiſſe prius impedimentum: quod ego exiſtimarem tale fuiſſe, quo impeditus fuerit in univerſum in tota illa familia, conjugatorum congreſſus. Nam cùm experientiâ compertum fuerit noſtris temporibus, Dei juſtâ permiſſione Dæmonibus poteſtatem fieri, ut ligamine conjuges ſæpè fraudent, ut ſe mutuo potiri non poſſint: cur non exiſtimemus Deum, quod Dæmon ex malitia facit, ex cauſſa juſta & legitima, & in ſanctum finem feciſſe? ut nempè ita proſpiceret pudicitiæ Saræ, & hoc incommodo communi cujus ipſi domeſtici erant participes, intactam fuiſſe redditam omnibus conſtaret. Itaq; non mihi videtur incommodum, ſi dicamus ita clauſas fuiſſe mulierum vulvas, ut muliebria loca obſerata fuerint, aut ita coarctata, ut ad concipiendum fuerint inhabiles; ſenſiſſe etiam viros in ea parte, quod ſentiunt qui ligamine detinentur. Id ſi ponamus, ſublata erit difficultas, quia intra exiguum temporis ſpatium, tale incommodum potuit innoteſcere utriſque, tam viris, quàm fœminis, cujus moleſtia Abimelechum etiam magis perpulit, ut quamprimùm ad Deum recurreret, per Abrahami preces: in quarum exauditione prompta, favor Dei erga ſuum ſervum illuxit, qui cum armata manu injuriam ejus ultus eſſet, imò præveniſſet, ipſo deprecante erga domum Abimelech placatus fuit; quod etiam teſtatum omnibus voluit, ut loci incolis commendatus eſſet Abraham. Hanc ſolam rationem reddit Chryſoſtomus, cur Deus Abimelechum, hominem aliàs innocentem, percutere voluerit? Nempè, ut redditâ regi ſanitate, propter Abrahami deprecationem, ex eo magis ſplendeſceret gratia & autoritas, qua valebat apud Deum. Sed anteà oſtendimus, Abimelechum non planè fuiſſe extra culpam. Putarem tamen afflictionem quam paſſus eſt, non tam fuiſſe pœnam peccati commiſſi, quàm frænum quoddam quo à Deo cohibitus fuit, ne cum Sara concumberet, quo etiam divina comminatio & admonitio efficacior eſſet ad perſuadendum ei, ut viro quamprimùm eam intactam reſtitueret. Quò videntur ſpectaſſe verba ℣.6. ſuprà; *Prohibui itaque ego, ne peccares mihi: idcircò non permiſi tibi ut tangeres eam.*

AD CAPVT XXI.

Exercitatio CII.

Summa capitis XXI. *Verba Saræ*, riſum mihi fecit Deus, &c. *in bonam partem eſſe interpretanda, contra Piſcatoris ſententiam.* Lactare liberos, *etiam de uno. Laudabilis mos ut id matres faciant. Quis finis convivii in ablactatione filii? Conviviorum uſus non rejiciendus, ſervatis ſervandis. Iſmaëlis irriſio qualis fuerit? Expenditur Saræ compellatio de ejicienda ancilla cum filio. Cur de jure hæreditatis fuerit ſollicita, quo tempore Abraham nulla poſſidebat immobilia? An Saræ poſtulatum fuerit iniquum? Negatur, & expenditur Abrahami hæſitatio. Prophetas non omnia noſſe, etiam prophetica. Diremptio litis à Deo facta inter Abrahamum & Saram. Quo ſenſu juſſus fuerit Abraham audire vocem Saræ in omnibus? Bellarmini ſophiſtica blaſphemia. Explicatur locus Apoſt. Rom.* IX. *verſ.* 7. *Promiſſiones in gratiam Iſmaëlis quales.*

Cap. XXI. narratur impletio promiſſionis divinæ de partu Saræ; nativitas nempè filii, nominis impoſitio, circumciſio juxta præſcriptum divinum die octavo, ablactatio; ſeparatio Iſmaëlis, poſt expoſitam ejus cauſam; genus vitæ quod elegit: & fœdus initum inter Abimelechum & Abrahamum. Facilioribus & obviis omiſſis, ea tantùm attingemus, in quibus interpretes variant, vel quæ aliàs vindice digna ſunt. Verba Saræ ſunt, ℣. 6. צחק *tſechok*, riſum fecit mihi Deus, omnis audiens, יצחק לי *jitſchak li*: Pagninus, *corridebit mihi.* Sic etiam vulgata editio. LXX. *συγχαρεῖταί μοι*, id eſt, *congaudebit mihi.* Tigurini, *Deus fecit mihi gaudium, ut omnis qui audierit, congratuletur mihi.* Sic Paraphraſtes Chaldæus. His omnibus Piſcator litem intendit, contenditque id non intelligendum de riſu Saræ gaudentis ob natum filium, ſed de irriſione aliorum, quia tam vetula peperiſſet; ut ſenſus ſit, Deus me propinavit deridendam, iis qui audient me peperiſſe. Confirmat ſententiam ſuam, quia nomen צחוק *tſechok*, apud Ezechiel. 23. ℣. 32. cum ſubſannatione conjungitur. 2. quia phraſis ſequens, יצחק לי *jtſchak-li*, ſignificat *deridebit me.*

Sed

Sed, cùm tam verbum צחק *tſachak*, quàm nomen צחק *tſechok*, ſint mediá, & in bonum vel malum accipi poſſint, agnoſcentibus in Ebraiſmo doctiſſimis, quod etiam in verbo ſuprà patuit, quo uſus eſt Moſes, cùm deſcripſit riſum Abrahami, Geneſ. 17. de nomine ab eodem verbo deducto negari non debeat, cùm etiamnum Arabes, teſte Schindlero, צחך *tſachak*, pro riſu, gaudio, & joco accipiant; argumentum ducendum non eſt ab eo quod alioqui ſignificare poſſunt, ſed pro ratione circumſtantiarum eligenda eſt ea ſignificatio, quæ rei maximè convenit. Abſurdum autem eſſet, ſi accepta tanta benedictione divina, conquereretur Sara, ſe factam fuiſſe à Deo ridiculam, metuiſſetque ne qui hoc audirent, eſſent ſubſannaturi. Senſus igitur eſt apertus. Riſerat Sara cùm id denunciavit Angelus, fore ut ipſa pareret, & tunc ita ridebat, ut derideret tanquam impoſſibile. Jam cùm videt impletum eſſe, quod impoſſibile putabat, dat gloriam Deo, q. d. feriò jam riſum, id eſt, ridendi & gaudendi materiam dedit mihi Deus; qui audient mirandum illud factum, mecum ridebunt aut gaudebunt. Sic Luc. 1. 58. poſtquàm Eliſabetha in ſenectute ſua peperiſſet, *audierunt vicini & cognati ejus, quod magnificè Dominus miſericordiâ uſus eſſet erga eam, & gratulabantur ei.* Rectè igitur ſenſum expreſſerunt veteres omnes & recentiores quos citavi interpretes. Notat etiam Rabbi Mardochai Nathan in concordantiis Ebraicis, tam verbum, quàm nomen ſumi in bonam vel malam partem. Non fuit igitur cauſa, cur Piſcator ob nominis ſignificationem, à communi & obvio ſenſu recederet.

Huc pertinet quod verſu 7. eandem Dei gratiam magnificè prædicat. מי מלל *mi milel*, ad verbum, *quis locutus fuiſſet?* Tremel. & Jun. *Quis dixiſſet Abrahamo?* Vulgata paraphraſticè, *Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium?* ſenſu non bene expreſſo; nec enim hæc cohærent, *quis auditurus crederet Abraham, &c.* relativum enim *quis* ad Abrahamum referri non debet. Subaudiendum igitur eſt aliquid, ut *dicenti*, vel *narranti*, &c. Perſpicuus eſt ſenſus, *quis dixiſſet*, quod vernaculè dicimus, *qui euſt dit?* ubi rem miramur accidiſſe, de qua vix aliquis anteà cogitaſſet, היניקה בנים שרה *heinikah banim ſarah*, lactare fecit, aut lactavit filios Sara? Ubi propter vocem pluralem filiorum, nugantur nonnulli in re ſeria, quidam tantâ lactis copiâ Saram abundaſſe, ut coacta fuerit etiam aliorum filiis mammas ſuas præbere ſugendas; alii, oblatos ei fuiſſe lactandos, ab iis qui non credebant eam verè peperiſſe, & partum ſuppoſititium eſſe ſuſpicabantur. Simpliciſſima ratio eſt, plurale pro ſingulari eſſe uſurpatum, quod etiam ſolemus, cùm indefinitè loquimur, *qu'elle allaictaſt des enfans*, quia quæ unum lactat, poteſt alios lactare. Notat A. Gellius, noct. Attic. lib. 2. cap. 13. *liberos* multitudinis numero, etiam unum filium filiamve, veteres dixiſſe, cujus rei exempla affert. Sic Ebræi בנים filios, pro uno filio. Hic non extra rem, agunt plerique de laudatiſſimo priſcorum more, quo ipſæ matres mammas liberis ſuis præbebant, de quo elegans legitur diſſertatio Phavorini Philoſophi apud A. Gellium, lib. 12. cap. 1.

Verſ. 8. dicitur Abraham in die ablactationis filii, *feciſſe magnum convivium*, cujus rei ratio quæritur. Veteres nonnulli id trahunt ad ſpiritualem ſignificationem; quia gaudii materia datur abundans, cùm ii quibus antè lacte opus erat, ſolidi cibi fiunt capaces; idque præſertim referunt ad ceremoniarum abrogationem, libertatem Chriſtianam, & perfectionem Evangelicæ doctrinæ. Quæ ſpeculationes, etſi nihil habeant incommodi, ad rem tamen non pertinent. Credibile eſt, Abrahamum in ea re ſequutum fuiſſe morem uſitatum, & probabile hanc invaluiſſe conſuetudinem, ut quo die infans primogenitus primò comedere per ſe inciperet, id etiam communi multorum convivantium lætitiâ celebraretur. Hunc morem poſteà invaluiſſe conſtat. Nam 1. Sam. cap. 1. Channah ſcribitur filium ſuum Samuelem, poſtquàm eum à lacte depuliſſet, cum juvencis tribus, & modio uno farinæ, atque utre vini, ad domum Jehovæ in Silo adduxiſſe; ex quo loco, & eo quem exponimus, conſtat, tempus ablactationis olim ſacrificiis conviviiſque fuiſſe celebratum. Id autem à fidelibus ſanctè fuiſſe uſurpatum par eſt credere, ut Deo gratias agerent cum amicis, quod infantes eorum eouſque eſſent deducti; & vota concipientes pro futuro, obtinerent eorundem progreſſus, illiſque etiam conciliarent communes amicos; & ſi quæ talia poſſint excogitari, quæ honeſtati & pietati Sanctorum conveniunt. Hodierno tempore, Judæi agitant magna convivia in die circumciſionis liberorum ſuorum: ad quæ etiam obtorto collo trahere conantur hoc Abrahami exemplum, ut refert Cl. Buxtorfius Synag. Judaic. cap. 2. Hæc enim verba, ביום הגמל *bejom higgamel eth jitſchak*, hoc eſt, *die illo quo ablactatus eſt Iſaac*, per caballiſticam interpretationem ita detorquent, ut in verbo *higgamel*, velint literas ה & ג nihil ſignificare, ſed eſſe tantùm numerales, & octonarium numerum denotare: vocabulum autem *mal*, Theutonicè ſignificare, *ille circumcidit*, & ſenſus ſit, fecit convivium magnum die octavo, cùm ille circumcidit filium ſuum, qui creſcebat & ablactabatur. Quàm hæc ſint audacia, & putida, non eſt opus pluribus demonſtrare.

Cùm autem hoc loco lautitias convivii non referat Moſes in malam partem, ſed loquatur de eo tanquàm de re licita, rectè colligitur non eſſe rem indignam ſanctis hominibus, amicos ad communem lætitiam invitare, honeſta agitare convivia, & unà ſolito hilarius epulari, dummodo eâ utentes copiâ, quæ in luxum non diffluat, Deo gratias ſimul agant, nec modum in cibo & potu excedant. Sic permittit Deus ut amici amicos aliquando lautius excipiant, ut in nuptiarum celebratione, & ſimilibus occaſionibus. Cavendum tamen eſt, ne exemplorum talium prætextu abuſus irre-

pat, nimium quàm frequens, quo tempore ad jejunium, fletum & planctum potiùs invitamur. Hîc Moſes celebrati convivii meminit, propter hiſtoriam ſequentem, quia tunc deprehenſa fuit Iſmaëlis malitia, qua fratri ſuo illudebat; etſi alii velint quæ poſteà narrantur, alio tempore accidiſſe, nec eſſe connectenda cum hiſtoria convivii iſtius. Tamen etſi probabile ſit ejuſmodi petulantiâ anteà uſum fuiſſe Iſmaëlem, cenſeo nihilominus cum doctiſſ. interprete & aliis, ludibria ejus in ſolemni illo conventu Saræ apparuiſſe, & ex eo tempore fuiſſe traducta.

Sed quæritur quid illud fuerit, quod fœminam ſanctiſſimam & mitiſſimi ingenii adeò irritavit, ut exegerit ab Abrahamo ejectionem matris & filii ex ædibus ſuis, non enim ſine gravi cauſa id factum fuiſſe meritò judicant omnes. Moſes verſ.9. ſimpliciter dicit, Saram vidiſſe *filium Hagaræ Ægyptiæ*, &c. *ludentem*; ubi contemptim appellatur *filius Hagaræ Ægyptiæ*, quo juſtior indicetur indignationis cauſa, cùm videret filium ſervæ illudere ſuo. Ebraicè eſt, מצחק *metſachek*, à radice de qua anteà diximus, quæ tam in malum, quàm in bonum accipitur. LXX interpretes addunt, *cum filio ſuo*, nempè ludentem. Sic etiam Vulgata. Ætatis magnam fuiſſe inæqualitatem conſtat, nam tum Iſmaël annum agebat decimum ſeptimum; proinde non exiſtimandum eſt quod nonnullis placuit, luſus pueriles inter eos fuiſſe inſtitutos, & de tali luſu hîc agi, quaſi diſplicuiſſet Saræ quod filius ancillæ cum ſuo luderet, ita ut paria faceret. Nimis jejunè & tenuiter de ea re judicant qui ita ſentiunt. Alii olim, præſertim inter Ebræos nimis atrociter, qui per luſum Iſmaëlis, vel idololatriam, vel libidinem, intellexerunt. Cùm in ſignificatione *irridendi* verbum accipi poſſit, non exiſtimo aliam eſſe quærendam rationem indignationis Saræ, quod nempè vidiſſet filium ancillæ deridentem vel irridentem, aut tum cùm celebraretur ablactatio Iſaaci, ut nobis videtur, aut etiam poſteà, quaſi eum præ ſe contemneret, cùm eſſet major natu, & fortaſſe primogenituræ jure gloriaretur.

Paulus cap.4. Epiſt. ad Galat. ℣.29. hanc ſubſannationem, appellat *perſecutionem*; unde conſtat malitioſam fuiſſe & ſarcaſticam irriſionem, qua ſuperbus adoleſcēs, fratrem infantem præ ſe contempſit. Itaq; recta erit interpretatio, ſi per *ludentem*, intelligamus, *illudentem*, *contemptim & malitioſè tractantem*. Irriſio autem non ſine ratione *perſecutio* dicitur; cum enim ex odio & contemptu proficiſcatur, homicidii ſpecies eſt. Matth.5. ℣.22. *Qui dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilii.* ubi per *Racha* intelliguntur omnia ſigna & geſtus, qui contemptum innuunt. Non malè ergò Chaldæus Paraphraſtes, *Vidit Sarah, filium Hagar, &c. deriſorem eſſe.* Inter Ebræos nonnulli ſentiunt, inter Iſmaëlem & Iſaacum altercationem ſubnatam fuiſſe de hæreditate, quiſnam ipſorum potior Abrahami futurus eſſet hæres: ibique Iſmaëlem confiſum prærogativâ primogenituræ, Iſaacum præ ſe contempſiſſe. Talem altercationem collegerunt ex verbis ſequentibus Saræ. Sed vix credibile eſt, ſi tunc Iſaacus fuit puer recens ablactatus, in talem altercationem incidiſſe. Probabilius multo eſt, quod anteà diximus de irriſione & contemptu, quem ferre non potuit Sara, & meritò.

Itaque ad Abrahamum accedens, verſ. 10. *Ejice*, inquit, *ancillam hanc & filium ejus*; *quia non hæreditabit filius ancillæ hujus*, *cum filio meo*, *cum Iſaac.* Hæc verba ſimpliciter conſiderata, poſſunt videri duriora, quàm tam modeſtam matronam decebat, cujus exemplum uxoribus proponitur, in eo quod Abrahamum, dominum ſuum appellabat. Jam verò videtur ſibi dominium velle uſurpare, & marito legē ponere, ut pro uxoris arbitrio domo ejiciat quoſcunq; voluerit, & de hæreditate diſponat. Et certè, niſi aliquid extraordinarium in toto hoc negotio nobis proponeretur, vix excuſari poſſet, adeò imperioſè videtur cum marito ſe gerere, ſi verba prout jacēt accipiantur, tanquam verba imperantis. Sed poſſunt eſſe verba petentis, etſi cum ſtomacho. Nec enim ſibi hoc uſurpat, ut aliquos ejiciat domo pro ſua autoritate, ſed id à marito poſtulat. Chryſoſtomus Saram *aliquid humanum* paſſam fuiſſe notat, *& ægrè tuliſſe parem filiorum honorem*, ait tamen, *non immeritò rem hanc egiſſe*, *ſed oppidò decenter, atque adeò decenter*, *ut & Deus laudarit ejus dicta.* Chryſoſtomum ſequutus eſt Calvinus; *Quanquam*, inquit, *non negamus*, *hîc Saram muliebri affectu percitam modum exceſſiſſe*, *non tamen dubitamus*, *tam arcano ſpiritus inſtinctu gubernatam fuiſſe ejus linguam & mentem, quàm providentiâ Dei totum illud negotium directum fuit. Et Paulus* (inquit) *hanc vocem*, *non tanquam futile convitium*, *quod irata mulier effutiverit*, *ſed tanquam cœleſte oraculum adducit.* Galat.4.℣.30. Ergò id ſtatuendum eſt, quod ex ſequentibus probatur, ſingularem fuiſſe inſtinctum & impulſum Dei, quo Sara incitata fuit ad id petendum.

Quod autem de hæreditate addit, cùm Abraham nullas poſſeſſiones tum haberet in terra, in qua tanquam peregrinus habitabat, quæri poteſt, quorſum Sara de jure hæreditatis fuerit ſollicita? Ad id reſpondemus. I. Etſi Abraham immobilia bona, quæ vocant, non habuerit, abundaſſe tamen mobilibus, & divitem fuiſſe, qui alebat domi multos ſervos & ancillas, qui gregum jumentorumque copiam poſſidebat, auro etiam, argento, & pretioſa ſuppellectile multiplici à Deo donatus erat, quorum ratione, ſi hæc temporalia tantùm ſpectaſſet, non immeritò Sara, quæ cum Abrahamo omnium iſtorum communis erat domina, curare potuit, ne à filio ſuo ad ancillæ filium tranſirent; potuitque eam ſollicitam reddere, quod tam Abraham, quàm ipſa, ſenes eſſent, Iſmaël adultior multò Iſaaco, qui domi manens, potuit totum ſollicitare famulitium, illudque ſibi conciliare. Sed gravior cura angebat ſanctam fœminam. Sciebat Abrahamum accepiſſe à Deo promiſſiones amplas,

non

non ſolum de terra Canaan poſteritati ſuæ tradenda, de prole numeroſa, ſed etiam de benedictione omnium familiarum terræ in ſemine ſuo. Noverat cum in quem jus primogenituræ devolveretur, promiſſionum omnium hæredem futurum, ne igitur in alium tantum bonum derivetur, vult præcavere, aut potius Deus per illam; qui quod decreverat vult exequi per ea media quæ etiam ab æterno diſpoſuerat.

At Saræ poſtulatum nimis durum fuiſſe, neque cauſam ſufficientem afferri videri poſſet. 1. Quia Iſmaelis, qui alioqui Abrahami mariti filius erat, aliter potuiſſet coërceri petulantia, cum præſertim in ea adhuc eſſet ætate quæ correctione poſſet emendari. 2. Etſi peccaſſet filius, non videtur propterea juſtum ut mater ejiciatur, quam tamen Sara in hac ſua petitione primo loco ponit. 3. Cum eſſet conjugium initum inter Abrahamum & Agaram, ex ipſius Saræ conſenſu, non videbatur æquũ, id matrimonii vinculum rumpere, quod ab ipſa fuerat procuratum. Accedit, 4. quod alia via potuit impediri, ne Iſmael, etiã in patris domo habitans, in paternam hæreditatem involaret; ſi nempe caveretur teſtamento, quemadmodum poſteà, inter Iſaacum & concubinarum filios convenit, ex patris diſpoſitione, ut ad Iſaacum devolveretur hæreditas, reliqui muneribus eſſent contenti. Hæc quidem & ſimilia non ſine probabilitatis ſpecie objici poſſunt, ſed quę, poſt oraculum divinum, nullius momenti eſſe debent. Qui Saram dirigebat, noverat Iſmaelis ingenium, & intereſſe familiæ Abrahami, ne diutius in ea figeret radices, qui difficulter poſteà potuiſſet evelli. Matris autem inclinatio ſatis nota erat, quæ jam anteà proterviæ ſuæ indicia dederat. Nec potuiſſet commodè filius ejici ſine matre, quæ ab eo non paſſa fuiſſet avelli; nec eſt improbabile, notum fuiſſe Saræ, Agaram petulantiæ filii cauſam dediſſe, eique addidiſſe animos, ut majora auderet. Ad conjugiũ quod ſpectat, alia ratio fuit cõcubinarum, alia matrum familias. Concubinæ itaque potuerunt ad tempus aſſumi, maximè cum eo nomine conveniſſet de eo inter Abrahamum & Sara tempore orbitatis ſuæ. Jam vero mutata cõditione, nulla injuria facta eſt præſertim mancipi, ſi libertate donata, deinceps cum filio novæ familiæ jaceret fundamenta. Nec propterea vinculum inter Abrahamum & Agaram fuit ſolutum, etſi quoad contubernium & convictum, alias ob cauſas, facta ſit ſeparatio. Denique, non potuit alia ratione tam commodè provideri, ne aliqua confuſio oriretur in familia ſancta, cum Deus conſtituiſſet, ex diſparibus fratribus, diſpares etiam admodum populos ſuſcitare. Itaque operæ pretium fuit ut maturè divellerentur, & unicuiq; ſua ſors aſſignaretur.

Hæc cum ita ſe habeant, mirum videri poſſet, cur Abrahamo viro ſancto & prudentiſſimo, in mentem non venerint; cur in re tam neceſſaria & talis momenti uxoris hortatione opus habuerit; imò quod in hac quæſtione præcipuum eſt, cur poſt uxoris tam ſeriam compellationem hæſitaverit non ſolùm, ſed etiam diſplicuerit ipſi quod moliebatur. Sic enim pergit Moſes, v. 11. וירע הדבר מאד *vajjera haddavar meodh*, & malũ fuit verbum valdè, in oculis Abraham על אודת בנו *al odhoth beno*, ſuper cauſas filii ſui, id eſt, *propter filium ſuum*. Certè præcedentia oracula, præſertim cap. 17. ℣. 19. expreſſe conſtituerant Iſaacum hæredem. *Vocabis nomen ejus Jitzchakum, ſtabiliamque fœdus meum cum eo, in fœdus perpetuum, & ſemini ejus poſt eum.* Id Abrahamum ignoraſſe, vel oblivioni tradidiſſe non eſt exiſtimandum; nec etiam dubitandum quin in Iſaacum benè fuerit affectus. Certum eſt nihilominus diſtractum fuiſſe ejus animum & velut ſciſſum in partes. Iſmaelem ſibi curæ fuiſſe anteà teſtatus fuerat, hoc emiſſo voto, *utinam Iſmael vivat coram te!* cap. 17. ℣. 20. Nec Deus affectum illum improbaverat, aut votum planè rejecerat. Jam ut prorſus illum abdicet, quem primum habuerat longæ orbitatis ſolatium, durum videtur, & res per ſe, videbatur inhumana & iniqua, uxorem & filium ejicere. De uxore tamen tacet Moſes, quam anteà poteſtati Sarę permiſerat, ſed *propter filium ſuum* angebatur. Nempe hic ſuos habet motus paterna στοργὴ, quæ detinet ſanctum virum, ne altius conſcendat, & conſilium divinum agnoſcat; dum exiſtimat utrique filio conſuli poſſe, utroque in ædibus paternis manente. Et fortaſſe utrobique tam in Abrahamo quam in Sara, naturalis affectus, & carnis fragilitas vim ſuam exeruit, dum hæc in filium tantùm, quem unicum habebat, intenta eſt; Ille autem, qui duorum parens erat, inter duos fluctuabat, aut partiri moliebatur, quod Deus uni deſtinaverat: Non tamen ideò putarem culpandos eſſe eorum affectus, qui naturales fuerunt, præſertim cum impetum Saræ Deus direxerit, Abrahamus autem monitus, captivos ilico duxerit ſuos affectus in Dei obſequium.

Quam itaque movet hic Auguſtinus quæſtionem, ex dictis facilè expediemus. Quærit, quomodo Abraham, cum eſſet Propheta, non intellexerit petitionem Saræ de ejiciendo Iſmaele, eſſe prophetiam; imò cur adeo conturbatus fuerit hac poſtulatione, cum tamen myſterium illud totũ magis intelligere debuiſſet quam Sara? Reſpondet, intelligendum eſſe vel per revelationem aliquam extraordinariam id Saram dixiſſe, Abrahamum autem de eo non cogitaſſe, cum affectu paterno pro filio commotus eſſet; vel dicendum, neutrum id primò intellexiſſe, ſed Saram neſcientem, quod Deus inſtituerat procuraſſe, cum muliebri animo commota eſſet propter ancillæ ſuperbiam. Id etiam prætereà animadvertendum, non ſemper Prophetis præſto fuiſſe ſpiritum prophetiæ, quotieſcumque illi vellent, vel ut ipſi prophetarent, vel ut aliorum dicta ad prophetiam pertinere cognoſcerent. Addimus etiam id, Abrahamum non exiſtimaſſe, præjudicare promiſſionibus in Iſaaco factis, ſi domi maneret cum matre ſua Iſmael;

utrumque potuiſſe in eadem familia vivere ſine præjudicio juris cujuſque ; quæ certè cogitatio in ſe priuſquam Deus expreſsè revelaſſet quid factu eſſet opus, culpari non poteſt. Id autem à Deo fuit ita diſpenſatum ſingulari providentia, ne quod poſteà factum eſt, ab Iſaaco vel poſteris ejus tribueretur carnis prærogativæ. Nam cum Abrahamus adeo ægrè conſenſerit in exciſionem Iſmaelis, ſatis conſtat, gratię illius cujus cum poſteris particeps factus eſt Iſaacus, diſpenſationem, debitam fuiſſe ſolius Dei arbitrio, non teſtamento patris, proinde non carni & ſanguini, ſed divinæ ordinationi. Quam cum intellexiſſet Abraham, ſtatim acquievit, ut poſteà videbimus. Unde reddi poteſt ratio, cur adeo graviter perturbatus fuerit Abrahamus, cum de ejectione Iſmaelis primum ageretur, qui proximo capite deſcribetur nobis tam animoſus, ubi de immolando Iſaaco erit quæſtio. Nempe, quia hic tantum audit vocem uxoris; ibi autem auditurus eſt mandatum Domini. Nata autem eſt ipſius perturbatio, partim ex eo quod cõſilium divinum ſaltem in particulari, nondum ipſi innotuiſſet; partim ex eo quod rei ipſius indignitas apparens, eum ab omni alia cogitatione averteret. Ferrei non fuerunt ſancti illi viri, nec affectibus deſtituti, quorum nomine non ſunt reprehendendi, maximè cum tandem videamus eos de affectibus omnibus, ubi Deum loquentem audiunt, victoriam reportare.

Id patebit ex ſequentibus, in quibus, ut Chryſoſtomi verbis utar, *conſideranda eſt clementis Dei mira condeſcenſio. Nam quia vidit & Saram pati aliquid humanum, & ægrè ferre parem filiorum honorem: idque merito: Abraham autem non ferre æquo animo ejectionem Iſmaelis & ancillæ (nam licet non obluctaretur Saræ ob ſingularem manſuetudinem, attamen durum ei videbatur, hoc eſt, grave, moleſtum & oneroſum) tunc ſuam ſolitam ſervans miſericordiam, & concordiæ illorum copulam conſtringens, dicit ad Abraham*, verſ.12. *Ne durum ſit coram te verbum hoc, &c.* Addit, *omne quod dicet tibi Sara, audi vocem ejus.* כי ביצחק יקרא לך זרע, ki bejitſchak jikkare leca zera. *quia in Iſaaco vocabitur tibi ſemen.* Dixerat antea, verbum Saræ, *malum fuiſſe in oculis Abrahæ*, id eſt, ingratum hoc ipſi fuiſſe, vel diſplicuiſſe. Deus nunc utitur eadem phraſi, ne *malum ſit in oculis tuis*, id eſt, non diſpliceat tibi: &, ut benè vulgata, *Non tibi videatur aſperum.* Intervenit itaque Dominus tanquam litis diremptor, inter ſanctiſſimos conjuges ortæ, & eam rationem init, qua non ſolum utrique ſatisfit, ſed etiam myſterium, quod non ita, ſaltem in ſpeciali, propalatum erat, in aperto ponitur.

Deus itaque Abrahamum monet, ut *acquieſcat voci uxoris ſuæ*, cujus ſui moniti rationem addit, quæ ſuperiorem promiſſionem repetit, & explicat; Deinde, adhibet etiam conſolationem, dum ea quæ anteà promiſerat de Iſmaele, confirmat. Mandatum de audienda Sara *in omnibus* quæ dictura erat, etſi videatur univerſalibus vocibus conceptum, neque tamen eſt abſolutum, nec univerſale. Noluit enim Deus his verbis, maritum uxori ſubjicere, ut ab ejus voluntate & ore penderet, quod fuiſſet adverſus ipſam Dei inſtitutionem. Nec potuiſſet Petrus 1.3.ỷ.5. hortari Chriſtianas mulieres, ut ſubjectæ eſſent ſuis viris, *ſicut Sara* ὑπήκουσε *obedivit Abrahæ*, ſi ſpeciali privilegio ſupra maritum fuiſſet evecta. Non fuit itaque imperata Abrahamo acquieſcentia aut exauditio *ſubjectionis*, ſed tantum auditio *petitionis*, & *conſilii* quod à Deo occultè proficiſcebatur, executio. Sic etiam ipſe Dominus ſuos audit, imo, *voluntatem timentium ſe facit.* Pſal.45.ỷ.19. non tamen eis ſubjicitur. Proinde, ut id obiter notem, deteſtanda eſt Bellarmini Sophiſtica, qui cum negare non poſſet Pontificios in publicis ſuis ritualibus libris eo uſque proceſſiſſe, ut adhuc ſubjicerent Dominum Servatorem noſtrum in ſtatu gloriæ, beatæ matri ſuæ, dum eam ſic invocabant; *ô fœlix puerpera, noſtra pians ſcelera, jure matris impera Redemptori.* Reſpondit non eſſe abſurdum, ſi beata virgo dicatur *imperare filio*, quando ſcriptura *Deum obedire voci hominis* non veretur profiteri. Nempe quia ſic loquuta eſt vulgata verſio. Joſue cap.10.ỷ.14. *Non fuit antea nec poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* En obedientiam Dei, debuit ergo præcedere hominis imperium, ex natura relatorum. Quis non miretur hominis acumen? Ergo quoties Deus exaudit preces noſtras, mandatis noſtris obtemperat. Itane vero legem imponet nobis interpretis ἀκυρολογίᾳ, ut quicquid poteſt ex ſimplici vocis ſignificato deduci, nulla antecedentium aut conſequentium habita ratione, eruamus, nec conſideratis perſonis, in rigida ſignificatione ſumamus verba quibus abuſus eſt? *Obedire* tamen ibi, in ea ſignificatione poteſt accipi, quæ tranſitiva ſit, ut Deus *obedire* dicatur, id eſt, facere ut obediant creaturæ voci hominis. Id eſt, effectivè obedire, non ſubjici. Aliud enim eſt condeſcendere, aliud ſe ſubmittere. Illud Deus facit, hoc nunquam. Neque aliud voluit Abrahamo imperare, cum id ſemper maneat, virum eſſe caput uxoris. Epheſ.4.

Diximus etiam mandatum hoc Dei non fuiſſe univerſale. Proinde particula univerſalis, pro ſubjecti ratione eſt intelligenda. Itaque illud. *Quicquid dixerit tibi Sara*, per id quod ſequitur explicandum eſt, *quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Sic arctabitur acquieſcentia, ad ſubjectum illud de quo agebatur, ad cauſam nempe *Ancillæ & filii ſui*, in qua Deus volebat Saram audiri, quia quod ſuadebat, viam præparabat executioni decreti divini; quod paucis verbis iteratur, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Quæ verba expendit Apoſtolus, Rom.9. ỷ.7. ut oſtendat, non omnes eſſe Abrahæ filios, qui ſemen ſunt Abrahæ ſecundùm carnem, *ſed cenſeri in ſemine, qui ſunt filii promiſſionis.* Senſus directus is eſt, Nepotes tui dicentur, & nomine tuo cenſebuntur

buntur qui ex Iſaac naſcentur; non autem qui ex Iſmaele. Eventus id docuit, quia Aguræ & Ceturæ progenies nomine Abrahæ non eſt cenſita, ſed Iſaaci tantùm, idque per Jacobum filium, qui factus eſt hæres promiſſionis. Id autem diſcrimen natura non fecit, cum uterque eſſet filius Abrahami, ſed divina voluntas, cui ita libuit diſtinguere inter duos fratres.

Applicatio Apoſtoli altius evehit cogitationem noſtram, quàm ut hæreamus in privilegio appellationis & temporalium bonorum quæ à parente ad Iſaacum filium devoluta ſunt. Ergo *ſeminis* nomine, intelligimus etiam benedictum illud ſemen, quod Deus erat ſuſcitaturus in ſalutem omnium gentium, quod in Iſaaco & per Iſaacum dici debuit *ſemen Abrahæ*, non in Iſmaele & per Iſmaelem: quaſi diceret Deus, in Iſaaco implebo promiſſionem meam de ſemine benedicto; proinde, is eſt ex filiis tuis quem debes conſtituere hæredem, & domi tuæ ſervare; non Iſmael, quem promiſſio illa non reſpicit. Et hanc quidem promiſſionem includi huic oraculo non dubito, cum ſit omnium promiſſionum divinarum quæ ſalutem hominum ſpectant, fundamentum & ſupplementum.

Sed quia Apoſtolus, per *ſemen*, in numero plurali, filios Abrahami intellexit, & hunc textum applicavit electioni divinæ, in qua Deus non reſpicit privilegia carnis, ſed agit ex beneplacito voluntatis ſuæ; non dubitandum eſt quin ſit propria interpretatio, ex qua Apoſtolus ratiocinatus eſt ut myſterium illud aperiret. Itaque referri tandem id debere ad ſemen ſpirituale, & filios promiſſionis, qui hæredes regni cœleſtis futuri ſunt, poſtquam Abrahamo inſiti fuerint per fidem, in Abrahami filio, ſemine benedicto. Sit itaque prima & literalis interpretatio quam ſupra attulimus; Iſmaelitæ non cenſebuntur filii tui, qui citra ſpecialem promiſſionem, naturaliter ex te procedent; ſed in Iſaac qui datus tibi eſt ex promiſſione, & ſupra naturæ facultatem, filios habebis qui nomine tuo cenſebuntur. Hinc Apoſtolus ratiocinatur, non ſolùm ab exemplo, quod tamen in rebus divinis non mediocris eſt momenti; non ſolùm à typi ratione, cum tamen certum ſit domum Abrahami, per illud tempus fuiſſe typum Eccleſiæ; non ſolùm analogia ſumpta à parte ad totum, quæ tamen in hoc argumento negligi non debet; ſed maximè à conſtantiſſima Dei natura, cujus una eſt ſemperque ſibi conſtans erga Eccleſiam voluntas, unaque ratio, qua ex hominibus ſibi facit filios. Quemadmodum igitur in familia Abrahami, per electionem ſuam diſcrevit fratres, ut unus eſſet hæres, alter excluderetur domo, quamvis ipſe Abraham aliter ſtatuiſſet; ſic etiam per electionem ſuam æternam, diſcrevit filios promiſſionis, quibus fidem dare voluit, ut in ſemine Abrahami cenſerentur; ab iis qui carnis prærogativâ turgentes, non ſunt Iſraëlitæ ſecundum ſpiritum. Quo prætereà exemplo efficaciter docuit, contra præſumptionem Judæorum, in ipſa etiam Iſraëlis familia diſcretionem eſſe ratione ſpiritualis hæreditatis, nec omnes eſſe filios, qui erant filii carnis; ne id videretur abſurdum, quod Apoſtolus contendebat, multos Judæorum, imò maximam tum partem excluſam fuiſſe à fœdere promiſſionis. Hoc enim ut amoliretur, exempla attulit filiorum Abrahami & Iſaaci, diſpariſque eorum conditionis, quam natura non fecit, ſed diſpoſitio divina adminiſtravit. Hoc igitur fuit argumentum, quo Deus voluit Abrahamo oſtendere propoſitionem Saræ, quæ adeo dura videbatur, decreto ſuo eſſe conformem. Propterea deinceps non eſſe cur Abraham hæſitaret, cum non amplius dubitare poſſet de rei æquitate: quæ etiam ad familiæ ipſius non ſolum externam pacem, ſed ſpirituale & perpetuum bonum, conducebat.

Et hæc eſt prima pars oraculi, quod probabiliſſimum eſt, datum fuiſſe precibus Abrahami. Cùm enim ſe conſtringi ſentiret ab una parte, uxoris cōpellatione: ab altera naturali quodam affectu erga filium, non dubitandum eſt, & id pietati ejus valdè cōſentaneum fuit, quin in hac anguſtia interrogaverit Dominum, ne quid in negotio tanti momenti aggrederetur ex ſe ipſo, non prius conſulto directore ſuo, qui ei etiam non defuit, nec paſſus eſt ut diu torqueretur ambiguo conſilio.

Addidit præterea pro ſumma ſua benignitate lenimen, quo mitigaret & molliret duræ illius neceſſitatis, de ejiciendo Iſmaele, aſperitatem; eique animum adderet, ut incunctanter exequeretur, non amplius petitionem Saræ, ſed mandatum divinum, quo petitioni uxoris addita erat autoritas præcipientis Dei. Voluit ergo Deus, ut curam & ſollicitudinem de Iſmaele deponeret, eumque divinæ providentiæ commendatum ablegaret: non ea tantùm fide fretus, quæ generali nititur cognitione gubernationis illius, qua Deus, etiam animalibus rationis expertibus, providet de neceſſariis omnibus: ſed ſpeciali promiſſione, quam ſupra cap. 16. ỳ.10. & cap.17.ỳ.20. acceperat, cujus hæc eſt repetitio, *quin etiam filium ancillæ in gentem ponam, quia ſemen tuum eſt.* לגוי אשימנו *legoj aſimennu*: in gentem ponam eum, id eſt, faciam ut gens vel natio ab eo oriatur. Promittit ergo etiam Iſmaeli numeroſam prolem, ſed quæ gentem conſtituat aliam, extra Abrahami familiam; & alienam à pactis promiſſionis. Non quod inde ſequatur omnes Iſmaelitas reprobos fuiſſe, & à populo Dei abſolutè excluſos; ſed id tantùm, quod ſi nonnulli eorum ad Eccleſiam pertinuerint, non ideo factum eſt quia originem ducebant ab Abrahamo per Iſmaelem; ſed ſpeciali Dei miſericordia, de qua jam non agitur. Id tantùm, quod ex duobus filiis Abrahami, unus erat pater futurus ſeminis ſancti, & populi apud quem Deus decreverat inſtituere cultum nominis ſui, eumque fœderis prærogativâ donare: Alter vero parens etiam deſtinatus erat populi magni, & duces ex

ſua fa-

ſua familia habiturus, ſed qui inter alios populos recenſeretur, alienos à reſpublica Iſraëlis; Ille promiſſionum ſpiritualium fructum poſſeſſurus; hic vero ſola temporali benedictione donandus in poſteritate ſua; idque etiam imputandum fore Dei benignitati erga Abrahamum, quam in ancillæ filio eo uſque voluit exerere, hoc tamen nomine, quod Abrahamo prognatus eſſet. Atque ita unus conſtitutus eſt ſpiritualis populi pater; alteri tantum datum eſt carnale ſemen.

Exercitatio CIII.

Obedientia Abrahami. An Iſmael Agaræ humeris fuerit impoſitus? Cur Abraham eos dimiſerit cum tam exiguo commeatu. Non omnem eorum abjeciſſe curam. Deſertum Beer-ſabah, *ſic dictum per prolepſin.* Finis *afflictionis Agaræ & filii. Quomodo matri Deus* aperuerit oculos? *Genus vitæ Iſmaelis. Ars jaculandi per ſe non improbanda. Limites Deſerti Pharan. Parentum conſenſus in conjugio liberorum neceſſarius. Redarguitur ſcriptorum Pontificiorum dogma, & Tridentinum ſuper ea re decretum. Allegoria Hiſtoriæ de Agara & Sara, ex cap.* IV. *ad Galat. Explicatur locus. Allegoriæ nomen generale. Origenis allegoriſandi cacoëthes. An proprium typum hic agnoverit Apoſtolus, vel accommodatum tantùm?* Teſtamenti *nomen quo ſenſu uſurpetur? Verbum* eſt, *pro* ſignificat. *Duplex legis ſervitus, fusè explicatur: Saracenorum nomen unde? Ieruſalem* ſublimis, *quæ?*

In ſequentibus, obedientia Abrahami erga Dei mandatum deſcribitur, in quam appoſitiſſimè præfatur Chryſoſtomus his verbis, *Vide hic iterum juſti probitatem eximiam, & qua ratione in omnibus religioſam ſuam mentem declaret; nam quando audivit Saram dicentem, ejice ancillam & filium ejus, durum ei videbatur, eo quod benè afficiebatur erga Iſmaelem: Verum ubi Dominus præcepit, ſtatim fecit quod imperatum eſt, etiam naturalis amoris oblitus, quaſi diceret, ubi quid præcipit Dominus; faceſſant omnes affectiones, quia naturæ Dominus eſt qui præcepit.* Hæc ille. Quid igitur fecit Abraham? וישכם בבקר *vajaſchkem babboker*, ad verbum, *& manicavit in diluculo*, ubi promptitudo obedientiæ notatur. Supponendum eſt enim monitum fuiſſe à Deo, ut anteà, in viſione nocturna; Idcirco expectavit donec illuceſceret dies; & confeſtim prima luce, ancillam & filium dimittit. Quomodo autem ſic paucis explicat Moſes reliquo ỳ.14. ad verbum, *& tulit* Abraham nempe, *panem, & utrem aquæ, & dedit ad Hagar, & poſuit ſuper humerum ejus, & puerum, & dimiſit eam.* In quibus verbis id primum occurrit dubium, an id quod dicitur, *poſuit ſuper humerum ejus*, referatur tam ad puerum, quam ad panem & aquam. Videtur enim textus id innuere, & in ipſo fonte eſt aliqua ambiguitas, ex qua Judæorum interpretes multa commenti ſunt. Cum enim viderent, ætatem Iſmaelis talem tum fuiſſe, quæ non permitteret matris humeris imponi, qui tum matrem proceritate corporis æquare potuit, commenti ſunt, morbo aliquo fuiſſe debilitatum & languore percuſſum, quia eum Sara, torvis oculis reſpexiſſet; ideo neceſſarium fuiſſe ut à matre bajularetur. Alii, etiam inter recentiores interpretes, ad figuratam interpretationem confugerunt; idque retulerunt ad curam de Iſmaele, Hagaræ ab Abrahamo commiſſam, quia phraſis habetur apud Eſaiam cap. 9. *factus eſt principatus ſuper humerum ejus*; & cap.22. *dabit clavem domus ſuper humerum ejus.* qua locutione ſignificatur alicujus fidei, providentiæ & curæ committi id, quod dicitur humeris ejus imponi. Hanc rationem approbat Cajetanus, nec eſſet aſpernanda, ſi diceretur Iſmaël impoſitus humeris Hagaræ matris, ſine ullius alteriùs rei adjunctione, de qua id propriè eſſet intelligendum. Sed cum de pane, & aquæ utre, id primum dicatur, & id neceſſariò propriè intelligi debeat, aut fatendum eſſet Iſmaelem fuiſſe propriè impoſitum humeris ejus cum pane & aqua; aut ſi id parum ſit conveniens, negandum eſt referri debere ad Iſmaelem, quod de onere humeris impoſito dicitur. Itaque aliter reſolvendum eſſe textum Ebræum, ut copula illa *& puerum*, non referatur ad proximum verbum, *poſuit ſuper humerum ejus*, ſed ad verbum *dedit*, quod repeti debeat ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, hoc modo, *tulit panem & utrem aquæ & dedit ad Hagar, & poſuit ſuper humerum ejus, & dedit puerum, & dimiſit eam.* Id vulgata commodè ſic expreſſit, *tollens panem & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum.* Sic etiam Hieronymus & Auguſtinus, ille in traditionibus Ebraicis, hic vero quæſt. in Geneſ. 56. verba illa *& puerum*, referunt ad antecedens verbum *dedit*, non ad proximum *poſuit*, &c.

Hic non immerito inquirunt omnes interpretes, quæ ratio fuerit, cur Abraham homo prædives, anteà de ſuo Iſmaele tam ſollicitus, eum jam dimittat cum tam exiguo commeatu: Hagaram præterea, quæ ipſi fuerat uxor, oneret pane & aqua, nec eis unum & alterum ſervum, & ancillas aliquot det comites; ne aſellum quidem concedit ad ſarcinas bajulandas: credibile eſt enim nomine panis & aquæ, ſubintelligi etiam alia ad victum pertinentia, quorum tamen quantitatem non

non fuiſſe magnam ex eo patet, quod unius mulierculæ, ejuſque haud dubio affliƈtiſſimæ, dorſo imponi potuerunt? Certè mirum videri poteſt, virum in hoſpites & exteros tam benignum & liberalem; in uxorem ſuam & filium, adeo parcum fuiſſe, & reſtriƈtum. Ut neceſſarium ſit, extraordinariam aliquam fuiſſe cauſſam, cur id fecerit. Cajetanus planè negat ita faƈtum fuiſſe, imo nefas eſſe exiſtimat, id de Abrahamo credere. Non dubitat igitur aſſerere, Abrahamum abundè ipſis de omnibus providiſſe, ſimulque miſiſſe ſervos & ancillas cum jumentis, & commeatu omni neceſſario novæ familiæ condendæ & ſuſtentandæ.

Quæ omnia panis & aquæ nomine voluit ſignificata fuiſſe; Impoſita autem fuiſſe humeris Hagaræ, id eſt, ipſius curæ & poteſtati commiſſa. Sed quæ poſteà ſequuntur, ſatis indicant, Hagaram cum filio ſolam fuiſſe, & cum hiſtorica ſit narratio, non opus eſt ad figuratam loquendi rationem recurrere. Aquam propriè eſſe accipiendam, non Synecdochicè ſatis indicat, quod *utrem aquæ*, ſic propriè diƈtæ, ſecum habuerit ad deſertum uſque, ex qua potabat filium ſuum, donec defeciſſet. De pane igitur idem dicendum eſt, eam portionem fuiſſe datam, quam ſecum potuit Hagar bajulare. Huic difficultati ut reſpondeant, variam inſiſtunt viam interpretes.

Quidam dicunt, Abrahamum in eo etiam prout ipſi à Deo mandatum erat, voluiſſe morem gerere Saræ, exiguum itaque datum ipſis fuiſſe viaticum, quia cum indignatione matrisfamilias ejiciebantur, quaſi id illa procuraſſet; quod tamen vindiƈtæ genus, tam ſanƈtâ matronâ indignum judicamus; Sufficiebat enim ei, quod Deus ſecundum illam judicaverat, effeceratque mandato ſuo, ne amplius ei eſſent moleſti domi mater & filius, quos etiam abeuntes bonis verbis dimiſiſſe potius credibile eſt, nec voluiſſe ut fame perirent. Alii igitur melius cenſent, id referri debere ad promptitudinem obedientiæ Abrahami, qui quamprimum voluit eos ſubducere ſuis & uxoris oculis, nec moras neƈtere in parandis omnibus ad migrationem neceſſariis. *Etſi* (inquit Theodoretus) *Abraham valdè diligeret Iſmaelem, promptè tamen & alacriter fecit quod Deus præceperat, adeoque divinis de Iſmaele promiſſis credidit, ut non datis illi ſervis vel ancillis, non auro & argento, ſed cum ſola matre, pauciſque panibus, & utre aquæ, domo amandaverit. Nimirum certus erat, haud dubiè præſtaturum Deum, quod de puero promiſerat, facturum ſe eum in gentem magnam.* Id etiam nos extra controverſiam ponimus. Sed tamen non exiſtimamus, ſanƈtũ virum eorum abjeciſſe curam, eoſque cum exiguo hoc commeatu dimiſiſſe, nunquam poſteà videndos, vel nullis aliis ad hanc vitam in poſterum neceſſariis donandos. Id igitur probabiliſſimum exiſtimamus, Abrahamum dimiſiſſe Hagaram, juſſiſſeque ut exiguo paucorum dierum cõmeatu contenta, abiret in locum quem probabile eſt ipſi deſignaſſe; & promiſiſſe, ſe poſteà curaturum, ne reliqua neceſſaria deficerent. Ideoque tam pauca initio dedit, ut in propinquo ſubſiſterent. Et certè deſertum Pharan, in quo habitavit Iſmael, non longè fuit remotum à Gerare & Berſabea, ubi Abrahamus commorabatur. Id ergo charitas Abrahami jubet ut credamus, eum poſteà omnia miſiſſe ad viƈtum & veſtitum neceſſaria, ad eum locum quem ipſis conſtituerat: non enim ſuſpicandum eſt de tali viro, miſiſſe eos oberrantes, ut fame perirent, omni cura & ſollicitudine de ipſis depoſita. Nec tali curæ obſtat fiducia promiſſionum divinarum; quia etſi Deus velit ut ab ipſo pendeamus, non tamen ideò probat, ut in nobis aut noſtris conſervandis ſegnes ſimus, ſub eo prætextu. Pertinet enim cura noſtra ad providentiæ divinæ media. Planè autem non fuiſſe abjeƈtum Iſmaelem, ex eo conſtat, quod, ut ſuo loco dicetur, interfuerit funeri patris, & inter filios concubinarum ponitur, quibus data fuerunt munera. Sed probabile eſt, Hagaram locorum ignaram, aberraſſe à via, ideoque ipſi accidiſſe, quod poſteà narratur de extrema illa neceſſitate quam paſſa eſt in perſona filii, quæ omnia tamen ad providentiæ divinæ diſpenſationem referenda eſſe, poſteà videbimus.

Abiit igitur illa, *& erravit in deſerto Beer-ſabah.* Sic vocatur deſertum hoc per prolepſin, nomen enim puteo inditum poſteà fuit, occaſione fœderis initi inter Abimelechum & Abrahamum. Fuit poſteà Beerſebah unus ex limitibus terræ Iſraël ad Auſtrum. Quid ipſi acciderit in deſerto erranti recitat Moſes ℣.15. & 16. Aquam nempe ex utre defeciſſe, in loco torrido & ſiticuloſo; Iſmaelem puerum graviſſima ſiti confeƈtum, penè defeciſſe, quo ſub arbore conjeƈto, miſera mater ſe ſubduxit, ne conſpiceret filium agentem animam; & in lacrymas effuſa eſt. fuit miſeranda conditio eorũ, qui nuper in opulenta domo honeſtè habiti, omnibus abundantes, ſentiebant adeò mutatam ſortem, ut fermè ſine medio, ab uno veluti extremo, ad aliud extremum deveniſſent. Quod dicitur, Hagaram projeciſſe filium ſubter unã ex arboribus, nõ ita eſt intelligendum, quaſi eum humeris ante geſtaſſet, quod abſurdum eſſe oſtendimus; ſed quia paulo ante ſiti enecabatur, languentem fortè gremio exceperat, cumque videret ablatam ſibi ſpem ſuccurrendi filio, projecit eum ſubter arborem, ut umbra ejus tegeretur. Generale nomen arboris, LXX per *abietem* interpretantur; Ebræi potius *juniperum* eſſe putarunt, quia in locis deſertis creſcit. Sed vaticinari in re non neceſſaria temerarium eſt, & ſuperfluum. Præcipuum quod hic conſiderandum, eſt divinæ providentiæ & diſpenſationis ordo; hanc enim Deus occaſionem diſpoſuit, tum ut elatum ancillæ animum deprimeret, & filii impetum coërceret, hac immiſſa caſtigatione, tum ut eadem affliƈtione eorum animum præpararet ad divinũ auxilium, quod ipſis præparabat, agnoſcendum; eoſque deinceps ita ſolitarios reliƈtos muniret contra tentationem omnimodæ abjeƈtionis,

 poſtquàm

poſtquàm ſenſiſſent Deum ſibi in extremis conſtitutis, oportunè adfuiſſe. Sed id omne referendum ad favorem Dei erga Abrahamum, cujus Iſmael ſemen erat; ut anteà dictum fuit.

Pergit ergo Moſes ℣.17. aitque, Deum pueri vocem audiviſſe, clamantis, nempe in hac anguſtia; quam Deus qui immiſerat, ſatis noverat, etiamſi non clamaſſet. Qualis clamor fuerit non dicit Scriptura, an ſimplex ejulatus ex ſenſu mali præſentis, an cum precibus ad Deum conjunctus. Cum enim talis patris eſſet filius, & in ea ætate, non dubium eſt quin imbutus fuerit ſancta diſciplina & edoctus Deum orare in ſenſu neceſſitatis ſuæ. Id eum feciſſe tum ab omnibus deſtitutum, ab ipſa matre derelictum, non improbabile judico. Cum autem & mater, ſublata voce fleverit, ſolius tamen filii vocem audiviſſe Deus dicitur, quia tum ipſius res agebatur, qui maximè periclitabatur. Quicquid ſit, ſive fide oraverint, ſive querelas emiſerint & impatientiæ clamores; Deus ſe promiſſionis ſuæ memorem oſtendit.

Nam Angeli miniſterio, quem de cœlo miſit, Hagaram inclamavit, eique nō ſolum indicavit unde aquam hauriret, ſed præterea confirmavit ei promiſſionem jam Abrahæ factam de propagatione gentis Iſmaeliticæ, ℣. 17. 18. & 19. Primum igitur Angelus monet eam, ne animum deſpondeat, quia præſto erat auxiliū: ne autem dubitaret unde expectandū eſſet, dicit Deum audiviſſe vocem pueri, etiam in loco in quo jacebat ab omnibus deſertus, ne ipſa etiam detrectaret redire ad filium, quem defeciſſe metuebat. Jubet ut puerum tollat, & manu prehendat, quia ſtatuerat eum ponere in gentem magnam. Tandem aperit ei oculos, ut videat fontem aquæ, anteà ipſi incognitum. Nam apertio oculorum non opponitur cæcitati, ſed inadvertentiæ, quia tum illa velut deſperabunda & collachrymans doloreque attonita, quod ante oculos erat, ſaltem non longè remotum, non videbat. Sic reſtitutæ fuerunt puero vires, & utrique additus animus.

Verſibus duobus ſequentibus, 20. & 21. narratur, quodnam vitæ genus iniverit Iſmael, ubi habitaverit, & quā uxorem duxerit. Præmittit autem Moſes hoc tanquam fundamentum naſcentis familiæ, quod *Deus fuit cum puero.* Qui loquendi modus, auxilium & protectionem divinam ſignificat. Cum autem Deus homines variè curet, & diverſas ipſis impertiat benedictiones, pro earum qualitate de divina aſſiſtentia judicandum. Cum iis precipuè dicitur eſſe quos ſpiritu ſuo regit, & ejus gratia gubernat. Adeſſe etiam dicitur iis quos externis benedictionibus dignatur; nam etiam quod adoleſcunt homines, quod hac fruuntur luce, quod eis terra ſuppeditat alimenta, id efficaci Dei præſentiæ tribuendum. An primi generis benedictionibus Iſmaelem Deus proſecutus fuerit, in medio relinquimus. Videtur tamen defeciſſe à parentis pietate. De ſecundi generis largitionibus non dubitandum, ad quas etiam referenda omnia quæ hic explicantur, de vitæ genere quod amplexus eſt, de habitatione, & conjugio, ac conjugium poſteà conſequutis.

Genus vitæ militare fuit, aut venatorium, fuit enim ſagittarius; ad verbum *jaculans arcu.* Sic deſcriptus anteà fuerat, cum fugeret Hagar, quod futurus eſſet homo ferus, cujus manus contra omnes, & omnium manus contra eum. Alioquin, arcu jaculari per ſe culpari non poteſt, cum etiam in eo ſit induſtria laudabilis; poteſtaſque homini fuerit data in beſtias agri, quas in uſum ſuum potuit convertere. Quod ſi vel arcu, vel aliis armis abuſi ſunt aliquando homines, ut fit, vim proximis ſuis inferentes, extra neceſſariam defenſionem, aut juris ſui legitimam repetitionem, id non eſt tribuendum arti jaculandi, ſed hominum malitiæ, abutenti etiam melioribus; in quo veriſimile eſt Iſmaelem modum exceſſiſſe, quando alios in ſe provocavit, ipſe ad alios impetendos pronus.

Deſertum Pharan in quo habitavit longiſſimè protenditur. Nam ab una parte terram Canaan, ab altera vero montem Sinai attingit. Probabile eſt eam partem elegiſſe, quæ non remota eſſet à parentis habitatione, etſi poſteri ejus poſteà, ut fit, multiplicatis populis, latius extenderint ſuos limites, verſus Ægyptum; unde etiam originem ducebant à parte matris; quia non ſolum Hagar Ægyptia fuit, ſed etiam uxor quam duxit Iſmael ex conſilio matris.

Textus enim habet, *matrem accepiſſe ei uxorem de terra Ægypti.* Id certè & natura docebat, & recta inſtitutio, liberos parentibus inconſultis non debere matrimonium contrahere. Verum eſt, Abrahamum nō fuiſſe vocatum, nec conſtare, ipſius conſilio hanc electionem fuiſſe factam: ſed non opus erat, quia jus ſuum in Hagaram tranſtulerat, ab eo tempore quo eam cum filio ejecerat. Sufficiebat igitur ſi mater conſentiret, quam nō ſolum conſenſiſſe, ſed id etiam procuraſſe videmus. Quod ſi à fero homine in barbarie deſerti fuit ſervatus is laudādus mos, quid prætexere poſſunt, qui inter Chriſtianōs negant, neceſſarium eſſe parentum conſenſum, in liberorum conjugiis qui nondum per ætatem ſunt ſui juris? Præceptum illud univerſale, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, in tam arduo negotio negligi nō poteſt ſine gravi crimine. Honeſtas publica, & leges civiles damnant clandeſtina matrimonia, invitis, aut etiam inconſultis, parentibus facta: à quibus judicatum fuit, id eſſe contra matrimonii ſanctimoniam; cujus hoc neglectu aut contemptu, fœdantur initia, & contra majorum exempla, quorum nonnulla poſteà in hoc libro ſequentur, in quo non legimus quemquam ſine cōnſenſu parentum uxorem ſibi conjunxiſſe, excepto profano Eſau, qui hac ratione parentes ſuos afflixit.

Non inficias eunt ſcriptores Pontificii, graviter peccare, qui parentum conſilium in hoc negotio negligunt aut qui ipſis invitis cōtrahunt, præſertim ſi parentes duri non ſint, nec reſiſtant liberorum juſtis votis ex aliqua moroſi-

moroſitate, aut cauſa alia iniqua & injuſta. Si enim nonnulli tales ſint, poſſunt etiam ſententia orthodoxorum, vel re communicata cum proximis cõſanguineis, vel impetrata à magiſtratu licentia, cõtrahentes, ſupplere defectum conſenſus taliũ parentum: Sed ubi nulla eſt juſta ratio, ut contrahant filiifamilias, inconſultis aut invitis parentibus, quorum neque prudentia neque æquitas in dubium vocatur, qui non ſolum permittunt, ſed etiam anathemate feriunt, qui talia conjugia apud Deum rata non eſſe contendunt, quo ducantur ſpiritu ſatis indicant. Jam, ante concilium Tridentinum, invaluerat perverſa conſuetudo, qua repugnantibus Juriſconſultis, Canoniſtæ, quos vocant, clandeſtina filiorumfamilias conjugia rata habebant, nec ea diſſolvi poſſe, etiam per Eccleſiam, contendebant; hac tantùm ratione adducti, quod talia matrimonia eſſent Sacramenta, ideò rata & firma manerent, quia ſacramenta diſſolvendi nemo hominum habet poteſtatem. Reclamarunt huic conſuetudini pernicioſæ etiam in Eccleſia Romana non pauci, inter quos Claudius Eſpenſæus Doctor Sorbonicus Theologus Pariſienſis, eruditum tractatum edidit, adverſus clandeſtina matrimonia, autoritatibus, Scripturæ, Patrum, conciliorum & ipſorum Ethnicorum munitum: in quo conqueritur, quod vox unius ſyllabæ triumque literarum MOS, *juri in ea re patrio derogaverit, quique in aliis levioribus actionibus abſque parentum autoritate nihil permiſit, in re multa graviſſima hanc effrænem licentiam dedit.* Adverſus quem morem ſic obloquentem inducit, doctiſſimum Juriſconſultum Franciſcum Connanum, *At Chriſtianorum*, inquit, *moribus inductum eſt, ut præterquam ſponſorum, nullius prætereà conſenſus requiratur. Mutua enim voluntate ſtatim conſtitui matrimonium, quod neuter tum eorum poſteà repudiare unquam poſſit, etiam in minoribus* XXV *annis, modo puberibus, ratum firmumque eſſe volunt: nec ferè eſt in ſacris noſtris legibus quicquam, quod religioſius obſervetur. Scriptum eſt enim, ajunt, Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. At ſcriptum item, parentes ſecundum Deum colendos, & poteſtne conjunxiſſe eos Deus videri, quos intemperans libido, effrænataque animi cupiditas conciliavit? Sed nolo pluribus agere, ne videar os in cœlum ponere, quid publica omnino utilitas, parentum poteſtas, & religio, filiorum pudor & obſervantia, matrimoniorum fides & honeſtas deſideret, facile eſt judicare.* Hæc ille, in opere poſthumo Commentar. Juris civilis lib. 8. cap. 4.

Sed Tridentinorum patrum, in tanta, ex ſcripturis, ex naturæ jure, & honeſtatis lege facilitate, excæcavit judicium, præjudicata conſuetudinis Eccleſiaſticæ autoritas. Cum enim articulus ille inter alios ad matrimonium pertinentes propoſitus fuiſſet, *Parentes irrita facere poſſe matrimonia clandeſtina, nec vera eſſe matrimonia quæ ita contrahuntur; imo expedire, ut deinceps in Eccleſia irrita habeantur:* afferrentque multi graves rationes, cur ſaltem operæ pretium eſſet reſcindi matrimonia, etiam publicè celebrata, ſed à filiisfamilias, ſine parentum conſenſu; præſertim quia lex divina præcipiens obedire parentibus complectitur hunc caſum tanquam præcipuum; obedientiæ in matrimonio contrahendo; Et quia eadem lex hac autoritate nominatim patrem donat, ut filiam nuptum det; Extantq; exempla veterum Patriarcharum in V. Teſt. quibus omnibus à parentibus uxores datæ; quibus argumentis adducti, cum viderent ſimplices prohibitiones non ſufficere, peterent, ut decerneretur facti nullitas; Etſi id magnæ parti initio placuiſſet, & in eam ſententiam primo ſcriptũ fuiſſet decretum; poſtquàm nihilominus in mantica Sp. Sanctus Româ advectus eſſet, in contrariam itum eſt ſententiam: decretumque eſt clandeſtina matrimonia rata & vera eſſe, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, & anathemate percuſſit, *qui affirmãt matrimonia à filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.* Sed de ea re alibì dabitur dicendi locus.

Quæ hiſtoricè hactenus relata fuerunt, prout etiam evenerunt reipſa, ab Apoſtolo trahuntur ad myſterium diſcriminis legis & Evangelii, ſive pactionum duarum, quarum una detinebat ſub ſervitute eos qui ipſi adhærebant, altera vero eos in libertatem vindicabat, qui eam amplectebantur. Id myſterium explicat, ca. 4. Epiſt. ad Galat. à ℣. 22. uſque ad finem capitis. Summa autem eſt, Quod Abraham habuit duos filios, unum ex ancilla, alterum ex libera; illum ſecundum carnem natum, hunc vero per promiſſionem; id etiam præter hiſtoricum ſenſum, habere allegoricam interpretationẽ. Significare enim duas illas mulieres, duas diſpoſitiones; unam in monte Sina factam, cui pari ſerie reſpondebat quæ tum erat Ieruſalem; alteram ſignificare Jeruſalem ſublimem liberam, omnium credentium matrem, &c.

Ubi id ante omnia explicandum eſt, quo ſenſu accipi debeant hæc Pauli verba, ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα; Vetus interpres, *quæ ſunt per allegoriam dicta*, Junius, *quæ allegoricam interpretationẽ habent.* Beza, *per quæ aliud figuratur.* Sic enim voluit ſenſum exprimere, ſublata ambiguitate; quia allegoriæ nomen, videtur referri ad eum ſermonem, qui non habet hiſtoricam veritatem, & in ſignificatione propria acceptus aut nihil ſignificaret aut abſurdum aliquid proponeret. Idcirco notat Chryſoſtomus, καταχρηστικῶς τὸν τύπον ἀλληγορίαν ἐκάλεσεν, typum ſeu figuram, impropriè vocavit allegoriam: nempe quia ſolam allegoriam agnovit, quæ in continuata metaphora conſiſtit, quæ à rhetoribus ita appellatur. Quo modo certum eſt, typum & allegoriam multum inter ſe differre. Uſus tamen etiam obtinuit apud Theologos, ut quemadmodum allegoriam definit Ambroſius, *cùm aliud geritur & aliud figuratur*, id allegoria dicatur, quam allegoriam Theologicam appellant nonnulli, ut eam diſtinguant à rhetorica.

Cujus tamen ſignificatio etiam latius extẽditur, quàm typi, ut typus ſit talis allegoriæ ſpecies, & propriam habeat ſuam differentiam, nempè quando res aliqua aut factum accerſitur ex veteri Teſtamento, & oſtenditur ſignificaſſe vel præfiguraſſe, aut adumbraſſe aliquid in novo geſtum, aut gerendum. Allegoria autem communiter dicitur, cùm aliquid ſive ex novo, ſive ex veteri Teſtamento, novo ſenſu exponitur, atque accommodatur ad ſpiritualem doctrinam, ſeu ad vitæ inſtitutionem. Quod genus allegoriæ poteſt etiam in multis hiſtoriis communibus excogitari extra Scripturam ſacram. Nam quod nonnulli dicunt, hoc genus allegoriæ rerum, proprium eſſe ſacræ doctrinæ, nec in humanis diſciplinis & ſcripturis locum habere poſſe: rationemque addunt, quia ſolius Dei eſt, qui ſacras Scripturas inſpiravit & dictavit, omnia quæ futura ſunt certò ac perfectè noſſe: nec ſolùm noſſe, ſed etiam diſponere, ordinare, & quocunque vult dirigere: id quidem veriſſimum eſt, ſi allegoria pro typo accipiatur. Solus enim Deus poteſt inſtituere & efficere, ut res prioribus temporibus geſtæ, aliarum rerum quæ poſtero tempore gerendę ſunt, veram certamque figuram gerant. Sed alia eſt ratio allegoriarum, quæ ex Scripturę hiſtoriis citra certi typi & figuræ rationem excogitari poſſunt, & ad res ſpirituales referri, propter aliquam ſimilitudinem & analogiam, quam quidem non intendebat hiſtoriæ ſcriptor, ſed quæ nihilominus ex circumſtantiarum collatione traducuntur ad ſermonis alterius demonſtrationem, per quandam ſimilitudinem. Tales enim etiam extra ſacra ſcripta poſſunt excogitari, idque aliquando utiliter & aptè, ſi rationem præſertim habeant exempli præterita, quæ ad futura aut præſentia ſignificanda aut illuſtranda trahuntur, per analogiam.

Hujus generis ſunt allegoriæ omnes, quæ extra Sp. ſancti expreſſam applicationem, à quibuſcunque aliis excogitatæ fuerunt: in quibus plerumque laſciviunt ingenia, maxima cum licentia. Cujus inter veteres ſcriptores, meritò culpatur Origenes, qui dum ubique allegorias venatur, verum Scripturæ ſenſum corrumpit. Cujus exemplum dum alii cupidè imitantur, ex luce dant fumum. Sub quavis enim ſcriptura myſteria conantur excogitare, & inde ſuis commentis ſe efferentes, literalem ſenſum quaſi humilem & abjectum rejiciunt, ſolas allegorias ſuas ſectantes, quarum comparatione, literam aridum corticem contemptim appellant, & allegorias ſuas pro medulla & nucleo accipi volunt. Unde tenebras horribiles in Scripturam & Eccleſiam invexerunt.

Non imus inficias, præter ſenſum literalem, qui vocibus & phraſibus Scripturæ ſignificatur propriè vel figuratè ſumptis, aliquando Sp. ſanctum indicaſſe, ſub eo nonnullis in locis latuiſſe aliquid myſticum; verum parcè admodum id facit, nec omnium talia eſt eruere, quod certè nullibi ab aliis fieri poteſt cum aliqua certitudine. Ideò qui allegoriis hoc tempore libenter indulgent, plerumque tamen id nobis largiuntur, ex talibus expoſitionibus deduci non poſſe certam concluſionem, nec argumentum ſolidum formari, niſi ex iis locis in quibus ipſe Sp. ſanctus typum vel allegoriam ſubintellectam patefecit. Inter paucos hìc unus eſt, in quo Apoſtolus docet, duas Abrahami uxores, duas ſignificaſſe pactiones; duos filios, duplicem Eccleſiam, Judaicam & Chriſtianam, ſervam & liberam, hypocriticam legalium, veram fidelium. Sic Petrus 1. 3. ℣. 21. aquis diluvii præfiguratum fuiſſe Baptiſmum docebat. Ipſe Dominus noſter, Joan. 3. ℣. 14. in æneo ſerpente, exaltati filii hominis fuiſſe figuram. Paulus, in Adami & Evæ conjugio, ſpirituale conjugium Chriſti & Eccleſiæ fuiſſe præfiguratum, Epheſ. 5. ℣. 32. & 1. Cor. 10. ℣. 1. & ſeqq. tranſitu Iſraëlitarum per mare rubrum, nube, manna, petra, Sacramentorum noſtrorum myſteria fuiſſe præfigurata. His & talibus allegoriis meritò fidem adhibemus: ſed quæ præter has ab interpretibus ingeniosè olim excogitatæ fuerunt, vel quotidiè excogitantur, non haberi debent pro vero Scripturæ ſenſu, nec valere poſſunt ad firmam probationem, etſi aliquando ſobriè uſurpatæ, & commodè excogitatæ, ad delectationem & moralem uſum facere poſſint; ſed in quibus diligenter cavendum eſt, ne quid nimis; quia ſemel apertâ portâ luxuriant in talibus ingenia, & ſibi mirificè placent in ſuis adinventionibus.

Solet quæri, an Paulus talem allegoriam texuerit induſtriâ aliquâ, per ratiocinationem à ſimili, ex analogia exemplorum, in qua quidem ductum habuerit Sp. ſancti, ne quid inconcinnum aut inconveniens affingeret, ſed tamen noluerit ſignificare proprium fuiſſe typum, & ad id ſignificandum ſingulariter à Spiritu ſancto fuiſſe deſtinatum. An verò contrà, ex ſpeciali revelatione divina, cognoverit intentionem Sp. ſancti ab initio fuiſſe, ut ſub conjugiorum talium velo, præfiguraret conditionem ſervitutis & libertatis ſpiritualis. Clariſſ. & doctiſſ. vir Fr. Junius, in Parallelis ſacris lib. 2. Paral. 44. *non id ſibi velle Apoſtolum* exiſtimat, *eas proprias & deſtinatas & ſingulares figuras eſſe, ſed potius ex communi analogia exemplorum adminiſtrationis Dei, optimè inſtitutam eſſe à Dei ſpiritu, quandam adminiſtrationis Dei delineationem in ejus Eccleſia*, quaſi Apoſtolus ab exemplo argumentatus fuerit, potiùs quàm verum typum explicaverit.

Sed non puto, extra rationem veri & proprii typi, locum habere poſſe hìc rationem exempli, quia alioqui non eſt par ratio, ſed ſimilitudo eſt appoſita. Non enim ſi in familia Abrahami dedit Deus filium unum ex ancilla naturali ratione, alium ex libera, ex promiſſione; ſequitur neceſſariò in diſpenſatione bonorum ſpiritualium, id diſcrimen ſervaturum eſſe: itaque ut vera ſit argumentatio, neceſſarium eſt, hæc fuiſſe à Spiritu ſancto per Moſem conſcripta, eo fine, ut ſignificarent ea quæ Apoſtolus ſigillatim perſequitur, & quarum

rum explicationem idem Spiritus immediatè ei inſpiravit; oſtenditque domum Abrahami ita fuiſſe vivam Eccleſiæ Dei omnium temporum imaginem, ut per ea quæ in ipſa acciderunt, voluerit Deus repræſentare diverſam conditionem eorum qui nomen, Eccleſiæ quovis modo daturi erant; tam eorum qui juſtitiam in externis obſervationibus, & ſervili legis exactione quæſituri erant, quàm eorum qui ad legem libertatis erant vocandi.

Ait igitur, verſ. 24. *αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι*, quæ verba vetus interpres ita reddidit, *Hæc enim ſunt duo teſtamenta*: ubi nomen *Teſtamenti*, ſumi non debet in propria ſignificatione, pro eo quod fit ab homine jam morituro, & per ejus mortem firmatur, ſed pro fœdere, pacto & diſpoſitione, ut benè animadvertit Pererius. Itaque doctiſſimus interpres, cùm ad omnem ambiguitatem tollendam, tum ut meliùs convenirent genere, ſubjectum & attributum, duas diſpoſitiones, vertit: durum enim eſſet, duas mulieres, neutro genere, vocari duo teſtamenta, melius autem fluit ſi pactiones aut diſpoſitiones dicantur. Chryſoſtomus, *δύο διαθήκας, δύο νόμους* interpretatur, *ἀλλ᾽ ἐπειδὴ γυναικῶν ὀνόματα ἦν ἐν τῇ ἱστορίᾳ, ἐνέμεινεν ἐν τῇ προσηγορίᾳ τοῦ γένους*, *Quoniam nomina fœminarum erant in hiſtoria, perſeveravit Apoſtolus in appellatione generis, & ex ipſis nominibus, multam oſtendit congruentiam.* Subjectum propoſitionis eſt *αὗται*, quod non ad *διαθήκας* eſt referendum, ſed ad *γυναῖκας*: *Hæc* quæ ſunt, reſpondet Chryſoſtomus, *puerorum illorum matres.* Senſus eſt, inquit Pererius, *Agar & Sara figurant duo teſtamenta, vetus & novum, &c.* Ergò illud *Hæc ſunt*, hunc habet ſenſum: Quæ de Agar & Sara ſcripta ſunt, ſignificant duo teſtamenta. Addit, *Similiter cùm Paulus dicit* 1. *Corinth.* 10. *Petra autem erat Chriſtus, idem dicere voluit atque Petra illa figurabat Chriſtum.* Quod ideò notandum eſt, quod plerique Pontificiorum pati non poſſunt ſi quis dicat, eſſe aliquando in Scriptura ubi verbum *eſt*, pro *ſignificat* ponitur. Quod tamen hîc manifeſtiſſimum eſt. Neque enim propriè vel eſſentialiter mulieres poſſunt eſſe *pactiones.* Non poteſt ergò negari phraſis metonymica, in qua nomen rei ſignificatæ, tribuitur ſigno: cujuſmodi locutiones in allegoriis, ſomniis, parabolis, & Sacramentis ſunt uſitatiſſimæ in ſtylo Scripturarum; ut ſuprà etiam vidimus, ubi de Sacramento circumciſionis agebamus. Hoc modo intelligi debet, quod in ſacra Cœna dicit Dominus, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, hoc ſignificat corpus meum, vel eſt corpus meum *ſignificativè*, quemadmodum interpretatus eſt Auguſt. ad Adimantum cap. 12. *Non dubitavit dicere Dominus*, Hoc eſt corpus meum, *cùm ſignum daret corporis ſui.*

Duas pactiones diverſas memorat, quarum una repræſentata per Agaram in ſervitutem generat; altera per Saram generat ad libertatem ſpiritus. Per pactionem illam priorem, intelligi debere legem à Moſe datam, tam ceremonialem in variis mandatis & ritibus conſiſtentem, quàm moralem, quatenus exigebat rigidè jus ſuum, apud omnes in confeſſo eſt. Quæ ſi ita ſtrictè accipiatur, generavit ad eam ſervitutem, quæ talis diſpoſitionis filios excludit à regno Dei. Alioqui fuit alia ſervitus eorum, qui ſub ceremoniis legalibus & legis rigore tanquam ſub pædagogia & tutela detinebantur; tales enim filii erant, nec excludi debuerunt, etſi fuerint ſub tutore, nec quoad externam ſpeciem à ſervis ad tempus diſcerni potuerint: ſed qui talibus, non tanquam pædagogo ad Chriſtum utebantur; acquieſcebant autem in illis, & ex talium obſervatione juſtificationem, vel in totum, vel ex parte quærebant, illi ſub ſervitute detinebantur damnabili, & à Chriſto planè exſcindebantur, quia ſub operum fœdere manentes, maledictioni ſubjacebant. Hoc ſenſu intelligendum eſt, pactionem factam in monte Sinai, generaſſe filios in talem ſervitutem propter quam ejici debuerunt è familia Dei. Quod idem judicium faciendum erat de iis, qui cùm Apoſtolus ſcriberet, in urbe Jeroſolymorum ſerviebant adhuc tabernaculo, in eodem enim ordine erant cum iis qui legem audierant in Sina, & ex ea ſe juſtificari poſſe præſumebant. Hoc ſenſu duæ diſpoſitiones differebant, non ſolùm circumſtantiis, ſed ſubſtantia. Nam fœdus operum per ſe conſideratum, ſubſtantiâ differt à fœdere Evangelico. Non ergo eſt huic Apoſtoli loco applicandum, quod alioquin dicimus alio reſpectu, duas pactiones fuiſſe non quidem ſubſtantiâ, quia unica fuit, ſed circumſtantiis. Hoc verum eſt de veteri & novo Teſtamento, quatenus vetus Teſtamentum non ſumitur præcisè pro lege, & ejuſdem conditione, *Hoc fac & vives*; ſed quatenus accipitur pro ea doctrina quæ in veteri inſtrumento habetur, quæ lex proponitur ut accuſet & convincat; ſed impoſſibilitati legis in eodem, opponitur ſatisfactio Chriſti variis ritibus adumbrata, & prophetiis promiſſa, in qua fideles acquieſcebant, poſtquam ſe ex lege convictos ſentiebant & onuſtos: tunc vetus illa pactio non opponitur directè novæ, nec ſubſtantiâ, ſed circumſtantiis differt. Itaque non generabat olim ad ſervitutem, quæ à domo Deï excludebat, quæ potiùs populum Dei ab aliis diſcernebat: etſi tum fideles detenti fuerint ſub aliqua ſervitute, ſed non illâ mancipiorum ex Hagare ancilla, qui ſervi erant, quia partus ſequitur ventrem: illâ tantùm quæ eſt pupillorum, qui tamen hæredes ſunt, & ſuo tempore in hæreditatis poſſeſſionem mittendi.

Sed Apoſtolus maximè reſpexit ad ſua tempora, & ad Jeruſalem quæ tunc erat, etiam poſt Chriſtum exhibitum tabernaculo ſervientem; tunc enim cùm ſublatus eſſet omnis pædagogiæ uſus, quicunq; adhuc ceremoniis legalibus erant addicti, & ex lege juſtitiam quærebant, quales erant tum Judæi judaiſantes omnes, tum qui Chriſto nomen quidem dederant, ſed Evangelium cum lege miſcebant, omnes, inquam, illi pertinebant

ad Jeruſalem, *quæ ſerviebat cum filiis ſuis*, qui turgentes carnis prærogativâ, ob quam ſibi hæreditatem debitam putabant, de promiſſione & υἱοθεσίᾳ quæ ex ea eſt, non cogitabant, imò eam vel planè rejiciebant, vel ſaltem inſufficientem putabant; idcircò circumciſionem in carne ſua neceſſariam putabant, & aliis ingerebant. Adverſus tales diſputabat Apoſtolus, non veros Chriſti diſcipulos, ſed larvatos, qui ſe ſimulabant eſſe quod non erant, nomenque & locum inter Dei filios ad tempus uſurpabant. Filios igitur Hagar ancillæ intellexit eos qui ex ſervili legis doctrina generabantur: liberæ autem matris alios, qui gratuitam adoptionem fide amplexi, ex Evangelii doctrina gignebantur.

Itaque non exiſtimo cum Pareo & quibuſdam aliis, rationem allegoriæ iſtius reſpicere eam ſervitutem de qua Apoſtolus initio dixerat, qua Patres etiam pii & fideles ſub V. Teſtamento fuerunt onerati, id eſt, ſervitutem pupillorum, non enim ejici debuerunt domo; nec perſequuti ſunt filios promiſſionis, quæ de filiis ancillæ dicuntur. Imò cenſeo, ante Chriſtum exhibitum eam differentiam in populo Judaico viguiſſe, filiorum ancillæ & liberæ: & omnes verè pios, fuiſſe liberæ filios; omnes autem hypocritas & juſtitiarios, fuiſſe filios ancillæ, & ad tempus tantùm in domo fuiſſe cum pupillis liberæ filiis, ſuo tempore excludendos, & in deſertum mittendos. Quæ differentia magis apparuit, cùm emancipatis fidelibus in Chriſtum credentibus, alii aſſueti ſervituti, maluerunt ancillam ſequi, quàm ſe filios profiteri Jeruſalem ſublimis. Itaque doctiſſimus interpres benè animadvertit, in his duabus perſonis repræſentari perpetuum Eccleſiæ ſtatum. Nam hypocritæ, non tantùm filiis Dei permixti ſunt in Eccleſia, ſed etiam illis contemptis ſuperbè totum jus & honorem ſibi vendicant: & quemadmodum Iſmaël, vano primogeniti titulo inflatus, fratrem Iſaac ſuis ſannis vexabat, ita iſti ementito ſplendore & inani fuco confiſi, rectam ſimplicium fidem contumelioſè exagitant & rident: quia ſibi omnia arrogando, gratiæ Dei nihil faciunt reſiduum. Quæ etiam hoc tempore aptiſſimè applicantur turgidæ & ventoſæ Pontificiorum jactantiæ, qui longa ſucceſſione glorianteſ, & variis ceremoniis ſervientes, cultum planè carnalem excogitarunt, & cum Iſmaële ſe primogenitos eſſe clamant, & perſequuntur eos qui in ſolum Chriſtum recumbunt. Quâ notâ ita à Paulo in hac ſua explicatione ſunt diſcreti, ut eam nullis unquam cavillis obliterare poſſint. Nec nobis mirum eſſe debet, ſi iiſdem opprobriis hodiè nos gravent, quibus olim à Judæis ſui ſeculi hypocritis gravati fuerunt Apoſtoli: nam id etiam vidimus in Iſmaële, non aliter de Iſaaco fratre ſuo triumphos egiſſe, quàm ſi potitus jam fuiſſet victoriâ. Si igitur ſimiles Iſmaëlitas patiamur, id ſuccurrere nobis debet, non ſemper qui tales ſunt, in Eccleſia manſuros.

In explicatione verborum Apoſtoli ex verſ. 24. & 25. quæſitum eſt quid ſibi velint hæc verba, μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ, *Vna ex monte Sina, quæ eſt Agar:* Vetus interpres, *Vnum quidem à monte Sina, quæ eſt Agar*; ubi cùm διαθήκην, *teſtamentum* verterit in neutro genere, in relativo tamen retinet textus Græci genus, & nomini neutro dat relativum generis fœminini, quod non infrequens eſſe apud eundem interpretem pluribus exemplis probari poteſt: quantumvis poſſet illud ἥτις, *quæ*, referri ad δουλείαν, *ſervitutem*, quæ eſt Hagar in ſervitutem generans; ſed ad præcedentia meliùs convenit, ut διαθήκη dicatur Agar: quia anteà dictum eſt, duas mulieres fuiſſe duas pactiones, non *duas ſervitutes*, quod etiam verum non eſſet. Eſt autem ordine inverſo idem ſenſus qui antè, *hæ duæ ſunt duæ pactiones*, id eſt, ſignificant; una quæ eſt Agar, id eſt, quarum una pactio eſt Agar, ſignificata nempè per Agaram. Id autem, ut, quàm appoſitè accommodatum fuerit, & à Deo diſpoſitum ad myſterium illud repræſentandum oſtendat, ſubjungit, τὸ γὰρ Ἄγαρ, *Iſtud enim Agar, eſt Sina mons in Arabia, &c.* ubi Latinus interpres Agaræ nomen omiſit, quod tamen in exemplaribus Græcis expreſſum eſt, & legitur etiam à veteribus in ea lingua interpretibus, qui notant, appoſitè figuratam fuiſſe per Hagaram pactionem legalem, non ſolùm, quia in domo Abrahami fuit illa ſervilis conditionis, verum etiam quia mons ille in quo lex data eſt, & inter tonitrua olim promulgata, vocatus fuit Hagar ab Arabibus, atque ita nomen ancillæ, etſi ab ignaris tanti myſterii ei fuit communicatum: quod cur factum fuerit, ex hiſtoria Moſis conjici poteſt, quia bis Agar legitur fugiſſe in deſertum Pharan ſeu Arabiæ; ſemel, Geneſ. 16. cùm ab hera durius tractaretur; iterùm autem hoc Geneſ. cap. cùm à marito ejiceretur: exinde enim deſertum illud incoluit, poſteriſque nomen Agarenorum reliquit. Etſi jam *Saraceni* dicantur, quod nomen plerique volunt à nomine *Saræ* uſurpatum fuiſſe ab Arabibus, ut conditionem ſervilem matris ſuæ occultarent. Sunt tamen qui exiſtimant, vocatos fuiſſe סרקין *ſarakajin*, quod eſſent homines leves, dediti rapinis & latrociniis. Sic Valentinus Schindelerus, qui notat Geneſ. 37. ubi meminit Moſes turmæ Iſmaëlitarum, Thargum Jeroſolymitanum habere דסרקין *diſrakajin*, quia Chaldæis סריק *ſerik*, vanum & levem ſignificat: & Arabicè סריק *ſarik*, furem & latronem. Paral. 1. cap. 5. ℣. 10. & alibi ſæpè fit mentio *Agaræorum*, quos tamen alios ab Iſmaëlitis fuiſſe volunt, eos nempè, quorum terra vicina erat regno Hog & Sehon regis Baſan. Pſal. 83. ℣. 7. junguntur *Moabitæ Agarenis*, quos tamen alios eſſe ab Iſmaëlitis ex eo quidam conjiciunt, quod anteà Iſmaëlitarum expreſſa facta fuiſſet mentio: itaque intelligunt populos quidem ex Agara natos, ſed ex alio marito, poſtquàm ab Abrahamo ejecta fuerat.

Sed ut ad rem noſtram revertamur, oſtendit Apoſtolus

ſtolus convenientiam figuræ & ſignificati in eo, quod mons ille retineret adhuc nomen Agaræ, eſſetque in Arabia regione Iſmaëlitarum, atque ita commodè præfiguraret, legem ibi datam, per ſe ad libertatem non generare, ſed ad ſervitutem.

Quod autem addit Apoſtolus de monte Sina, qui συςοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, Vulgata reddidit, qui *conjunctus eſt ei quæ nunc eſt Ieruſalem*; unde quæſitum fuit, quæ conjunctio intelligi deberet, cùm certè ad vicinitatem, aut contiguitatem locorum referri non poſſet. Eandem ambiguitatem retinuit verſio Eraſmi, qui *confinis eſt*. Beza, *pari ſerie reſpondet*. Notat enim Budæus in commentariis, verbum συςοιχεῖν, de iis tantùm rebus propriè dici, quæ ſive in natura, ſive in proprietate ſua, qualitateve aliqua, quendam inter ſe conſenſum, cognationem & convenientiam habent: unde συςοιχία vocatur ſeries & diſpoſitio rerum inter ſe cognatarum & ſimilium. Itaque συςοιχεῖν dicitur Jeruſalem illa monti Sinai, quia eandem legem proponebat in toto illo externo cultu, quæ in Sina data fuerat; cui qui adhærere voluerunt, ut in ea juſtitiam quærerent, ſub jugo ſervitutis manſerunt, & ab Eccleſia Dei rejecti fuerunt, tanquam abdicati filii.

Opponitur autem illi Jeruſalem *ſublimis*, ſive quæ *de ſurſum eſt*: quo nomine vera Eccleſia, mater omnium fidelium in Scriptura ſignificatur, tum quia eſt electorum in cœlis ſcriptorum, tum quia colligitur per gratiam ſupernè deſcendentem, tum quia caput ejus in cœlo eſt: idcircò Ebr. 12. ℣. 22. dicitur ἐπουράνιος, non quidem à loco in quo eſt, ſed ab origine unde eſt, addi tamen à loco in quo eſt ex parte, & in totum futura eſt. Sed quia de illa agitur Eccleſia, quæ generat filios in libertatem, id referri debet ad Eccleſiam in terris verſantem, in qua fit talis generatio. Proinde cœleſtis vocatur, ab origine.

Quæ fit deinceps ab Apoſtolo applicatio, ex antè dictis facilis eſt, nec opus eſt ut in ea explicanda diutius immoremur.

EXERCITATIO CIV.

Pactum Abimelechi cum Abrahamo. Finis quem ſibi propoſuit Philiſtæus. Pichol *quis fuerit, & nominis ejus ſignificatio. Quid ſit* miſericordiam *cum aliquo* facere? *Confœderationem non fuiſſe velut inter æquales. Fœderis naturam talem fuiſſe quæ cum quolibet iniri potuit, ſalvâ conſcientiâ. Solvuntur objectiones quædam. Lucum an plantaverit Abraham in loco cultus ſacri, & cur? Ethnicorum ſuperſtitio. Quam Iſraëlitæ ſunt imitati. Inde prohibitiones de lucis plantandis. Abraham in eo non peccavit. Cur in religione poſteà arborum umbræ fuerint infames? Deus* אלם olam *dicitur diſtinctivè.*

AD Verſ. 22. uſque ad finem capitis, declaratur cauſa cur Abrahamus, qui anteà incertis ſedibus diu peregrinatus erat, tamdiu habitaverit inter Philiſtæos: verſu enim ultimo, etſi tempus habitationis ejus non determinetur, dicitur tamen *habitaſſe Abraham in terra Peliſthim dies multos*. Quia Deus poſt varias agitationes, aliquid tandem quietis ipſi in loco illo præparaverat. Cùm enim, tam ex ſingulari liberatione uxoris ſuæ initio migrationis in Gerar, quàm aliis indiciis poſteà, cognoviſſet Abimelech, Abrahamum charum eſſe Deo, & quotidiè Dominus promiſſionis ſuæ memor, cap. 12. ℣. 2. *nomen ſervi ſui magnificaret*: qui anteà ipſi obtulerat liberam habitationem in terra ſua, agnoſcebatque ſe neque honeſtè poſſe, nec fortaſſe ſine periculo talem hoſpitem ejicere, ſibi tamen vel ſuis ab ipſo metuebat, conſilium inivit, de confœderatione aliqua inter ſe & Abrahamum confirmanda; in quem finem, cùm accepiſſet ſecum principem exercitus ſui, ipſe ad Abrahamum acceſſit, & ab eo exegit juramentum ſecuritatis, tam ſuo nomine, quàm filii, nepotis ſui, & terræ in qua peregrinabatur Abraham.

Hujus petitionis cauſa impulſiva habetur verſ. 22. his verbis, *Deus tecum eſt in omnibus quæ tu facis*: quibus paucis comprehendit, ſuam de Abrahamo & rebus ejus opinionem, qua ſemel imbutus, de futuro ſollicitus fuit, ne Abrahami potentia ſibi & ſuis eſſet fraudi. Noverat quidem Abrahamum eſſe virum juſtum, imò eſſe Prophetam, & de ſe non malè meritum: res eſt cum zelotypia conjuncta dominatio, & quemadmodum omnis poteſtas impatiens conſortis eſt; ſic magna omnia & ſublimia ſuſpecta habent, & ab eo omni quod eximium eſſe vident, miſerè ſibi metuunt. Quæ anxietas ſæpè ad mala & pernicioſa conſilia pertrahit; nam quem metuunt, periiſſe cupiunt. Fuit eximium favoris Dei erga Abrahamum teſtimonium, quod non ſolùm bonis temporalibus eum auxit, ſed etiam præclaram nominis æſtimationem ei addidit: ſed niſi idem Deus moderatus fuiſſet hominum affectus, hoc ipſum quo commendabatur, potuiſſet ei periculum creare maximum. Eò uſque autem paſſus eſt Deus, imò effecit, ut apud Abimelechum ingeneraretur aliqua ſollicitudo de Abrahami proſperitate & incrementis; ſed non permiſit, ut remedia quæreret ſervo ſuo pernicioſa, qualia plerumque ſunt Principum, qui novam viciniorum ſuorum, aut nonnullorum ex ſubjectis ſuis poteſtatem ſuſpectam habent. Non dubium eſt enim, quin tum accreviſſet numerus domeſticorum Abrahami,

mi, ex eo tempore, quo cum trecentis & octodecim vernis fudit & fugavit reges Chaldæos.

Hoc igitur ingeſſit Deus menti Abimelechi, Abrahamum quidem viribus creſcere, ſed eſſe virum bonum & juſtum, qui alienis non inhiaret, quique ſi ſemel ſe promiſſione juramento confirmatâ aſtringeret, nunquam iturus eſſet contra juramentum ſuum. Hac igitur cautione contentus, de ea cogitat, eamque procurat cum Picol שר-צבאו *ſar tſevao*, principe exercitus ejus. LXX unum addunt, & Picolis nomen invertunt, legunt enim *Philoc*, & præterea adjiciunt *ochoſath*, nymphagogum, aut *pronubum*, quem alii dicunt præfectum Gynecæi, qui tamen hoc loco in Ebræo textu non comparet; ſed eum huc aſciverunt ex cap. 26. ℣. 26. ubi ſimilis confœderationis mentio fit, inter Iſaacum & Abimelechum, cum Achazod amico ſuo, & Picol exercitus ſui duce; cujus nomen ſignificat *os omnium*, fortaſſe quia omnium nomine ad regem deferret, quæ quiſque volebat in notitiam ejus venire: tales ſunt enim apud Reges quibus maximè favent, qui vel petitiones aliorum, vel querelas ipſi præſentes exponunt, eorum nomine quibus non datur ad principes acceſſus. Hanc nominis rationem potiorem exiſtimo eâ quam afferunt alii, quod ab omnibus audiretur, & quod uno ore omnes ei obtemperarent. Sed in eo uno non ſunt conſtitutæ fortunæ Græciæ.

Agnoſcit fontem omnis proſperitatis in Abrahamo eſſe, *quod Deus cum eo eſſet in omnibus quæ faciebat.* Nec eam tribuit fortunæ, aut etiam ipſius Abrahami viribus, ſed divino favori. Sive autem unum Deum coleret & agnoſceret; ſive, quod fermè tum inoleverat apud omnes nationes, privata ſua habuerit numina, cùm ſciret unius veri Dei cultorem eſſe Abrahamum, ut eum ſibi magis conciliaret, Deo adſcribit, quæ in Abrahamo agnoſcebat eximia, & cùm de juramento agit, ut per Deum juret requirit. Hoc autem juramento quid quærat, exponit; nempè ut ſtabiliat regnum ſuum, filii & nepotis, ſibique & ipſis Abrahamum devincat, ne aliquid adverſus eos moliatur; quæ tamen verbis exprimit minùs invidioſis, imò ad civilitatem compoſitis: Non dicit enim, jura te nocumentum non allaturum, aut mea vel meorum non uſurpaturum, quod etſi intenderet, tamen ſic enunciatum, odioſum fuiſſet. *Secundùm,* inquit, *miſericordiam, quam feci tecum, facies mecum, &c.* miſericordiam autem cum aliquo facere, apud Ebræos eſt *benignè & humaniter tractare.* Commemorat itaque ſua beneficia, ut efficacius Abrahamum hortetur ad colendam bonam fidem.

In his omnibus, etſi ſatis cautè agat Princeps ille, apparet tamen, malè ſibi metuiſſe ab Abrahamo, integro & ſimplice homine, fidem ejus in dubium aliquo modo revocaſſe; collatum beneficium ideò etiam commemoraſſe, quaſi metuens ne vir ſanctus ingratus eſſet, & beneficii collati immemor, in quibus omnibus aliquâ vir pius afficiebatur injuriâ. Cùm tamen haberet quæ reponeret, multa diſſimulat, & apertè ac promptè pronunciat, *Ego jurabo.* Sed aliquid etiam viciſſim à rege poſtulat, imò apud ipſum expoſtulat, & conqueritur de injuria ſibi illata à ſervis Abimelechi, qui purgat ſe ab eo quod non anteà id ipſi innotuerit; nec ipſe Abraham querelam ad eum detulerit. Quâ occaſione ſumptâ, Abrahamus, præſtito juramento, & oblato quaſi vectigali ei quem dominum terræ agnoſcebat, datis ſeptem agnis, ſtabilivit poſſeſſionem ſuam, ratione putei, quem foderant ſervi ejus, & qui eis fuerat ablatus, cui nomen impoſitum fuit à juramento & fœdere ibi præſtito.

Quæritur autem 1. qualis fuerit confœderatio inter Abimelechum & Abrahamum; an qualis inter pares & qui à invicem non ſe pēdent? Reſp. non videri, nec enim par erát utriuſq; conditio, cùm Abraham in alterius terra habitaret ex ejus conceſſione, tanquam hoſpes. Ideò etſi honeſtis verbis, videtur ab eo exegiſſe Abimelech juramentum fidelitatis, cùm dixit, jura mihi per Deum ſi mentieris mihi, & filio meo, & nepoti meo; nihil enim aliud videntur hæc verba ſignificare, quàm ut promittat cum juramento, ſe fidum fore patri & filiis. Videmus etiam ſolum Abrahamum, oves & boves dediſſe Abimelecho, non contrà: unde infertur, gradum ſuum Abrahamum reputaſſe, & in ſymbolum ſubjectionis munus obtuliſſe regi Gerar; nec expectaſſe donec id ab eo exigeretur, quod etiam fortaſſè Rex non exegiſſet, ſed voluntario honore prævenilſe quem ſciebat eſſe loci dominum.

Id ſi ita ſit, non relinquitur locus quæſtioni, an licuerit Abrahamo fœdus inire cum Rege incircumciſo, & qui eandem cum ipſo fidem non profiteretur. Nam ſi licuit ipſi in illius ditione habitare, debuit etiam ei præſtare fidelitatis juramentum in iis quæ religionem aut pietatem non lædebant. Sic in tota Scriptura frequentia ſunt exempla piorum, qui in ditionibus regum impiorum habitantes, eorum legibus ſe ſubjecerunt, ubi viderunt nihil in iis eſſe quod juri divino præjudicaret.

Sed quamvis inter æquales facta fuiſſet confœderatio, & Abimelechus planè Ethnicus fuiſſet; talis fuit fœderis finis, ut culpari non potuerit, etiam inter diverſi cultus homines: quia ſpectabat tantùm ut alter alteri non noceret; erat enim ſtipulatio de non offendendo, quam nulli homini denegare debemus, quicunque tandem ille ſit. Aliud eſt ſi conveniamus, fœdere offenſivo vel defenſivo, tùm enim adhibendæ ſunt variæ cautiones & exceptiones, ne imprudentes implicemur alienis malis. Qua de re alibi à nobis dictum eſt.

Aliud tamen eſt dubium, propter promiſſionem à Deo Abrahamo factam, de terra illa poſteritati ejus donanda, quam fide apprehenderat; poteſt enim quæri, an potuerit vel dominum alium agnoſcere, & ſubjectionem

ctionem profiteri in ea regione, cujus dominium noverat ſibi divinitus traditum? Vel an potuerit juramento cavere ſe non nociturum nepotibus quos noverat tandem à ſuis eſſe deturbandos & exterminandos? Sed facilis eſt ſolutio: 1. quia cùm poſſeſſionis adeundæ tempus nondum adveniſſet, ſpe tantùm dominus eſſet, & reipſa peregrinus, potuit habitationem ſuam bonâ conſcientiâ redimere, quandiu non intromittebatur in terræ poſſeſſionem. Nec quod noverat, ſuos tandem profligaturos incolas illius terræ, præjudicabat juramento Abrahami, qui non cavebat Abimelecho in omnes generationes, quod facere non poterat, ſed de ſuo tantùm facto reſpondebat.

Verſ. 31. addit Moſes, plantaſſe Abrahamum arbores in Beerſebah, & ibi invocaſſe nomen Jehovæ אל עולם *el olam*, Dei æterni ſive ſempiterni; quæ ideò notata fuerunt, 1. ut indicaretur poſt hæc Abrahamum aliqua quiete & tranquillitate fuiſſe potitum, & fixam ſedem ad tempus habuiſſe, id enim indicat plantatio arborum. אשל *eſchel*, in ſingulari arborem interpretantur, alii lucum aut nemus, alii paradiſum. Nomen volunt eſſe generale omnis arboris. Doctiſſ. Mercerus, pro arbore opaca, vel luco, accipi debere exiſtimat; quod genus plantatum fuiſſe ab Abrahamo, ut umbrâ ſuâ adverſus ſolis ardorem ſub dio verſantes defenderet, & commodius ibi ſacris vacare poſſent, quæ in tabernaculis, ad actus publicos quod ſpectat, peragi non potuerunt. Sum enim in ea ſententia, ad id potiſſimum fuiſſe plantatum lucum, ut ſub eo invocaretur nomen Dei; ſic enim interpretor illud שם *ibi*, ut non ſolùm referatur ad locum Beerſebah vocatum in communi, ſed ad ſingularem illum locum, in quo plantaverat lucum. Quod tamen non ita acceptum velim, quaſi ſanctus Patriarcha exiſtimaſſet aliquam eſſe in lucis ſanctitatem, & ſub eis cultum Dei fuiſſe magis acceptum; quam ſuperſtitionem apud gentes inoleviſſe certum eſt, apud quas ſumma fuit religio, arbores quaſdam Diis ſuis ſacrare, nemora & lucos eorum cultui conſecrare, in iis aſyla conſtituere, & peregrinationes inſtituere. Imò ipſis arboribus aliquando tribuerunt numen, & ex iis reſponſa ſeu oracula expectarunt: Loca item ampliſſima arboribus conſita, & integras ſylvas iiſdem conſecrarunt, atque in iis tanquam ſacrariis & templis eos coluerunt, quæ Græcè ἄλση, Latinè *nemora* & *luci* fuerunt appellata. In iis Deorum ſimulchra poſita, in iis ſacrificatum fuit, & aſyla conſtituta.

Hanc ſuperſtitionem imitatos fuiſſe Iſraëlitas, cùm à vero Dei cultu deflectentes, ſuperſtitionibus Gentium ſe addixerunt, ex ſacris libris conſtat, in quibus id ſæpè eis vitio datur à Prophetis quod lucos plantaverint, & lucis etiam ſervierint. Primum expreſsè prohibuerat Deus, ne cultus cauſsâ, ne quidem divini, plantarent lucos: ſic enim Deut. 16. ℣. 26. *Non conſerito tibi lucum ullis arboribus, ſecundùm altare Dei tui, quod feceris tibi.* Hinc Gidhoni laudi datur, Judic. 6. ℣. 28. quod lucum qui fuerat juxta altare Bahalis, exſcindit. Contrà, crimini datur Achabo regi idololatræ, quod lucum conſevit, 1. Reg. 16. ℣. 33. Impios etiam Iſraëlitas Eſaias cap. 57. verſ. 4. & 5. ſic affatur, *Annon eſtis nati defectione, ſemen falſum eorum qui incaluerunt in lucis, ſub omni arbore virente?* Et Jerem. 17. ℣. 2. *Recordantur filii illorum altarium ſuorum & lucorum ſuorum ad arbores virentes, ad colles altiſſimos.* Hinc eſt quod idolum *Ashtoreth*, quod fuit Sidoniorum, quod LXX ἀστάρτην vocant, alibi *lucos* interpretantur ἄλση, imò utrumque jungunt, 1. Sam. 7. ℣. 12. τὰ ἄλση ἀσταρὼθ, id eſt, *lucos Aſtaroth*, ubi Ebraica veritas ſimpliciter *Aſtaroth* habet. Et cap. ſequenti ℣. 7. nomen *Aſtaroth* omittunt, & vertunt, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ Βαὰλ καὶ τοῖς ἄλσεσι, id eſt, *Baal & lucos colebant*; ubi *lucos* ponunt pro *Aſtaroth*: fortaſsè quia idolum illud in variis lucis qui antiquitùs præ aliis locis, uti & montes, ſacris deſtinabantur, plures ſub Aſtoreth idoli nomine in veneratione haberentur. Unde etiam Jupiter ἔνδενδρος Rhodiis, & Bacchus Bœotiis nuncupabatur, ut videtur, à lucis. Nemorenſis item Diana, & Diana Arduenna, uti olim Albunea Dea, à cognomine luco indigetabantur, ut obſervavit Joannes Seldenus in doctiſſimo ſuo ſyntagmate de Diis Syriis.

Hanc in lucis & nemoribus idololatriam in ſacris Scripturis adeò deteſtatam, cauſam fuiſſe puto, cur LXX hoc loco, à nomine arborum, aut luci ſibi caverint, ne, quod alibi reprehenditur, ab Abrahamo factum fuiſſe conſtaret; ideò verterunt, ἄρουραν *agrum*, quòd nempè ibi Abrahamus agrum ſeverit. Sed non erat opus hac præcautione, cùm vox Ebræa nullomodo agrum ſignificet. Nec tamen vitio dari debet Abrahamo, ſi arbores umbriferas plantaverit ſub quibus cum familia ſua Deum coleret, quia lucis & nemoribus poſteà impii homines ad idolorum cultum abuſi ſunt. Quemadmodum non reprehenditur ſi in monte ſacrificaverit, quia iidem montes & colles ad ſuperſtitioſum cultum elegerunt; neque enim locus per ſe ſive umbroſus & opacus, ſive exaltatus prohibetur aut rejicitur. Sed duæ fuerunt cauſæ, cur luci & arborum umbræ in ſacra Scriptura, ubi de cultu agitur, infames fuerunt, ut excelſa etiam. I. Quia falſa plerumque numina in iis colebantur, & ab idololatris aliqua religio ipſis locis affingebatur. II. Quia, ſi aliquando veri Dei cultui fuerunt à nonnùllis conſecrata, id factum fuit eo tempore, quo non licebat alibi quàm in loco tabernaculi ſacra facere. Ideoque id ſi non ad idololatriam, ad ἐθελοθρησκείαν pertinebat. Neutra ratio in Abrahamo, Deum ſub arboribus colente, locum habuit. Primò, quia verum Deum, ſolum æternum, in illis locis veneratus eſt: 2. quia non putavit eſſe aliquam in arboribus religionem; ſed ad commoditatem convenientius, in calidis regionibus umbram arborum conducere. 3. quia id ab eo factum eſt tempore quo Deus

cultum ſuum ceremonialem uni loco non affixerat. Quæ cùm ita ſint, nihil obſtat, quominus ſentiamus plantaſſe illum arbores, ut *ibi*, nempè ubi arbores plantaverat, coleret publicè Deum æternum. Quid ſi hoc etiam addamus, Gentiles & *Iſraëlitas* idolorum cultores, ex κακοζηλίᾳ Patriarchas veteris Teſtamenti imitari voluiſſe, qui ante extructionem tabernaculi, cùm nulla templa haberent, uſi ſunt commoditate nemorum & arborum quodam velut tecto, ſub quo ſacra facerent? Quod autem hi fecerunt adacti neceſſitate, & quod talia loca haberent parata ubivis, dum peregrinarentur, illi ad ſuperſtitionem converterunt; ut ſæpè in ſimilibus accidit.

Non eſt autem exiſtimandum ex eo quod dicitur, Abrahamum ibi invocaſſe nomen Jehovæ Dei æterni, ceſſaſſe illum aliquando ab invocatione nominis divini; ſed ſub nomine invocationis, cum loci deſignatione, intelligitur cultus ceremonialis externus & publicus, quem Abrahamus ſubinde, pro ratione locorum & temporis vel intermittebat, vel reſtaurabat. Non enim commodè poterat alibi peregrinando altaria erigere, niſi tumultuario opere, & certum aliquem atque ordinarium locum ſuis præfigere, certaſq; horas & tempora ſtatuere: ſed cùm videret auctam ſibi eſſe habitandi commoditatem & libertatem, & ſe ſub regis tutela jam ſecurius degere, de ordinariis religionis exercitiis cogitare voluit, & hoc etiam officio teſtari, velut ex profeſſo, ſe hanc libertatem Deo ferre acceptam, Id etiam haud dubio ſibi propoſuit, ut profiteretur unius Dei adorationem religioſam, & exemplo ſuo præiret iis, in quorum regione habitabat, oſtenderetque, & quis colendus eſſet, & qua ratione. Non enim ſine cauſa mihi videtur ſacra hiſtoria hoc expreſſiſſe, *invocaſſe ibi nomen Iehovæ Dei* עלם *olam*, ſeculi ſive æternitatis. Exiſtimo enim id oppoſitè poſitum fuiſſe, & hoc intelligere, Abrahamum publicè profeſſum, ſe unum Jehovam Deum æternum colere, ut hoc ſuo facto argueret eos qui fictitia & nuper nata aut excogitata numina religiosè colebant, quorum in illis locis non exiguum fuiſſe numerum adducor ut credam, quia nunquam ſuſpicatus fuiſſet Abraham, ut ſuprà notavi, nullum ibi eſſe timorem Dei, niſi apud eos multa impietatis & ſuperſtitionis veſtigia deprehendiſſet.

AD CAPVT XXII.

Exercitatio CV.

De anno ætatis Iſaaci quando à patre oblatus fuit, diverſæ & incertæ ſententiæ. Nominis נער naar *acceptiones. Iudæorum audacia. Eorum traditio de tubarum clangore. Mandatum de filio in holocauſtum offerendo, an fuerit abſolutum? Diſtinguitur. Quomodo tentatio Deo tribuatur? Tentationum quadruplex differentia. Locus de tentationibus fuſiùs explicatur. Quatenus ſunt probationes & experimenta, an conveniant Deo? Gravitas mandati. Holocauſtum quæ ſacrificii ſpecies?* מריה morijah *montis nomen unde deductum? Expenditur mandati juſtitia & æquitas, ac ſatisfit objectionibus. Ius Dei abſolutum in creaturas. Redemptio primogenitorum ex hominibus, à Dei bonitate, qui noluit, etſi potuiſſet, humanis victimis coli. Quibus Satan delectatus eſt.*

Cap. xxii. nota hiſtoria, ſed mirabilis narratur, inſigne factum, cui nullum eſt in tota veteri Scriptura comparandum; cujus occaſione, Deus promiſſiones anteà Abrahamo factas repetit & confirmat, poſtquàm ejus fidem & obedientiam difficillimo mandato probatam dedit: ויהי אחר הדברים האלה *vajehi achar haddevarim haelleh*, & fuit poſt verba iſta: Vulgata, *Quæ poſtquàm geſta ſunt*. Noſtri, *Fuit autem his rebus tranſactis*. Nomen enim Ebræum commune eſt verbis & rebus, ut ſæpè fuit animadverſum. Circumſtantia temporis notatur, ſed non præfixa & certa, niſi quod præcisè excludit omnia de quibus anteà actum eſt. Nempè tentationem hanc fuiſſe Abrahamo oblatam, ejectâ ancillâ cum filio ſuo, & conſtitutâ Abrahami familiâ in ſolo Iſaaco, firmatâ utcunque eorum habitatione in Beerſebah, poſt mutuam illam confœderationem & cautionem inter Abimelechum & Iſaacum: poſtquàm accepiſſet promiſſiones divinas in Iſaaco, in quo vocandum erat ei ſemen. Quæ temporis circumſtantia maximè faciebat ad gravitatem tentationis, & fidei commendationem, qua potuit ſuperari. Quoto verò Iſaaci anno id peractum fuerit, aut ætatis Abrahami, qui hactenus quæſierunt, meras attulerunt conjecturas, quia nihil de eo habemus in ſacra hiſtoria. Tantùm hoc, Iſaacum fuiſſe iis viribus quæ ſufficere potuerunt portando ligno quod ad holocauſtum fuerat paratum; ad id autem non mediocri lignorum faſciculo opus fuiſſe, ſatis conjici poteſt: unde argumentum alii ſumpſerunt ad refellendam Aben Ezræ ſententiam, exiſtimantis fuiſſe tum Iſaacum decem, vel duodecim annorum tantùm, quæ ętas ad tale onus, preſertim in loco difficili, in quem erat cenſcendendum, apta non fuit. Judæi in Chronico ſuo majore dicunt, *Iſaacum patrem ſuum quando ligatus eſt*

ſuper altare, *egiſſe annum* XXXVI. *in Seder Olam*, cap. I. Joſephus Antiq. lib. I. cap. 14. fuiſſe tum annorum XXV. Alii XXXIII. qua ætate & Chriſtus eſt paſſus, cujus ille figuram gerebat. Sed non eſt neceſſarium, typum per omnia figuratæ rei reſpondere. Certè verſ. 5. vocatur נער *naar*, puer. Quod nomen de filiisfamilias non videtur dici, niſi de iis qui nondum ſunt in ætate virili. Alioqui ſcio tribui etiam ſervis, ut illo ipſo verſu, ſed alia eſt ratio; id enim non fit ratione ætatis, ſed quia ex duobus filiis, minor majori ſolet miniſtrare: ſic eadem vox uſurpata eſt pro *miniſtro*. Sed hoc argumentum ſatis firmum non eſt, adverſus eos qui volunt eum exceſſiſſe XX ætatis annum, quia poſteà Benjamin diceturr *puer*, Geneſ. 43. ℣. 8. cùm ætatem illam ſuperaret. Ex quo Mercerus & Cevalerius putant, hoc nomen in univerſum opponi ſeni, & complecti pueritiam, adoleſcentiam, & juventutem: & Ebraicè ſic dici, quia tum excuſſus eſt, agilis & habilis. Si in ea re conjecturis eſt agendum, exiſtimarem id accidiſſe Iſaaco adhuc adoleſcenti, circa annum ætatis ejus XVIII. tunc enim tales potuerunt eſſe ejus vires, quæ oneri portando ſufficerent. Non dubito id factum fuiſſe ante mortem Saræ, de qua poſteà agetur, quam negotii iſtius conſciam non fuiſſe maximè probabile eſt; etſi fortè eam non celaverit Abrahamus, quod ad ſacrificandum, ex mandato divino cum filio ad montem Morijah proficiſceretur, non indicatâ ſacrificii victimâ. Judæi, quorum audaciæ nihil eſt impervium, menſem etiam auſi ſunt aſſignare, quo id factum fuit, ſeptimum nempè, qui noſtro Septembri partim, partim Octobri reſpondet: imò diem etiam, nempè primam menſis, quo die, Levit. 23. ℣. 24. inſtitutum fuit feſtum tubarum, ſeu monimentum clangoris, in memoriam, ut Judæi quidem ex antiqua, ut aiunt, traditione perſuaſum habent, erepti ex nece patris ſui Iſaac, & arietis in ejus locum ſubſtituti, quia cornibus hærens vepribus, inventus fuit; hinc factum putant, ut cornearum tubarum clangore id feſtum celebraretur, & inde etiam feſtum cornu cognominaretur. Sed quamvis traditionem veterem prætexant, mera fuit conjectura, ex cornibus deducta. Quam tamen Judæi nonnullis Chriſtianis perſuaſerunt, ut *Comeſtori* in hiſtoria ſcholaſtica, *Hugoni Cardinali*, & *Vincentio Belloracenſi* ſpeculi hiſtorialis lib. 2. cap. 48. etſi ex veteribus non pauci id retulerint ad memoriam legis datæ in monte Sinai clangentibus tubis, & ingenti ſono excitato, quo perſtrepuit mons Sina: malim cum aliis, quia hinc ſumebatur totius anni civilis initium, fuiſſe hoc feſtum dictum *monimentum clangoris*, vel anni novi ſolemne, & publicam promulgationem, & velut præparationem ad alia tria feſta, quæ eodem menſe ſolebant celebrari. Sed de his obiter, ex occaſione.

Accedimus ad mandatum, cujus eum finem primùm proponit Moſes, *tentationem* nempè, Abrahami. נסה *niſſah*, inquit, *tentavit Deus Abrahamum*. Quod ideò præmiſit, ut ad narrationis ſequentis attentiorem animum præpararet, ſimulque lectoribus vel auditoribus adimeret horrorem, quem prima facies mandati, tam in ſpecie ab omni humanitate alieni, incutere potuiſſet: quaſi diceret, quæ poſteà dicenda ſunt, tendebant ad experimentum ſumendum de Abrahami fide, non quod Deus abſolutè voluerit, & efficaci voluntate id impleri, quod tamen imperabat; ſed eo tantùm fine id præceptum datum fuit, ut præcellens Abrahami fides & obedientia, notior omnibus atque illuſtrior exiſteret. Requirebat enim Deus propenſionem voluntatis, & diſpoſitionem ultimam ad actum, non tamen intendebat executionem, ut patebit. Mandatum tamen abſolutum erat ratione Abrahami: ſed decretum divinum de eventu non erat ei revelatum. Hìc locum habet diſtinctio, Deum quoſdam effectus imperare, & voluntatem ſigno declarare, quos tamen non vult fieri; cujus exempli uſus locum ſuum habet in controverſiis de voluntatis divinæ acceptionibus, ſecundùm noſtrum intelligendi modum.

Omnes quotquot ſunt interpretes hìc quæſtionem movent, quomodo dicatur Deus aliquem tentare; maximè quia inter Moſis verba, & Jacobi negationem ~~cap.~~ 13. videtur eſſe repugnantia. Dicit enim Moſes, *verſ 13.* *Deum tentaſſe Abrahamum*; Jacobus autem I. cap *Deum quemquam non tentare*. Quæ certè de una & eadem tentationis ſpecie, eodemque modo intellecta vera eſſe non poſſunt. Rectè igitur cenſuerunt omnes, opus eſſe diſtinctione, in verbo *tentandi*, & cùm ſint tentationum variæ ſpecies & diverſi fines, poſſe diverſas ob cauſas dici, Deum tentare, & Deum non tentare. Alioquin eſt quædam tentatio Diabolo propria, cujus ratione *tentator* appellatur, vel *is qui tentat*, Matt. 4. ℣. 3. & I. Theſſ. 3. ℣. 5.

Generalis hìc poteſt adhiberi diſtinctio & paucis verbis, tentationem aliam bonam eſſe, aliam malam. Unam probationis δοκιμασίας, alteram ſeductionis: ſecundâ neminem tentare Deum; primâ tentare Deum, & talem eſſe tentationem, qua tentavit Abrahamum, ut probaret eum. Sed operæpretium erit, ut pluribus de tentatione agamus, ut melius intelligatur differentia, & quæſtionis ſolutio ſit evidentior, quæ etiam alibi uſui eſſe poterit. Notandum igitur, tentationum, tam bonarum, quàm malarum, quadruplicem eſſe differentiam: prima petitur ab autoribus, ſeu à cauſa efficiente, quia multùm intereſt noſſe, à quo directè procedat tentatio. Si enim à Deo directè proficiſcatur, non poteſt alia eſſe quàm bona; ſi autem à Diabolo aut Diaboli inſtrumentis, quocunque modo fiat ſeu, directè, ſeu indirectè, mala erit, tamen diverſo modo.

Nam ſi tentatio verſetur circa rem per ſe non malam, id eſt, culpabilem, & quæ peccatum non ſit, ſed quæ ſua difficultate poſſet vel inobedientiam, vel impatientiam, aut tale aliquid in nobis, ex occaſione infirmitatis noſtræ cauſari, aliter omninò Deus in ea ſe

gerit, aliter Diabolus. Uterque poteſt difficultatem illam aut miſeriam immittere, ita ut cauſa ſit afflictionis aut mali pœnæ tam Deus ipſe, quàm ex Dei permiſſione Diabolus, ut in afflictionibus Jobi patuit: tamen quatenus Deus eas immittit, non poſſunt eſſe malæ, vel malorum propriæ cauſæ; ſed quatenus à Diabolo procurantur, & malæ ſunt, & malorum productrices.

Etiam in tentationibus quæ directè malæ ſunt, & ad peccandum inſtigant, aliter ſe gerit Deus, aliter Diabolus, non ſolùm ratione finis & ſcopi, ſed etiam ratione adminiſtrationis talium tentationum; quia Diabolus eas immittit directè, ſollicitando ad malum, & impellendo; quæ etſi aliquando tribuantur Deo, id alia prorſus ratione eſt intelligendum, nempè quia Deus habenas laxat aliquando Diabolo, eique permittit ut homines ſeducere conetur, imò & ſeducat, qua ratione dicitur 2. ad Theſſ. 2. immittere efficaciam erroris, non quidem effectivè, ſed permiſſivè; quæ nihilominus permiſſio otioſa non eſt, quia Deus prætereà, juſto judicio, ſubducit eam gratiam, qua ſi homo tentatus donaretur, reipſa tentationi reſiſteret; & tentatoris actus, etiam malos, ita moderetur, ut eos aliquando ab uno objecto avertat, dum in aliud incurrere ſinit; cujus adminiſtrationis ratione, etiam aliquando tribuuntur Deo tentationes ſuo genere malæ; quemadmodum ei tribuitur induratio, & traditio in reprobum ſenſum. Quia enim cùm talia arcere poſſet, non facit, nec dat auxilium efficax, quo vitentur, nec impedit, cùm poſſet, imò etiam ea ordinat in finem ſuum; tales tentationes etiam aliquando tribuuntur Deo, cùm derelinquit hominem, auxilio ſuo deſtituit, tentationibus noxiis vincendum. Huc referendum quod de rege Ezechia legitur 2. Chronic. cap. 32. ℣. 31. agente, nempè, *cùm oratoribus Principum Babyloniæ, qui miſerant ad eum, ut inquirerent de prodigio illo quod fuerat in terra, dereliquit eum Deus, tentando eum, ut experiretur quicquid erat ei in animo.* Nam hac ratione detecta fuit infirmitas & vanitas Ezechiæ, ſed tamen id adminiſtratum fuit à Deo, eo fine, ut humiliatus, ſibi poſteà melius caveret.

Et hæc non eſt minima differentia, à diverſo fine deſumpta quem Deus ſibi proponit, ab eo quem malus tentator intendit, qui finis varius eſt, ratione diverſorum objectorum; nam alio fine tentat ſuos, alio verò alienos, utroque ſemper bono, ſi Deum ſpectemus: in unis tamen malo & pernicioſo, eorum ratione, etſi bono quoad juſtitiæ divinæ executionem. In tentatione fidelium, ut varii ſunt inter eos gradus & profectus, ſic varii ſunt tentationis fines. Sunt enim nonnulli ex hoc numero, in peccatis ſuis torpentes, ſed qui ſunt emendabiles; ii tentantur, ut ad mentem redire diſcant, & evigilent, atque ita pœnitentiâ ducti veniam obtineant: ſunt alii qui rectè quidem incedunt, & proficiunt, ſed tentantur aliquando, ut ipſis profectus amplioris materia offeratur: ſunt qui robuſtiores fide, & gradibus pietatis præcellentes, etiam tentationibus exercentur; ut fiant exempla inſignis alicujus virtutis, ut Job patientiæ, Abraham fidei & obedientiæ, Joſeph Patriarcha caſtitatis, Martyres omnes invictæ fortitudinis & conſtantiæ: & hi omnes fines boni ſunt, etiam ratione eorum qui tentantur. Quorum omnium ratione, valet illud Apoſtoli, 1. Corinth. 10. ℣. 13. *Deum cum tentatione dare fœlicem eventum, quia non ſinit nos tentari ſupra vires noſtras.* Reproborum & impiorum alia planè ratio eſt; adminiſtrat enim ita Deus etiam tentationes malas ad eos quod ſpectat, ut eos Satanæ permittat, in eum finem, ut in iis peccata peccatis puniantur, & ſibi relicti, magis ac magis juſtitiæ divinæ ſubjiciantur: quo ſenſu Deus ad Achabum ſeducendum laxavit habenas ſpiritui malo, ita tamen ut nihil non bonum ex parte Dei in tentatione fuerit, etſi ceſſerit in perniciem impii regis. Tali etiam tentationum fine id Deus intendit & obtinet, quod ſceleratorum hominum vel ſimulata virtus, vel improbitas diſſimulata, retecta tandem atque nudata, fallere alios & in errorem inducere amplius non poteſt.

Eſt etiam notanda tentationum differentia ex parte objecti, à quo malæ vel bonæ tentationes prætereà dicuntur. Tentatio enim quæ directe fit à Deo, verſatur circa ea quæ Deo tribui poſſunt ſine ſcrupulo, qualia ſunt, externa omnia bona vel mala, aut corporis, aut, ut loquuntur, fortunæ: hujus enim generis bona auferre Deus poteſt, & contraria mala infligere, directè & propriè, ſine ullius labis aſperſione. Talis igitur poteſt eſſe à Deo ſecundùm efficientiam, & ſecundùm directionem ad intentum finem: Mala autem tentatio ratione objecti ſive materiæ verſatur circa mala ſpiritualia, cujuſmodi ſunt perverſæ cogitationes, & affectiones libidinoſæ, avaræ, ambitioſæ, crudeles: quæ non poſſunt eſſe à Deo ratione efficientiæ, etſi cùm aliundè irrepunt, non ſit otioſus Deus, in directione etiam malorum inſtrumentorum, & diſpoſitione finis.

Ut paucis abſolvamus, cùm verbum נסה *niſſah*, tentavit, quo hîc utitur Moſes, nihil aliud ſit quàm ſigno & indicio aliquo quippiam agnoſcere velle, aut experiri, & ſit tentatio in genere, experimenti ſumptio de eo qui tentatur, an ſciat, an poſſit, vel velit quod tentatione ab eo exquiritur, hoc etiam modo Deum ipſum tentare homines dicuntur. Hæc tentatio autem dupliciter fieri ſoleat, uno modo ut is qui tentatur ad aliquod malum directè inducatur: alio autem ut ad bonum aliquod promoveatur, vel ut homo ſuam imbecillitatem agnoſcat, & divinam virtutem requirat atque ut imploret, vel ut ipſius virtus exerceatur, aut ut alii etiam exemplo inſtituantur. Primo modo Diabolus eſt autor tentationum, & caro, & quicquid malè agendo & incitando ad peccatum, vel inſtigando ad flagitia, tentat. Sic tentavit Adamum & Evam, non quidem ut experientiam ſumeret, ſed ut in peccatum impelleret.

Hoc

Hoc modo non tentat Deus, & id rectè negat Jacobus. Alio autem Deus tentavit Jobum, Abrahamum, & alios, ut exerceret eos, aliiſque notam faceret eorum fidem, patientiam & charitatem: quam tentationis ſpeciem fideles non deprecantur, imò pro ea Deum requirunt, Pſal. 26. ℣. 2. *Proba me, Iehova, & tenta me, examina renes meos & animum meum*; cùm aliam contrà deprecari doceat nos Chriſtus, *Ne nos inducas in tentationem*. Bonam illam non negat Jacobus à Deo eſſe, qui illo ipſo capite, vult ut *pro ſummo gaudio ducamus, quoties in varias tentationes incidimus*, ℣. 2. Rationem addit, ℣. 12. *Beatus vir qui tolerat tentationem, quoniam cùm probatus erit, accipiet coronam vitæ*. Talis fuit tentatio, qua Deus adduxit Abrahamum ad ſerium examen, ut fidei experimentum in ſervo ſuo caperet.

Sed ex hac ſolutione emergit alia difficultas, & quaſi novus ſcrupulus; cùm enim ad probationem referamus tentationem Abrahami & experimentum, quo alicujus vel animus latens, vel virtus ignota, vel doctrina recondita dignoſcitur, quo modo plerumque homines alios tentant, quia non certò illis conſtat quid alii reconditum habeant; adeò ut tentatio, in eo qui tentat, ſive verbis, ſive factis, arguat ignorantiam, aut certè dubitationem ejus rei cujus explorandæ & cognoſcendæ gratiâ alium tentat. Cùm, inquam, id inter homines in eum finem fiat, quem Deo adſcribere nefas eſt, qui renes ſcrutatur, novit intima cordis, & quicquid vel in homine eſt, vel ab homine eſſe poteſt priuſquàm fiat; Quomodo potuit tentare Deus Abrahamum, ut experiretur qualis eſſet ejus fides, quam ipſe Deus indiderat, foverat, & intimè noverat? Reſp. planè negandum eſſe Deum hominem probare, & eo fine quo ſe homines mutuò probant tentationibus, vel Deum aliquid detegere quod priùs neſciebat; quam impietatem in Socino & Socini diſcipulis deteſtamur, qui nolunt Deum hominum conſtantiam in fide vel perſeverantiam noſſe, niſi ex effectu: contra Dei naturam, & expreſſa Scripturæ teſtimonia. Dicendum igitur, probationem illam vel experimentum non debere ad Deum referri ratione finis, ſed tantùm ratione efficientiæ. Deus enim efficit probationem, & experimentum fidei, patientiæ, &c. ſuo facto elicit; ſed finis homines reſpicit, tam eos qui probantur, quàm alios quibus probatio innoteſcit. Ergò Deus probat, quia facit ut aliis probetur; Deus cognoſcit, quia facit ut alii cognoſcant, quod anteà latebat, aut non ſatis erat manifeſtum. Quinam autem ſunt alii, nempè & illi ipſi qui tentantur, & quibus eorum exempla proponuntur. Nemo enim ſibi planè notus eſt, & ſæpè per tentationem detegitur infirmitas, cujus ſibi antè non erat conſcius qui tentatur; ſæpè etiam robur & firmitas, quam ſibi adſcribere non fuiſſet auſus. Quod ſi aliquis ſibi notus ſit utcunque, cum fructu aliis exponitur ejus virtus, ut habeant quid in eo imitentur; & optimè Auguſtinus, cùm in tentatione nobis ipſis nos probat Deus per victoriam, dat unde gratias agamus; aliis verò indicat quid petere debeant. Alium finem Petrus docet, Epiſt. 1. cap. 1. ℣. 7. *Vt exploratio fidei veſtræ multò pretioſior exploratione auri, quod perit, & tamen exploratur, comperiatur vobis eſſe laudi & gloriæ & honori, cùm patefiet Ieſus Chriſtus*: ubi indicat, tentationes fidelium, producendas eſſe, tanquam fidei teſtimonia in æterna remuneratione. Hi omnes fines locum habuerunt in tentatione Abrahami; qua primùm ille expertus eſt, quas Deus ipſi vires largitus erat. Aliis autem in omnes generationes tanquam obedientiæ exemplum eximium proponitur, cujus cognitione honor ejus in Eccleſia celebratur, & de ejuſdem glorificatione apud Deum, nullam dubitationem relinquit.

Ex dictis non erit difficile cuilibet, alios ſimiles locos, in quibus de tentationibus Dei agitur, conciliare, & inter tentationes divinas & diabolicas diſcernere, in utriſque Deo nos committere, ut cùm ipſe nos probat, etiam probatos reddat ſpiritu ſuo; cùm patitur ut à malo tentemur, nos defendat & tueatur, ne ſuccumbamus.

Mandatum divinum, ℣. 2. his verbis enunciatur, *Cape nunc filium tuum, unicum tuum, quem dilexiſti Iſaac, & vade ad terram Morijah, & offer eum ibi in holocauſtum, ſuper unum è montibus quem dixero tibi*. In quo mandato, ſpecies ſacrificii determinatur, *holocauſtum* nempè; miniſter, *Abraham*; hoſtia, *Iſaacus*, filius *unicus*, & *dilectus*; locus, *Morijah*. In quibus pleriſque, imò omnibus circumſtantiis aggravatur mandatum, ejuſque implendi difficultas augetur. Nulla ſacrificii ſpecies fuit, in qua hoſtia oblata, tot modis conficeretur; nam præter id quod jugulabatur, in partes ſcindebatur, tandem toto igne abſumebatur: quæ res, etſi faciebat ad conteſtandum ſupremum dominium creatoris omnium, in tali tamen ſubjecto fuit horrenda; ut poſt cruentatum ſanguine gladium, chariſſimi filii corpus, ipſe pater, propriis manibus imponeret rogo, & in cineres redigeret. Etſi enim id durum fuiſſet, etiam alteri miniſtro commiſſum; quod tamen propria manu id jubetur exequi, tentationis acerbitatem non parum auget. Huc etiam facit hoſtiæ petitæ qualitas, quod filius ſit, quem pater ipſe jubetur jugulare; quod non unus inter multos, ſed unicus, quod dilectus. Ad locum quod ſpectat, cùm tridui itinere diſtaret, id etiam ad excruciandum fidelis animum faciebat, quod in via longa id meditari tamdiu deberet, & præſente objecto de re cogitare ſæpiùs occaſio daretur; ſed hinc magis commendatur obedientia, tamdiu deliberata, quam conſtat non fuiſſe temerariam, vel ex impetu, ſed prudentem & præmeditatam. Ideò voluit Deus circumſtantias illas omnes ſigillatim expendi, ut exemplum obedientiæ, omni exceptione majus haberetur.

Nomen loci à Domino indicati dicitur מריה *morijah*.

De cujus vocis etymo variæ ſunt Ebræorum & noſtrorum ſententiæ. Vulgatus interpres deducit à ראה *raah*, vertit enim *montem viſionis*, expunctâ literâ א. Aquila ſimiliter, εἰς τὴν γῆν τὴν καταφανῆ, *in terram lucidam*. Symmachus, τῆς ὀπτασίας, id eſt, *viſionis*. Onkelos & Jonatham, *terram cultus*, ſive *religioſam* interpretantur. Nempè à מורא *mora*, timore, quaſi jam tum ita fuiſſet dicta velut omine quodam, quo deſtinandus eſſet aliquando locus ille cultui divino. Sunt qui à מור *mor*, deducunt, id eſt, myrrha, quæ ſuffitui, cultus divini parti, adhibebatur: alii à doctrina, vel doctore, à radice ירה & הורה *jarah* & *horah*, in hiphil *docuit*, quod inde exitura eſſet doctrina ſalutis. Alii, inter quos doctiſſ. Mercerus, quem ſequitur Pererius, per prolepſin à Moſe ſic appellatum dicunt, etſi poſteà id nomen monti & tractui fuerit inditum, ex eo quod Abrahamus petenti filio ubi eſſet holocauſti victima, reſponderit, *proviſurum de eo Dominum*, verſ. 14. ubi tamen poſteà ſententiam illam refellit hoc argumento, quod cùm Dominus Abrahamum juſſerit, ut in terram Morijah proficiſceretur, ita antè videtur fuiſſe vocata, & notiſſima fuiſſe Abrahamo, licet omine quodam, ob res ibi futuras, ſic vocaretur. LXX interpretes reddiderunt, τὴν ὑψηλὴν, *excelſam* terram, id eſt, eminentem, quæ procul videri poteſt, ubi appellativè accipiunt. Proprium tamen fuiſſe nomen, non ſolùm tractus alicujus, ſed montis aut collis, patet ex 2. Paralip. cap. 3. ℣. 1. ubi legimus Salomonem ædificare cœpiſſe domum Domini in Jeruſalem, בהר המוריה *behar hammorijah*. Quis autem fuerit mons ille, ibidem explicatur, nempè *qui monſtratus fuerat Davidi patri ejus, quando paravit* ſacrificium *in area Ornan Iebuſæi*. Etſi ergò, qua occaſione, & quando, ſic fuerit vocatus mons, certò non poſſimus affirmare, id tamen ex Scriptura habemus manifeſtum, fuiſſe montem in quo ædificatum fuit templum. Proinde non ſine myſterio factum fuiſſe, ut tam inſigni obedientiæ actu anteà nobilitaretur locus, quem Deus volebat eligere ad cultum ſuum in populo Iſraëlis. Id etiam neceſſarium eſt, notum fuiſſe locum Abrahamo, ut illum verſùs iter ſuum dirigeret, etſi particularis ille locus, in quo debuit offerre, ipſi non fuerit indicatus, niſi cùm ad montem perveniſſent.

Priuſquam ad Abrahami obedientiam veniamus, paucis illud Dei mandatum expendemus, an bonitati & ſapientiæ divinæ conveniens fuerit, tale ſacrificii genus homini imperare, & ad actum illum impellere juſſionis ſuæ neceſſitate, à quo abhorret natura? Hîc primò conſiderandum eſt jus Dei, & dominium in omnes creaturas abſolutum; quo fundamento poſito, id neceſſariò ſequitur, poteſtatem illimitatam habere in omnes ſuas creaturas, quæ ut in eſſe ſuo à Deo pendent, ſic poſſunt ab eodem in nihilum redigi, nedum ut non poſſit, ubi de gloria ejus agitur, de creaturæ ſuæ, etiam rationalis, vitâ diſponere, & eam repetere, quibus ipſi viſum fuerit modis. Homo etiam non ſolùm non poteſt impedire quominus de ſe & aliis, prout libitum fuerit diſponat; ſed tenetur præterea agnitâ voluntate divinâ, ſuam ducere captivam in obſequium, & ſemetipſum abnegare, affectioneſque ſuas omnes Deo conſecrare. Quamobrem ſequitur in hoc mandato, etiamſi Deus voluiſſet illud impleri ratione eventus, nihil fuiſſe iniquum vel injuſtum, nihil etiam contra bonitatem Dei vel ſapientiam; ſi enim nulla fuit iniquitas in jubendo, etiam nulla potuit eſſe vel crudelitas, vel truculentia, nec potuit homo de injuria ſibi facta conqueri. Si ergò Deus ab initio voluiſſet humanis victimis coli, ſola Dei voluntas habenda fuiſſet pro juſtitiæ & æquitatis regula. Proinde in hoc mandato nihil eſt, cur ratio humana poſſit aut debeat oggannire. Id quidem verum eſt, Deum non poſſe pœnam infligere, vel punire creaturam abſolutâ ſuâ voluntate, quia id repugnaret juſtitiæ ſuæ, ſi non præcederet punitionem culpa, eſſetque contra naturam divinam: ſed extra punitionis rationem, nihil obſtat, quominus pro gloria ſua, poſſit uti damno creaturæ ſuæ, prout libuerit.

Verum etſi de hoc Dei jure dubitari non poſſit, imò etiam ſi ſacrificium offerretur Deo tantùm in agnitionem plenæ poteſtatis ejus, ſine reſpectu peccati; multo magis ſi reputemus omnes homines eſſe peccatores, qui cùm ſint ipſi nocentes, nihil eſſet iniquum ſi pro iis non moreretur victima, ſed ipſi morte luerent; aliter nihilominus pro ſua benignitate & φιλανθρωπίᾳ cum hominibus egit, ita ut noluerit ut aſſueſcerent ſanguini humano, in ſacrificiis effundendo, tantùm ut cogitarent quid eſſent meriti, ſubſtituere voluit in eorum locum bruta animalia, quorum etiam carnem nobis ad edendum indulſit. Itaque cùm in lege ſibi reſervaſſet omnia primogenita tam hominum, quàm beſtiarum; voluit tamen ut redimerentur hominum primogeniti, nec paſſus eſt, utens rigido jure, ut immolarentur, quod de animalium rationis expertium primogenitis exigebat, exceptis immundis, qui etiam redimebantur. Exod. 13. ℣. 2. & 22. ℣. 29. & 30. in quibus locis Deus ſibi omne primogenitum reſervat. Sed Exod. 3. ℣. 11. *Omne*, inquit, *primogenitum ex filiis tuis redimito*. Quod repetit cap. 34. ℣. 19. & 20. Quo mandato ſatis oſtendit, ſe non delectari humano ſanguine, nec voluiſſe ut ſacrificia hominum locum haberent in populo ſuo. Idcircò cùm eò veſaniæ veniſſent Iſraëlitæ, ut filios ſuos ſacrificarent idolis, Scriptura hanc execrandam idololatriam exagitat, non ſolùm idololatriæ nomine, ſed & crudelitatis & barbariei. Pſal. 106. ℣. 27. *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas Dæmoniis*. Et ſtatim, *effuderunt ſanguinem innocentium, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Canaan*. Et Jerem. 7. ℣. 31. *Ædificarunt excelſa Thopheth, quæ eſt in valle filii Hinnon, ut incenderent filios ſuos & filias ſuas igne*. Talibus victimis delectatus eſt Satan, hoſtis generis humani, homines ubique ad

ἀνθρω-

ἀνθρωποθυσίαν ſollicitans, effecitque ut immanis illa ac bar[illegible] conſuetudo hominum immolandorum, non [illegible]tum apud veteres Druidas Gallos, de quibus Cicero in orat. pro Fonteio, vigeret, verùm etiam apud Africanos, Siculos, Italos, Græcos, Scythas, Thraces, Britannos, & alios plures, qui homines immolarunt Saturno, Jovi, Apollini, Diti, Marti, Herculi, &c. Qui mos etiam ad noſtra uſque tempora duravit apud barbaras nationes, ut ex navigationibus multorum compertum eſt. Non crederem autem, quod quidam putant, id apud Gentes ortum fuiſſe ex κακοζηλία ob exemplum Abrahami qui voluit filium mactare; ſed potiùs inſtinctu diaboli, qui cùm non ignoraret vaticinia de Chriſto pro hominum ſalute immolando, fidem, reverentiam, fructumque illius elevare, & penitus tollere hac ratione annifus eſt. Sed nunquam id obtinuiſſet apud homines, niſi anteà convicti fuiſſent, tantam eſſe majeſtatem divinam, & iram Dei contra peccatum, ut planè ei ſatisfieri non poſſet hoſtiis brutorum animalium, ſed digniorem aliam eſſe quærendam, & excellentiorem. Cùm itaque nihil haberent inter creaturas quæ hominum poteſtati ſubſunt, homine ipſo dignius & excellentius, facilè adducti fuerunt, ut Deum etiam placare conarentur humanis ſacrificiis. Qua in re eadem arte uſus eſt, qua in aliis religionis exercitiis. Inde enim ſumpſit occaſionem conſtruendi hanc crudelem & homicidam religionem, cùm jam hoc reperiſſet ſubſtratum in mẽtibus hominum fundamentum: quod ab ipſo naturæ teſtimonio procedebat, & à ſenſu iræ divinæ, qui omnium conſcientiam premit. Nec certè tale teſtimonium in genere ſumptum ratione carebat; ſed in eo tantùm, quod cæci in tenebris palpantes & luce verbi divini carentes, non potuerunt aſſurgere ad unicam illam victimam, quam ſola divina revelatio venturam promiſit, adumbravit, & tandem ſuo tempore exhibuit.

In qua tamen exhibenda id etiam Deus obſervavit, ne ſacratiſſima hoſtia θεανθρώπε mactaretur ab eo qui affectu aliquo in eam duceretur, adhibitis ritibus & ceremoniis, quod à viro pio fieri non potuiſſet, niſi cum ſumma animi commotione & ægritudine, etiam à Deo imperatum: itaque omnia ita diſpoſuit ſuâ providentiâ, ut hoſtilibus animis filii ſui poteſtatem fecerit, intervenerit autem filii voluntas ſe eis permittentis, qua voluntate ſimul victima fuit & Sacerdos, etiamſi aliorum paſſus ſit hoſtilem violentiam.

EXERCITATIO CVI.

Mirabilis Abrahami obedientia. Quam non elevat furor & ἀσοργία quorundam idololatrarum. Quomodo fides ejus de ſemine *ex Iſaaco potuit conſiſtere cum immolandi propoſito?* Cæcam *ut loquuntur*, obedientiam *ſoli Deo deberi. Quam blaſphemè hominibus voluit reddi Loyola, etiam adducto Abrahami exemplo. Quæ fulcra fidei ſuæ potuit habere Abrahamus. Explicatur Apoſt. locus ad Hebr.* XII. *verſ.* 17. *& ſeqq. Quomodo Abraham ſervis ſuis potuit promittere reditum filii? Refelluntur qui Abrahamum fuiſſe mentitum concedunt. Solvitur dubium propoſitum. Mira Abrahami conſtantia & animi præſentia, donum Dei maximum. Prudens reſponſum ad Iſaaci interrogata. Expenditur Iſaaci obedientia, & fons ejus detegitur. Cur pater conſentientem ligaverit? Quomodo hanc hiſtoriam ſuis fabulis Dæmon conatus eſt elevare?*

SED jam tempus eſt, ut ſancti viri obedientiam expendamus, quæ verſ.3.4.& ſeqq. con-tinetur, ad verſum uſque decimum incluſivè. Accinxit ſe igitur quamprimùm ad opus, ſine aliqua tergiverſatione, & ſummo manè ſuſcipit iter ad indicatum locum, paratis omnibus neceſſariis ad executionem mandati divini, quantumvis duri & difficilis. Quæ certè difficultas mirabilem reddidit Abrahami fidem & obedientiam. Nec eſt quod ut eam elevet aliquis objiciat, tralatitium fuiſſe apud Chananæos, Pœnos, aliaſque gentes à Chananæis forſan ortas, ut filios immolarent. Nam id fecit in illis veſanus ſtupor, & hoc habet idololatricus furor & ſuperſtitionis inſania, ut cùm alia vitia, tum etiam ἀςοργίαν & ſaxeam quandam ἀπάθειαν inducat. Alia eſt ratio pietatis, quæ vitia quidem exuit, ſed non humanos affectus naturales, cùm gratiæ hoc proprium ſit, non deſtruere, ſed perficere naturam. Hinc eſt quod David, perduellis filii Abſalonis vitam, morte ſua repræſentatam voluiſſet, 2.Sam. 19. ℣. 1. Non dubitandum eſt, quin Abraham in hoc actu pluſquam heroico, fuerit mentis compos & φιλόςοργος: ſed tamen omnes ejus affectus & tentationes ſuperabat reverentia, quam noverat Deo deberi, & ea quam in Deum collocabat fiducia. Ubi tamen difficultas occurrit, quomodo ſubſiſtere potuerit fides promiſſionum divinarum, de ſemine benedicto ex Iſaaco, cum animo eum offerendi Deo in holocauſtum? hæc enim videntur ſubſiſtere ſimul non poſſe. Itaque videtur, Abrahamum ita occupatum fuiſſe totum in mandati divini conſideratione, ut de aliis non cogitaverit quæ anteà fide perceperat, nec aliter poterant impleri, quàm vivente Iſaaco. Et certè quamvis in fidelibus ſemper maneat habitus fidei ſemel infuſus, aut acquiſitus per gratiam; non tamen quovis momento, circa unum

&

& idem objectum actus credendi ſe exerit. Quia poteſt accidere, ut præ nimia mentis intenſione circa aliud objectum perinde bonum, non cogitet fidelis, aut non attendat ad aliud. Qua ratione poſſet laudari obedientia Abrahami, etſi non cogitaſſet tum quidem de præteritis promiſſionibus, hac ſola ratione permotus, quod mandatum divinum haberet, à quo abſolutè pendere vellet ſine ulla diſquiſitione. Hæc eſt *obedientia*, quam *cæcam* vocant, & quæ ubi Deus loquitur, idque certò nobis innoteſcit, laude digniſſima eſt, quia per eam homo ſe totum committit Deo, cui captivum reddit intellectum ſuum. Sed alia eſt ratio, cùm eandem exigunt homines à ſuis conſervis; quod Jeſuitæ inter cæteros urgent maximè, nec minùs promptam in rebus arduis, & intellectui repugnantibus requirunt obedientiam, abnegatâ omni rationis conſideratione, quàm ſi Deus ipſe præſens præſenti verba faceret. Non enim puduit deteſtandæ ſectæ conditorem, hoc abuti exemplo Abrahami, in ea epiſtola quam de obedientiæ virtute ad ſuos fratres Luſitanos ſcripſit. Hæc enim ſunt ejus blaſphema verba; *Poſtrema ſubjiciendi judicii ratio eſt cùm facilior tutiorque, tum etiam apud ſanctos Patres in more poſita; ut ſtatuatis vobiſcum ipſi, quicquid ſuperior præcipit, ipſius Dei præceptum eſſe & voluntatem, atque ut ad credenda quæ Catholica fides proponit, toto animo aſſenſuque veſtro ſtatim incumbitis; ſic ad ea facienda, quæcunque ſuperior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ſine ulla prorſus diſquiſitione feramini. Sic egiſſe credendus eſt Abraham, filium immolare juſſus.* An igitur eadem eſt ratio Dei jubentis, & peccatoris hominis? Certè ubi de mandato Dei ita conſtat, ut de eo dubitari non poſſit, diſquirendum non eſt, an juſtum ſit necne, vel an Deus ſibi conſtet, & mandato ſuo promiſſiones ſuas non deſtruat; talis enim diſquiſitio injuriam Deo faceret, qui ſuperiorem nullum habet, ad cujus regulam exigenda ſint divina mandata. Sed cùm homines omnes pendeant à regula divina, Deo fit injuria, ſi nullo reſpectu habito divinarum legum, alicujus hominis, quantalibet autoritate præditi, juſſa capeſſamus, ſine examine & collatione ad divinam voluntatem, præſertim ubi agitur de mandatis difficilibus, & quæ primo intuitu præ ſe ferunt aliquid durum, & aliquando abſurdum. Tunc certè diſquiſitione opus eſt, eaque diligentiſſima. Quando cum hominibus nobis res eſt, non tam conſiderandum eſt, quis ſit qui dicit, quàm quid ſit quod dicatur. Sed Deo loquente ſufficit, etiam cùm id quod dicitur inſuetum eſt, & carni, imò & rationi, repugnans, ut agnoſcamus, quis dicat.

Id facit Abrahamus, qui non hæſitavit an id faceret necne, ſed tamen in hac gravi tentatione fidei ſuæ fulcra quæſivit, neque enim ita perturbatus fuit, aut ſoli mandato attentus, ut non cogitaverit de promiſſionibus in Iſaaco factis, & apud ſe perpenderit quomodo cum tali mandato, & ejus executione, quam intendebat, quantum in ipſo erat, ſubſiſteret veritas promiſſionis. Utrobique videbat Deum promittentem & mandantem; mandantem quidem ut deſtrueret promiſſionis ipſius non ſolùm arrham, ſed etiam fundamentum. Ibi ſi nihil aliud ſuccurriſſet, nec rationem aliquam talia conciliandi reperiſſet; id potuiſſet apud ſe conſtituere, Promiſit Deus mihi in Iſaaco ſemen, mandat tamen ut Iſaacum in cineres redigam. Idem eſt cui promittenti fidem habui, & qui nunc mándat ut ſacrificium hoc offeram; juſta eſt ejus voluntas, ut invariabilis eſt ejus veritas; utrumque igitur faciam, credam & obediam: ei autem committam, quam non intelligo rationem, qua promiſſionis ſuę veritatem ſuo tempore ſit demonſtraturus. Id quidem ita in genere cogitatum vel dictum, ſufficere potuiſſet.

Sed altius etiam conſcendit invicta patris credentium fides, quam diligenter expendit Apoſtolus cap. 11. Epiſt. ad Ebræos, docetque quomodo tentatione ſuperior fuerit, atque uno & eodem momento fidem tenuerit de ſemine benedicto in unico filio, & unicum tamen filium mactare ſibi propoſuerit. *Abraham* (inquit verſ. 17.) *cùm tentaretur, obtulit Iſaacum per fidem; unigenitum inquam obtulit is, qui promiſſiones exceperat.* ℣. 18. *Ad quem dictum fuerat, in Iſaaco vocabitur tibi ſemen.* Quæ prudentiſſimè perpendit Apoſtolus, quia in eo verſabatur totius difficultatis cardo. Reliqua enim, quod pater filium, quod unicum, quod dilectum, manibus ſuis diſcerpere, & in ignem conjicere debebat, etſi dura admodum, & difficilia, tamen ſi promiſſio abfuiſſet, & Iſaacus non fuiſſet ſpecialiter deſignatus tanquam ſeminis promiſſi parens, potuiſſent quidem horrorem incutere, & obedientiam remorari, ſed non potuiſſent directè fidem impetere. Sed quia promiſſiones acceperat, eaſque in Iſaaco datas, hic nodus fuit adſtringens validiſſimè, cujus ſolutio non cuivis potuiſſet occurrere. Igitur, *Ratiocinatus eſt Abraham*; dum enim obtulit filium, *rationalem cultum* exhibuit Deo, ejus autem ratiocinationem nobis Apoſtolus aperit, verſ. 18. *Deum potentiâ præditum eſſe, etiam ſuſcitandi ex mortuis* filium, nempè Iſaacum. Id ergò cogitavit, in mortuo, qui per mortem planè huic vitæ ſubduceretur, non poſſe impleri promiſſionem; videre quidem ſibi neceſſitatem impoſitam filium, promiſſionem hæredem, vitâ privandi; nondum tamen eſſe deſperationi locum de impletione promiſſionis; quia cùm Deus ſit autor vitæ, eam poteſt mortuis reddere, & cineres Iſaaci ſuſcitare, ut eo per Dei potentiam ad vitam redeunte, ſemen illud benedictum Deus tempore præſtituto, daret generi humano. Credidit firmâ fide immortalitatē animarum, & corporum reſurrectionem; novit præterea Deo nihil eſſe impoſſibile, nec ullum objici cōſiliis ejus obſtaculum, quod non facillimè removere poſſit. Hac fide fretus, ſuperavit omnes contrarias ratiocinationes, oſtenditque ſuo exemplo, quibus armis cum tentationibus ſit confligendum, ſi carnis:

ſenſus,

ſenſus, ſi rationis cavilla fidem noſtram impetant. Ratiocinandum quidem, ſed ex verbo Dei, ex creditis, ex notitia potentiæ, veritatis & conſtantiæ divinæ; ita ut non committantur, quaſi pugnarent; ſed earum harmonia ſe nobis objiciat, & concentu ſuo pacificet conſcientias noſtras, quibus id ſemper ſuccurrat, nos noſtraque omnia eſſe Deo conſecranda, conjuges, liberos, & quicquid nobis vita charior eſt, ubi Dei verbum præit, & id Dei gloria requirit, tunc enim omnibus propter Deum renunciandum, ut potior nobis ſit præcepti ratio omnibus humanis ratiocinationibus. Videndum tamen ne pravâ imitatione quicquam agamus, & extra Dei verbum nobis revelatum, feramur inſtinctu fanatico; quod noſtris temporibus accidit nonnullis Anabaptiſtis, inter quos fuit frater qui ante oculos parentum, iis ſpectantibus nec renitentibus, revelationis prætextu, enſe caput fratri præſcidit, quod in agro Sangallenſi accidiſſe, memorat Volfgangus Muſculus. Itaque videndum eſt quo ſpiritu ducamur.

Ex dictis deſumenda eſt ſolutio difficultatis emergentis, ex eo quod verſ. 5. Abrahamus, dum jubet ſervos ſuos ſubſiſtere, & ſedere in vicinia loci ad ſacrificium deſtinati, addit, *Ego & puer ibimus uſque illuc, & adorabimus, & revertemur ad vos.* Cùm enim Abrahamus iret eo animo, ut filium ſuum in holocauſtum offerret Deo, quæritur, quomodo cum tali intentione, potuit promittere, non ſolùm ſuum, ſed etiam filii reditum, quem ibi moriturum, & igne conſumptum iri credebat. Rem quidem ipſam dicebat Abrahamus, ſic enim accidit, ut prædixerat; ſed an ſciens id dixerit, vel potius, an contra id quod ipſe exiſtimabat, dixerit, dubitari poteſt. Sunt quibus non eſt religio, ſanctum Patriarcham inſimulare mendacii. Sic enim Melchior Canus, ſuam & aliorum ſententiam explicat, Locorum Theolog. lib. 2. ℣. 20. *Sunt* (inquit) *quibus ego vehementer aſſentior, qui admittunt quidem Abraham ea ratione fuiſſe mentitum, quod contra mentem diſſimulandi cauſsâ locutus eſt; prophetaſſe autem, quia dixit verum, quod tunc ſcilicet ignorabat.* Quaſi idem accidiſſet Abrahamo, quod poſteà Caiphæ, qui ignorans prophetavit; imò aliqua ratione pejus aliquid, quia Caiphas non loquebatur contra mentem ſuam. Meritò igitur ab aliis notatur Cani ſententia, & temeritatis arguitur. Et certè potuiſſet ita loqui, *veniemus ad vos*, citra mendacium, etſi non exiſtimaſſet filium ſuum rediturum. Non eſt enim inſolens in Scriptura, ut quod in uno impletum eſt, vel ab uno factum ex pluribus, cæteris etiam tribuatur, qui in comitatu fuerunt. Sic quod à Juda dictum fuit, Johan. 12. ℣. 4. *Quare hoc unguentum non vaniit trecentis denariis, &c.* apud Matth. cap. 26. ℣. 8. & Marcum cap. 14. ℣. 3. tribuitur *diſcipulis*, in plurali: & quod Luc. 23. ℣. 39. tribuitur *uni ex latronibus* qui erant ſuſpenſi, quod convitiabatur Domino, altero tamen eum redarguente, Matth. 27. ℣. 44. & Marci 15. ℣. 38. dicitur in plurali de iis qui cum ipſo crucifixi erant. Quemadmodum ergò, quod apud alios de latronibus dicitur, de alterutro eorum, non de duobus intelligendum fuiſſe docet Lucas; ſic quod in plurali dicebat Abrahamus, *revertemur ad vos*, verum eſſe potuit, etiam ſi ſolus reverſus fuiſſet. Sic enim loquitur Scriptura per *ſyllepſin.* Sub qua tamen potuit Abrahamus, ſine mendacio, diſſimulare, quod tum ſervis non erat retegendum.

Hanc eſſe ſimpliciſſimam rationem ſolvendi propoſitam difficultatem exiſtimo. Quam enim alii excogitarunt diſtinctionem de naturæ ordine, & cauſarum ſecundarum, ſecundùm quem loquutus fuerit Abraham, tacito ordine ſupernaturali, non tam quæſtionem ſolvit, quàm involvit. Rectiùs Calvinus, *Quia certum eſt, quod de ſemine in Iſaaco ſuſcitando promiſſum erat, nunquam illi fuiſſe elapſum, fieri poteſt ut in Dei providentiam recumbens, ſuperſtitem filium in morte ipſa ſibi propoſuerit: ac ſicut clauſis oculis ad occidendum filium pergebat, ita nihil abſurdi eſt, ſi confuſè in re obſcura locutum fuiſſe dicamus.* Hæc ille, cujus ſententia media eſt, inter eos qui putarunt Abrahamum jam tum certum fuiſſe, ſe cum filio rediturum; quia ſciebat Deum per reſurrectionem eum redditurum, & eos qui ſenſerunt, loquutum fuiſſe contra mentem ſuam. Id ex Apoſtolo anteà, certum eſſe oſtendimus, non dubitaſſe Abrahamum de impletione promiſſionum in Iſaaco, & de ejus reſurrectione tum cogitaſſe, cùm ad eum immolandum ſe diſpoſuit. Sed tamen id probari non poteſt ex eodem loco, credidiſſe eum ſuſcitandum eſſe, ſtatim poſt immolationem, nec id fuit neceſſarium, ut nempè ſtatim reſuſcitandum crederet, antequàm domum reverteretur. Nec eſt levis momenti ratio, quam adfert Cajetanus, ut probet Abrahamum non fuiſſe certum de tam ſubita reſurrectione, quia non tanta fidei & obedientiæ ejus laus fuiſſet, quantam & Patres & divinæ literæ prædicant, quod filium promptè & alacriter immolare voluiſſet, ſi eum ſtatim poſt immolationem, ſciebat ad vitam eſſe revocandum.

Et certè, quæ ab Apoſtolo de argumentis quibus ſuam fidem fulciebat Abrahamus, dicuntur, non certò determinant modum illum reſurrectionis; ſed id tantùm, credidiſſe, *Deum poſſe eum ex mortuis ſuſcitare.* Alioqui rem committebat Deo, promiſſioni recumbens, de potentia divina certus, de variis modis cogitans, ſed voluntati divinæ nihil præſcribens, quæ, ſi modum ſpectemus quo reſtituendus ipſi erat filius, non potuit ei eſſe revelata; proinde nec potuit fide talem modum apprehendere tanquam certum, quia fides innititur expreſſis promiſſionibus divinis. At Deus non ei revelaverat ſe filium ipſi per reſurrectionem redditurum, quia hoc fieri non debuit: nec etiam ſe non permiſſurum ut exequeretur quod mandaverat, ſi externum ſpectemus actum; id enim ludicrum fuiſſet, nec conſiſteret laus obedientiæ Abrahami. Unum igitur certum fuit, &

fide apprehenſum, validas fore promiſſiones divinas in Iſaaco, non obſtante mandato de immolando eo, & obedientia parentis. Item illud, *Deo nihil eſſe impoſſibile.* Sed de modis poſſibilibus, nihil ab homine determinari potuit, niſi id ſolùm quod poſſibiles eſſent; quod verò hic aut ille in actu futurus eſſet, id quidem Deo fuit reſervandum. Quod cùm ita ſit, nihil potuit certò promittere Abrahamus de filii ſui reditu tam prompto, unà ſecum. Itaque omnibus diſcuſſis, potior nobis & ſimplicior videtur interpretatio, quæ in verbis Abrahami *ſyllepſin* admittit.

In ſequentibus plurima ſunt, quæ ad fortitudinem & conſtantiam Abrahami commendandam faciunt. Totus hic apparatus de quo verſ. 6. cùm ipſe pater imponit filii ſui humeris ligna, quæ paraverat ad holocauſtum ipſius bajuli, quem videbat inſcium onerari inſtrumentis conſumptionis ſuæ; ipſe pater incedens, inſtructus gladio & igne ad eundem finem. Hæc, inquam, omnia fieri non poterunt niſi ab eo qui ſtorgas omnes ſubjecerat Deo. Sed dialògiſmus qui ſubjicitur verſ. 7. & 8. inter patrem & filium, cum tanta utrobique verborum & affectuum ſuavitate, eſt velut tormentum novum à Deo erectum, ne quid ad extremam doloris atrocitatem deeſſet. Hìc opus fuit, ut qui talia objiciebat & tam difficilia, ſuggereret etiam quibus ferendo eſſet, quia nulla potuit eſſe humana virtus, non ſuccubitura ſub tam atrocis tentationis gravitate. Ut ergò *humana* eſſet tentatio, ut loquitur Apoſtolus, 1. Cor. 10. ℣. 13. opus fuit, ut *præſtaret* etiam *unà cum tentatione evaſionem, ut poſſet ſufferre.*

Id certè fecit, & præterea, in ardua & velut inextricabili quæſtione, ſaltem niſi voluiſſet rem aperire ante tempus, ornavit ſervum ſuum prudentiâ neceſſariâ; quæ eò præſtantior fuit, quòd tum variis affectibus eſſet perculſus, quo tempore accidit ſæpè prudentiſſimis, ut ea dicant quæ non ſatis præmeditata videntur. Sed ille, cùm nondum rem vellet aperire filio, incedenti ſub onere lignorum, nec tamen à veritate, vel tantillum deflectere ſibi proponeret, confugit ad aſylum providentiæ divinæ, in qua etiam Iſaac, benè in pietate educatus, acquievit. Quod autem dicit, *Deus providebit ſibi agnum* השה haſſeh, *ad holocauſtum*, cùm tamen putaret filium ſuum eſſe immolandum, intelligendum eſt figuratè, vel ut interpretatus eſt Vulgatus, communi quadam ſignificatione, in qua vox illa pro quavis victima ad ſacrificium deſtinata accipitur, quo etiam modo Chriſtus appellatur agnus, id eſt, victima, ſive hoſtia. Interim verum eſt, ſub hoc uſitato & communi vocabulo Abrahamum adhuc voluiſſe occultare, & Iſaacum celare, quænam victima Deo eſſet deſtinata: cujus tamen Deus direxit linguam, ut ſic loqueretur, & ſub talibus verbis rem exprimeret quæ poſteà accidit, præter ejus intentionem, ut ſuo loco dicetur.

Tandem cùm eò deventum eſſet, ubi manus operi erat admovenda, neceſſarium fuit, ut ipſe etiam Iſaacus intelligeret, quod eum anteà celaverat pater. Narrat Moſes ℣. 9. Abrahamum ibi altare ædificaſſe, nempè opere tumultuario, & Iſaaci ſui uſus operâ. Ordinaſſe item ligna: & hactenus id fieri potuit Iſaaco ignorante, quænam hoſtia deſignata eſſet ſacrificio. Sed quod additur, non potuit fieri niſi re tota patefacta. *Ligavit* (inquit) *Iſaac filium ſuum, & impoſuit eum altari ſuper ligna.* Certum eſt, neque Iſaac fuiſſe infantem, qui putaret talia eſſe ludicra. De ejus ætate jam diximus, quam colligebamus ex neceſſariis viribus ad lignum portandum. Non fuiſſe ſtupidum vel hebetem, ſatis conſtat ex præcedentibus; proinde quod ligari ſe ſiverit, eo fine ut à patre mactaretur, figuram geſtaſſe ejus, qui mortuus eſt quia voluit, quique *ut parva pecus ad mactationem ductus eſt, & velut ovis coram tonſore ſuo obmutuit, nec aperuit os ſuum.* Eſai. 53. Certum eſt, cùm Iſaac eſſet in ipſa adoleſcentia, vel in flore juventutis, non potuiſſe invitum ligari à patre tum ſene decrepito, & aliàs afflictiſſimo. Etſi ergò Scriptura non exprimat, quibus verbis Abrahamus filium ſuum ad talem obedientiam præparaverit, vel quomodo Iſaacus ad eam ſe diſpoſuerit, id nihilominus ex eventu ſatis conjiciendum relinquit. Nempè quod pater expoſuerit filio divinum oraculum, cujus vi adactus fuerat ad id ſuſcipiendum, de quo nunquam alioqui cogitaſſet; quod de neceſſitate obedientiæ ubi Deus jubet, ejuſque fructu concionatus ſit; quod divinarum promiſſionum conſtantiam ei ob oculos poſuerit, & omnia propoſuerit fidei & obedientiæ argumenta, quibus ipſe anteà permotus fuerat.

Dubium non eſt, Iſaacum anteà aſſuetum fuiſſe obedientiæ, & paternis monitis ſe morigerum præbuiſſe. Sed in hac occaſione prorſus extraordinaria, non eſt referenda obedientia ad uſum & conſuetudinem. Extraordinario planè motu opus fuit, ut ita patri cederet, molienti quod hactenus inauditum fuerat. Alioquin potuiſſet prætexere multa, niſi de oraculo divino fuiſſet perſuaſiſſimus, ut delirare patrem, & ægri ſomnium fuiſſe, quod de mandato divinitùs facto exponebat. Id eſſe contra naturæ leges, nec tale ſacrificium Deo gratum eſſe quod nuſquam anteà inſtituerat. Sed qui Abrahamum ipſum permoverat. Idem qui corda hominum flectit pro libitu, effecit in Iſaaco, ut mens ejus apprehenderet veritatem oraculi, voluntaſque moveretur ad conſenſum. Propterea id divinæ motioni tribuendum eſt, quod tam ſubitò potuerit omnes affectus ſuos exuere, & non ſecus ac ſi fuiſſet parva pecus, jugulum gladio præbere. In quo etiam fides Abrahami apparuit, quod de filii obedientia adeò ſecurus fuerit, ut ſolus id ſuſceperit, neque id in dubium revocaverit, quando mandatum accepit. Quod certè facere non potuit ſimplici conſideratione indolis filii, quam in talibus non fuerat expertus, ſed id cogitavit, cùm Deus ipſi id mandaret, committenda eſſe omnia providentiæ divinæ, qui non eſſet defuturus ei, qui nihil ſuſciperet præter

ter mandatum divinum. Novit itaque, Deum habuiſſe voluntatem filii ſui in poteſtate ſua, & effecturum, ut non invitus ſubmitteret ſe divinæ diſpoſitioni. In his omnibus elucet rara pietas Iſaaci in hac ætate, & heroicus planè animus. Sed promptitudo illa & ſubmiſſio, addebat aliquid tentationi patris, quo enim magis morigerum ſe præbebat filius, mortē non deprecatus, eò magis percellebatur parens, & in ipſo movebantur affectus.

Mirum videri poſſet, cùm ſupponamus Iſaacum, non invitum, ſed volentem, ſacrificio patris ſui conſenſiſſe, à patre tamen ligatum fuiſſe, quod animalibus ſolebat fieri ratione carentibus, ne reſiſtentiâ ſuâ actionem turbarent. Sed nullum tale erat periculum in Iſaaco, ſponte conſentiente. Reſpondemus tamen, id non fuiſſe factum ſine ratione: Primùm, illud faciebat ad ſacrificalem ritum, ſolebant enim victimæ altari imponendæ ligari; unde factum eſt, ut pecudis more ligaretur à patre, & ut ex vi vocis patet, conſtrictus manibus & pedibus. Id enim ſignificat verbum עקד *akad*, quomodo ligantur oves tondendæ, aut mactandæ. Secundò, id factum fuit ad præcautionem; quia etſi Iſaacus conſentiret, tamen metuendum erat, ne involuntarii (utpote naturales) motus membrorum in actu jugulationis ſurgentes, ordinatum compoſitumque ſitum victimæ interrumperent, atque ita aliqua in ſacrificio accideret indecentia. Ergò obuiam itum eſt periculo, ne aliquid in medio actu accideret incommodi.

Hanc hiſtoriam, ut & alias ſacras non paucas, Diabolus fabulis ſuis & commentis apud Ethnicos involvit, eiſque talia ſuggeſſit, quæ chartis illiverunt, ut vel apud poſteros veritati detraheret, & ad fabulas talia rejicerentur; vel ſi pro veris crederentur, nihil ſupernaturale & divinum in ea re eſſe perſuaderet, quandoquidem ſimilis obedientiæ & conſtantiæ exempla, prophana hiſtoria exhiberet, etiam in ſequiori ſexu. Hinc orta eſt fabula de Iphigenia à patre oblata pro Græcorum ſalute, monente oraculo; quam fingit Euripides Tragicus, in Iphigenia, in Aulide, cùm duceretur ad ſacrificium ſic patrem compellaſſe;

-- O pater adſum apud te,
Meum verò corpus pro mea patria,
Et pro tota Græcia,
Trado volens, ut mactetur ad aram Deæ, iis
Qui me ducunt: ſiquidem hoc poſtulat oraculum.

Ubi etiam finxit, cervam tandem in locum Iphigeniæ, ſic procurante Dea, fuiſſe ſubſtitutam. Quæ unde imitatus fuerit dæmon ſatis apparet, & quo fine; nec tamen, arte ſuâ adhibitâ commento, potuerunt æquare Poëtarum figmenta, ſimplicis veritatis, & paucis verbis comprehenſam hoc loco hiſtoriam.

EXERCITATIO CVII.

Tentationis Abrahami exitus. Velle Deum nos quædam velle, quæ tamen non vult fieri, & contrà. In Deo non eſt contrarietas voluntatis: Voluntas præcepti & decreti. Quomodo Deus velit omnia fieri quæ præcepit, quomodo non? Quomodo præceptum unum alio præſcindere? Vſus mandati ratione Dei, Abrahami, & noſtri. Quo ſenſu de Deo dicatur, quod experientiâ aliquid cognoſcat? Socini blaſphema ſententia. Refutatur. Timoris nomen obedientiam omnem includit. Similitudo reſurrectionis, *Hebr.* XI. סבך ſebac, *quid? Iudæorum nugæ de ariete in locum Iſaaci ſuffecto. Quâ conſcientiâ potuit Abrahamus eo uti? & inde generalis doctrina. Variæ allegoriæ, & de iis judicium. Loco nomen imponitur. Simplex* videbit, *pro compoſito* providebit. *Explicatur proverbium inde natum.*

VErſu XI. & XII. retegitur tentationis exitus, poſtquàm Abrahamus extendiſſet manum exerto gladio ut filium immolaret. Tunc enim præſto fuit Angelus Jehovæ, qui bis Abrahami nomen inclamans, eum ab incepto revocat, & Deum nihil aliud requirere declarat, præter animi propenſionem, quam ſatis teſtatam dederat. Id enim tantùm intendiſſe ſua hac tentatione, proinde qui juſſerat mactare filium, prohibet, *ne extendat manum in puerum.* Nec propterea tamen in divinis dictis aliqua repugnantia eſt admittenda, ſi aliquando præcipiat, quod poſteà prohibet fieri. Duo enim ſunt in præcepto conſideranda; interna animi diſpoſitio, & externa executio. Illam Deus in mandatis abſolutè imperat, nec mutat; hanc verò aliquando impedit, quæ per ſe ad obedientiam non facit. Externus enim actus, ſimpliciter & in ſe conſideratus, vel indifferens eſt, vel etiam aliquando ſublatis circumſtantiis, præſertim divini mandati, malus; ut in hoc facto fuiſſet. In talibus ergo, Deus non ſemper præcipit ad effectum rei; ſed ad affectum agentis: quamvis enim noluerit perfici, voluit tamen Abrahamum ad id eſſe promptum, niſi impediretur; quod ſibi ſervavit impediendum pro loco & tempore. Sic Deus vult, nos quædam nolle, quæ tamen ille vult fieri, id eſt, nos ea nolle, aut ſaltem non velle, priuſquàm nobis innoteſcat voluntas illa Dei circa eventum particularem. Vult Deus nos velle aut deſiderare parentis in morbo conſtituti ſanationem, & vitæ ejuſdem productionem, cùm tamen ille aliter decreverit, qui eundem vult ad ſe vocare. Inde orta eſt diſtinctio voluntatis

voluntatis divinæ in revelatam & occultam, circa unum & idem opus, quæ contraria videtur, & non eſt. Revelata voluntas fuit ut Abrahamus mactaret filium; occulta voluntas fuit ut id non faceret, nec in Deo fuit aliqua mutatio. Prima enim fuit præcepti, altera autem decreti. Voluntatem præcepti non ſemper effectum ſequitur, nec aliquando debet; voluntatem decreti effectum ſemper ſequitur, etiam homine nolente. In voluntate præcepti, etiam ex hoc loco emergit alia diſtinctio. Præcipit enim Deus quædam fieri ſimpliciter, ita tamen ut delectetur tantùm propoſito faciendi, non autem ipſo eventu: vel quædam præcipit fieri, ita ut delectetur ea re quam præcipit, ſi executioni mandetur. Sic præcepit ſimpliciter immolationem Iſaaci, voluitque ut eam Abrahamus exequi vellet; re tamen ipſa non fuit delectatus, ut ex eventu patuit. Alia ratio eſt de præcepto credendi, pœnitendi, & ſimilibus; Deus enim, & talia præcipit, & delectatur, ſi fiant. Sed ea tamen non ſemper decernit ut fiant. Quæ diſtinctio applicatur objectioni qua contendunt nonnulli, Deum æquè velle omnium hominum converſionem, ut ſalvi fiant. Id enim ut verum eſt de voluntate præcepti, qua nempè Deus aliquid jubet quo delectatur, quam alii εὐαρεσίας vocant, ſic falſum eſt de voluntate decreti, qua nempè aliquid decernit & ſtatuit futurum. Neque in eo eſt aliqua contrarietas aut repugnantia, non magis quam ſi aliquis velit ſecundùm quid, quod tamen non vult ſimpliciter.

Hinc patet, non ſemper ex præcepto quod nobis datur, debere nos exiſtimare ſecretam Dei voluntatem, qua quid facere conſtituit, aut fieri etiam ab aliis decrevit, ſed ex eo tanquam ex regula nobis præſcripta, debere nos intelligere quid nobis agendum incumbat. Proinde à voluntate præcepti, non poſſe neceſſarium duci argumentum ad voluntatem decreti de impletione præcepti. Id filius Syrach cap. 3. ℣. 23. aptiſſimè expreſſit, ἃ προσετάγη σοι, ταῦτα διανοοῦ ὁσίως· οὐ γάρ ἐστί σοι χρεία τῶν κρυπτῶν βλέπειν ὀφθαλμοῖς. *Quæ præcepta ſunt tibi, hæc cogita ſanctè; non enim eſt tibi opus occulta videre oculis.* Anteà dixerat, verſ. 22. χαλεπώτερά σου μὴ ζήτει ἀναισθήτως, καὶ ἰσχυρότερά σου μὴ ἐξέταζε ἀφροσύνῃ. *Difficiliora te ne quæſieris ſine ſenſu, & fortiora te ne exquiras cum ſtultitia.* Nempe non quid Deus facturus ſit, aut fieri permiſſurus, ſed quid nobis faciendum præceperit, inquirendum & cogitandum eſſe. Itaque cùm abſoluta Dei voluntas & efficax nullâ neceſſitate ſequatur voluntatem quæ in præceptis conſideratur, perſpicuum eſt non eſſe neceſſarium, ut Deus quæcunque præcipit, in omnibus quibus præcipit, impleat. Nec cur id facere nolit ratio eſt, quam aſſignant qui dicunt, Deum id nolle, quia homines nolunt; nam ſi præcisè vellet, homines etiam vellent, quia cùm ſit omnipotens, poteſt hominum voluntates ad ſuam inflectere ſi velit. Non autem id vult facere, quia non tenetur, & in ſapientia ſua rationes habet cur id non faciat.

Ex hoc etiam loco probatur, Deum non ſolùm non velle omnia fieri quæ præcepit; ſed etiam interdum velle non fieri quod præcepit, atque adeò præcipere ne fiat. Id enim patet in hac prohibitione, ne Abraham extendat manum in puerum. Ubi tamen neceſſarium fuit, prius præceptum contrario præcepto tolli, ſine ullâ in voluntate divina repugnantia. Nam ſic Abraham prohibitus eſt implere præceptum, ea prohibitione, per quam prioris mandati fiebat abolitio. Unde reſpondetur quæſtioni, an poſſit Deus aliquid præcipere contra legem ſuam, non quidem ita ut in uno & eodem præcepto ſimul contraria ſint; id enim fieri non poteſt, ſed ut alio præcepto ſequente, jubeat aliquid contra prius præceptum? Hìc neceſſaria eſt, quam ſuprà innuebamus eorum quæ lege præcipiuntur, aut prohibentur, diſtinctio. Si enim talia ſint mala prohibita quæ Deus facere non poſſit, eadem imperare non poteſt, nec ſemel prohibita, alio præcepto permittere. Sic non poteſt præcipere mendacium, perjurium, odium ſui, & ſimilia; quæ ſunt contra legem Dei æternam. Sed quod in actionibus hominum tale eſt, ut non implicet neceſſariò malitiam, poſſitque Deum autorem habere, id ut præcipi poteſt à Deo, ſic etiam ſemel præceptum, poteſt reſcindi; cujus rei exempla multa habentur in Scripturis, præſertim in ceremonialibus, & rebus alioqui mediis. Potuit Deus, pro abſoluto ſuo in homines dominio exigere, ut Abraham mactaret filium ſuum, & id debuit Abraham, quandiu mandatum id non fuit mutatum. Sed potuit etiam poſt tentationis diſpenſationem, alio mandato prohibere executionem, quæ ſecluſo mandato divino, nec fuiſſet neceſſaria, nec homini licita.

Quamvis autem noluerit Deus impleri mandatum, quoad externum actum, non tamen fuit inutile aut ſupervacaneum, ſive Deum ſpectemus, ſive Abrahamum & Iſaacum, ſive nos ipſos. Si Deum ſpectemus, hoc mandato indicavit, ſe in homines habere plenum jus & poteſtatem, ſibique ab hominibus deberi quicquid ſunt, nec aliquid eſſe prætexendum difficultatis ubi Deus loquitur. Itaque hunc eſſe verum Dei cultum, cùm homines ſe ipſos abnegantes à nutu Dei toti pendent, captivantes intellectum ſuum in obſequium Dei, cujus magnitudo & poteſtas hoc pacto patefit. Ratione Abrahami & Iſaaci hoc habuit utilitatis præceptum, quod eorum virtus & fides in aperto poſita fuit, ut per omnes ætates celebretur; quod etiam tali exercitio crevit in illis fiducia & ſpes quam in Deo collocaverant. Ratione noſtri, Deus in ſervo ſuo nobis illuſtriſſimum exhibuit exemplum, ut diſcamus, quouſque Deum amare debeamus, ejuſq; mandatis obtemperare. Deum etiam poſſe nobis multa præcipere, quæ rationē humanam & leges communes tranſcendant, quę cùm certum & cōpertum eſt à Deo eſſe juſſa, tum curioſè non eſt inquirēdum, an juſtū ſit vel iniquum, poſſibile, vel impoſſibile, ſed ſimpliciter & ſine hæſitatione eſſe parendum.

Reddit

Reddit Deus rationem cur nolit Abrahamum ulterius procedere, כי עתה ידעתי *ki atta jadaati*, quia (inquit) nunc cognovi quod times Deum, eo quod non pepercisti unico filio tuo propter me. Quæ verba ſi ab homine prolata eſſent, nihil haberent difficultatis; ſed qua ratione aliquid de novo poſſit eſſe Deo notum, & quomodo ex aliqua hominis actione inferat, quid de ipſius hominis mente & animo judicandum ſit, meritò quæritur. Neque enim propriè id de Deo dici poteſt, cui ab æterno omnia ſunt aperta: neque ſolet per ratiocinationem & diſcurſum argumentari, ut aliquid ſibi confirmet de quo anteà dubitaverat, quod homines faciunt; cùm nihil ſit in homine abſconditum ſcrutatori cordium. Certum eſt etiam amorem Dei vel timorem non eſſe homini inditum à natura in hoc ſtatu corrupto, ſed eſſe Dei donum & gratiæ effectum, ſi quis Deum timeat. Quod igitur tali virtute pollebat Abraham, fuit Dei opus. At nota ſunt Deo ab æterno omnia operâ ejus, Act. 15. ℣. 18. Unde conſtat, Deum non indiguiſſe experimento, quo ſciret, an Abrahamus ſincerè eum timeret necnè, qui fidem & timorem ipſius cordi indiderat. Id omnes Chriſtiani hactenus agnoverunt, ideoque varias quæſierunt rationes, quibus hunc nodum ſolverent, ſalvâ manente Dei omniſcientia. Solus hoc tempore id in dubium revocavit infauſtus ille Socinus, omnium hæreticorum audaciſſimus, qui apertè negavit, Deum omnia quæ fiunt ſciviſſe antequàm fierent. Itaque cap. 11. Prælectionum ſuarum pronunciat plurimos eſſe Scripturæ locos, qui nullo pacto intelligi aut explicari queant, admiſſâ præſcientiâ divinâ; imò multa, quæ Deo in ſacris literis tribuuntur, vel falſò tribui, vel ipſum Deum ejus imprudentiæ, quæ ne in hominem quidem cadere, niſi planè dementem poteſt, omninò coarguere. Hæc ſunt τοῦ θηρίου ῥήματα. Inter ea autem loca hunc etiam affert, poſitâ præſcientiâ, explicari non poſſe, quomodo Deus dicat ſe tum demum verè cognoviſſe Abrahamum Dei timore præditum, cùm filium chariſſimum ſuum, ſibi immolare non recuſavit; ſi nempè Deus infallibili ſcientiâ omnia novit antequàm fiant.

Certè ſi nihil unquam Scriptura de Deo enunciaret niſi propriè, ſemperque intelligenda eſſent quæcunque de Deo dicit prout verba ſonant, concedendum eſſet Socino, inexplicabilem eſſe hunc locum, poſitâ tali præſcientiâ. Concedendum eſſet Deum eſſe mutabilem, pœnitentiâ duci, triſtari, imò affingendum ei eſſet corpus, & in creaturam creator eſſet transformandus. Hinc eſt quod ex Socini diſciplina, Conradus Vorſtius tot portenta eructavit contra Dei immenſitatem, immutabilitatem, &c. Sed ſi multa de Deo in Scriptura figuratè dicantur, & accommodatè ad hominum captum, quæ de Deo enunciantur ἀνθρωποπαθῶς, de eodem intelligenda ſunt θεοπρεπῶς. Itaque jam olim, & hoc etiam tempore, quicunque de Deo benè ſentiunt, hunc locũ ita acceperunt, ut nihil voluerint detractum infinitæ Dei rerum omnium ſcientiæ, & quamvis variis modis hæc verba ſint interpretati, in eo tamen omnes convenerunt, nullam cognitionem novam Deo accidere poſſe. Auguſt. quæſt. 58. in Geneſin, verbum illud *cognovit*, interpretatur tranſitivè, pro *cognoſcere fecit*, idque refert tam ad Abrahamum ipſum & Iſaacum, quam ad alios, quibus hoc facto, Deo id procurante, innotuit fides Patriarchæ. Quemadmodum per efficientem ſignificatur id quod efficitur. Frigus enim dicitur pigrum, quia pigros facit. Hoc modo voluit, Deum dici cognoſcere, quia cognoſcere fecit & manifeſtavit. Similem locum alibi 72. ſermone de tempore, ſimili modo interpretatur, ex Deut. cap. 13. verſ. 3. quia *tentat vos Deus veſter ad cognoſcendum, an ſitis amantes Dei*, &c. Sic etiam cap. 8. ℣. 2. *ut affligeret te tentando, ad cognoſcendum, id quod erat in animo tuo, utrum obſervares ejus præcepta necne.* Quæ intelligit, non de cognitione quam Deus erat habiturus in ſe, ſed de ea quam per experientiam erat producturus, tam in ipſis Iſraëlitis, quam in aliis; ut illud, *ad cognoſcendum*, idem ſit, quod *ad cognoſcere faciendum*. Addunt alii ſimilitudinem, cum lætos dies dicimus, quibus contingit ut lætemur. Chryſoſtomus in hunc locum, eandem affert interpretationem, νῦν, φησὶν, ἅπασιν ἐγνώρισα, ὅπως εἰλικρινῆ τὸν φόβον ἔχεις πρὸς τὸν Θεόν. *per te declaravi*, inquit, *& innoteſcere feci omnibus, quomodo ſincero timore Deum colas.* Addit, ἐγὼ γὰρ ᾔδειν τὸν ἐμὸν θεράποντα· τὰ δὲ νῦν παρὰ σοῦ γινόμενα τοῖς τε νῦν οὖσι, τοῖς τε μετὰ ταῦτα γενεαῖς διδασκαλίας. id eſt, *Nam ego noveram famulum meum; quæ autem nunc à te facta ſunt, in doctrinam ſunt, tam præſentibus, quam futuris.* Hæc ille. Quam interpretationem non infringit objectio Pauli Burgenſis, dicentis, id potius fuiſſe attribuendum Abrahæ, quam Deo, quia actus immolationis, ex quo id innotuit, fuit Abrahæ, tanquam actoris. Ergo Abraham id cognoſcere fecit, non Deus: Reſpondemus enim, à Deo factum eſſe quod Abraham de filio immolando cogitavit. Proinde originem tanti facinoris à Deo fuiſſe, qui materiam ei præbuit fidei ſuæ & conſtantiæ manifeſtandæ. Certè qui tentat, autor eſt experimenti, quod ex alterius actione quæritur. Hunc ſenſum ſequuti ſunt ex Ebræis, qui pro ידעתי interpretati ſunt הודעתי, *hodangti*, id eſt, *cognoſcere feci*, erui, manifeſtavi; quomodo etiam intelligi poſſunt, quæ ſupra cap. 18. dicta ſunt, de Sodomorum clamore, *ſin minus, ſciam*, &c. Hic ſenſus ſi locum habere poſſit, nodum planè ſolvit, nec opus eſt ad ἀνθρωποπάθειαν recurrere.

Quæ tamen aliis magis placet, ut Calvino, Mercero, Paulo Burgenſi, Cajetano, &c. Figuratè nempe hoc dici de Deo, quia in toto hoc negotio ſe habuit, ad modum hominis alium tentantis, & experimentum quærentis animi latentis, quomodo per eandem figuram Deus dicitur, iraſci, pœnitere, &c. quia ſe habet ad modum hominum ira percitorum & pœnitentium,

nempe ſi effectus externos ſpectemus. Quemadmodum enim metaphoricè Deus *tentavit* Abraham, ſic æquum eſt ut metaphoricè intelligamus, quod dixit ſe *cognoviſſe*. Ut igitur primum illud non fuit interpretatum, per verba *tentare fecit*, ſic etiam nec præteritum *cognovit*, per *cognoſcere fecit*, eſſe explicandum; ſed potius ſic reſolvendum, habui me ad ſimilitudinem experientis, &, nunc cognoſcentis per experientiam facti, te mei timentem eſſe. Cum enim agatur de experimentali cognitione, certum eſt eam tribui non poſſe Deo, niſi figuratè. Senſus tamen eodem recidit, nam ex utraque interpretatione id reſultat, *Abrahamum reipſa teſtatum fuiſſe, quam ſerio Deum timeret:* Idque etiam aliis innotuiſſe, imò & Abrahamum ipſum confirmatum fuiſſe hoc experimento, in ſenſu fidei ſuæ. Sed poſtremum ſenſum qui figuram admittit, minus coactum, & ſimpliciorē cenſemus. Qui enim ab aliis affertur, de ſcientia aut cognitione approbationis, minus huic loco convenit,

Sed cum jam anteà multa experimenta ſuæ fidei dediſſet Abraham, cur reſtringit Deus experientiam illam timoris divini per opera, ad tempus illud præſens? *Nunc* inquit; annon etiam priùs? Certè anteà mandatis divinis morigerum ſe præbuerat patria relicta & populo ſuo, ut vidimus cap. 11. ℣. 33. cap. 12. ℣. 1. & per omnia capita in quibus de Abrahamo actum eſt. Sed voluit Deus hunc obedientiæ actum maximè commendare, cujus comparatione reliqui omnes, ob rei difficultatem, leves erant. Etſi enim abſolutè magnum quid eſſet, patriam relinquere, &c. arduum tamen magis fuit unicum & dilectum filium mactare, quod cum facere voluit, tum maximè innotuit, timentem eſſe Dei quam maximè, ut qui humanitatis etiam & naturæ ſenſum exuerat præ Dei timore, ut obedientem ſe præberet.

Abrahami pietas quam Deus manifeſtaverat, *timoris* nomine ſignificatur, ſub quo amor includitur, quia non agitur de timore ſervili, ſed filiali; mos eſt enim ſcripturæ, hac voce non ſignificare ſimplicem timoris actum, ſed ejuſdem etiam cauſas connotare, & cum in laude ponitur, ut hoc loco, pietatem, religionem, ſincerumque Dei cultum & obſequium comprehendere, aliarumque omnium virtutum quæ Deo placent officia. De talis timoris carentia loquebatur Abraham ſupra 20. ℣. 11. cum diceret, *Non eſt timor Dei in iſto loco.* id eſt, nulla Dei reverentia tenentur. De quo Deut. 6. ℣. 12. *Ut timeas Iehovam Deum tuum, obſervando omnia ſtatuta ejus.* & alibi ſæpè.

Quemadmodum antea promptus fuerat Abraham audita voce divina ad ſacrificium parandum in filio ſuo; ſic etiam non reluctatur jam voluntati revelatæ, & gratus ſuſcipit verbum, quo Deus ſe acquieſcere in præſtita obedientia ſignificavit. Etſi enim ſpecialiter non explicet Moſes, quid reſponderit Abraham, deſtitiſſe tamen ab incœpto ſatis indicat, & filium ſuum à vinculis liberaſſe, poſtquàm, ut teſtatur Apoſt. Ebr. 11. ℣. 19. *ſimilitudine quadam reſurrectionis, illum recepiſſet.* Habitus enim fuerat pro mortuo, quod ad animi propoſitum, unde habitus fuit poſt hoc oraculum, ac ſi de novo datus fuiſſet parenti.

Huic Deus, ſingulari ſua providentia, ne rediret domum nullo ſacrificio peracto, præparavit victimam; & quod anteà confusè dixerat, Deus ſpecialiter implevit, dum oculis ejus ſubjecit arietem detentum; בסבך *baſebak*, ad verbum, *in perplexitate*, ſuis cornibus. LXX nomen סבך *ſabek* retinuerunt, & *φύτον* addiderunt, *in virgulto ſabec*, aut potiùs in arbuſto. Onkelos arborem per arboretum, interpretatus eſt. Aquila *συχνῷ*, *in condenſo*. Alibi LXX. *τὸ* סבך *ſebak*, per *δρυμὸν* transferunt, id eſt ſylvam, ut Pſal. 73. ℣. 7. & Iſai. 9. ℣. 18. Noſtri vepretum tranſtulerunt. Accipitur enim hoc nomen, pro ramo denſo & implicato, ut hic ſignificentur ſpinæ aut rami ſe invicem complectentes; quibus cum eſſet implicitus aries, agnovit Abraham, illum ſibi divinitus paratum, & in id deſtinatum, ut à ſe, filii loco, offerretur. Judæi multa de hoc ariete nugantur, ut quod fuerit creatus ſexto die creationis, & uſque ad hunc diem in eum finem ſervatus; quod ſponte ad Abrahamum cucurrerit, ſed Satanam ejus cornua in vepreto implicuiſſe, ut ejus curſum remoraretur, & ſimiles nugas. Contrà, certum eſt ideo cornibus in vepreto fuiſſe detentum, ne aufugeret, eumque Abrahamus haberet ad manum. Unde autem venerit, & qua ratione adductus fuerit, inquirere nec neceſſarium eſt, & definire temerarium eſſet. An à Deo fuerit tum creatus recens, quod facillimum fuit potentiæ & providentiæ Dei; an ex aliquo grege aberrans, ſingulari Dei diſpenſatione huc pervenerit. Quod poſtremum potius eligerem, cum non multiplicanda ſint miracula, ubi nihil eſt neceſſitatis. Cum autem in deſerto loco ſic fuiſſet oblatus & in tali caſu, non dubitavit Abraham oportunitate uti, eumque velut ex manu Dei, cujus ſunt omnia, acceptum, eidem reddere, de alio domino non ſollicitus, quemadmodum Elias carnes à corvo in deſerto allatas edit, non inquirens unde eſſent allatæ. 1. Reg. 17. ℣. 4. & 6. Et populus Samariæ à Deo liberatus, oblatum ſibi hoſtium commeatum ſine ſcrupulo in ſuos uſus vindicavit, 2. Reg. 7. ℣. 1, & 16. In talibus enim extraordinariis, ubi nullus privatus & legitimus dominus apparet, ab omnium rerum Domino, quod nobis neceſſarium eſt, cum ejus providentia nobis occurrit, ſine conſcientiæ ſcrupulo & longa inquiſitione, uſurpare licet. In quo tamen non dubitamus peculiari inſtinctu divino ſancti viri conſcientiam fuiſſe confirmatam, præter circumſtantiarum rationem, ex quibus colligere potuit divinam diſpenſationem.

Obtulit igitur illum, *pro filio ſuo*, id eſt, in locum filij ſui, ut quemadmodum filium ſuum in holocauſtum offerre ſtatuerat, poſtquàm à Deo prohibitus fuit ne

ulterius

ulterius in filio jugulando procederet, ejus vicem aries ſubiret, & loco illius immolaretur. Hic interpretes veteres allegorias multas excogitarunt, per arietem implicatum cornibus in vepreto, Chriſtum intelligentes, in quem peccata noſtra incurrerunt, quorum ratione in crucem actus eſt. Ideò etiam nonnulli interpretantur *ſuſpenſum* fuiſſe arietem, non tantum *detentum*. Alii plantam *ſabek*, *remiſſionem* interpretantur, quia ſignificatum voluerunt per Chriſtum agnum ſpiritualem in cruce elevatum, futuram remiſſionem peccatorum. Alii alia excogitant myſteria, in ſe quidē vera & certa, ſed quæ non ita certum eſt, talibus verbis, aut factis fuiſſe indicata. Etſi nolim negare, in ariete illo myſterium aliquod latuiſſe. Quale eſt illud de mortificatione noſtra, quæ in Iſaaco & ariete conjunctim tanquam in ſpeculo nobis videtur indicata. Cum enim aries moritur, in eo mortificationem carnis adumbratam videmus; ſed Iſaac, oblatus Deo in voto, vivus manens; ſpiritus vivificationem refert. Hæc & ſimilia piè excogitari poſſunt; etſi ex talibus argumentatio certa elici non poſſit, quæ tamen ſobriè & prudenter uſurpata delectant, & quæ aliunde creduntur, illuſtrant.

Verſ. 14. Sanctus Patriarcha loco nomen indit, & gratitudinis ſuæ monumentum hoc ſuo facto erigit, poſteriſque ſuis relinquit. Nomen loco impoſitum fuit, יהוה יראה *Iehova jireh*, Dominus videbit. Unde videtur factum nomen *morijah* per abbreviationem, qua de re dictum eſt ante. Occaſio nominis illius ſumptā eſt ex reſponſione Iſaaco data, verſ. 8. אלהים יראה *Elohim jireh*, Deus videbit ſibi agnum in holocauſtum, hoc eſt *proſpiciet ſibi*, nam ſimplex *videbit*, pro compoſito *providebit*, ſumitur. Sic rectè vulgata, *providebit ſibi victimam*. ubi LXX, ſimplex ὄψεται uſurpant. Latini etiam ſimplex videndi verbum in providendi ſignificatione accipiunt. Sic Terentius in Phormione, *rectè mihi vidiſſem, & ſenis eſſem ultus iracundiam*. Plautus in milite ſcen. 3. act. 2. *mihi video, mihi ſapio*. Sic Cicero ad Trebatium, *negotia mea videbis*. Hoc igitur apud ſe cogitavit ſanctus vir, quod reſpondit in genere Iſaaco de victima interroganti, impletum fuit hoc loco, Dominus enim ſibi providit de victima. Itaque deinceps loco nomen erit, *Dominus providebit*, aut *Dominus videbit*. Et hactenus quidem de facto & ſcopo Abrahami, in hac impoſitione.

Sed quod à Moſe poſteà additur, *idcirco dicitur hodie*, בהר יי יראה behar Jehovah jeraeh, *in monte Dominus videbitur*, ſpeciem habet proverbii hac occaſione, inter poſteros uſurpati; in quo tamen vox Jehovæ, in genitivo caſu melius accipietur, ut ſit ſenſus, *in monte Domini providebitur*, niſi loco paſſivi *videbitur*, activum *videbit*, ſubſtitueretur, tum enim idem ſenſus eſſet, *in monte Dominus providebit*. Alii, *in monte Dominus videbitur*, id eſt, apparebit. Ad quæ verba Hieronymus in quæſtionibus Ebraicis. *Hoc*, inquit, *apud Ebræos exivit in proverbium, ut ſi quando in anguſtia conſtituti ſunt, & Domini optant auxilio ſublevari, dicant, in monte Dominus videbit. hoc eſt, ſicut Abraham miſertus eſt, ita miſerebitur noſtri*. Eadem habet Nicolaus de Lyra in hunc locum. Et Rab. Schelomo Jarchi, ex Medras Agdala ſimilia citat. *Dominus Iſraëli propitius erit, eumque à pœnis liberabit. proinde dicitur ſeculis & ætatibus venturis, in monte Dominus videbitur*. Hoc igitur Ebræi utebantur adagio in rebus perplexis conſtituti, ut exemplo Abrahami animum attollerent, & auxiliatricem Dei manum ſperarent. Eodem uti poterit, qui volet ſeipſum aut alium affinem è periculo, in ſpem de bonitate & auxilio divino adducere.

EXERCITATIO CVIII.

Cœlorum è quibus loquitur Deus nomine, quid intelligatur? Origenis opinio de filio Dei olim facto Angelo. Angelum qui ſecundo apparuit Abrahamo, fuiſſe Deum. Cur Deus juraverit? Cur περισσότερον *hoc juramentum dicat Apoſt. ad Hebr.* VI. ℣. 17. *Iuramenti benè uſurpati ſanctum eſſe uſum. Cur veteres quidam viſi ſint ab omni juramento abhorrere? Valdenſes à calumnia vindicantur. An cauſalis particula* quia *feciſti, &c. faveat meritis? Negatur, ut & de voce* mercedis. *Promiſſionem hic eſſe repetitam, non novam. Quæ ſub meritam cadere non potuit, & rationes proferuntur. Cur Iacobus tribuat juſtificationem facto Abrahami?* Poſſidere portas inimicorum, *quæ phraſis?* Semen *ubi ſingulariter accipiatur. Explicatur Apoſt. ad Gal.* III. ℣. 16.

HActenus de obedientia Abrahami. Sequitur novum oraculum, quo Deus confirmat promiſſiones ſuas, occaſione obedientiæ, quam vult remunerare. In quo oraculo tria ſunt expendenda; 1. Quis fuerit qui loquebatur. 2. Ad hanc promiſſionem repetendam qua occaſione adductus ſit. 3. Quæ fuerit promiſſionis ſubſtantia. Percurremus omnia paucis, difficilioribus præſertim inſiſtentes. Qui loquitur ſecundo, è cœlis, Angelus appellatur. *Secundò* dicitur loquutus, ratione habita præcedentis oraculi, quo Abrahamus prohibitus fuit ab immolatione filii. Poſtquàm igitur arietem immolaſſet,

laſſet; iterum, vel ſecundo, Angelus Abrahamum è cœlis inclamat. Per cœlos autem, non intelligimus ſupremam regionem, ſed proximam, quæ etiam cœlorum nomine venit intelligenda. Vox enim fuit formata in aëre proximo, & ad aures Abrahami perlata. Ita accipimus, quoties etiam ſub N. Teſt. dicitur, vocem Dei fuiſſe emiſſam & auditam è cœlo. Difficultas eſt in eo, quod qui dicitur Angelus, loquitur ut Deus, jurat per ſemetipſum, appellatur Jehova, & promittit ſe benedicturum, &c. Sic in præcedentibus idem Angelus dixerat, *novi quod times Deum, eo quod non peperceris unico filio tuo propter me.* Ubi Angelus ſibi tribuit manifeſtiſſimè quæ ſunt Dei. Alioquin in his poſterioribus verbis dici poſſet, Angelum referre tantum quæ Deus dixerat, propter verba illa, quibus etiam uſi ſunt Prophetæ נאם יהוה *neúm Iehovah*; dixit Dominus. Sed ex præcedentibus liquet, Angelum non fuiſſe loquutum, ut qui aliena verba recitaret, ſed qui propriè & de ſe loqueretur.

Filium Dei factum fuiſſe olim Angelum, quemadmodum poſteà factus eſt homo, videtur ſenſiſſe Origenes Homil. 8. in cap. 22. Geneſ. *Puto*, inquit, *quod ſicut inter nos homines, habitu repertus eſt ut homo, & ita inter Angelos habitu repertus eſt ut Angelus.* Quæ verba vix excuſari poſſunt, & in bonum ſenſum accipi. Nam quod Pererius dicit *habitum*, non naturam ſignificare ſed munus & officium, non poteſt ejus verbis accommodari, cum alludat ad Apoſtoli locum Philip. 2. ubi non de officio agitur, ſed de forma ſervi, & ſumma abjectione in natura aſſumpta. Aliud eſt, quod alii ex veteribus voluerunt, Chriſtum magni conſilii Angelum fuiſſe, qui apparuit Patribus, ut corpore per diſpenſationem ad tempus aſſumpto, ſine unione hypoſtatica, præludium quoddam humanitatis ſuo tempore aſſumendæ, exhiberet. Qua de re ſuprà à nobis dictum fuit, & pluribus ad Hoſeæ cap. 12. ubi probavimus eum qui patribus apparens, ſibi honores divinos & operationes divinas attribuit, fuiſſe verum Deum, in aſſumpto viſibili corpore. Quod enim ex Auguſtino quæſt. 53. in Geneſim citant, diſiunctivam, *aut* fuiſſe Deum, id eſt, filium Dei nomine Angeli ſignificatum; aut id dictum fuiſſe quia Deus erat in Angelo; vel idem eſt quod dicimus, neque id negari poteſt, de priori parte diſiunctivæ; vel non eſt idem cum eo quod alii volunt, Angelum verè fuiſſe, Deum autem repræſentativè. Nam in ſecundo diſtinctionis membro vult, & Angelum fuiſſe qui corpus aſſumpſit, & Deum fuiſſe in Angelo aſſumente, per aſſiſtentiam nempe, & præſentiam ſingularem. Sed quid opus fuit, corpore aſſumpto ſimul & Angelo; ſi Deus ipſe voluerit ſe præſentem exhibere in corpore illo? Etſi non negemus rei poſſibilitatem, nam ſi plures Angeli poſſint unum corpus poſſidere, illudque movere, cur non Deus ſimul cum Angelo? Id tantum neceſſarium non fuiſſe dicimus. Sed apparet Auguſtinum in utravis diſjunctivæ parte, diligenter caviſſe, ne poſſent Angelo attribui, vel figuratè & propter repræſentationem, quæ hic de Deo dicuntur. Talem autem repræſentationis conſequentiam admittere, quam ſit periculoſum, docent Samoſatenianorum corruptelæ, qui hac ratione eludere conantur, quæcumque divina ſive nomina, ſive opera, tribuuntur filio Dei in Scriptura.

Certè qui hic per ſemetipſum jurat, Deus eſt. Hoc enim eſſe Deo proprium docet Apoſtolus, agéns de hoc ipſo loco, ad Ebr. 6. ℣. 13. *Deus enim pollicitus Abrahæ, cum non poſſet per quemquam majorem jurare, juravit per ſe ipſum.* Homines autem, *per eum jurant qui ſit major*, verſ. 17. Idem dicendum de Angelis. Jurant enim per majorem ſe, Dan. 12. verſ. 7. Angelus juravit *per viventem in æternum.* Apoc. 10. verſ. 5, & 6. *per eum qui vivit in ſecula ſeculorum, qui condidit cœlum, & ea quæ ſunt in cœlo*, &c. Quum autem juramentum ſit apud homines *omnis controverſiæ finis, adhibitum ad confirmationem*, nulla ratio eſſe videtur cur juret Deus, qui cum ſit ipſamet veritas, nec unquam falli vel fallere poſſit, ut aliorum juramento opus non habet, cum omnium cogitationes notas habeat, ita jurare nemini tenetur, cujus fidelitas in dubium vocari non poteſt, ſine blaſphemia.

Id nihilominus fecit ſæpiùs pro ſua φιλανθρωπίᾳ, hominum infirmitati ſe accommodans, potius quam dignitatis ſuæ rationem habens. Nam ut medeatur humanæ diffidentiæ, in magnis promiſſis, magnas adhibet aſſeverationes, eaſque juramento confirmat; ut cogitantes, apud homines fidei violatæ aut perjurii convictos, infamiæ nota merito inuri, nunquam de Deo ſuſpicemur, quod in virum bonum & honeſtum non cadit. Hinc eſt quod fideles ſæpè recurrerint ad memoriam juramenti divini, ubi gravis aliqua tentatio pulſabat eorum mentem. Sic Exod. 32. ℣. 13. *Recordare Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, te juraviſſe eis per te*, &c. Pſal. 89. ℣. 50. *Vbi ſunt benignitates illæ priſtinæ, Domine, quas juraveras Davidi per fidem tuam?*

Sed quia fidem Abrahami maximam fuiſſe ante hoc juramentum ex præcedentibus liquet; poſſet quis exiſtimare fuiſſe ſupervacaneum, cum Abrahami fides nullis dubiis pulſaretur, cum crediderit etiam contra ſpem, & tentationem omnem ſuperaverit. Reſp. Etſi fortaſſe Abrahami ratione tali confirmatione non fuerit opus; verum eſt tamen quod dicitur, abundantem cautionem non nocere. Sed id prætereà notandum, Deum voluiſſe cavere poſteritati Abrahami. Præſens tum erat Iſaacus, cui in parente confirmabantur promiſſiones; quas cum tam hic, quam ille debuerunt poſteris ſuis inculcare, non fuit levis momenti, quod aſſerere potuerint, Deum ſe juramento interpoſuiſſe. Ideò Apoſt. Ebr. 6. ℣. 17. Juramenti illius vim extendit ad omnes hæredes promiſſionis, quicumque futuri eſſent. *Volens*, inquit, *ex abundanti hæredibus promiſſionis oſtendere immutabilitatem conſilii ſui, fidejuſſit*

juſſit jurejurando. Vt per duas res immutabiles, in quibus fieri non poteſt ut mentitus ſit Deus, validam conſolationem habeamus, nos qui curſum eo corripuimus, ut ſpem propoſitam obtineamus. Ubi juramentum περισσότερον appellat, datum *ex abundanti*, non quod eſſet redundans, vel ſuperfluum; non enim vox illa ſignificat ſemper quod redundat, ſed etiam quod abundat cum laude & fructu. Ut Rom. 3. ℣. 1. τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ιουδαίου; ubi τὸ περισσὸν pro privilegio & præſtantia uſurpatur. Apoſtolus autem dicit Deum adhibuiſſe δύο πράγματα duas res, in quibus fieri non poteſt ut mentitus ſit; quæ duæ res nihil aliud ſunt, quam ſimplex patefactio divini conſilii, & ejuſdem confirmatio per juramentum; cujus fructus extenditur ad omnes qui confugiunt ad ſpem propoſitam. Itaque nunc etiam durat uſus juramenti divini. Quod, etſi infirmitatem noſtram arguat, cui tali adminiculo ſit opus; commendat tamen bonitatem Dei, dignantis huic noſtræ infirmitati, per quandam συγκατάβασιν ſe accommodare; item facit ad commendandam promiſſionum Evangelicarum dignitatem.

Eſt autem hic locus, junctus conſiderationi Apoſtoli ad Ebræos, maximè aptus, ad probandum, juramenti uſum eſſe ſanctum ſi benè uſurpetur, & perpetuum eſſe debere inter homines, quotieſcumque eo opus eſt. Nec, in novo Teſtamento, eſſe ullam præciſam juramenti prohibitionem, ſed tantùm non neceſſarii, aut temerarii. Cum enim juraverit hominibus Deus, & velit etiam nunc, juramentum ſuum vim habere inter nos ad faciendam fidem, nullo modo credibile eſt, juramentum eſſe rem Chriſtiano homine indignam: præſertim cum Apoſtolus, dum agit de juramento Dei, ſententiam profert ex jure communi inter homines, quod neque rejicit neque reſcindit, *homines per eum jurare qui ſit major, atque iiſdem omnis controverſiæ finem eſſe juſiurandum.* Ubi non tam de facto agit, quam de debito, vel de jure; factum enim eſt quandoque per abuſum, ut homines per minorem jurarent, imò per ſui partem aliquam; ſed quid debeat in talibus fieri docet, non quid fiat ſemper. Major autem ille, debet eſſe Deus, per quem homines jurent, qui major eſt omnibus. Deut. 6. ℣. 13. Jerem. 4. ℣. 2. Unde Maimonides, de juramento, cap. 11. ſect. 2. *Non licet jurare per quidquam aliud, cum nomine Dei. Et quiſquis in jurejurando conſociat quidpiam nomini Dei, eradicatur ex hoc ſeculo. Non eſt nomen præter unicum illud benedictum, cum quo ſit æquum participare gloriam jurisjurandi.*

Cum igitur id poſtulat neceſſitas gloriæ Dei, ſalutis proximi, & obedientiæ erga magiſtratum, non debet fidelibus injici ſcrupulus, quaſi non liceret Deum in teſtem advocare & in nomen ejus jurare. Qua in re inter primos etiam Chriſtianos, nonnulli timidiores fuerunt, quos excuſat utcumque temporis ratio: cum enim apud Ethnicos viverent, inter quos jurandi formulæ pleræque legi divinæ repugnabant, exiſtimarunt tutius eſſe planè à jurando abſtinere, quam præcautiones adhibere legitimi juramenti. Hinc fuit quod Baſilides apud Euſeb. lib. 6. cap. 4. rogatus à militibus ut juraret, reſpondit ſibi non licere, qui Chriſtianus eſſet. Et Gregorius Neocæſar. cap. 8. in Eccleſiaſten, *juſiurandum omni ratione fugiendum*, aſſerit. Chryſoſt. apertiſſimè Homil. 5. ad pop. Antioch. & in Acta Homil. 8, 9, 11, & 12. idem docet. Hieron. in cap. 5. Matth. *Permittebantur*, inquit, *in Deum jurare, non quod rectè hoc facerent, ſed quod melius eſſet Deo id exhibere quam Dæmonibus.* Et Iſid. Peluſiota Chryſoſtomi diſcipulus lib. 1. epiſt. 55. *Obtempera*, inquit, *voci Chriſti, quæ vetat ne jures omnino.* Hæc certè favent Anabaptiſtarum doctrinæ, qui quod à Chriſto prohibitum eſt ſecundum quid, abſolutè intelligunt. Idem Valdenſibus objectum fuit, ſed falsò. Seiſellius Epiſcopus Maſſilienſis qui contra eos ſcripſit, hoc tantum eis tribuit, quod non jurarint niſi *coacti*, à Magiſtratu nempe, qui cogendi poteſtatem habet, quod in ipſis non culpat. Contrà, *eorum*, inquit, *opinionem hac in parte probamus, ut ab omni contineant ſe juramento voluntario.* Et certè fuit hæc mens Chriſti, Matth. 5. ℣. 34. & 35. Sed hæc obiter, ex occaſione divini juramenti.

Diſquirendum nobis ſecundo, de occaſione qua Deus inductus eſt ad promiſſionis confirmationem, quæ verſ. 16. his verbis indicatur, *quandoquidem feciſti rem hanc*, & verſ. 18. *eo quod obediviſti voci meæ.* Quæ verba præmiſſa promiſſioni, & poſt eandem repetita, connexionem quandam & conſequutionem arguunt inter hoc Abrahami factum, & rem promiſſam, ſive promiſſionem ipſam. Itaque particula illa cauſali כי *ki, quia*, abutuntur humanorum meritorum aſſertores; Item aliis duobus quæ habentur verſ. 18. עקב אשר *ekeb aſcher*, eo quod; vox enim עקב accipitur pro *mercede* quæ ſequitur opus, & poſſet ſic verti, *in mercedem ejus*, quod obediviſti voci meæ. Ducitur à עקב *acab* calcaneo, quia merces eſt finis operis. Pererius igitur ad hunc locum, cum illud *quia*, inquit, *ſit cauſale, & denotet cauſam meritoriam ex parte Abrahæ, non obſcurè ſignificatur, Abrahamum egregio illo facto meruiſſe, ut ſibi tales promiſſiones à Deo darentur, quæ mox ſubduntur.*

An hoc ita ſit expendendum eſt. Id ex natura promiſſionis intelligi poteſt, quæ ſi tunc primum poſt illud opus Abrahamo facta fuit, adverſariorum objectio erit alicujus momenti; poſſet enim huc trahi, quod non anteà Deus ſervo ſuo talia bona promiſerit, quam ſua obedientia, promiſſionem tantam impetraſſet. At, ſi longè ante Deus eadem bona promiſit; non potuit promiſſio referri ad meritum obedientiæ multo poſt futuræ. Nam ſine quo, & ante quod benedictio promiſſa eſt, id non poteſt eſſe benedictionis meritum. Fuiſſe autem ante factam promiſſionem, ipſe Pererius contendit, & eos qui contra ſentiunt refellit. Nam

cum Paulus Burgenſis, verba illa promiſſionis, quibus quod in ea præcipuum eſt continetur, *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*, exiſtimaſſet novam promiſſionem continere, idque probare ex eo voluiſſet, quod cap. 12. ubi aliquid ſimile dictum fuit, nempe, *in te benedicentur omnes cognationes terræ*, longè aliud eſt, quod dicitur *in te*, & quod poſteà dictum fuit *in ſemine tuo*, quia Abraham non potuit eſſe fundamentum ſpiritualium benedictionum; rectè reſpondet, illud *in te*, neceſſario idem eſſe, quod *in ſemine tuo*, quemadmodum cum dixit Deus, *tibi dabo terram hanc*, neceſſe eſt illud *tibi*, de ſemine ejus intelligere, in quo impleta fuit promiſſio. Illud prætereà *in te*, neceſſarium eſſe intelligere de Chriſto, quia falſum eſt omnes nationes, & omnes gentes benedicendas eſſe propter perſonam Abrahæ, ſive ſpiritualiter, ſive temporaliter. Et hæc ille quidem appoſitè. Certum enim eſt, eandem eſſe promiſſionem, cujus etiam meminit Deus cap. 18. ℣. 17. & 18. *Cum futurus ſit in gentem magnam & robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in eo omnes nationes terræ.* Si ergo fuit una & eadem promiſſio, neque promiſſio, neque res promiſſa, cadere potuit ſub meritum, ex facto quod longo poſt tempore accidit. Addo, cujus facti fundamentum fuit ipſa promiſſio, ut anteà oſtendimus. Niſi enim Abraham confirmatus fuiſſet promiſſione, nunquam potuiſſet talem fidei actum exhibere.

Quid, quod promiſſionis iſtius præcipuum, imò fundamentum & baſis, fuit *ſemen benedictum*, ipſius nempe Meſſiæ ex ſemine Abrahami ortus & incarnatio? Quam incarnationem cum nec ipſe Chriſtus meruerit, aſſentientibus Scholaſticis; quomodo potuerit cadere ſub meritum Abrahami? Nam quod dicunt, Abrahamum quidem non meruiſſe Chriſti incarnationem, quam etiam nonnulli Scholaſtici fatentur, non potuiſſe cadere ſub alicujus creaturæ meritum; ſed tamen potuiſſe mereri quaſdam circumſtantias incarnationis; proinde potuiſſe Abrahamum mereri, ut *Chriſtus ex ſemine ſuo eſſet*, ad quod probandum adferunt hunc locum, *Quia feciſti rem hanc*, &c. fruſtra ſunt. Quia non ſolùm ipſius incarnationis decretum fuit planè gratuitum, ſed etiam circumſtantiæ ejuſdem, hæc præſertim de qua agitur. Quis enim homo potuiſſet mereri tantam dignitatem, ut fieret pater filii Dei? Quid, quod, ipſis fatentibus, nullum poteſt eſſe meritum niſi per gratiam quæ datur in Chriſto, aut propter Chriſtum vel incarnandum tunc, vel incarnatum nunc; quomodo igitur potuit dari meritum in homine, quo Chriſti ex ſe incarnationem mereretur? Itaque Thomas ipſe, 1. 2. q 98. artic. 4. rectè ſentit, *electionem qua elegit Deus, ut Chriſtus ex ſemine Abrahami naſceretur, non fuiſſe ex meritis ipſius Abrahami, ſed ex gratuita Dei voluntate & vocatione.* Nec valet exceptio quam affert contra, Jeſuita Vaſquez Tom. 1. Diſp. in 3. Diſput. 23. cap. 5. *Id intelligendum eſſe de meritis Abrahæ profectis ex ſolo libero arbitrio ipſius, non autem de meritis ex gratia profectis.* Thomas enim nulla agnovit merita extra gratiam, ac proinde exceptio eſt frivola. Itaque hanc etiam rationem attulit, Principium meriti non cadit ſub meritum; atqui unio hypoſtatica fuit principium meriti antiquorum Patrum; ergo non potuit cadere ſub illud. Ex qua argumentatione ſequitur eum nullum agnoviſſe meritum, niſi quod oriretur à gratia incarnationis; proinde abſolutè negaſſe, Abrahamum merito ſuo obtinuiſſe ut Chriſtus ex ſuo ſemine naſceretur.

Hæc cum ita ſint, ad argumentum adverſariorum reſpondemus, particulam cauſalem *quia*, & *mercedis* nomen, non inferre meritum rei promiſſæ, ſed tantum rationem antecedentis & conſequentis ex ordinatione & gratioſa voluntate Dei. Proinde particulam *quia*, ut in aliis pluribus Scripturæ locis, non eſſe cauſalem, ſed ratiocinativam; id eſt, non cauſam meritoriam indicare vel promiſſionis iteratæ, vel rei promiſſæ, ſed tantum conditionem aut qualitatem ejus cui promittitur, & cui eam Deus dare decrevit poſt obedientiam. Idem dicimus de voce *mercedis*, quæ non infert meritum, ſed tantum opus aliquod antecedens, ex ordinatione Dei, promiſſionis executionem, quod etſi dignitate non reſpondeat dono, dicitur tamen donum, operis illius merces, ſed planè gratuita, cum opus bonum, neque à viribus humanis procedat, & debitum ſit, & perfectum non ſit. Non ergo negamus remunerationem dari, quia præceſſit opus Deo gratum; tantum negamus, remunerationem illam dari ex merito. Nam merces in genere dicitur, quicquid alicui datur poſt præſtitum laborem, ſive gratis id fiat; ſive ex debito; ſive multum id ſit, ſive exiguum; ſive labori id reſpondeat, ſive minus. Proinde, non eſt perpetua relatio inter meritum & mercedem; inter rem quæ datur, & eam propter quam dari dicitur. Solum eſt ratio quædam antecedentis & conſequentis, ratione ordinis inſtituti. Sic Deus dat credentibus & benè operantibus vitam æternam; imò quia crediderunt, & opera miſericordiæ exercuerunt; nempe quoniam hanc conditionem fidei, tanquam inſtrumenti gratiam acceptantis, & operum bonorum tanquam fidei fructuum inſtituit, quæ in ſuis efficeret, ante quam eos vita donaret. Sed id nihil facit ad meritum.

Nec etiam quod Jacobus cap. 2. ℣. 21. & ſeqq. huic Abrahami actioni, qua obtulit filium ſuum Iſaacum ſuper altare, tribuit juſtificationem, imò dicit *juſtificatum fuiſſe ex operibus.* Item, ex operibus fidem *ejus perfectam fuiſſe*, &c. Non enim hoc intelligit Jacobus de cauſa juſtificationis, ſed de ejus declaratione & manifeſtatione; nec de cauſa perfectionis fidei, ſed de teſtimonio perfectionis illius; cui tamen teſtimonio & manifeſtationi tribuitur rei efficientia, uſitata in Scriptura loquendi formula, qua res dicuntur fieri, cum

cum manifeſtantur. Quis enim, ſi rem ſpectemus, negabit Abrahamum fuiſſe juſtificatum ante hanc actionem? Imò id planè neceſſarium fuit, quia alioqui non fuiſſet bonum opus. Non enim bona opera præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum, ut optimè judicavit Auguſtinus.

Supereſt promiſſio quę duas partes habet. Prima ℣. 17. de multiplicatione poſteritatis, illuſtrata comparatione numeri ſtellarum cœli, & arenæ maris; qua de re dictum eſt ad cap. 15. ℣. 5. *Numera ſtellas ſi poteris numerare eas, dixitque ei, ſic erit ſemen tuum.* Anteà cap. 13. ℣. 16. dixerat, *reddam ſemen tuum numeroſum ſicut pulverem terræ.* Quæ ſeparatim dicta fuerant hic conjunguntur. Hoc autem adagio ſignificari innumeram multitudinem oſtendimus. Sed addit poſteritatem non ſolum futuram numeroſam, ſed etiam glorioſam, cui daturus ſit Deus victoriam de hoſtibus ſuis. Hæc promiſſionis pars alia loquendi forma figurata enunciatur; *poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.* את שער *eth ſchaar*, portam; Græci interpretes, *τὰς πόλεις τῶν ὑπεναντίων*, *civitates adverſariorum.* In portis exercebantur judicia, & propugnacula urbium erant. Hinc *porta* ſumitur pro dominio, & poteſtate. Poſſidere portas inimicorum, eſt adimere eis omnem poteſtatem, & eorum arces occupare. Quod impletum eſt in poſteritate Abrahami, cui Deus tradidit civitates Chananæorum.

Altera pars benedictionis continetur his verbis, *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*, de qua etiam dictum eſt antea, ad cap. 12. & 18. ubi eadem promiſſio facta fuerat, etſi non fuiſſet expreſſa *ſeminis* mentio, ſed Abrahami. *Benedicentur in te omnes gentes terræ.* Sed diximus, *in te*, idem eſſe quod *in ſemine tuo.* Nam quemadmodum nomen *David* tribuitur Meſſiæ venturo; ſic etiam dicuntur de Abrahamo, quæ pertinent ad Abrahami filium. Promiſſa benedictio ſpiritualis eſt, quæ omnibus gentibus terræ in illo ſemine promittitur; de qua Apoſt. Epheſ. 1. verſ. 2. *qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali, in cœlis, in Chriſto.* Ubi notandum, nomen ſeminis accipi poſſe, vel collectivè, vel ſingulariter. Cum dixit Deus *multiplicabo ſemen tuum*, certum eſt nomen ſeminis collectivè intelligi debere. At cum dixit *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, Apoſtolus docet ſeminis nomen, non collectivè, ſed ſingulariter accipiendum eſſe, ſic enim ait, ad Gal. cap. 3. ℣. 16. *Abrahæ verò dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus, ut de multis: ſed ut de uno, & ſemini tuo. qui eſt Chriſtus.* Ubi non exiſtimandum eſt Apoſtolum uti argumento grammatico, quaſi innuere vellet ubicumque vox ſeminis in ſingulari ponitur, ibi ſignificari ſingularem aliquam perſonam, & non accipi vocem illam pro pluribus, niſi in plurali numero, hoc enim falſum & abſurdum eſſet; cùm certum ſit, vocem illam in ſingulari numero poſitam, pro pluribus, imo innumeris, ſæpè uſurpari; cujus rei exempla paulo ante habuimus. Cum enim promiſſa eſt hæreditas terræ Canaam ſemini Abrahami, id intelligi non poteſt de uno, ſed de omnibus tribubus poſterorum ejus. Imo, vox *ſemina*, in plurali nuſquam accipitur pro hominum poſteritate, quæ nomine ſingulari collectivè ſumpto, ſemper ſignificatur. Sed hoc etiam certum eſt, idem nomen, pro ratione circumſtantiarum, ſingulariter, non ſignificatione plurali, eſſe alicubi accipiendum. Sic Gen. 4. verſ. 25. nato Setho dixit Eva, *Dedit mihi Deus ſemen aliud pro Abel quem occidit Cain.* Et Gen. 21. ℣. 13. de Iſmaële, *quia ſemen tuum eſt*, id eſt, filius tuus. Hoc igitur voluit Apoſtolus, nomen ſeminis hic ad plures non referri, ſed ad unum tantùm. Quod ex circumſtantiis collegit, præſertim ex qualitate benedictionis. Cum enim fuerit benedictio ſpiritualis, nec tali benedictione fuerint benedictæ gentes in aliis Abrahæ filiis; conſequitur de ſolo Chriſto intelligendum eſſe nomen ſeminis hoc loco. Itaque ſic interpretanda ſunt Apoſtoli verba, ut illud, *non dixit ſeminibus*, idem ſit, quod *non intellexit de ſeminibus*, id eſt, non accepit nomen ſeminis collectivè ut æquipolleret nomini plurali, ſed ſingulariter pro Chriſto. Quamvis Clariſſ. Junius, in parallelis ſuis, verba Apoſtoli non referat ad hunc locum hujus capitis, ſed ad verba cap. 13. verſ. 15. *Totam regionem hanc quam vides tibi dabo, & ſemini tuo, uſque in ſeculum.* Ubi ſi verba ſpectemus, *& ſemini tuo*, melius videntur quadrare Apoſtoli citationi. Sed ſi ſenſum, difficulter ei accommodari poterunt. Cum enim agatur de poſſeſſione terræ quam videbat Abrahamus, vix poteſt intelligi, quomodo talis promiſſio facta fuerit ſemini Abrahami pro Chriſto intellecto.

AD CAPVT XXIII.

Exercitatio CIX.

Annus obitus Saræ. Locus. Quomodo Abraham venerit *ad lugendum? Qualis luctus in morte propinquorum ſit conceſſus? Exceſſus in culpa. An* officium funeris *ab Abrahamo procuratum faveat purgatorio? Refellitur Bellarminus. Loca ſepulturæ privata & publica, ad honeſtatem & charitatem pertinent. Cur poſſeſſionem ſepulchri Abraham emere voluerit à Chetæis?* Suum mortuum, *cur uxoris cadaver appellet?* Princeps Dei, *cur dicatur Abraham.* Electum *pro* præſtanti. *Explicatur locus* 1. Tim. v. verſ. 21. *Barbaries eorum qui ſepulturam mortuis denegant, quantumvis in diſpari cultu.* Adorationis diſtinctio. *Expenditur Auguſtini ſententia. Locus* Apoc. xix. *& ultimo capp. ubi de adoratione Angeli expenditur, & à corruptelis Pererii vindicatur. Fidei Abr. teſtimonium in acquiſitione agri & ſpeluncæ. Cur dicta fuerit* Machpelah. *Quid* argentum plenum. *Quadringentorum ſiclorum argenteorum reductio ad noſtram monetam. Ephronis comitas. Inciviliter ab Ebræis quibuſdam traducta. Pontificiorum quorundam inepta ſcrupuloſitas, in quæſtione de* Simonia. *Qua ratione hæc hiſtoria conciliari poßit cum narratione Stephani.* Act. vii. verſ. 16.

Capite xxiii. continetur ætas, obitus, & ſepultura Saræ, cujus occaſione, meminit Moſes primæ acquiſitionis ab Abrahamo factæ in terra Canaam, in qua antea neque poſſeſſionem habebat, *neque veſtigium pedis*, ut loquitur Stephanus Act. 7. ℣. 5. Annus obitus Saræ, fuit ætatis ejus, centeſimus vigeſimus ſeptimus; Abrahami, centeſimus trigeſimus ſeptimus; Iſaaci, trigeſimus ſeptimus. Locus in quo obiit, fuit קרית ארבע *Kirjath-Arbá.* Vulgata *civitas Arbec*; quam eandem eſſe cum *Hebron* teſtatur autor verſ. 2. Cur autem Kirjath-Arba dicta fuerit non ſatis conſtat. Nam quod Hieronymus in Tradit. Ebraicis, ad cap. Geneſ. 23. dicit, hoc nomen civitati fuiſſe inditum, quia ibi cum Adamo conditi fuerunt Abraham, Iſaac, & Jacob, nulla ratione nititur. Verum eſt quidem ארבעה *arbah*, quatuor ſignificare, ſi appellativè ſumatur nomen. Sed potuit eſſe proprium nomen viri alicujus, qui inter Enaſchim fuit famoſiſſimus, imò rem ita ſe habere probatur ex cap. 14. Joſuæ, verſ. 13. *Nomen Hebronis anteà fuerat urbs Arba, is homo ille maximus inter Henakeos fuit.* Migraverat autem iterum Abraham, ex Beerſebah, in civitatem *Arbah*, apud Chetæos. Id præmittendum fuit, propter eos cum quibus acturus erat de poſſeſſione ſepulchri.

Additur eodem verſu, ויבא *vajabó*, & venit Abraham לספד *liſphod* ad plangendum Sara, & ad lugendum eam, ולבכתה *velibcotha.* Quærunt quid ſibi hoc velit, *venit Abraham*, nempe unde venerit, annon tunc fuerit in eodem loco in quo mortua eſt Sara? Occaſione verbi hujus Ebræi varia ſunt commenti; inter quos tamen unus aut alter, ſimplicem hanc interpretationem amplexus eſt, quod cum ſeparata eſſent tabernacula Abrahami & Saræ, poſt obitum uxoris venit, ſive ingreſſus eſt tabernaculum Saræ, ut præſente objecto, defleret jacturam ſuam, & extremo fungeretur officio. Hoc eſt quod Trem. & Jun. intellexerunt, vertentes *ingreſſus eſt*; Mercerus etiam vocabulum veniendi ſimplicius ſumit pro aggredi, & ſuſcipere, aut ſe ad aliquid faciendum accingere; quo poſito, otioſæ ſunt diſquiſitiones de loco unde venerit, & ſimiles. Venit ergo, nempe in locum in quo cadaver erat depoſitum, ut ibi lugubri oratione & planctu declararet luctum ſuum.

Luctum & planctum Abrahami fuiſſe moderatum ut credamus, facit viri pietas & explorata fides. Quod autem ad cadaver lugendi cauſa acceſſit, id referendum eſt ad morem, cui aliquid concedebant viri ſancti, ubi nihil erat ſuperſtitroſum. Potuerunt tali objecto humano miſeriæ ſpeculum contemplari, & adduci in conſiderationem mortalitatis communis, ut magis ac magis ſe coram Deo humiliarent. Morem fuiſſe poſteà apud Judæos ad mortuorum monumenta lugere & lamentari, conſtat ex cap. 11. Joh. ℣. 31. ubi cum Judæi vidiſſent Mariam citò ſurrexiſſe, dixerunt, *abiit ad monumentum, ut illic fleat.* Quod ad morem tunc uſitatum referendam eſt, qui non reprehenditur, ubi modum non excedit. Nam etſi argumenta ſint multa quæ tam ex ſcriptura, quam ex ratione & exemplis, adverſus luctum pro mortuis adferri poſſint & ſoleant; nulla tamen ſunt quæ abſolutè concludant contra omnem luctum & planctum, ſed tantum adverſus immoderatum, ex impatientia vel diffidentia orientem. Huc referenda Lex Levit. 19. verſ. 28. *ſuper mortuo non incidetis carnes veſtras, neque figuras aliquas aut ſtigmata facietis vobis, ait Dominus.* Similia habentur

Deut. 14.

Deut. 14.℣.1. ubi prohibetur mos idololatrarum, in funeribus ſuorum corpus ſuum incidentium. Quem morem etiam corrigit regula Apoſtoli, 1.Theſſ. 4. ℣. 13. *De dormientibus non contriſtemini ſicut alii qui ſpem non habent.* Ubi non abſolutè luctum prohibet, ſed comparatè, ad eos qui ſpe beatæ vitæ & reſurrectionis erant deſtituti. Spiritus enim ſanctus naturales affectus & στοργὰς non damnat, nec hominem exuere vult humanitate. Ipſe Chriſtus ad monumentum Lazari flevit. Johan. 11. ℣. 35. ex quo Judæi colligunt ejus amorem erga defunctum. Ut ergò ſi quis in eo modum excedat reprehendendus eſt, ita probari non debet Stoica ἀπάθεια ſive ἀναλγησία, eorum qui loco Chriſtianiſmi ἀστοργίαν ſubſtituunt. *Erudiit nos Dominus,* ait Cyrillus in Johan. lib. 7. cap. 20. *ſuis lacrymis, quonam modo charos noſtros vitâ functos moderatis & lege rationis temperatis lacrymis flere debeamus. Nam ex toto, nec compati, nec mœrere, ferinum eſt & durum; horum verò exuberantia, muliebre.* Sic Bernard. Serm. 26. in Cantica, *Non culpamus affectum, niſi cùm excedit modum.* Talem exceſſum in Abrahamo Scriptura non notat; imò alia quæ de eodem dicuntur, ſuadent ut credamus eum moderatè ſe geſſiſſe. Itaque ubi in bonam partem Sanctorum actiones interpretari poſſunt, in eam ſemper inclinandum cenſemus.

Pontificii ex luctu Sanctorum in mortuorum exequiis conantur preces ſuas & jejunia pro defunctorum animabus tueri, imò & aſſerere. Sed fruſtra ſunt. Conſequentias nectunt frivolas à genere ad unam ſpeciem, aut ab una ſpecie ad aliam; in quibus refellendis operam ludere non debemus, & aliàs de ea re amplior dabitur dicendi locus. Vulgata editio ℣.3. ubi originalis habet, *& ſurrexit Abraham* מעל פני מתו meal pene metho, *deſuper facie mortui ſui,* id eſt, à conſpectu vel præſentia mortui ſui. Vulgata, inquam, habet *ab officio funeris.* Græci ſimpliciter legunt, ἀπὸ τοῦ νεκροῦ, id eſt, *à mortuo.* Verba vulgatæ arripuit Bellarm. lib. 1. de Purgat cap. 15. *Implicitè in Geneſi contineri*, ait, *mentionem Purgatorii, quando enim dicitur Geneſ. 23. Et ſurrexit Abraham ab officio funeris, quid prohibet per illud officium intelligere, non ſolùm lachrymas, ſed etiam orationem & jejunium?* Quis prohibet? inquit. Certè Deus ipſe, qui non vult nos Scripturæ affingere ea de quibus planè ſilet. Taceo *officium funeris,* non haberi in textu Ebræo; ſed *funeris officium* non ſunt preces & jejunia, nec id probare potuiſſet Bellarminus ullo argumento. Itaque latere voluit ſub plicis impliciti ſermonis. Quid quod funeris officium nondum peractum eſſet, imo nec incœptum? Quomodo igitur potuiſſet Abrahamus ſurgere à funeris officio, qui potius ſe accingebat (ut ex ſequentibus apparebit) ad funeris officium? nondum enim comparata erat ſepultura, nedum ut eſſet parata. Sed videte hominis acumen. Quærebatur, an ulla mentio eſſet vel precum pro mortuis, vel purgatorii defunctarum animarum in Scriptura V. T. præſertim in iis locis in quibus agitur de exequiis mortuorum. Quid ille? Agitur de *officio ſepulturæ,* inquit. At officium ſepulturæ non eſt purgatorium, non preces pro defunctis. Imò, inquit, preces & jejunia poſſunt intelligi per illud officium. Hoc ipſi probandum erat, in quo ipſi aqua hæret. Ad ſepulturæ officium multa pertinent. Ex genere ad ſpeciem hanc aut illam argumentari non licet; nec ad ſpeciem quæ nuſquam eſt, & quam negamus ex Scriptura ad illud officium pertinere.

Sed quod ſequitur, huc manifeſtè pertinet. Abrahamus cùm in aliena terra jus ſepulturæ proprium non haberet, necdum tempus adveniſſet quò regio illa ipſi in poſſeſſionem debuit cedere, providet ſibi & ſuis de loco apto ad depoſitionem corporum defunctorum ſuorum, imò & ſui ipſius. Hic enim fuit ſemper laudabilis mos apud homines, qui ſenſum omnem humanitatis non exuerant, ut humana cadavera amoverentur à conſpectu vivorum, quod etiam pertinuit ad politiam & honeſtatem communem: id præterea ab iis qui altius conſcendebant, fuit conſideratum, terræ eſſe mandanda corpora, quæ in terram erant redigenda; honorificè tamen recondenda, quę ſuo tempore ad vitam per reſurrectionem erant revocanda. Hinc ſepulturæ cura, ad charitatis officia relata eſt. Sic *miſericordia* vocatur officium ſepulturæ. Ruth. 1. ℣. 8. 2. Sam. 2. ℣. 5.

In eum finem habuerunt ferè in cunctis nationibus, ad eam rem parata loca, ſive publica pro exteris & qui ob paupertatem privata habere non poterant, ſive pro unaquaque familia, juris privati hujus vel illius. Quod genus apud Iſraëlitas uſitatum fuiſſe ſatis conſtat ex ſepultura Domini noſtri. Abraham, etſi peregrinus eſſet, tamen cùm ipſi abundè ſuppeteret unde locum emeret, noluit alienis uti ſepulchris. Nec dubitandum id etiam ex fide feciſſe, quod in ea regione quam ipſi Deus promiſerat, & in agro quem ſui juris fecerat, voluerit ſuorum cadavera deponi. Sic enim teſtificabatur fidem ſuam de poſſeſſione futura, & eam mortuus etiam apud poſteritatem ſuam hoc ſuo facto obſignabat. Hæc cauſa eſt, cur tantopere urgeat apud filios Heth, ut dent ipſi hæreditatem aut poſſeſſionem ſepulchri; cur annuentibus, ut ſuis ſepulchris utatur, inſtat ut acceptâ pecuniâ, unus ex illis ipſi ſuum agrum transferat & ſpeluncam quæ in eo erat; cur offerenti etiam gratis annuere noluerit, donec pretium agri accepiſſet, & contractu velut ſolemni, pro more gentis illius, jus omne ſuum in Abrahamum venditor transtuliſſet.

In hoc Abrahami dialogiſmo cum filiis *Cheth*, ſunt nonnulla penſiculatius expendenda. Chananæos fuiſſe conſtat, nam Chetæi ſæpè poſteà ponuntur inter Chananæorum populos quos ejecit Deus à facie Iſraëlitarum. Cùm autem eſſet populus ſatis numeroſus, neceſſarium eſt Abrahamum egiſſe cum iis, qui primores & nobiliores videbantur, penes quos erat præcipua poteſtas. Nam licet verſ. 7. mentio fiat *populi terræ*, id non intelligendum eſt de univerſa multitudine, ſed de iis

iis qui populum repræſentabant, & apud quos nomine populi agebat Abraham.

Ille ſe peregrinum & advenam dicit apud eos, ut antevertat omnem ſuſpicionem, quaſi hoc moliretur, ut jus idem vellet ſibi cum indigenis uſurpare. Fatetur ergò ſe tanquam peregrinum apud eos habitaſſe, & precarium velut hoſpitium habuiſſe, ut eos hac ratione permoveret, ut mortuis ſuis non denegarent, quod vivis conceſſerant. Quæ verba ſunt ad humilitatem compoſita, ut ſibi favorem conciliet, & invidiam omnem tollat: ſimul oſtendens, ſe non petere firmam aliquam ſtationem ad uſum vitæ præſentis, ſed tantùm hoc ſatagere, ne inſepulti manerent mortui, quod etiam intererat eorum quibuſcum degebat.

Suum autem *mortuum*, ſæpè vocat cadaver uxoris, qua loquendi ratione oſtendit poſt divortium illud per mortem factum, jus tamen manere ei qui ſupervixit in defuncti reliquias, ut nempè illas curet & condat. Preterea inter pios de futura vita ſecuros, jus aliquod neceſſitudinis erga defunctos fovet reſtitutio futura.

In reſponſione Chetæorum, ℣. 5. & 6. maxima elucet humanitas, quam præſertim Dei providentiæ ſpeciali tribuendam cenſemus. Illi enim erga Abrahamum ſe gerunt tam benignè, ut nihil amplius à fratribus ſuis expectare potuiſſet. Ille ſe demiſerat tanquam peregrinum & advenam; at eum compellant tanquam *dominum ſuum*. Dixerat, *advena ſum inter vos*, homo novus, & qui precariò habito in medio veſtri. Opponunt illi, נשיא אלהים *neſi Elohim*, Princeps Dei es tu in medio noſtri. Quaſi dicerent, abſit ut te pro advena, aut ignobili aliquo aut abjecto hoſpite habeamus, quem pro excellenti & præſtantiſſimo principe habemus. Id indicat phraſis Ebræa, in qua nomen Dei pro epitheto ponitur rerum magnarum & excellentiſſimarum. Sic *montes Dei*, Pſal. 36. ℣. 7. pro montibus altiſſimis. Quicquid enim eximium, magnum & præſtans eſt, id Dei eſſe dicunt Ebræi. Optimè autem adſcribuntur Deo quæ magna ſunt, præſertim ubi de virtutibus agitur, & iis quæ in homine digna ſunt reverentiâ, quia nihil tale eſt in hominibus, quod Deo non debeatur. Ex eo autem conſtat, etſi in populo illo admodum degeneraſſet vera pietas, nondum tamen profanationem & barbarum faſtum apud eos invaluiſſe, cùm virtuti & probitati aliquis haberetur honos, & apud eos ſanctitas morum Abrahami ipſi favorem conciliaſſet.

Quem ſanè plenum oſtendunt tam liberali conceſſione. במבחר קברינו bemibchar chebarenu, *in electione ſepulchrorum noſtrorum ſepeli mortuum tuum.* Vulgata, *in electis ſepulchris noſtris*, id eſt, in uno ex ſelectiſſimis, vel exquiſitiſſimis ſepulchris noſtris: niſi velimus intelligere ipſi dari optionem, ut quemlibet voluerit eligat. Alioquin electionem, vel electi nomen de re exquiſita ex excellenti in Scriptura dici agnoſcimus. Sic Exod. 15. verſ. 4. *Electio principum ejus*, pro optimis quibuſque principibus. Et Deuteron. 12. verſ. 11. *electio votorum veſtrorum*, pro præcipuis & optimis votis. Nempè, quia quæ eliguntur, ſemper tanquam præſtantiora accipiuntur apud homines. Itaque electio accipi poteſt, pro eo quod dignum eſt quod eligatur. At id locum non habet in electione divina, quia nihil reperit Deus dignum quod eligat, niſi quatenus illud dignum facit electione ſua. Fallunt itaque qui ex eo quod electum aliquid ſumitur pro eo quod eſt præſtantiſſimum, volunt nomen electorum Angelis addi tanquam epithetum tantùm, non ut indicet diſtinctionem inter Angelos electos & reprobos. 1. ad Timoth. 5. ℣. 21. καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων. Certum eſt enim nomen illud poni diſcretivè & oppoſitè ad Angelos reprobos, ex electione ab æterno facta, quam illi ſophiſticè negant, ne cogantur agnoſcere electionem gratuitam, & eidem tribuere Angelorum qui in ſtatu ſuo perſeverarunt conſtantiam.

Chetæorum autem erga Abrahamum promptitudo in conceſſione ſepulchri, illorum barbariem arguit, qui nunc inter Chriſtianos denegant ſepulturam iis, qui non ſunt ejuſdem ſecum in Religione ſententiæ, etſi alioquin Chriſtiani ſint, & ſacro baptiſmo tincti; quam iniquitatem apud Pontificios frequentem eſſe non adeò mirum eſt, qui locis illis ſanctitatem aliquam affingunt, voluntque pollui injectis cadaveribus eorum qui ſacra ipſorum non frequentant, etſi ſingulis diebus acceptâ pecuniâ, quoſvis ſceleratos, in ipſo Eccleſiarum ſuarum choro ſepeliant. Sed id horrendum eſt, ſimilia geri apud eos qui profitentur ſe ſuperſtitionem omnem rejeciſſe: ſunt enim qui excuſſo Pontificis jugo, & de reformatione gloriantes, imò *proteſtantes*, in noſtros exercent, quod olim Donatiſtæ in Catholicos, de quibus Optatus lib. 6. contra Parmen. *Quid referam illam impietatem, de veſtra conjuratione venientem, quia ad hoc baſilicas invadere voluiſtis, ut vobis ſolis cœmeteria vendicetis, non permittentes ſepeliri corpora Catholicorum? Vt terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Iam tacet cum quo paulo antè litigabas. Quid inſultas funeri? quid impetis ſepulturam? Quid cum mortuis litigas? perdidiſti malitiæ tuæ fructum.* Idem reponi poteſt novis cæmeteriorum uſurpatoribus, & cadaverum effoſſoribus, adverſus quos ſurgent in die judicii Chetæi iſti, qui Abrahamo, etſi peregrino, & diverſi cultus homini, non ſolùm non denegant ſepulturam, ſed propria ſua ſepulchra, eaque ſelectiſſima ultrò offerunt.

Quibus auditis, Abrahamus ſubmiſsâ reverentiâ gratias agit, verſ. 7. *Surrexit itaque Abraham*, וישתחו vajiſtachu, *& incurvavit ſe populo terræ.* Vulgata ambigua voce uſa eſt, *adoravit populum terræ*, cujus occaſione quæſitum fuit, etiam ab Auguſtino quæſt. 61. in Geneſ. qua ratione factum illud Abrahami conciliari poſſit cum mandato divino, *Dominum Deum tuum*

adorabis,

adorabis, & illi ſoli ſervies. Reſpondet Auguſt. in eodem præcepto excluſivam particulam non eſſe additam verbo *adorabis*, ſed verbo *ſervies*, quod eſt Græcè λατρεύειν ſignificans ſervitutem ſoli Deo debitam, aut exhibendam. Unde damnantur Idololatræ, id eſt, ejuſmodi ſervitutem reddentes Idolis, quæ debetur Deo. Addit, *Nec moveat quemquam quod in Apocal. cap.* 19. *& ultimo, prohibet Angelus adorari ſe à Ioanne Apoſtolo, & admonet eum ut Deum potius adoret; talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari, & ideò corrigendus erat adorator.* Hæc ille. Sed vir alioqui magnus, qui Græcum textum vel Latinum ſolum habuit, reſponſum excogitavit parum ſolidum. Nam Deut. 6. ꝟ. 13. unde lex quam citat deſumpta eſt, Moſes non utitur verbo adorandi, aut incurvandi שחה *ſchacha*, ut hoc loco, ſed verbo ירא *jare*, quod timere ſignificat; nec exprimitur excluſiva in ſecundo membro, quam tamen Dominus noſter addidit Matt. 4. ꝟ. 10. ſed ita ut utrique membro tam de non adorando, quam de non ſerviendo, æqualiter conveniat. Nam quod Auguſtinus dicit de verbo λατρεύειν non eſt perpetuum: Et verbum Ebræum עבד *abad*, dicitur tam de ſervitute hominibus debita, quam de ea quæ redditur Deo. Reſpondemus ergo, incurvandi & adorandi voces, de reverentia & honore intelligi Deo debito, ita ut tamen pro ratione objecti & cultus, tribuatur etiam honoribus humanis. Proinde diſtinguendum eſſe inter adorationem civilem quæ hominibus redditur, & religioſam quæ ſoli Deo debetur. Civilem tantùm fuiſſe quam Abrahamus detulit populo terræ, qualis fuit quam Angelis exhibuit, quos homines credidit. Proinde nihil peccaſſe contra id quod debetur Deo. Homines mutuò coram hominibus caput aperiunt, genu flectunt, & ſe incurvant, ſed fine civili; ſi idem fiat religioſe erga alium præter Deum, committetur ſacrilegium. Huc etiam ſpectat quod Auguſtinus reſpondet ad factum Johannis, qui cum adoraret Angelum, reprehenſus fuit & à propoſito revocatus. Nempe quia non civili fine, ſed religioſo procumbebat coram Angelo; cum ſibi apparentis ſpiritus majeſtate & luce perſtringeretur. Hoc eſt quod voluit Auguſtinus; *talem Angelum apparuiſſe ut pro Deo poſſet adorari*, id eſt, *religioſo cultu.*

Hanc Auguſtini reſponſionem de facto Joannis, etſi non probent Jeſuitæ, certam eſſe non dubitamus. Objicit contra Pererius, *animum ſuum refugere ut credat Iohannem tantæ ſanctitatis & ſapientiæ virum, & uſque adeò illuminatum à Deo, in eo fuiſſe errore ut Angelum pro Deo vellet adorare, præſertim vero, cum ipſemet appellaſſet eum Angelum, & ut talem à Deo miſſum ad ſe agnoviſſet.* Reſpondemus, Johannem quidem ſatis informatum fuiſſe quid Deo, quid item Angelo deberetur, ſi theſim ſpectemus. Sed nihil obſtare quominus agnoſcamus Johannem in hypotheſi exorbitaſſe; quia apparente ſibi Angelo cum magno ſplendore, cum perculſus fuiſſet ex improviſo, ante plenam deliberationem & conſiderationem omnium circumſtantiarum, quaſi extra ſe poſitus pronus in terram cecidit, non ſolum eo geſtu externo communi honori creaturis exhibito, ſed talibus circumſtantiis adhibitis, ex quibus cognovit Angelus eum errare in perſona aut exorbitare in facto. Hoc autem non præjudicat vel ſanctitati vel ſapientiæ Johannis; ſed teſtimonium eſt humanæ infirmitatis, cui Deus ſolet ſubvenire in ſuis, ne abduci ſe ſinant. Ideò Angelus adeo promptus fuit in eo revocando, nec ſivit ut procederet ultra, monens eum tam de conditione apparentis & loquentis, quam de officio ſoli Deo debito. Quæ certe Angeli prohibitio, talibùs eſt expreſſa verbis, ut nulla ſophiſtica eludi poſſit. Fuit autem alia conditio Joannis, Angelum adorantis cum perturbatus eſſet, & perculſus ſubito fulgore; alia eorum, qui cum Angelos non videant, ex deliberato conſilio, eos religioſe colunt & adorant. Notandum autem hic adverſarios ſibi ipſis invicem adverſari. Sunt enim inter eos qui Auguſtini ſententiam probant, & volunt Johannem exiſtimaſſe Deum eſſe qui ipſi apparebat. Sunt qui perfricta fronte contendunt Johannem adoraſſe Angelum, quem Angelum eſſe novit, & in eo rectè feciſſe & imitandum eſſe. Reprehenſionem autem Angeli non præjudicare quominus idem fieri debeat, quam nolunt ſeriam fuiſſe, ſed tantum ex aliqua humilitate profectam. Sic enim poſt alios Pererius, id Angelum rejeciſſe, ut oſtenderet quanti facerent Angeli, & quanti honorarent humanam naturam, poſtquàm eam filius Dei aſſumpſerat, ſimulque oſtendere voluit Apoſtolicos viros, qui erant miniſtri Dei in Evangelio prædicando, eſſe, ratione illius muneris, æquales Angelis, qui ſimili miniſterio funguntur. Itaque ſi Pererio & gregalibus credamus, tota illa Angeli prohibitio & rejectio, nihil aliud fuit quam ſcenica colluſio, ad eorum hominum morem, qui etſi ſuperiores, tamen ex aliqua humanitate & comitate, rejiciunt honores ſibi delatos, quod aliquando viri principes faciunt, erga viros graves & virtutibus claros, etſi longè infra dignitatem ſuam poſitos, quos nec coram ſe procumbere patiuntur, nec etiam nudo capite ipſis adſtare. At prorſus aliud eſt quod Angelus fecit, qui non ſimpliciter revocavit prohibitione ſua, idque vocibus conciſis & interruptis, *vide ne* id facias; ſed etiam adhibuit rationes, non quas ſuggerit comitas, ſed quas exprimit neceſſitas, *Conſervus tuus ſum, unus ex fratribus tuis, qui habent teſtimonium Ieſu.* Argumentum hoc eſt; conſervos ſuos religioſè adorare non licet; ego ſum conſervus tuus, &c. Ergo. Addit immediatè τῷ Θεῷ προσκύνησον, Deum adora. id eſt, ſoli Deo reſerva quod mihi imprudens deferre volebas; unde patet Angelum prohibuiſſe Johannem ab ea adoratione quæ Deo propria eſt; proinde falſiſſimum eſſe quod adverſariorum nonnulli dictitant, Johannem non exceſſiſſe modum, ſed ex aliqua comi-

comitate, Angelum rejeciſſe hunc honorem, vel quia humanam naturam in hominibus venerabatur, propter eam à filio Dei aſſumptam. Quæ conciliari non poſſunt cum verbis Angeli, tam hic, quam cap. 22. ejuſdem libri, verſ. 9.

VII Verſu & ſequentibus, poſtquam Abrahamus Chetæorum humanitatem reverenter & ſubmiſſe ſe agnoſcere oſtendiſſet, deſiderium ſuum aperit, de ſpelunca Machpelah & agro contiguo, petitque eorum interceſſionem erga Ephronem poſſeſſorem, ut accepto pretio juſto & ſufficiente, poſſeſſionem hanc ei tradat in perpetuum, ad ſepulchralem uſum. In quibus etſi appareat ſancti viri diſcretio, qui de eorum benevolentia non tantum ſumit, quantum ipſi offerebant; non dubitandum præterea in eo fuiſſe myſterium, quod mortuum ſuum in ſepulchrum inferre noluerit, donec loci proprietatem acquiſiviſſet. Ideo Hephrone agrum & ſpeluncam verſ. 11. ultro offerente ſine pretio, inſtitit idem, ut pretium acciperet & tandem permovit; nempe ſimile quid habuit in animo, quod poſteà Jeremias, qui cum eſſet in cuſtodiam conjectus, & certus eſſet de excidio Jeruſalaimorum, & totius regionis depopulatione, in ſpem tamen reſtitutionis futuræ emit ſibi agrum in Anatoth. Jer. 32. verſ. 25. Sic divinis promiſſionibus credens Abraham, qui ſciebat ſe viventem promiſſæ terræ poſſeſſione non potiturum, in ea ſibi emit ſepulchrum, ut ſpem ſuam, vel mortuus teſtaretur.

Spelunca quam petebat Abraham dicitur המכפלה *hammakpelah*, id eſt, *duplicitatis*. vetus interpres, *ſpeluncam duplicem* vertit appellativè. Alii propriè accipiunt, pro nomine loci, quorum ſententia confirmatur ex verſ. 17. *Confirmatus eſt ager Ephron, qui erat in Macpelah*, &c. אשר במכפלה *aſcher bammakpelah*, quæ conſtructio indicat ſic vocatum fuiſſe locum in quo ager cum caverna ſitus erat. Proinde otioſa judicamus quæcumque conjiciunt alii de duplicitate ſpeluncæ, quaſi una fuerit ſuperior, altera inferior, ut ſepararentur corpora virorum, à corporibus mulierum; vel una fuerit interior, alia exterior; vel una major, altera minor, vel una in qua fuerit conditus Adam, altera in qua Eva, &c. Sunt enim conjecturæ leves, nulla ratione nitentes, ab iis excogitatę, quibus vaticinari de incognitis nulla religio eſt. Excipio quod vir Doctiſſ. Mercerus, duplicitatis vocem appellativè intelligit de capacitate & ſinuoſitate ſpeluncæ, id enim probabilitate non caret. Petit autem eam Abrahamus, בכסף מלא *bekeſeph male*, argento pleno, id eſt, integro pretio & juſto, non minoris aut vilius, quam res ipſa valeat. Talis eſt enim piorum conſcientia, ut neminem ſuo fraudari velint, & in contractibus æquitatem ſervent, id curantes ut de ſuo potius cedant, quam de alieno uſurpent.

Accuratiſſimus eſt Moſes in hac acquiſitione deſcribenda, nec ullas omittit circumſtantias, quod teſtimonium eſt rem fuiſſe magni momenti; id eſt, acquiſitionem illam fuiſſe velut arrham promiſſæ totius hæreditatis. Ephron. ℣. 15. petente Abrahamo loci pretium indicat, quadringentis ſiclis argenteis, id eſt, ſecundum Budæi ſupputationem, ducentis & quinquaginta libris monetæ noſtræ Francicæ, vel totidem florenis Belgicis. Caſpar VVaſerus de Antiquis numis Ebræorum lib. 2. cap. 5. eandem ſummam redigit ad thaleros imperiales centum; in qua cum Budæo convenit. Sed ὁ μακαρίτης noſter collega, talium indagator ſolertiſſimus VVillebrordus Snellius, in libello de re nummaria, plùris æſtimat, nempe coronatis Gallicis 160. id eſt florenis 480. vel thaleris imperialibus $234\frac{2}{3}$.

Indicat autem hanc ſummam Ephron, ita ut in priori liberalitate oſtendat ſe adhuc perſiſtere: verba enim ejus oſtendunt, ſe ideò pretium æſtimaſſe, non ut acciperet; ſed ut donum quod offerebat extenuaret, quaſi non tanti eſſet res, cujus inter duos tales viros & prædivites & amicos, ratio haberi aliqua deberet. Proinde ſententiæ eorum accedo, non qui exiſtimant Ephronem gratiam ſuam voluiſſe deprædicare, quaſi diceret, exiguum eſſe pretium, habita ratione loci amœnitatis & fertilitatis, & ad id referunt hæc verba מה הוא *ma hi*, quid ipſa, vel quid hoc eſt? quaſi diceret, quam parvo pretio emis? ſed præcedentibus omnibus convenientius eſt, extenuaſſe ita rem, ut Abrahamum induceret ad agrum dono accipiendum, quandoquidem tam levis momenti res eſſet, ut inter amicos nulla haberi deberet ejus ratio.

Sed cum apud Abrahamum eſſet conſtitutum alieno prædio non uti, niſi perſoluto pretio, audita indicatione ſummam numeravit, & Ephroni ſolvit agri pretium, confirmata authenticè acquiſitione coram teſtibus, in publico loco. Quo facto ibidem ſuam uxorem ſepelivit. In utroque autem tam Abrahamo quam Ephrone nihil in eo contractu ſcriptura reprehendit, nec fuit quod culpari deberet. Certant illi inter ſe humanitate & comitate; tandem æquo contractu negotium conficiunt, unus rei ſuæ pretium accipit quam alienat; alter ſolvit, qui rem emptam poſſidet.

Nihilominus fuerunt inter Ebræos qui Ephronis humanitatem non agnoverunt, & factum illius malè interpretati, leviſſimam rationem excogitarunt, eum traducendi: Notarunt in poſteriori parte verſus 16. in his verbis, וישקל אברהם לעפרן *vajiſchkol Abraham Leephron. Et appendit Abraham ipſi Ephron*, nomen Ephronis mancum ſine vau ſcribi, quod paſſim alibi plenum cum vau ſcribebatur. Id teſtimonium eſſe volunt, Ephronem plurimum de ſua exiſtimatione imminuiſſe, & ea quam præ ſe ferebat virtute, cum tam liberaliter agrum ſuum obtulit Abrahamo, cujus poſteà pretium petierit, & accipere non horruerit. Hanc Ebræorum criminationem arripuit Hieron. Tradit. Ebraic. in Geneſim cap. 23. Vult enim in loco quem vendi-

vendidit Ephron fuiſſe monumenta mortuorum, itaque peccaſſe quod locum vendiderit, etſi ab Abrahamo coactum fuiſſe agnoſcat. Inde delabitur in reprehenſionem eorum, qui non coacti ut accipiant pretium ſepulchra venditant, ſed etiam negantibus extorquent, quorum nomen dicit immutari, & de eorum meritis aliquid perire. Hujus ſententiæ Auguſtini occaſione mirè ſe torquent Pontificii Doctores Scholaſtici & Canonici, quomodo Abrahamum abſolvere poterunt ementem, ſi condemnetur Ephron vendens; qua ratione Simoniacus erit qui rem ſpiritualem vendidit; non erit Simoniacus qui ſoluto pretio ſuam fecit. Itaque, vel quidam Abrahamum etiam non ab omni culpa abſolvunt; vel alii excuſant, quaſi vexationem redimentem. Otioſè omnes. Nam ſi aliqua fuit culpa, tota fuit Abrahami, qui ultro & gratis donatum ſepulchri locum accipere noluit, & poſſeſſorem coëgit pretium rei accipere.

Illi nodos ſibi nectunt falſis ſuppoſitionibus. Volunt locum illum fuiſſe longè antè ſepeliendis mortuis deſtinatum. Ipſum Adamum in eo fuiſſe ſepultum. Quidam, qui non ita certò affirmant, hoc ſaltem conjiciunt, vel fuiſſe ſepulchrum familiæ Ephronis, in quo jam erant condita corpora; vel in eum finem fuiſſe conſecratum. Itaque merito culpari, qui ſepulchrum ſuum aut ſuorum vendiderit. Sed hæc omnia extra ſcripturam, ex meris iiſque vanis conjecturis. Nec certè de Abrahami prudentia & honeſtate benè ſentiunt, qui hoc ipſi affingunt, quod alienum ſepulchrum, illudque hominis Ethnici tantoperè ſibi vendi cupiverit; cum potius id certum haberi debeant, in hunc locum oculos conjeciſſe ſanctum virum, quia eum noverat ſepulchro eſſe aptum, & à nemine adhuc ad hunc uſum occupatum, etſi propter vicinum agrum arboribus conſitum, ſuum haberet dominum, cum quo tranſigere voluit. Fuit igitur contractus bona fide ab utraque parte factus, cum locus nemini antea fuiſſet alienatus, nec publicis uſibus deſtinatus, nam alioqui nulla fuiſſet opus aliorum interceſſione apud loci dominum; nec privatis, quibus non poſſet legitimè ſe abdicare, qui antea agrum poſſederat.

Si probare poſſent fuiſſe anteà locum ſepulchralem majorum Ephronis, illi eadem opera oſtenderent peccaſſe eum contra honeſtatem. Sed non propterea eum Simoniæ reum peragerent, niſi probarent etiam apud illas gentes ſepulchra fuiſſe ſacra. Tunc enim cum aliquo prætextu eum inſimularent venditionis ſacrarum rerum: etſi inter res ſacras fieri debeat diſtinctio. Non enim eadem eſt ratio rerum per ſe ſpiritualium, & earum quæ ſpiritualibus quodammodo inſerviunt. Sed non opus eſt ut illud mare ingrediamur, in quo qui apud Pontificios maximè periti habentur nautæ, vix unquam portum attingunt, adeò ſinuoſum eſt, & perplexitatibus impeditum, quas ipſi ſibi ipſi objecerunt. In ſumma, agnoſcimus Abrahamum emiſſe agrum & ſpeluncam in eum finem ut ibi ſepulchrum haberet; Ephronem cum non ignoraret quo fine illud peteret annuiſſe, & pretium accepiſſe, In eo nihil vitii agnoſcimus, neque enim debuit Ephron jure ſuo fraudari, ſub eo prætextu quod loco uti vellet Abraham pro ſepulchro. Hoc nihil igitur facit ad quæſtionem, de ſacrilegio eorum, qui communia ſepulchra, & uſibus illis ab omni tempore deſtinata vendunt; etſi mirum videri poſſit quid ſibi velint Pontificii in hoc facto exaggerando, cum omnes Curiones & ſacrificuli Papales, nundinationem iſtam ſecurè exerceant, & neminem ſepeliri patiantur, niſi ſoluto pretio, etiam in Polyandriis. Habent illi ſuas exceptiones, quod res illæ plus de temporali habeant quam de ſpirituali, quod vendatur terra, non conſecratio; alii quod accipiant per modum oblationis, non exactionis; id eſt, *camelum colant, & culicem deglutiunt.*

Et hæc quidem de acquiſitione Abrahami, & loco ad ſepulchra familiæ ſuæ deſtinato, in qua narratione qualis à Moſe nobis relicta eſt, nulla apparet difficultas. Sed aliundè nobis objicitur non parva, & penè inſolubilis, quæque hactenus omnium interpretum ingenia mirè torſit. Ei occaſionem dedit verſus XVI, cap. VII Actorum in oratione Stephani, cujus hæc recitantur verba poſtquàm egiſſet de Patriarchis, *Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti, à filiis Hemor filii Sichem.* In quibus verbis, ſunt quæ huic hiſtoriæ conveniant, 1. Quod *Abraham* nominatur emptor; 2. Quod res empta *ſepulchrum* appellatur, hic enim fuit Abrahami finis ut diximus; 3. Quod emit *pretio argenti.* At non convenit, 1. Quod locus emptus ſitus fuerit *in Sichem.* 2. Quod venditor fuerit *Hemor filius Sichem.* Alia extat hiſtoria infra cap. 33. ℣. 18, & 19. ubi ſcribitur, *Iacobum reverſum de Meſopotamia Syriæ, tranſiviſſe in Salem urbem Sichimorum in Canaam, habitaſſe ibi juxta oppidum, & emiſſe partem agri in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor, patris Sichem, centum agnis.* In qua hiſtoria, conveniunt cum dicto Stephani, 1. Situs loci, nempe urbs Sichimorum, 2. Quod *pars agri* fuit ibi empta. 3. Quod venditor fuit *Hemor.* Non conveniunt, 1. Quod emptor fuit Jacob, non Abraham. 2. Quod ſepulchri ibi mentio non fiat. 3. Pretium fuit *centum agnorum,* non argenti; 4. Quod Hemor dicatur filius Sichem apud Stephanum, qui fuit pater, in hiſtoria Moſis. Prima diſconvenientia eſt magni momenti, non enim confundi poſſunt avus & nepos. Secunda levis eſt; Nam uterque emit agrum, etſi ergo Jacob non emerit ſepulchrum deſtinatione ſua, ut Abraham; poſſet tamen intelligi Moſem id dixiſſe habita ratione eventus, quia ſuo tempore ibi ſepultus erat Joſeph cum reliquis fratribus. Tertia habet ſuas difficultates, nam certè non idem fuit pretium. Quartam in verbis Stephani facit editio vulgata, quia in Græco textu non compareret vox *filii,* tantum ſcribitur τοῦ Συχέμ, quæ Phraſis, vel

patris nomen ſub articulo æquè intelligi poſſe oſtendit, ac nomen filii; vel τ̃ Συχὲμ poteſt intelligi de loco in quo habitabat Hemor. Sed qua ratione reliqua conciliari poſſint, & alterutri loco convenire, difficile eſt aſſequi.

Fuerunt qui quem ſolvere non potuerunt nodum, ſcindere non dubitarunt, & quia apud Stephanum ſunt verba & circumſtantiæ utriuſque loci nonnullæ, cenſuerunt, ſanctum virum, emptionem utramque Abrahami & Jacobi, in unam conflaſſe, & quam Moſes diſtinctè tradiderat hiſtoriam, omnino confudiſſe, idque ipſi accidiſſe ex memoriæ lapſu, dum tota mentis intentione in cauſam raperetur. Quam ſententiam olim inſinuarunt Beda & Rabbanus, & hoc tempore, Melchior Canus lib. 3. de locis Theol. cap. ultimo. Quæ ſolutio expeditiſſima omnium eſſet, ſi de eo viro ageretur, in quem aut errorem, aut incogitantiam, in tali præſertim actu, in quo plenus erat ſpiritu, cadere potuiſſe, fas eſſet opinari. Id enim alias non obeſſet autoritati canonicæ librorum ſacrorum, ſi in illis recitarentur aliena verba, in quibus eſſet error admixtus, quia non tam à ſcriptore probarentur verba, quam referrentur. Cujus rei exempla ex ſcriptura poſſent afferri, ſi opus eſſet. Sed periculoſum eſſet tales hallucinationes tribuere Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, dum ſeriò res ſacras tractant, aut concionando, aut ſcribendo, maximè hoc loco Stephano, qui non tam videbatur loqui, quam Sp. Sanctus in eo, & qui apud adverſarios dicebat, à quibus non audiebatur æquis auribus, & qui Biblici textus non erant ignari. Qui tamen dicuntur *non potuiſſe reſiſtere ejus ſapientiæ, neque ſpiritui qui loquebatur.*

Hanc duorum locorum diſſimilium confuſionem qui probare non poſſunt, & ad unum tantum, Stephanum reſpexiſſe conſentiunt, non tamen conveniunt in eo aſſignando, qui Stephani verbis & ſenſui parallelus eſt. Quidam enim volunt reſpexiſſe ad emptionem factam ab Abrahamo in Hebron; alii ad eam quæ facta eſt à Jacobo in Sichem, & pro ratione diverſarum ſententiarum, varias etiam quærunt conciliationes. Qui ergo huic hiſtoriæ Geneſ. 23. aſſignant verba Stephani, eo recurrunt ut dicant, avum Ephron, à quo Abraham emit agrum, fuiſſe binominem, & eundem fuiſſe, qui à Moſe vocatur Sehor, & à Stephano appellatur Hemor; Patrem autem illius Hemor, fuiſſe Sichem; quas circumſtantias à Moſe non expreſſas, habuerit Stephanus à Sp. Sancto. Et quia Patriarchæ duodecim, non fuerunt ſepulti in Hebron, quod de Joſepho conſtat, & de fratribus ejus credibile eſt, volunt hæc verba, *& tranſlati ſunt in Sichem*, de patriarchis quidem intelligi, ſed quæ ſequuntur, *& poſiti ſunt in ſepulchro quod emit Abraham,* &c. de ſolo Jacobo qui tranſlatus fuit in Hebron; ut plurali numero dicatur de multis quod uni tantum convenit. Vel ſi minus id arrideat, divinant, Patriarchas omnes fuiſſe primum tranſlatos ex Ægypto in Sichem, poſteà autem inde fuiſſe in Hebronicum Abrahami ſepulchrum delatos.

In hac conciliatione major eſt difficultas, meo judicio, quàm anteà fuit. Nam etſi verum ſit, nonnullos fuiſſe binomios, tamen de Ephron & patre ejus id affirmari non poteſt quod nullo, vel probabili nititur argumento; cùm præſertim in duabus diverſis hiſtoriis reperiantur diverſis hominibus, & diverſorum locorum incolis talia attributa nomina. Ejuſdem farinæ eſt, quod dividunt eos qui tranſlati fuerunt in Sichem, ab iis qui poſiti fuerunt in ſepulchro quod emit Abraham, cùm de iiſdem apertiſſimè utrumque dicat Stephanus. Quod autem duplicem tranſlationem ſomniant, cùm mera ſit vaticinatio, non inhærendum cenſemus in ipſius refutatione.

Eorum igitur mihi multò magis arridet ſententia, qui cenſent, Stephanum non reſpexiſſe ad emptionem ſpeluncæ Macpelæ & agri adjuncti, quem Abraham in Ebron emit ab Ephrone, ſed loquutum fuiſſe de agro illo, quem poſteà emit Jacob in territorio Sichemitarum, in quo Joſephum ſepultum fuiſſe, conſtat ex cap. ultimo Joſue, ℣. 32. *Tum oſſa Ioſephi, quæ deportaverant filii Iſraëlis ex Ægypto ſepeliverunt in Sechemo, in illa portione agri quam emerat Iacob à filiis Chamoris patris Sechemi, centum numis.* De aliis Patriarchis res non ita ex Scripturis certa eſt; ſed ſi verba Stephani de agro Sichemitico intelligantur, extra dubium poni debet. Hieronymus in epitaphio Paulæ, dicit eam è Sichem divertentem, vidiſſe duodecim Patriarcharum ſepulchra. Beza etiam in cap. 7. Actorum, Hieronymo teſti oculato, potiùs fidem habendam eſſe quàm Joſepho ſentit. Et ſatis probabile eſt Iſraëlitas, cùm aliorum Patriarcharum oſſa, unà cum Joſephi oſſibus ex Ægypto afferrent, ea ſimul condidiſſe, ut in uno & eodem loco haberent ſepulta omnium tribuum ſuarum capita.

In hac ſententia duæ tantùm ſuperſunt ſolvendæ difficultates alicujus momenti; una quæ de nomine Abraham, altera quæ de Sichem patre Hemoris dicuntur, cùm in hiſtoria Moſis contrarium reperiatur. Sunt qui locum Actorum in codicibus putant eſſe corruptum, & aliter olim lectum fuiſſe. Beza aliquid ex margine putat irrepſiſſe in textum. Et Andreas Maſius vir doctiſſ. ſcribens in cap. 24. lib. Joſue, exiſtimat etiam Græcos codices mendo non carere. Igitur in locum *Abrahami*, Jacobi nomen eſſe reponendum putant, & pro *filii* nomine *patris* nomen eſſe ſcribendum; tunc ceſſabit omnis difficultas, ſi ſic legamus, *Et tranſlati ſunt* (nempè Patres noſtri) *in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Iacob pretio argenti à filiis Hemor patris Sichem.* Sed quia nomen Abrahami, &c. legunt antiquiſſimi codices & Patres omnes tam Græci quàm Latini, non ita facilè ſe expediunt, qui codices mendoſos eſſe aſſerunt.

Cùm igitur poſteriorem illam ſententiam præferendam

dam exiſtimem, quæ Stephanum agere de agro à Jacobo empto, & Joſepho donato, ſtatuit, in eorum etiam conciliationem magis inclino, qui nihil in textu mutandum cenſent, aut negant aliquid irrepſiſſe mendi, & nullum eſſe diſcrimen in ſenſu Stephani & Moſis, ſed aliquod tantùm in verborum forma. Duas igitur rationes afferunt ob quas Abrahami nomine Jacobus nepos intelligi poteſt & debet. 1. ducitur ex parentum cum liberis conjunctione adeò arcta, ut parentes & filii idem moraliter cenſeantur. Unde accidit, ut quæ faciunt parentes, nonnunquam tribuantur filiis, & quæ filii faciunt, parentibus. Prioris acceptionis exemplum proferunt ex verbis Joſephi cap.50.hujus lib.℣.5. *Pater meus adjuravit me dicens, En morior, in ſepulchro meo quod fodi in terra Chanaan, ſepelies me.* Ubi volunt fodere, idem eſſe quod emere, quia verbum כרה *karah* Ebræis etiam *emere* ſignificat: ut Oſeæ cap.3.℣.2. Et ſic etiam in verbis Joſephi, pro acquirere & emere accepiſſe nonnullos ex Ebræis, teſtatur Rabi David. Non potuit autem ſibi emiſſe, niſi in parente ſuo. Poſterioris ſignificationis, quæ ad rem noſtram magis pertinet, plura ſunt exempla, in quibus patrum nomina pro poſteris uſurpantur ſine ulla mutatione, non ſolùm ubi aliquis populus nomine progenitoris ſui cenſetur, ſed etiam ubi agitur de ſingularibus perſonis. Sic 1. Reg. cap.12. de Roboam nepote Davidis dixit infenſus populus, *Quæ nobis pars in David, aut quæ hæreditas in filio Iſai?* Et ejuſdem lib. cap. 15. cùm Jeroboam bellum gereret adverſus Abiam filium Roboami, bellum dicitur geſſiſſe cum Roboam, qui mortuus erat, ut ex cap. 14. antecedenti patet. Sic Davidis nomen pro Chriſto ſæpè ponitur, ut Jerem. cap.30. & Ezech.34. *Suſcitabo ſuper eum ſervum meum David.* Poſſunt ex claſſicis autoribus ſimilia afferri exempla, ut quod apud Virg. Æneid. 4. de Ænea loquens Dido, eum *Dardanum* appellat.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.

Ex quibus ſatis probabile videtur, in hoc loco Stephani, nomen Abrahami fuiſſe uſurpatum pro ejuſdem nepote; niſi quis malit (quam etiam ſecundam rationem afferunt) nomen *Abraham* ibi eſſe patronymicum, & in genitivo caſu accipi debere *Abrahami*, nempè filius aut nepos, id eſt, *Abrahamides*; ſolent enim patronymica etiam ab avis & proavis deduci. Ita Vatablus putavit nomen Abrahami ſumendum in genitivo, & ſubaudiendum *filius*, quia communis eſt ratio apud Ebræos exprimendi patronymica, ut cùm dicuntur filii Moab, & filii Ammon, Moabitæ & Ammonitæ. Apud Græcos autem notum eſt, genitivum, ſi articulus præcedat, patronymicè ſumi, ut ὁ Σωφρονίσκου, pro Socrate Sophroniſci filio, & ὁ Κλεινίου, pro Alcibiade Cliniæ filio.

Quod verò Hemor dicitur *filius Sichem*, jam dictum fuit, in Græco exemplari filii nomen non haberi, poſſe itaque ſuppleri nomen patris, æquè ac filii nomen. Græca autem phraſis tripliciter poteſt interpretari, Ἐμμὸρ τοῦ Σιχέμ. Primò, ut ſit epexegeſis, quaſi diceret, *à filiis Emor*, nempè à *Sichem*. Secundo, ut ſit Ebraiſmus, & ſubaudiatur Principis nomen, quo modo accepit doctiſ. Junius, *à filiis Emor*, principis Sichem. Tertiò, ut intelligatur pater. Ut apud Herodotum in Thalia, Κῦρος ὁ Καμβύσεω, *Cyrus Cambyſis*, nempè *pater*. Sic Luc. 24.℣.10. Μαρία Ἰακώβου, *Maria Iacobi*, nempè *mater*, ut diſertè expreſſit Syrus. Imò *filius Sichem*, poteſt intelligi *Sichemita*. Ipſe etiam Hemor potuit eſſe filius Sichem, ejus nempè qui loco nomen dedit, & pater Sichem qui Dinam violavit. Itaque ſublatę erunt hac ratione difficultates. Nam quæ de agnis & pecunia variè dicuntur aut argento, facili negotio conciliari poſſunt, qua de re dicetur ſuo loco, ad cap.33.

AD CAPUT XXIV.

EXERCITATIO CX.

Summa capitis XXIV. *Tempus matrimonii Iſaaci. Quod non deliberatum eſt à patre, niſi cum filii conſenſu. Quid ſibi voluerit ritus jurantis, ponentis manum ſub femore? Adjuratio quid ſit? Quibus competat? Cur ex Chananæis noluit Abraham Iſaaco uxorem deligi. Cultus diſparitas impedimentum contrahendi matrimonii. Qualis manſerit Religio in cognatione Abrahami? Cautio de non reducendo Iſaaco quorſum tenderet? Quomodo intelligenda, cùm Iſaacus tum fuerit quadragenarius, nec à ſervo penderet? Quæſtionis duplex ſolutio.*

SUB finem cap. XXII. à verſu 20. poſtquam Abraham rediiſſet ex monte Morijah, narravit Moſes nuntium ei fuiſſe allatum, de propagatione familiæ Nachoris fratris ſui, qui in Meſopotamia ſedem fixerat. Quæ narratio intertexta fuit à Moſe, ut viam ſibi pararet ad hiſtoriam nuptiarum Iſaaci, ne dubitatio aliqua injiceretur de genere uxoris quam ducturus erat, Ribcæ nempè, filiæ Bethuelis Iſaaci patruelis. Sed quia antequam affinitas illa contraheretur, obiit Sara, caput unum dedit ſepulturæ ejus, & ejuſdem annexis. Jam cap. XXIV. deſcribit accuratiſſimè totum negotium conjugii Iſaaci, quo tempore initum

tum fuerit, quo procurante, quo adminiſtro, qua ratione, cum quibus, & tandem quænam data ei fuerit ſponſa, & quo affectu eam ſit proſequutus; ad quæ capita revocari debent, quæcumque verſibus LXVII. hujus capitis continentur.

Nec mirum videri debet adeò prolixum fuiſſe Moſem in hoc negotio deſcribendo; quin potius inde concludendum, rem fuiſſe maximi momenti. Intererat enim multum Eccleſiæ, cum Iſaac ſuccedere deberet in benedictionem Abrahami, ſcire qua ratione & quibus mediis conſtituta fuiſſet ejus familia, quæ ſeminarium populi Dei eſſe debuit. Commodè itaque inde auſpicatur Hiſtoriam Iſaaci; quæ enim de Abrahamo poſteà memorabit & de Iſmaële, obiter tantum, & ipſius Iſaaci cauſa recitabuntur.

Tempus matrimonii Iſaaci ex iis quæ habentur verſ. I. certò non poteſt colligi. Hoc factum fuiſſe cum Abraham ſenex eſſet & vergens ætate notat Moſes; ſed quo anno ætatis Abrahami vel Iſaaci contigerit aliunde colligi debet. Certum eſt ex verſu capitis ultimo, tunc mortuam fuiſſe Saram: ſed ex cap. XXV. verſ. 20. ætatem Iſaaci cum accepit Ribcam uxorem conſtat fuiſſe annorum XL. Proinde Abrahamum natum fuiſſe annos centum quadraginta. Qua ætate ſenes non fuerant Patriarchæ ante diluvium, nec plerique Abrahami progenitores poſt diluvium, cum Sem vixerit ſexcentis annis; Arphaxad quingentis triginta octo. Sed poſteà paulatim imminui cœpit hominum vita, itaque tum Abrahamus ſenex fuit, non quidem reſpectu habito ad annos præcedentium Patriarcharum; ſed eorum comparatione qui poſteà propagati ſunt, quorum nullus excepto Iſaaco Abrahami ætatem attigit. Iſaacus quinquennio ſuperavit, ſed non adeo vegeta ſenectute, ut ſuo loco dicetur.

Ætas igitur vergens monuit Abrahamum tempus eſſe ut filio ſuo proſpiceret, & benedictionem divinam in eum transferret. Ideò hoc præmiſſum fuit, benedixerat Jehova Abrahamo, in rebus omnibus. Reſtabat præcipua benedictio, de propagatione ſeminis electi, ne aliæ benedictiones temporales, aliis cederent. Ideò cogitat bonus parens de filii nuptiis. Cumque per ætatem commodè non poſſet longum iter ſuſcipere, nec vellet chariſſimum ſibi filium viarum periculis committere, vel præſentia ejus carere; prudentiſſimus ſenex, commodum ſibi elegit inſtrumentum; è ſervis ſuis eum quem maximè fidum noverat, & intelligentem, cujusque diù fidelitatem erat expertus.

Quamvis autem in tota hac narratione Iſaaci nulla ſit mentio, niſi cum adductâ puellâ eam in tabernaculum matris ducit; non eſt tamen exiſtimandum illo inſcio, talia parentem fuiſſe molitum. Etſi enim maxima ſit parentum in talibus poteſtas, nec ſine eorum conſenſu & cura liberi hoc vitæ genus eligere debeant, quo à parentum poteſtate emancipantur, & novam familiam conſtituunt (qua de re anteà diximus, ubi actum fuit de Hagara filio Iſmaëli proſpiciente de uxore) non tamen parentes debent liberis ſuis uxores obtrudere, ſine eorum conſcientia. Cum Abrahamus eſſet bonus pater, & vir prudentiſſimus, ſcriptura tacet quid de ea re cum Iſaaco egerit, ita ut tamen ſupponat & ſupponere nos velit, quicquid conveniebat, exactiſſimè fuiſſe obſervatum. Quis enim crederet, de Iſaaco quadragenario, matrimonio conjungendo egiſſe Abrahamum cum ſervo ſuo, eo inconſulto ad quem res illa maximè ſpectabat? Non eſt tamen de nihilo quod ſcriptura primas partes in ea re tribuat patri, relicta tantum filio ſubmiſſione, de qua per indolem Iſaaci dubitare non licet. Id enim factum eſt ad patriam poteſtatem ſtabiliendam, & filiorum coërcendam audaciam, qui parentibus ſe vellent ſubducere, eorumque hæreditatem in eas transferre familias, quorum ipſis non eſſet grata affinitas.

In tanti autem momenti negotio, etſi fideli uteretur ſervo ſanctus Patriarcha, cavit tamen diligenter, ne quid accideret in ea re, vel per incuriam, vel ex ignorantia, quod votis ſuis juſtis & ſanctis non reſponderet. Primum ergo exegit à ſervo ſuo juramentum verſ. 2. idque cum ſolemni formula; *Pone*, inquit, *nunc manum tuam ſub fœmore meo.* Quem ritum poſtea imitatus eſt Jacobus cap. 47. ℣. 29. cum adjuraret filium ſuum Joſephum, ne ſepeliret eum in Ægypto. Sollicite autem quæſitum eſt quid ſibi voluerit talis ritus, cujus alibi in ſolemnibus juramenti formulis & ritibus non ſit mentio. Multi multa commenti ſunt, quorum pleraque talia non exiſtimo, quæ aut recitatione digna ſint, aut refutatione indigeant. Id ex ſacra Scriptura notum eſt, *fœmoris* nomẽ honeſtè poni pro iis partibus quę ad generationẽ ſunt deſtinatæ, ut *ventris* & *lumborum.* Præterea femur, eſſe etiam ſymbolum fortitudinis, tum quia totum corpus ſuſtinet, tum quia enſis fœmori accingebatur, Pſ. 45. Fuerũt ergo, qui non ſine aliqua probabili ratione exiſtimarunt, hanc ceremoniam voluiſſe Abrahamum adhibere, propter ſignum fœderis divini in ea parte; & hac ratione juramentum voluiſſe ſancire, quia hoc ſigno nihil antiquius haberet; quomodo poſteà Ebræi jurare ſolebant adhibito libro legis, aut Thephilim, aut ſacris aliquibus rebus; qua etiam ratione adhibentur apud multos, præſertim Pontificios, ſacri codices, reliquiæ & ſimilia, ut jurantes tali ritu magis afficiantur. Sed talia ferè ſuperſtitio invexit & auxit, nec puto huc reſpexiſſe ſanctos patres, in hoc ritu imperando. Præſertim (ut id obiter dicamus) non poteſt excuſari talium rerum uſurpatio qualis ſit à Pontificiis; ea enim ita adhibent, ut ea Deo conjungant, & eadem ab iis petant, dicentes, *ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia, reliquiæ*, &c. Alia eſt ratio quorundam, inter eos etiam qui Pontificis jugum excuſſerunt, & profitentur ſe ea non adhibere eo animo, ut talia invocent, aut in locum Dei ponant; ſed tantùm ut per comparationem veritatis, teſtentur ſe non velle

velle fallere aut mentiri, quaſi admota Evangeliis manu dicerent, quemadmodum ſcio veriſſima eſſe quæ in Evangelio continentur, ſic coram Deo teſtor me vera dicere. Sed facilè ſubrepit in talibus ſuperſtitio, ideò tutius exiſtimamus ab iis abſtinere, maximè cum ἀδιαφορίαν ſuſtulerit horrendus Idololatrarum abuſus.

Hic non licet dubitare per quid jurare voluerit Abrahamus ſervum ſuum, cum expreſsè obſtringere ſe velle eum teſtatur juramento, *per Iehovam Deum cœli, Deumque terræ.* Itaque manus fœmori impoſita, non reſpicit rem per quam juratur: ſed tantum jurantis ſubmiſſionem & obedientiam: eſt enim adjuratio minoris à majore: & adjuratus hoc ritu teſtabatur conſenſum ſuum & ſubmiſſionem, qui conſenſus apud æquales fit data manu. Exiſtimo itaque, cum doctiſſimis quibuſdam interpretibus, Calvino, Mercero, Junio & aliis, hoc ritu ſignificatum fuiſſe obſequium inferiorum erga ſuperiores, quibus teſtabantur ſe ſubjectos eſſe, velut quodam *homagij*, quod vocant, ſigno. Quod etiam notavit inter Judæos Aben-Ezra, qui morem fuiſſe uſitatum in India ſcribit: Idem anteà teſtatus erat Chryſoſtomus. Et tempore noſtro ſimile quid præſtitum fuit in ſolemnibus illis fidelitatis juramentis, quibus vaſalli ſuis dominis tenebantur: quod poſteà etiam in uſum communem tranſiit, cum inferiores ſuos ſuperiores ſalutarent: unde adhuc apud noſtrates uſitatiſſima phraſis eſt, *embraſſer la cuiſſe*, hoc eſt, femur amplecti, pro eo quod eſt exhibere ſummam reverentiam. Hanc rationem petitionis Abrahami puto ſimpliciſſimam, ut intelligeret ſervus ille ſe duplici nodo conſtringi: ordinario & communi ſubjectionis, quam ipſe hoc ritu agnoſceret, & ſpeciali jurisjurandi, quod ab hero exigebatur.

ואשביעך *veaſchbiaka*, ut faciam te jurare: Græca editio ὁ ἐξορκιῶ σε. Vulgata, Pagninus & alii, ut *adjurem te.* Ubi *Adjurare*, nihil aliud eſt, quam adigere ad jurandum, ſeu ab aliquo jusjurandum exigere: quo modo Principes & alii magiſtratus adjurant ſubditos: Judices reos, parteſque litigantes. Aliquando etiam privati privatos, exigentes, ut juramento ſe obſtringant ad aliquid faciendum vel non faciendum. Hoc autem diſcrimen eſt inter juramentum & adjurationem, quod quiſque ſe juramento ſuo obſtringit & obligat: Adjuratione autem alios obſtringimus.

Id autem licere patet, ex eo quod juramenti religionem perpetuam eſſe oſtendimus, & apud homines neceſſariam. Quod autem alii facere licet, id nobis, ubi neceſſitas poſtulat, ab alio licet petere. Itaque non dubitamus ab Abrahamo factum fuiſſe legitimè. Quod ut intelligamus: notandum eſt adjurationem ſupponere in adjurante aliquam autoritatem, qua jusjurandum non tantùm poſtulat, ſed imperat, ita ut non liceat tum, ubi cauſa eſt juſta, ei qui adjuratur, vel moras nectere, vel renuere. Ex quo intelligimus differre à ſimplici petitione juramenti, quæ inferiori erga ſuperiorem poteſt competere, nunquam autem adjuratio. Ergo, competit illa iis qui ſunt in dignitate conſtituti, ut principibus, magiſtratibus & judicibus. Cum autem patresfamilias, in ſuis familiis ſint particulares magiſtratus, qui filios ſuos & ſervos inferiores habent, poſſunt etiam uti eodem jure, ubi cauſa eſt juſta, & neceſſaria, alioquin abuterentur ſua autoritate.

Talis fuit cauſa de qua agitur, quæ gloriam Dei ſpectabat, & Eccleſiæ ædificationem. Graviſſimum enim fuit negotium, idoneam Iſaaco uxorem aſſumere, præteritis Chananæorum, inter quos habitabat, filiabus. Quid, quod tota illa procedendi ratio heri erga ſuum ſervum; forma præſertim juramenti quam ei præſcribit, teſtatur ſervum illum, in vera pietate fuiſſe confirmatum, & fœderis participem? Nam cum Abraham ei præſcribat, ut juret per Deum cœli, & per Deum terræ; ſatis oſtendit, unicum Deum creatorem cœli & terræ, à viro iſto fuiſſe agnitum. Quæ ſervi pietas, ad heri laudem maximè facit, cujus hæc fuerat ſollicitudo, ut ſervos haberet ſibi ſimiles.

Stipulationis Abrahami duæ ſunt partes I. verſ. 3. negativa eſt, *ne accipiat uxorem Iſaaco ex Chananæis.* II. Affirmativa, *ut ad terram & cognationem ſuam pergat, & inde Iſaaco filio ſuo uxorem accipiat.* Utriusque partis examinandæ ſunt cauſæ. Ratio negativæ illius præceptionis, non ſolùm fuit impietas & idololatria Chananæorum, quæ tamen ſola juſtam præbere potuiſſet occaſionem cavendi à talibus conjugiis. Nihilominus in neceſſitate & penuria conjugum, ſi talem Chananæam reperire potuiſſet quæ non ſolùm in matrimonium, ſed etiam in cultum divinum conſenſiſſet, ſublata potuiſſet eſſe, ratione temporis illius, cauſa omnis abhorrendi à talibus nuptiis. Sed ratio aliqua fuit ſingularis, ex eo præſertim deſumpta, quod populi Chananæorum exitio erant deſtinati, & maledictioni divinæ obnoxii, quorum regio cedere debuerat poſteritati Abrahami. Itaque judicavit ſanctus vir, ad benedictionis illius ſingularis participationem non eſſe vocandas fœminas non ſolum alienigenas, ſed ob rationem ſpecialem Deo exoſas: nec committendum eſſe, ut affinitates contraherentur cum iis, qui opera poſterorum Iſaaci, ex interdicto divino, eſſent exterminandi. Prudenter itaque cavit Abraham, qui totius negotii illius erat conſcius, ne ſanguinem ſuum miſcerent cum iis, quorum poſteà ſanguinem effundere debuerunt.

Poſtrema hæc ratio ceſſabat in cognatione Abrahami, ad quam ablegabatur ſervus. De prima, dubitandi aliqua ratio eſt, quæ, nempe, cultus diſparitatem ſpectat. Conſentiunt omnes talem cauſam, juſtum eſſe matrimonii contrahendi impedimentum; etſi non ſemper dirimat contractum. Peccare tamen qui ſe talibus implicant nuptiis, & in perpetuum tentationis periculum conjiciunt, neque ſibi ipſis ſatis caventes; neque poſteritati ſuæ conſulentes. Hinc eſt quod pii veteres, qui hanc Abrahami cautionem adverſus Chananæas,

nanæos perpenderunt, prudenter notarunt, in deligenda uxore, ante omnia fidem, pietatem, & probitatem morum eſſe ſpectandam, omnibusque tam corporis quam fortunæ dotibus eſſe anteferendam; quia inter conjuges fide diſpares, & virtutum ſtudio diſſimiles, nec pax domi eſſe poteſt, nec gubernatio familiæ tranquilla, nec voluntatum concordia, & parti fideli, periculum corruptionis & ſcandali à parte infideli imminet. Nec enim aliquis tuto ſe navigaturum confidere poteſt, ubi omnium Regum ſapientiſſimus naufragium fecit, quod exemplum urget Nehemias cap. 13. ℣. 26. ut Iſraëlitarum redargueret peccatum, qui cum Azotidis, Moabitidis, & Ammonitidis mulieribus contraxerant. Quid, quod poſteritati malè conſulitur, cum ad mores liberorum informandos, ſive in bonum, ſive in malum plurimum faciat matris vel probitas vel improbitas, quarum alteram inſtillat à teneris, prout affecta eſt, cum in illa puerili ætate quæ impreſſionibus eſt facilis, adeoque tenax, ſub matrum ductu potiſſimum agant liberi. Hinc Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 9. hunc locum tractans, poſt alia plura in eam ſententiam, *Diſce*, inquit, *quid potiſſimum in uxore quærere debeas; non aurum, non argentum, non poſſeſſiones quæſivit Abraham, ſed gratiam bonæ indolis.* Eadem inculcat Chryſoſtomus. *Cogita*, inquit, *mentem & propoſitum juſti, & quid ille ſpectaverit; & attende quomodo veteres illi in conjugiis non quæſierint amplam ſubſtantiam, multas divitias, numeroſa ſervitia, non externæ venuſtatis formam, ſed animæ pulchritudinem & nobilitatem. Nam quia videbat malitiam Chananæorum, ſciens quantum bonum ſit ſortiri uxorem iiſdem moribus viventem, jurejurando conſtrinxit ſervum, ne ex ea gente, ſed ex ſua cognatione, uxorem filio adduceret.*

Suppoſu erunt optimi illi Patres, cognationem Abrahami, quæ in Meſopotamia relicta fuerat, verum Deum coluiſſe. Quod an ita fuerit, ſunt cauſæ dubitandi. Teſtatur enim ſcriptura, ut anteà à nobis dictum meminimus, *Thare, Nachor & Labanum, alienis diis ſerviiſſe*, Joſue 24. ℣. 2. De Labano, fratre Ribçæ, dubitare non ſinit, quod cum Jacobum perſequeretur fugientem, oſtendit ſe maximè ſollicitum fuiſſe de ſuis diis, quos ſurripuerat Rachel, quæ & ipſa videbatur non omnem exuiſſe tum ſuperſtitionem. Hinc eſt quod in illa familia, quam inde abduxerat Jacobus, multi adhuc erant Idololatriæ addicti, ut ex cap. 35. hujus libri patet, in quo, jubet Jacob convocata tota familia, ut abjiciant Deos alienos qui in medio eorum erant, quos cum aliis ſuperſtitionis reliquiis, infodit ſubter terebinthum, poſt urbem Sichem. Hæc cum certa ſint, ſunt tamen alia quæ oſtendunt, in illa familia unius veri Dei notitiam & religionem aliquatenus fuiſſe conſervatam. Nam in hac ipſa narratione, ita ſe gerit cum iis Abrahami ſervus, ut ſatis oſtendat ſe non habere eos pro infidelibus, dum multa de benedictionibus divinis, de precibus ſuis & earum exauditione commemorat. Præterea parentes & conſanguinei Rebecæ, nomen Jehovæ ſæpè uſurpant; ſervum Abrahami compellant, nomine *benedicti Iehovæ*, agnoſcunt rem illam totam *à Iehova egreſſam eſſe*; & crediderunt ſermonibus ſervi illius, de providentiæ divinæ in hoc negotio diſpenſatione, nec de religionis diſparitate, vel illi verbum ullum ingeſſerunt, vel ipſa Rebeca difficultatem aliquam objecit. Ex his, quæ veriſſima ſunt, & videntur tamen non ſatis convenire, colligendum eſt, Familiam Nachoris tinctam quidem fuiſſe aliqua veri Dei cognitione, & religione; nec planè in infidelitate & Idololatria hæſiſſe; ſed tamen religionem apud eos corruptam fuiſſe ſuperſtitionibus, & cum verum agnoſcerent Deum, eumque colendum eſſe non negarent, in cultu Dei aberraſſe, & ἐθελοθρησκείας ſuas immiſcuiſſe; putaſſeque ſe Deum verum colere poſſe in ſuis Theraphim & imaginibus. Ideò loquuntur ſæpè ut qui unum Deum agnoſcant; & tamen alibi Deorum ſuorum mentionem faciunt; id intelligentes de externis & viſibilibus figuris, quas ſibi propoſuerunt, ut totidem præſentiæ divinæ monumenta. Hæc autem habebant ex vicinarum gentium ſuperſtitionibus, inter quas habitabant, Proinde religio eorum mixta fuit, ut hoc tempore mixta eſt Pontificiorum Religio, ex Chriſtianiſmo, Paganiſmo & Judaiſmo.

Cum autem alibi, præſertim apud Chananæos corrupta magis eſſet religio; mores præterea ut plurimum eſſent profligatiſſimi, elegit Abraham potius ex cognatione ſua uxorem; quia noverat eam non eſſe alienam à vero Deo, & poſſe in puella alioquin benè educata, poſtquam à parentibus eſſet abducta, corrigi, quod in religione minus erat ſincerum, adhibita inſtitutionis cura, & exemplo mariti. Noverat præterea, probitatem, ſaltem moralem, in illa familia manſiſſe. Id ſibi de Chananæorum filiabus non poterat polliceri; cum enim ſtatuiſſet in terra illa peregrinari, periculum fuiſſet ſemper, ne ſuorum contagio abriperentur, & ita inutilis redderetur ejus in eis informandis diligentia. Addendum, univerſum hoc negotium ita à Deo fuiſſe profectum; ut non ſine inſtinctu ſpeciali id adortus fuerit Abraham, quem valdè probabile eſt fuiſſe edoctum, talem ibi repertum iri, quæ Iſaaci pietati, & bonis moribus conveniret.

Nec eum fefellit ſpes ſua; cum ut in aliis, ſic etiam in hac re in Deum recumberet; Hinc eſt quod cum verſ. 5. & 6. difficultates nonnullas objiceret prudens ille ſervus, poſtquàm eum informavit de voluntate ſua circa filii migrationem; cavendum nempe eſſe, ne eum reduceret illuc, unde Deo jubente migraverat, teſtatur tandem verſ. 7. ſe inniti promiſſionibus divinis; nec dubitare, quin Dominus Angeli ſui miniſterio, directurus eſſet viam ſervi ſui, ut inde aptam filio ſuo acciperet uxorem. Servum tamen liberat à juramenti obligatione, ſi migrationis Iſaaci conditio à parentibus puellæ urgeatur, nec aliter poſſint convenire.

Cujus

Cujus rei graviſſimas rationes habuit ſanctus vir, qui noverat vocationem illam, cui primùm obediverat, non ſe tantùm ſpectare, id eſt, non fuiſſe perſonalem, ſed poſteritatem etiam ſuam obligare.

Sed mirum videri poſſet, quod tam arctè prohibeat, ne illuc reducat filium ſuum, quaſi in ſervi illius poteſtate fuiſſet, Iſaacum ad id pro libitu permovere, aut quaſi eum haberet ſub tutela ſua, ut eum duceret quo vellet, cùm Iſaac eſſet tum quadragenarius, & præterea parentem haberet adhuc in vivis, à cujus nutu penderet, quem etiam pro certo habemus filium ſuum diligenter informaſſe de toto vocationis ſuæ negotio. Id igitur eſt intelligendum de ſuaſione & conatu, maximè ſi aliquid humanum contingeret Abrahamo. Multùm enim poterat apud filiumfamilias magnæ autoritatis ſervus, & qui amplæ domus negotia procuraverat. Igitur periculum fuiſſet, ne ſuaſionibus ſuis id moliretur, etſi non impetraturus. Sed non exiſtimo huc Abrahamum propriè reſpexiſſe. Cùm ergò dixit, *Cave ne reducas filium meum illuc*, ſenſus fuit, ut caveret in contrahendo, ne in conditionem illam conſentiret, & Iſaacum ad id obligaret, ut ſi non conſentiret puella venire in terram Chanaam, promitteret Iſaacum ad eam venturum. Hoc eſt quod Abrahamus voluit præcavere. His conditionibus acquievit fidelis ſervus, & ad eas juramento ſe obſtrinxit. Et hactenus de Abrahami commiſſione & mandato; ſequitur deinceps executio, à verſu x uſque ad verſum L.

EXERCITATIO CXI.

Elieſeris in ſua legatione ſedulitas & prudentia. Quomodo intelligendum, quod bona omnia heri ſui habuerit in manu. *Ejus pietas. An rectè ſignum petierit? Affirmatur, & rationes redduntur. Cur nomini virginis additur ejus integritas. Quomodo Rebeca nondum à parentibus deſponſata, à ſervo potuit honeſtè accipere dona? Ornamentorum uſus legitimus. Ab abuſu cavendum. Cur Labanis nomen præponatur Bethueli? Conſenſum utriuſque contrahentis in matrimonio requiri. Sed & parentum, ſine eo liberorum qui ſunt in eorum poteſtate, conjugium non valet. Quid per* meditationem *Iſaaci in agro intelligendum? De velo quod ſumpſit Rebeca accedente Iſaaco. Explicantur Apoſtoli dicta de velamento mulierum, ex cap.* XI. *Epiſt. ad Corinth. prioris verſ.* 5. 6. 10. & 13. *Superſtitio invecta in velandis monialibus. Abrahami æquitas in ſervando tabernaculo Saræ, futuræ nurui. Iſaaci in ducenda Rebeca modeſtia & prudentia.*

IN executione quatuor hæc in ſervo apparent. 1. Sedulitas in omnibus diſponendis. 2. Pietas in precibus ad Deum fuſis. 3. Prudentia in obſervando rerum eventu, & parando aditu ad futura ſponſalia. 4. Fidelitas in exequendis exactiſſimè heri ſui mandatis. Narratur ergò ℣. 10. quomodo ad iter ſe paraverit, acceptis ex grege domini ſui decem camelis, & aliis ſervis ſibi adjunctis comitibus, ut ex ſequentibus apparet. Additur autem, *Et omne bonum domini ſui erat in manu ejus:* quibus verbis videretur Moſes rationem reddere, cur ſumpſerit tot camelos è grege; quia nempè id in ejus arbitrio fuit qui omnium Abrahami bonorum erat adminiſtrator, qui proinde in tam honorifica legatione, debuit uti convenienti apparatu, & ex quo de potentia & facultatibus Abrahami fieret judicium. Aliter accepit Vulgata, quæ ſic vertit, *abiit, ex omnibus bonis Abrahami portans ſecum*, quorum verborum hic eſt ſenſus, ſumpſiſſe ſecum de bonis heri ſui, non ſolùm quæ ad viaticum erant neceſſaria, ſed etiam exquiſita alia, quæ novis affinibus offerret. Quæ ſanè ad rem quod attinet vera ſunt, cùm id ita factum ſit; ſed an id talibus verbis immediatè ſignificetur, quæri poteſt. Nam aliorum vix habenda eſt ratio, qui cùm abſolutè id intellexiſſent, eum tum actu omnia bona Abrahami habuiſſe in manibus, quæ, nempè ſecum deferret; idque ſatis viderent fieri non potuiſſe, quia decem cameli non ſuffeciſſent tanto oneri, & præterea pluribus camelis & aliis jumentis numeroſiſſimis abundaret Abraham: ſic ſe expedire conati ſunt, ut id intelligerent de teſtamento aliquo aut ultima diſpoſitione, in qua tanquam in catalogo quodam, quicquid Abraham habebat in bonis contineretur, & ex eo poſſet parentibus puellæ conſtare in quo ſitæ eſſent Abrahami divitiæ. Nihil enim tale propoſitum fuit à ſervo qui in genere heri ſui divitias deſcripſit, in minutis & ſingularibus non hærens. Itaque hac ſententia rejecta, etſi agnoſcamus verum eſſe, onuſtos fuiſſe camelos omnibus neceſſariis, non tamen judicamus id verba immediatè præ ſe ferre, ſed hoc ſubintelligendum dare; quare ſenſum immediatum hunc eſſe, quem expreſſerunt Tremel. & Junius, *Accepit decem camelos* domini ſui, & abiit, *ut qui omnes opes domini ſui habebat in manu ſua*, id eſt, ita diſpoſuit profectionem ſuam, prout decebat eum, qui conſtitutus erat ſuper omnia bona domini ſui, quod etſi anteà dictum fuerit ℣. 2. non tamen hìc otiosè repetitur, cùm ageretur de exercitio poteſtatis illius.

Ad pietatem ſpectat, quod cùm veniſſet in Syriam, ad civitatem in qua habitaverat Nachor, dum juxta fontem aquæ expectaret, donec filiæ civitatis egrederentur

tur ad hauriendam aquam, fudit preces Deo, quem Jehovam & Deum domini ſui compellavit, quarum precum prima pars eſt generalis, qua petit fœlicem ſucceſſum negotii totius quod Abrahami nomine gerebat. Secunda eſt ſpecialis, qua certum & ſingulare ſignum & veluti omen propoſuit, quo poſſet internoſcere quænam eſſet, quam Deus aſſignaverat Iſaaco. In prima parte nulla eſt difficultas; in ſecunda, quia eſt ſingulare factũ, & preces ex fide debent proficiſci, dubitari poteſt, an juxta verbi divini regulam fuerint conceptæ. Sed de ſecunda quæſtio eſt, quia videtur Deo præſcribere ſingularem rationem negotii ſui promovendi, eamque extraordinariam, in qua videri poſſet Deum tentaſſe, dum petiit certum ſignum, & ex reſponſo puellæ divinare voluit, omenque aliquod inde captare: quæ omnia primo intuitu, aut audacia videri poſſent, aut ſuperſtitioſa. Non eſt enim hominis pro ſuo deſiderio legem Deo imponere. In precibus noſtris prætereà nihil debet eſſe ambiguum, in quibus tamen extra Dei verbum nulla eſt certitudo.

Hæc & talia non malè afferuntur, ut magis eluceſcat veritas, & diſcamus in hujuſmodi ita nos gerere debere, ut nulla vana curioſitas, nulla præceps temeritas, ad tale quid audendum nos impellat. Non enim cuivis licet, aut qualibet occaſione ſignum à Deo petere, fauſti alicujus eventus, & certum eſt homines in omnibus captandis regulas pietatis tranſcendere, & ſæpè vel ex incredulitate, vel ex curioſitate, extra omnem neceſſitatem, de futuris eventibus inquirere. Hìc planè alia ratio eſt. Res enim ipſa fuit magni momenti, in qua, directione ſingulari Dei fuit opus, homini in aliena regione verſanti, in qua incognita ei erant omnia. Non habebat inter homines notos aliquos quibuſcum poſſet conferre, periculum erat ne incideret in tales qui non benè eſſent affecti. Accedit quod audiverat ab Abrahamo Angelum Dei ipſi præiturum, & directurum viam ſuam. Cùm igitur talis inquirendi ratio ei in mentem venit, perſuaſum habuit, hanc ipſi à Deo fuiſſe inditam; itaque ex fide deſiderium ſuum & ſpem expoſuit. Sed actionis illius judicium ex eventu colligi debet. Nam cùm preces ejus fuerint Deo gratæ, & obtinuerit ſine mora quod petierat, ſatis inde conſtat, nulla curioſitate aut temeritate ad hanc petitionem fuiſſe adductum. Quamvis ergò ſpecialis promiſſio præcedens non appareat, ejus vicem nihilominus inſtinctum divinum extraordinarium ſuppleviſſe agnoſcendum eſt. Lex enim communis, quæ in ordinariis locum habet, non præjudicat impulſui extraordinario, in negotiis arduis, & tamen neceſſariis, in quibus aliter pii ſe expedire non poſſunt. Id etiam addendum, in oratione pii viri, ita exprimi deſiderium & votum, ut nihil præſcribat Deo, ſed ſe ejus ſubjiciat voluntati. Itaque ſi nihil tale accidiſſet, non propterea deſpondiſſet animum, aut deſeruiſſet vadimonium, ſed alias rationes iniviſſet. Proinde non exiſtimandum eum tale ſignum à Deo petiiſſe abſolutè, ita ut in animo habuerit, ſi non daretur, totius negotii curam abjecturum fuiſſe, ſed ſe Dei voluntati ſubmiſiſſe, ut ſigno gauderet, ſi daretur; ſi non daretur, pergeret in inſtituto, & aliam viam tentaret. Quid enim, ſi talis aliqua ſe obtuliſſet, quæ dixiſſet, *Bibe, & etiam camelis tuis potum dabo*, quæ tamen, aut clauda, aut gibboſa, aut alioqui malè morata, vel quæ non fuiſſet ex Abrahami familia, an propterea exiſtimaſſet eam eſſe quæ Iſaaco fuiſſet deſtinata? Non credo. Sed quia totus ex Dei providentia pendebat, effecit Deus ſuâ providentiâ, ut voto potiretur. Nam (ut verſ. 15. narratur) acceſſit Rebeca, in qua omnia concurrebant requiſita, ſeu genus ſpectemus, erat enim filia Bethuelis, filii Nachor ex Milca; ſeu conditionem, erat virgo nubilis, & prætereà aſpectu pulchra. Per eandem autem impleta fuerunt, quæ petierat à Deo ſervus ille, prout recitantur à verſ. 17. uſque ad 22.

Dicitur autem בתולה *bethulah*, virgo, & additur, ואיש לא ידעה *veiſch lo jedaa*, id eſt, *& vir non cognoverat eam*; quod ſuperfluum videri poſſet, quia virginis nomen, ſecundum illud includit. Id, etſi verum ſit, non eſt tamen inſuetum in ſacra Scriptura, ut una & eadem res ad majorem evidentiam, duabus phraſibus ſignificetur. Accidit etiam quod puellæ quædam nubiles, nomine & habitu habeantur virgines, quæ tamen [illegible]ruptę fuerunt. Ut igitur integritas virginis illius [illegible] & indubitata haberetur, voluit Sp. ſanctus hoc addere, ut ad plenum virginitatis teſtimonium nihil deeſſet. Ejus autem mores ex officio tam prompto dignoſci potuerunt, quod 18. 19. & 20. verſibus deſcribitur, in quibus elucet ejus comitas, hoſpitalitas & diligentia.

Sed non omittendum eſt quod verſ. 21. de ſervo illo dicitur, *quod ſtupebat ſuper ea, tacitus obſervans, ut cognoſceret, utrum ſecundaſſet Deus viam ſuam necne.* Ex his enim colligitur, etſi accidiſſet quod petierat, nondum tamen exiſtimaſſe, judicium certum ex tali ſigno debere fieri, priuſquam inquiſiviſſet, num cætera requiſita, præſertim cognatio, & conditio perſonæ convenirent. Idcircò nollem hanc hæſitationem ſervi Abrahæ in vitio ponere, quod quidam viri magni faciunt. Cùm enim nondum licuiſſet ſignum illud cum re ipſa comparare, potuit ſine vitio ultimum ſuum de ea re judicium ſuſpendere, & interim attentè omnia conſiderare, divinam providentiam admirando, quæ tam repentè ipſi obtulerat id quod in votis habuerat.

Verſus 22. ſequens per ὕστερον πρότερον, ſequenti in aliis interrogationi præmittitur. Non eſt enim probabile prudentem illum virum, talibus muneribus donaſſe puellam, cùm nondum noviſſet, an in eam competerent ea quæ requirebat. Quamvis enim officioſa fuiſſet, munera tamen data, pro tantillo officio magnifica nimis fuiſſent, niſi aliud intendiſſet. Itaque ipſe ſervus poſteà ℣. 47. dum recitat quæ geſta fuerant cum Rebeca juxta fontem, rem hoc ordine narrat: *Interrogavi eam, & dixi, Filia cujus es? Et dixit, Filia Bethuel filii Nachor,*

Nachor, quem peperit ei Milcha, tum poſui inaurem ſuper nares ejus, &c.

Ex quibus etiam colligendum eſt, collatos fuiſſe ultro citroque ſermones, quibus puella intellexit virum illum à propatruo ſuo Abrahamo miſſum fuiſſe; & illud, verſ. 23. ויאמר בת לי *vajomer bath li*, &c. Et dixit cujus filia eſt; accipiendum eſſe pro pluſquam perfecto, *dixerat enim*, &c. vel quemadmodum Tremel. & Jun. verterunt, *poſtquam dixiſſet*, &c. ſic omnia rectè convenient cum ſubſequentibus, & de muneribus oblatis, & acceptis levior erit quæſtio. Potuit enim talia munera ei dare, non ut eam ad nuptias præpararet, aut ſaltem, etſi nullam ejus rei apud eam mentionem injiceret; ſed ea offerre, tanquam à propatruo miſſa. Tum enim puella ea potuit acceptare tali nomine, ſine verecundiæ detrimento, cum alioquin ab homine extraneo & nunquam antea viſo, ſine alia notitia, inaures & armillas recipere, puellæ conditioni non conveniret; niſi id diceremus condonandum eſſe temporum illorum ſimplicitati. Sed præſtat ut dicamus, eam non accepiſſe munera, niſi à viro illo bene informatam, ut jam oſtendimus.

Quod autem quæritur, an Deo placuerint talia ornamenta, quæ non tam ad munditiem ſpectant quam ad pompam? Non ſine cauſa animadvertit doctiſſ. interpres, irrepere facillimè abuſus ſub talium exemplorum ſpecie. Id quidem fuiſſe tum in more poſitum, ut puellæ inter divites talibus uterentur; ſeculi tamen integritatem tuliſſe, ut parcè & frugaliter id fieret. Unde etiam conſtat, rem per ſe non eſſe malam, ſi modeſtiæ limites non excedat. Sed quia hoc difficillimum eſt, etſi præciſè quolibet ornatu non ſit interdicendum: quia tamen pravâ vanitate corrumpitur quicquid frugalem uſum excedit, & in hac parte ferè inexplebilis eſt mulierum cupiditas, non tantùm mediocritatem eſſe colendam, ſed etiam, quantum fieri poteſt abſtinendum. Nec vitium excuſari talibus exemplis, quale illud eſt quod hic proponitur, quia particularibus exemplis non innitendum eſt, quæ circumſtantiis variantur. Apoſtolus Petrus 1. 3. ℣. 3. non vult ſanctarum mulierum ornatum *eſſe externum, in nodis capillorum & circumpoſito auro, vel palliorum amictu, ſed occultum cordis hominem.* Idem requirit Paulus, 1. Tim. 2. ℣. 9. *ut ornent ſeſe non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioſo veſtitu; ſed operibus bonis.* Ubi tamen notandum eſt utrumque Apoſtolum exceſſum prohibere, & quod præcipuum eſt commendare.

Reſponſo à puella favorabili accepto, ſpe etiam facta de commodo hoſpitio, non dubitavit rem planè ex ſententia ſucceſſiſſe. Itaque vir pius verſ. 26. & 27. agnovit à Domino factum eſſe iſtud, ejuſque providentiam gratiarum actione celebravit; iiſque verbis quibus quæcumque Deus fecit, tribuuntur miſericordiæ & veritati ejus erga Abrahamum.

Quæ ſequuntur à verſ. 28. uſque ad 50, ſimplicem habent hiſtoriam, de relatione Rebecæ in domo matris, de Labanis fratris ejus humanitate in excipiendo hoſpite, de diligentia & fidelitate ſervi Abrahami, qui non prius voluit cibum capere, quam expoſuiſſet cauſam adventus ſui: in qua expoſitione repetit, quæcumque hactenus geſta fuerant, & tandem verſ. 49. concludit, petitque ſibi dari Rebecam quæ nubat Iſaaco, aut ſaltem ſi alia ipſis mens eſt, reſponſum non differant.

In quibus omnia plana ſunt & perſpicua, quod enim anxiè quærunt nonnulli, cur puella ſi patrem habuit, dicitur nuntiaſſe quæ facta fuerant, domui matris ſuæ, verſ. 28. Cum tamen habuerit patrem Bethuelem adhuc in vivis verſ. 50. Etſi poſtremum illud neget Joſephus, qui vult tum mortuum fuiſſe Bethuelem fratrem, & eum qui Labano conjungitur fuiſſe alterum Bethuelis cognominem filium; ſi tamen adhuc vixerit pater; quia tum ſeparata erant domicilia virorum & mulierum, quomodo ſeparata erant tabernacula Abrahæ & Saræ; nihil erit quod miremur, ſi ante puella nunciaverit in conclavi matris, ea quæ acciderant. Sed quia verſ. 50. præponitur nomen Labanis, nomini Bethuelis, qui ſententiam Joſephi ſequuti ſunt, exiſtimantes tunc mortuum fuiſſe Bethuelem, hoc argumento utuntur, quia non convenit ut filius præponatur patri. Accedit quod poſteà, ubi munera diſtribuuntur verſ. 53. Rebecæ, matris & fratrum, tantùm ſit mentio; & in dimiſſione Rebecæ pater non comparet, ſed fratres ſolùm; quod probabilem reddit Joſephi ſententiam. Alioquin agnoſcendum eſt, Bethuelem tum fuiſſe ætatis adeò decrepitæ, ut abjecta domeſticarum rerum cura, Labano filio ſuo majori adminiſtrationem & curam omnium demandaverit. Itaque nullam ejus fieri mentionem, niſi cum reſpondet Labanus & ſpondet de Rebeca; quæ cauſa eſt cur poſtponatur Bethuelis nomen, quia ipſius nomine Laban reſpondebat, ſenex autem nihil agebat per ſe. Utramlibet ſequamur ſententiam, non multum intereſt.

In relatione eorum quæ acciderant facta à ſervo Abrahami, à verſ. 37. uſque ad 49. ſunt quædam variationes, ſed nullæ tamen diſcrepantiæ; quia etſi verbis aliquando mutatis, aut etiam contractis, nonnulla repetat, ſenſum tamen eundem ubique ſervat, imò aliquando prius dicta clarius exponit. Rem contrahit, cum in genere dicit ſe fuiſſe adjuratum à domino ſuo; modum autem quo id factum fuit non exprimit; quod neceſſarium non fuit. Quod dixerat Abraham, *ad terram meam & ad cognationem meam perges*, eodem ſenſu dicit & clarius, *ad domum patris mei & ad familiam meam.* Item quod dixerat, *mundus eris à juramento*, illud idem retinet, & explicationem addit, *mundus eris ab adjuratione mea.* De ordine aliquid ſupra diximus, an nempe dederit munera poſt colloquium, vel ante; in omnibus ſervatur veritatis concentus.

In deſponſatione puellæ, poſtquam agnoverunt propinqui, ex narratione ſtipulantis rem illam profectam eſſe à Domino, acquieſcunt petitioni, & ſe Dei providentiæ ſubmittunt, verſ. 50, & 51. Unde conſtat apud eos, nondum planè veri Dei & providentiæ ejus, in eventuum omnium, præſertim talium, moderatione, abjectum fuiſſe ſenſum. Hanc autem eorum in conſentiendo facilitatem, Deo adſcribit, ut par erat, ſervus; agnoſcebat enim hominum corda & voluntates eſſe in manu Dei. Itaque primùm gratias agit iterum, negotii promotori; Deinde novis heri ſui affinibus offert munera ſua, & promptam petit dimiſſionem, moramque omnem fidelis adminiſtrator deprecatur.

Igitur verſ. 57. Conſenſum Rebecæ exquirunt, an velit ire? Cum tamen anteà viſi eſſent abſolutè reſpondiſſe, verſ. 51. *En Rebeca coram te eſt, accipe & abi*, &c. Quæ verba nullum dubium relinquebant, nec rem ſuſpendebant à puellæ voluntate. Poſſent ergo videri nimis præcipitanter egiſſe, omiſſo eo quod præcedere debuiſſet. At nihil eſſe imprudenter factum apparebit, ſi conſideremus, primùm eos non dubitaſſe de puellæ ſubmiſſione parentum voluntati, & jam in ea aliquam inclinationem & conſenſum potuiſſe ex ſignis colligere. Itaque, quod poſteà inquirunt, tanquam de re incognita, ad formulas ſpectabat; ſic enim fieri ſolet, etiamſi privatim ſponſi conſenſerint, ut poſteà ſolemniter & coram teſtibus interrogentur, & reſpondeant. Accedit, quod potuerunt illi abſolutè reſpondere quantum in ipſis erat, ſervata ſemper tacita conditione, ſine qua negotium confici non poterat, & qua negata ne ſervus ille quidem inſtitiſſet in contrarium. Quid, quod verba neceſſariò non debeant intelligi de conſenſu in matrimonium, quem antea fuiſſe ab ea indicatum ſupponi poteſt ex dictis; ſed de profectionis celeritate. Cum enim inſtarent parentes, ut apud eos maneret per dies aliquot, ſervo inſtante ut quamprimum dimitteretur, ut pergeret ad dominum ſuum; tunc vocant puellam, ut quærant ipſius voluntatem, & petunt an velit ire cum homine iſto? Hanc ſententiam confirmant præcedentia omnia, noluit enim bonus ille ſervus cibum ſumere, vel quieſcere, ante quam de re certus eſſet. Itaque primum omnium tractatum fuit de conjugio, & res tranſacta. Quæ poſteà dicuntur, ad ſequentem diem pertinent. Quis igitur crederet, inſcia Rebeca, die præcedenti, ſine ejus conſenſu fuiſſe à parentibus deſponſatam, & convivium fuiſſe inſtitutum, ante præcipuam deliberationem? Et tamen non malè argumentatur, qui ex hoc loco deducunt, ad conjugium legitimè contrahendum, neceſſarium eſſe liberum partium conſenſum, nec ſufficere ſi inter parentes conveniat; qui etſi poteſtatem habeant in liberos, non poſſunt tamen eis obtrudere, ut conſentiant in ſponſum vel in ſponſam invito animo. Nam ſi ad id quod minus eſt requiſitus fuit Rebecę conſenſus, nempe num vellet ire cum viro illo tam celeriter; multo magis, ad id quod præcipuum fuit, & ſine quo de abitione illa non cogitaſſent.

Cum tamen audimus præcipuas partes tribui parentibus, quibus Abrahami diſpenſator rem proponit, à quibus reſponſum petit, & accipit; qui puellæ ipſi faciunt poteſtatem, dicentes, en *Rebeca coram te eſt*, firmum inde colligitur argumentum, liberos qui ſunt in poteſtate parentum non poſſe legitimè contrahere matrimonium, vel inconſultis, vel invitis parentibus. Doctrinamque contrariam, quæ in Concilio Tridentino obtinuit, in quo matrimonia parentibus invitis à filiisfamilias contracta, fuerunt validata, non minus eſſe doctrinam Dœmoniorum, quam alia, qua prohibent matrimonium perſonis Eccleſiaſticis. Itaque non immerito Eraſmus in Colloquio virginis μισογάμου, *Definiunt quidam* (id poſt Eraſmum definierunt Tridentini) *matrimonium eſſe ratum quod inſciis aut etiam invitis parentibus, inter puerum & puellam per verba de præſenti* (*ſic enim illi loquuntur*) *contractum eſt. Atqui iſtud dogma, nec naturæ ſenſus approbat, nec veterum leges, nec Moyſes ipſe, nec Evangelica, nec Apoſtolica doctrina.* Nam quod nuperi doctores Pontificii putant ſe elabi poſſe, & ſcripturarum omnium dicta & exempla eludere, diſtinctiuncula liciti à valido, quaſi id validum eſſet, quod per Dei legem non licet, nimis dilutum eſt. Et certè, ubi lex parentibus prohibet, ne *uxorem de filiabus Chananæorum accipiant filius ſuus*, Exod. 34. ℣. 16. Item, *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo*, Deut. 7. ℣. 3. Satis oſtendit, valida non eſſe matrimonia liberorum qui ſunt in parentum poteſtate, in quibus parentes, nec dant nec accipiunt.

Duo ſuperſunt explicanda in reliquo capite. Verſu LXXIII, & egreſſus erat Iſaac לשוח *laſuach*, ad meditandum, in agro. Quæritur, quid ſignificetur hac *meditatione*, ſive *ſoliloquio* Iſaaci; Alii interpretes, aliter reddiderunt; Symmachus λαλῆσαι; Aquila ὁμιλῆσαι *colloqui & confabulari*; LXX ἀδολεσχῆσαι, *exercere ſe animo vel corpore*. Paraphraſtes Chaldæus, *ad orandum*, quaſi receſſum quæſiverit, ut cum Deo confabularetur, & ſoluta mente, liberius ei vacaret. Ex varia vocis acceptione, in diverſas ſententias abierunt interpretes. Duæ ſunt præcipuæ ad quas omnes aliæ debent revocari. Vel enim refertur verbum ad exercitium corporis & honeſtam recreationem, vel ad exercitium animi. Utrovis modo accipietur, res non carebit probabilitate; ſive egreſſus fuerit ſub veſperam, ut ſeceſſum quæreret ad orationem; ſive ut poſt labores diurnos ſe recrearet, & honeſta deambulatione animum reficeret, &c.

Verſ. LXV. Occurrente Iſaaco, cum Rebeca à ſervo intellexiſſet, accepit הצעיף *hatſaiph*, velamentum & operuit ſe. LXX, θέριστρον, Suidas vertit *æſtivum veſtimentum*. Vulgata *pallium*, generali nomine, quo tamen ſignificatur *peplum*, ſive amictus, quo mulieres

vultum

vultum ſolent tegere, ſive ex lino, ſive ex ſerico, ſive ex lana fiat. Cur autem velum ſumpſerit Rebeca accedente Iſaaco, id ex honeſto & laudabili pudore factum fuiſſe certum eſt. Non enim prius ſumpſit velum, quam noviſſet eum eſſe qui ſibi maritus eſſet deſtinatus. Itaque pudorem cum reverentia conjunxit. Apud omnes autem gentes quæ honeſtati ſtuduerunt, obſervatum fuit ut mulieres, præſertim virgines, non niſi tecto & velato capite in publicum prodirent. Apud Romanos id adeò exactè fuit obſervatum, ut cum Cajus Sulpitius Gallus, noviſſet uxorem ſuam aperto capite in publico fuiſſe verſatam, ob eam ſolam cauſam ei repudium dixerit, hac addita cenſura; *Lex tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere deſideres,* &c. apud Val. Max. lib. 6. cap. 3. Paulus Apoſt. cap. XI. prioris Epiſt. ad Corinth. ℣. 5. pronunciat, *mulierem omnem prophetantem aut orantem, non operto capite, dedecorare caput ſuum.* ℣. 6. jubet *mulierem velari, ſi tonderi aut radi turpe ſit.* verſ. 13. ex ipſo naturæ ſenſu docet, decorum non eſſe mulierem non velatam, orare. Cur autem id debuit fieri, oſtendit ex differentia viri & mulieris, quia cum vir ſit caput mulieris, aperto capite eſſe debuit, in ſignum poteſtatis; mulier operto, quia ſub poteſtate viri erat. Idcirco verſ. 10. velum appellat ἐξουσίαν, poteſtatem, pro ſigno poteſtatis viri. Hunc morem apud gentes honeſtiores receptum anteà, Paulus laudat & confirmat, quia rationi & naturæ fuit conſentaneus. Modum & formam veli non præſcripſit, quia ut reliquæ veſtes, pro variarum regionum uſu, potuit etiam variari; ſed apud omnes fuit receptum ut caput tegerent; apud multas, ut ipſam etiam faciem. *De virginibus velandis*, integrum tractatum ſcripſit Tertullianus, cùm tunc Chriſtianæ virgines, ob mutatam conſuetudinem à velis abſtinerent, quæ Lacedæmoniorum more conjugatis mulieribus tantùm injungebantur; virgines autem in aperto erant. Oſtendit quantum poteſt argumentis, honeſtam non eſſe conſuetudinem, & Apoſtolum ea quæ dixit ad ſexum in genere retuliſſe, non ad conjugatas coarctaſſe: Sed ſcripturam de velamine omnium mulierum legem condidiſſe, naturam conteſtari, diſciplinam exigere.

Et certè, de capitis tegumento aliquo in genere, exiſtimarem honeſtatem communem id requiſiviſſe, & etiamnum requirere; ut ſexus ſequior, non incederet niſi operto capite. Sed non exiſtimo eandem fuiſſe rationem puellarum, & nuptarum mulierum ratione veli; fuit enim velum ſpeciale nubentibus, unde verbum nubendi apud Latinos. Ipſe Tertul. in citato libro, *quinetiam velatæ* (inquit) *ad virum ducuntur.* Nubere & obnubere priſcis velare & operire ſignificabat. Vir ducebat; nubebat mulier, quia pallio obnubebat caput ſuum genaſque. Talem morem apud Syros etiam uſitatum fuiſſe probabile eſt, ut virgines, non niſi velatæ in conſpectum ſponſi venirent. Alioqui velatam non fuiſſe ſatis conſtat cum acceſſit ad fontem; nec etiam veli fit mentio in via, quo tempore inſidens camelo, aſpectui patebat ſervorum Iſaaci; quo accedente, deſcendit, & velum ſumpſit. Primum factum fuiſſe reverentiæ cauſa extra dubium eſt; ſecundum ex eadem cauſa, cui præterea accedebat honeſtus pudor, quia tum primum veniebat in conſpectum futuri mariti. Quæ Pontificii nugantur de velandis virginibus, quas ſanctimoniales vocant, quia Chriſto nubunt, ad eam rem non faciunt. Omnes honeſtæ virgines Chriſtianæ, ſunt membra ſponſæ Chriſti, & omnes decet in inceſſu & habitu modeſtia, & pudor virginalis. Sed ut ſpeciali velo ad id conſecrato, ſolemnique ritu, ejurato conjugio, Chriſto nuptum dentur, humana eſt conſtitutio, & ſuperſtitioſa inſtitutio, quæ etſi antiquitatis nomine commendetur, inter abuſus tamen invectos reponenda eſt. Certè Canon adſcriptus Gelaſio primo, dum prohibet *velum non imponi niſi in Sabbatho Paſchæ, in Epiphania, & Apoſtolorum natalitiis,* addit, *niſi forſitan, ſicut de baptiſmo dictum eſt, gravi languore correptis, ne ſine hoc munere de ſeculo exeant, implorantibus non negetur.* Unde apparet eo jam deventum fuiſſe, ut impoſitionem veli ſuperſtitioſi baptiſmo æquarint, & de eo loquuti ſint, ac ſi quam jacturam ſalutis faceret virgo, quæ ſine hoc velo ex hac vita migraret.

Sequuntur verſ. 66. & 67. quæ ad ratihabitionem matrimonii Iſaaci reſpectu, pertinent; & ad ejuſdem conſummationẽ. Præceſſit ſervi delegati narratio omnium quæ geſſerat, quam Iſaaco factam fuiſſe, & totius negotii rationem redditam teſtatur Moſes. Unde colligere licet quod initio diximus; etſi Abraham rem illam procuraverit, & fuerit caput legationis, Iſaacum tamen conſcium fuiſſe & conſentientem, quem cum ſpectaret maximè, & pronubus ejus fuiſſet, conveniens etiam fuit, ut quæ geſta fuerant, ſigillatim intelligeret. An autem in ipſo agro, ubi primum ei obviam factus eſt, an poſteà domi, hæc omnia recitaverit ſervus, non multum intereſt ſcire. Crederem tamen, id paucis factum fuiſſe primo occurſu; Deinde, cum domum rediiſſent, eadem fuſius fuiſſe repetita præſente Abrahamo.

Quibus auditis de Iſaaco tria dicuntur. 1. Quod introduxit Rebecam in tentorium Saræ matris ſuæ. 2. Quod accepit eam in uxorem, eamque dilexit. 3. Quod conſolationem accepit poſt matrem ſuam. Ad primum ſupponendum eſt, quod ſupra notavimus, ſeparata fuiſſe virorum & mulierum tabernacula: & quamvis jam ante triennium diem obiiſſet Sara, manſiſſe tamen ejus domicilium & ſuppellectilem, ut cederent ei matrifamilias, quæ in ipſius locum ſuccederet. In quo apparet Abrahami æquitas, qui etſi non abjeciſſet animum aliam uxorem ducendi, quod poſteà patebit: cum tamen non deberet eſſe ejuſdem ordinis cum Sara, hunc honorem detulit defunctæ

uxori, ut non alia, quàm, quæ filio ejus nuberet, occuparet tabernaculum ejus. In quod eam deduxit Iſaacus, cum gynecæo, ut ibi quieſceret, in conſortio earum quæ in eo degebant, donec legitimis ritibus ductam, in ſuo tabernaculo eam reciperet. Non enim exiſtimandum eſt, pium & honeſtum virum eam ſibi conjunxiſſe, niſi aliqua temporis mora interveniente, donec *eam acciperet, ut eſſet ei in uxorem.*

Hoc igitur eſt ſecundum, quod non niſi amicitiâ conciliatâ, & fide mutuò datâ, & quod de utriuſque pietate præſumendum, poſt nominis divini invocationem, matrimonium illud coaluerit; nam hoc etiam poſtulabat matrimonii ſanctitas, ne beſtiarum more, ſine ulla pompa, & ſine ceremoniis nuptialibus viri in fœminas ruant. Additur autem, quod dilexit eam, quod caput eſt conjugalis vinculi, oſtenditque non ſolo patris imperio ad uxorem ducendam fuiſſe permotum, ſed poſtquam animum ad eam adjeciſſet, liberè eamſumpſiſſe, eique ex animo fidem conjugalem dediſſe.

Quod etiam ex effectu conſtat quo tota hæc narratio clauditur, quod conſolationem accepit Iſaac poſt matrem ſuam, id eſt, poſt obitum matris ſuæ, quam non vulgariter vir pius dilexerat; ita ut ejus amiſſionis dolor non potuerit ſedari, niſi cùm in locum ejus ſucceſſit uxor legitima, ad quam animum ſuum convertit. Non tamen exiſtimandum eſt, toto illo tempore Iſaacum in luctu fuiſſe, aut in eo modum exceſſiſſe. Habent pii ſuos affectus, habent etiam nonnulli in ſuis affectibus defectus ſuos; ſed quod in genere luctus præſupponitur, cui conjugium attulit conſolationem, ad immoderatum luctum referri non debet. Poteſt enim durabilis eſſe, poteſt etiam eſſe continuus, ita ut nihilominus non peccet contra conſtantiam & fortitudinem piorum, quia nunquam eſt ſine conſolatione & acquieſcentia divinæ voluntati. Nam quod accepit tum conſolationem, non ita intelligendum eſt, ac ſi anteà omni conſolatione caruiſſet, abſit; ſed quod aucta fuerit novo hoc beneficio Dei, qui hoc etiam remedium ſervo ſuo voluit adhibere.

AD CAPVT XXV.

Exercitatio CXII.

Capitis xxv. *ſumma. Kethurah alia ab Hagara. Quo Abraham ætatis tempore Kethuram duxit. Id factum fuiſſe poſt mortem Saræ probatur. Proponuntur tres difficultates circa hoc Abrahami conjugium, & enodantur. Calvini, prioris ſolutio non probatur; nec eorum qui ad allegoriam confugiunt. Variæ rationes cur Abraham conjugium illud inierit. Explicatur locus Apoſt. ex Rom.* iv. *verſ.* 19. *Populi ex Kethuræ filiis orti, quas regiones incoluerint? Regina* Sabæ *unde. Teſtamentum Abrahami. Quomodo Iſaacum hæredem inſtituit. Cur alios in remotas regiones ablegavit? An habuerint cauſam conquerendi? Chronologia vitæ Abrahami.* Deficere in ſenectute bona. *Quid* ſatur dierum? *Quid* congregari ad populos ſuos? *Animæ immortalitatem ex hac phraſi rectè colligi. Iſaac & Iſmael funus patris procurarunt. Locus ſepulturæ.*

Caput xxv. multa habet magni momenti, & hiſtoriam continet mixtam; perſequitur enim Abrahami reliqua, ad mortem uſque & ſepulturam. Filiorum ejus ſeparationem & ſedes, ut inde ad Iſaaci hiſtoriam, quæ præcipuus eſt ſcopus, veniatur; cujus potiſſima pars eſt, conjugii cum Rebeca initi fructus, in ſobole quam à Deo obtinuit, eaque gemina, ſed diſſimili. Quæ diſſimilitudo deſcribitur, tam in nativitate, quàm in educatione, & ex ea diſſimili inclinatione.

Ad Abrahamum quod ſpectat, aliam duxit uxorem: ויסף א׳ ויקח אשה *vajjoſeph Abraham vajjikkach iſcha*, ad verbum, *& addidit Abraham, & accepit uxorem*, cujus nomen erat *Kethurah*. Ex qua ſuſcepit ſex liberos, quorum duo numeroſos populos propagarunt, *Iocſan*, nempè, & *Madian*, ℣. 3. & 4. De reliquis, ad poſteritatem quod ſpectat, non meminit. Hîc autem primum conſideratione dignum eſt; Quando Abraham tale inierit conjugium. Nec puto audiendos eſſe, qui Kethuram cum Hagara confundunt, quaſi illa, mutato nomine, poſt ejectionem cum filio, iterùm revocata fuiſſet, vel ante, vel poſt obitum Saræ. Quia conjectura eſt quæ nullo nititur fundamento, & ex eo falſa convincitur, quod ℣. 6. dicitur, Abrahamum dediſſe *filiis concubinarum ſuarum dona*. Si autem unam tantùm habuiſſet Hagaram, non opus fuiſſet concubinarum meminiſſe, ſed unius, quæ omnium filiorum ab Iſaaco ſeparatorum fuiſſet mater. Qui inter Ebræos autores fuerunt ſententiæ contrariæ, cogitarunt Kethuræ nomen convenire ejus revocationi; Nam, inquit Hieronymus, *copulata* interpretatur aut *conjuncta*, quia Sara mortua, de concubina tranſiit in uxorem. Alii ſic dictam fuiſſe, quaſi *ligatam*, quia clauſit aut ligavit oſtium ſuum, continentiam ſervans, nec alteri fuit commixta, poſtquam ab Abrahamo fuit ſeparata. Sed hæc ſunt otioſorum hominum ſomnia.

Non

Non eſt enim probabile, Hagaræ nomen fuiſſe mutatum, quæ hoc ipſo capite verſ. 12. ſub nomine *Hagaris ancillæ Ægyptiæ* adhuc deſignatur. Præterea verba hæc primi verſus nimis ſunt emphatica, ut de veteris matrimonii innovatione intelligantur: *Duxit aliam uxorem, & nomen ejus erat Kethurah*, non dicit, ſic fuiſſe poſteà appellatam, ſed hoc fuiſſe nomen ejus, inde ab initio. Verbum autem *addidit* novum conjugium denotat. Accedit quod cùm Abraham uſque adeò in ſenectute proceſſiſſet, ut centeſimum quadrageſimum annum attigiſſet, non potuiſſet ex Hagara tot liberos ſuſcipere, quæ tum ferè octogenaria debuit eſſe. Denique Chron. 1. ℣. 32. filii Kethuræ concubinæ uxoris Abrahami, manifeſtiſſimè non ſolùm ab Iſaaco, ſed etiam ab Iſmaële inter Abrahami filios, diſtinguuntur.

Hac igitur ſententiâ rejectâ, conjugium hoc de novo initum fuiſſe cum vegetæ ætatis muliere, non ſolùm poſt mortem Saræ, ſed etiam poſt conjugium Iſaaci probabilius ſentimus. Vixit enim adhuc annos xxxv. quo tempore potuit ſex illos filios gignere, qui hìc commemorantur. Argumento nobis eſt, 1. ordo narrationis Moſis, qui id memorat poſt Iſaaci & Rebecæ nuptias; neque eſt ratio ulla quæ nos cogat ſentire, ordinem eſſe inverſum. 2. Quod non eſt credibile, Sara vivente, ductam fuiſſe Kethuram tot liberorum matrem; quia id impulſu Saræ factum fuiſſe obſtat, quod tam ſollicitè poſt Iſaacum natum & ablactatum, curavit ut ejiceretur ancilla cum filio, hac addita ratione, *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo.* Quis igitur crederet, impulſu ipſius factum fuiſſe, ut Abraham juvenculam duceret, ex qua plures ſuſciperet liberos? Nam, ne ipſius etiam Agaris conjugium ei ſuaſiſſet, niſi quia ſpes omnis ei prærepta erat ſuſcipiendæ, ex ſe, prolis; ideò ſuſcepto Iſaaco, rem voluiſſet infectam. Abrahamum autem addidiſſe aliam uxorem Saræ, ſine ipſius conſenſu, ut credamus, non patitur ejus æquitas, qui ne quidem cùm orbus eſſet, & Sara ſterilis, de alia ducenda cogitavit, priuſquam inſtigaretur ab ipſa Sara. Ex quibus vix amplius in dubium vocari poteſt, eum duxiſſe Kethuram, poſtquam Sara deſiit eſſe in vivis, imò poſt matrimonium Iſaaci. Tunc enim vacuum Saræ tabernaculum Rebecæ ceſſit, quo uſus fuiſſet Abraham, ſi conjugatus fuiſſet ante ipſum Iſaacum.

Sed hinc oritur ardua & ſatis implicita queſtio. An non abſurdum videatur, primò Abrahamum, decrepitum jam ſenem & capularem, cui nihil tum ob oculos verſari debuit præter mortem, juvenculam ſibi adjungere uxorem, & annon id indignum fuerit tanti viri gravitate? Cùm præſertim filios haberet adultos & conjugatos, quorum utrique numeroſa proles erat promiſſa, etſi ſine diverſo. Accedit ſecundò, quod Paulus Rom. 4. ℣. 19. fidem ejus commendans, non modò conſiderat effœtam Saræ vulvam, cujus rationem non habuit quando credidit promiſſioni divinæ; ſed corpus etiam ſuum emortuum, tum cùm centenarius eſſet, quando actum eſt de Iſaaci generatione. Quomodo ergò quadraginta poſt annis, qui centeſimo erat frigidus, & ad generandum impotens, tot potuit gignere filios? Tertiò, cùm ſatis conſtet Kethuram non fuiſſe adductam ex conſanguineorum Abrahami familia, id auget difficultatem, quod cùm in nuptiis filii ſui ſeriò caverit, ne alienigenam duceret, non eandem adhibuit cautelam, cùm de ſuo conjugio ageretur.

Ut primam difficultatem vitarent, fuerunt viri docti, qui etſi rejecerint conjecturam de Hagara, quaſi eadem fuerit appellata Kethura, conjiciunt tamen Kethuram fuiſſe ductam, vivente adhuc Sara; quod etſi gravi reprehenſione dignum fuiſſe judicet Calvinus, à fide tamen non abhorrere putat, quia ordinarium eſt ut nimia licentiæ uſurpatione audaciores reddantur homines. Quare legem conjugii ſemel tranſgreſſum Abrahamum, fortaſſè poſt ablegatam Hagaram, polygamiæ finem non feciſſe, cùm etiam fortè ob divortium cum Hagara vulneratus fuerit ipſius animus, quod etſi ſancto viro probroſum & dedecoroſum fuerit, nullam tamen exiſtimat probabiliorem dari poſſe conjecturam. Itaque in hiſtoria eſſe *hyſteron proteron*, & Moſem ubi in ſcribenda Abrahæ vita ad extremum actum veniſſet, interpoſuiſſe quod omiſerat. Sed, pace tanti viri, & eorum qui cum eo ſentiunt, ob rationes quas anteà adduximus, non poſſumus conjecturam ejus probare. Aliundè igitur quærenda eſt ſolutio.

Veteres hìc myſterium quærunt, inter quos Auguſtinus, qui ut per Hagaram & Iſmaëlis poſteros, ſignificatam fuiſſe vult Synagogam, & carnales Iſraëlitas veteris Teſtamenti; ſic per Kethuram & liberos ejus, carnales homines profeſſione Chriſtianos, non re. Ambæ enim, concubinæ ſunt appellatæ, Sara nunquam. Habere ergò munera filios concubinarum, ſed non venire ad regnum promiſſum, nec hæreticos, nec carnales filios; quia præter Iſaac nullus eſt hæres, cùm ſoli filii promiſſionis ſint filii Dei, non qui carnis filii ſunt. Quæ etſi non malè ſint excogitata, & doctrinam contineant non rejiciendam: tamen cum eodem Auguſtino ſentire non poſſumus, non aliam ob cauſam Kethuram poſt Saræ mortem ductam, fuiſſe dictam concubinam. Ita enim dicta fuit, quia non pari jure ducta eſt quo Sara, ut fieret domus domina, & filii ejus hæredes eſſent, etſi legitimi fuerint, nec illa pro ſcorto ſit habita. Utplurimùm enim tales mulieres non fuerunt liberæ, ſed ſervilis conditionis. Ideò quia dignitate differebant à priore matrefamilias defuncta, concubinæ dicebantur. Quod tamen pependiſſe à voluntate viri referunt Jurecònſulti: quæ enim concubina erat, mutata voluntate, uxor haberi poterat. Voluntas Abrahami, ſi conjugium ſpectemus & legitimam cohabitationem, fuit ut Kethuram haberet pro uxore: ſed ratione dignitatis & liberorum conditionis, ejuſdem voluntate per comparationem ad Saram & Iſaacum, fuit

fuit *concubina*. Itaque utroque nomine hoc capite ſignificatur, ob diverſas haſce rationes.

Nondum tamen ſolutæ ſunt difficultates. Quod ut à nobis fiat, id primo loco tanquam certum præmittimus: In ſancto illo ſene, per id tempus, incitamenta carnis non viguiſſe, ſed habuiſſe alias cauſſas, cur in ſecundas nuptias tranſiret. Primam fuiſſe exiſtimamus, inſtinctum & conſilium divinum, quo Abrahamum ad id movit, ut cumulatius impleret magnificam illam promiſſionem de numeroſa multarum gentium ex Abrahami ſtirpe, propagatione; quæ non ſolùm filios promiſſionis, ſed etiam filios carnis ſpectabat. Voluit enim Deus varios populos in oriente, & diverſarum conditionum ex hac una ſtirpe producere, ut gens Iſraëlitica haberet ſemper ob oculos, per aliorum comparationem, quantum deberet gratiæ divinæ ob ſingularia privilegia. Huc referendum quod Geneſ. 17. ỷ. 6. ubi poſt additam nomini Abrahami literam; *Fœcundabo*, inquit, *te quamplurimùm, reddens te in gentes multas, & Reges ex te prodibunt*. Hoc Dei promiſſum, etſi per Iſmaëlem & Iſaacum fuerit impletum, tamen per conjugium Kethuræ mirum in modum excrevit ejus impletio, cùm filii ejus multarum nationum & regnorum propagatores fuerint.

Acceſſit altera ratio, quod Rebecâ ab Iſaaco ductâ, probabiliſſimum eſt bonum ſenem, filii hæredis conſtitutâ familiâ, eique præcipuorum bonorum curâ relictâ, ſeorſim ab Iſaaco habitare voluiſſe: itaque ex ſuo uſu putaſſe novam ducere uxorem, quæ præcipuam haberet rationem ſenectutis ejus, & reliquæ familiæ curam ſuſciperet. Quò referendum id quod anteà dictum eſt, Iſaacum duxiſſe Rebecam in tabernaculum *S*aræ matris ſuæ, quibus verbis indicatur, Abrahamum prius ſuum & uxoris tabernaculum dediſſe Iſaaco, & ei priorem ſuam habitationem aſſignaſſe. Cùm autem duæ hæ rationes uxoris ducendæ honeſtę fuerint, liquet in Abrahami facto nihil abſurdum fuiſſe, vel quod illo pręſertim tempore, ſancti viri gravitatem non deceret.

Addit Auguſtinus tertiam rationem, in hoc facto proviſum fuiſſe contra hæreticos futuros, ſecundarum nuptiarum adverſarios, ut in ipſo patre multarum gentium poſt obitum conjugis iterùm conjugati, demonſtraretur non eſſe peccatum. Quæ ratio pro corollario haberi debet. Nam ſunt in Scriptura ſacra directæ rationes, & alia ſanctorum exempla, quibus hoc ſatis probatur & ſolidius, quàm Abrahami exemplo, quod in aliis nonnullis imitandum non eſſe, nec inde argumenta deſumenda, anteà vidimus.

Ad objectionem ex Paulo, de Abrahami corpore jam tum emortuo, cùm ei promiſſus fuit Iſaacus; reſponderi poteſt, id non abſolutè debere intelligi, ſed comparatè ad illam uxorem quam tum habebat, vetulam & ſterilem. Alioqui Scriptura non in miraculo ponit, ſi aliquando ſenes ex juvenculis mulieribus prolem ſuſcipiant. Moſes enim penè octogenarius liberos genuit: item Obed ex Ruth Moabitide. Nec noſtro tempore deſunt exempla eorum, qui ſeptuagenarii & octogenarii prolem ſuſceperunt. Non rejicio tamen quod Auguſtinus quæſt. 70. in Geneſim conjicit, robur & vires additas fuiſſe divinitus Abrahamo, cùm ei facta fuit de Iſaaco promiſſio, & eaſdem vires & vegetam ſenectutem ei fuiſſe continuatam, ex qua factum eſt, ut in ea ætate quæ in aliis eſt capularis ſenectus, ad ſobolem propagandam aptus fuerit.

Supereſt objectio de genere Kethuræ, quæ ratione Abrahami non eſt magni momenti. Quia ejus intentio non fuit, hæredes promiſſionis ex Kethura gignere. Præterea non dubitandum, fuiſſe educatam in familia Abrahami & in gynecæo Saræ, proinde non fuiſſe infidelem. Itaque non interceſſit culpabilis cultus diſparitas. Et hæc quidem de Abrahami ſecundis nuptiis.

De propagatione filiorum ex Kethura, & regionibus quæ ipſis adſcribuntur, variæ ſunt conjecturæ. Nominantur ſedecim perſonæ, verſu 2. & 3. ſex filii, ex duobus autem filiis ſeptem nepotes, & tres pronepotes. Quatuor quorum poſteritatis non meminit Scriptura, vel orbi mortui ſunt, vel eorum poſteritas adeò remotas ſedes incoluit à Chananæa, ut ejus rationem non habuerit Moſes, cujus ſcopus fuit meminiſſe ortus nationum illarum, quibuſcum populo Iſraëlis negotium fuit; & tempore Moſis hæc fuiſſe nota dubium non eſt. Sed poſteà mutatis nominibus, & ex variis gentium migrationibus orta confuſione, non poteſt certò ſciri, quinam populi oriundi fuerint ab iſtis, ſaltem in particulari. Id ſuo tempore conatus eſt Joſephus, lib. 1. Antiquitatum, præſertim ex nominum affinitate. Capite 16. in quo multa dicit incerta, alia etiam contra Chronologiæ rationem pugnantia. Occupaſſe Trogloditicam regionem, & Arabiæ fœlicis quicquid ad rubrum mare pertinet filios Kethuræ pro certo habet. Ab Ophre Lybiam eſſe occupatam, & ab eodem poſteà Africam dictam ex rumore ſcribit. Sed id totum incertum eſt, & de Africa videtur falſum. Certum eſt tamen ex iis ortas eſſe nationes quaſdam orientales & meridionales. Madian & Epha mentio fit Eſai. 60. ỷ. 6. *Dromadarii Madian & Epha*, quæ ſunt *regiones*, inquit Hieronymus, *trans Arabiam, omniſque provincia appellatur Saba, unde fuit & Saba Regina, quæ venit audire ſapientiam Salomonis*. Videtur ſic dicta fuiſſe à filio Jocſan *Seba*; unde etiam Sabæi Geographis Latinis celebrati propter thuris & aliorum aromatum in illa regione abundantiam & excellentiam. Virgilius Georgic. 1.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Et 2. Georgic.

-- Sola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.

Sententiam Hieronymi de Regina Sabæ inde oriunda, confirmant non leves conjecturæ, illa præſertim quam idem notavit in tradit. in Gen. ad illud cap. 10. *Filii Chus Saba*;

Saba; & ſtatim ad illud, *Filii Reginæ Saba.* Ubi, priori loco *Saba* per *ſamech* ſcribitur, poſteriori vero per *ſchin*, At illa Saba unde regina profecta eſt, 1. Reg. 10. cum *ſchin* ſcribitur, unde ſequitur non eſſe illam quam filii Chus incoluerunt, id eſt, illam quæ ad Æthiopiam pertinet, quæ eſt in Africa trans Ægyptum. Facit pro Hieronymi etiam ſententia, quod dona quæ attuliſſe dicitur Regina Saba, non tam gignit Saba Æthiopica, quàm hæc Arabica, quæ Madianitis dicta eſt. Ezech. cap. 33. ℣. 13. junguntur *Saba* & *Dedan* cum negotiatoribus Oceani. Et Pſal. 72. ℣. 10. *Reges Arabum & Saba.* Matth. 12. & Luc. 11. *Regina Saba*, appellatur *Regina Auſtri*, ſed non inde probatur, non fuiſſe partis Arabiæ Reginam: eſt enim Arabia fœlix, ratione Palæſtinæ, orientalis, ita ut ad orientem etiam vergat. Ergò cùm fuerint tres viri nomine Seba, qui tribus nationibus nomen dederunt, mihi maximè probabilis videtur Hieronymi ſententia, qui Sabæos Arabiæ fœlicis incolas, quorum pars fuit regio Madianitis & Epha, ad eum pertinuiſſe cenſet, qui ex Kethura natus fuit, & inde veniſſe Reginam, quæ Salomonis ſapientiæ famâ permotâ, in Palæſtinam ſe contulit.

Priuſquam ad Abrahami obitum & ſepulturam accederet Moſes, ejus ſanctæ prudentiæ curam deſcribit in teſtamentaria diſpoſitione inter liberos ſuos, tam ex Sara, quàm ex concubinis. Verſu igitur v. dicit, Abrahamum quæcunque habebat dediſſe ipſi Iſaac, id eſt, eum hæredem ex aſſe inſtituiſſe: id factum fuiſſe, ſi animi propoſitum ſpectemus, ante conjugium Iſaaci, conſtat ex eo quod Abrahami ſervus, cap. præced. ℣. 26. id tanquam factum propoſuerat parentibus puellæ. *Peperitque Sara uxor domini mei filium domino meo poſt ſenium ejus, & dedit ei quicquid eſt ei.* Sic etiam propoſuerat Sara, cùm de Iſmaële loquens dicebat, *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac*, cap. 21. Hoc ratum habuiſſe Abrahamum conſtat, quia mandatum habuit à Deo, ut Saræ in eo obtemperaret. Quod igitur poſteà fecit, fuit executio diſpoſitionis illius jam anteà factæ, ut lites omnes inter ſuos vivens præveniret, & Dei decreto inſerviret, de Iſaaco hærede inſtituendo.

Hæreditas illa quam Iſaaco aſſignavit, reſpexit primum, jus ad futuræ terræ Canaan poſſeſſionem; deinde quicquid in præſenti poſſidebat Abraham. Hoc quidem, ſi immobilia ſpectemus ratione præſentium, fuit exiguum. Nihil enim habebat præter agrum Macpelah & ſpeluncam, niſi fortaſſe prædium aliquod in Beerſeba, ubi lucum plantaverat. Sed hæc paucula fuerunt veluti futuræ hæreditatis arrhabones. Reliqua quod ſpectat, fuerunt bona mobilia, auri & argenti plurimum, ampla & pretioſa ſupellex, ingens gregum & armentorum copia, & numeroſum famulitium; quorum omnium paucis meminerat ſervus ille cap. præced. ℣. 35. *Iehova dedit ei pecudes & boves, argentum & aurum, & ſervos, & ancillas, & camelos & aſinos.* Satis autem de ejus opulentia conjicere licet ex eo, quod iam tum cùm ex Meſopotamia venit in terram Canaan, erat auri & argenti ditiſſimus, quo etiam tempore adeò armentis & gregibus abundabat, ut coactus fuerit à Loto nepote ſuo diſcedere, Geneſ. 13. Cui rei etiam argumento eſt, quod Abimelech rex Geraris, cùm videret Deum ei abundè in omnibus benedixiſſe, ſibi & ſuis voluit proſpicere, inito cum Abrahamo fœdere. Ex quibus conſtat maximam fuiſſe hæreditatem, ad quam à parente vocatus eſt Iſaac.

Cujus comparatione, etſi ejuſdem generis eſſent mobilia quæ filiis concubinarum largitus eſt, non tamen hæreditatis nomine cenſentur, tum quia excludebantur planè à terra promiſſionis; tum etiam, quia pauca erant admodum quæ accipiebant, in comparationem bonorum quæ Iſaaco cedebant. Ideò vocantur tantùm *munera*, quæ prudenter ipſe parens, dum adhuc viveret, largitus eſt, ne eſſet quod conquererentur, ſi hanc curam commiſiſſet Iſaaco, quem magno liberavit onere, ipſiuſque & ſuorum pacem in hac parte procuravit.

Huc ſpectat quod additur verſ. 6. *Emiſit eos ab Iſaac filio ſuo, adhuc ſe vivente*, קדמה אל ארץ קדם *kedema el erets kedem*, ad verbum, *ad orientem, in terram orientis.* Hæc duo ita diſtinguuntur, ut primum indicet verſùs quam mundi plagam profecti fuerint, ratione ſitus Cananeæ, alterum autem in qua regione hæſerint, quæ orientis nomine dicta fuit. Arabia autem fuit Palæſtinæ orientalis verſùs auſtrum inclinans. Hoc ſecundum fuit maximè neceſſarium, ut eos ablegaret in remotas regiones, cujus rei cauſæ hæ fuerunt. 1. Quià noverat ex Dei promiſſionibus poſteritatem ſuam eſſe mirè propagandam, & inde conſequuturum, ſi tot fratres ſimul habitarent, ut eos terra capere non poſſet. 2. Amovere voluit omnem invidiæ occaſionem adverſus Iſaacum, quæ ex objecto præſenti, maximè poſt obitum Abrahami, fuiſſet inflammata, & in odium erupiſſet, quaſi ipſis facta fuiſſet injuria, & in præjudicium aliorum, hæreditas uni contigiſſet. Item voluit præſcindere omnem rixarum & turbarum occaſionem inter tot familiarum domeſticos, qui anteà ſenſerat, non potuiſſe convenire inter familiam Loti & ſuam, cùm tamen inter ipſos patresfamilias, nulla odii vel invidiæ eſſet occaſio. Acceſſit tertia cauſa, quod prævidebat Abraham, pleroſque ex poſteris ſuis in ſincero pietatis cultu non fore conſtantes, qui tamen in familia Iſaaci conſervandus erat; proſpexit itaque, ne alii aliorum contagio inficerentur. Hoc denique quartum fuit maximi ponderis; quod cùm regio Cananæa, Iſaaci poſteris poſt annos quadringentos eſſet promiſſa, ſi alii Abrahami filii in ea multiplicati fuiſſent, eamque incoluiſſent, ex duobus unum fuiſſet neceſſarium, ut terram illam, unà cum Iſaaci nepotibus poſſiderent, quod fuiſſet contra inſtitutionem Dei, nec etiam in tanta propagatione potuiſſet fieri; vel ut à fratribus ſuis pellerentur, aut etiam cum aliis incolis exterminarentur,

tur, quod utrumque fuiſſet inhumanum, atrox, & crudele. Benè igitur & ſapienter proviſum fuit, ut alias ſibi quærerent habitationes, idque fieret vivente adhuc patre, qui ex hac vita decedens hac frueretur conſolatione, quod nihil videret quo pax & concordia inter ſuos turbari poſſet. Vacuas autem fuiſſe regiones, aut parum tunc temporis habitatas, ad quas eos amandavit, credibile eſt, tunc enim nondum ita propagatum erat genus humanum. Sed in hac diſpoſitione præter Abrahami prudentiam, apparet ſumma autoritas & poteſtas paterna, & in filiis exemplum obedientiæ non commune.

Quæſitum fuit, annon læſi fuerint hoc teſtamento, & an jure potuerint privari hæreditate paterna, ut uni cederet, quod naturæ jure, omnibus videbatur eſſe commune, maximè cùm quæ dicuntur concubinæ, etiam uxores fuerint appellatæ, & eorum filii legitimi. Si humano tantùm jure res decideretur, id exemplo non careret, legibus etiam confirmato, quo non ſolùm in liberis ex diverſis uxoribus ſuſceptis, maxima inæqualitas ſervatur, ratione partitionis bonorum paternorum, ſed etiam in iis qui germani ſunt fratres, & ex una matre ab eodem patre ſuſcepti. Imò hoc tempore nihil tam frequens eſt in multis regionibus, maximè inter nobiles, ut hæreditatis pars maxima transferatur à parentibus in majorem natu filium, cæteris exigua portione, aut donario aliquo contentis, vel à fratris voluntate ita pendentibus, ut nihil poſſideant niſi precario. Has leges conſuetudo firmavit, hac ratione introductas, ne paulatim diſtracta hæreditate, & in diverſas partes diviſa, ſplendor familiarum obſcuraretur, & quæ ſupra reliquas eminent, accedente liberorum multitudine, deprimerentur inter plebeias familias.

Sed etiamſi nulla eſſent humana jura quæ huic facto faverent, ſufficeret autoritas divina, qua promiſſionis filius Iſaac fuerat conſtitutus hæres. Itaque non relictum erat Abrahami libertati, ut hæreditatem arbitrio ſuo partiretur. Cùm igitur ſpeciali ratione fuerit inductus, imò & compulſus Abraham, ad filios alios hæreditate privandos, & à ſe removendos, nemo poteſt in eo factum Abrahami reprehendere, niſi qui os ſuum in cœlum ponere voluerit.

Sequitur verſu 7. 8. & 9. chronologia vitæ Abrahami, ejuſque placidus obitus, & ſepultura. Abrahami vita fuit annorum centum ſeptuaginta quinque: quorum centum exegit peregrinus in terra Canaan, reliquos inter Chaldæos & in Meſopotamia. De Abrahamo igitur inprimis intelligendus eſt Apoſtolus, Ebr. 11. ℣. 13. cùm dicit, Patriarchas *profeſſos fuiſſe ſe hoſpites & advenas eſſe in terra.* Dixerat enim anteà verſ. 9. *Per fidem commoratus eſt in terra promiſſa, ut aliena; commoratus in tabernaculis, cum Iſaac & Iacob, cohæredibus ejuſdem promiſſionis. Expectabat enim urbem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor eſt Deus.* Vixit Abraham, ſupputante Bucholcero, cum Noacho annis LVII. cum Sem, Salah, & Eber, CLXXV. cum Peleg, XLVIII. cum Nachor, XLIX. Thare, CXXXV. Arphaxad, CXLVIII. Rehu, LXXVIII. Serug, CI. Iſaac, LXXV. Jacob, XV. Eandem ſupputationem habet Sethus Calviſius.

Verſ. 8. ויגוע וימת *vajjigva vajjamot*, & defecit, & mortuus eſt, id eſt, ut commodè vertit Vulgata, *deficiens mortuus eſt.* Sic etiam LXX. *καὶ ἐκλιπὼν ἀπέθανεν.* Verbum גוע *gava*, ſignificat deficere, expirare, animam efflare; quod verbum Ebræi dicunt tribui tantùm juſtis & piis. Sed falluntur, nam Geneſ. cap. 7. ℣. 21. ויגוע כל בשר *vajigavah col baſar, & expiravit omnis caro.* Idem eſt igitur quod Latini dicunt, animam efflavit, quod ſolitarium, non intelligi de *εὐθανασίᾳ*, oſtendit locus proximè à nobis citatus. Hoc loco tamen cum aliis quæ ſequuntur, certiſſimum eſt, ſignificari Abrahami *εὐθανασίαν* ex *εὐγηρίᾳ.* Expirare enim & mori in ſenectute bona, eſt placidè mori, & exceſſu dulciſſimo hanc vitam finire. שיבה טובה *ſeba toba*, ſenectutem bonam appellat, ſeram & ſanam, & pro ætate valentem, integris ſenſibus, non difficilem, & moroſam, quam Poëta *triſtem ſenectutem* appellat. Talis non fuit Abrahami ſenectus, ſed placida & quieta. Et credibile eſt, pleroſque ex primorum parentum numero non longis morbis, ſed longâ ſanctâque ſenectâ paulatim abſumptos, & virium, ſeu humidi radicalis defectu ſopitos & extinctos eſſe, inter media de Deo colloquia. Sic Dominus quod pollicitus erat, ſervo ſuo præſtitit, dixerat enim, cap. 15. ℣. 15. *Et tu ingredieris ad patres tuos in pace, ſepelieris in ſenectute bona.* Abrahami vita fuit alioqui laborioſa, & variis caſibus obnoxia, in qua tamen, cùm ſciret ſe Deo eſſe curæ, ſuſtentatus eſt adverſus omnes ærumnas, & proſpera uſus valetudine, donec animam Deo redderet, poſt diſpoſitionem de rebus ſuis. Hinc eſt quod dicitur שבע ſabea, *ſatur*; Vulgata addit *dierum*, & alii etiam interpretes. Et rectè, ſic enim eadem phraſis integrè exprimitur, infrà cap. 35. ℣. 19. & 1. Paral. 23. ℣. 1. Significatur autem ſanctos illos viros qui ita obierunt, non appetiiſſe vitæ hujus prorogationem, nec conſtrictos fuiſſe hac vivendi cupiditate, quæ pleroſque torquet accedente die decretorio. Nam ſingularis eſt Dei gratia, *vitæ ſaturitas*, ut ex ea migrare parati ſimus, cum animi tranquillitate, cùm pius ita deficit, ut nec mori acerbum ſit ei, & prætereà ſit jucundum. Eſt elegans hujus rei deſcriptio apud Ciceronem in libro de Senectute, ſed quæ vix applicari poteſt aliis præter eos qui in Deo moriuntur. *Omninò* (inquit ibi Cato Cenſorius) *omnium rerum ſatietas, vitæ facit ſatietatem: ſunt pueritiæ certa ſtudia, num igitur ea deſiderant adoleſcentes? Sunt & ineuntis adoleſcentiæ, num ea jam conſtans requirit ætas? Sunt etiam ejus ætatis, ne ea quidem à ſenectute quæruntur. Sunt extrema quædam ſtudia ſenectutis; Ergò ut ſuperiorum ætatum ſtudia occidunt, ſic*

occidunt

occidunt etiam ſenectutis, quod cùm evenit, ſatietas vitæ, tempus maturum mortis affert. Equidem proficiſcentem me ad eos, qui pridem exceſſerunt, quos ego colui & dilexi, quinetiam ad illos de quibus audivi & legi, & ipſe conſcripſi, haud facilè quis retraxerit, nec tanquam Peliam recoxerit. Quod ſi quis Deus mihi largiatur, ut in hac ætate repueraſcam & in cunis vagiam, valdè recuſem: nec verò velim, quaſi decurſo ſpatio ad carceres, à calce revocari. Si talia docuit hominem Ethnicum humana Philoſophia, quæ mens debet eſſe eorum, quos Spiritus ſanctus per verbum, de æterna fœlicitate poſt hanc vitam certos reddidit?

Sequitur de Abrahamo, ויאסף אל-עמיו *vajeaſeph el ammau*, & congregatus eſt ad populos ſuos. Hoc nunquam dicitur de beſtiis morientibus. Itaque notatur hac locutione, homines per mortem non redigi in nihilum, nec totum hominem mori. Id enim præſertim de animæ ſtatu eſt intelligendum. Non enim poſſet talis collectio ſtare, niſi animæ manerent poſt mortem. Scriptura igitur ita loquendo, innuit alterius vitæ ſtatum aliquem, ut migratio è mundo non ſit totius hominis interitus. Hanc autem phraſim promiſcuè de piis & impiis dici, ex aliis Scripturæ locis oſtendi poteſt. Itaque ad fœlicitatem per ſe non pertinet, ſed tantùm pro ſubjectorum ratione intellecta. Pii enim ad pios aggregantur; impii ad impios, etſi utrique ad populos ſuos, etiam ad patres ſuos dicantur aggregari, nempè in mortuorum ſtatu, qui in genere eſt omnibus communis, etſi non omnium ſit eadem ſors. Ergò eadem eſt phraſis cum ea qua dicuntur mortui tranſire de hoc mundo, obdormire, &c. Sed tamen verum eſt, etſi immediatè ſignificet ſtatum mortuorum, hoc etiam connotare, & mortuos adhuc eſſe, alioquin ad eos nemo aggregaretur, & aliquam eſſe poſt mortem mortuorum in unum locum congregationem, pro ſtatus & conditionis ratione. Itaque non inſcitè Cajetanus ex hac phraſi colligit immortalitatem animæ. Sic enim ille. *Ex hoc loco deducitur firmum argumentum, adverſus quorundam hominum imprudentiam & temeritatem, qui audent dicere, ne unum quidem verbum reperiri in libris Moſis, de altera vita hominum poſt mortem.* Quod Cajetani Cardinalis judicium, alterum Cardinalem non deterruit, ut ſumma animi contentione conaretur negare, ex quinque libris legis poſſe firmo argumento colligi, vel animæ immortalitatem, vel mortuorum reſurrectionem. Nempè homines illi potiùs quàm Scripturæ ſe ſubdant in omnibus rebus fidei, atheiſmum ſtabilire conabuntur. Ridiculi autem ſunt, qui hîc limbum ſomniant, & carceres piorum ſubterraneos, de quibus alibi dabitur dicendi locus.

Quam curam de Sara uxore ſua ſuſceperat Abraham, eandem filii ejus Iſaac & Iſmaël poſt obitum parentis ſuſcipiunt, & conveniunt in hoc officio extremo parentis memoriæ perſolvendo. Itaque, etſi inter fratres illos in paterna domo non benè convenerit, nihilominus ante Abrahami obitum conciliatos fuiſſe ex hoc loco apparet: nec ita fuiſſe ejectum Iſmaëlem, ut non ampliùs pro Abrahami filio agnoſceretur, nec ſubinde ad patrem veniret ex loco habitationis ſuæ. Nam ſi ſepulturæ parentis interfuit, quis crederet, non anteà fuiſſe à parente vocatum? Non enim omnem de eo curam Abrahamus abjecerat. Nec putarem duos fratres fuiſſe reconciliatos, vel immediatè ante obitum patris, vel poſt obitum; ſed Abrahamum poſt adultum Iſaacum, effeciſſe, ut Iſmaël agnoſceret fratris prærogativam, ut qui ex libera natus eſſet, eique primas deferret; & inde inter eos benè conveniſſe, quandiu vixerunt, hoc etiam largiente Deo paci familiæ ſervi ſui. Erat autem tum Iſmaël annorum quinque & octoginta. Reliquorum filiorum non ſit mentio, quia eos ablegaverat Abrahamus in remotiores regiones, ex quibus non ita commodè revocari potuerunt, nec etiam conducebat, ob rationes antè allatas.

Locus ſepulturæ fuit Hebron, è regione Mamre, ubi ante annos 76. ſub ſpecie Angeli ipſum filiū Dei hoſpitio exceperat, & promiſſionē de Meſſia ex ejus ore audierat. Ibi cum Sara repoſitus fuit in loco à ſe comparato, & ad ſuorū ſepulturā parato, beatā expectans reſurrectionem.

EXERCITATIO CXIII.

Iſaaci patientia in expectatione promiſſi ſeminis. In precibus perſeverantia. Rationes cur ſteriles uxores Deus piis nonnullis junxerit? An Iſaac proptereà Abrahamo ſit præferendus, quod non aliam duxerit uxorem, cùm ſe diu orbum videret? Preces adhibendas eſſe etiam pro adimpletione prophetiarum, quamvis certus ſit & decretus eventus. Hujus doctrinæ uſus. Quo ſenſu prædeſtinationem Sanctorum precibus juvari poſſe dicant nonnulli? Quid ſit, oravit è regione uxoris ſuæ? *Colliſio duorum infantum in utero Rebecæ non fuit naturalis. Querela Rebecæ an culpanda? Quomodo interrogaverit Dominum? Non fuiſſe temerariam inquiſitionem. Hoc tempore tamen non imitandam, ob mutatas circumſtantias.*

DE Iſmaëlis generatione, poſteris numeroſis, & eorum habitatione, paucis egerat Moſes, quibus tamen ſatis indicaverat, fœcundum fuiſſe ejus genus, ita ut ad duodecim uſque familiæ principes fuerit propagatum. Nec aliquam fuiſſe interpoſitam moram meminit, qua Iſmaël per aliquot annos expectaverit propagationem familiæ ſuæ, objecto aliquo ſterilitatis impedimento. Sed aliud accidit

cidit cùm ad Iſaaci generationes ventum eſt, qui quadragenarius uxorem duxerat, & annos viginti expectavit antequam liberos ſuſciperet. Apparet enim ex verſ. xxv. ſexagenarium fuiſſe, cùm nati ſunt ei duo gemelli, de quibus poſteà dicetur.

Iſaacum dilexiſſe Rebecam, anteà dictum eſt. Id indicium fuit, quod etſi ſterilis eſſet per tot annos, non tamen pro temporis illius licentia alteri animum applicuit, ſed quod ſemen ipſi fuerat promiſſum, per eam expectavit ab illo, *qui facit, ut quæ ſterilis erat in familia, ſedeat mater liberorum læta*, Pſal.113.℣.9. Exemplum habebat in matre, cui, quamvis Deus occluſiſſet vulvam, ne pareret, ut agnoſcit ipſa, Geneſ.16. ℣. 2. tandem nihilominus qui clauſerat, aperuit, & matrem eam fecit. Hoc idem ſperat de uxore ſua vir ſanctus; ideò ℣. 20. *oravit Iſaac pro uxore ſua ad Dominum, quia ſterilis erat.* ויעתר *vajjetar*, orare quidem ſignificat verbum אתר *atar*, ſed non ſimpliciter, quia aſſiduitatem & importunitatem ſimul connotat, & precum multiplicationem. Unde etiam denſitatis & copiæ ſignificationem, nomina ab hoc verbo deflexa retinent. Res convenit, non enim dubium eſt, tam longo tempore, Iſaacum ſæpius Deum interpellaſſe, fretum ſpe promiſſionum. Prudenter autem & ſanctè agnovit à Deo eſſe tam ſterilitatem, quàm fœcunditatem; illam poſſe amovere, hanc verò concedere: nec alia arte, quàm precibus credidit obtinere ſe poſſe prolem. Unde etiam patet, præter generalem benedictionem creſcendi & multiplicandi, qua in totum genus humanum videtur effuſa vis multiplicandæ prolis, ſingularem hujus gratiæ diſtributionem inæqualiter fieri, ut in uniuſcujuſque hominis generatione, particularis Dei providentia eluceat.

Non ſine cauſa autem inquiritur, cur Deus voluerit Iſaaco jungere ſterilem uxorem, & ſuam benedictionem tamdiu differre. Eſt quidem ſola Dei voluntas pro ratione habenda, nec involandum in ea quæ ſupra nos ſunt, ſed tamen ex Dei verbo poſſumus aliquas expiſcari rationes, cur id conveniens & utile fuerit. Prima eſt, probatio fidei Iſaaci; ſic enim Deus exercet ſuos, longaque expectatione detinet, ut ſpes & patientia eorum magis vigeat; ut etiam eos ad ardentius orandum excitet. Quò magis enim dilatione accreſcit deſiderium, eò ardentiora emittuntur vota, & creſcit precandi aſſiduitas. Tentatio enim fidei parit patientiam, Jacob.1. ℣.3. Et certè gravis illa fuit, cùm tam lentè procederet Eccleſiæ propagatio, in aliarum gentium tanta multiplicatione. Cùm enim videret ſanctus vir ſe ad ſenium vergere, nec dum eſſe patrem, an non potuit illi obrepere, ubi ſemen illud, quod æquabit ſtellas cœli? Caro enim putaret illudere Deum, cùm ſolitarias & inanes tamdiu relinquit domos, quæ ſecundùm ejus verbum ingenti populo debuerant eſſe refertæ. At cum ſpiritus vi emergunt ex talibus pii, nec ſpem ſuam ſibi eripi patiuntur, tum major eſt gloria Dei, & fidei laus amplior.

Fuerunt etiam aliæ rationes, cur fœminas non paucas celeberrimi nominis, & quæ virorum magnorum matres eſſe debuerant, naturâ ſteriles, nec niſi ſupernaturali virtute ad pariendum aptæ factæ fuerint. Primam hanc cum veteribus quibuſdam afferre poſſumus, præter eam quæ jam expoſita eſt, maxime quod ſpectat gentis Iſraëliticæ propagationem, quod Deus oſtendere voluit, eum non naturali ſucceſſione, ſed gratiâ & favore ſuo eſſe multiplicandum. Quod etiam faciebat ad ejus nobilitatem, cùm enim ex ſterilibus non ſine miraculo propagatus eſſet, eò præſtabilior & admirabilior erat ejus generatio.

Nec inconcinna eſt alia ratio quam Chryſoſt.in cap. 49.Geneſeos ponderat, Deum longè antè, mirabili partu ſterilium fœminarum, jam tum voluiſſe præſtruere & præmunire fidem admirabili partui Virginis. Quo argumento in re præſenti uſus eſt Angelus erga ſanctam Virginem, cui propoſuit exemplum Eliſabetæ, anteà ſterilis, verſ. 36. *Et ecce, Eliſabet cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua*, &c. *Quia apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum.* Accedit tertia, ſanctarum fœminarum exemplum, quæ ad tempus ſterilitatem paſſæ ſunt, eo maximè tempore quo probro erat orbitas, multum valuiſſe ad erigendos animos aliarum, quæ poſteà idem patiebantur; & ad maritorum etiam contemptui obviandum, ne ſuas uxores faſtidirent, ob defectum quem habebant cum tam ſanctis mulieribus communem.

Quod quærunt nonnulli, cur Iſaac cùm tamdiu expertus eſſet uxoris ſuæ ſterilitatem, exemplo Abrahami qui cum Hagara commixtus fuit, aliam etiam non duxit, ut ex ea prolem ſuſciperet? Et an inde ſequatur, majorem in Iſaaco fuiſſe vel continentiam, vel etiam amorem erga uxorem? Id non planè eſt extra oleas. Hòc primum vellem conſtans haberi, in utroque hoc officio non præcelluiſſe Iſaacum, quia neque ex incontinentia, neque ex amoris defectu Abraham ſibi aliam adjunxit. Itaque reſpondemus diſſimilem fuiſſe Iſaaci cauſam. Rationes ſunt, I. Quia non inductus fuit ab uxore, ut aliam duceret, quod ſuprà in Abrahamo vidimus. II. Quia ex eventu Iſaac potuit agnoſcere, talia conjugia non carere maximis difficultatibus, & ex iis etiam poſt utriuſque partis conſenſum rixas & jurgiorum materiam oriri. III. Quia recens habebat exemplum benedictionis divinæ in muliere ſterili & vetula, quod Abrahamus non habuerat. Idcircò quod in illo potuit excuſari, ab Iſaaco non potuiſſet ſine culpa ſuſcipi. Maluit itaque vir ſanctus ſapienter tempus operiri, & intereà precibus à Deo contendere, ut promiſſorum & voti compos fieret.

Sed iterùm quæri poteſt, Quid precibus, iiſque tam aſſiduis, opus fuerit, cùm de rei eventu dubitandi non eſſet locus, & promiſſa eſſet Iſaaco proles ab eo qui nunquam fallit, & quem impoſſibile eſt mentiri. Cùm etiam

etiam Jacob ad æternam prædeſtinationem pertineret, quæ immutabilis eſt, utpote quæ ab immutabili & efficaci Dei voluntate procedit; quorſum preces adhibentur ut conſilium Dei fiat, quod nullius hominis ſubſidio juvari poteſt, aut objecto impedimento irritum fieri? Hæc eſt objectio, qua olim abuſi ſunt qui cum Prodico hæretico preces omnes inutiles reddere voluerunt, non ſolum quia novit Deus quid nobis ſit neceſſarium; ſed etiam quia ab æterno prævidit & præordinavit, quæ bona nobis largiturus eſſet. Nec deſunt hoc tempore qui ſimile illud ingeminant. Si detur prædeſtinatio & decretum Dei de ſalutaribus bonis huic vel illi donandis, aut ſi certus ſit electus ſe non poſſe perire, fruſtraneæ ſunt omnes preces quæ Deo offeruntur; vana eſt & non neceſſaria diligentia quæ pietati impenditur. Quia firmum eſt & ſtabile quod Deus decrevit, evenietque etiam nobis ceſſantibus.

Ut huic objectioni reſpondeamus, quod Iſaacum ſingulariter ſpectat, etſi de complemento promiſſionis divinæ certus fuerit; potuit tamen ſine infidelitate dubitare, annon voluntas Dei eſſet ut ex Rebeca liberos gigneret, quia poterat proles ex alia dari. Non ergo fuit inconveniens ſi precibus Deum ſollicitarit, ut in eo de ejus voluntate tandem ipſi conſtaret. Quod ſi quis urgeat, non potuiſſe igitur ex fide orare pro Rebeca, cum neſciret an Deus eam vellet fœcundare. Reſpond. Hoc ipſi notum fuiſſe eam ſibi legitimam uxorem à Deo fuiſſe datam, & prolem fuiſſe ſibi à Deo promiſſam. Igitur ex vi promiſſionis potuit prolem ex ea petere, ſubmiſſa tamen voluntate ſua voluntati divinæ, ratione determinationis perſonæ, vel temporis. Addo tamen; ſi expreſsè promiſſa fuiſſet ei proles ex Rebeca, imò ſi tempus ipſi fuiſſet præfixum, preces tamen propterea inutiles non fuiſſe futuras, & qui ita ſentiunt oſtendere ſe credere, orandum eſſe tantum pro incertis. At hoc eſt contra fidem; eo enim plus fidei in precando afferimus, quo certiores habemus promiſſiones.

Ad objectionem igitur in genere, quæ promiſſiones & æternam diſpoſitionem voluntatis divinæ ſpectat; dicimus non propterea tolli precum uſum. Ratio eſt, quia non præordinat Deus talia ut fiant abſolutè, & nullo habito reſpectu antecedentium & conſequentium. Etſi enim omnium quæ Deus facit certum præfinierit eventum, quòd ea ratione dicitur abſolutum, quod Deus ad illud decernendum motus non fuerit propter ea media quibus illum exequitur; non tamen abſolutus dicitur eventus ratione executionis. Habet enim illa ſuas conditiones itidem definitas, & uno voluntatis divinæ actu. Itaque diſpoſuit etiam Deus cauſas ſecundas, aut conditiones prævias, quas hunc effectum in actu præcedere voluit, inter quas ponimus preces, & ſimilia piorum exercitia.

Hoc voluerunt qui prædeſtinationem dixerunt juvari poſſe precibus ſanctorum. Ad id enim Thomas 1. part. q. 23. artic. 8. utitur hoc exemplo Iſaaci, ob cujus preces Deus Rebecæ dedit ut conciperet, unde natus eſt Jacob, qui prædeſtinatus erat, cujus prædeſtinatio impleri non potuiſſet, niſi natus fuiſſet. Ibi autem aptè diſtinguit, duo hæc in prædeſtinatione eſſe conſideranda, ipſam nempe præordinationem divinam ſive decretum æternum, & ejuſdem effectum in tempore. Priori modò prædeſtinationem, cum æterna ſit, non poſſe juvari precibus ſanctorum, quæ in tempore fiunt; poſteriori autem modo, poſſe; quia providentia cujus pars eſt prædeſtinatio, ita decernit effectus, ut etiam de cauſis ſecundis & mediis provideat: Itaque ſub ordinem prædeſtinationis, non ſolum finem & effectus cadere, ſed talia etiam media & tales cauſas, eſſe ad effectus illos producendos ordinatas. Ut autem Deus impleat id quod prædeſtinatione vel providentia ſua decrevit, non ideò utitur mediis aut cauſis ſecundis, quaſi earum ope indigeret; ſed ut ordinis pulchritudo ſervetur in rebus; & ut creaturis etiam ſuo modo communicet cauſalitatis dignitatem. Sed quoniam media, ſive cauſæ ſecundæ, non poſſunt egredi ordinem à cauſa ſuprema propoſitum, fit ut juvent quidem illæ effectum prædeſtinatum; ſed fieri non poteſt ut illum impediant.

Hæc anteà applicaverat precibus Iſaaci Gregorius primus cap. 8. libri 1. dialogorum ſuorum, ubi hoc primum ponit, *obtineri nequaquam poſſe, quæ prædeſtinata non fuerunt, quæ autem ſancti viri precando efficiunt, prædeſtinata fuiſſe ut precibus obtinerentur.* Addit, ita diſpoſitam fuiſſe perennis regni prædeſtinationem ab omnipotenti Deo, ut ad hoc electi per labores & preces perveniant, accipiantque quod Deus ab æterno donare decrevit. Sic Deum prædeſtinaſſe multiplicare ſemen Abrahæ per Iſaac, qui tamen precatus eſt Dominum pro uxore ſua, & exauditus eſt à Deo. *Si ergo*, inquit, *multiplicatio ſeminis Abrahæ per Iſaac prædeſtinata fuerat, cur Iſaac conjugem ſterilem accepit, quæ propter preces ejus concepiſſe dicitur?* Reſpondet, conſtare, *prædeſtinationem precibus impleri, quando is per quem Deus multiplicare ſemen Abrahæ prædeſtinaverat, oratione obtinuit, ut filios habere poſſet.* Iiſdem rationibus permoti, dicimus nec prædeſtinationis certitudinem in æterno decreto, nec electorum de ſua ſalute fiduciam, obſtare ſanctæ vigilantiæ, precibus, piæ ſollicitudini, & debitæ converſationis officiis, quia fideles ex verbo Dei norunt, talibus mediis voluiſſe Deum ab æterno ſuos ad ſalutem perducere, etſi cauſa cur id voluerit non inde ſit petenda, ſed in ſolo Deo reſideat.

Quod plerique vertunt, *oravit pro uxore ſua*, in textu legitur, לנכח אשתו *lenocach Iſchto*, id eſt, *è regione uxoris ſuæ.* Quod ita accipiunt Ebræi, quaſi ſimul oraverint, ita ut tamen ſeorſim quiſque orans, ex adverſo alterum habuerit ſibi oppoſitum, ut aſpectu mutuo preces fierent ardentiores. Hoc etſi aliquando fieri

 potue-

potuerit, non tamen exiſtimo Iſaacum, quoties pro eo oravit, habuiſſe uxorem ſuam præſentem & ſpectantem. LXX, verterunt τῆς Ῥεβέκκας *pro Rebecca.* Nullibi tamen, præterquam hoc loco נכח *nokach*, verterunt ita. Ubique vel *antè*, vel *in conſpectu*, vel *coràm*, &c. Chaldæus Paraphraſtes hæc duo conjungit, *oravit coram Domino pro uxore ſua.* Trem. & Jun. *ob uxorem*, quam præſentem etiam & unà cum illo fuiſſe colligunt. Genuinum eſſe exiſtimo, *reſpectu uxoris ſuæ*, quod idem eſt quod pro uxore ſua. Id confirmatur ſequentibus כי עקרה הוא *ki akara hi*, quia ſterilis ipſa: indicatur enim ratio cur oraverit reſpectu uxoris, vel pro uxore, nempe ut Deus eam fœcundaret, quod etiam fecit, ut ex ſequentibus patet.

Duos igitur concepit filios, de quibus verſ. 22. *Collidebant autem ſeſe filii in utero ejus.* ויתרצצו *vajitrortſetſu*, id eſt, mutuo ſe pulſabant; ſymmachus vertit διεπάλαιον, *colluctabantur.* LXX ἐσκίρτων, id eſt, ludebant ſive calcitrabant, quod Aquila tranſtulit, *confringebantur*; fuit motus aliquis extraordinarius, quem ſancta fœmina judicavit aliquid portendere. Etſi enim anteà uterum non geſſiſſet, nec experta eſſet naturales motus infantum in utero; potuit tamen ab aliis intellexiſſe quinam illi eſſent. Quicquid ſit, ex ſequentibus colligitur, illam non habuiſſe hunc motum pro naturali, ſi enim ita exiſtimaſſet, cur adeò anxia fuiſſet, & ad oraculum recurriſſet in re ordinaria. Et certè motum hunc fuiſſe portentoſum Deus ipſe declarabit. Obſervatum quidem eſt, mares in utero matrum plus motus inferre quam fœminas; itaque non ſimpliciter mirum eſſet ſi duo mares in utero graviorem motum & moleſtiam efficerent. Sed non ſimpliciter motum ſentiebat, quia ſimul colluctationem quandam & veluti duorum pugnam percipiebat. Itaque dilutius videtur quod nonnulli nihil amplius in hac Rebecæ anxietate agnoſcunt, quam privati incommodi ſenſum, & metum ne quid ſibi in partu ſiniſtri accideret; exempli gratia, abortus aut mors. Nam ex oraculi reſponſione planè aliud colligitur. Itaque falluntur (ut benè doctiſſ. notat interpres) qui muliebri impatientiæ tribuunt Rebecæ querimoniam.

אם כן למה זה אנכי *im ken, lamma zeh anoki?* ad verbum, *Si ita ad quid hoc ego?* Eſt apoſiopeſis, & oratio interrupta. Quaſi diceret, ad quid hoc, quod ego tamdiu cupivi, & oravi ut daretur mihi concipiendi facultas? Nempe hoc extorſit, non tam doloris ſenſus, quam alicujus portentoſi partus apprehenſio. Nollem itaque proptereà ſanctam fœminam impatientiæ inſimulare, quaſi cum Deo, vel cum marito indignabunda expoſtularet. Potuit enim in re inſolita percelli, & aliqua anxietate laborare; ſed non inde ſequitur culpabili impatientia fuiſſe abreptam. Cum enim nondum ſciret quorſum iſtud tenderet, apud ſe varia cogitat, nec improbabile eſt obrepſiſſe iræ divinæ metum, quia non ſubſiſtunt fideles in metu præſentis mali, ſed ad cauſas deſcendentes, in apprehenſo Dei judicio expaveſcunt.

Ideò quod pietas ſuadet, id etiam illa fecit. Cum ſciret à Jehova profectum fuiſſe, quod quæ anteà ſterilis eſſet, uterum gereret, ab eodem cupit edoceri, quid tandem portendat extraordinarius ille & importunus motus, & quaſi conflictus in utero. Itaque additur, ותלך לדרש את יי *vattelek lidroſch eth Iehova.* Ivit ad interrogandum Dominum. Ubi quò & ad quem ivit, & cujus rei gratia, inquirendum. Stabilito apud Iſraëlitas publico Dei cultu, qui in aliquo dubio verſabantur de re ſuſcipienda magni momenti, vel de aliquo eventu quem ſcire intererat certi eſſe cupiebant, oraculum ſciſcitabantur duplici via, una ordinaria, altera extraordinaria. Prima erat per *Vrim* & *Thummim*, operâ ſacerdotum, de qua reſpondendi ratione ſuo loco agendum erit; ſecunda per viſiones & ſomnia, ſine Prophetarum miniſterio. Omnium meminit autor libri Samuelis 1, cap. 28. ℣. 6. ubi de Saule dicit; *Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Sic enim vulgata editio, cum in Ebræo textu legatur, *neque per Vrim*, quod illa vertit, neque per Sacerdotes. Talem fuiſſe ordinariam rationem conſulendi Deum, ante legem non legimus. Sed de duabus aliis *per Prophetas*, vel per *ſomnia & viſiones*, in rebus gravibus, Deum ſuis non defuiſſe, credere par eſt. Itaque quod nonnulli volunt; non exiſtimamus profectam fuiſſe Rebecam ad altare domeſticum, quaſi ibi Deus reſpondere interrogatis ſolitus fuiſſet. An autem ad Prophetam aliquem profecta ſit, vel ipſa per ſe Deum interrogaverit fuſis ad eum precibus, videndum. Vivebant adhuc tunc Patriarchæ nonnulli, inter quos Sem filius Noachi, quem multi putarunt fuiſſe Melchiſedecum, quorum ſuo loco confutavimus ſententiam. Sed quicquid ſit, vivebat Melchiſedecus in terra Canaam qui fuit Sacerdos Dei altiſſimi. Hinc putarunt quidam, illam adiiſſe vel Semum, vel Melchiſedecum ſciſcitandi gratia; quod de Semo probabile non eſt, qui longè ſemotus erat ab illis partibus; nec etiam de Melchiſedeco, cujus habitatio multis miliaribus diſtabat à loco habitationis Iſaaci. Itaque ſi aliò fuiſſet pergendum ad Prophetam aut Sacerdotem aliquem, rogaſſet potius Iſaacum, ut hoc iter ſuſciperet, cui tunc apta non erat, in ſtatu uterum gerentis mulieris. Omnibus propoſitis rationibus, quibus aliquando potuerunt homines Deum conſulere, nullamque certo argumento huic negotio neceſſario aſſignari poſſe cum videret, hac contentus fuit reſponſione, quæ modeſtiam ſapit autoris Auguſtinus. *Quicquid horum eſt, & ſi quid aliud, quod me fortè ne commemorarem præterierit; mentiri tamen ſcriptura non poteſt, quæ dixit Rebecam iviſſe ad interrogandum Dominum, atque Dominum reſpondiſſe.* Quæſt. in Geneſ. 72. Nempe hoc eſt ſapere ad ſobrietatem, certa ab incertis diſtinguere, & neceſſaria,

ſaria, à non neceſſariis. Certum eſt & neceſſarium credere, illam iviſſe ſciſcitatum oraculum; certum eſt Deum reſpondiſſe; certum eſt eam inquiſiviſſe legitimo modo, & horum aliquo, quorum facta eſt mentio. Ut autem illum præcisè definiamus, neque noſtrum eſt, neque certo fieri poteſt. Sed videntur omnia ad id concurrere, ut ſentiamus, reſponſionem illam non accepiſſe hominum miniſterio, ſed immediata Dei ipſius revelatione; & probabiliſſimam eſſe ſententiam, eam in ſecretum aliquem locum conceſſiſſe, & precibus ardentibus ad Deum fuſis, reſponſum illud accepiſſe, vel in ſomno, vel in vigilia per extraordinariam aliquam illuſtrationem, vel per vocem aliquam cœlitus emiſſam, vel Angeli alicujus miniſterio.

Non fuiſſe temerariam inquiſitionem probavit eventus. Nec talia exigenda ſunt ad rationem noſtrorum temporum; vel temporibus noſtris quæ tunc facta ſunt imitanda. Hoc tempore qui de futuris eventibus inquirunt, particularibus præſertim, & quorum naturales cauſæ neceſſariæ dari non poſſunt, nullo fundamento nituntur, quia Deus ita nobiſcum non agit, neque talibus miraculis hodiè res futuras portendit. Ideò qui tali curioſitate ducuntur, vel in Diaboli laqueos immediatè incidunt, vel impoſtorum patiuntur ludibria, quod nimis quam frequens eſt hoc ſeculo, in quo etiam non pauci exoriuntur, qui ſomniis ſuis indulgent, & de futuris apertè pronunciant, quos tamen ſingulis penè diebus refellit eventus. Nam quæ tunc fuerunt neceſſaria, cum Deus nondum voluntatem ſuam ſcriptis conſignaſſet, à nobis non ſunt requirenda, qui ad regendum vitæ curſum, habemus legis & prophetarum doctrinam, perfectam ſapientiam complectentem. Nec in familiis noſtris aut perſonis, aliquid extraordinarium Deus diſpoſuit, cujus gratia oracula ſperare debeamus, aut etiam expetere. Quamobrem non eſt quod ſe tueantur exemplo Rebecæ, qui nunc divinationibus indulgent. Concludam verbis Chryſoſtomi in hunc locum. Hom. in Geneſ. I. *Vide Rebecæ religionem & pietatem. Non enim fecit ſicut multæ mulieres, quæ negligenter vivunt, facere conſueverunt. Non ad humanum confugit ſubſidium, non ad eos qui talia ſuis conjecturis, ſuæque rationis obſervationibus indicare volunt; neque ſe expoſuit deceptioni curioſorum, & eorum qui polliceri audent, quæ ſunt ſupra humanam naturam: ſed abiit ut conſuleret Dominum. Vide mulieris ſagacitatem: quoniam vidit, quod qui vulvam ejus reſerarat, is naturæ eſſet Dominus, & infœcundum ventrem repentè ita fœcundum effeciſſet, & videbatur uteri onus magna quædam promittere; perrexit (inquit) ut conſuleret Dominum.* Hæc ille.

EXERCITATIO CXIV.

גוים Gojim, *etiam de populo Dei dici, contra Iudæorum obſervationem. Origo Iſraëlitarum & Idumæorum. In verbis illis* populus populo erit fortior, & major ſerviet minori, *poſterius membrum non eſſe prioris exegeticum. Vtriuſque genuina explicatio. Quomodo impletum fuerit oraculum in duobus populis? Quomodo in perſonis duorum fratrum? Explicatur locus parallelus* Malach. I. verſ. 2. & ſeqq. *Odii variæ acceptiones. Expenditur locus* Apoſt. Rom. IX. à verſ. 10. ad 14. *An Apoſtolus ad litteram interpretatus ſit verba oraculi, vel per accommodationem à temporalibus ad ſpiritualia? Ventilantur variæ ſententiæ. An Eſau fuerit reprobus? Rationes pro affirmantibus. Quomodo ab exemplo procedat argumentatio? Procedere argumentum Apoſtoli, quamvis fratres illi conſiderentur ſolum tanquam typi. Duplex Iſraelitarum electio. Refellitur Becani corruptela. Item, Leonardi Leſſii. Cujus vitulâ aravit Arminius. Expenditur illius evaſio. Vocationis diſtinctio.*

IAm audiamus oraculum, verſ. 23. *Et dixit ei Dominus, duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* In verſione nulla eſt difficultas, & conveniunt omnes interpretes. שני גוים *ſchenei gojim*, duæ gentes. Inter duas illas gentes, fuit Iſraëlitica. Unde ſatis conſtat vanum eſſe, quod vocem גוים *gojim* Judæi in alias omnes nationes rejiciant, quaſi ipſis ſolis nomen אמים *ummim* reſervatum ſit. At hic utrumq; æqualiter de Iſraëlitis & Idumæis dicitur. *Duæ gentes & duo populi.* Et Geneſ. 17. de Abrahamo, eris in patrem multitudinis גוים *gojim* gentium, ad quam multitudinem ſi negent Judæi ſe pertinere, debebunt eadem opera Abrahamum patrem ejerare.

Sed quid hoc eſt, *Duæ gentes ſunt in utero tuo?* Id ita intelligendum, quod in ejus utero eſſent duo capita duarum gentium; vel quod gentes & populi in utero ejus eſſent, tanquam in radice, quia ibi continebantur virtute & poteſtate. Sic omnes fuimus in Adamo; ſic in Abrahamo Levi fuit decimatus. Ebr. 7. ℣. 9. Duo populi è viſceribus tuis יפרדו *jipparedu*, ſeparabunt ſe. id eſt, *prodibunt*, ita ut ſeparati & diverſi ſint futuri; inter ſe planè diſcrepantes, ſedibus nempe, moribus, legibus, & religione; etiam ſtudiis & animis inter ſe contrariis. Quod in populo Iſraëlitico & Idumæo imple-

impletum fuiſſe, eſt extra omnem controverſiam. Ex Eſau enim & Jacobo, ſeparati fuerunt & à ſe invicem diſtincti, tales populi, qui planè inter ſe, ſitu & moribus fuerunt diſcrepantes. Idumæi montoſam regionem Sehir occuparunt; Iſraëlitæ tandem Cananæam obtinuerunt. Inter utroſque autem fatalibus odiis certatum eſſe, teſtatur hiſtoria ſacra.

Sequitur, *Populus populo robuſtior erit*, ולאם מלאם יאמץ *uleom milleom jeametz*, populus populo erit fortior. ורב יעבד צעיר verab jaavod tſair, *& major ſerviet minori*. Hæc duo hemiſtichia ita à pleriſque accipiuntur, ac ſi unum eſſet alterius exegeticum, & ſecundum indicaret prioris effectum; quia unus populus robuſtior futurus erat alio, idcircò prævaliturum eſſe. Sic enim hoc intelligunt, inter duos illos populos qui in utero confligantur, non erit æqualis mars; unus alium ſuperabit, vel vincet. At qui victor futurus eſt, minor erat, & ei ſerviet major. Sed alia videtur eſſe ſenſus ratio. Primò enim comparat duos illos populos ſine conſideratione eventus, quales in ſe ipſis erant futuri, naturâ ſuâ. Huc refertur quod ait, populus unus erit alio robuſtior, ſive eum ſuperabit, nempè ſi per ſe conſiderentur, unus alium potentiâ, numero & viribus ſuperabit. Nondum ergò hìc agitur de eventu, ſed de poteſtate & opibus, quantum quidem ex aſpectu judicari poteſt. Eodem ſenſu, ac ſi duobus oppoſitis exercitibus, unus melius eſſet inſtructus armis & commeatu, pluribus conſtans militibus, &c. dicerem exercitus unus alium ſuperat, id eſt, viribus, manu & omnibus ad pugnandum neceſſariis prævalet; adderem poſteà, nihilominus qui minor eſt hominum numero, nec æqualiter inſtructus, victoriam eſt adepturus, & major in minoris poteſtatem venturus.

Senſus eſt genuinus, nec unum membrum eſt alterius exegeticum. Quin potius ſecundum illud proponitur tanquam paradoxum. Confirmatur interpretatio ex conſideratione duorum capitum, in quibus adumbrati fuerunt duo populi. Unus enim major fuit, alter minor. Eſau primogeniturâ, viribus corporis, & audaciâ Jacobum ſuperabat, id eſt, robuſtior erat. Nihilominus ille qui robuſtior erat, minori & infirmiori tandem ceſſit. Id accidit in duobus populis. Nam populus Idumæorum robuſtior initio fuit Iſraëlitico populo, & ejus potentia major. Hinc eſt quod cùm Iſraëlitæ in deſerto peterent per legatos ab Idumæis licentiam tranſeundi per eorum habitationem, qua ratione potuiſſent viæ compendium facere, reſponderunt Idumæi, Num. 20. ỽ. 18. *Non tranſibis per me, ne fortè cum gladio egrediar in occurſum tui.* Itaque Onkelos benè expreſſit ſenſum, *Regnum regno erit fortius*, nempè naturâ & omnibus neceſſariis humanitùs ad bellum. Nam verſio LXX. & Vulgata ambiguè reddunt, *Populus populo prævalebit.* Imò iſtud *prævalere* eventum deſignat, & prius membrum cum poſteriore confundit. Diſtinctio tamen emphatica eſt, & omninò ex intentione oraculi, quo mirum aliquid indicatur. Inter duos illos populos erit inæqualitas virium; unus præ alio viribus pollebit; nihilominus qui minor erit, victoriam obtinebit. Huc facit quod in textu Ebræo legitur ורב verab, *& multus* ſerviet minori, id eſt, qui numeroſior eſt, & multitudine alium ſuperat, ab eo qui viribus & numero inferior eſt, ſuperabitur. Hoc vidit Cajetanus, qui juxta Ebræum haberi dicit, *& multus ſerviet pauco.* Unde rectè colligit ſenſum obvium & primarium hujus revelationis hunc eſſe, ut infantes illos ſpectet ſecundùm ſuas familias, & *inter eas duas inæqualitates ſignificari; alteram penes fortitudinem, alteram penes multitudinem, cùm effectu quod regnum præſtans multitudine, ſerviturum eſſet regno paucorum.* Senſu quidem commodo, ſed nihilominus in quo non ſatis percepit quò referretur verbum יאמץ jeemats, *erit fortior.* Id enim refert ad minorem populum, quia id in eo impletum eſt, ratione eventus finalis, quia minori ſervivit major; & qui ſervit debilior eſt, cui ſervit fortior. Sed nihilominus verum eſt quod diximus, verba illa *fortior erit*, referenda eſſe ad populum Idumæum, & ſequentia *major ſerviet minori*, ita eſſe accipienda, ut per majorem, intelligatur is qui fortior dictus fuerat, cujus vires erant paulatim attenuandæ, ita ut in minoris poteſtatem redigeretur.

Sic Rebeca intellexit ſe matrem futuram duorum populorum, quorum ſors futura eſſet inæqualis. Cujus oraculi veritatem manifeſtavit eventus, ratione duorum populorum. Nam etſi populus Idumæorum ad tempus floruerit, & antequàm poſteritas Jacobi terram promiſſam poſſideret, ſuas habuerit ſedes, & regnum conſtitutum, quod initio non ceſſit Iſraëlitis, imò ſæpè eis faceſſivit negotium: nihilominus tandem à poſteritate Jacobi ſub jugum miſſi fuerunt Idumæi variis temporibus. Primùm ſub Davide, 2. Sam. 8. à quo cùm ſubacti fuiſſent, diu ſervierunt Iſraëlitis, uſque ad regem Joram, ſub quo jugum excuſſerunt, 2. Reg. 8. Quod poſteà in prædictione Iſaaci continebitur, cap. 27. ỽ. 40. *Fratri tuo ſervies, cùm autem incipies dominari, franges jugum ejus à collo tuo.* Sed tamen rurſus ab Iſraëlitis ſubjugati fuerunt tempore Machabæorum, quod lib. 1. cap. 5. legimus. *Et debellabat Iudas filios Eſau, in Idumæa*, &c. *& percuſſit eos plagâ magnâ.* Et libr. 2. cap. 10. viginti quinque millia trucidata narrantur, & eodem capite iterùm viginti millia. Evertendos autem rurſus eſſe ab Iſraëlitis Idumæos prædixerat Abdias, ỽ. 17. *Erit*, inquit, *domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula; & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau.* Joſephus etiam Antiquit. Judaic. lib. XIII. cap. XVII. eò adductos fuiſſe teſtatur ut circumciſionem ſubire cogerentur, quod illis inſtar mortis fuit. Sic autem ille de Hircano, qui tum ex Machabæorum genere populo Iſraëlis præerat; *Subjugatis omnibus Idumæis, edixit ut circumciderentur, niſi*

mallent

mallent è propriis pelli ſedibus. Atque illi amore patriæ admiſerunt, & circumciſionem, & reliquam juxta Iudaicos ritus vivendi formulam. Ex quibus, ratione duorum populorum ſatis apertè conſtat de oraculi impletione, cujus directa & hiſtorica interpretatio ad literam, duos illos populos reſpicit eo quo diximus modo.

Sed quæſitum eſt, annon duas etiam illas perſonas, ſive duo illa populorum capita, ita ut in illis primò fuerit indicatum, quod poſteà in eorum poſteris fuit adimpletum. Et certè ſi externa ſpectemus & temporalia, Eſau nunquam ſervivit Jacobo. Contrà Jacobus coactus fuit cedere Eſauo, & cùm rediret è Meſopotamia, ei ſe ſubmiſit, & muneribus, atque adeò omni ſubmiſſionum genere, ut eum ſibi placaret, laboravit, à quo maximè ſibi metuebat. Ergò ſi ſervitutem externam & temporalem ſpectemus, potiùs Jacob ſervivit Eſauo, quàm Eſavus Jacobo. Non legimus etiam in herciſcunda hereditate idem factum fuiſſe, quod in familia Abrahami, ut Jacobus temporalium etiam bonorum hæres ex aſſe inſtitueretur, Eſau autem muneribus contentus, fratri cederet. Quapropter, ſi carnis prærogativam reſpiciamus, non eſt quod inter Eſavum & Jacobum id impletum fuiſſe videamus, *major ſerviet minori.*

At videndum eſt, an alia ratione verba illa ipſis etiam capitibus competant, & an Deus hoc oraculo, præter id quod in utroque populo manifeſtum eſt, de duobus etiam fratribus aliquid prædixerit, ad quod hæc verba ſenſu aliquo referri debeant. Ubi primum hoc præmittendum eſt, ſenſum alicujus loci, etiam literalem, eſſe vel proprium, vel figuratum. Proprium, quando id quod dicitur, prout verba ſonant, intelligitur, ut in ea quam propoſuimus interpretatione, de duobus populis, & unius ſervitute aut ſubjectione. Figuratum, quando id quod dicitur metaphoricâ quâdam ſignificatione ſumi debet. Hoc ſecundo modo, etiam ad perſonas Eſaui & Jacobi referri debet dictum illud, ut nempè unius ſervitus prædicta fuerit, alterius autem prærogativa & ſuperioritas, qua ratione etiam qui major erat & robuſtior, minori ſervire debuit. Id quomodo impletum fuerit in duobus illis individuis, videndum. Nempè ſervitutis nomen accipiendum eſt figuratè, cùm aliquis ea facit, quibus, etſi actu non ſerviat, nec ſe ſervire exiſtimet, excidit tamen dignitate ſua, quæ ad jus quod attinet, in alium tranſlata; ille jure ſervus eſt qui eam amiſit; & contrà, quoad jus, dominus eſt is ad quem devoluta eſt prærogativa juris. Quomodo in duobus illis fratribus hoc factum ſit, hiſtoria deinceps oſtendet. Certè tria fuerunt, in quibus primas tenuit Jacob ſupra fratrem ſuum. I. Excidit enim Eſau jure primogenituræ, quod in fratrem tranſlatum fuit. II. Hereditate promiſſæ ab Abrahamo terræ, quæ etiam ad Jacobum pervenit. III. Prærogativâ fœderis divini, & orituri ex Abrahami familia Meſſiæ. Et hæc quidem etiam ad literalem ſenſum pertinent, etſi figuratum.

Sub his autem myſticè intelliguntur quæ ſpectant gratiam & gloriam; libertatem filiorum Dei, & ſervitutem peccati. Nam jus primogenituræ, typus fuit gratię adoptionis, cujus neglecto & rejecto typo, oſtendit Eſau ſe rem ipſam pro nihilo habere. Hæreditas terræ ſanctæ typus fuit cœleſtis patriæ, à qua excluſus fuit, qui non factus eſt hæres promiſſionum. Fœdus & Eccleſiæ prærogativa, ſalutis fuit via, à qua extorris fuit, qui fœderis conditiones neglexit.

Ad hunc locum reſpiciens Malachias, cap. 1. ℣. 2. ſic Deum loquentem introducit; *Nonne frater fuit Eſau Iacobo? dictum Iehovæ, Dilexi autem Iacobum, Eſauum verò odio habui. Ideò diſpoſui montes ejus deſolationi, & poſſeſſionem ejus draconibus deſerti.* Cujus loci ſenſus literalis obvius hic eſt, quamvis fratres eſſent germani ac gemini, eoque nomine pares, niſi quod Eſau jure primogenituræ præferendus videretur, Deum tamen dilexiſſe Jacobum, id eſt, voluiſſe ei in ſua poſteritate benefacere; Eſavum autem odio habuiſſe, id eſt, poſthabuiſſe & rejeciſſe, nec voluiſſe ſingularia beneficia in poſteritatem ejus conferre, quæ poſteris Jacobi largitus eſt. Quod ex verbis his liquet, *Et poſui montes ejus in ſolitudinem*, &c. Ubi notandum eſt ad ſequentium intelligentiam, odii nomen in Scriptura variè accipi; nempè, vel ſenſu affirmato, vel ſenſu negato. Odium ſenſu affirmato dicitur, quod aliàs odium inimicitiæ, quod in eo quem odio quis proſequitur, ſupponit aliquid odio dignum. Quale eſt odium peccati, & odium Dei, ratione hominum peccantium, qua tales ſunt. Tum enim odiſſe, nihil aliud eſt quàm abhorrere & punire velle. Odium autem ſenſu negato intelligitur, quando is quem odiſſe dicimus, non vult ei quem odit, dare aliquod bonum; quod etiam dicitur odium per comparationem. Cùm enim inter duos, alioquin non impares, tale ponitur diſcrimen, ut unum præferamus alii in largitionibus gratuitis, tum ille dicitur exoſus, qui negligitur & nihil accipit; dilectus contrà, qui præfertur, & bonum recipit quod alteri denegatur. Sic enim aliquando in Scripturis, odiſſe accipitur pro eo quod eſt poſthabere, negligere, non curare, præ alio contemnere. Quo ſenſu ſunt accipienda verba Dalilæ, Judic. 14. ℣. 17. *tantùm odiſti me, & non amas me*, quia nolebat ei explicare ſuum ænigma. Et Lucæ 14. ℣. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & uxorem & liberos*, &c. Item Joan. 12. ℣. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodiet eam.* Cùm autem Deus dicitur odiſſe negativè, id ita intelligendum eſt, non ut odium tantùm ſignificet negationem alicujus actus, in Deo, ſed quod Deus poſitive nolit dare illud bonum, hoc eſt, velit non dare, ut negatio ſit objecti, non actus. Deus enim ſe ſimpliciter non habet negativè, ut qui neque velit, neque nolit; ſed actum volendi habet circa illud objectum, quod vult non dare.

His

His ita præmiſſis, neceſſarium eſt, ut jam expendamus, quis ſit verborum Pauli ſenſus, ubi cap. 9. Epiſt. ad Rom. à verſ. 10. uſque ad 14. hoc oraculum ex Moſe deſumptum, & à Malachia repetitum, ſuo propoſito applicat: ſic enim ille. 10. *Nec hic ſolum, ſed Rebeca cum ex uno concepiſſet, nempe ex Iſaac patre noſtro, hæc experta eſt.* 11. *Nondum enim natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum Dei quod eſt ſecundum ipſius electionem, id eſt, non ex operibus, ſed ex vocante, firmum maneret.* 12. *Dictum eſt ei, Major ſerviet minori.* 13. *Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau vero odio habui.* Illuſtris hic locus variè acceptus fuit, & in eo eludendo multorum ſe torſerunt ingenia, inter quos etiam fuerunt, qui vix abſtinuerunt ab accuſationibus in ſanctum Apoſtolum, quaſi contra verum loci ſenſum, ad ſuum præjudicatum hiſtoriæ verba invita traxiſſet, cujus applicatio nunc expendenda eſt, & à cavillis vindicanda.

Duæ ſunt viæ quas inſiſtunt qui in loco illo tractando etiam apud orthodoxos verſantur, qui cum unum & eundem ſpectent Apoſtoli ſcopum, de quo poſteà, non tamen perinde ſentiunt de ejus ſententia circa duos illos fratres, id eſt, an Paulus hiſtoricè locum acceperit de duobus populis, & externis prærogativis; an myſticè de duobus ipſis fratribus in particulari, & eorum diſcrimine ratione ſalutaris gratiæ & ultimi finis. Sunt igitur qui exiſtimant Paulum, fratrum illorum ratione, nihil aliud propoſuiſſe præter id quod primo aſpectu litera continet, ſive apud Moſem, ſive apud Malachiam. Itaque non egiſſe de electione aut reprobatione Jacobi & Eſaui ſecundum eorum perſonas, & reſpectu ſalutis; ſed tantum reſpectu diſpenſationis prærogativæ, dignitatis, & bonorum temporalium in utriuſque poſteris, in quibus Jacob fratri ſuo Eſauo prælatus fuit, & à Deo magnificatus. Confirmant ſententiam ſuam, quia in textu Moſis ex quo Apoſtolus deſumpſit ſententiam, quæ in ejus argumentatione præcipua eſt, *Major ſerviet minori*, non agitur de electione & prædeſtinatione Jacobi ad æternam vitam, ſed de ejus ſupra fratrem eminentia, poſterorum ratione, ut ex oraculi reſponſo, de quo anteà dictum eſt, apparet. Rationem etiam eandem in verbis Malachiæ obſervant, quia expoſitio quæ apud Prophetam additur, oſtendit, Prophetam amorem & odium illud conſtituere in eo, quod dediſſet Jacobo fertilem & amœnam regionem, & in ea fixam ſedem: at contra Eſauo, aſperam & ſterilem habitationem, quam devaſtaturus & demoliturus eſſet in perpetuum. Sic bona temporalia fuiſſe hujus dilectionis argumenta; mala vero contraria, odii.

Alii non negant quidem ſenſum illum eſſe verum & obvium, ut anteà diximus; ſed tamen volunt Paulum altius conſcendiſſe; & oſtendiſſe, non tantum talia quæ dicta ſunt, amoris & odii illius comparati, & in largitione vel privatione bonorum temporalium fuiſſe ſigna; ſed etiam electionis Jacobi ad gloriam, & rejectionis Eſaui à gloria. Quia prærogativa Jacobi & poſteritatis ejus, non ſolum ſpectavit temporalium bonorum ſive qualitatem & quantitatem, ſive durationem; quæ res non fuit perpetua in illis duobus populis; ſed præſertim fœderis divini, & benedictionis in promiſſo ſemine hæreditatem; itaque aliquid incluſum fuiſſe his verbis, præter bona temporalia. Nec id etiam planè negant ratione utriuſque populi qui ſunt in contraria ſententia, dummodo id non referatur ad præciſam individuorum electionem vel reprobationem; tum enim concedunt, nomine Jacobi & Eſaui ita duos populos intelligi, ut ſimul ſignificetur, libera & juſta Dei voluntate, Iſraëlitas quondam gentibus præteritis, imo ipſis Idumæis ex eodem parente Iſaaco, dilectos aut electos fuiſſe, ut eſſent populus Dei: ſicut è contrario tempore N. Teſt. gentes ad hoc electæ ſunt, rejectis Judæis, ex quo inferre conantur, Paulum non agere de ſpeciali & præciſa electione hujus vel illius. qua de re dicendum erit paulò poſt.

Sed ulterius procedunt qui à Paulo duorum illorum mentionem fuiſſe factam volunt, non ſolum ratione poſteritatis, ſed etiam perſonarum; non quod id quidem directè & ad litteram in textu habeatur, ſed vel myſtico ſenſu, vel per conſequentiam. Quomodo Hieronymus in cap. 1. Malachiæ ait, Apoſtolum locum illum *myſtica diſputatione eventilare.* in Epiſt. ad Rom. Quibus verbis non allegoricum ſenſum intelligit, ſed eum qui per conſequentiam eſt eruendus, nec ita primo aſpectu patet. Colligitur autem ex ſignis, non ſolum rerum corporalium, ſed maximè ſpiritualium. Unde colligit dilectionem ipſius Jacobi, ratione gratiæ & gloriæ; quia Deus in familia ejus conſervavit fœdus ſuum, & ea omnia quæ vocationem ſpectant ad ſalutem: Contrà, Eſau hæc omnia neglexit & poſthabuit; unde colligitur re ipſa fuiſſe indignum; id autem omne refertur ad electionem Dei vel ad rejectionem; ex cujus fonte proceſſit, quod Jacobus iis omnibus fuit inſtructus quæ ad benedictionem quærendam & obtinendam fuerunt neceſſaria: Eſau autem ſibi & naturæ ſuæ relictus, profanum animum detexit.

Juxta hanc interpretationem, proponerentur in hac Pauli diſputatione Jacob & Eſau, tanquam exempla electionis & reprobationis, ipſeque Eſau pro reprobo haberetur, non ſolum ratione prærogativarum temporalium, ſed etiam æternæ ſalutis. Quam fuiſſe Auguſtini ſententiam certiſſimum eſt, tum alibi, tum in Enchirid. ad Laurentium, cap. 98. *Ambo itaque*, inquit, *gemini, naturâ, filii iræ naſcebantur, nullis quidem operibus propriis, ſed originaliter ex Adamo vinculo damnationis obſtricti. Sed qui dixit, Miſerebor cujus miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero, Iacob dilexit per miſericordiam gratuitam, Eſau odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum, quod in eadem cauſa idem*

idem ſupplicium non incurrat, ſed de divinæ gratiæ largitate, quia non volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ex quibus conſtat, Auguſtinum in ea fuiſſe ſententia, quod Paulus de electione & reprobatione ratione ſalutis in his duobus individuis loquutus ſit: Imò quod odium Dei erga Eſauum, non intellexerit *negativè* tantùm, ſed *affirmativè*, ex juſto Dei judicio, quia etſi nihil mali feciſſet quo diſcerneretur à Jacobo, in utroque tamen erat damnationis meritum. Quam ſententiam, in eundem locum expreſſit Calvinus, his verbis: *Nobis*, inquit, *tenere ſufficiat, quod ex Pauli interpretatione colligimus, quum eodem interitu dignum ſit humanum genus, & eodem reatu conſtrictum, alios gratuita miſericordia liberari, alios juſtè relinqui ſuo exitio.* Antea notaverat, Paulum à communi adoptione, ad particularem deſcendere, ut ſciamus non omnes qui occupant locum in Eccleſia, pro veris Eccleſiæ membris reputari, neque abſurdum eſſe, quod ad ſpecialem electionem Moſis verba accommodavit, quibus prædictum eſt, Eccleſiam fore ex ſemine Jacob. Atque hujus rei ſpecimen in ipſis capitibus fuiſſe exhibitum; quia Jacob non tantum externa vocatione à Domino vocatus eſt, ſed præterito fratre, hæres vitæ electus.

Et res ipſa videtur ſententiam illam confirmare. De Jacobo enim non dubitatur quin fuerit electus ad vitam æternam, & habuerit adoptionem non ſolum communem, ratione fœderis externi; ſed ſpecialem illam quæ ſpectat efficacem adoptionis gratiam. De Eſau autem aliter ſcriptura loquitur, in qua deſcribitur tanquam profanus, & proponitur velut exemplum eorum, quorum fideles fugere debent mores & converſationem, Ebr. 12. ℣. 16. *Ne quis ſit ſcortator, aut βέβηλος profanus, velut Eſau, qui unico edulio vendidit jus ſuum primogeniti.* Quæ verba oſtendunt, qualis in judicio divino fuerit Eſau, in propria ſua perſona. Deinde quæ dicuntur de utroque antequam nati eſſent, non poſſunt de duobus populis intelligi, niſi id prius in capitibus populorum locum habuiſſet: Quod Hieron. vidit, dum in cap. 1. Malach. ſic ſcripſit. *Non ſolum*, ait, *dilexi Iacob ante quam naſceretur, ſed & odio habui Eſau priuſquam ex matris utero funderetur, ſed in poſteros eorum, amorem meum & odium conſervavi.* Verba enim Malachiæ immediatè de duobus fratribus intelliguntur. Quæ poſteà adduntur, erant teſtimonia amoris vel odii perdurantis, in utriusque poſteris. Nec eſt quod quis dicat, profanitatem Eſau, vel odium Dei circa eum, fuiſſe tantum actiones tranſeuntes, ex quibus non judicandum, vel de odii perpetuitate, vel etiam de hominis profanitate. Neminem enim unquam ἁπλῶς dicitur Deus odiſſe, cujus odium mutaverit in benevolentiam. Nec propter unicam actionem aliquem ἁπλῶς profanum vocat, niſi actio illa à jam contracto habitu procedat. Denominatio enim fit à qualitate permanente. Cum itaque Deus dicatur Eſauum odiſſe, & ſcriptura vocet eum *profanum*, nihil obtendi poſſe videtur, quo minus inter reprobos relegetur. Notant Ebræi, jus primogenituræ complexum fuiſſe, non tantùm primatum & duplicem portionem, quæ civilia videri poterant, ſed & jus Sacerdotii, eoque debuiſſe ſacroſanctum eſſe filiis jus illud; unde ſumptum videtur, quod Apoſtolus Eſauum *profanum* appellaverit, qui rem ſacram nihili fecerit.

Nec eſt quod quis objiciat, etiamſi id verum eſſet in duobus illis fratribus, quod unus ad vitam eſſet electus ſine meritorum conſideratione, alius etiam ſine demeritorum intuitu rejectus, ab uno exemplo argumentationem non eſſe bonam, quia ex uno particulari, non poteſt colligi aliquod univerſale. Sunt enim quædam paradeigmata quæ eam vim habent, ut ex iis, de cæteris ſimilibus judicandum ſit, maximè ubi de actionibus divinis agitur quarum eadem eſt ratio, quia habent talia, rationem & vim univerſalem, ut quod de modo quo juſtificatus fuit Abraham dicitur Rom. 4. ℣. 22. Præterea, noluit Paulus ex hoc exemplo tam argumentari, quam una inſtantia propoſita refellere objectionem quam anticipat; & oſtendere non abſurdum eſſe, ſi Deus æqualibus inæqualia conferat; imò ſi aliquando iis qui judicio humano præferri debuiſſent, præferat alios qui minoris viderentur dignitatis, atque adeo gratuitam electionem, aut rejectionem ex mera voluntate divina non eſſe iniquam; neque etiam novum eſſe quod tum Apoſtolus videbat fieri, à verorum Iſraëlitarum numero excludi, qui ſecundum carnem erant Iſraëlis filii.

Ratio autem Pauli procedere poteſt, etſi quæſtio de ſalute Jacobi, aut de ipſius Eſaui rejectione à gratia & gloria omittatur. Proinde etiamſi valeret exceptio eorum, qui negant Paulum propoſuiſſe duos illos homines tanquam exempla, ſed ſolum tanquam typos, nihil inde nobis decederet. Sunt enim multi, qui veram de prædeſtinatione ſententiam amplectuntur, nec tamen exiſtimant hic diſputandum eſſe de ſalute duorum illorum fratrum, quia procedit ſatis applicatio Apoſtoli, ſi in iis vel eorum poſteris, habeatur tantum ratio prærogativæ bonorum temporalium, aut externi fœderis in duobus populis; dummodo concedatur, quod fit etiam à nonnullis adverſariis, imò pleriſque, diverſas illas conditiones, à mera voluntate Dei ortas, eſſe typos rerum ſpiritualium, circa electionem ad ſalutem vel reprobationem. Itaque cum Eraſmus in diatriba ſua de libero arbitrio, confugiſſet ad hanc exceptionem, oraculum *major ſerviet minori*, non pertinere ad ſalutem hominis, verum ad rem temporariam; poſſe autem Deum pro ſua libera voluntate decernere, ut homo ſervus ſit & pauper, velit nolit, nec tamen rejiciatur ab æterna ſalute; illud vero Malachiæ, quod Paulus attexit, *Iacob dilexi, Eſau odio habui*, eadem induſtria torqueret, Prophetam non videri loqui de odio, quo quis damnetur in æternum, ſed de temporaria duntaxat afflictione poſterorum Eſau, quod regio ipſorum

eſſet vaſtata, &c. Reſpondit Lutherus, lib. de ſervo arbitrio, ut maximè hic locus Geneſ. 25. de ſervitute temporali intelligeretur ſolâ (quod non eſt verum) tamen à Paulo rectè & efficaciter adduci, dum per ipſum probat, non per merita Jacob & Eſau, ſed per vocantem dictum eſſe ad Saram, *Major ſerviet minori.* Paulus diſputat, an illi virtute aut meritis liberi arbitrii pervenerint ad id, quod de eis dicitur, probatque quod non; ſed ſolâ vocantis gratiâ eò pervenerit quò non pervenit Eſau. Probat autem id invictis Scripturæ verbis. Poſteà oſtendit Lutherus Diatribem, omnibus iſtis diſſimulatis, nihil diſputare de meritis, ſed de temporali ſervitute cavillari, quaſi hoc ad rem pertineret. *Non hoc* (inquit) *quæritur, an ſervitus illa pertineret ad ſalutem, ſed quo merito illa imponitur ei, qui non meruerat.* Quid (inquit) liberum arbitrium juvit Jacob, quid obfuit Eſau? cùm jam præſcientiâ & deſtinatione Dei, uterque nondum natus, nihilque operatus, definitus eſſet, qualia eſſet recepturus, ſcilicet, ut ille ſerviret, hic dominaretur. Idem reſpondet de Malachia. *De afflictione* (inquit) *temporali loquitur, quid inde? aut quid hoc ad rem? Paulus ex Malachia probat, illam afflictionem ſine merito, ſoloque odio Dei illatam Eſau, ut liberum arbitrium nihil eſſe concludat.* Addit nihilominus, falſum eſſe quod Malachias tantùm de temporaria afflictione loquatur.

Sit itaque typus ab Apoſtolo allatus, & res quæ in typum adducitur; ſit, inquam, temporalis, imò detur Eſauum non fuiſſe reprobatum, ea reprobatione de qua differit Apoſtolus, ſemper hoc firmum manet, quod orthodoxa de electione, &c. doctrina ponit ex Apoſtolo, eandem eſſe rationem in veritate, quæ fuit in typis: ſi ergo in typis electio ad temporale bonum, fuit gratuita, & facta ſine ullo reſpectu actionum duorum fratrum, ſive præteritarum, ſive futurarum; ſic etiam in electione ad gratiam & gloriam ſe rem habere, quæ facta eſt ſine conſideratione diverſarum qualitatum boni vel mali, in iis qui ab æterno ſunt electi, vel rejecti. Hic fuit Apoſtoli ſcopus, ad quem rectè collimavit, ſive exemplum propoſuerit, ſive typum propriè dictum. Quod & Bellarminus agnovit, de grat. & lib. arbit. lib. 2. cap. 10. ubi ad objectionem, quod loca Geneſ. 25. & Malach. 1. non intelligi debeant de perſonis ſingularibus, ſed de duobus populis, nec quod dicitur de odio & dilectione, de electione & reprobatione æterna, ſed de bonis & malis temporalibus hujus vitæ: Reſpondet, non diſputari de teſtimonio Geneſeos aut Malachiæ, ſed ſolùm de teſtimonio Apoſtoli ad Roman. 9. Apoſtolum autem apertiſſimè loqui de adoptione filiorum Dei, & de myſteriis regni cœlorum, & per Eſau intelligere reprobos, per Jacob electos; per terram promiſſionis vitam æternam cum Deo; per ſolitudines draconum mortem æternam cum diabolo: & quamvis ex myſtico ſenſu non ſoleat fieri ſolidum argumentum, ad probanda dogmata fidei: tamen cùm myſticus ſenſus in ipſa Scriptura exponitur, ſolidiſſimum argumentum confici, quia myſtica expoſitio veteris Teſt. tum fit literalis novi Teſtamenti.

Nec id fortaſſè in dubium revocabunt, qui alioqui negant Apoſtolum agere de ſingulorum vel electione & reprobatione; dicent enim ſe typum non negare, & myſticam Pauli accommodationem veram eſſe, ſed huc non referri, quò à noſtris refertur. Itaque variis modis conantur huic luci tenebras offundere. Inter Jeſuitas, Gab. Vaſquéz, in 1. part. diſp. 95. cap. 8. poſtquam præmiſit citationem oraculi iſtius ex Geneſ. 25. & Malach. 1. à Paulo ſenſu hiſtorico & literali fuiſſe allatam, & intelligendam eſſe de hæreditate & primogenitura temporali: agnoſcit nihilominus, Paulum agere de ſpirituali electione, ſed non Iſaaci & Jacobi, verùm populi Gentilis; & de ſpirituali reprobatione, non Iſmaëlis & Eſau, ſed populi Judaici, donec intret plenitudo gentium; minorem nempè populum, ſcilicet gentium, hæredem fuiſſe promiſſionis ſpiritualis Iſraël, & populum Iſraëliticum qui ſecundùm temporalem generationem ex eo natus eſt, non fuiſſe participem promiſſionis; atque ita totam de reprobatione difficultatem ſolutam manere.

Viderat Bellarminus hanc nonnullorum ex ſuis eluſionem, Paulum non agere de electione & reprobatione ſingulorum hominum, ſed gentilitatis & Chriſtianiſmi. Cui reſpondet, Non ita eſſe, imò Apoſtolum loqui de electione & reprobatione ſingulorum, tum ex gentilitate, tum ex Judaiſmo; ſed quia Judæi exiſtimabant ſe ſolos ad Deum pertinere, gentiles autem omninò eſſe excluſos, ideò ſæpè Paulum concionari de vocatione gentium & induratione Judæorum, &c. Sed oſtendit perſpicuum eſſe Apoſtolum loqui de electione & reprobatione ſingulorum; in particulari, ex ſimilitudine figuli, maſſæ, & vaſorum in contumeliam. Quia non poſſunt vaſa in honorem dici ſoli gentiles, cùm ex Ebræis multi ſalvi ſint; neque ſoli Ebræi, cùm multi ex gentibus ſalventur, &c. Item quia affertur ſingulare exemplum Pharaonis. Denique quod B. Paulus ſe in numero electorum ponit; unde ſequitur, per electos non intelligere ſolos gentiles.

Ergo, etiamſi daretur, nomine Jacobi & Eſaui utriuſque poſteritatem tantùm eſſe intelligendam, eo tamen poſito, non ſequeretur, Apoſtolum non agere de præciſa electione vel reprobatione ad vitam, vel mortem æternam. Quia id vult Apoſtolus, Deum populum ſuum quem præcognovit non abjicere, ſed ſervare ſecundùm electionem gratuitam, etſi maxima pars Judæorum perfidiâ ſuâ indicet ſe eſſe rejectam. Duplicem enim Iſraëlis electionem ubique inculcat; unam quidem generalem & externam, qua totus Iſraël carnalis ab aliis populis ſegregatus, in peculium Dei conſecratus erat, de qua electione agitur, Deut. 7. ꝟ. 6. *Te ſelegit Iehova Deus tuus, ut ſis ei in populum peculiarem, præ omnibus populis qui ſunt ſub univerſo cœlo.*

cœlo. Alteram autem ſpecialem & arcanam, qua Deus ex numero filiorum Iſraëlis, ſibi deligebat & reſervabat ad ſalutem, ex mera gratia, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, quos ipſi viſum erat. Quod etiam facit ex univerſo hominum genere.

Quæ quidem plana ſunt ex ſerie diſputationis Paulinæ, & propoſitâ ab initio capitis diſtinctione, filiorum carnis & promiſſionis. *Non omnes qui ſunt ex patre Iſraël, ſunt Iſraël; neque quia ſemen ſunt Abrahæ, ideò omnes ſunt filii, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt, non qui filii carnis, ii filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, ſunt in ſemine.* Ubi *filios carnis* appellat eos qui per carnis generationem ab Abrahamo deſcẽdunt, quorum erat prærogativa fœderis externi in communi cum toto populo, qualis eſt jam eorum qui à Chriſtianis parentibus propagantur. Filios autem promiſſionis vocat, qui donabantur Abrahamo per promiſſionem, & quorum cordibus fidem Deus per gratiam ſuam ingenerabat, in quibus vigebat longè eminentior gratia & dignitas. Tales ex gentibus & Judæis aſſumuntur; ſed Judæorum occaſione, in hunc delapſus eſt ſermonem Apoſtolus.

Quod ſi quis dicat, ſpiritualem iſtam & ſalutarem electionem non poſſe probari per teſtimonia aut exempla generalis electionis Iſraëlis, & generalis Iſmaëlitarum rejectionis, aut etiam Idumæorum, aliarumque gentium. Reſpondeo ſufficere ad ſcopum Apoſtoli, qui aliundè hoc probat, ſi id ſimilitudine illuſtret, & oſtendat, cum gratuita promiſſione Iſaac ſit prælatus Iſmaëli, & Jacobus Eſauo, ut ab ipſis flueret electa Abrahami progenies, & Eccleſia Dei in terris; Iſmaël autem & Eſau ſuas quoque gentes haberent, ſed ab Eccleſia extraneas, mirum videri non debere, ſi Deus ex ipſo Iſraële, ſuo arbitrio ſibi deligat ex maſſa corrupta ſervandos quos viſum eſt, reliquis ſibi relictis. Ad id exiſtimarunt non pauci viri docti, & in bonis partibus, impertinens eſſe laborare de reprobatione Eſau, ſecundùm rationem illam ſingularem, quia ſatis alioqui procedit ſimilitudo; Quemadmodum Deus ex ſola ſua voluntate, ſine reſpectu operum Jacobi & Eſau, cùm adhuc in utero matris eſſent, unum in ſua poſteritate addixit ſervituti & prærogativis fœderis privavit, alterum in ſua poſteritate benedictionibus ſuis cumulavit; ſic ex mera ſua gratia, ſine ullis extantibus meritis, vel præviſis, inter ipſos Iſraëlitas & alios homines, quos voluit, ſecundùm æternum ſuum propoſitum efficaciter vocavit ad gratiam & gloriam, reliquis relictis. Auguſtinus tamen (ut ſupra oſtendimus) Eſauum à ſalutis gratia rejectum fuiſſe aſſeruit, ad quam Jacobus electus fuit. Sic enim ille ad Simplicianum, lib. 1. *Miſericordiam per quam bonus factus eſt Iacob, defuiſſe Eſau, ut etiam ipſe per illam eſſet bonus.* Et paulò poſt, *Miſericordia hæc ſubtracta eſt ab Eſau, ut non ſic vocaretur, ut vocato inſpiraretur fides, & credens benè operaretur.* Tamen, ut jam dictum eſt, ſi hæc typicè intelligenda eſſe quis concedat, ex convenientia typorum cum rebus quarum ſunt typi, ſemper procedet Pauli ratio. Nam cùm Apoſtolus apertè doceat Eſauo & Jacobo paribus, par beneficium non fuiſſe indultum, mirandum non eſſe docet, ſi ex Judæis juſtitiariis uni, ut Paulo, plus detur quàm cæteris; & ſi peccatoribus ex gentibus plus concedatur, quàm Judæis anhelantibus ſub jugo legis: quia quemadmodum imparitas quæ erat inter duos fratres non impedivit, quominus Deus minorem majori prætulerit; ſic eadem imparitas quæ inter gentes & Judæos erat, non impedivit, quominus aſſumptis multis peccatoribus ex gentium numero, multos ex Judæis qui juſtitiam in ſuis operibus quærebant, rejecerit; nec eos à propoſito illo in ſe ipſis juſtitiam quærendi, per efficacem vocationem dimoverit. Hic eſt ſcopus Apoſtoli genuinus.

Becanus in Theologia ſua Scholaſtica, part. 1. cap. 15. quæſt. 3. dicit, Apoſtolum in illo & ſequentibus capitibus, ex profeſſo diſputare, Judæos repelli à gratia Evangelica propter incredulitatem, gentes admitti ex Dei miſericordia: & quia poterant dicere Judæi, non ſe ſolos, ſed etiam Judæos eſſe incredulos, ac proinde non ſe magis, quàm illos excludi oportere, reſpondere Paulum; Deum in pari duorum cauſa, poſſe uni plus largiri, quàm alteri. Par erat cauſa Jacobi & Eſau, & tamen Deus unum alteri prætulit in temporali benedictione. Quare? quia ſic illi viſum eſt. Par erat cauſa Pharaonis & Nabuchodonoſoris, & tamen alterius miſertus eſt Deus, alterum reliquit obduratum. Quæ cauſa? Dei voluntas. Ex duobus peccatoribus qui luto viliores ſunt, alterum aſſumit ad gratiam, ex miſericordia; alterum relinquit in peccato, ex juſtitia. Hæc ille. In quibus, aut falſum dicit, aut ſe ipſum implicat. Falſum eſt, Apoſtolum hoc agere in capitibus illis, quod ille ait; nempè diſputare, Judæos repelli à gratia Evangelica propter incredulitatem, Gentes admitti ex miſericordia. Hoc enim eſt quod probat, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus, admitti ad gratiam Evangelicam per vocationem ex propoſito, quicunque admittuntur; excludi autem ab eadem gratia, & per conſequens à gloria, reliquos omnes qui non vocantur ſecundùm propoſitum. Incredulitas autem non poteſt eſſe cauſa rejectionis illius, cùm nulla ſit incredulitas, antequam quis vocetur ad fidem, niſi negativa, quæ omnium eſt, quæque ſi rejectionis à gratia eſſet cauſa, omnes rejicerentur. Becanus enim loquitur, ac ſi diceret incredulitatem eſſe cauſam, cur aliquibus Deus fidem donare per efficacem vocationem non vult; cùm hujus denegationis, incredulitas ſit infallibile conſequens, etſi cauſa ſit in hominum pervicacia, quam cùm Deus non vult vincere, non poteſt illa non producere ſuos effectus.

Quod autem diximus Jeſuitam ſe implicare, id maniſeſtiſſimum eſt. Statuit enim immediatè, Deum in

pari cauſa, uni plus largiri poſſe, quàm alteri; parem fuiſſe cauſam Jacobi & Eſau, parem Pharaonis & Nabuchodonoſoris, & tamen alterius miſertum eſſe Deum, alterum reliquiſſe induratum. At hoc eſt quod volumus, & ſi ita eſt, prævifio fidei in illo qui aſſumitur ad gratiam, non poteſt eſſe cauſa, cur Deus eum eligat, neque prævifio bonorum operum. Alioqui falſum eſſet, Deum ex duobus peccatoribus in æquali ſtatu conſtitutis, *unum aſſumere ad gratiam ex miſericordia, alterum relinquere in peccato, ex juſtitia.* Tandem etiam fatetur Becanus, *ſe de hoc non contendere cum Calviniſtis.* Hoc ſi ita eſt, quomodo ſtabit præſcientia boni uſus liberi arbitrii in electione ſalvandorum? Addit autem, *Si ſeorſim quæramus, cur Deus hunc aut illum repellat à juſtitia, vel gloria, veram cauſam eſſe, quia peccator & impius eſt.* In quibus verbis hoc abſurdiſſimum eſt, quod dicit, *Deum aliquem repellere à juſtitia.* Quis enim unquam ſic loquutus eſt? Deinde repellere aliquem à juſtitia, quia impius eſt, eſt inſana loquendi ratio. Impius enim, qua talis, juſtitiam abjecit, nec ab ea repellitur à Deo, ſed ipſe juſtitiam à ſe ablegat. Sed quæſtio eſt, cur impium illum Deus non convertat? An quia impius? Ergò impium nullum convertet. Quod ſi faciat, agnoſcendum eſt impietatem mereri obdurationem & mortem, quam impio juſtè Deus infligit, nec aliter loquitur Calviniſta, quem vocat; ſed dicit quod verum eſt, quod Deus impietatem illam in tali viro non frangat, cauſam eſſe ſolam Dei voluntatem.

Non ventilo quod de Nabuchodonoſoro dicit, etſi nullum poſſit proferre ſolidum ſuæ opinationis argumentum; ſed quod duas electiones facit; unam ad gratiam Evangelicam, alteram ad juſtitiam & gloriam, quaſi diverſas haberent cauſas, neque pariter penderent à voluntate Dei, non ſolùm noſtri meritò rejiciunt, tanquam abſurdum, ſed etiam ipſe Bellarminus, lib. 2. de gratia & lib. arbitrio cap. 15. ubi dicit, repugnare rationi illam opinionem, quia media, ut media, non poſſunt appeti, niſi propter finem; unde infert, Deum non potuiſſe velle dare certis hominibus media neceſſaria ad ſalutem, niſi prius dare vellet ipſis hominibus illam ſalutem. Eadem eſt ratio rejectionis à gratia & à ſalute. Nemo enim poteſt à gratia repelli, qui non repellatur à gloria. Si igitur Deus ex mera voluntate peccatori denegat gratiam quâ converteretur, eadem ratione ei denegat gloriam.

Hoc cùm viderent alii Jeſuitæ, inter quos Leonardus Leſſius, lib. de prædeſt. & reprob. Angel. ſect. 3. negat ſcopum Apoſtoli eſſe, oſtendere Deum in vocatione ad fidem, aut electione ad gratiam juſtificationis, non habere ullam rationem bonorum operum, aut malorum, etiam internorum, ſed omnia facere ex nudo beneplacito, ante omnem operum prævifionem concepto; ſed affirmant ſcopum ejus eſſe, docere, Deum in conferenda ſalute, gratiâ juſtificationis, & donis Spiritus ſancti, non habere rationem operum externorum, præſertim legis, quæ Judæi tanti faciebant, ſed fidei tantùm & interni affectus in Deum & Chriſtum. Itaque fieri comparationem inter gentes fide præditas abſque operibus externis, & inter Judæos habentes opera legis, & illis nitentes. At huic etiam Jeſuitæ aqua hæret. Nam quomodo Deus in vocatione ad fidem, aut electione ad gratiam, poſſet habere rationem fidei & interni affectus in Deum & Chriſtum, tanquam cauſæ cur aliquem vocet, aut gratiâ donet: cùm neceſſariò vocatio ad fidem præcedere debeat ipſam fidem, internum in Chriſtum affectum, &c? Quis fando audivit, fidem debere præcedere vocationem ad fidem? vel quis poteſt habere internum in Chriſtum affectum, qui ad Chriſtum nondum eſt vocatus? Hoc ergo conceſſo, quod ponit Leſſius, agi de vocatione ad fidem, & electione ad gratiam juſtificationis, impoſſibile eſt, fidem prævifam, vel juſtitiam internam, quæ à gratia juſtificationis pendet, à Deo conſiderari tanquam cauſam diſcernentem eum quem vocat, & gratiâ donat, ab eo qui poſtponitur, in gratiæ illius diſtributione; cùm fides & gratia juſtificans ſint finis vocationis, & vocatio medium antecedens. Proinde non poſſunt poni in actu, tanquam cauſæ prævíæ, ſed in effectu ſequuturo ex intentione Dei, per vocationem. Falſum eſt etiam quod ille ſupponit, de ſolis Judæis habentibus opera legis intelligere Apoſtolum comparationem cum gentibus fidem habentibus; quia non comparantur ſolùm Judæi cum gentibus, ſed etiam Judæi cum Judæis, & gentes cum gentibus. Fuerunt enim inter Judæos filii promiſſionis & filii carnis; fuerunt etiam, & ſunt tales differentiæ inter gentes.

At ut evincat quod vult, & abſurdam ſuam ſententiam palliet, Apoſtolum introducit oſtendentem promiſſiones ſalutares pertinere non ad filios Abrahæ carnales, ſed ad filios ſpirituales, qui ſunt omnes credentes, ſive ex gentibus, ſive ex Judæis. Et hoc quidem verum eſt; ſed quæritur, quinam ſint filii illi ſpirituales? *Illi*, inquit, *qui Abrahami fidem imitantur:* & id quidem rectè. Sed non ideò ſunt filii, quia fidem Abrahami imitantur, quin potius fidem Abrahami imitantur, quia ſunt filii. Neque enim Iſaac referebat patrem, ut eſſet filius, ſed quia filius erat. Quæſtio igitur eſt, unde fit ut aliquis vocetur ad filiorum adoptionem, alius autem non vocetur? Agnoſcit ipſe, *filios promiſſionis* dici, qui non virtute naturali ex ipſo deſcendunt; ſed vi divinæ promiſſionis & gratiæ. Ergò non vi propria liberi hominum arbitrii. Quemadmodum enim Iſaac, deficiente in parentibus naturâ, vi divinæ promiſſionis Abrahamo datus eſt; ſic divinæ promiſſionis vi dantur illi, quotquot ei adjunguntur filii. Cur igitur aliquis ſit promiſſionis filius, alius non ſit, id totum pendet à voluntate promittentis, quia cur promiſſionis filius potiùs eſſet Jacob, quàm Eſau, ab eorum parte

nulla

nulla erat ratio, ſed totum pendebat à vocante. Alioqui credentes comparari cum non credentibus, nos etiam ponimus. Sed quæritur, cur inter Iſraëlitas tot ſint qui non credant, paucis eorum credentibus, aliis autem Chriſtum rejicientibus; cùm tamen anteà æquales fuerint, & ſimiliter ſub lege educati: vel etiam cur credant ex gentibus multi, Iſraëlitæ autem plures non credant? Nempè eandem rationem oſtendit eſſe Apoſtolus, quæ in duobus illis fratribus, de quibus, antequàm aliquid boni vel mali egiſſent, ſtatutum fuerat quid Deus vellet fieri, idque nulla ratione habita majoris dignitatis, vel minoris. Ita quod quidam Judæi credant, alii plures non credant; quod Gentiles etiam ad fidem vocentur, Judæi multi deficiant, id totum pendet à propoſito Dei ſecundùm electionem, id eſt, *non ex operibus, ſed ex vocante.*

Apoſtolus enim expreſſè cauſam diſcretionis inter Jacob & Eſau, & horum exemplo in genere, inter electos & reprobos, ad πρόθεσιν, propoſitum & beneplacitum Dei revocat, quo nimirum elegit & præteriit quos voluit, & quia ita voluit. Hæc eſt enim τοῦ Θεοῦ πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν. Ubi explicationis causà, ſubjunxit, *non ex operibus, ſed ex vocante*; unde apparet, tam electionem, quàm vocationem, quæ illius effectus eſt, eſſe ex gratia, non ex operibus. Ita eſt (inquit Leſſius) ſed per opera intelliguntur *opera externa legalia*, non opera interna *fidei & diſpoſitionis animi, quæ ex gratia ipſius proveniebat.* At Apoſtolus ſimpliciter quorumlibet operum removet intuitum, & vel æquales facit eos circa quos illud propoſitum verſatur, vel ſi aliqua ſit externa inæqualitas, oſtendit Deum prærogativæ illius rationem non habere, & totam inæqualitatem eſſe in eo qui eligitur, cùm minor ſit. At iſte vult eligi eum qui major eſt, non ut ex minore major fiat. Quod ſi reſpiciat fidem & internam animi diſpoſitionem, quid mirum erit, ſi qui talia habent, præferantur hypocritis, qui externis operibus gloriantur? Deinde Leſſius cogitur fidem illam & internam diſpoſitionem *gratiæ Dei* acceptam ferre, *quæ*, inquit, *ex gratia Dei proveniebat.* Unde igitur factum eſt, ut unus fidem illam habuerit & diſpoſitionem internam, alter non item, atque ita Deus habità ratione diſpoſitionis internæ & fidei, talem prætulerit, ei qui turgebat operum externorum merito: an habuerunt illi parem gratiam? Si ita ſit, cur in utriſque non fuit par diſpoſitio & fides? Si imparem gratiam habuerunt, unde imparitas ergò inter eos? Annon ſemper ad voluntatem Dei recurrendum, qui parem gratiam omnibus non confert?

Mitto hominis illius audaciam, qui verba Pauli, *ſed ex vocante*, poſtquam paraphraſticè expoſuit ſatis commodè, *ſed ex divina vocatione & favore*, divinam illam vocationem & favorem cum fide & diſpoſitione animi confundit. At vocatio eſt Dei, fides eſt hominis ex Dei vocatione, quomodo ergo in favore ſuo per vocationem communicando, fidei rationem habuit, qui vocat & favet, ut vocati fideles fiant? Certè eos qui ſic delirant, tranſverſos abripit væſania. Nam quod objicit, Paulum voluiſſe diſtinguere inter veros & falſos Iſraëlitas; Gentes autem in infidelitate conſtitutas, non potuiſſe allegoricè per verum Iſrael deſignari, ſed tantùm fideles; ergo ſolos fideles comparari cum Iſrael carnali operibus nitenti & glorianti: hoc nihil ad rem facit. Primò falſum eſt, ſolas gentes comparari cum Iſraelitis carnalibus; comparantur enim omnes ſpirituales Iſraelitæ cum Iſraelitis ſecundùm carnem. Secundò, Iſraelitæ illi ſecundum ſpiritum, conſiderantur in promiſſione divina, vel, ut ita dicam, in fieri, vel comparantur in facto eſſe & in executione. Poſtrema ratione, comparationem eſſe actu fidelium, cum iis qui actu ſunt infideles, non negamus. At ratione promiſſionis & deſtinationis divinæ, comparantur non actu fideles, cum infidelibus, ſed quos fide donare decrevit Deus, cum iis quibus eandem gratiam non largiri decrevit. Quæſtio enim eſt, unde factum ſit, ut non omnes Iſraelitæ credant, & Chriſtum agnoſcant pro ſalutis autore; an propterea exciderit verbum Dei? Reſpondet Apoſtolus non excidiſſe, quia Deus in promiſſione ſua de Iſraele ſalvando, non omnium qui ex Iſraele ſecundùm carnem naſcerentur, rationem habuit, ſed eorum tantùm quos ſecundùm propoſitum vocare voluit ad adoptionis gratiam: quemadmodum in promiſſione ſua de Iſaaci poſteritate benedicenda, rationem non habuit omnium filiorum Iſaaci ſecundùm carnem, ſed inter alioquin æquales, unum alteri præpoſuit, & unius poſteritatem alterius poſteritati. Hoc in æternum non convellent gratiæ inimici.

Non qui Jeſuitarum, & præſertim iſtius Leſſii & Molinæ, ararunt vitulâ Arminius & gregales, qui iiſdem effugiis abutentes, nihil aliud hoc loco crepant, præter id, quod Apoſtolus toto capite hoc intenderit oſtendere, Deum, rejectis iis qui ex operibus ſuis ſecundùm legem ſalutem quærunt, & juſtitiam in Chriſto abjiciunt, eos velle ſalvare, qui per fidem Chriſto adhærent, in quo propoſita nobis eſt juſtitia. Non agimus jam de eorum κυβείᾳ in fide definienda, vel in deſcriptione modi illius quo per Chriſtum juſtificamur: in quo ſub Chriſti nomine juſtitiam legalem palliatam introducunt, & hominum operibus eandem adſcribunt, quæ res alterius eſt diſcuſſionis: ſed quæritur hoc, an Apoſtolus, ſive exemplum, ſive hunc typum duorum illorum fratrum, dilectioniſque divinæ erga unum, rejectionis autem erga alterum, cum hac circumſtantia, quod unus à Deo alteri fuit prælatus, priuſquam aliquid feciſſent boni & mali; an, inquam, id adduxerit Apoſtolus, ut oſtenderet, non eſſe abſurdum, ſi Deus facto decreto de ſalvandis hominibus per fidem in Chriſtum, & incredulis omnibus rejiciendis, excludat Judæos, quia non credunt, eligat gentes, quia credunt. Hoc eſt quod negamus Apoſtolum tum ſpectaſſe. Quia *credere* & *non credere*, ſunt

 differentiæ

differentiæ oppoſitæ, quæ ita ad bonum & malum referuntur, ut non credere ſit malum, quod alia omnia includit, credere autem bonum ſit, quod omnem juſtitiam conjunctam habet. Proinde Jacob & Eſau, antequàm aliquid boni vel mali feciſſent, ita à Deo diſtincti, ut unus odio ſit habitus, ſive odium affirmativè accipiamus, ſivè comparativè, vel negativè, alter autem dilectus, non potuerunt eſſe vel exempla & typi eorum, qui vel rejiciuntur, quia ſunt increduli; vel acceptantur, quia ſunt fideles: nec de eo mota eſt ab Apoſtolo controverſia aut difficultas, quæ nulla erat inter eos qui Evangelium amplexi erant. Sed maxima inde oriebatur, quod cùm intellexiſſent ab Apoſtolo, unicam illam eſſe ſalutis viam, ut qui ſalvari vellet, in Chriſtum crederet, & juſtitiam ejus fide amplecteretur; hoc autem plurimi inter Judæos non facerent, ſed pars maxima ſub lege manens, Chriſtum rejiceret, non videbatur conſtans eſſe promiſſio divina de ſalute poſterorum Abrahami, cùm multi privarentur fructu promiſſionis divinæ, eo quod conditionem fœderi annexam rejicerent, & ſic exciderent ea ſalute quæ per Chriſtum parta eſt. Ad hoc non ſufficiebat reſpondere appoſitam eſſe fœderi conditionem, quam qui implebant, ſalutis participes erant, qui rejiciebant, à ſalute arcebantur; quod quidem ex ſuperiori doctrina, quam præcedentibus capitibus Paulus expoſuerat, ſatis evidenter apparebat. Sed inde naſcebatur difficultas, cur cùm Deus inderet novam mentem nonnullis eorum qui anteà increduli erant, & juſtitiam in lege quærebant, imò gentibus qui in impietate toti verſabantur; aliis Judæis non idem beneficium concederet, qui aut perinde impii non erant, aut in eodem ſtatu erant conſtituti. Hìc certè dignitas vel indignitas perſonarum non erat afferenda, quæ ad rem non feciſſet, ſed voluntatis divinæ propoſitum, in diſtributione gratiæ Evangelicæ. Nempè idem accidere quod in duobus fratribus, ex eodem patre, ex eadem matre, ex uno concubitu; de quibus etiam in utero exiſtentibus definitum erat apud Deum, & matri etiam ſignificatum, quid ſtatuiſſet Deus, ratione benedictionis Abrahamo promiſſæ; unum nempè ex gratuita dilectione præferre, alterum poſthabere. Hoc appellat Apoſtolus τ πρόθεσιν θεοῦ κατ' ἐκλογὴν, id eſt, *Dei propoſitum ſecundùm electionem*, ſive propoſitum electivum. Quod Apoſtolus expreſſè addit, factum fuiſſe *non ex operibus*, ſed *ex vocante*, nempè Deo, qui vocatione ſua diſcrimen facit inter eos, qui operum ſuorum ratione pares ſunt, quia vel nulla ſunt, vel etiam ſi eſſent, talia ſunt, quorum Deus rationem non habet in eligendo, ut etiam excludantur omnia præviſa opera futura, à cauſa vocationis illius ſecundùm electionem. Paulus enim omnia Jacobi opera tam præterita, quàm futura excludit, & totam electionis, aut dilectionis illius Jacobi cauſam ad ſolam refert divinam voluntatem. *Si enim* (inquit Auguſt. Enchirid. ad Laurentium cap. 98.) *futura opera vel bona hujus, vel mala illius, quæ utique præſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, ſed diceret, ex futuris operibus, eoque modo iſtam ſolveret quæſtionem, imò nullam quam ſolvi opus eſſet, faceret quæſtionem.*

Ne quis autem objiceret, Deum ergo uſum fuiſſe aliqua προσωποληψίᾳ, cùm paribus paria non indulſit, imò ſæpè minoribus majora, aut minus malis minora; occurrit duobus modis Apoſtolus verſ. 14.15. & 16. Primùm enim ex Scriptura oſtendit, liberum eſſe Dominum in diſpenſatione miſericordiæ ſuæ, vel ejuſdem negatione, utpote *qui miſeretur cujus vult.* Ex quo oſtendit, cùm vocatio efficax ſit opus miſericordiæ, nemini injuriam fieri, ſi non vocetur efficaciter. Ad indurationem verò quod ſpectat, ſive non emollitionem, oſtendit eandem Dei libertatem, prolato Pharaonis exemplo, cujus etſi Deus potuiſſet cor emollire, id tamen non fecit, quia noluit. Reſponſantium autem audaciam poſteà cohibet, oſtendendo, hominis non eſſe Deum in jus trahere, qui non minorem habet poteſtatem in homines, quàm figulus in vaſa ſua, &c. Hæc certè talia ſunt, quæ manifeſtiſſimè oſtendunt, altius Paulum conſcendiſſe, quàm ſit juſtificatio credentium, & incredulorum condemnatio. Nempè unde tandem diſcrimen illud, eorum qui credunt, & qui non credunt.

Nam quod adverſarii, ut eludant hunc Apoſtoli ſcopum, quem ipſe expreſſis verbis proponit, cùm dicit, *non ex operibus, ſed ex vocante*, ex quibus clarum eſt, eum agere de vocatione ad fidem, non de juſtificatione per fidem, volunt nomine *vocationis* intelligendam eſſe ipſam fidem, quæ ex vocatione conſequitur, ut effectus ex cauſa, quia ſæpè alibi opera opponuntur fidei, in ratione juſtificationis, id nihil aliud eſt, quàm Scripturam trahere invitam ad ſua commenta. Nec reddere poſſunt ullam rationem, cur Apoſtolus qui ubique in juſtificatione, operibus fidem, ſub fidei nomine oppoſuit; hoc loco ubi difficultas erat ſolvenda terminis perſpicuis, figuratâ locutione fidei nomen expreſſerit? Præterea, etſi figurata locutio locum habere poſſet, ſi vocationis nomen paſſivè uſurparetur, cùm vocationis nomine non utatur Apoſtolus, ſed *vocantis* voce perſonam deſignet ab actione ſignificatam, inſolentiſſimum eſt, nomine *vocantis Dei*, fidem hominis vocati intelligere. Nec valet quorundam ex adverſariis inſtantia, ut per Deum vocantem intelligatur vocatio, & per vocationem, vocationis admiſſio, ſic enim per gradus ad ſuum finem tendunt; ſi vocatio non intelligatur, quatenus admittitur, ſequi vocationem illam activam, aut Deum vocantem, habiturum vim, ſive quis pareat, ſive non pareat. Supponunt enim hoc falſiſſimum, vocationem quæ fit ſecundùm propoſitum, id eſt, efficacem, fruſtrari poſſe, quod planè contradictionem implicat. Sed cùm Remonſtrantes nullam vocationem agnoſcant, quæ fidem infallibiliter

ter producat, cum vocatio omnis apud eos ſit communis tam credentibus quam non credentibus, ex eorum hypotheſi ſequitur, vocationem pro fide accipi non poſſe, nedum pro fidei perſeverantia, cum multi vocentur, qui neque credunt, neque in fide perſeverant.

Et id etiam nos agnoſcimus de vocatione communi, quæ proponitur multis, qui non parent. Sed hoc loco non agi de communi vocatione ex eo liquet, quod vocatio communis non ſtatuit aliquod diſcrimen inter vocatos, at vocatio de qua loquitur Apoſtolus ſtatuit aliquod diſcrimen, ergo non eſt omnibus communis, quia Apoſtolus docet unum eſſe prælatum alteri, ex *vocante.* De hac vocatione antea cap. 8. meminerat Apoſt. dicens, *Quos vocavit eos juſtificavit.* Si enim ageretur de vocatione communi, cujus aſſenſus eſſet particularis, nullo modo verum eſſet, Deum quoſcumque vocavit juſtificaſſe. Dicendum potius fuiſſet, eos fuiſſe juſtificatos qui paruerunt vocanti Deo.

Deinde, manifeſtum eſt, his verbis Paulum exponere id quod dixerat de duobus fratribus, *cum nondum aliquid boni vel mali feciſſent.* Quibus verbis ita comparat Eſavum & Jacobum, quod quidē unus nempe Jacob bonis operibus addictus fuit & vitam inſtituit vocatione dignam ad quam vocatus erat; Alter autem nempe Eſau fuit profanus, & vitam ſanctam contempſit, nempe poſtquàm uterque adoleverat, ut poſteà probabitur in hiſtoria. Antequam autem tale quid uterque feciſſet, dictum fuit, *major ſerviet minori.* Quare? Ut nemo putaret hoc diſcrimen inter fratres ex eo proceſſiſſe, quod poſteà ab utroque factum eſt, cum jam poſitum eſſet iis nondum natis. Jam verò, ſi quis quærat, quid illud ſit, *ante quam aliquid boni vel mali feciſſent, dictum eſt,* &c. Id Apoſtolus perſpicuè explicat his verbis; *non ex operibus.* Per quæ *opera* intelliguntur, communiter opera eorum in quibus Deus diſcrimen facit, nempe tam bona quam mala. Ergo *ex operibus*, id eſt, ſive bonis ſive malis, ut ex præcedentibus conſtat. Unde ſequitur non tantum Eſau opera excludi his verbis, ſed etiam opera Jacobi. Cum autem Jacob, neque profanorum, neque eorum qui juſtitiam externam ex lege ſectabantur, vel exemplum, vel typus potuerit eſſe; ſequitur illud *non ex operibus*, quod de ejus operibus etiam dicitur, non poſſe reſtringi ad opera filiorum carnis. Quod autem ſequitur, *dictum eſt, major ſerviet minori*, explicatur poſteà ſecundo hoc membro, *ſed ex vocante*, nempe à quo id dictum eſt, & illud diſcrimen poſitum; nempe *qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint*, Rom. 4. ỷ. 17. Jam vero vocantem ſeu dictum vocantis, cum fide & obedientia vocati confundere, hoc eſt cœlum terræ miſcere; & Apoſtolum facere ridiculum. Sic enim procederet ejus ſenſus, id eſt ſine ſenſu; non ex operibus ſive Jacobi bonis, ſive Eſaui malis, dictum eſt *major ſerviet minori*, quia conſiderati fuerunt, velut nondum nati, & cum nihil tale uterque feciſſet; hoc eſt non ex operibus malis Eſaui, vel externis & hypocriticis juſtitiariorum, vel ex operibus bonis Jacobi in fide factis; hoc diſcrimen factum eſt, ſed ex operibus bonis Jacobi in fide factis; quæ per vocantem intelliguntur. Quid unquam abſurdius dici potuit? Et ſic tamen inſaniunt, imo & inſanientem Apoſtolum introducunt, qui illuſtrem hanc Apoſtoli diſſertationem eludere volunt, & alio divertere, ne veritati prædeſtinationis divinæ, quam ſuis calumniis impetunt, cogantur cedere. Sed hæc pro hujus loci ratione ſatis dicta ſunto, ut quilibet videat, Hiſtoriam duorum fratrum, & oraculi divini ſententiam huic ſacroſancto myſterio ab Apoſtolo prudentiſſimè fuiſſe applicatam.

EXERCITATIO CXV.

Eſaui & Iacobi nominum, etyma. Viſio portentoſa matris Dominici à Mario cum præſagio de Iacobo impiè collata. Verba tertiæ perſonæ quando apud Ebræos imperſonaliter accipiantur? Vir agri, *quid ſignificet? Quid* איש תם Iſch tam, *vir perfectus? An ratio dilectionis Iſaaci circa Eſavum digna fuerit tanto viro? De eo variæ ſententiæ. Exponitur quæ maximè videtur probabilis. Argumentum contra Genethliacos à diſſimili Eſau & Iacobi ingenio. Quod Auguſtin. magni facit. Idumæorum nominis origo. Mare* rubrum *ſic dictum ab* Edom. *Laudatur Nic. Fullerus. Iura primogenituræ. Quomodo Eſau potuerit vendere quæ non habebat dona gratiæ? Explicatur locus* I, *ad Tim.*I. *v.* 19. *Eſaui profanitatis argumenta. Profanus quis ſit? Adagium, Lenticulâ primogenituram ſuam vendere. Expenduntur Iacobi actiones, & quale de iis ſit ferendum judicium.*

A verſu xxv. cap. xxv. deſcribitur nativitas, conſtitutio, & conditio duorum filiorum qui Iſaaco nati ſunt, uſque ad xxvii. De quorum diſcrimine jam actum fuerat cum adhuc in utero eſſent. Nomen utrique ex occaſione inditum eſt. Primus egreſſus eſt rufus & villoſus, ideò vocatus eſt עשו *Eſau.* quod nomen à עשה *aſa* fecit, derivatur. Deſignare enim voluerunt hoc nomine, illum fuiſſe quaſi hominem jam factum & adultum, quia in ipſa nativitate piloſus erat per totum corpus, cum aliis per ætatem pili ſuccreſcere ſoleant, cum initio glabri eſſent. Inde etiam putavit Hieronymus dictam fuiſſe regio-

regionem quam incoluit *ſeir*, ab Eſauo, qui piloſus erat; eſt enim שער *ſear*, capillus. Itaque intelligenda eſſe per anticipationem dicta, quæ antea de *ſehir* apud Moſem reperiuntur. Quod etſi probabilitatis ſpeciem habeat, tamen in medio relinquo. De nomine *Iacob*, ſatis conſtat, à nomine עקב *ekeb*, calcaneus, unde verbum עקב *akab*, deductum eſſe, quia cum frater primus egrederetur, tenebat ille fratris calcaneum, quaſi obſtare voluiſſet, ne prior egrederetur ex utero. Idcirco vocatus fuit *ſupplantator*; quod etſi in malam partem accipiatur in moralibus, ſignificatione metaphorica, pro eo quod eſt *decipiens*, hic in propria ſignificatione accipi debet, pro *tenens plantam*, aut *retardans*. Hoc autem ominoſum fuiſſe eventus docuit. Oſtendebat enim quorſum tendebat colliſio illa jam in utero facta, nempe ad nativitatis principatum occupandum, illis quidem adhuc neſcientibus quid ageretur, ſed Deo ſic diſponente, & jam tum ſignum exhibente rei poſt futuræ. Solet aliquando Deus in nonnullorum nativitate, præſertim eorum qui clari futuri ſunt, oſtendere aliquo ſigno, quid ipſis, vel per ipſos aliis accidere debeat. Sed talia ut aliquando bona, ſic etiam aliquando mala præſagiunt. Non puduit Leonardum Marium, cum hoc præſagio de Jacobo, comparare ſomnium ſeu viſionem matris Dominici illius Hiſpani inſtitutoris ſectæ Dominicanorum; quo ſomniavit, ſe parituram *canem, qui totum mundum eſſet incenſurus*. Et id quidem portentum non fuit nihili. Nam etſi Pontificii illud in bonam partem accipiant, res ipſa oſtendit, canis figura fuiſſe deſignatum, hominem impurum, & qui canino latratu omnia completurus eſſet; fore item incendiarium, nam innocentes innumeros cujuſvis ſexus igni addixit, & ubique ſuis autor fuit, igne & gladio ſæviendi. Sed hoc obiter.

Notandum ubi de impoſitione nominis Eſau agitur, ubique verbum activum uſurpari ויקראו *vajjikreú* & vocaverunt, nempe vel alii, vel parentes, vel qui nomen impoſuerunt; Item verſ.26. de Jacob ויקרא *vajjikrá*, & vocavit, nempe *vocans*, &c. In primo Vulgata, ad ſenſum quod attinet, bene vertit per imperſonale, & *vocatum* eſt. In ſecundo retinuit activum *appellavit*.

Id ideò referimus quia Pontificii volunt alibi textum Ebræum eſſe corruptum, præſertim quia Eſaiæ cap. 9. Ebraicè legitur ויקרא שמו *vajjikra ſchemo*, & vocavit nomen ejus: ubi Vulgata habet, *& vocatum eſt nomen ejus*, &c. Quem locum non ſolum torquent Judæi, ſed etiam novi Sociniani, ut titulos illos, *admirabilis, conſiliarius, Deus fortis*, &c. Meſſiæ detrahant, quaſi ſolus titulus *principis pacis*, ipſi competeret, & ſenſus eſſet, *admirabilis, conſiliarius, Deus fortis*, &c. vocabit nomen ejus, principem pacis. Si autem paſſivè legeretur in Ebræo, quod fieri poteſt mutatis punctis, omnia illa dicentur de Chriſto, & erit argumentum firmiſſimum pro Deitate ejus. Agnoſcimus corruptionem Judæorum in interpretatione; at in textu nullam eſſe certum eſt, nec etiam omnibus Judæis placuit detorſio Sociniana, quam rejicit Aben-Ezra, *Sunt*, inquit, *qui dicant, hæc, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater ſeculi, ſunt nomina Dei, & nomen pueri, ſit princeps pacis; ſed mihi videtur potius, omnia iſta ſint nomina pueri.* Notum eſt iis qui Ebraicè ſciunt, imperſonaliter plerumque ſumi verba tertiæ perſonæ, nullo expreſſo rei agentis nomine, & emphaſim eſſe in ſingulari, *unuſquiſque vocabit*, vel *vocavit*, eum. Ejus rei, in eadem voce hic habemus duo exempla, ubi in ſecundo ipſa vulgata activum retinuit ſine expreſſione perſonæ vocantis. Tertium ſi quis velit, leget Judic. cap. 1. ויקרא את שם העיר חרמה *vajjikra eth ſchem äir Chormah*. Et vocavit nomen civitatis Chorma; pro eo quod diceretur, *& vocatum eſt*. Hanc regulam agnoſcit Fr. Ribera Jeſuita, in cap. 2. Mich. num. 17. *Futurum activum ſine ſuppoſito ſæpè paſſivam habere ſignificationem.* Itaque fruſtra adverſarii mutationem malæ fidei in Ebraicò textu objiciunt, ex eo quod interpretes Græci aut Latini, vel paſſivo verbo utuntur, vel imperſonali; cum enim intelligerent vim phraſis Ebrææ, bene ſunt interpretati, ſed non inde ſequitur eos aliter legiſſe in fonte, quam hoc tempore legimus.

Quemadmodum priores duo Adami filii Cain & Abel, diverſum vitæ genus ſequuti ſunt; ita duo iſti fratres poſtquàm adoleverunt, pro inclinationis & naturæ ſuæ ratione, vitæ inſtituto ſeparati fuerunt; verſ. 27. Eſau vir robuſtus, & natura ferox, venationi ſe exercuit, & factus eſt איש שדה *Iſch ſadeh*, id eſt, *vir agri*. Vulgata vertit *agricolam*; ſed phraſis agreſtem potius, & efferum ſignificat. Nam agricola dicitur עבד אדמה *obed adamah*, colens terram. Geneſ. 4. ℣. 2. Quod LXX dixerunt ἐργαζόμενος τὴν γῆν; qui hic verterunt איש שדה ἄγροικον agreſtem. Fruſtra igitur in agriculturæ laudem hic Pererius excurrit, quaſi venator iſte ſimul addictus fuerit agriculturæ, quod genus vitæ parum cum ejus moribus conveniebat. Venationem igitur elegit, tanquam liberius exercitium, & militare. Paulatim enim hoc vitæ genere, dum ſe adverſus beſtias exerceret, aſſuevit etiam militiæ. Hinc eſt quod poſteà cum quadringentis armatis fratri occurret. An autem hoc vitæ genus quod in venatione conſiſtit planè ſit improbandum, quia vix aliquis in ſcriptura legitur addictus venationi, qui inter laudatos viros reponatur; diximus anteà ad caput x, ubi de Nimrodo. Summa eſt, exercitium illud per ſe malum non eſſe vel culpabile, quod etiam in filio ſanctus vir Iſaacus non improbavit; ſed plerumque obnoxium eſſe vitio, quia vix ſe continent qui ſemel aſſueverunt ſanguini effundendo, quin aliquàndo in homines ipſos tyrannicè ſe gerant. Sed pro ratione circumſtantiarum, judicandum eſt de iis qui venationibus indulgent; nec res ipſa propterea ſcrupuloſè rejicienda.

De Jacobo dicitur quod fuerit איש תם *Iſch tam*, Pagninus *vir perfectus*. Trem. & Jun. *vir integer*. Vulgata

Vulgata *ſimplex*, quam ſequuta eſt Gallica verſio. Poteſt referri vel ad morum ſimplicitatem & integritatem, quem ſenſum ſequuti ſunt Græci, qui ἄπλαςον verterunt, id eſt, alienum ab omni fraude; vel alio ſenſu ut referatur ad antitheſin, cum frater eſſet agreſtis & efferus; contra Jacob ſimplex erat & manſuetus, quietis amans, & qui domi manebat, aut in tabernaculis habitabat. Quem verum eſſe ſenſum non dubito; nondum enim agebatur de comparatione virtutum inter duos fratres; ſed de vitæ genere, quod unus fuerit robuſtus venator, alter vero ſimplex paſtor. Nam quod aliqui ex Ebræis, tabernacula accipiunt pro ſcholis ſapientiæ quas frequentabat Jacob, nullo nititur fundamento.

Et hactenus quidem quales fuerint in ſe fratres iſti. Deinceps verſ. 28. docetur, quo loco quiſque eorum fuerit, apud parentes. Parentum quiſque habuit unum, quem præ altero dilexit, Iſaacus Eſauum, Rebeca Jacobum. Si nulla cauſa redderetur, cur pater adeò propenſus fuerit in majorem filium, hoc quiſque poſſet conjicere, naturale fuiſſe, ut qui robuſtior erat, animoque videbatur virili magis, qui præterea natura primogenitus erat, primas obtinuerit in affectu patris. Eſt enim hoc ferè uſitatum, ut tales maximè patribus in pretio ſint, à quibus etiam expectant familiæ ſuæ ſuſtentaculum. Illud præterea natura comparatum eſt, ut matres in minores filios magis ſint pronæ, præſertim ſi mores eorum ſint magis placidi & lenes, & domi diutius perdurent. Sed mirum eſt, quod his & ſimilibus rationibus præteritis, ſcriptura hanc attulerit cauſam, cur Iſaac magis diligeret Eſauum, כיציד בפיו *quia venatio in ore ejus*. Quod Chal. Paraphraſtes reddidit, *eo quod de venatione ejus comederet*. Vulgata eodem ſenſu, *quod de venationibus ejus veſceretur*. Id cum ſentirent quidam Judæi à gravitate tanti viri alienum, maluerunt affixum in בפיו *bepiv*, referre ad Eſauum, & venationem figuratè interpretari hoc ſenſu, diligebat eum Iſaacus, *quia venatio in ore ejus*, id eſt, quia gratiam patris blandis verbis venabatur. Sed quod anteà dictum eſt de ejus ſtudio & vitæ genere, non patitur ut venationem alio ſenſu accipiamus quam proprio; præſertim ſi ſpectemus ſequentem hiſtoriam, de cibis Iſaaco apparatis, ad quam quæ hic dicuntur referenda ſunt. Hoc enim præmiſit Moſes, ad intelligentiam ſubſequentium cap. 27. verſ. 3, & 4. ubi jubet Iſaacus Eſauum accipere inſtrumenta ſua venatoria, eique parare cibos ſapidos, ut comedat & ei benedicat. Ex quibus liquet, accipiendum eſſe propriè & ad Iſaacum referendum, quod venatio grata ipſi eſſet, & palato ejus ſaperet.

Merito igitur quæſitum eſt, an tanto viro dignum fuerit, ob tam vilem cauſam filium unum alteri in amore præferre? Alias enim in Eſau non fuiſſe alicujus momenti, præter externam prærogativam ſatis probabile eſt. Patriarcham autem altius penetrare debuiſſe, & ad examen rationis affectum ſuum revocare meritò exiſtimatur. Certè ſi oraculi ſenſum noverit, & crediderit deſtinatam fuiſſe Jacobo hæreditatem à Deo, non poteſt excuſari talis affectus, quin cæcus fuerit & inconſideratus. Id ſupponunt plerique interpretum, & Rebecam oraculi memorem Jacobum prætuliſſe, & ex fide eidem primogenituram procuraſſe. Quod dum faciunt, quidam exaggerant affectum Iſaaci, quaſi oblitus oraculi contempſiſſet in Jacobo Dei gratiam; Rebecam verò laudant, quod ad prælationem illam Dei autoritate fuerit inducta. Alii ſunt, qui non patiuntur, ſi quis aliquid in alterutrius facto requirat, & occlamant injuriam fieri Sanctis, ſi aliquod eorum factum non probetur. Certè fieri non poteſt, quandoquidem Iſaac & Rebeca non unum & eundem prætulerunt, ſed adverſis paſſibus ambularunt, ſi præſertim Rebeca ad oraculum reſpexerit, ut Iſaac planè abſolvatur, qui ignoraverit quod uxor noverat; vel qui cùm idem noſſet Dei ordinationem, non prætulerit affectui ſuo. Ego, quantum quidem ex locorum omnium circumſtantia judicare poſſum, non video, Iſaacum intellexiſſe adhuc ſenſum oraculi. Quia ſi notus ipſi fuiſſet, non ſolùm peccaſſet in affectu illo, ſed ob id maximè, quod tantoperè deſideravit benedictionem propheticam in Eſauum tanquam primogenitum & hæredem transferre. Quid enim hoc fuiſſet, niſi Deo obluctari? Quod certe de viro tam pio cogitare vix tolerabile eſt; quid igitur ſi quis id aſſerat? Ab omni infirmitate nollem eum liberare. Nam certè ſi in Jacobo elucebant plura pietatis & modeſtiæ indicia, quod mihi pro certo habetur, indignum fuit Eſauum præferri, eò quod ferinam pararet palato patris ſapidam; ſic enim quilibet coquus præferri poſſet filio morigero. Aliud eſſet, ſi id adderetur *cæteris paribus*; etſi parum digna eſſet cauſa, quæ imparitatem faceret.

Quid ergò? Hoc primò mihi videtur probabiliſſimum, Rebecam non celaſſe Iſaacum, quæ fuiſſent oraculi verba, eaque utrumque pariter intellexiſſe; nec enim putandum, ſanctam fœminam aliquid clam habuiſſe, quòd maritum ſcire noluerit in re tanti momenti. Sed exiſtimo eos non penetraſſe ad ſpecialem oraculi ſcopum. Itaque in eo ſubſtitiſſe, quod duo populi ex iis orirentur, inter quos diſſidia eſſent futura; ſed neutrum exiſtimaſſe tum, quæ de duobus populis dicebantur, ad duo illa individua ſpectare; itaque explicitè adhuc non intellexiſſe, quomodo applicandum eſſet dictum illud. Hoc malo, quàm majorem ipſis intelligentiam tribuendo, Iſaaci actiones, adeò diſcrepantes à voluntate illa divina, traducere; quod tamen aliter fieri non poſſet, ſi hoc ſemel ſtatueretur, eum tum oraculum explicitè intellexiſſe, & de voluntate divina fuiſſe informatum.

Itaque affectum utriuſque, partim ad naturæ inſtinctum refero, partim ad occultam quandam Dei diſpenſationem, qui occaſiones ita proponebat, ut ingene-

raretur in unoquoq; eorum affectus, ex iis cauſis quibus magis afficiebantur, pro ratione inclinationum ſuarum. Iſaacus exiſtimavit, præferendum eſſe primogenitum, judicavit eum rebus gerendis aptiorem, & animoſiorem; & cùm alioquin ejus delectaretur venatione, nec fortè in eo ſe indiligentem præberet Eſau, qui parentem ſenem his paſceret delitiis, putarem non tam fuiſſe captum dulcedine aut ſapore cibi, quàm judicium feciſſe ex hoc filii officio, ejus in parentem reverentiæ & amoris. Qua ratione poteſt excuſari hæc addita ratio, ſi fuit propoſita tanquam ſignum, ex quo Jacob indicium ſumpſit filium velle hoc modo ipſi *ἀντιπελαργεῖν*. Hoc humanum eſſe non nego, & infirmitate non carere, ſed tamen tolerabilius eſt, quàm quæ ab aliis excogitantur.

Etſi ergò Rebecæ ſanctæ mulieri multum exiſtimem tribuendum eſſe, non tamen putarem, eam ex judicio tali Jacobum præpoſuiſſe, quo intenta eſſet in Dei oraculum, ſed inſtinctu potius quodam naturæ fuiſſe impulſam, licet impulſa etiam arcanè à Domini ſpiritu, & in duobus illis conjugibus locum habuiſſe, quod ſæpè uſu venit, ut inter parentes in amore liberorum ſint diverſa ſtudia, ut unus hunc, alter alterum, quem ſuis moribus propinquiorem videt, impenſius amet, ex peculiari aliquo affectu aut cauſa; nam quod id aliquando in aliis ex æmulatione accidit, iſtis nolim tribuere. Sed hoc præcipuum cenſeo animadvertendum, Deum ita uſum fuiſſe utriuſque inclinatione, ut per eandem propoſitum ſuum ad finem direxerit, ſimulque oſtendere voluerit, totius negotii illius ſucceſſum à ſua electione pendere, quæ non ſolùm nullo aliundè adminiculo fuit ſublevata, ſed etiam ut oſtenderet, ſe ad omnia obſtacula ſuperanda pluſquam validam eſſe, paſſa eſt Eſauum fratri ſuo patris amore & judicio præferri, & Jacob quaſi pro rejectitio haberi. Ut etiam in eo exemplum haberemus gratuitæ omninò adoptionis, quæ neque ab hominis arbitrio pendet, nec mediis aut præparationibus tranſcribi poteſt.

Sed priuſquam ulterius pergamus, cùm adeò diſſimiles in ſe fuerint duo illi fratres, & in parentum affectibus tam diſpares; non inſcitè quicunque olim contra Genethliacorum audaciam diſputarunt, aut etiamnum diſputant, hoc exemplo ſunt uſi, ut oſtenderent vana eſſe quæ dicunt ſe ex aſtrorum inſpectione, tempore nativitatis eorum, prædicere & prævidere poſſe. Nam cùm in gemellis, præſertim talibus, ex uno concubitu conceptis, immediatè ex utero egreſſis, adeò ut unus alterius teneret calcaneum, ut ſic quaſi unus quidam eſſet & continuus amborum exitus, minimèque interruptus, quam adferre poſſunt cauſam diverſitatis, naturarum, ingeniorum, morum, valetudinis, uxorum, liberorum, fortunæ, &c? Certe non habent planetarii quod reſpondeant, quoties cauſam interrogantur conditionis adeò diverſæ, præſertim cùm intervallum temporis inter utriuſque exitum ex utero nullum interceſſit tantum, ut figuram reddat aliam. At certo certius eſt, tales gemellos nullo ſenſibili temporis ſpatio interpoſito natos, plerumque fortunam expertos fuiſſe valdè diſſimilem, moribus, ingenio, vitæ ratione plurimùm inter ſe diſcrepantes apparuiſſe. Quod ergo figura cœli una indicare diverſa non poteſt, de alterutro neceſſariò mentietur aſtrologus ex ea divinans. Si autem talis figura poteſtate ſimilis ſit ei qua concepti fuerunt, potuit quoque illa eadem exiſtens diverſa & contraria efficere atque indicare. Si autem nativitatis atque conceptionis figuræ contraria vel efficiunt, vel ſignificant, etiam aliæ hoc ſignificabunt. Neque enim ratio reddi poteſt, cur hæ ſint ambiguæ, aliæ non ſint. Poteſt namque una quævis alicui exiſtere, vel conceptionis, vel naſcendi momentum. Unde efficitur, ex qualibet figura licere Aſtrologo de eadem re interrogato, contraria & diverſa promittere, idem affirmare & negare eventurum eſſe. Quod quid aliud eſt, quàm indiſſimulanter tum ſe ipſum, tum alios decipere & ridere?

Meritò igitur Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei cap. 4. ubi de ea re agit, ridet illam Aſtrologorum exceptionem, parvum illud quod nobis videtur temporis ſpatium inter duorum gemellorum egreſſum, magnam habere diſtantiam, & notabilem facere in cœlo varietatem, ex qua exiſtat ea quæ in gemellorum vita & moribus plerumque cernitur. Id cùm explicaſſet Nigidius Figulus tali exemplo, rotam quam incitatiſſimè contortam cùm bis eodem loco ſignaret atramento, vel percutere ſumma celeritate conatus eſſet, ceſſante poſtmodum circumactione rotæ, haud parvam repertam eſſe inter duas illas partes rotæ ſignatas, vel percuſſas, diſtantiam. Hoc, inquit Auguſtinus, figmentum figuli, fragilius eſt quàm ipſa ſunt vaſa, quæ rotâ finguntur. Rationem addit, quia ſi tam brevi temporis momento mutantur omnia, & variatur conſtellationis ratio ſub qua quiſque naſcitur, nemo de nato infante poterit quicquam certi prædicere, cùm temporis illud punctum in quo natus eſt, ita ut eſt, nemo poſſit deprehendere. Itaque ſi daretur, magnam eſſe poteſtatem aſtrorum in homines, quid tamen ea efficerent, in ſingulorum hominum ortu nobis planè eſſet incompertum. Quia cùm incitatiſſimus ſit curſus aſtrorum, tarditatem noſtræ conſiderationis & obſervationis tranſvolat.

Accedit & iſtud, quod ſi propterea Jacob & Eſau non cenſentur nati ſub eadem conſtellatione, quod non ſimul nati ſunt, ſed unus poſt alterum, ſequetur ob eandem cauſam, nullum hominem ſub eadem conſtellatione naſci, quia non ſimul totus egreditur ex utero. Itaque tot erunt hominis fata, quot corporis membra; quia nulla major fuit diſtantia inter plantam Eſau & manum Jacobi, quàm inter ejuſdem Eſau genua & crura. Hoc ſi abſurdum ducunt, idem judicium faciant de

de univerſa illa divinandi arte ex aſtrorum conſpectu, quod quidem ſpectat mores & fortunam hominum.

Redeo ad Eſauum & Jacobum. Verſ. 29. exponitur occaſio, ex qua factum eſt, ut Eſau profanum ſuum ingenium declaraverit, jus primogenituræ, quod vitâ carius habere debuerat, ob vilem ſorbitiunculam, in alium transferendo; in fratrem nempè, qui oblata occaſione uſus, id à fratre ſtipulatus eſt, ut ſibi venderet, quod proſtare non debuerat tanquam venale. In hac actione videntur pleraque primo intuitu ludicra, & quæ, ſi per ſe conſiderentur, ad pueriles nugas referri poſſent. Ex eventû tamen rem fuiſſe magni momenti conſtat.

Coxit Iacob נזיד *nazid*, id eſt, coctum, vel coctionem; nomen illud ſignificat coctum omne, offam, jus, &c. *Et cùm rediret Eſau feſſus ex venatione, dixit fratri ſuo*, הלעיטני haliteni, *fac me comedere*. Verbum לעט *laat*, hoc tantùm loco in Scriptura reperitur in *hiphil*. Ubi Targum habet, אטעימני atimeni, *ciba me*. Vulgata ſimpliciter, *da mihi*; alii, *guſtandum da mihi*: ſunt qui inter Ebræos putent, idem ſignificare, quod *in os ingerere*, quaſi diceret, *ingere mihi in os rufum iſtum*. Sic autem appellat coctionem à colore, cùm fortaſſe nondum noſſet quod genus eſſet leguminis. Infrà autē ℣. 34. dicitur נזיד עדשים *nazid adaſchim*, coctio lenticularum. Lenticula autem eſt naturâ rufa, quæ præterea potuit condimentis rufis, ut croço aut ſimilibus, miſceri. Quod autem in petitione geminat verba illa, מן־האדם האדם min haadom haadom, *de rufo rufo illo*, videtur referri debere ad intenſionem coloris, quia coctio erat valdè rufa; geminationes enim apud Ebræos, vel quantitatem majorem, vel qualitatis intenſionem denotant. Putarem tamen, duplicationem illam fuiſſe animadverſam, & aliquid habuiſſe extraordinarium, quia ex eo factum eſt, ut vocatus proptereà fuerit *Edom*, unde nomen Idumæorum. Levis eſt cauſa, ſæpè tamen illud accidit, ut ex ſimili caſu ludicra nomina ſortiantur nonnulli, quæ poſteà manent, ſi præſertim cætera conveniant. Nam cùm Eſau naturâ eſſet rufus, & poſteà tantoperè cibum rufum appeteret, non mirum eſt, ſi inter domeſticos rufi nomine deſignatus eſt. Non putarem nomen hoc à parentibus ei fuiſſe impoſitum, ſed initio fortaſſè per ludibrium ab aliquo uſurpatum, poſteà, ut fit, pro vero nomine habitum. Idcircò rectè Vulgata activum verbum *vocavit*, quod hîc iterùm uſurpatur, per impersonale vertit.

Nicolaus Fullerus vir doctiſſimus, Miſcellaneorum ſacrorum lib. 4. cap. 20. in quo varias rationes aut cauſas inquirit, cur mare Erythræum, ſive rubrum, ita ſit dictum, unicam & veram fuiſſe cauſam argumentis non levibus probare conatur; quod mare illud allueret Idumæam, Erythræam à Græcis dictam, ab Erythro rege, cujus originationis meminit Plinius Natur. hiſt. lib. 6. cap. 23. Strabo etiam Geograph. lib. 16. Sed quis fuerit ille Erythrus, apud veteres illos planè obſcurum erat. Perſam fuiſſe voluit Strabo. Vult itaque vir doctiſſ. quem nominavi, Erythram, ſive Erythrum, planiſſimè eum fuiſſe, quem ſacræ literæ Eſauum nominant, cognomine autem Edomum. Eſt enim *Edom*, idem quod Græcè ἐρυθρὸς, Latinè *ruber*. Cui viro cùm quantum ad hoc ſeculum ſumma adfuiſſent omnia, robuſtus & bellicoſus animus, egregia generis claritas, eximia corporis forma, affinitas Nabajothi, Nabatæorum autoris, ductâ germanâ Iſmaëlis filii primogeniti ſorore, copiarum militarium pro tempore firmiſſima præſidia, illuſtris rerum geſtarum gloria, maxima opum affluentia, &c. haud immeritò infert, non mirandum, ſi Edomus, ſive Erythrus, regioni in ſuam poteſtatem redactæ nomen dedit, & ut illa terra Edom, ſive terra Erythri dicta eſt, ſic etiam mare quod eam alluebat *Erythræum* fuerit appellatum. Ego certè lubens agnoſco, me nihil legiſſe adhuc probabilius de nominis rubro mari inditi origine, de qua ſi quis plura volet, ipſum autorem adeat, qui ſuæ conjecturæ rationes affert non contemnendas.

Petitio Eſaui redeuntis ex venatione, fatigati & famelici, per ſe nihil habuit culpandum. Fieri poteſt, ut nimis avidè cibum appetierit, ſed quid ſi latrante ſtomacho, præſertim cùm cibum paratum videret? Vix eſt aliquis, qui in tali caſu, incidens in fratrem familiarem, non idem, ſi non iiſdem verbis poſtularet: neque certè, ſi regulas ordinarias non ſolùm charitatis, ſed vel humanitatis & civilitatis ſpectemus, careret reprehenſione, qui cum fratre in tali ſtatu conſtituto ita ageret, ut nollet prius ipſum cibare, quàm ab eo extorſiſſet aliquid maximi pretii. Id facit Jacob, his verbis, *Vende*, inquit, *mihi* כיום *kajom*, ſicut hodiè, *primogenituram tuam*. LXX ſimpliciter habent σήμερον. Vulgata, *hodiè*: ſunt tamen qui emphaſim ponunt in particula ſimilitudinis, ut ſenſus ſit, Vende mihi, tam clarè & perſpicuè, aut liquidè, quàm clarus eſt dies, id eſt, abſoluta venditione, & de qua nemo mihi deinceps litem movere poſſit. Mallem cum Vatablo, *juxta hunc diem*, id eſt, præſenti tempore, hoc ipſo die, ſine ulla dilatione. Videbat fratrem fame preſſum, cibi avidum, ideò hanc illi propoſuit conditionem, expectans quod accidit, ut omnia in eo ſtatu poſthaberet edulio. Petit autem, non rem minimi momenti, ſed jus primogenituræ, quod ubique & apud omnes gentes aliquibus privilegiis fuit ornatum, ſed in populo Dei maximè, ubi præter jura communia, & quæ hanc vitam ſpectant, etiam prærogativas ſpeciales includebat. Primogeniti Deo ſacri erant, Deus enim voluit, tam ante legem, quàm ſub lege, ſibi conſecrari res hominibus chariſſimas, qualia ſunt primogenita. Itaque hoc habebat primogenitura, quod res erat ſacroſancta, & typus quidam adoptionis. Habebat præterea primogenitus in familia proximam à patre autoritatem, & ſupra fratres geminam apprehendebat portio-

nem; quod in lege poſteà ſancitum fuit, Deut.21.℣.17. *Det ei duplicia ex omnibus quæ habuerit, ipſe enim eſt principium fortitudinis ejus*, &c. Eſt etiam recepta opinio, ante legem primogenitos fuiſſe ſucceſſores ſacerdotii in familiis. Sed in familia Iſaaci hoc præterea proprium habuit jus primogenituræ, quod ei promiſſa fuerit origo Meſſiæ ex ſemine ſuo. Quæ naturalia ſunt, neceſſariò ſequebantur partus ordinem, nec fieri ullo modo potuit, ut primò natus in alium transferret, quod cùm factum eſt ſemel, infectum fieri non poteſt. Et hac ratione non potuit vendere primogenituram ſuam Eſau, nec Jacob eam affectare, cùm ſit accidens quod in aliud ſubjectum tranſire non poteſt; ſed quæ vel ex ordinatione Dei, vel ex hominum ſtatutis, aut uſitata apud ipſos conſuetudine, annexa ſunt ordinario mòdo huic prioritati naſcendi, cùm ab ea ſeparari poſſint, etiam unus poteſt rejicere, & in alium transferre. Hoc ſenſu ſumitur hìc primogenitura, pro ea quæ debetur primogenitis prærogativa.

Sed objici poteſt, multa eſſe in eo jure quæ Eſau nunquam habuerit, quæ ex conſequenti vendere nòn poterat. Nam, ſive Sacerdotium ſpectemus, ſive jus illud ſeminis benedicti, notum eſt, ea nunquam fuiſſe in poteſtate Eſau, nec unquam fuiſſe potitum, non ſolùm reipſa actu, ſed ne quidem jure, quod nunquam ipſius fuit, niſi ὁμωνύμως. Ergo fruſtrà emiſſet Jacob, fruſtrà vendidiſſet Eſau, vendens quod ſuum non erat, & in ſolius Dei poteſtate conſtitutum fuit, irrita fuiſſet venditio, niſi Deus gratis in veritate dediſſet, quod profanus ille vendebat in imagine. Itaque in hoc contractu, detegit Deus utriuſque fratris animum, ſed non ideò putandum eſt, contractum in ſe fuiſſe validum aut legitimum. Hoc tantùm voluit hiſtoria, unum magni feciſſe jus primogenituræ, propterea quæ eidem annexa erant ex ordinaria conſtitutione; alterum verò ſuſque deque habuiſſe, & ad ea quæ præſentia erant, tantùm reſpexiſſe, terræ affixum & rebus hujus ſeculi. Itaque indignum planè fuiſſe qui tantis privilegiis gauderet. Hìc ergo notandum; ſi non ſequatur, Vendidit Eſau primogenituræ jus & privilegia; ergo eadem habuit; ſic etiam non ſequi, *quidam rejecerunt bonam conſcientiam, & fidei naufragium fecerunt*, 1. Tim. 1. ℣. 19. ergo bonâ conſcientiâ & fide fuerant donati; unde ſequeretur fidem & bonam conſcientiam amitti poſſe, nempè quo modo potuit vendi jus illud primogenituræ ſpirituale. Si probetur, Eſauum unquam tale jus reipſa habuiſſe, eâdem operâ probabitur, eos qui naufragium fidei fecerunt, vera fide fuiſſe donatos. Reſpondendum ergo, vendidiſſe Eſauum jura ſpiritualia, non reipſa, ſed in ſigno & externa profeſſione; ſic etiam alios rejeciſſe fidem & bonam conſcientiam, ratione ſignorum & profeſſionis; item ratione rei ipſius, ſed quantum in ipſis fuit, quia ita animati fuerunt, ut fidem & bonam conſcientiam pro nihilo duxerint, quemadmodum ita animatus fuit Eſau, ut jura primogenituræ, præſertim ſpiritualia, nihili duxerit. Itaque talia meritò habentur pro venditis, rejectis, amiſſis, quia non pluris ſiunt à talibus, quàm ſi reipſa ea alieni juris feciſſent.

Cùm ergo reſpondet Eſau, ℣. 32. *En vado ut moriar, & ut quid mihi primogenitura?* detegit animum ſuum profanum & terreſtribus tantùm addictum, nec enim ſollicitus eſt de futura vita, nec putat jura primogenituræ extendi ultra ſeculum iſtud. Itaque Thargum Jeroſolymitanum, interprete Paulo Fagio, *Abiit*, inquit, *& contempſit Eſau primogenituram, & flocci fecit partem futuri ſeculi, negavitque reſurrectionem mortuorum.* Exiſtimandum tamen potius ex levitate quadam animi & incuria ſic fuiſſe loquutum, quàm ex deliberatione & conſilio, neque advertiſſe quid faceret, ſed hoc tantùm ſpectaſſe, ut ventrem impleret. Huc enim ſpectant omnia quæ hìc commemorantur. Quod dicit, אנכי הלך למות anokhi holekh lamuth, *ego vado ad moriendum*, ita interpretantur quidam, quaſi tunc perterritus fuiſſet metu imminentis mortis propter famem quam patiebatur, niſi injectâ offâ quamprimum cibaretur. Ita etſi viſum fuerit doctiſſimo interpreti, non poſſum tamen ei aſſentiri. Nec enim veriſimile eſt, in tali familia qualis fuit Iſaaci, filium primogenitum, peregrè redeuntem, non potuiſſe cibum habere in domo patris, & in periculo mortis ob cibi inopiam conſtitutum fuiſſe, niſi emendicato à fratre juſculo corpus ſuſtentaſſet. Et certè talis opinio, ut aliquid de culpa Eſau imminueret, ſic Jacobi inhumanitatem traduceret. Itaque non dubito, quin potuerit aliundè cibum accipere. Sed quia paratam viderat offam, & nidorem ſenſerat, totus in eo eſt, ut eo potiatur quod ante oculos habet, reliqua non curans. Nec propterea putavit ſe tunc moriturum, ſi eo careret; ſed hoc voluit, ſe non diu victurum, ſive quod brevitatem hujus vitę communiter ſpectaret, ſeu quod in eo genere vitæ quod ſequebatur, ſciebat ſe variis periculis eſſe obnoxium. Ut paucis rem comprehendamus, non malè comparabitur dictum Eſaui cum profanorum hominum & Epicureorum cantilena, quæ legitur apud Eſaiam 22.℣.13. *Edamus & bibamus, cras enim morituri ſumus:* quam repetit Apoſtolus, 1. Cor. 15. ℣. 17. non quod exiſtimarent ſe morituros eſſe ſequenti die, ſed quod brevitatem præſentis vitæ agnoſcerent, de futura autem non eſſent ſolliciti.

Poſtquam Jacob vidit eum jam eò eſſe adductum, exigit ab eo juramentum verſ.31. in quo præſtando facilem ſe præbuit Eſau. Itaque juravit, & ſic venditionem confirmavit. Additur autem verſ. XXXIV. quod comederit, abierit, contempſeritque primogenituram. Quibus paucis verbis ejus ſecuritas deſcribitur, nec cogitat, quantam rem quàm vili pretio vendiderit. Legitur de Lacedæmone quodam captivo, qui poſtquam cum aliis propter aquæ inopiam ad deditionem fuiſſet coactus, & poſteà è fluvio omnes bibiſſent, exclamavit,

O com-

O commilitones quantulâ voluptate inæſtimabile bonum perdidimus! At quantulum fuit illud bonum, ſi comparetur cum eo quod Eſaü poſthabuit.

Ex dictis ſatis conſtat, quid de facto Eſaui judicandum ſit; nec ſi quis vellet eum à profanitate excuſare, id pateretur Apoſtolus cap. 12. Epiſt. ad Ebr. ℣. 16. *Ne quis ſit profanus ut Eſau, qui unico edulio vendidit ſuum jus primogeniti.* Profanus vocatur homo impurus, qui inter ſacra & communia non diſtinguit. Locus βέβηλος eſt is, quem adire cuivis licet. Homo autem βέβηλος, idem eſt qui μιαρὸς, ἀκάθαρτος, *impurus.* Hoc igitur fuit præcipuum Eſau peccatum, nempè *profanitas.* Nam quod multi exaggerant peccatum gulæ, id quidem eſt aliquid. Non tamen in eo conſiſtebat ſimpliciter, quod in homine iſto Scriptura reprehendit. Si enim nihil aliud commiſiſſet præter id, quod ex venatione rediens, avidè comedit lenticularum coctionem, non eſſet quod nimias quis ei objiceret delitias, aut crapulam. Sed quod præ cibo illo contempſit rem ſanctam & honorificam, eamque venalem expoſuit, in eo præcipuè peccatum ejus conſiſtit. Quod præterea id facit, etiam adhibito juramento, & interpoſito Dei nomine. Id jam inexcuſabile erat, quod urgente quidem fame, inconſideratè tamen ad pulmentum ruens, in id jam conſenſiſſet, ad cujus mentionem horrere debuit; ſed maximi ſtuporis indicium eſt, quod cùm exigitur juramentum, quod nunquam præſtari debet, niſi deliberato animo & re benè perpenſa, nec in negotio exili uſurpari; eundem ſtuporem retinet, & nomen Dei interponit. Acceſſit tertius ille gradus, quod ne quidem poſtquam cibo ſatiatus fuit, cogitavit quid feciſſet, itaque addidit obſtinationem & impœnitentiam. Ab ingratitudine præterea non poteſt excuſari, quam non immeritò Chryſoſtomus his verbis exaggerat, Homil. 50. in Geneſ. *Vendidit Eſau propter cibum dignitatem naturâ ſibi datam, & ideò ingratus fuit atque indignus eâ. Hoc autem totum factum eſt, ut illius demonſtraretur ingratitudo, & Dei oraculum adimpleretur.* Unde hanc exhortationem deducit; *Hæc igitur nos audientes diſcamus nunquam negligere dona à Deo nobis data, neque perdere magna propter parva & vilia.*

Hinc abiit in proverbium, *lenticulâ primogenituram ſuam vendere*, cùm quis ſive in rebus divinis, & in his præcipuè, ſive in humanis, pretioſa vilibus mutat. Cujus uſus frequens eſſe poteſt; maximè quotieſcunque aliquis, aut honorum ſeculi cupidus, aut temporalium bonorum deſiderio allectus, & hominum promiſſis ineſcatus, ſalutis ſuæ curam abjicit, & à vera religione deflectit, quod multis in locis, his calamitoſiſſimis temporibus, nimis quàm frequens eſt. *Dic mihi* (inquit ad hunc locum Chryſoſtomus) *quare propoſito regno cœlorum, boniſque illis ineffabilibus, ita in divitiarum cupiditatem inſanimus, & momentanea, & quæ non ſæpè uſque ad veſperam permanent, perpetuis ſemperque duraturis præferimus? Et quid hac amentiâ deterius eſſe poſſit?* Hoc eſt ignorare, *quid diſtent æra lupinis.* Contrarium eſt id quod à Socrate in Phædro Platonis Alcibiadi reſponſum fuit, quod lucri cupidus, formam corporis, formâ mentis meliore commutare vellet: καὶ τὰ ὄντα χρύσεα χαλκείων διαμείβεσθαι νοεῖς, id eſt, *& cum iis quæ verè aurea ſunt, ærea commutare cogitas*, quæ quidem fuit prudens commutatio Diomedis cum Glauco; hujus contrà imprudens & ſtulta, qui ærea accepit arma pro aureis. Idem accidit iis qui rem pecuniariam augent, ſed cum famæ diſpendio; qui magiſtratus & dignitates aſſequuntur, ſed cum jactura bonæ mentis; lautam reperiunt fortunam, ſed amittunt animi tranquillitatem; admittuntur in amicitiam principum, ſed excidunt ab amicitia Chriſti. In ſumma, quadrat in noſtros apoſtatas, ſi quis dicat, eos primogenituram ſuam lenticulæ coctione vendidiſſe; qui jus adoptionis filiorum Dei, & ſpem vitæ æternæ commutarunt cum amore & voluptate breviſſimorum & viliſſimorum bonorum.

Sed hîc exurgit difficilior quæſtio de Jacobo, an in tota hac agendi ratione cum fratre ſe ita geſſerit, ut expers culpæ haberi poſſit? Non videtur enim juſta & laudabilis fuiſſe conventio. Primùm, videtur captata occaſio parum convenire honeſtati & humanitati, cùm videret fratrem fame premi & cibum appetere, inde occaſionem ſumpſiſſe de tam ardua venditione cum eo agere. Secundò, nec æquum videtur, rem magnam & inæſtimabilem pro vili & quaſi nihili pretio accipere. Tertiò, parum etiam congruere cum charitate, quod fratrem nihil tale cogitantem ad id impulerit tentatione ſua, & in hoc peccatum inſtigatione ſua præcipitarit. Non enim veniebat Eſau ferens venalem primogenituram, vel ſponte offerens. Quartò, poſſet videri affine factum Jacobi ei quod in Simone Mago damnatum fuit, Act. 8. *qui donum Dei pecuniis acquiri poſſe exiſtimavit.* Exiſtimavit enim Jacob, ſe poſſe acquirere primogenituram, quæ maximum erat Dei donum, vili lenticula; in quo præter injuſtitiam, videtur etiam admixta fuiſſe profanatio rei tantæ. In ſumma, difficultas eſt in eo non exigua, quomodo qui vendit, qui jurat, qui pretium accipit, multis modis peccet; abſolvatur autem ab omni culpa, qui ad vendendum inſtigat, qui juramentum exigit, & qui pretium offert viliſſimum, pro re pretioſiſſima.

Hîc certè non habemus regulas communes quibus hæ Jacobi actiones defendi poſſint, de quibus non poſſumus favorabile ferre judicium, niſi ab eventu; quia non legimus in Scriptura eum propterea in aliquam Dei reprehenſionem incurriſſe. Sed id tamen ante omnia ſtatuendum eſt, hoc factum non trahi debere in exemplum. Nam quod quidam hoc axioma afferunt, *Volenti non fit injuria*, ut probent non fuiſſe iniquam ſtipulationem, non ſufficit. Quia inductus fuit ad id volendum, preſſus neceſſitate, nec præterea univerſaliter

verſaliter verum eſt, volenti non fieri injuriam. Si quis enim imprudens malum ſuum velit, non propterea prudens ei debet infligere. Ergo lex illa non debet abſolutè intelligi de nulla injuria, ſed comparatè, quia non tanta fit volenti, quanta nolenti & reluctanti. Non ſatisfacit etiam, quod Jacobo decreta fuerat primogenitura. Reſponderi enim poteſt, vel id Jacobo notum fuiſſe, & tunc contentus debuit eſſe autoritate divina, quæ ſatis eſſe debuerat, ut expectaret executionem ab eo qui deſtinaverat: vel ignotum fuit; & tum rem alienam appetivit. Quod alii dicunt, Eſauum fuiſſe occupatorem juris fraterni, idque notum fuiſſe Jacobo, qui propterea jus ſuum potuit repetere, ſed oblato pretio voluit vexationem redimere, id etiam dilutum videtur. Certè Eſau jus illud non injuſtè occupaverat, qui illud à natura habuit. Et ridiculum mihi videtur, quod Cajet. ſcribens in ſecundam ſecundæ, quæſt. 100. artic. 4. dicit Jacobum, petentem ut Eſau venderet primogenita ſua, hunc ſenſum intellexiſſe, *Da mihi primogenita quæ verè ſunt mea, ſed quia non vis gratis dare offero, prandium,* &c. Non ſatisfacit etiam, quod eum ab inhumanitate excuſat, quia ſciebat petitionem Eſau non proficiſci à magna neceſſitate, ſed ex gulæ intemperantia. Contrarium enim videtur verum, quia judicavit, in tali neceſſitate induci melius poſſe ad id concedendum, quod alias non feciſſet. Minus etiam quod idem ſumit pro confeſſo, Jacobum non ideò poſſe accuſari, quia rem pretioſam emit viliſſimo pretio; quia non uſus eſt propriè venditionis nomine, ſed cum rem ipſam ſciret eſſe ſuam, non eam reipſa emebat, nec putabat ſe pretium rei dare; tantum propter malitiam & ignorantiam Eſau, abutebatur verbo vendendi; cum tamen venditio locum habere non poſſet, in re aliena, qualis erat primogenitura, in manu Eſau.

Hæc & talia ab iis excogitata, qui ſe nihil ignorare præſumunt, & ad omnia ſe poſſe reſpondere putant, rem magis implicant quam explicant. Nulla enim eſt ex his reſponſionibus, ex qua non poſſit oriri nova difficultas. Præſtat igitur, rem totam Deo relinquere, & quæ ſunt extraordinaria, ad exemplum non trahere; ubi regulas habemus in lege Dei nobis præſcriptas. Agnoſcenda eſt Dei providentia, qui iſta omnia ſic diſpoſuit, ut Eſau defatigatus à venatione rediret, impenſeque eſuriret: Jacob coctionem ſuam coqueret, hanc ille avidiſſimè expeteret, & occaſionem hanc Jacob arriperet, ut primogenituram, ipſo Eſau eam rejiciente, conſequeretur. Ergo quod præcipuum eſt in hac Hiſtoria ſufficere nobis debet, Deum hac ratione, utriuſque fratris ingenium, & quid in utroque lateret ratione dignitatis illius, voluiſſe detegere; Unum, nempe Jacobum, magno illius deſiderio ductum fuiſſe; alterum vero, animo profano, contempſiſſe. Hoc ſatis perſpicuum eſt. Natura dederat Eſauo principatum, cui gratia denegaverat ſignificatum. Eadem natura negaverat Jacobo ſignum, cui Deus indiderat rei deſiderium, & rem ipſam deſtinaverat. Hæc quæ latebant his actionibus protruduntur, & in aperto ponuntur. Itaque non eſt opus ut quæ à Jacobo fiunt aut dicuntur ad vivum reſecemus, aut ſeverè examinemus. Id tantum ad rem facit, quod magno tenebatur deſiderio prærogativæ fœderis, quod à Deo fuiſſe non dubitandum. Si in re procuranda admixta fuit infirmitas, eo major fuit gratia Dei, quod indulſerit tam benignè, ut oſtenderet totum id ab electione pendere, non ab operibus, quod unus alii præferretur. Et certè, non poſſum adduci ut credam, quod inter duos fratres actum fuit per ſe vim aliquam habuiſſe; juſque illud fuiſſe hac actione in Jacobum tranſlatum vel in ſe, vel Dei ratione. Talis enim venditio, ne inter homines quidem in rebus hujus ſeculi rata haberetur. Quid enim ſi frater hoc tempore jus primogenituræ fratri venderet pro re nihili, an propterea cum ad herciſcundam familiam ventum erit, judex potiorem partem minori aſſignabit? Imò in venditionibus inter eos factis qui juris ſui ſunt, ſi quis dimidia pretii parte fraudatur, id eſt, minus accipit quam ultra juſti pretii dimidium, poteſt rem ſuam repetere reddito pretio. Ergo non exiſtimandum tranſactionem iſtam per ſe fuiſſe ratam, aut Jacobum verè emiſſe, quod gratis à Deo fuit ipſi donatum; ſed ad hoc profuit ut omnes intelligerent Eſauum tanta prærogativa fuiſſe indignum, nec ipſe haberet unde conquereretur ſe privatum fuiſſe ea dignitate, quam adeò prophanè contempſerat.

AD

AD CAPVT XXVI.

EXERCITATIO CXVI.

Abimelech commune nomen Regum Gerar. Quis ille fuerit apud quem peregrinatus eſt Iſaac. Præceptorum, ſtatutorum, & legum, diſtinctio. Mercedis *nomen non ſemper* meritum *præſupponere. Exemplis probatur. Patres voce* meriti *uſos fuiſſe, ſed diverſo ſenſu ab eo qui eis affingitur.* Mereri, *pro* conſequi. *Fidei Abrahami etſi tribuantur benedictiones, non tamen excludebatur conſideratio fidei ſequentium. Ante legem à Moſe datam, non omnes quidem, ſed multas fuiſſe ſervatas ceremonias. Iſaacum viſum fuiſſe cum uxore ſua jocantem, quomodo intelligendum? Feuardentii impudens in Calvinum calumnia. Iudicium de Iſaaci facto diſſimulantis ſuum cum Rebeca conjugium. Calvinus defenditur, & quantum à Manichæorum blaſphemiis alienus fuerit oſtenditur. Maruli pernicioſa doctrina. Thori conjugalis integritas etiam apud gentes commendata. In edicto Abimelechi pro Iſaaco, quid ſit* tangere virum, *&* tangere mulierem.

CAP. XXVI. Narrantur quatuor Iſaaci migrationes, & quid ei acciderit in illis. Prima fuit in Gerar, apud Abimelechum Regem Philiſtæorum, ex occaſione famis ortæ in terra Canaam, & directione oraculi, quo prohibitum eidem fuerat ne in Ægyptum deſcenderet, quo ſolebant ex vicinis regionibus in annonæ penuria confluere, ob ſoli ubertatem. Hujus prohibitionis Deus habuit ſuas rationes, quas ut ſcrutemur non noſtrum eſt, nec conjecturis nimium eſt indulgendum. Nondum tempus advenerat illius migrationis in Ægyptum, quam excepit poſteà dura captivitas, quæ ſub Iſaaci filio Jacobo accidere debuit, Idumæis anteà ſeparatis, qui cum populo Dei non debuerunt confundi. Quis autem fuerit Abimelech rex Gerar ad quem profectus eſt Iſaac, non immerito quæritur. Joſephus vult eundem fuiſſe apud quem peregrinatus fuerat Abraham, quia conveniunt nomina, tam illius, quam ducis exercitus ejus. Sed argumentum non eſt neceſſarium, quia temporibus illis, nomina erant unius provinciæ aut regni regibus communia, & idem potuit accidere in iis qui regum perſonas repræſentabant. Nam Pichol, *os omnium* ſignificat, ut eum denotet qui pro omnibus apud Regem verba faciebat. Alterum fuiſſe Abimelechum, & fortaſſe filium illius quo cum Abrahamo fœdus interceſſit, probabile reddit temporis ſpatium, quod elapſum eſt ab inito illo fœdere, uſque ad Iſaaci profectionem. Nondum enim natus erat Iſaacus, cum Abraham profectus eſt in Gerar: fuit autem ſexagenarius cum ei nati ſunt duo filii. Quibus LX annis, ſi addantur XX, aut ſaltem XV. vitæ duorum ipſius filiorum, facient annos LXXV. Non potuit autem Abimelech minor eſſe annis triginta, qui tum habebat uxores & liberos. Fuiſſet ergo tunc pluſquam centenarius. Quæ ætas, etſi tempore illo non fuerit inſueta, vix tamen credibile eſt, regem aliquem tamdiu regnare potuiſſe, & adhuc aptum fuiſſe rebus gerendis. Accedit quod in omnibus quæ geſta fuerunt ab illo rege cum Iſaaco, Abrahami nulla fit mentio, quæ vix omiſſa fuiſſet, ſi cum eodem illo pactum iniviſſet Abrahamus. Quiſquis tamen ille fuerit, res non eſt talis, ut propter eam, contentionis ſit ducendus funis.

Occaſione mandati illius inhabitandi terram illam, Deus verſ. 3. & 4. repetit promiſſionem Abrahamo factam, de poſſeſſione ejuſdem terræ, ſeminis multiplicatione, & benedictione omnium gentium in ſemine promiſſo. Addit verſ. 5. Eo quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit משמרתי *miſchmarti*, ad verbum, *cuſtodiam meam*, ſive obſervationem meam, id eſt, ea quæ obſervanda mandaveram, quæ poſteà per ſpecies explicat מצותי חקתי ותורתי, *mitſvothai, chukkothai, vethorothai*; præcepta mea, ſtatuta mea, & leges meas; quæ tria ſic communiter diſtinguuntur, ut præcepta ſint quæ à Domino præcipiuntur propriè quoad mores; ut quæ fuerunt Decalogo comprehenſa ſtatuta, ea ſint quorum ratio non apparet primo aſpectu, etſi non ſine ratione fuerint ſancita: ut quod de vacca rufa præcipitur; de lana & filo non texendis una; de non ſerendo agro ex diverſis generibus, de ſuilla non comedenda, & talibus quæ ex mera legiſlatoris voluntate pendent. Leges autem accipiantur pro documentis quibus tota vita inſtituatur atque componatur; quibus gradibus partitur Moſes totam voluntatem divinam qua homini obedientia præſcribebatur, ut poſteà in lege tradenda diviſa eſt. Cajetanus ſic diſtinguit, ut præcepta ſint *moralia*; ſtatuta, *ceremonialia*, leges *fidei, ſpei, & charitatis revelata dogmata*. Sed non ubique ſervatur in ſcriptura talis diſtinctio, & ſæpiſſimè confunduntur voces. Probabilius eſt hac verborum congerie voluiſſe Deum exactam Abrahami obedientiam, & in eâ ſingularem curam commendare; & exprimere ſignificantibus vocibus, ſanctum virum ad Dei arbitrium vitam ſuam compoſuiſſe; ab omnibus gentium profanarum inquinamentis abſtinuiſſe, & rectum pietatis

tatis curſum exactè tenuiſſe, juxta id quod mandatum ipſi fuerat cap. 17. ℣. 1. *Ambula coram me, & eſto integer.* Quod tamen ſemper intelligendum, quantum fieri poteſt in hac humana infirmitate, in qua neceſſarium eſt, ut miſericordia Dei ſubveniat delictis, & indulgeat ſuorum conatibus, quibus integritatem tribuit, cum ſinceri ſunt & minimè fallaces. Nec certè Abrahamus aliter in omnibus Deo probari potuiſſet, niſi Deus quæ improbanda erant, benignè ſepoſuiſſet.

Importunè igitur hoc loco de meritis quæſtionem movent Pontificii, quaſi meritis Abrahami datum fuiſſet, quod hic promittitur Iſaaco. Non eſt negandum, bona illa omnia quæ Deus gratis promiſit Abrahamo & poſteris ejus, non tanquam promiſſa, ſed quatenus ſuo tempore exhibita, fuiſſe mercedem obedientiæ patris fidelium. Quo referri poſſunt ipſa textus originalis verba עקב אשר-שמע *ekeb aſcher ſchama*, quaſi diceret, *in mercedem ejus quod audivit vocem meam.* Sed non inde cudi debet meritum propriè dictum, quia etſi obedientia fuerit antecedens bonorum promiſſorum, quæ dantur conſequenter, non tamen dantur ex merito obedientiæ, ſed ex eadem gratia qua promiſſa ſunt, in mercedem gratuitam conceduntur. Quod fit aliquando, ubi de bonis temporalibus agitur etiam impiis alioquin hominibus, qui etſi impuro animo, opus tamen aliquod ſuo genere bonum exercuerunt, quos tamen nemo ſanus mereri potuiſſe contendet. Sic 2. Reg. 10. ℣. 30. *Eo quod benè feciſti quod bonum videtur in oculis meis, abnepotes tui ſedebunt in ſolio Iſraëlis.* Hæc promiſſio facta eſt Jehu, alioquin cultori vitulorum. An dicent Pontificii, accepiſſe eum retributionem ex merito propriè dicto? Quid, quod Ezech. 29. ℣. 19. Deus promittit ſe daturum Nabuchodonoſoro, in terra Ægypti, ut accepturus ſit multitudinem ejus, & direpturus ſpolia ejus, *ſitq;* MERCES *exercitui illius & operi, quo ſervivit adverſus Tyrum: Dedi*, inquit, *ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi.* An igitur depopulatio Tyri fuit opus ſupernaturale gratiæ, meritorium mercedis ſequentis? Ex his adverſarii diſcere debent, non ubicumque præmittuntur cauſales particulæ, vel mercedis ſit mentio, ſtatim præſumendum eſſe de merito. Ut malis quibuſdam promittuntur bona temporalia, ut conſequentia operum quorundam externorum in quibus Deus uſus eſt eorum operâ, quæ *merces* dicuntur, cum nulla tamen præceſſerint merita; ſic piis promittuntur bona ſpiritualia & æterna, tanquam conſequentia vitæ piæ, quæ idcirco *merces* appellantur, quanquam cauſa non ſit operum dignitas, ſed Dei gratia pura, quæ in iis ſtatuit coronare dona ſua.

Hæc ita intelligentes veteres quidam à meriti nomine non abhorruerunt; ſed non videbant ἀκυρολογίας illius ſequuturum pernicioſum abuſum. Certè Auguſt. lib. de Civit. Dei 16. cap. 36. ubi de hac ipſa hiſtoria agit & ad hæc Moſis verba reſpicit, dicit *Paternæ fidei* (Abrahami nempe) *fuiſſe merita potiora* (meritis Iſaaci) *in tantum ut propter illum dicat Deus huic ſe facere bona quæ fecit*, &c. Ibi legimus vocem *meriti*, ſed qua nunquam intellexit opus condignum beneficiis illis quæ Deus contulit in ejus poſteritatem; dicebant enim veteres *merita* actiones illas quæ præcedebant ex divina ordinatione, conſequutionem bonorum promiſſorum. Itaque apud eos *mereri* ſæpius idem eſt quod *conſequi & obtinere:* quam merendi notionem etiam apud claſſicos autores notant viri docti. Sic Caſaubonus ad Epiſt. 8. lib. 1. Plinii Junioris, ad hæc verba, *Idcirco quod gloriam non meruit.* annotat, *Meruit* eſt ἔτυχε. Item verbum *mereri* non ſemper ἀξιοῦσθαι ſignificare, ſed τυγχάνειν, & factum notare, non jus, notius eſt quam ut probatione egeat. At cum propriè de meritis agit Auguſt. *Quærimus* (inquit Epiſt. 150.) *meritum miſericordiæ nec invenimus, quia nullum eſt, ne gratia evacuetur.* An negabant ex gratia & miſericordia promiſſiones fuiſſe Abrahamo factas, & poſteris exhibitas? Quamvis ergo opera bona vel mala, merita ſubinde Auguſtinus appellet, non eſt tamen exiſtimandum eodem ſenſu voluiſſe bona opera eſſe merita ſpiritualium & cœleſtium bonorum, quo mala opera ſunt merita pœnarum tam hujus quam futuræ vitæ; hæc enim ſunt merita pœnarum propriè, ex ordine juſtitiæ; hæc autem merita dicuntur impropriè, quia à Deo obtinent bona non ut merita, ſed ut filialis obedientia. Itaque horum ratione duplici modo de tali obedientia loquitur ſcriptura, I. Quatenus Deus agit tanquam abſolutus rerum dominus & princeps atque judex mundi; tunc dicit, *quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Rom. 11. ℣. 35. II. Loquitur de eo humanitus, ut de parente gratuita quidem dona filiis largiente, ſed poſt obedientiam. Huc referri debet quod dicitur, *Eo quod feciſti hanc rem*, vel, *Eo quod obediverit Abraham voci meæ*, &c. Adſcribit enim ita piis præter meritum, quæ ipſis ex gratia largitur, ut ſuum vel aliorum ſtudium probari à Domino ſcientes, ſe totos ardentius in ejus cultum addicant & impendant. Et hic Abrahami obedientiam commendat, ut ejus exemplo Iſaac ad patris imitationem magis ac magis incitetur. Eſt enim laus parentum, filiis non degeneribus aculeus & incitamentum ad facta laude digna. Otioſum autem puto quod loco citato diſputat Auguſtinus de comparatione vitæ Abrahami & Iſaaci, & an ex eo quod Iſaaco promittitur propter obedientiam & fidem Abrahami, ſequatur, parentis obedientiam ſuperaſſe obedientiam filii, quod ille ſentire videtur, etſi Iſaacus una uxore contentus, non exercuerit polygamiam ut Abrahamus. Unde illud quidem verum deducit, eum qui in vita conjugali ſit liberorum parens, multis non conjugatis ratione virtutum præſtare poſſe, etſi vita cælebs cæteris paribus, vitæ conjugatorum eſſet præferenda. Fidem Abrahami exiſtimo quidem omnium aliorum fidem ſuperaſſe qui eum ſequuti ſunt, quia majoribus fuit

fuit tentationibus impetita, & nullum tale habebat antecedens exemplum. Sed non ſequitur ſolam fidem & obedientiam ejus, non etiam Iſaaci & Jacobi fuiſſe in liberis remuneratam, etſi hoc loco Abrahami tantum mentio fiat. Alibi enim eadem aliorum pietati vel promittitur, vel tribuitur. Sed quia Iſaac erat adhuc excitandus & animandus, ideo laudatur Abrahamus. Id præterea etiam ſpectabat Dominus, quod ei primum facta fuerat promiſſio, ad quam fides Iſaaci reſpicere debuit, tanquam ad originem.

Quod autem hic Judæi colligunt, Abrahamum & patres reliquos ante ſcriptam legem diligenter ſervaſſe omnes legis partes, etiam quæ ad ceremonias, ritus, cibos & alias tales minutias pertinent; ſi in univerſum intelligatur, quaſi ea omnia habuiſſent quæ poſteà ſcripta fuerunt, falſum eſt. Ego quidem non probo ſententiam Pontificiorum, qui totum illud tempus quod ante legem ſcriptam fluxit, legi naturæ aſſignant. Certum eſt enim præter naturæ legem, habuiſſe patres multas obſervationes, præſertim circa divinum cultum ex ſpeciali Dei revelatione, & majorum qui ea acceperant imitatione, ut de mundis animalibus offerendis & talia, præter circumciſionem, & alios mandatos ritus. An Sabbathum fuerit ab illis obſervatum, vix determinari poteſt, quia ejus nulla mentio fit in Patriarcharum hiſtoria. Non enim ſi Deus *benedixit*, & *ſanctificavit* illum diem, ſequitur præcepiſſe, ut tunc ab hominibus ſanctificaretur; hoc enim potuit Moſes præmittere & anticipare, ut mandati oſtenderet æquitatem, non initium. Oſtendimus tamen ſuo loco, probabile eſſe Sabbathi quietem, & conſecrationem ad cultum divinum, non fuiſſe incognitam & inuſitatam Patribus ante legem: ſed tum non adeo exactam & rigidam fuiſſe ejus obſervationem; quam etiam exiſtimarem aliquando, ex neceſſitate, ubi obſervari non poterat inter eos qui liberi non erant, omnino ceſſaſſe. Vix enim Sabbathum potuit obſervare Jacob, cum paſceret greges ſoceri ſui; nec id permiſſum fuiſſet Iſraëlitis in Ægypto, ſi propter hunc diem voluiſſent minuere ſub Pharaone, lateris aut ſtipulæ penſum. Sed de his ſuo loco pluribus actum eſt.

Verſu 7. & ſeqq. Narratur ſimilis hiſtoria cum ea quæ anteà bis de Abrahamo fuit expoſita. Filium nempe; in eo etiam fuiſſe imitatum patrem, quod homines loci illius celare voluit Rebeccam eſſe uxorem ſuam; ideò cum interrogaretur reſpondiſſe eſſe ſororem ſuam, diſſimulata conditione uxoris. Qua ratione autem quod celabat deprehenſum fuerit, verſ. 8. recitatur, ipſum nempe Regem, è feneſtra proſpicientem vidiſſe Iſaacum jocantem cum uxore ſua. Ecce, inquit, Iſaac מצחק *metſachek*, ridens, cum uxore ſua. LXX. utuntur verbo παίζων, quod ludere ſignificat, & de congreſſu vel copula uſurpatur, ſicque hoc loco intelligi putant nonnulli, præſertim ſalaces Judæi. Horum ſententiam ſequutus eſt Cajetanus, *Actus*, inquit, *conjugalis ſignificatur, prout teſtantur ſubjecta verba Abimeleci.* Nempe quia Abimelechus ex eo quod viderat, affirmavit eſſe uxorem ejus: ſic enim ille, verſ. 9. *verè ecce uxor tua eſt.* Fatendum eſt ex geſtu deprehendiſſe regem, non ſororem eſſe, ſed uxorem. Sed non propterea ſequitur fuiſſe viſos in conjugali actu, tantum hoc, fuiſſe deprehenſos in geſtu liberiori, qui inter alios quam inter conjuges non fuiſſet probandus. Cum itaque rex ſciret Iſaacum & gravem eſſe virum, & moribus honeſtum, familiarem aliquem Iſaaci geſtum, ita interpretatus eſt, ut non dubitaverit eam, quæ tantum putabatur ſoror, fuiſſe ejus uxorem. Alioqui non eſt probabile, virum talem interdiu, in aperto loco, omnis decori oblitum, egiſſe cynicum. Auguſt. contra Fauſt. Manich. lib. 22. cap. 46. *Hoc* (inquit) *rex ille non cognoviſſet, niſi cum conjuge ille ſic luderet, quo modo cum ea quæ conjux non eſſet, ludere non deceret.* Eadem habet Calvinus, *Non de coitu* (inquit) *loquitur Moſes, ſed de aliquo liberiore geſtu, qui vel diſſolutæ laſciviæ, vel conjugalis amoris teſtis eſſet.* Quæ tamen verba impudens calumniator Feuardentius, inter convitia & probra quibus Iſaacum afficit Calvinus enumerat, quaſi in disjunctiva, *vel diſſolutæ laſciviæ*, *vel conjugalis amoris*, priorem partem objeciſſet Iſaaco, aut de ea dubitaſſet. At effrons Monachus viderat in prioribus Calvini verbis, nihil potuiſſe dici magis contrarium huic calumniæ. *Conjicere* (inquit) *licet, ex judicio Abimelech quam ſanctè & pudicè verſatus fuerit Iſaac, in quem ſiniſtra ſuſpicio cadere non potuit: deinde quando major viguerit integritas tunc, quam noſtro ſeculo. Cur enim non damnat Iſaacum ſcortationis? Nam probabile erat aliquid flagitii latere, quum ſororis nomen aſtutè obtendens, uxorem eſſe tacitè negaret. Non eſt igitur dubium, quin religio, vitæque honeſtas, ad tuendam ejus exiſtimationem profuerit. Quo exemplo docemur, ſic colendam eſſe juſtitiam tota vita, ne quid de nobis ſceleſtum vel turpe cogitare poſſint homines. Nihil enim eſt quod melius ab omni infamiæ nota vindicet, quam vita pudicè & temperanter acta.* Hæc ille, in Iſaacum ſcilicet injurioſus.

At fortaſſe non tam circumſpectè ſe geſſit in judicio de Iſaaci conſilio in diſſimulanda Rebecæ conditione. Dicit quidem Iſaacum deductum fuiſſe per patris veſtigia, ut ſimilitudine ipſa admonitus, ſe ſocium adjungeret ejus fidei. Sed addit, in hac parte vitium patris potius fugere debuiſſe, quàm imitari. Dubium non eſſe, quin ſatis teneret matris pudicitiam bis fuiſſe in magno diſcrimine, & quamvis mirabiliter Dei manu erepta foret, utrumque tamen ſuæ diffidentiæ pœnas dediſſe. In eo ergo excuſari non poſſe Iſaaci ſocordiam, quod ad eundem impingit lapidem. Expreſſis quidem verbis uxorem non abnegare, ſed in eo culpandum primùm eſſe, quod ſervandæ vitæ causâ, ad ſimulationem, mendacio non abſimilem, confugit. Deinde quod uxorem à fide conjugii abſolvens, alienis

proſtituit. Præcipuè autem culpam exaggerare, quod domeſticis exemplis non attendens, ſponte illam in manifeſtum diſcrimen projicit. Hæc quidem Calvinus; ſed ex hiſtoriæ circumſtantiis deducta, ad correctionem noſtram, non ad Iſaaci contumeliam. Certè eadem audit Iſaacus ab Abimelecho, nec reluctatur. *En* (inquit Abimelechus verſ.9.) *verè ecce uxor tua eſt, quomodo ergo dixiſti, ſoror mea eſt?* Quibus verbis ei objicit diſſimulationem proximam mendacio. Addit ℣.10. *Quid hoc feciſti nobis? Paulùm abfuit, quin dormierit unus è populo cum uxore tua,* &c. quod quid aliud eſt, quàm id quod dixit Calvinus, uxorem à fide conjugii abſolvendo, eam alienis proſtituere? Etſi autem honeſtis verbis uſus ſit Abimelech, & expreſſè mendacii non arguerit Iſaacum, hoc tamen autor Vulgatæ ita accepit, ſic enim interpretatus eſt; *Cur mentitus es ſororem tuam eſſe?* Et in ſequentibus, *Quare impoſuiſti nobis?* ubi textus Ebræus ſimpliciter habet, *Quid hoc feciſti nobis?* Quid igitur di[illegible]erent calumniatores, ſi Calvinus textus verba mutaſſet, ut mendacium & impoſturam exprimeret in Scripturæ ipſius verbis? At hoc fecit vulgata editio. Nec propterea malus fuit interpres qui ita reddidit, ſenſum enim ſpectavit, à quo non aberravit; ut nec Calvinus à vero, cujus ſtudioſus eſſe debet interpres, nec affectu duci, ubi quod res eſt dicendum. Sed hoc Pontificiis pleriſque in more poſitum eſt, ut nævos ſanctis viris attribui non ferant, idque duplici fine: 1. Ut in aliis peccata extenuent, fraudes & mendacia velent, & æquivocationis dogma ſtabiliant: 2. Ut Sanctos in idola convertant, & eorum etiam maculas pro gemmis amplectantur.

Fuerunt olim qui talia in ſanctis Patribus malo animo notarunt, & virtutes illorum diſſimulantes, muſcarum in morem quæ purulentis adhærent, ſi quid ipſis humani accidiſſet, eorum proſcindere famam, arrepta occaſione conati ſunt. Talis fuit impurus ille Fauſtus Manichæus, qui hunc ſcopum ſibi propoſuerat, ut legem & Prophetas, in quibus talia ſcripta erant, criminaretur; probaretque aut mendaces fuiſſe ſcriptores, aut illos de quibus talia dicebantur, fuiſſe malos. Neutrum tamen ſequebatur; quia malus non eſt, qui aliquando ex infirmitate in aliquod peccatum incidit. Itaque non fuit neceſſarium, omnia quæ in Sanctis V. T. criminabatur, defendere, ſed tantùm oſtendere, gratiam Dei in infirmitate hominum perfici, negare item unam hirundinem ver facere, unum & alterum infirmitatis actum, hominem, alioqui pium, inficere. Hoc cùm prætenderet Manichæus Fauſtus, & in hunc finem in Sanctos V. T. debaccharetur, meritò Auguſtinus cap. 46. lib.22. ei *mirabilem impudentiam* attribuit, *in eo quod Iſaacum criminatus eſt.* At non hoc voluit Calvinus, Iſaacum, nempè, vel Abrahamum criminari, ſed tantùm cavere, ne quis exemplis eorum abuſus, vitium in virtute poneret. Quod autem Auguſtinus ibidem diſſimulationem Iſaaci ab omni vitio abſolvit: 1. quia patrem imitatus eſt: 2. quia per notiſſimam propinquitatem Rebeca ſoror ejus erat: 3. quia non negavit uxorem eſſe, &c. quibus putat Abrahamum de ſimili objectu inculpatum fuiſſe inventum; agnoſcimus ex bono & pio affectu à ſancto viro prolata eſſe, præſertim adverſus talem adverſarium, nec cenſemus ejus zelum in eo culpandum eſſe. Sed nec eorum παῤῥησία, qui ubi nihil tale metuendum eſt, & aliud vident periculum, ſcapham ſcapham dicunt; & nihilominus honorem Patribus debitum integrum ſervant. Certè verum eſt quod Marulus lib. 4. memorabilium ſcribit, *Iſaacum vocaſſe Rebecam cognatam ſororem, animo ſimulandi eam non fuiſſe ſociatam ei conjugio.* Sed non propterea ſequitur quod ille vult probare, *ſanctis viris, ac mulieribus, ſimulare, fingere, mentiri, ſummæ interdum pietatis, ingentiſque prudentiæ opus viſum eſſe, idque officium non dedecere veteres Patriarchas, quibus* ait, *illud non ſolùm indulgentiâ permiſſum, ſed ratione etiam licuiſſe.* Id ita cenſuit, ut Jeſuitis applauderet, quibus librum ſuum inſcribebat, & doctrinam de æquivocationibus, fictionibus, & mendaciis, Sanctorum exemplis tuerentur. Tales in Sanctos injurii ſunt, & contumelioſè de iis ſentiunt, quos hujus ſceleratæ doctrinæ patronos advocant. Meritò itaque nuper Barneſius Benedictinus Anglus, in diſſertatione contra æquivocationes pag. 362. de hoc autore agens exclamat, *Pondera lector, quo fructu hujuſmodi libri pietatis nomine auſcultatoriæ juventuti commendari ſoliti ſunt, qui tantam impietatem redolent. Conſidera etiam pleraque iſtorum locorum à Conſentio, & aliis mendaciorum patronis olim allata fuiſſe & allegata, &c.*

Quod Abimelech ait, *induxiſſes ſuper nos delictum.* אשם *aſcham*; verterunt LXX ἄγνοιαν, *ignorantiam*, id eſt; peccatum ex ignorantia admiſſum. Senſus fuit omnium gentium animis infixus, thori conjugalis violationem, crimen eſſe dignum cœleſti vindicta; imò judicarunt tale eſſe, ut non ſolùm pœna in eum qui tale peccatum committeret, ſed in plures etiam derivaretur. Ideò non dicit, induxiſſes ſuper aliquem delictum, ſed *ſuper nos.* Ubi per delictum, pœnam delicti intelligendam eſſe patet. Fortaſſè intellexerat quid anteà accidiſſet, cùm rapta fuit Sara, tunc enim plaga Dei afflixit non ſolùm regem, ſed & omnes domeſticos ejus. Sed de his anteà dictum eſt in ſimili hiſtoria.

Occaſione metus Iſaaci, quem non diſſimulaverat apud Abimelechum, *Quia dixi*, inquiebat, *ne fortè moriar propter eam*, Deus animum regis illius flexit & commovit, ut conſuleret ſecuritati Iſaaci, atque ita poſſet tutò habitare in populo illo. Itaque edicto cavit, ne quis Iſaaco aut uxori ejus injuriam inferret. Verba ſunt, הנגע *hannogea*, tangens virum iſtum, & uxorem ejus, moriendo morietur, id eſt, confeſtim occidetur, vel haud dubio morti adjudicabitur. *Tangere virum*, eſt lædere, aut ei injuriam facere. Fortè etiam *occidere,*

occidere, ſic enim aliquando explicatur, ut Joſue 9. ℣. 19. ubi de Gibeonitis qui à populo ad mortem poſtulabantur, duces dicunt, *Non poſſumus tangere eos. Hoc faciamus eis, ut ſervemus in vita eos*, &c. Ergo *tangere* ſumitur, pro vitam adimere. Et reſpondet edictum dicto Iſaaci, *ne fortè moriar*, hoc ſenſu intellectum, *nemo tangat virum illum*, id eſt, ei vitam adimat. Reſpondet pœna capitalis infligenda tangenti, id eſt, occidenti. Ad uxorem quod ſpectat, idem verbum in alia ſignificatione, reſpectu ſubjecti intelligendum: quia tangere fœminam, accipitur pro comprimere, aut rem cum ea habere. Unde virgo *intacta* dicitur. Sic ſuprà Geneſ. 20. ℣. 6. *Non ſivit te tangere illam.* Et Proverb. 6. ℣. 29. *Quiſquis tetigerit eam.* Apoſtolus eadem phraſi eſt uſus, 1. ad Corinth. 7. ℣. 1. *Bonum eſt viro*, γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι, *mulierem non tangere.* Tanta cautio in privato homine, eoque extero, vindicando, certiſſimum fuit teſtimonium ſpecialis providentiæ Dei erga Iſaacum, cujus infirmitatibus indulſit. Exemplum etiam habemus virtutis divinæ, corda hominum flectentis ac determinantis eorum voluntates, prout ipſi libet, ſalvâ ipſorum libertate. *Cor enim regis eſt in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Proverb. 21. ℣. 1. Etſi enim Abimelech habuerit ſuas deliberationes & ratiocinationes, Deus tamen omnia dirigebat, & intus operabatur, ut faveret hoſpiti, advenæ, cui poſteà multis divitiis aucto invidebit.

Sequentia nihil habent difficultatis, in quibus variæ migrationes Iſaaci deſcribuntur in terra Gerar, fœdus tandem initum cum Abimelecho, & Eſaui polygamia. Itaque pergimus ad ſequens caput, cujus hiſtoria plura habet, quæ noſtram requirunt diligentiam.

AD CAPUT XXVII.

EXERCITATIO CXVII.

Argumentum cap. XXVII. *Ætas Iſaaci, cui caligabant oculi cùm benedixit filiis. Caligo oculorum ſenibus frequens. Senectutis incommoda, ex* 1. *Sam.* XIX. *verſ.* 36. *Cur Iſaac à filio ferinam petiit ante benedictionem?* נפש nepheſch, *pro affectu & bona voluntate. Benedictionum ſpecies variæ. Cur Deus permiſerit Iſaacum errare in perſona? Luminis prophetici in Sanctis varii gradus. An Iſaacus peccaverit in illo affectu, & intentione benedicendi Eſauo. Sententiarum conflictus. Excuſatur Iſaacus à gravi peccato, etſi non ab omni infirmitate. Eucherii de eo notanda ſententia.*

CAPUT XXVII continet teſtamentum Iſaaci Patriarchæ, qui cùm ſenio gravatus eſſet, & ſe morti proximum ſentiret, cogitat de transferenda benedictione ſua in filium primogenitum. Sed in hæredis primarii inſtitutione deceptus, Jacob aſtu benedictionem præripit primariam; Eſau tandem ſecundariam accipit, unde capitali odio in fratrem exardeſcit; quæ cauſa eſt, cur Jacob ex conſilio matris & conſenſu patris, voluntarium exilium ſubit.

Tempus, verſu primo, ſic circumſcribitur: *Cùm ſenuiſſet* Iſaac, *& caligaſſent oculi ejus.* Hoc fuit neceſſariò præmittendum, propter ſequentem hiſtoriam, in qua caligo iſta oculorum, occaſionem præbuit Rebecæ & Jacobo, imponendi Iſaaco, cujus ætas tunc potuit eſſe annorum centum triginta ſeptem, qui ſic colliguntur. Jacob paulò poſt acceptam benedictionem miſſus eſt in Meſopotamiam: tunc autem fuiſſe annorum LXXVII. ſic probatur; quia poſt quatuordecim annos ſervitutis genuit Joſeph, Geneſ. 30. quo tempore erat annorum unius & nonaginta. Cùm autem Joſeph fuerit annorum 39. cùm parens ejus venit in Ægyptum, qui tum fuit centum triginta annorum, ſi de centum triginta annis Jacob, detrahantur triginta novem ætatis Joſeph, reliqui erunt unus & nonaginta ipſius Jacob, in qua ætate Joſephum procreavit. Si autem, ut dictum eſt, genuit eum XIV annis poſtquam venit in Meſopotamiam, ſequitur tum egiſſe LXXVII. Iſaacum verò CXXXVII. quia ſexagenarius illum genuerat. Et hæc quidem ſupputatio certa eſt, ſi hoc ipſo anno profectus eſt in Meſopotamiam Jacobus, quo ei benedictio à parente collata eſt. Quod cùm incertum ſit, nihil etiam temerè affirmamus. Non eſt tamen dubitandum, quin tum Iſaac fuerit ſenex, & penè decrepitus, etſi poſt illud tempus diu ſupervixerit, nam attigit annum ætatis centeſimum & octuageſimum. Vixit enim poſt collatam Jacobo benedictionem, annos XLIII. Sed neſciebat quandiu victurus eſſet, ſentiebatque ſe obnoxium ſenectutis infirmitatibus. Itaque dicebat, verſ. 2. *Iam ſenui, neque novi diem mortis meæ.*

Inter alias infirmitates quæ ſenibus accidunt, ſatis ordinaria eſt caligo oculorum. Itaque cùm Eccleſiaſtes cap. 12. ſenectutem deſcriberet ab adjunctis ſuis, inter cætera dicit, *antequam tenebreſcat ſol & lumen*, verſ. 2. item verſ. 3. *tenebreſcent videntes per feneſtras:* hæc enim ſpectant viſus debilitatem, non amplius valentis lucis aſpectum ſuſtinere. Sunt tamen aliquando ſenes, pro ratione conſtitutionis, qui ſunt oculis vivacibus; alii qui ante ſenium ſæpè etiam caligine laborant. De Moſe ſcribitur, Deut. 34. ℣. 7. fuiſſe centum viginti annos natum cùm moreretur, oculos tamen ejus non caligaſſe. In aliis contrà accidit; de Eli Pontifice ſcribitur,

bitur, 1. Sam. 3. ℣. 2. *Oculi ejus cœperant caligare, nec poterat videre.* Alia ſenectutis incommoda accumulat Barzillai, 2. Sam. 19. ℣. 36. *Natus ſum octoginta annos hodiè: an dignoſcere poſſum inter bonum & malum? num guſtare poterit ſervus tuus quod comedam & bibam? num audire amplius potero vocem cantorum & cantatricum?* Caliginis autem oculorum in ſenibus cauſæ ſunt, vel cryſtallini humoris aut vitrei induratio, vel cùm in iis cornea tunica craſſior denſiorq; redditur; vel aqueus humor in toto corpore conſumitur, vel cùm ſpiritus animales in cerebro per ſenium ſunt conſumpti. Tale aliquid ſeneſcenti Iſaaco accidiſſe neceſſarium eſt, cujus tanta fuit oculorum caligo, ut nihil prorſus viderit, nec potuerit Jacobum diſcernere oculis ab Eſauo. Non tanta fuit poſteà in Jacobo, de quo quidem ſcribitur, quod cùm natus eſſet annos 147. ejus oculi graves erant præ ſenio, nec tamen ita cæcutiebat, quin duos Joſephi filios poſſet ab invicem diſcernere. Geneſ. 48. verſ. 10. & 19. Cauſam fuiſſe in Iſaaco naturalem non dubito; ſed agnoſcendum præterea, Deum ita diſpoſuiſſe cauſam illam, ut illius effectum gubernaret, ea ratione quam hìc cernimus: cùm enim Iſaacus oculis integris, ſi quidem ſibi relictus fuiſſet, non potuiſſet humanitus adduci ad impertiendam Jacobo primogenituræ benedictionem, voluit Deus, ut viſionis uſu privatus, ea faceret, quæ contra ipſius mentem erant. Agnoſcimus certè, Deum potuiſſe mentem ejus flectere, efficereque, ut mutatâ ſententiâ, Jacobum pro hærede benedictionis agnoſceret, quod etiam factum eſt poſteà; ſed voluit in eo Dominus motum ſuum relinquere cauſis ſecundis, & oſtendere Jacobum non hominis arbitrio, ſed præter naturæ ordinem, ad jus primogenituræ fuiſſe evectum.

Jubet igitur Iſaac Eſauum, ut tollat *inſtrumenta ſua*, nempè *pharetram & arcum*, & venatum eat, & ſapidos cibos ſibi paret, atque ita benedicat illi antequam moriatur. Textus habet חליך וקשתך *teljeka vekaſcheka.* Vulgata & omnes ferè interpretes, *pharetram & arcum.* Dicitur autem תלי *teli*, à pendendo; unde ſunt qui enſem pendulum intelligunt, & pharetram ſub arcus nomine intellectam volunt. Sic Onkelos Paraphraſtes, *Accipe, obſecro, arma tua, gladium tuum & arcum tuum.* Sed Rab. David Kimhi, תלי *eſt pharetra quæ pendet, in qua ſunt ſagittæ: aut eſt veluti gladius.* Intelligunt autem per gladium, acinacem, qui non pungit, ſed ſenſim ferit. Qua de re non multum laborandum eſt. Sed inquiri poteſt, cur Iſaac hoc officium requiſiverit à filio ſuo, priuſquam ipſi benediceret, ut nempè ferinam ipſi pararet, qua delectabatur? Fuerunt olim qui allegorias quæſiverunt; in quibus, quia ſoliditatis parum habent, non immoramur. Ebræorum nonnulli, à quibus hoc habet Lyranus, id referunt ad morem quem tum invaluiſſe dicunt, ut filius non acciperet benedictionem à patre, niſi primùm præſtito ei aliquo officio, aut poſtquàm ipſi in menſa miniſtraſſet. Quod certo teſtimonio probari non poteſt, cùm nihil tale poſteà Jacobus à Joſepho & aliis filiis exegerit, nec Moſes à duodecim tribubus. Si quid conjecturâ poſſum aſſequi, exiſtimarem, quemadmodum poſteà nonnulli Prophetæ, cùm reſpondere vellent Dei nomine, petierunt anteà ut aliquod muſicum inſtrumentum pulſaretur, quo excitatiores ad munus propheticum prodirent, quod de Eliſæo legitur, 2. Reg. 3. ℣. 15. *Sed nunc aſſumentes adducite mihi fidicinem, ſic fuit cùm pulſaret fidicen, ut adeſſet ei manus Iehovæ.* Sic etiam Iſaacum voluiſſe anteà cibo aliquo delicatiore recreari, ut poſteà alacriori animo benedictionem illam propheticam enunciaret. Quamvis enim in talibus ſpiritu Dei agitarentur ſancti illi viri, ſentiebant nihilominus ad id non eſſe inutilem aliquam organorum diſpoſitionem & alacritatem quandam, ex ſenſuum excitatione, ſive per guſtum, ſive per auditum.

Sed quod maximè in hoc negotio notandum eſt, hac occaſione voluit uti providentia divina, ut conſilium Iſaaci detegeretur, & ſic per abſentiam Eſaui, pararetur Jacobo via ad ambiendam, & adipiſcendam benedictionem, quam alioqui parens fratri maximo deſtinabat. Audiebat enim Rebeca finem apparatus illius, *ut benedicat tibi*, inquit, *anima mea. Ebraiſmus eſt*, inquit Fagius, *pro, ut benè precer tibi ex animo,* נפש nepheſch *enim Ebræis pro bona affectione & voluntate non rarò uſurpatur.* Ita ſuprà dicebat Abraham ad filios Heth, *ſi eſt cum anima veſtra*, ſenſus erat, *ſi vobis cordi eſt, ſi placet vobis*, &c. Idem ferè pollet & iſta locutio, *Vt benedicam tibi coram Domino*, id eſt, annuente & favente Domino, ut omnia ſcilicet fœlicia à Deo dari precer. לפני יהוה ad verbum, *ad facies Domini.* Coram Domino autem fieri dicuntur, vel quæ diſplicent illi, ut ſuprà cap. 6. *Et corrupta eſt terra coram Deo*; vel quæ illi placent & approbantur, ut hoc loco, quæ fiunt Domino approbante & vidente. Potuit benedictio illa fieri, ſolemniter invocato Domino.

Benedictionum in Scriptura variæ ſpecies numerantur; Deus enim hominibus benedicit; homines benedicunt Deo; item homines hominibus. Dei benedicere, eſt benefacere. Hominum benedicere ratione Dei, eſt laudare & celebrare. Hominum autem aliorum hominum reſpectu, eſt vel benè precari ſimpliciter, ex charitatis deſiderio; vel benè ominari, & futura prædicere ex ſpiritu prophetico. Deus benedixit homini & omnibus creaturis in creatione. Geneſ. 1. ℣. 22. Benedixit ſuis in Chriſto cœleſtibus benedictionibus ab æterno, Epheſ. 1. ℣. 3. Benedicunt homines Jehovæ, Pſal. 103. ℣. 1. Et Pſal. 115. ℣. 18. *Nos verò benedicimus Iehovæ.* Benedicunt hominibus, etiam hoſtibus, ex charitate. *Benedicite iis qui devovent vos.* Luc. 6. ℣. 28. Sed alia eſt benedictio autoritatis, qua qui ad publica munia in Eccleſia vocati ſunt, inferiores Deo commendant, de qua Ebr. 7. ℣. 7. *Sine omni controverſia*

verſa id quod minus eſt, ab eo quod majus eſt, benedicitur. Hæc autem in Scriptura duplex eſt, una ordinaria & ſacerdotalis, qua olim miniſtri Dei precabantur populo divinam benedictionem ex Dei mandato, Num. 6. ℣. 23. *Sic benedicetis filiis Iſraël, dicendo eis, Benedicat tibi Iehova.* Talis fuit Melchiſedeki benedictio erga Abrahamum. Geneſ. 14. ℣. 19. ut ibi diximus. Extraordinaria fuit patriarchalis & prophetica, qua Patres & viri Prophetæ, quibus promiſſio divina de fœdere gratiæ facta fuerat, inſtituebant ejuſdem promiſſionis hæredes ſpeciali benedictione, eamque ita in poſteros ttanſmittebant, in quorum familiis Eccleſia & fœderis gratia erat propaganda uſque ad Chriſtum venturum. Talis fuit Noachi benedictio erga Semum. Geneſ. 9. ℣. 26. Sic Abrahamus ex Dei mandato, Iſaacum hæredem conſtituit. Hoc autem loco Iſaac Jacobum, cujus poſteà benedictiones, ratione duodecim Patriarcharum, quæ ſunt totidem propheticæ prædictiones, à Moſe recitabuntur. Id cùm ſciret Rebeca, talium benedictionum magnam eſſe vim & efficaciam, quia Deus eas habebat ratas, ideò tantoperè laboravit, ut eam procuraret Jacobo, quem ſupra Eſauum diligebat, ut ſuprà notavimus.

Sed cùm talis benedictio prophetica, nihil aliud fuerit quàm divinæ voluntatis & ordinationis declaratio, ejuſdemque applicatio erga eum, cui talis hæreditas ab æterno fuerat deſtinata, ſatis ex eo liquet, neque eam, neque ejus vim & effectum, fuiſſe in arbitrio Patriarcharum, ut ex affectu ſuo potuerint eam tribuere cui voluerint. Id patet exemplo Iſaaci, cujus ſi voluntatem & ſtudium ſpectemus, benedictio ab eo deſtinata erat Eſauo, excluſo Jacobo, cùm tamen aliter Deus ſtatuiſſet. Qui plerumque aliàs ita illuminavit ſpiritu prophetico Patriarcharum intellectum, ut non ſolùm noverint, quæ talibus eſſent apprecanda, & promittenda, ſed etiam quinam illi eſſent ſingulariter quibus ea apprecarentur. Sic videmus nullum erraſſe in perſona, præter Iſaacum. Ipſe Jacobus, cùm Joſeph filius benemeritus, vellet benedictionem potiorem patris ſui conferri majori filio, ejuſque manus quaſi ex oculorum caligine errantes corrigere tentaret, audivit à ſancto ſene, non ita futurum. Noverat enim & rem & perſonam. Hìc rem ſatis novit Iſaacus, quam verbis enunciabit ſignificatiſſimis; at perſonam ignoravit, imò in ea erravit, intellectu non illuminato quantum ad eam circumſtantiam, nec voluntate inclinata, quæ in alium propendebat. Quid igitur ſi Iſaacus ſine mora, & priuſquam Rebeca de voluntate mariti aliquid reſciviſſet, Eſau benedixiſſet, eique eadem verba applicaſſet, quæ ſe putabat in Eſauum proferre, an id ratum fuiſſet apud Deum? An talis fuiſſet in verbis virtus, ut cui Deus non deſtinaverat benedictionem, pater eam contuliſſet? Minimè certè. Sed hoc etiam fieri non poterat, quia Deus nunquam hoc permiſiſſet: qui tamen cùm immediatè potuiſſet voluntatem Iſaaci flectere in Jacobum, permiſit eum falli, & benè uſus eſt artibus matris & filii, ut ab Eſauo averteret benedictionem, quam volebat Deus eſſe ratam in alio. Cur autem ita faceret Deus, habuit ſuas rationes, quas noſtrûm non eſt curioſè ſcrutari. Fortaſſè in ea re voluit conſulere ſancto ſeni Iſaaco, ne ſi ſciens & volens tranſtuliſſet benedictionem in minorem, odium illud, quo flagravit ferox ille animus in fratrem, in parentem tanquam facti autorem fuiſſet converſum, eique reliquo vitæ tempore moleſtus fuiſſet. Cùm autem videret hoc fuiſſe factum aſtu fratris, & Deum id habuiſſe ratum, nulla fuit cauſa, cur in patrem excandeſceret, ne quidem prætextus; cùm poſteà ſentiret, parentem audita fraude ea feciſſe & dixiſſe, ex quibus ſatis colligere potuit, non defuiſſe ipſi voluntatem & inclinationem. Sed Deum aliter rem direxiſſe, cujus voluntati debuiſſet acquieſcere, quod feciſſe Iſaacum extra dubium ponimus.

At verò gravis eſt quæſtio de Iſaaco, annon peccaverit, qui animo deſtinaverat bendedictionem illam Eſauo impertiri, eademque Jacobum privare, contra ordinationem divinam, cujus tantùm organum erat & miniſter. Etſi enim id fieri non potuerit, nec reipſa Deus permiſerit fieri, dubitari tamen non poteſt de Iſaaci animo & intentione, cujus etiam verba ferebantur in Eſauum, quem credebat præſentem. Certè ſunt eruditi interpretes, quibus hoc factum Iſaaci minimè probatur, nec dubitant ei dicam eo nomine impingere. Calvinus inter alios, cùm agnoviſſet in bono ſene generale fidei principium, cùm filium benedicens, jus hæreditatis ſibi divinitus promiſſæ, duce Sp. ſancto conſignavit; mirè tamen fuiſſe implicitam fidem notat, ſtultum in eo & inconſideratum fuiſſe carnis affectum; cæcum non ſolùm corpore, ſed & animo raptum fuiſſe in amorem primogeniti filii, & cum oraculo Dei fuiſſe luctatum. Hinc Pareus triplex in eo peccatum Iſaaci agnoſcit. 1. Affectum præpoſterum, quo nimium amavit filium deteriorem, negligens meliorem. 2. Injuriam in Jacobum, quem voluit privare benedictione, quam illi deſtinarat Deus. 3. Ignorantiam, vel neglectum oraculi, de præſtantia Jacobi.

Alii planè Iſaacum à peccato eximunt, & Calvini verba, aut Parei judicium blaſphemiæ arceſſunt. Inter quos is quem nuper nominavi Feuardentius. Quid diceret de Ruperto Tuitienſi Abbate, qui Iſaacum requirentem cibum ex venatione, ut benediceret filio ſuo, ſecundùm carnem quidem majori, at ſecundùm virtutem & coram Deo longè inferiori quàm Jacob, vult perſonam geſſiſſe eorum, qui propter commoda, vel obſequia, favorabiliter aliquos ordinare & promovere contendunt? Litis hujus diremptio pendet ab antecedentibus nonnullis, quæ prout variè accipiuntur, ſic in facto Iſaaci judicia partiuntur. Qui præſupponunt, Iſaacum non potuiſſe ignorare ſenſum oraculi divini, ratione diſparitatis, non duorum tantùm populorum,

ſed etiam duorum fratrum; imò ſcire potuiſſe in particulari primogenituram fuiſſe Jacobo aſſignatam à Deo; illi certè non potuerunt aliter judicare, quàm judicarunt Calvinus, Pareus, & alii. Deum voluiſſe Jacobum Eſauo præferri certiſſimum eſt. Non poteſt in dubium vocari, Iſaacum voluiſſe contrarium, & quantum in ſe fuit, procuraſſe. Si igitur novit voluntatem Dei, & adverſus ejus ordinationem auſus eſt contendere, imò oraculum quantum in ipſo fuit, irritum reddere. Hoc qui facit, meritò notatur præpoſteri affectus, injuriæ in Jacobum, & neglectus oraculi de Jacobi prærogativa. Id autem ſuppoſuerunt Calvinus, Pareus, alii; non latere eum potuiſſe, quid Deus pronunciaſſet, antequam naſcerentur; ſciviſſe primogenitum eſſe repudiatum, &c. Hoc ſi verum ſit, quiſquis vellet excuſare repugnantiam Iſaaci, dum ſancti honori conſulere vellet, ſacrilegii ſe reum faceret.

Quærendum ergo, an id ſciverit Iſaac. Id exiſtimat Calvinus, hoc argumento, quod ab uxore certior factus fuit cœleſtis reſponſi. Sed inde non videtur ſequi, notam ei fuiſſe prærogativam minoris filii. Nam hoc tantùm in oraculo fuit, *major ſerviet minori*, nempè major populus, quem notavimus ibi, *multum* dictum fuiſſe in textu. Ex his autem verbis non potuit, ſine alia explicatione, elici, Jacobum debuiſſe præferri Eſauo; quia tantùm dictum fuerat, duos populos in utero Rebecæ contendere, quorum unus prævaleret, minor, nempè, multo. Quî igitur ſciebat, quinam futurus eſſet multus ille populus? Deinde ſi inter populos hæc debuit eſſe diſcrepantia, potuit ignorare eandem incepturam à capitibus. Proinde non poſſum adduci, ut credam, ita intellexiſſe Iſaacum ſenſum oraculi, ut ex eo ſcire potuerit decretam fuiſſe Jacobo prærogativam, quod ſi fuiſſet, non poſſet ullo prætextu ejus inobedientia excuſari; carnalis enim affectus omnis eſt deponendus, ubi Deus loquitur.

At, ſaltem in eo culpandus eſt, quod cœleſtis reſponſi ab uxore certior factus, de ſuo officio non inquiſivit, quæ fuit inexcuſabilis ignavia. Pareus ignorantiam & neglectum appellat; vult autem fuiſſe ignorantiam affectatam, cùm eſſet (inquit) à Deo patefactum, & vulgò notum in familia. Non dubito, quin notum fuerit in familia, Eſauum vendidiſſe ſuam primogenituram, ſed non puto evulgatum fuiſſe apud domeſticos oraculum. Ad primogenituræ venditionem quod ſpectat, potuit Iſaacus exiſtimare rem fuiſſe ludicram, nec apud Deum eſſe ratum, quod inter duos fratres ex tam levi occaſione factum erat. Imò potuit res illa Iſaaco diſplicuiſſe, myſterium explicitè neſcienti, quod junior frater, à majore auſus fuiſſet, tam vili pretio petere primogenituram venditionis jure. Itaque nondum video, vel affectatam, vel ſupinam fuiſſe myſterii illius in Iſaaco ignorantiam; imò puto, Deum noluiſſe ipſi mentem aperire, ut ulterius videret, ne voluntati & affectui patris tribueretur prælatio Jacobi. Hoc cùm ita mihi videatur, etſi non caruerit Iſaacus quibuſdam infirmitatibus; putarem nihilominus, alienum fuiſſe ab omni voluntate repugnandi decreto Dei ſibi noto. Hoc enim malim, quàm tali & tanto viro, vel inobedientiam manifeſtam, vel ignorantiam ſupinã tribuere.

Erravit ergo Iſaacus in circumſtantia perſonæ, etſi non erraverit in re, id eſt, in ſubſtantia benedictionis. Notat Eucherius lib. 2. in Geneſ. cap. 27. numero 52. *Plura eſſe quàm exemplis probari debeat, ſanctos viros & Deo charos, ea tantùm ſciſſe, quæ eis à Domino revelata ſunt; ignoraſſe verò quæ revelata iis non fuerunt. Sicut & Iſaac vir juſtus & Deo charus, non illi cui voluit, ſed cui noluit, deceptus errore benedixit. Vnde,* inquit, *non mirum eſt, & Iſaac in ſua maximè utilitate neſciſſe quid faceret; quum magis eo tempore erraret, quo filium ſanguinarium, & deditum voluptati, & eum qui poſteà vellet fratrem occidere, prætermiſſo illo qui innocenter habitabat domi, vellet efferre, & ſuam magis, quàm Dei voluntatem facere. Vnde diſpenſationis divini judicii fuit, ut oculis privaretur.* Hæc ille ſub Eucherii nomine, quiſquis fuerit, ſive Anglus collector, ut vult Sixtus Senenſis, ſive alius. Qui in eo quod dicit, Iſaacum ſuam magis, quàm Dei voluntatem facere voluiſſe, neceſſariò intelligendus eſt de objecto illo voluntatis, id eſt, re volita; non autem de voluntate Dei cognita & revelata, cùm idem dixerit, ignoraſſe ſanctos viros, quæ eis revelata non fuerunt. Quo ſenſu contra voluntatem Dei faciebant fratres illi fideles Tyrii, qui Paulo ſuadebant, ne aſcenderet Jeroſolymam, Act. 21. ỳ. 4. nec tamen in eo peccabant, quia neſciebant Deum aliter decreviſſe.

EXERCITATIO CXVIII.

Analyſis hiſtoriæ de Rebecæ & Iacobi dolo. Vnde in illa deſiderium benedictionis in minorem filium derivandæ? Laus Rebecæ aſſignatur, ſine præjudicio fidei Iſaaci, & rationes utrinque expenduntur. Motiones morales æquales, variè homines afficere poſſe. Decretum Dei, ejuſque notitiam, non tollere media, & ſanctam ſollicitudinem. Quæ contra factum Rebecæ objici poſſunt. Calvinus iterùm contra ignivomum Monachum defenſus. Argumenta pro Rebecæ facto. Quæ in ea poſſint excuſari, quæ non? Adoranda Dei ſapientia in hominum erratis.

ET hæc quidem de Iſaaci mente, nunc ad Rebecæ & Jacobi factum veniendum eſt. Hujus facti hiſtoria habetur, à verſ. 5. uſque ad verſ. 25. Primùm, Rebeca narrat Jacobo filio ea quæ audiverat à marito fuiſſe imperata,

perata, & promiſſa Eſauo: Deinde, conſilium ſuum proponit de fratre præveniendo, & benedictione, quam alteri promiſerat pater, in ſe derivanda. Cui cùm objiceret Jacob, verſ. 11. & 12. diſſimilitudinem inter ſe & fratrem, & periculum, ne innoteſcente fraude, maledictionem auferret pro benedictione; illa, verſ. 13. ſcrupulum adimit, quantum in ſe eſt, & in ſe ipſam transfert periculum, tandemque perſuadet, ut obediat. Quod cùm ille feciſſet, paratis eſcis, & fratris veſtibus indutus, verſ. 14. & 15. manibus etiam & collo caprarum pilis circumtectis, ad patrem venit, verſ. 19. Et ſe Eſauum eſſe dicens, qui mandato patris obedivit, examinatur à patre, verſ. 21. & 22. qui, etſi vocem Jacobi agnoſceret, deceptus nihilominus pilis ſuppoſititiis, pro Eſau ab eo acceptus fuit, & benedictionem abſtulit. Hæc eſt totius illius hiſtoriæ analyſis.

In qua primum illud occurrit de Rebeca, unde proceſſerit in ea deſiderium illud de benedictione in Jacobum transferenda. Qui Iſaacum incuſant, tanquam Dei voluntati, quam noverat, aut ſaltem quam noſſe potuerat, reſiſtentem; contrariam laudem Rebecæ tribuunt, & ex tanto ſatagendi fervore inferunt, eximiam in ea fuiſſe fidem circa id particulare negotium; ex qua & non aliundè manare potuit, quod maritum in ſe provocare, hoſtile inter fratres odium accendere, dilectum filium Jacobum objicere præſenti mortis periculo, totamque domum turbare non dubitavit; animo igitur fuiſſe infixam hæreditatem à Deo promiſſam, & notum eidem fuiſſe, filio Jacobo decretam eſſe. Hoc poſito, dubitari non poteſt, quin laudabile fuerit deſiderium, & probandus conatus, ut id procuraret, quod à Deo conſtitutum eſſe noverat. Sed an id ita diſtinctè noverit, quod ab Iſaaco ignoratum fuiſſe diximus, dubitari poteſt. Nam quemadmodum affectus ille quo in Eſauum, tanquam primogenitum, ferebatur Iſaac, eum movit, ut eidem deſtinaret benedictionem, quam putavit debitam ei qui primus erat natus, minus expenſis circumſtantiis reliqnis; potuit etiam fieri, ut Rebeca ex affectu materno, quo hunc minorem proſequuta eſt, id etiam ſategerit, ut præferretur alteri. Neſcio enim qua ratione fieri potuit, ut ita explorata eſſet Rebecæ Dei voluntas, eam tamen Iſaac aut incognitam habuerit, aut cognitam apertè oppugnaverit. Quid ergo, detrahemus-ne ſanctæ mulieri laudem omnem in hac benedictione Jacobo procuranda? Id durum etiam nobis videtur. Quare ita ſtatuendum erit; Utrumque conjugem habuiſſe eadem externa argumenta vocationis Jacobi, & de iiſdem inter ſe contuliſſe: nec enim probabile eſt, ſanctam fœminam hanc ſibi notitiam reſervaſſe, ita ut voluerit eandem maritum ignorare. Quin potius cùm id ſibi perſuaderet, Deum deſtinaſſe, par eſt credere, eandem omnia moviſſe, quibus putavit ſe poſſe maritum ſuum, à quo pendebat hæreditaria illa benedictio, tanquam à Dei miniſtro, in ſententiam ſuam pertrahere. Argumenta externa fuerunt. 1. Oraculum de populo majore ſervituro minori; ſed tamen quod habere potuit ſuas exceptiones, ratione perſonarum, & ſuſcipere diverſas interpretationes. 2. Signum quod in partu fuerat datum, cùm Jacob plantam fratris teneret, ut qui ejus primatui reſiſtere vellet; ſed id potuit Iſaacus eludere, quia hoc non obſtante, Eſau primus egreſſus erat, & exiſtimare ſignum hoc fuiſſe conatus irriti. 3. In vendita primogenitura Jacobo; ſed oſtendimus fuiſſe etiam quod reponere poſſet adverſus talem actum, quem etiam putavit, ſe poſſe irritum facere, &c. 4. Potuit etiam eſſe argumentum in profanitate Eſau, & connubiorum cum Chananæis mulieribus confœderatione. Sed his omnibus acceſſiſſe in Rebeca peculiarem Spiritus ſancti inſtinctum, & internam motionem credimus, qua talibus propoſitis argumentis ita ſuaſum fuit ei hoc myſterium extra; ut ètiam intus fuerit planè perſuaſa, rem ita ſe habere apud Deum, quemadmodum illa ſibi propoſuerat; Deumque ſanctificaſſe ſingulari ratione affectum alioqui naturalem, & propenſionem erga Jacobum, ut quæ naturâ in eum affectu erat teneriore, certa eſſet in corde ſuo, Deum ita conſtituiſſe Jacobum extollere, quemadmodum & illa cupiebat præferri. Cùm autem Deus certas ob cauſas ſibi notas non ita voluiſſet movere vel flectere cor Iſaaci, qui ex humano judicio & aliis externis argumentis, putabat rem aliter ſe habere; non mirandum eſt, ſi non conceſſit in uxoris ſententiam, etſi Dei fuerit; ſi etiam in eo Rebeca prævaluerit; quia etſi paria habuerint adminicula, ratione externorum argumentorum, non pari tamen ratione, in deſignatione perſonæ operatus eſt Deus in utriuſque mente illuminanda, & voluntate flectenda. Sed Iſaacum, alioquin de promiſſione Dei non dubitantem in familia ſua, per fidem, ſuis ratiocinationibus relictum, in delectu perſonæ, ſivit ad tempus aberrare à ſcopo, ut ex aberrationis ejus extraordinaria correctione, gratiæ ſuæ in Jacobum virtutem & efficaciam majorem exhiberet. Hæc ita explicata, nobis videntur ſatis commodè ab omni rebellione adverſus Dei voluntatem & decretum Iſaacum excuſare: ex altera autem parte, laudem ſuam relinquere Rebecæ, imò Deo laudem & gloriam tribuere, in diſpenſatione inæquali illuſtrationis ſuæ circa illud objectum ſingulare; in qua etiam habemus exemplum diſtinctionis illius & diſcrepantiæ inter eos, qui cùm eadem habeant media externa in rebus fidei ſalutaris, & motiones, quas vocant, morales, non inæquales; in contrarias nihilominus deflectunt vias. Cujus rei ſi ratio quæratur, diſcrepantiæ dico, nulla alia dari poterit recta, præter inæqualitatem internæ motionis divinæ, & operationis Spiritus ſancti. Hic, in eo quod præcipuum erat, & ad ſalutem neceſſarium, uterque fide præditus fuit, nempè circa divinas promiſſiones; etſi diſpari ſententia, reſpectu illius qui futurus erat im-

mediatus

mediatus promiſſionum hæres. Teſtatur enim Apoſt. ad Ebr. cap. 11. ℣. 20. *Per fidem de futuris benedixiſſe Iſaac filio Iacob & Eſau.* Nempe per eam fidem quam habuit de promiſſionum divinarum in familia ſua complemento; qua etiam factum eſt, ut agnita tandem ex eventu, voluntate divina, circa objectum ſingulare, planè acquieverit, nec quod à Deo factum agnovit contra intentionem ſuam, reſcindere tentaverit, ut ſuo loco dicetur. Sic exiſtimamus excuſari poſſe Iſaacum, ſaltem à gravi peccato, & Rebeccæ laudem tribui intelligentiæ majoris, & obedientiæ in procurando voluntatis divinæ effectu.

Sed de modo & ratione qua uſa eſt ut benedictionem illam derivaret in Jacobum, hoc dato conſilio, ut patrem dolo circumveniret, quem ipſamet excogitavit, filiumque inſtruxit, hæſitantemque & metuentem confirmavit, an inquam talis modus culpa omni apud Deum caruerit, inquirendum eſt. Primò, id laudabile in ea Rebecę cura animadvertimus, quod etiamſi certa eſſet, ut anteà ſuppoſuimus, Deum ita conſtituiſſe, ut id infallibiliter eveniret, quod Jacobo cupiebat conferri, quia ſatis noverat conſilium Dei irritum fieri nulla ratione poſſe; non tamen propterea putavit, non ſibi eſſe ei rei invigilandum, mediaque omnia eſſe negligenda. Noverat enim ſancta fœmina, providentiam divinam ejuſque certitudinem circa fines ſibi propoſitos, non excludere media, quæ & ipſa in providentiæ divinæ ordine locum ſuum habent. Quod axioma maximè neceſſarium eſt, ne quis doctrina de providentia divina ſive ſingulari, ſive communi, abutatur ad deſidiam & ignaviam ſuam excuſandam: ut etiam reſpondeant pii calumniis Sophiſtarum ex Pelagii ſchola, qui doctrinam de prædeſtinatione Dei, ſalutis certitudine, & ſimilibus infamant, quaſi ex ea id ſequeretur, hominibus otiandum eſſe, aut indulgendum genio, relicta Deo cura exequendi ſui decreti, quod effectum ſuum ſortietur, ſive benè ſive malè ſe gerat homo. Non ita eſt; nam etiam ſi quis ex ſpeciali revelatione de ſua ſorte eſſet certus, non deberet tamen ea omittere per quæ finis optatus promoveretur; ſi præſertim media ſint ordinaria & præſcripta, omnibus ad talem metam tendentibus.

Sed jam de medio quod adhibet Rebeca inquirendum eſt. Videbat quidem illa, ſicut anteà expoſuimus, Jacobum eſſe hæredem à Deo deſtinatum; credere etiam debuit in Dei manu eſſe ut opus ſuum exequeretur, etſi omnes homines refragarentur. Nihilominus cum audit Iſaacum aliud meditantem; & videt Eſauum obtemperantem patri, brevi rediturum, ut benedictionem adipiſcatur, id avertere cupit omni conatu, & ad dolum converſa abuti deliberat cæcitate mariti, ut quod non potuerat rationibus, illud arte, & aſtu, conficiat. Id an licuerit, quæritur. Certè factum Rebeccæ in ſe conſideratum, & ad regulas communes examinatum, in omnibus probari non poteſt. Primò in eo videtur peccaſſe contra legem, quod marito cæco poſuit offendiculum, cum Deut. 17. ℣. 17. Maledictio pronuncietur in eum, *qui cæcum in via errare facit.* II. Videbatur filio Eſauo parum æqua, quem paternæ benevolentiæ fructu privare intendebat. III. Jacobum ad fallendum patrem & ad mentiendum inſtruebat, exponebatque periculo odii fraterni, aut maledictionis paternæ. IV. In ſe ipſam injuria viſa eſt, dum præcipitantia muliebri maledictionem filii in ſe recepit, cavens ei ſuo periculo de fallaciæ eventu. Poſtremum illud etiam in conſiderationem venit, quod conſilium Dei dolo & mendaciis promovere cogitat, nec expectat dum ipſe oraculum ſuum impleat, facitque malum, ut eveniat bonum, contra regulam Apoſtoli Rom. 3.

Hæc omnia Calvinus in commentario notat, Iſaacum fuiſſe *muliebri aſtutia* deceptum; vitio non caruiſſe Rebecæ *dolum.* Non debuiſſe maritum *circumvenire* tali *fallacia.* Mendacium per ſe *damnabile* eſſe, ſed gravius fuiſſe peccatum, quod talibus *præſtigiis* in re ſacra uſa ſit; cœleſte oraculum *mendacio* ſuo obſcuraſſe, &c. Hinc Feuardentius in Calvinum ignem ſuum evomit, tanquam in eum qui in ſanctiſſimam matronam contumelioſe invaſit, eam vocantem, *aſtutam, doloſam, fallacem, damnabilem, mendacem, præſtigiis in re ſeria ludentem,* &c. Scilicet monacho idem eſt, factum aliquod reprehendere, illudque ad ſuam ſpeciem revocare, & perſonam ipſam, ut quæ habitum mali contraxerit, proſcindere. Non amplius locum habebit Philoſophicum axioma, *actio una habitum non facit*; qui ſemel fefellit, fallax erit; qui ſemel mentitus eſt, mendax; qui ſemel luſit præſtigiis, præſtigiator. Ad quam regulam, ſi vita ſanctorum omnium examinetur, vix ullus erit, in quem non quadret infamis aliquis titulus. David erit mœchus, proditor, homicida, &c. Petrus erit abnegator Chriſti; etiam poſt converſionem diſſimulator, & qui ſcandalo ſit infirmis; Et in Petrum blaſphemus fuerit Paulus, qui ad Galat. ſcripſit, *Se reſtitiſſe ei in os eo quod eſſet condemnandus, nec recto pede inceſſiſſe, ut veritati Evangelii congruebat.* Galat. 2. ℣. 12. & 14. *Gentiliter vixiſſe, Gentes coëgiſſe judaiſare.* Ergone propterea dixit, Petrum fuiſſe hominem in Evangelio obliquum, Gentilem, Judaiſantem? &c. Id certè ſequeretur ex calumniatrice Feuardentii Logica. At nos ſcimus aliud eſſe de re ipſa judicium ferre, puta de actione aliqua, aliud de ipſa perſona ſtatuere. Et voces eſſe quæ habitum ſignificant, alias quæ actum tantum; atque inter eas maximam eſſe differentiam; quas qui confundunt, aut imperiti ſunt, aut iniqui. Non potuit Calvinus excuſare factum Rebecæ, quæ oraculo Dei edocta de Jacobi electione, malo artificio ei viſa eſt benedictionem Jacobo procurare, variiſq; fraudibus veritatem Dei corrumpere, quæ maritum gratiæ Dei miniſtrum multis modis fefellit, idque per filium, & mentiendo. Credidit enim, & merito, mendacium nullum ex veritate eſſe. 1. Joh. 2. ℣. 21.

Sunt

Sunt tamen etiam docti & pii viri, qui etſi agnoſcant excuſari non poſſe factum Rebecæ ad communem regulam examinatum, præſertim ſi affectu tantum humano & ratione inducta, dolum procuravit; prudenti tamen conſilio id totum adſcribi poſſe putant, quo voluit errorem mariti corrigere, cum fide certa eſſet eum errare in perſona. In ipſo deſiderio & procuratione tranſlationis hujus benedictionis, nulla eſt difficultas; ſed ad occaſionem & modum quod ſpectat, dicunt Dei inſtinctu fuiſſe edoctam, quia in negotii illius ſucceſſu & eventu, ſingularem Dei providentiam illuxiſſe manifeſtum eſt. Hæc præſertim ponderat P. Martyr, & ex eo Pareus, quod hæc omnia concurrerint, Iſaaci cœcitas; appetitus edendi ferinam; mandatum Eſauo factum, audiente Rebeca; quod cum audiverit vocem eſſe Jacobi, perrexerit tamen; quod non diſcreverit inter ferinam & hœdinam carnem; quod deceptus non conqueritur, nec benedictionem retractat; quod datum fuit Jacobo ſpatium quo hæc omnia potuerint peragi, ante quam Eſau reverteretur. Unde inferunt Dei providentiam non vulgariter adfuiſſe. Id etiam extra controverſiam ponimus. Nec tamen ſufficit, ut humana facta, quibus uſus eſt Deus in bonum, quibus etiam occaſionem & oportunitatem non denegavit, in omnibus ſuis circumſtantiis probentur. Addunt igitur Dei inſtinctum & monitum, quo inducta fuit ad id ſuſcipiendum, cujus etſi nulla ſit expreſſa mentio, tamen ex circumſtantiis piè ſtatuitur fuiſſe præmiſſum. De inſtinctu Dei, quo inducta fuit ad Jacobum præferendum, eoque ſpeciali, dubitandum non eſt; ſed de monitu ratione modi quo uſa eſt, & conſilii quod Jacobo ſuppeditavit, alia ratio eſt, nec ſine probatione validiori admitti debet. Quod enim Lutherus dicebat, exceptionem factam fuiſſe à regula per divinam revelationem, cogitaſſeque Rebecam, omnes dolos, fallacias & ſimulationes vitioſas eſſe, ſed cum exceptione earum quas Deus jubet; id quidem haberet aliquem colorem, ſi de revelatione & mandato Dei conſtaret. At id eſt quod quæritur. Præterea, durum eſt ſi quis dicat Deum fraudem & mendacium juſſiſſe, ex peculiari revelatione. Legimus quidem Deum revelaſſe Rebecæ majorem ſerviturum minori, & Jacobum Eſauo potiorem fore argumentis potuit colligere, accedente præſertim interna illuſtratione: Sed non legimus Deum præcepiſſe ei, ut per fraudem jus hæreditatis in filium derivaret; nec cum illa filium ad fraudem inſtrueret dixit, auſculta voci Dei & præcepto Jehovæ; ſed, *auſculta voci meæ, rei quam ego præcipio tibi.* Unde Abulenſis in hunc locum, quæſt. 4. *Non fuerat revelatum* (inquit) *Rebecæ à Deo quod iſto modo faceret*; *acquieſce inquit conſiliis meis*; *non dicit Dei, ſed meis.*

Agnoſco non fuiſſe dolum malum, quale eſt cum aliquid fingitur, quo alius fallitur in perniciem ſuam, proinde non valere adverſus Rebecam, prohibitionem de non ponendo cæco offendiculo; non enim id fecit, ut laberetur Iſaac, ſed ut non impingeret contra oraculum divinum. Non malè ergo comparari dolum illum cum eo quo utitur medicus erga ægrum, quem decipit ut ſanet, & mater infantem, ut comedat & dormiat. Quod autem ſpectat confidentiam illam qua hæſitantem Jacobum confirmat, derivata in ſe maledictione quam timebat, in eo libens eam ab omni culpa abſolverem. In talibus enim quæ ambigua ſunt, ex charitate meliorem partem deligere convenit, ubi cauſa eſt probabilis, qualem hoc loco eſſe cenſeo; nam cum ſuppoſuerimus eam fuiſſe certam de voluntate Dei circa Jacobi prærogativam, non tribuendum videtur zelo præcipiti, quod adeò confidenter reſpondet, *ſuper me ſit maledictio tua, fili mi.* Sic enim loquuta eſt, ut quæ ſciret non futurum, quia divinitus erat edocta, Jacobo deſtinatam fuiſſe benedictionem. Ideò Paraphraſtes Chaldæus, hæc ejus verba ſic reſolvit, *mihi dictum eſt per prophetiam, quod non venient maledictiones ſuper te, mi fili.* Non igitur fuerunt verba temeraria, ſed ſecuræ mentis atque confidentis in promiſſionibus divinis; quomodo ſimili locutione ſolemus uti, cum volumus indicare nos de aliqua re ſecuros eſſe aut nihil metuere; *I'en prens le dommage ſur moy*; hoc eſt, quicquid inde acciderit damni, id facio meum.

Quid igitur ſupereſt quod in actione Rebecæ poſſit improbari? Illud mihi videtur excuſari non poſſe, quod ea omnia præparat, quibus cogitavit effici poſſe ut Jacob pro Eſauo haberetur; cibos nempe ferinam ementientes, veſtes Eſaui, fictitios pilos, &c. Hæc enim viam præparabant ad mendacium, ad quod etiam Jacob inſtigabatur. Nam quod Pareus dicit, inſtitutum fuiſſe tantum ad repræſentandum Eſau factis, oblatione epuli, veſtitu & cutis hirſutie, & in talibus non fuiſſe peccatum, quia aliud eſt ſimulare factis quæ per ſe nihil ſignificant; aliud verbis, quæ ſunt determinata rerum ſymbola, & per ſe fallunt cum à veritate diſſentiunt; id pace doctiſſ. viri, nimis eſt dilutum. Facta enim illa per ſe nihil ſignificaſſe verum non eſt, in talibus præſertim circumſtantiis, nec fuit mens Rebecæ ut nihil ſignificarent. Quin omnem adhibuit operam quam potuit, ut effingeret Iſaacum Eſauo ſimillimum. Deinde, quis credet fabulam illam totam ita factis adornaſſe, ut verbis etiam non docuerit Jacobum, quomodo ſe gerere deberet, ut patri imponeret? Id certè planè neceſſarium fuit, ut inde fructus quem illa ſperabat colligeretur, nempe ut affirmaret ſe eſſe Eſauum: eamque fuiſſe partem materni conſilii, ex ejus objectione conſtat ℣. 11. *Eſau frater meus eſt vir piloſus, & ego vir levis, fortè attrectabit me pater meus*, &c. Quæ verba reſpondent inſtructioni matris, qua ſuadebat ut ſe Eſauum eſſe fingeret, factis & dictis.

Excuſatis ergo, quæ poſſunt excuſari, ne tamen vel Dei miſericordiam imminuamus; vel anſam præbeamus iis qui ſanctorum exemplo fingere & mentiri ex

Eeee occa-

occaſione, malum non eſſe docent; agnoſcendum eſt non ſemper puram & liquidam omnium notitiam lucere in animis piorum, ut in ſingulis actionibus à Sp. Sancto regantur; ſed exiguam lucem quæ viam illis monſtrat, variis ignorantiæ & errorum nebulis fuiſſe implicitam; ut rectum curſum tenentes & in ſcopum intenti, ſubinde labantur. Hoc primum, quod Calvinus rectè notavit, non detrahens ſanctorum pietati & fidei, ſed nec etiam eorum infirmitates & labes diſſimulans, ut in operibus Dei ſanctiſſimis & puriſſimis, non admiſceantur humanæ maculæ, ſed ita ſeparentur, ut Deo conſtet ſua laus. Alioqui cum idem agnoſcat, *Animo Rebecæ penitus infixam fuiſſe hæreditatem à Deo promiſſam, quam ſciebat Iacobo decretam eſſe, itaque in fœdus Dei recubuiſſe, & memorem accepti oraculi mundi fuiſſe oblitam*; ſatis ſe purgat à calumnia qua impetitur à malè feriatis illis, tanquam horrendarum in ſanctos calumniarum reus.

Ergo, licet ſancta fœmina videatur rem tantam temerè aggredi, ubi potius expectanda fuiſſet Domini voluntas, qui, etſi occaſio quam præ manibus habebat prætermiſſa fuiſſet, habebat in manu alias rationes quibus decretum ſuum exequeretur, & patefaceret ſuum de Jacobo oraculum, corrigit tamen Dominus, ſi quid ab illa erroris prę nimio affectu fuit commiſſum. Sic ſæpè ſanctorum errores & ſi quid exciderit temerè, in bonum convertit, & ad lætum exitum perducit; ita ut fœliciter cedant, quæ aliquando imprudenter, ſed tamen non ſine fide, ab iis ſuſcipiuntur. Adorandam ergo hic agnoſcimus ſingularem Dei providentiam, & arcanum ſpiritus ductum quo impulſa fuit Rebecca, cujus conatibus effectum dabat Deus, licet quædam per media reprehendenda procederent, nec enim poteſt excuſari à fallacia & mendacio.

Exercitatio CXIX.

Expenduntur Iacobi verba & facta. De his tres ſententiæ proponuntur. Rabbinorum quorundam ineptiæ. Arguuntur qui æquivocis, & mentalibus reſervationibus volunt Patriarcham induliſſe. Qui Iacobum propheticè loquutum fuiſſe volunt, non probantur & eorum rationes refutantur. Qui mendacium fuiſſe fatentur, ſed ſine peccato, illud Deo adſcribentes. Rejiciuntur. Simplex & vera ſententia. Confirmatur. Non repugnante Pererio; ſuffragante Mario. Quomodo peccatum illud fuerit veniale?

Iam de Jacobo videndum in executione materni conſilii, in qua non minores ſe offerent difficultates, imo multo plures. Quia non ſolum ea facit ex quibus conſtat ſe à patre pro Eſau fratre haberi voluiſſe, ſed etiam ea dicit expreſſis verbis, quæ à mendacio vix poſſunt excuſari. Primum enim dicit ℣. 19. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau, feci ſicut præcepiſti mihi.* II. Cum Iſaac miraretur quod tam cito rediiſſet, interrogaretque quomodo ferinam tantillo temporis ſpatio invenire potuiſſet, Reſpondet verſ. 20. *Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam.* Ad verbum ex Ebræo ſignificantius, *quia occurrere fecit Dominus Deus tuus coram me.* Item cum iterum rogaret Pater, *Tu ipſe filius meus Eſau?* Reſpondit, *Ego ſum.* verſ. 24. Accedit quod ipſe parens Iſaac poſtquam rediiſſet Eſau, dixit verſ. 35. Venit frater tuus במרמה *bemirmah*, in dolo, & accepit benedictionem tuam.

Hic interpretes in tres abeunt ſententias, quas ordine expendemus. I. Eorum eſt qui negant planè, mentitum fuiſſe Iſaacum. II. Eorum qui mentitum fuiſſe quidem concedunt, ſed negant peccaſſe mentiendo. III. Eorum qui concedunt mentitum fuiſſe, & mentiendo peccaſſe, ſed Deum ex malo bonum eruiſſe. Qui primam ſententiam amplectuntur, iterum variis incedunt viis. Nonnulli, etiam inter Ebræos, volunt ut poſt illud אנכי anoki, *ego*, nempe, ſum; punctum intelligatur, & ſic legatur ſeparatim, & ad interrogationem, *quis tu es?* reſpondeat *ego ſum*, nempe qui cibum præparavi tibi. Sequentia autem ſeorſim ita legantur, *primogenitus tuus Eſau*, id eſt, Eſau eſt filius tuus primogenitus. Verba autem quæ ſequuntur *feci quod juſſiſti*, reſpexiſſe aliud mandatum, non illud de ferina. Sic Rabbi Levi, in Bereſchit Rabba, cap. 65. *Ego ſum, decem verba ſuſcepturus, ſed Eſau eſt primogenitus tuus.* Has ineptias Rabbinicas commemoraſſe, confutaſſe eſt; & quæ ſequuntur, commentum illud ferre non poſſunt. Sed alii ſunt, qui eandem opinionem aliter explicant. Qui hoc tempore ludere ambiguitatibus & æquivocationibus licitum putant, imò aliquando neceſſarium, & prudentiæ partem faciunt; qui docent non teneri reſpondentem, ad interrogantis mentem & ſenſum, reſponſionem ſuam accommodare, ſed ad ſuam ipſius mentem, nonnulla etiam ſubintelligendo, quæ non exprimit, facili negotio ſe expediunt. Nam adhibitis æquivocationibus & mentalibus hiſce reſervationibus, nullum erit tam craſſum mendacium, vel perjurium, quod in veritatem mutari non poſſit. Itaque verba Jacobi, *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, ſic volunt intellecta fuiſſe à Jacob, Primogeniti tui Eſau vices ſuſtineo, & loco ipſius ſum; feci ſicut præcepiſti mihi, nempe in perſona Eſau quam refero. *Comede de venatione mea*, id eſt, comede carnes à me paratas, quæ tibi erunt pro vena-

venatione aut ferina. *Dominus Deus tuus occurrere fecit coram me quod volebam*, (ſic enim habet vulgata) id eſt, cupiebam ſcire tempus quo benedictionem primogenito collaturus eſſes, hoc mihi jam Dominus occurrere fecit. Quod autem poſteà interrogatus an ſit Eſau, reſpondet *ego ſum*, eadem arte eludetur, nempe ego ſum, ſubintelligendo Jacob; vel, ego ſum Eſau, non quidem juxta tuam mentem, ſed juxta meam, quia nomine Eſaui me tibi ſiſto, &c. Talibus hominibus non obſtat, ſi illud quod exprimitur per ſe ſit falſum, quia non intendit qui loquitur per ſe & ſolitariè affirmare, ſed conjunctum cum eo quod tacitus addit, cum quo eſt verum. Quod enim exprimitur ſolùm pars eſt totius orationis, quæ partim conſtat oratione externa, partim mentali. Hæc Leſſius de Juſtitia & jure, lib. 2. cap. 42. dub. 9. Et ibi citat dictum Jacobi. Amabo vos, quid hoc eſt, niſi latam aperire portam mendaciis & perjuriis, & inter homines pactorum omnium & contractuum fidem reſcindere, atque adeo ſocietatem omnem civilem à fundamentis ſubruere? Cum enim verba ſerviant ad id ut mentem noſtram proximo exprimamus, an ſufficiet ſi ea nobis reſtringamus, quæ talia non ſint, ut intelligantur aut intelligi poſſint ab eo cui loquimur? quomodo participem mentis noſtræ facere poſſumus eum, cui verba facimus planè à propoſito aliena, & quorum ſenſus noſtræ cogitationi contrarius eſt? Regula proponitur Matth. 5. ℣. 37. Sit ſermo veſter, *eſt eſt*, *non non*, &c. quam Jacobus repetit cap. ultimo; qua geminatione videtur uſus Dominus, ut deſcriberet duplicem conformitatem noſtræ vocis, aut verborum noſtrorum, unam cum re, alteram cum conceptu noſtro, ut id efferamus quod eſt, & quod eſſe ſentimus. Quam interpretationem legimus in ipſo decreto, ex Innocentio III. cap. de jurejurando, ubi ait, *Etſi Chriſtus præceperit ſecundum Evangelicam veritatem, ſit ſermo veſter, eſt eſt, non non, ut affirmatio vel negatio, ſicut procedit ex ore, ita procedat ex corde*, &c. Unde patet regulam Chriſti eſſe, ut mens non reſtringat, quod lingua non reſtringit, ſed in hoc utraque ſibi conſonent. Hoc non faciunt qui aliud habent in ore, aliud in pectore clauſum, quod omnibus iſtis *mentalibus*, ut ita loquar, *reſervatoribus*, commune eſt. Qui certè dum Jacobum in ſuas partes trahunt, cum quem virum ſimplicem & ſincerum, ſuprà Moſes nobis exhibuit, vafrum & verſipellem nunc depingunt. Aliud eſt enim aliquando ex infirmitate mendacium aliquod præferre; aliud per reſtrictionem mentalem, velle ſuum mendacium tegere. Qui hoc facit, ſua illa reſtrictione convincitur non præcipitanter fuiſſe mentitum, ſed quodammodo meditatum eſſe mendacium, quod gravitatem peccati auget. Talis certè ſermo veritatis virtuti & ſimplicitati repugnat, & propriè eſt eorum qui *in corde & corde* loquuntur, pertinetque ad duplicitatem, qua homo unum intendit, & aliud prætendit. Atqui ſcriptura os bilingue deteſtatur, & væ dicit iis qui ſunt duplici corde. Virtus ergo veracitatis prohibet, reſtrictionis mentalis malagmate corrigi falſitatem enunciati. Quid enim, an veraciter loqui exiſtimabitur, qui oratione mixta ex cogitatione & eloquio, veram ſibi propoſitionem effert, quam ita apud proximum mutilat, ut nil niſi falſum efferat? Id certè non eſt loqui veritatem cum proximo ſuo, ſed mentiri recocto in mente mendacio, ut non malè notat adverſus ſuos, Malderus Epiſc. Antverpienſis, in tractatu *de abuſu reſtrictionum mentalium*, cap. 8. *Mentitur*, inquit, *qui dicit ſe non vidiſſe, cùm viderit.* Si recognoſcens hoc mendacium apud ſe, dicat, *Vidi, ſed non Romæ*, cùm Capuæ viderit, quid aliud facit, quàm quod mendacium ſuum mente confirmet, dicendo in mente, *Vidi*, cùm effatus eſt proximo ſe non vidiſſe: addendo, *ſed non Romæ*, non corrigit mendacium, ſed potius in mente ſua ſe mentitum fuiſſe agnoſcit, quamvis id proximum celet. Agnoſcit ibidem, ſermonem iſtum ex verbali & mentali, ut loquuntur, mixtum, ſimplicitati, ſinceritati, adeoque veritati repugnare, quæ non advertitur, nec adverti poteſt à proximo, qui ſe puram mentem tuam haurire putat. Mixtionem hanc fermentum eſſe, quod Apoſtolus ſinceritatis & veritatis azymo opponit. Quam duplicitatem benè correxit Jacobus, cap. 3. quando dixit: *Emundate manus, peccatores; & purificate corda veſtra, duplices animo:* quando enim proximi menti offundunt tenebras, propriam ſuam maculant. Contra quos etiam citat illud Eccleſ. cap. 2. *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Hanc qui Jacobo affingunt praxim, judicet quivis mente ſanus, an non in ſanctum virum ſint contumelioſi.

Sed alii jam olim fuerunt, inter quos Auguſtinus, cujus hoc tempore ſententiam multi ſequuntur qui Jacobum ab omni mendacii labe ſe purgaturos exiſtimant, ſi dicant eum in his omnibus dictis, in quibus ſubeſſe videtur mendacium, ratione quadam prophetica fuiſſe uſum, ita ut *quod Iacob matre fecit autore*, ſunt verba Auguſtini ad Conſent. cap. 10. *ut patrem fallere videretur, non ſit mendacium, ſed myſterium, cognitioneſque & actiones hæ fuerint propheticæ, ad ea quæ vera ſunt, intelligendum referendæ.* Dicunt igitur verba & facta Jacobi poſſe habere ſenſum præciſum verum, eo modo quo actiones & enunciationes propheticas veras eſſe oportet, ſine ullius æquivocationis admiſſione. Sic autem explicant. Primum de ſenſu præciſo vero, *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, id eſt, *jure & privilegio*, quem ſenſum nolunt latere in mente, ſed ſignificari per vocem & ſignum externum, ut ſimilis ſit tropus, qualis eſt in his Chriſti verbis, Matth. 11. quibus Baptiſtam dicit eſſe *Eliam qui venturus erat*, non quidem quoad ὑπόςασιν, perſonam & proprietates individuales, ſed quoad officium & virtutem. Sic nomen Eſau in enunciatione Jacobi, non ac-

cipi pro eo qui naturam Eſau individualem haberet; ſed pro eo qui ex ordinatione divina haberet jus primogenituræ. Cùm autem tropi nón ſint mentales reſtrictiones, nihil promovere qui exemplo Jacobi abutuntur, ad tale mendaciorum artificium commendandum.

Ad veritatem propoſitionis quod ſpectat, dicunt etiam manifeſtam ex eo eſſe, quod Dei ſententia & decreto, primogenitura fuerat ab Eſau tranſlata in Jacobum, idque à Rebeca cui talis ſententia Dei revelata fuerat, patefactum fuiſſe Jacobo. Supponunt autem quicquid ab Iſaaco dictum aut factum fuit, prophetice dictum aut factum fuiſſe: item in omnibus Jacobum fuiſſe prophetico ſpiritu afflatum. Proinde non ſpectaſſe tum verba illa tanquam verba patris ignorantis quis eſſet; ſed tanquam verba Dei qui per os Iſaac loquebatur, & cujus ſenſum aſſequebatur Jacob. Itaque reſpondiſſe Jacobum ad rem, & ad ſenſum Spiritus ſancti. Adhæc, etſi neuter in particulari cognoviſſet Dei intentionem ante finem actionis, neſciviſſetque quis ille ſenſus eſſet, quem Spiritus ſanctus intenderet, ſufficere ad liberandum utrumque à mendacio, quod in genere intendebant obedire Spiritui ſancto. Cùm autem Jacob non humano modo, juxta leges civilis conſuetudinis converſandi loquutus ſit, ſed myſterioſo, ut loquuntur, propheticoque modo reſtringente veritatem dicti ad ſenſum inuſitatum; non favere exemplum Jacobi æquivocatoribus, qui de ſe hoc non profitentur, nec profiteri poſſunt.

Hæc ſententia meritò non placuit aliis quibuſdam Pontificiis, cujus etiam explicatio multa continet σφάλματα. Prophetica fuiſſe nonnulla in hoc negotio negari non debet, præſertim ſi benedictionem ſpectemus, in qua non dubitandum eſt, Spiritum ſanctum direxiſſe linguam Iſaaci, ut ea proferret quæ decreverat Jacobo & poſteritati ejus largiri. Sed omnia quæ ab Iſaaco extra benedictionem facta & dicta fuerunt prophetica fuiſſe, nulla ratione probari poteſt. Adverſus hoc commentum igitur rectè argumentatur Cajetanus poſt Alphonſum Toſtatum. Si dixiſſet Jacob, *Ego ſum primogenitus tuus*, poſſet id in bonam partem accipi, & à mendacio excuſari, quod primogenituram ejus emerat, vel quod eam Deus ipſi aſſignaverat. Sed cùm addiderit nomen *Eſau*, quod eſt perſonæ, non dignitatis & officii, idque iteraverit ſimpliciter reſpondendo, *Ego ſum*, cùm pater interrogaret rurſus, *Tu es filius meus Eſau?* ſine mentione primogenituræ, non poteſt per figuratam locutionem ejus reſponſio excuſari. Nam quod reſpondent, Eliæ nomen à Chriſto Joanni Baptiſtæ attributum, & Davidis nomen ipſi Meſſiæ à Prophetis, ſunt diſſimilia exempla. Ratio eſt, quia cùm Elias & David non amplius eſſent in vivis, proclive erat intelligere eos qui multis poſt ſeculis naſci debebant, horum virorum nominibus deſcribi, ob aliquam ſimilitudinem vel conjunctionem, vel morum vel munerum, vel etiam propter dependentiam ortus & propagationis. At hîc agebatur de duobus fratribus viventibus, quorum unus alius eſſe non potuit, ne quidem per ſimilitudinem. Nam ſi prima excuſatio valeat, quod revera debebatur primogenitura Jacobo, cujus rei etiam certus erat; tunc non potuit ei tribui nomen Eſaui per ſimilitudinem. In exemplis allatis apparet, non ideò Baptiſtam fuiſſe dictum Eliam, quia munus propheticum & reliquæ Spiritus dotes quæ fuerunt in Baptiſta verè, in Elia tantùm fuerunt æquivocè & δόξαστῶς; ſed quia quemadmodum Elias fuerat magnus Propheta & reſtaurator collapſæ religionis in populo Dei, ſic veniebat Baptiſta cum eodem ſpiritu & virtute. Meſſias etiam dictus fuit David, quia David fuit parens & typus Meſſiæ. At nihil tale fuit inter Eſauum & Jacobum. Nam Eſau non referebat Jacobum, neque typus ejus erat, neque erat inter eos ſimilitudo morum, aut vocationis. Manet igitur firmum argumentum contra ſecundam eluſionem.

Sunt qui diſtinguunt in interrogatione Iſaaci duos ſenſus, quorum unum appellant ſpeculativum, alterum practicum. Speculativum dicunt, quatenus putabat perſonam Eſau benedici debere; practicum autem, reſpicere aiunt intentionem practicam Iſaaci, quæ erat poſtulare benedictionem primogeniti illius qui revelatus fuerat Rebecæ, in hoc ſenſu practicè loquendo Iſaacum intellexiſſe ſuam quæſtionem, & ad eam in eo ſenſu rectè reſpondiſſe Jacobum. Sed hæc ſunt ludicra; nam Jacobus reſpondebat non generali intentioni parentis de benedicendo primogenito, ſine reſpectu perſonæ, quæ certè in eo nulla fuit; ſed quæſtioni de Eſauo, num Jacob ille eſſet quem præ ſe ferebat. Proinde non verum eſt, reſpondiſſe ex mente Spiritus ſancti. Ridiculum autem eſt, quod Pererius affert ex ſignificatione nominis Eſau, quod, inquit, ſignificat *facturam*; rectè igitur reſpondiſſe, *Ego ſum factura tua, id eſt, filius tuus*, at de proprio nomine interrogabat, non de nominis ſignificatione.

Quod autem addit idem, ut eludat diſtinctionem allatam, fuiſſe aliquam ſimilitudinem inter eos quorum unius nomen, alteri fuit communicatum, ſive typicam, ſive officiorum & munerum, &c. ex qua qui audiebant, facilè poterant intelligere conſilium & intentionem loquentis; uſitatum etiam eſſe in Scriptura, unam rem vocari nomine alterius rei, omninò aliud intelligentibus qui audiebant, quàm quod intelligebat loquens, ut cùm Joan. 2. dixit Dominus, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, quod Judæi de templo quod erat Jeroſolymis dictum putarunt, cùm de corpore ſuo loqueretur. Id etiam ad rem non facit. Primò, quia non reſpondebat Dominus eorum interrogationi, ſed aliquid ænigmaticum iis proponebat. Secundò, quia inter Templum & corpus Chriſti erat ſimilitudo, ut inter typum, & rem typo ſignificatam. Ad exemplum quod ſpectat Angeli, qui apud

apud Tobiam, fingebat ſe Azariam, Ananiæ magni filium, Tob. 5. poſſemus etiam reſpondere exemplum eſſe diſſimile; ſed non opus eſt eò recurrere, quia liber eſt Apocryphus, nec poteſt Angelus ille, ſi quis talis fuerit, & non potius fictum ſit drama, haberi pro Angelo lucis.

Fuerunt ergo, qui cùm non viderent iſtiuſmodi diſtinctiunculis nodum illum ſolvi, exiſtimarunt ſecandum eſſe, ita ut faterentur admiſſum quidem fuiſſe à Jacobo mendacium, ſed tamen in eo nullum fuiſſe peccatum, quia ſupponunt id ab eo factum fuiſſe jubente Deo; quæ ſententia fuit Innocentii III. titulo de divortiis, cap. *Gaudemus*, ubi cùm affirmaſſet adverſus polygamos, *non licuiſſe unquam ulli plures ſimul uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum, per quam*, inquit, *ſicut Iacob à mendacio, Iſraëlitæ à furto, & Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ & alii juſti viri, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur.* Sic etiam Gab. Biel in 3. ſentent. hujus reſponſi meminit: *Si falſum* (inquit) *dixerunt, non oportet concedere in illo falſo dicto peccaſſe eos; poterant enim ſic dicere ex familiari conſilio Spiritus ſancti.* Hoc idem proponit Petrus Alliacenſis in I. Sententiarum ſub finem quæſt. 12. Hanc ſententiam graviter refutat, & meritò, Jeſuita Pererius, miraturque eam nonnullis ex ſuis Catholicis non indoctis in mentem veniſſe, aut ſaltem probabilem fuiſſe viſam. 1. quia mendacium eſt actus intrinſecè malus moraliter, & per ſe peccatum eſt diſplicens Deo, unde rectè infert, non poſſe à Deo præcipi, aut ſuaderi. 2. ab abſurdo, quia qui aliquid præcipit fieri, aut vehementer ſuadet, vel autor eſt, ut fiat, id facere etiam dicitur; unde ſequeretur, Deum eſſe autorem mẽdacii, & mendacium poſſe dicere. Sic nutaret tota Scripturæ fides.

Supereſt igitur, ut ſimpliciſſimam ſententiam amplectamur, quæ ſtatuit, Jacobum non poſſe excuſari à mendacio. Quæ ſententia, ut etiam fatetur Barneſius in diſſertatione contra æquivocationes, liberat à variis moleſtiis ſacrum textum explicandi, abſolvitque curto ſermone reſponſionem ad argumenta æquivocatorum, qui non poſſunt inde ſubſidium quærere fallaciis ſuis, cùm mentitus ſit non ſanctè, vir ſanctus; nec ſequatur mentiendum de jure, ſi alicui, alioqui pio viro, accidit mentiri de facto. Quod factum voluit Spiritus ſanctus, ut alia multa, nobis in Scripturis innoteſcere, non ad efflagitandum à nobis illius imitationem, ſed ut agnoſcamus, neminem in hac vita eximi à neceſſitate, quam dilectus Apoſtolus ſibi etiam applicat, 1. Joan. 1. ỳ. 8. veritate nos vacuos eſſe, & à nobiſmet ipſis ſeduci, *ſi dixerimus peccatum nos non habere*. Aloiſius Lippomanus in catena in Geneſ. cap. 27. obſervat, tria in prædictis verbis Jacobi contineri mendacia; *nam nec erat Iacob Eſau; nec quod Iſaac præceperat dicendo, ſume pharetram & arcum, fecerat; nec ei, ſed Eſau pater loquutus fuerat.* Excipit autem contra aliorum excuſationes; *Non obſtat quod hæc omnia peccata & mendacia figuræ fuerint futurorum; nam magnus Dominus adeò potens & bonus, ut ſolus ſciat ex malis quoque bona elicere.* Scotus etiam in III. ſentent. diſt. 38. poſtquam dixiſſet, *aliquos conari multum ſalvare, Iacob & aliquos Patres veteris Teſtamenti non fuiſſe mentitos*; ſubjunxit, *hoc non videri multum rationabile.* Lyranus inſuper in cap. 27. Geneſ. poſtquam nonnulla adduxit ad excuſandum mendacium, de quibus anteà dictum fuit; *Sciendum*, inquit, *tamen quod non videtur mihi magna neceſſitas excuſandi Patres V. Teſtamenti à mendacio, maximè officioſo.*

Præter allata ad hanc ſententiam argumenta, quæ aliis refellendis inſervierunt, illud etiam addendum eſt. Ex tota Moſis narratione ſatis conſtare Jacobum, cum factis, tum verbis, id toto conatu egiſſe, ut patri ſuo perſuaderet ſe eſſe illum ipſum Eſauum, quem pater venatum miſerat. Hoc autem falſum fuiſſe, & contra ipſius Jacobi mentem atque ſenſum, nemo poteſt ignorare. Ad hæc, cùm narratio Moſis, ratione dictorum & factorum ejus, non ſit parabolica, ſed planè hiſtorica, non ſecus ac narrationes aliæ tam capitum præcedentium, quàm ſequentium, non dubium eſt verba accipi debere propriè, & ut in vulgari ſermone ſolent uſurpari. Quo modo accepta, falſum & mendacium proferre, ne quidem ii negant, qui ad figuratas locutiones recurrunt. Denique ubi ſenſus literalis & obvius ex propria verborum ſignificatione, nihil abſurdum continet, non neceſſe eſt ad obſcuras & inuſitatas figuras recurrere. Hîc autem ſi dicamus Jacobum fuiſſe mentitum, & fraude aliqua eſſe uſum, nihil derogatur gloriæ Dei, quæ potius inde illuſtratur, nec neceſſe eſt ab omni peccato Jacobum excuſare. *Si enim omnes Sanctos & Sanctas* (inquit Auguſt. lib. de Nat. & grat.) *cùm hîc viverent congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quantalibet eſſent ſanctitatis excellentiâ, una voce clamarent; Si dixerimus, quia peccatum habemus, nos ipſos ſeducimus.*

Nec ipſe Pererius, qui autoritate potius quàm ratione ab hac ſententia ſe retrahi profitetur, negat, ſe non ſolùm eam probabilem cenſere, verùm etiam cum ſacra hiſtoria (quod attinet ad literalem ſenſum narrationis Moſaicæ quæ traditur hoc loco) maximè congruentem eſſe fatetur. Qui quamvis ad eorum ſententiam defendendam, qui per interpretationem figuratam Jacobum abſolvunt, ea afferat quæ poteſt; tamen cùm ad ea argumenta deventum eſt, quæ petuntur ab his verbis, *Feci ſicut præcepiſti mihi*, &c. Item, *Comede de venatione mea*, etſi ea afferat commenta, quæ ab aliis ſunt excogitata, tandem nihilominus concludit, *Haud ſcio, an iſta reſponſa nequaquam expletura ſint lectoris animum. Ego non diſſimulabo ſenſum animi mei, nam ut non inficior dictum illud, Ego ſum Eſau, in quo uno ad verum intellectum interpretando, purgandoque à mendacio, Doctores laborarunt,*

ſatis commodè in verum ſenſum redigi poſſe, ita fateor duo alia ejuſdem Iacob dicta, Feci ſicut præcepiſti mihi, &, Comede de venatione mea, difficulter ad veritatis ſententiam accommodari poſſe. Hæc ille. Qui etiam affirmat, Deum non revelaſſe vel Jacobo, vel Rebecæ, nec ſuaſiſſe ut mendacium illud diceretur, ſed tantùm revelaſſe Rebecæ jus & dignitatem primogenituræ ab Eſau ad Jacobum tranſlatum iri. Nec Rebecam, cùm id ſuaderet Jacobo, mandatum Dei, aut aliquam revelationem prætexuiſſe, ſed ſuum tantùm conſilium & judicium commendaſſe. Ex quibus conſtat in his factis & dictis prophetiam non fuiſſe; ſed conſilia humana, non ſine infirmitatum adjunctione, fuiſſe in hoc negotio ab iis uſurpata; quibus tamen, etſi in ſe non bonis, Deus pro miſericordia ſua uſus eſt benè.

Hanc quam amplexi ſumus ſententiam, probat etiam Marius Colonienſis Profeſſor, in nuperis commentariis in Pentateuchum editis; *Quod aliqui* (inquit) *Iacob ab omni peccato excuſant, timeo ut verba illius ſubtilius interpretentur, quàm ipſe intenderit, & Iacobum à ſimplicitate commendatum, nobis inducant minus ſimplicem.* Item, *Non oportet verba, tam ſecundùm quaſlibet limitationes, quàm ſecundùm Iacobi intentionem accipere; ſcopus autem illius erat, Iſaaco perſuadere, non quod ipſe erat Iacob quoad jus, ſed quoad perſonam, & quidem ille ipſe, cui Iſaac paulò ante venationem præceperat,* &c. Non igitur ſolus Calvinus in Jacobi factis & dictis peccatum agnoſcit, quod illi etiam ex Scripturæ narratione eruunt, qui Calvino minimè favent. Quod autem dicunt peccatum fuiſſe veniale, quomodo peccata venialia ſolent diſtinguere, quæ ſuâ naturâ mortem non merentur, id quidem falſum eſt, quia nulla peccata talia ſunt; ſed id de mendacio negat expreſſè David, Pſal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Unde autor Sapientiæ cap. 1. ℣. 11. *Os quod mentitur, occidit animam.* Fuit ergo veniale in Jacobo, ut alia omnia peccata in electis, *ex eventu,* per miſericordiam Dei. Quamvis concedamus, comparatione aliorum mendaciorum, quæ pernicioſa ſunt, minus fuiſſe peccatum: ſatis enim concedimus, hoc facto Jacobum alienam benedictionem non uſurpaſſe cum injuria proximi, cùm benedictio ejus tantùm potuerit eſſe, cui eam deſtinaverat Deus.

Exercitatio CXX.

Iſaacum plus manibus, quàm auribus ſuis credidiſſe ex ſpeciali Dei providentia. Proverbium ex verbis ejus, Vox Jacobi & manus Eſaui. *Aromatum odores Sancti non rejecerunt. Summa benedictionis Iacobi. Qua etiam ſpirituales benedictiones comprehenſas fuiſſe probatur multis argumentis. Prophetas aliquid in genere ſcire potuiſſe, quod ratione objecti proprii ignorarint. Id accidiſſe Iſaaco. Cur rata fuerit benedictio, cùm erraret in perſona? Aliam eſſe rationem contractuum humanorum. Quomodo fraude adeptam benedictionem, fide apprehenderit Iacob. Ecſtaſis Iſaaci. Quid ſit in genere? Benedictionem ratam habet inſtigante Deo. Motus admirandi Iſaaci & Eſaui. Quomodo Iſaac Eſaui benedictionem vocet, quæ Iacobo ceſſit? Regulæ duæ in ſcript. interpretatione notandæ. Explicatur locus Apoſt. ad Ebr.* XII. *verſ.* 17. *Quid ſit,* non reperit pœnitentiæ locum. *Qualis benedictio Eſauo fuerit conceſſa. Conciliatio loci Malach.* 1. *verſ.* 3 *cum eadem benedictione.*

Hactenus de reſponſionibus Jacobi. Sed verſ. 21. & ſequentibus, oſtendit Moſes, Iſaacum nondum acquieviſſe, ut crederet eum eſſe, quem ſe profitebatur. Ratio fuit, quod cùm diſcerneret vocem Jacobi, illi ſuboluit neſcio quid de fraude. Jubet itaque ut accedat, ut palpando diſcernat, an verè ſit Eſau. Quod cùm factum fuiſſet, exclamavit, *Vox, vox Iacob eſt, & manus, manus Eſau.* Additur, *& non agnovit eum, quia erant manus illius ſicut manus Eſau, piloſæ.* Bonus ſenex cùm haberet indicium vocis ſatis certum, cui remedium non potuerat adhibere Jacobus, manibus plus credidit, quàm auribus. In quo ſpecialis Dei providentia elucet, cui placuit ita hebetare ipſius ſenſus, ut oſtenderet fruſtrà obniti homines ad mutandum quod ſemel decrevit. Item, ne tribueremus induſtriæ matris, & Jacobi ejus utentis conſilio, quod tandem adductus fuerit Iſaacus ad benedictionem illam conferendam; quia nunquam potuiſſent induſtriâ ſuâ cavere, ne vox fallaciam proderet, niſi Deus conſiderationem ejus à vocis objecto avertiſſet, ut eam ad corporis villos converteret. Probabile eſt etiam, non ſatis fidiſſe auribus ſuis, quia fortaſſè non ita multùm pollebat auditu. Quemadmodum enim oculi caligabant præ ſenio, ſic fieri potuit, ut ſurdaſter factus fuerit. Itaq; adhibuit ſenſum tactus, quem homines habent exactiſſimum & certiſſimum. Uſurpât Ebræi verba Iſaaci, *Vox, vox Iacob, ſed manus, manus Eſau*, proverbii loco, per alluſionem quandam, aut accommodationem. Cùm alicujus ſermo & vox factis non reſpondet, ut cùm quis Deum ore fatetur, & factis negat. Dixi per accommodationem, quia alioquin nihil tale ex vero & directo ſenſu eruitur. Planè enim contrarium fuit in Iſaaco, qui magis probabat manus, quàm vocem. Itaque verba trahuntur in alienum

num ſenſum, quod ſæpè fit ab iis qui non ſumunt dictorum intelligentiam, ex cauſis dicendi.

Acceſſerunt poſteà tactui duo ſenſus, guſtus & odoratus, quibus magis ac magis confirmatus fuit Iſaac in opinione ad quam ex tactu jam inclinabat. Guſtavit enim de venatione, quam non diſcrevit à ferina, propter condimentum. Odoratus eſt etiam veſtes Eſau, quas mater Jacobo aptaverat, nempè non ordinarias ſed mutatorias, quas aſſervabat mater ad dies ſolemnes. Cùm autem habitarent in regione in qua abundabant aromata, non rejecerunt etiam ſancti viri uſum benedictionis illius divinæ,ut cerebrum corroborarent odore ſuavi, & fortaſſè etiam veſtes melius aſſervarent contra corruptionem, & vermium eroſiones. Occaſione odoris illius incipit exclamare Iſaac, verſ. 27. *Ecce odor veſtimentorum filii mei, ſicut odor agri, cui benedixit Dominus.* In poſtremis verbis eſt proverbialis loquendi forma; ſimilitudine ducta ab agro benè culto, in quo fructus, fruges, & flores varii generis exhalant gratiſſimum odorem.

Ex his apparet remotum fuiſſe Iſaaco omne dubium, & certò exiſtimaſſe, Eſauum eſſe cum quo loquebatur, & cui benedictionem conferebat, cujus verſ. 28. & 29. tenor habetur; in cujus prima parte, accipit Jacob hæreditariò à patre opes & divitias amplas; in ſecunda poteſtatem & dominium in populos & tribus, imò in ipſos fratres ſuos. In tertia prædicit hoſtibus perniciem, & amicis proſperitatem. Hiſce comprehenduntur omnia quæ inter bona hominibus utilia computari debent. Primum caput complectitur omnium rerum abundantiam quæ ad hanc vitam ſuſtentandam faciunt; quorum etiam cauſæ naturales memorantur; *efficiens*, nempè, vis cœleſtis per rorem deſignata; *materia* verò, pinguedinis nomine intelligitur, ex qua tales oriuntur fructus: & hæc faciunt ad vitam privatam communem. Secundum caput ſpectat vitam politicam, & dominationem in populos externos, & eos qui ex eadem matre oriundi eſſent; in quibus intelliguntur poſteri Eſau, ſive tum fuerint aliqui, ſive agatur tantùm de iis qui futuri erant. In tertio, prædicit non defuturos qui maledicant & oppugnent, ſed conſolationem adhibet, quia hoc illis malè ceſſurum eſt. Contrà, ut eidem amicos & benevolos conciliet, iiſdem promittit benedictionum participationem.

Sub his omnibus non dubitandum eſt, quin contineantur omnes promiſſiones Abrahamo factæ. Cùm enim fuerit benedictio primogeniti, & ejus qui futurus erat hæres Iſaaci, quatenus in eo vocandum erat ſemen Abrahamo, neceſſarium eſt, quicquid Abrahamo promiſſum fuit, Jacobo fuiſſe confirmatum. Quod autem potiſſimum fuit, ſemen benedictum ex eo oriturum erat, in quo omnes ſpirituales benedictiones datæ nobis fuerunt ab æterno. Unde ſtatuendum, his etiam verbis ſpirituales benedictiones contineri, non corporales tantùm. Nec obſtat quod iis verbis utitur, præſertim in prima parte, quæ res hujus vitæ tantùm ſpectare videntur. Hic enim mos fuit Spiritus ſancti, ut benedictiones ſpirituales & cœleſtes rebus temporalibus adumbraret, quia cùm humano ſenſu ſpiritualia non percipiantur, reperiri non poſſunt voces illis deſignandis propriæ, neque talis eſt humanorum ſermonum facultas, ut hujuſmodi ſpiritualia queat explicare. Sed tamen ut ad hæc appetenda incitaremur, ea voluit nobis Spiritus ſanctus vocibus iis exprimere, quæ de terrena fœlicitate directè intelliguntur. Hic mos omnibus Prophetis fuit uſitatus, ubi deſcribunt regnum Chriſti, phraſibus iis quæ abundantiam omnem temporalem deſignant. Quibus poſteà dictis abuſi ſunt Judæi & alii, ſomniantes ſub Meſſia temporalem fœlicitatem in terra. Sed ſi primum ejus adventum ſpectemus, Chriſtus ipſe nobis alia omnia prædixit, in ſynagogis ſuos tradendos, ſiſtendos ante reges & præſides, imò omnes qui volunt piè vivere in Chriſto perſecutionem paſſuros. Quæ autem ſervantur in ſecundo Chriſti adventu, terreſtria non ſunt, etſi figuratè ſub edendi & bibendi vocibus promittantur, ſub nuptiarum ſolemnitatibus & conviviis, ac ſimilibus.

Itaque cùm prædicuntur Jacobo bona hæc, *Ros cœli, pinguedo terræ*, &c. non putandum eſt his terrenis tantùm Patres immoratos fuiſſe; ſed ita externis rebus eorum ſenſus fuiſſe afficiendos, ut per eos altius eveherentur, ad cœleſtes delitias. Nec tanti ipſis erat facienda dominatio in homines, quæ etiam in carnalibus poſteris Jacobi non fuit diuturna, quin ad Chriſti regnum debuerint reſpicere, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quod etſi proprium ſit Chriſto tanquam capiti, erunt tamen omnia ejus membra ſuo modo ad participationem honoris illius vocata, quia non modò orbem, ſed & Angelos judicabunt pii. In Chriſto etiam maximè impletum eſt, quod de maledictione hoſtium, & amicorum benedictione dictum fuit.

Id autem ita neceſſariò intelligendum fuiſſe, ex eo probatur, quod alioqui Jacobus non habuiſſet, unde ratione ſui ipſius, conſolationem haurire potuiſſet. Nec enim tot benedictionibus temporalibus donatus fuit, qui ſervitutem gravem apud Labanum ſuſtinuit; qui infenſum ſibi fratrem maximoperè timuit, eique ſe ſubjecit, & ut paucis totum comprehendamus, cujus peregrinationis dies *pauci & mali fuerunt*, Geneſ. 47. verſ. 7. & 9. Neceſſarium ergò fuit, ut alia ſpe ſuſtentaretur, non ſolùm ratione poſteritatis ſuæ, ſed ratione perſonæ, quæ nulla potuit eſſe ſolida, niſi ſpiritualibus & cœleſtibus benedictionibus ſpem ſuam repleverit. Huic rei etiam argumento eſt, quod alioquin parum, aut nihil prærogativæ ſupra fratrem adeptus eſſet Jacob, quia eadem ferè, ratione temporalium, ei promittuntur; imò tandem *excuſſio jugi ſervitutis.* Non dubitandum eſt tamen, quin talia ſint quæ pro-

miſſa

miſſa ſunt Jacobo, ut cum iis quæ in ſecunda benedictione Eſau accepit, in comparationem venire non poſſint, cùm ea ipſa, reſpectu benedictionis Jacobi, ferè pro nihilo, ab ipſo Iſaac habita fuerint. Itaque dicebat, *Tibi poſt hæc, fili mi, quid faciam?* quaſi diceret, nihil mihi ſupereſt. Quod tamen per comparationem, intelligendum eſſe ex ſequentibus patet.

Hîc autem paucis ſunt nonnullæ quæſtiones expendendæ. 1. Cur Deus paſſus ſit, Iſaacum ita errare in perſona, ut propheticam illam benedictionem pronunciaverit, nec tamen noverit eum quem præſentem habebat, alterum eſſe ab illo quem putabat? Atque ita non illi cui voluit, ſed cui noluit, ignarus benedixit. Id primò notandum eſt, non eſſe neceſſarium, ut ei Prophetæ, cujus operâ Deus utitur, revelentur omnia & ſingula quæ Deus intendit, ſed ſufficere ſi ex parte Prophetæ intelligant, & ea proferant, quæ lumine prophetico Deus ipſis voluit indicare; nec id derogare prophetiæ, ſi quædam adhuc ignorent quæ Deus eos voluit celare, ita ut etiam in nonnullis fallerentur, ratione opinionis ſuæ. Sic Samuel noverat per ſpiritum propheticum, unum ex filiis Iſai eſſe ungendum in regem; ſed ex opinione ſua errabat in perſona, nam cùm videret Eliabum, dixit, *Vtique coram Iehovah, eſt unctus ejus.* Id autem verum non erat, quia Deus *eum reſpuerat*, ut ibidem dicitur, 1. Sam. 16. verſ. 7. & 8. In hoc tamen exemplo ea eſt diſſimilitudo, quod Deus non paſſus eſt, ut Samuel ungeret eum in cujus perſona errabat, ſed errorem correxit ante unctionem. Nempè, quia nulla ex eo facto derivabatur in Samuelem invidia, præſertim in aliena familia. Sed hîc Deus, qui Iſaacum illuminavit, ut cognoſceret futura, noluit ejus errorem de præſenti corrigere ante eventum & finem actionis, ob eam maximè cauſam, quod familiæ Iſaaci intererat, ut tali uteretur diſpenſatione, ne bonus ſenex à filio repulſam paſſo vexaretur. Hæc etiam probabilis poteſt dari ratio, quod Deus voluit hoc beneficium ſibi in ſolidum tribui, quod ab affectu paterno non accepit Jacob, ſed ex gratia ejus, cujus *ſtat conſilium, quique voluntatem ſuam omnem facit*, Eſai. 46. etiam hominibus contrà nitentibus.

Sed cùm ex dictis pateat, intentionem & voluntatem Iſaaci non habuiſſe pro objecto Jacobum, ſed Eſauum, non immeritò quæritur, annon error ille in perſona negotium illud totum conturbaverit, & benedictionem irritam reddiderit? maximè cùm intentio illa eſſet contraria divinæ voluntati, cujus proinde effectus videretur eſſe irritus. Accedit quod in humanis contractibus talis error perſonæ, contractus irritos reddit, ut in conjugiis apparet. Certum eſt nihilominus ratam fuiſſe benedictionem apud Deum, quod ipſe pater teſtatur, verſ. 33. *Benedixi ei, & benedictus erit:* qui poſteà eandem iteravit, cùm eum ad tempus à ſe dimiſit, cap. 28. ℣. 1. Sed & Deus ipſe in via ita confirmavit benedictionem, ut expreſſerit eadem quæ in benedictione Abrahami, cap. 28. ℣. 14. *Benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in ſemine tuo.* Idem probavit eventus, ut nulla ſubſit ratio dubitandi. Dicet aliquis, non dubitari benedictionem illam in Jacobum fuiſſe collatam, quæ eidem decreta fuerat; ſed tantùm an eam acceperit à patre, tum cum per errorem illum haberet pro Eſau. Potuit enim aliter ipſi conferri immediatè à Deo. Reſpondeo, ratam fuiſſe erga Jacobum per denunciationem patris, quam ille ſibi applicabat per fidem, etſi ignorante patre. Ratio eſt, quia vis benedictionis nullo modo pendebat à voluntate aut intentione patris, ſed ex divina ordinatione, à qua pendebat abſolutè efficacia promiſſionum propheticarum. Quemadmodum nunc in miniſterio, ratione adminiſtrationis Sacramentorum, ſi miniſter in objecto fallitur, aut ſi aliud etiam intendat, non ſequitur tamen Sacramentum eſſe irritum; vel ſi Dei mandato aliquem reconciliet, etſi non diſcernat ad quos perventura ſit reipſa reconciliatio, non ſequitur eam amittere ſuam vim, in iis qui eam ex fide ſuſcipiunt. Quod enim miniſtris injungit munus, non tamen ejus vim & efficaciam ab eorum judicio vel arbitrio ſuſpendit. Unde ſequitur, ignorantiam Iſaaci non aboleviſſe cœleſte oraculum, quia Deus ipſe, etiam tum quando miniſtri ſenſus deficiebant, non deſiit implere quod ſtatuerat. Unde hoc argumentum deducitur adverſus Pontificiorum dogma, quo ab intentione miniſtri vim Sacramentorum ſuſpendunt, nempè ſi intentionem intelligant circa hoc vel illud objectum. Teneret enim Sacramentum, ſi unum baptiſaret, exiſtimans ſe alium baptiſare. Nec etiam fortaſſè plerique eorum de tali intentione negant. Nam alioquin omnes requirunt generalem intentionem faciendi quod Eccleſia facit, quæ res eſt alterius diſcuſſionis.

Hoc poſito, non difficilis eſt reſponſio ad dubia propoſita. Cùm enim benedictio ſit divina, ſufficit ſi fides ejus qui benedicitur, apprehendat intentionem & voluntatem divinam, ſive ſingulari revelatione, ſive communi in verbo ſibi declaratam. Nam defectus intentionis humanæ, ſi ea abſit, non præjudicat, dummodo adſit divina, quæ principalis eſt, præſertim cùm Deus intus movet miniſtrum ad actum, etiamſi non agnoſcat ſe moveri circa tale objectum.

Quod ſpectat contractuum humanorum clauſulas, ad rem non facit. Quia alia eſt ratio humanorum contractuum, alia myſteriorum divinorum. Certum eſt apud homines errorem in perſona, irritare contractum matrimonii. Et ratio eſt, quia nullum eſt matrimonium, ſi non adſit expreſſus conſenſus utriuſque partis. At conſenſus nullus eſt circa perſonam ignotam; & cùm quis conſentit in unam, & alia ſubſtituitur. Idcircò validum non fuiſſet conjugium inter Jacobum & Leam, niſi poſt fraudem agnitam, Jacobus conſenſum adhibuiſſet. Nihil tale eſt in benedictionibus divinis, quia Deus nunquam errat in perſona, à quo illæ

pendent,

pendent, ut diximus. Itaque ut benedictio, quam pronunciaverat Iſaac, valida eſſet, non opus fuit ut accederet Iſaaci conſenſus, quia antequam conſentiret, rata fuit apud Deum. Neceſſarius tantùm fuit Iſaaco, qui errore agnito debuit aſſentiri divinæ voluntati. Itaque quod poſteà dixit, verſ. 33. ***Et benedixi ei, etiam benedictus erit***, non oſtendit, invalidam fuiſſe benedictionem ab ignorante factam; contrà indicat, talem fuiſſe quæ reſcindi non poterat. Quare? niſi quia cognoverat à Domino factum eſſe iſtud? Itaque ad hæc verba, cùm videret Auguſtinus, Iſaacum poſt agnitum dolum non excandeſcere, nec benedictionem retractare, ſed ratam habere, meritò exclamavit, *ô res geſtas in terra, ſed cœlitus; per homines, ſed divinitus!*

Unde etiam reſultat reſponſio ad quæſtionem, an Jacob benedictionem dolo acquirens, bonâ conſcientiâ & ex fide eam accipere potuerit? an accepta eidem prodeſſe? Reſpondemus paucis, diſtinguendum eſſe dolum, & mendacium à fide, imò ſeparandum. Non enim ideò accipit benedictionem, quia talibus erat uſus artibus, nec fides iis incumbere potuit, ſed veritati divinæ. Hoc fecit fides Jacobi, etſi cum fide admixti fuerint ex alia parte errores, quorum non dubitamus pœnituiſſe ſanctum virum. Igitur bonâ conſcientiâ accepit benedictionem ſibi promiſſam, etſi non bonâ conſcientiâ dolum & mendacia meditatus ſit. Si jus nullum aliud habuiſſet in rem, niſi quatenus artibus ſuis eam à patre abſtulerat, non poterat eâ frui legitimè, vel ex conſcientia. Sed quando agnovit eam ſibi, alioquin indigno, gratis fuiſſe à Deo collatam, in eo fides & conſcientia pura locum habuit. Quid, quod benedictionis acceptæ natura talis eſt, quæ fidem & bonam conſcientiam neceſſariò ingeneraret, in eo qui eâ eſſet deſtitutus? Nam cùm fœderis divini prærogativam talis benedictio includeret, neceſſariò etiam fidem & conſcientiam puram ſtipulabatur, ut valida eſſet & rata. Talem autem fuiſſe conſtat ex eventu, unde non relinquitur locus dubitandi de fide ſuſcipientis.

Sequuntur geſta cum Eſauo. Qui cùm rediiſſet, & venationem ſuam præparaſſet, ad patrem veniens rem detegit anteà Iſaaco incognitam. Qui cùm intellexiſſet Eſauum jam eſſe haud dubio qui ad illum accederet, & meminiſſet quid cum alio fuiſſet actum: ויחרד יצחק חרדה גדלה *vajecherad jitſchak charadah gedolah.* ℣. 33. *Et tremuit Iſaac tremore magno*, עד מאד *ad meod*, vehementiſſimè, ad verbum, *uſque valdè.* Vulgata, *Expavit Iſaac ſtupore vehementi.* Græca editio, ἐξέστη Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα. Eſt autem ecſtaſis in genere dimotio à priori ſtatu. Sumitur ferè apud Theologos pro genere prophetiæ, ut de Petro, Act. 10. ℣. 10. dicitur, ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις. Quod ecſtaſeos genus deſcribit Joan. Apoc. 1. ℣. 9. per τὸ ἐν πνεύματι γίνεσθαι, fieri in ſpiritu, à ſpiritu corripi, ſive ſancto enthuſiaſmo affici, abducta quodammodo à corpore mente, & ſenſibus ejus internis ad tempus valere juſſis, ut anima Deo informatori tota vacare poſſit ad res cœleſtes quæ oſtenduntur, percipiendas. Talem ecſtaſim paſſum non fuiſſe Jacobum ex eo patet, quod ſenſus habuerit integros, & eorum quæ paulò antè facta fuerant, probè meminerit, nec diu diſtulit reſponſionem: cùm alioquin exceſſus ille mentis ſit privatio officiorum animæ ſentientis, ratiocinantis & moventis. Tales enim immoti manent, aut potiùs rigent, & transfixi non ſentiunt. Nihil ſimile fuit in Iſaaco. Verbum Ebræum חרד *charad* ſignificat commoveri, ſollicitum & anxium eſſe, admirari, &c. Senſus igitur eſt, valdè commotum fuiſſe ſanctum virum, & anxium admiratum fuiſſe quod acciderat; cumque animadverteret, Deum aliter planè diſpoſuiſſe negotium, quàm ipſe putaverat, expaviſſe, & ſimul admiratum fuiſſe illam Dei diſpenſationem. Nec dubitarem, etſi extra ſe non ita fuerit raptus, ut de ecſtaticis diximus, eum tunc à Spiritu ſancto fuiſſe afflatum, ut agnoſceret actionis iſtius Deum fuiſſe præſidem. Alioqui, ſi nihil aliud ſpectaſſet, præter filii fraudem, potuiſſet ignorantiam ſuam prætexere, atque in Jacobum excandeſcere, qui fraude & malis artibus ſe inſinuaverat. Ergò ſecundùm cauſas naturales & humanas, potiùs hoc audito fuiſſet ad iram commotus, quàm in admirationem, aut in pavorem actus. Itaque divinitus immiſſum fuiſſe, non eſt quod dubitemus. Tunc erroris ſui pudore confuſus vir ſanctus, ſimul tamen animum colligit, ratamque eſſe benedictionem agnoſcit, quam protulerat incertus de perſona. Probè enim ſibi conſcius erat ſuæ vocationis, atque ita perſuaſus injunctas ſibi fuiſſe partes nuncupandi hæredis, ad quem devolveretur fœdus gratiæ cum avo initum: itaque expaveſcebat, conſiderans Deum in re tanta ſiviſſe eum errare in objecto. Sed cùm certus eſſet, verba quæ protulerat Dei fuiſſe per ipſum loquentis, ſentit etiam non eſſe in ſua poteſtate reſcindere quod à Deo factum fuerat, & contrariâ ſententiâ, Dei decretum erga Iſaacum mutare. Itaque carnis affectui renuncians, non diſſimulat apud Eſauum, ratum fore quod factum fuerat. *Etiam* (inquit) ***benedictus erit.*** Sic enim totum ſe Deo addicit, & dum benedictionis à ſe prolatæ eum agnoſcit autorem, ne cogitat quidem de retractatione, dans gloriam Deo. Itaque, ut etiam ſuprà monuimus, hic Iſaaci conſenſus, non tunc primùm validam facit benedictionem, quam potius ratam agnoſcit ab eo tempore quo primùm pronunciata eſt, quia à Deo profectam noverat.

His auditis, inſtat nihilominus Eſau, & cum clamore & lachrymis à parente benedictionem petit, ℣. 34. & 38. In primo abſolutè petit, ***Benedic etiam mihi pater mi.*** Sed cùm pater reſponderet, ablatam fuiſſe benedictionem à fratre, qui cum dolo venerat, ℣. 35. conqueſtuſque de eo eſſet Eſau, ℣. 36. tanquam de ſupplantatore,

tore, iteraſſetque interrogationem, *Annon reſervaſti mihi apud te benedictionem?* Reſpondiſſetque Iſaac, *ſe poſuiſſe fratrem dominum ipſi, dediſſeque omnes fratres ejus in ſervos,* &c. addidiſſetque, *Tibi ergo nunc quid faciam mi fili?* quaſi præripiens illi omnem ſpem; tum ſubjiciuntur verba Eſaui, ℣. 38. ejulantis & iterùm inſtantis, *Numquid benedictio una tibi eſt mi pater? Benedic etiam mihi pater mi. Et elevavit vocem ſuam, & flevit.* In hac tota diſceptatione ſunt miri motus utriuſque. Non dubium eſt, quin ſanctus vir habuerit ſuos affectus, & miſertus fuerit conditionis filii, quem tantoperè dilexerat: quin ejus querelæ & lamenta animum ipſius valdè commoverint. Sed noverat affectus ſuos ſubigere in obſequium Dei. Sciebat prætereà irrevocabile eſſe verbum ſemel emiſſum.

Notandum eſt tamen, reſponſionem Iſaaci non denegare omnem benedictionem abſolutè, quia in ſequentibus etiam Eſauo benedicit; ſed vir ſanctus reſpiciebat ad intentionem Eſaui, qui non qualemcunque benedictionem, ſed vel majorem, vel ſaltem æqualem poſtulabat ei quam frater abſtulerat. Quod cùm fieri nullo modo poſſet, ideò dicit ſe non poſſe ei ſatisfacere. Poſſet tamen mirum videri, quod verſ. 35. dicit Jacobum accepiſſe benedictionem fratris, cùm doloſè veniſſet, quam etiam poſteà *ſuam* appellat Eſau. Quod quomodo intelligi poſſit, videndum eſt. Certè benedictionem ad Eſauum non pertinuiſſe, cùm à Dei voluntate penderet, qui eam deſtinaverat alii, extra controverſiam poni debet. Suam quidem fuiſſe putavit Eſau, ſed in eo fallebatur, qui etiam profana venditione ei juri renunciaverat. Sed cùm ſanctus Patriarcha jam ſciret quid Deus in eo geſſiſſet, cur dicit Jacobum accepiſſe benedictionem Eſau, *tuam*, inquit. Hanc difficultatem nemo, quod quidem ſciam, interpretum movit, aut ſolvit. Eſt tamen non levis momenti. Cùm enim unicuique quod ſuum eſt tribuere ex æquitatis & juſtitiæ regula oporteat, ſi benedictio fuit Eſaui, non potuit eam ſibi uſurpare Jacob, nec etiam Deus in alium tranſtuliſſet quod eſſet juris alieni in hoc genere. Quod noto, quia ſunt nonnulla, quæ auferri poſſunt ab eo qui in ea jus habebat, & in alium transferri, divina accedente autoritate, cujus ſunt omnia; quemadmodum Ægyptiorum ſuppellectilem Iſraëlitæ, Deo volente, abſtulerunt: ſed fœderalis benedictio hæreditaria in familia Iſaaci, ex eo rerum genere eſt, quæ proprium ſuum ſubjectum habent, & ad plures derivari non poſſunt, quia talis benedictio ad illa pertinebat bona, de quibus Apoſt. Rom. 11. ℣. 29. *Dona & vocatio Dei ejuſmodi ſunt, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit.* Dicendum igitur, quædam dici alicujus eſſe, vel δοξαστῶς, vel ὄντως; ſecundùm opinationem, & ſecundùm rem. Benedictio fuit Eſaui primo modo, fuit Jacobi ſecundo. Habebat Eſau nativitatis prærogativam, corporis vires majores, & in affectu paterno primas tenebat. Itaque putabatur is eſſe ad quem pertinebat hæreditas. Nec aliter exiſtimaverat parens: ſed aliter Deus reipſa eventurum ſtatuerat. Quod ergo vir ſanctus *benedictionem tuam* dicit, ſic intelligi debet, quam tibi, quantum quidem in me erat, deſtinaveram, imò promiſeram; ideò enim juſſerat ab eo ſibi parari ferinam, ut poſt eam deguſtatam, ipſi benediceret. Id ergo non præjudicat juri Jacobi, quod aliundè ad ipſum dimanaverat. Non quidem emptionis jure, quia nec alter eam potuit vendere, nec Jacob emere, cùm in neutrius eſſet poteſtate. Tantùm quod utrimque factum eſt, ut ſuo loco diximus, ſignum fuit externum diſcrepantiæ à Deo inſtitutæ, & ſuo tempore patefaciendæ. Hìc ergo locum habent regulæ in Scripturarum interpretatione obſervandæ, quarum prima eſt; *Aliquando Scriptura ſe accommodat hominum opinioni.* Altera huic gemina, *Aliquando res ab hominum exiſtimatione falſa nomen aſſumunt.* Sic *ſapientes* in Scriptura dicuntur, quos tales vulgus judicat, licet alioqui ſint inſipientes: ut Matth. 11. ℣. 25. *Qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Sic *Dii* vocantur ſimulachra gentium, quia ſic exiſtimabat & appellabat deluſa gentilitas. Eodem modo Eſau putabatur hæres benedictionis, quæ cauſa fuit, cur parens diceret, *accepit benedictionem tuam.*

Ex hac hiſtoriæ parte ſumpſit Apoſtolus, quæ ſcripſit cap. 12. Epiſt. ad Ebr. verſ. 17. *Scitis enim eum etiam poſtea, quum vellet* κληρονομῆσαι, *hæreditario jure aſſequi benedictionem, reprobatum fuiſſe. Non enim reperit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis benedictionem illam exquiſiſſet.* Ubi notat Apoſtolus, quod anteà monuimus, exquiſiviſſe non qualemcunque benedictionem, ſed *illam*, nempè, quæ hæreditario jure primogenito competebat: ut videamus appoſitiſſimè reſpondiſſe Iſaacum, qui negavit ſe hoc facere poſſe. Sed non immeritò quæſitum eſt de hoc Pauli loco; 1. Quomodo intelligi debeat, quod pœnitentiæ locum non repererit Eſau: 2. Quomodo illud accipiendum ſit, quod ἀπεδοκιμάσθη. Quidam hoc ita accipiunt, quod Eſau non fuerit ductus ſeriâ pœnitentiâ, etſi eam requiſiverit cum lachrymis, quia tamen id hypocriticè faciebat, idcircò non fuiſſe exauditum, nec dediſſe ei Deum locum ad reſipiſcendum. Ita accepit Chryſoſtomus, non inveniſſe pœnitentiæ locum, neque benedictionem potuiſſe impetrare, quia non pœnituerit ut debuit, hoc eſt, quia ficta fuit pœnitentia, non vera. *Quod valdè ejulavit, ea res,* inquit, *non erat pœnitentiæ, ſicut nec pœnitentiæ erat triſtitia Caini, quod oſtendit facta cædes. Ita hìc quoque verba non erant pœnitentiæ, & id oſtendit invidia.* Interfecit enim Jacob, quoad animi inſtitutum pertinet. Thomas in eundem Apoſtoli locum, ſtudens conciliare hæc verba cum Ezech. 18. verſ. 21. & 27. *Cùm improbus reverſus fuerit,* &c. *Omninò vivet, & non morietur.* Item Jerem. 18. ℣. 8. *Quotieſcunque pœnituerit*

fuerit peccatorem mali, etiam me pœnitebit. Reſpondet, Quandiu præſens vita agitur, ſemper agi poſſe veram pœnitentiam. Sed quia interdum aliquem pœnitet, non propter amorem juſtitiæ, ſed propter timorem pœnæ vel damni temporalis, & ſic pœnituit Eſau, non quia vendiderat primogenita, ſed quia perdiderat, unde non dolebat de peccato venditionis, ſed de damno perditionis, ideò pœnitentia ejus non fuit accepta, quia non erat vera. Eodem ferè modo reſpondet Calvinus. Videtur, inquit, innuere Apoſtolus pœnitentiâ ſuâ nihil proficere peccatorem, cùm tradit, nihil ipſi Eſau profuiſſe ſuam pœnitentiam. Reſpondendum pœnitentiam non hîc ſumi pro ſincera ad Deum converſione, ſed tantùm pro terrore quo Dominus impios percellit, poſtquam diu in ſua malitia delitiati ſunt, &c. quæ ibi fuſiùs perſequitur. Et hæc quidem reſponſio eſſet appoſita, ſi locus de pœnitentia ipſius Eſaui eſſet intelligendus. Quamvis etiam id notandum ſit, etſi pœnitentia ejus ſeria fuiſſet ex vero peccati ſenſu, & miſericordiæ divinæ fiducia, fructum tamen ejus non potuiſſe pertingere ad benedictionem de ſemine benedicto & alia privilegia huic annexa, ſed tantùm ad remiſſionem peccati, & ſingularis gratiæ quæ ſalutem ſpectabat, participationem. Quamvis enim Eſau poſt hunc actum, verè fuiſſet converſus, nunquam tamen propterea Deus Jacobo abſtuliſſet quod dederat, & in cujus partem alius venire non poterat. Sed par potuiſſet eſſe Jacobo in iis quæ ſpectant beatitudinem.

Sed non opus eſt ſubtiliori diſcuſſione, ubi interpretationem perſpicuam habemus, quam non attingit objectio. Quia non agit Apoſtolus de reſipiſcentia Eſaui, ſed de ea quam requiſivit à patre, ut nempè retractaret eam quam neſciens in Jacobum contulerat benedictionem, reſtitueretque ei cui promiſerat, quique eam ſibi deberi præſumebat. Tali pœnitentiæ, id eſt, revocationi aut recantationi Iſaaci, locum non fuiſſe, nec eum reperiri potuiſſe dicit Apoſtolus: itaque non intelligendum eſt, quæſiviſſe Eſauum qua ratione poſſet à peccatis reſipiſcere, nec tamen rationem eam reperire potuiſſe. Certum eſt enim, à nemine ſeriò quæri qui eam non inveniat; quia tale ſtudium nunquam in cor hominis illabitur, niſi cœlitus. Cui autem Deus dat ut quærat, etiam invenit. Quod autem quæſivit Eſau, & quidem ſeriò & ex animo id fuit, quomodo patrem inducere poſſet ad pœnitentiam, id eſt, ad mutationem facti vel diſpoſitionis; ſic enim pœnitentiæ nomen extra rationem peccati aliquando in Scriptura uſurpatur, Deoque etiam figuratè tribuitur. Hoc igitur eſt quod impetrare non potuit, ut mutaret quod pronunciaverat, ſed inflexibilis atque immutabilis manſit.

Jam facilè intelligitur quid illud ſit, *Scitis, ὅτι ἀπεδοκιμάσθη, quod reprobatus fuit.* Non enim immediatè reprobatio refertur ad rejectionem à gratia ſalutari, & gloria æterna, ſed ad repulſam quam paſſus eſt Eſau, quia quod petebat ab Iſaaco non potuit impetrare. Itaque benè notat vener. Beza, nullum hîc relinqui locum diſputandi de æterna reprobatione Eſaui. Nempè, quia non de ea agitur directè; quamvis per conſequentiam, ex iis quæ Apoſtolus ipſi tribuit & hiſtoriæ totius circumſtantiis, talis repulſa poſſit haberi tanquam præludium abdicationis ejus ab Iſaaci familia, ac proinde à fœdere divino.

His ita explicatis, concidit vis omnis objectionis, ductæ ex conſequenti benedictione, verſ. 39. & 40. quia tandem Iſaac commotus lachrymis filii, prædicit ei quædam bona, & quidem nonnulla iiſdem verbis, quibus eadem Jacobo prædixerat, *habitaturum in pinguedinibus terræ, & rorem cœli deſuper diſtillaturum.* Addit, *in gladio*, id eſt, *per gladium ſuum victurum; & fratri quidem ſuo ſerviturum, ſed tandem jugum ejus fracturum è collo ſuo.* Quæ omnia potius in poſteris Eſaui, quàm in ejus perſona fuerunt impleta. Hæc tamen nihil faciunt adverſus teſtimonium Apoſtoli; quia non loquutus eſt de ſecundaria hac benedictione terrena & brevi, ſed de principali, ſive primaria, quam Iſaac apertè denegavit. Temporalia enim ſunt piis & impiis communia, in quibus etiam ſæpè impii primas tenent: at ſpiritualia & æterna, quæ fœdere cum Abrahamo inito continebantur, piis ſunt propria. Prætereà ſeminis benedicti ortus ſoli familiæ Jacobi fuit promiſſus & conceſſus.

Supereſt objectio unica ex Malach. cap. 1. ℣. 3. ubi de Eſaui habitatione dicit Deus, *Diſpoſui montes ejus deſolationi, & poſſeſſionem ejus draconibus deſerti*; quæ non videntur convenire cum pinguedine terræ & rore cœli. Reſpondendum, vel non intelligi debere verba Malachiæ, de prima terræ illius conſtitutione, quam poſſederunt poſteri Eſau in multum tempus commodè excultam, & longius protenſam verſus mare Erythræum; ſed de conditione qualis fuit, poſtquam à Regibus Babyloniæ ſubacti & exacti, deſerta planè fuit, & ſentibus ac vepribus obſepta. Vel etiam comparatè accipienda eſſe, quia etſi terra illa fuerit ſatis fœcunda, & montoſa regio ſuam habuerit pinguedinem, & paſcua uberrima, non tamen accedebat ad fertilitatem terræ promiſſæ, maximè ſi *abundantiam frumenti & muſti ſpectemus*, quæ expreſſa fuit in benedictione Jacobi, in iſta autem Eſaui ſuppreſſa. Et certè quod verſ. 40. ait, *In gladio tuo vives*, ſatis oſtendit, neque firmam pacem Idumæis fuiſſe promiſſam, neque eam vitæ rationem, quæ ex cultura terræ proventus omnes eis redderet ad ſuſtentationem ſuam neceſſarios.

EXERCITATIO CXXI.

Odium Eſau in Iacobum fratrem. Verbi שטם ſatam *ſignificatio. Odium inter fratres acerbiſſimum, cur? Fratricidium ab Eſauo deliberatum.* Dies luctus patris, *id eſt, de patre per* luctum, *intelligitur mors. Quomodo innotuerit Rebecæ, quod Eſau verſabat in corde?* De aliquo ſe conſolari, *quæ phraſis?* Fugere, *in genere pro abitu celeri.* Surge, *pro adverbio hortantis.* Dies uni, *pro diebus paucis. Differentia inter* ἀκροχόλους *&* πικροχόλους. *Cur Rebeca ſe uno die privatam fore duobus filiis dixerit, ſi unus alium occideret? Ejus prudentia in Iſaaco permovendo. Quomodo potuit Eſau ſibi perſuadere, ſe impediturum quod videbat Deum habuiſſe ratum? Cur Rebeca & Iacob conjurationem Eſaui metuunt, cùm non ignorarent benedictionem irritam eſſe non poſſe? Solutio dubii cum explicatione loci ex Act. 27. verſ. 24. & 31. Abſolvitur Rebeca à mendacio in eo quod prætexuit, ut maritum permoveret ad conſenſum profectionis Iacobi in Meſopotamiam.*

A verſu 41. uſque ad finem capitis recitat Moſes eventum præreptæ benedictionis, & quid ex eo conſequutum ſit immediatè in utroque fratre. In Eſau odium capitale adverſus Jacobum. In Jacobo fugæ neceſſitas, quam apertè conſuluit mater, & rationes validas adjunxit, in quam conſenſit pater, alio quidem prætextu in id deductus, ſed honeſto, & quem uxoris prudentia ſuggeſſit. Eſt autem pars hæc hiſtoriæ παρασκευαστικὴ ad ſequentem de peregrinatione Jacobi in Meſopotamia, de qua ſeptem ſequentibus capitibus agit.

Deſcribit igitur, 1. *Odium Eſau*: 2. *Vnde contractum fuerit*: 3. *Quid eidem ſuggeſſerit?* וישטם *vajiſchtom*, & odio habuit Jacobum Eſau. Verbum שטם *ſatam*, cum *mem*, quod idem eſt quod שטן *ſatan*, cum *nun*, ſignificat adverſari, odio habere, cum animo & ſtudio nocendi. Vulgata, *Oderat ſemper*, ut actum continuum ſignificaret. LXX. ἐνεκότει, *graviter iratus eſt.* Idem verbum alibi interpretantur per ἐνέχω, *inſidior*, Geneſ. 49. ✝. 23. & per μνησικακέω, *memor injuriæ ſum*, Geneſ. 50. ✝. 15. Quæ omnia aptiſſimè quadrant odiò Eſaui adverſus fratrem; tale enim erat, ut ex ſeqq. patet, ut & inſidiaretur fratri, & in memoriam ſibi revocaret injuriam, qua putabat ſe à fratre fuiſſe affectum, imò quia memor erat, ideò proſequebatur fratrem odio. Nullum autem odium acerbius eſt eo, quod inter fratres adnaſcitur, cujus rei cauſam Philoſophus hanc affert, Politic. lib. 7. cap. 7. *A quibus*, inquit, *juvari ſe beneficio oportere putant, ab eis tum offenſam ferre, tum etiam hoc beneficio privari exiſtimant. Vnde proverbium natum eſt*, χαλεποὶ γὰρ πόλεμοι ἀδελφῶν, *difficiles fratrum diſſenſiones.* Et οἱ τοι πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσι, *qui valdè amant, valdè habent odio.* Sed hæc non ſunt verè magnanimorum, quicquid ſentiat Ariſtoteles; vitium eſt infirmitatis humanæ, cui repugnat Chriſtiana diſciplina.

Odii ratio maximè fuit odioſa, nempè, propter benedictionem, qua benedixerat ei pater ejus, non quidem Eſau, ſed Jacobo. Sic enim intelligimus pronomen relativum *ejus*. Jam enim, poſtquam à patre intellexit, à Deo factum fuiſſe quicquid acciderat, eſſeque decretum immutabile, non tam in fratrem injurius fuit, quàm in ipſum Deum, cujus ordinationi reſiſtebat. Unde rectè colligitur, nunquam fuiſſe ductum verâ & ſeriâ pœnitentiâ, taleſque ejus fuiſſe lachrymas, quæ teſtarentur quidem aliquem dolorem ex privatione benedictionis, ſed qui non eſſet ſecundùm Deum, nec jacturam ſpiritualem ſpectaret, ſed prærogativam temporalem. Alioqui ſe potiùs adjunxiſſet fratri, eumque tanquam Deo gratum ſuſpexiſſet, ut ex intima cum eo conjunctione, veniret in benedictionis illam partem, quæ ſalutem æternam ſpectat.

Sed ejus profanitas & θεομαχία maximè patet in ſubjecta deliberatione, cùm dixit, בלבו *belibbo*, in corde ſuo, id eſt, apud ſe deliberavit, & ſtatuit rem nefandam: itaque, etſi non ad effectum produxerit perniciofum conſilium, tamen reus fuit apud Deum fratricidii, ex quo ſibi hoc propoſuit, ואהרגה *veahargah*, & occidam fratrem meum Jacob; in quibus verbis eſt auxeſis quædam & exaggeratio, quod non ſimpliciter deliberat ſe occiſurum Jacobum, ſed addat, אחי *achi*, fratrem meum, quæ conſideratio non eum revocavit à crudeli propoſito. Sed quominus id quamprimùm exequeretur, parentis præſentia utcumque inhibuit. Premebat itaque quantùm poterat altum corde dolorem, donec adveniſſent dies luctus patris ſui, quos in proximo eſſe, ex parentis ætate & ſenectutis incommodis conjiciebat. Per *dies* enim *luctus*, non intelligimus luctum ipſius parentis; quaſi diceret, Appropinquabunt dies, quibus lugebit parens, poſtquam occidero Jacobum fratrem; quem ſenſum nonnulli ex Ebræis huic loco applicuerunt, ac ſi hoc voluiſſet, Quandoquidem pater meus noluit recantare, & acquievit in benedictione data fratri meo Jacobo, poſt dies non multos faciam, ut lugeat; occidam enim eum qui jam gaudet benedictione paterna. Sed ימי אבל אבי *dies luctus patris*, non intelligi debent activè, quibus lugere

lugere debebat pater; ſed paſſivè, quibus à ſuis erat lugendus. Itaque eleganti periphraſi, *dies luctus*, dicuntur pro diebus mortis, quibus aliquis moritur, & decedens, luctus materiam præbet. Alioqui, etiam activè ſumitur eadem phraſis Eſai. 60. ℣. 20. Itaque *completi erunt dies luctus tui*, id eſt ceſſabunt. Sed hic accipitur eodem ſenſu quo Eccleſiaſtici 22. ℣. 12. dicitur, *Luctus mortui ſeptemdialis*, id eſt luctus pro mortuo; per id autem quod ſequitur denotatur antecedens, id eſt, per luctum, mors.

Voluit itaque patris mortem expectare priuſquam impium illud exequeretur conſilium; quia, etſi alioqui crudelis eſſet & impius, ducebatur nihilominus aliqua patris reverentia, quem viventem noluit contriſtare & exaſperare. Non, quod affectu vero & ſincero in parentem ferretur; ſed quod aliquo pudore aut verecundia detineretur, ne ſi id vivente patre accideret, ei ab hominibus objiceretur, quod patris canos cum luctu ad ſepulchrum deduxiſſet. Fuit itaque hypocritica reverentia, qua neque Deum reſpexit, nec quod honeſtum & juſtum erat ſibi propoſuit; ſed tantùm ut humanæ alicujus ignominiæ à ſe derivaret invidiam. Itaque etſi patris mortem, luctus nomine ſignificet, non tamen ſibi verum & ſerium luctum proponebat, qui cum ad fratris cædem properaret, lætabatur propinquitate mortis paternæ.

Sed cum talia, in corde ſuo, deliberaverit, quæritur quomodo id innoteſcere potuerit Rebecæ? Id Deo fuiſſe notum, quem non latent reconditi cordium anfractus, extra controverſiam eſt, nec ulla eſſet difficultas, ſi id revelante Deo ſciviſſe Rebeccam diceret ſcriptura. Sed phraſis qua utitur aliud indicat ויגד *vajuggad*, & nunciatum eſt Rebecæ, ex qua colligimus, Rebecam ex quorundam domeſticorum relatione, iſtius conſilii factam fuiſſe conſciam. Nempe, etſi Eſau in corde ſuo hoc facinus ſit molitus, non potuit tamen ſe continere, quin apud alios effutiret aliquid, vel ex occaſione alicujus novæ indignationis, vel per imprudentiam, maximè apud amicos & familiares, ita procurante Deo, ut ordinariis mediis conſervaret ſervum ſuum, cum alioqui potuiſſet cohibere Eſauum, & impedire quominus ei noceret.

Illa igitur narrat filio Jacob, quid de fratris conſilio inaudiviſſet. Frater (inquit) tuus, מתנחם לך *mitnachem leka*, ſe conſolans tibi; LXX, & vulgata *minatur*; Paraphr. Chald. *inſidiatur tibi*, ſenſu quidem vero, ſed quo non exprimitur vis omnis phraſis Ebrææ, qua indicatur talis vindictæ cupiditas, ex cujus impletio ne, ſequatur aliqua recreatio & ſatisfactio in animo ejus qui vindictam exercet, quique prius non poterat quieſcere. Quo ſenſu eadem phraſis tribuitur Deo per ἀνθρωποπάθειαν, ut Eſai. 1. ℣. 24. *Heu! conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabo me de inimicis meis.* Ezech. 5. ℣. 13. *Et requieſcere faciam excandeſcentiam meam in eis, & conſolabor.* Et enim quando homines ubi evomuerunt acerbitatis virus, quod in hoſtes conceperant, recreari videntur & quieſcere; ſic Deus humanitus dicitur levari, quando homines punit; aut conſolari, quia vindicta acceptæ contumeliæ levamentum eſt, non aliter quam ab humore noxio, ſive ab hauſto veneno, vomitione ſtomachus levari ſolet. Hanc phraſim uſurpat Rebeca, ut oſtendat, Eſauum ſibi conſolationem polliceri ex vindicta quam meditabatur.

Subjungit conſilium, Surge, inquit, ברח לך *berach leka*, fuge tibi; ubi pronomen redundat, quam Ebræam phraſim noſtri imitantur, *Fui t'en. Fugere* autem & *fuga* apud Ebræos ſumuntur in genere, pro omni abitu celeri & prompto, quomodo & Græci verbo φεύγειν utuntur, ut Matth. 10. ℣. 23. *ſi perſequuntur vos in una urbe, fugite in aliam.* Sic Job. 14. ℣. 2. *homo fugit ut umbra*, & alibi ſæpè. Celeritas autem indicatur, non tantum verbo *fugiendi*, ſed etiam verbo *ſurgendi.* Sumitur enim hoc verbum in imperativo, pro adverbio hortantis & accelerantis, apud Ebræos, quod innumeris exemplis probari poſſet. His verbis uſa eſt, quia metuebat vitæ ipſius. Locum autem deſignat, in quo commodè habitare poſſet, adverſus fratris inſidias ſecurus, nempe *Charan*, apud avunculum ſuum Labanum. Et ne putaret perpetuum ſibi indici exilium, *ſedebis*, id eſt habitabis, inquit, cum eo, ימים אחדים *jamim achadim*, ad verbum *dies unos*, id eſt, ut nonnulli volunt, *dies paucos*, ſic vulgata editio. LXX. ἡμέρας τινάς, id eſt, *dies aliquot*, Et certè Ebræis *unus*, eſt ſæpè *quidam*, *aliquis*, Judic. 12. ℣. 2. *vir unus.* Sic Geneſ. 40. ℣. 5. *Nocte una*, id eſt, quadam. Luc. 5. ℣. 17. *Vna dierum*, id eſt, *die quadam.* Sic nos etiam vernaculè uſurpamus unius vocem, pro quodam vel aliquo, *un*, pro *quelqu'un.* Putabat quidem Rebeca, dies illos paucos futuros, qui tamen à Deo ſingulari providentia ita protracti fuere, ut ad vigeſimum uſque annum perduraverit commoratio Jacobi cum avunculo Laban.

Finis hujus abſentiæ quem ſibi proponebat Rebeca is fuit, ut interim abſente Jacobo deferveſceret ira Eſaui, & oblivisceretur eorum quæ inter fratres acciderant. Conſideravit prudens fœmina, tum abſentiam objecti, tum diuturnitatem temporis, non ſolum de mœrore & dolore, ſed etiam de ira & odio, multum minuere. Id præſertim accidit in iis quos ἀκροχόλους, id eſt, ſummæ & incenſæ bilis Ariſt. appellat lib. 4. Ethic. cap. 11. qui, ut ſunt irritabiles, ita enim facilè placabiles. Nam ii quos vocat πικροχόλους propemodum implacabiles eſſe dicit, & diu in iracundia perſeverare. Ibidem addit Philoſophus ad iram in ſe ipſo concoquendam, tempore opus eſſe. Hinc ſperavit Rebeca, tempus huic malo remedium allaturum.

Promittit autem, ſe revocaturam, nempe tempore oportuno, & poſtquàm agnoverit nullum eſſe ab irritato fratre periculum. Hoc tum habuit in animo. Sed an poſteà fecerit non tradit hiſtoria, videtur enim Jacob rediiſſe non vocatus à parentibus, etſi (ut ſuo loco

dicetur) admonitus oraculo divino. Fortaſſe non putavit ſancta fœmina tempus eſſe oportunum, & Jacobo metuebat ab Eſaui potentia, nec ſanè vano metu, qui etiam in Jacobum cecidit, cum fratris occurſum non ſine pavore intellexit.

Notandum eſt quod illa, ſi facinus hoc perpetraretur ab Eſau, ſe una die privatam fore duobus filiis exiſtimat. Ratio ejus rei quæritur. De Jacobo nullum eſt dubium, ſi enim occiſus fuiſſet, filio privabatur mater. At de Eſauo alia ratio eſt, nam poterat ſuperſtes manere occiſo fratre. Sed tamen poterat etiam accidere, ut mutuis vulneribus conciderent, altero aggrediente, altero injuriam repellente. Aliæ tamen cauſæ mihi videntur probabiliores, nempe, vel quod tali facinore patrato, non potuiſſet amplius Eſau parentum aſpectum & præſentiam ferre; vel quod Rebeca pro filio non fuiſſet eum habitura; vel etiam qnod ex lege communi & jure gentium, morte luiſſet tantum ſcelus, fratricida.

Sed hoc iter non debuit Jacob ſuſcipere inſcio patre, quod ſatis judicavit ſancta fœmina. Nec tamen prudenter ſe facturam putavit, ſi bono ſeni conſilium crudele filii detegeret, ne eum in ætate decrepita triſtitia afficeret, vel in Eſauum exacerbaret. Ita enim diligebat Jacobum, ut tamen non propterea Eſauo male vellet. Præferebat unum alteri, ſed neutrum voluiſſet miſerum. Noluit igitur ignem inſufflare, vel frigidam ſuffundere ut Eſauum redderet patri odioſum. Itaque prudenter excogitat aliam peregrinationis inſtituendæ cauſam, quam facilè probat marito, ab incommodi quod anteà ſenſerant, præcautione.

Igitur verſ. 25. vitam fuiſſe ſibi acerbam profitetur, ob nurus Chætæas quas duxerat Eſau, quibuſcum ipſi convenire non poterat. Ejus rei poterant eſſe multæ rationes, ſed potiſſimam fuiſſe crederem, cultus diſparitatem, & in religione diſſidium. Non dubitandum etiam, quin moribus fuerint eis diſſimiles, quos tamen tulerant jam per multos annos. Addit itaque præcavendum eſſe, ne augeatur illud incommodum ſi Jacob affinitatem contrahat cum Chætæis, inter quos tum habitabant. Quod ſi (inquit) fiat למה לי חיים *lamma li chajim*, ad quid mihi vita? q. d. amplius vivere non cupio. Erat argumentum ſatis efficax ad permovendum Iſaacum, cui uxoris vita cara fuit, qui etiam perſenſerat, quam grave fuiſſet familiæ ſuæ tale conſortium. Elucet autem in eo Dei ſingularis providentia, qui uſus eſt pravis iſtis nuruum moribus, ut affinitatem Chananæorum odioſam redderet Rebecæ, qua ratione effecit, ut etſi nihil fortaſſe tale cogitaret, procuravit nihilominus ob alias cauſas, ne cum futuris Eccleſiæ hoſtibus implicaret ſe Jacob.

Hic tria quæri poſſunt. Primùm, Cùm Eſau à patre intellexiſſet ſubſtantiam benedictionis collatæ fratri ſuo, qua eidem in poſteris ſuis ſubjiciebatur; qua ratione induci potuerit ut exiſtimaret ſe poſſe impedire effectum divinæ benedictionis, & de fratris ſui vita diſponere; Cui quæſtioni ſatisfiet ſi dicamus, à profano animo fuiſſe profectum, quod non crediderit ratum eſſe quod pater pronunciaverat, ita ut ab homine impediri non poſſet. Sic abripiuntur ſæpè impii, ut adverſus Dei decretum pugnent; etſi non obſcura habeant certitudinis ejus indicia, quibus tamen animum non applicant, ut ſe vanis pollicitationibus oblectent. Sic adverſus Dei decretum pugnavit Saul: poſtquàm enim Deus elegiſſet Davidem, conatus eſt tamen eum de medio tollere, etſi argumentis exploratiſſimis, Deum cum ipſo eſſe ſentiret. 1. Sam. 18. ✝. 28. Talia exempla penè ſunt innumera eorum qui, cum videant aliquod opus eſſe à Deo, non tamen cavent, ne videantur θεομάχοι, cum diſſolvere volunt quod ex Deo eſt. Act. 5. ✝. 39.

Sed gravior eſt quæſtio ſecunda de Rebeca & Jacobo filio. Cum enim uterque pius eſſet & fidelis, & benedictionem cum tanto affectu curaſſet & expetiviſſet, quam proculdubio noverat uterque à Deo ſancitam, & apud eum ratam, effectumque ſuum ſuo tempore producturam, nec enim patitur eorum fides, ut id in controverſiam vocetur: Cur nunc metuit vitæ Jacobi Rebeca ob minas Eſaui; cur fugam ob talem cauſam ſuadenti, non reſpondet Jacob, fieri non poſſe ut vel inſidiis fratris ſui pateat, vel violentiæ ejus ſuccumbat, quandoquidem munitus erat Dei oraculo, cujus veritas labefactari non poſſet ullis hominum machinationibus? An inde ſequitur, utrumque dubitaſſe de impletione benedictionis acceptæ? Reſpondeo, non inde ſequi vel alterutrum vel utrumque in dubio hæſiſſe: ſed id tantùm ſequitur, piorum confidentiam de protectione divina; perſuaſionem de ſpeciali providentia, ſine qua ne capitis quidem pilus unicus cadit in terram; doctrinam etiam de prædeſtinatione ſanctorum; item prædictionum de futuris eventibus notitiam certam, non tollere neceſſitatem & uſum mediorum, aut inferiorum cauſarum, quibus Deus uti vult ad implendas promiſſiones ſuas. Proinde fideles non propterea omnem curam abjicere conſervandi ſui, vel etiam promovendi, quod Deo alioqui curæ ſe eſſe ſciunt, ſed legitima omnia media adhibere, pro ratione vocationis ſuæ. Non probantur itaque nobis, qui talem prædeſtinationem vel providentiam ſtatuunt, quæ omnes actiones & media, quæ Deus ordinavit, excludat, cum eadem includat etiam in ratione ſua, quia Deus non minus ordinavit media quam finem. Merito igitur Calvinus eorum cogitationes tanquam impias & profanas arguit, qui negligunt officia vocationis ſuæ, ſub hoc prætextu, quod quæ fieri debent, etiam fient ſine noſtra opera; vel qui pericula adeunt non neceſſaria, cuſtodiam & defenſionem Dei ſibi promittentes. Quia vult Deus nos uti mediis quæ ſunt ad manum, vult nos oblatas occaſiones amplecti, & iiſdem uti, ut etiam per eos efficiat quæ ordinavit. Sic cum potuiſſet nos creare

ſine

ſine parentibus, voluit ut parentes nos generarent; matres alerent. In communi vita, vult ut plantemus & ſeminemus, etſi ſine labore noſtro poſſit terram fœcundare. Imò ſi certo quis ſciret per revelationem, ſe præfixo tempore bono aliquo potiturum, non propterea non deberet à contrariis malis ſibi cavere. Sic Rebeca dubitare non potuit de veritate oraculi, *major ſerviet minori*, & de benedictione patriarchæ, quæ Dei fuit, nec tamen negligit quod eſt ſui officii, quia noverat mediis legitimis à Deo oblatis utendum eſſe. Sic Paulus Actor. 27. ỳ. 24. audiverat ab Angelo, ſe ſiſtendum eſſe Cæſari, & condonaſſe ipſi Deum, omnes qui cum illo navigabant: nihilominus ỳ. 31. dixit Paulus centurioni & militibus, cum nautæ ſtuderent fugere è navi, *Niſi iſti in navi manſerint, vos ſervari non poteſtis.* An quod de divina veritate dubitaret? nihil certè minus; ſed quia noverat mediis Deum uſurum, & ſecundas illas cauſas permoturum, ut arte ſua uterentur in hac extrema neceſſitate.

Ex quibus ſatis liquet, quam peſſimè argumententur, qui doctrinam de prædeſtinatione, certitudine ſalutis, & ſanctorum perſeuerantia, eo nomine calumniantur, quod homines reddat ſegnes ad omnia pietatis officia, & ſecuritatem pernicioſam ingeneret; quæ potius piam ſollicitudinem, & ſanctam prudentiam promovet; qua quidem norunt pii, ſe nihil poſſe ſine Deo; ſed tamen ita ſe ipſius ductui committunt, ut non negligant omnia officia à Deo ſibi præſcripta; neque putent propterea, vel promiſſiones, vel hortationes, vel minas planè eſſe inutiles, quod malignè perſuadere volunt, qui divellunt, quæ Deus conjunxit.

Tertia quæſtio minus habet difficultatis. An mentita ſit Rebeca in eo, quod cum filium abigeret, ut fraterno odio eum ad tempus ſubtraheret, aliam tamen ejus rei cauſam apud maritum prætexit? Reſpondeo, nullo modo mentitam fuiſſe. Verum enim erat id quod marito expoſuit; nec dubitandum quin hunc etiam ſcopum ſibi propoſuerit. Idcirco Jacob cum eſſet in Meſopotamia, de conjugio ineundo cogitavit. Verum eſt tamen, celaſſe maritum ſuum aliam cauſam, ob rationes ſupra allatas, ſed hoc fuit prudentiæ, quæ aliquando jubet ut nonnulla taceamus, quæ ſi emanarent, plus nocumenti quam commodi eſſent allatura. Aliud igitur eſt falſum proferre; aliud veritatem aliquam ſubticere, cujus indicatio eſſet cum periculo conjuncta, cum juſta aliunde ſuppetit ratio, qua id quod volumus poſſumus etiam exequi. Itaque in Rebeca proponitur ſanctis mulieribus exemplum prudentiæ ut omnia gerant adeò circumſpectè, ne turbas dent non neceſſarias; vel occaſiones alioquin negligant mala præcavendi. Hoc enim pertinet etiam ad Rebecæ ſanctam ſollicitudinem; quod etſi nuntiatum ei fuiſſet, Eſauum non minari fratri, niſi poſt patris obitum, non expectat tamen tempus illud vel terminum à malo conſultore præfixum; quia ſatis noverat talium hominum ea eſſe ingenia, quæ ſubinde mutant, nec affectus ſuos continere poſſunt, quin occaſione oblata procurrant ad ſcelus perpetrandum.

AD CAPVT XXVIII.

EXERCITATIO CXXII.

Padan Aram, *quæ regio fuerit? Cur Iſaac repetat benedictionem? Cur ſine ullo apparatu & comitatu Iſaac dimiſerit Iacobum?* Aramæi *qui ſint? Cur* Mater Jacobi & Eſau *dicitur Rebeca, poſtpoſito Eſau? Ejus ſecundæ nuptiæ, & occaſio qua inductus fuit. Qualis fuerit ejus pœnitentia de affinitate cum Chananæis? Quomodo abierit ad Iſmaelem quem conſtat anteà obiiſſe?* Nebajoth *Iſmaelitica familiæ caput. An familia Iſmaelis tum fuerit à vero cultu planè aliena? Negatur. Filiorum hujus ſeculi, & filiorum Dei diſſimilitudo.*

CAPITE XXVIII. deſcribitur executio conſilii materni de profectione in Meſopotamiam, poſtquàm alio prætextu, ſed ſancto & neceſſario, maritum in ſuam pertraxiſſet ſententiam, cujus autoritate effectum eſt, ut Jacobus, non clam, & tanquam profugus, ſed conſciis domeſticis, honeſtas ob cauſas dimiſſus fuerit. Prohibet igitur parens ỳ. 1. ne uxorem ex filiabus Canaam ſibi accipiat; eandem ob cauſam, ob quam idem prohibuit ſervo ſuo Abrahamus reſpectu ipſius Iſaaci: motus haud dubio rationibus ab uxore allatis. Præcipit verſ. 2. ut proficiſcatur in Meſopotamiam, ad cognationem maternam, & inde accipiat uxorem. verſ. 3. & 4. repetit benedictionem eamque confirmat. verſ. 5. narratur obedientia Jacobi, ad profectionem ſe accingentis.

Hic nomen habemus regionis in qua ſita fuit Charan, quæ fuit habitatio conſanguineorum Abrahami. Vocatur *Padan aram*, à Græcis μεσοποταμία, à Latinis *Syria interamnis*. Paraphraſtes Chaldæus ad Pſal. 60. vocat Syriam quæ ad Euphratem. Dicitur autem Meſopotamia, quod inter Euphratem & Tigrim eſſet. Unde apud Juvenalem, *Natus ad Euphratem*, eſt Meſopotamenus. *Paddam*, tamen fuiſſe tantum partem Meſopotamiæ quidam volunt, & Meſopotamiam eſſe eam

eam regionem quæ appellatur ארם נהרים *aram naharajim*, quaſi Syria duorum fluviorum. Sed eadem ratione tota Meſopotamia *paddan aram* dici potuit, quia *paddam* ſignificat par & jugum, quod inter duo flumina ſita ſit, quæ eam bipartitam reddunt, & quaſi interſtinguunt.

Repetit Iſaac benedictionem, quam anteà quidem habuerat ratam, idque Eſauo conquerenti denunciaverat; ſed tamen non eſt nihili, quod nunc iterùm eam applicet Jacobo, non quidem quod anteà non eſſet in ſe firma, cùm oſtenderimus in eo fuiſſe Iſaacum Dei miniſtrum; non etiam quaſi Jacob non credidiſſet eam ad ſe pertinere, aut ſaltem de ejus validitate dubitaſſet, ſed ut magis ac magis confirmaretur in ſpe promiſſorum bonorum. Tunc enim fides Jacobi aliquo ſubſidio opus habuit, quo ſuſtentaretur extra paternam domum, in variis anguſtiis cum quibus ipſi confligandum fuit. Sic Deus ſæpè eaſdem repetit promiſſiones, non ut verbo ſuo deroget, ſed potius ut ejus certitudinem ſervis ſuis commendet, præſertim cùm eorum fidem variis tentationibus objicit. Talia enim paſſurus erat Jacob, quæ videri poterant benedictioni non reſpondere, cùm extorris, extra paternam domum, alienæ ſervituti velut mancipatus, ſciret fratrem Eſauum domi tranquillum & quietum manere, qui magis videbatur tum benedictionis fructum percipere, quàm ipſe Jacob.

Idcircò verba benedictionis ita attemperat Patriarcha, ut ſatis oſtendat ejus fructus in futurum differri, quia multiplicatio in cœtum populorum, ℣. 3. poſſeſſio terræ per ſemen ſuum, &c. dilationem aliquam præ ſe ferunt. Cumque terram promiſſam appellet *terram peregrinationum ejus*, ſatis indicat, ita hæreditatem ei aſſignari, ut tamen in ea futurus ſit hoſpes & peregrinus. Nec tamen propterea non eſt verum, datam ei fuiſſe terram, in cujus poſſeſſionem in perſona ſua nunquam miſſus eſt. Eodem enim ſenſu dicit Iſaac, dandam eſſe Jacobo & ſemini ſuo, quo ibidem dicit, Deum eam dediſſe ipſi Abraham, non ut illam actu in ſe poſſideret, ſed in poſteris ſuis. Quò referri etiam debent hæc verba, *Det tibi Deus benedictionem Abrahæ*, quibus in eum transfert jus illud, quod Abrahæ datum fuerat, & in Iſaacum poſteà tranſlatum. Unde nullum dubium relinquitur, quin jura primogenituræ Iſaac tribuerit Jacobo, abdicato Eſau. Cùm enim cognoviſſet id à Deo fuiſſe decretum, noluit ſanctus vir reluctari ex affectu humano divinæ diſpoſitioni. In his verbis אשר נתן אלהים אל אברהם *aſcher natan Elohim el Abraham*, Vulgata à verbis diſcedit, ſenſum tamen retinet; nam Deus dedit promittendo, idcirco vertit, *quam pollicitus eſt avo tuo*.

Ita inſtructum miſit Iſaac filium ſuum, aut à ſe dimiſit, ſolum, ut poſteà videbitur, & ſine ullo apparatu, aut comitatu. Quod ſanè mirum videri poſſet, cùm anteà Abrahamus, ob ſimilem cauſam miſiſſet ſervum cum magno comitatu & pretioſis muneribus. Quæri itaque poſſet, cur Iſaac filium cui primas aſſignaverat, cui deſtinabat conjugem ex affinitate ſua, eò miſerit iis omnibus deſtitutum, quibus inſtructus fuit Elieſer, cùm ad uxorem Iſaaco adducendam profectus eſt. Certè non dubitandum eſt, quin aliqua fuerit legitima cauſa, quia non putandum eſt, vel ex ἀστοργίᾳ, vel ex illiberalitate factum, quod fuerit ablegatus, ita deſtitutus. Notandum igitur, ad diſſimilitudinem quod ſpectat inter ſervum anteà miſſum & ipſum filium, rationem fuiſſe in ſervo, quæ ceſſavit in Jacobo. Primò, quia non erat tum notus ſtatus familiæ Abrahami, ex quo relictis Charris, venerat in Cananæam. Opus igitur fuit ſpecimine quodam oſtendi novis affinibus, Deum abundè benedixiſſe Abrahamo. Deinde, mittebatur ſervus, non filius ipſe. Itaque neceſſarium fuit ſervo pluribus adminiculis inſtrui, ut fides ipſi adhiberetur. Hæc verò in Jacobo ceſſabant. Tunc enim nota erat familia Labani, Iſaaci ſororii conditio, ut non opus fuerit multis argumentis. Deinde ipſe Jacobus ad avunculum miſſus cum matris mandatis, exponere potuit cauſas, cur ita dimiſſus fuiſſet. Addendum præterea id ex ſpeciali Dei providentia factum fuiſſe, ut Jacob magis experiretur quantum Deo curæ eſſet. Potuit etiam id ex matris conſilio factum fuiſſe, quæ cùm videret ipſi eſſe ad aliquod tempus apud avunculum manendum, non judicavit è re, ut famulitium ſecum duceret. Probabile eſt etiam, etſi parens ei poteſtatem fecerit ſecum ducendi, vel etiam aſportandi quicquid ſibi neceſſarium judicaret, abiiſſe nihilominus ſine comitatu, ne fratris invidiam augeret, ſed ei potius occultaret diſceſſum ſuum, atque ita prudenter omnes præcaveret inſidias.

Laban avunculus Jacobi, *Aramæus* appellatur; Aramæos Græci & Latini Syros appellarunt, voce, ut nonnulli volunt, decurtata ab Aſſyriis per aphæreſim; ut *Chonia* apud Jerem. cap. 22. pro *Iechonia*. Et *Spania* pro *Hiſpania*. Alii nomen deducunt à Tyro, quæ Ebr. *Sor*, unde *Sur*, & *Suria* & *Syria*, promiſcuè enim ita ſcribitur. Euſebius in Chronic. ad ann. 325. vult à Græcis fuiſſe ſic appellatam paulò ante nativitatem Moſis, ex vocabulo Syri cujuſdam indigenæ, à quo & incolæ à Latinis Syri & Syrii dicti fuerint. Hodiè Seriam vocari ſcribit Ortelius. Strabo lib. 16. Geogr. ſcribit, Syros à Barbaris Ἀρμαίους καὶ Ἀρίμους vocari. Sic Joſephus, Ἀραμαίους δ᾽ Ἄραμος ἔσχε, οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι, *Aramæos Aramus tenuit, quos Græci Syros appellare malunt*, Antiq. lib. 1. cap. 7. Syrus etiam vocatur Jacob Patriarcha, Deut. 26. ℣. 6. fortè quia in Syria diu habitaverat, & matrem habuerat Syram.

Addit Moſes de Labano, fuiſſe fratrem Rebecæ, אם יעקב ועשו *em Iaacob veeſau*, matris Jacobi & Eſaui. Vulgata ſimpliciter, *matris ſuæ*, ut illud reciprocum *ſuæ*, referatur ad Jacobum tantùm. Non tamen ſuperfluum eſt nomen Eſau in textu Ebræo, cujus etiam

etiam occaſione Ebræorum Doctores varia & arguta multa conjectarunt. Simplex ratio hæc eſſe videtur, quia mox ſequitur narratio de iteratis nuptiis Eſau, occaſione miſſionis Jacobi. Nam quia Moſes voluit eam inſerere hiſtoriæ ſuæ, addidit matris Eſaui mentionem, ut eſſet velut tranſitio quædam ad ea, quæ de ipſo dicturus erat.

Nam verſ. *6. 7.* 8. & *9.* recitat, quid Eſauum impulerit, ut prioribus uxoribus, quas ex Chetæis duxerat, adderet aliam ex ſtirpe Iſmaëlis. Præmittit ergò, Eſauum vidiſſe quod Deus benedixiſſet fratri, miſiſſet in Padan, prohibuiſſet, ne acciperet uxores ex Chananæis; perſpexiſſe etiam filias Chanaan diſplicere patri. Quod dicit וירא *vajare*, & vidit, non intelligi debet, quaſi præſente Eſau mandatum illud datum fuiſſet Jacobo à parente; ſed videndi verbum, pro verbo cognoſcendi & intelligendi ponitur. Sic Geneſ. 42. ꝟ. 1. וירא *vajare* & *vidit Iacob, quod eſſet frumentum in Ægypto*, id eſt, *intellexit.* Probabile eſt id intellexiſſe, poſtquàm Jacobus abiiſſet, vel ab ipſis parentibus, vel ab aliis.

Quicquid ſit, certum eſt æmulatione ductum fuiſſe, ne fratri in eo cederet, quod conſanguineam haberet uxorem. Qua in re etiam putavit ſe ſatisfacturum patri, & ab eo bonam initurum gratiam; fortè etiam cogitavit ſe in eo fratrem ſuperaturum, qui ex patris fratre ſibi uxorem acciperet, cùm Jacob ad matris conſanguineos miſſus eſſet. Sed in hoc Eſaui facto, non injuriâ multa culpant interpretes. Id reprehendi non poteſt per ſe, quod ſtuduerit patrem demereri, & cùm intellexiſſet ex mandato patris, & obedientia fratris, ſe anteà non benè verſatum fuiſſe in conjugio ineundo, quod illum pœnituerit facti, illudque corrigere conatus ſit. Pœnitentia enim perperam factorum, ſi vera ſit & ſeria, laudabilis eſt. Sed hoc jure reprehenditur, ſi factum per ſe non diſplicet, ſed tantùm quatenus ex eo damnum aliquod vel metuimus, vel ſentimus; ſi de offenſa Dei non ſimus ſolliciti, ſed hominibus tantùm placere ſtudemus; ſi ob temporale emolumentum & ſpem alicujus prærogativæ; ſi in emendando delicto non inquirimus qua ratione id rectè fieri poſſit; ſed proprio ingenio innixi, putamus aliis, aliquando ipſi Deo, placere debere, quod nobis arridet. Ut rem in pauca contraham, ſi abſit ſinceritas, hypocriſis autem & fucus animum hominis occupet. Addo etiam, ſi vitium unum palliando, putamus nos officio ſatis defunctos, plura alia negligentes, quibus in tota vitæ ratione gravioribus laboramus. Hos omnes defectus in pœnitentia Eſaui animadvertere quilibet poteſt. Factum per ſe non diſplicuiſſe Eſauo, ex eo patet, quod alia uxore ſuperinducta, non tamen ab aliis divellitur, quæ parentibus erant moleſtæ. Adductum fuiſſe metu aliquo damni temporalis, vel ſpe lucri, ex eo conſtat, quod de eo cogitavit, poſtquàm vidit patrem benedixiſſe fratri, juſſiſſeque ut duceret uxorem non alienigenam. Affectavit enim benedictionem, ad quam putavit, abſente fratre, ſe pervenire poſſe; nec in ea ultra prærogativas hujus vitæ proceſſit; nec depoſuit odium in fratrem, cujus manifeſta præbuerat indicia. Itaque ad Deum non reſpexit, ſed patri tantùm placere ſtuduit, cùm videret Chananæas ipſi diſplicere. Conſilium tamen patris in ea re non expetivit, ſed ſua ſponte abiit, ut uxorem ſibi acciperet, cùm Jacob, niſi priùs à parentibus juſſus id in ſe non ſuſceperit. Denique, cùm jam ab initio polygamus fuiſſet, auget hoc ſuo facto polygamiam, quæ etſi tum (ut anteà monuimus) tolerata fuerit, habuit tamen ſuos defectus, in iis præſertim, qui profano ſpiritu imbuti, nihil minus cogitabant, quàm de propaganda Eccleſia.

Quod dicitur abiiſſe ad Iſmaëlem, & accepiſſe in uxorem *Machalat*, &c. difficultatem habet, ſi nomen Iſmaëlis propriè ſumatur, non patronymicè. Iſmaël enim anteà diem ſuum obierat, nempè ante annos quatuordecim, ætatis ſuæ 137. ut dictum eſt cap. 25. Itaque Iſmaëlis nomen pro gente Iſmaëlitica ponitur, & propterea videtur additum nomen Nebajoth, cujus ſoror erat ſuperinducta uxor, utpote qui tum eſſet familiæ caput. An in eo culpa fuerit, quod Iſmaëliticam uxorem duxerit, cùm Iſmaëlis familia, licet cognata, tamen fuerit impia, & Eccleſiæ perſecutrix, dubitari poteſt. Affirmant multi. Ego tamen, ſalva eorum pace, non exiſtimo, familiam illam tum fuiſſe planè alienam. Nam Iſmaël interfuerat cum Iſaaco funeri parentis Abrahami; & probabile eſt, inter fratres & cognatos adhuc benè conveniſſe. Si enim inter eos fuiſſent ſimultates, tum certè Eſau non ſtuduiſſet patrem placare, ducta patrueli; nec id in ſe ſuſcepiſſet, niſi cognoviſſet parentem non eſſe alieno à familia fratris animo. Quamvis enim poſteà Iſmaëlitæ defecerint à vera pietate, & poſteritati Jacobi fuerint iniqui, id tractu temporis effectum eſt, cùm initio nondum multiplicatis familiis, familiaritatem aliquam inter ſe coluiſſent. Ad pietatem autem quod ſpectat, vix credi poſſet tunc, paulò antè defuncto Iſmaële Abrahami filio, idololatriam viguiſſe inter filios ejus, quam tamen certum eſt in familia Labanis fuiſſe introductam. Itaque, ſi initio Eſau junxiſſet ſe cognatæ ſuæ ex Iſmaële, vix aliqua interceſſiſſet difficultas in ratione cultus divini. Unde in eo non conſtitiſſe culpam ejus, ſi qua in illo conjugio fuerit, veroſimilius judico; ſed in eo, quod factum fuit præpoſterum, & eas ob cauſas ſuſceptum, de quibus ſuprà diximus.

In hac autem duorum fratrum hiſtoria meritò notatur filiorum hujus ſeculi, & filiorum Dei diſſimilitudo, quoad gratiam, ingenium, ſtudia, & exitum. Quoad gratiam attinet, unum Deus dilexit, alterum neglexit; uni benedixit ſpiritualibus benedictionibus & temporalibus; quarum prioribus unum privavit, conceſſis quidem poſterioribus, ſed precariò tantùm, quemad-

 modum

modum ſervis conceduntur, non autem quas jure ſuo poſſideret tanquam Dominus. Ad ingeniorum & ſtudiorum diſcrimē quod ſpectat, filii hujus ſeculi terrę addicti, caduca quærūt, cùm filii Dei ad ſpiritualia & cœleſtia propēdeant. Tam diſſimilium ſtudiorum, nō poteſt nō eſſe diſſimilis exitus. Alteri enim parantur à Deo, in quibus judicia ſua exerceat; alteri, in quibus opes miſericordiæ & gratiæ declaret, per eorum glorificationem.

EXERCITATIO CXXIII.

Initium novæ ſectionis Ebræis. A qua incipit Iacobi hiſtoria. De loco viſionis Iacobo objectæ diſſertatio. Non fuiſſe montem Morijah. *Vbi ſita fuerit* Luza. *Nec Bethelem Luzam fuiſſe. Tempus divinæ patefactionis. Modus, per ſomnium. Somniorum diſtinctio. Ordinariorum cauſæ. Quædam à dæmone procurata. Qua ratione diſcerni poßint. Diluitur calumnia adverſus Zuinglii ſomnium, in quo monitor ei ſuggeßit locum Scripturæ qui vigilanti non occurrerat.* Ater ne an albus ſit neſcio, *proverbialis loquendi formula, cui uſui? Variæ ſomniorum diſtinctiones ex Gregorio. Somniorum à Deo immiſſorum exempla. Cur per ea Deus ſe aliquando voluerit patefacere? Interpretatio ſomniorum qualis? Viſum Iacobo objectum in ſcala. Cum adjuncto oraculo. Vtriuſque ſcopus & finis. Specialis ſcalæ explicatio & applicatio. Ad doctrinam de providentia. Redarguitur nonnullorum περιεργία. Non probatur reſtrictio ſcalæ ad iter Iacobi. Scalæ myſtica conſideratio Chriſtum reſpiciens, explicatur. Exponitur locus Ioan. 1. verſ. 52. Angeli aſcendentes, &c. non ſunt homines miniſterio fungentes. Commentum Platonicum de Angelis mediatoribus arguitur. Veſtigia hujus viſionis apud Ethnicos.*

A verſu x. hujus capitis incipiunt Ebræi novam ſectionem, quæ ſeptima eſt libri Geneſeos; in qua, omiſſa deinceps mentione Iſaaci, de cujus obitu tantùm pauca obiter memorabuntur, pertexere incipiunt hiſtoriam Patriarchæ Jacobi, initio ducto à profectione ejus ex eo loco in quo Iſaac habitabat, in Meſopotamiam, ubi novæ familiæ initia condidit. Deſcribitur autem ad finem uſque hujus capitis, quid Jacobo contigerit in via, & quid inde in eo ſequutum ſit. Nempè, primò, oblatæ viſionis divinæ locus, tempus, & modus, verſ. 11. & 12. Secundò, ipſa divina viſio cum ſuis omnibus circumſtantiis, quæ vel viſum ſpectant, vel auditum, verſ. 12. 13. 14. & 15. Tertiò, ejuſdem efficacia in Jacobo, verſ. 16. & 17. ubi ſenſus ejus de viſione divina, & motus. Quartò, factum ejuſdem circa viſionis locum. Quintò, voti nuncupatio, qua ſe Deo ſpeciali obligatione devincit.

De loco viſionis vix alicui dubio aut difficultati locus eſt. Nam quod ex Ebræis nonnulli, quos etiam alii ſequuti ſunt, locum illum fuiſſe voluerunt montem Morija, in quo ſpecimen illud tam illuſtre obedientiæ ſuæ exhibuerat Abrahamus, nulla ratione nititur, & contra ipſam Scripturam impingit. Jejunum eſt enim quod ex verbis verſ. 17. deducunt argumentum, in quo expergefactus Jacob exclamat, *Quàm terribilis eſt locus iſte, non eſt aliud niſi domus Dei, & porta cœli!* quaſi inde ſequeretur, locum in quo dormivit Jacob, fuiſſe eundem in quo poſteà fuit ædificatum templum, quod nomine *Domus Dei* poſteà in Scriptura deſignatur appellativè. Nam huic commento planè repugnat Geographia terræ ſanctæ, quod etiam ipſis Ebræis non fuit ignotum. Idcircò commentum addiderunt commento, ſubſiliiſſe terram ipſi Jacobo, & montem Morija ſuo loco revulſum ipſi præceſſiſſe uſque in Bethel, tam eundo, quàm redeundo ex Meſopotamia, ut inde hoc efficiant, montem illum fuiſſe, in quo poſteà Jacob erexit altare, & cultum Dei inſtituit, ut ſuo loco dicetur ad caput xxxv. Sed hæc indigna ſunt, quibus refellendis inſiſtere quis debeat. Nec eſt quod de loco dubitemus, cùm poſteà vetus nomen urbis proximæ exprimatur, & qua ratione evenerit, ut nomen mutatum fuerit ex *Luza* in *Bethel*, tota hæc indicet hiſtoria. Fuiſſe autem locum ſatis remotum à Jeruſalem, topographia terræ ſanctæ cuilibet facit manifeſtum. Sita eſt in tribu Ephraim, non procul à Samaria, & monte Gariſim, civitas quæ *Luza* dicitur, quam tamen *Bethelem* non fuiſſe eam de qua hìc agitur, notant Geographi, ſed aliam *Luzam* in tribu Benjamin, in terra *Elim* ſitam, duodecim milliaribus à Jeroſolyma diſtantem, quæ ex plurimorum conſenſu, vicina fuit loco, in quo Deus apparuit Jacobo: non enim audiendus eſt Abulenſis, qui *Luzam* eſſe putat eam, quæ non procul eſt à *Samaria* & monte *Garizim*, juxta quam eſt mons *Bethel* dictus, quem exiſtimat conſecratum fuiſſe idolo vituli à Jeroboamo erecti; etſi pro ejus ſententia facere videatur, quod illa manifeſtiſſimè fuerit ſub ditione Ephraimitarum, qui ad decem tribus pertinebant quæ Jeroboamum regem agnoverant: ſed *Luza* illa recentior erat, nondum condita tempore Jacobi, quam extructam fuiſſe ab eo qui priorem Luzam prodiderat, *neminem neſcire* ait Andreas Maſius in cap. 16. Joſuæ. Hiſtoria proditionis prioris *Luzæ*, & ædificationis poſterioris habetur

habetur Judic. cap. 1. verſ. 16. Is igitur vir doctus contra ſententiam eorum qui duas fuiſſe *Betheles* exiſtimant, unam tantùm extitiſſe contendit, eamque modò diverſam à *Luza*, modò eandem dici: quia cùm reipſa locus ille, in quo divinum viſum Jacob ſe patefaciebat, paululùm abeſſet ab oppido Luza primùm, poſteris temporibus adeò eſt celebratus, quadam religionis opinione, ut Luzæ propinquæ nomen diluerit, atque obſcuraverit. Hæc ille. Id autem difficile non fuit, præſertim poſtquam *Luza* à filiis Joſephi deſtructa fuit. Etſi autem *Bethel* ad tribum Benjamin pertinuerit, nihil tamen obſtat quominus potuerit Jeroboam ibi vitulum erigere, quia cùm eſſet proxima tribui Ephraim, potuit à potentiore uſurpari, cùm id judicaret uſibus ſuis eſſe aptum, ut in ipſa duarum tribuum vicinia cultum erigeret, quem loci celebritas ſuperſtitioſis hominibus commendabat. Quicquid ſit, certum eſt nihil ex Scriptura adduci poſſe, unde probetur, Jeruſalem unquam fuiſſe appellatam Luzam, vel etiam Bethelem. Burchardus in deſcriptione terræ ſanctæ parte prima, cap. 7. *Ex Hai*, inquit, *ad leucam unam ferè contra Aquilonem, paululùm tamen declinando, eſt Bethel civitas, quæ prius Luza vocata eſt in tribu Benjamin. In hoc loco Iacob, cùm proficiſceretur in Meſopotamiam, fugiens Eſau fratrem ſuum, lapidem capiti ſupponens obdormivit, viditq; in ſomnis ſcalam*, &c.

Hactenus de loco, ſequitur de tempore & modo. Tempus fuit nocturnum; cùm non procul à civitate Luza (id quàm probabile eſt non potuiſſe Jacobum pervenire, oppreſſus nocte, poſtquam Sol occubuiſſet) coactus neceſſitate ſub dio pernoctare, impoſito lapide cervicalis loco, factum eſt, ut qui ad diverſoria hominum non potuerat pergere, Deum habuerit hoſpitem ſingulari modo, dormieritque in loco illo, quem poſteà *domum Dei* agnovit & *cœli portam*. Modus quo ſe Deus ipſi communicavit, fuit oblato ei ſomnio, cùm feſſus è via ſomnum caperet. *Somniavit* ויחלם *vajjachalom*. Hoc ſomnium cùm Scriptura referat, & rem admirabilem contineat, cavendum ne *ſomnii* ipſo nomine, ingeneretur in nobis rei ipſius de qua agitur contemptus. Certum eſt vulgaria ſomnia, & quæ nobis dormientibus ut plurimùm ſubrepunt, pleraque eſſe vana & ludicra, taliaque in quibus objiciuntur à phantaſia, quæ nullo modo cohærent, nec rationi ſunt conſentanea. Inde eſt quod Sapiens Eccleſ. 5. ℣. 7. *in multitudine ſomniorum* vanitates notat, ut *in verbis multis*. Et filius Syrach. cap. 34. ℣. 2. eos qui *ſe adhibent ſomniis*, comparat *captantibus umbram, & perſequentibus ventum*. Ut non audiendi ſint Philoſophi, qui omnibus ſomniis olim fidem arrogarunt, quod de Protagora & quibuſdam Stoicis dicitur, qui in omnibus ſomniis exiſtimarunt vim eſſe ſignificandi, ac denotandi aliquid; haberi autem quædam ſomnia velut inania & falſa, quia tenuiter eſſent expreſſa, obſcura, & ad intelligendum difficilia. At quotidiana docet experientia, non pauca inania eſſe, cùm frequentia ſint admodum, & ex iis veri nihil plerumque elici poſſit. Cùm enim ordinaria ſomniorum cauſa ex eo procedat, quod ſpiritus ſentienti animæ, præſertim autem phantaſiæ, cujus eſt fingere ſomnia, deſervientes, in quibus inhærent rerum in vigilia perceptarum reliquiæ ac veſtigia, ſive ſpecies, agitati in ſomno, vaporibus cibi potuſve ſubeuntibus, & huc illuc jactati, varia reddunt viſa; fit etiam quia hujuſmodi jactatio valdè incompoſita eſt ut plurimùm, ut turbulenta ac diſtorta, & plerumque talia ut nullam vim ſignificandi habere queant, repræſentent ſomnia. Ad quæ referuntur quæ de vanitate ſomniorum, ex Scriptura ſunt allata, & communiter etiam objiciuntur.

Non eſt prætereà negandum, dæmones ſæpè ſe immiſcere quorundam hominum ſomniis, iiſque jam olim abuſos fuiſſe, ut eorum crudelitati illuderent. Unde inter diſtinctiones ſomniorum hæc ponitur, quod ſomnia quædam ſunt diabolica, qualia ſunt quæ naturalibus cauſis tribui non poſſunt, quia earum vim excedunt, & notis manifeſtis quod à Deo non ſint extra ordinem immiſſa, cognoſci poteſt. Dæmones enim hanc vim etiam habere ex Dei permiſſu, ut quæ volunt poſſint quibuſdam hominibus manifeſtare, notius eſt quàm ut probatione egeat. Unde eſt quod Jerem. 27. ℣. 9. falſos prophetas, divinos, ſomniatores, planetarios, &c. conjungit, vetatque ut eis fides adhibeatur. Et Zachar. 10. ℣. 2. *Divini vident falſum, & ſomnia vana loquuntur*. Cùm enim dæmones aliquid inſpirant dormientibus, & ſuggerunt ſomnia, id ſemper inſidiosè faciunt & malitiosè, quò quacunque poſſint ratione, hominibus noceant. Poſſunt autem utcunque diſcerni his notis; primò, ſi frequenter accidant ſomnia, res futuras aut occultas ſignificantia, quarum cognitio non ad utilitatem ſomniantis vel aliorum, ſed ad inanem curioſæ ſcientiæ oſtentationem, vel etiam ad aliquod malum perpetrandum conferat; tunc enim poteſt dæmoni tribui talium ſomniorum immiſſio, qua ſatagit animos hominum imbuere ſuperſtitione, eoſque crimine impietatis obſtringere. Secundò, ſi piis alioquin viris, ſobriis & caſtis, tetra, obſcœna, & crudelitatis plena ſomnia objiciantur, & ſi quæ talia, quæ ſatis conſtat à Deo non immitti.

Hîc autem antequam ulterius progrediar, non poſſum omittere, quin diluam impudentem calumniam, quam tertio quoque verbo intorquent in memoriam Huldrici Zuinglii, tam Pontificii, quàm Pſeudo-Lutherani. Utrique, & hi præſertim, ubi de Cœnæ Domini institutionis verbis interpretandis agitur, eò trahunt quandam ejus narrationem, quæ legitur tomo operum ſecundo, in libello cui titulum fecit, *Subſidium Eucharistiæ*, ut ex ipſius ſcripto eum convincant, quaſi ipſe agnoviſſet, ſe *ab atro dæmone* in eam quam propugnavit ſententiam fuiſſe pertractum. Narrat igitur ſe cum Tiguri ageret duodecimo Aprilis, ut Miſſa prorſus aboleretur,

leretur, fuiſſe à quodam ſcriba objectum, omnia exempla quæ attulerat anteà, ut probaret, *eſt* pro *ſignificat* accipi, fuiſſe parabolica, nullum autem fuiſſe adductum, in quo ſimplex tantùm ineſſet τρόπος, qualem in verbis Cœnæ Domini fingebat; reſpondiſſe quidem quod res erat, in explicatione parabolæ, cùm Chriſtus dixit, *Semen eſt verbum Dei*, ineſſe ſimplicem tropum, in quo *eſt*, manifeſtè pro *ſignificat* acciperetur, & huic reſponſo ita omnes acquieviſſe, ut ſequutum fuerit decretum de abroganda Miſſa: Addit nihilominus; *Reſtabat adhuc haud minimus conatus, quo ſcilicet exempla produceremus, quæ nullâ cum parabolâ conjuncta forent: cœpimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere, attamen nihil aliud exemplorum occurrebat, quàm quod in commentario proditum eſt, aut quod occurrebat, erat eorum ſimile. Cùm verò tredecima dies adpeteret; vera narro, adeoque vera ut celare volentem, conſcientia cogat effundere quod Dominus impertiit, non ignorans quantis me contumeliis riſibuſque exponam. Cùm, inquam, tredecima Aprilis lux adpeteret, viſus ſum mihi in ſomno, multo cum tædio denuò contendere cum adverſario ſcriba, ſicque obmutuiſſe, ut quod verum ſcirem, negante lingua beneficium ſuum, proloqui non poſſem, qui me angor, ut ſolent nonnunquam ſomnia fallaci ludere nocte, (nihil enim aliud quàm ſomnium narramus, quod ad nos attinet: tametſi leve non ſit quod per ſomnium didicimus, gratia Deo, in cujus ſolius gloriam iſta prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi* ἀπὸ μηχανῆς *viſus eſt monitor adeſſe (ater fuit an albus nihil memini, ſomnium enim narro) qui diceret, quin ignave reſpondes ei quod Exod.* 12. *ſcribitur*, Eſt enim Phaſe, hoc eſt, tranſitus Domini? *Protinus ut hoc phaſma viſum eſt, ſimul expergeſio, & è lecto exilio, locum apud LXX primùm undique circumſpicio, ac de eo coram tota concione pro virili diſſero*, &c. Hæc verba in calumniæ occaſionem trahunt; & primò, diſſimulantes narrari *ſomnium*, illud tantùm urgent de monitore, præſertim quod dixerit, *ater ne an albus fuerit non memini*. Volunt enim his verbis deſignatum fuiſſe ſpiritum aliquem Angelicum, de quo ipſe Zuinglius dubitaverit, an lucis Angelus fuerit, an tenebrarum. In ſequiorem verò partem interpretantes, abſolutè ſcribunt ei cum Angelo tenebrarum fuiſſe negotium. Qua in re non ſolùm malitiam ſuam, ſed inſcitiam porrò produnt, qui elegantem hanc phraſim, ubi quis de homine ſibi alioquin ignoto loquitur, *Ater ne ſit an albus neſcio*, detorquent ad diſtinctionem ſpirituum lucis & tenebrarum, ad Ciceronis ſcholam relegandi, qui Marcum Antonium non habuit pro aliquo ſpiritu aut genio bono vel malo, cùm ſcripſit, Rubrium Caſſinam, cujus hæreditatem petebat, ignoraſſe, *albus ne an ater eſſet*. Catullus item Cæſarem pro aliquo ſpiritu non habuit, cùm de eo ſcripſit;

Nil nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere,

Nec ſcire, utrum ſis albus an ater homo.

Eandem phraſim uſurpavit contra Helvidium Hieronymus; *Ego ipſe*, inquit, *qui contra te ſcribo, cùm in eadem urbe tecum conſiſtam, in qua balbutis & erubeſcis, albus*, ut aiunt, *an ater ſis, neſcio*. Hoc igitur voluit Zuinglius, ſibi accidiſſe, quod ſæpè evenit iis qui vigilantes ſeriò in alicujus rei contemplatione, aut diſquiſitione ſunt occupati; ut in ſomno eadem recurrant, & talia ſæpè phantaſiæ objiciantur dormientibus, quæ vigilantibus non ſuccurrebant. Vix aliquis reperietur homo ſtudioſus, qui ſimile non ſenſerit; dormienti nempè viſum fuiſſe, vel quod in libris aliquid legeret, vel cum aliquo diſputaret, aut ratiocinaretur, quem anteà non meminiſſet ſibi viſum. Talia ſomniorum genera, inter naturalia, & penè ordinaria referuntur. Quid mirum ergo ſi Zuinglius, poſt varias meditationes & diſputationes, ſibi viſus ſit iterum cum adverſario diſputare, & qui ſæpè anteà locum illum Exodi legiſſet, cujus vigilans non meminerat, ſibi repræſentaverit aliquem monentem de loco, ad rem quæ agebatur apto? Quid in eo notari poteſt atro calculo, niſi ab iis quorum atram bilem dæmon commovit? Nam ſi res ipſa, & ſomnii materia conſideretur, nihil eſt curioſum, nihil præter naturam, nihil quod vigilanti objici non poſſit; nihil prætereà animadverti poteſt tetrum, obſcœnum, aut crudele, aut tale quid cujus ad dæmonem referri debeat aut poſſit ſuggeſtio. Itaque vir pius ad Dei ſingularem providentiam retulit, & ad ejuſdem gloriam evulgavit, quod per ſomnium didicerat, dum memoria refricata eſt dormienti, ejus quod non recurrebat vigilanti. Sed hæc obiter, non tamen extra ſcopum, nunc nobis redeundum ad id à quo deflexerat oratio.

Dicebamus multa ſomnia eſſe fallacia, & variè hominibus illudere, negabamus tamen id de omnibus in univerſum ſomniis ſentiendum eſſe, quorum varias diſtinctiones lib. 8. Moralium in Job cap. 13. refert Gregorius Romanus his verbis, *Aliquando*, inquit, *ſomnia, ventris plenitudine vel inanitate; aliquando verò illuſione; aliquando cogitatione ſimul & illuſione; aliquando revelatione; aliquando autem cogitatione ſimul & revelatione generantur*. Hæc autem ita explicat, quod duo prima omnes experimento cognoſcimus, ſubjuncta autem quatuor in Scriptura notamus. Ex illuſione dæmonis quædam procedere probat, quia Scriptuta hoc teſtatur, dum vana ſomnia & illuſiones rejicit; ex illuſione & cogitatione ſimul oriri ſomnia quædam oſtendit, quia Salomon, Eccleſ. 5. ℣. 2. dicit, *ſomnia ſequi multas curas*. Ex myſterio autem revelationis divinæ procedere ſomnia multa, expreſsè docet Scriptura, Num. 12. ℣. 6. *Si propheta eſt ex vobis, per viſionem memetipſum Iehovam notum facio ei, aut per ſomnium alloquor eum*. Et 1. Sam. 28. ℣. 6. *Conſuluit Saul Iehovam; ſed non reſpondebat ei Iehova, nec per ſomnia, nec per Vrim*, &c. Mixtorum ſimul ex cogitatione

tione & revelatione divina, affert exemplum Nabuchod. cui Daniel, cap. 2. *Tu rex*, inquiebat, *cogitare cœpiſti in cubiculo tuo quid eſſet futurum poſthac*, &c.

Nos hic de naturalibus ſomniis, quæ vel ex aliqua corporis affectione, vel ex aliquo vehementi concitatoque animi affectu procedunt, quæſtionem ad Philoſophos & Medicos remittentes, de iis ſolis quæ à Deo immittuntur, ſolliciti ſumus, quorum ſunt tot exempla in libris ſacris, ut de eorum autore, veritate, & bono fine, ſine impietate dubitari non poſſit. Suprà Geneſ. 15. ℣. 12. cùm gravis ſopor occupaſſet Abrahamum, Deus in ſomnio ei manifeſtavit poſterorum ſuorum afflictiones & liberationem. Et cap. 20. ℣. 3. Abimelechum in ſomnio monuit, & correxit. 1. Reg. 3. ℣. 5. Jehova apparuit Salomoni per ſomnium. Matt. 1. ℣. 20. Angelus Domini apparuit Joſepho per ſomnium. Item Matth. 2. ℣. 13. De re igitur ipſa conſtare debet, Deum per ſomnia hominibus ſe patefeciſſe, aut ea quæ ſcire illos voluit. Sed cur in ſomno voluerit hominibus aliquando arcana ſua revelare, quæri ſolet. Unica reſponſio, eaq; brevis, ſufficere poſſet, non opus eſſe alia ratione, quàm divina voluntate, extra quam nihil eſt temerè definiendum. Sic enim quæri poſſet, cur Deus variis aliis modis ſe hominibus manifeſtaverit, non unico. Sapientia Dei appellatur ab Apoſtolo, πολυποίκιλος, multiformis, Epheſ. 3. ℣. 10. Ea etiam talis apparet in diverſa diſpenſatione quam in ſuis erudiendis obſervat. Alioquin non rejiciendum eſt, quod à nonnullis, etiam Philoſophis eſt animadverſum; animam hominis in quiete ac ſomno, aptiorem videri revelationibus divinis recipiendis, quia tum ceſſante miniſterio exteriorum ſenſuum, non ita diſtrahitur ex variorum objectorum concurſu, neque tot negotiis curiſque diſtinetur; ſed tum ſibi veluti præſens & parata, ſuas vires & facultates habet collectas & conjunctas, ideoque mens ad intelligendum videtur aptior. Item illud quod homo dum vigilat, ſi aliquid audiat aut videat, id diſcutere & examinare ſolet ad rationis calculos, & conſenſum ſuum vel ſuſpendere, vel etiam planè negare, aut conſentire, prout à judicio ſuo vel diſcrepare, vel congruere videntur. At ſenſibus ligatis, quæ homo per ſomnium videt, eadem citra examen accipit, paratior promptiorque ad credendum & obediendum, quod maximè neceſſarium eſt, ubi Deus agit aut loquitur; tunc enim hominem agi & regi extrinſecus ſatius eſt, quàm ſi ſe ipſum regat, ut auditor ſit potius, quàm arbiter vel æſtimator, credatque, ita ut non ſollicitè inquirat in credendi cauſas. Quod ſi etiam addamus, Deum hac ratione oſtendere quanto ſit potentior & efficacior ad docendos homines, quàm homines ipſi, qui vigilantibus tantùm, & attendentibus conceptus ſuos poſſunt ingerere, cùm tamen Deus altiſſimè dormientem & ſomniantem poſſit informare? Denique, ea inſuper ratione confirmatur, non ſolùm animæ immortalitas, ſed etiam ejuſdem cognitio, & ſcientia, poſtquàm erit à corpore ſeparata; cognitionemque omnem à ſenſibus non pendere, vel diſcurſu rationis, cùm utriſque ceſſantibus ſæpè ſuggerantur homini ea, quæ nec ſenſibus unquam percepit, nec de iis unquam anteà fuerat ratiocinatus.

Talia autem ſomnia quæ à Deo fuerunt immiſſa, obſervatione digniſſima fuiſſe in confeſſo habendum eſt. Idcirco non damnari debet eorum ſollicitudo, qui poſtquam experrecti eſſent, vel memores ſomnii in genere, vel etiam omnium ejus circumſtantiarum, & aliquid extraordinarii in eo agnoſcentes, vel cupiebant ſibi ſuggeri, quæ non ſuccurrebant, vel etiam de eorum vera interpretatione certiores fieri. Id tantùm in regibus Babyloniæ reprehendendum fuit, quod à magis expectarint interpretationes quæ Dei ſunt. Sæpè autem factum eſt, ut ſomnia divina nullà opus habuerint interpretatione, quia in illis fuit repræſentatum ſatis perſpicuè, aut etiam claris verbis enunciatum, quid Deus indicare vellet. Aut ſi aliquando latuit occultus ſenſus, Deus etiam illuſtravit mentem ſomniantis, ut aliena ope ei non fuerit opus in ſomnii interpretatione: quod de Abrahamo ſomniante, Abimelecho ſuprà, Jacobo hîc, ſatis exploratum eſt. Ad interpretationem quod ſpectat ſomniorum communium, hoc uno excepto, quod ex phyſicis ſomniis, conjectura ſumi poteſt de temperamentis & internis affectibus, & humoribus in corpore humano exuberantibus atque agitatis; quæ adferuntur regulæ ab ὀνειροκριτικοῖς fallaces ſunt & vanæ, ideò non vult Deus iis fidem haberi, multò minus præſagia talia captari. Qua de re alibi dabitur dicendi locus.

In ſomnio Jacobi conſiderari debet primùm ὅραμα, viſio; deinde χρηματισμὸς, oraculum divinum. Viſio habetur verſ. 12. *Vidit ſcalam erectam, ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* In genere, eò tendit viſio, ut teſtetur Deus Jacobum ſibi curæ eſſe, quo maximè tempore videbatur ab omnibus deſtitutus, extorris, & omnibus cœli terræque injuriis obnoxius. Tunc enim cùm verſaretur in tenebris, in loco deſerto, vix fieri potuit, quin variæ obrepſerint cogitationes, quibus potuiſſet turbari, & ſub tentationum pondere fatiſcere, niſi Deus ejus ſpecialem habuiſſet rationem, ſomnum ei immittendo, ne vigilans extra omne humanum conſortium, horrore aliquo percelleretur ipſius animus. Emicuit ergo in eo ſpecialis providentia, qua ſpecimen eximium ei oblatum eſt benedictionis illius, cujus hactenus effecta, aut pauca fuerant, aut obſcura, cùm videri potuiſſent penè omnia quæ accidebant, cum promiſſis divinis parum convenire. Parata itaque fuit à Deo conſolatio & confirmatio, qua non ſolùm præſens mœſtitia levata fuit, ſed etiam futuris calamitatibus obviam itum eſt, & præcautio allata adverſus omnes incurſuras tentationes.

In verbis ſequentibus, quibus Deus eum alloquitur, omnia ſunt plana & aperta. Deus enim verbis uſitatis promiſſiones ſuas iterat & confirmat, eique pollicetur in toto peregrinationis curſu auxilium neceſſarium; & ex eo ſucceſſum optatum. Unde ſatis conſtat, eundem fuiſſe ſcopum viſionis, qui oraculi; & verba Dei inſidentis ſcalæ, explicare ejuſdem ſcalæ myſterium. Itaque quod ſpectat viſionis finem, & ſignificationem generalem, vix aliqua ſubeſt difficultas. Sed in applicatione viſionis ad promiſſionem, & analogia ſigni & rei ſignificatæ indaganda & aſſignanda, hoc opus hic labor eſt. Speculationes enim argutæ diverſorum interpretum, tam ex Ebræis, quàm ex Chriſtianis, quorum plerique quidlibet ex quolibet conficiunt, rem involvunt & obſcurant, dum penſi non habent perpendere, quis fuerit viſionis ſcopus, quæ fuerint antecedentia & conſequentia, ſed id ſolùm ſibi propoſuerunt, ut inventis ſuis accommodarent ſcalæ extrema, latera, gradus, &c. Longum eſſet & tædioſum, omnium excogitata repetere & examinare, nos, quod maximè probabile allatum eſt, & in quo ferè omnes conveniunt, ſaltem in genere, tanquam veræ interpretationis baſim primo loco collocabimus, cui poſteà ſuperſtruemus, quæ ad totius myſterii intellectum neceſſaria judicabimus.

Non eſt de nihilo, quod Ebræi penè omnes, & ex Chriſtianis interpretibus non pauci, hanc ſcalæ viſionem ad divinam *providentiam* referunt, qua Deus aliàs infinitus, & omnia implens, domicilium tamen ſibi elegit in cœlo, & de ſuperis inferiora hæc regit & gubernat, ita ut ne minima quidem res ſubducat ſe divinæ gubernationi, ſine qua ne quidem res eſſet. Fuerunt tamen homines profani, jam inde ab antiquis temporibus, qui Deum ita cœlo alligare voluerunt, ut etiam auſi ſint regni ejus limites definire & arctare, eique adimere omnem rerum ſublunarium curam: quidam etiam ſub reverentiæ & honoris prætextu, quaſi hoc minimè deceret tantam majeſtatem, ſi ſe demitteret ad vilia hæc & caduca, ut earum aliquam rationem haberet.

Omnis enim per ſe Divûm natura neceſſe eſt,
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſejunctaque longè.

Quam profanam Lucretii ſententiam, Plinius etiam lib. 2. cap. 7. natur. hiſt. amplectitur. Eandem Eliphaz, per ſummam calumniam afflictiſſimo Jobo imputat, cap. 22. ℣. 12. *An non Deus eſt, inquis, in altitudine cœli? & aſpice ſummitatem, ſidera ut excelſa ſunt. Ideò dicis, quid noſceret Deus fortis? an per caliginem judicaret? Denſæ nubes latibulum ſunt ei, ut non aſpiciat, & ambitum cœlorum obambulat:* quaſi dixiſſet, ex numero eorum eſſe videris, qui Deum ſupra nos ita altè putant eſſe, & ultra cœlos ipſos elevaſſe ſolium, ut humana intueri non poſſit, aut nonniſi obſcurè & quaſi per nebulam. His profanis cogitationibus opponit Pſaltes præclaram hanc ſententiam, Pſal. 113. verſ. 5. & 6. *Quis par eſt Iehovæ Deo noſtro? qui altiſſimè habitat. Qui in infimis perſpicit, in cœlis & in terra.* Hæc cogitatio maximè fuit neceſſaria Jacobo, quo tempore ab omnibus velut derelictus, & externa facie miſerrimus cùm eſſet, potuit ei talis ſuboriri tentatio, quaſi Deus hæc inferiora non curaret, cùm bonis malè, malis verò benè eſſe videretur. Itaque non abs re applicatur hæc viſio doctrinæ de providentia, qua Deus ex alto has res inferiores gubernat & adminiſtrat, decretis ſuis è cœlo velut in hæc ima immiſſis per Angelos ſuos, quos tanquam eorum executores amandat, quorum obedientia per aſcenſum & deſcenſum ſignificatur. Deſcendunt enim, ut exequantur mandata divina; aſcendunt autem & redeunt, ut adminiſtrationis ſuæ rationem reddant. Hinc dicuntur Job 1. ℣. 6. *adveniſſe filii Dei, ut ſiſterent ſe coram Iehova*, nempè ad mandata capeſſenda. Et Zach. ℣. 10. & 11. mentio fit eorum, *quos miſit Iehova ad perambulandum terram*, qui reſpondebant *Angelo Iehovæ ſtanti inter myrtos*, id eſt, ipſi Jehovæ mediatori futuro, *Perambulavimus terram, & ecce tota terra deſidet & tranquilla eſt.* Quamvis enim omnia ſint præſentia & expoſita ante oculos Dei, Ebr. 4. ℣. 13. adhibet tamen Angelos adminiſtros & teſtes voluntatis ſuæ, qua ratione adumbrat majeſtatem ſuam, regum humanorum exemplo, quos ſtipare ſolet frequens adminiſtrorum & ſatellitum comitatus, quorum operâ ita utuntur, ut ipſi in palatio ſuo manentes, eos ablegent quò volunt, ea lege, ut poſtquam mandata præſtiterint iterum redeant, tum adminiſtrationis ſuæ rationem reddituri, tum nova etiam mandata expectaturi. Talia de Deo humanitus dicuntur, & figuris etiam ac ſignis adumbrantur, ut pateat hominibus, quæcunque fiunt in his inferioribus, à ſumma & ſuprema cauſa pendere, quæ omnes alias movet, tum immediatè, tum etiam per ſuos adminiſtros, quos innumeros habet promptos & paratos ei ad omnia.

Ideò pingitur hæc ſcala à ſummo ad imum deſcendens, quia ſapientia Dei *pertingit à fine uno ad alterum fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Sap. 8. ℣. 1. Itaque cœlum terræ conjungit, intermediâ ſcalâ voluntatis ſuæ & decretorum, quibus obſequentes Angeli eunt & redeunt, tanquam per gradus aliquos, de quibus tamen non exiſtimamus ſollicitè inquirendum, quinam illi ſint, & quot? Nec enim ideò objecta eſt ſcala, ut inquiramus in omnia quæ ſcalam componunt, & unicuique parti ſcalæ ſuam aſſignemus ſignificationem, quod fieri ſolidè non poteſt, ut patebit ſi quis inſpiciat eorum qui ſubtilius id definire voluerunt παρεργίαν. Quid enim hoc eſt, varios gradus ſignificare multiplices vias, & multiformes rationes, varioſque modos, quibus res à ſe conditas variè regit ac gubernat, quia alii gradus ſunt ſuperiores, alii inferiores? Multiplicem illam adminiſtrationem pro varietate rerum, in dubium

dubium revocare impium eſſet; ſed eam his gradibus ſignificari, nugatorium putamus: ratio eſt, quia in omni Angelorum adminiſtratione quæ fit in terra, cujuſcunque generis ſit, hoc poſito, ſcalam ſignificare gubernationem divinam, neceſſarium eſt, ut Angeli aſcendentes & deſcendentes, gradus omnes à ſummo ad imum demetiantur. Ideò etiam hæc minuta in ſcalæ deſcriptione non attinguntur, quia ad rem non faciunt. Nec etiam inhærendum eſt lateribus ſcalæ, quibus utrinque infiguntur gradus, ut in iis duas virtutes divinæ providentiæ agnoſcamus, *fortitudinem*, nempè, & *ſuavitatem* illam, cujus meminit liber Sapientiæ. Cur enim potiùs quàm *veritatem* & *miſericordiam?* Si enim ſemel aperiatur porta conjecturis, quilibet habebit unde ſuas, non minori cum probabilitate, confirmet.

His igitur omiſſis, nihil aliud in ſcala conſiderandum putamus præter id, quod cœli & terræ diſtantia, quamvis maxima, non impeditura eſt, quominus Deus Angelorum ſuorum miniſterio hæc inferiora gubernet, & ſuorum ſingularem curam gerat, *Angeliſque ſuis præcipiat de illis, ut conſervent eos in omnibus viis ſuis, ambabus ulnis ſuſtineant eos, ne offendant ad lapidem pedem ſuum.* Pſal.91.verſ.11.& 12. Et quia ſcala apparuit Jacobo ſingulariter, quo tempore confirmatione & conſolatione opus habuit, extremumque unum ſcalæ, id eſt, imum, ſibi proximum vidit, non dubitarim hanc providentiæ Dei rationem, peculiariter hac viſione ejus uſibus fuiſſe applicatam, & ea ſignificaſſe, quæ Deus ei nominatim promittit expreſſis verbis. Itaque ei indicatum fuiſſe, Deum iter ejus moderaturum, cujus providentiâ Jacob à parentibus abſtrahebatur, ut in itinere conſervaretur, atque reduceretur. Hæc, etſi vera ſint, non tamen putarem propterea cum doctiſſ. Junio, ſcalam eſſe iter Jacobi, & aſcenſum ac deſcenſum Angelorum, ſignificare ejuſdem Jacobi abitum & reditum. Generalius enim quid utrumque ſignificare mihi videtur, nempè propter ſummitatem illam ſcalæ ad cœlum uſque pertingentem, & Dei in ſummitate præſentiam. Nam ſi duo termini ſcalæ duos itineris terminos ſignificarent; cur repræſentaretur Deus innixus uni termino, non alii: cur unus cœli, alter verò terræ nomine diſtingueretur? Deinde aſcenſus & deſcenſus Angelorum, cùm manifeſtiſſimè ſignificet res diverſas, nempè eorum adminiſtrationem apud homines, & reditum ad Deum, vel ut executionis mandatorum rationem reddant, vel ut nova capeſſant; quomodo hæc differentia quadrare poſſet deductioni Jacobi euntis & redeuntis per Angelorum cuſtodias, quaſi Angeli dicerentur in cœlum aſcendere, cùm deducebant Jacobum in Meſopotamiam; & in terram deſcendere, cùm eum reducerent ad parentem: cùm potius contrarium dicendum eſſet, ſi aliqua analogia obſervaretur in hac parte, ratione abitus & reditus. Res igitur in ſe veriſſima eſt, quod promiſſi fuerunt Jacobo Angeli cuſtodes & ductores in via ſua, & in tota peregrinatione; ſed hoc etiam verum manet, per ſcalam, & aſcenſum & deſcenſum Angelorum, ſignificatum fuiſſe, Deum è cœlis ſuorum curam gerere, & ſuos Angelos mittere in terram uſque, ut eis præſto ſint, qui in hoc miniſterio mandata Dei exequuntur ex ſupremo ſolio omnia regentis, & hæc inferiora ita curantis & gubernantis, ut ſuorum ſingularem habeat rationem. Proinde hac viſione fuiſſe confirmatum Jacobum, ut qui in terra nihil videret, unde ſpem ſuam ſuſtentaret, cœlum verſus ſpectaret; Deum præ oculis haberet tanquam moderatorem vitæ ſuæ, expectaretque in toto vitæ ſuæ curſu communicationem illam divinam & ſingularem protectionem Angelorum opera & miniſterio.

Sed quia novimus *ad nullum Angelorum unquam dictum fuiſſe, Sede ad dextram meam, uſq; dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum:* ſed *omnes eſſe miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii cauſsâ mittuntur, propter eos qui hæredes erunt ſalutis,* Ebr.1.verſ.13.&14. duo hìc ſunt animadvertenda. Primùm, etſi Deus in communis ſuæ providentiæ diſpenſatione, etiam aliquando miniſterio Angelorum utatur, nunquam tamen in Scriptura ſacra, διακονίαν eorum ad alios referri, quàm ad fideles & ſalutis hæredes futuros. Quicquid enim Angelis tribuitur aliorum ratione, ut quod aliquando in imperiorum & regnorum gubernatione, Deus aliquos præfecit Angelos, id ſemper relationem aliquam habet ad Eccleſiam, cui inſerviunt Angeli. Hinc ſequitur ſecundum. Cùm nullus fiat hæres regni cœleſtis, niſi per eum *quem conſtituit hæredem omnium*, Ebr. 1. ℣. 2. *Nam ſi filii etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, Rom. 8. ℣. 17. Item, *Quod ſi vos eſtis Chriſti, nempè Abrahami ſemen eſtis, & ſecundùm promiſſionem hæredes.* Galat. 3. ℣. 29. Id neceſſariò conficitur, miniſterium Angelorum hæredibus à Deo deſtinatum, ad eos tantùm qui ſunt in Chriſto pertinere; in eorum gratiam tantùm deſcendere ex mandato Dei, & ab iis ad Deum conſcendere, qui uniti ſunt ei, quem *cùm Deus in orbem terrarum induceret, dixit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ebr.1.℣.6.

Hæc conſideratio viam aperit myſticæ interpretationi, quam inſinuat ipſe Chriſtus, Joan.cap.1. ℣. 52. *Amen amen dico vobis*, inquit, *deinceps videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.* Nam etſi alii aliter hunc locum interpretentur, & plerique id referant ad externam aliquam apparitionem Angelorum, quam vel viderint, vel videre debeant homines oculis corporeis, vel in baptiſmo Chriſti, vel in transfiguratione, vel in aſcenſione, vel demùm in futuro judicio; certum tamen eſt, Chriſtum alluſiſſe ad hanc ſcalæ Jacobi hiſtoriam, ubi de *Angelis aſcendentibus & deſcendentibus per eam.* Id quidem verum eſt, aſcendendi & deſcendendi verba,

explicare Angelorum miniſterium. Sed aſcendere & deſcendere ſuper aliquem, nunquam legitur pro eo quod eſt alicui inſervire aut miniſtrare. Quorſum enim *aſcendere* ſuper aliquem, ut ei ſerviat? Angeli quidem ad Deum aſcendunt tanquam ad Dominum ſuum, obedientiam præſtituri, ſed nunquam dicuntur *ſuper Deum aſcendere*, nec etiam *ſuper homines deſcendere.* Cum igitur dicantur aſcendere & deſcendere ſuper filium hominis, conſentaneum eſt ut filius hominis habeatur pro illo, qui medius inter Deum & homines ſtans, & extrema duo ſolus pertingens, Angelis aſcendentibus & deſcendentibus viam præbet, eoſque in miniſterio ſuo ſuſtinet, ut exequantur mandata divina apud fideles, quibuſcum nullum commercium haberent, niſi Deus per Chriſtum nos ſibi reconciliaſſet, & hæredes effeciſſet. Ad hoc autem, non opus eſt ut recurramus ad viſibilem aliquam aperti cœli apparitionem. Dicitur enim cœlum aperiri, quum manifeſtius ſe lux divinitatis aperit in ſuis operibus. Quæ cum in operibus gratiæ maximè revelata fuerit, ideò tunc ſingulariter aperti fuiſſe cœli dicuntur, cum apparuit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus; quo tempore, etſi miniſterium Angelorum in electorum gratiam minus viſibile fuerit quam anteà, quum adhuc venturus expectabatur Meſſias; multo magis tamen efficax fuit, & magis diffuſum, in Eccleſiæ univerſalis uſum, ex omnibus nationibus collectæ. Quarum ratione adhuc continebant ſe Angeli in cœlo, nec ad eas deſcendebant, quia nondum ſcalæ illius extremitas eas attigerat; cum eſſent *alienæ à Repub. Iſraëlis, ſine Chriſto, extraneæ à pactis promiſſionis, ſpem non habentes*, &c. Epheſ. 2. ℣. 12. Donec Chriſto exhibito, ſcala etiam hæc fuit admota, ut Angeli ad gentes deſcenderent, & earum ſalutem juvarent.

Hanc interpretationem inſinuavit Auguſt. Serm. 40. de verbis Domini, ubi agit de nomine veri Iſraëlitæ à Chriſto Nathanaeli indito. Vult enim in illo completum fuiſſe ſomnium, in quo apparuit ſcala, ei, cui poſteà Iſraëlis nomen inditum eſt. Ex verbis enim Joannis, oſtendit neceſſarium eſſe Chriſtum eſſe in cœlo & in terra. *Quomodo* (inquit) *ſi deſcendunt ad cœlum, hic eſt: ſi aſcendunt ad illum, ſurſum eſt? Si autem ad illum aſcendunt, ad illum deſcendunt, & ſurſum eſt, & hic eſt: nullo pacto fieri poteſt ut ad illum aſcendant, & ad illum deſcendant, niſi & ibi ſit quò aſcendunt, & hic ſit quò deſcendunt.* Hinc eſt, quod alii hanc ſcalam ad Chriſti incarnationem referant, qua Deus factus eſt homo; verbum, caro; cœlum, terræ conjunctum eſt; nec inſcitè. Sed tamen in applicatione & partium collatione, qui exacti nimis eſſe volunt, ea etiam afferunt, quæ rigidum examen ferre non poſſunt. Mitto quorundam Ubiquitariorum commentum, qui duo ſcalæ latera faciunt duas in Chriſto naturas, ut ex ſpatio quod à ſcala occupatur, carnis ubiquitatem inferant. At inde ſequeretur potius naturarum æqualitas, & vel utraque finita eſſet per ſua extrema; vel infinita, ſi extremorum non haberetur ratio, ſed exæquationis. Minus quidem periculoſe aberrant, ſed tamen rem non tangunt, qui in duobus lateribus quærunt miſericordiam & veritatem, in gradibus autem Chriſti genealogiam, quaſi gradus fuerint omnes genealogiæ, aut generationes quæ memorantur ab Evangeliſtis. Quomodo enim probabunt per illos gradus aſcendere vel deſcendere Angelos? His igitur minutiis valere juſſis, hanc viſionem referimus ad perpetuam regni Chriſti adminiſtrationem in terris; ut ſcala, quemadmodum diximus, Chriſtus ſit, qui capite attingit cœlum, quia æternus eſt cum Patre Deus; & in terra conſiſtit, quia humanam naturam aſſumpſit. Continuitas ſcalæ à cœlo ad terram, oſtendit ſublatam eſſe ſeparationem, & Chriſtum, quà mediator eſt conjungere Deum cum hominibus. Idcirco præbet ſe Deus pater videndum quaſi ſcalæ innixus, quia *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, & non imputando eis peccata ipſorum.* 2. Cor. 5. ℣. 19. Hanc ob cauſam cœlum apertum dicitur apud Joannem, quod alioqui peccatoribus clauſum eſt. Angeli aſcendentes & deſcendentes ſignificant ſpecialem Dei curam erga Eccleſiam, indicantque Angelos nobiſcum in eandem ſocietatem, ſub uno capite Chriſto conveniſſe, & *acceſſiſſe nos, ad montem Sion, & civitatem* Dei *vivi, Hieruſalem cœleſtem, & myriadas Angelorum, conventum & concionem primogenitorum qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem univerſorum Deum, & ſpiritus juſtorum conſecratorum, & ad Novi Teſtament. mediatorem Ieſum,* &c. Ebr. 12. ℣. 22 & 23.

Id ergo ante omnia ſtatuendum eſt, fœdus Dei fundamentum ſuum habere in Chriſto, qui cum fuerit æterna patris imago in qua ſe ſanctis patribus patefecit, maximè in hac viſione nobis eſt contemplandus. Quamvis enim Deus ſua virtute omnia impleat & ſuſtineat, ut qui verè πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, à nobis tamen non percipitur communicatio quæ nos viciſſim ad ipſum alliciat, quamdiu peccata obſtant, quæ nos à Deo diſiungunt, ita ut ab eo fugere potius eligamus, quia nobis averſum apprehendimus. Neceſſarium ergo fuit ut humana & divina natura admirando fœdere in perſona Chriſti copulatæ, talem mediatorem conſtituerent, qui genus humanum Deo, & cœlum terræ rurſus conjungeret. Quam mirandam copulationem, & ejuſdem effecta pro redemptione generis humani, *ipſi Angeli deſiderarunt introſpicere.* 2. Petri 1. ℣. 12. qui ſuum caput agnoſcentes, ipſius juſſu, membris ejus terrenis libenter miniſtrant. Itaque ſcalæ ſimilitudo optimè convenit mediatori Chriſto, per quem, non ſolum Angelorum miniſterium, ſed etiam juſtitia & vita, omneſque ſpiritus Sancti gratiæ, gradatim ad nos deſcendunt; ut nos tandem etiam per eundem mediatorem in cœlum conſcendamus.

Probare non poſſumus illorum ſententiam, qui per Ange-

Angelos aſcendentes & deſcendentes, intelligunt homines, ſive eos qui in Eccleſia miniſterio funguntur, ſive fideles univerſos, quibus liber aſcenſus ad Deum patet; qui per orationes ſuas ad Deum aſcendunt; deſcenduntque onuſti benedictionibus. Id quidem verum eſt, Chriſtum nobis ſua interceſſione liberum acceſſum obtinuiſſe, ut cum παῤῥησίᾳ conſcendamus uſque in conſpectum Dei, & ab eo per filium obtineamus omnis generis benedictiones. Sed talis fuit Angelus ipſe Jacob, à quo tamen non dubium eſt diſtinctos fuiſſe Angelos aſcendentes & deſcendentes; qui eorum perſonam in hac viſione non referunt, qui ſibi aliquid procurant & accipiunt; ſed qui aliis miniſtrant, ut diximus. Eſt enim metaphorica miniſtrorum deſcriptio, qui cum Regi miniſtrant, expeditos alios videmus per ſcalam aſcendentes, ferentes vel fercula vel aliud quidpiam, alios contra deſcendentes, eademque referentes. Ut ſit deſcriptio cœleſtis Regiæ, unde omnia ad has terras mandata, omnia edicta proficiſcantur, unde omnis pendeat gubernatio, maximè autem ſpecialis illa in Chriſto, ad ſalutem piorum.

His ita intellectis per ſe corruit commentum Platonicum, quo nonnulli in Papatu abutuntur; cum Angelos inter Deum & homines ita medios conſtituunt, ut velint homines indignitatis ſuæ conſcios, per Angelos ad Deum accedere, quomodo per aulicos reliqui ſubditi ad regem accedunt. Adverſus quos, autor comment. in Epiſt. ad Rom. ſub Ambroſii nomine, tom. 5. cap. 1. ſic eleganter diſputat, *Solent pudorem paſſi neglecti Dei*, inquit, *miſera uti excuſatione, dicentes per iſtos poſſe ire ad Deum, ſicut per comites pervenitur ad regem. Agè, nunquid tam demens eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, ut honorificentiam Regis vindicet comiti; cum de hac re ſi qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnantur majeſtatis? Et iſti ſe non putent reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto domino conſervos adorant, quaſi ſit aliquid quod plus reſervetur Deo. Nam & ideò ad Regem per comites & tribunos itur, quia homo utique eſt Rex, & neſcit quibus debeat Rempub. credere. Ad Deum autem (quem utique nihil latet, omnium enim merita novit) promerendum, ſuffragatore opus non eſt, ſed mente devotâ.* Hæc ille. Sed ex hoc ipſo Geneſeos loco, ex quo de ſubſidio Angelorum hominibus neceſſario informamur, habemus argumentum ſolidiſſimum, adverſus conſequentiam, quam inde texunt, qui cultum Angelorum invehere conantur. Diſcimus enim Angelos à Deo mitti tanquam miniſtros: ad homines deſcendere, & ad Deum conſcendere, id eſt, miniſterium ſuum exercere per ſcalam, per quam deſignatur Chriſtus mediator, qui Deum & homines attingit. Ut ergo fruamur miniſterio Angelorum, non ſunt illi compellandi, qui ſervi ſunt aſcendentes & deſcendentes pro divina voluntate. Sed Deus cui obediunt, & mediator qui nos etiam attingit, & unicuique noſtrum propè eſt; tunc enim experiemur, quod in eandem ſententiam affert Auguſt. de vera Relig. cap. 55. *Quem non optimum ſibi conciliet, qui hoc unum colit, quod omnis optimus diligit?*

Cæterum, non omittendum eſt, ut apud Ethnicos reperiuntur alia quædam veritatis veſtigia, ſed obſcurata tenebris ignorantiæ qua detinebantur; ſic hujus etiam myſterii, quatenus ad Dei providentiam refertur, veſtigium aliquod legi apud Homerum Iliad. VIII. Ubi Jupiter Homericus Deos Deaſque omnes compellat, oſtenditque ſi catena aurea de cœlo ſuſpendatur, quæ terram pertingat, non poſſe tamen omnes conjunctis viribus trahere Jovem è cœlo in terram. Se autem immiſſa è cœlo aurea catena, poſſe eam ad ſe trahere una cum ipſa terra & mari, eaque omnia ad verticem olympi alligata ſuſpenſa tenere. Quæ quidem fabuloſa ſunt, ſed ex aliqua veritate ortum habuerunt. Sed de ſcalæ allegoria, pro inſtituti ratione ſatis.

EXERCITATIO CXXIV.

Deus ſignis addit verbum ſuum. Vox è cœlo quomodo in terra audita. Oraculi divini expoſitio. Cur meminerit Deus Abrahami & Iſaaci. Terræ promiſſæ termini. Quatuor plagarum mundi Ebraica nomina & eorum ſignificatio. Particulæ donec *&* uſque *non ſemper excludunt futurum tempus. Qualis fuerit timor Iacobi. Quomodo Deus ſit in aliquo loco? Quomodo locus aliquis ſit reverendus?* מצבה matſtſebah *quid? Vnde oleum habuerit Iacob in loco deſerto? ejus ſacer uſus ſub lege ceremoniali. Abuſus in Chriſtianiſmo. Refutatio quarundam exceptionum. Ephræmi locus notandus. Expenditur argumentum Bellarm. à ſtatu naturæ. Mutatio nominis* Luzæ. *Loca ſancta. Refellitur Marius, à cujus calumnia defenduntur Eccleſiæ noſtræ.*

SEquitur jam ex ordine χρηματισμὸς, oraculum, quo Deus ex ſcalæ ſummitate ſervum ſuum compellat, promiſſiones ſuas confirmat, protectionem pollicetur, fœlicemque totius peregrinationis eventum, quorum pleraque jam anteà expoſita fuerunt ſuis locis. Id in primis obſervandum eſt, Deum ſuis non dare ſigna nuda, ſed verbum ſuum addere ſignis viſibilibus, aut in viſione propoſitis, ne obſcurum maneat quid ſibi velit, ſed res tota fiat perſpicua, ex conjunctione viſionis, & verbi promiſ-

ſionis. Cum autem Deus in ſummitate ſcalæ, id eſt in cœlo apparuerit, poſſet quis mirari, qua ratione factum ſit, ut Jacobo in terra dormiente, vox è cœlis emiſſa ejus aures penetraverit? Reſponderi poſſet, etiam à vigilantibus auditam eſſe aliquando vocem de cœlo, nec Deo difficile eſſe emittere vocem, quæ deferretur è cœlo, uſque ad hominis aures. Sed non opus eſt eo recurrere, quia cum hæc omnia in viſione facta fuerint, non eſt cogitanda vera diſtantia quæ auditum impedire potuerit, cum fuerit diſtantia imaginaria, & auditio imaginaria, quæ quia non alligatur ſpatiis, ideò etiam iiſdem non impeditur.

Primùm Deus ſe ipſum deſcribit, à nomine ſuo proprio *Iehovah*, cui addit nomen *Elohim*, quibus nominibus facultatem & omnipotentiam ſuam declarat. Sed quia non ſufficit ad fidem majeſtatis & potentiæ Dei conſideratio, niſi accedat etiam benevolentiæ teſtificatio, ejus etiam meminit, dum ſe Deum Abrahami & Iſaaci profitetur, erga quos ſciebat Jacob, Deum fuiſſe beneficum & liberalem, eoſque promiſſionibus magnificis de benevolentia ſua certos feciſſe inito cum ipſis fœdere, cujus memoriam his verbis voluit refricare, quia eaſdem promiſſiones Jacobo volebat confirmare. Ideò Abrahamum appellat *patrem ejus*, ut oſtendat ſe eum agnoſcere pro Abrahami hærede, & hæc cauſa potuit eſſe cur nomini Iſaaci non addiderit qualitatem patris, quia voluit digitum ad fontem intendere, cum Abrahamo factæ ſint promiſſiones & ſemini ejus; niſi quis putet, poſt nomen Iſaaci repetendum eſſe אביך *abbicha* patris tui, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ.

Hoc poſito fundamento, repetit promiſſionem hæreditatis terræ Canaam, quam deſignat à præſenti circumſtantia ſomni Jacobi, *in qua tu dormis*, ne ſi indefinitè terra promitteretur, res maneret ambigua. Id autem intelligendum eſt non de ſpatio ſingulari in quo cubabat, ſed per Synecdochen, de tota regione, cujus hic particularis locus pars erat. Dictum eſt autem anteà, donationem illam ratione Jacobi, ut & Abrahami & Iſaaci, jus ipſis dare ad terram illam, non intromittere tamen in poſſeſſionem, quia Jacob ad mortem uſque fuit hoſpes & peregrinus in illa terra, in qua nec ipſi quidem mori datum eſt. Ex quo liquet promiſſiones illas temporales, arrhas fuiſſe meliorum, & præſtantiorum promiſſorum, ideoque *meliorem expetebant patriam, hoc eſt cœleſtem, quapropter non erubeſcit ipſe Deus, vocari Deus eorum: paravat enim eis urbem.* Ebr. 11. ✝. 16. Quia igitur in terræ poſſeſſionem mittendi erant ejus poſteri, promittit numeroſam poſteritatem limites ſuos extenſuram ad omnes mundi plagas ✝. 14. ימה *jamma*, ad verbum *ad mare*, id eſt ad occidentem; intelligit enim mare magnum, Oceanum noſtrum, quod Iſraëlitis erat occidentale. וקדמה *vakedhema* & ad Orientem. Quod nomē in genere ſignificat prioritatem, ſive *primordium*, temporis, loci, vel honoris; tribuitur autem regioni in qua primò dies eluceſcit, & pro oriente ſole accipitur, vel parte mundi anteriore. וצפנה *vetſaphona*, ſic ſeptentrionalem mundi partem dici putant, & ventum inde flantem, à צפן *tſaphan*, abſcondere, vel occultare, quia Sol, multo tempore, per annum in hac regione non conſpicitur. ונגבה *vanegevah*. & ad meridiem. נגב *nagab*, eſt terra ſicca & arida, locus deſertus; inde נגב *negeb*, per metonymiam, terra mundi meridionalis dicitur, ob æſtum ſolis arida & torrida. His igitur verbis promittit, Jacobum in quatuor orbis partes, invitis omnibus perrupturum, dilatatis ſuis finibus & prole; quod quidem immediatè ad terram in qua tum cubabat referendum eſt, ita ut tamen, ſub promiſſionis illius velo, agnoſcamus dilatationem Eccleſiæ in vero ſemine Abrahami, id eſt in filiis promiſſionis per cunctas orbis regiones. Quæ promiſſio explicatur ſequentibus verbis *& benedicentur in te* כל משפחת *kol miſchphechoth*, omnes familiæ terræ; id eſt omnes gentes. Sic enim Gen. 22. ✝. 18. legebamus in ſimili promiſſione כל גוי *col gojé*, omnes gentes. Ubi ſimpliciter etiam habebatur *in ſemine tuo*, hic autem *in te, & in ſemine tuo*, quod poteſt explicari, ita ut vau ſit ἐξηγητικὸν, *hoc eſt in ſemine tuo.* Quia ſemen illud ad ſolum Chriſtum reſtringit Apoſtolus, ad Galat. 3. ✝. 16. quia in nullo filiorum Jacobi, ſive Abrahami, præterquam in Chriſto, benedictæ ſunt gentes. Igitur, hic includitur promiſſio de Meſſia, omnium Dei benedictionum erga Eccleſiam omnium gentium fundamento; ut ſupra monuimus in interpretatione ſcalæ.

Sic repetitæ ſunt veteres promiſſiones; additur nova de protectione, & fœlici peregrinationis ſucceſſu, in qua omnia ſunt plana. Id tantum perpendendum, cur poſt promiſſionem continuæ ſuſtentationis, his verbis expreſſam, לא אעזבך *lo eezobhka*, non derelinquam te, addat עד אשר *ad aſcher*, uſque quo, id eſt donec fecero quod locutus ſum tibi; quia is loquendi modus ſæpè ita præteritum includit, ut futurum tempus excludat, ut in hoc verſu, *Donec eris fœlix multos numerabis amicos.* Sed hoc loco, non ſic poteſt intelligi hæc locutio, non enim Deus derelicturus erat Jacobum, poſtquàm impleviſſet promiſſa ſua. Itaque notandum eſt, quemadmodum hæ particulæ, *antequam & priuſquam*; ita & hæ *donec & uſque*, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles, non ſemper ſignificare affirmationem poſt tempus quod notatur, ſi negatio præceſſit; nec ſemper negationem, cum præceſſit affirmatio. Quod etiam multis exemplis probarunt veteres contra Helvidium, hac vocula abutentem, ut perpetuam B. Virginis integritatem ex loco Matth. cap. 2. ✝. 25. *Non cognovit eam donec*, &c. negaret. Hæc ſunt pauca è multis, Matth. 28 ✝. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſeculi.* Unde non ſequitur, poſteà eis non adfuturum. 2. Sam. 6. ✝. 26. *Michol filia Saul non eſt natus filius, uſque in diem mortis ſuæ.* Non inde inferendum poſteà natum eſſe. Hic igitur adhibenda eſt hæc regula,

Donec,

Donec non negare aliquod tempus, ſed deſignare id de quo dubitatio eſſe poſſet.

Superſunt jam hæc tria. I. Quid Jacobo acciderit poſt hanc viſionem,& poſt auditum oraculum. II. Quid judicaverit. III. Quid fecerit, ut gratitudinem ſuam teſtaretur. Primò, *timuit*: quæritur quo timore, & quare? Certum eſt, non fuiſſe timorem diffidentiæ, cui ſequentia repugnant, nec fuit ulla cauſa, cur diffideret; multa, cur certus eſſet de benignitate divina. Hic igitur timor idem eſt, quem aliis etiam Sanctis incuſſit præſentiæ Dei conſideratio, in aliquo ſigno extraordinario majeſtatis ſuæ. Tunc enim ſemper aliqua mortis præſentaneæ apprehenſio eos invaſit, unde eruperunt in hæc verba, *Moriemur, quia Deum vidimus.* Hic timor non debet eorum pietati aut fidei derogare; tunc enim toti erant defixi in comparatione magnitudinis divinæ cum ſua infirmitate; fuit itaque ſignum humilitatis & piæ ſummiſſionis. Ideò plerumque Deus, maximè ſi nimis conſternarentur, animos eis addebat blandis verbis. Jacob ductus eſt maximâ reverentiâ, ſed tamen judicium ei firmum ſtetit, ut ex dictis ejus & factis apparet.

Primò, agnoſcit poſtquam evigilavit, ſomnium non fuiſſe vanum, dum exclamat, *Verè Dominus eſt in loco iſto, & neſciebam.* Non ignoravit Deum ubique eſſe, qui ubique Deum invocare didicerat. Nec dubium eſt, quin eo officio fuerit defunctus, priuſquam ſomnum caperet, in loco deſerto, ubi ſpeciali Dei protectione ei fuit opus. Aliud igitur ſibi vult, quàm id quod qui de Deo benè ſapiunt, omnes pro explorato habent, Deum eſſe ubique, *in cujus manu ſunt veſtigia terræ, penes quem ſunt vires montium, cujus eſt ipſum mare, &c.* Pſal. 95. ℣. 3. Intellexit igitur eum qui ubique eſt ſcientiæ & potentiæ ſuæ præſentiâ, quæ nullibi eſt nova; alicubi eſſe novâ ejuſdem ſcientiæ ſuæ & potentiæ declaratione & manifeſtatione; quomodo ordinariè magis dicitur eſſe in cœlo, quàm in terra; extra ordinem, magis in uno loco, quàm in alio. Ad id referri debet, quod dicit *neſciebam*; quæ ignorantia culpabilis non eſt, cùm neque ſupina fuerit, neque pravæ diſpoſitionis, ſed negationis tantùm, in re quam ſcire non tenebatur, priuſquam Deus ei manifeſtaſſet. Neſcimus enim (idque inculpatè) ubi ſpecialiter Deus operatur, priuſquam id teſtatus fuerit verbo, vel opere. Hoc autem præ ſe fert exclamatio Jacobi, quod ſi anteà noviſſet, Deum locum illum ſua ſpeciali præſentia dignatum fuiſſe, aliter ſe in eo geſſiſſet, quàm fecit: fortaſſè ſomno non indulſiſſet, ſed aliquâ reverentiâ motus in oratione perduraſſet. Non puto tamen fateri *errorem* propriè dictum, quia in eo nullus fuit error. Quod enim volunt nonnulli, exiſtimaſſe anteà Deum nullibi ſe patefacere, quàm in domo patris ſui, ex verbis ejus colligi non poteſt; & cùm noviſſet, Deum ſe variis in locis patefeciſſe Abrahamo & Iſaaco, non poſſet excuſari à ſupina ignorantia, ſi uni tantùm loco gratioſam illam præſentiam affixiſſet.

Locum autem appellat נורא *nora*, terribilem, ſive ſtupendum; at nihil tale in loco illo per ſe conſiderato anteà animadverterat. Igitur non locus per ſe fuit ei reverendus aut religioſus, ſed propter Dei & Angelorum præſentiam, quam ibi viderat. Eadem eſt ratio, cur eum appellet *domum Dei & portam cœli.* Domum quidem Dei propter habitationem, id eſt, præſentiæ teſtimonium; portam cœli, quia Deus in eo exhibuerat viſionem ſcalæ ad cœlum uſque pertingentis. Hinc collegit aptum eſſe locum cultui divino & invocationi religioſæ, ut poſteà patebit. Hac etiam ratione permotus, nota aliqua eum voluit inſignire, accepto ſive uno lapide, ut verba habent in ſingulari; ſive id intelligendum ſit per ſynecdochen de pluribus lapidibus, in cumulum congeſtis, inter quos fuit ille quem ſibi pro cervicali ſtraverat, quod certè probabile eſt. Quicquid ſit, poſuit ibi lapidem, ſeu lapides: מצבה *matſſebhah*; Vulgata, *in titulum*; LXX. *ςήλην*, id eſt, columnam, vel ſtatuam interpretantur. Nomen eſt deductum à verbo יצב *jatſabh*, quod *ſtare & erigere* ſignificat. Sumitur מצבה *matſebab*, pro omni eo quod memoriæ cauſsâ, aut ad alicujus rei ſignificationem ſtatuitur aut erigitur. Hinc eſt quod pro ſubjecti ratione aliquando in malam partem accipiatur, & ſub lege prohibet Deus populo ſuo, ne מצבה *matſſebhah*, ſtatuam erigat, Levit. 26. ℣. 1. Hinc eſt quod ſæpè fit mentio *ſtatuarum* מצבה *matſeboth*, Baalis, quæ vel confractæ fuerint, vel certè frangi debuerunt ex Domini præſcripto. Nempè tales ſtatuæ arte compoſitæ erigebantur ad adorationem & falſos cultus, ut & ſculptilia, cum quibus ubique conjunguntur. Alia fuit ratio rudium lapidum, ſine arte aut efformatione erectorum quibuſdam in locis, in monumentum, ſive memoriale, ubi nullum erat periculum idololatriæ. Tales titulos erexerunt etiam Iſraëlitæ poſt latam legem, qua prohibitæ fuerunt ſculptæ imagines & ſtatuæ. Hinc eſt, quod duodecim lapides ex Jordane ſumptos erexerunt, in memoriam miraculi, quo Deus eis per medium fluvium viam patefecerat. Joſue 4. ℣. 8.

Addit Moſes, Jacobum effudiſſe oleum ſupra ſummitatem lapidis. Cùm autem eſſet in loco ſolitario, quæſitum eſt unde oleum illud habuerit. Potuit ſecum phialam aut lagenulam ferre ad uſus ſuos, maximè cùm in illis regionibus oleum eſſet in uſu communi, ſive ad ungendam faciem, ſive etiam aliquando viatoribus ad laſſitudinem levandam conduceret. Niſi quis malit, quod aliis placuit, ex vicina civitate ſibi comparaſſe, & rediiſſe in locum quem notaverat. Quicquid ſit, oleum ipſi ſuppetiiſſe conſtat; unde id? non eſt neceſſarium ſcire. Sed ad quid, aut in quem finem lapidem inunxerit? quæſtio eſt majoris momenti. Primò id ſtatuendum eſt, non fuiſſe effuſionem olei communem, ſed ſacram. Effundebant autem oleum tum in ſacris ad duplicem uſum, nempè, vel ad

libamen, vel ad alicujus rei conſecrationem. Libamen ut plurimum erat appendix ſacrificiorum, & vix reperitur aliquando libatio, ubi nulla res fuerit in ſacrificium oblata. Levit. 2. ℣. 1. inſtituitur olei libamen in oblatione ex ſimila. Nihil tamen eſt abſurdi ſi dicamus, Jacobum, cùm nihil aliud tum haberet quod Deo offerret, effudiſſe oleum in Dei honorem, in cujus honorem David effudit in terram aquam, quam non ſine vitæ periculo hauſerant ſtrenui viri ex puteo Bethleemitico, 2. Sam. 23. ℣. 16.

Sed quia uſus olei fuit etiam in rerum tam animatarum, quàm inanimatarum conſecratione, non repugnamus, ſi quis cenſeat Jacobum tali ritu voluiſſe conſecrare locum illum & lapidem, illumque deſtinare ad divinum cultum, quod ſequentibus convenit, quia pollicitus eſt, ſe locum, imò lapidem, habiturum pro domo Dei. Itaque in reditu ædificavit ibi altare, & lapidem quem erexerat in titulum perfudit liquore, & oleo inunxit. Geneſ. cap. 35. verſ. 14. In hoc facto abſit ut dicamus, Jacobum fuiſſe imitatum ſuperſtitioſos gentilium ritus, quos in more habuiſſe ſtatuas & dolatos lapides, alios etiam ſæpè rudes & impolitos inungere, eoſdem poſteà colere, aut adorare, multa probant exempla ex ipſorum Ethnicorum libris deſumpta. Arnobius poſtquam factus fuit Chriſtianus, lib. 1. contra Gentes, agnoſcit, ſe cùm adhuc in Ethniciſmo detineretur, ſi quando conſpexiſſet lubricatum lapidem, & ex olivæ unguine irrigatum, tanquam fuiſſet vis præſens, adulatum fuiſſe, allocutum, petiiſſe etiam beneficia à nihil ſentiente trunco. Ipſos olim terminos agrorum gentiles unguento, velaminibus & coronis ſuperſtitioſè ornabant. Non inficias irem, ſuperſtitioſas illas unctiones, ex hoc Jacobi facto, ſimilibuſque aliis ſanctorum Patrum per κακοζηλίαν, aut ſuperſtitioſam imitationem ortum habuiſſe, falſamque & vanam idololatrarum ſuperſtitionem, multis in rebus veræ ac falſæ religionis fuiſſe æmulam. Sed hoc dum agnoſcit & notat Pererius, debuit etiam eandem κακοζηλίαν in ſua Eccleſia notare, in qua, ſi quæ olim ceremoniæ ante legem per Moſem datam fuerunt utiliter pro captu illorum hominum inſtitutæ & uſurpatæ, & deinceps in lege repetitæ; nulla habita ratione libertatis Chriſtianæ, & legis rituum, à qua nos Chriſtus liberavit, plures unctiones & conſecrationes uſurpatæ fuerunt & commendatæ, ita ut ſervitus Chriſtianorum qui ſub ea vivunt, duplo aucta ſit, & in ipſis ritibus in quibus Judaiſmum revocant, & in omnibus quæ primis illis ſeculis rudibus, durante pædagogia in uſu fuerunt, multa addita, iiſque ſignificationes aut etiam effectus tributi, quibus Spiritui ſancto ſumma fit injuria.

Objicit hoc loco quidam novus interpres Pontificius, nos calumniari uſum olei ſacri in ſua Eccleſia, ſed Deum defendere, dum etiam poſtmodum Moſi inunctiones præcepit, non, inquit, quaſi Judaicum, ſed naturalem ritum, eò quod natura docuit res corporeas Deo dicare, idque ob naturales earum proprietates, quæ allegoricè docent ſtatum & conditionem rerum Deo ſacrarum. Ubi multa addit de olei proprietatibus. Sed ſi hæc ratio locum habeat, revocandus erit totus cultus Leviticus. Habent enim omnia corporalia in eo inſtituta ſuam analogiam cum rebus ſpiritualibus; & hoc axiomate manente, *naturam docere res corporeas Deo dicare*, nihil etiam obſtabit, quominus redeamus ad oblationes & ſacrificia animatorum & inanimatorum. Sed aliter nos docuit Evangelium, umbras fuiſſe hæc omnia rerum futurarum, nos corpus habere in Chriſto, à quo & in quo uncti ſumus unctione ſpirituali, qua ipſe unctus eſt præ conſortibus ſuis, verus Meſſias, nullo tamen externo oleo delibutus. Non poſſum committere, ut hîc non referam verba antiquiſſimi ſcriptoris, qualia etiam nobis data ſunt à Gerardo Voſſio Tungrenſi ex Romana Bibliotheca. Sic enim nobis Latinè loquentem Ephræmum Syrum introducit, in libello de Sacerdotio, qui primus in ejus operibus comparet. *Populus*, inquit, *qui ante nos erat, cornu olei ferens, ad Sacerdotium promovebatur; nos verò ſervi inutiles Dei benedicti, non cornu, non oleum ſenſibile ſumimus; ſed ipſe qui eſt brachium excelſum atque tremendum, ex cœlo deſcendens, ſuum nobis per impoſitionem manuum donat ſpiritum.* Hæc eſt unctio vera, non umbratica, quam populo qui ante nos erat, relinquimus, ſolâ ſpirituali contenti, nempè, *unctione quam habemus à ſancto.* Quod autem Bellar. lib. III. de cultu Sanctor. cap. 5. ceremonias à Pontificiis adhibitas in dedicatione templorum & altarium probare vult ex eo quod in ſtatu, ut loquitur, naturæ, & in ſtatu legis, habemus conſecrationem Templi vel Altaris, id ſanè abſurdiſſimum eſt. Verba ejus ſunt; *In ſtatu* (inquit) *naturæ Iacob, Geneſ. 28. erexit lapidem, ut ibi ſacrificaret, eumque conſecravit infundens oleum deſuper, &c. Certè*, inquit, *hoc non pertinet ad magiam, cùm laudetur id factum ab omnibus, & conſtet placuiſſe Deo. Nec etiam pertinet ad ceremonias legis, quæ adhuc data non fuerat, cur igitur non liceat nobis idem facere?* Hæc ille. Argumentum erit, quicquid factum eſt à piis hominibus in cultu divino in ſtatu naturæ ante legem datam, id etiam à nobis fieri debet aut ſaltem poteſt. At pii homines tum infuſo oleo lapides & altaria conſecrarunt. Ergo idem vel debemus, vel ſaltem poſſumus. Ut reſpondeamus ad hoc argumentum, advertendum eſt primò, Pontificios abuti ſæpiſſimè, ut hoc loco, diſtinctione ſtatus ſeu legis naturæ. Nam, cùm verum ſit, legem naturæ, ſi benè intelligatur, non eſſe abrogatam, quæ in omnium hominum mentibus impreſſa fuit, & cujus ſemper aliqua veſtigia reſtant, indè ſatis conſequitur, quod ad legem naturæ pertinet propriè, id etiamnum perdurare, imò & omnes homines adſtringere. Sed errant toto cœlo, cùm vel ſtatum vel

legem

legem naturæ appellant, quicquid toto illo tempore quod ante legem ſcripto conſignatam effluxit, homines obſervarunt ſive in cultu divino, ſive in converſatione cum proximo. Negamus igitur (quod Pontificii nunquam probabunt) à natura dictata fuiſſe ea omnia, quæ in religione & cultu divino obſervarunt Patriarchæ, & Deo tum grata fuerunt. Itaque falſa eſt argumenti major, omnia poſſe vel debere fieri quæ in eo fecerunt. Alioqui nobis offerenda eſſent ſacrificia arietum & pinguium; hoc enim illi uſurparunt, & ad eum finem altaria erexerunt & conſecrarunt. Falſum eſt eos id feciſſe naturæ inſtinctu, & dictamine; quod certè gratum non fuiſſet Deo, poſt naturam corruptam. Id cum fecerint ex fide, & nulla ſit fides ubi verbum Dei non præit, ſequitur id ab ipſis fuiſſe uſurpatum præeunte verbo, quod etſi non fuerit ſcriptum, habuerunt ex freqūentibus oraculis. Itaque argumentum non valet, cum dicit Bellarm. id uſurpatum fuit ante legem nempe ceremonialem ſcripto datam, ergo non pertinuit ad legem. Non ſequitur; nam multa pertinebant ad ceremonialem legem, inſtituta ante Moſem; ut circumciſio, animalium mundorum & immundorum diſtinctio, ſacrificiorum materia & ritus, ac ſimilia multa. Fatemur ergo ceremonias à Jacobo uſurpatas non fuiſſe Magicas, quia eas exercuit præeunte verbo, nec plus tribuit iis ceremoniis quam par erat. Non putavit ſe rebus illis indere quandam vim efficacem ad ſanctificandum hominem, aut ad varios effectus ſupernaturales. At Pontificii Unctiones illas uſurpant ſine Dei verbo, proinde ſine fide, & iis tribuunt morborum curationem, malorum omnium averruncationem, Dæmonum fugationem & ſimilia, eadem prorſus ratione qua magi ſuis characteribus, circulis, verbis & unctionibus, effectus tribuunt mirabiles, & aliquando ſenſibus hominum illudunt.

Hactenus judicium & ſenſus Jacobi de viſione divina, & loco in quo apparuerat. Ex eo ſequuta eſt, primò, conſecratio, de qua dictum eſt. Secundò, nominis impoſitio. Mutavit enim nomen Luzæ civitatis proximæ, in *Bethel*, quod nomen appellativè ſignificat *domum Dei*, ſed deinceps propriè accipietur, pro nomine loci, quem domum Dei, & portam cœli agnoverat. Ergo, inquiet aliquis, ſunt quædam loca ſancta, & in quibus ſingulariter habitat Deus: Unde inferunt etiam Pontificii, immerito nos conqueri, quod locis nonnullis ſanctitatem affingant, ea frequentent, peregrinationes ſuſcipiant, & in iiſdem orationes fundant. Reſpondemus nunquam nos negaſſe loca quædam in ſcripturis dici ſancta & eſſe etiam ſuo modo. Sed negavimus ſanctitatem aliquam eſſe locis inhærentem, quia quæcunque eis tribuitur ſanctitas, eſt relativa. Ea autem eſt vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria, cum locus aliquis inſervit cultui divino, & quamdiu inſervit. Extraordinaria, cum Deus in loco aliquo præſentiam ſuam declarat, divina operatione. Quæ operatio duplex eſt; vel enim eſt apparitio, ut hic, & in rubo; vel effectus aliquis miraculoſus, ut cum Chriſtus liberavit dæmoniacum in ſepulchretis. Jam, concedimus loca cultui divino deſtinata, & ad uſus ſacros comparata, quamdiu uſibus ſanctis inſerviunt, ſancta eſſe; non quidem interna aliqua ſanctitate, ſed externa & relativa propter uſum, quem non ſanctificant, ſed qui ea ſanctificat. Eadem eſt ratio relationis extraordinariæ. Quamdiu Deus in aliquo loco ſe manifeſtat, locus ſanctus eſt: ſed cum ceſſat ibi ſe manifeſtare, communis eſt; cum in eodem falſus cultus ſubſtituitur, profanus eſt. Itaque, propter aliquod miraculum loca non contrahunt perpetuam ſanctitatem, ut patet ex multis locis in quibus Chriſtus miracula patravit, quæ propterea non fuerunt poſteà pro ſanctis habita; niſi quatenus Deus voluit ea conſecrari in uſum ſanctum, quod de Bethele factum eſt, quæ tamen poſteà, cum falſus cultus in ea ſucceſſiſſet, vocata fuit *Bethaven*. Addendum id, ſub pædagogia veteris Teſtamenti aliquod fuiſſe locorum diſcrimen, quod nunc ceſſavit, ceſſantibus, immediatis non ſolum, revelationibus; ſed præſertim poſtquàm Chriſtus, quemadmodum oſtendit *in quavis gente acceptum eſſe ſibi, quemvis qui Deum timeat*, Act. 10. ℣. 35. ſic ea tempora adduxit, quando neque *in monte* Garizim, *neque Hieroſolymis, adoraturi erant Patrem* fideles, ſed *veri adoratores adoraturi erant in ſpiritu & veritate*; Joan. 4. ℣. 23. Quibus vult ſpiritus Sanctus per Apoſtolum, 1. ad Tim. 2. ℣. 8. *Viros precari in quovis loco, puras manus attollentes.*

At inquiunt Pontificii; Merito de locis quos Deus noſtro tempore miraculis nobilitavit exclamamus, quod Jacob de loco illo; hæretici vero quia reverentiam præſtare nolunt, blaſphemant. Sic enim Marius in hunc locum. Addit autem, Quod ſi reſpondeant, neſcire ſe an Deus illis locis adſit, fors verum dicunt, ſed neſciebat etiam id Jacob. Diſcant igitur cum Jacobo, Dei eſſe, nobis manifeſtari per operationem ipſius, & cum tot quotidiè miracula videant, excuſent cum Jacobo priorem ignorantiam, novaque pietate eam compenſaturi exclament, *verè hic locus Sanctus eſt.* Hæc ille. Mitto quod de *hæreticis* & de *blaſphemia*, calumniatur. Ad rem reſpondeo. 1. De locis illis nos non dicere, *neſcire an Deus in illis adſit*; nam ſi de præſentia gratioſa ſit quæſtio, novimus Deum longiſſimè ab iis abeſſe. Novimus Dei præſentiam nobis manifeſtari per opera, ſed falſum eſt nos ſingulis diebus miracula videre in locis quæ tanquam ſanctà pontificii commendant. Quæ ſi videremus, cum ſciamus idololatriam in illis vigere, talia miracula non à Deo inhabitante fieri diceremus; ſed eſſe Pſeudoprophetarum & Antichriſti ſigna & miracula, quibus electos conantur ſeducere, ſi quidem id fieri poſſet. Alia planè fuit Jacobi ratio, qui nullam habuit rationem dubitandi. Nec tamen Jacobus putavit locum illum homines ſanctificare, etſi eo tempore viveret, quo Deus (ut diximus)

mus) delectum locorum habere voluit; à quo proinde ad noſtrum, conſequentia non valet. Addo & illud, Deum locum illum non elegiſſe poſtquàm populus introductus fuit in terra Canaam, ut in eo, tabernaculo & arcæ teſtimonii pararetur domicilium. Quinimò, cum poſteri Jacob ſtulta æmulatione Dominum in Bethel colerent præter Dei mandatum, ſeverè (ut diximus) in illum locum invecti ſunt prophetæ; quos neſcio an adverſarius blaſphemiæ reos facere velit, qui terribilem illum locum, portam cœli, auſi ſunt tandem *Bethaven* appellare. Horum nos veſtigiis inſiſtentes, ipſam Hieroſolymam, in qua tot patrata fuerunt miracula, eodem nomine cenſemus, & loca omnia, olim quidem ad tempus ſancta, ſed jam omni Idololatriæ genere polluta, ſine blaſphemia, abominamur.

Exercitatio CXXV.

Votum Iacobi. Quid ſit votum? & quænam ad ejus rationem pertineant? eſſe actum religionis. Soli Deo nuncupari debere. Pontificiorum diſtinctiones expenduntur. Eorundem contradictiones. Fatentur ſe deſtitui ſcripturis. Vindicatur locus Proverb. xx. verſ. 21. *Vindicantur duo loca Theodoreti & Euſebii. Votorum materia. An de non neceſſariis tantùm? Negatur. Quid addat votum rebus aliàs præceptis?* Erit mihi Iehovah in Deum, *an hæc verba ſint pars voti? Quæ conditio in votis locum habeat?* Si, *non eſſe ſemper conditionalem.* Domus *Deo quomodo tribuatur? Decimæ votivæ. Earum ſolutio ratione* taxationis, *non eſt lex perpetua. Expenduntur rationes Clariſſ. D. Prideaux pro decimarum lege perpetua & neceſſaria. Defenduntur noſtri à Pontificiorum calumniis circa materiam voti. Exponitur Calvini ſententia, verbis ipſius confirmata.*

NVnc tribus ſequentibus verſ. uſque ad finem capitis, agitur de voto Jacobi. Et quia primum eſt votum, cujus in ſcriptura fit mentio, paucis agemus de voti natura; deinde votum Jacobi expendemus. וידר יעקב נדר *vaijiddor Iaacob neder*, & vovit Jacob votum. נדר *nadar* eſt vovit, vel promiſit Deo. Talis promiſſio communiter definitur, *teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de iis quæ Dei ſunt, propriè fieri debet.* Sic Magiſter ſententiarum, lib. 4. diſtinct. 38. & Bellarm. *Votum eſt religioſa promiſſio majoris alicujus boni, Deo facta libera voluntate.* Quæ definitio tolerari poteſt, ſi *bonum majus*, ſive ut alii loquuntur *bonum melius*, ita intelligatur, ut non tale dicatur comparatè ad alia bona à Deo præcepta & neceſſaria; ſed comparatè tantum ad ejuſdem boni omiſſionem; id eſt quod tale ſit bonum, quod melius ſit vel majus, ſi fiat, quam ſi non fiat. Exempli gratia ſi aliquis voveat ſe daturum alicui pauperi talem pecuniæ ſummam, bonum illud non eſt majus charitate, à qua niſi procedat, ne quidem bonum eſt coram Deo; ſed melius eſt ut fiat, quam ſi omitteretur.

Ex propoſita definitione, apparet ad voti rationem non ſufficere, ſi quis ſibi in animo proponat ſe aliquid facturum, quia *propoſitum* non eſt *promiſſio*, nec ſancta propoſita ſemper cum voto conjuncta ſunt, nec eſt par obligatio propoſiti & promiſſi. Item, neceſſariam eſſe ad votum deliberationem, quia cum ſit lex quædam privata, quam homo ſibi imponit, tantùm eum obligat qui deliberatè & ſpontè votum facit. Unde rata non habentur ea vota, quæ vel ante plenum uſum rationis fiunt, vel ob metum aut ignorantiam, merito involuntaria judicantur.

Votum eſſe actum Religionis fatentur omnes; etiam in definitione Deum ponunt tanquam objectum voti. Id Scriptura docet expreſſis verbis, Deut. 23. verſ. 21. *Si voveris votum Iehovæ Deo tuo*, &c. Pſal. 50. ℣. 12. *Redde Excelſo vota tua.* Pſal. 65. ℣. 2. *Tibi, ô Deus, rependendum eſt votum.* Pſal. 76. ℣. 12. *Vovete & vota reddite Iehovæ Deo veſtro.* Hinc ipſe Thomas, ſecunda ſecundæ, quæſt. 88. artic. 5. *Votum eſt actus latriæ, ſive Religionis propriè.* Hoc ille probat ex Scriptura, Eſa. 19. verſ. 21. *Agnoſcent Ægyptii Iehovam tempore illo, & colent eum ſacrificio & munere, & voventes votum Iehovæ pendent.* Ubi conjunguntur *ſacrificium, munus, & votum*, tanquam Deo ſoli præſtanda. Nullum eſt etiam exemplum in toto Veteri & N. Teſtamento, voti nuncupati alii quàm Deo vero; aut ei quem qui voverunt Deum putarunt. Quæſtio tamen agitata eſt hoc tempore, an ſoli Deo vota eſſent nuncupanda? quæ etſi apud nos affirmativè reſolvatur, ut par eſt, ob eas quas attulimus rationes; inter Pontificios controvertitur, aliis affirmantibus, negantibus aliis. At ſi votum ſit actus latriæ, quod agnovit Thomas; ſint autem inter Pontificios qui vota nuncupent divis, ut loquuntur; non poſſunt effugere crimen Idololatriæ.

Thomas, cum id videret poſſe objici ex ſuorum praxi, eſſe inter eos qui Idololatræ ſunt, hunc actum latriæ, creaturæ communicantes, diſtinguit inter votum formaliter conſideratum, quod ſoli Deo competit; & voti, ut loquitur, *materiam*, quæ in promiſſione conſiſtit; promiſſionem hominibus fieri poſſe, puta abbati,

abbati, aut ſancto; votum autem nemini præterquam Deo. Sic poſt Thomam diſtinxerunt alii, ut Eſtius in 4. ſent. diſt. 39. ſect. 1. per hoc quod additum eſt, *Deo facta*, diſtinguitur votum à promiſſione quæ fit homini, etiamſi cum juramento fiat. Nam vota quidem Deo fiunt, juramenta autem hominibus per Deum. Hinc Thomas exiſtimabat votum ſic concipi debere, *Voveo Deo me impleturum quod promitto ſancto vel Abbati.* At Cajetanus in Thom. 2. 2. q. 88. artic. 5. *Eadem*, inquit, *ratione fit votum Deo & ſanctis.* Item, *Sanctis abſolutè vovemus ſicut Deo; prælatis autem, non item.* Denique, *manifeſtè, ſanctos contra homines diſtinguimus, ponentes illos ex parte Dei, & hoc de facto ſervatur in profeſſione fratrum ordinis prædicatorum, voventium Deo, B. Mariæ, & Dominico, & omnibus ſanctis, quod erunt obedientes prælato ſuo.* Rationem hanc addit, *quia conſiderantur ſancti ut ſunt Dii participativè, imò in iis Deus honoratur, ſic promiſſiones eis factæ, ſunt vota.* Huic ſententiæ Bellarm. de Monach. cap. 14. calculum ſuum adjicit his verbis, *Vota verè fiunt ſanctis, ſed ut ſancti ſunt, id eſt ut excellentiſſimo modo participant Dei naturam & gloriam.* Neque tamen ſibi ſatisfacit hac reſponſione, quia non magis offerretur votum ſancto quam ſacrificium, quod non offertur ſancto, ſed Deo in honorem ſancti; ſic votum Deo nuncuparetur & impleretur in perſona ſancti, non autem ſancto propriè. Cum autem velit, votum fieri *propriè & formaliter* ſancto, & ad eum referri tanquam ad terminum, ut loquitur, ut Idololatriæ maculam diluat, reſpondet, de ſanct. beat. lib. 3. cap. 9. *Non eadem ratione fieri votum Deo & ſanctis: Nam Deo promitti in ſignum gratitudinis erga primum principium, & proinde illa promiſſio eſt cultus latriæ; at ſanctis promittitur aliquid, in ſignum gratitudinis erga mediatores & interceſſores, per quos à Deo beneficia accipimus.* Quæ ratio ſi valeret, potuit Jacob, non tantum vovere Deo, ſed Angelis quos viderat aſcendentes & deſcendentes, ut ipſi præſto eſſent, non tantum tanquam interceſſoribus, ſed etiam tanquam benefactoribus, quod tamen nuſquam vel à Jacobo, vel ab alio quoquam factum eſt. Quod ſi Jeſuitæ diſtinctio locum habeat, non video aliquid obſtare quominus etiam propriè dictum ſacrificium ſanctis formaliter offeratur, & tanquam proprio termino; eadem enim rimula elabetur qui id fecerit, ſi dicat ſe ſacrificium offerre quidem propriè ſancto, ſed tanquam mediatori, non tanquam primo principio. Frivola tamen eſt diſtinctio & planè nugatoria, quia hæc eſt ſacrificii & voti forma, ut nulli alii, præterquam primo principio fieri poſſit; ita ut *vovere propriè & formaliter*, ſed *non tanquam Deo*, aut primæ cauſæ, ſit contradictio in adjecto, quaſi quis diceret vovere propriè, & non vovere propriè.

Cogitur itaque Bellarm. agnoſcere, id planè fieri extra Scripturas, quod vota ſanctis nuncupentur, quia nullum exemplum tale reperiri poſſe fatetur ultro; his verbis. *Non obſtat*, inquit, *quod in ſcriptura nomen voti, ſemper accipiatur pro promiſſione Deo facta. Nam cum ſcriberentur ſcripturæ, nondum cœperat uſus vovendi ſanctis.* Notanda eſt confeſſio. Nam cum Scripturæ V. & N. Teſt. à Moſe uſque ad Joannem aliquot annorum millibus in uſu fuerint, ſi tunc talia vota fuerunt incognita, quo maximè tempore viguit votorum Religio, præſertim ceremonialium; unde initium aliud faciendi extra verbum Dei oriri potuit, niſi à Dei æmulo & hoſte generis humani? Hujus confeſſionis cum alios quoſdam Pontificios puderet, abuſi ſunt aliquando errore vulgatæ editionis, aut ſaltem codicum qui ab aliis adulterati fuerant, in quibus legebant Proverb. 20. ℣. 21. *Ruina eſt homini devotare ſanctos, & poſt vota retractare.* En, dicebant vota ſanctis nuncupata. Agnoſcit Lucas Brugenſis ita ſcriptum fuiſſe in pluribus libris tum ſcriptis, tum impreſſis. Fatetur tamen, id planè barbarum eſſe, ſubſtituitque *devorare*, quam lectionem ſequuti ſunt Sixtus & Clemens in nova Bibliorum editione, & explicavit Theod. Peltanas Jeſuita, comment. in hunc locum: & votum interpretatur de rebus ſanctis Deo conſecratis. Nam לוע קדש *luá kodheſch*, eſt *deglutire ſanctificatum*, id eſt quod ſanctificatum eſt Deo. Chartuſianus tamen interpretatus erat, *devotare ſanctos*, id eſt, *frequenter aliquid ſanctis vovere.* Et, quod mirum eſt, Nicolaus de Lyra, cum Ebrææ linguæ rudis non fuerit, eundem errorem ſequutus, *facere*, inquit, *vota ſanctis & non implere, ruina eſt*, &c. Unde patet, quam periculoſus ſit aliquando verſionis error vel in una litera, ut hoc loco factum eſt; inde enim putarunt ſe vovere poſſe ſanctis, & manente codicum errore, error in cultu invaluit, qui ſublato codicum errore, etiamnum manet inter eos quos pudet culpam fateri, ne præjudicent axiomati ſuo, de Eccleſia non errante, nempe vel cum falſa profert.

Depulſi munimento ſcripturæ, ſolent quædam humana teſtimonia proferre, ſed eadem fide, qua ſuum illud barbarum *devotare*. Legunt in Theodoreto, de Græcorum affectionibus curandis lib. 6. appendiſſe tunc temporis Chriſtianos donaria, in memoriis, id eſt, locis dicatis martyrum memoriæ, poſtquam fideliter precati erant. Sed non dicit precatos fuiſſe martyres aut vota eis nuncupaſſe. Intelligendum igitur Deo ſupplicaſſe; nam votorum ibi nulla mentio, niſi donaria fuerint votiva, ſed Deo oblata. Eadem fide, ſcilicet Punica, Euſebium tractant, præparat. Evang. lib. 13. cap. 7. ubi quidem dicit Chriſtianos tunc acceſſiſſe ad martyrum monumenta, & ſolitos fuiſſe juxta eorum thecas εὐχὰς ποιεῖσθαι, *preces facere*; vertunt illi vota, quia vox Græca pro utroque ſumitur; ſed quæritur quibus preces & vota fuerint facta? Ne fidiculis quidem obtinebunt, aliis præter Deum fuiſſe nuncupata. Quod ſi tamen obtinerent, tempore illo quo ex gentium κακοζηλίᾳ, in Eccleſia Chriſtiana multa ſuſcipiebantur

bantur extra Dei verbum, id nobis ſufficeret, quod ab initio non fuit ſic, ipſis fatentibus.

Hactenus de objecto. Sequitur voti materia, de qua neceſſariò agendum eſt, quia circa eam in voto Jacobi aliqua oritur difficultas. Id primùm extra controverſiam eſt, res malas & à Deo prohibitas non pertinere ad materiam votorum; unde illegitimum fuit votum eorum, qui Act. 23. voverunt ſe Paulum occiſuros, priuſquam aliquid ederent aut biberent. Idem dicimus de neceſſariis, & quæ vitare nemo poteſt; neque enim probaretur, qui voveret ſe moriturum, cùm Deo placuerit. Tertiò, adduntur opera inutilia & planè indifferentia, quale eſt, parietem aſpicere, feſtucam levare, aut quod à Franciſco factum memoratur, pediculos ex veſte in ſinum reponere, formicas & alia animalcula in via colligere, ne pedibus ambulantium contrectarentur. Addunt quartò Pontificii, ea quæ quidem bona ſunt, ſed majoris boni impedimenta; ut ſi quis voveat uxorem ducere. Nihilominus fatentur, id interdum poſſe eſſe materiam voti legitimam, ut homini valdè incontinenti. Quidni etiam homini continenti quidem, ſed qui tamen videt utile eſſe Eccleſiæ & Reipub. ut hæredes relinquat, quod ſæpè accidit, ne hæreditas ad eos deveniat, qui in Eccleſiæ aut Reipub. perniciem abuterentur legatis bonis, aut ex hæreditate devolutis? Ex hac autem adverſariorum confeſſione, ſequitur cœlibatum non eſſe materiam voti, quia ſæpè poteſt eſſe impedimentum majoris boni. Deinde, quia non eſt ita in hominis poteſtate; ut ſemper maneat in eodem ſtatu: de futuro enim præſertim perpetuo, in talibus certus eſſe non poteſt. Poteſt etiam fieri, ut injecto ſibi tali laqueo, ſalutis impedimentum accedat inde, nullum autem bonum eſt homini ſaluti præferendum.

Ordinariam voti materiam ea eſſe, quæ quidem ad ſalutem non ſunt præciſè neceſſaria, ita ut ſi non fiant, non propterea reus ſit qui non vovet, ſi tamen fiant ex fide, id gratum ſit Deo & utile voventi, in conceſſo eſt; puta ſi quis voveat, ſe aliquid daturum pauperibus, ſe ædificaturum noſocomium, fundaturum collegium, dotaturum pauperculam, aut quid ſimile. Sunt enim talia opera moralia, & ad genus neceſſarium referuntur, charitatis in proximum, ex qua tamen qui vovet, non abſolutè tenebatur ad hoc vel illud opus, ſecundùm omnes circumſtantias. Huc etiam referimus, ſi quis voveat ſe non bibiturum vinum per aliquot dies, ut hac ratione effugiat aliquas occaſiones intemperantiæ, &c. De talibus vix eſt aliqua difficultas, niſi in ratione modi & finis. Sed agitata eſt quæſtio de rebus ad ſalutem neceſſariis, de quibus dici non poteſt, quod de rebus votivis habet Deus in lege, Deut. 23. ℣. 22. *Quod ſi abſtinueris à vovendo, non erit in te peccatum*, nempè, etſi non facias. Sunt enim multa, quæ etſi non voveamus, erit tamen in nobis peccatum, ſi ea omittamus; quale fuit illud Jacobi, *Erit mihi Iehova in Deum.* Et Davidis, Pſ. 119. *Iuravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ*; etſi enim non juraſſet & ſtatuiſſet, id tamen debuiſſet. Ratio igitur dubitandi in eo eſt, quod ut ex lege oſtendimus, ex non debitore votum videtur conſtituere debitorem; unde ſequitur debere materiam voti eſſe rem indebitam, cùm autem debita ſint, quæ cadunt ſub præcepto, ſequeretur ea non poſſe voveri. Unde eſt, quod Thomas votum de rebus neceſſariis ex præcepto, negat eſſe propriè dictum, quia vota de eis ſunt ad quæ non omnes tenentur. Sunt tamen & fuerunt olim inter Pontificios, qui juxta nobiſcum affirmativè reſponderunt, etiam voti materiam eſſe præceptorum divinorum obſervationem. Imò Gregor. de Valent. in Thomam, oppoſitam ſententiam, non dubitat appellare ſcandaloſum errorem in Eccleſia.

Jam verò ſi quis quærat quid addat voti ratio rebus præceptis, facilè reſponderi poteſt, imò talibus etiam accommodari lex Deut. de qua dictum eſt. Quia addit novam obligationem præter eam quæ includitur communi ratione præcepti. Ideò qui præceptum illud non obſervat, ad quod prætereà ſe voto adſtrinxit, peccatum ſuum aggravat. Excitat autem additio voti noſtram tarditatem, & officii noſtri refricat memoriam. Quamvis ergo res in ſe debita, non ſit materia voti propriè dicti, poteſt tamen fieri materia, ratione ſpecialis cujuſdam circumſtantiæ, id eſt, non quatenus ex præcepto debita eſt, ſed 1. quatenus ſepoſita ratione præcepti, obligamus nos ad rem illam ſervandam, etſi præcepta non eſſet. 2. ſi alio titulo, aut arctiori vinculo in promiſſione nos obligamus, ut ſi debitor qui promiſit ſe ſoluturum ſimpliciter; addat poſteà juramentum, conſtituetur debitor alio titulo, quàm eo quo priùs erat. Cùm igitur vinculum unum alteri poſſit addi, illud vinculum ex voto quod prius non erat debitum, ex non debitore tali modo, debitorem conſtituit. Et hæc quidem in votis ſpecialibus, non ſolùm locum habent, ſed etiam in generali voto obediendi Deo, quod fit in baptiſmo: nam cùm anteà homo communiter ad obedientiam obligaretur, additur nova obligatio, in ſolemni illa imitatione. Hoc tamen intereſt, quod liberum non eſt ei qui vocatur ad fidem Chriſti, ut proteſtationem illam bonæ conſcientiæ in baptiſmo omittat, nam ad eam tenetur ex divina inſtitutione. At in votis propriè ſic dictis, ratione ejus quod in voto formale eſt, ſemper hæc ratio eſt obſervanda, eum qui à vovendo abſtinet, in eo non peccare, nempè ſi non voveat, etiamſi peccet aliàs, ſi ſit materia præcepti. Qui vovet ſe nunquam inebriaturum, peccaſſet quidem anteà ſi ſe inebriaſſet; ſed non fuiſſet propterea votifragus. Itaque liberum ei fuit, id vovere, vel non vovere. At poſtquam ſemel vovit, duplici nomine debitor conſtitutus eſt, & dupliciter peccat, tranſgrediendo. Diſtinguimus ergo inter opus liberum & non liberum; in opere libero homo po-

teſt

teſt abſtinere à voto, & à re ipſâ quæ vovetur, quia non eſt debita in ſe; quare ſi eam non voverit, non ſolùm non peccat, ſed nec etiam peccaſſet, ſi eam omiſiſſet extra voti rationem. At in opere præcepto, homo non eſt liber ad illud faciendum aut omittendum, itaque peccat cùm non facit; ſed liber eſt ad emittendum votum de ea re, itaque non peccat, ſi votum omittat, ſed voto ſemel emiſſo, dupliciter peccat, ſi non ſervet promiſſum. Itaque agnoſcimus votum illud commune quod fit in baptiſmo ab omnibus Chriſtianis, non habere propriam illam rationem voti, ut liberum fuerit ita promittere, vel non promittere, quia vinculum illud tam rei, quàm modi, nobis imponit Dei conſtitutio.

Hîc jam intelligi poteſt, an potuerit eſſe pars voti Jacobi, clauſula illa, *Erit mihi Iehova in Deum.* Certum eſt, ſi ſit promiſſio Jacobi, ad rem quod ſpectat, nihil de novo promitti. Jam enim Jehovam pro Deo ſuo agnoverat, nec alium colebat præter Deum patrum ſuorum. Nihilominus nihil abſurdi eſſet, ſi promiſſio talis eſſet *votiva*, quia Jacob adderet tantùm novam obligationem aut novum vinculum, ſine primi præjudicio: quaſi diceret, Ego duplici nomine tenebor Jehovam habere pro Deo meo; nempè, primò ratione obligationis communis: ſecundò, propter ſpecialem exauditionem, & curam mei, quam in his meis difficultatibus expertus ero. Itaque nihil abſurdi erit, ſi hæc verba præciſè intelligantur de re abſolutè debita, quia oſtendimus id etiam poſſe voveri quod debemus, quia fit major vel arctior obligatio, non quidem in ſe, ſed ratione infirmitatis noſtræ, & velut per accidens, quia talibus votis communi obligationi additis, velut ſtimulis excitamur, & de animi noſtri ſtudio teſtificamur.

Sunt tamen qui exiſtiment hæc verba, *Erit mihi Iehova in Deum*, non intelligi debere prout ſonant ſimpliciter, & de illa Dei agnitione ac cultu ad quem obligabatur non ſolùm naturâ, ſed etiam ex vocatione ad communicationem fœderis, cujus ſignum in carne ſua gerebat. Sed accipi debere ſecundùm quandam rationem ſpecialem, quæ ſequentibus explicatur, ut nempè promittat ſe habiturum Jehovam pro Deo ſuo, peculiari aliquo cultu per ſe quidem non debito, ſi communem vocationem ſpectemus, niſi in ſuo genere; ſed ratione ſpecialis promiſſionis, ad id vel illud adſtricto; ita ut duo poſteriora capita faciant ad primi explicationem. *Erit mihi Iehova in Deum*, id eſt, teſtabor me agnoſcere Jehovam pro Deo meo externo hoc facto, quod locum iſtum in quo mihi apparuit, cultui ejus conſecrabo, *& omnium quæ poſſeſſurus ſum, decimas ei perſolvam.* Et hæc ratio explicandi verba Jacobi, mihi non diſplicet, & minoribus incommodis videtur obnoxia, magiſque ad propriam voti rationem accedit.

Alii ſunt interpretes tam veteres, quàm novi, qui hæc etiam verba referunt ad conditiones voti, non ad ipſam voti ſubſtantiam, eaque ita jungunt cum præcedentibus, *Si fuerit Deus mecum, &c. reverſuſque fuero in domum patris mei; denique fuerit mihi Iehova in Deum, tum hæc ſtrues lapidum, &c.* Notat doctiſſ. Mercerus, *Raſi* inter Ebræos, id eſt, Rab. Salomonem Jarki, hæc verba, *Erit mihi Iehova in Deum*, ad conditionem referre, id eſt, Si Deus mihi fuerit vindex & aſſertor, ac præſtiterit omnia quæ promiſerit, & ita oſtenderit ſe Deum meum eſſe: poſteà ſequi votum ſequentibus verbis; quem ſenſum in ſua verſione amplexi ſunt Tremel. & Junius, & in verſione ſua Italica Joan. Diodati, *Et il Signore ſarà il mio iddio*, id eſt, *dimoſtrerà con effetto ch' egli l'è.* Quam interpretandi rationem faciliorem eſſe exiſtimo, quia videtur Jacob alluſiſſe ad præcedentes promiſſiones, in quibus Deus promiſerat ſe fore Abrahamo & poſteritati ejus in Deum: ut Geneſ. 17. ℣. 8. & eâ poſitâ ceſſat omnis difficultas de promiſſione rei ad quam tenebatur, etſi alia ratione ſolvi poſſe oſtendimus. Ceſſat etiam objectio de conditione appoſita, quaſi negativam ſupponeret; ſi Deus ei non largiretur quæ expreſſerat, intelligeretque ſe non habiturum eum pro Deo ſuo; quæ certè non ſolùm impietas fuiſſet, ſed ſocordia maxima. Alia ratio eſt, ſi res quæ promittitur ſit libera. Nam in voto conditionali de re futura, non erit impietas, ſi qui id petit, & ſub conditione promittit rem liberam, dicat poſteà ſe non teneri ex voti ratione, ubi conditio locum non habuit. Sic qui promittit Deo, ſi navem quæ ex portu ſolvit, ducat & reducat, rebus ex ſententia geſtis, ſe erogaturum aliquam pecuniæ ſummam vel pauperibus, vel in ſacros uſus; ſi non redeat navis, aut vacua redeat & amiſſis multis, non tenetur ex vi voti, ad ſummam quam ſub conditione voverat. Certè ſi non rediiſſet Jacobus in paternam domum, nec habuiſſet à Deo ad victum & veſtitum neceſſaria, neque potuiſſet, neque ex voto debuiſſet altare ædificare in Bethel, aut decimas offerre rerum quas non habuiſſet. Itaque ſi clauſula illa de agnoſcendo Deo pro ſuo abſolutè intelligatur, non potuit ſub conditione promitti; de reliquis promiſſionibus alia planè ratio eſt.

Id tamen notandum eſt, Jacobum hîc non paciſci cum Deo ſicut mercenarii ſolent, nec hærere in dubio, an Deus id eſſet facturus, quod proponebat, necne: id enim non potuiſſet ſine diffidentiæ culpa, poſt oraculum auditum, in quo Deus prolixè benevolentiam ſuam ei teſtatus erat. Quamobrem particula illa אם im, *ſi*, pro ſimplici conditionali hîc accipi non debet, ſed pro particula rationali, ut aliquando apud Latinos *ſi* pro *quia* accipitur; ut apud Virgilium Georg. 1.

-- Veſtro ſi munere tellus,
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſtâ.

Vel etiam pro particula ordinis & temporis, pro *poſtquam*,

quam, vel, ut verterunt Tremel. & Junius, *cum*, &c. ut apud Terent. in Phormione, *Herus ſi redierit, molendum mihi*, hoc eſt, poſtquam redierit: quo ſenſu optimè & ſine difficultate fluunt ſancti Patriarchæ verba; poſtquam, ô Domine, impleveris hæc promiſſa tua, & me ad meos reduxeris, &c. Itaque non probandi ſunt, qui Jacobum cum dubitatione locutum eſſe cenſent, quia hæc omnia ex fide dixit, ſine qua votum non potuiſſet eſſe Deo acceptum. In factam igitur promiſſionem recumbens, pollicebatur ſe, poſtquam Deus promiſſa præſtitiſſet, non ingratum fore. Votum ergo addit tanquam ſtimulum ad gratiarum actionis officium.

Duo autem vovet. 1. Se lapidem illum quem erexerat in monumentum, habiturum pro domo Dei; יהיה *jihjeh*, inquit, id eſt, *erit domus Dei*, erit, nempè, mihi, ſtatuetur à me pro domo Dei. Ubi metonymia eſt obſervanda contenti pro continente; lapis enim ſumitur pro loco, in quo erectus fuit lapis, qui locus à Jacobo habitus eſt domus Dei, nempè, ſanctificatione & applicatione. Voti hanc partem ſolvit Jacob, poſtquam reverſus eſt, erecto ibi altari & invocato nomine Dei, Geneſ. 35. ℣. 7. *Domus* autem Deo in Scriptura tribuitur; non quod aliquo loco contineatur, aut quod in manufactis templis habitet, ſed quia alicubi vult ab hominibus coli, & gratioſam ſuam præſentiam effectis teſtatur. Ante Chriſtum manifeſtatum, certis quibuſdam locis cultum ſuum addixit, ſuoſque vel inſtinctu, vel oraculo, vel aliquando teſtimoniis quibuſdam extraordinariis, direxit in talium locorum electione. Sub novo Teſtamento, locorum ablata eſt differentia, nec ulla eſt promiſſio ſpecialis exauditionis, in uno loco, potiùs quàm in alio; quia *vult Deus nos precari in quovis loco, puras manus attollentes*. 1. Timoth. 2. ℣. 8. Nunc ergo locorum electio & dedicatio ſpectat ad εὐταξίαν & ordinem tantùm, ut publici commodè habeantur conventus, non quod unus locus Deo præ alio ſit gratus, & orationes vel orantes ſanctificet; quod ſuperſtitiosè & planè Judaicè Pontificii imaginantur, unde peregrinationes inſtituunt ad loca, quæ ſancta vocant, & inde ſperant emolumenta ſpiritualia & temporalia.

Altera pars voti, in decimis ſolvendis conſiſtit, ad quod officium obligat ſe Jacobus, tum cùm nulla lex de decimis à Deo eſſet adhuc conſtituta, quæ poſteà in populo Judaico ſancita eſt ob peculiares rationes, de quibus diximus ad caput XIV. ubi actum eſt de decimis quas Melchiſedeko dedit Abrahamus. Oſtendimus autem, id fuiſſe perpetuum & neceſſarium, ut homines ea quæ ad Eccleſiaſticum miniſterium & Dei cultum neceſſaria ſunt, de rebus quas in bonis ex benedictione Dei legitimè poſſident, ſuppeditent, idque factum fuiſſe ante Moſis legem, & ſub lege fuiſſe obſervatum; obſervari etiam debere, quandiu Eccleſia in terris peregrinabitur; ſed *quotam & taxationem* determinatam non eſſe, vel naturali lege, vel aliqua lege poſitiva perpetua. Quod igitur ante legem Moſis decimas Abrahamus perſolvit Melchiſedeko, id quidem debitum fuiſſe in genere, ut agnoſceret in Sacerdote illo, ſe debere Deo aliquam bonorum partem offerre in ſacrificiorum uſum. *Quotam* autem tum fuiſſe liberam, quam talem perſolvit Abraham, vel quia moris fuit communis, vel quia ſic apud ſe ſtatuerat. Id etiam indicatur in voto Jacobi, qui ſe ad decimam ex ſpeciali promiſſione obligat. In populo Dei fuit lex poſitiva, ſed partim politica, partim ceremonialis, ad quam non tenentur ſub novo Teſtamento fideles. Idcirco in ſcriptis Apoſtolorum, in quibus ſæpè fit mentio ſtipendii miniſtrorum, nunquam determinatur quantitas, nec eam Apoſtoli exegerunt, aut aliquem ſcrupulum injecerunt Chriſtianis tanquam ſacrilegis, ſi bona ſua non decimarent. Ex eorum ſcriptis nihil aliud colligimus, quàm mercedem deberi miniſtris verbi, ſic etiam inſtituente Chriſto, Mat. 10. ℣. 10. modum autem & quantitatem ex pietate, charitate & commoditate, metiendam eſſe.

Si autem aliquis promiſit certam quantitatem, vel in perpetuum, vel ad tempus, ad eam teneri non dubitamus; & ordine ſemel conſtituto, accedente maximè eorum qui populis præſunt autoritate, poſſe quantitatem illam conſtitutam exigi tanquam rem debitam non dubitamus; ſed inde non ſequitur jure divino Eccleſiaſticis, qua tales ſunt, deberi omnium decimas, ita ut non poſſint vel mutari, vel interverti, ſine ſacrilegio. Quam ſententiam qui tuentur, dum ordini Eccleſiaſtico, in temporalibus conſulere volunt, ſuarum fortaſsè rerum pluſculum ſatagentes, magnos conſcientiis ſcrupulos ingerunt, & inextricabiles nectunt difficultates. Qua de re, etſi anteà paucis egerim in loco notato, tamen quia video controverſiam hanc in Anglia hoc tempore animosè agitari in utramque partem, & doctiſſimum virum Profeſſorem Regium Oxonii, cui alioqui multùm me debere profiteor, oratione de materia hac habita, in rigidiorem ſententiam non ſolùm inclinare, ſed aliam etiam, quæ à nobis approbata eſt, durius exagitare, non poſſum omittere, quin ejus rationes hîc expendam. Rectè notat triplici nomine dari poſſe miniſtris decimas, aut ab iis peti, vel tanquam *eleemoſynas*, vel vice *competentis ſtipendii*, vel tanquam *ex jure divino debitas*. Aſſertores primæ ſententiæ meritò improbat, & ab ea quantum poteſt purgat VViclefum, qui id de Monachis tantùm dixerit, non autem de Parochis & ſimilibus Eccleſiæ miniſterio addictis. Id nos facilè patimur. *Secundam ſententiam*, quam dicit eſſe eorum qui *Puritani* vulgò audiunt, & Pontificiorum, de ſtipendio, *ut nugantur*, competenti, exiſtimat, non *tinnire ſolidius quicquam*, quàm prima iſta eleemoſynaria. Vult igitur ille, *clericis*, quos vocat, *jure divino* ſolvendas eſſe *decimas*, ut vocat, *ſtipendiarias*, ſive

prædiales

prædiales, ſive *perſonales*; adeoque in eos qui in aliâ ſunt ſententiâ, vir alioqui modeſtus, ſævit, ut memoret ex Faſtis manuſcriptis Oxonienſis Academiæ, fraterculum quendam, *Gulielmum Ruſſell, decimas perſonales jure divino eſſe negantem, hæreſeos ſtigmate, idque ſub Univerſitatis ſigillo, notatum fuiſſe. Quam cenſuram eorum poſteris, in re tanti momenti non eſſe parvi æſtimandam cenſet.* Nollet tamen, credo, vir doctiſſimus, cenſuras omnes quæ in talibus antecedentium ſeculorum regiſtris reperiuntur, ipſe ſubire, alioquin inter hæreticos rogo dignos locum habiturus. Non metuimus talia ſtigmata, quorum ille aliàs inuſtionem ſentiret, ſi penetrarent. Rationibus agendum ex Scriptura petitis, ſi ab hac ſententia nos velit dimovere. Id quidem tentat, ſed noſtro judicio, irrito conatu. Experiamur. Unicum ſacræ Scripturæ locum ad id ſufficere putat; exemplum, nempè, Abrahami, ſolventis decimas Melchiſedeko. Ex quo præſumit ſe facturum, ut conſtet, *jus divinum, ſive expreſsè, ſive certa quadam conſequentia, Evangelii miniſtris decimas deputare.* Expectamus quomodo id evicturus ſit ex hoc facto. *Dedit* (inquit) *Abraham decimas ex omnibus.* Id certè conſtat; nec diſputamus, an ex manubiis tantùm, an ex aliis etiam rebus quas ſecum habebat. *Accepit Melchiſedek*, id etiam extra controverſiam ponimus. Jam quæritur quo jure? Reſpondet ex Apoſt. ad Ebr. cap. 7. *planè divino.* Id probat; *Si*, inquit, *decimæ ſint ita S cerdotio ex inſtituto divino annexæ, ut ſi Melchiſedek Sacerdos ſit, decimas exigat ex debito, & ex decimis licitè receptis, reciprocè concludas Sacerdotium, quis ſeparabit ſacrilegus quæ Deus conjunxit?* Bona verba quæſo. Primùm id velim attendere virum doctum, jus divinum eſſe duplex, unum naturale, aliud poſitivum. Si intelligat, jure divino naturali indivulſè hæc eſſe conjuncta, ut debeantur decimæ, ratione quantitatis, Sacerdoti, aut etiam jure divino poſitivo perpetuo, id ipſi probandum erat, non aſſumendum. Proinde non ſequitur, ſi tale jus divinum fuerit, vel tempore Abrahami per ſingularem aliquam revelationem ſancitum, vel poſteà in populo Iſraëlitico introductum, id perpetuum eſſe, etiam poſt exhibitum Chriſtum. Secundò, ſi tali Sacerdotio, quale erat Sacerdotium Melchiſedeki, decimæ fuerunt jure divino debitæ, unde id probabit, idem jus eſſe annexum miniſterio novi Teſtamenti? Nam ſi univerſalem propoſitionem præmittat; Quale fuit Sacerdotium eorum qui victimas varias immolabant ante Chriſtum, tale eſt miniſterium eorum qui ſub novo Teſtamento Eccleſiæ inſerviunt, idemque in ſpecie utriſque præſtari debet; illam certè falſam eſſe & periculoſam, ne ipſe quidem negabit. Nam verum & proprium eſſe Sacerdotium ſub novo Teſtamento, ad victimas offerendas; adverſus Pontificios noſtri omnes jure negant. Tertiò, *exegiſſe* decimas Melchiſedekum, nec hiſtoria dicit, nec Apoſtolus repetit, ſed tantùm oblatas accepiſſe. Debitas autem fuiſſe abſolutè, & de jure divino, non puto probari poſſe. Id tamen conatur. Ex eo quod Melchiſedek Abrahamo benedixit, & decimas accepit, ſequitur apud Apoſtolum, Melchiſedekum fuiſſe majorem Abrahamo. Quia Melchiſedek major Sacerdos, decimas accepit à minori Levi, in lumbis Abrahæ. Ubi ergo, inquit, Sacerdos, ibi decimæ; & quandiu Sacerdos, tamdiu decimæ. Reſpondeo, id non dicere Apoſtolum, ſed tantùm eum Sacerdotem, qui ab alio decimas accipit, eodem eſſe majorem, quod verum eſt; non tamen ſequitur, de jure divino eſſe, ut exigat decimas Sacerdos. Id tantùm ſequitur, quod ſi decimæ offerebantur ad cultum divinum, & conteſtationem religioſam officii noſtri erga Deum, tum cùm vigerent ſacrificia externa, tales decimas Sacerdotibus fuiſſe dandas, & ab iis fuiſſe accipiendas. Eadem fuit ratio votivarum rerum, quæ certè exigi non potuerunt à Sacerdotibus jure divino, ſed tantùm poſt votum, ante quod fuit in poteſtate hominis rem retinere. Sed alioqui Sacerdoti res votiva erat offerenda, ut in ſacros uſus cederet. Itaque valet argumentum Apoſtoli, ſed non valet inde deducta conſequentia. Taceo falſum eſſe quod ſubſumit autor, *Vivit Sacerdos, non auferuntur decimæ juxta infallibilem Apoſtoli logicam.* Nam vivere nunc Sacerdotes propriè dictos, ſoli Pontificii affirmant, qui tamen non exiſtimant hanc Apoſtoli fuiſſe logicam; Decimas deberi omnibus Sacerdotibus. Hoc enim ſufficiebat Apoſtolo, ſi id ipſi concederetur, quibuſcunque ſolvebantur decimæ, eos majores fuiſſe Sacerdotes. Ubi etiam obiter notandum eſt, argumentum Apoſtoli non concludere univerſaliter abſolutè, ſed comparatè tantùm inter eos qui ſunt ejuſdem ordinis. Non eſt enim verum, eum qui ſolvit decimas, minorem eſſe eo cui ſolvuntur decimæ, hoc, inquam, non eſt abſolutè verum. Sic enim ſequeretur, minimum Levitam apud Iſraëlitas, majorem fuiſſe ipſo Rege; & hoc tempore, eodem argumento fulcirent Pontificii Sacrificuli ſuam illam ſupra ipſos Reges & Principes prærogativam, quam tantoperè horrent, & meritò, doctiſſimi Angli. Dico igitur, comparationem fieri inter ipſos Sacerdotes, & argumentum ſumi ex conſuetudine apud Ebræos uſitata & lege ſancita, ex qua Levitæ & minores Sacerdotes, decimas decimarum ſuarum ſolvebant majoribus Sacerdotibus. Num. 18. verſ. 26. & 27. Hinc optimè argumentabatur Apoſtolus, Sacerdotes qui à Levitis accipiunt decimas, majores ſunt ipſis Levitis; ergo Sacerdotibus Leviticis major fuit Melchiſedek, qui ipſum Levi in Abrahamo decimavit. Hic eſt verus ſenſus, ex quo ſi quis id inferat, omnes Chriſtianos jure divino, proprias decimas juxta quantitatem debere miniſtris Evangelii, eâdem operâ aquam ex pumice exprimat. Hæc non contentionis ſtudio à nobis ſunt allata, à quo abhorremus, & præſertim adverſus erudi-

tiſſimum virum, cui multum debemus, ſed pro veritate dicta, cui magis obnoxii ſumus, & quàm à quoquam impeti, aut inequitari, patiendum non ducimus.

Priuſquam hoc caput concludamus, eluenda eſt nobis Pontificiorum calumnia in Calvinum, Lutherum, & nos omnes, quibus hoc imponunt, quod præcepta ſolùm dicamus eſſe materiam voti. Hinc Cornelius à Lapide Jeſuita Lovanienſis, ſcribens in hunc locum, *Decimas vovit*, &c. *Patet*, inquit, *contra Calvinum, piè & religiosè voveri poſſe opus, etiam quod non eſt præceptum à Deo, tale enim eſt dare decimas, quod vovet hìc Iacob.* Et Malderus Antuerp. Epiſcop. *Lutherus,* inquit, *lib. de votis Monaſticis, & Calvinus lib. 4. Inſtit. cap.* 13. *docent, non licere aliud vovere, quàm illud quod præceptum eſt, in iis quæ referimus propriè & proximè ad Dei cultum.* Hanc non fuiſſe Calvini mentem ex eo ipſo capite patet, quod adverſarius notavit. Diſtinguit Calvinus inter votum generale & commune omnium Chriſtianorum, & vota particularia ſingulorum, maximè ratione rerum externarum. Prius illud eſſe præcepti, ne adverſarii quidem negant; poſteriorum votorum materiam ſpecialiter à Deo præceptam eſſe Calvinus nunquam dixit, & huic etiam dicto repugnant exempla quæ profert. Diſtinguit igitur quatuor fines, ad quos vota noſtra ritè diriguntur, quorum duo præteritum tempus, alii duo futurum reſpiciunt. Ad præteritum tempus vota gratiarum actionis & pœnitentiæ refert; nempè, cùm poſt accepta beneficia ex voto reddimus, quæ Deo promiſimus, quò ſpectabat votum Jacobi; vel cùm poſt admiſſa peccata, dum nos pœnitet, vovemus non ſolùm abſtinentiam à peccatis, ſed etiam à rebus mediis, quibus tamen ablatis noſtra caro caſtigatur. Talia vota agnoſcit Calvinus nobis in uſu hodiè eſſe poſſe, quoties Dominus nos liberat, vel à clade, vel à morbo, &c. nempè, vota euchariſtica, quale fuiſſe votum Jacobi de decimis agnoſcit: ad ſecundum genus votorum pœnitentiæ quod ſpectat, illud etiam Chriſtianis commendat, exemplumque proponit, in eo, qui in flagitium aliquod lapſus eſſet gulæ vitio, qui pœnitens voveret, ſe ad aliquod tempus lautitiis renunciaturum. Ad futurum tempus refert ea vota, quibus hoc partim agimus, ut reddamur cautiores, partim ut excitemur ad officium quibuſdam velut ſtimulis; ut ſi quis ſibi temperet ab uſu rei, alioqui non malæ, ſi metus ſit, ne per eam in malum delabatur. Si quis ſe ſentiat obliviosum & ſegnem, circa pietatis exercitia, ut ſuſcepto voto, pigritiam excutiat. Quis autem non videt in his omnibus proponi materiam voti, quæ præcepti non eſt, ſaltem in particulari; imò quæ poteſt omitti, non ſolùm ab aliis, ſed etiam ab eo qui vovet, priuſquam voverit? Id tamen verum eſt, Calvinum requirere, & nos cum illo, ut quæ voventur, talia ſint, quæ Deo grata eſſe conſtet, proinde ad materiam alicujus præcepti referri poſſint, cujus tamen quædam circumſtantiæ ſint liberæ. Exempli gratiâ, generale præceptum eſt, ut grati ſimus erga Deum pro acceptis beneficiis: at non præſcriptum eſt nobis, ut hoc vel illud præſertim externum ei reddamus. Si ergo quis voveat ſe conſecraturum in uſum Eccleſiæ, vel ſcholæ, vel pauperum certam ſummam, utrumque in tali voto reperietur, primò, quod res erit à Deo non præcepta, nempè præcisè, ut nec Jacobo decimæ, quæ tamen includetur ſub ratione præcepti generalis de gratitudine. Hoc igitur intellexit Calvinus, cùm in votis damnavit ἐθελοθρησκείας, pronunciavitque nullum eſſe acceptum Deo votum, quod non à Deo approbetur; neque nos vovere debere, quod nullum in verbo ejus teſtimonium habeat, quomodo à Deo approbetur. Quid ſanctius dici potuit? Sed aliud eſt, aliquid à Deo approbari; aliud, eſſe à Deo præceptum ſpecialiter. Multa enim in verbo Dei approbantur, quæ tamen non præcipit omnibus, & quæ quis poteſt omittere ſine peccato. Quod autem de relatione ad cultum Dei dicitur, id ambiguum eſt. Nam ſi votum omne ſpectemus, certum eſt, cùm ſit promiſſio religioſa Deo facta, omne votum ad Dei cultum propriè pertinere; quod etiam adverſus Pontificios urgemus, qui vota creaturis nuncupant. Sed ſi materiam voti ſpectemus in ſe, exempli gratiâ, abſtinere à vino, jejunare per aliquot dies, illa res per ſe ad cultum Dei non pertinet, ſed tantùm ratione promiſſionis Deo factæ, quia alioqui actus illi, *materialiter,* non ſunt actus religionis. Ut rem in pauca contrahamus; Fatemur omnes ſub novo Teſtamento, ſpecialia quædam vota locum habere poſſe, dummodo neceſſariæ iſtæ conditiones obſerventur. I. Ut abſit opinio meriti, & cultus divini per ſe. II. Non coincidant cum typicis veteris Teſtamenti votis. III. Non pugnent cum libertate Chriſtiana, aut conſcientiis laqueos injiciant. IV. Eorum materia ſit de rebus Deo non ingratis, & quæ voventium facultatem non excedant. His conditionibus poſitis, poteſt Chriſtianus ſe obſtringere ad faciendum aliquod bonum in ſpecie, quod alioqui non teneretur facere, & vota de tali bono nuncupare, quibus ſe gratum Deo præbebit, voluntatem ſuam in bono opere confirmabit, & à malè agendo cohibebit; cujuſmodi vota erunt obices peccati, ſpecialis gratitudinis ſtimuli, & devotionis utiliſſimi fomites.

Id ipſum Calvinus in hunc locum ſcribens notaverat, ut mirum ſit Jeſuitam auſum fuiſſe hoc nomine dicam ei ſcribere. *Cùm gratiarum actio*, inquit, *ſit optimi odoris ſacrificium, Dominus oſtendit ſibi placuiſſe vota quæ in eum finem tendebant. Itaque hic nobis eſt proponendus ſcopus, cùm quæritur, quid nobis Deo vovere liceat, & quomodo? Sunt enim qui in ea re ſe nimis duros & difficiles præbent, qui vota planè damnare malunt, quàm aperire januam ſuperſtitionibus. Sed ſi temeritate perverſæ ferantur, qui ſine diſ-*

cretione

cretione vota ſua effundunt, cavendum eſt ne in oppoſita parte eos imitemur, tollentes ſine diſcrepantia omnis generis vota. Sed ut votum ſit legitimum & Deo acceptum, neceſſarium eſt ante omnia, ut ad rectum finem tendat: deinde, ne homines aliquid voveant quod ex ſe non ſit approbatum Deo, & quod in ipſorum manibus poſuit. Nihil horum Iacobum omiſiſſe, ex voti ejus conſideratione manifeſtum eſt. Hæc ille, qui ſatis ſeipſum tuetur contra adverſariorum calumnias.

AD CAPVT XXIX.

EXERCITATIO CXXVI.

Summa capitis XXIX. *Iacobi in Meſopotamiam adventus. Ejus cum Rachele colloquium.* Oſcula *varii generis; alia in laude, alia in culpa. Pactum Labani cum Iacobo. Rachelis & Leæ deſcriptio. Labani avaritia. Ejus fraudes & æquivocationes, in quibus præivit Ieſuitis. Aetas Iacobi cùm de mercede ſtipulatus eſt. Quomodo amanti Iacobo breve fuerit ſervitii tempus? Pulchritudinis commendatio. An in amore modum exceſſerit Iacob. Cur uxorem non ambiverit Iacob ſine pactione ſervitutis? De coëmptione in nuptiis. Vxor dicitur etiam deſponſata. An ſponſalia poſſint diſſolui? Explicatur locus Deut.* XXII. *verſ.* 23. *An Rachel conſenſerit in fraudem patris & ſororis? Negatur. Convivium nuptiale. Quomodo omnes viros loci invitaverit Laban?*

HOc capite XXIX. deſcribitur adventus Jacobi in Meſopotamiam; amor ejuſdem in Rachelem, duo ejuſdem conjugia, & Leæ fœcunditas, Rachelis contrà ſterilitas. Jacobo in Meſopotamiam adventanti, idem accidit quod olim ſervo avi ſui, ut in eam incideret, quæ ex eadem familia eſſet, & quam ſibi aptam fore uxorem judicavit. Nam quod Moſes primùm narrat, eſt Jacobi cum Rachele filia Labani colloquium, quæ, ut anteà ſolebat Rebeca virgo, extra civitatem aquatum veniebat; pro ratione temporis illius, cujus frugalitas non patiebatur, ut honeſtarum familiarum liberi, cujuſvis ſexus, otio & molliciei ſe darent, & in delitiis torperent. Attingemus tantùm quæ dubium aliquod movere poterunt.

Primum illud occurrit, verſ. 10. & 11. quod Jacob, poſtquam amoviſſet lapidem quo puteus occludebatur, & adaquaſſet gregem Rachelis, *oſculatus eſt eam, & elevata voce flevit.* Nihil narravit anteà Moſes de ſermonibus inter eos commutatis; itaque poſſet aliquis ſiniſtrè interpretari, quod Jacobus amplexus eſt eam, cui adhuc ignotus erat; id enim non videbatur decere, nec etiam puellam, ut id pateretur. Ignota quidem illa non erat Jacobo, cùm à paſtoribus intellexiſſet eam venire cum grege, & verſ. 10. expreſſè dicat Moſes, ſciviſſe eſſe conſobrinam ſuam. Sed poſt oſculi mentionem, ſequitur verſ. 12. quod Jacob ei indicarit, ſe eſſe fratrem, id eſt, cognatum, ſive conſanguineum patris ejus, nempè ex ſorore nepotem. Ergo non in ignotam oſculo irruit Jacob; ſed poſſet videri Rachel ab incognito oſculum accepiſſe contra virgineam verecundiam. Reſpondendum eſt, nullam eſſe difficultatem, ſi verba verſus 12. ויגד יעקב *vajjagged Iaacob*, interpretemur per præteritum plusquam perfectum, & *nunciaverat* Jacob, vel *indicaverat* Racheli, &c. Et certè maximè probabile eſt, non fuiſſe hunc ſuum affectum geſtu prius teſtatum, quàm verba quædam cum ea commutaſſet de conſanguinitate ſua. Quod autem oſculum ſpectat, inter notos conſanguineos, præſertim anteà non viſos, culpari non poteſt, quod ipſa natura, & omnium gentium mores non ſolùm patiuntur, ſed approbant. Oſcula quædam impudica eſſe, & nimis quàm frequentia ſemper fuiſſe, probatione non indiget; ſed alia fuerunt laudabilia pro variorum objectorum ratione, & uſitata inter homines conſuetudine, inter quos in more fuit, ut ſocietatis mutuæ & honeſti affectus ac comitatis oſcula eſſent teſtimonia; aliquando importuna ex nimia frequentia, unde apud Romanos nonnulli de eo more conqueſti ſunt, non immeritò; aliquando etiam honoris & reverentiæ debitæ ſigna fuerunt, ut etiamnum vaſallus domino ſuo debet oſculum. Oſculum primum fuit urbanitatis, de quo Dominus Luc. 7. ℣. 45. apud Phariſæum, *Oſculum non dediſti mihi.* Poſterius fuit officii & ſubjectionis, de quo Pſal. 2. *Oſculamini filium.* Fuit etiam *oſculum explorationis* apud Romanos, quo mariti, vel propinqui explorabant, an fœminæ vinum bibiſſent, quod apud eos maximo probro habebatur, & ſeverè puniebatur. *Oſculum proditionis*, quale fuit Joabi erga Amaſam, & Judæ erga Chriſtum, de quo Proverb. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm oſcula fraudulenta odentis*, referri debet ad *oſculum humanitatis* & urbanitatis, tanquam abuſus, contra legitimum uſum. Simile fuit *oſculum charitatis*, quo tanquam pacis & fraternitatis ſymbolo Chriſtiani olim ſe mutuò ſalutabant, quod apud Pontificios converſum fuit in ludicram actionem, qua omnes invitantur ad oſculum orbiculi, quem *patenam*

appellant, nempè operculum calicis Miſſatici. Oſculum Jacobi fuit oſculum ϛοργῆς & propinquitatis, erga eos qui ſe ſanguine contingunt, uſurpatum. Hinc mixtæ cum oſculo lachrymæ, ſed quæ præ gaudio & ex naturali affectu effundebantur. Tale oſculum caſtum & honeſtum eſt, unde nec culpari poteſt Jacob qui dederit, nec cognata puella, quæ non repulit. De hoc oſculo Sponſa, Cantic. 8. ℣. 1. *Quis det te uti fratrem mihi; ut inveniam te foris, oſculer te, & non contemnam te.* Nullum igitur præſidium eſt in facto Jacobi, eorum petulantiæ, qui crebrò inter ſe miſcent oſcula, nulla conſanguinitate conjuncti, anteà ignoti, aut diu non viſi; qui mos oſculandi, etiam inter eos qui ſe non attingunt ſanguine, nunc uſitatus, ad comitatem & humanitatem referri debet, nec extra abuſum culpari poteſt. Ad oſculum naturalis ϛοργῆς referimus illud quod Laban poſteà verſ. 13. Jacobo obtulit, ruens in ejus amplexus, additis his verbis, *os meum es, & caro mea.* verſ. 14. quæ phraſis apud Ebræos ſignificat conſanguinitatem & propinquitatem. Idem eſt enim ac ſi dixiſſet, *conſanguineus meus es.* Sic 2. Sam. 5. ℣. 1. tribus Iſraëlis dicebant Davidi, *os tuum & caro tua ſumus.*

Quod præcipuum eſt in hoc capite, eſt digamia Jacobi, & cum duabus ſororibus conjugium; profectus quidem erat in Meſopotamiam eo animo, ut uxorem duceret ex ſua conſanguinitate, ſed non ut binas primò, poſteà alias binas prioribus adderet. Ad id faciendum nonnullis occaſionibus fuit adductus, quas Moſes recitat. Poſtquam exceptus fuiſſet ab avunculo, & apud eum menſem integrum manſiſſet, quo tempore noluit in otio degere, vel panem ſegniciei comedere; cùm videret Laban eum virum eſſe ſtrenuum & rerum intelligentem, cum eo paciſci voluit de mercede pro labore, ut eum ſibi magis devinciret, quem utilem ſibi futurum præſagiebat. Præmittit Moſes, propter ſequens reſponſum Jacobi, Labano duas fuiſſe filias, verſ. 16. & 17. Leam & Rachelem, quarum inæqualitatem deſcribit ratione formæ, cùm una רכות *rakot*, teneros haberet oculos, quod plerique accipiunt de lippitudine, ſive pituitoſo humore ex oculis fluente; cùm autem pulchritudinis & venuſtatis pars præcipua in oculis ſita ſit, hac obſervatione Moſes indicare voluit formoſam non fuiſſe, etſi fortaſſè laborioſa fuerit & ſtrenua, quod *Lea* nomen indicat. De Rachele autem idem dicit, quod anteà de Sara & Rebeca, erat יפת-תאר *jephat thoar*, pulchrâ formâ. Nomen refertur ad juſtam lineamentorum omnium proportionem & compoſitionem venuſtam & decoram. Ea ratio fuit, cur Rachelem in amore conjugali Jacob Leæ prætulerit. Reſpondet igitur, verſ. 18. ad interrogationem avunculi de mercede, *Serviam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.* Quam conditionem ita acceptat Laban, verſ. 19. ut nihil contra objiciat de Leæ primogenitura, & de conſuetudine quam poſteà adduxit, ut fraudem ſuam obvelaret.

In hac pactione proponenda, primò in genere, ratione miniſterii Jacobi, Laban præ ſe tulit æquitatis & juſtitiæ laudem, quaſi religio ei fuiſſet, alieno labore frui non numerata mercede. Jacob enim homo liber erat, non mancipium, ideò gratis ſervire non debuit. *Dignus eſt operarius mercede ſua,* dixit Dominus, quod etiam æquitas naturalis Ethnicis dictavit. Hinc illud apud Euripidem, πονοῦντα δ᾽ ἄξιον μισθὸν φέρεσθαι, *laborantem dignum eſt mercedem auferre.* Sed ex conſequentibus avaritia Labani ſe prodet, abutentis affectu Jacobi, qui oblatâ operâ ſuâ pro uxore in ſeptennium, habet conſentientem durum patrem, quem non pudet filiam ſuam velut mancipium, viro pro mercede addicere. Ubi etiam agit mala fide, quia non reſpondet categoricè, ut fraudi præmeditatæ locum det, ſed ambiguè, verſ. 19. *Melius eſt ut eam tibi dem, quàm alteri, mane apud me.* Quæ verba Jacobus, ut ſimplex erat & ab omni fraude alienus, ita intellexit, ut nihil ſuboluerit infidum; putabat enim reſponſionem apertè ſatis concedere quod petierat; ſed jam tum Laban reſervationum mentalium & æquivocationum peritus erat, quas à Jeſuitis non didicerat, ut jam Jeſuitæ in eo ſint Labaniſtæ, ne putent ſe primos autores eſſe ſubdolæ iſtius artis, quam ab eodem veteratore didicerat Laban, qui nunc Jeſuitas docuit eam artem innovare.

Omnium ferè interpretum conſenſus eſt, Jacobum tum quando ſtipulatus eſt hanc mercedem, fuiſſe annorum ſeptuaginta ſex vel ſeptem; proinde ſi non prius data ei fuit uxor, quàm ſerviiſſet annos ſeptem, neceſſarium eſſe, ut anno tantùm ætatis ſuæ octuageſimo tertio vel quarto, primùm uxorem duxerit. Ideò voluerunt nonnulli paulo poſt factam ſtipulationem, datam ei fuiſſe uxorem, velut in anteceſſum, quò referunt verba Jacobi, verſ. 21. *Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum eſt, ut ingrediar ad illam.* Tempus enim illud impletum ad annos ætatis referunt, quod jam grandævus fuerit, nec expediret expectare diutius, ne orbus maneret, & hæredibus, atque ita hæreditate privaretur. Simplicius eſt, & verius, ſi tempus intelligatur de ſeptennio laboris, quâ etiam morâ commendatur cùm Jacobi temperantia & continentia, tum ejuſdem fides & conſtantia. Nam cùm in eadem habitaret familia, in qua deſponſatam ſibi haberet dilectiſſimam, noluit tamen, nec etiam quæſivit tempus prævertere, quod ipſe ſibi præfixerat, quod continentiæ fuit exemplaris. Deinde cùm ipſi fuiſſet promiſſa numeroſa poſteritas, & ad ſenium vergeret, non exiſtimavit feſtinandum nimis eſſe, ut decreti Dei executio maturaretur, acquieſcens providentiæ divinæ, à qua totus pendebat. Intereà notat Moſes, gravem non fuiſſe ei ſervitutem, nec tempus moleſtum, *quia videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Quæ verba dubium quoddam injiciunt,

quia

quia quæ adfertur ratio, videtur rei parum convenire. Id enim naturâ comparatum eſt, ut quod valdè expetimus, ſerius ſemper nobis accedere videatur; nec ſine cauſa dicit Sapiens, Proverb. 14. ℣. 12. *Spes protracta ægrum afficit animum; arbor autem eſt vitæ deſiderium adveniens.* De amatoribus autem vulgò dicitur, longiſſimum illis eſſe tempus breve. Hinc apud Ovidium, *Tempora ſi numeres, quæ nos numeramus amantes.* Emphaſis eſt in textu Ebræo, fuerunt illi ימים אחדים *jamim achardim*, dies uni, ubi duo conjunguntur, quæ propriè conjungi non poſſunt, unitas & pluralitas, ut dies pauciſſimi & breviſſimi ſignificentur. Opinio illa brevitatis non referenda eſt ad ipſum tempus per ſe, ſed ad moleſtiam ſervitutis comparatam cum ſperata fruitione Rachelæ; ut ſit ſenſus, quia amabat Rachelem impenſiſſimè, qua exacto ſeptennio ſe potiturum ſperabat, ideò ſervitutis moleſtiam alacriter devoravit, quæ propterea brevis ei viſa fuit. Qua occaſione non immeritò Chryſoſtomus in hunc locum ſcribens, invehitur in ignaviam noſtram & ſupinitatem, qua erga Deum magnam ingratitudinem teſtamur. *Nam ſi juſtus ille propter puellæ amorem ſeptennium ſervire, ferreque paſtoralium laborum ærumnas decrevit, & non ſentit vel labores, vel temporis longitudinem, ſed omnia ei levia & facilia videntur, expectationeque & ſpe fructus alitur, ita ut longum illud tempus dies paucos putet eſſe; qualem nos habebimus excuſationem, qui non pari ſtudio erga Dominum noſtrum & benefactorem, & curatorem, & qui nobis fit omnia, afficimur?* Neceſſaria certè animadverſio omni tempore, ſed hoc noſtro potiſſimum, quo tanto cum affectu, cum tot moleſtiis, laboribus & periculis, ad temporalia quærenda plerique ferimur; in parandis autem quæ ad gloriam Dei & ſalutem ſpectant, tam remiſſi, & ſupini ac diſſoluti reperimur.

Hìc autem non ſine cauſa quæritur, de amore Jacobi erga Rachelem, an ſatis ordinatus fuerit, ſive cauſam ſpectemus, quam Moſes reddit, ſive etiam exuperantiam illam amoris, tam comparatè ad ſororem, quàm abſolutè, cùm ut eâ potiretur, duræ ſe addixit ſervituti. Pulchritudinem eximium Dei donum eſſe & per ſe bonum, ex eo fit manifeſtum, quod nemo eam non appetit, etſi verum ſit, quod inter bona naturalia maximè caducum eſt; idcirco èam vocavit Socrates, *non diuturnam tyrannidem:* Sapiens autem de eadem ſapienter, Proverb. 31. ℣. 30. *Fallax eſt gratia, & vana pulchritudo, mulier reverentiâ Iehovæ prædita, ipſa laudem comparat ſibi.* Hominum animi, naturâ pulchritudine capiuntur, unde illud Theognidis,

Ὅτι καλὸν, φίλον ἐςί· τὸ δ᾽ οὐ καλὸν, οὐ φίλον ἐςί.

Quod pulchrum, charum eſt: quod non eſt pulchrum, charum non eſt. Unde Ariſtoteles reſpondit, *cæci quæſtionem eſſe*, interroganti, *cur quæ pulchra ſunt amentur?* Igitur non poteſt per ſe culpari pulchritudinis amor qui naturalis eſt, niſi quatenus in amandi modo peccatur. Quærendum igitur, an peccaverit in amandi modo Jacob? Primùm, in modo peccat, qui pulchritudinem in uxore quærit & amat, ut in ea majori cum voluptate libidinem explere poſſit, quod vitium nimis quàm frequens fuit, & nunc eſt in pleriſque, qui nihil aliud ſibi proponunt. A quo vitio alieniſſimum fuiſſe Jacobum, ſatis liquet ex tam diuturni temporis continentia, & futura etiam illa ad quam ſeptennium integrum ſe obligat. Qui enim præceps in libidinem fuiſſet, nunquam fuiſſet paſſus tantam ſibi dilationem imponi, nedum ut ſuſcepiſſet ultro. Satis igitur purgant ab hoc vitio ſanctum virum exploratiſſimi mores contrarii. Secundò, non probantur qui pulchritudinem in uxore ita quærunt, ut de moribus non ſint ſolliciti, præferuntque pulchram minus pulchræ, non expenſis aliis donis, quæ in eis poſſunt eſſe inæqualia. Itaque ſi Jacobus notas habuiſſet in Lea virtutes eminentes, ſupra ſororis ſuæ mores, vix excuſari poſſet ejus electio à præcipiti & immodico affectu. Sed cùm primo aſpectu quo eam vidit, animadvertiſſet in ea modeſtiam, comitatem & prudentiam, mirum videri non debet, ſi poſteà nihil mutarit; nam etſi nihil derogandum ſit Leæ virtutibus,

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Potuit ergo elegantia formæ, ſine ullo vitio, paribus cæteris, præferri; præſertim ubi agitur de honeſta & diuturna ſocietate, qualis eſt conjugalis, in qua non paucæ ſunt devorandæ moleſtiæ; libentius enim vivit cum pulchra uxore, ſi moribus ſit commodis & virtute prædita, maritus, qui cùm per ſe amabilem habeat uxorem, hac ratione ab omni mala concupiſcentia, alienæ retrahitur, ac jucundiorem cum ea ſocietatem fovet. Id etiam in aliis accidit, in quibus tamen formæ ratio non ita locum habere debet, ut corporis elegantia & venuſtas ſimpliciter conſideretur; ſed in dilectione filiorum, vel in electione amicorum ſummum pondus habet, ſaltem ut, etſi affectus feratur in plures, non tamen æquali gradu. Idem ferculum in patina eleganti & munda magis placet. Quæ diſcuntur, ſi non utilia ſolùm, ſed jucunda ſint, fortius adhærent. Sed præterea id notandum eſt, in conjugiis ineundis, etiam inter eos qui non præcipites ruunt, ſed maturo conſilio deliberant & prudenter ſe gerunt, eſſe naturalem quendam & ſecretum affectum, & velut συμπάθειαν, amorem illum conciliantem, quæ initio Jacobum movit, etiam priuſquam Leam vidiſſet; non enim dubitandum eſt, quin in primo cum Rachele colloquio, in ipſius corde facta fuerit impreſſio. Qui inductus eſt initio forma eleganti puellæ, ut eam uxorem ambiat, in eo non peccavit, ſi id non impediat, quominus ratione utatur magiſtra, & omnia expendat prudenter, poſſit etiam frænare appetituum inordinatos motus. Quod Jacobum feciſſe malo ſupponere, quàm in factum illius ſeverius inquirere.

Sed.

Sed illud in quæſtionem venit, cur cùm poſſet de alia mercede paciſci, & ambire cognatæ matrimonium alio titulo, id non potius fecerit, quàm ſibi in ea ætate injicere illum laqueum ſeptennii, præſertim cùm magis honorificum fuiſſet, tam ei, quàm puellæ, ſi eam accepiſſet tanquam ingenuus ingenuam. Non enim de nihilo eſt, quod cap. 31. ℣. 15. conqueruntur duæ ſorores de parente, *quod eas quaſi alienas reputaverit, & vendiderit, comederitque pretium earum.* Cùm Eliezer Abrahami ſervus petiit Rebecam pro Iſaaco, non legimus pretium aliquod fuiſſe numeratum, id tantùm quod munera dederit matri & fratribus, ſed honoraria, nihil enim fuit exactum. Hîc offertur à Jacobo ſervitus, & admittitur, imò poſteà exigitur pro uxore. Animadvertendum ergo, morem illum fuiſſe apud Orientales, ut ex utraque parte tam mariti, quàm uxoris dos aliqua numeraretur, & marito præſertim hoc fuiſſe impoſitum, cujus rei duo habemus clariſſima exempla; primum, infrà Geneſ. 34. ℣. 12. ubi parens Schemi Dinam uxorem petens filio ſuo, *Magnam valdè* (inquit) *imponite mihi dotem, & donum, & dabo prout indixeritis mihi.* Quod offert, fuit ex more, ſi rem ſpectemus; quod autem quantitatem ſpectat, fuit ex affectu. Alterum exemplum legitur 1. Sam. 18. ℣. 24. ubi cùm Saül conſentiret in ſponſalia Davidis cum filia ſua Michol, nunciant ei ſervi Saulis, Regem *non delectari dote, niſi centum præputiis Philiſtæorum.* In quam dotem etiam conſenſit David, qui poſteà, cùm eam ablatam repeteret ab Isboſetho, 2. Sam. 3. verſ. 14. dicebat, *Da uxorem meam Micolem, quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſtæorum.* Ex quibus apparet, parentibus fuiſſe datam dotem & munera à futuro marito, ſed viciſſim dabatur etiam dos marito à parentibus nomine puellæ; imò ex querela filiarum Labanis, dos data à marito, videtur debuiſſe ſervari uxori, alioqui non juſtè conquererentur de patre, quod pretium illud, quo velut coëmptæ fuerant, dilapidaſſet, aut in uſum ſuum convertiſſet. Hic mos contrahendi etiam apud Romanos in uſu fuit, qui *coëmptio* dicebatur, in qua ſe mutuò coëmebant maritus & uxor. Non tamen videtur eadem ratio exemplorum quæ adduximus; ubi, quicquid dicant uxores Jacobi poſteà, munus illud ſponſalitium dabatur parentibus, & in poteſtate parentum manebat, etſi dos vocaretur. Quid enim uxori Davidis, cum Philiſtæorum præputiis? Apud Romanos mutua fuit *coëmptio* inter maritum & uxorem, per quam alter in alterius bona & communionem omnium tranſibat: at inter Orientales, emebant ſibi uxores mariti, non contrà. Non erat tamen emptio propriè, quia non ſolvebatur juſtum pretium rei, ſed recognitio quædam, & velut honorarium dabatur. Itaque etſi non fuerit planè contra morem, ut Jacob aliquid obtulerit, & Laban acceperit; fuit tamen contra morem, imò contra jus & æquum, quod à conſanguineo, tum inope & exule, tot annorum ſit ſtipulatus ſervitium pro uxore. Quod ſi quis excipiat, volenti non fieri injuriam, & id obtuliſſe Jacobum, qui cùm exul & extorris munus non haberet quod daret, operam ſuam locavit ultrò, quam Laban accepit: Reſpondemus, illum abuti non debuiſſe affectu quo in Rachelem ducebatur Jacob, quam tanti faciebat, ut ſe ultrò ad duriora voluiſſet obligare; avari enim fuit hominis & iniqui, præſertim cùm agnoviſſet Jacobum eſſe carnem ſuam, id eſt, proximum ſibi eſſe conſanguineum, conditionem accipere, cùm voluntate & promptitudine contentus eſſe debuiſſet: nam ſi ex æquo & bono voluiſſet agere, potiùs reſpondiſſet, filiam meam, utpote tibi conſanguineam, uxorem dabo, propter jus neceſſitudinis noſtræ, & ut liberaliter tecum agam, ei dotem conſtituam, nec operæ tuæ mercede te privabo. Sed qui ſubdolè quærebat ſua, magis quàm amicorum commoda, ad id aptus non erat. Quod cùm jam cognoviſſet Jacob, tenaciorem nempè eſſe, tam longum ſervitutis tempus obtulit, ut voto ſuo potiretur.

Quamvis liberalis fuerit Jacobus in promittendo, & Laban in acceptando tam diuturno labore durus & avarus, non tamen ſibi ſatis cavit ſanctus vir, ne à vafro illo Euclione deciperetur. Dies pauci illi videbantur; quos impendebat pro Rachele: at parabatur ei fraus, qua ſpes ejus eluderetur. Verſ. 21. petit à Labane, ut quia tempus impletum erat, traderetur ei uxor, in finem prolis ex ea ſuſcipiendæ, quæ petitio ſimplicibus verbis & honeſtis enunciatur. Primùm, vocat *uxorem*, quam nondum duxerat, & quæ in poteſtatem ejus nondum venerat; uxorem igitur jure æſtimavit ſibi deſponſatam, cùm utrimque acceſſiſſet conſenſus. Unde etiam ſequitur, eam eſſe legitimam uxorem, quæ nondum in thalami communionem venit, non tantùm ſi per verba de præſenti, ut loquuntur, in matrimonium conſenſerit, ſed etiam ſi per verba de futuro, quæ ad propriè dicta ſponſalia pertinent; ſunt enim futurarum nuptiarum promiſſio, quia propriè non dantur ſponſalia de præſente, nec talia fuerunt ſponſalia Jacobi & Rachelis, cùm fuerint conditionata. Sed tamen impleta conditione, Jacobus credidit jus ſibi eſſe acquiſitum in conjugem, quam petit ſibi dari tanquam ſuam. Ex quibus Jacobi verbis nonnulli inferunt, eandem eſſe rationem ſponſaliorum, & conjugii conſummati, ſi ſpectemus firmitatem matrimonii, ita ut nulla ratione liceat dirimere aut diſſolvere ſponſalia, niſi eadem qua licet jam conſummata matrimonia dirimere. Quam ſententiam rigidam nimis eſſe, non immeritò plures judicant. Nam etſi neceſſaria ſit magna in ea re cautio, nec facilè ad diſſolutionem promiſſionum talium ſit veniendum; ſunt nihilominus aliæ cauſæ, præter eas quæ juſtum divortium inter conjugatos faciunt, propter quas diſſolutio ſponſaliorum, ubi nondum ſponſi convenerunt, permitti

permitti poteſt; ut varia crimina, & extrinſecorum quorundam accidentium alterutri parti ſupervenientium conſideratio, qualia ſunt, quæ in morbis incurabilibus, aut ſimilibus conſiſtunt, propter quæ tamen non dirimeretur matrimonium conſummatum. Ad argumentum autem quod ex verbis Jacobi ſumitur, *Da mihi uxorem meam*, paucis reſponderi poſſet, ſic vocari propter ſpem matrimonii paulò poſt futuri; *uxorem meam*, id eſt, quæ poſtquam mihi data fuerit, erit mihi uxor. Sed tamen fateor eſſe alia loca ex quibus deduci poteſt, quod non tantùm futuri ratione, ſed etiam ob præſentem ſtatum, deſponſata *uxor* appellatur, & quodam modo uxor habetur. Lex enim Deut. 22. ℣. 23. *Si quis ſponſam alterius violaverit, lapidibus obruetur*, ubi additur ratio, *quia humiliavit uxorem proximi ſui*, videtur nòn tantùm futurum reſpicere, ſed præſentem ſtatum, cujus ratione ſeverius animadvertitur in reum, quàm alioqui animadverſum fuiſſet, ſi liberam violaſſet. Et id quidem verum eſt; nihilominus agnoſcendum eſt, ſponſaliorum ſtatum eſſe medium inter liberos & conjunctos, & adhuc de utroque participare, ita ut & uxor dici poſſit ſponſa, & uxor negari. Quò refertur illud Tertul. de veland. virgin. cap. 6. *Deſponſata, quodammodo nupta, tamen inter quodammodo & verum, ſatis intereſt.* Qua ratione, non idem ſtatuendum eſt de ſponſaliorum diſſolutione, & conſumati matrimonii.

Moſes non exprimit Labani reſponſum, ſed ex apparatu qui deſcribitur, verſ. 22. non dubium eſt, quin ex voto Jacobi reſponderit; & Rachelem ita promiſerit, ut primo convivii die, quo tradi debebat ſponſo, illa ſponſæ locum tenuerit, & pro more nuptialibus veſtibus ornata fuerit. Alioqui non ita facta fuiſſet fraus Jacobo, ſi de die Lea fuiſſet producta tanquam ſponſa. Quod ſi ita ſit, dubitari poteſt, an Rachel conſenſerit in fraudem patris & ſororis, & ultrò locum ſuum cedere voluerit Leæ. Ego non dubitarem, quin illa ſeriò crediderit rem agi, & putaverit ſe dandam uxorem Jacobo. Interceſſiſſe enim, & conciliatam eſſe inter illos amicitiam toto illo ſeptennio credere par eſt. Itaque eam etiam fuiſſe deluſam, & ſub veſperam aliò abductam, ubi etſi fraudem ſuboluiſſet, non auſa tamen fuiſſet, vel de ea conqueri, vel eam detegere, ex verecundia virginali. Ex more fuit, quod Laban inſtituit convivium nuptiale, quod משתה *miſcthah*, apud Ebræos à potu dicitur, ut συμπόσιον apud Græcos, quod in conviviis ad exhilarationem largius biberetur; ſed quod homo alioquin avarus, ad convivium vocaverit את-כל-אנשי המקם *eth col anſche hammakom*, omnes viros loci, id mirum videri poſſet. Itaque non videtur abſonum, quod nónnulli exiſtimant, plures voluiſſe rei teſtes adhibere, ne fucus & fraus quam parabat, à Jacobo animadverſa, locum daret retractationi, cùm videret ſe externum & ſolum, cogi poſſe à tanta multitudine ad ratihabitionem ſubreptitii conjugii.

EXERCITATIO CXXVII.

Noctis tenebris & velo obducto illuſum fuiſſe Iacobo. Ejus expoſtulatio. Fraudulentum Labani reſponſum. An conſuetudo qua ſe defendit, fuerit neceſſaria? Negatur. Labanum graviſſimè peccaſſe, nec Leam excuſari poſſe. Excuſatur & defenditur Iacob ab imprudentia. Item à ſtupro. Implere hebdomadam hujus, *ad quam referri debeat, & quo ſenſu? An expectaverit Iacob aliam annorum hebdomadem priuſquam Rachelem duceret? Negatur. Multiplex injuſtitia Labani, malè à Ioſepho hiſtorico laudati. An ex conſcientia Leam retinere debuerit Iacob? An peccarit retinendo? Excuſatur. Etiam in eo quod duas ſorores duxit. Defenditur contra calumnias Fauſti Manichæi. Diſcutitur argumentum Bellarmini negantis affinitatis & conſanguinitatis gradus in Levit. prohibitos eſſe juris naturalis. An peccaverint Reges pii qui excelſa non abſtulerunt? Quomodo exoſa fuerit Lea. Regula notanda.* עקרה akarah, *quid ſignificet. Fœcunditas Dei donum. Cur Lea filiis ſuis nomina impoſuerit?* Humilitas *aliquando pro conditione, non pro virtute. Exponitur dictum B. Mariæ, Luc.* 1. Reſpexit ταπείνωσιν ancillæ ſuæ. *Refutatur Cottonus.* Reſpicere afflictionem *quid? Reſpectus Dei triplex ex Auguſtino.*

SEquentibus verſibus à 23. uſque ad 26. recitat Moſes fraudem Labanis, & Leæ ſuppoſitionem; querelam Jacobi poſt rem agnitam, & Labanis reſponſum ad fraudem excuſandam. Acceptam Leam ſub veſperam introducit in Jacobi thalamum; eâ Jacobus tanquam uxore uſus eſt, nec in tenebris eam à Rachele diſcrevit. Unde manifeſtum eſt, ita ad Jacobum eſſe deductam, ut eam videre non potuerit, ſive quod in tenebris id factum ſit, ſive quod obvelata facie fuerit, ſive utrumque. Nam olim etiam apud Romanos hic mos erat, ut ſub noctem ſponſæ in ædes viri deducerentur, idque velata facie, unde nuptiarum nomen ab obnubendo dictum eſt, id eſt, tegendo vel velando. Ita conſultum fuit virginum pudicitiæ, ne pudore nimio ſuffunderentur. Hinc eſt quod apud Græcos, poſterus à nuptiis dies,

 ἀνακα-

ἀνακαλυπτηρίων dicebatur, quia tum peplum quo obnubebatur ſponſa, eximebatur. Niſi tale quid in uſu fuiſſet apud Aramæos, non ita commodè potuiſſet Laban Jacobum fallere.

Manè facto, inquit Moſes, והנה הוא לא *vehinneh hi Leah*, & ecce ipſa Lea. An non antea fuerat tota nocte? Non certè Jacobo, qui aliam eſſe putabat, cujus reſpectu dicitur quod manè fuit Lea. Tunc enim agnovit aliam eſſe, quàm exiſtimaverat, & uſus expoſtulatione cum fraudulento ſocero, in qua pacti conditionem repetit, eumque, etſi tectè & modeſtè, perfidiæ inſimulat; nam cùm à parte ſua fideli & aſſiduo ſervitio pacti conditionem præſtitiſſet, ſub ſpe Rachelis ducendæ, alia ſubſtituitur, in quam non conſenſerat; non dubitandum eſt, quin pii & candidi viri animus miris modis fuerit agitatus. Videbat ſe fruſtratum ſpe; cognatam virginem amiſſa pudicitia, à ſe, etſi rei ignaro, in eo ſtatu poſitam eſſe, in quo nec eſſet vera & legitima uxor, nec alterius nuptias poterat expectare. Dilectam ſuam Rachelem, alteri fortaſſe ſervari, & ita labores ſuos fruſtra exantlatos conquerebatur. Ad hæc quid Labanus? Primò, defendit ſe loci conſuetudine, *non eſſe moris, ut juniores ante traderentur ad nuptias*; igitur noluiſſe contra mores facere; tacitè etiam Jacobum inſimulans, quod adverſus honeſtam conſuetudinem peccare voluerit, & parum civiliter ſe geſſerit in ſua petitione. Sed id debuit tum primum Jacobo objicere, cum de ea re actum eſt. Tunc non exceperat conſuetudinem, ut illum illaquearet.

Hic ſi omnium partium actiones ad æquam lancem ponderentur, nihil eſt hucuſque in Jacobi factis aut dictis, quod culpari debeat. Potuit ille puellam ambire nubilem ſibi non inæqualem, prætерita ſorore, etſi natu majore. Etſi enim, non ſolum tunc, & apud tales, hæc fuerit conſuetudo ut plurimum, ſed etiamnum perduret, ex communi naturæ velut dictamine, niſi tamen Jacobus noviſſet ſæpè aliter factum fuiſſe, & conſuetudinem referri ad id quod fit ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, nunquam id auſus fuiſſet petere. Nec etiam neceſſarium eſt ut ita fiat. Cum enim conſenſus in matrimonio requiratur, & res ſit voluntaria, non eſt æquum, ut unius libertas ab alia ita pendeat, ut non poſſit, ubi ſe commoda offert occaſio, ſibi providere & proſpicere, quia alia quę major eſt, vel nō poteſt, vel non vult. Igitur conſuetudo illa obſervanda eſt, quantū fieri poteſt. Sed talis occaſio occurrere poterit, in qua ejus non eſt habenda ratio. Non igitur peccavit Jacob petendo; ſed peccavit Laban promittendo, ſi verū eſſet id fieri non potuiſſe per loci conſuetudinē; ſi contrà nihil erat quod impediret, peccavit graviſſimè, quod debitam mercedem intervertit.

Sed alia ſunt etiam quibus peccatum Labanis exaggeratur, quia præter perfidiam, proſtituit filiam ſuam alieno viro, inducitque ut ſtuprum pateretur ab eo qui maritus non erat; eamque in periculum adduxit opprobrii perpetui. Injuſtè etiam privavit aliam filiam ſuo marito, poſtquàm eam in ſcenam produxiſſet. Jacobum etiam ignorantem ad ſtuprum induxit quantùm in ipſo fuit, & in tota hac actione lenoniam exercuit, imò ad inceſtum filiam provocavit, dum eam ſuppoſuit ſororis ſuæ marito, ita ut fieret uxoris pellex. In his omnibus ſi graviſſimè peccavit pater, non poteſt excuſari Lea, quæ ſuſtinuit ad Jacobum ingredi cujus ſe noverat non eſſe uxorem; Poteſt quidem illud factum utcumque excuſari *à tanto*, ut loquuntur, quia id fecit ex patris mandato, cui obſequendum etiam in ea re eſſe putavit; ſpe etiam aliqua inducta ſe poſſe poſt factum Jacobum flectere, ut eam ſibi uxorem ſervaret. Sed parentibus in re inhoneſta non eſt obtemperandum; nec ut bonum eveniat, faciendum eſt malum; proinde non poteſt excuſari à toto.

Sed mirantur nonnulli & quærunt, quî fieri poſſit ut Jacobus ita falli potuerit, ut tota illa nocte in errore illo verſatus ſit, ſine ulla ſuſpicione fraudis. Ebræi, qui nihil non fingunt, volunt Rachelem, cum videret hunc patri eſſe animum, ut ſororem ſuam traderet Jacobo, eo fuiſſe adductam, ut ſigna quæ ab eo acceperat daret ſorori, ut ita minus ſubolеret Jacob, quid moliti eſſent. Scilicet, non ſatis eſt ſi Laban filiam proſtituerit, niſi in lenocinii partem vocarent etiam Rachelem. Quidam ex noſtris, quibus meritò non placet commentum, negligentiæ culpa omnino non vacare Jacobum exiſtimant, qui circumſpectius thorum maritalem curare & adire debuit. At, judicio meo, circumſpectè minus in eo agunt. Quomodo enim potuit in tenebris diſcernere unam ſororem ab alia? Certè nullum potuit aliud indicium habere quam ex ſermone. Quid ſi illa à patre edocta ſiluit? Id autem potuit Jacobus tribuere verecundiæ. Quid ſi voce non fuerint abſimiles inter ſe ſorores? Quid ſi ſubmiſſe admodum loquuta ſit, ita ut facilè eluſerit ejus auditum? Addo etiam illud, eo magis ſimplicitatis antiquæ virum patuiſſe fraudi, quod nihil tale potuit aut debuit ſuſpicari; id enim planè inſuetum erat, nec aliud poteſt dari ſimile exemplum. Itaque nihil eum egiſſe contra prudentiam cenſemus, ſed quo minus ſuſpicax fuit, eo magis perfidia & fraus Labanis in culpa eſt. Jacob autem hactenus à ſtupro & adulterio planè excuſatur, qui affectu maritali aliam cognovit pro ſua.

In ſequentibus major difficultas eſt circa Jacobum & ejus facta. verſ. 27. Laban ut eum placaret, ſimulque matrimonium inter eum & Leam confirmaret, ac ſervitutem ejus produceret in aliud ſeptennium, promittit ſe ei daturum Rachelem, poſtquàm impleverit hebdomadem Leæ, ea tamen lege, ut aliis ſeptem annis ei ſerviat. Acquieviſſe Jacobum, & duxiſſe etiam Rachelem, addit verſ. 28. An Laban tale conſilium inierit ab initio, vel ex occaſione id ſumpſerit, vix poteſt certo affirmari. Illud certum eſt, hoc habuiſſe in animo, ut diutius ſecum retineret virum, ex quo lucrum & utilitatem captabat. Et probabile eſt metuiſſe ne poſt Rachelis

chelis nuptias in patriam rediret, ſi uxorem dilectam ei primùm concederet. Speraſſe autem, ſi nocte nuptiali attigiſſet Leam, retinendam ei eſſe, quacumque ratione, tum quod ab eo cognita fuiſſet, tum quod nuptiæ tanto cum apparatu fuiſſent celebratæ; & quia impenſe amabat Rachelem, putavit ſe in ea habere retinaculum, quo diutiùs ejus laboribus frueretur; nec caruit conſilium ſuo eventu, ſic Deo permittente, cujus etiam ſingularis providentia & ſapientiſſima, in hominum perverſis conſiliis elucet. Etſi enim hæc à Deo non probentur, quæ contra fidem & honeſtatem fiunt, paravit tamen hac ratione Deus viam, ad πολυτεκνίαν illam in domo Jacobi, qua populi illius numeroſi anteà promiſſi, initia dedit, ex quibus de progreſſu judicium fieri potuit, & indicium ſumi.

Imple, inquit, *hebdomadam hujus* מלא שבע זאת *melá ſchebuaá zot.* Hæc verba ambigua ſunt tam in textu Ebræo quam in Græco, Συντέλεσον οὖν τὰ ἕβδομα ταύτης. Referri enim poteſt pronomen, tam ad Rachelem, quam ad Leam. Ad Rachelem ſi pro hebdomade annorum hoc accipiatur; ad Leam ſi pro hebdomade dierum. Ut omnem tolleret ambiguitatem, autor vulgatæ ſic paraphraſticè hunc locum expoſuit. *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ*, nempe cum Lea; hoc eſt, tranſeant ſeptem dies feſti iſtius Leæ. Hieronymus in quæſtionibus ſuis Ebraicis ita intellexit. *Poſtquàm* (ait) *Leam Iacob fraude deceptus, pro Rachel uxorem acceperat; dicitur ei à ſocero Laban, ut ſeptem dies poſt nuptias ſororis prioris expleat; & ſic accipiat Rachel, pro qua iterum ſeptem annis aliis ſerviturus ſit. Non igitur, ut quidam malè exiſtimant, poſt ſeptem annos alios, Rachel accepit uxorem; ſed poſt ſeptem dies nuptiarum uxoris primæ.* Hieronymi ſententia confirmatur ex eo, quod hebdomadum annorum mentio non fit, niſi in ſcriptis propheticis de rebus futuris, non autem in hiſtoricis, & ubi de contractibus agitur. Deinde ex Judic. cap. 14. colligitur, hunc morem fuiſſe uſitatum, ut per ſeptem dies agitaretur convivium & ſolemnitas nuptiarum. Denique hac ratione homo vafer voluit Jacobum ligare, & confirmare matrimonium quod ſciebat ex jure non valere, niſi poſteà accedente conſenſu, poſt errorem agnitum. Vult ergo, ut Jacob jam ſeriò uxorem agnoſcat Leam, & nuptiarum ſolemnia cum ea peragat.

Contraria ſententia fundamentum fuit eorum qui Rachelem ductam putant, non ante completum ſeptennium ſecundum; quam ſequutus eſt olim Joſephus, & poſt Joſephum Chryſoſtomus. Alii quidam hoc tempore, inter quos Calvinus, & poſt eum Mercerus; exiſtimant, non tamdiu diſtuliſſe Labanum ut Rachelem daret Jacobo, qui tamen *ſeptimanam*, pro ſeptem annis interpretantur. Viderunt enim ex Chronologia ætatis filiorum Jacobi, non potuiſſe tam longum interſtitium poni, inter duarum ſororum conjugium. Cum enim ex cap. xxx infra, conſtet Joſephum natum eſſe anno decimoquarto paternæ ſervitutis, quia poſt natum Joſephum adhuc ſervivit ſex annos; commorationis autem in Meſopotamia totum tempus fuit annorum viginti. Rem etiam eſſe extra controverſiam, Rachelem non peperiſſe Joſephum niſi diu poſtquàm in matrimonio fuerat. Non eſt enim credibile eam in ancilla quæſiviſſe ſemen, niſi poſtquam diutino tempore interpoſito experta erat ſuam ſterilitatem. Cum autem ex ancilla nati fuerint duo liberi ante Joſephum, viderunt ſequi neceſſario, ante illud ſeptennium ſervitutis ſecundæ exactum, hæc omnia eveniſſe; proinde paulo poſt Leam, Rachelem fuiſſe traditam Jacobo. Itaque ſubſiſtere non poſſunt quæ Joſephus narrat, præſertim cum dicit, *exacto altero ſeptennio* ductam fuiſſe Rachelem. Paraphraſim ergo vulgatæ editionis maximè probamus, cui cum Tremel. Junio, Vatablo & aliis, concinit Gallica verſio, & Italica Joan. Diodati, quæ omnes referunt ſeptimanam ad nuptiarum celebritatem, ut ita confirmaretur conjugium cum Lea.

Multiplicantur autem hic injuriæ & injuſtitiæ Labani in Jacobum. 1. Quia cogit eam uxorem accipere, quæ obtruſa fuerat, & non obſtante errore perſonæ, adigit eum ad ratihabitionem ingrati matrimonii. 2. Quod etſi pro Rachele ſerviiſſet, quam jure acquiſiverat, rurſum illi imponit onus ſerviendi, facitque ut Jacobus non ſolum Leam quæ non placebat retineat, ſed etiam ut ſeptem annorum ſervitium pro ea dederit, de qua ne quidem cogitaverat. Itaque qui debuiſſet ob factam fraudem Jacobum compenſare, & honeſta dote animum ejus demulcere, ut ſaltem aliquo levamento allato, Leam minori cum moleſtia retineret, etiam onus aggravat, & mulctatur ille, cui injuria facta eſt. Qua in re admiranda fuit Jacobi patientia, & ſimplicitas. Horum omnium cauſa fuit, radix omnium malorum avaritia. Itaque, non poſſum ſatis mirari, quid Joſepho hiſtorico in mentem venerit, homini præſertim Judæo, qui tantam patri gentis ſuæ illatam à Syro Labane injuriam, non ſolum verbis non exaggerat; ſed etiam optimum virum Jacobum inſimulat, *quod vino & tenebris fallentibus cum Lea congreſſus fuerit.* Introducitque Labanum paciſcentem initio cum Jacobo de ſeptem annis, non ex avaritia, ſed ex prudentia, *ut dato virtutis ſpecimine magis cognoſceretur quinam vir eſſet.* At quinam vir fuerit Labanus in tali conſilio, oſtendit iterata pactio in aliud ſeptennium. Ut non immeritò putaverint quidam לבן *Laban*, candidum per antiphraſim dictum, quod ab omni candore deſtitueretur; vel quod extrinſecus fuerit dealbatus, alioquin hypocrita fraudulentus, quod res indicavit.

Sed accedamus ad difficultates in facto Jacobi expendendas, de quo verſ. 28. ויעש יעקב כן *vajaas Iaakob ken*, & fecit Jacob ſic, id eſt, quemadmodum impoſitum ei fuit à Labano; conſenſit nempe in conjugium

Leæ, duxitque nihilominus Rachelem, ſub obligatione ſervitii ſeptem annorum. Duæ fuerunt cauſæ quæ optimum virum induxerunt, ut Labano obtemperaret; quarum prima fuit metus; cùm enim in Meſopotamia ſolus eſſet in avunculi poteſtate, qui amicis & clientelis plus valebat, videbat ſe vix evadere poſſe, niſi ſe ejus voluntati ſubmitteret in Lea ducenda. Addi potuit conſideratio ablati pudoris in cognata, etſi non ſine ejus culpa, quæ fraudi conſenſerat. Ille tamen cùm apud ſe cogitaret, à ſe fuiſſe defloratam, & fortè gravidam factam, adductus fuit ad eam retinendam; ſed præcipuam rationem fuiſſe puto, quod ea lege promitteretur ipſi Rachel, in quam ferebatur affectu non vulgari. Quod ſi quis quærat, an debuerit ex conſcientia retinere Leam, & eam uxorem accipere? Certum eſt, ad id nullo jure potuiſſe cogi; quia non intervenerat conſenſus, quem error in perſona excludit, & per conſequens excludit matrimonium. Ergo ſi eam rejeciſſet, non peccaſſet adverſus divinas vel etiam humanas leges, nec id potuiſſet Laban ab eo ex jure exigere. In hac igitur quæſtionis parte, vix eſt aliqua controverſia. Alia ſupereſt, an peccaverit eam retinendo; vel ut de actione non loquamur, quia etiam aliàs licita actio poteſt vitiari per circumſtantias; an aliqua ratione id facere potuerit, nempè in Lea tanquam uxore acquieſcere ſine peccato? Negant viri docti, & apertè pronunciant, peccaſſe retinendo Leam, nec potuiſſe retinere cenſent, poſt ſororem deſponſatam. Facilis eſſet reſolutio, ſi quæreretur ſimpliciter, an qui erravit in perſona, poſteà errore agnito, poſſit contrahere cum ea ſine peccato. Hoc enim extra dubium eſt, errore nempè perſeverante, conjugium fuiſſe nullum; ſed conſenſu ſuperveniente, factum fuiſſe legitimum. Hîc circumſtantia perſonarum & præcedentium actuum, difficultatem auget. Contraxerat Jacob cum Rachele, nec erat ei animus, cùm ſororem ejus retinebat, prius illud pactum reſcindere. Cùm ergo maneret conſenſus in Rachelem, & conjugalis affectus, liber non erat, ut cum alia matrimonium iniret, niſi id licuerit per polygamiam, de qua anteà pluribus à nobis dictum eſt in caput quartum, ubi actum fuit de primo polygamo, & ea occcaſione de polygamia Patrum, Exercitatione XXVI. ubi inclinavimus in ſententiam eorum, qui polygamiæ conſuetudinem ſub veteri Teſtamento, inter ſanctos illos Patres, peccati rationem non habuiſſe putant, etſi ſub novo Teſtamento expreſsè fuerit prohibita. Non quidem quod ab initio regula communis non fuerit, de duobus in una carne; ſed quæ tamen exceptionem habuerit ad tempus in populo Dei, per divinam diſpenſationem, quod ideò concedendum judicavimus, quia alioqui non poſſent ſanctiſſimi Patres à graviſſimo peccato excuſari; in quo quia ad finem uſque perſeverarunt ſine pœnitentia, non video quomodo pro ſanctis haberi poſſent, niſi eos Deus abſolviſſet à communis legis ſententia, ſublata obligatione ejus, quantùm quidem eos ſpectabat. Quo poſito, poteſt etiam excuſari polygamia Jacobi; nec ejus ſanctitati derogabit, quod plurium uxorum factus eſt maritus, non ut libidinem expleret, ſed ut in ætate jam provecta, ad quam non pervenerat cœlebs ſine continentiæ teſtimonio, liberis ita operam daret, ut tempore quod ipſi ſupererat, familia ejus multiplicaretur abundè.

Sed alius ſupereſt ſcrupulus de duabus ſororibus, quas ſimul in eundem thalamum induxit, quæ res adverſatur legi Dei poſteà in populo Iſraëlis promulgatæ, & inter ea acta ponitur, ob quæ gentes ejecit à facie ſua. Gradus enim affinitatis inter levirum & fratriam prohibetur, Levit. 18. ℣. 16. & 20. ℣. 21. ex analogia idem colligitur de ſorore uxoris. Quamvis autem Lex Levitici fuerit poſitiva divina, data huic populo; colligitur nihilominus fundamentum ejus commune fuiſſe & naturale, itaque tales leges etiam gentes obligaſſe. Si gentes Cananæas, ergo non dubitandum eſt, quin lex fuerit perpetua & univerſalis poſt conſtitutam ſemel naturam & familias propagatas. Aliam rationem fuiſſe diximus primæ familiarum conſtitutionis; tunc enim lex neceſſitatis ſorores fratribus conjunxit ſine peccati labe. Sed non eadem eſt ratio temporis Jacobi, unde eſt quod plerique doctiſſimorum interpretum, factum hoc illius à peccato & labe non eximunt; excuſari quidem volunt à tanto, quia neceſſitate compulſus id fecit; non autem à toto, quia talis non erat neceſſitas, quæ à Deo imponeretur, qualis illa de prima generis humani propagatione. Ideò notant, talia facta Patrum imitanda non eſſe, nec in conſequentiam trahenda. In moribus ſequendos eſſe, non in factis ſingularibus, in quibus ob inſignem fidem tolerati ſunt. Et hoc quidem, ut prudenter dictum eſſe fateor, ſic tamen difficultatem omnem non exhauriri ſentio; quia neque videtur res illa tum fuiſſe publici moris, neque ſi fuiſſet inter nationes profanas, à ſanctis imitari debuiſſet ſine graviori peccato. Quamvis autem nolim tales ἀναμαρτήτους facere, quos etiam obnoxios fuiſſe infirmitatibus humanis exempla probant, & ipſi agnoverunt; durum nihilominus eſſet, ſi cogeremur dicere eos in gravi crimine, quale eſt inceſtus crimen, perſeveraſſe, nec à Deo propterea fuiſſe reprehenſos, nec illos facti pœnituiſſe, quod nuper etiam de eorum polygamia dicebamus. Fateor eos, qui tales eorum actiones tanquam graviſſima peccata exaggerant, ex lege communi agere, & cavere velle, ne eorum exemplo excuſent peccata ſua, qui hoc tempore legis repagulis non tenentur; ſed hîc malim cum Luthero in hunc locum reſpondere, *alia eſſe exempla heroica, alia moralia; leges & mores ſimpliciter eſſe ſervandos, nec ferendam ullam tranſgreſſionem, ne fiat confuſio. Heroica eſſe exempla, quæ cum legibus non congruunt. Sæpè enim virum heroicum, quem Deus ſingulari*

gulari numine afflavit, perrumpere & frangere regulam, ſed poſt ſe exemplum non relinquere. Moralia, leges, & jura eſſe ſervanda, & exempla ſequenda, ſed in heroicis nullam eſſe conſequentiam, nullumque exemplum valere, ſi non ſit per omnia ſimile. In eandem ſententiam inclinat Petrus Martyr in hunc locum, cum quo tamen non conſentio, *fuiſſe eo tempore hujuſmodi rem liberam & ἀδιάφορον*, quod verum non eſſe puto, ideò opus fuiſſe peculiari aliquo privilegio & exemptione à communi lege, cujus ſancti illi viri ſibi conſcii fuerunt ex ſingulari revelatione divina, quæ cauſa fuit, cur tranquilla cum conſcientia in hujuſmodi conjugiis vixerint. Sed id cum Martyre urgeo, hinc non licere petulantiam aut libidinem Jacobo impingere, cùm ipſe unam duntaxat petiiſſet, atque in unam conſenſiſſet, habuiſſe autem duas, quia ſoceri improbitate altera fuit obtruſa. De aliis duabus additis, poſteà dicetur. Suppetunt abundè argumenta ex reliqua vita & moribus Jacobi, quibus defendi poteſt adverſus Manichæi Fauſti calumnias, quaſi libidinis implendæ ſtudio, conſenſiſſet in polygamiam cum duabus ſororibus; tot annos natus cœlebs vixerat, nec unquam intemperantiæ fuit in Scriptura inſimulatus; unde ſatis patet, non eſſe eum inſimulandum flagitii; ſed neceſſitatis telum eum adegit, cui adjungi poteſt mira in Patribus illis ad liberos procreandos propenſio. Quicquid ſit, cùm Jacob fuerit vir ſanctus, habuerit promiſſionem ſpecialis curæ & providentiæ divinæ in ſua peregrinatione; ſemper aliàs præ ſe tulerit pietatis in Deum, & charitatis in proximum non vulgare ſtudium, etſi non ſuppeterent rationes quibus conciliare poſſemus hæc extraordinaria cum teſtimoniis fidei & pietatis, quæ ei in Scriptura tribuuntur; hoc nobis ſufficere debet, impoſſibile fuiſſe Jacobum placere Deo, & fœdis ac apud Deum deteſtandis nuptiis ita implicari, ut ſine ulla pœnitentia, in re mala perſeveraret. Neceſſariò ergo ſentiendum, Deum extra ordinem communem, cum eo diſpenſaſſe, ut diximus, & Jacobum in conſcientia certum fuiſſe, ſe in eo ſtatu non diſplicere Deo.

Quo poſito, facilè reſponderi poterit argumento Bellarm. qui in lib. de Matrim. cap. 17. probare conatur, gradus cognationis & affinitatis prohibitos in Levitico, non pertinere ad commne jus naturæ, aut ad legem divinam, ad quam omnes obligantur, ut Pontificis ſui poteſtatem extendat in diſpenſationibus, quaſi primus gradus affinitatis in linea tranſverſa non ſit jure divino prohibitus, ſed tantùm humano poſitivo; ut inde evincat ſuum Pontificem ex plenitudine poteſtatis quam obtinet, poſſe in his & ſimilibus gradibus in Chriſtianiſmo diſpenſare. Sed falſum eſt ejus fundamentum, nempè quod hoc tempore apud Chriſtianos ſola lex Eccleſiaſtica poſitiva id impediat. Nam etſi lex quæ Levitici 18. & 20. ſcribitur, ratione ſingularis illius circumſtantiæ, data fuerit Iſraëlitis; fundamentum ejus nihilominus eſſe à natura, apertè evincunt rationes ſubjectæ. Objicit ille nuptias Jacobi cum duabus ſororibus. Reſpondent noſtri, vel graviter peccaſſe Jacobum, proinde falſam eſſe adverſariorum conſequentiam; vel ſi non peccaverit retinendo Leam cum Rachele, id factum fuiſſe, quia diſpenſatione divina particulari exemptus fuit à lege communi. Contra reſponſionem eorum qui Jacobum peccaſſe dicunt, opponit quod anteà propoſuimus argumentum; potuiſſe quidem Patriarchas, ut homines, aliquando peccare, tamen perpetuò in peccato manere, non eſſe ſanctorum & amicorum Dei. quod argumentum apud me plurimum valet. Scio quidem quid alii reſpondeant, verum non eſſe, amicos Dei receſſiſſe ab omnibus peccatis, & nonnullos Judæorum Reges ita laudari, ut qui *cor integrum habuerint coram Domino*, de quibus tamen additur, quod *excelſa non abſtulerint*, quod notatum non fuiſſet, niſi fuiſſet peccatum, ut in Aſa & Joſaphato. Sed non eadem eſt ratio. Quia id non eis objicitur tanquam peccatum perſonale, ſed tanquam poteſtatis defectus in adminiſtratione regni, in qua ſæpè virtus eſt, minus malum tolerare, ut majus planè tollatur. Excelſa enim illa, etſi non placerent Deo poſt conſtitutam tabernaculi ſedem, tamen ad Deos alienos colendos non erigebantur, ſed ad cultum Dei veri. Fateor fuiſſe ἐθελοθρησκείαν, ſed abolita fuerat idololatria; aliud malum minus tolerabatur, quia non uno momento omne malum potuit aboleri: tamen pios illos Reges adoraſſe in excelſis illis non dicitur, vel ſibi in eis placuiſſe, aut non diſplicuiſſe quod adhuc ſtarent. At in facto Jacobi ſi fuit inceſtus contra naturæ legem, ſine exemptione fuit peccatum perſonale, in quo Jacobus perſeveravit ſine ullo ſenſu, contra conſcientiam ſe facere, cùm tamen eſſet grande peccatum, ſi in eo peccavit. Exiſtimo igitur dicendum eſſe, ut ſuprà monuimus, conſcientiam Jacobi duas illas ſorores in eodem thalamo retinentis acquieviſſe in diſpenſatione divina, quam planè neceſſariam fuiſſe cenſemus ex prædictis. Negat Bellarminus opus fuiſſe diſpenſatione, nulla tamen exiſtente contraria lege; id eſt, ſupponit quod eſt in quæſtione. Ratio quam adfert non valet; quia, inquit, ſatis apparet ex verſ. 28. fuiſſe conſuetudinem loci, ut duæ ſorores ſimul jungerentur uni viro. Nam quod Labanus dicit de loci conſuetudine, non refertur ad duas ſorores uni viro dandas, ſed ad non collocandam minorem ante majorem, quæ conſuetudo ferè ubique obtinet. Deinde, omnes conſuetudines non ſunt probandæ, ſunt enim multæ variis in locis vitioſæ. Quod autem acquievit Jacob, id factum eſſe cenſemus, quia Deus ei ſignificavit, ſe cum eo diſpenſare, ut in hac neceſſitate ſibi impoſita, non teneretur lege communi. Vel ſi concederemus Jacobum initio quidem conſenſiſſe, vel metu adactum, vel Rachelis amore adductum, non

expenſa tum facti illius difficultate, proinde ex incogitantia initio peccaſſe; tamen ne in peccato perſeveraret poſteà, Deum ratum habuiſſe, quod initio non valuerat, ut tractu temporis, adhibita hac Dei conceſſione, convaleſceret; neque enim laboramus, ut Jacobum ab omni peccato eximamus, ſed tantùm à perſeverantia in peccato, & impœnitentia, quæ planè aliena eſt ab amicis Dei. Hæc eſt juſta cauſa, cur diſpenſatione opus fuerit, & cur eam ponimus, ut poſſint conſiſtere alia quæ Jacobo in Scriptura tribuuntur, cùm tali matrimonio.

Quamvis autem ſuis ita indulſerit Deus, ſequentia tamen indicant, talia conjugia cum gravibus incommodis fuiſſe conjuncta. Difficile eſt amorem ita æqualiter partiri inter plures, ut una aliis non præferatur, imò planè impoſſibile eſt homini. In hoc præſertim conjugio, in quo Jacob fuerat in una circumventus, cùm alteram ab initio dilexiſſet. Hinc igitur factum eſt, ut poſt adeptam Rachelem, eam impenſius dilexerit, idque מלאה *milleah*, præ Lea ſorore, quod ſic expreſſit Vulgata, verſ. 30. *Amorem ſequentis priori prætulit*. Quod autem habetur in Ebræo, ויבא גם אל רחל *vajabo gam el Rachel*, & *ingreſſus eſt etiam ad Rachelem*, ſic honeſtis verbis effert, manente ſenſu, *tandemque potitus optatis nuptiis*. Sequenti verſu dicit, Deum vidiſſe כי שנואה *ki ſenuah* Lea, quod exoſa eſſet. Vulgata, quod *deſpiceret* Leam. שנא *ſane*, unde participium fœmininum שנואה *ſenuah*, ſignificat odio habere, aut contemnere, vel negligere. LXX. hîc & ubique per verbum *μισέω* interpretantur; quod ſi abſolutè intelligeretur, non poſſet à culpa excuſari Jacobus. Sed ex præcedentibus apparet, comparatè accipi debere, idque pro minori amore: quemadmodum etiam notavit Kimki, hîc non ſignificare odium, ſed amorem quendam remiſſiorem. Regula eſt quæ in Scripturis interpretandis locum habet, ut *quæ in aliquo ſunt excellentiori modo, de alio negentur, vel etiam contrarium ei tribuatur*. Sed id ſemper intelligendum comparatè, non abſolutè. Sic anteà audivimus, Iſaacum dilexiſſe Eſauum, Rebecam Jacobum, idque ita dicitur quaſi Iſaac non dilexiſſet Jacobum, nec Rebeca Eſauum; quod tamen verum non eſſet abſolutè ſumptum, nam utriuſque curam uterque gerebat, ſed impari affectu. Hoc poſito, ſi quis quærat, an nullum fuerit in hac amoris inæqualitate peccatum in Jacobo; puto reſponderi poſſe, id peccatum per ſe non eſſe, præſertim ubi in ipſo objecto eſt inæqualitas. Tamen proclive eſſe in ea re peccare, & affectu duci culpabili, cùm non omnes dilectionis cauſæ æqua lance ponderantur, & cæco ducimur affectu. Eſt tamen quiddam quod amorem vel conciliat, vel illum auget aliquando, quod à ratione non pendet; itaq; difficile eſt judicium, quando id ponendum eſt in vitio, niſi cùm inde in alium ſequitur aliqua injuſtitia, Videtur certè Jacobus in officiis maritalibus nimis ſecutus oculos ſuos, minoriſque feciſſe Leam quàm decebat.

Hinc eſt quod Deus ex miſericordia temperamentum attulit tribus conjunctis utiliſſimum. Jacob minus amabat Leam, & præ Rachele contemnebat; Rachel ob formæ elegantiam viro placuerat; Lea nihil adhuc videbatur habere, in quo ſorori eſſet præferenda. At Deus [verſ. 31.] *videns quod exoſa eſſet Lea, aperuit matricem ejus; Rachel autem erat ſterilis*. Jacobus nihil magis in votis habebat, quàm ut ex conjugio ſuo prolis benedictionem auferret. Si Rachel ſimul cum elegantia, donata fuiſſet fœcunditate, periculum erat, ne Jacobus modum non teneret in amore, ne etiam illa nimis ſe efferret, & Leæ duplicaretur afflictio. His omnibus periculis divina providentia præcurrit. Rachel ad tempus ſatis longum, eſt עקרה *akarah* ſterilis, vox ſignificat *ſine radice*, plantam aridam, quæ ramos non extendit, & fructum non profert. At Deus Leam reddidit fœcundam, *Aperuit vulvam*, id eſt, concipere & parere fecit. Inter ea quæ ſpecialiter ab Ebræis Deo tribuuntur, *apertio vulvæ* locum habet, ut fœcunditatem eſſe ſingulare Dei donum oſtendant. Hîc autem videmus Deum ita diſpenſare dona ſua, ut nec omnibus det omnia, nec omnia cuiquam adimat. Racheli dedit pulchritudinem, propter quam chara fuit viro. Leam autem, etſi initio contemptam, tamen propter fœcunditatem marito commendavit. Deinde in ſuis ſapientiſſimo modo defectus corrigit; in Rachele idoneo ſterilitatis remedio faſtum pulchritudinis imminuere voluit; & per Leæ fœcunditatem, Jacobi animum in eam partem flectere potuit, à qua nimium averſus videbatur; eâdem operâ conſolatus eſt Leam, ne triſtitia abſorberetur.

A verſu 32. ad finem uſque capitis recitantur quatuor partus Leæ, cum ratione nominum quæ filiis ſuis impoſuit. Id autem ab ea factum fuiſſe ex conſenſu mariti præſupponendum, quia cùm vir ſit familiæ caput, id etiam ad ejus poteſtatem pertinet, ut liberis ſuis indat nomina, aut ſaltem id non fiat ſine ejus autoritate. In omnibus autem apparent veſtigia pietatis Leæ, quæ ubique Deo gloriam tribuit, tanquam autori tanti beneficii. Primum filium vocavit *Reuben*, hoc eſt, *videte filium*, addit, quia vidit Dominus בעניי *beonjo*, in afflictionem meam. Vulgata *humilitatem*: ubi *humilitas* non accipitur pro virtute, ſed pro conditione afflicta vel abjecta; ταπείνωσιν enim intelligit, non ταπεινοφροσύνην. Eadem eſt ratio dicti beatæ Virginis in Cantico, ut benè in hunc locum notavit Cornelius à Lapide. *Reſpexit humilitatem*, ταπείνωσιν, *id eſt*, inquit, *exiguitatem, vilitatem, abjectionem* ancillæ ſuæ. Cujus tamen interpretationis ratione magnam olim moverunt litem Monachi adverſus Eraſmum & alios, quoniam præter ipſius vocis ſignificationem, quæ humilitatem ſuperbiæ oppoſitam non ſignificat, minus credibile putabant Mariam de ſua virtute locutam

tam eſſe, quo major in ea virtus humilitatis excelluit, cujus non eſt merita ſua extollere. Rectè Maldonatus in Luc. cap. 1. *Non id agebat humillima & ſanctiſſima Virgo, ut doceret ſuis meritis tantum beneficium conſecutam, ut eſſet mater Dei; ſed potius ut ſe indignam omninò tanto beneficio declararet: noluit ergo dicere ſuam à Deo virtutem, ſed potius ſuam humilem abjectamque perſonam & conditionem, & ut uno verbo dicam, ſuam indignitatem reſpectam fuiſſe, quod quamvis indigna prorſus eſſet, Deus ſe tanto honore dignatus fuiſſet. Hoc dicere humilem & virginem decebat.* Ita etiam apud LXX loquebatur Anna, 1. Sam. 1. verſ. 12. ἐπιβλέψῃ ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης. ut mirum ſit in tanta luce, in tam clara & perſpicua aliorum Jeſuitarum confeſſione, auſum fuiſſe Petrum Cotonum Genevenſes in crimen vocare, quod Gallicè ad omnem tollendam ambiguitatem in Cantico Mariæ verterint potius *baſſeſſe*, id eſt, *abjectam conditionem*, quàm *humilité*. Eodem ſenſu ait iterùm Maldonatus, ſe humilem vocat & Deum magnum, non ut Deum ſuperbum dicat, ſed quaſi præcellentem, & ſupremum dignitatis gradum obtinentem. Ergo ſe non vocat *humilem*, ab oppoſita ſuperbiæ virtute, ſed abjecta vilique conditione. Sic Jeſuita Jeſuitam refellit, & Genevenſes abſolvit.

כי ראה *ki raah*, quia vidit, reſpexit, id eſt, non eſt dedignatus, non eſt averſatus, ſed rationem illius habuit. Ebraica phraſi Deum reſpicere aut videre afflictionem aut abjectionem, ſignificat ejus rationem habere, & connotat liberationem. Reſpicere Deus dicitur quoties aliquid beneficii in nos confert, & benignum ſe ac favorabilem exhibet. Pſal. 86. ℣. 16. Reſpectus Dei, inquit Auguſtinus, tribus modis accipi ſolet; *ſecundùm cognitionem*, ut Ebr. 14. ℣. 13. Omnia nuda & aperta ſunt in oculis ejus: *ſecundùm gratiam*, ſic Pſal. 34. ℣. 16. Oculi Domini ſuper juſtos: *ſecundùm judicium*, Matt. 25. ℣. 12. Neſcio vos. *Reſpicere*, inquit, *per gratiam, eſt prius abjectos & derelictos viſitare.* Hæc acceptio competit dicto Leæ.

Ei Deus addidit tres alios filios. Secundo nomen indidit Simeon, à שמע *ſchama*, audivit; quia, inquit, *audivit me Deus quod exoſa eſſem*, id eſt, minus dilecta. Illa precibus ad Deum conqueſta erat, notat in filio gratiam exauditionis divinæ. Itaque & grata eſt, & filium ſuum hac ratione Deo conſecrat, quem ab eo ſe accepiſſe agnoſcit. Tertium vocat *Levi*, verſ. 24. à conjunctione & copulatione, quia ſperat hoc tertio beneficio Deum effecturum, ut arctiori amoris vinculo & firmiori ſe ei conjungat maritus. Nunc, inquit, ילוה copulabitur vir meus ad me. Quartum, de quo verſ. 35. nominavit יהודה *jehuda*, ab הודה quod eſt confiteri & laudare; quia ſe magis ac magis ad Dei beneficia laudibus proſequenda devinctam agnoſcit, & hunc filium vult perpetuæ celebrationis divinæ argumentum eſſe; in qua nominis impoſitione non dubito, quin eam direxerit Spiritus ſanctus, cùm Juda fuerit is qui inter Jacobi filios pater futuri Meſſiæ conſtitutus erat.

AD CAPUT XXX.

Exercitatio CXXVIII.

Capitis XXX. *breviarium. Cur Scriptura omiſſis quæ in aliis rebuſpub. illuſtria fuerunt, quæ in ſpeciem vilia videbantur, memoriæ commendavit? Obſervatio notanda. Invidia Rachelis in ſororem culpabilis. Ejuſdem imprudens petitio. Iacobi juſta indignatio & ſancta reprehenſio. Liberi à Deo.* Quatuor claves in manu Dei, *dictum Ebræorum. Vindicanda Dei cauſa, etiam adverſus amicos. Quâ conſcientiâ conſenſerit Iacob, ut duas uxorum ancillas ſibi jungeret?* Luctationes Dei, *id eſt, maximæ. Rachelis inſultatio in ſororem ridicula.* Gad *nomen quid propriè ſignificet?* Aſer *nominis etymon. Sororum æmulatio parum prudens.*

Capite XXX. texitur hiſtoria multiplicatæ rei in familia Jacobi, tam ratione perſonarum, quàm bonorum. Perſonarum multiplicatio in polygamia, & liberorum propagatione; bonorum aliorum, in re præſertim pecuaria. Quomodo omnia acciderint, ſigillatim deſcribit Moſes. Occaſio auctæ polygamiæ fuit invidia Rachelis, propter ſororis fœcunditatem. Nam poſt expoſtulationem cum marito, & gravem mariti reprehenſionem, cùm alia ratione mater non fieret, excogitavit adoptionis modum, in quem conſenſit Jacobus, ductâ Bilhâ ancillâ Rachelis, ex qua nati ſunt Dan & Nephtali. Hæc à verſu primo uſque ad verſum octavum deducuntur.

Priuſquam particularia quædam attingamus, quia multa hîc narrantur, quæ videri poſſent minoris momenti, quàm ut in hiſtoriæ ſacræ contextu aliquem locum tenerent, utpote quæ ſint œconomica & bucolica, cùm tunc, Patriarcharum nempè tempore, Aſſyriorum, Ægypti, Argivorum, & aliarum gentium dominationes haberent ſua initia & aliquos progreſſus; in quibus deſcribendis dignius occupata fuiſſet tam gravis hiſtorici manus: non erit abs re ſi præmittamus, cur

cur talibus omiſſis, ad hæc in ſpeciem vilia & ludicra, ita voluerit attendere Spiritus ſanctus, ut non dedignaretur ea poſteritati commendare in ſcriptis divinis. Id deſinet mirari qui perpendet à Moſe inſtitutam eſſe hiſtoriam Eccleſiæ ab ipſis incunabulis, & multum intereſſe ad Dei gloriam, ut initia illa tam humilia & abjecta ob oculos ponantur, ne quis putet induſtriâ humanâ & potentiâ coaluiſſe tot homines in unam fidem, & tamdiu contra tot & tam varios inſultus perduraſſe, imò ſuos limites auxiſſe mirum in modum, exiguum & fragilem initio cœtum. Præterea cùm hoc inter regna illa mundi ampliſſima, & Eccleſiam interſit, quod illa ſint Deo velut latifundia, & ſpatioſi agri, quorum culturam non negligit paterfamilias; Eccleſia autem domus ſit in qua ſpecialiter habitat, & liberos educat; ſatis inde percipitur, ut patrifamilias cura major eſt liberorum & domeſticorum, quàm latifundii; ſic etiam apud Deum majoris eſſe momenti familias piorum, quàm quævis alia quæ in toto orbe dominationi ejus ſubſunt. Hinc eſt quod, ut parens liberorum & familiæ ita curam gerit, ut ſuorum geſtus, ſermones, & actiones omnes obſervet, & quæcunque ipſis accidunt diligentiſſimè conſideret: ſic Deus in familiis piorum, tanquam in domo ſua obſervat & numerat capillos illorum, actiones, ſtudia & greſſus eorum reſpicit, & omnia in manu ſua conſignata habet: cujus ſuæ paternæ curæ voluit in ſacra hiſtoria extare aliquot monumenta, ut ex eorum commemoratione, pii omnes confirmarentur in doctrina de ſpeciali providentia Dei erga ſe. Sed id ratione hiſtoriæ Patriarcharum accedit maximè, quod his rerum præteritarum monumentis voluit retundere ſuperbiam & arrogantiam populi Iſraëlitici, qui cùm adeò excreviſſet, ut inter alios populos magnis privilegiis gauderet, opus habuit, ut ſubinde repeteret memoriam originis ſuæ, & agnoſceret ex Dei gratia & miſericordia pendere quicquid prærogativæ ei reliquum eſſet; cùm alioqui, ſi externa hæc ſpectemus, omnium populorum eſſet minimus. Id memini à nobis obſervatum fuiſſe apud Hoſeam cap. 12. ℣. 13. ad hæc verba, *Et fugit Iacob in regionem Aram, & ſervivit Iſraël propter uxorem, & propter uxorem cuſtodivit pecudes.* Originis ſuæ Eccleſiam ſemper memorem eſſe debere, ut dum vilia initia ſibi ante oculos ponit, altos non ſumat ſpiritus, ſed coram Deo humilietur, qui poteſt exaltare. Hinc illud Eſaiæ 51. ℣. 1. *Reſpicite ad originem veſtram, ad lapidem exciſionis veſtræ.*

Jam ad rem accedo. Actum eſt cap. præced. de fœcunditate Leæ, qua in re Deus compenſavit id quo ſuperabatur à Rachele. Hinc in ſorore invidia oritur, cùm ſterilis eſſet, ex invidia jurgium cum marito. Cùm videret Rachel ſe non parere, *invidit*, ותקנא *vattekanne.* קנא *kana* in bonam & in malam partem accipitur. In bonam partem pro *zelo affici*, ſed tum conſtruitur cum ל, ut Num. 25. ℣. 23. *Zelotypus fuit pro Deo ſuo.* Quando cum ב conſtruitur, ut hoc loco, æmulationem & invidiam vitioſam ſignificat, non *zelari pro aliquo*, ſed *invidere alicui*, aut *æmulari.* Itaque qui hìc putant zelum laudabilem ſignificari, fruſtrà ſunt; & Vulgatam ſuam immerito deſerunt, quæ rectè vertit, *invidit ſorori ſuæ.* Non dicitur, inquiunt, invidiſſe ſorori, quod illa eſſet fœcunda, ſed quod ipſa infœcunda eſſet. At ex uno aliud colligitur, alioqui non eſſet invidia. Sed quia in omnibus excellere cupiebat, nec ſuſtinebat ſororem aliqua in re ſibi præferri, vehementer uritur fœcunditate Leæ. Non enim multum laborandum eſt, ut excuſetur Rachel à peccato, quam tum fidelem fuiſſe multi dubitant, neque argumentis carent, ut ſuo loco dicetur. Hoc autem invidiæ malum frequens eſt inter fratres & ſorores, facileque exardeſcit, ſi unus alteri præferatur. Cujus vitii natura hìc ſe manifeſtat, facit enim, ut quæ non eſt injuriâ aliquâ ſororis provocata, ſed ſuâ tantùm ambitione, invidet ſorori dona Dei, ut in illa id etiam notari poſſit, etſi in tenui ſorte, quod loco ſymboli dicitur uſurpaſſe Pompeius, quod voluerit, αἰὲν ἀριστεύειν· καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Unde illud poſteà quod de Cæſare & Pompeio Lucanus;

-- Nec jam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompeiusve parem.

Adverſus quod vitium nullum eſt paratius remedium, quàm ſuperbiam & φιλαυτίαν frænare, & aſſiduè illud meditari, quod ait paterfamilias, Matt. 20. ℣. 15. *Annon licet mihi quod volo facere in meis? an oculus tuus malus eſt, quia ego bonus ſum?*

Extra culpam fuiſſet Rachel, ſi tantùm de ſterilitate ſua fuiſſet ſollicita, & prolis deſiderium teſtata modeſtè. Nam cùm tunc temporis magnum fuerit opprobrium ſterilitas, non mirum videri debet, ſi eam afflixerit, quod liberis careret poſt aliquot annorum cum viro conſortium. Sed limites tranſgreditur, & impotenti nimis fertur deſiderio, quo non ſolùm ad invidiam in ſororem provocata eſt, ſed etiam ad importunè jurgandum cum marito, eumque compellandum verbis, quibus meritò irritata fuit ejus patientia. *Da mihi*, inquit, *liberos, alioquin moriar.* Fruſtrà ſunt qui hæc verba, *Da mihi liberos*, accipiunt, quaſi ſenſus eſſet, Tu qui apud Deum multum potes, effice tuis precibus, ut concipiam & pariam, quemadmodum parens tuus impetravit, ut conciperet mater tua. Id ſi ita intellexiſſet, nulla fuiſſet ratio cur excandeſceret Jacob, & Dei gloriam vindicaret. Aliud ergo eſt quod illa volebat, quod tamen ab ea potius ex animi impotentia pronuntiatum eſſe imprudenter, exiſtimarem; quàm ut neceſſarium eſſe putarem curioſius in ejus petitionem inquirere; quia probabile eſt, neque illam conſideraſſe, cur id peteret à marito, nec qua ratione ſterilitati ejus mederi poſſet. Itaque muliebris affectus verba ſunt, quibus ita loquitur, quaſi per maritum ſtaret, quominus eſſet fœcunda.

Juſta

Juſtâ igitur irâ commotus reſpondet, *Num pro Deo ego ſum, qui privavit te fructu ventris tui.* Sic Vulgata. Ebr. מנע ממך *mana mimmek*; prohibuit à te. Docet igitur, ſolius Dei eſſe quod petit, & ad Deum autorem refert, quod fructu ventris hactenus privata fuerit, id eſt, dat gloriam Deo; objurgans imprudentiam uxoris, licet chariſſimæ, idque duobus nominibus. Primò, quia ab homine petit, quod Deus ſolus dare poterat, Pſal. 127. *Hæreditas Domini filii, & fructus ventris merces.* Unde Theodoretus, *Non nuptiæ dant liberos, ſed qui nuptiis legem dedit, Deus.* Et illud Ebræorum quod ex Paraphraſte Hieroſolymitano vertit Paulus Fagius; *Quatuor claves traditæ ſunt in manum Domini univerſi mundi, quas non tradidit Dominus nec Angelo, nec Serapho, Clavis ſcilicet pluviæ, clavis cibationis, clavis ſepulchrorum, clavis ſterilitatis.* De clavi pluviæ, Deut. 28. ℣. 12. *Aperiet tibi Dominus theſaurum ſuum bonum,* &c. De clave cibationis, id eſt, alimoniæ ad famem depellendam, Pſal. 145. ℣. 16. *Aperis manus tuas,* &c. De clave ſepulchrorum, Ezech. 37. ℣. 12. *Cùm aperuero ſepulchra veſtra,* &c. De clave ſterilitatis hîc, & infrà verſ. 22. *Aperuit vulvam ejus.* Jure igitur reprehendit uxorem ſuam, quod id tribuerit homini.

Secundò, quod non agnoſceret plagam ſterilitatis divinitus impoſitam, & eam ita ferret impatienter, ut ſe vivere non poſſe profiteatur, nî pariat. Quæ verba alii aliter interpretantur. *Si non*, inquit, מתה אנכי *metah anoki*, mortua ego. Sic enim accipi poſſunt, quaſi hoc voluiſſet, *morior*, id eſt, memoria mei planè emorietur, vel obliterabitur; quia parentes in liberis vivunt, ſecus autem cùm ſine liberis decedunt: unde apud Ebræos jactata eſt ſententia, *Cui non ſunt liberi, perinde eſt ac ſi mortuus ſit.* Aliter autem ita ſimpliciter intelliguntur, Si non curaveris, ut filios habeam, non amplius vivere potero, ea res mihi mortem allatura eſt, quem ſenſum, ut ſimpliciſſimum & ad rem aptiſſimum amplector: id enim fuit impatientiæ.

In Jacobo exemplum habemus moderatæ prudentiæ, quia ſic amat conjugem, ut non conniveat ad ejus intemperiem. Et quod dicitur, Amicus Plato, ſed magis amica veritas, ita prætulit cauſam Dei, uxoris affectui: oſtenditque amorem ordinatum, qualis debet eſſe maritorum in uxores, parentum in liberos, non excludere admonitiones, reprehenſiones, & caſtigationes. Præſertim ubi agitur de gloria Dei, quod Hieronymus dicebat, nolle ſe quemquam eſſe patientem in ſuſpicione hæreſeos; ita dicimus neminem in eo patientiam ſuam prædicare debere, quod ſileat, ubi Deo detrahitur, vel creaturæ arrogatur quod Dei eſt. Sic Angelus non vult adorari à Joanne, nec Petrus à Centurione, nec Barnabas & Paulus à Lyſtrenſibus admittunt ſacrificia. Videant illi qui ſibi tribuunt efficacitatem gratiæ, converſionis poteſtatem, &c. an non id audire poſſint, *An eſtis vos loco Dei.* Certè qui ſibi hanc pretioſi theſauri ſalutis clavem tribuunt, injuriam faciunt ei qui habet clavem Davidis, *qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Apoc. 3. ℣. 7. Appoſitè etiam Jacobi reprehenſio dirigitur adverſus eos qui à Sanctis ea omnia petunt & expectant, quæ ad hanc & beatam vitam pertinent; quibus certè Sancti illi, ſi adhuc in terris viverent, eadem regererent, An loco Dei ſumus nos, qui demus vobis pluviam, victorias, valetudinem, & tandem cœleſtem beatitudinem? Denique ſuo exemplo indicat Jacob, quomodo quis *iraſci poterit, & non peccare*, Epheſ. 4. ℣. 26. Neque enim eorum poſſumus probare ſententiam, qui acriorem æquo fuiſſe Jacobum putant; quin cenſemus zelum illius fuiſſe ſanctum & oportunum, & in ſimili occaſione uſurpandum, in quo non fuit ira quæ adimit uſum rationis, cùm ille ſimul docuerit eam quam reprehendebat.

Acquievit Rachel reprehenſioni mariti; ſed poſteà aliam rationem excogitat, quâ mater fieri poſſit, eandem quâ anteà Sara Abrahamo Agaram ancillam ſuam adjunxerat, ut ex eâ prolem ſuſciperet. Sic Rachel petit à marito, ut ſibi adjungat Bilham. Finem quem ſibi proponit, hac phraſi explicat, *Ut pariat ſuper genua mea, & ſuſcipiam ego filios ex ea.* Primo hujus propoſitionis membro quid intelligatur, explicat Pharaphraſtes Chaldæus, *ego nutriam*, hoc eſt, filium quem pariet gremio meo excipiam, ut tanquam meum educem. Eadem eſt ſecundi membri ratio, quæ ad verbum in textu ſic legitur, ואבנה *veebbaneh*, & ædificabor etiam ego ex ea; quod tamen Vulgata rectè vertit ad ſenſum, *ſuſcipiam filios.* Scriptura enim ædificationem vocat liberorum procreationem & ſuſceptionem; quia filii ſunt præcipuum domus ædificium. Inde dicuntur liberi בנים *banim*, ab ædificando. Hanc uxoris petitionem non rejicit Jacobus, nec poſteà Leæ ſimilem; ſed ſibi junxit duas uxorum ancillas, ut per eas etiam matres fierent, quia ex jure mancipii, non pariebant ſibi ancillæ, ſed heris ſuis. Quæſitum eſt de hoc Jacobi facto quid cenſendum ſit? Plerique culpant ex noſtris. Etſi enim omnes in eo conveniant, id non eſſe tribuendum Jacobi libidini, quod facerent homines profani & ſpurci, ſed prolis deſiderio ex Rachele quoque ſuſcipiendæ, ut ejus ſedaret quoque triſtitiam, quia tum id moris fuiſſe videtur; exiſtimant nihilominus peccaſſe mollitie amoris, cùm ut ſe uxori quam impenſe diligebat, morigerum præberet, eò ſe ſivit adduci, ut in tertium conjugium conſentiret. Quo facto paravit viam ad quartum, quia hoc ſemel Racheli conceſſo, non poterat commodè ſimilem petitionem Leæ rejicere, ne ſi duriorem ſe præbuiſſet in rejiciendo, augeret invidiam & æmulationem, quæ poſteà etiam Leam invaſit. Hîc certè, ſi omnia ad communes regulas exigantur, fatendum erit, juſtam cauſam fuiſſe nonnullis, ut dicerent, hîc apparere, nullum peccandi finem eſſe, cùm ſemel homines à recto tra-

mite divinæ ordinationis deflexerunt. Sed ob eaſdem quas ſupra attulimus rationes, etſi nolimus negare Jacobum aliquid humani eſſe paſſum, exiſtimamus tamen, extraordinariam aliquam Dei indulgentiam eſſe agnoſcendam, qua potuit Jacobus in his omnibus, bona cum conſcientia tamdiu perdurare: etſi talia non ſint in exemplum trahenda.

Verſibus 6, 7, & 8. agitur de nativitate duorum filiorum Rachelis ex ancilla Bilha; ubi melius edocta, neque viro ſuo, neque ſuo conſilio tribuit aut acceptos fert filios illos, ſed Deo. *Iudicavit mihi*, inquit, *Iehova, dans mihi filium.* Quaſi diceret, aſſeruit & vindicavit me à probro ſterilitatis. Laudanda eſt in eo quod Deo tribuit beneficium illud, teſtaturque ſe exauditam fuiſſe, unde ſequitur id à Deo petiiſſe, quod obtinuit. Sed tamen in verbo *judicandi*, ſive *vindicandi*, ſubeſt aliqua ambitionis & jactantiæ ſpecies; loquitur enim quaſi læſa eſſet à ſorore, aut quaſi Deus per omnia ipſius conſiliis faviſſet, & velut inſultabunda, ſe præfert ſorori in fœcunditate, quo referuntur verba verſ. 8. נפתולי אלהים נפתלתי *naphtulé Elohim niphtalti*, luctationibus Dei luctata ſum cum ſorore, id eſt luctis quammaximis & vehementiſſimis. Eſt enim auxeſis propria linguæ ſanctæ, in qua res vel actiones magnæ Dei dicuntur, quia nihil Deo majus eſt. Sic Ninive Jonæ 3. dicitur *civitas Dei*. ℣. 3. & Pſal. 36. ℣. 7. *montes Dei*, pro excelſis montibus. LXX *συναντεστράφην*, quam vocem Hieronymus, *converſionem* ſive comparationem ſignificare putavit hoc loco. Mercerus tamen exiſtimat idem voluiſſe quod Ebræi verbo פתל *patal*, quod luctari ſignificat, quia qui luctantur, ſe convertunt & circumagunt, membra diſtorquent & verſant huc illuc, ut eos quibuſcum colluctantur dejiciant; quod calliditatis magis eſt & verſutiæ quam roboris & virtutis, unde נפתל *niphtal* vocatur fraudulentus & doloſus. Sic etiam vocem Græcam interpretati ſunt autores verſionis Latinæ ex LXX. *colluctata ſum cum ſorore mea & valui.* quaſi diceret, ego cum ſorore pro fœcunditate & prolis gloria quaſi contendi, & colluctata ſum; jamque callidè, eam amplius non parientem vici, dum pro me ſterili ingenioſè & aſtutè ancillam ſuppoſui. Idcirco filium vocavit *Nephtali*, quaſi colluctantem & concertantem aſtutè & callidè. Unde eſt quod Joſephus ἀρχαιολογίας α, interpretatur *δυσμηχάνητον, artificioſum*, οἷον διὰ τὸ ἀντιτεχνᾶσθαι πρὸς τὴν εὐτεκνίαν τῆς ἀδελφῆς, *quod mater arte certavit cum ſororis fœcunditate.*

Etſi laudabile ſit quod beneficium illud ad Deum autorem refert, quod ex ancilla duos ſuſceperit filios; penè tamen ridiculum eſt & ineptum, quod hoc nomine ſorori ſuæ ſe præfert & velut ei inſultat, quaſi victrix jam eſſet, quæ multo erat inferior. Quamvis enim Bilhæ liberi, aſcriberentur Racheli, quia ſervi & ancillæ acquirebant dominis non ſibi, ita ut ſub lege, liberi ſervorum & ancillarum, ſi parentes egrederentur ſervitio anno Jubilæo, manerent dominis, Exod. 21. ℣. 4. Nulla tamen ratio erat cur ſe efferret ſupra Leam, quæ ſuperior adhuc erat numero filiorum, quos ipſa pepererat. Itaq; in Rachele apparet humani ingenii vanitas. Solent enim homines ubi paulo proſperior arridet rerum facies, ventoſa jactantia inſoleſcere, & dona quæ aliis Deus contulit majora, malignè extenuare.

Lea potuit & debuit hac inſultatione non moveri cujus in eo potior erat conditio; nihilominus idem molitur quod Rachel, ne etiam ei cedat in hoc liberorum adoptivorum genere, & à marito ſimiliter obtinet, ut ad ancillam ſuam Zilpam accedat, ex qua ſuſcipit duos filios. Unum nominavit גד *gadh*; rationem nominis his verbis dedit, בגד *baghadh*, dico his verbis, quia etſi in textu ſcribatur *baghadh* ſine diſtinctione, ſunt tamen duæ dictiones; ut etiam notarunt Maſoretæ. Itaque aliter legendum monent, quam ſcribitur: ejuſmodi dictiones quindecim in ſcriptura numerant, ut hic monuit Mercerus. Quid autem ſibi voluerit, apud interpretes nõ eſt eadem ſententia; Cum enim vox illa גד, pro גדוד *gedhudh*, ſumi poſſit, à גדד *gadhadh*, quod inter alia ſignificat *turmatim currere*, *exercitum colligere*, &c. multi vertunt, *venit turma*, ſeu *exercitus*, quaſi diceret ſe jam habere filiorum exercitum. Alii vero, quia גד pro ſydere accipitur, Eſaiæ 65. ℣. 11. quod alii Jovem, alii Mercurium, vel etiam Martem, alii & plures *fortunam* putant, exiſtimant illam fortunam ſuam prædicaſſe, & id adhuc à majoribus ſuis Idololatris habuiſſe, qui aſtris tribuerent prolem & alia bona. *Fortunam*, inquit Fagius, *& conſtellationis fatum Ebræi Gad vocant: unde & referunt, ſtellam juſtitiæ ita quoque vocari in lingua Arabica.* Juxta hanc ergo interpretationem Lea cum quadam exclamatione & gratulatione, qualem in proſpero eventu fieri videmus dixiſſe videtur, *venit fortuna.* Hanc ſententiam ſequitur Mercerus, qui tamen non vult eam vel de aſtris vel de Idolis cogitaſſe, ſed id in genere dixiſſe & adverbialiter, quaſi quis diceret fortunatè & auſpicato. Sic acceperunt LXX. ἐν τύχῃ, fœliciter. Sed nihil eſt quod cogat, ut in ſcriptura nomen *Gad*, pro ſpeciali aliquo ſydere accipiamus. Poteſt enim verti Eſai. 65. ℣. 11. *inſtruitis* לגד *legadh*, exercitui, nempe cœli, *menſam.* aut etiam ad exercitum ſeu turmam Idolorum referri. Sic Tremel. & Junius, *qui inſtruitis turmæ illi menſam.* Eſt igitur præferenda prima interpretatio de turma, aut exercitu filiorum. Ad quam etiam poſteà alludet Jacobus, cap. 49. ℣. 19. גד גדוד יגודנו *Gad gedud jegudenu*, Gad, exercitus ſuperabit eum, & ipſe ſuperabit tandem. Ubi vix relinquitur dubium, quin in ſignificatione *exercitus*, illud nomen ſit accipiendum.

Alterum filium qui ſecundo natus eſt ex Zilpa, vocavit Lea אשר. Rationem nominis addidit באשרי כי אשרוני beoſchiſchri ki Iſchſcheruni bhanoth, *in fœlicitate mea, quia beatificaverunt me*, id eſt, beatam dixe-

dixerunt, *filiæ*. Ergo אשר *aſcher*, beatum & fœlicem ſignificat. Simili exclamatione uſa eſt B. Virgo, Luc. 1. verſ. 43. *Beatam me dicent omnes generationes.* Quod potuit & debuit alio jure, quod comparationem non patitur. Ex his apparet, fœcunditatem illo tempore magni habitam fuiſſe, nec immeritò; ita ut in parte beatitudinis poneretur. Habet tamen etiam hic Lea ſuos affectus carnales, quos immiſcet ſancto alioqui deſiderio, ex ſororis æmulatione, cum videret etiam ex ancilla proſperè ſibi ſuccedere filiorum procreationem. Sed Deus opus ſuum, in infirmitate hominum exequitur.

Exercitatio CXXIX.

דודאים Dudhaim *vox pluribus explicatur. Druſius iniquior Trem. & Iun. nec ſibi ſatis conſtans. Cur Rachel tantoperè deſideraverit Mandragoras. Rejiciuntur rationes parum convenientes. Probatur ea quæ placuit Auguſt. Polygamiæ incommoda. Sororum Zelotypiæ. Iacobi in Rachelem nimia propenſio. Explicantur verba Leæ de mercede ſua.* Iſſachar *quid ſignificet? Quid Zebulon? Quid Dina? Verba memoriæ denotant affectum. Quomodo Deo tribuatur memoria & oblivio? Sterilitas olim probroſa. Cur? Ioſeph naſcitur. Nominis ejus ratio. De ordine filiorum Iacobi quid ſentiendum? Allegoriis veterum & recentiorum circa hanc hiſtoriam quid tribuendum?*

IN ſequentibus tribus verſibus, à 14. uſque ad 16. interjicitur narratiuncula, præparatoria ad generationem ſequentis filii Leæ in ſpeciem ludicra & puerilis, ſed quæ tamen habet ſuum uſum, & doctrinam magni momenti continet. Ruben adhuc puer, rediens ex agro, ad quem egreſſus erat, non animo operandi in illa ætatula, vix enim erat ſeptennis, attulit matri ſuæ דודאים *dudhaim.* Quæ vox hic tantum reperitur, & Cantic. 7. ỳ. 14. LXX. & Latina vetus, reddiderunt *mandragoras*. Quam vocem retinuerunt pleræque verſiones vernaculæ. Tremel. & Junius, in genere *flores amabiles*, à דוד *dud*, amicus. Hanc eorum interpretationem durè excepit Druſius, &, ut ſolet, exagitavit acrius. Rationem ab Etymologia fallacem dicit, & miratur eos qui in his vanis tempus terunt. Modeſtius hoc dici potuit. Alioquin ille alibi, ubi ex profeſſo quæſtionem agitat, an Ruben mandragoras invenerit? agnoſcebat, homines doctos aſſeverare vocem Ebraicam DUDHAIM, pro qua interpretes veteres Mandragoras referunt, haud quaquam eo ſenſu accipi poſſe, *nec deficere rationibus.* Ibidem, *Emmanuel*, inquit, *Tremelius, & Franciſcus Iunius (qui viri & quanti?) interpretantur* DUDHAIM, *dicentes vocem generalem eſſe, ad flores omnes amabiles, gratique ac jucundi odoris: ipſum autem nomen ab amore ductum, quod dilectum eo modo* דוד DUDH *Ebræi appellent*, *acutè*. Tunc *acutè*. Nunc, *in vanis tempus terunt, ea maximi faciunt quæ indocti admirantur, docti rident.* An docti rident acutè dicta? Hoc habuit vir ille, alioqui doctus, qui plus nimium indulſit ſuis affectibus, laudum aliquando prodigus, ubi non oportuit; carpendi κακοήθειαν aliquando prodens, adverſus unum aut alterum quos putavit ſuis luminibus obſtruere. Litē alioqui non facio meam, an DUDHAIM fuerint *Mandragoræ*, vel an fuerint flores amabiles, & quinam fuerint? An *Ioſeminum* ut voluit Ebræus Jarhius; vel *Lilium*, ut putavit Franciſcus Georgius Venetus. Non facile vellem diſcedere à tot veterum interpretum ſententia, LXX. nempe, Chaldæi Paraphraſtis, veteris interpretis Latini; niſi ratio manifeſta cogeret, quam fateor hic me non videre. Nec enim id negare vellem, eam quæ ab Etymologia deducitur, alio fulcro deſtitutam, non eſſe magni momenti. Itaque veteri ſententiæ de *mandragoris* adhæreamus. Quæritur cur tantopere eas deſideraverit Rachel, ut ad eas adipiſcendas ſorori ceſſerit, in re, quam alioqui, ſi præſertim invidia illa qua initio flagravit, nondum extincta fuit, toto niſu voluiſſet impedire. Hic varia excogitant nonnulli, de Mandragoræ fructus natura & proprietatibus, & medicorum placita deſcribunt de ejuſdem effectis; quod conciliet ſomnum, quod à multis dicatur vim philtri habere, quod juvet fœcunditatem. Item qua ratione id fieri poſſit cum ſit frigidiſſima mandragora, frigida autem conceptui obſint. Ubi afferunt ex *Levino Lemnio* & aliis medicis, diſtinctionem locorum, item conſtitutionem uteri, & alia non pauca, de quibus Rachelem nunquam cogitaſſe, vel per ſomnium quidem, jurare auſim. Quod enim putant adeo fuiſſe ſollicitam de concilianda ſibi fœcunditate, ut ad eam rem voluerit uti medicamentis, vix temporum illorum ſimplicitati convenit. De philtris enim quod alii dicunt, putidiſſimum eſt, & indignum aliqua refutatione. Quid ergo? Præfero hactenus Auguſtini judicium, lib. 22. contra Fauſtum, cap. 56. niſi quis validis rationibus aliter perſuadeat; ut nempe, *nihil de mandragora ſuſpicemur, quale in nulla fœmina experti ſumus.* Addit, *Dicam ego quid ſentiam, dicent fortè meliora doctiores. Cum enim hæc mala ipſe vidiſſem, & propter iſtum ipſum ſacræ lectionis locum, id mihi obtigiſſe gratularer (rara enim res eſt) naturam eorum diligenter, quantum potui, perſcrutatus ſum, non aliqua à communi ſenſu remotiore ſcientia, quæ docet virtutes radicum,*

cum, & poteſtates herbarum, ſed quantum mihi & cuilibet homini renunciabat viſus, & olfactus, & guſtus. Proinde rem comperi pulchram & ſuaveolentem, ſapore autem inſipido; & ideò cur eam mulier tantoperè concupierit, ignorare me fateor, niſi fortè propter pomi raritatem, & odoris jucunditatem. Hæc ille. In quibus, ſive mandragoram propriè dictam intelligamus, ſive aliud quiddam in genere florum vel herbarum, exiſtimamus illum rem acu tetigiſſe. Rachelem eo fuiſſe adductam rei pulchritudine & odore. Nec id debet videri mirum. Novimus enim aliquando puellas & mulierculas, imo & viros, qui florem unicum quovis pretio redimere voluiſſent.

Sed non carent difficultate, quæ in contentione ſororum, petitionis iſtius occaſione ultro citroque agitata ſunt. Petit Rachel partem DUDHAIM filii Leæ. Reſpondet Lea acerbè admodum, & latens in animo ulcus aperit. Exprobrat ſorori quod maritum ſibi præripuerit, & inſuper velit Mandragoras filii ſui auferre. Hinc conſenſus Rachelis, & quaſi redemptio Mandragorarum, conceſſione noctis ſequentis facta Leæ, ut cum ea dormiret Jacobus. Ex his apparet jampridem exacerbatum fuiſſe animum Leæ, neque hoc tempore ſolùm, ſed alias anteà acerbas fuiſſe inter ſorores contentiones, ſimultatem & jurgia continua; in quibus non dubitandum eſt, quin variè fuerit agitatus Jacobi animus. Hæc fuit incommoditas Polygamiæ, qua conjugalis vinculi unitas inter plures, præſertim quæ æquales eſſent, diſtracta, non poterat non naſci zelotypia, qua gravius nullum eſt in familia tormentum.

Volunt nonnulli pacis & æquitatis cauſa Jacobum noctes diſtribuiſſe ſingulis uxoribus, & cum nox ſequens fuiſſet Rachelis, ipſam jus ſuum ceſſiſſe Leæ, pretio mandragorarum, hoc enim pretio pro iſta nocte, videtur ſibi coëmere maritum Lea. Sed ſi hoc verum eſſet quod dicunt, nulla fuiſſet ratio cur conquereretur Lea de ſorore, quaſi maritum ſibi præripuiſſet. Nam quod putant, Leam ſibi voluiſſe vindicare totum Jacobum quaſi jure proprio, non videtur confirmari poſſe ulla ratione, habuiſſetque Rachel quod potuiſſet regerere, ſe promiſſam fuiſſe Jacobo & deſponſatam tanquam uxorem legitimam; Leam autem aſtu & fraude ſibi præripuiſſe maritum. Cum autem illa ad Leæ querelam nihil regerat, niſi quod concedat ei ut Jacobo potiatur nocte ſequenti, dicendum videtur, Rachelem ſive artibus ſuis, ſive etiam propria Jacobi inclinatione, qui eam præ Lea diligebat, ſibi ita eum devinxiſſe, ut rarius Leam viſeret, & conſuetudine Rachelis magis delectaretur, ita ut videretur maritum ſibi totum vendicare. Nec illa hoc videtur diffiteri, cum quaſi accepto pretio, ſorori poteſtatem facit maritum ea nocte retinendi. *Dormiat* (inquit) *tecum ea nocte, pro mandragoris filii tui.* Qua in re depingitur mulierum affectus, quæ ſæpè, puerilem in modum, ſi quid impenſius affectent, citius dare ſolent, id quod majus & amplius eſt, quam cupiditati ſuæ frænum injicere. Alioquin quid erant flores vel fructus mandragoræ collati cum conſuetudine & amore mariti, à quo tantoperè diligebatur? videtur Jacobus poſtquàm Lea concipere deſierat, ad eam vel non amplius, vel raro acceſſiſſe, & Rachele familiarius uſum fuiſſe, quæ cauſa eſt cur tantum ſibi tribuat, ut mariti uſum ſorori vendere præſumat; in quo vix ab aliqua culpa excuſari poteſt Jacobus qui huic inſolentiæ unius, & alterius querelis, videtur occaſionem dediſſe.

Oratio Leæ ad maritum, quæ habetur verſ. 16. primo aſpectu, procax & inſolens videri poſſet, maximè ſi ad hodiernos mores componatur. Præ gaudio ſibi temperare non poteſt, quin egrediatur in occurſum mariti redeuntis ex agro, eique quid pactum ſit inter ſe & ſororem nuntiet; invitetque ad exoptatum thalamum. Sed in Lea ſunt quæ hoc ejus factum, ab omni impudentiæ ſuſpicione abſolvunt. Primùm, mira ſimplicitas quæ in toto hoc negotio elucet. Secundum, deſiderium augendæ prolis, quæ tunc mulieribus in maximis bonis habebatur. Sed illud præcipuum eſt, quod verſ. 17. exauditas fuiſſe ejus preces memorat Moſes; unde conſtat, non niſi invocato Dei nomine, ut prolem ſuſcipere poſſet, mariti conſuetudinem appetiviſſe, nulla libidine impulſam. Ideò poſtquam concepiſſet & peperiſſet, agnoſcit ſe id beneficium à Deo accepiſſe. Verum eam rationem addit, quæ videri poteſt abſona, *Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo.* Videtur enim ſubſtitutionem ancillæ ſuæ, tanquam opus Deo gratum jactare, cujus conſideratione Deus rependerit ei mercedem filii ex ſe nati. Itaque notant eruditi interpretes, inſcitè eam peccati mercedem filium ſibi datum jactare. Alii qui peccatum in eo nullum agnoſcunt, prædicare mercedem ſuæ charitatis & liberalitatis, qua ancillam ſuam tradidit viro ſuo. Hujus ſententiæ fundamentum eſt, quod LXX illud אשר *aſcher*, per ἀνθ' ὧν, & vulgata, per *quia*, vertunt; & pro cauſali accipiunt. Melius alii ſentiunt, qui non cauſam ſed ordinem indicari contendunt, ut Tremel. & Jun. qui vertunt *poſtquam*; ut ſit ſenſus, Rependit mihi Deus mercedem meam, id eſt eam mercedem quam ſolveram ſorori pro nocte ex DUDAIM filii mei, Deus mihi abundè compenſavit, qui dedit mihi filium, etiam poſtquàm de partu deſperans, quia diu ceſſaveram, prolem in ancilla mea quæſiveram. Egregia eſt permutatio, quæ pro levi fructu aut floribus non magni momenti, mihi contigit. Id etiam viderat Hieronymus, ubi agit de nomine Iſachar. LXX. inquit, addiderunt *eſt merces*, non utique (ut plerique addito pronomine malè legunt, exiſtimandum eſt ita ſcriptum eſſe, quod *is eſt merces*: ſed totum nomen interpretatur *eſt merces*. יש quippe dicitur eſt, & שכר *ſekar*, merces.) *hoc autem ideò, quia mandragoris filii Reuben, introitum qui Racheli debebatur ad ſe viri, emerat.* Hieronymum ſequutus eſt Abulenſis. Quorum

rum interpretationem confirmat collatio antecedentium, alludit enim ad id quod dixerat: *Quia mercede conduxi te.* כי שכר שכרתיך *ki ſakor ſekartica.* Itaque frustra ſunt, qui opinantur Leam hic merita ſua jactaſſe, quæ gratiam divinam prædicat, à qua res nullius momenti, compenſata erat tanto beneficio.

Sequentibus verſibus à 19. uſque ad 25. narratur nativitas Zebulonis & Dinæ ex Lea; Item Joſephi ex Rachele. זבדני אלהים אתי זבד טוב ad verbum *dotavit me Deus, me dote bona*, ubi repetitio pronominis facit ad auxeſim, quaſi diceret *me inquam:* verbū *Zabad*, nullibi in ſcriptura reperitur præterquā hoc loco, unde, ut notat Mercerus, non poteſt ſciri ex collatione quæ nam ſit ejus ſignificatio. Videtur ſonare, inquit, *inſigne donum.* Chald. *Dedit mihi Deus partem bonam.* יהב לי חולק טב *jehab li chulak tab.* Inde nomen proprium זבדי *Zabdai*, Zebedeus, Latinè *donatus.* Hac vice, inquit יזבלני *jizbeleni*, habitabit mecum meus vir. Hinc nomen ſexti filii זבלון *Zebulun*, ab habitatione. Nomē זבול accipitur pro domicilio certo, & ſtabili habitaculo, unde opponitur tabernaculis, & pro Templo uſurpatur. Hic Lea & gratam ſe præbet pro acceptis beneficiis, & benè ſperat in futurum, acturum deinceps Jacobum in eodem contubernio ſecum, qui aſſiduus erat magis in tabernaculo Rachelis. Cauſam addit, quia peperiſſet ei ſex filios. Itaque ſola dimidiam partem habuit ex duodecim tribubus, non numeratis ancillæ ſuæ filiis, qui ſi addantur, octo filiorum Iſraëlis fuit mater. Cum autem tot haberet filios in tabernaculo ſuo, non mirum eſt ſi deinceps ſperet frequentius mariti contubernium, qui tantam prolem negligenter habere non potuit.

Additur verſ. 21. Nativitas filiæ, quæ vocata eſt *Dina.* Cujus nominis non affertur ratio, ut in cæteris. Sunt qui interpretantur *judicium* vel *judicans*, ut ſit ab eadem radice à qua *Dan.* Alii *Iſtam* Syriacè. Alii ſic fortaſſe fuiſſe dictam propheticè, ab altercatione & contentione, quia rapta, contentionem excitavit. Certum eſt ejus hic mentionem fieri, quamvis alias hiſtoria ſacra filiarum non habeat rationem, propter hiſtoriam raptus ejus, & quæ eam ſunt conſequuta. Paraphraſtes Chald. ad cap. Job. 2. verſ. nono, ubi habetur *dixit ad eum uxor ejus*, habet דינה אתתה *Dinah Ittetheh*, Dina uxor ejus, quaſi certum eſſet à Jobo ductam fuiſſe. At de eo nihil certi eſſe poteſt. Geneſ. 49. ubi agitur de iis qui deſcenderunt in Ægyptum, ſit mentio *filiarum Iacobi*, & *filiarum filiorum ejus.* Unde videtur colligi poſſe plures habuiſſe filias, niſi intelligamus Dinam vel ſolam, vel alias ſimul puellas cum ea educatas.

Verſ. 22. Præmittitur paraſceve ad nativitatem Joſephi. *Recordatus eſt Deus Rachelis.* Verba memoriæ in lingua ſancta cum de Deo dicuntur, denotant affectum & effectum, id eſt ea quæ homines faciunt cum memores ſunt alicujus rei, quæ ipſis cordi eſt. Alioqui *memoria*, non competit Deo propriè, ut nec oblivio, qui omnia habet præſentia. Sed oblivisci dicitur cum auxilium differt; Recordari, cum præſto eſt. Diu fuerat Rachel ſterilis, ſorore ſæpius pariente: Tandem concipit & parit, poſt ſæpè fuſas preces. Recordatus eſt ejus Deus, *qui aperuit vulvam ejus.* Exaudivit eam, unde liquet, non ſecurè neglexiſſe ſterilitatem ſuam, & à marito edoctam, non amplius à viro ſuo, ſed à Deo petiiſſe, ut liberos ſibi daret. De apertione uteri dictum eſt anteà, & quam benè Deo ſpecialiter tribuatur.

Tandem igitur, verſ. 23. concipit & peperit filium; pro quo Deo gratias egit dicens, *Abſtulit Dominus opprobrium meum.* Hinc patet, cur tanto prolis deſiderio tum mulieres ſanctæ exarſerint: quia opprobrio ſummo erat ſterilitas. Cur autem id, juvabit ſemel rationes exquirere. Præſertim, cum hoc tempore, etſi ut plurimum ſteriles fœminæ conjugatæ, non ſine aliquo prolis deſiderio vivant; nemo tamen propterea eis moleſtus eſt, aut id exprobrat, tanquam conditionem cujus eas pudere debeat. Contra tum fiebat; Ideò non ſolùm hic Rachel ſterilitatem ſuam *opprobrium* appellat, ſed etiam Eſaias, cap. 4. ℣. 1: *Prehendent ſeptem mulieres virum*, &c. dicendo, *vocemur de nomine tuo, aufer probrum noſtrum.* Eadem phraſi uſa eſt Eliſabetha, Luc. 1. ℣. 25. *Nempe ita mihi fecit Dominus, diebus quibus me intuitus eſt, ut auferret probrum illud meum inter homines.* Non immeritò igitur quæri exiſtimandum, cur id probro ductum fuerit. Præcipua ratio ex eo deſumenda eſt, quod paſſim tales fœminæ habebantur quaſi abjectæ & à Deo maledictæ, quia non participes erant benedictionis illius, *creſcite & multiplicamini*; nullumque nomen poſt ſe relinquebant in terra. Hinc eſt, quod inter alias benedictiones, hæc populo morigero promittitur, Deut. 7. ℣. 14. *Benedictus eris præ omnibus populis, non erit in te ullus ullave ſterilis, etiam in jumentis tuis.* Unde liquet ſterilitatem maledictioni fuiſſe adſcriptam. Huc referri poteſt, quod Eccleſia Cant. 7. ℣. 5. ſponſum ſic alloquitur, *ô ſi quis daret, &c. ut inveniens te foris oſcularer te, etiam non contemnerer ego:* ut id intelligatur de fœcunditate quam ſperabat, ex conſortio ſponſi ſui. Sed peculiaris fuit cauſa in populo Dei, cur ſterilitas fuerit probro, quia pollicitus erat Deus Abrahamo, ſemen ejus futurum ut ſtellæ cœli, arena maris; & pulvis terræ: Itaque mulieres quæ manebant ſteriles, videbantur Deo exoſæ, quaſi nollet ex eis Deus propagare ſanctam ſtirpem & fidelium genus. Quod de Meſſia alii addunt, in populo Iſraëlitarum prodituro, non videtur multum ad rem facere; præſertim cum id probro duxerint etiam illæ, quæ de venturo Meſſia nihil noverant; & aliæ, quæ certò ſciebant Meſſiam non proditurum ex ſua ſtirpe. Hoc tempore, quia valdè multiplicatum eſt genus humanum per univerſum terrarum orbem; quia Eccleſia ex omnibus gentibus conflata eſt, nec tam generatione multiplicatur, quam ſpirituali regeneratio-

 ne,

ne, non tam magni fit πολυτεκνία, quia ceſſaverunt cauſæ, cur in una familia, aut in uno populo tantopere deſideraretur. Agnoſcendum quidem per ſe, ſemper in benedictionibus temporalibus eam numerari debere; non tamen ut ſterilitatem habeamus pro maledictione abſolutè, ſed comparatè tantùm, ratione hujus boni, cujus tamen privatio, non eſt proprie talis maledictio, ut propter eam quis maledictus dici poſſit. Ut enim non ea eſt conjugatorum nominum ratio, ut à juſtitiæ aliqua actione, dicatur quis juſtus; ita ut neque quis dicatur maledictus, à privatione unius benedictionis, cum alias plures habeat & majoris momenti. Imò poteſt aliquando fieri, ut πολυτεκνία in malis ponatur, ſterilitas in bonis, pro ratione temporum & perſonarum. Quia talis eſt temporalium bonorum ratio, ut facilè degenerent in maledictionem, & ex bonis mala fiant & per accidens pernicioſa. Quæ autem mala videntur, quandoque beatitudini deputantur pro temporis ratione. *Nam ecce*, inquit Dominus, Luc. 23. verſ. 29. *venient dies quibus dicent, Beatæ ſteriles, & uteri qui non genuerunt, & ubera quæ non lactarunt.*

Verſ. 24. Nomen indit Rachel filio ſuo, יוסף *joſeph.* Rationem reddit, invocato Dei nomine dicendo, יסף *joſeph*, id eſt, addat Dominus mihi filium alium; ergo ſic vocavit non à verbo אסף *aſaph*, quo anteà uſa erat, cum diceret אסף *aſaph*, collegit, id eſt, abſtulit Deus opprobrium meum. Sumitur enim pro eo quod eſt aliquid in unum cogere & retrahere, ne amplius oculis pateat; ſed à verbo יסף *jaſaph*, addere, quod tamen cum priori habet affinitatem, ita ut ad utrumque potuerit alludere. Ergo dictus èſt ab *addendo*, quia hic ſpem fecit Racheli ſequentis filii. Itaque ſibi benè ominabatur, ſperando Deum ſuam gratiam continuaturum, in quo non fuit ſua ſpe fruſtrata. Tamen præſagitio potius fuit ſperantis, quam prophetia prædicentis. Hucuſque auctus eſt Jacobus undecim filiis, ſex ex Lea, quatuor ex duabus ancillis, & uno ex Rachele, qui dignitate multis erat prævaliturus; itaque in uno illo valdè aucta eſt Rachel, accepto filio qui penè inſtar cæterorum eſſet, quique cæteros & Patrem ipſum poſteà aluit in Ægypto, primogenituſque à patre factus eſt, duobus ejus filiis adoptatis, ita ut in populo Dei duplicem acceperit portionem.

Diſputatur de ordine filiorum Jacobi, & tempore nativitatis eorum. Certum eſt, undecim iſtos cum Dina natos eſſe in Meſopotamia, & durante adhuc ſervitute Jacobi. Sed difficile eſt aſſignare tempus quo Lea incepit parere, & quo deſiit, & certò deſignare interſtitium, quo ancillæ datæ ſunt Jacobo. Itaque hìc conjecturis agitur: unde ſequitur, rem non fuiſſe neceſſariam, quam alioqui Scriptura diſtinctius explicaſſet. Hoc tamen videtur certum, natos eſſe omnes ſecundo ſervitutis ſeptennio, quia Joſepho, qui ultimus eſt, nato, petiit Jacobus à ſocero dimiſſionem ſuam, tanquam liber à ſervitute promiſſa, ut deinceps ſibi & ſuis vacaret. Non eſt autem mirum, ſi intra ſeptennium nati ſint duodecim liberi ex quatuor uxoribus; nec opus eſt fingere cum Ebræis ſeptimo menſe fuiſſe editos ſingulos. Sic autem potuit accidere, ut primo anno natus ſit Ruben ex Lea; tres alii Simeon, Levi & Juda, aliis tribus; Rachelem dediſſe Bilham marito, poſtquam expectato biennio, ſe ſterilem eſſe experta eſſet. Peperiſſe autem Bilham Dan & Nephtali, iiſdem annis, quibus ex Lea nati ſunt Levi & Jehuda. Superſunt adhuc tres anni, in quibus nihil eſt quod valdè miremur, ſi ex tribus matribus, nati ſunt ſex liberi.

Hic miras allegorias & tropologias excogitant veteres nonnulli, & alii medii ſeculi ſcriptores, quas magni faciunt hoc tempore alii. Pleraque quæ hac occaſione dicuntur, continent ſpeculationes in ſe non inutiles, & autorum teſtantur acumen; ſed qui eas cum textu ſcripturæ diligenter conferet, videbit plerumque rem amitti, ab iis qui umbram ſequuntur. Luſus certè ſunt, non interpretationes ſolidæ. Si quis harum rerum ſtudioſus ſit, legat Richardum de ſancto Victore, lib. de XII Patriarchis, ubi in duodecim liberis maſculis Jacobi, duodecim animi virtutum fœcundi affectiones exquirit, timorem Dei in Ruben, dolorem peccati in Levi, ſpem veniæ in Simeone, amorem Dei in Juda, conſiderationẽ futurorum malorum in Dan; conſiderationem futurorum bonorum in Nephtali; abſtinentiam in Gad, diſciplinam in Aſer, mentis gaudium in Iſſachar, Odium peccatorum in Zabulon, diſcretionem in Joſeph, mentis exceſſum in Benjamin. Alii alia rimantur, & (ut in talibus fieri ſolet) ex quolibet quidlibet cudunt. Nos ad alia properamus.

Exercitatio CXXX.

Secundum pactum Labani cum Iacobo. Ejus occaſio. Labani mala fides. Invenire gratiam coram aliquo. נחש nachaſch; *quid propriè?* Ad pedem, *hoc eſt*, ad introitum meum. *Cur in malos deriventur benedictiones piorum? Vnde accidat, ut quibuſdam omnia quæ ſuſcipiunt, ſuccedant?* Namphaniones *Auguſtino. Cauſam in Deum eſſe referendam. Conditio quam Iacob proponit Labano. Explicantur difficultates in verſ. 32. & 37. Error Vulgatæ. Cui mederi fruſtrà conantur, qui inter ſe non conſentiunt. Eorum variæ eluſiones irritæ.*

CApitis trigeſimi parte ſecunda, incipiente à verſu XXV. exponitur aliud pactum Jacobi cum ſocero, pro mercede laboris ſequentium annorum, poſt acquiſitas uxores. Tria autẽ in conſiderationem veniunt; occa-

occaſio pacti innovati; pacti ipſius conditiones; & pacti côſequens ex Jacobi artificio. Primò igitur de occaſione agitur ℣ xxv. & xxvi. in quibus Jacobus petit à ſocero dimiſſionem, cujus petitionis æquitatem ei ob oculos ponit, & ipſius conſcientiam appellat; *Tu enim* (inquit) *noſti ſervitutes meas, quas ſervivi tibi.* Quibus oſtendere voluit, ſe non amplius ei obnoxium eſſe, liberum ſibi eſſe redire ad ſuos cum uxoribus & liberis. Nolle tamen ſuo jure ita uti, quin cum bonâ veniâ diſcedat, & cum pace ſoceri. Itaque quamvis uxores & liberi ſui eſſent, jure emptionis & jure naturæ, petit tamen à Labano, ut concedat ipſi uxores & liberos, pro quibus ſervierat apud eum. Nihil petit præter id quod ex vi pactionis ſuum erat, quia cùm avari ſoceri noſſet ingenium, etſi ex æquo vacuum dimittere non debuiſſet, noluit tamen hanc movere quæſtionem, ut omnis ei tolleretur prætextus, petitionem ſuam rejiciendi.

Hac propoſitione movetur quidem Laban, ſed non quomodo parentes non ἄστοργοι, qui non libenter ſuos à ſe dimittunt, præſertim ut planè divellantur, magna locorum intercapedine. Certè ſi talis fuiſſet, cùm præter generum, haberet duas filias, & ex eis tot nepotes, nec mirum videri deberet, nec verti vitio, ſi certaret pater & avus, ut eos apud ſe retineret: hæc non fuit cauſa, quam ne quidem prætexuit. Sed quia videbat ſibi eripi utile inſtrumentum augendæ rei familiaris, hæc ſola cura coquit hominem avarum, qua ratione ſibi adhuc devinciet tam frugi ſervum. Itaque ad artes convertitur, in quibus præ ſe fert aliquam æquitatis ſpeciem, ſed reipſa veteratorem agit.

Primò igitur verſ. 27. demulcet generum verbis, quantum poteſt ad benevolentiam inflexis. Oratio videtur interrupta, & ab homine turbato non completa; ideò nonnulli exiſtimant ſupplendam eſſe apoſiopeſin, *Mane apud me*, vel aliquid tale, poſt hæc verba, *ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis:* ſi tamen ſequentia legantur per parentheſim, & jungatur initium verſus 27. cum 28. oratio erit plena, dixit, *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis*, (expertus enim ſum quod mihi benedixit Jehova propter te) Dixit, inquam, *Conſtitue mercedem tuam mihi*, &c. nam ſatis petit, ut maneat, cùm vult, ut ſibi conſtituat mercedem. Itaque nulla eſt in ſenſu difficultas.

In hac oratione, quæ ex fine dijudicanda eſt, nihil eſt candidi pectoris. Serviliter initio obteſtatur, *Si inveni gratiam coram te*, hoc eſt, ſi tibi ſum gratus, phraſi in Scripturis uſitatiſſima, tam hominum erga Deum, quàm eorundem inter ſe. Idem eſt ac ſi diceret, ſi me amas, vel mihi gratificari velis. Vulgata hæc verba non conditionaliter, ſed obſecratoriè interpretata eſt, *Inveniam gratiam in oculis tuis.* Fatetur deinde id quod verum erat, etſi adulatoriè, ut eum flecteret ad deſiderium ſuum: נחשתי *nichaſti*, vertunt ad verbum, *auguratus ſum, quod benedixit mihi Dominus propter te.* Græci interpretes ita verterunt, οἰωνισάμην ἄν, *ſi inveni gratiam in oculis tuis, auguratus ſum utique*, hoc eſt, exiſtimabo me optimo augurio recepiſſe te in domum. Verbum נחש *nachaſch*, propriè pro augurari accipitur; quod verbum à ſerpente deductum eſt, quia artis illicitæ genus, maximè à ſerpentibus deſumebatur, non ſolùm ex avibus aut reliquis animantibus. נחש *nachaſch*, per duplex camets eſt *ſerpens*, & per duplex patach, eſt *augurari.* Hinc exiſtimarunt quidam, Labanum didiciſſe magicis artibus, ſe propter Jacobum fuiſſe benedictum. Id quidem à moribus Labani non eſſet alienum, nec ſequeretur, Scripturam auguria probare, ſi impiorum verba referat, quod benè notarunt veteres, editionem LXX ſequuti. Sed cùm idem verbum ſignificet *experimento cognoſcere*, aut addiſcere, poteſt etiam hîc generaliter accipi, quomodo factum eſt à vulgatæ editionis autore, *experimento didici*, &c. Agnoſcit ergo, Deum auxiſſe ſuas opes abundè propter Jacobum, in cujus manibus benedixerat gregi ſuo. Et id quidem veriſſimum erat, nec id diffitetur ipſe Jacob, verſ. 29. & 30. *Noſti quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua. Modicum habuiſti antequàm venirem ad te, & nunc dives effectus es, benedixitque tibi Dominus*, לרגלי *leraghli*, ad pedem meum, id eſt, ut Vulgata interpretatur, *ad introitum meum*, ſimulac pedem huc retuli, ſtatim à meo adventu; niſi quis malit, quod alibi phraſi Ebraica dicitur, per meum ingreſſum & egreſſum, id eſt, *meo labore.* Si ergo id Laban ex animo candido & ſincero dixiſſet, fuiſſet laudabilis gratitudo, erga Deum autorem, & Jacobum inſtrumentum Dei. Sed laudat veterator præteritam Jacobi diligentiam, ut eum diutius apud ſe retineat, proditque geminam hypocriſim; nam Jehovam nominat, quem ſciebat à Jacobo coli, cùm tamen ille alios Deos coleret, & quem autorem benedictionis cogitur agnoſcere, non tamen fallaciarum & fraudum ſuarum vindicem metuit. Tandem aperit propoſitum ſuum non minus hypocriticè, cùm ſimulat ſe Jacobo, pro ejus arbitrio, mercedem velle conſtituere. Et cùm fraudare eum omnibus modis ſatageret, eumque circumvenire, fingit nihilominus, ſe ex æquo & bono velle agere. Sed nec ipſe mercedem offert, quam petere jubet, non pro officio præſtito, ſed pro præſtando; idque ea ſpe, ut modicum aliquid pro ſuâ modeſtiâ petat, atque ita deinceps, ut anteà, diteſcat laboribus alienis. Itaque non poteſt ſatis culpari Euclionis iſtius ſordities & avaritia; item crudelitas & ingratitudo, quæ Jacobi fidei, diligentiæ & moderationi oppoſitæ, præparant nobis viam ad dijudicanda quæ poſteà acciderunt, cùm Deus, fruſtrata ſpe ingrati ſoceri & iniqui, abundè compenſavit labores Jacobi, ita ut ars fuerit arte deluſa, ſed ars veteratoria, arte prudente & juſta.

Intereà multum eſt, quod iniqui etiam, fidem & juſtitiam piorum prædicare coguntur; nam etſi id faciant ſine

fine non bono, teſtimonium tamen veritati perhibent adverſus ſemetipſos. Ut in eo, quod fœlicitatis etiam hujus æternæ Deum autorem pronuntiant, etſi enim ſint verba blandientium ad tempus iis quorum operâ lucrum ſperant, & ſimulata ſit ſpecies pietatis & juſtitiæ, vanaque uſurpatio nominis divini, qua illudere ſe ſperant Deo & hominibus; nihilominus Deus qui non. flectit eorum animos ad obedientiam, eorum linguam ſolvit, ut pios abſolvant, & adverſus ſeipſos ſententiam ferant.

Ubi etiam hoc eſt obſervandum, benedictionis divinæ fontem, operâ piorum ad impios ipſos derivari, & in indignos ac ingratos exundare, vel ut emendentur, & ad ſimilem pietatem invitentur, vel ut inexcuſabiles magis reddantur, vel ut in hac vita conciliet ſuis etiam alioquin impios & injuſtos, eorumque rabiem frænet, ne quos ſibi utiles eſſe vident, perditos cupiant. Quod ſi pii videant ſuos labores aliis potius quàm ſibi eſſe utiles, & fucos ſæpè apum mella conſumere, ſolentur ſe exemplo Jacobi, quod Deo potius quàm hominibus ſervierint, ſperentque, ſi non ſegnes ſint in benefaciendo, Deum tandem labores eorum abundè compenſaturum, etiam in hac vita, ſi expediat, & in futura certiſſimè, quia ſemper expedit.

Hìc cùm agnoſcat Jacob verum eſſe, quod Laban dixerat, *Benedixit mihi Dominus propter te*; ait enim, *Benedixit Iehova tibi in pede meo*, non immeritò hac occaſione quæritur, unde id accidat, quod nonnulli homines ſint ita comparati, ut quæcunque ſuſcipiunt, proſperè eveniant, imò domos in quibus habitant, & domeſticos fortunatos efficiant. Hos Namphaniones linguâ Punicâ dictos fuiſſe teſtatur Auguſt. Epiſt. 44. *Boni pedis*, ut ait, *homines*, *quorum adventus aliquid affert fœlicitatis: ſicut ſolemus dicere, ſecundo pede introiſſe, cujus introitum fœlicitas aliqua conſequuta ſit.* Alii autem contrà ita infortunati, ut omnia ferè eis infœliciter cedant, etſi neque prudentiâ, neque induſtriâ, neque viribus careant. Cujuſmodi exemplorum refertæ ſunt hiſtoriæ. Unde in duce belli, non tantùm requiritur, an diligens ſit, fortis & prudens, ſed hoc etiam maximè, an fœlix. Quod in Cæſare dum viveret, accidit, qui cùm res magni momenti aliquando cum ſumma temeritate aggrederetur, ſuperabat tamen omnia pericula. Hujus diſparitatis cauſam Ethnici tribuerunt Fortunæ cæcæ, quæ non pro merito, ſed fortuito, omnia videtur ipſis diſtribuere: Genethliaci & Aſtrologi, fato & aſtrorum influentiæ. Nos aliam cauſam ex verbo Dei novimus, Deum nempè omnium Dominum, qui ſingulis ſua diſpenſat, prout vult. Qui quemadmodum ingenium, opes, ſanitatem, formam, &c. quibuſdam largitur; alios ſtupidos, deformes, pauperes, morbidos, &c. reddit; ſic etiam ſpeciali ſua providentia, etiam ubi eſt prudentiæ & laborum æqualitas; vel ubi prudentiæ & laborum in uno eſt exuperantia, in alio defectus, unum tamen fortunatum facit, & aliquando qui minus induſtrius eſt, alium fortunatum, ad illud cauſas ſecundas flectendo & attemperando. Ad quæ reſpiciens Syracides, cap. 33. ℣. 11. *Plurima*, inquit, *ſcientia Dominus diſparavit homines, & mutavit vias ipſorum. Ex ipſis aliis benedixit, exaltanſque ex ipſis, ſanctificavit & admovit ſibi; ex ipſis vero alios execratus eſt & abjecit, evertitque eos è ſedibus ipſorum. Velut figuli lutum in manu ejus ſunt.* Videntur quidem ſæpè effectus caſuales, & cauſarum ſecundarum reſpectu fortuiti, quia ab eis non ſunt proviſi, ſed accidunt præter earum mentem & naturam: ſed reſpectu Dei ſunt & præviſi, & proviſi, & ordinati. Meritò itaque Auguſt. lib. 1. retract. cap. 1. nomen *fortunæ* à Chriſtiano ore cenſuit rejiciendum, nempe juxta Ethnicorum ſenſum. Alioqui ſi fortunam pro eventibus proſperis accipimus, Deum eſſe *fortunantem* dubitandum non eſt, imò ex eo Providentiam colligimus, quod ita conſtanter nonnulli ſunt fortunati, alii infortunati, quia id non fieret continuo, niſi Deo ita conſtanter diſponente. Cur autem Deus diſpares reddat homines, cauſa prima eſt, ut oſtendat ſe omnium eſſe Dominum abſolutum. Secunda, ut diſpares hominum gradus & eventus, in hoc univerſo, ad decorem faciant ſua varietate. Tertia, ut homines non ſuæ induſtriæ & prudentiæ fidant, ſed quæcunque adhibeant, meminerint ſucceſſus optatos eſſe à Deo, & eos ab eo poſtulent. Quarta, ut quibus Deus proſperos eventus largitur, iis utantur ad gloriam ejus; & quibus minus ſuccedunt, ſciant paratam eſſe materiam ſuæ patientiæ & modeſtiæ. Quod piis maximè neceſſarium eſt, circa hæc terrena, in quibus etſi Deus ſuorum quorundam labores eventibus & fructibus proſperis donaverit, longè pluribus tamen eoſdem ſubtraxit & ſubtrahit, ut ſciant terrenam fœlicitatem contemnere. Ubi tamen notandum eſt, etſi multi pii viri & boni aliquando infœlices ſint in caducis hiſce & naturalibus, ſemper tamen fœlices eſſe in iis quæ ſunt ſupra naturam; itaque univerſaliter verum eſſe dictum Davidis, Pſal. 1. ℣. 3. de homine juſto, *Quicquid faciet, proſperabitur.* Jacobi labores hactenus ceſſerant Labano. Onuſtus erat uxoribus & liberis, itaque non immeritò apud ſocerum hanc ſui diſceſſus rationem affert, *Nunc autem quando operabor pro domo mea?* In quibus verbis eſt modeſta expoſtulatio, quaſi diceret, Hactenus ita res tuas me agere permiſiſti, ut ex meo labore nihil poſſideam, præter amplam familiam, cui mihi deinceps proſpiciendum eſt: an igitur æquum eſſet, ut meorum curâ relictâ, perpetuò tibi inſervirem? Oſtendit igitur ſanctis viris, non eſſe negligendam curam rei familiaris, natura hoc dictante, ut quiſque ſuis provideat, quod qui negligunt, inter eos poni debent quos Apoſtolus appellat ἀςόργȣς, 2.Tim.3.℣.3. qui etiam 1. Epiſt.cap.5.℣.8. hoc pronuntiat; *Quod ſi quis ſuis & maximè domeſticis non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior.*

Ad

Ad hæc Laban adhuc ſuum urget, *Quid dabo tibi?* nempè ut maneret adhuc Jacobus, is enim erat ejus ſcopus. Ubi ſemper agit mala fide; quia non offert ei certam mercedem in futurum; ſed poſcere jubet, idque callido conſilio, ut ejus modeſtiâ abutatur; ſperabat enim minus poſtulaturum, quàm ei debebatur, quod certè turpe fuit aucupium, præſertim in ſocero, erga generum conſanguineum & tot liberorum parentem. Sed Deus ita dirigit Jacobum, ut reſponſo ſuo, quod in ſpeciem videbatur maximè favere rebus Labani, eum facilè adduxerit ad eam conditionem, qua ſtatuerat in ejus ingratitudinem & iniquitatem animadvertere.

Conditio proponitur à Jacobo, verſ. 31. & 32. ubi primùm videndum eſt, quo ſenſu dicat, *Non dabis mihi quicquam.* Non enim intendebat ſine mercede ſervire, ut poſteà videbitur. Intellexit igitur ſe nihil petere à ſocero ex præſentibus ejus bonis, & uſque ad illud tempus conquiſitis. Quæ præfatio aptiſſima fuit apud talem virum; vix enim ſolent avari libenter aliquid demere ex iis quæ in manu habent; ſed ubi de futuro lucro agitur, facilius conſentiunt. In futurum autem, promittit ſe iterum ei locaturum operam ſuam ad gregem cuſtodiendum, hac quam expoſiturus eſt lege. Itaque conſentit Jacobus in petitionem Labani, ut adhuc maneret, non quod ſeriò non anteà propoſuiſſet quod in animo habebat, nempè paternam domum repetere; ſed quia poſteà omnibus conſideratis, cùm videret Labanum adhuc urgere, nec abnuere de mercede ſecum paciſci, judicavit melius fore, ſi anteà familiæ ſuæ aliquid acquireret, nec inops, & omnium egenus in patriam rediret. Id procul dubio ei ſuggerente Deo, qui promiſerat ei ſe cum eo *futurum, ei benedicturum, & reducturum,* ſuprà cap. 28. ℣. 15.

Hæc autem eſt conditio quam proponit Jacob, ut de mercede ſua paciſcatur. Inter greges erant, oves & capræ unicolores, puta vel totæ albæ, vel totæ nigræ, erant etiam maculatæ, & notulis variegatæ. Petit Jacobus, ut poſtquam ſeparaverit unicolores à variegatis, Laban variegatas & diverſicolores aliis committat, ſibi unicolores paſcendas relinquat. Ex unicoloribus autem quicquid poſteà naſcetur variegatum, pro mercede ei cedat; quicquid autem nigrum, vel album, id eſt, unius coloris, maneat Labano, quam conditionem Labanus ambabus, quod dicunt, ulnis amplectitur, quia judicabat, multò pauciores unicolores ex unicoloribus naſcituras, quàm variegatas; cùm id naturâ comparatum ſit, ut ex albis albi, ex maculoſis maculoſi naſcantur. Unde Tytirus apud Virgil. Ecloga 1.

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram.

Ideò Laban incunctanter conditionem accipit, & approbat. *Ecce,* inquit, *utinam ſit ſecundùm verbum tuum.* Sic enim de verbo ad verbum interpretatur Pagninus hæc verba, הן לו יהי כדברך *hen lu jehi khidhbarekha*; ubi vox *utinam* non eſt tam optantis, quàm aſſentientis. Ideò Vulgata ſenſum rectè exprimit, *gratum habeo quod petis.* Notat etiam Mercerus vocem הן non ſemper eſſe adverbium demonſtrandi, ſed particulam aſſentientis, ut *ita, etiam:* & citat ex Rabbinis hanc proverbialem ſententiam, לאו הצדיקים הן שלהם הן ולאו שלהם. *Iuſtorum etiam, eſt etiam, & non illorum, eſt non.* Unde videtur deſumptum quod Chriſtus Matth. 5. dicebat, *Sit ſermo veſter eſt eſt, non non.* Hîc de ſenſu utriuſque vix ulla poteſt moveri difficultas. Sed in verſibus 32. & 37. eſt aliqua textualis, præſertim ſi ſpectemus diverſitatem inter interpretem Latinum cum textu Ebræo collatum. Priori Jacobus his verbis diſcernit ſeparandas ab aliis oves & capras; pecus נקוד *nakod*, וטלוא *vetalu.* Item חום in agnis. In capris repetit duo priora vocabula. Per נקוד nakod, *punctatum,* per טלוא talu *maculoſum.* Per חום *nigrum* vertunt interlinearis verſionis autores. In duobus prioribus ſatis perſpicua eſt ſignificatio; differunt autem inter ſe, quod prius dicatur de maculis minoribus, poſterius autem de majoribus. חום *chum* verò, etſi plerique cum Vulgata *nigrum* vertant, non tamen propriè *nigrum* ſignificat, ſed *rufum*, aut potius fuſcum, non planè nigrum, ſed nigricans, quod Gallicè dicimus *brun*, vel *enfumé*, quales ſunt veſtes fratrum quos vocant *minimorum* Franciſci de Paula. Vox ex etymo ſignificat propriè exuſtum, à radice חמם *chamam*, quæ denotat calidum eſſe, æſtuare, ardere; ſed non accipitur pro planè nigro, notatur color fuligineus, qualis eſt in pannis aut linteis aduſtis. Vulgata *fulvum* vertit, ſed non quadrat, quia color eſt auri jam ſplendidior. Conſentiunt tamen hîc, omnes pecudes quas voluit removeri Jacobus, his notis & coloribus fuiſſe deſignatas, ut ſibi unicolores ſervaret paſcendas; ex quibus poſteà quæ diverſicolores naſcerentur, nempè diſtinctæ unâ ex tribus iſtis notâ, ad ipſum pertinerent jure mercedis. Quod cùm à Labano fuiſſet acceptatum, mirum eſt quod verſ. 37. in editione vulgata legimus, Labanum poſt ſeparationem factam, *cunctum gregem unicolorem, id eſt, albi aut nigri velleris tradidiſſe in manum filiorum ſuorum.* Contrarium enim petierat Jacob, & conſenſerat Laban. Ideò in textu Ebræo *unicoloris* vox non legitur; reliqua autem ſic habent, כל אשר לבן בו וכל-חום בכשבים ad verbum, *omne cui candor in eo, & omne fuſcum in agnis*, &c. quod de unicoloribus non intelligitur, ſed de maculatis ex albo & nigro, & de agnis fuſcis, qui ex pacto ſeparari debuerant à grege Jacobi. Itaque non poteſt cohærere, quod Vulgata hæc ita interpretatur, quaſi unicolores datæ eſſent paſcendæ filiis Labani, diverſicolores autem Jacobo. Ideò ſunt inter Pontificios qui ingenuè fatentur textum Latinum eſſe mendoſum, & emendandum eſſe addita negatione ante unicolores: ut ſenſus ſit verus, Unicolores dedit Jacobo; at macu-

loſum pecus & non unicolorem, in quo aliquid albi erat admixtum, dedit filiis ſuis. Id agnoverunt Abulenſis, Lyranus, Lypomanus & Cajetanus. Quorum ſententiam etiam confirmat verſio Græca, quæ in toto hoc verſu non diſtinguit inter pecudes unicolores & variantes, ſed ſimpliciter de variegatis agit, ut in prima parte conditionis à Jacobo poſitæ. Sic enim hunc verſum ex Græco interpretantur, *Et ſeparavit in die illa hircos ſparſos, & ſubalbos, & omnes capras ſparſas & ſubalbas, & omne quod erat fuſcum in agnis, & omne quod erat album in eis, & dedit in manu filiorum ſuorum.* Viderunt autem viri docti, vulgatam nec cum Ebræo vel Græco, nec cum veritate conciliari poſſe. *At* (inquit Pererius) *damnare, quod illi faciunt, Latinam lectionem hujus loci, quam omnes Latini codices concordiſſimè habent, etiam qui juſſu Sixti* V. *ſunt emendati, nefas duco.* Igitur, tam ille quam alii, varias exquirunt rationes quibus hunc nodum poſſint ſolvere, ſalva ſuæ verſionis autoritate. Sed fruſtra ſunt. Hinc eſt quod tot ſint inter eos de ea re ſententiæ, quot capita, nemine acquieſcente in alterius ſolutione. Pererius eam amplectitur, quam Lyranus meritò, multum extortam dicit; Cornelius etiam à Lapide, eſſe duram & diſtortam. Fingit enim eſſe hyſterologiam, & intelligi, quod Laban dedit unicolores oves ſuis filiis, non in prima illa diſtinctione poſt pactum; ſed poſt ovium partum, cum iniit rationem cum Jacobo, tunc enim accepit novas pecudes unicolores. Sed agitur maniſeſtiſſimè de prima executione pacti, & diſtributione gregis, ideò non poteſt conſiſtere hæc opinio. Alter Jeſuita Cornelius à Lapide, *commodiorem & probabiliorem ſolutionem ſe reperiſſe putat,* quod optaverat Pererius ab alio, qui ingenio majori, cura & contentione animi in id incumberet; unde ſatis conſtat non acquieviſſe in ea quam propoſuit. Quid ergo novi apportat iſte? Nempe Jacobo quidem datas fuiſſe oves unicolores; ſed Labanum ei adjunxiſſe filios ſuos, ne Jacob dolo, contra pactum, oves unicolores clanculum ſubduceret. At hoc falſum eſſe ex eo conſtat, quod cum Jacob operam ſuam Labano conduxiſſet, ea quam diximus lege, non dixit, ſi quid ſubducam ex unicoloribus, teſtabuntur filii tui quos mecum relinques, ſed *teſtabitur juſtitia mea, quando veneris ſuper mercedem meam coram te.* Deinde, quomodo Jacobus potuiſſet uti artificio virgarum de quo poſteà agetur, ſi Labani filios habuiſſet actionum ſuarum perpetuos exploratores? Tertius ergo Marius, hac etiam ſententia tanquam minus probabili, rejecta, exiſtimat, hoc verſu in quo ex vulgata conſtat, Labanum ſibi & filiis ſuis reſervaſſe unicolores contra pactum, non intelligi primam illam diſtributionem quæ initio facta fuit; ſed aliam, poſtquàm Laban videns, poſt artem illam qua utetur Jacobus, pleraſque pecudes maculis diſtinctas naſci, mutavit Jacobo mercedem, & contrariam viam iniit, ut ex cap. ſequenti patebit. Tum enim maculatas dedit Jacobo, & unicolores filiis ſuis. Sed hoc ſubſiſtere non poteſt. Quia etſi verum ſit, ſæpius mutaſſe pacti conditiones Labanum, neceſſarium eſt tamen hic agi de ea ſeparatione quæ facta eſt priuſquam arte ſua Jacobus uteretur, ut diverſicolores pecudes naſcerentur, ex præcocioribus unicoloribus; cum hæc narratio præmittatur huic artificio Jacobi, de quo poſteà agetur. Ex quibus patet adverſariis aquam hærere, nec poſſe ulla probabili ratione, vulgatæ editionis maniſeſtiſſimum errorem eluere, & cum textibus Ebræo & Græco conciliare. Proinde editionem illam non poſſe eſſe authenticam. Emanuel Sa, *Dedit in manu filiorum,* id eſt, inquit, *generi,* mariti filiarum, vel *nepotum,* id eſt *filiorum Iacob. Ita,* inquit, *interpretor ut ſervem vulgatam editionem, nam in Hebr. planè videntur intelligi filii Laban.* Scilicet bene ſervatur vulgata. Quis ſanus unquam hoc capiet in manus filiorum, id eſt, generi? vel *nepotum?* An vero nepotes quorum natu major nondum ſeptennis erat, capaces fuerunt iſtius curæ? Sic neceſſarium eſt ut multa abſurda dicant, qui unum benè intelligere nolunt. Mariana, omnibus prudentior, diſſimulata editione vulgata, quam non potuit excuſare, textum Ebræum ſequitur, & de cætero ſilet, quia videbat vulnus eſſe inſanabile. Nullus eſt locus in quo evidentius hallucinatus ſit vetus ille interpres, quem miror à noſtris non fuiſſe objectum, ubi de erroribus agunt vulgatæ editionis.

Exercitatio CXXXI.

Quonam referenda verba Iacobi, Teſtabitur mihi juſtitia mea. *Quomodo vir ſanctus poſſit juſtitiam ſuam prædicare? Diſtinctio juſtitiæ cauſæ & perſonæ.* ענה anah, *verbum forenſe.* Craſtina dies *pro futuro tempore. An prudens fuerit pactum Iacobi? Quæſtionis ſolutio. Non abutendum hoc exemplo, & cur? De artificio quo uſus eſt Iacobus, judicium.* στύραξ arbor. *Item* ערמון armon: *Conceptus matutinus & veſpertinus. Valeſii hallucinatio ex non intellecta Ebræa phraſi.* Oves colligatæ. *Iacobum obſervaſſe rationes Phyſicas. Quomodo in conceptione operetur imaginatio? Mulier candida AEthiopem pariens, abſolvitur à Medicis. Variæ impreſſiones in partu, ex imaginatione. Arti & naturæ additam fuiſſe divinam benedictionem. Iudicium ex eventu fallax. Dolus Iacobi an fuerit malus? Solutio dubii. Iacobum omnia geſſiſſe monitu divino.*

Jam inquirendum quid ſibi velit Jacobus his verbis verſ. 33. *Et teſtabitur mihi juſtitia mea, in die craſtina, quando veneris ſuper mercedem meam, coram te,* &c. Hæc enim verba ita accipiunt plerique interpretes

pretes, ac ſi Jacobus vellet indicare, ſe ideò mercedem illam petiiſſe ſibi aſſignari, quæ incerta videretur, imò quæ, ſi naturæ ordinem ſpectemus, exigua eſſet admodum, ut poſteà Labanus ipſe, cum veniret ad diſtributionem pecoris aucti, videretque tot oves varii coloris natas, agnoſceret Deum juſtitiæ Jacobi rationem habuiſſe, cui tantam mercedem eſſet largitus, præter naturæ communem rationem. Itaque diſputant hic de merito juſtitiæ, & ejuſdem mercede quam à Deo pii ſperant. Alii qui meritum in juſtè factis non agnoſcunt, putant nihilominus Jacobum ſperaſſe gratuitam mercedem integritatis ſuæ, & id voluiſſe his verbis indicare. Itaque illud, *teſtabitur juſtitia mea*, intelligunt de juſtitiæ teſtificatione coram Deo; cum tamen hanc interpretationem ferre non poſſit ſcopus Jacobi, qui clarus eſt ex ſequentibus verbis, *quando veneris ſuper mercedem meam, coram te.* Illud enim ſic reſolvendum, *teſtabitur mihi juſtitia mea coram te, quando veneris ſuper mercedem meam*, hoc eſt, quando volueris rationem habere mercedis, quam mihi ex pacto ſumpſerim, tum enim videbis me nihil accepiſſe præter id quod mihi ex pacto debitum erit: Hac autem ratione id poteris indagare, nempe, ſi aliquid non maculis reſperſum reperias in meis, tum dices id furto ablatum fuiſſe apud me, id eſt, me furti convinces; contrà, ſi nihil reperias præter eos greges qui mihi adjudicantur, tunc coram te teſtabitur juſtitia mea, hoc eſt abſolves me, & agnoſces in eo me juſtè ambulaſſe. Hic eſt perſpicuus hujus loci ſenſus, quo ſemel poſito, evaneſcunt quæſtiones de merito: & facillimè ſolvitur quæ ſit à nonnullis, quomodo Jacob, cum fuerit vir ſanctus, prædicet ſuam juſtitiam? cum juſti non ſoleant prædicare ſuas virtutes. Solutionem hic vidit Jeſuita Pererius, aliud eſſe præciſè & abſolutè commemorare & prædicare juſtitiam ſuam, quod nec faciunt ſancti viri, nec fecit Jacob; aliud eſſe memorare juſtitiam ſuam quantum ad aliquid, vel quantum ad crimina ſibi objecta purgando ſe, vel quantum ad aliquid à ſe quidem factum, demonſtrando non malignè vel iniquè, ſed ſincerè factum eſſe. Quod ſæpius in Pſalmis fecit David. Itaque rectè concludit poſt Hieronymum, Jacobum prædicare juſtitiam ſuam, non qua putaret ſe abſolutè juſtum, coram Deo, ſed qua fideliter, ſincerè, & innocenter ſerviturus erat Labano. Hoc eſt quod dicimus, aliam eſſe juſtitiam perſonæ, aliam cauſæ. Agi de juſtitia cauſæ, non de juſtitia perſonæ. Addimus, quæſtionem non eſſe de teſtificatione coram Deo ad abſolutionem; ſed de teſtificatione coram Labano, ut non poſſet Jacobum furti arguere. Senſus enim eſt, ut diximus, cum videbis me non retinuiſſe quidquam, quod ad me non pertineat, nihilque repereris in proprio grege meo natum, quod verſicolore non ſit vellere; tum pro me reſpondebit apud te juſtitia mea, me nempe nihil furto abſtuliſſe. Hæc erat ratio certiſſima, qua Labano tollere poterat omnem ſuſpicionem & diffidentiam. Hinc eſt quod dicebamus nuper, tali cautione opus fuiſſe, cum Jacobus ſolus curam hanc ſuſciperet, dum illius refellebamus ſententiam qui cenſuit, Jacobo junctos fuiſſe in eum finem filios Labani, ne aliquid interverteret. Non igitur hic accipitur juſtitia per metalepſin, pro mercede juſtitiæ.

Hæc de ſenſu, ſed phraſis Ebræa notanda eſt, וענתה בי *veanetah bi*, & reſpondebit pro me juſtitia mea. Eſt enim ענה *anah*, verbum forenſe, quo ſignificatur teſtimonium ferre pro aliquo vel contra aliquem; & tum cum ב conſtruitur. Hac phraſi uſus eſt legiſlator Exodi 10. לא תענה *lò thaaneh*, ad verbum *non reſpondebis, in ſocium tuum teſtis falſus.* Sic Eſai. 59. verſ. 12. *peccata noſtra reſponderunt contra nos*, ענתה בנו *anetah banu.* Hoſ. 5. ℣. 5. *reſpondebit ſuperbia Iſrael in faciebus ejus*, id eſt adverſus eum. Unde liquet, non rectè vertiſſe Græcos, ἐπακούσεταί μου, *exaudiet me.* Quid enim hoc eſſet, ſuperbia Iſraëlis exaudivit faciem ejus?

Illud autem ביום מחר *bejom machar* in die craſtina, non præciſè accipi debet pro ſequenti die, ſed generaliter pro futuro tempore, ut *heri* pro præterito, & *hodiè* pro præſenti, quomodo accipiuntur hæ particulæ, ad Ebr. 13. ℣. 8. *Ieſus Chriſtus heri, & hodiè, ipſe & in ſecula.* Sic Exod. 13. ℣. 14. Deut. 6. ℣. 20. *Cum interrogaverit te filius tuus cras*; id eſt, *in poſterum, poſthàc*, ſine ulla interminatione temporis. Sic Joſue 22. ℣. 24. *cras dicent filii veſtri filiis noſtris*, &c.

Hic quæri poteſt, an prudenter egerit Jacobus in hac pactione, qua ſe obligavit ſocero, ſub conditione mercedis incertæ, cum potuiſſet de certo aliquo ſtipendio paciſci. Et hæc certè cauſa videtur fuiſſe, cur poſteà Labanus toties mutaverit conditiones, cum enim incertus eſſet eventus, hominum ratione, videretque creſcere pretium mercedis ſupra ſpem ſuam, invertebat conditiones pacti, nuſquam acquieſcendo, quod potuiſſet prævertere Jacobus, ſi petiiſſet mercedem definitam. Quod ſi dicamus, Jacobum rem ſuam Deo commiſiſſe, expectaſſeque ab eo incrementum tale, quo abundè compenſaretur labor ſuus, poſſet quis inſtare, an non id eſſet Deum tentare, cum quis ita poteſt cum hominibus agere, ut ab initio de certa mercede conveniat, rem caſui committere, & expectare mercedem, quam vocant, caſualem; videtur enim quaſi ſorte agere, quam quidem legitimè uſurpatam Deus non improbat, eamque gubernat; ſed non videtur uſus ejus eſſe legitimus, niſi quando aliter non poteſt res terminari. Solutionem horum dubiorum ex præcedentibus ſumi debere exiſtimamus. Id ergo primò notandum eſt, hactenus Labanum egiſſe cum Jacobo mala fide, ejuſque laboribus fœdè fuiſſe abuſum. Non potuiſſe igitur Jacobum ei fidere, & ita de certa mercede paciſci, quæ aliunde quam ex proventu ovium veniret, ut ſperare poſſet à Labano ſibi eſſe reddendam ſine contentione; cujus anteà expertus erat duritiem. Cum igitur in eo loco eſſet in quo omni humano auxilio

xilio deſtitutus erat, voluit ſe Deo committere ſine medio. Si ex grege certum petiviſſet numerum ſingulis annis, difficiliorem ſe præbuiſſet Laban; eam igitur prudenter elegit rationem, in quam exiſtimavit facile acquieturum. Ergo incertam quidem petiit mercedem opinione Labani, qui etiam putavit exiguam futuram. Sed non incertam ſibi, ſaltem in genere, hoc eſt, credidit Deum à cujus benedictione illam expectabat, talem daturum, quæ laboribus ſuis reſponderet, etſi definitè neſcierit quantitatem. Dico autem in ea ſpe, nullam fuiſſe Dei tentationem, quia noverat Deum eſſe vindicem ſuorum, ubi ab hominibus injuriam patiuntur; ſed præterea memor erat promiſſionum Dei, & ſingularis protectionis & curæ; ut non dubium ſit, quin ex fide profectum fuerit, quicquid in hoc negotio ſuſcepit, quod eventus etiam indicabit. Non tamen putandum eſt eſſe eandem rationem in iis, qui temerè ſpondent in rebus incertis, & mutuo certant de lucro aut jactura, depoſita certa pecuniæ ſumma, quæ cedet victori ſine ullo labore vel ſudore. Nihil tale factum eſt à Jacobo, qui ſibi propoſuit fidelem curam commiſſi gregis, ſed à Deo expectavit mercedem laboris, quam ab homine non accepiſſet laboribus reſpondentem.

Sed in executione pacti, de qua in ſequentibus agitur à verſ. 37. ad finem uſque capitis, videtur à Jacobo aliquid admiſſum, quod ejus ſimplicitati, & juſtitiæ poſſet detrahere, niſi rectè intelligeretur. Nam artificio uſus eſt ad ampliandam ſuam mercedem, de quo non convenerat inter eum & ſocerum. Narrat Moſes verſ. 37. paraſſe Jacobum virgas, לבנה *libneh* populi, ולוז *veluz*, & coryli, וערמון & caſtaneæ. Vulgata לוז luz, *amygdalum* interpretatur, & ערמון *armon*, platanum: Græca editio, στυρακίνην, καὶ καρυΐνην, *ſtyracinam* & *nucinam*, in duobus prioribus habet; in *platano*, cum vulgata conſentit. Eſt autem στύραξ arbor in Syria frequens, cotoneo malo ſimilis, quæ lachrymam odoriferam emittit, quam in officinis appellant *ſtoracem*. Druſius improbat eos, qui loco *platani*, caſtaneam interpretantur, ſequuti Davidem Camium & Salomonem Jarhium. Chaldæus Paraphraſtes ערמון *armon* reddidit per דדלוב *didlub*, quam vocem Fagius *caſtaneam* interpretatur, *non benè*, inquit Druſius, *meo judicio*, quia דלוב *dilub*, platanus. Docet hoc ex lingua Arabica, in qua ea arbor *Dulb* vocatur. Quovis modo accipiamus (nam ſæpè in plantarum nominibus dubia incidunt circa propriam ſignificationem) ad ſenſum non multum intereſt. Ait Moſes, Jacobum accepiſſe virgas variarum arborum, quarum tres ſpecies nominat, non quod tantum tres virgas acceperit, ſed quia ex tribus illis ſpeciebus (ut hic non opus ſit cum nonnullis inveſtigare myſteria) *virides* fuiſſe virgas notat hiſtoria, & haud dubiè tempore illo recens abſciſſas, quo arbores librum dimittunt, tunc enim facilè poteſt ſeparari cortex. Hoc ergo fecit Jacobus, virgas illas variavit, partem corticis tollendo alia manente, ita ut partim virides manerent, partim albæ; arborum autem illarum cortex non eſt planè viridis ſed nigreſcit; itaque in his virgis imitatus eſt varietatem illam quæ in ovibus mixti aut varii coloris cernitur. Uſus eſt autem triplici artificio Jacobus, ut mercedem ſuam augeret; primò virgas illas deponebat in aqualiculis, ut cum incaleſcerent oves, & inirentur, videntes has virgas diverſi-colores, earum fœtui ſimilis color imprimeretur. Secundò agnos recens natos maculis diſtinctos, in unum gregem redigebat, & ora pecudum Labani quæ erant unius coloris, obvertebat, ad pecudes illas varias, id eſt ſuos illos agnos faciebat antecedere gregem ovium Labani, ut hæ oves ſequentes dum incaleſcebant contuitu varii coloris agnorum, ſimiles conciperent & parerent; quas autem habebat oves ad concipiendum aptas varii coloris, illas non obvertebat pecudibus Labani unius coloris, ne earum aſpectu conciperent quæ in partem Labani veniſſent. Tertiò, verſ. 41, & 42. aliud artificium memoratur, quod certa temporis diſcretione uſus ſit, ut in admiſſura ovium fœtus ſibi acquireret robuſtiores, in prima fœtura; in alia vero non imponebat virgas, ut oves tardiores Labani eſſent, utpote unicolores: ubi, diſtinctio illa inter eas quæ *maturiùs*, & quæ *ſeriùs* concipiebant, aut incaleſcebant, non debet intelligi, conceptus matutinus, & veſpertinus in uno & eodem die, ut putavit Valeſius in ſacra Philoſophia, diſputans matutinum fœcundiorem eſſe & meliorem, veſpertinum autem deteriorem; cujus rei cauſam refert, ex ratione victus animalium, & temporis circumſtantia. Sed otioſe omnia. Chaldæus Paraphraſtes, *oves primitivas* dixit, eas quæ coibant in prima admiſſura, hoc eſt in menſe Niſan, reſpondente noſtro Martio, tempore verno, quarum fœtus propter clementiam ſubſequentis æſtatis validior erat, unde textus Ebraicus vocat eas oves, מקשרות *mekuſchſcharoth* colligatas. Dicuntur autem *colligatæ*, quæ membra melius compacta habebant, & ad naturæ munia erant habitiores. Unde *fortiores*, interpretantur, quia omne vinculum roborat. Vulgata diſtinxit, inter primum tempus, & *admiſſuram ſerotinam*, id eſt eam quæ fiebat menſe Septembri, in autumno, deſcendente ſole & æſtu, ex qua naſcebantur oves ſerotinæ, quas quia propter ſubſequens frigus, hyemiſque aſperitatem debiliores erant, עטפים *atuphim* vocat, quod minus valerent robore; עטף *ataph*, enim Ebræis langueſcere & deficere ſignificat. Jacob itaque ita attemperavit artificium ſuum, ut partes anni diſtribuerit unam ſibi, alteram Labano, ne ſi bis in anno eo uſus fuiſſet, dolum ſubolfaceret Laban, nihilque ad ipſum perveniret: unde merito potuiſſet conqueri Laban, ſi omnia ceſſiſſent Jacobo. Itaque tutius viſum eſt uti aliqua moderatione, ita ut quæſtum quidem faceret Jacob luculentum, ſed tamen ſocer non planè fraudaretur.

In omnibus his partibus artificii Labani, obſervant omnes interpretes, rationes phyſicas fuiſſe à Jacobo

intel-

intellectas, quibus poſſet, & pecora diverſi coloris, & robuſtiora ſibi acquirere. Robuſtiora quidem, obſervata ratione temporis. Varii coloris autem, objecta coëuntibus pecudibus ſpecie virgarum varii coloris: Ita ut dum biberent oves, ſimulque mares in femellas ſalirent, ſpecies illa directa virgarum decorticatarum & diverſicolorum in aquis jacentium, ſpeciei reflexæ, vel umbræ marium ineuntium in aquis mixta, unam quaſi ſpeciem variegatam femellis ingereret, quaſi cernerent ſuos mares ita coloribus variantes: unde vi phantaſiæ eoſdem colores ſuo fœtui quem tum concipiebant, imprimebant. Mares etiam ex ſimili femellarum umbræ aſpectu, permiſtæ virgarum ſpeciei, formam diverſicolorem ſuo fœtui imprimebant.

Id ita naturâ comparatum eſſe, Phyſici docent, & experientia comprobat. Cum enim in admiſſura phantaſiæ vis ſoleat eſſe maxima, quia tunc anima omnem ſuam vim exerit; conſequitur ex eo talis impreſſio in fœtu; non quod potentia imaginatrix per ſe, ac vi ſua, ullam producere queat qualitatem, ſed quatenus ſpiritus, ſanguinem, ac humores ciet, ex quorum vario motu & coitione variæ in corporibus qualitates exiſtunt. Niſi etiam dicamus, quemadmodum ſubſtantia interventu accidentis ſubſtantiam gignit; ita animam per intentionale & adumbratum eſſe rei, quale eſt imago coloris in phantaſia ab anima expreſſa, verum ac perfectum ejus eſſe producere poſſit, in certis quibuſdam ſubjectis ad id aptis, ut in fœtuum materia, quæ tenuis & flexibilis eſt. Sic effigies, & color, & alia ejuſmodi accidentia præconcepta, in materiam fœtus inducuntur. Imò etiam alienam & planè peregrinam rei cogitatæ formam aliquando materiæ induci, experientia comprobatum eſt. Huc enim referri debet, quod ex utroque parente albo, cum mater Æthiopem, quem in cubiculo depictum habebat, imaginatione verſaret; natus ſit filius Æthiopem referens. Quæ narratio ſi cui ſuſpecta videatur, Auguſt. quæſt. 93. in Geneſim, ubi de ea re occaſione hujus loci diſſerit, oſtenditque facto Jacobi multa dici ſimiliter fieri in animalium fœtibus, *Sed & mulieri cuidam*, inquit, *traditur ſimile quid accidiſſe, ſicut in libris antiquiſſimi & peritiſſimi Medici Hippocratis reperitur: Illa enim ſuſpicione adulterii fuerat punienda, quod puerum pulcherrimum peperiſſet, utrique parenti generique diſſimilem, niſi memoratus medicus ſolviſſet quæſtionem, illis admonitis quærere ne fortè aliqua talis pictura eſſet in cubiculo: qua inventa, mulier à ſuſpicione liberata eſt.* Eadem refert Hieronymus in traditionibus Ebraicis, ex quo fortè ſua deſumpſit Auguſtinus. Res eſt pervulgata & experientia communi comprobata, ſæpè ex forti matrum imaginatione infantibus varias rerum formas induci, ac nævos, lentigines, verrucas, lituras, ſpecies etiam aliquando & figuras fructuum, maculas vini rubri & ſimilia imprimi. Sic accidit ut ex leporis obtutu, infantes ediderint multæ mulieres, ſupremo labello bifido, vel bifurcatim diſſecto. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 12. Etymolog. cap. 1. variorum animalium affert exempla, in quibus ars illa ſuccedit. *Hoc ipſum*, inquit, *in equarum gregè fieri dicitur, ut generoſos objiciant equos viſibus concipientium, quo ſimiles eorum concipere & procreare poſſint. Nam & columbarum dilectores, ponunt pulcherrimas columbas, iiſdem locis quibus illæ verſantur, quo videlicet, rapiente viſu, ſimiles generent.* Hoc naturæ artificium Plinius lib. 7. Hiſt. naturalis cap. 12. ſic eleganter deſcripſit. *Similitudinum in mente reputatio eſt, in qua creduntur multa fortuita pollere, viſus, auditus, memoria, hauſtæque imagines ſub ipſo conceptu. Cogitatio etiam utriuſlibet animum ſubito tranſvolans, effingere ſimilitudinem, aut miſcere exiſtimatur: ideoque plures in homine quam in cæteris animalibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenii varietas, multiformes notas imprimit; cum, cæteris animalibus, immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus, ſinguliſque in ſuo cuique genere.* Id quod dicit de cauſa differentiarum in hominibus, deſumpſit ex Ariſt. 12. problem. ſectionis 10. Itaque vix dubitari poteſt, Jacobum cum hoc artificio uſus eſt, rationem illam Phyſicam reſpexiſſe, quam experientiâ potuerat didiciſſe, poſtquàm tamdiu paſtoritiam artem exercuiſſet. Cum ergo quæritur, an ars qua uſus eſt ita naturalis fuerit, ut effectus qui conſequutus eſt fuerit etiam naturalis, necne? Reſpondendum cenſemus, id fieri naturaliter poſſe, ut jam dictum eſt; & ad effectum illum quod ſpectat, cauſas etiam naturales concurriſſe non dubitandum, quod etiam expectavit Jacobus. Tamen id prætereà attendendum, quod velut in ordinario proventu fructuum aut pecorum, aliquando Deus extra ordinem multiplicat meſſem, vindemiam, & greges, ita ut præter ſpem, & ſupra laboris aut ſementis rationem, colligant meſſores, &c. Sic etiam huic Jacobi artificio ita benedixit, ut prorſus ex voto ſucceſſerit quod ſuſceperat. Ubi ſingularis etiam poteſt obſervari providentiæ Dei adminiſtratio, quia cauſa illa non eſt adeò efficax & neceſſaria, quin ſæpè fallat; cum ſit cauſa partialis, quæ à fortiori ſæpè vinci poteſt; quod etiam nunc experiuntur qui eadem arte conantur canes, aves, & alia animalia variis coloribus diſtincta procurare, quos ſæpè deſtituit ſpes, etſi omnem lapidem moverint. Statuendum eſt ergo Deum peculiari ſuo concurſu, ut benediceret Jacobo & eum ditaret, applicaſſe phantaſiam ovium ad hanc verſicolorem virgarum imaginationem, & ita cauſas ſecundas moviſſe, ut in effectu ſuo producendo, nihil impediret, quo minus omnia procederent ſecundum intentionem Jacobi.

Sed jam tempus eſt ut quæramus, an recta fuerit intentio? Id quidem videtur ex dictis conſequi, quandoquidem eventus ita reſpondit, quomodo ſibi propoſuerat. Quod ſi quis dicat, non ſemper de actionum quali-

qualitatibus, ex eventu judicandum eſſe vel proſpero vel infauſto, id quidem verum eſt; & notum eſt Deum concurrere ſæpè ad eventum quarundam actionum naturalium, quæ effectum ſuum naturalem producunt operante Deo, cum tamen actiones non ſint moraliter bonæ. Poteſt accidere ut aliquis agricola ſementem projiciat in agrum alienum, ſine Domini permiſſione, in quo Deus terræ, ſoli, pluviæ & aliis cauſis naturalibus cooperabitur, ut ager fructum ex ſemente proferat; cum tamen agricola moraliter malè fecerit, cum uſus ſit agro alieno tanquam ſuo. Ferunt matrem Petri Lombardi, qui Magiſter ſententiarum vulgo vocatur, & Gratiani collectoris decreti, item Petri Comeſtoris autoris Hiſtoriæ ſcholaſticæ, tres illos filios ſuſcepiſſe ex illicito concubitu, quæ cum in extremis peccatum ſuum confiteretur, & confeſſor redargueret crimen perpetrati adulterii,& ad pœnitentiam ſeriam eam hortaretur, reſponderit, ſcire quidem ſe adulterium peccatum magnum eſſe, ſed cum conſideraret quantum bonum inde ſecutum eſſet, cum iſti ejus filii eſſent magna luminaria in Eccleſia, non poſſe pœnitere. Illa nolebat diſtinguere inter cauſas morales & cauſas naturales, & ex eventu commodo, de morali facti qualitate judicabat. Ideò aliud eſt perquirendum, quo factum Jacobi juſtificetur, præter eventum utilem. Nam de impiis etiam dicit Jobus, *Improbos vivere, veteraſcere, etiam viribus valere, ſemen eorum firmum eſſe coram eis, & prognatos eorum in oculis eorum; Domibus eorum pacem eſſe à pavore, eniti vaccam eorum nec abortire,* &c. Job. 21. ℣. 7. & ſeqq. Item de impio, *mulctralia ejus plena eſſe lacte; & medullam oſſium ejus irriguam.* ℣. 24. *Sunt improbi quibus accidit ſecundùm opus juſtorum.* Eccleſiaſtic. 8. ℣. 4. Ergo ex fœlici rerum proventu, non eſt argumentandum ad operis alicujus juſtitiam aut æquitatem.

Certum eſt, triplex illud artificium Jacobi fuiſſe præter intentionem Labani, quando pepigit cum eo, nunquam enim id permiſſurus fuiſſet. Jacobus ſimpliciter propoſuerat, ſe pro mercede accepturum, quod ex grege unicolore, maculatum vel fuſcum naſceretur. Id intellexit Laban ſecundum communem naturæ ordinem. Itaque dolo uſum eſſe Jacobum, extra controverſiam eſt. Quæritur an fuerit *dolus malus*, vel *dolus bonus.* Dolum bonum pro ſolertia veteres dicebant, qualis eſt medicorum cum fallunt ægros, aut Judicum dum arte aliqua à reis veritatem extorquent, qualis fuit ſolertia Salomonis in vera matre inquirenda. Dolum malum apud Ciceronem Aquilius definit, cum aliud eſt ſimulatum aliud actum, qui videtur uſurpatus fuiſſe in hac Jacobi actione: ſignificabat enim ſe contentum eſſe proventu naturali ovium unicólorum; & tamen arte naturam flectebat ad emolumentum ſuum. Cum autem ex communi mente contrahentium, intelligi debeat contractus, nec aliter eum intellexerit Laban, quam de pecudibus quæ naturaliter & caſu, non autem de iis quæ per artem & fraudem naſcerentur, videtur læſus fuiſſe & fraudatus, & rationem eſſe, cur quis bonam fidem & ſimplicitatem in Jacobo requirat.

Hic recurrunt multi ad injurias quas Jacobus à Labano acceperat; ut quod poſt ſeptennii ſervitium, ſubſtituit Leam pro Rachele; quod aliud ſeptennium extorſit pro ſecunda, quod ei dedit indotatas uxores, & per omnia ſe iniquiſſimè geſſit apud generum ſuum; ita ut, ſi æqui fuiſſent Judices, apud quos potuiſſet de fraudibus ſoceri conqueri Jacobus, non potuiſſent, quin ex æquo damnarent Labanum ad reſtitutionem & compenſationē. Quum ergo deeſſent tales judices, potuiſſe eum juſtè ſibi arte uſurpare, quod injuſtè detinebat ſocer, titulo compenſationis, quia ab homine avaro violenter opprimebatur, & juſtam laborum ſuorum mercedem non poterat aliter extorquere. Itaque jus ſibi ex neceſſitate dixiſſe, ſuumque hac arte repetiviſſe.

Sed, ſi id tantum afferretur in defenſionem Jacobi, non eſſet juſta excuſatio, & periculoſum proponeretur exemplum. Nam ut benè notat doctiſſ. interpres, etſi talis defenſio colorem habeat apud homines, non eſt tamen coram Deo probabilis. Nam, quamvis injuſtè nobiſcum agatur, non eſt tamen certandum pari malitia. Si enim ſingulis ulciſci vel ſarcire quavis ratione proprias injurias permiſſum foret, non opus eſſet judiciis, & maxima oriretur confuſio. Potius ergo debuiſſet Jacobus eam ſequi rationem quam per os Pauli tradit Deus, ut ſtudeant fideles bonum malo vincere. Rom. 12. ℣. 12. Nihilominus cum ex toto contextu pateat, aſtutiam hanc Jacobi non ei vitio verti, neceſſarium eſt ut ſtatuamus, nihil in ea re feciſſe eum quod Deo diſpliceret.

Itaque ſic ſtatuen dum puto. Primùm, cum Jacobus cum Labano contraxit de pecudibus maculatis, ex unicoloribus naſcituris, ſimpliciter egiſſe cum eo, nec tum cogitaſſe de ulla arte adhibenda, ut augeret mercedem ſuam; ſed à Deo expectaſſe benedictionem, etiam ſupra, & contra id quod natura comparatum erat; nec tunc aliud cogitaſſe, niſi quod ſtatuta ſemel mercede ex proventu gregis, ſi ſe Dei providentiæ & tutelæ committeret, ſe abundè accepturum pro compenſatione laborum. Ut id ſtatuam moveor duobus argumentis; quorum prius duco à ſimplicitate Jacobi, quæ anteà in actionibus ejus omnibus in domo Labani apparuit, quam decuit etiam totam in Dei providentiam recumbere, de qua ſpeciales acceperat promiſſiones. Huic fidei tribuo, quod conditionem propoſuit ſocero tam plauſibilem, ſibi verò, quantum quidem ex ordinario naturæ curſu judicari poterat, parum utilem futuram. Idcirco dixi ſupra, in eo non tentaſſe Deum, etſi tum neſciret fortaſſe rationem qua mercedem ſuam aucturus eſſet; quia noverat in genere quid ſibi promiſiſſet Deus, qui vindex eſt ſuorum. Alterum

rum argumentum quod me movet, inde ſumitur: quod ſi tum Jacobus cogitaſſet de artificiis quibus poſtea uſus eſt, vix poſſent verba contractus excuſari, ab ambiguitate, aut reſervatione aliqua mentali, quam anteà tanquam viris piis & probis indignam, exploſimus.

Secundum igitur quod ſtatuendum putamus, eſt, poſt contractum ſimpliciter factum, & ex communi mente contrahentium intellectum, Jacobum à Deo per Angelum fuiſſe monitum, quod Deus vellet rebus ejus conſulere, & Labani iniquitatem caſtigare hac ratione; itaque monitu ejuſdem Angeli has omnes artes adhibuiſſe; non quod Deus non poſſet, ſine ullo humano artificio, ex pecudibus unicoloribus, maculatas & fuſcas producere; ſed quia etiam non negligit uti cauſis naturalibus, ubi poſſunt adhiberi. Voluit etiam id eſſe Jacobo veluti ſignum futuri eventus certiſſimi, ex divina promiſſione. In cujus executione, apparet maniſeſtiſſimè virtus divina; quia etſi ars illa qua movetur pecudum imaginatio aliquid valeat, non tamen certa eſt, quia, ut etiam anteà monuimus, eſt cauſa partialis, quæ à fortiori vinci poteſt. Neque etiam ſemper movetur imaginatio quovis objecto propoſito, quæ in alio poteſt occupari. Cum autem hiſtoria fidem faciat, peperiſſe pecudes illas fortiores ex prima admiſſura, maculoſas, varias, & diverſo colore reſperſas, ℣. 39. dubitari non poteſt, quin cauſa prima, ſpeciali modo ſecundas direxerit, ut effectus non ſolum in quibuſdam, ſed in omnibus, communiter conſequeretur. Qui enim aliquid hoc tempore tentare vellet ſimile, experiretur ſucceſſum ſive eventum diſſimilem; quod etiam experti ſunt, qui in talibus, aut aliis animalibus, hoc artificium adhibuerunt, quod ſi in uno ſuccedat, in pluribus deficit. Itaque niſi hæc ars & induſtria Jacobi fuiſſet beneficio divino adjuta & ſecundata, parum profeciſſet. Quo referenda eſt pia conſideratio Chryſoſtomi Homil. 57. in Geneſ. miraculo aſſignantis quod accidit, tanquam tranſcendens vim & ordinem naturæ. *Hæc*, inquit, *faciens juſtus, non à ſe ipſo movebatur, ſed inſpiranti menti ejus ſuperna gratia. Non enim juxta naturæ ordinem erat, quod fiebat, ſed valdè admirandum, & naturæ modum tranſcendens, ut juſtus compertam haberet erga ſe Dei providentiam, & Laban liquidò cerneret, quantam Dei gratiam haberet Iacob.* Sunt autem hæc Chryſoſtomi intelligenda, non quod negare voluerit hoc artificio adjutam fuiſſe naturam; ſed quod miraculum agnoverit in ſucceſſu tam certo, & tam univerſali. Unde benè Theodoretus, *virgas decorticatas objecit ovibus Iacob, non illis confidens, ſed opem divinam expectans.*

Non dubito igitur, quin vera ſit eorum ſententia, qui, quæ poſteà narrat uxoribus ſuis Jacobus, ſequentis cap. ℣. x. xi. & xii de ſomnio ſuo, & monitu Angeli, accidiſſe cenſent, ante quam Jacobus uteretur hoc artificio; cui Deus in viſione per ſomnium repræſentaverat, quid fieri vellet, & quam ob cauſam. *Vidi*, inquit, *omnia quæ fecit tibi Laban.* Idcirco ei oſtendit, varios, ſparſos & maculoſos mares, ineuntes fœminas. Quæ etſi paucis referat Jacobus, non dubium eſt, quin ipſi pluribus fuiſſent expoſita, & oblata aſpectui. Quamvis ergo fieri potuerit, ut naturalem hanc cauſam antea experimento cognoviſſet, quam tamen alii volunt ab Angelo didiciſſe; non uſus eſt hac arte, nec uti voluit, priuſquam haberet de ea re divinam revelationem, quæ neceſſaria fuit ut uſus eſſet legitimus. Et hanc eſſe veram & ſufficientem rationem credimus, cur nullius culpæ teneatur Jacobus in hoc facto, à qua vix alioquin eximi poſſet. Sed cum deſtitutus eſſet omni hominum ope, nec haberet in terra judicem, qui Labanum cogeret in ordinem; nec poſſet proprio ſuo motu ſibi jus dicere; ut etiam oſtendimus; ſuccurrit ei Deus, ne ſemper fraudaretur labore ſuo, & priorem patientiam voluit compenſare extraordinario proventu, ut rediret ad ſuos, auctus & cumulatus bonis. Nemo autem eſt qui negare poſſit, juſtè Deum tranſtuliſſe in Jacobum, opes quas Labanus ex Jacobi labore perceperat, nulla habita ratione ejus, cujus abuſus fuerat operâ. Huic facto non malè comparatur quod in favorem Iſraëlitarum Deus fecit, cum ex ejus mandato abſtulerunt Hebræi ſecum Ægyptiorum bona, quæ mutuò ab eis acceperant. Cum Deus id fieri juberet, propter injuſtitiam Ægyptiorum, qui pro diuturnis & magnis laboribus, quos ſerviendo ipſis pertulerant, non ſolum non reddebant debitam mercedem, ſed etiam eos duriter habebant, quos antea vexaverant inhumaniter. Itaque Deus non dedit eis aliena, ſed propria; & ut dicit autor Sapientiæ cap. 10. ℣.17. *Reddidit ſanctis mercedem ſanctitatis laborum ſuorum.* Nec tamen propterea ſequitur, quod vult Jeſuita Pererius, poſſe quempiam juſtè accipere ſibi bona quæ ſunt in poteſtate alterius, etiam nolente illo & inſcio, ſi ea bona juſtè ad eum pertineant, nec alia ratione poſſit ab eo accipere, niſi vel occultè, vel per artem aliquam aut induſtriam: ut ſi debitam mercedem, aut creditam à ſe pecuniam, aliave bona ejus fidei permiſſa, nolit reddere, eo quo deberet tempore. Hoc inquam non ſequitur, ubi vel nulla eſt Judicis ordinarii lata ſententia, vel mandatum Dei extraordinarium. Itaque non eſt quod Jacobum ſibi patronum aſciſcant, qui fraudulentis & malignis hominibus fraudes opponunt, quia non ſibi dedit à ſemetipſo tantum licentiæ, ut fraudibus ſocerum circumveniret, à quo etſi indignè fuerat deceptus, expectavit nihilominus Dei præceptum, ſine quo nihil tentaſſet. Qui talem revelationem non habent, id non debent trahere in exemplum.

Quod ſi quis objiciat, abſurdum eſſe, quod eam fallendi artem in Deum autorem referamus. Negandum eſt eſſe hanc fallendi artem per ſe, etſi ab aliquo poſſet trahi ad fraudem. Sed cum in poteſtate Dei fuerit tanquam judicis, Labanum mulctare duplo, aut triplo, quod etiam erga fures faciunt homines judices; ille-

ille hac ratione juſtitiam ſuam exequi voluit, cùm aliis non careret, ſi aliter ſapientiæ ſuæ viſum fuiſſet; ſed eam elegit, in qua voluit cooperari induſtriæ ſervi ſui, ut ita ei mercedem reſtitueret, qua fraudatus fuerat, & tamen Laban non poſſet de illo conqueri, & cogeretur agnoſcere Dei manum.

Verſus ultimus capitis confirmat quod diximus de benedictione divina & ſpeciali Dei providentia, quod vir ille *vehementiſſimè*, מאד מאד *meod meod*, id eſt, *valde valde* crevit, cui fuerunt multæ pecudes, & ancillæ, & ſervi, & cameli. Hoc enim non poteſt revocari ad uſitatam rationem; quod cùm prorſus inops eſſet, & magnâ familiâ onuſtus, tantas copias ſpatio ſex annorum collegit, quantas ex ſequentibus capitibus fuiſſe colligi poteſt. Tales enim fuerunt, ut vir mediocriter dives, vix ſpatio triginta annorum quantalibet adhibitâ diligentiâ eas poſſet colligere; unde liquet non ſine miraculo id proveniſſe ex paſtoritio munere. Si quis quærat, unde copia ſervorum, ancillarum & camelorum, cùm in pactione mercedis, nihil tale ei fuiſſet promiſſum: non difficilis eſt reſponſio; quia id fieri potuit, vel ex permutatione, vel ex venditione & emptione. Non eſt enim dubium, quin Jacobus accepta benedictione divina in copiâ pecudum, voluerit etiam mercatoriâ induſtriâ variare bona ſua, quod & prudens rei domeſticæ adminiſtratio requirebat, & commodè fieri poterat. Hoc autem experientiâ comparatum eſt, ubi benedictio divina labores comitatur, ex nullis artibus majorem ſperari poſſe proventum, quàm ex innocentiſſimis illis quas primi homines coluerunt, agriculturâ & paſtoritiâ, quæ ruſticæ vitæ pars non eſt minima. De utraque dici poteſt, quod de agricultura in genere Cicero: *Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.*

AD CAPVT XXXI.

Exercitatio CXXXII.

Cauſæ moventes diſceſſus Iacobi ex Meſopotamia. Gloria *pro* divitiis. *Iniquè filii Labani Iacobum furti inſimulant.* Sicut heri & nudius tertius, *pro* ſicut anteà. *Vultus animi index. Confirmatur Iacob à Deo in conſilio ſuo de migratione. Cur Rachel præmittatur Leæ?* עשרת מנים aſereth monim, *quid?* Decem vicibus, *pro multis. Querela uxorum Iacobi adverſus patrem juſta. Nimium tamen ſibi tribuunt in bonis à marito acquiſitis.* De Theraphim *diſſertatio, & de iis variæ ſententiæ examinantur. Gaſſarelli* curioſitates inauditæ *notantur, & ejus de Theraphim ſententia redarguitur. Cornelius à Lapide refutatur. Expenditur furtum Rachelis, & de ejus ſcopo inquiritur. Expenditur ratio qua Pererius Rachelem abſolvere conatur. Non poſſe à culpa excuſari. Quomodo ſe intactum ſervarit Iacob inter ſuperſtitioſos, & quæ tum fuerit Religio apud ejus affines?* Furari cor alicujus, *variè intelligitur. Iudicium de facto Iacobi abeuntis inſalutato avunculo ſocero.*

CApur xxxI. habet hiſtoriam de diſceſſu Jacobi è Meſopotamia, cujus 1. moventes cauſæ proponuntur. 2. Conſultatio cum uxoribus. 3. Executio per modum fugæ, inconſulto Labano. 4. Perſecutio qua Labanus Jacobum fugientem inſequutus & aſſequutus eſt. 5. Quid inter eos tandem actum fuerit.

Cauſæ moventes duæ fuerunt à parte hominum, tertia à parte Dei. Prima fuit invidia filiorum Labani, quæ erupit in querelas, quas audivit Jacobus: agnoſcunt Jacobum pollere divitiis magnis, ut dictum fuerat ſub finem præced. capitis. Illas notant verbis ſignificantiſſimis, את כל הכבד הזה *eth kol hakkabodh hazzeh*, omnem gloriam hanc. Græci poſt *πάντα τὸν πλοῦτον*, infrà in verbis uxorum, verſ. 16. addunt, *καὶ τὴν δόξαν*, fortè ex hoc loco, ut notat Druſius. Per *gloriam*, divitias intelligi notum eſt. Hæc duo conjungit vetus interpres, dum ſic reddit, *De illius facultate ditatus, factus eſt inclytus.* Quia vulgò *divitiæ* gloriam & honorem conciliant. Unde illud apud Poëtam, Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους αὖθις δὲ τιμάς. Et apud alium Latinum,

Et genus & formam regina pecunia donat.

Sic Pſal. 49. ℣. 17. poſt verba hæc, *Cùm ditatus fuerit vir,* ſequitur, *cùm fuerit multiplicata ſeu aucta gloria domus ejus.* Intelligendum eſt tamen *gloriæ* nomen ſumi pro divitiis, pro ratione loci & argumenti; latius enim eſt multo, ubi etiam agitur de hominum gloria. Sed hìc nullum eſt dubium de ſenſu. Ideò Chaldæus interpretatur נכסיא facultates, ſive opes.

Sed injuriam faciunt Jacobo, quem furti inſimulant. Id enim volunt verba eorum. לקח *lakach*, tulit, vel *accepit Iacobus omnia bona quæ fuerunt patris noſtri.* Quam criminationem falſam eſſe, ipſe Labanus poſteà agnoſcet,

agnoſcet, & Jacobus ſatis refellet à ℣. 36. uſque ad 42. oratione valdè pathetica. Fons accuſationis iſtius fuit invidia, qua nullum gravius tormentum inveniri poteſt. Cui obnoxii ſunt maximè, quos Deus ſuis benedictionibus proſequitur: Et omni tempore id compertum fuit, quod τὰ σεμνὰ πάντα κέκτηται φθόνον. Sed quod gravius Jacobum pupugit, & ut de abeundò cogitaret eum maximè movit, fuit Labani animus, cujus indicium habuit ex vultu; *vidit Iacobus vultum Labani, quod non eſſet erga ſe ſicut heri & nudius tertius*, hoc eſt, ſicut antea; vel ut ſolitus erat. Synecdoche frequens eſt apud Ebræos, כתמול שלשום *Kithmol ſchilſchom*, ſicut heri & nudius tertius, qua proxima pars temporis pro toto ſumitur; & tempus præteritum indefinitè ſignificatur. Hac loquendi forma uſi ſunt veteres, tanquam adagio. Irenæus lib. 1. cap. 12. *heri & nudius tertius*, quod dici ſolet. Epiphan. lib. 1. τὸ δὲ λεγόμενον, καὶ χθὲς καὶ πρώην. Athenagoras in Legatione, ὅτι χθὲς καὶ πρώην γεγόνασιν, ὡς λόγος. *quod heri & nudius tertius cœperint, ut ajunt.* Sed proverbii ſenſus in his verbis alius eſt à ſenſu Jacobi hoc loco; quia Jacobus intelligit tempus præteritum, cum aliqua extenſione, pro eo quod dicimus *olim:* Iſti autem uſurpant hanc phraſin, pro eo quod dicimus *non ita pridem.* Eſt igitur hujus phraſis triplex acceptio pro locorum ratione; primò ſignificat ut diximus, *nuper*, vel *non ita pridem.* Secundò accipitur, pro diu antè; ut Exodi 4. verſ. 10. Non ſum eloquens ab heri & nudius tertius; pro *jampridem.* Sed plerumque in ſcriptura, pro eo quod eſt ſimpliciter *antè*, vel *anteà*, Exod. 21. verſ. 29. Quod ſi *bos cornupeta fuerit, ab heri & nudius tertius.* Quo ſenſu poteſt accipi hoc loco, vel priori, ut ſit, vel *ſicut anteà*, vel *ſicut olim.* LXX ὡς χθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν. Alibi ἀπ' ἐχθὲς καὶ τρίτης. Ruth. 2. ℣. 12.

והנה איננו *vehinnéh enennu*, ad verbum *& ecce non ipſe.* Vulgata *quod non eſſet erga ſe:* ubi dubium eſt an referri debeat ad faciem, an ad ipſum Labanum. Conſtructio videtur favere iis qui ad Labanum potius referunt, quia פני *pene*, in ſtatu conſtructo, eſt pluralis numeri, pronomen autem eſt ſingularis; ut ſenſus ſit *vidit faciem Laban, & ecce non erat ipſe*, nempe Laban, ſicut heri; hoc eſt, id deprehendit ex facie. Hæc ſimplicior mihi videtur interpretatio, quæ cum optimè quadret, non video nobis recurrendum eſſe ad conſtructionem extraordinariam, in qua nomina aliquot, in terminatione plurali, habent ſingularem ſignificationem; ut Threnorum 4. ℣. 16. פני יי חלקם *pene Iehovah chlilekam* facies domini diviſit eos. Ubi vox פנים conſtruitur cum verbo ſingulari, conſtructione, quoad ſenſum, congrua, non quoad vocem. Ex vultu judicabat de animo ejus. Quia eſt veluti index & janua cordis, juxta illud poëtæ,

Heu! quàm difficile eſt crimen non prodere vultu.

Supra exemplum ſimile de Caino propoſitum fuit. Non poſſunt malevoli odia ſua ita recondere, quin aliquando ſe prodant, vel verbis, vel aliis ſignis. Cum autem vultus ſit index mentis & affectuum animi, leguntur aliquando in facie, quæ includuntur corde; unde frons & oculi dicuntur eſſe ſedes invidiæ, odii, iræ, clementiæ, &c.

Talia cùm merito perplexum redderent ſancti viri animum; deſtitutum hominum conſilio, non deſerit Deus, ſed mandato etiam ſuo confirmat, in deliberatione ſua de reditu ad ſuos, & diſceſſu à Labano; in qua non dubium eſt alioqui, verſatum fuiſſe in aliqua anxietate. Poterat enim de ſucceſſu & eventu ſollicitus eſſe; primò ratione eorum quos relinquebat, ne eum vi retinere vellent, vel vacuum dimittere, quod metuiſſe poſteà fatebitur; Deinde, ne fratrem ſuum pateretur hoſtem, & experiretur infenſum, quo metu etiam perculſum fuiſſe, hiſtoria ſuo loco declarabit. Itaque quod dicitur, inter ſacrum & ſaxum verſabatur. Animum addidit ad id ſuſcipiendum, mandatum divinum, etſi non omnem metum planè ſuſtulerit, virtus enim Dei in infirmitate perficitur. Ideò non malè animadvertit vetus interpres tertiam illam rationem, mandati nempe divini, planè cunctantem confirmaſſe. *Maximè*, inquit, *dicente ſibi Domino*, &c. Ubi Deus repetit promiſſionem, *& ero tecum.*

Unum reſtabat, in quo etiam expertus eſt curam Dei, ut nempe flecteret uxores & totam familiam ad eam migrationem; quia alioquin ſatis noverat, durum eſſe mulierculis abſtrahi à ſuis, apud quos natæ erant & educatæ, & à loco etiam in quo diu cum Jacobo vixerant, & tot filios pepererant. Flectit autem eas allatis rationibus neceſſariis, ab injuſtitia & iniquitate Labani, à mandato Dei, &c. Agnoſcunt illæ, vera eſſe quæ dicebat, & de parente conquerentes, marito adhærent, ad obediendum paratæ. Quæritur, cur Rachel hic & alibi præmittatur Leæ; Cum Lea nata major fuerit, & mater etiam priorum filiorum Jacobi. Ordinem illum à Jacobo fuiſſe in familia inſtitutum dubium eſſe non debet; in quo etiam aliquid valuiſſe affectum agnoſcendum eſt. Sed prætereà, id videbatur ratio poſtulare. Quia Rachel prima fuit cui animus ejus adhæſit, quamque primam duxit, non quidem effectu, ſed tamen affectu. Itaque jure dignior habita eſt; & in familia Jacobi primum locum inter fœminas tenuit. Ad id pertinere putarem, quod in altercatione Leæ cum Rachele pro mandragoris, illa cum ſorore expoſtulabat, quod præripuiſſet ſibi maritum. Hoc enim eam coquebat, quod ſorori cedere coacta fuiſſet, & quæ primos ſurripuerat amplexus, non potuit primas habere in affectu, nec in aliis effectibus. Rachel igitur merito paſſim præponitur, quia primaria & præcipua fuit uxor; reliquæ, ne Lea quidem excepta, adventitiæ. Itaque fuit familiæ princeps matrona; Inde eſt quod Bethleemitæ, qui de tribu Juda ex Lea erant, Ruth. 4. ℣. 11. benè precantes Ruthæ, Rachelem

præponunt Leæ, *ſit ſimilis Racheli & Leæ quæ ædificarunt domum Iſraëlis.*

Inter injurias à Labano acceptas hanc Jacobus memorat, ✝. 7. quod mutavit mercedem ſuam עשרת מנים *aſereth monim*, quã repetit ✝. 41. vulgata, *decem vicibus.* LXX utrobique habent ἀμνῶν & ἀμνάσι. Quæritur quid illis in mentem venerit, quia vox Ebræa nulla ratione ad agnorum ſignificationem poteſt inflecti. מנים *monim*, à מנה *manah*, numerare. Unde totidem literis fit nomen, מנה, quod minam ſignificat, & habet in plurali מנים *manim*, eſt nomen ponderis & monetæ. Aliter etiam idem nomen ſumitur pro portione, parte, numero, vel dono. Unde Arias hic vertit, ad verbum, *decem partibus.* Aquila δέκα ἀριθμοὺς *decem numeris.* Symmachus δεκάκις ἀριθμῷ decies numero: Non malè conjiciunt qui LXX putant ſcripſiſſe μνῶν, & μνᾶσι, ut retinerent vocem Ebræam; à librariis autem additum fuiſſe α. Sed eſt vetus error, nam ſic legebatur Hieronymi tempore. Vulgata optimè, *decem vicibus*, ſumitur enim hic pro variis temporis partibus. Sed dubium eſt an ſic præcisè intelligendum ſit, quod totidem vicibus mutaverit Laban mercedem Jacobi poſt pactum. Quibuſdam hoc videtur difficile ſex annorum ſpatio, quia putant rationem fuiſſe initam ſolùm ſemel in anno. Tamen ſi meminerimus ſicut in Lombardia, ita etiam in Meſopotamia ac Syria oves bis quotannis peperiſſe, non magna erit difficultas, etiamſi retineamus expreſſum numerum, cum duodecim fuerint fœturæ. Probabilius tamen exiſtimo numerum certum pro incerto fuiſſe poſitum, & adagium fuiſſe uſitatum *decies*, pro pluribus. Ita Syrus Paraphraſtes apud Procopium *decies* interpretatur, *ſæpius.* Eandem habent interpretationem Origenes, Euſebius & alii. Druſius citat ex Abenmelech, *decem*, quia eſt finis unitatum, & caput denariorum, abſolutè poni pro *numero multo.* Itaque *decem vicibus*, erit pro *multis vicibus.* Exempla ſunt in ſcripturis obvia. Levit. 26. verſ. 26. *decem mulieres in uno clibano coquent panes*, id eſt, multæ. Num. 14. ✝. 22. *Tentaverunt me jam per decem vices.* Job. 19. verſ. 3. *En decies confunditis me, &c.* Alii hanc dicti rationem afferunt, quia quod in bonis maliſve maximum aut perfectiſſimum, id denario numero denotabant; Unde *fluctus decumanus* qui maximus; *ovum decumanum* quod maximum naſcitur: & *porta decumana* in caſtris dicta fuit, quæ alias magnitudine ſuperabat, quæ erat in poſtica caſtrorum parte. Sed hæc deflectunt à ſcopo noſtro. Simpliciter decies & decem, pro multis vicibus etiam nunc in communi ſermone uſurpamus. Quum aliquis quærit adhuc cui ſæpè reſpondimus; dicimus, Decies jam hoc dixi, & ſimilia.

In reſponſione uxorum verſ. 15. expendenda ſunt hæc verba. *Nonne extraneæ reputatæ ſumus ei, quia vendidit nos, & comedit etiam comedendo pecuniam noſtram.* Quæ hic memorantur oſtendunt has mulieres affectas fuiſſe ſenſu duritiei paternæ, itaque contemptum illum, & rationem omnem qua uſus eſt Laban, ut rem ſuam augeret filiarum impenſis, non ſine ſtomacho recitare, ut oſtenderent ſe non planè fuiſſe ſtupidas, ſed injurias illas animo condidiſſe, quarum ſenſu, paulatim exuerunt affectum erga domum paternam. Itaque hic elucet providentiæ Dei diſpenſatio, qui hæc omnia ita permiſit fieri non ſine Jacobi incommodo, ut tandem viam hac ratione ei pararet ad faciliorem uxorum ſuarum conſenſum, ubi de reditu ageretur. Quod dicunt reputatas ſe fuiſſe tanquam extraneas & venditas, & indignum fuit, & veriſſimum. Neque enim parens earum accepit à Jacobo pretium, ut eſſet uxoribus dotis loco, ex æqua compenſatione. Itaque duplex fuit injuria; I. quod de ſuo nullam eis aſſignavit dotem, quaſi nullam partem haberent in domo patris. II. Quod ea quæ maritus dederat ut eas ſibi acquireret, non ſervaverit eis & liberis ſuis pater; ſed conſumpſerit. Hoc enim volunt, cum dicunt, *conſumpſit etiam pecuniam noſtram.* Quam pecuniam? An aliquam habuerint quam pater dilapidaverit, exempli gratia matris dotem, aut tale quid? Poſſet id accidiſſe? Sed exiſtimo, illas ſimpliciter reſpicere ad pretium laborum Jacobi totis quatuordecim annis. Cum enim dotem non daret filiabus de ſuo, ſed cogeret generum ſervire; ſaltem debuerat pretio compenſare laborem generi, ut filiæ potirentur pecuniis, quas lucratus erat maritus dum ſerviret pro eis. Id non filiabus conſervaverat, ſed ſibi uſurpaverat, & conſumpſerat. Hoc eſt quod volunt.

Videntur autem in ſequentibus voluiſſe refellere calumniam fratrum ſuorum adverſus Jacobum, quem furti arguebant; cum addunt verſ. 16. Omnem opulentiam quam Deus abſtulerat patri earum, ſuam fuiſſe & filiorum; Unde ſequitur Jacobum nihil abſtuliſſe non ſuum, cum uxorum eſſet bonum. Sed quo jure? Nempe putabant jure compenſationis pro venditionis ſuæ pretio hæc ſibi deberi. Benè factum, quod compenſationem illam Deo tribuunt; annuuntque marito dicenti, *Deum tuliſſe opes patris ipſorum*; ſed quod dixerat Jacobus & dedit mihi, illæ ſibi arrogant & filiis ſuis, præſertim in textu Ebræo, quod ſic habet ad verbum; *Omnis opulentia quam abſtulit Deus à patre noſtro, nobis ipſa & filiis noſtris*: Quaſi id vellent, quod opes illæ omnes prius quam Deus eas auferret Labano, jure, ipſarum eſſent; quibus verbis videntur ſibi nimium tribuere, & minus quam par eſt agnoſcere, non ſolum mariti labores & induſtriam; ſed præſertim fundamentum benedictionis divinæ, quam tribuunt juri ſuo; cum potius tribuere debuiſſent divinæ gratiæ erga maritum, & ipſius etiam agnoſcere induſtriam. Id tamen laudabile eſt, quod oraculo Dei ſubſcribunt, & paratas ſe oſtendunt ut maritum ſequantur.

Sed dum omnia ſua colligit Jacobus, diligenterque curat, ne aliquid quod alienum ſit exportet, abſente Labano, Rachel clam marito facinus perpetravit, quod

poſtcà

poſteà magnas movebit turbas. Dicitur enim verſu 19. ויגנב רחל התרפים *vajjignobh Rachel hatteraphim*, & furata eſt Rachel Theraphim, quæ erant patris ſui. Hîc quæritur, quid per *Theraphim* intelligendum ſit, & cur eas furata ſit Rachel. De primo varia dicuntur, quia unde vox deducatur, non conſtat. Non legitur in Scriptura numero ſingulari, ſed plurali tantùm. Aliquando LXX retinent ipſum nomen Θεραφεὶν, ut Joſue 17. ℣. 5. aut Θεραφὶν, 1. Reg. 15. ℣. 23. Aliquando per εἴδωλον vertunt, ut hoc capite ter. Aliquando per κενοτάφιον, ſimulachrum vanum, 1. Sam. 19. ℣. 13. Quandoque per γλυπτὸν, ſculptile, Ezech. 21. ℣. 21. Item δῆλον, declarationem, Hoſ. 3. ℣. 4. & ἀποφθεγγόμενον, loquentem, Zach. 10. ℣. 2. Sunt qui deducant à radice רפה *raphah*, quæ inter alia, *quieſcere* ſignificat, quia in loco in quo poſiti erant, manebant, ut in templo, aut in domo, & inde non dimovebantur. Potius videtur nomen eſſe gentilitium & peregrinum, quod in Scriptura ferè ſemper in malam partem accipitur, pro imagine idololatrica, uno tantùm loco excepto, ubi pro ſtatua hominem repræſentante, extra uſum religioſum, nempè 1. Sam. 19. ℣. 16. ubi *ſimulachrum* à Davidis uxore in lecto collocatum fuiſſe memoratur, quo viri ægrotantis ac decumbentis ſpecie, ad tempus Saulem ejuſque nuntios falleret, ne fugientem perſequerentur, & comprehenderent. Imaginem enim illam idolum non fuiſſe confirmat ſingularis Davidis pietas, qui fuit vir ſecundùm cor Dei, 1. Sam. 13. ℣. 14. ut intolerabilis ſit impii illius Genebrardi audacia, quem non puduit dicere, hanc ſtatuam fuiſſe ſacram, & tales in ſua domo, quaſi lares & penates, Davidem habuiſſe. In Pſal. 73. Longè aliter & rectius Ribera in Hoſeam cap. 3. num. 21. *Quam ſtatuam*, inquit, *poſuit? Certè non idoli alicujus, neque enim idola erant in domo Davidis: ſed nec alterius modi ſtatuæ eſſent apud Davidem; non imagines aſtronomicæ, ut quidam putant; non imagines factæ ad ſuſcipiendam virtutem ſuperiorum, quod R. Abraham magis huic loco conſentaneum eſſe dixit; quæ omnia Iudæi deteſtabantur. Sed fecit Michol ex variis hinc inde rebus ſtatuam, homini ſimilem, quales tauris objici ſolent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas, veſtibus ſcilicet virilibus, aut palea, aut ligno, aut pannis oppletis, & humani corporis membra ſimulantibus; aut certè quales tumulis imponi ſolent, cùm abſentium funera fiunt; unde addit, pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus, videlicet ut rufos Davidis capillos imitaretur.* Quod dicit de ſtatuis quæ tumulis imponi ſolent, videtur veniſſe in mentem LXX interpretum, qui κενοτάφια reddiderunt. Sed talem ſtatuam habuiſſe Michol ad manum, vix probari poteſt: itaque multò probabilior eſt prior ſententia. Hic ſolus eſt locus in Scriptura, in quo vox *Teraphim*, in genere accipitur pro imagine aut ſimulachro; ut vertit vetus interpres (quod notandum adverſus Bellarminum, qui ſimulachrum vult ſemper pro idolo poni) idque indifferenter, neque in bonam, neque in malam partem. Alibi ſemper in malam accipitur. Nam quod quidam illud Hoſeæ 3. ℣. 4. *ſine teraphim*, exponunt de ſignis & imaginibus ſacris, ut de Cherubinis tabernaculi &c. ad eum locum refutavimus, & oſtendimus, id intelligi de ſignis falſi cultus, eſſeque comminationem adverſus idololatras, qui privandi erant non ſolùm publico exercitio veri cultus Dei, ſed etiam idolis ſuis, quibus Deum ad iram provocaverant.

Hoc habemus ex facto Micholis, Teraphim fuiſſe imagines aut figuras humanas, hoc eſt, hominem repræſentantes, vel factas ad ſimilitudinem corporis humani. Hîc dubitare non poſſumus illas imagines ad idololatriam fuiſſe ſervatas in domo Labani, tanquam lares & penates: Laban enim eas appellat *Deos ſuos*, verſ. 30. & vetus verſio dicit, Rachelem furatam fuiſſe idola patris ſui. Apparet etiam ex toto contextu, formas aut figuras illas fuiſſe parvas, & quæ facilè occultari poſſent, quales ſunt puppæ & imagunculæ, quibus virgines in ætate infantili ludere ſolent.

De iis variæ fuerunt Ebræorum conjecturæ. David Camius, fictas fuiſſe ab Aſtrologis, ut futura prædicerent, exiſtimat, & humanâ formâ factas, ita ut cœleſtis influentiæ eſſent capaces, notat Aben Ezra; ad quam mentem interpretatur Teraphim, quæ Michol in lecto poſuit, ut maritum liberaret. Et inter cauſas, cur Rachel furata ſit Teraphim, hanc afferunt, quod metueret, ne ex earum inſpectione Laban internoſceret, quâ viâ aufugiſſet Jacobus. Multa etiam iidem Judæi vaticinantur, de modo quo fiebant, quæ refert Elias in Tisbi ex capitulis Eleazaris, ubi dicit, quod mactabant hominem primogenitum, cujus caput torquendo præſcindebant, vel ungue ſecabant, caput verò abſciſſum ſale & aromatibus condiebant, ſcribebantque ſuper laminam auream nomen ſpiritus immundi, quâ ſuppoſitâ capiti ejus, ponebant illud in pariete, incendentes coram eo candelas, & adorantes coram eo. Atque cum iſtiuſmodi locutum fuiſſe Labanum volunt. Negari non debet, idololatras à talibus imaginibus, quæ Teraphim appellantur, reſponſa petiiſſe in rebus dubiis: ſic enim Zachar. 10. ℣. 2. *Teraphim locuta ſunt vanitatem, & divini viderunt mendacium.* Et Ezech. 21. ℣. 21. *Stetit Rex Babylonis in bivio, capite ſcilicet duarum viarum, divinationem quærens; expolivit tela, & interrogavit Teraphim, atque inſpexit jecur.* Apud Ethnicos tales fuiſſe imagines, quæ non ſolùm à ſiderum poſitura, ſed etiam à Dæmonum appropinquatione vel inhabitatione, oracula reddere, & mala propellere putabantur, docet Mercurius Triſmegiſtus in Aſclepio. *Humanitas*, inquit, *ſemper memor humanæ naturæ & originis ſuæ, in illa divinitatis imitatione perſeverat, ut ſicut pater ac Dominus, ut ſui ſimiles eſſent, Deos fecit æternos; ita humanitas Deos ſuos ex ſui vultus ſimilitudine figura-*

Nnnn 2 ret,

ret. Asclep. *Statuas dicis, ô Triſmegiſte? Statuas, ô Aſclepi. Videſne quatenus tu ipſe diffidas? Statuas animatas ſenſu & ſpiritu plenas, tantaque facientes & talia. Statuas futurorum præſcias, ea quæ fortè omnis vates ignoret, in multis & variis rebus prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, eaſque curantes, triſtitiam lætitiamque pro meritis.* Quem locum etiam Auguſt. lib. 8. de Civit. Dei cap. 24. expendit: ubi ex eodem refert, quod cùm imaginum illarum fabricatores, *animas facere non poſſent, evocantes animas Dæmonum vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus, ſanctis diviniſque myſteriis, per quas idola & benè faciendi & malè, vires habere potuiſſent.* Quod dicit de curatione humanarum infirmitatum, poſſet etiam applicari ad ſignificationem vocis *Theraphim*, ſi ſit à רפא *rapha*, quod eſt ſanare, cui conveniret Græcum θεραπεύειν. Chaldæus, cap. 3. Hoſeæ, interpretatur *Theraphim*, מחוי *mechavvi*, hoc eſt, *annuntians*, nempè futura. Quod ſi quis ſcribat מחיי *mechaji*, erit *ſervans* aut *ſanans*.

Quicquid ſit, Theraphim hoc loco accipi pro idolis ad cultum illicitum ſervatis, exploratum eſt ex ipſius Labani verbis. Talia autem fuiſſe idola, quorum compoſitionem tam horrendam deſcribebat Elias Levita ex Eleazaro, non poſſem mihi perſuadere; nec etiam certum eſt ex illis auguria captaſſe Labanum, vel vaticinatum fuiſſe; etſi Chaldæi & Syri, artibus illis divinationum illicitarum nimis quàm addicti fuerint. Sufficit ut ſciamus idola fuiſſe, quæ *Deos ſuos* vocat. J. quidam Gaffarellus, nuper librum emiſit *Curioſitatum*, ut ille vocat, *inauditarum*, in quarum cap. 3. multa habet de *Theraphim*, vultque eſſe figuras à Moſe Legiſlatore permiſſas, & à Labano anteà & reliquis orientalibus piè uſurpatas, quas ille appellat *Taliſmanicas*, eaſque admirandas, quibus Deus voluntatem ſuam patefaciebat. Itaque figuram quam Mica ex auro & argento matri ſurrepto fudit, non fuiſſe idolum, nec de eo fuiſſe reprehenſum, imò figuras Templi *Cherubin* & *Seraphin* fuiſſe ejuſdem generis. Hieronymum quidem teſtem appellat, qui in locis nonnullis putat nomine *Theraphim*, varia opera tabernaculi intelligi poſſe; ſed *in uno duntaxat loco*; neque etiam negavimus, in alio accipi pro figura aliqua humana extra cultum. Plerumque tamen pro idolo ſumi certum fecimus, & intolerandam audaciam *curioſi* illius meritò deteſtamur, qui idolum vituli in deſerto, vaccas Jeroboami in Dan & Bethel, Labani Deos, & Micæ Theraphin, ad figuras licitas ita refert, ut qui eis abuſi ſunt, ab idololatriâ abſolvat, & vanæ Philoſophiæ prætextu ſuperſtitionem omnem palliare non vereatur; ut non immeritò mirandum putem, fautores aliquos impietatis ſuæ hunc hominem reperiſſe, quem jure Sorbona cenſurâ notavit. Hic autem primus eſt locus ubi fit mentio ſimulachrorum & idolorum, quæ jam ſuperſtitio invexerat apud Chaldæos, in ipſa familia aut gente, quæ ex Semo erat oriunda. Ubi non exiſtimandum eos planè tum abjeciſſe memoriam Dei omnium creatoris. Nam hactenus audivimus, Labanum etiam Jehovæ meminiſſe; ſed ea jam dementia hominum mentes occupaverat, ut non exiſtimarent ſe Deum religiosè colere poſſe, niſi ſibi fabricarent ſigna ſacra, quibus Dei nomen indebant, quæ fuit prima idololatria & plauſibilior. Ideò loquebantur de Deo tanquam de uno, & Deos in plurali dicebant, ratione variorum ſignorum quibus illum ſibi figurabant. Cornelius à Lapide Jeſuita Lovanienſis agnoſcit, Labanum & totam ejus domum, cum Deo vero etiam idola coluiſſe, more ſuæ gentis. Sed paulò poſt criminatur Calvinum; *Ineptè*, inquit, *Calvinus*, Theraphim *ſunt imagines, quales habent Papiſtæ.* Nec enim, ait, *Papiſtæ imagines habent & colunt quaſi idola, uti Theraphim hæc habuit & coluit Laban, ut patet verſ.* 30. Certè non patet, illum imagines ſuas idola vocaſſe, aut agnoviſſe, ſed *Deos ſuos* appellavit; prorſus eodem modo quo Papiſtæ *imagines Trinitatis* vocant *Trinitatem*; ſenem barbatum, Deum Patrem; *Imaginem crucifixi*, Crucifixum; & cruſtulum Miſſaticum, Deum ſuum; qui etiam aliquando furto fuit ablatus, & alia paſſus eſt indigniora, quàm Dii Labani, cùm ſub clitellis camelorum fuerunt occultati.

Nunc de Rachelis facto agendum eſt. Res eſt citra controverſiam, quod furata ſit, id eſt, clam parente acceperit imagines illas quas domi habebat. Quod id maritum celaverit, ex ſequentibus etiam apparet. Sed quo fine id fecerit, non perinde compertum eſt. Tres ſunt fines quos ſibi proponere potuit; unus bonus, duo mali. Si id fecit, ut parentem avocaret ab idololatria, ablatis inſtrumentis ſuperſtitioſis quibus abutebatur, intentio laudanda eſſet, nec improbari poſſet is finis. Aliud eſt, ſi exiſtimavit ſe hac ratione poſſe impedire, ne Laban illa conſulendo, vel eorum inſpectione augurando, cognoſceret quodnam iter inſtitueret Jacobus. Nam de ea re non debuit eſſe ſollicita, poſtquàm ex marito didiciſſet, Deum eſſe migrationis illius autorem & viæ ductorem. Proinde ab idolis non erat metuendum. Alii duo poſſunt fines proponi planè improbandi; ſi ipſa idololatriæ dedita, idola illa abſconderit, ut ea coleret, aut ab iis expectaret fœlicem rerum ſucceſſum: vel ſi avaritiâ ducta, ob materiæ pretium abſtulerit ea, etſi alioquin exiſtimaſſet, plus ſibi deberi à parente, ob negatam dotem, quod afferunt nonnulli ad furtum excuſandum.

Prima ratio, quæ Rachelis facto magis faveret, nullâ poteſt ſolidâ ratione confirmari. Poterat enim facilè Laban ſibi alia idola fabricare; &, ut benè notavit Aben Ezra, non opus fuiſſet ea ſervare integrum ſeptiduum, potuit enim in via ea abſcondere, vel in profluentem Euphratis abjicere. Deinde, ſi is ipſi fuiſſet propoſitus ſcopus, cur maritum celaſſet, quem noverat

ab

ab omni Idololatria eſſe alienum? Saltem id ei ſignificaſſet in via,& conſuluiſſet quid judicaret faciendum, poſtquàm ſemel ablata fuiſſent. Quod cum illa non fecerit, magis inclino in ſententiam, quæ fuit Chryſoſtomi, & aliorum doctorum virorum poſt Chryſoſt. Quod Idola patris ſui furata eſt, tanquam Deos penates, in quibus illa ſe putaret Deum colere, & ab hoc cultu ſperaret fœlicia omnia; eamque adhuc retinuiſſe aliquam ſuperſtitionem, ex prima inſtitutione. Conſtat enim ex progreſſu Hiſtoriæ, domum Jacobi non potuiſſe planè repurgari ab Idolis, quamdiu fuit in Meſopotamia, & id tandem factum fuiſſe poſt raptum Dinæ, & Sichemitarum cædem, ut cap. xxxv videbitur.

Quod ſi furto hæc abſtulerit quia pretioſa erant,puta ex auro & argento; quæ ſententia maximè probatur Pererio, qui negat illud furtum eſſe, ſed impropriè ſic appellari putat; non exiſtimamus rationes ejus eſſe validas qua tale factum excuſat. Vult illam hæc accepiſſe, tum pro mercede, qua maritum ſuum Jacobum Laban fraudaverat, tum pro dote ſibi & ſorori ſuæ debita. Sed hæc non poſſunt ſufficere ad juſtificationem facti. Primo enim, ſi verum eſſet debitam fuiſſe adhuc eis dotem, & marito mercedem, non potuit illa ſibi jus dicere & ſententiam exequi, quemadmodum anteà diximus; præſertim inconſulto & inſcio marito, cujus maximè intererat. Sed prætereà falſum eſt, eam tum jùre potuiſſe exigere mercedem & dotem; quia intellexerat à marito, Deum abundè compenſaſſe laborem ejus, & adverſus Labanum exercuiſſe judicium ſuum, in quo debuit acquieſcere. Igitur, non video ulla ratione Rachelem poſſe excuſari, ſive Idola illa furata ſit, ut iis abuteretur; ſive mota pretio materiæ, ea clanculum acceperit.

Sed quæri poteſt, an ſi id ſupponeretur, aut certum eſſet aliqua ratione, eam ad hoc facinus motam fuiſſe, ut patri auferret Idololatriæ inſtrumenta; actus eſſet laudabilis? Reſpondeo, non videri, quia etſi finis & ſcopus eſſet laude dignus, in modo tamen peccatum eſſet. Quia contra legem auferebat rem alienam; Deinde nullum jus habebat in Patrem ſuum, ut illum ab Idololatria avocaret hoc modo; non enim cujuſvis eſt Idola è medio tollere; ſed eorum qui ad id à Deo vocati ſunt. Accedit quod id fecit clam marito, quod non debuit mulier viro ſubjecta, in negotio tanti momenti. Item quod Idola apud ſe retinuit, & niſi Deus providiſſet, totam familiam in maximum periculum conjecit. Denique, id magis faciebat ad exaſperandum Labanum, quam ad eum convertendum; unde eſt quod ſine ulla exceptione Jacobus poſteà factum improbat, & in autorem fert mortis ſententiam, quantum in ſe eſt.

Non dubium eſt tamen, quin Sanctus vir quamdiù apud Labanum vixit, perculſus fuerit dolore & mœſtitia, ob Idololatriam quæ jam vigebat apud agnatos ſuos, eamque, quantum potuit non ſolùm exemplo, ſed etiam ſanctis hortationibus eradicare conatus fuerit. Sed cum ſolus eſſet in ea regione, in qua multitudo errantium, errori favebat, non potuit obtinere ut planè aboleretur. Conſenuerat in ea Labanus, & detinebatur *vetuſta ſocordia* & ſuperſtitione. Mulierculæ ita à teneris educatæ huic vitæ aſſueverant, quæ paulatim erant ad meliorem mentem revocandæ, quod tandem factum eſt, præſertim poſt ſeparationem ab Idololatris. Non autem mirum videri debet, Jacobum inter tales tamdiù perduraſſe, quia non planè abjecerant notitiam & profeſſionem cultus veri Dei, etſi in cultus ratione aberrarent; ſed non communicavit Jacobus eorum ſuperſtitionibus, ad quas ſi ita coactus fuiſſet, ut incontaminatus non potuiſſet permanere, procul dubio citiùs ſolum vertiſſet. Sed iſti homines etſi ſuperſtitioſi, neminem adigebant ad ſua ſacra; ideò tolerabilis erat eorum converſatio. Nec erant filiæ Labani, etſi ſuperſtitioni addictæ, tamen inter planè infideles reponendæ, ſed in eo ſtatu in quo poſteà fuerunt Iſraëlitæ ſub Jeroboamo, & in quo ſunt Papiſtæ hoc tempore, qui cum veri Dei profeſſione quam retinent, idololatriam invexerunt. Nec tamen exemplum Jacobi tales uxores ducentis, iis favet qui nunc, cum diſparis cultûs conjugibus, contrahunt matrimonium, quia nulla eſt neceſſitas, cum poſſint inter fideles ſibi eligere conſortes; quod tunc non poterat Jacobus, cum extra parentis ejus familiam, vix eſſet aliqua ab omni ſuperſtitionis contagio pura.

Verſ. 20. diſceſſum Jacobi notat Moſes, ea phraſi quæ clandeſtinam ſubductionem ſignificat. ויגנב יעב את לב לבן *vajignob Iaacob eth Leb Laban*, & furatus eſt Jaacob cor Labanis. Furari cor alicujus, bis in ſcriptura legitur, ſignificatione non una. 2 Sam. 15. verſ. 6, *Furabatur Abſalon cor filiorum Iſraël.* Ubi *cor* ponitur pro affectu, quia artibus ſuis populum à patre ſuo avertebat & alienabat; ſibi autem conciliabat, & gratiam ejus inibat; quo modo dicuntur oratores, κλέπτειν τὴν ἀκρόασιν, pro, clanculum irrepere in judicum animos. Ubi vulgata habet *ſollicitabat corda.* Sed Emphaſis eſt in Ebræa phraſi, quæ non ſolum indicat eum ſibi voluiſſe populum demereri, ſed etiam id feciſſe in præjudicium patris, unde furti nomine artificium illud optimè exprimitur; ſunt enim periculoſi fures, qui corda ſubditorum principibus ſubtrahunt; qua ſpecie peculatus nulla eſt damnabilior. Non poteſt autem hoc ſenſu Jacobo tribui, quod *furatus fuerit cor Labani.* Nam etſi ea feciſſet quibus affectus Labani debuiſſet in eum inclinari, etiam ſupra filios, cum ipſi fuiſſet obedientiſſimus & utiliſſimus, nullo modo tamen primum locum in corde Labani habuit, cui vix fuit cordi. Sed cum Labanus hæc verba repeteret infra, *cur furatus es cor meum?* ſatis oſtendebat ſe non ductum fuiſſe affectu benevolentiæ. Itaque *cor alicujus*

cujus furari, hoc, quo hic loquitur ſcriptura ſenſu, eſt aliquid facere, aliquo inſcio; Quæ interpretatio non eſt longè petenda, quia Moſes ſe ipſum explicat; *eo quod*, inquit, *non indicavit ei quod fugeret.* Quo ſenſu alibi ſimpliciter dicit ſcriptura, *furari aliquem*, pro, *clam eo aliquid facere.* Cur *furati ſunt te fratres noſtri, viri Iuda?* 1 Sam. 19. ✝. 41. id eſt, quare reduxerunt te nobis inſciis? Sic Seneca in Agamem. furandi verbum uſurpavit, pro abſcondere. *Germane, vultus veſte furabor tuos,* id eſt, abſcondam. Sed Plautus expreſſius in Bacch. *Ædipol feciſti furtum in ætate malum, quia iſthæc me celaſti & patrem.* Doctiſ. Pareus, poſt Cajetanum, exiſtimat phraſin hoc loco aliquid plus ſignificare, quod Jacob clam fugiendo furatus ſit cor Labanis, hoc eſt, fefellerit ejus conſilium, quo cogitabat eum perpetua ſervitute conſtrictum tenere. Sed id ſubſiſtere non poteſt, quia ipſe Labanus utitur poſteà eadem phraſi ✝. 26. Noluit autem his verbis ſignificare Jacobum fefelliſſe conſilium ſuum de eo per vim retinendo; ſed tantùm abiiſſe inſalutato hoſpite, & clam ſe conſilium abeundi iniviſſe & ſuſcepiſſe iter in Cananæam. Igitur de ſenſu ſatis conſtat.

At de facto inquirendum, an contra honeſtatem & humanitatem non peccaverit, qui non ſolum inſalutato avunculo, à quo initio benignè fuerat exceptus exul, abit; ſed etiam filias & nepotes à patre & avo abducit, ſine ejus conſenſu, imò ſine ejus conſcientia; qua de re videtur merito conqueri Laban ✝. 18. *Non es paſſus ut oſcularer filios meos & filias.* Itaque factum ibidem damnat ſtultitiæ. Et certè ſi id abſolutè conſideretur, durum eſt & inhumanum, ſi quis poſt diuturnam habitationem cum ſocero, uxorem ſuam & totam familiam, præſertim tot liberis refertam, ſubducat, inſciis iis quorum videtur maximè intereſſe. Sed hic ſuberat juſta cauſa cur id faceret Jacobus. Expertus erat ſocerum durum & avarum; Noverat ex vultu ejus & verbis filiorum, ſibi parari vel inſidias, vel vim apertam. videbat ſe à Labano deſtinatum eſſe ad perpetuam ſervitutem. Habebat mandatum divinum de profectione. Judicavit ergo eſſe prudentiæ, non expectare, donec compedes ei injiceret durus ille Demea, & occaſione uti abſentiæ ejus, ut poſſet ſe recipere in patriam. Ipſe Jacobus profitetur juſtum illum metum ✝. 31. *Quoniam*, inquit, *timui, dixi enim quod fortè raperes filias tuas mihi.* Alia etiam intelligebat, cum filiabus. Metus ille vanus non fuit, ſed talis qui in virum conſtantem cadere poterat, toties fraudatum & malè habitum. Itaque, etſi Jacobus non ignoraret, quid generum deceret & filias, ubi pater & ſocer ſe talem gereret, qui nomini reſponderet; intellexit etiam ubi tyrannis, vexationem pararet, eam eſſe fugiendam. Nemo ſanus extra periculum, jactum faceret ſarcinarum & ſuppellectilis ſuæ; Sed ubi ſubmerſionis periculum eſt, nulli rei parcendum. Nemo humanior paulo, ſocerum relinqueret & filias abduceret clam patre, qui verè ſe patrem oſtenderet; ſed ubi vitandum eſt periculum ſervitutis homini libero; & bonorum jure acquiſitorum conſervanda poſſeſſio, non debet culpari, qui neceſſaria præfert, minus neceſſariis; præſertim, ſi res ei ſit cum eo qui humanitatem exuit. Quæ ſufficiunt ad excuſandum Jacobum.

Exercitatio CXXXIII.

Perſecutio Iacobi per Labanum. Quomodo intelligendum ſit iter ſeptem dierum, poſt quod Laban generum ſuum aſſequutus iſt. Cur Deus id permiſerit? Somnium Labani. Loqui à bono uſque ad malum. *Quomodo Laban habuerit vim in manu ſua? Iacobo immerito crimen ſuum objicit. Ejus hypocriſis. Deus qui auferri & ſurripi poteſt, Deus non eſt.* Cautelæ Miſſæ. *Apologia Iacobi. An verba ejus imprecatoria, vel judiciaria fuerint? Fratrum nomen pro cognatis & affinibus fecit. Iudicium præceps de incognitis, periculoſum. Idololatria crudelis & ἄςοργος. Macedonii ad Theodoſium gravis admonitio. Rachelis aſtus ut furtum celaret. Improbandus. Notanda ſeculi illius honeſtas, & ingenuus pudor. Dei bonitas & Sapientia in hominum perperam factis elucet.*

A verſu 22. uſque ad 42. narratur quid fecerit Labanus poſt fugam Jacobi, quod nempe eum perſecutus ſit armata manu; qua ratione impeditus fuerit, ne illi noceret; & quænam fuerint inter ſocerum & generum jurgia. Labanus igitur, cum ipſi nuntiata fuiſſet die tertia fuga Jacobi, eum cum fratribus ſuis, id eſt, cum cognatione, genere, vel amicitia conjunctis, aut etiam vicinitate, perſequitur. Antequam autem aſſequeretur eum, emenſus eſt iter ſeptem dierum; ita ut Jacobus dies decem habuerit à diſceſſu ſuo, quæ cauſa fuit, cur non potuit Laban citius eum aſſequi; nam alioqui, ſi monitus fuiſſet in tempore, ante tranſmiſſum flumen (Euphratis nempe) potuiſſet illum revocare. Exiſtimat Petrus Martyr, uno duntaxat die Labanum in via fuiſſe, à vico Caran, uſque ad montem Galaad; quia ſic ratiocinatur: Cum Laban ad greges tondendos abiiſſet, & tridui ſpatium, inter Jacobi & Labani greges anteà fuiſſet interpoſitū, Si id nuntiatum fuit Labano, in eo loco, in quo greges tondebat,

tondebat, tum neceſſarium fuit triduum nuntiis qui id detulerunt; deinde aliud triduum redeunti Labano; itaq; ſupererat unus dies, quo eum aſſecutus eſt. Sed ex terræ ſanctæ topographia & vicinarum regionum, fieri non poterat, ut uno die Laban tantum itineris emetiretur. Itaque non opus eſt, ut ſex dies dentur euntibus nuntiis, & redeunti Labano. Potuit enim fieri, ut id nunciatum ſit adventanti Labano poſt triduum, & confeſtim, poſtquàm luſtraſſet domi ſua, & de furto ſuorum Theraphim comperiſſet, ut ad iter ſe accinxerit, quod iter ſeptem dierum non exiſtimo numerandum eſſe à diſceſſu Jacobi, ſed à perſecutione Labani. Itaque ſi concederemus plures etiam dies fluxiſſe inter profectionem Jacobi, & nuntium allatum Labano, vel tempus quo ſe viæ dedit cum ſuis, id nihil præjudicaret huic noſtræ ſententiæ; quia ſi Jacobus etiam ſeptiduo aut octiduo præceſſiſſet, nihil miri fuit aut inſoliti, ſi ſeptiduo poſt, Laban expeditior multò, idem ſpatium potuit conficere, quod vix duplici temporis intervallo à Jacobo cum tot impedimentis perfici poterat.

Non dubium eſt, quin hæc perſecutio tantâ vi ſuſcepta à Labano eo conſilio fuerit, ut Jacobum cum omni familia & opibus, prætextu fugæ & furti, retraheret, atque ita ſecum retineret quaſi captivum, & perpetuæ ſervituti mancipatum. Id autem Deus, qui occultâ ſuâ virtute poterat cohibere Labanum, ne Jacobum attingeret, imò ne pedem moveret è Charan, voluit permittere, & terrorem iſtum incuti Jacobo non impedire, ut tanto illuſtrius ejus auxilium experiretur. Quò pertinet elegans Theodoreti conſideratio; *Providentia*, inquit, *divina manifeſtius declaratur in rebus, quæ videntur adverſæ. Nam quibus omnia proſperè cedunt, non perinde intelligunt, quantis bonis fruantur.* Etſi ergo omnes optemus, ne quid mali nobis eveniat, tamen ad augendam & confirmandam in nobis fidem, & promovendam Dei gloriam, longè utilius eſt, nos interdum moleſtiis exerceri, ut ex his divinitus erepti, diſcamus, curæ nos Deo fuiſſe inter ipſa pericula, & ad novas tentationes reddamur animoſiores.

In hoc negotio gloria Dei major eluceſcit apud utrumque, Jacobum & Labanum. Jacob experitur protectionem divinam mirabilem. Laban eam agnoſcit, & profitetur ſibi Deum injeciſſe frænum, ne Jacobo noceret. Id ſi Deus feciſſet inſtinctu interno, neuter factum illud Dei agnoviſſet. Jacobus quidem celebraſſet Dei curam, ſed in genere; Labanus autem potuiſſet in cauſas ſecundas & alia impedimenta conjicere, quod non ulteriùs perſecutus fuiſſet fugientem. Imò potuiſſet Deus hoc conſilium dare Jacobo, ut non abiret, niſi conſcio ſocero, & efficere, ut id ipſi etiam non malè ſucceſſiſſet, qui corda hominum flectit, prout vult. Sed quæ facta ſunt, illuſtrius habent providentiæ divinæ teſtimonium. Hac enim ratione Deus ſervum ſuum conſervavit, ita ut tamen viderit Jacobus, ſe auxilio ſingulari opus habuiſſe; deduxit autem Deus Labanum extra ſuos limites, ut quidem daretur ei filiabus ſuis & nepotibus valedicere; ſed interim ut audiret, quæ non ita liberè potuiſſent ei objici apud ſuos. Itaque Deus primò mitigavit ipſius animum, deinde ad colloquium Jacobi illum adduxit, & permovit etiam, ut declararet Jacobo, quid noctu actum eſſet ſecum; ut Jacobus deinceps congreſſum ejus non metueret, & liberè cum eo expoſtularet.

Verſ. 24. *Vidit inſomnis dicentem ſibi Dominum, Cave ne quicquam aſperè loquaris contra Iacob.* Sic Vulgata ſenſum aptiſſimè expreſſit. Textus linguæ ſanctæ ſic habet; *Cave ne loquaris cum Iaacob*, מטוב עד רע *mittobh adh ra*, à bono uſque ad malum. LXX malorum tantùm meminerunt, Μήποτε λαλήσῃς μετὰ Ἰακὼβ πονηρά· *Cave tibi, ne contra Iacob malè loquaris.* Chaldæus phraſim Ebræam retinuit, quam variè explicant. Nonnulli, Ne incipias à bonis verbis, ita ut in mala deſinas. Alii per bona verba intelligunt blanditias, quibus eum ad reditum, & continuandam ſervitutem pelliceret; per malum autem, intelligunt verba minacia: Ne blanditiis illum allicias, aut minis terreas. Alii, Nihil mali cum eo loquaris, ſed tantùm bonum; quæ poſtrema ſententia mihi ſe magis probat, id eſt, ne niſi pacificè & amicè cum eo agas; non tantùm ut manum ab eo abſtineas, ſed ne verbo quidem offendas. Suprà Geneſ. 24. ℣. 50. *Non poſſumus tibi loqui malum vel bonum*, id eſt, non poſſumus tibi contradicere. Non jubet Deus, ut recipiat ſe in Meſopotamiam, & ad Jacobum non accedat; ſed prohibet tantùm, ne ei noceat. Alioquin, ut diximus, faciebat ad Jacobi conſolationem & confirmationem, ad Labani confuſionem, & ad gloriam Dei, ut miſcerent inter ſe colloquia, & tandem ſe pacificè ſepararent.

Senſit quidem Labanus vim divinam quâ coërcebatur, & eam fatetur verſ. 29. non tamen ſine thraſonica jactatione; *Eſt*, inquit, *fortitudo in manu mea*; ſed quo magis eam jactat, eò magis celebratur vis divina, quæ nutu ſuo frangit impiorum impetum. Et certè videtur pugnantia dicere; Poſſum ſi vellem tibi nocere, ſed prohibitus ſum à Deo. Hinc enim ſequebatur, non ipſi eſſe ſatis virium, ut noceret, cùm vi majore prohiberetur. Itaque ſe ipſum refellit poſtremis verbis. Dixerat יש לאל ידי *jeſch leel jadhi*, ad verbum, *eſt ad fortitudinem manus mea.* Gallicè dicimus, *I'ay la force en main.* Nomen *el*, quod unum eſt ex nominibus Dei, hîc ſumitur appellativè. Labanus habebat ſuam אל *el*, fortitudinem, humanam; Jacob habebat pro ſe אל *el*, Deum fortem, qui cohibebat vim perſequentis. Eandem phraſim habet Salomon Prover. 3. ℣. 27. *Cùm ſit in poteſtate manus tuæ.* Quomodo Onkelos hoc loco, *Eſt potentia in manu mea.* Nulla vis

vis humana, aliquid poteſt contra Dominum.

Non audet igitur ita conſtrictus Laban vim facere Jacobo: Conqueritur tamen de injuria ſibi facta; & orationem ita attemperat, ut in Jacobum conjicere conetur omnem culpam, ſtudioſè omittens mentionem omnium injuriarum quibus generum affecerat; quæ ſi nullæ fuiſſent, juſta potuiſſet eſſe expoſtulatio; quod Jacobus ſe ſocero, inſalutato abiiſſet; quod filias ejus tanquam mancipia ſibi vindicaſſet; hoc enim vult verſ. 26. *Quare id egiſti, ut clam abigeres filias meas, quaſi captas gladio?* Fingit ſe velle filiarum ſuarum curam agere, quaſi à Jacobo indigna eſſent paſſæ. Hinc odioſa illa phraſis, כשביות חרב *kiſchbujoth cherebh*, velut captas gladio, id eſt, captas in bello, quia in bello uſus eſt gladii. Sic autem in ſervitutem homines redigebantur. Id autem non fecerat Jacobus quod hic exprobrat. Sed Laban id fecerat, ex quo tale jus potuiſſet ſibi vindicare Jacobus; nam pater filias vendiderat, ut ipſæ anteà agnoverunt. Itaque impudenter objicit Jacobo crimen ſuum.

Alia quæ fingit de ſua benevolentia & affectu, hypocritica ſunt omnia, in quibus nō agnoſcit culpam ſuam, & actiones alienas in pejus accipit; quod omnibus hypocritis ſolemne eſt, ut à ſe removeant peccata ſua, & rectè ab aliis facta, in calumniam rapiant, Sic Evangelio imputantur ſeditiones, ab iis qui inſtar lupi ſunt, oviculam in fabulis accuſantis de aqua turbata. Simulat paternam benevolentiam, quaſi optaverit ſolemni gaudio, in ſignum paterni amoris proſequi Jacobum & ſuos, niſi diſceſſum ſuum præcipitaſſet. At ſermo cum animo non conſentiebat, quod omnibus hypocritis eſt commune. Nam cantica, tympana & cytharæ, fuiſſent dura ſervitia, & fortaſſe carceres & tormenta; Oſculum cujus meminit, fuiſſet oſculum Judæ; ut Herodes adorationis Chriſti votum ſimulabat, cum de eo tollendo cogitaret.

Sed in alio accuſationis capite, videtur niti fundamento aliquo. Verum erat, Idola ejus fuiſſe furto ablata, etſi non à Jacobo, tamen ab uxore Jacobi. Conqueritur ergo Laban, *Vtquid furatus es Deos meos?* De hoc furto dictum eſt anteà. Sed mira eſt Idololatriæ inſania. Fatetur potuiſſe furto auferri, quos tamen *Deos ſuos* appellat. Impietatis erat, quod Idola coleret; at ſtultitiæ fuit, quod Deos dicebat, qui ſe à furibus cuſtodire nequibant. Quid de illis dicemus, qui meritò id in Labano rident, & tamen Deum ſuum appellant & adorant, qui ſe à muribus & vermibus cuſtodire non poteſt. Hinc tot *Cautelæ* Miſſæ, ſi *Corpus Domini*, ut loquuntur, per *vomitum ejiciatur, neque aliquis reperiatur qui refectionem hanc ſumere velit, comburatur.* Item, ſi *ſordida vetuſtate perdatur*, ſunt miſſalis verba. Item *ſi à muribus vel araneis conſumptum ad nihilum devenerit, ſive horribiliter corroſum fuerit; Si integrè vermis in eo inventus fuerit, &c.* Vide Cautelas Miſſæ, in Miſſali Rom. initio. Si objiciant, Arcam Jehovæ captam fuiſſe à Philiſtæis, & abductam; Chriſtum etiam multa fuiſſe indigna paſſum, imò ab ipſo Dæmone tranſlatum de loco in locum. Reſpondemus I. Arcam non fuiſſe Deum, ſed præſentiæ Dei ſignum, quod permiſit ab impiis abduci captivuum, ut profanationem ſui nominis apud Iſraëlitas vindicaret; & gloriam ſuam apud Philiſtæos declararet, atque ibidem de Idolo Dagon triumpharet. Chriſtus autem quæ paſſus eſt, non tanquam Deus paſſus eſt, ſed ut homo, eaque in ſtatu humilitatis; item non invitus, ſed volens, pro hominum ſalute, qui ſi voluiſſet, potuiſſet uti myriadibus Angelorum. At, quid nunc facit ad gloriam Dei, ſi Deus vomitu ejiciatur, ſi à muribus comedatur, ſi à vermibus rodatur? ſed hæc obiter.

Dixi, fuiſſe aliquam occaſionem, cur Labanus conquereretur de furto; ſed in eo peccavit, quod id Jacobo imputavit. Satis noverat Jacobum ab omni Idolorum cultu eſſe alienum; cujus etiam fidelitatem per multos annos erat expertus; ideò debuiſſet tantum apud Jacobum conqueri, quod ex ſuis aliquis hoc furtum commiſiſſet. Audita hac accuſatione, Jacobus ad reliqua nihil reſpondet, quæ de benevolentia ſua dixerat, &c. ſed ad fugæ & furti objectionem ℣.31.& 32. apologiam ſuam opponit; non maledicta regerendo, ſed partim diſceſſum ſuum clandeſtinum purgando, partim inficiando crimen furti. Primum ergo fatetur, quod etiam negari non poterat, ſed declarat, ſe id non feciſſe malo animo, vel ex contemptu Soceri, ſed metu, ne ſibi eriperentur uxores, &c. quem metum non fuiſſe vanum, ex Labani prioribus factis judicari poteſt. Nec abſurda eſt eorum conjectura, qui id minatum fuiſſe Labanum exiſtimant, cum de diſceſſu loqueretur Jacobus. Hoc enim ſatis probabile eſt, maximè cum ex plurimis gravaminibus, quæ cauſari potuit, unicum illud elegit Jacobus, quod regereret. Modeſtiſſima fuit reſponſio, in qua non reponit convitia, nec ad minas aliquid reſpondet, ſed ſimpliciter diluit objecta.

Ad furti accuſationem magis movetur; cujus crimen à ſe tanta fiducia removet, ut non dubitet ferre mortis ſententiam in autorem. Facit preterea poteſtatem ſcrutandi omnia ſua, in teſtimonium innocentię. Quod primo dicit לא יחיה נגד אחינו *Ló jichjeh neghedh achenu*, non vivat coram fratribus noſtris; ſumi poteſt, vel pro imprecatione, vel pro judiciaria ſententia, aut ſaltem pro conſenſu ſuo in ſententiam mortis adverſus eum aut eam quæ furti deprehenderetur. Jonathan paraphraſtes ſenſu imprecationis accepit, *moriatur in non tempore ſuo.* Ego poſteriorem præfero; quaſi diceret, Ego poteſtatem tibi do in eum capitali ſupplicio animadvertendi. Aben Ezra, enunciativè exponit, quaſi diceret, *ego eum mea manu occidam*; Imprecatio non videbatur ſufficere apud Labanum; ſæpè enim tales imprecationes fiunt ab iis qui rei ſunt, ut ſu-

ſpicio-

ſpicionem à ſe amoveant, quia non exiſtimant, Deum ita ſeverè ſecum acturum; imò nec de Deo cogitant. At, cum quis ſe aut ſuos ſubjicit humanæ vindictæ, eidemque præſentiſſimæ; multo efficacior eſt apud homines innocentiæ proteſtatio. Quod addit, *coram fratribus noſtris*, facit ad ſolemnitatem proteſtationis, quaſi hoc vellet; Id dico coram fratribus noſtris, ut moriatur qui hoc fecerit; ut omnes intelligant, vel tuam iniquitatem vel meam innocentiam; vel ſi quis deprehenſus fuerit, ſciant me eſſe innocentem, etſi non fruſtrà conqueſtus fueris. Fratres autem appellat Labani comites, affines ſuos, innuens fortaſſe eoſdem de quibus initio capitis dictum eſt, quod criminati fuerunt Jacobum.

Potuit ſe ipſum tegere innocentiæ ſuæ clypeo Jacobus: ſed non erat ſatis capax ut alios omnes contegeret, ne quidem dilectiſſimam uxorem, quam inſcius morte dignam judicat; & in eam imprudens fert ſententiam. Hoc quidem verum eſt, ubi ad judicandum de aliqua actione veniendum eſt, acceptionem perſonarum nullam eſſe debere. Sed tamen ubi adhuc nobis eſt incertus autor, præſtat factum in ſe damnare, quam indifferenter in perſonas ſententiam ferre, vel adverſus eas uti imprecatione. Hìc nimia Jacobi feſtinatio, ex fiducia innocentiæ ſuorum, fecit ut conſentiret in id quod minimè omnium voluiſſet. Quod ne Labanus quidem exegiſſet, ſi fuiſſet deprehenſa Rachel. Fuit ergo nimia præcipitatio, cujus, ſi res fuiſſet prodita, aut ipſum pudere debuiſſet, aut in extremum vitæ diſcrimen conjux ejus chariſſima fuiſſet conjecta. Unde diſcendum, de rebus non ſatis exploratis judicium eſſe ſuſpendendum, nec temerè pro aliis ſpondendum, ne poſteà nos ſerò pœniteat temeritatis noſtræ.

Cum tamen ita candidè & tanto cum affectu reſpondiſſet Jacobus, etſi poteſtatem feciſſet Labano omnia ſua perſcrutandi; non ſolùm incivile fuit, ſed etiam inhumanum, non acquieſcere, ſed agere cum genero ex rigore, indulgere adhuc ſuſpicioni, & quicquid erat in tabernaculis omnibus contrectare. Quid enim lucri potuit ſperare hac inquiſitione? Quantum in ipſo fuit, generi ſui & filiarum ſalutem in periculum conjicere voluit, ob Idola vaniſſima; quæ cæcitas omnes Idololatras corripuit, quibus hoc ſolemne eſt, ut pluris faciendas putent imagunculas ſuas, quam homines ipſos ad Dei imaginem conditos, ut merito hoc animadverſum fuit omni tempore, Idololatriam ſemper cum crudelitate & inhumanitate eſſe conjunctam. Extat apud Theodoretum lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 20. cujuſdam Macedonii ſancta admonitio ad Theodoſium Imperatorem, adverſus Antiochenos graves pœnas decernentem, propter uxoris Placillæ ſtatuam æneam, ab illis everſam. In qua collata imagine ænea, cum tot imaginibus Dei creatoris ſui, eum avocat à deſtructione tot imaginum, quarum ne unicam quidem Imperator cum tota ſua poteſtate fabricari poſſet, ſed ne unius quidem pilum; cum tamen facile eſſet, pro una ænea ſtatua plures reſtituere. Scio quid hic dici poſſit, non ſtatuam, ſed contemptum perſonæ dignum fuiſſe vindicta. Hoc etiam Idololatræ prætexunt, ſe Dei zelo moveri. Id etſi falſum ſit; tamen, etiamſi aliquid verè divinum violaretur, puta Sacramenta, aut quid ſimile, id nihilominus magna conſideratione ſemper dignum eſt, etſi in tales utendum ſit aliqua caſtigatione; cavendum tamen, ne deſtruamus quod extruere non poſſumus, ubi agitur de eo quod à nobis reparari poteſt; ſed præſertim ubi de Idolorum injuria agitur, quia norunt Idololatræ, eos in quos ſæviunt, non in Dei contumeliam idola deſpexiſſe; ſed quia exiſtimarunt ſe Deo rem gratam facere. Quicquid ſit, vera pietas ſanguinem non ſitit. Certè Theodoſius Imperator Pius ita motus fuit admonitione illa, ut non ſolum iram remiſerit, ſed etiam apud Antiochenos ſe excuſaverit.

Dum omnia ſcrutatur Labanus, venit poſtremò ad Tabernaculum Rachelis. verſ. 33. 34. & 35. Illa cum facti conſcia ſibi eſſet, excogitavit commentum quo patrem falleret. Nam ſubreptos Deos abſcondit, ſub Cameli clitellis, & ſedens deſuper eluſit patrem. Nam, cum alioquin in ejus conſpectu incivile fuiſſet, & irreverentiæ ſignum, non aſſurgere parenti, illa muliebrem morbum cauſatur, & ſe excuſat. Atque ita in periculo ingenioſa eſt, quod ſolent ferè mulierculæ ex tempore, ſi metus ſit ne deprehendantur. De hoc Rachelis facto quid ſentiendum ſit quæritur. Et primùm, cur ita ſedulo curaverit hoc ſuum factum celari. An ad id inducta ſit ex pertinacia, quod ſibi quo jure, quave injuria retinere vellet Idololatriæ inſtrumenta? An verò præ pudore & metu, ne deprehenſa furti rea eſſet, & obnoxia ſententiæ à Jacobo prolatæ; vel etiamſi nihil tale metuiſſet à parente; tamen infamiæ dedecus eam ad facti negationem, & occultationem adegerit. Ultimum illud exiſtimo eam tum cogitaſſe. Nam etſi probabile duxerimus, quod ſuperſtitionis reliquiis nondum ejectis, impulſa fuit ad furtum Idolorum; non putamus tamen in hac difficultate, dum parens omnia exploraret, eam cogitaſſe de conſervatione imaginum, quas proculdubio voluiſſet non ablatas. Sed auribus lupum, quod dicitur, tenebat. Itaque maluit hanc viam experiri, qua exiſtimavit ſe poſſe elabi; aut ſaltem ſi deprehenderetur, nihil durius ſibi accidere poſſe, quam ſi factum ipſa revelaret. Cum igitur eſſet aliqua ſpes elabendi, maluit artem experiri, quam certo confundi. Si autem in hoc facto prudentiam ſeculi interrogemus, non dubium eſt quin pro Rachele pronunciet, & ex eventu etiam probare conetur, eam quam inſtitit viam, eſſe optimam. Qua Laban calumniæ reus factus eſt; Jacobi domus abſoluta, illa autem extra periculum & dedecus conſtituta.

Sed hic locum habet Apoſtoli regula; non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Quæ bona etiam non ſunt tribuenda fraudibus Rachelis, ſed ſapientiæ divinæ

Oooo   & ejuſ-

& ejuſdem miſericordiæ. Alioquin furtum mendacio tegere, inter laudabiles actiones numerari non poteſt. Nam excuſatio quam attulit, videtur fuiſſe conficta, quod ei tum accidiſſet ſecundùm conſuetudinem fœminarum. Illius tamen ſeculi honeſtas, etiam apud homines parum pios, ex eo apparet, quod Labanus audita hac excuſatione, acquieſcit, nec ulterius urget, ſed protinus reſilit, & quaſi abhorret ab ea, quæ id de induſtria propoſuiſſe videtur, inſigniter mentiendo, ut eum arte eluderet & falleret. Etſi autem mendacium fuerit officioſum, non tamen excuſari debet à peccato: nunquam enim mentiendum eſt, ut aliquod malum peccato redimamus. Itaque in Rachele accuſanda eſt communis noſtra infirmitas, quâ peccata multa multiplicamus, ut coram hominibus ea tegamus, quod ita frequens eſt, ut exemplis opus non ſit. Sed deprędicanda eſt Dei miſericordia, quæ in hoc facto mirificè elucet, in quo ſuis non imputat infirmitates, & ita dirigit quæ ab iis perperam fiunt, ut deſtinatum opus ſuum deducat ad finem propoſitum. Voluit Labani conſilia irrita reddere, perſecutionem ejus in Jacobi & familiæ bonum convertere. Id fecit. Rachel ea perpetraverat, quæ poterant omnia turbare, & Labano anſam præbere altercandi cum Jacobo; ille etiam imprudens & incautus conjecerat uxorem ſuam in periculum, & ſeipſum in ignominiam: at Deus Labanum flectit, ut audito Rachelis commento, ſtatim deſiſtat, & utriuſque culpam ad eventum ſalutarem dirigit. Itaque ſi tale quid accidat, quod ſæpè fit, ut in bonum ſuccedant nobis actiones alioqui non probandæ, eò magis de nobis humiliter cenſendum, ut tota laus boni eventus tribuatur ſoli Deo.

Exercitatio CXXXIV.

Expoſtulatio Iacobi cum Labano. Quid eum animoſum reddiderit? Ira quando in vitio? Iacobum juſtas iraſcendi cauſas habuiſſe. An exceſſerit? Ejus ſedulitas & fides. Cur pii aliquando laudabilia ſua facta referant? Deſcriptio ſervi frugi. Officium paſtoris animarum, à comparatione cum paſtore ovium. Socratis notanda conſideratio. Iacobum non fuiſſe nimis ſuſpicacem. Timorem Iſaaci *cur Deum appellet Iacob?* Niſi Jehova fuiſſet mihi, *quid ſubintelligendum? Ad Deum ſemper reſpiciendum.*

SEquitur gravis expoſtulatio Jacobi, poſtquàm Labanus perquiſitione facta, nihil potuit ſuum agnoſcere, in tota ejus ſuppellectile. Duo eum animoſum fecerunt. Primum fuit, quod jàm certus erat, Labanum cohibitum eſſe vi divina, ne in perniciem ſuæ familiæ abuteretur hac quam habebat, poteſtate. Secundum, quod nihil amplius habebat Laban, quo eum in malæ fidei ſuſpicionem adducere poſſet, inter communes affines & conſanguineos, quorum etiam potuit Jacobus percipere mentem ex ſignis, fortaſſè etiam ex verbis. Itaque in conſpectu eorum jurgatur cum Labano, & anteactæ vitæ ſuæ labores & innocentiam pluribus verbis amplificat. Id autem facit non ſine ſtomacho; nam hoc præmittit Moſes verſ. 36. ויחר ליעקב וירב בלבן *vajjichar lejaacob, vajarebh belabhan*, Et fuit ira Jacob, & jurgatus eſt cum Laban. Iræ cauſa fuit diffidentia Labani, qui facto ſuo indicaverat ſe fidem non habere Jacobi dictis, poſt tam diuturnæ fidelitatis argumenta: tum enim grave ei fuit, quod innocentiam ſuam videret in dubium revocari, præſertim in tot teſtium conſpectu. Judicavit ergo neceſſariam eſſe defenſionem; & in tali caſu juſtam, quæ non potuit eſſe ſine aliquo jurgio & altercatione, in qua nihilominus à verbis durioribus abſtinuit, nec aliquid immiſcuit non exploratè verum, ita ut Laban non habuerit quod regereret. Quod autem de ira dicitur, non exiſtimo poſſe ei verti vitio. Nec enim ira per ſe damnanda eſt, ſed ex circumſtantiarum ratione, ſi non ſit juſta, & ſi excedat. Rectè notat Thomas, 2. 2. q. 158. art. 1. in paſſionibus animæ malum inveniri poſſe duplici de cauſa. Uno modo, ex ipſa ſpecie paſſionis, quæ conſideratur ſecundùm ejus objectum. Sicut *invidia*, ſecundùm ſuam ſpeciem infert quoddam malum, quia eſt triſtitia de bono aliorum, quod ſecundùm ſe repugnat rationi, & ideò nomen ejus ſonat aliquid mali. Sed hoc non competit iræ per ſe: idcirco etiam *ira* tribuitur Deo; quæ quidem eſt appetitus vindictæ, quam quis benè vel malè poteſt appetere. Alio autem modo invenitur malum in aliqua paſſione ſecundùm quantitatem ipſius, id eſt, ſecundùm abundantiam vel defectum, quo modo in ira poteſt inveniri malum, quando quis plus minuſve iraſcitur, quàm fert recta ratio; ſed ſi quis ſecundùm rationem rectam iraſcitur, poteſt eſſe ipſius ira laudabilis. Quod ſi quis dicat, appetitum vindictę in homine laudabilem eſſe non poſſe, intelligo in homine privato, quia vindicta Dei eſt. Reſpondeo, vindictam in iræ definitione latius uſurpari, ut non intelligi debeat de ea vindicta qua homo reddere vult malum pro malo; ſed de ea, qua ut innocentiam ſuam tueatur, alium in agnitionem culpæ adducere conatur, vel ſaltem eam in illum rejicere, & à ſe amovere; quo deſiderio motus fuit Jacobus. Itaque non malè docet Philoſophia moralis, iram habere

pro

pro objecto formali bonum quoddam, in compenſatione ac retributione accepti mali conſiſtens. Cauſam autem iram moventem Ariſt. Rhetor. lib. 2. cap. 2. docet eſſe *apparentem immeritò, vel in ſe, vel in ſuos contemptum*. Cum autem hujus paſſionis impetus turbulentior ſit & effrænatior, nulla eſt etiam in qua magis ſit metuenda vel in iquitas, vel immoderatio. Quia cum cæteri affectus moveant & propellant animum, hic ſæpè præcipitat. Unde fuerunt qui exiſtimarunt, omnem omnino iram, quacumque de cauſa ſuſcipiatur erga alterum, eſſe pravam, & pellendam ex animo, nullamque eſſe laudabilem præter eam, qua quis ſibi ipſi propter peccata iraſcitur, & nominatim propter peccatum iræ. Sed tamen certum eſt moderatam & juſtam iram etiam erga alterum, non eſſe malam, ſi nihil aliud quærat niſi ut ordine juſtitiæ ſalvo, puniatur qui deliquit, & vindicetur peccatum, præſertim ſi nullam punitionem intendat præter eam, qua peccator emendari poteſt, & innocentia patefieri. Unde Auguſt. 9. de Civit. Dei cap. 5. *Iraſci*, inquit, *peccanti ut corrigatur, neſcio utrum quiſquam ſana conſideratione reprehendat.* Nec obſtat quod ab iis qui contrarium ſentiunt objicitur ex Epheſ. 4. verſ. 31. *Omnis amaritudo, & excandeſcentia, & ira, & clamor, &c. tollatur ex vobis, cum omni malitia.* Loquitur enim Apoſtolus de ira immoderata, ut ex adjunctis apparet; qualis eſſe ſolet cum quis vult autoritate ſua privata quippiam ulciſci.

Ergo, ut id applicemus iræ Jacobi, non dubitandum eſt quin ejus habuerit juſtas cauſas. Nam quod objiciunt quidam, eum litigare cum ſocero de re non comperta, & calumniæ notam ei inurere; itaque non eſſe inexcuſabilem, qui ſuſciperet totius familiæ cauſam, cum una eſſet in noxa. Reſpondeo, excuſari Jacobum in eo, quod prius non excanduit, quam ab ipſo Labano adhibita fuiſſet omnis diligentia, itaque pro eo facere ignorantiam facti. Sed præter eam cauſam, ſatis videmus in Apologia eum plures habuiſſe, non minus juſtas. Si ergo cauſam iræ ſpectemus, ab omni iniquitate aut injuſtitia liberari poteſt. Ad quantitatem quod ſpectat; commotionem non vulgarem notat ſcriptura, nam יחר *jichar*, eſt futurum verbi חרה *charah*, quo gravis animi affectio & quaſi ardor exprimitur. *Tumenſque*, ait vulgata, *Iacob, cum jurgio*, &c. Sed de exceſſu, ſi quis fuerit, ex ſubjectis verbis judicandum. Non videmus autem verbum aliquod ei excidiſſe, in quo injuria aliqua fuerit affectus Laban. Solum id animadvertimus, quod conſcientiæ ſuæ teſtimonio fretus, & eventu rei, liberè innocentiam ſuam tuetur; nec ſolum provocat Labanum, ut aperiat ſi quid habeat quod ei jure poſſit objicere, ſed etiam ad fratrum communium (ſic enim appellat, quotquot aderant ex cognatione Jacob & Thare) cognitionem & judicium provocat. Reprehendi autem non poteſt, quod juſta de cauſa iraſcatur, nec iræ juſtæ modum prætergreditur, qui ad juſtos arbitros & judices provocat, eos maximè, qui Labano ſuſpecti eſſe non poterant, cum eos ſecum adduxiſſet, & auxiliatores advocaſſet. Itaque in toto hoc Jacobi facto proponitur exemplum fiduciæ, quæ ex bona conſcientia oritur, cujus id proprium eſt, *Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.* Hoc etiam addo, videri totam orationem ita compoſitam & adaptatam, ut ab homine valdè perturbato talis fieri non poterit; ut vix aliter credam, quàm peculiari ſpiritus Dei impulſu & motu, ad eam directum fuiſſe Jacobum.

Commoda utitur & accurata methodo; Primum enim verſ. 36. & 37. præſentem ſuam juſtitiam (juſtitiam cauſæ intelligo) & innocentiam defendit, oſtenditque nullam fuiſſe cauſam cur Labanus ita exarſerit, ut hoſtiliter eum inſectaretur, quia nihil admiſerat tam hoſtili inſectatione dignum. Appellat Labani conſcientiam, & ejus curioſa inquiſitione, & rerum ſuarum omnium contrectatione utitur, velut inſultabundus. Deinde, verſ. 38. 39. & ſeqq. repetit anteriorem vitam ſuam, & fidelitatem, qua per annos viginti inſervivit Labano. Tandem verſ. 42. Iniquitatem Soceri opponit ſuis benefactis, ut det gloriam Deo, tanquam autori unico bonorum ſuorum, & protectori innocentiæ ſuæ.

Quod in tota hac Apologia maximè notandum eſt, ad deſcriptionem vigilantiſſimi & fideliſſimi ſervi pertinet. Longa ſervitus fuit in munere paſtoritio, viginti nempe annorum, quos ipſe ita diſtribuit verſ. 14. ut quatuordecim ſervierit pro filiabus, & ſex pro gregibus. Quod memorare voluit, ut conſtantiam ſuam in fidelitate prædicaret, quæ tot annorum decurſu, etſi durum & iniquum haberet herum, non potuit corrumpi. Hoc præterea faciebat ad ſacram Chronologiam. Recenſet autem emolumenta, quæ ex ſuo labore percepit Labanus, quod oves ejus & capræ non abortum fecerint. Id enim etſi præcipuè ad Deum autorem ſit referendum; certum eſt nihilominus Deum uti induſtria & cura cuſtodum. Addit, ſe juri ſuo potius ceſſiſſe, quam ut voluerit damna ſua reſarcire impenſis Labani. Juſtum enim fuiſſet, ſi potuiſſet probare non ſua negligentia factum fuiſſe, ut aliquando nonnullæ oves diſcerptæ eſſent, Laban in partem damni aliquam veniret, quod poſteà lege ſancitum fuit, Exod. 22. ℣. 10. ut ſi quid mortuum aut vi abductum, aut diſcerptum foret, purgationi locus eſſet, nec repetendi poteſtas daretur. At Jacob non uſus eſt hoc jure, imò Laban omnia exegit furto ablata, interdiu vel noctu, jacturam omnem ei imputans, & reſarciendi neceſſitatem imponens.

Diligentiæ præterea ſummæ meminit, & exantlatorum laborum, in duriſſima conditione, qua die urebatur æſtu, nocte rigebat gelu, vigiliis tantum non enecatus, cum ſomnum capere non poſſet. Quæ omnia memorat vir ſanctus, non jactabundus, & eo fine ut virtutum ſuarum eſſet ipſe præco, ſed neceſſitate adactus, qua ſæpè viri boni & humiles coguntur facta ſua

bona referre, ob æmulorum aut aliorum iniquorum hominum importunitatem. In qua occaſione locum non habet regula de laude in proprio ore ſordeſcente; ubi locum neceſſarium faciunt juſtæ Apologiæ, iniqui rerum æſtimatores. Sic aliquando videmus viros ſanctos & modeſtiſſimos ea commemorare de ſe, quæ potius ab aliis dicenda fuiſſent. Quo pertinent quæ à Paulo ſcribuntur 2. ad Corinth. cap. XI. & XII. Ubi coactus æmulorum importunitate, enumerat ea quæ fecerat & paſſus erat; & alibi, ſe *plus omnibus laboraſſe*, profitetur 1. ad Cor. 15. ℣. 10.

Notanda eſt in verbis illis deſcriptio ſervi frugi, nulla enim exactior poteſt fieri, & rara avis eſt in terris, ſi talis reperiatur. Cum autem Deus cum paſtoritio munere voluerit in Eccleſia ſua Miniſtrorum ſuorum officium comparare, iiſque paſtorum nomen communicare, ovium autem, iis qui illorum curæ ſunt commiſſi; Quæcumque hic dicuntur à Jacobo, non inutiliter applicabuntur, iis quos magnus animarum paſtor commiſit, paſcendis gregibus quos acquiſivit ſanguine ſuo. Hoc argumentum veteres non neglexerunt. Qui Labani hominis iniquiſſimi paſcebat greges, ſi tantam adhibuit fidem & diligentiam; quid non debent qui Domino ſerviunt, qui infinito dignior eſt, & qui neminem fraudat, cum mercedem etiam indebitam, gratuito reddat? Qui ovibus intendunt longè dignioribus, pretio infinito redemptis? Maledictos igitur jure pronunciat Propheta, *eos qui opus Domini faciunt fraudulenter*. Jer. 48. ℣. 20. Qui quod populi ſui paſtoribus improperat Deus Ezech. 34. ℣. 3. *Lac comedunt, & lanis operiuntur, quod craſſum eſt occidunt, gregem autem Dei non paſcunt.*

Repetebat Laban à Jacobo, quicquid furtim ablatum erat. Deus etiam requiret ab iis qui curam animarum gerunt eas, quas ſua negligentia ſinent vel à dæmone rapi, vel alia ratione perire. Ezech. 3. ℣. 17. & cap. 34. integro. Fugiebat ſomnus ab oculis Jacobi, ut noctu invigilaret gregi. Nihil paſtoribus Eccleſiæ magis neceſſarium; quod etiam præcipuè commendat Paulus Actor. 20. ℣. 29. *Scio quod intrabunt poſt diſceſſionem meam, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, propter quod vigilate.* Ubi addit exemplum ſuum, *memoria*, inquit, *retinentes, quoniam per triennium, nocte & die non ceſſavi cum lachrymis, monens unumquemque veſtrum.* Alibi omnes miniſtros hortatur, *ut exhibeant ſemetipſos, in multa patientia, in jejuniis, in vigiliis*, &c. 2. Cor. 6. ℣. 4. Quibus maximè convenit illud Homericum,

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Non oportet virũ conſiliarium totam noctem dormire.

Facit etiam exemplum Jacobi ad excutiendum veternum iis qui gravioribus ſtudiis applicati, & ad majora deſtinati, non ita honeſtis ſtudiis aſſueſcunt, ut aliquam partem ſollicitudinis & vigiliarum, quas impendit Jacob in gregibus gubernandis, ſuſcipere velint. Nec ſibi cum Socrate indignantur, quoties intelligunt ſerius ſurrexiſſe ſe de lecto, quam opifices quotidiè facerent, quod philoſophiam majori ſtudio colendam eſſe putaret, quam artes manuales aut mechanicas.

De ſocero conqueritur Jacob, cujus fraudes & iniquitatem opponit ſuæ fidelitati, ut contraria contrariis oppoſita magis eluceſcant. Debuit aſſiduus & continuus labor compenſari; at durus ille Euclio, immutavit mercedem generi *decem vicibus*, id eſt multoties, ut anteà expoſuimus. Sed excedit omnem barbariem quod addit de ejus propoſito ℣. 42. כי עתה ריקם שלחתני ki attareikam ſchelachtani, *quoniam vacuum me dimiſiſſes.* At unde ſcire potuit Jacobus, hanc fuiſſe intentionem Labani. Nonne ſuſpicionibus ſuis nimium indulget? Summa certè fuiſſet iniquitas, dimittere vacuum, tam diligentem & fidelem ſervum. *Charitas non cogitat malum.* 1. Cor. 13. verſ. 5. Unde igitur hoc venit in mentem Jacobo ut tam atrocis criminis Labanum accuſaret. Reſpondeo, non fuiſſe ſuſpicionem, ſed cognitionem, multis argumentis confirmatam. Id præterea collegit ex apparatu Labani, & ex ipſius confeſſione. Satis enim agnovit ſe non perſequutum fuiſſe illum ut ei benè faceret & ſuis, niſi à Deo fuiſſet cohibitus. Nec ejus conſilii ignari erant Labani comites, apud quos Jacobus cauſam ſuam agebat. Ideò neque illi hoc negant; neque Labanus aliquid replicat; unde ſatis liquet, cauſam habuiſſe Jacobum cur ſic loqueretur ſine charitatis præjudicio. Ne autem replicaret Laban; Si hoc mihi fuiſſet in animo, cur id non facio, cum viribus polleam, nec poſſis effugere manus meas. Occupat Jacobus, ſimulque occaſionem arripit deprædicandi beneficii divini, illudque amplificandi, ut Deo gloriam daret, dum ſimul hominem redarguit. Agnoſcit enim Deum non ſolum autorem beneficum, omnium quæ poſſidebat, ſed etiam eorundem conſervatorem. Emphaticè autem omnia proponit. Primùm, quia Labanus Deorum ſuorum meminerat, qui furto ablati fuerant, opponit vir pius, *Deum patris ſui Abraham, & timorem Iſaaci.* quaſi diceret, dii tui ſemetipſos ſervare non potuerunt. At Deus patris mei cohibuit te, & me ſervavit aut eripuit è manu tua. Simul his Dei appellationibus fidem ſuam confirmat, & commemorat fœdus cum Abrahamo initum, propter quod Deus erat Deus Abrahami, & ſeminis ejus.

Sed quia hic, & poſteà verſ. 53. Jacob appellat Deum, פחד יצחק *pachadh jitſchak*, timorem Iſaaci, merito quæſitum eſt quæ ſit hujus appellationis ratio. Primùm, probare non poſſum doctiſſimi viri ſententiam, exiſtimantis alluſiſſe Jacobum, *ad pavorem illum quo quaſi freno Deus cohibuit Iſaacum, ne collatam in Iacobum benedictionem revocaret*, ſuprà cap. 27. ℣. 33. quæ ratio placuit Junio. Quia cum id factum ſingulare fuerit, & ignotum Labano, & neceſſarium eſſet Deum ſignificare, communi nomine iis omnibus quorũ erat Deus. Quemadmodum ita dicitur Deus Abraham, ut Deus

ſit

ſit omnium poſterorum Abraham : ſic dicitur *timor Iſaaci*, ut etiam Deus ſit omnium poſterorum Iſaaci, id eſt, omnium fidelium. Hinc eſt quod id etiam applicatur communiter omnibus Iſraëlitis, apud Jeſaiam, cap. 8. ℣. 13. *Iehovam exercituum ſanctificabitis, & ipſe ſit timor veſter & pavor veſter.* Ubi utitur quidem alio nomine, ſed æquivalente, והוא מעריצכם *vehu maaritſichem.* Alibi cum deſcribit eum ad quem Deus eſt reſpecturus, cap. 66. verſ. 2. *trementem ad ſermones ſuos* appellat; id eſt, cujus Deus eſt tremor. Chaldæus paraphraſtes, *pavoris* aut *timoris* nomine utitur pro Deo. Quos enim dixerat Labanus Deos ſuos, *pavorem*, aut *timorem*, Labani appellat. Hebræi hic multa nugantur. Rabbi Schelomo Jarki exiſtimat, non vocatum fuiſſe Deum Iſaaci, ut Deus Abrahami, quia Iſaac adhuc vivebat. Viventibus autem nomen ſuum non tribuat Deus. Sed hoc falſum eſt. Deus enim ſe Deum Abrahami dixit, dum Abraham viveret. *Ego ſum Deus tuus.* Alii id intelligunt de timore quo Iſaac correptus fuit, quando pater eum ligavit, ut in ſacrificium eum offerret. Sed quorſum hoc? & quænam eſſet ratio cur juraret per illum timorem? Sententia vera eſt, nomine *timoris* Iſaac, aut *pavoris*, Deum intelligi, quem Iſaac timebat, id eſt, religioſe colebat & venerabatur. Hinc timoris nomine, יראה *jireah*, Hebræi Deum tremendum intelligunt vel verum, vel etiam falſum qualem ſibi Idololatræ adorandum proponunt, ut nuper de Paraphraſi Chaldaica in hoc ipſo capite oſtendebamus. Sic enim verſ. 32. *Locus in quo inveneris timorem tuum, non permaneat.* Ergo timor Iſaac per metonymiam eſt Deus expaveſcendus & timendus; quem Iſaacus metuit; unde Hebræi in precibus ſuis hoc repetunt עננו פחד יצחק *anenu pachad Iitſchak*; exaudi nos, pavor Iſaac. Dicitur ergo Deus *timor*, ea phraſi qua affectio ſeu paſſio pro ſuo objecto ponitur, ut amor, pro re amata. Quia ſolus Deus eſt, qui verè timeri debet, & naturæ ac gloriæ ſuæ majeſtate dignus eſt, ut timeatur. Quo referri poteſt dictum Chriſti, Matth. 10. verſ. 28. *Ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare. Sed timete potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in Gehenna.* Hinc volunt nonnulli, nomen Latinum *Deus* deductum eſſe, à Græco δέος, id eſt, *timor*. Non autem mirandum eſt ſi Deus timor alicujus appelletur, qui etiam dicitur *ſpes noſtra, gaudium, expectatio, fortitudo*, &c. Pro juramento verò Epithetum timoris optimè convenit Deo, & aptiſſimè uſurpatur, quia ex hoc homines maximè inducuntur, ut religioſe jurent, & juramenta obſervent, eo quod Deum timeant perjurii judicem & vindicem. Hinc etiam Ethnici apud Virgilium de ſuis minoribus diis reſpectu Jovis,

Dii cujus jurare timent & fallere numen.

Hic autem, ut benè obſervavit Druſius, *Timor*, aut *timere* aliter accipi debet, quam apud illum qui dixit, *timet ſuperſtitioſus, veretur religioſus.* Nam etiam religioſus, *timens Dei* appellatur, & legimus Proverb. 1. *timor Domini principium ſapientiæ.* Scio aliquando hæc diſtingui ut apud Afranium, *malunt metui quam vereri à ſuis.* Sed differentia non ſemper obſervatur in verbis, quæ tamen neceſſaria eſt in re. Hinc apud Perſium in bonam partem, *metuens divûm matertera.* Et apud Ovid. *metuentior ulla Deorum.* Alioqui anxius timor cum diffidentia conjunctus, Deo non placet; quia ſub eo non quieſcit homo. Sed alius eſt *timor* aut pavor, de quo ſapiens Prov. 28. verſ. 14. *fœlix homo,* מפחד תמיד mephachedh tamidh, *qui ſemper pavet*, aut *timet.* Perpetuus enim ille timor, fiduciam non tollit firmiſſimam in Dominum, ſed beatus eſt ille qui timorem Domini aſſiduè ob oculos propoſitum habet, ne qua in re eum offendat. Ita Deus fuit, *timor Iſaaci.*

Celebrat autem Jacob providentiam Dei erga ſe, primo in genere quod היה *fuit* ſibi, ubi vel *fuit* accipiendum eſt pro *adfuit*, vel aliquid ſubaudiendum. Plerique interpretantur *fuiſſet mecum*, ut agnoſcat veritatem promiſſionis repetitæ verſu 3. ואהיה עמך *veehjeh immak*, & ero tecum. Sed non videtur eſſe eadem phraſis, nō enim dicit hic היה עמדי *hajah immadhi*, ſed לי *mihi*, quod Pagninus vertit *pro me.* Et quidem quoad ſenſum nulla eſt difficultas. Putarem tamen illud לי *li* mihi, commodè poſſe referre ad præcedentia, *niſi Deus patris mei Abraham & timor Iſaac, fuiſſet mihi*, repeto *Deus*, & *pavor* meus, ut patribus meis, vacuum me dimiſiſſes. Hæc eſt ergo prima & præcipua ratio quam agnoſcit, cur Labani poteſtati non fuerit permiſſus. Aliæ quæ ſequuntur ab iſta pendent; *afflictionem meam & laborem manuum mearum vidit.* id eſt, rationem habuit eorum quæ apud te paſſus ſum tamdiu, nec voluit ut à te inanis abirem. Ubi non jactat merita ſua erga Deum; ſed juſtitiam cauſæ ſuæ adverſus iniquitatem Labani agnoſcit Deo fuiſſe curæ. Unde hoc factum fuit, quod tertio loco ponit, ubi modum declarat quo Deus repreſſit Labanum ne ei noceret. ויוכח אמש *vajjokach emes*, & arguit nocte præterita. Ubi non exprimitur pronomen ſecundæ perſonæ. Itaque verbum יכח *jakach*, abſolutè ſumi poſſet, ut verſ. 37. ויוכיחו בין שנינו *vajjochichu been ſchenenu*, ubi vulgata & *judicent inter me & te.* Sic poteſt hic intelligi, & hac nocte Deus judicavit, litem inter nos diremit, mihi adjudicans, quæ auferre volebas. Sic Deum ſolum laboris ſui juſtiſſimum remuneratorem prædicat, & quo minus juſtitiæ & æquitatis in hominibus expertus erat, eo magis ſe Deo debitorem agnoſcit. Exemplum omnibus piis imitandum, ut in bene faciendo & officio ſuo fideliter defungendo, etiam apud ingratos homines, ad Deum ſemper reſpiciant, patienterque ferant, ſi ab iis de quibus benè merentur, duriter habeantur aliquando, non dubitantes, quin Dominus videat, & tandem judicet.

EXERCITATIO CXXXV.

Fœdus inter Iacobum & Labanum. Hujus an ſeria fuerit benevolentiæ conteſtatio? Probabile eſt Deum flexiſſe ejus animum. Διαθήκη *nomen commune cujuſlibet diſpoſitionis. Fœdus pro* acervo, *fœderis teſtimonio, aut ſigno. An duo tituli ab utraque fœderatorum parte fuerint erecti? Negatur.* Lapis *collectivè, pro lapidibus.* מצבה matſtſebhah, *pro rudi lapidum congerie. Quorum erectio religioſa poſteà in lege prohibita. Niſi id Deus extra ordinem juberet. Nomina acervi ſeu tumuli erecti idem ſignificantia. Galaadis regio, unde dicta? Galaad mons, ejus deſcriptio. Error editionis vulgatæ. Deus omnia ubique ſpeculatur.* Mitſpah *locus celebris. Formula juramenti utriuſque confœderati. An liceat exigere juramentum ab eo qui juraturus eſt per falſos Deos? Auguſtini ſententia. Dubii ſolutio.* Comedere panem, *pro juſto convivio. Conventiones & contractus ſolemnibus conviviis confirmabantur. An mactatio victimæ à Iacobo facta in monte fuerit ſacra?* Fœdus ſalis. *Sacrificia pacificorum. Solutio quæſtionis, Mactationem illam non fuiſſe ſacrificium. Natura fœderis inter Iacobum & Labanum qualis? An David pactum illud violaverit? Negatur. Deus corda hominum flectit.*

SEquitur uſque ad finem capitis, fœderis inter Labanum & Jacobum ſanctio, à verſ. 43. In quo Labanus, audita conteſtatione Jacobi directè non reſpondet convictus in conſcientia ſua nihil fuiſſe objectum quod cum veritate non conſentiret. Itaque mitius nunc agit, & quaſi nihil mali cogitaſſet, tractat de conditionibus pacis & fœderis perpetui, inter utramque familiam, præmiſſa declaratione affectus ſui erga omnia quæ Jacobus ſecum deducebat. *Filiæ*, inquit, *filiæ meæ, & filii filii mei, & pecudes pecudes meæ, & quicquid vides meum eſt, & filiabus meis quid faciam iſtis hodiè, vel earum filiis quos pepererunt.* Vulgata omittit verba illa, *& filiabus meis*, quæ expreſſit Græca editio, ἐμὰ ἐςὶ καὶ τῶν θυγατέρων μȣ, *mea ſunt & filiarum mearum.* Pagninus non conjungit cum verbis *mea ſunt*, adverſativam enim interſerit loco conjunctionis. *Sed filiabus iſtis meis quid faciam hodie?* Sic Tremellius & Junius, *filiabus autem meis iſtis quid facerem*, &c. Vulgata contractius, ſenſum eundem retinens, *Quid poſſum facere filiis & nepotibus meis*; ubi ſub filiorum nomine, intelligendæ ſunt filiæ. Nam de filiis ſuis nihil dixerat, ſed de filiabus, & earum filiis. Quo ſenſu intelligenda ſit hæc Labani præfatio non perinde omnes judicant. Volunt nonnulli, hæc à Labano dici eodem animo, quo Benhadad Rex Syriæ, 1. Reg. cap. 20. verſ. 2. Achabo per nuncios dicebat, *Argentum tuum & aurum tuum meum eſt, etiam fœminæ tuæ & filii tui præſtantiſſimi mei ſunt.* Quibus verbis indicabat ſe omnia illa in poteſtate ſua habere, ut ea ſibi tribueret tanquam propria. Sed non fuiſſet commoda præfatio ad pacem, & amicitiam. Nec etiam ſi velut arroganter exprobrando dixiſſet, *omnia à me habes, omnia mihi debes.* Hæc enim potius exacerbaſſent Jacobum. Itaque ſenſum eſſe puto quem doctiſſ. interpres, Calvinus, & alii agnoverunt, hæc verba eſſe hominis qui benevolentiam ſuam vult teſtatam facere, & ϛοργὴν ſuam erga filias & nepotes declarare, ut omiſſis jurgationibus & querelis, deinceps inter ſe agant ſocer & gener, quo modo agere ſolent ii qui omnia habent inter ſe communia, & afficiuntur communibus bonis vel malis. Eſt enim ac ſi diceret, tua omnia perinde ut mea agnoſco, pro meis habeo. Itaque nollem tuis nocere, ut nollem nocere meis. An ſeriò hæc dixerit Laban, vel ſimulatè, variant etiam ſententiæ. Ratio agendi quam anteà obſervavit cum Jacobo, ſuſpectam multis reddit hanc benevolentiæ conteſtationem, quam hypocriſis inſimulant, quaſi aliud haberet in lingua promptum, aliud in pectore clauſum. Neceſſitate igitur adactum, finxiſſe tamen ſe ſemper fuiſſe animo in familiam Jacobi benevolo, quia videbat ſe conſtringi, ne malè faceret. Nec certè ejus præcedentibus factis indignum eſſet hoc judicium, ut in numero eorum haberetur, qui malum non faciunt, quia non poſſunt; non quia nolunt. Qui ubi deprehenſi tenentur & convicti, officia omnia ſimulant, ita ut probis difficile ſit eorum animum detegere, quia toti ſunt ad fallendum compoſiti. Quorum tamen etſi Deus animum non mutet, violentiam coërcet, ligatis eorum manibus, ne abutantur viribus ſuis.

Malim tamen hic agnoſcere vim divinam, non ſolùm in coërcendo, ſed etiam inflectendo. Illa quidem primùm ſe exeruit, cum furente adhuc Labano, prohibuit Deus ne Jacobo malè faceret. Sed paulatim etiam mitigavit ejus animum, & efficacem reddidit Jacobi orationem, ut ad veram reconciliationem aſpiraret. Itaque, quæ deinceps acta ſunt inter eos, ab utraque parte, ex animo, & ſincerè fuiſſe contracta puto. Nam etſi magna inter utrumque fuerit differentia, cum ſanctificationis ſpiritu duceretur Jacobus, quo non movebatur Labanus; nihilominus, ſi conſideremus fœdus quà ſimpliciter humanum eſt, & æquitatem communem ſpectat, non video cùr neceſſarium

ſit,

ſit, malæ fidei in toto hoc contractu Labanum inſimulare. Avaritiâ quidem anteà penè in eo ſuffocata fuit lux veritatis, quam videre non poterat, quandiu nimium fuit intento ad ſuam rem animo. Sed tandem ſcintillulas latentes excitavit Deus, ut agnoſceret, Jacobum bona fide ſecum egiſſe, & cuperet cum eo reconciliari ex animo. Etſi in ea re non negarem, ſibi & ſuis in poſterum conſulere voluiſſe, ne quando Jacob, aut ejus poſteri in animum inducerent, injurias illatas ulciſci, eaque etiam conſideratione fuiſſe adductum, ut fœdus cum eo ambiret.

Ergo jam lenior, & longè alius redditus quàm anteà ob Dei caſtigationem, & quia videbat ita Deum Jacobum proſperare, & tanto favore afficere, eum à ſe placatum dimittere conatur. *Et nunc veni*, inquit, נכרתה ברית *nicrethah bherith*, id eſt, *percutiamus fœdus*. LXX. διαθῶμεν διαθήκην, ſic enim legitur apud Chryſoſtomum, & in editione Complutenſi, ubi vertunt, *Et diſponamus teſtamentum:* putant enim vocem διαθήκης non eſſe generalem, ſed voci Latinæ *Teſtamenti* reſpondere. At falluntur, nec hoc voluit Paulus in Epiſtola ad Ebræos cap. 9. ex ſimplici vocis ſignificatione arguere, ſed ex ipſius fœderis circumſtantiis. Itaque hîc verba interpretum Græcorum, potius Latinè verti debuerunt, *paciſcamur pactum*; vel ut Vulgata habet, *ineamus fœdus*. Certum eſt enim, hîc Labanum & Jacobum non condidiſſe teſtamenta ſua, ſed fœdus iniviſſe commune. Non eſt autem inſolens (ut id obiter dicam) vocem διαθήκην uſurpare ſignificatione generali, etiam apud linguæ Græcæ claſſicos autores; Camerarius enim citat ex Ariſtophane in avibus, διαθεῖναι διαθήκην, pro *paciſci*, uſurpatum. Quod LXX & Theodotio διαθήκην dixerunt, Symmachus συνθήκην, hoc eſt, *pactum*, vel *fœdus*, vertit, quæ eſt propria ſignificatio Ebraicæ vocis ברית *berith*. Quæ vox non legitur in V. T. pro diſpoſitione teſtamentaria, quæ à Rabbinis צואה dicitur, teſte Druſio, à verbo præcipiendi, quod interdum teſtamentum condere ſignificat: ut Eſai. 38. ℣. 1. *Præcipe domui tuæ*. Quod tamen verbum eſt etiam generale, & reſtringitur ex loci circumſtantia. Finem fœderis ineundi proponit Laban, *ut ſit teſtimonium inter me & te:* ubi LXX hoc addunt, quod textus Ebræus non habet, nec Latinus, *Dixit autem ei, ecce nemo nobiſcum eſt; vidit Deus, teſtis inter me & te*. Hæc in editione Romana leguntur, quæ non ſunt in editione vulgata; leguntur tamen apud Chryſoſtomum, &, ſi Flaminio Nobilio fides, in omnibus collatis exempl. Græcis habentur, non tamen in Baſileenſi; ſed puto ex verſ. 49. eſſe aſſumpta. In verbis autem Labani fœdus ſumitur pro ſigno aut monumento fœderis, ut poſteà explicatur verſ. 48. *Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodiè:* ubi apparet metonymia ſigni & rei ſignificatæ, eadem enim tribuuntur fœderi & tumulo, ſive acervo. Acervus erat ſignum fœderis, utrique tribuitur nomen teſtimonii. Ideò etiam poſtquàm Labanus Jacobum hortatus eſt ad fœdus ineundum, *Tulit Iacobus lapidem, &c.* nempè, ut ſtatueret & erigeret teſtimonium. *Acervus* ergo erectus *fuit fœdus*, hoc eſt, ſignum ſeu teſtimonium fœderis.

Non eſt autem exiſtimandum, quod prima facie videri poſſet, duos fuiſſe erectos titulos, ab unoquoque fœderato unum: à Jacobo ex lapide unico, à Labano ex pluribus lapidibus; à Jacobo ſtatuam, à Labano acervum ſive tumulum. Quidam Judæorum interpretes ſic philoſophati ſunt: Jacobum unicum lapidem erexiſſe, quia unum Deum colebat; Labanum multos lapides collegiſſe, quia plures Deos habebat. Sed id prorſus eſt confictum. Nam etſi Jacob dicatur lapidem erexiſſe in ſtatuam, idem etiam hortatus eſt fratres ſuos ad colligendos lapides, qui tamen non fuit autor, ut plurium Deorum erigerent ſignum. Nec duo fuerunt monumenta, ſed unicum ex pluribus lapidibus compoſitum, cui nomen inditum eſt ab utroque, ſono quidem diverſum, ſed ſignificatione unum, ut dicetur. Qui hoc etiam viderunt nonnulli, putant tamen è textu colligi, Jacobum erexiſſe primum lapidem aliquem præaltum, velut columnam quandam, alios autem ut eam firmarent allatis multis aliis lapidibus in circuitu, qui primum illum ſuſtinerent, cumulum illum erexiſſe, in cujus medio ſtatua lapidea fuit eminentior. Sed id non habet fundamentum in textu benè intellecto.

Exiſtimo itaque verſ. 45. & 46. unam & eandem rem dici, ſed in priori eam in genere ſignificari factam fuiſſe; in poſteriori, qua ratione & quibus adjutoribus. Sic igitur interpretor verſ. 45. *Tulit Iacob lapidem*, id eſt, ut benè notarunt Tremel. & Junius, *lapides*, ut ſit enallage ſingularis pro plurali, vel lapis dicatur collectivè, ut ſuprà cap. 28. ℣. 18. ubi *lapis* pro *lapidum ſtrue* ponitur; quia lapis, quem unus homo movere potuiſſet, non fuiſſet ſatis ad ſtatuam erigendam; unde eſt quod ejuſdem cap. verſ. 11. in plurali dicebatur, quod accepiſſet de lapidibus loci, & diſpoſuiſſet eos, &c. Hoc igitur poſito, quæ ſequuntur ſigillatim explicant, quomodo ſtatuam illam erexerit Jacobus, non quod ſolus id fecerit, ſed quod aliis fuerit autor & negotii procurator. Nam *dixit fratribus ſuis*. Id Mercerus intelligit de ſuis comitibus, id eſt, domeſticis: rationem addit, quod cognatis Laban, quos ſecum adduxerat, non imperaret Jacobus. Sic igitur vult vocari laborum ejus *participes*, quomodo anteà paſtores Charanis, qui primi illi obviam facti fuerunt, fratres appellavit civiliter. Sed ex verſu 51. conſtat, Labanum in acervo illo erigendo operam ſuam exhibuiſſe, vel per ſe, vel per ſuos, ædificatumque fuiſſe opera communi fœderatorum. Nihil igitur obſtat, quominus per *fratres* intelligamus Labani filios & comites, quos ita compellavit Jacob, non injungens pro imperio, ſed hortans, ut ſe juvarent in communi negotio. Itaque

que omnes ſimul, tam Jacob, quàm familia Labani, tumulum illum, ſeu acervum, ex multis lapidibus collectis erexerunt, & *ſuper eum comederunt*, quod per prolepſim dicitur, quia antequàm comederent, juraruntinvicem, ut poſteà fuſius narratur.

Ex dictis patet, מצבה *matſtſebhah*, ſtatuam, hoc loco non dici de aliqua imagine ad humanam formam effigiata, ſed de rudi lapidum congerie, quæ emineret, ut eſſet alicujus inſignis facti nota, ad memoriam poſteritatis, in quem uſum, ubi opifices & cæmentum non deſunt, eriguntur columnæ, &c. Græci etiam interpretes στήλην, *columnam*, interpretantur: nos Gallicè dicimus *monjoye*, quaſi *mons gaudii*. Tales adhuc erigunt opere tumultuario in Gallia & alibi, qui peregrinationes ſuſcipiunt, ad loca quæ vocant ſancta, in omnibus quadriviis, ut aliis ſint quaſi lapides mercuriales, à quibus rectâ deducantur. Talium monumentorum uſus indifferens eſt, & pro ratione circumſtantiarum, bonus vel malus eſſe poteſt. Jacobus hîc & ſuprà, ubi tales erexit acervos, nihil aliud ſibi propoſuit, quàm relinquere poſteris aliquas rerum ibi geſtarum notas. Sed accidit ſæpè, ut homines non ſe contineant in præfixis limitibus, maximè ſuperſtitione ſuperinducta, qua ſæpè factum eſt, ut talia degeneraverint in idololatriæ inſtrumenta. Quod cùm fit, abolenda ſunt prorſus, ut de æneo ſerpente ab Ezechia factum eſt. Hanc propenſionem abutendi talibus in ſacris, cùm videret Deus in populo Iſraëlis, prohibuit poſteà in lege ſua, ne ſibi titulos aut ſtatuas erigerent, Levit. 26. ℣. 5. & Deut. 16. ℣. 22. Quod etſi intelligi poſſet, de erectione columnarum, aut ſtatuarum adorationis cauſsâ, quales à Gentilibus erigebantur termino, limitibuſve agrorum, de quo Termino Ovid. 2. Faſtor.

Te duo diverſa domini de parte coronant,
Binaque ſerta tibi, binaque liba ferunt.

Abulenſis tamen ſententiæ magis accedo, exiſtimantis legem latam de *titulo* non erigendo, aut de *lapide inſigni*, quamvis non erigeretur animo adorandi, intelligi debere propter periculum adorationis præſumptæ, quod Deus voluit præcavere. Quæ lex, cùm poſt Jacobum lata fuerit, non potuit Jacobi factum damnare; ſed tantùm oſtendere, id non debuiſſe trahi in exemplum, niſi aliquando id fieret extra ordinem, ex ſpeciali revelatione, quod intelligendum eſt de *titulis duodecim*, עשרה מצבה *eſreh matſtſebhah*, quos Moſes ædificavit, ſecundùm duodecim tribus Iſraël. Exod. 24. ℣. 4. Quem etiam imitatus Joſue, erexit duodecim lapides in medio Jardenis, Joſ. 4. ℣. 9. ſecundùm numerum filiorum Iſraël, *in memoriam filiis Iſraël uſque in ſeculum*, verſ. 7. id eſt, in memoriam ſiccati Jardenis. Olim arbores plantare juxta altare Dei non fuit prohibitum, & id fecerunt Patriarchæ; ſed poſtquam periculum fuit, ne Iſraëlitæ id facerent ad imitationem Ethnicorum, & ſibi conſtituerent diverſos adorationis locos contra intentionem divinam, qua publicum cultum alligaverat tabernaculo, & arbores juxta altare, & columnas aut titulos prohibet, Deut. 16. ℣. 22. Hujus præcautionis neglectus apud Chriſtianos quid tandem pepererit, comprobavit experientia. Alia eſt ratio politicorum monumentorum extra religionem, ubi nulla eſt idololatriæ ſuſpicio.

Quod diximus unum fuiſſe erectum commune teſtimonium, apparet ex nominis impoſitione, quæ ex utraque confœderatorum parte ita facta eſt, ut de ſignificatione convenerit, etſi quiſque linguæ ſuæ voces retinuerit. Laban igitur primus vocavit יגר שהדותא *jegar ſahadhutha*, quæ duæ voces ſignificant *acervum teſtimonii*, linguâ Chaldaicâ, ſive Aramicâ, quâ tota illa familia poſterorum Nachor tunc utebatur, ex conſuetudine incolarum regionis quam inhabitaverant. Abrahami autem poſteritas Ebraicam linguam retinuit, quam non mutavit Jacobus in viginti annorum peregrinatione, etſi dubium non ſit, quin didicerit etiam Aramicam, quod non ita ei difficile fuit, quia inter utraſque magna eſt affinitas. Retento igitur linguæ ſuæ idiotiſmo, eundem locum appellavit Jacobus גלעד *galedh*, eadem ſignificatione, eſt enim גל gal, *cumulus*, ſive *acervus*, עד autem *teſtis*; quam vocem volunt nonnulli poſitam eſſe pro ſubſtantivo עדות *edhuth*, quod teſtimonium ſignificat. Sed eò recurrere non opus eſt, quia ſufficit, ſi ſenſus ſit idem, etſi in verbis ſit aliqua varietas, ſecundùm linguarum idiotiſmos. Sive enim dicatur *acervus teſtimonii*, ſive *acervus teſtis*, eadem erit ratio. Tantùm Jacobus, ut brevior eſſet compoſitio, potius dixit *galed*, quàm *galedud*. Fuit autem *Galhed*, proprium nomen illius monumenti & tractus in quo poſitum fuit, etſi poſteà, inflexo quodammodo nomine, *Galaad* dictus fuit, imò tota regio, ſed à proprio nomine viri ex poſteris Joſephi, de quo Numer. 26. ℣. 29. Ex his autem apparet, anteà in narratione Moſis nomen illud *Galed* uſurpatum fuiſſe per anticipationem, quia ſic vocabatur cùm Moſes ſcriberet, non autem cùm Laban aſſequutus eſt Jacobum. Tum enim impoſitum primò nomen fuit, quando inter eos pactum ſanciebatur. Fuit autem Galaad mons terræ Canaan trans Jordanem, cujus eminentiſſima & fertiliſſima pars nomen illud habuit, etſi aliis montibus hic conjunctus fuerit, nempè ab una parte Libano, & ab altera montibus Sehir. Hieron. de locis Ebraicis ad lit. G. *Galaad*, inquit, *mons, ad quem ſeptimo die profectionis è Charris Iacob profugus venit, eſt ad tergum Phœnices & Arabiæ collibus Libani copulatus, extenditurque per deſertum, uſque ad eum locum, ubi trans Iordanem olim habitavit Rex Sehon Amorræorum. Cecidit ſuprà dictus mons in ſortem filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe. Sed & Ieremias loquitur, Galaad, tu mihi initium Libani.*

Aliud

Aliud nomen additur; verſ.49. ubi textus Ebræus habet, והמצפה *vehămitſpah*, quia dixit, nempe Laban, יצף *jitſeph*, ſpeculetur *Dominus inter me & te.* Hæc verba immediatè ſequuntur, *Idcirco appellatum eſt nomen ejus Galaad.* Vulgatę editionis autor, non animadvertit quod ſequitur, *& Mitſpah*, eſſe nomen proprium, idcirco interpretatus eſt, *intueatur & judicet Dominus inter nos*, cum in textu manifeſtum ſit, eſſe proprium nomen, cujus additur ratio. Idcirco non immeritò miratur Cajetanus, quid vulgatum interpretem impulerit, ut tres voces in hoc verſu eliſerit. Græci habent καὶ ἡ ὅρασις ἣν εἶδεν. *& viſio quam vidit.* Satis obſcurè, ſed tamen quid velint, colligi poteſt ex Ebręo, niſi voluerint alludere ad viſionem oblatam Labano, ob quam loco indiderit nomen מצפה *mitſphah*: eſt enim צפה *tſapha*, ſpeculari & videre. Pontificii hic vulgatam ſuam tueri non poſſunt. Ridiculum enim eſt quod Marius ſpeculatur, quia verbum unde *mitſphah* deductum eſt, ſignificat videre & ſpeculari, & quia qui vidit, benè teſtari poteſt, non malè interpres ad teſtimonium retulit. At non verum eſt *ſpeculam* pro *teſte* unquam accipi poſſe; nec voluit nomen *mitſphah*, vertere vulgata cum dixit, *id eſt, tumulus teſtis.* ſed nomen præcedens Galhed. Melius igitur Marius ſuo commento diffidens. *Fortè ex noſtra interpretatione intercidit ſecundum nomen.* Ergo fuiſſet apponendum, ſi emendatores fideliter ſe geſſiſſent; nihil eſt enim in ſcriptura ſuperfluum. Defectum agnovit Mariana, qui ex Ebræo ſic reddidit, *Et Mitzpa*, id eſt, *ſpecula*, (ſupple, vocatus eſt titulus) *quoniam adjecit Laban, intueatur & judicet Dominus.*

Conditiones fœderis propoſitæ fuerunt à Labano, quæ ad id tantùm reſpexerunt ut neuter alteri noceret. Voluit enim Labanus cavere ſibi & poſteritati ſuæ, ne Jacobus aut poſteri aliquid in ſe attentarent. Cauſa fuit, ſenſus benedictionis divinæ erga Jacobum, à quo etiam potuerat didiciſſe, promiſſam ei fuiſſe numeroſam poſteritatem. Et quia ipſe venerat contra Jacobum & Deus in eo loco ſtiterat eum, & impediverat ne Jacobo noceret; non ſine cauſa cupit deinceps, ut mons ille interponatur, inter utrumque populum, nec liceat uni contra alterum aliquid moliri, aut ſaltem ſi aliquando tale quid ſuſciperetur, vi fœderis interveniret mons, tanquam murus. Hæc fuit clauſula communis, & quæ utriuſque poſteritatem reſpexit; cui ſingularem præmiſit Laban, pro filiabus ſuis, ne poſtquàm à patre eas abduxerit, eas affligat, aut eis alias ſuperinducat. Quod autem diximus ſuprà, Labanum ita idolis addictum fuiſſe, ut tamen etiam veri Dei aliquam retinuerit notitiam, teſtatur conſideratio, quam ſubſternit tanquam fundamentum promiſſi mutui: verſ.50. *Quando*, inquit, *receſſerimus ab invicem, nullus erit ſermonis noſtri teſtis*, ad verbum, *non eſt vir nobiſcum, vide, Deus teſtis inter me & inter te*: id eſt, quamvis nullus ex his qui nobiſcum ſunt, videat aut videre poſſit, num ab altera parte, fiat aliquid contra fœderis clauſulas, Deus tamen qui omnia videt tanquam è ſpecula, teſtis erit inter nos; non latebit eum ſi quid contra preſtitam fidem moliamur. Hoc communis naturæ ſenſus ipſi Labano dictavit, venturas in Dei judicium fraudes, quæ mundo ſunt abſconditæ; ut pudeat eos qui in Evangelij luce verſantur, latebras fallaciis ſuis captare. Ubique, non ſolum in monte Galaad, agnoſcenda eſt nobis *mitzpah*, Specula, nempe Domini, qua ſpeculatur quæcumque in orbe fiunt. Hoc eſt quod voluit etiam, qui de Deo dixit, πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει, omnia videt, & omnia audit. Nomen autem *Mitzpah*, poſteà manſit non tantum ei loco, in quo erectus fuerat acervus, ſed etiam civitati in vicinia ædificatæ, cujus fit mentio Joſue 13. in tribu Juda & Benjamin: & Judic.20. verſ.1. *Congregatus eſt totus cætus unanimis à Dane, Berſchebaum & terram Gilhadis uſque, ad Iehovam mitzpham.* Locus fuit celebris propter habitationem Arcæ, in quo judicavit Samuel Iſraëlem, 1.Sam.7. verſ.5. & 6. & conſtituit Saulem Regem ſuper Iſraëlem, 1 Sam. 10. verſ.17.

Forma juramenti utriuſque habetur verſ.53. אלהי *Elohe*, Deus aut Dij Abraham; Deus, aut Dij Nachoris judicent inter nos, Dij patris eorum. Verba Labani ſunt ambigua, quæ vulgata ſingulariter interpretata eſt. Alij pluraliter interpretantur, *Dii Abrahami*, &c. Verbum ישפטו *jiſchphetu* plurale, oſtendit Labanum differentiam feciſſe inter Deos, & plurium quam unius meminiſſe. Sed an eoſdem poſuerit Deos Abrahami, quos Nachoris dubium eſt. Putant enim quidam eum reſpexiſſe ad id, quod initio Abraham & Nachor fratres, cum habitarent in Ure Chaldęorum, habuerint eoſdem Deos, de quibus dicitur, quod Nachor & Thare ſervierunt diis alienis, Ioſue 24. verſ.2. Sed probabilius eſt, cum ageret cum Jacobo, quem noverat eſſe cultorem veri Dei, quem ſolum Abrahamus poſt vocationem, coluerat, voluiſſe in ſuo juramento Deum verum conjungere, cum diis quos Thare & Nachor, ex ſuperſtitione idololatrica coluerant. Itaque non putandum eſt, quod alioquin minus conſideranti videri poſſet, Labanum unum eundemque Deum conſtituere his verbis, *Deus Abrahami, & Deus Nachor, &c.* Ille certè diſcrimen conſtituebat, ſed tamen utriuſque voluit meminiſſe, tum ut gratificaretur Jacobo, oſtendens ſe Deum ejus non averſari; tum etiam fortaſſe, ut Jacobum ad imitationem ſuam pertraheret, & ſimilibus verbis juramentum ſuum conciperet, cum videret Deum Abrahami primum fuiſſe nominatum. Inde fortè Jacobus ſumpſit occaſionem, utendi formula, alias non uſitatâ, ut per *pavorem patris ſui* Iſaac juraret. Nam etſi potuiſſet omiſſo Deo Nachoris, jurare per Deum Abrahami: ne tamen ambiguitas vocis, qua etiam uſus erat Laban, poſſet trahi in perverſum ſenſum, & referri ad Deum quem Abraham, cum Thare & Nachor coluerat, voluit tale diſcrimen afferre, ut nullo modo confundi

fundi poſſent. Itaque juravit per Deum quem Iſaac colebat & reverebatur cum ſummo timore, ut hac etiam *pavoris* voce oſtenderet, quanta religione præſtaret illud juramentum.

Hic autem, cum Jacobus, contentus Deum verum in teſtem advocare in ſuo juramento, non urget tamen ut eadem forma juret Labanus, ſed acceptet juramentum, etſi cum Idololatria conjunctum: Quæſitum eſt, an etiam liceat ab eo exigere juramentum, qui per falſos Deos, aut per creaturas juraturus eſt? Auguſtinus Epiſt. 154. reſpondens Publicolæ, duas quæſtiones ad eam rem pertinentes ſibi ſolvendas proponit. Primam, Utrum ejus fide utendum ſit, qui ut eam ſervet, per dæmonem juraverit? Reſpondet autem, prius eſſe conſiderandum, an is qui per falſos Deos juraverit ſe fidem ſervaturum, & eam non ſervaverit, non videatur bis peccaſſe? Hoc ille pro certo habet; unde concludit, ſemel tantum peccaſſe, ſi per falſos Deos juraverit, & juramentum ſervaverit. Eum ergo non peccare, qui ad rem bonam & licitam, utitur fide illius, qui non peccavit in eo quod fidem præſtitit, ſed tantum in eo quod per falſos Deos juravit. fidem autem intelligi, fidem humanorum placitorum atque pactorum. Alia quæſtio eſt, Utrum non peccet, qui per falſos Deos ſibi jurari fecit, quia ille qui jurat, Deos falſos colit. Hanc quæſtionem difficiliorem putat, quæ illum merito fortaſſis moviſſet, niſi occurriſſent exempla de Iſaac & Jacob. Tertiam addit quæſtionem, utrum ea pace debeamus uti, quæ inter alios invicem jurantes, nempe per Idola aut falſos Deos facta eſt? Ad quam reſpondet, ſe neſcire ubi invenire poſſimus in terris ubi vivamus, id ſi facere noluerimus, quia tum, univerſis provinciis pax conciliabatur juratione barbarica. Unde & illud ſequeretur, ut non fruges tantum quæ ab eis cuſtodiuntur qui per Deos falſos juraverunt, ſed ubique inquinata ſint omnia, quæ ipſa pace muniuntur, quam juratio illa confirmat. Quod ſi abſurdiſſimum eſt dicere, non debere nos talibus moveri.

Mediam quæſtionem, quæ noſtra eſt, exemplis tantum defendit; Alioqui videtur hæſiſſe, maximè an id inter Chriſtianos liceat; quia videtur etiam nomen ſuum profiteri inter eos, qui exiſtimant abſolutè prohibitum fuiſſe à Chriſto juramentum. Quod ſi nobis jurare non liceat, non licebit alium compellare ut juret. Sed ſententia illa (quæ tamen multorum patrum fuit) periculoſa eſt & falſa, de qua etiam alibi diximus. Itaque non nos remorari debet hæc Chriſti prohibitio, ab omni juramento, ſed tantùm à non neceſſario, à quo ut nobis abſtinendum eſt, ſic neque illud ab aliis exigere debemus. Plena ſunt omnia exemplis piorum, qui inierunt fœdus pacis cum hoſtibus Idololatris, in quibus fœderibus, ab utraque parte juratum eſt. Sic Machab. cum Romanis injerunt fœdus pacis; ſic etiam Imperatores & Reges Chriſtiani cum infidelibus, exacto etiam juramento, ſine quo non exiſtimaſſent illi teneri ad fidem ſeruandam. Sed tamen id concedimus tantùm, juramentum religioſum ita exigi poſſe ab infideli, ut non liceat exigere juramentum per Deum alienũ aut per creaturam explicitè; ſed generaliter tantum ut juret. Qod ſi ille per Idola aut per creaturam juret, imò etiamſi ſciat qui juramentum petit eum per idola juraturum, non peccat tamen qui juramentum exigit & recipit. Hæc hujus rei affertur ratio, quod juramentum religioſum ad veritatis confirmationem, homines ſibi mutuò debent ex jure convivendi. Qui igitur juramentum exigit ab Idololatra ex cauſa juſta, jure ſuo utitur. Ex quo diſcrimen ſtatuitur, cur aliquis poſſit compellare Idololatram ut juret; non autem ut idolo ſacrificet, nec magum ut curet eum per magicam artem, quia hæc non pertinent ad uſum communis humanæ converſationis & ſocietatis, quam autor naturæ indulget. Hinc etiam patet, ſi quis audiret Idololatram jurantem ſibi per verum Deum, quem tamen non coleret, & ideo putaret ipſum non jurare, poſſe inſtare ut alter verum juramentum adhibeat ex ſenſu ſuo, etſi jurationem rejiciat quæ fiebat per verum Deum, alia autem ſequutura ſit per Idolum.

Sed id non exiſtimo locum haberẽ, cum aliquis rem habet cum Pontificio, qui per Deum jurat. Quamvis enim compertum ſit minus religioſum eſſe apud eos tale juramentum ſimplex, quam illud quod fit ſuper ſancto, ut loquuntur, ſacramento, non tamen licebit fideli reformato inſtare, ut tales adhibeantur ceremoniæ, quia profitetur etiam Pontificius ſe credere in verum Deum. Ut rem contrahamus, Eadem eſt ratio acceptationis ſive etiam exactionis juramenti ab eo quẽ per Idola juraturum novimus; quæ eſt in petitione mutui ab eo, quem niſi cum exactione gravis uſuræ mutuo daturum novimus. Sicut enim exigit mutuum, qui id petit, uſuram autem permittit & tolerat: ſic etiam, ab infideli juramentum tantum exigitur; permittitur autem & toleratur, quod per eos qui dii non ſunt jurat, quod ſi fiat ob juſtam cauſam & neceſſariam, culpari non debet in eo qui exigit. Alioqui, mutuum dare, & jurare, tales ſunt actiones, quæ fieri poſſunt ſine peccato. Qui igitur exigit, non petit ut peccet, etſi alter per malitiam ſuam talem actionem non faciat ſine peccato. Id tantum obſervandum eſt ne pii imitentur impios in jurando, ſed Iſaaci exemplo, ita diſtinguant, ut nulla poſſit ſuboriri ſuſpicio, quaſi in gratiam hominum, vellent ſuperſtitionibus connivere.

Poſt fœdus juramento ſancitum, ut firmam & ſincerã reconciliationem teſtarentur, convivium fuit inſtitutum à Jacobo, qui invitavit Labanum & comites ejus *ad comedendum panem*: id eſt, ad veſcendum paratis epulis. Eſt enim phraſis Ebręa, qua ſignificantur omnia ad juſtũ epulum neceſſaria. Sic 2 Sam. 9. ℣. 7. & 10. David dicebat ſeni Barzilai, *tu comedes panem ad menſam meam ſemper*; id eſt, ſumes cibum de menſa mea. Sic intelligendum, ubi panis non diſtinguitur expreſſè ab aliis cibis.

Id au-

Id autem fuit in more poſitum, & hodiè etiam obſervatur, ut conventiones, contractus, & pacta, adhibitis ſolemnibus conviviis confirmarentur. Exempla fœderalis convivii, præter illud quod hîc à Jacobo paratum eſt, obvia ſunt in ſcripturis, quale illud fuit de quo 26. cap. ubi Iſaacus cum Abimelecho ejuſque amicis, fœdere percuſſo, convivium magnum dicitur paraſſe, & una cum illis cibum potumque ſumſiſſe. Similis epuli fœderalis mentio fit, 2 Sam.3.verſ.20. ubi narratur convivium quod fecit Abnero & comitibus ejus David, quia venerant ad fœdus cum eo pangendum, nomine populi. Longum eſſet ex variis autoribus exempla proferre aliarum ferè omnium nationum, in quibus conſuetum fuit fœdera ſancire, ſacrificiis & conviviis ad id ſpecialiter inſtitutis. Quæ ſi quis deſideret, adeat Antiquitates convivales doctiſſimi Helvetii Joan. Gulielmi Stukkii lib. 1.cap.40.

Id tantùm hoc loco nobis expendendum eſt quod in textu legitur de Jacobo verſ.54. ויזבח יעקב זבח בהר *vajizbach Iaacob zebach behar*, & mactavit Jacob victimam in monte; an mactatio illa victimæ facta fuerit cum ſacris ritibus, atque adeò verum fuerit ſacrificium, in quo pars hoſtiæ mactatæ Deo oblata fuerit, reliqua autem pars ſanctificata hoc ſpeciali ritu, ceſſerit offerentibus, ut ea in convivio ſuo uterentur. Dubitandi cauſa duplex eſt. Prima, quia, verbum זבח ſacrum, & profanum ſive commune reperitur, ut obſervat doctiſſ. Mercerus, & generaliter ſignificat *mactare.* Cujus ſignificationis hoc exemplum profert Elias Levita. Targum habet ונכס *unecas* & mactavit Jacob, נכסתא *nicſetha*, mactationem; hoc eſt mactavit pecudes, & paravit ad convivium. Sed eſt locus, 1 Sam. 28. ℣.24. qui non aliter poteſt intelligi, quam in ſignificatione mactandi ad uſum convivii communis. *Erat mulieri vitulus ſaginatus in domo, & feſtinabat* ותזבחהו *vattiſbachehu.* ubi Targum, ונכסתה *venikſateh*, & mactabat illud, & apponebat Sauli & ſervis ipſius. Alias ferè ſemper in materia ſacrificiorum, uſurpatur hoc verbum.

Id etiam convenientiſſimum eſſet confirmationi fœderis, cum nemo ſit qui neſciat, ferè apud omnes gentes ſancita fuiſſe fœdera oblatis Deo victimis. Unde etiam volunt vocem ברית *berith*, qua fœdus ſignificatur, dici quaſi כרית *kerith*, quod in fœderibus ineundis victima cædebatur, unde eſt quod ferè conjungitur cum verbo כרת *carath*, id eſt, *feriit* vel percuſſit. Latinè etiam dictum fuiſſe nonnulli volunt fœdus, à victimis feriendis. Exemplum omni exceptione majus habetur in illo ſacrificio, quo Deus per Moſem fœdus cum univerſo populo Iſraëlitico pepigit, eumque ad legi ſuę obediendum obligavit & obſtrinxit. Cujus deſcriptio habetur, Exod.24. Nam cum Moſes ad radices Montis Sinai altare ædificaſſet, & XII titulos, ſecundum XII tribus extruxiſſet, juvenes Moſis juſſu, holocauſta, victimas pacificas, ac duodecim vitulos Domino immolaverunt.

Tunc Moſes dimidia ſanguinis parte impletis crateris, reliquam partem effudit ſuper altare. Deinde ſumpto legis volumine, illud populo audiente legit, qui dixit, omnia quæ loquutus eſt Dominus faciemus & obtemperabimus. Tunc ille populum ſanguine aſperſit dicens: Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper omnibus ſermonibus iſtis. Unde liquet apud Iſraëlitas fœdera partim epulis, partim ſacrificiis, inita fuiſſe & ſancita. Unde etiam *fœdus ſalis*, hoc eſt perpetuum dicitur, Num.18. verſ. 19. & 2.Paral.13.℣.5. quia ſal arcet corruptionem. Sed videtur ſic vocatum, quia ſal ſolebat adhiberi ſacrificiis, quaſi diceret, fœdere percuſſo, adhibitis ceremoniis, fieri ſolitis in fœdere percutiendo. Apud Græcos, fortaſſe ex populi Dei imitatione, uſitatiſſimum fuiſſe, præter infinita exempla, indicant phraſes communes, ut ὅρκια τεμεῖν, quod idem valet, quod mactata hoſtia jurare, ſeu fœdus ſancire. Et apud Homerum Iliad. 3 φέρον ὅρκια πιστὰ, id eſt, ferens illa quæ in juramento præſtando, aut fœdere incundo erant neceſſaria.

Itaque, cum adhibita ſæpè fuerint in feriendo fœdere ſacrificia, ex quibus poſteà inſtituebatur convivium, obvius videtur hoc loco ſenſus, ut mactationem victimæ cujus hic meminit Moſes, referamus ad ſacrificium à Jacobo paratum ad confirmationem fœderis, quo mactato coram domino ſolemni ritu, & peractis religioſis ceremoniis, partes quæ cedebant ſacrificanti, ut in pacificis, appoſitæ fuerint convivis, ut de ſacrificio & altari participarent. Certè Calvinus intellexit factum Jacobi de vero ſacrificio. *Dubium,* inquit, *non eſt, quin jurandi forma reſponderit ſacrificium iſtud, ut ſcilicet Iacob à puro Dei cultu, omnia inquinamenta arceret.* At quæſtio eſt, quomodo inquinamenta omnia à puro Dei cultu arcuerit, ſi res ſacrificatas appoſuerit hoſpitibus Idololatris, ut de iis participarent. Hæc ratio fuit, cur hæſerint multi interpretes, & exiſtimaverint, hic non agi de ſacrificio, ſed de mactatione communi beſtiarum, ad convivium. Si verum ſacrificium fuit, debuit eſſe ſacrificium pacificorum זבח שלמים *zebach ſchelamim*, θυσία εἰρηνικὴ Græcis; Cujus ſacrificii ſub lege tres erant partes, quarum una adolebatur Deo in altari holocauſtorum, ut renes, reticulum hepatis, & omnis adeps, una cum cauda, ſi agnus offerretur; altera pars ſacerdoti cedebat, pellis, maxilla, venter, armus dexter, & pectus: Reliquum omne, ad offerentem redibat, qui ex eo convivium ſobrium & lætum inſtruebat, & eo cum familia ſua veſcebatur. Carnes autem illæ eadem die comedi debebant, ita ut non remaneret ex eis quicquam uſque manè. Addebatur autem, *Qui fuerit mundus, veſcetur ex ea. Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino peribit de populis ſuis.* Levitici 7. verſ.20. Hoc cum negari non poſſit, domum Labani pollutam fuiſſe, non ſolùm ceremoniali pollutione ſed etiam morali, cum in ea viguerit

guerit Idololatria, creditu difficile eſt, Jacobum voluiſſe res ſanctas talibus apponere. Niſi quis dicat, hæc quæ poſteà lege ceremoniali apud Judæos fuerunt plenius explicata, & verbis expreſſis ſancita, non ita fuiſſe rigidè obſervata apud veteres, ante legem latam. Proinde tales carnes fuiſſe appoſitas etiam amicis, qui in cultu Dei non pariter ſe gererent, dummodo conſentirent iis uti ſine ſcrupulo. Huic ſententiæ favere poſſet, quod cum Jacobus vivens in Meſopotamia, ſolus eſſet qui verum Deum ritè coleret, niſi domeſticos nonnullos etiam lucratus ſit, quod valdè veriſimile eſt; non tamen potuiſſet conſumere omnes carnes ſacrificiorum, quæ non dubium eſt illum obtuliſſe Deo, niſi etiam advocaſſet alios qui perinde non erant in pietate educati, niſi fortè ſola holocauſta obtulerit, quæ omnino igne conſumebantur. In hac difficultate, conjecturis agendum. Aliàs, ſi vox illa poſſit communiter accipi, pro mactatione ſimplici, non religioſa, quæ epulum tantum pro fine habuerit, fateor minoribus incommodis laborare qui ſic ſentiunt. Chryſoſtomus ut ſcopulum illum vitaret, cenſuit Labanum cum ſuis, fuiſſe ad verum Deum converſum relictis Idolis, & Deum Nachori fuiſſe eundem cum Deo Abrahami, quod oſtendimus verum non eſſe. *Mihi magis arridet*, ait Petrus Martyr, *ut verbum ſacrificandi ponatur hic, pro eo quod eſt mactare*, quam ego etiam, omnibus deductis, ſententiam judico magis tutam.

Fœderis autem qualitas & conditiones tales fuerunt, ut etiamſi Labanum Idololatram fuiſſe agnoſcamus, nullus tamen inde oritur ſcrupulus, an bona conſcientia potuerit Jacobus cum eo paciſci. Nihil enim fuit in toto illo contractu, ex quo periculum aliquod contagii metui debuerit, aut jugum cum infidelibus trahendum fuerit. Quia fœdus non fuit offenſivum & defenſivum, de communibus amicis aut inimicis, de ſorte communi & ſimilibus; ſed tantùm fuit negativum, ut ita loquar, de non invicem offendendo, qualia ſunt fœdera pacis inter diſſidentes. Nemo autem eſt qui neget pacem eſſe colendam cum omnibus hominibus quantum quidem in nobis eſt. Rom. 12. ℣. 18. Nihil petiit à Jacobo Laban, quod etiam non rogatus Jacobus facere noluiſſet: ut hoc etiam taceam, quod etſi Laban in cultu Dei erraret, non tamen videbatur planè infidelis, ut patet ex diſtinctione quam ipſe Abraham fecit, inter conjugia cum Chananæis, & cum familia Nachoris, cui cum Jacobus jam conjunctus eſſet jure conſanguinitatis & affinitatis, non poterat rejicere reconciliationem & pacem oblatam, cum iis conditionibus, quæ nullo pacto lædebant conſcientiam.

Quæſitum eſt, an fœdus illud de non prætergrediendo tumulo, animo hoſtili, à Davide non fuerit violatum, quando tranſivit cum exercitu ſuo in Syriam non ſolum Damaſcenam, ſed etiam Regem Tſobæ profligavit, verſus flumen Euphratem. Huic objectioni reſpondet Petrus Martyr, Davidem poſſe rectè excuſari, ſi dicamus Balaam divinum anteà fuiſſe evocatum è Meſopotamia per Regem Moabitarum, ut populo Dei malediceret. Num. 22. Deinde Judicum cap. 3. ℣. 7. conſtat oppreſſos fuiſſe Iſraëlitas à Cuſchan Riſchataim Rege Meſopotamiæ, cui ſervierunt Iſraëlitæ octo annis, donec Judice Othoniele fuerunt liberati. Hæc etſi ſufficerent, ſi conſtaret Labani poſteros fuiſſe qui afflixerunt populum Iſraëlis, & eoſdem poſteà à Davide fuiſſe profligatos; non opus eſt tamen hac ſolutione, quia David loco citato ex 2. Sam. cap. 8. non dicitur uſque in Meſopotamiam penetraſſe trans Euphratem, ſed Regem Sobam juxta Euphratem *repuliſſe*, unde conſtat Davidem egreſſum fuiſſe ut vim repelleret, habet enim textus, *cum proficiſceretur David, ad repellendam manum ejus*. Qua occaſione percuſſit etiam Syros Damaſcenos, quia venerant ad juvandum Adar-Hezer Regem Sobæ. Hæc autem juſtiſſimè fieri potuerunt, quia fuit tantum injuriæ propulſatio. Sed nemo probare poterit Labani poſteritatem repleviſſe totam Syriam trans & cis Euphratem; ne Meſopotamiam quidem totam, in qua familia Nachoris indigenas multos invenit, cum migrarunt Patres è Chaldæa in Charan. Ergo non eſt quod nos hæc diutius remorentur.

Verſu cap. ultimo, narratur læta totius negotii Cataſtrophe. Laban ſummo manè ſurgens, non *de nocte*, quod vetus interpres dixit. ad verbum וישכם *vajaſchem*, & manicavit; valedicit ſuis omnibus qui cum Jacobo erant; oſculo benevolentiam ſuam teſtatus eſt. Addidit benedictionem, & rediit ad ſuos: experiente Jacobo veritatem dicti Sapientis Prov. 16. ℣. 7. *Cum benevolentia proſequitur Iehova vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.* Hæc igitur mutatio fuit à Domino, qui corda hominum moderatur prout vult. Venerat Labanus ad malefaciendum; abit poſtquam benedixit familiæ Jacobi. In piorum ærumnis idem ſperandum eſt, ut poſt atroces procellas quæ ſæpè interitum minantur, repentè rurſum ſerenitas à Deo reducatur. Sed Dei opus agnoſcendum, quotieſcumque hoſtium furor reprimitur, & ſævus & crudelis hoſtium animus miteſcit, ut velut lupi, in oviculas placidas converſi eſſe videantur; quod etiam voluntati divinæ Ethnicus poëta tribuebat.

----ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo.----

A D

AD CAPUT XXXII.

EXERCITATIO CXXXVI.

Capitis XXXII. *Summarium. Locus* Machanajim , *& cur ita appellatus. Caſtra Angelorum. Miniſterium Angelorum eos non reddit hominibus inferiores. An unus tantum Angelorum ordo miniſtret? Negatur. Expenditur diſtinctio Thomæ de duplici miſſione. Explicatur locus Apoſt.* Hebr. I. verſ. 14. *Eorum cuſtodia. Qualis fuerit viſio? Vrbs ibidem ædificata. Vana conjectura de Angelo Meſopotamiæ & Chananeæ.* Caſtra Dei, *non* Deorum, *legendum. Octavæ ſectionis initium apud Ebræos, à legatione Iacobi ad fratrem.* Seir *unde dicta regio Idumæorum? Non ab Eſauo piloſo, ſed ab alio Sehire. Cur Eſau à parentibus ſeceſſerit? Situs regionis quam inhabitavit.*

CAPUT XXXII. Deſcribuntur ea quæ anteceſſerunt futuram duorum fratrum reconciliationem. Jacobus ex uno periculo ereptus, alterum metuit, poſtquàm è monte Gilhed, in planitiem deſcendit. Confirmatur initio apparitione Angelorum. Poſteà mittit nuncios ad fratrem ſuum Eſau; ſed audito reſponſo, anxietas eum corripuit maxima. In qua poſtquàm ardentibus precibus auxilium Dei imploravit, diviſa in tres turmas familia ſua, cum omni peculio, confirmatur alia viſione divina, per celebrem illam luctam, ex qua per Dei gratiam, victor evaſit, inſignitus novo nomine, quod poſteà totius populi commune fuit.

In primo membro, verſ. I. & 2. narratur occurſus Angelorum, & de eo Jacobi judicium, declaratum nova nominis impoſitione, ratione loci in quo apparuerant. Cum abiret in viam ſuam ויפגעו בו מלאכי אל *vajiphgeú bo maleachei Elohim*, & occurrerunt ei Angeli Dei. Judicium Jacobi illos videntis fuit, מחנה אל זה *machaneh elohim zeh*. Caſtra Dei ſunt hæc. Loco nomen impoſuit מחנים *machanajim*. duali numero, id eſt, gemina caſtra, quod vel referri poſſet ad gemina caſtra Angelorum, vel ad caſtra Angelorum & ipſius Jacobi, quaſi caſtra, caſtris conjuncta viderit. Sed cum Angelos viderit ſpecie militari ad protectionem ſuam, malim caſtrorum nomen ad Angelos reſtringere, ſive viderit eos in duo caſtra ab utroque turmæ ſuæ latere diſtinctos; ſive ſimpliciter duale nomen indicet multitudinem. Hæc enim viſio actu refert, quod poſtea Pſalmiſta in genere docuit, Pſal. 34. ỷ. 8. *Caſtrametantur Angeli Iehovæ circa timentes ejus, & eripit eos.* Hic Jacob ſentit, Angelos illos quos viderat aſcendentes & deſcendentes ſibi præſto eſſe, & Deum qui tum ipſi promiſerat ſe eum deducturum & reducturum, memorem eſſe promiſſorum ſuorum, quo tempore nova confirmatione & protectione opus fuit, Jacobo non amplius de ſe tantum ſollicito, ſed de populoſa familia, quam ſecum ducebat. Similis fuit viſio Eliſæi, cum in Dothan obſidione cinxiſſent eum Syri, nam cum videret Angelorum caſtra, ſtabat imperterritus, ſervus autem ejus donec aperirentur ejus oculi, putabat herum ſuum & ſe in magno diſcrimine verſari, ſed poſtquam Deus ei aperuit oculos, *vidit, quod ecce mons ille plenus erat equis & curribus æneis circa Eliſæum.* 2. Reg. 6. verſ. 16. & 17.

Diſputant hic nonnulli Ebræorum de Angelorum & hominum præſtantia, & quia dicuntur occurriſſe Jacobo Angeli Dei, non Jacob occurriſſe Angelis, definiunt Jacobum fuiſſe Angelis majorem, quia Regi ac principibus occurritur, non autem illi aliis occurrunt. Item quia mittuntur ad cuſtodiam Jacobi, major autem eſt qui cuſtodit, eo qui cuſtoditur. At utrumque argumentum fallit. Nam etiam occurrunt majores minoribus, ut parentes liberis, amici amicis etiam longè inferioribus; & majores etiam minores cuſtodiunt; imò Deus eſt cuſtos Iſraëlis. Angeli in cuſtodiendis hominibus miniſterio quidem funguntur; ſed quatenus miniſterium eorum ſuperiorem ſpectat, Dei ſolius ſunt miniſtri; ratione vero objecti, miniſterio funguntur erga nos. Non ſecus ac reges & Magiſtratus, qui ſunt θεοῦ λειτουργοὶ, miniſtri Dei, quorum tamen miniſterium inſtitutum eſt in hominum bonum. Inde ſequitur illos eſſe ſub Deo, & longè inferiores, qui ſunt tamen cæteris hominibus ſuperiores, quibus ſerviunt, ſed non herili miniſterio, id eſt, quali ſervi heris ſuis, ſed miniſterio inſpectionis & auxilii, quomodo ſerviunt ſuis inferioribus magiſtratus politici, & paſtores Eccleſiæ.

Itaque miniſterium tale, nihil derogat Angelorum dignitati. Unde eſt quod falluntur qui ordinis, quem vocant, inferioris Angelos, miniſteriis illis deputant, aliis exemplis, qui ſuperiorum ſunt ordinum. Cum enim Apoſt. Ebr. I. Angelos cum Chriſto comparat, de omnibus Angelis indiſcriminatim eſt intelligendus. At univerſaliter addit verſ. 14. *Οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα*, &c. *Nonne ſunt omnes miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii cauſa mittuntur, propter eos qui hæredes erunt ſalutis?* Unde liquet, diſtinctionem quorundam Scholaſticorum, quorum Thomas eſt Princeps, inter Angelos aſſiſtentes & miniſtrantes, non eſſe ſoli-

ſolidam, quaſi aſſiſtentes illi nunquam miniſtrarent, aut miniſtrantes nunquam aſſiſterent. Nec verum eſſe quatuor ordines Angelorum nunquam miniſtrare, ſed ſemper aſſiſtere. Aſſiſtere & miniſtrare, conveniunt omnibus Angelis; ſimul enim hoc fieri poteſt; imò aſſiſtunt Angeli ut miniſtrent. Eam ob cauſam Job. cap. 1. ℣. 6. deſcribuntur filii Dei, hoc eſt Angeli, ſe ſiſtentes coram Jehova, nempe ut juſſa capeſſerent. Certe Apoſtolus inter aſſiſtentes & miniſtrantes, ſuperiores & inferiores ordines, non diſtinguit. Quin abſolutè affirmat, omnes mitti, tanquam ſpiritus adminiſtratorios in ſalutem electorum.

Thomas in 1. part. q. 12. art. 2. ad 1. duas affert reſponſiones, 1. quod duplex ſit miſſio, una interna, altera externa, una mediata, altera immediata, una ad nos, altera propter nos. Priori quidem, nempe interna, mediata, propter nos, mitti ſuperioris ordinis Angelos; quia inferioribus ſuggerunt quæ ad rem noſtram faciunt, quæ inferiores iſti poſteà exequuntur. Secundo dicit Apoſtolum non agere de omnibus Angelis, ſed de iis tantum quorum Deus uſus eſt miniſterio, in lege tradenda. Sed prima ſolutio non convenit cum mente Apoſtoli, qui manifeſtiſſimè loquitur de una miſſione, & ea externa. Dicit enim omnes Angelos mitti in miniſterium; at interna miſſio non poteſt ſic circumſcribi, quæ etiam de divinis perſonis dicitur, extra rationem incarnationis, ne quis dicat id referri debere ad miniſterium filii, ratione aſſumptæ carnis, quæ miſſio certè externa fuit, & miniſterialis; cui Auguſt. comparat Miſſionem Angelorum, de qua loquutus eſt Apoſtolus. Sic enim ille, lib. 2. Meditat. cap. 3. *Ipſi Angeli in quibuſdam ſcripturæ locis nobis ſervire dicuntur, dum propter nos in miniſterium mittuntur.* Unde Apoſt. ait, *Quoniam omnes adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Neque id incredibile cuiquam videatur, quandoquidem ipſe creator, & Rex Angelorum venit, non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam pro multis.* Quæ poſtrema verba ſatis oſtendunt illum de externa miſſione & immediato miniſterio per ſe, non per alios, intelligere verba Apoſt. Itaque in ſequentibus dicit, *de excelſo cœlorum habitaculo attrahi eos, ad conſulendos, viſitandos, & ad juvandum nos.* Quo nihil expreſſius dici poteſt. Altera reſponſio non plus habet roboris. Falſum eſt Apoſtolum reſtringere hoc dictum ad Angelos quorum miniſterio data fuit lex; nec probari etiam poteſt illos Angelos fuiſſe inferioris ordinis. Itaque duplici vitio laborat ſolutio. Voluit argumentari Apoſtolus ut probaret, Chriſtum majorem eſſe omnibus Angelis. Inde ſumpſit argumentum, quod Chriſtus eſt ſolus filius, Angeli autem miniſtri: ſi illud ſecundum omnibus Angelis non competat, argumentum nutabit. Præterea, quæcumque teſtimonia ad hoc probandum citat Apoſtolus, de omnibus in univerſum Angelis intelliguntur. *Cui Angelorum aliquando dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et illud, *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Item, *Ad quem Angelorum dixit aliquando, ſede à dexteris meis?* Cum hæc de omnibus & ſingulis Angelis dicantur, cur non & ſequens illud; *Nonne ſunt omnes adminiſtratorii ſpiritus?* &c.

Accedunt exempla in ſcriptura, quibus Angeli in terra miniſtrantes nominibus illis inſigniuntur, quæ primorum ordinum eſſe volunt ii, qui inter Angelos plures ordines ſuperiorum & inferiorum conſtituunt. Qui collocatus fuerit cum flammeo gladio ad cuſtodiendum hortum, vocatur *Cherubim*, Gen. 3. Qui *volavit ad Eſaiam, in cujus manu erat pruna, quam forcipibus tulerat de altari*, vocatur *Seraphim.* Eſai. 6. Voluit quidem Dionyſius Areopagita Pſeudepigraphus, hoc exemplum eludere, allatis duabus exceptionibus: 1. Quod non loqueretur Propheta de veris Seraphim, ſed ita vocarit ab effectu, quia Eſaiam charitate inflammavit. 2. Quod id tribuitur quidem vero Seraphim, ſed quia juſſu ejus ab inferiori Angelo id factum fuit. Ille tamen neutram ſolutionem certam putat, & adhuc ſe hærere fatetur. Neque etiam vel ille, vel quiſquis ejus commentata ſequitur de Angelorum novem ordinibus, habet ullum locum in Bibliis ubi Angelis nomen illud tribuatur, præter hoc unicum, quod ſi in figuratam locutionem convertant, tum non poterunt numerum ſuum & differentias ex ſcripturis, etiam nomine tenus, probabiliter ſupputare. Nec certè ullum alium locũ affert Pſeudo-Dionyſius; præter hunc, ut deſcribat ordinem Angelorum, quos privativè ad alios, vult Seraphim appellari. Cum ergo certum ſit, quoſvis Angelos fungi miniſterio ad ſalutem fidelium; nec dubium ſit eſſe ſaltem quoſdam Angelos hominibus natura & dignitate præſtantiores, ex miniſterio & cuſtodia, non poterit inferri hominum in Angelos præcellentia. Certè medicus qui ægroto inſervit, non propterea inferior eſt ægroto.

Ergo, ſi videamus maximum Angelorum numerum deſtinatum eſſe cuſtodiæ Jacobi, & domeſticorum ejus, id quidem eſt teſtimonium benevolentiæ Dei in Jacobum, & dignitatis ad quam filios ſuos omnes evehit; ſed manet nihilominus Angelis ſua prærogativa, naturæ & gratiæ, ex qua conſequitur, quemadmodum non ſunt probandi, qui homines ita Angelis ſubmittunt, ut etiam cultum Religioſum iis deferendum eſſe ſtatuant, qua de re aliàs dicetur; ſic etiam aliis non eſſe ſuffragandum, qui ſpirituales illas creaturas, honoris quem à Deo ſunt adeptæ, gradu ſpoliant. Dicuntur ergo occurriſſe, non ut ſe homini ſubmitterent; ſed quia præter ſcientiam noſtram, à Deo ad tuitionem noſtri deſtinantur & mittuntur, ita ut nec opinantibus obviam veniant. Talem autem Angelorum tuitionem & cuſtodiam (quicquid ſit de opinione unius Angeli, unicuique homini deſtinati, de qua ſuo loco agendum erit) fundamentum certum in ſcriptura habere, teſtatur

hic

hic locus, & alii quidam in vita Jacobi, nec non aliorum ſanctorum. De quibus mandavit Deus Angelis ſuis, ut cuſtodiant eos in omnibus viis ſuis. Pſ. 91. ℣. 11. Alioqui cum Diabolus circumeat, quærens quem devoret. 1. Pet. 5. ℣. 8. nunquamque non mala & inſidias ſtruat piis, qui omnium malorum in his inferioribus eſt inſtigator, etiam pii facilè opprimerentur & deſtruerentur, niſi Deus eum reprimeret, quod non ſolùm immediatè facit, ſed etiam, deſtinando bonos Angelos qui ei reſiſtant in terra, & conatus ejus & membrorum ſuorum, impediant. Hoc autem facit non per unum aut alterum tantùm (etſi unus pluribus ſufficere poſſet) ſed plures etiam adhibet, ad majorem ſuorum conſolationem, ne numero adverſariorum terreantur. Hinc eſt quod in forma viſibili caſtrorum apparuerunt Jacobo, quaſi ad expeditionem militarem parati, ut & in hiſtoria Eliſæi, ut non ſolum cuſtodia, ſed etiam pugna Angelorum contra Diabolos & eorum organa, piorum ſaluti inſidiantia, hac ſpecie repræſentetur, & de victoria ſpes certa concipiatur. Hæc enim exempla literis mandata ſunt, ut ſciamus in periculis piorum armari à Deo legiones Angelorum, eoſque velut in acie contra hoſtes ſtare, & hac conſolatione erecti, in vocatione noſtra obeunda, pericula minus formidemus.

Cauſa autem cur hæc viſio fuit oblata Jacobo hæc eſt, quia prævidebat Deus, paulò poſt eum valdè anxium futurum, & tum forte jam cogitaſſe de hoſtili animo fratris ſui Eſau. Exierat recens ex graviſſima moleſtia, liberatus à perſecutione Labani; jam occurſura erat alia difficultas, qua Deus voluit eum exerceri. Tales ſunt perpetuæ viciſſitudines Eccleſiæ, & ſic comparata eſt hæc vita, ut nihil fixum & perpetuum habeat, ſed variis & novis caſibus ſubinde exagitetur, nunc tranquillitate fruatur, nunc adverſis rebus turbetur, quæ piorum præcipuè eſt conditio. Sed quo graviores ſunt tentationes, eo potentius Deus adeſt: qui cum objicit pericula, ſuos præparat & corroborat, quo facilius emergentia ferant adverſa.

Hic autem notandum eſt, hanc viſionem eſſe tertiam quæ oblata eſt Jacobo. Prima fuit illius ſcalæ, de qua actum eſt ad cap. 28. ſuprà. Secunda fuit in Meſopotamia, cum ſomnians vidit arietes ineuntes oves, & ab Angelo monitus eſt de ſignificatione viſionis. Hæc autem tertia quo modo facta ſit, an vigilanti, an dormienti, utrum ſpecie viſibili, an per imaginariam repræſentationem, definiri non poteſt; quia de eo nihil ſcriptura dicit. Firmum non eſt quod Cajetanus animadvertit, viſionem fuiſſe internam, quia in textu Ebræo legitur, *& occurrerunt in eo Angeli Dei*. In eo, inquit, occurſum ſignificat internum. Verbum enim פגע *pagá*, quod *occurrere* ſignificat, cum præcedit præpoſitionem ב cum affixo, affixum pronomen in dativo caſu accipi debet, occurrit בו *ei*; occurrit בי *bi* mihi, &c. Quod ſi quis præpoſitionem addere velit, dicendum eſſet, *occurrit in eum*. Id autem non eſſe intelligendum de occurſu interno, probari poſſet innumeris exemplis; hoc unum ſufficiat, Num. 35. ℣. 19. Propinquus ſanguinis ipſe interficiet homicidam, בפגעו בו *bepió bho*. Cum occurrerit in eum, id eſt *ei*. Si quis conjecturæ locus, exiſtimarem nocturnam fuiſſe viſionem, factam ſoli Jacobo, non aliis. An dormienti, vel vigilanti, definire nolim; in ſomno tamen probabile eſt factam fuiſſe, non quia nulla interceſſit locutio Angelica, nam anteà locuti ſunt Jacobo Angeli in ſomno, ſed quia aliæ viſiones hactenus narratæ in ſomnis ei fuerant objectæ. Quicquid de eo ſit, ſufficere debet, quod Jacobus agnovit rem eſſe veram & certiſſimam, nec ſe vana aliqua imaginatione deluſum. Idcirco in perpetuam rei memoriam, voluit loco nomen indere, *Machanajim*. in quo poſteà fuit ædificata civitas ejus regionis munitiſſima & pulcherrima, quæ in tribu Gad ceſſit habitationi Levitarum, ut patet ex libro Joſue, cap. 21. ℣. 38. In qua poſteà regnaſſe videtur Iſboſeth, filius Saul. 2. Sam. 2. verſ. 8. ubi, etſi in verſione vulgata, legamus, *circumduxit eum per caſtra*, legitur tamen in Ebræo, ויעברהו מחנים *vajjaabirehu machanajim*, ubi noſtri Trem. & Jun. vertunt, *traduxit Machanajima, conſtituitque eum regem ſuper Gilhadem*, &c. Quem loci ſenſum verum eſſe, fatetur etiam Salianus Jeſuita, in ſuis Annalibus.

Audax eſt aſſertio, & nullo fundamento fulta eorum, qui duo hæc caſtra, quæ nomen duale, ut diximus, videtur ſignificare, volunt fuiſſe duas acies duorum Angelorum, quorum unus fuerit Meſopotamiæ præſes, alter autem terræ Canaam, cum Angelis quos in ſua poteſtate habebant, tanquam ſubordinatos. Fingunt enim Angelum Meſopotamiæ eum hactenus deduxiſſe cum ſuo exercitu, ad confinia uſque Cananææ; ibi autem ei occurriſſe Angelum præſidem Cananeæ, qui eum poſteà deduceret; & cum Jacobo id feciſſe duos illos Angelos quod ſolent Principes, qui externum principem per ſuas terras datis militibus præſidiariis, deducunt extra fines ſuos, eumque poſteà conſignant vicino principi & præſidiariis ejus. Hoc eſt ſuaviter nugari, & ludere in re ſeria. Nam caſtris illis tribuitur, quod occurrerint Jacobo in communi. At ſi hoc verum eſſet quod vaticinantur, pars una tantùm caſtrorum diceretur occurriſſe, quia altera eum deduxiſſet. Nunquam autem dicitur eum qui aliquem deduxit, ei occurriſſe in loco in quem illum deduxit. Sed ſunt homines audaces ad quævis confingenda. Scio non hoc primum fuiſſe excogitatum à Jeſuita Cornelio Lovanienſi. Nam fuit commentum R. Schelom. Jarii, quem per abbreviationē *Raſchi* appellant. Sed qui ſæpè in ſolidis interpretationibus Judæorum interpretes faſtidioſe rejiciunt, non deberent eorum conſequi veſtigia, in vaniſſimis conjecturis.

Hic notat Druſius, ubi מחנה אלהים *machane Elohim*, caſtra Dei, legimus, poſſe etiam verti *caſtra Deorum*, id eſt Angelorum, quia Elohim tam Angelos

denotat, quam ipſum Deum. Vult autem Jonathanum hanc expreſſiſſe ſententiam his verbis, *caſtra Angelorum ſanctorum, qui miſſi erant à Deo.* Non eo inficias, nomen אלהים aliquando plurali ſignificatione pro Angelis, & pro judicibus accipi. Sed non puto id expreſſiſſe Jonathanum, cur enim addidiſſet illud *qui miſſi erant à Deo*, niſi ut exprimeret vocem אלהים. Ergo etſi expreſſerit Angelos ſanctos, id fecit, ut caſtrorum nomen paraphraſticè interpretaretur. Melius igitur idem Druſius, qui animadvertens primo verſu in fonte legi מלאכי אלהים *Angeli Dei*, potius hic vertendum etiam exiſtimat, *Caſtra Dei*, quod ego certum credo, & fidei Jacobi multo convenientius.

Duplex videtur fuiſſe finis impoſitionis nominis loco illi, quem *Machanajim* appellavit. Primus, ut eſſet quaſi perpetuæ memoriæ ſymbolum, quo non ſolum ille ſed ventura etiam poſteritas fidem ſuam confirmaret. Secundus, ut teſtaretur hoc nomine ſuam erga Deum gratitudinem, & alios exemplo ſuo doceret, beneficiorum Dei memoriam eſſe perpetuò recolendam.

A verſu 3. qui incipit per וישלח *vajjiſchlach*, & miſit, Ebræi novam libri Geneſeos ſectionem incipiunt, numero octavam. Initio ejus agitur de legatione à Jacobo deſtinata, ad Eſauum fratrem ſuum, tunc in montibus Sehir, ſeorſim à parentibus ſuis habitantem. Nam aſſumptis omnibus ſuis, abierat in regionem Sehiris, ante adventum Jacobi fratris ſui, ut poſteà cap. 36. ℣. 6. narrat Moſes. *Hanc regionem habitabant Choræi anteà, in quorum hæreditatem filii Eſaui ſucceſſerunt, quum perdidiſſent eos à facie ſua, & inhabitarunt loco eorum.* Deut. 2. verſ. 12. Ubi notandum eſt id factum fuiſſe non ab ipſo Eſau, ſed ab ejus poſteris, poſtquàm multiplicati fuiſſent. Itaque Eſauum initio habitaſſe in regione illa cum Choræis indigenis, ſed tandem, ut fit, indigenas fuiſſe vel expulſos vel planè deletos ab Idumæis. An autem ab alio quodam viro, quam ab Eſauo dicta fuerit Seir regio, dubitatur. Sic putat doctiſ. Mercerus, & ad id citat cap. 36. infrà, in quo quidem id dicitur, habitaſſe Eſau *montem Seir*, verſ. 8. & 9. Et cap. 14. ubi agitur de Regibus qui bellum geſſerunt contra Sodomæos, antequam natus eſſet Eſau, mentio fit Choræorũ habitantium in monte ſuo Sehire, verſ. 6. Sed ſic potuit mons ille per anticipationem appellari, quia tunc cum Moſes ſcriberet, non aliis nominibus quam Seir & Edom regio illa ſignificabatur. Et quidem magis probatur nonnullis, utrumque nomen terræ Seir, & regionis Edom ab uno & eodem Eſau fuiſſe inditum. Nam Eſau natus eſt rufus & villoſus, ut vidimus cap. 25. verſ. 24. *Edom* autem dictus eſt, quia rufus fuit, & quia pro rufo juſculo vendidit primogenituram ſuam. *Seir* autem dictus fuit, quia villoſus. Sic ſupra cap. 27. Ecce Eſau frater meus שעיר *Seir*, piloſus. Cum veniſſet igitur habitatum in terram Choræorum, eſſetque vir piloſus, vocatum fuiſſe nomine Sehir, & ejus habitationi inditum eſſe hoc nomen, ut videtur, vivente Eſauo; poſteà vero totam regionem appellatam fuiſſe Idumæam, poſtquàm ceſſit filiis Edom, pulſis Choræis. Ideo etiam videtur hoc loco diſtinguere Moſes terram Sehir, à regione Edom, quaſi terra Seir fuerit pars quædam regionis illius amplioris, quæ poſteà Edom fuit appellata. Sed in contrariam ſententiam adducor cum doctiſſ. Mercero, propter ea quæ cap. 36. infra verſ. 20. dicuntur de Choræis *filiis Seiris.* Certum eſt enim Choræos illos non fuiſſe ex poſteritate Eſaui, & in eo omnes conſentiunt. Moſes autem poſt enumeratas generationes Edom, quia habitabant ad tempus filii ejus cum Choræis, etiam Choræorum generationes & gentis duces enumerat. *Hi ſunt* (inquit) *filii Seiris Choræi, incolentes eam regionem.* Quod enim nonnulli volunt, Eſauum voluiſſe nomini ſuo Sehir, addere nomen Choræi, in memoriam deletorum Choræorum, ſubſiſtere non poteſt, quia id non factum eſt tempore Eſaui, & manifeſtiſſimè diſtinguuntur duces Chorææ gentis in regione Sehiris, à ducibus Idumeæ gentis. Alii cùm id viderent, & perſiſterent nihilominus in ſententia *Seir* eſſe nomen Eſaui, & inditum fuiſſe monti propter eum, dixerunt hæc verba, *hi ſunt filii Sehiris Choræi incolentes eam regionem*, ita intelligi debere, ut *filiorum* nomine, non ſignificentur poſteri Sehiris, ſed *incolæ*; & ſenſus ſit, hi ſunt *filii Sehiris*, ac ſi dixiſſet, *Hi ſunt incolæ montis, qui poſteà dictus eſt Sehir.* Sed id etiam conſiſtere non poteſt, quia cum in toto illo capite, tam in iis quæ præcedunt, quam in iis quæ ſequuntur, verba illa; *Hi ſunt filii Eſau, filii Lothan, filii,* &c. ſemper de poſteris intelligantur, non de incolis, nulla ratio eſt, cur mutetur ſignificatio, ubi agitur de filiis *Sehiri Choræi.* Itaque, omnibus expenſis, dicimus Sehir fuiſſe primarium quendam ex Choræorum gente, à quo terræ illi primo nomen inditum eſt; cujus poſteri à Moſe enumerantur, quia inter eos vixerunt Idumæi, & affinitates cum iis initio contraxerunt. Sed tandem prævalentes, totam terram occuparunt, Choræis deletis, id eſt, ita ut populum ſeorſim non facerent. Itaque ſic regionem fuiſſe appellatam, antequam eam invaſiſſet Edom, ſed tandem ipſius poſteris eam occupantibus, Idumeæ nomen, primum illud obliteraſſe. Eſau autem etſi *Seir* fuerit, id eſt, homo piloſus, non tamen legimus eum fuiſſe unquam eo nomine donatum, ut de nomine Edom vidimus ſuo loco. Cum enim *Seir* dictus fuit, id ſemper appellativè, non autem propriè intelligi debet.

Qua autem occaſione factum ſit, ut Eſau relicta paterna domo, alias ſibi quæſierit ſedes, Moſes non dicit, ſive id fecerit ex aliqua in parentes indignatione, quod Jacobum ſibi prætuliſſent; ſive quod uxoribus ejus non ſatis cum matre conveniret; ſive quod à Deo bonis hujus vitæ admodum auctus cum eſſet, idem acciderit quod anteà Abrahamo & Lotho, ut in anguſto ſpatio non poſſent ſimul habitare; quod mihi maximè probabile

babile eſt, præſertim hac conſideratione addita, quod cum Eſau videret patrem ſuum nuſquam fixas habere ſedes, ſe vero cum numeroſa familia non poſſe commodè in tabernaculis habitare, & ſæpè pedem movere, voluerit ſibi ſtationem aliquam fixam eligere. Quod cum facere non poſſet commodè in cultioribus terræ Canaam regionibus, quæ jam ab aliis populis ita eſſent occupatæ ob locorum commoditatem, ut locus non daretur novo populo, videtur ſibi elegiſſe regionem horridiorem & minus excultam, quia ſpatioſa erat, & naturâ ſua munita. Nam etſi in illo tractu habitaverint Choræi, videntur aliquam tantum partem occupaſſe, & fortaſſe cultiſſimam, quam poſteà uſurparunt poſteri Eſaui robuſtiores facti.

Sed, quod præcipuum eſt hic obſervandum, elucet ſapientiſſima Dei adminiſtratio, qui cum deſtinaſſet Iſraëlitis terram Canaan, deletis ejus habitatoribus, noluit permittere Eſavum in ea ſibi domicilium eligere, ne paulatim in ea factus potentior, ejus aliquam partem occuparet, cum tamen ad eum non pertineret promiſſio; nec etiam voluit hanc neceſſitatem imponere populo ex Jacobo naſcituro, ut cum Chananæorum gentibus poſteros Edomi delerent. Itaque à Domino factum eſt iſtud, ut Eſau, ſive majoris libertatis ſpecie, ſive ut ſecuritati ſuæ magis conſuleret, horridam illam habitationem in excavatis montibus & rupibus, aliis omnibus præferret. Quod etiam ſibi Deus ipſe adſcribit. *Hæreditarium*, inquit, *dedi Eſauo montem Seiris.* Deut. 2. verſ. 12. Eſt autem regio ſita à meridie terræ promiſſæ, ſeu ad Euro-auſtrum, unde Iſraëlitæ ex Ægypto & Arabia deſerta euntes in Palæſtinam, prius obviam habuerunt Idumæam montemque Seir. Sed non impetrato tranſitu à Rege Idumæorum deflexerunt ad orientem, uſque dum circuirent totum montem, venirentque in terram Moabitarum circa mare mortuum. Non autem multum diſtabat regio illa à Berſabea, in qua tum habitabat Jacob. Itaque, etſi Eſau ſeparaverit ſe, videtur tamen ea etiam ratione inductus fuiſſe, ad habitationem montis Seir, ut non longè à parentibus recederet, ſed eis præſto eſſet, cum aliquid humani eis accideret. Quod ſi Aholibama uxor Eſau, fuit ex Choræorum gente, ut videtur poſſe colligi ex cap. 36. verſ. 24. non mirum eſt, ſi apud affines ſuos in regione ſpatioſa, potius quam alibi voluerit habitare. Sed ut initio diximus, à Domino factum eſt iſtud, ut Chananæa in ſolidum cederet Jacobo.

EXERCITATIO CXXXVII.

Nuncii *nomen apud Ebræos commune, de Angelis* κατ' ἐξοχὴν *dicitur. Cur Iacob nuncios ad fratrem miſerit? Certitudo promiſsionum Dei, fidelium diligentiam non infringit. Iacobi ad fratrem per nuncios oratio expenditur. An talis ſubmiſsio Iacobum decuerit? Solutio. Cum doctrina generali. An armati fuerint quadringenti viri comites Eſaui?* Viri איש Iſch *nomen non ſemper pro honoratis, vel bellicoſis. Non veniſſe Eſauum obviam fratri animo nocendi, probabilius eſſe.* Percutere matrem cum filiis, *adagialiter dictum. An metus Iacobi talis fuerit qui cadere deberet in conſtantem virum? In piis luctatur fides cum infirmitate. Non abjeciſſe conſilium in metu. Sed præſertim ad preces ſe compoſuiſſe. Precationis ſumma. Quomodo Ebræi comparativum exprimant? Quid per* miſericordiam & veritatem *intelligatur?* In baculo meo tranſivi, *quæ phraſis? Explicatur locus*, Matth. VI. verſ. 8. *Marii Oſcitantia. Munus offerendum Eſau quam liberale ſelegerit Iacob. Adhibitio externorum mediorum non repugnat fiduciæ in Deum. Donorum varia genera, & de univerſis judicium. Explicatur locus* Proverb. XVI. verſ. 16. *Donum Iacobi ad quod genus referendum?*

PRomiſerat mater cap. 27. verſ. 47. ſe miſſuram ad Jacobum, & recepturam eum poſtquàm averſa fuiſſet æſtuans ira fratris ejus. Probabile eſt id ab ea factum fuiſſe, fidelis alicujus ſervi miniſterio, à quo de ſtatu totius familiæ certior fieri potuit priuſquam è Meſopotamia pedem moveret. Unde eſt, quod de habitatione fratris ſui in Sehir, tanquam de re nota loquitur. Cum autem inſtituiſſet ad parentes ſuos ſe conferre, ſaltem eos inviſendi gratia, videretque ſibi tranſeundum eſſe non longè à finibus fratris ſui, voluit experiri quali eſſet in ſe animo, eumque ſibi conciliare. quò tendit legatio quam hic deſcribit Moſes. Qui mittuntur, communi nomine appellativo מלאכים *nuncii* dicuntur. Hæc vox quæ pro Angelis Dei κατ' ἐξοχὴν dicitur, occaſionem dedit nonnullis Ebræis exiſtimandi, Jacobum ad Eſauum miſiſſe aliquos ex Angelis qui eum deduxerant in terram Canaam. quod planè ridiculum eſt. Neque enim ſolent Angeli Dei ab hominibus mitti, neque conveniens fuit, ut talibus nunciis apud fratrem uteretur. Ergo de humanis nunciis id intelligendum eſt.

Cur mitteret, ex mandatis conſtat, voluit tentare quo animo erga ſe eſſet; & quia intellexerat eum opibus & potentia fuiſſe auctum, putavit intereſſe ſui ut

ut ejus ambiret gratiam, eumque pacatum experiretur. Itaque etſi in Jacobo proponatur moderationis exemplum, qui fratrem, quem anteà infeſtum ſibi ſenſerat, potius mitigare ſtuduit, quam per contemptum irritare; magis tamen id ad prudentiam pertinet, quam adhibuit, ut ſibi & ſuis conſuleret; etſi enim promiſſionibus divinis fuiſſet confirmatus, *admonendi*, tamen, *fuimus hoc exemplo*, ut benè hic notat Auguſt. *quod quanquam credimus in Deum, tamen facere debemus ea quæ ſunt facienda, ne ea prætermittentes, Deum tentare videamur.* Quæ conſideratio maximi momenti eſt, & os obſtruere debet importunis iſtis Magiſtris, qui niſi omnia quæ ad ſalutem & protectionem fidelium ſpectant in incerto ponant, Dei ipſius ratione, putant induci ſecuritatem, & homines poſſe liberè otiari de officio ſuo nihil ſollicitos. Jacobus non ſolum in æterno Dei conſilio fuit deſtinatus hæres promiſſionis, ſed etiam plurimis oraculis confirmatus de favore & protectione Dei, nec propterea ſegnior factus eſt, aut otioſus redditus. Hæc igitur & ſimilia, nunquam in mentem eorum venient, qui ſerio benignitatis divinæ ſenſu tanguntur, quibus aliam prorſus indit Deus, ut agnoſcant, ſe quò magis Deo curæ ſunt, eò ſollicitè magis coram Deo ſibi eſſe ambulandum, & in vocatione ſua, cum timore & tremore pergendum.

Oratio Jacobi per nuncios ſuos valdè ſubmiſſa eſt & humilis. Eſau appellat *Dominum ſuum*, ſe autem *ſervum.* Commemorat benedictiones divinas erga ſe, & finem ſive propoſitum ſuum declarat, *ut gratiam inveniret in oculis ejus*, miſiſſe qui id nunciarent. Putavit hac ratione ſe poſſe animum fratris emollire. Cum vocat *Dominum*, ſe *ſervum*, omnem priſtinam æmulationem tollere vult; ne putaret eo fine venire, ut principatum & dominationem ambiret in familia. Peregrinationem ſuam & ſervitutem apud Labanum per tot annos proponit, ut inſinuet ſe non gerere altos ſpiritus, non affectare ambitioſos honores, qui peregrinus & ſervus in aliena domo tamdiu cōmoratus eſt: Quæ verba etiam ad commiſerationis affectum movendum ſunt compoſita. Ne autem exiſtimaretur venire, ut oneri eſſet familiæ paternæ, & inhiare hæreditati, non jactantiæ cauſa, ſed ut etiam æmulationis futuræ hac ratione removeret occaſionem, meminit opum ſuarum quas acquiſiverat in Cananæa. Item, ut ſignificaret ſe non ambire fratris gratiam privati emolumenti cauſa, cum abundè dives eſſet, ſed hoc unum quærere, ut eum amicum ſibi haberet, ac gratus & acceptus eſſet. Id enim ſignificat phraſis illa, *ut inveniam gratiam in oculis tuis.* Prudenter igitur omnia removet, à quibus pendere noverat fratris indignationem, & ita verba ſua temperat, ut oſtendat ſibi perſpectum fuiſſe, quod poſteà Sapiens inſeruit ſuis ſententiis, Proverb. 15. verſ. 1. *Reſponſio mollis avertit æſtum iræ.*

Sed hic occurrit dubitatio, an ſubmiſſa adeo oratio decuerit eum, qui primogenituræ prærogativa à Deo ſpeciali benedictione donatus fuerat, erga eum quem noverat autoritate divina fuiſſe exautoratum. Cur Dominum ſuum vocat, quem divina ſententia ſciebat ſibi ſervum fuiſſe deſignatum, juxta oraculum, *major ſerviet minori?* Cur tantum invidiæ ſubierat ad jus illud primogenituræ ſibi acquirendum, ſi nunc fratri ſuo tam ſervili ſubmiſſione ſe ſubjicere non recuſat? Reſpondemus, prærogativam Jacobo conceſſam, ratione temporalium benedictionum, & prærogativarum, perſonas ipſas duorum fratrum non reſpexiſſe, ſed venturam poſteritatem, ratione habitationis utriuſque poſterorum. Itaque verba illa, *major ſerviet minori*, de populis intelliguntur quatenus ſervitutem externam denunciant. Præcipua prærogativa fuit fœderis Dei, & benedictionis in ſemine, ut antea dictum fuit, qua deſtitutus Eſau, Jacobus fuit donatus, nec adverſus eam, in hac ſua oratione aliquid præjudicavit. Fuit enim ſemper promiſſionis hæres, nec quicquam fratri de hoc ſuo jure ceſſit, de alio vix ſollicito, ut qui profanus eſſet. Nihil obſtat autem, quominus filii Dei, qui in conſpectu ejus maximi fiunt dignitatem ſuam agnoſcentes ſpiritualem, in externis hiſce, hominibus, etiam impiis, ſe ſubmittant; & quantum fieri poteſt, pacem externam cum iis colant, humanitate & comitate cicuratis. Quàmdiu enim vult Deus, ut potentes ſint in terra, & viribus externis polleant, externa omnia iis deferri poſſunt, imo etiam ex prudentiæ dictamine debent. Quia pii in hoc mundo exemplo Domini ſui, ſunt ad tempus ſervi, etſi ſint domini. Abrahamus hæres terræ Canaam inſtitutus, pronus incurvavit ſe coram Hettæis, tanquam terræ tunc dominis. David poſtquàm fuit electus Rex, Saule rejecto, Saulem tamen Dominum ſuum vocavit, & Jacobi exemplo uſus, etſi non rejiceret collatum in ſe divinitus honorem, & dominium; quia tamen effectus divinæ promiſſionis adhuc in ſuſpenſo erat, ideò ſpe futuri regni contentus, expectavit, donec eum Deus in poſſeſſionem mitteret. Sic enim Jacobus voluntatis divinæ executionem patienter expectabat, & in præſenti rerum ſtatu, intra fines naturæ ſe continebat, & fratrem natu majorem honore ſibi præferebat. Itaque non putamus aliquid eſſe in hoc Jacobi facto culpandum, in quo potius prudentiam imitandam laudamus. Quemadmodum enim ſapienter ſe accommodavit ad præſentem rerum ſtatum, ſine ullo prærogativæ ſpiritualis præjudicio, aut poſterorum ſuorum fraude; ſic viris piis & honeſtis decori eſſe non debet, ſi animos potentum quantumvis alioquin impiorum, per aliquam humilitatis inſinuationem, ſic exigente neceſſitate, placare ſtudeant. Quo referri debet conſilium philoſophorum qui *tempori ſervire* jubent; ſalva nempe ſemper pietate & ſinceritate, contra quas omnis prudentia humana eſt inimicitia adverſus Deum.

Nunciorum reditus verſ. 6. 7. & ſeqq. perplexum reddit Jacobum, eique graviſſimum incutit metum.

Renun-

Renunciant ſe veniſſe ad fratrem ejus, eumque properare illi in occurſum, וארבע מאות איש עמו *vearba meoth ijſch immo*, & quadringenti viri cum eo. An viri illi fuerint armati necne, nihil dicitur. Jonathan & autor paraphraſis Jeroſolymitanæ, quadringentos *polemarchos*, voce Græca, ut annotat Druſius, dixerunt, qua voce bellatores voluerunt intelligere. Notat etiam in Ebræo איש *ijſch*, eſſe nomen ἥρωος, ac proinde non quemvis bellatorem innui. Probabile eſt, cum tanto apparatu Eſauum non veniſſe ſine armis, præſertim cùm ei neceſſarium eſſet per aliorum Chananæorum regiones iter facere, quos fortaſſè non omnes habebat amicos. Non tamen exiſtimo, ubicunque in Scriptura multitudinis virorum fit mentio, de armatis id intelligi debere, vel etiam ſemper de iis qui nobiliores ſunt & non è vulgo. Certè ſuprà cap. 17. ℣. 27. dicuntur vernæ & emptitii ſervi Abrahami, *viri domus ſuæ:* & 24. ℣. 32. *viri* vocantur, ſervi qui cum Eliezero in Meſopotamiam erant profecti. Idem pluribus exemplis probari poſſet. Itaque, etſi in conſortio Eſaui potuerint eſſe quidam amici, maximam tamen multitudinem fuiſſe ſervorum, arbitror. Cur autem hoc audito nuncio adeò conſternatus fuerit Jacob, inquiritur. Certum eſt metuiſſe, ne frater ad ſe veniret hoſtili animo, & fortaſſè dubitationem auxerunt nuntii, qui & ipſi putarunt tantum apparatum ad nocendum fuiſſe accerſitum. Itaque non deſunt, qui ut magis excuſent hanc Jacobi ſollicitudinem, probabilius exiſtimant, irati adhuc animi ſigna nunciis oſtendiſſe, & inimico animo veniſſe, ſed Deum poſteà fregiſſe & mitigaſſe ejus animum. Alii, quibus magis accedo, putant placatum fuiſſe, partim quia in tanto temporis ſpatio iras depoſuerat, partim quia tam humili fratris nuncio fuit permotus ad miſericordiam & benignitatem: itaque cum tanto apparatu veniſſe, ut fratrem honore afficeret, & eum deduceret, ſecurum comitatum per viam ei præſtando. Cur autem non venerit animo nocendi, ut credam, facit primò, quod in mitiorem partem omnia eſſe interpretanda, cùm id fieri poteſt ſine veritatis præjudicio, charitas docet. Secundò, quod probabile non videtur, Eſauum, qui offenſione recente ad furorem uſque commotus, abſtinuit manus à fratre, expectans donec luctus parentis adveniſſet; cùm poſt tot annos deferbuiſſet ira, parentibus adhuc viventibus & ſenio confectis, voluiſſe in fratrem peregrè venientem ſævire. Tertiò, quod eventus docuit, eum animo planè benevolo ad fratrem acceſſiſſe. Novi quidem, momento Deum hominum corda flectere poſſe, nec id caret exemplis. Certè Saul, eo ipſo tempore quo Davidem quærebat ad necem, ejus officiis victus, bis eum liberum dimiſit, cùm ſe ſponte offerret, poſtquàm ejus vitæ peperciſſet. Sed alia fuit ratio, quia fuerunt dilucida tantùm intervalla quædam, redibat enim ad ingenium. Sed ex ſequentibus patebit, Eſauum poſteà cum fratre planè fuiſſe reconciliatum, & nullam ei litem moviſſe, ne quidem mortuo parente, quem ſepulchro communiter condiderunt.

Quid igitur dicemus de tanto metu quem teſtatur Jacobus? ויירא מאד *vajjirah meodh*, & timuit valdè, verſ. 7. Item verſ. 11. כי-ירא אנכי אתו *ki jare anoki otho*, quia timens ego eum, *ne veniens percutiat matrem cum filiis:* אם על בנים *em al banim*, ad verbum, *matrem ſuper filios*, qua locutione Ebræi adagialiter, extremam truculentiam ſolent denotare. Ut Hoſeæ 10. ℣. 14. *matre ſuper filios alliſa*, ubi oſtendimus, intelligi ſtragem, qua nihil vel parum reliquum permanet, cùm nemini parcitur & ad unum omnes occiduntur, ut cùm quis nidum vacuum relinquit, matre cum pullis capta, quod Deus Deut. 22. ℣. 7. prohibebat populo ſuo, ut tali ſymbolo eum à ſævitia dehortaretur. An fuerit juſta cauſa, cur hoc de fratre ſuo metuerit Jacob, quæritur. Certè cùm intento eſſet in fratris ingenium animo, revocaretque in memoriam quanta fuiſſet olim ejus ferocitas, & quàm truces minæ ex ejus ore prodiiſſent, reputaretque eam potentiam ad quam evectus erat, cùm metus etiam ſit per ſe res ſuſpicioſa, non dicendum eſt Jacobum ſine ulla cauſa anxium fuiſſe, & timuiſſe, ne gladius in manu furioſi poſitus eſſet. Hic enim mos eſt, ut eorum quos experti ſumus hoſtes, omnia in deterius accipiamus. Non tamen negari poteſt, admixtam fuiſſe quandam infirmitatem, & ſpemque metumque inter, ſanctum virum fuiſſe poſitum, luctante fide promiſſionum divinarum cum timore quem incutiebat fratris accedentis dubium conſilium. Factum enim Eſau tam in malam, quàm in bonam partem rapi potuit. Non eſt autem dubitandum, ſingularem etiam Dei diſpenſationem in hoc metu illuxiſſe; voluit enim Deus ſervum ſuum premi talibus anguſtiis, ut in eo magis ac magis excitaret precandi ſtudium, & ut viribus ſuis diffidens, aliundè quàm à Deo ſalutem non expectaret, quia ſæpè nimia ſecuritas frigidos reddit, aut lentos, addit ſtimulos bonus ille pater, ne torpeamus, permittitque, ut metu percellamur, etſi ex eventu poſteà conſtet non fuiſſe timendi cauſam. Itaque fiducia vera, etſi ſemper vincat, non eſt tamen omni timore vacua.

Jacobum autem non ſic fuiſſe territum, ut omnem ſpem abjiceret, & conſilii inops vel expers maneret, docent quæ iiſdem verſibus & ſequentibus narrantur, de ratione qua ſibi & ſuis proſpexit in anguſtia quæ ei obverſabatur. Qui ad tria ſe comparaſſe ſcribunt, verum quidem dicunt in genere, ſed in aſſignandis illis tribus exiſtimo falli, qui inter illa tria, ponunt præparationem ad bellum. Diſpoſitio enim illa duarum turmarum non fuit diſpoſitio bellica, ut ex ſequentibus ſatis patet. Ipſe etiam oſtendit verſ. 8. ſe nullâ aliâ ratione permotum diviſiſſe ſua, niſi ut præmiſſis in priori turma quæ minus chara erant, in iis experiretur animum fratris, ita ut ſi ſæviret in primos, ſe-

cundis daretur evadendi locus. Hoc fuit igitur primum quod ſibi propoſuit, ne uno momento omnes opprimerentur. Addidit utriſq; turmis non arma, ſed munera, quibus fratrem ſuum placaret & devinciret, quæ etiam præmiſit ante turmas ſuas, & in varios ordines diviſit, ut ita variis objectis & diverſis temporibus, venientis fratris animum mitigaret. Quæ omnia non fuerunt vulgaris prudentiæ.

At noverat vir pius, quod poſteà cecinit Propheta, *Niſi cuſtodiat Iehova civitatem, fruſtrà ſedulus ſit cuſtos, &c.* Pſal. 127. ℣. 1. Ideò ad preces ardentiſſimas ſe convertit, à verſu 9. uſque ad 12. in quo non exiſtimandum eſt, uſum fuiſſe ordine præpoſtero, preces adhibens poſt deliberationem de ordine quo ſui procederent. Id quidem verum eſt, in primis Deo eſſe ſupplicandum, ut ea eligamus media, quæ legitima ſint & utilia ad id quod meditamur, nec exiſtimandum eſt de iis cogitaſſe pium virum, ſine crebris ad Deum ſuſpiriis. Sed talia intermiſcentur, etiam dum aliud agimus. Loquitur autem Moſes hìc de ſolemni oratione, qua poſt preparationem rerum ſuarum, ſe & ſua Deo commendat, quæ proinde ſuo loco adhibita eſt. Imò tunc preces in talibus anguſtiis maximè intenduntur, poſtquàm expenſis periculis, & omnibus quæ ad manum noſtram ſunt conſideratis, agnoſcimus infirma nimis eſſe, niſi Deus nobis adſit.

Oratio continet, 1. compellationem veri Dei, deſumptam ex verbis fœderis cum Abrahamo & Iſaaco, ad confirmandam fidem ſuam. 2. Mentionem expreſſam mandati de redeundo in terram Cananæam, ut oſtendat ſe in hac migratione nihil ſuſcepiſſe contra vocationem ſuam, ſed ſe viæ accinxiſſe oraculo divino admonitum. 3. Addit confeſſionem propriæ indignitatis ex vera animi humilitate, qua agnoſcens gratiam & benignitatem divinam, ſpem ſuam corroborat de futura liberatione, præcedentia beneficia commemorando; ubi cum precibus conjungit gratiarum actionem. 4. Petitionem ſuam exprimit, ut eripiatur è manu fratris ſui. 5. Concludit orationem, repetita promiſſione divina, quam jacit tanquam fundamentum futuræ exauditionis. Itaque perfectiſſima fuit oratio, omnibus numeris abſoluta, ex qua manifeſtum eſt, non ita fuiſſe turbatum metu ſanctum virum, quin locum dederit ſpiritui Dei, & animam ſuam elevaverit ab iſtis inferioribus ad ſuperiora. Quæ autem in ea oratione continentur, ſatis ſunt perſpicua, & in ſuperioribus explicata, ut opus non ſit pluribus in iis inſiſtere.

Tantùm obiter ſunt annotandæ quædam phraſes, quibus utitur verſ. 10. in confeſſione indignitatis ſuæ, & gratiarum actione. קטנתי מכל החסדים *katonti miccol hachaſadhim*, ad verbum, *parvus ſum præ omnibus miſericordiis tuis.* Vulgata, *minor ſum*, hoc eſt, inferior, impar, vel indignus. Ebræi comparativo non utuntur, ſed loco illius præpoſitionem adjungunt poſitivo מן *min*, quæ *à* vel *ab* ſignificat, & per præpoſitionem *præ*, apud Latinos exprimitur. Per *miſericordiam* autem & *veritatem*, intelliguntur non tantùm bonorum fontes & cauſe, ſed etiam ipſa bona, quæ Deus largitur ex miſericordia promiſſionum ſuarum veritatem ipſo facto obſignans. Idcirco dixit, *veritatem* אשר עשית *aſcher aſita*, quam feciſti, id eſt, ut aptiſſimè Vulgata, *quam explevisti.* Hunc locum obſcurarunt Græci interpretes, vertentes hoc modo primum membrum, *ἱκανούσθω μοι ἀπὸ πάσης δικαιοσύνης, ſufficiat mihi ab omni juſtitia.* Hoc agnovit Hieronymus in traditionibus Ebraicis in Geneſim; *Pro eo,* inquit, *quod nos poſuimus*, minor ſum, *neſcio quid quod ſenſum turbet in Græcis & Latinis codicibus continetur:* Latinos autem codices intelligit, vulgatæ verſionis Italicæ, quæ ex Græcis expreſſa erat. Senſus eſt perſpicuus in Vulgata horum temporum. Pontificii Jacobo multa merita adſcribunt, & ubi de juſtitia ſua loquitur, quæ cauſam & innocentiam ſuam Labani comparatione ſpectat, merita procudunt, planè contra ſancti viri ſenſum, ut ex hoc loco patet. Idcircò etiam Jeſuitæ hìc agnoſcunt, Jacobum omnia merita ſua excludere. Pererius, *Nullo modo ego mereor tantam miſericordiam erga me.* Cornelius, *Exilior, vilior, indignior ſum, quàm ut ullam tuam gratiam, vel miſericordiam, etiam minimam, mihi præſtitam meruerim, aut etiamnum merear.*

במקלי *bemakkeli*, in baculo meo tranſivi Jardenem hunc. Nomen מקל Zach. 11. ℣. 11. de pedo paſtorali uſurpatur; ſed hìc videtur innuere baculum quo viatores communiter uti ſolent, cùm aliquò pedibus iter faciunt. Id autem accidit præſertim pauperibus, qui enim ditiores ſunt equis, vel ut in illa regione camelis, utebantur; ut ſuprà vidimus in miſſione Eliezeris & virorum qui cum eo erant. Comparat Jacob ſuam conditionem cùm profectus eſt in Charam, ſtatui in quo tum erat cùm rediret: *Cum baculo,* (nam præpoſitio *in* apud Ebræos ſæpè pro *cum*, vel *per* accipitur). tranſivi Jardenem hunc, id eſt, *pauper, nudus, & inermis*, quemadmodum accidit iis qui bello capti, armis omnibus & opibus exuti, cum baculo dimittuntur. Itaque videtur intelligenda excluſiva, *cum baculo meo ſolo*, id eſt, nihil mecum ferens præter baculum in manu. Eſt autem baculus viatoribus commodus, ut corpus, quod præceps ruere videtur, quaſi conto innixum retineat, unde quidam à Græcis ῥάβδον dictum putant ἀπὸ τοῦ ῥᾷον βαδίζειν: quamvis hoc mihi videatur à longè petitum, ut ſunt ferè multæ etymologiæ, quæ potius alluſiones dici debent. Nam ῥάβδος de virga virente quæ in arbore creſcit, propriè dicitur. Chaldæis autem רבא *rebha*, eſt creſcere. Sed hæc in medio relinquo. Hoc tantùm noto, voluiſſe Jacobum exprimere ſtatum hominis peregrinantis, omnibus deſtituti, conſortio nempè, jumento, & aliis ad iter commodè faciendum neceſſariis. Videtur Dominus

nus noſter huc alluſiſſe, Matth. 6. ℣. 8. cùm præcepit diſcipulis ſuis, ut nihil acciperent ad iter præter ῥάβδον μόνον, *baculum ſolum*; quia noluit tunc ſollicitos eſſe de rebus ad hanc vitam ſuſtentandam neceſſariis. Baculus in manu Paſcha celebrantibus, fuit ſignum paratorum ad iter, Exod. 12. ℣. 11. Senſus hic eſt apertus, pauperrimus abii, nunc dives redeo per gratiam tuam. Hìc non poſſum, quin nuperi interpretis Pontificii oſcitantiam carpam, qui noſtris ſæpè leviores ob cauſas inſultat. Quærit Marius Colonienſis, cur à divite patre, & ab amante matre, ita dimiſſus fuerit? Reſpondet, *quia voluit Deus adoleſcentem adhuc tenerum, ad omnem patientiam & rerum omnium contemptum exerceri.* Scilicet adoleſcens fuit tener, qui pluſquàm ſeptuagenarius erat. Vera igitur reſponſio eſt quam anteà attigimus, hoc factum fuiſſe adhuc æſtuante Eſau, ne ſi cum apparatu abiiſſet, irritatior factus, eum perſequutus fuiſſet. Itaque abiit velut qui clam ſe ſurripit, ut minus pateret inſidiis, aut violentiæ fratris. Sub una gratiarum Dei ſpecie, reliquas innumeras Jacob comprehendit; & priſtinæ conditionis memor, augmentum ſuum autori Deo tribuit.

Quæ ſequuntur à verſu 13. uſque ad 24. continent præparationem muneris Eſauo offerendi, cujus omnes circumſtantiæ deſcribuntur. Magnum id & liberale fuiſſe ex enumeratione conſtat, quo ditari potuiſſet, etiam qui in re tenuiſſima fuiſſet. Nam omnibus ſubductis, fuerunt in totum quingentæ & decem variarum ſpecierum pecudes, caprarum, hircorum, ovium, arietum, vaccarum, juvencorum, aſinarum & aſellorum. In talibus autem, temporibus illis conſiſtebant virorum illorum divitiæ. Finis illius expenſæ non exiguæ fuit, ut muneribus placaret fratrem ſuum, eumque ſibi propitium experiretur.

Quæritur 1. an id non præjudicet fiduciæ quam in ſua oratione teſtatus erat. Petierat à Deo liberationem à manu fratris ſui; enumeraverat præterita beneficia, & promiſſionibus divinis ſe ſuſtentaverat. Si id ex fide fecerit, quorſum hæc adeò ſcrupuloſa cura fratrem placandi? an neſciebat, cor hominis eſſe in manu Dei? Reſpondeo, quæ ſubalterna ſunt non pugnare, & Jacobum potuiſſe Deo inniti, & nihilominus adhibere media omnia externa quæ ad manum erant, ut oſtenderet ſe non negligere adminicula, quæ Deus ipſi conceſſerat, ita tamen ut ſucceſſum in manu Dei reponeret. Hoc qui facit, non laborat diffidentiâ, ſed qui fiduciæ in Deum prætextu, id negligit, Deum tentat. Ubi notanda eſt differentia inter eos qui externis mediis & humanis conſiliis in rebus dubiis ita adhærent, ut in iis ſuæ conſervationis proram & puppim conſtituant; & alios qui non ea quidem negligunt, ſed uſurpant libenter, ſi ſe offerant, id nihilominus ſtatuentes, non ita eſſe neceſſaria, quin ubi non ſuppetunt, Deus faciat opus ſuum, & ubi ſuppetunt, ſine Deo planè eſſe inutilia. Inter hos poſtremos ponimus Jacobum.

Quæritur 2. an juſtum fuerit tantum benedictionis divinæ proventum, magnis laboribus acquiſitum ita profundere; & augetur dubium, quia non æquum videbatur, ut id acciperet Eſau; quod ſi non juſtum eſſet accipere, nec etiam offerre juſtum fuiſſe videtur. Reſpondeo, conſiderandas eſſe perſonas, & finem propoſitum. Ad perſonas quod ſpectat, ſi det pauper diviti, ita ut dando familiam ſuam deſtituat, nec dare juſtum eſt, nec etiam accipere. At ſi qui dat, ſibi & ſuis neceſſaria reſervet, cùm ſit bonorum ſuorum dominus, & juſtas habeat dandi cauſas, reprehendi non poteſt qui offert, nec culpari qui accipit beneficium, animo gratificandi ei qui donat, alioquin è mundo tollenda eſſet amicitia & communicatio. Obſervant, multa eſſe donorum genera. 1. Quod ex ingenio bonitatis & veræ liberalitatis, erga quoſvis profluit. 2. Quod ſingularis cujuſdam affectus teſtimonium & velut teſſera datur iis, quos nobis amicos ſelegimus. 3. Quo ad conciliandum nobis favorem & benevolentiam, alios conamur demereri. 4. Quod pauperes dant opulentioribus. 5. Quo gratulamur iis qui è peregrinatione domum revertuntur, amicis vel vicinis. 6. Quo placare conamur iratos. Primum genus per ſe ſemper laudabile eſt. Secundum etiam improbari non poteſt, niſi ratione circumſtantiarum & malæ electionis. Tertium inter homines ſæpè in vitio eſt, præſertim ubi judicum integritas tentatur, & eorum, quorum eſt publicis dignitatibus providere. Quartum, ſi detur ad venandum majus bonum, quæſtuoſum eſt & mercenarium: ſi autem ad honorem deferendum & teſtandum, laudabile eſt, ratione Dei & hominum. Quintum etiam inter honeſta reponi debet. Sextum denique admittit etiam Deus, nec inter homines rejici debet, ſi aptè & convenienter exerceatur, ut hic à Jacobo. Certè Sapiens Proverb. 18. ℣. 16. *Donum hominis,* inquit, *dilatat ei viam, & coram magnatibus deducet eum.* Quod in genere intelligendum eſt, oportunum eſſe donum vel munus ad rem quamlibet perficiendam, ſive licitam & conceſſam, ſive prohibitam & vetitam. Igitur munus parare & offerre, eſt ἐκ τῶν μέσων, & prout adhibetur ad cauſas honeſtas, vel ſecus, in laude vel vituperio eſt. Idcirco laudi ducimus Jacobo, quod donum illud præmiſerit, ad ſedandum fratris ſui furorem. Similiter quod Abigail obtulit ad placandum Davidem. Sed tritum illud Ovidii cum grano ſalis accipiendum eſt, 3. de Arte;

Munera, crede mihi, placant homineſque Deoſque.

Quod videtur ſumpſiſſe ex Platone, libr. 3. Politiæ, δῶρα θεοὺς πείθει καὶ αἰδοίους βασιλῆας, *Dona flectunt Deos & venerandos Reges.* Nam de vero Deo non cogitandum eſt, eum flecti donis, qui nullis eget. Id ergo ſi dicatur, per *catachreſim* intelligendum eſt. Placatur donis Deus, quatenus talibus homines reverentiam ſuam erga Deum teſtantur, qui cor requirit, non quæ nobis ad manum; quæ cùm à nobis vel petit,

 vel

vel accipit, id facit ut hac occaſione arrepta, in nos munificentia utatur, & hauſtum aquæ frigidæ, pretioſiſſimis donis compenſet. Ita intelligendum eſt Dei ſtatutum, *Ne ulli comparento coram me vacui.* Exod. 23. ℣. 15. Donum Jacobi referendum eſt ad id genus, de quo Proverb. 21. ℣. 14. *Donum in abdito avertit iram, & munus in ſinu excandeſcentiam vehementum.*

Exercitatio CXXXVIII.

Narratio luctæ Iacobi. Torrens Iaboc unde oriatur? Quis vir *fuerit qui cum Iacobo luctatus eſt.* Angelus *appellatur* filius Dei *Theodoreto & pleriſque Patrum. Deum fuiſſe probatur. Cur Angelum dicat ſcriptura, quem Deum eſſe novimus? Deum nunquam apparuiſſe immediatè, ſed per Angelos tantùm, falſum eſſe probatur. Quam periculoſa ſit ſententia? Niſi quis dicat, Deum tum fuiſſe in Angelo ſpeciali aſſiſtentia. Alioqui divinos honores recipere non potuiſſet.* אבק abak *verbi ſignificatio, & ad luctam accommodatio. Rejectio eorum qui ad luctam ſpiritualem referunt certamen Iacobi, & Angelum auxiliatorem fuiſſe aſſerunt, adverſus Dæmonem. Probatur luctam fuiſſe corporalem. Conflictus duratio. Eventus pugnæ in Iacobo. Error vulgatæ. Vnde impoſſibilitas vincendi in colluctatore Iacobi? Ludicram non fuiſſe pugnam. Fuiſſe Symbolicam. Cur Deus voluerit luxare femur Iacobi? Confertur hæc lucta cum tentatione Pauli de qua* 2. Cor. 12. verſ. 7. *Finis & ſignificatio luctæ. Rejiciuntur inutiles allegoriæ. Fletus Iacobi quonam referri debeat? Cur argumentum dimiſſionis petatur ab auroræ adventu.*

NArratur in ſequentibus, à verſ. 22. uſque ad finem admiranda hiſtoria de lucta Jacobi; cujus verſ. 22. notatur 1. tempus, *nocte ipſa,* 2. Locus, poſtquam tranſiiſſet torrentem Jaboc. Ita videtur torrens ille dictus per quandam prolepſin, nam ex etymo probabile eſt datum eſſe ei nomen à lucta Jacobi, quia אבק luctari ſignificat, unde יבק *jabok.* Mercerus probabilius exiſtimat à בקק *bakak* dici, id eſt, ab *exhauriendo,* quod exhauriatur in Jordanem. Id tanquam minoris momenti, in medio relinquo. Conſtat autem hunc torrentem, cujus alibi meminit ſcriptura, Num. 21. ℣. 24. oriri ex montibus Galaad, non procul à Philadelphia quam alluit, & recipi à Jordane juxta mare Galileæ. Jobaccum vocat Joſephus. Meminit autem Moſes trajectionis fluvii, ut oſtenderet Jacobum, poſt preces ad Deum fuſas, ita confirmatum fuiſſe, ut non dubitaverit fratri obviam ire, itaque maxima ex parte liberatum fuiſſe metu, alioqui cis torrentẽ ſubſtituturus, ut eum interponeret inter ſe & fratrem ſuum, & melius evadere poſſet, ſi aliquid hoſtile meditaretur. Intereà autem dum expectaret lucem diei, trajectis omnibus ſuis, cum ſolus remanſiſſet, haud dubio meditabundus, viſione divina confirmatur. *Nam ecce vir luctabatur cum eo uſque mane.* verſ. 23. & 24. in quibus paucis verbis habemus duos antagoniſtas, genus pugnæ, & durationem. Antagoniſtæ fuerunt, Jacob, & *vir.* Qui *vir* à Jacobo vocatur *Deus,* verſ. 30. *vidi Deum, facies ad facies.* Quod idem indicatur nomine *Iſrael,* indito Jacobo, quia *cum Deo princeps fuerat.* Hoſeæ tamen cap. 12. verſ. 5. *Angelus* appellatur. Primò certum eſt virum non fuiſſe propriè dictum, ſed eadem ratione qua Angeli quos exceperunt Abraham & Loth, viri fuerunt appellati, ob virilem figuram in corporibus aſſumptis. Sic iſte vir appellatur, quia hac forma viſus eſt Jacobo, & in hominis ſimilitudine cum eo luctatus eſt. Sed an Angelus creatus fuerit Deum repræſentans, an Deus ipſe corpori à ſe creato aſſiſtens & illud movens, non omnium eſt una ſententia. Sunt enim qui Angelum creatum fuiſſe volunt; ſunt contra, qui ut Theodoreti verbis utar, cenſent, quod ὁ μονογενὴς Θεὸς ἐπεφάνη κ᾽ ἀνταῦθα τῷ Ἰακώβ. *Vnigenitus Dei filius apparuit etiam hîc Iacob.* In qua opinione agnoſcit Pererius in hunc locũ, Theodoretum fuiſſe ſequutum complures veterum Patrum, qui cenſuerunt divinas apparitiones & viſiones in veteri Teſtamento factas Patriarchis & Prophetis, in quibus dicitur vel Deus, vel etiam Angelus apparuiſſe hominibus, fuiſſe apparitiones Dei, ſed propriè non Patris, ſed filii ſuo tempore carnem aſſumpturi. Id tamen intelligendum non abſolutè de omnibus apparitionibus in quibus qui apparuerunt, Angeli dicti ſunt; certum eſt enim ſæpè apparuiſſe Angelos creatos; ſed de iis tantùm in quibus Angelus apparens, ſibi uſurpat nomen *Iehovæ,* aut proprietates & operationes divinas. Id illuſtri exemplo oſtendit Theodoretus ad tertium cap. Exod. ubi argumentatur filium Dei fuiſſe non Angelum creatum, qui apparuit in rubo, tum quia ipſemet ſe dicit *Deum Abr. Iſ. & Iacob,* tum quod declarans nomen ſuum, dicit *ego ſum qui ſum.* Meſſiam autem venturum, Angelum appellari probat ex Malach. cap. 3. ubi vocatur *Angelus fœderis.* Addit etiam alium locum qui communiter citatur à Patribus Græcis ex LXX. interpretibus cap. 9. Eſaiæ verſ. 6. μεγάλης βουλῆς ἄγγελος; *magni conſilii Angelus.* Sed quia

quia hæc non habentur in textu Ebræo apud Eſaiam, nollem ex iis argumentari. Sufficit locus Malachiæ, qui eſt extra controverſiam. Cui etiam aliud addo; ex Exod. cap. 23. verſ. 20. & 21. *Ecce ego mitto Angelum ante te, ad ſervandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparavi. Cave tibi à facie ejus, & auſculta voci ejus, ne exacerbes eum, quia non feret defectionem veſtram, quia nomen meum eſt in eo.* Ibi nomen Dei in Angelo, accipi non poteſt, niſi de ipſo Deo inhabitante. Nomen enim Dei eſt Deus. Idem eſt igitur ac ſi diceret; ego in illa figura externa, quæ Angelica videbitur, ponam nomen meum, id eſt, ipſe ſub hac figura vobis adero & vos deducam. Huc etiam referri debet, quod Eſai. 63. ℣. 9. legimus, *In omni anguſtia eorum non affecit eos anguſtia, ſed Angelus faciei ejus ſervavit eos, dilectione ſua & clementia ſua vindicavit eos*, &c. Ubi *Angelus faciei* dicitur venturus mediator, qui etiam tum populum Iſraëlis, *imponebat ſibi, & bajulabat in omnibus diebus ſeculi.* Ut ibidem dicit Eſaias. Qui *Angelus faciei dicitur*, quia Deum Patrem ſingulari ratione repræſentat, cujus imago eſt, & character ſubſtantiæ ejus. Hebr. 1. Angelum autem appellari Deum in apparitionibus, alibi docuimus, quia imitabatur modum & rationem qua hominibus Angeli apparebant. Sed nollem præſtare quod iſtis Patribus adſcribit Pererius, Deum Patrem nunquam in V. T. per viſionem ullam, ſive imaginariam, ſive ſenſibilem apparuiſſe, nec exiſtimo id abſolutè & univerſaliter dici poſſe, etſi utplurimum verum fuerit, maximè in actionibus mediatoriis. Sufficit autem, ſi aliquando, & utplurimum, apparuerit filius, ad ſententiam illam patrum ſtabiliendam, quam nos etiam alibi ſequuti ſumus, & veriorem exiſtimamus.

Alii de Angelo creato intelligunt, & ſententiam planè contrariam in altero extremo amplectuntur, Deum nunquam apparuiſſe patribus in V. T. in corpore aſſumpto, per aliquam Deitatis perſonam, ut loquuntur αὐτοπροσώπως, ſed ſemper Angelorum miniſterio, Deumque corpora aſſumpta non moviſſe immediatè, ſed per Angelos in illis corporibus apparentes, qui tamen aliquando, ut ex circumſtantiis diſcerni poteſt Deum referebant, ita ut eſſent quidem Angeli naturâ, ſed repræſentativè, ut loquuntur, & *autoritativè*, Deus. Itaque honores divinos tum non rejeciſſe, quod aliàs faciebant, quia Dei majeſtatem in Angelo Patres reverebantur. Hæc ſententia valdà incommoda mihi ſemper viſa eſt; quia ſi in talibus ſemel admittatur talis repræſentatio, in qua creatura poſſit ſibi aſſumere propria Dei nomina, ſibi adſcribere divina opera, recipere divinos honores, claſſes omnes argumentorum ad hæc capita ſpectantes, ex quibus Deitatem eſſentialem filii adverſus veteres & novos Samoſatenianos aſtruimus, planè evaneſcent; quia ſemper reſpondebunt hæc tribui filio, tanquam Patris legato, & ipſum referenti, ad patrem terminati etſi de filio dicantur, qui per eos erat tantùm homo natura, Deus autem *repræſentativè & autoritativè*, quia Deus eſt in Chriſto. Et certè nulla frequentiori evaſione abutuntur novi Samoſateniani, quotieſcumque eis objicitur nomen JehovæChriſto ſæpè à ſcriptura attributum, aut aliquid ſimile; ut mirum ſit Pontificios, qui videri volunt hæc etiam argumenta juxta nobiſcum magni facere, ferè tamen omnes in eam ire ſententiam, quæ adverſariis ſi vera eſſet, viam ſterneret ad effugiendum. Sed quia ex altera parte addicti ſunt Angelorū religioſo cultui, contra expreſſas ſcripturas, putantque nihilominus poſſe ſe tueri talibus exemplis, hinc eſt quod omnem illam adminiſtrationem puris Angelis tribuunt. Ubi tamen non vident, nihil ex eo ſequi pro adoratione aut invocatione Angelorum religioſâ, quia fatentur ipſi, Angelos talia non ſuſcepiſſe nomine ſuo, ſed ipſius Dei, quem ad tempus repræſentabant, ejuſque vice & autoritate fungebantur; unde liquet tales honores ipſis non deberi ordinariè & per ſe, cum Dei vices non gerunt.

Quamvis autem non negandum ſit, Deum uti aliquando creaturis ſuis tam Angelicis quam humanis, ut legatione fungantur apud homines ipſius nomine, eoſque regant in multis; nihilominus, eſſe quædam contendimus, in quibus neceſſaria eſt immediata & perſonalis, ut ita loquar, Dei præſentia, quæ legatis nunquam communicari poſſunt, vel regum vicariis. Nunquam regum Legati ſibi nomen Regum uſurpant; neque ſibi adſcribunt quæ ad regiam pertinent dignitatem, aut admittunt coronam, Diadema, & ſimilia. Si ad Regis ſponſam mittantur, nec ad oſculum aut amplexum, nec ad thorum admittuntur. At honores divini pertinent ad actum conjugalem Dei cum Eccleſia ſua, idcirco immediatè Deo competunt, non legatis Dei. Abraham, ut vidimus Gen. 18. ℣. 25. *Iudicem totius terræ*, appellabat eum qui cum ipſo loquebatur, qui etiam hoc ſibi tribuebat, ut vel parcere poſſet vel punire. Quæ certè à nullo legato uſurpari poſſunt ſine læſæ majeſtatis crimine. Pererius in hunc locum conatur refellere Theodoreti objectionem, affirmans, non ſolum à Deo, ſed etiam ab Angelo poſſe peti gratiam & pacem, *non*, inquit, *tanquam à largitore & autore, ſed tanquam à gratioſiſſimo apud Deum deprecatore.* Hoc quidem falſum eſt, nam à deprecatore hoc tantum peti poteſt, ut ab alio petat quod alterius eſt dare, non ut det ipſe, quod in ſua non eſt poteſtate. Sed ſi hoc verum eſſet quod ait; ad rem tamen nihil reſpondet, & argumentum Theodoreti eludit, non ſolvit. Argumentum enim erat de eo à quo talia petuntur tanquam à largitore & autore, ut manifeſtum eſt ex ipſorum adverſariorum ſententia, qui dicunt tunc Angelos repræſentaſſe Deum, autoritativè, ut loquuntur: ubi neceſſe eſt agnoſcant repræſentationem illam locum habuiſſe, quando patriarchæ non ſolum invocarunt, ſed etiam altaria erexerunt, & ſacrificia

ficia obtulerunt, ei qui apparebat. Talia autem non ſunt deprecatorum, ſed autoris omnium bonorum; quæ nunquam ſervus apparens, etſi nomine Dei loquens, permitteret ſibi deferri, niſi infidelis eſſet Domino ſuo. Sed quia de hoc argumento pluribus egimus in comment. ad cap. 12. Malachiæ, ubi argumenta Serarii & Pererii refutavimus, non exiſtimamus neceſſarium eſſe, ut eadem hic repetamus.

Hoc tantum addo, ſi quis pertinacius contendere vellet, in his apparitionibus uſum fuiſſe Deum miniſterio Angelorum creatorum, propter illa loca, in quibus promiſcuè Angelus, & Deus appellatur, qui apparet; maximè quia qui Deus hic dicitur, ab Hoſea Angelus appellatur; aut qui apparuit in rubo & Moſi locutus eſt, à Stephano Actor. 7. dicitur Angelus: Item per Angelos data lex dicitur, quæ alibi à Deo; ſi cui non ſufficiant quæ attulimus, tolletur omnis difficultas, ſi velimus concedere in illo Angelo, aut in illis Angelis ſic loquentibus aut facientibus, fuiſſe Deum ſpeciali modo; qua ratione doctiſſ. Mercerus dicit ſe nullum diſcrimen facere, ſive Deum ſive Angelum quis fuiſſe dicat, qui cum Jacobo luctatus eſt, quia in Angelo Deus erat, & in eo Dei majeſtatem patres agnoverunt. Ubi non eſt intelligendum in Angelo Deum fuiſſe, quemadmodum ubique eſt, enter, potenter & præſenter, ut loquuntur; ſed aſſiſtentia & præſentia ſpeciali. Quam diſtinctionem negare non poterunt adverſarii, quia Deus ipſe manifeſtiſſimè diſtinguit, inter præſentiam ſuam & protectionem quæ fit Angelorum miniſterio, mediatè; & eam in qua immediatè ipſe ſe populo ſuo manifeſtat. Sic enim ille Moſi Exod. 33. ℣. 2. *Mittam Angelum præcurſorem ante te, & ejiciam Chananæum*, &c. *Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es.* Cui reſpondet Moſes, verſ. 15. *Si tu ipſe non præcedas, ne educas nos de loco iſto*; Poſteà promittit Deus verſ. 17. ſe id facturum, *Etiam*, inquit, *hanc rem quam dixiſti faciam.* Ex quibus liquet, cum facies Dei præcedebat, etſi vel unus Angelus vel plures aſſiſterent, ibidem tamen fuiſſe ſpecialem & immediatam Dei præſentiam, cum manifeſta ponatur diſtinctio & oppoſitio, inter ejectionem hoſtium per Angelum, & ipſam Dei faciem, id eſt præſentiam, in populo ſuo. Quæ benè intellecta, nullum relinquunt locum cavillis adverſariorum.

Non poſſum autem non mirari cur nonnullis venerit in mentem, ut dubium moverent de antagoniſtæ hujus qualitate, an bonus vel malus fuerit. Si aliqua fuit perſona divina, quod credimus, nulla eſt ambigendi ratio. Si Angelicum fuit miniſterium, cum Angelus Deum repræſentaverit, non potuit eſſe malus. Conteſtantur etiam omnes circumſtantiæ bonum fuiſſe illum, à quo benedictionem petit Jacobus, qui ab eo impoſitum nomen Iſraëlis magni fecit, & quem Deum appellavit.

Conflictus autem inter Angelum & Jacobum, vocatur *Lucta.* ויאבק *vajjeabhek*, & luctatus eſt. אבק *abhak*, nomen, *pulverem* ſignificare ex multis ſacræ Scripturæ locis conſtat. Eſai. 29. ℣. 5. Et erit כאבק keabhak. *Sicut pulvis tenuis, multitudo hoſtium tuorum.* Ad quam nominis ſignificationem reſpexit Tigurina verſio, cum dixit, *deſcendit cum eo in arenam.* quaſi יאבק *jeabhek*, idem eſſet quod *pulveriſabatur*; alluſione facta ad morem palæſtræ Græcorum & Romanorum, in qua luctatores nudi, ſe invicem pulvere aſpergebant; ut facilius & firmius, ſe invicem prehenſos tenerent. Sed quamvis nomen אבק *abhak*, pulverē ſignificet, nullibi tamen verbum ponitur in ſignificatione *pulveriſandi*, quod potius affine eſt verbo חבק *habhak*, cum *chet*, quod ſignificat *complexus fuit*; quia luctantes ſe invicem brachiis complectuntur, & alter alterum nititur proſternere. LXX. verterunt ἐπάλαιεν quæ vox à palæſtra deſumpta eſt, quaſi dicerent, luctabatur ut palæſtrita in palæſtra. Aquila & Symmachus, ἐκυλίετο, id eſt, verſabat, & jactabat ſe cum illo. Omnes in eo conſentiunt, colluctationem ſignificari.

Sed quia colluctatio poteſt eſſe corporalis propria, vel ſpiritualis figuratè dicta, ut apud Paulum cap. 6. ad Epheſ. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus poteſtates*, &c. Quæ colluctatio fit, per obfirmationem mentis & voluntatis per fidem & alia arma ſpiritualia, contra tentationes Diaboli. Talem fuiſſe colluctationem Jacobi exiſtimavit Origenes in libro 3. de principiis, Jacobum ſine dubio luctatum fuiſſe, adverſus aliquam harum virtutum, quas humano generi & ſanctis præcipuè adverſari, & movere certamina Paulus affirmat. Hieronymus Origenem ſequutus, contrariam ſententiam non ſine contemptu rejicit, *Quid grande*, inquit, ſi, *ut illi ajunt luctans aut ſuperaverit, aut victus ſit? ſed juxta rationabilem, & convenientem tanto patriarchæ luctam, talem illi colluctationem fuiſſe credendum eſt, qualem hi habent qui poſſunt dicere, Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem.* Sic autem ſententiam ſuam exponunt, ut putent illud *cum eo*, ita eſſe intelligendum ut non referatur ad colluctatorem ſive antagoniſtam, ſed ad auxiliatorem Angelum; ut ſit, *Vir luctabatur cum eo*, id eſt, eum juvabat in lucta ſua. Subintelligi autem adverſarium, quem Angelum malum putarunt, contra quem adjutus fuerit ab Angelo bono. Hoc explicat ex alio quodam Procopius Gazæus in hunc locum, accepiſſe ſe à docto viro, proditum eſſe à nonnullis, cum Jacob certaſſe Diabolum in ſpecie Eſau, à Jacobo autem ſtetiſſe Angelum auxiliarem, & idcirco Diabolum prævalere non potuiſſe. At hoc commentum refellit ratio nominis Iſraël, inditi Jacobo. *Si fortis fuiſti contra Deum*, &c. Et apud Hoſeam cap. 12. *Invaluit adverſus Angelum*, &c.

Non eſt negandum, Jacobum fuiſſe colluctatum cum variis tentationibus Diaboli, & multa fuiſſe ei objecta ut dimoveretur à fiducia illa quam in Deum collocaverat, quod etiam ſupra animadverſum eſt, ubi

metu

metu gravi perculſus fuit, & nihilominus ad preces converſus, confirmatus fuit in ſpe futuræ liberationis, manente tamen adhuc aliqua lucta infirmitatis cum fiducia. Proinde poni debet extra controverſiam, in Jacobi anima fuiſſe ſpiritualem conflictationem, cujus etiam fœlicem exitum voluit Deus hac lucta ſignificare, quam corporalem fuiſſe, omnes textus circumſtantiæ evincunt, & vigilante Jacobo. Non dicitur enim quod excitatus fuerit; & teſtimonium hoc fuit, uſum fuiſſe Jacobum ſenſibus ſuis externis, quia fit mentio auroræ, qua veniente Antagoniſta dimiſſionem petiit. Prætereà, ſi Jacobus non vidiſſet aliquam externam repræſentationem ejus cum quo luctabatur, quem Deum eſſe novit, ſed tantum ſomniando, vel per imaginationem, non poſteà experrectus celebraſſet illud beneficium his verbis, *vidi Deum facie ad faciem, & liberata eſt anima mea.* Nunquam enim legimus ullum ſanctorum Patrum metu mortis fuiſſe perculſum, ſi aliquando Deus per ſomnium aut nocturnam viſionem imaginariam ſe eis manifeſtaſſet; ſed tantum ſi vigilantibus objecta fuiſſet aliqua ſpecies viſibilis, Deum repræſentans, ut Judic. 13. ℣. 22. dicebat Manoah, *certò moriemur, quia Deum vidimus.* Unde colligitur, Jacobum vidiſſe & audiviſſe quicquid hic recitatur, corporali modo. Sed ad id maximè facit, quod ex ea lucta, hiſtoria dicit, manſiſſe illum claudum in fœmore: cum enim non fuerit imaginaria ſed realis claudicatio, ſequitur etiam veram fuiſſe & externam colluctationem. Ad id autem infringendum non facit, quod non ſolum Deus eſt ſpiritus ſimpliciſſimus, ſed etiam Angelus eſt ſpiritus, planè corporis expers; unde ſequi videtur nullam poſſe corporalē eſſe luctam Dei vel Angeli cum homine. Reſp. enim id verū eſſe ſi Deus aut Angelus non appareat in viſibili ſpecie; Sed cum Deus poſſit efformare corpus externum, illudque movere per ſe, vel per aſſiſtentem quandam intelligentiam, tum dubium non eſt in talibus corporibus aſſumptis poſſe talem luctam fieri, in qua corpus illud aſſumptum ad humanam formam, corpus verè humanum tangat, & ab eodem tangatur & retineatur.

Ad durationem conflictus quod ſpectat, illa valdè obſcura eſt in verſione vulgata. Nam verſ. 22. dicit, Jacobum, *cum manè ſurrexiſſet,* tranſiviſſe vadum cum ſua familia; Deinde verſu 24. dicit, *virum luctatum fuiſſe cum eo uſque mane*; utrobique *manè* vertit, tam in tranſitu, quam in conflictu. At in textu Ebræo res eſt perſpicua ſine ambiguitate; quia tranſivit vadum poſtquàm ſurrexit בלילה *ballajla*, in nocte. At poſteà Jacobus luctatus eſt cum viro illo, עד עלות השחר, *donec aſcendit aurora.* Unde ſequitur luctam inchoatam fuiſſe de nocte, fortè media nocte, & duraſſe ad auroram uſque, proinde fuiſſe longam & conſtantem, quod etiam facit ad ſignificationem. Ubi præterea notandum eſt, quod ubique luctator, *vir* appellatur, propter virilem figuram, quod etiam argumento eſt, corporalem fuiſſe colluctationem, ut dictum eſt.

Ad eventum pertinent quæ dicuntur verſ. 25. *Qui,* nempe vir, *cum videret quod eum,* Jacobum, *ſuperare non poſſet, tetigit nervum fœmoris ejus, & ſtatim emarcuit.* Sic vulgata, valdè impropriè. יקע *jakà* enim, non ſignificat *marcere*, vel *marceſſere*, ſed *movere ſe*, aut *recedere à loco ſuo*, quod gallicè dicimus *diſloquer.* Ideò Cajetanus agnoſcit ex Ebræo legendum eſſe, fuit *motum femen coxæ ejus*; nempe à ſua diſpoſitione naturali, ſoluta illa parte à naturali vinculo loci ſui. Quod dicit *femen coxæ*, in Ebræo eſt כף־ירך *caph jerec*, id eſt, *curvatura femoris.* Nomine כף *caph*, intelligitur cavitas illa in qua eſt ſumma pars fœmoris, ubi coxendix jungitur iſchio, & duo oſſa conneстuntur.

Hic primo quæritur, unde hæc in tali luctatore impoſſibilitas, cum ſive Deus, ſive Angelus fuerit, neutri videatur tribui poſſe. Deo enim nihil eſt impoſſibile; Angelo autem non videtur etiam difficile eſſe hominem proſternere; ſatiſque oſtendit hic luctator, quid poſſet, ſi potentia ſua uti voluiſſet, qui ſolo tactu luxare potuit Jacobi femur, ita ut claudicaret. Qui cum Angelo luctatum fuiſſe ſentiunt, variè ſe expediunt. Cenſent enim vel fuiſſe ſimulatoriam impotentiam à parte Angeli, qui cum poſſet, ſimulavit tamen ſibi non eſſe ſatis virium ad victoriam, quo magis creſceret animus Jacobo; vel etiam additum fuiſſe robur Jacobo, pluſquam exigeret humana facultas, ut fortior eſſet Angelo antagoniſta; vel Deo impediente aut attemperante concurſum ſuum, non totis viribus dimicaſſe Angelum, quia non potuit conferre totas, quas habebat à natura vires, & ſic verè dici, *cum videret, quod ſuperare non poſſet.*

Sed aſſeruimus eam de Deo ſententiam, quæ nodum fortius ſtringit, quia Deo impoſſibilitatem tribuere blaſphemum videtur, eumque homine inferiorem aliquo modo facere. Nec minor erit difficultas ſi dicamus cum aliis, Angelum inferiorem fuiſſe quatenus Deum repræſentavit, negare enim non poſſunt Deum repræſentaſſe in eo quod ſe victum faſſus eſt, ut ex indito nomine liquet. Tota difficultas in eo poſita eſt, quod Moſes ſcribit, hunc luctatorem *vidiſſe, ſe non poſſe Iacobum ſuperare.* Itaque videndum, quo ſenſu Deo tribuatur talis impoſſibilitas. Gregor. Nazianz. Orat. 4. de Theol. multos modos recitat, quibus aliquis dicitur hoc vel illud non poſſe, inter quos ponit, vel averſionem, vel etiam defectum voluntatis. Quæ enim nolumus, etiam non poſſe facere dicimur, præſertim ſi, quamvis facultas & vires non deſint, contrarium tamen decrevimus; quæ ratio apud Deum quam apud homines fortior eſt, quia horum decreta reſcindi poſſunt: illius autem firma ſunt & immutabilia. Poſſumus igitur ſine blaſphemia dicere, *Deum non poſſe* quod non vult, & cujus contrarium apud ſe ab æterno decrevit. Quo ſenſu de Chriſto dicitur, Marci 6. verſ. 5. *non potuiſſe virtutem ullam edere* Nazarethi. Cum igitur

Rrrr decre-

decreviſſet Deus Jacobo concedere victoriam in lucta illa, ut ejus virtutem exerceret, in hominis externa figura, eique oſtenderet, quod poſteà nos docuit Apoſtolus, 1. ad Corint. 10. ℣. 12. ita Deum moderari tentationes, quas nobis immittit, ut nulla nos adoriatur, *niſi humana*, etiamſi ab ipſo adminiſtretur; mirum eſſe non debet, ſi Jacob dicatur prævaluiſſe adverſus Deum, nō quidem abſolutè, quî enim id fieri potuiſſet? ſed κατά τι, quatenus Deus eum adoriebatur humano more, & ea voluntate, qua decreverat eidem vires addere ad vincendum. Ita ut Deus in illa lucta gereret quaſi duas perſonas; antagoniſtæ quidem, per corpus illud aſſumptum; protegentis autem & defendentis, ſubminiſtratione virium neceſſariarum, ad reportandam in hoc certamine victoriam.

Non tamen propterea dicendum eſt, ludicram fuiſſe pugnam, ſimulationem rei fuiſſe, non veritatem, levem itaque, futilem, & ludicram fuiſſe laudem Angeli, &c. quod objicit Pererius Abulenſi. Pugna enim fuit ſeria ab utraque parte. A parte Jacobi, qui quantum potuit exeruit ſuas vires conſtantiſſimè, etiam poſt luxatum femur, certamen non detrectans; A parte autem Dei, cum corpus illud aſſumptum ita agitavit & movit, ut Jacobo non exiguum faceſſiverit negotium, quem adeò concuſſit ut ex fœmoris luxatione claudicare fuit coactus. Qui ſi minus potuiſſet, non fuiſſet tamen indignus laude; Nam, *ſi deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas*. At cum Deus non immediatè ſtringeret Jacobum, ſed per aſſumptum corpus, æquo jure poſſumus dicere, Deum aſſiſtentiam ſuam & efficacitatem in illo corpore moderari voluiſſe, ut patriarcham non poſſet ſuperare, quo alii dicunt, Angelo Deum in pugna repræſentanti, ſubduxiſſe ſuum concurſum, ita ut non potuerit totis viribus ſuis pugnare. Nulla igitur impoſſibilitas propriè dicta potuit eſſe in Deo, ſed tantum in inſtrumento: quæ tamen Deo attribuitur, quia totum illud pro arbitrio ſuo moderabatur, & colluctationis autor erat, ut oſtenderet à ſe immitti tentationes, quibus fidem ſuorum probare dignatur; in quibus per συγκατάβασιν quandam, ſe ipſum dejicit, dum ſe filiorum ſuorum conditioni accommodat, in morem parentum benevolorum & indulgentium. Quod ſi (quod maximè probabile exiſtimavimus) perſona quæ hæc omnia adminiſtravit fuit Dei filius, potuit tum, in ea re, indicium præbere, ſuæ exinanitionis futuræ, pro ſalute ſuorum. Id maximè notandum, luctam illam, quà externa fuit, *Symbolicam* fuiſſe, ut poſteà dicetur, proinde ita fuiſſe à Deo adminiſtratam, ut ſignificare poſſet, quod intendebat, in ſalutem Jacobi. Cujus *fortitudini* cum victoria tribuitur apud Hoſeam cap. 12. id ita intelligi debet, ut tum diximus, ut *fortitudo* non tribuatur Jacobo originaliter, ſed, ut ita loquar, *poſſeſſivè*. Quia data ei fuit à Deo, nihil autem melius noſtrum eſt, quam quod jure donationis poſſidemus. Diſtinguendum ergo inter vires hominis proprias & naturales, & eas quæ per gratiam nobis conferuntur. Prioribus illis non potuiſſet prævalere Jacob, ſed ſuccubuiſſet; poſterioribus prævaluit, quæ ipſius fuerunt, poſtquàm in eo Deus eſſet operatus.

Hanc ſolutionem illuſtrabit alterius quæſtionis diſcuſſio, cur Deus in hac colluctatione, voluerit luxare femur Jacobi, ita ut claudicaret. Cujus rei ratio alia reddi non poteſt, niſi facillimum fuiſſe ei qui luctabatur, ſi voluiſſet vires ſuas exerere, Jacobum proſternere, ejuſque omnia membra inutilia reddere, talemque Jacobi fortitudinem, ſpeciali Dei ordinatione & voluntate tum ei fuiſſe conceſſam, ut deinceps diſceret benè ſperare in omni anguſtia; ubi rectè animadvertit Theodoretus, hanc imbecillitatem fuiſſe immiſſam ei, ne cum videret poſteà ſe fortiter reluctatum fuiſſe, & reſtitiſſe, ſibi de ſuo robore nimium placens ſuperbiret, ſed agnoſceret fortitudinem ſuam, & victoriam, Deo acceptam ferri debere, cum inde manifeſtè cognoſceret, ſe potuiſſe non ſolum vinci, ſed etiam occidi ab Antagoniſta, niſi aliter viſum & placitum ei fuiſſet; ut ſimile prorſus ei acciderit, quod poſteà Paulo, qui de ſe dicit, 2 Cor. 12. 7. *Ne excellentia revelationum ſupra modum efferrer, datus eſt mihi ſurculus infixus carni, & Angelus Satan, ut me colaphis cædat, ne ſupra modum efferar.* Hujus autem rei alterum etiam finem proponit, dum Dominum ſibi ita reſpondentem introducit, *potentia mea per infirmitatem perficitur.* Etſi ergo velit Deus, in omnibus tentationibus penes ſuos tandem eſſe victoriam, patitur nihilominus, imo efficit, ut in iis remaneant ad tempus quædam infirmitatis teſtimonia, ut virtuti divinæ diſcant adſcribere, quicquid virtutis oſtendunt in ſuis certaminibus.

Ex quibus facile eſt explicare, quid ſibi voluerit lucta illa & victoria Jacobi. Voluit enim Deus in hoc certamine ei oſtendere, etſi fideles in hac vita à variis hoſtibus impetantur, & multa ſint eis parata certamina cum diverſis antagoniſtis: Deum tamen omnia illa moderari, & dirigere in ſalutem ſuorum, ac gloriam ſuam. Nos vocari ad pugnam velut adverſus Deum ipſum, qui varias immittit probationes, & nobis eſſe cum eo manus conſerendas; Ipſum Deum nos tentare, non quidem pravas cupiditates inſtillando, vel ad eas nos inſtigando, ſed variis afflictionibus exercendo, in quibus adeò mirabiliter operatur in ſanctis ſuis, ut velut propria ſua virtute ſe ſponte dejiciat, & dum nobiſcum luctatur vires ſuppeditet, quibus pondus & gravitatem certaminis poſſimus ſuſtinere. Nam ſi ab una parte conſtituat ſe luctatorem, ab altera tamen pugnat ipſe in nobis pro nobis, adverſus tentationes à ſe immiſſas, & adverſus omnes impetus, quibus fidem noſtram probat. Vinci autem dici quodammodo poteſt, quando virtute ſpiritus ſui nos reddit inſuperabiles.

Ad Jacobum igitur quod attinet, ei voluit indicare Deus, manere adhuc eum varia certamina, in quibus ei robore & virtute pluſquam naturali opus eſſet, necdum

quietis

quietis tempus adveniſſe, etſi ad ſuos rediret. Sed quicquid ſibi accideret, à Deo adminiſtrari agnoſceret, qui ipſe in omnibus ejus adverſariis & colluctatoribus præſens adeſſet, ut animum & conſtantiam ejus exploraret; & de certaminis ſucceſſu non dubitaret. Quemadmodum enim in hac pugna voluit eum victoriam obtinere, neceſſariis ad vincendum viribus ſubminiſtratis; idem certiſſimè deinceps eventurum, nec eſſe quod de omnium certaminum ſucceſſu dubitaret, ita diſponente omnia Dei providentia, qui nunquam hoſtili animo ſuos adoritur, etiam dum patitur infenſiſſimos hoſtes ipſis vim inferre, quam vel imminuere, vel, ſi velit, infringere poteſt momento, vel majorem imbecillioribus largiri, ut reſiſtere non tantum poſſint, ſed etiam ſuperare & vincere. Commodè autem hoc tempore oblata fuit hæc viſio, ut adverſus fratrem Eſau, à quo ſibi timebat Jacob, confirmaretur, etſi in genere ad omnes venturas difficultates id referri debeat, ut diximus. Hic fuit viſionis & luctæ ſcopus. Alii alia afferunt ἀλληγορήματα, ſed quæ verum ſenſum mihi obſcurare videntur; ut quæ apud Philonem leguntur, in libro de præmiis & pœnis, de perfectioribus, qui ad contemplationem divinam aſcendunt, & vident Deum ab ipſo attacti, contracto tumentis animi, & magnificè de ſe ſentientis faſtu. Vel quod Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. xxxix, ut Angelus præfiguraverit Chriſtum, Jacob vero gentem Judaicam, quæ luctata eſt cum Chriſto, pervicaciter ei repugnando, & hoſtiliter eum inſectando, eſtque viſa prævalere, quia ei mortem intulit. Quid enim minus ad rem dici potuit, cum victoria Jacobi ponatur in laude? Longè aptior fuit moralis inde deducta à Gregorio doctrina lib. 4. Moral. in Job, quanto ſpiritus humanus magis extollitur per viſiones & illuſtrationes divinas, eo magis deprimi carnem, quemadmodum luxatum fuit femur Jacobi, cum videret Deũ & cum eo luctaretur. Sed tamen hoc nihil facit ad luctam cum Deo. Non paſſus eſt ſpiritus ſanctus, ut longius requireremus finem & ſcopum certaminis, qui petendus eſt ab ipſis ejus verbis verſ. 28. quia, inquit, *princeps fuiſti cum* Deo, *& cum hominibus, & prævaluiſti.* Quæ verba vulgata ſic paraphraſticè reddidit, *quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Nam ותוכל etſi propter vau converſivum, in præterito poſſit verti, tamen manente futuri ſignificatione, efficacior erit oratio, *quanto magis prævalebis?* Si quis tamen extra comparationem accipiat, velitque principatum illum Jacobi, ad præteritum tempus referre, quo cum hominibus, puta cum fratre naſcendo & poſteà benedictionem auferendo, & cum Labano variis modis colluctatus fuerat, & victor evaſerat, per me licebit, & eadem erit ratio. Tu fortis fuiſti cum Deo & cum hominibus, non eſt igitur quod tibi deinceps metuas, vel ab Eſauo fratre tuo, vel ab aliis, qui tibi adverſari vellent.

Eſt autem notandum, Jacobum uſque ad cruris luxationem colluctatum fuiſſe velut cum homine, ſed tandem agnoviſſe rem ſibi eſſe cum validiore antagoniſta. Nihilominus, cum peteret ſe dimitti accedente aurora verſ. 26. negat Jacobus ſe dimiſſurum, niſi benedictionem ab eo abſtulerit, quam petebat tanquam minor à majori; quo retulimus fletum illum cujus meminit Hoſeas, qui fuit Jacobi non Angeli. Nam Jacobus etſi firmiter quantum poterat retineret colluctatorem, apud ſe tamen noverat non eſſe ſibi ſatis virium, ut eum poſſet detinere invitum; idcirco ad preces & lachrymas converſus, petiit benedictionem illam, quã obtinuit. Etſi enim hic videatur eam pro ſuo jure à victo exigere, conjunctam tamen fuiſſe cum hac ſancta violentia humilem & patheticam petitionem, ex Hoſea colligimus. Non enim poſſumus iis ſubſcribere, qui fletum Jacobi referunt ad dolorem, ex luxatione femoris. Non tam mollis fuit Jacob, qui dudum duriſſimis & longiſſimis laboribus aſſueverat, quibus ad omnes moleſtias obduruerat, ut vidimus cap. 31. verſ. 40. Probabilius igitur cenſemus, ex tactu illo intellexiſſe, ſibi rem eſſe cum Angelo, vel potius cum Deo, qui etſi volens, ſe vinci ſineret, roboris tamen ſui invicti ſignum relinqueret, ut agnoſceret eundem eſſe autorem victoriæ, qui ſe victum profitebatur, dimiſſionem petendo. Ideò cum fletu poſtulavit ab eo benedictionem, ex qua etiam voluit confirmari in ſua ſententia, & plenius inſtrui de conditione colluctatoris ſui: ſperavit enim ex benedictionis formula ſe certum argumentum ducturum, quo plenius eum cognoſceret, nec eum fefellit eventus.

Cur autem in petitione dimiſſionis, argumentum ſumat Angelus ab eo quod venerat aurora, non ſine ratione quæritur. Neque enim obnoxius eſt Deus, vel nocti, vel auroræ, qui æterna lux eſt. Nec ſi Angelus fuiſſet, opus fuiſſet reſpectu ejus, ut accedente aurora alibi ſe reciperet. Id factum fuiſſe, tam propter Jacobũ, quàm propter ejus domeſticos maximè probabile eſt. Accedente enim aurora Jacobus ad ſuos ire debuit, vel ſervi ad eum acceſſuri; non debuit autem tale myſterium oculis quorumvis patere. Sufficiebat etiam Jacobo, ſi obſcure velut in crepuſculo vidiſſet corpus illud aſſumptum & divinã in eo præſentiam; nec opus erat, nec fortè conducebat, ut veniente die curioſius illud inſpiceret; nec debuit viſio luce detegi, quæ in ſolius Jacobi uſum ſpecialiter adminiſtrata fuerat.

EXERCITATIO CXXXIX.

Iacobo imponitur novum nomen. Iſraëlis *Etymum & ſignificatio. Ex ipſo textu. Regula notanda, Quod minus frequenter fit quam anteà, proponitur tanquam quod non amplius fiet. Cur Iſraël viciſsim Antagoniſtam de nomine interrogarit? Verba* quod eſt mirabile *unde accepta & hic addita? Videri Deum ab homine negatur & affirmatur. Quæ ratio?* Explicatur locus Exod. xxxIII. verſ. 20. *&* 23. *Quo ſenſu aſſerat Dominus, neminem unquam Deum vidiſſe.* Joan. I. verſ. 18. Anima, *pro* vita. *Cur veteres pro magno beneficio habuerint, ſi vivi ſervarentur poſt divinam aliquam viſionem? Expenditur talis formidinis ratio, & loci diverſi ad id pertinentes explicantur. Claudicatio Iacobi quamdiu duraverit? Novum inſtitutum apud Iſraëlitas de non comedendo nervo femoris; de quo pluribus. Inſtituti finis ex* Chryſoſtomo. *Qui nullo modo favet ciborum delectui ſuperſtitioſo ſub Papiſmo. Cauſſæ diſcriminis afferuntur.*

EXPETITAM & poſtulatam benedictionem accipit Jacob, in mutatione nominis, ſciebat quidem Deus quodnam eſſet Jacobo nomen, ſed ut animum ejus erigeret ad benedictionis quam præparabat expectationem, ab ipſo exigit nominis confeſſionem, ut ex alterius quod impoſiturus erat comparatione videret, quanto honore auctus eſſet. Cum ergo reſpondiſſet ſibi nomen eſſe Jacob, à ſupplantatione deductum, addit Deus verſ. 28. *Non Iacob ultrà dicetur nomen tuum, ſed Iſraël, &c.* Cujus nominis variæ excogitatæ fuerunt Etymologiæ. Unám propoſuit Hieronymus, à ישר *jaſchar*, id eſt, rectus, & אל *el* Deus, ad quod refert, quod apud Hoſeam cap. 12. dicitur, *directus eſt cum Angelo*; aitque eum nomen εὐθυτάτου, directi, ſeu *rectiſſimi*, ex hoc facto accepiſſe. Alii *Iſraël*, idem eſſe putarunt, quod *vir videns Deum* à tribus vocabulis Ebræis איש *Iſch* ראה *raah*, & אל *el.* Qua in ſententia fuerunt multi ex veteribus, ſed perperàm. Nam in nomine *Iſraël* א non eſt initio, & ſin, non ſchin legitur. Verum Etymum ex ipſo textu deducitur כי שרית *ki Saritha*, quia princeps fuiſti cum Deo, ubi paranomaſia eſt inter *Iſraël* & *ſaritha*, ad quod Etymum reſpexerunt Græci, LXX & Thodotio, ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ. Aquila ὅτι ἦρξας. Symmachus ὅτι ἦρξω ἰσχύϊ πρὸς θεόν. *Sarith enim, à quo Iſraël derivatur principem ſonat*, ait Hieronymus, *de tradit. Ebraicis. Senſus itaque eſt, non vocabitur amplius nomen tuum ſupplantator, hoc eſt* יעקב *Iaacobh, ſed princeps cum Deo, hoc eſt Iſraël.* Hæc ille, qui hanc Etymologiam maximè probat; Et ibidem refellit eos, qui *Iſraël*, interpretantur, *vir videns Deum*, quod, inquit, *omnium penè ſermone detritum, non tam verè quam violenter mihi interpretatum videtur.* Compoſitio igitur vera, eſt ex verbo שרה *ſarah*, principem egit, ſeu principem ſe geſſit, & nomine divino אל *el.* Littera autem jod in principio, eſt characteriſtica nominis proprii. Cum autem dicit, *Nõ Iacob dicetur ultra nomen tuum, ſed, &c.* non eſt ita intelligendum, ac ſi abſolutè non eſſet amplius appellandus *Iacob*, nam ita ſæpè poſteà dictus eſt, & patronymicè etiã populus ab eo ortus, ſed id intelligi debet, non de negatione ſimplici, ſed de negatione cum excluſiva, *non tantum*, non ſolum vocaberis deinceps Jacob, ſed etiam Iſraël. Eſt hoc in ſcriptura uſitatum, ut quæ raro facienda, aut minus frequenter quam anteà, non ultra facienda aut futura dicantur, juxta communem hominum uſum, cui ſæpè ſcriptura ſermonem attemperat. Ut Syri 2 Reg. cap. 6. dicuntur non ultra venturi in fines Iſraël, & tamen ut conſtat, poſt illud tempus aliquando venerunt, ſed non ita frequenter. Sic Jacob non ultra vocandus antiquo nomine, id eſt, non tam frequenter. vel, ut diximus, *non tantùm.*

Viciſſim verſ. 29. interrogat Jacob de nomine ſuo, eum à quo novum nomen acceperat. Quod mirum videri poteſt, quia ex nomine ſibi impoſito *Iſraël*, id potuit intelligere. Idcirco Tremel. & Junius ὕστερον πρότερον hîc faciunt, acſi interrogatio, ante benedictionem, ſub nomine Iſraëlis incluſam facta eſſet: ſic enim vertunt, *Petenti autem Iacobo & dicenti, indica mihi, quæſo, nomen tuum, dixerat, quorſum interrogas de nomine meo? priuſquam benediceret ei.* Sed non poſſum videre, qua ratione hæc verba ויברך אתו שם *vajjebarech oto ſcham*, & benedixit ei ibi, poſſint verti, *poſtquam benedixit ei.* Exiſtimo igitur ſequendam eſſe communem interpretandi rationem; & Jacobum quidem cognoviſſe, Deum eſſe à quo benedictionem acceperat; ſed cùm tanta familiaritate videret Deus ſecum egiſſe, auſum etiam fuiſſe de nomine interrogare, ut in notitia ejus magis ac magis proficeret, atque ita humili notitiâ non contentus, altius conſcendere optat. Votum Jacobi fuiſſe pium non eſt negandum, etſi ei non obtemperet in ea re Deus, quia nondum erat maturum tempus plenæ manifeſtationis. Voluit igitur, ut benedictione contentus, nihil ultra peteret de nomine ſuo. Idem reſponſum fuit Manoach patri Samſonis, Judic. 13. ℣. 18. ex quo loco in editione LXX & Latina verſione hîc comportatum eſt, quod in textu Ebræo non legitur, ὅ ἐστι θαυμαστόν, *quod eſt ad-*

eſt admirabile. Qui Angelum fuiſſe cenſent, dicunt ideò nomen ſuum celaſſe, quia nomina Angelorum variantur, pro ratione functionum & munerum; alii, ne poſteri Jacobi Angeli nomine abuterentur ad idololatriam; ſed ſi hoc verum ſit, cur in ſacris libris repe riuntur multorum Angelorum nomina? Deum hìc loquutum fuiſſe conſtat, & adverſarii etiam concedunt, Angelum fuiſſe loquutum nomine Dei. Ergo Deus reſpondit de nomine ſuo, quod nondum tempùs erat ita plenè manifeſtari, ut factum eſt poſteà. Sunt qui reſpondeant, quia hic Angelus referebat perſonam filii Dei, idcirco noluiſſe de nomine ſuo reſpondere, quia verbi incarnandi nomen, ante incarnationem tacitum & abſconditum fuit. Simpliciſſimum eſt, Deum voluiſſe Jacobum eſſe contentum ea cognitione quam Deus ipſi ſuggeſſerat, dum plenior lux affulgeret. Noviſſe, autem Deum eſſe quem videbat in tali figura, patet ex impoſitione nominis, qua locum in quo apparuerat ei Deus, voluit appellare in tantæ rei monumentum. Vocavit enim, verſ. 31. פניאל vel פנואל *peniel* vel *penuel*, à verbo פנה *panah*, aſpexit, & nomine אל Deus; ut *Peniel* ſit, *aſpexit Deus.* Addit ſub finem verſus δοξολογίαν. *Vidi,* inquit, *Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea:* In qua duo ſunt paucis expendenda. I. Quod dicit de viſione Dei. II. Quod de ſalute animæ ſuæ. Deum videre facie ad faciem hominem poſſe in hac vita, ſimul negatur & affirmatur. Negatur Exod. 33. ℣. 20. *Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo, & vivet.* Hìc tamen dicitur Jacob, *vidiſſe Deum facie ad faciem*, & de ipſo Moſe dicitur, Exod. 33. ℣. 11. quod *ſicut amicus amico, facie ad faciem, ei loquutus eſt Deus.* Scriptura in omnibus ſibi conſonans eſt, proinde neceſſarium eſt, de una & eadem re, etſi ſimilibus vocibus enunciata, non eſſe affirmationem & negationem. Itaque vocum eſſe varias acceptiones, & *faciem Dei* alio & alio modo intelligi in his enuntiatis. Hìc *faciem Dei* videmus accipi pro externo præſentiæ divinæ ſpecialis ſigno, quo ſenſu etiam ore ad os loquebatur Moſi, extraordinariâ nempè & ſpeciali communicatione, qualis eſt inter eos, qui familiariter inter ſe colloquuntur. Cùm autem negatur eidem Moſi viſio *faciei* divinæ, Exod. cap. 33. ℣. 20. eique tantùm permittitur, ut videat poſteriora; non id intelligendum eſt, quaſi in Deo, qui purus ſpiritus eſt, eſſent partes diverſæ ſituationis; ſed id accipiendum de varia ratione manifeſtationis divinæ. Petebat enim Moſes, ut ſibi liceret videre *gloriam Domini*; itaque videbatur talem petere gloriæ manifeſtationem, cui nihil poſſet addi. Negat Deus, talis viſionis hominem eſſe in hac vita capacem: nam verſ. 23. *Cùm amovero,* inquit, *manum meam, videbis poſteriora mea, facies autem mea videri non poteſt.* Per poſteriora autem intelligebat aliquam gloriæ ſuæ imperfectam imaginem, quæ notitia comparatur cum ea qua quis hominem ex dorſo, non autem ex facie agnoſcit. Dicam paucioribus. Viſio faciei divinæ dicitur, vel *abſolutè*, vel *comparatè.* Abſolutè, facies divina à nemine puro homine viſa eſt, id eſt, gloria Dei qualis eſt in ſe. Comparatè viderunt faciem Dei, qui aliqua ſpeciali externa apparitione donati ſunt: comparatè, inquam, ad eos qui Deum viderunt tantum in operibus ſuis, aut in verbo ſuo, oculis intellectûs. Sic quidem anteà viderat Deum Jacobus, & vident omnes pii, ſed non *facie ad faciem.* Nihilominus talis viſio, *facie ad faciem*, alia eſt ab ea, quæ futura eſt in viſione gloriæ, ſeu beatorum, de qua I. Cor. 13. ℣. 12. *Cernimus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem coràm,* πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. qua ratione non tunc viderat Jacob *facie ad faciem:* nam viſio ejus fuerat ænigmatica comparatè ad viſionem beatam, etſi fuiſſet familiaris, & facie ad faciem, comparatè ad viſionem & manifeſtationem tunc ordinariam. Quâ diſtinctione conſideratâ, non erit difficilis conciliatio inter hunc locum & ſimiles, ubi Sancti ſe Deum vidiſſe profitentur, & aſſertionem Domini noſtri, Joan. I. ℣. 18. *Deum nemo vidit unquam*, quæ veteres interpretes multum exercuit, & quam ſuis diſquiſitionibus multum ſollicitarunt. At expedita eſt emergendi via, ſi negemus, id *Deum nemo vidit unquam*, abſolutè intelligi debere, ſed comparatè. Poteſt autem comparatio fieri, vel ad Chriſtum, vel ad Chriſtianos in hac vita, vel ad beatos in cœlo. De beatis in cœlo multi hoc intelligunt, neminem in terris viventem, Deum vidiſſe eâ viſione quæ beatis communicatur; ſed pace illorum, ad rem non faceret. Agit enim de prærogativa eorum qui ſub Evangelio vivunt, ſupra eos qui vixerunt ſub lege, & comparat legem datam à Moſe, cum gratia & veritate quæ per Chriſtum communicata eſt. Oſtendit ergo, Chriſtum veritatem attuliſſe omnium umbrarum, & plenitudinem gratiæ communicaſſe, quia quod nulli alteri contigerat, ipſi proprium erat, videre Deum ſpeciali ratione, ita ut omnium Dei conſiliorum conſcius eſſet, ut qui in ſinu Patris erat, qui cùm in mundum veniſſet, oſtendit nobis Patrem. Ita verum eſt in univerſum, neminem ex creaturis Deum vidiſſe, comparatè ad filium Dei. Hinc etiam procedit altera comparationis ratio, inter veteres ſub veteri Teſtamento, & nos ſub Evangelio. Viderunt illi quidem Deum ſuo modo, & habuerunt ſuas revelationes; ſed umbratiles tamen, etſi pro tempore claras, ſed quæ ad eam patefactionem comparatæ, quæ nobis in Evangelio facta eſt, adhuc obſcuræ fuerunt; etſi claræ & *facie ad faciem*, dum comparantur aliis minus perſpicuis temporis illius. Itaque temporis ſui reſpectum habent, cum dicunt ſe facie ad faciem Deum vidiſſe, quem tamen non videbant, niſi multis involucris obtectum: *Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini, ut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, ſicut à*

Domini ſpiritu, 2. ad Corinth. cap. 4. verſ. 18.

Quod autem adjicit Jacob, ותנצל נפשי *vattinatſel naphſchi*, & evaſit, ſeu liberata eſt anima mea, quomodo ſit intelligendum, quæritur. Primò non eſt exiſtimandum agi de ſalute ſpirituali animæ, quia *anima* hîc ponitur pro vita, ut ſæpè aliàs. Agnoſcit ergo ſe ereptum fuiſſe à maximo vitæ periculo. Poſſet hoc referri ad fiduciam quam conceperat ex divina viſione, qua mirum in modum recreatus & confirmatus, non amplius conturbatus fuit, ut anteà, ob adventum fratris ſui Eſau. Videtur tamen potius referri debere hæc exclamatio ad opinionem quæ communis fuit inter veteres, ubi apparuerat alicui, præſertim vigilanti, divina aliqua viſio, putabant enim mortem ei imminere: cujus opinionis ſatis frequentia reperiuntur exempla. Nam fortiſſimi alioqui viri, maximè turbabantur, poſtquàm agnoſcebant eos, quos anteà tanquam homines compellaverant; cùm enim ſubitò innoteſcebant aliquo miraculo, exclamabant, ut Gedeon, Judic. 6. ℣. 22. poſtquàm Angelo Jehovæ extendente baculum, ignis è rupe aſcendiſſet, qui conſumpſerat ſacrificium: *Aha* (inquit) *Domine Iehova, quandoquidem vidi Angelum Iehovæ facie ad faciem!* quibus verbis teſtatus eſt timorem mortis, propter viſum Angelum; ideò reſpondit Jehova, *Pax eſt tibi, ne time, non morieris.* Quò etiam referendum eſt, quod Hagar admirabunda dicebat, Geneſ. 16. ℣. 13. *Etiamne video*, id eſt, *aſpicio ne hanc lucem, & vivo, poſt videntem me?* Alia proferri poſſunt exempla. Quæritur autem, unde orta ſit hæc opinio, quam falſam fuiſſe teſtata eſt experientia, nec aliquod exemplum dari poteſt alicujus, qui ad tale viſum unquam fuerit exanimatus. Non poteſt dici id inde profectum fuiſſe, quod Deus Moſi dixit, Exod. 33. ℣. 20. *Non videbit me homo, & vivet.* Certum eſt enim, Deum ibi non agere de tali viſione, cùm Moſes in rubo vidiſſet præſentiæ divinæ teſtimonium, nec fuiſſet propterea in periculo mortis conſtitutus. Deinde, exempla Hagaræ & Jacobi diu ante Moſem fuerunt; oportet igitur aliam eſſe hujus timoris originem. Videtur ergo apprehenſio illa orta eſſe ex inſita hominibus opinione de immenſo majeſtatis divinæ ſplendore, & rerum omnium quæ propius ad Deum accedunt, excellentiâ: cùm enim Deus ſit *lux inacceſſibilis*, & Angeli lucis ſint apparitores majeſtatis divinæ, præſentiam Dei extraordinariam ſuis apparitionibus indicantes, cùm homines ſibi ſint humanæ infirmitatis conſcii, & quàm procul abſint à ſuperioribus naturis, quandiu hoc corpus mortale trahunt, hinc eſt quod ad talia viſa tam ſubitò perculſi fuerint, etiam ſancti viri. Accedit conſcientiæ noſtræ ſenſus, & interior quaſi accuſatio, dictans nos propter peccata noſtra, indignos eſſe Dei aſpectu, & Dei miniſtros cœleſtes nobis terribiles reddens, tanquam juſti judicis apparitores, donec benignitate ſua nos confirmet Deus. Potuit poſteà in aliis hæc opinio augeri, ex malè intellectis verbis Dei ad Moſem de quibus diximus: ex relationibus aliquorum, qui talem metum experti erant; è vulgaribus etiam ſimpliciorum ſermonibus, qui ſæpius ejuſmodi terrores augent, ut etiam hodiè experimur, poſt narrationes de variis ſpirituum apparitionibus. Id certè ordinarium eſt ferè, ut vix ſit aliquis adeò conſtans & impavidus, qui non conſternatur, ſi viſum aliquod ei objiciatur, eorum objectorum, quæ ad hujus vitæ conſuetudinem non ſpectant. Hæc igitur videtur fuiſſe cauſa admirationis, ſimul & gratiarum actionis Jacobi. Tale eſt etiam quod Deuteronomii cap. 5. ℣. 32. metuebant ſibi Iſraëlitæ, propter præſentiam Domini loquentis è medio ignis, dicentes, *Quæ eſt ulla caro, quæ audita voce Dei loquentis in medio ignis, ſicut nos, poſſit deinde vivere?* Adeò enim infecit peccatum naturam noſtram, ut qui ex Dei præſentia exhilarari debueramus, & ſummã capere voluptatem, inde ſummoperè terreamur. Sic eo apparente, homines ferè expirarunt, nec pii planè liberi fuerunt à metu.

Concluditur caput, mentione claudicationis Jacobi, ex luxatione accepta, & ea occaſione originem tradit Moſes inſtituti aut conſuetudinis quæ apud Iſraëlitas obſervabatur, & quam etiamnum obſervant Judæi. Poſtquam abiiſſet Antagoniſta, & pergeret Jacob in via ſua orto ſole, *claudicabat.* Si planè diſſoluta fuiſſet compages acetabuli, & adhuc loco motum eſſet os, quod in iſchium inſeritur, non ſolùm claudicaſſet Jacob, ſed planè impoſſibile fuiſſet, ut progrederetur. Itaque dicendum eſt, vel fuiſſe tantum aliquam nervi extenſionem, vel ita ſanatum fuiſſe Jacobum à Deo diſcedente, ut tamen manſerit adhuc levis in parte affecta dolor, qui claudicationem effecit, ita ut tamen non ineptus eſſet Jacob ad incedendum. Quæritur autem, quouſque duraverit talis claudicatio. Sunt qui putant toto vitæ tempore claudicaſſe Jacobum; ſunt qui tantum donec veniret in Sichem, quia dicitur ibi veniſſe *ſalem*, quod etſi alii propriè accipiant pro loci nomine, alii tamen melius cenſent, accipi debere pro ſtatu, in quo fuit Jacob, cum venit in Sichem, *ſalem* incolumis; ſed hoc non refertur ad ſolum Jacobum, & ad membrorum ejus ſanitatem, cum intelligatur de ſtatu familiæ ejus, quia nullum eouſque in itinere paſſus erat incommodum. Non poſſum igitur ſententiæ eorum ſubſcribere, qui vel tamdiù (nam antequam veniret in Sichem, aliquot annos commoratus erat in Succoth) vel etiam ſemper claudicaſſe Jacobum putant. Ad quid enim tam diuturna vel perpetua claudicatio, ei qui ex vitæ ſuæ inſtituto, neceſſe habebat ſæpè locum mutare? Potius exiſtimandum cenſeo, etſi ad aliquod exiguum tempus manſerit in crure dolor, & ex eo claudicatio, ut colluctationem fuiſſe realem & non imaginariam conſtaret, planè tamen ſanatum fuiſſe, priuſquam accederet Eſau; tunc enim claudicaſſe Jacobum non dicitur, nec fuiſſet decens ſi coram fratre com-

comparuiſſet claudus, qui etiam ſciſcitatus fuiſſet unde id ei accidiſſet. Et cum Jacobus excuſaret ſe, quod fratrem ſequi non poſſet, argumentum non deſumpſit à ſua claudicatione, ſed ab eo tantum, quod ſenſim pergere debuit ut ſe accommodaret greſſui, tam rei ſuæ pecuariæ, quam natorum, &c.

Itaque ſequenti verſu 32. non dicitur, quod in memoriam perpetuæ claudicationis Jacobi, Iſraëlitæ *nervum*, &c. non comedunt; ſed, *quod non comedunt nervum defectus, qui eſt ſuper vertebram femoris, uſque in diem hunc, eo quod tetigerat Angelus vertebram femoris, Iacobi in nervo defectus.* In textu eſt גיד הנשה *gidh hannaſcheh*, quod Ebræi interpretantur *nervum oblivionis*, quia ſuo loco motus fuerit & aſcenderit, quaſi qui oblitus fuerit ſui loci & receſſerit ab eo. Iidem, referente viro doctiſſ. Paulo Fagio, ſic tradunt, *Nervus iſte, nervus oblongus eſt, cujus caput conjunctum oſſi quod caudæ adhæret, & deſcendens exporrigitur ſuper coxendicem, vocaturque in Talmud, Hizon, eo quod planè exteriorem partem femoris occupat, nec invenitur in ave.* Hæc illi. Fuerunt etiam inter illos qui membrum generationis intellexerunt, ſed ſtultè, unde merito ridentur ab Aben-Ezra, quia non propterea claudicaſſet Jacob, cum membrum generationis extabefactum, non impediat inceſſum; ſed id quo crura ſuſtinentur, & per quod motus exercetur. Quia autem ignorant hodiè Judæi, ubi nam ſit hic nervus defectus, ideò ab omnibus nervis in poſterioribus animantium partibus abſtinent, imò & ab ipſis poſterioribus partibus, donec omnes nervi ſint amoti. Sed nomine nervi à quo abſtinuerunt olim Iſraëlitæ, partem etiam muſculoſam cui nervus ille adhæret intelligendam eſſe ex eo colligi debet, quod nervi alioqui per ſe, non ſunt ad eſum apti.

Nunc videndum eſt à quo, & quare talis obſervatio fuerit inſtituta? Sunt qui eam ad ſuperſtitionem poſterorum referunt, quia ejus in lege ceremoniali poſteà nulla fit mentio, ut aliarum obſervationum, quæ ante legem Moſis fuerunt in uſu, & tamen in eadem repetitæ fuerunt & confirmatæ. Quia tamen hujus obſervationis hic meminit Moſes, ita ut originem ejus referre videatur ad hiſtoriam hanc, cum dicit, *uſque in præſentem diem non comedunt*, quibus verbis indicat eam tum incœpiſſe; exiſtimo potius id Jacobum ipſum obſervaſſe, & ſuis obſervandum præcepiſſe inſtinctu divino, ut eſſet velut monumentum & memoriale beneficii illius ſingularis, & honoris à Jacobo accepti, in certamine iſto. Ideò Chryſoſt. Homil. 58. in Geneſim, de eo ſic ſentit. *Quoniam*, inquit, *juſtus impletus vitæ ſuæ diebus, emigraturus erat ex hac vita, oportebat autem providentiam Dei in illum, & tantam Dei dignationem omni hominum generi manifeſtari; ideò inquit*, Non comedunt filii Iſrael nervum latitudinis fœmoris qui emarcuit, *ſciens eorum magnam ingratitudinem, & quod obliviſcantur beneficia Dei, perpetuò quaſi artibus quibuſdam, inducit eos, ut habeant memoriam eorum quæ à ſe facta ſunt, taliaque excogitat monimenta per tales obſervationes: id quod per ſcripturam totam invenies. Hæc enim maxima cauſa eſt plurimarum obſervantiarum, & quod vult perpetuò futuras generationes meditari beneficia Dei, & non oblivione unquam obliterantes, ad ſuos errores recurrere: qui mos fuit Iudæorum genti peculiaris maximè.* Pertinuit igitur hæc obſervatio ad conſervandam rei memoriam, ut tenacius retineretur beneficium à Deo acceptum, maximè cum tunc carerent filii Iſraël literarum monumentis. Sed hæc & ſimilia fuerunt pædagogica populo rudi & obliviofo, ut benè monuit Chryſoſtomus.

Hic colligunt Pontificii, non quamlibet à cibis abſtinentiam damnabilem eſſe, aut ſuperſtitioſam; ſed eam ſolum, quæ damnabili motivo aut ratione fundatur: eam vero cujus motivum honeſtum eſt, ſicut in præſenti hoc exemplo contingit, honeſtam quoque eſſe, neque ad ſolos Judæos pertinere tanquam ceremonialem ſolum & legalem obſervationem, ſed potius pertinere ad eam legem, ex qua ratio abſtinendi deſumitur. Sic ratiocinatur veterator quidam Marius, adverſus eos quos vocat novatores. Reſpondemus, neminem noſtrum dicere quamlibet à cibis abſtinentiam damnabilem eſſe. Novimus enim, ſub lege olim abſtinuiſſe fideles à variis cibis, cum laude, propter divinam prohibitionem. Concedimus etiam, in abſtinentia vel delectu ciborum, conſiderandam eſſe rationem moventem. Poteſt quis abſtinere ab aliquo cibo, naturali quadam averſione; poteſt alius, quia valetudini judicat id conducere. Quis culpabit? Alia eſt ratio abſtinentiæ, quæ conſcientiam ſpectat; & religioſa dicitur. Tunc enim dicimus, vel abſtinere aliquem etiam obligante conſcientia ab aliquo cibo potius quàm alio, vel id exigente charitate; vel id ſuadente religione. Exigente charitate, ut factum fuit à primis Chriſtianis abſtinentibus à ſuffocato & ſanguine, ut aliqua συγκαταβάσει coaleſceret populus Gentium & Judæorum in Chriſtianiſmo; ubi conſcientia potius aliorum fuit ſpectanda, quam ejus qui abſtinebat, tam à quibuſdam cibis in lege ceremoniali prohibitis, quam ab Idolothytis: & id quidem pertinuit ad legem charitatis. Ad legem pietatis quod ſpectat, negamus in Chriſtianiſmo, ſub libertate quam nobis Chriſtus acquiſivit, poſſe aut debere homines inſtituere delectum ciborum religioſum, & alicujus cibi à Deo permiſſi uſui interdicere, ob aliquam religioſam ſignificationem, quaſi eſca, accedente inſtituto humano, Deo nos magis gratos redderet, aut ei nos commendaret. Nec ſufficit ſi aliqua honeſta ratio aut ſignificatio prætexatur; ſic enim reducenda eſſet abſtinentia ab immundis animalibus ſub V. Teſtam. Habuit enim proculdubio honeſtam rationem, & ſpiritualem ſignificationem. Sed Deus non

vult

vult amplius Chriſtianos ſub pædagogia detineri, & externis obſervationibus illis in officio contineri, poſtquam ſibi elegit, non populum carnalem & rudem, ſed populum ſpiritualem. ideò pauciſſimis eum oneravit ceremoniis. Quod ſi plures eſſent adhibendæ, expectanda eſſet inſtitutio divina. Itaque ut paucis concludamus, damnabiles eſſe cauſas abſtinentiæ illius Pontificiæ, probatur, 1. Quia libertati Chriſtianæ præjudicant, & hominum conſcientias ſervituti aliorum hominum ſubjiciunt: 2. Quia jubentur & fiunt cum opinione cultus Deo accepti, ſine ullo verbo quo fides inniti poſſit. 3. Quia cum ſuperba præſumptione meriti & ſupererogationis. Hæc ſunt damnabilia ſatis & ſuperſtitioſa. Addo quod injuriam faciunt Chriſtianis, quia dum talibus penè infinitis onerantur, eodem imo pejori loco habentur quo Judæi, rudes & oblivioſi, ut ſupra ex Chryſoſtomo oſtendebamus, ut non immeritò conqueſtus fuerit etiam ſuo tempore Auguſtinus, Epiſt. 119. cap. 19. *Nimis*, inquit, *doleo, quia multa quæ in divinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit.* Addit de multis talibus. *Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint; ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.* Hæc ille. Ad quæ ſi examinentur conſtitutiones Pontificiæ de ciborum delectu & ſimiles, inter humanas illas præſumptiones primum locum occupabunt.

AD CAPVT XXXIII.

Exercitatio CXL.

Capitis XXXIII. *ſummarium. Qua ſpecie adorationis uſus ſit Iſrael, ad occurſum fratris? Civilem fuiſſe. Cur* ſepties *repetita. Expenduntur verba Iacobi*, vidi faciem tuam, quaſi faciem Dei. *An peccaverit hæc dicendo? Variæ ſolutiones examinantur. An Iacob promittens ſe fratrem ſequuturum in Sehir, mentitus ſit? Negatur, & ad fratrem iviſſe probabilius judicatur. Objectionibus ſatisfit.* Succoth *appellatur per prolepſim.* Salem, *an appellativè vel propriè accipiatur? Nomen* קשיטה keſitah *ambiguum, pro* agnis, *&* argento, *vel pecunia ſignata. Cultûs Dei cura in Iacobo. Altari nomen imponit. Iudæorum & Samoſatenianorum objectioni de nomine Dei creaturæ communicato, reſpondetur.*

Caput XXXIII continet reconciliationem fratrum, & in ea utriuſque actiones; Jacobi quidem honore fratrem prævenientis; Eſaui autem, humaniter etiam & benignè erga fratrem & ſuos ſe gerentis. Cui hiſtoriæ ſubjicitur narratio de ſedibus Jacobi, poſtquàm à fratre fuit avulſus, & religionis in familia ſua propagandæ ſtudio. In his omnia ita clara ſunt, ut explicatione opus non ſit, ſed ſimplici lectione. Itaque pauca attingemus, & paucis.

Id primum occurrit, quod verſ. 3. dicitur, Jacobum poſtquam ſuos ordine illo diſpoſuiſſet quem ſuaſit affectus, *tranſiviſſe ante eos*, וישתחו ארצה שבע פעמים *vajjiſchtachou artſah ſchebáa paamajim*; & incurvavit ſe in terram ſeptē vicibus, donec appropinquaret fratri ſuo. Vulgata, *adoravit pronus in terram ſepties.* Verbum Ebræum Græci ferè ubique per προσκυνέω interpretantur, quo verbo ſignificatur infima abjectio, ut plurimum, & ſummæ humilitatis ſignum. Simplex κυνέω ex κύω, *oſculari* ſignificat, amoris aut honoris cauſa, blandiri, adorare & venerari, quo poſtremo ſenſu frequentius uſurpatur compoſitum. Verbum eſt ſignificationis communis, quod pro objecti & locorum ratione, accipitur vel pro reverentia religioſa, vel pro civili. Communiter Latinum nomen *adorandi*, religioſe accipitur, quod tamen in veteri verſione Latina non eſt obſervatum, ubi promiſcuè tribuitur Deo & creaturis, ut voces Ebrææ & Græcæ. Hic quæſitum eſt quodnam fuerit objectum adorationis Jacobi. Sunt qui Deum putarunt hoc ritu à Jacobo fuiſſe adoratum, ſed quo argumento non video, quæcumque enim præcedunt vel ſequuntur oſtendunt, voluiſſe illum reverentiam exhibere fratri ſuo, & hac etiam ratione ſuis exemplo præire, ſic enim, verſ. 6. appropinquantes ancillæ & filii, *incurvati ſunt*, ſimiliter Lea cum filiis ſuis, & Rachel denique cum Joſeph, ubi idem verbum uſurpatur, & vetus interpres vertit, *adoraverunt.* Id etiam verba hujus verſus oſtendunt, *progrediens*, nempe poſtquam vidiſſet accedentem fratrem, *incurvavit ſe in terram ſepties, donec appropinquaret frater ejus.* Sequitur verſ. 4. *Currens itaque Eſau obviam fratri ſuo amplexatus eſt eum*; cum enim videret fratrem ita ſe demittere, accurrit ut eum erigeret, quaſi talem ſubmiſſionem rejiciens, ut fraternè eum amplecteretur, quod ſolent facere, qui ſalutantium humilitatem modeſtè

deſtè recuſant, ut agant ex humanitate, velut cum paribus aut æqualibus. Solent etiam magnates, jacentes & proſtratos ante ſe erigere, in favoris & benevolentiæ teſtimonium. Hæc igitur reverentia civilis fuit, quam ſupra oſtẽdimus, non derogaſſe juri ſpirituali, & prærogativis fœderis cum Jacobo initi, ut pluribus non opus ſit hæc repetere. Cum autem *ſepties* pronus in terram ſe incurvaverit, ſi quæratur ratio, primùm reſponderi poteſt, ſeptenarium numerum poni pro *multis vicibus*, id eſt, certum numerum pro incerto; quæ reſponſio confirmari videtur ex eo, quod incurvationes ſuas continuaverit, donec accederet ad eum frater. Ergo ſepties, id eſt ſæpiùs. Hoc etiam ſolent qui ad magnates, præſertim ad reges accedunt, nam in ipſo cubiculi ingreſſu, aut ſi alibi eis occurrunt, antequam propius accedant, ſæpius ſolent ſe inclinare, priuſquam ad eorum pedes procidant. Potuit etiam hic mos in oriente fuiſſe, ut ad aliquem principem accedentes, hoc numero ſalutaturi ad eum accederent. Quicquid de eo ſit, finis crebræ illius ſalutationis fuit, ut fratris animum omnibus ſubmiſſionis indiciis ſibi conciliaret; & quamvis jam Deus ejus animum mitigaſſet, non dubium eſt tamen quin etiam uſus ſit hac prudenti Jacobi ergà fratrem humiliatione, ut eum magis devinciret, & affectus eos in illo moveret, qui fletum expreſſerunt, poſtquam in fratris amplexus veniſſet.

Quod verſu 9. Jacob, poſtquàm ſenſit fratrem ita manſuefactum, oblata munera modeſtè recuſantem, ut eum permoveret ad ea acceptanda, dicit, *vidi faciem tuam quaſi viderim faciem Dei*, &c. id quomodo accipiendum ſit videndum. Quærit Auguſt. quæſt. 105. in Geneſim, *Vtrum ſint paventis & perturbati animi verba uſque in adulationem prorumpentia, An ſecundum aliquem ſenſum, ſine peccato dicta intelligi poſſint?* Ut igitur excuſet hoc dictum, putat non eſſe id intelligendum de vero Deo, ſed de iis qui natura dii non ſunt, ut ſenſus ſit, ſe affectum fuiſſe, quemadmodum ſolent ii qui faciem alicujus contemplantur potentis, qui etiam Deus appellatur, cujus ambiret benevolentiam. Sed pace tanti viri id ſine ratione dicitur. Nam quod dicit, non eſſe in textu, quemadmodum ſi viderem faciem Dei, ſed *quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei*, id quidem ſecundum verſionem Græcam, cujus interpretationem ſequutus eſt, dici potuit, ὡς ἄν τις ἴδοι πρόσωπον θεοῦ. Sed ſi textum Ebræum conſuluiſſet, aliter judicaſſet, ex quo etiam vulgata nunc habet, *quaſi viderim vultum Dei*. Junius in notis ſic interpretatur, conſpectus tui placidi vultus mihi eſt certum divinæ gratiæ indicium, ac ſi ipſam Dei faciem benignè me intuentem contemplarer. Et id quidem ad ſenſum ſatis appoſitè, quaſi rem viderit in ſigno. Eadem fuit ſolutio Calvini, Eſauum ſic mutatum, fuiſſe non obſcuram gratiæ Dei imaginem, ut merito dixerit Jacob, in illa amica & fraterna receptione ſe perinde exhilaratum, ac ſi Deum vel Angelum vidiſſet. Ubi notandum eſt, quod optimus ille interpres animadvertit, tritam eſſe Ebræis loquendi formam, divinum vocare quicquid excellit. Hoc poſito fundamento, agnoſcimus adagialem loquendi formam, in ſcripturis non infrequẽtem, ubi volunt extraordinariam vultus alicujus vel dignitatem vel benignitatem explicare, cujus phraſis ſunt etiam veſtigia in profanis autoribus, ut apud Senecam in Octavia; *Membraq; & vultus Deo ſimiles*. & apud Virgil. Æneid. 1. *Os humeroſque Deo ſimilis*. In fragmentis Apocryphis Eſteræ, cap. 15. ℣. 16. ſic loquitur Eſter Aſſuero, *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum, præ timore gloriæ tuæ*. 2. Samuel cap. 14. verſ. 17. reſpondet mulier Davidi, *Sicut Angelus Dei, ſic dominus meus Rex*. Hæc ad dignitatem pertinent. Sed hoc loco, *ſicut vultum Dei*, eſt periphraſis vultus benigni & arridentis, ideò addit ותרצני *vatirtſeni*, & placatus es mihi, vel benignè me excepiſti.

Verſ. 14. rogat Jacobus fratrem, qui eum comitari volebat, ut præcedat, promittitque ſe veſtigia ejus ſecuturum pedetentim, pro captu parvulorum, *uſquequò* (inquit) *veniam ad dominum meum in Seir*. Promittit ergo ſe venturum ad fratrem in Seir. Id autem non feciſſe plerique putant, propter ea quæ ſequuntur verſ. 17. immediatè, *Et Iacob venit in Succoth*, &c. Quærunt ergo, cùm non profectus fuerit in Seir, nec de eo etiam tum cogitavit cùm iſta dixit, nec voluiſſe illuc ire ſimile vero ſit, annon mentitus ſit? Addunt etiam rationem, cur ire non in animo habuerit, quia magnæ fuiſſet imprudentiæ & temeritatis, fluxæ ac inſtabili fratris benevolentiæ ac fidei, qui diu anteà multumque infenſus ei fuerat, ſuam ſuorumque ſalutem credere. Auguſtinus, quæſt. 106. in Geneſ. exiſtimat quidem Jacobum, cùm hoc diceret, habuiſſe in mente venire ad fratrem, ſed poſteà mutaſſe ſententiam, & poſtquàm cogitaſſet, aliud elegiſſe. Alii qui nunquam id intendiſſe ſtatuunt, concedunt eum mentitum fuiſſe, ſed officioſo, ut loquuntur, mendacio. Eſt fortè mentitus, inquit Martyr, quod ſcilicet non eſſet animus illuc eundi, nec laborandum eſt, ut Patres ab omni genere vitiorum velimus eximere. Addit aliam ſolutionem, fortè habuiſſe in animo & deſignaſſe hoc agere; ſed Domino fortaſſè ſuggerente, mutaſſe conſilium, ut Magi qui ad Meſſiam adorandum venerant, promiſerant ſe redituros ad Herodem, & Deo admonente, ſecus fecerunt. Sic Paulus ſe excuſat, 1. ad Cor. 1. quod ad eos non venerit, cùm id propoſuiſſet, imò promiſiſſet, neque propterea ſe mentitum eſſe putat, quia non fictè promiſerat, ſed eventum non habuit in manu ſua; & hanc quidem ſolutionem præferrem, ſi planè conſtaret, Jacobum in Seir ad fratrem non fuiſſe profectum, id eſt, ſi id expreſſè negaretur.

At cùm non negetur, ſentio feciſſe quod dixerat, & rectà in Seir ad fratrem profectum fuiſſe, etſi id Scriptura expreſſè non memoret, niſi in antecedente in-

telligatur conſequens. Quod autem poſteà de Succoth & Sichem memorat, id fit quia fuerunt ſtationes & habitationes fixæ familiæ Jacobi; de cujus commoratione in Seir, non meminit, quia tantùm per occaſionem, ut fratri gratificaretur, ad paucos dies ibi manſit, non ut in familia propria, ſed velut fratris hoſpes. Eadem certè ſcriptura non memorat Jacobum veniſſe ad parentes ſuos, niſi poſt Dinæ raptum & direptionem Sichemis, id eſt, decennio circiter poſtquam redjiſſet ex Meſopotamia. At quis credet illum tamdiu diſtuliſſe parentes viſitare? Sed quia non diu hæſit apud eos, nec prius venerat cum univerſa familia, idcirco ſcriptura nō memorat alias viſitationes officii cauſa ſuſceptas. Nam quod objiciunt, Jacobum non debuiſſe ſe committere fratri reconciliato, nec prudenter facturum fuiſſe, ſalva eorum pace, non exiſtimo prudenter dictum. Nulla enim fuit ratio cur de fide & voluntate fratris dubitare debuerit, poſtquàm eum expertus eſſet tam facilem. Sed præſertim cum id à Deo factum fuiſſe non dubitaret, in cujus manu ſunt hominum corda, non video, cur, vel charitas in eo de fratre debuerit deinceps eſſe ſuſpicax; vel fides de Dei protectione, poſtquam ſenſerat ſe inter quadringentos extra periculum à fratre fuiſſe exceptum. Addo, quantum quidem judicari poteſt, imprudentiæ merito attribui debuiſſe, ſi poſtquàm fratris amicitiam per deputatos ſuos ambierat, eamque precibus à Deo obtinuerat, & omnibus officiis à fratre redemerat, eandem poſteà adeo vili habuit, ut nova offenſa animum fratris à ſe alienare non ſit veritus. Quis enim dubitet, ſi fratrem, contra promiſſionem, prætererit, cauſam fuiſſe datam novæ offenſionis? At non debuit ei fidere, inquiunt. Debuit fidere Deo, & interim præſtare quod promiſſum fuerat, & pergere de fratre benè mereri. Nam quod dicunt, ſalutem ſuam & ſuorum nō debuiſſe ei credere, non video, quod hac ratione potuiſſet periculum vitare. Cum enim neceſſe eſſet ut ad communes parentes irent, nec tam longum eſſet iter uſque ad habitationem quam ſibi elegerat Jacob, ut paucorum dierum ſpatio, cum armata manu ad eum non potuiſſet venire Eſau, ſi infenſo adhuc fuiſſet animo, non vitabat Jacobus periculum, deflectendo à via. Itaque, cum poſteà conſtet, utrumque conveniſſe ad ſepulturam patris, exiſtimo ratam inter eos fuiſſe reconciliationem, & ſepius ab illo tempore inter ſe communicaſſe, & mutuò inviſiſſe, etſi ſingularia quæque non commemoret ſcriptura, poſitis fundamentis, quibus reliqua poſſunt ſuperſtrui.

Igitur poſt illa verba verſ.16. *Reverſus eſt itaque illo die Eſau itinere quo venerat in Seir*, exiſtimo ſubintelligendum, ſubſecutum fuiſſe paulatim Jacobum ſequētibus diebus, & veniſſe ad fratrem, ſed ibi non ſubſtitiſſe, quia aliter ſtatuerat Deus, nec erat è re eorum, ut ſimul habitarent. Itaque ſibi alias ſedes delegit Jacob ad habitandum, de quibus verſ.17.

Et Iacob venit in Succoth, &c. Quem locum ſic appellat Moſes per prolepſin, priuſquam enim veniſſet Jacob, & tabernacula fixiſſet, alio nomine dicebatur, ſed eâ occaſione, nomen loci illius appellavit *Succhoth*, poſtquam ædificaſſet domum, & fixiſſet tentoria. Intelligo autem ædificaſſe domum ſibi & familiæ, tabernacula autem gregibus ſuis. Sed cum non ſtatuiſſet diu hærere in loco illo, exiſtimo etiam illum ædificaſſe domum non duraturam, opere tumultuario, id eſt, tuguria, ut ſolent, qui ſtationem certam alicubi non habent, coguntur tamen nihilominu s ad tempus locum incolere, ædificant brevi tempore, quod abeuntes poſſunt diruere, ut qui vitam agunt militarem. Fuerunt autem ultra Jordanem Peniel & Succoth, nec procul diſtant à ſe invicem. Itaque probabile eſt Jacobum familiam ſuam nō ulterius deduxiſſe, ſed eâ ibi relictâ, cum paucis domeſticis ad fratrem fuiſſe profectum, & inde ad parentes ſuos.

Verſ.17. Et venit שלם Schalem עיר שכם civitatem Sichemi. Vulgata *& venit in Salem urbem Sichimorum.* Itaque nomen *Salem*, propriè accipit; Sed Ebræi interpretes *ſalem* nolunt eſſe urbis nomen, ſed nomen appellativum adjectivum, integer venit, ſalvus & incolumis in urbem Sichem, id eſt, nullo accepto detrimento, aut incommodo, qua præfatione uti videtur Moſes, ob calamitatem quam poſteà narraturus eſt de raptu Dinæ, &c. Ita hunc locum interpretatur Chaldæus Paraphraſtes, quem ſequuti ſunt Pagninus, & alii recentiores interpretes. Hieronymus tamen, diligens locorum Ebræorum indagator, aliam eſſe putat civitatem *Salem*, à *Sichema*, proinde duas ſtationes diſtinguit præter Succoth; & *Salem* accipit pro *Salim* in qua Joannes baptiſabat. Sed textus videtur repugnare, quia ſi *Salem* ſit nomen proprium, erit proprium urbis Sichimorum. Ideò ſi ita accipienda eſſet vox Salem, pro nomine urbis, præferri deberet ſententia Abulenſis, qui *Salem, Sichem, & Sichar*, pro una & eadem accipit, variis nominibus ſignificata. Supra cap.14. refutavimus ſententiam eorum qui ſenſerunt, *Salem* in qua regnavit Melchiſedec, aliam fuiſſe à Jeruſalem, quicquid Hieronymus dixerit de ruderibus palatii Melchiſedec, in alia Salem. Certum igitur habemus, è Succoth immediatè veniſſe habitatum juxta urbem Sichem, ſive *Salem* ſit adjectivum appellativè ſumptum; ſive proprium ſit & antiquum nomen urbis, quæ poſteà dicta fuit Sichem, à Sichemo, vel patre, vel filio Hemor. Potuit enim, ut diximus cap. XXIII, Hemor eſſe filius Sichemi fundatoris urbis, & pater alterius Sichemi, violatoris Dinæ. Jacob autem cum numeroſam haberet familiam, & paſtoritiam artem cum ſuis exerceret, non affectavit urbis habitationem; ſed non procul ab oppido tabernacula ſua fixit. Ne autem cuiquam eſſet moleſtus,

Verſ.19. *Emit partem agri*, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor, patris Sichem, במאה כשיטה *bemeah keſithah*; quod alii vertunt, *centum agnis*, alii *centum nummis.*

mis. Nomen illud hic tantum legitur, & cap. ultimo Jobi. Utrobique Targhum Onkelos legit חורפן *churphan*, agnis, aut חורפא *chorpha* agna, ut & LXX ἀμνῶν, vel ἀμνάδα, agnis vel agnam. Stephanus protomartyr videtur litem dirimere Act. 7. ℣. 16. ubi dicit hunc agrum eſſe emptum, non centum agnis, ſed pretio argenti. Reſpondent, qui vulgatam verſionem defendunt, Stephanum non de hac Jacobi emptione loquutum fuiſſe, ſed de alia emptione Abrahami. Nos contrariam ſententiam probavimus ad cap. XXIII. & ad argumenta contraria reſpondimus. Qua ſententia ſtante, *pretio argenti* emptum fuiſſe agrum, ſtatuendum erit. Sit ita, inquiunt; Sed pretio argenti, idem erit quod pretio juſto, quia nomine argenti & pecuniæ intelligimus omnes opes, quæ olim ſitæ erant in ovibus & pecoribus. Unde & pecunia à pecore, ſive pecu dicta eſt: & primum æs nota pecudis, velut bovis vel ovis aut ſuis ſignatum fuiſſe, teſtis eſt Plutarchus in Poplicola, & Plinius lib. 33. cap. 3. Non repugnamus quin ita ſit; ſed tempore illo non dubitandum eſt, ſignatam fuiſſe pecuniam in uſu, quod ſatis probatur ex emptione Abrahami ſuprà, & ex eo quod filii Jacobi poſteà profecti ſunt in Ægyptum ad emendum frumentum, cum pecunia argentea in ſaccis ſuis. Probabile ergo mihi videtur, fuiſſe *keſitha* nummum, agni imagine ſignatum: ſicut βοῦς Athenis, & χελώνη *teſtudo*, in Peloponeſo, &c. de quibus videndi Clariſſ. viri, Sixtinus Amama in Cenſura vulgatæ, & VVaſerus de numis Ebræorum. De loco autem Stephani, & difficultatibus ex eo emergentibus, egimus multis, ad caput XXIII.

Poſtremo verſu narratur pia ſollicitudo Jacobi de cultu Dei promovendo. Nam in loco illo quem emerat, non tantum fixit tabernacula ſua, ſed etiam ædificavit altare, ut in eo Deo ſacrificaret ויקרא לו אל אלהי ישראל *vajjikra lo el elohe Iiſrael*; ad verbum, & vocavit illud, *el elohe Iſraël.* Vulgata, *& invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël.* Quæ verba etſi quoad finem quem ſibi Jacob propoſuerat, ſint vera, certum eſt tamen ויקרא לו *vajikra lo*, non ſignificare, *invocavit ſuper illud*, ſed *vocavit illud*, Itaque non agi de fine propter quem altare fecerit, directè; ſed de nomine quo illud appellavit. Unde patet Jacobum illud altare dedicaſſe & inſcripſiſſe Deo, vocando eum de nomine Dei, quē nunc primum inſcribit *Deum Iſraëlis*, in memoriam accepti beneficii. Non tamen exiſtimandum eſt eum altare illud feciſſe Deum, ſed ut eſſet altare Dei, conſecratum fortiſſimo Deo Iſraëlis. Sic poſtea 35. cap. ℣. 7. vocabit *Deum Bethel*, locum in quo ædificavit altare. Sic Gedeon Judic. 6. verſ. 24. altare ſuum vocavit *Domini pacem.* Notat hic Martyr, Judæos parum æquos divinitati Meſſiæ, his & ſimilibus locutionibus niti oſtendere, ſi nomen Tetragrammaton illi in ſcriptura tribuatur, non convinci natura Deum eſſe, quia tribuitur etiam Dei nomen rebus creatis. Hoc idem objicit Enjedinus, Jehovæ nomen tribui arcæ fœderis, Num. 10. verſ. 35. Deut. 12. verſ. 7. Altaribus quibuſdam, Exo. 17. verſ. 15. Judic. 6. verſ. 24. &c. At negamus propterea id nomen communicari creaturis, imò diximus id contra adverſarios facere; cum enim aliquod nomen proprium in compoſitionem venit, & compoſitum alii rei tribuitur, in aliud prorſus degenerat. Nemo enim ita inſaniet, ut nomen proprium Conſtantini dicat communicatum fuiſſe Byzantio, quia Conſtantinopolis appellatur; vel Adriani nomen commune ipſi eſſe cum Adrianopoli. Itaque nomen Jehovæ in compoſitione eſt nomen à Jehova diverſum; vel etiam cum in caſu obliquo ponitur, tum enim res illa non dicitur *Iehova*, ſed *Iehovæ*. Arcam autem vocari *Iehouam* falſum eſt, nomen enim illud eſt ejus qui præſentiam ſuam exhibebat inter Cherubinos, non Arcæ. Hic autem ubi altari nomen imponitur *el elohe, &c.* ſubaudiendum eſt מזבח *mizbach*, ut intelligatur in caſu obliquo, *altare Dei fortis Iſraëlis,* vocavit illud, ut optimè verterunt Tremel. & Jun. *Dei fortis, Dei Iſraëlis.* Altare enim nullo ſenſu *Deus* dici poteſt, ſed *Dei.*

AD CAPVT XXXIV.

Exercitatio CXLI.

Capitis XXXIV *argumentum. Chronologia hiſtoriæ de raptu Dinæ. Cur ſiluerit Iacob audito tam triſti nuntio. An filios excitarit ad vindictam? Negatur. Occaſionem tamen dediſſe, nihil tale cogitantem. An cum incircumciſis Iacobi tempore prohibitum fuerit matrimonium? Non videri Sichemitis à fœdere Dei alienis debuiſſe circumciſionem imponi. Temerè ab iis fuiſſe ſuſceptam, judicio tamen Dei juſtè hæc omnia diſpenſata. Defenditur Calvinus à reprehenſione Cornelii à Lapide. An dolor vulnerum die tertio maximè intendatur? Simeon & Levi, cur autores vindictæ? De ea Iacobi judicium.* Fœtere facere, *adagium. Item,* viri numeri, *id eſt, pauci. An Iacob fuerit tantum de ſuo periculo ſollicitus? An prædam ſibi ſervaverit? Non poſſe defendi fratrum Dinæ factum. Ius belli eos non excuſare, nec obſeruatum fuiſſe. Ficta Iuditæ judicium refellitur. & Pontificiorum pro eo diſtinctiones excutiuntur. Verba Iacobi, diffidentis de Deo non eſſe, ſed crimen exaggerantis.*

HActenus multa paſſus erat Jacobus in ſe ipſo ex quibus emerſerat, Deo auxiliante. Hoc capite domeſtica deſcribitur calamitas, qua familiæ ejus dedecus inuritur in ſtupro filiæ, & periculum maximum creatur, in filiorum violenta vindicta, qua promiſcuè ſævierunt in Sichemenſes, abuſi Religionis prætextu. In quibus cum ab hominum parte nihil ſanum ſit; Deus tamen talia permittendo, eiſque ordinem pro ratione ſapientiæ ſuæ aſſignando, finem ſuum aſſequitur, judicia ſua exequendo, & ſuos in mediis periculis conſervando.

Quod primum hic conſiderandum venit, eſt hujus hiſtoriæ Chronologia, quæ etſi exactè non poſſit aſſignari, cum tamen nubilis tum fuerit Dina; neceſſariò eſt, ut quod hic deſcribitur, acciderit, poſtquàm Jacob jam per aliquot annos habitaſſet in terra Canaan. Nam cum Jacob rediit ex Meſopotamia, Dina fuit tantum quadriennis; Simeon & Levi executores tanti facinoris, tum annum ætatis agebant tantùm undecimum, cùm redierunt ex Charam. Neque igitur potuit eſſe Dina cum rapta fuit, minor quatuordecim aut quindecim annis, neque fratres ejus autores vindictæ, minores viginti duobus, aut tribus annis; Itaque ſatis evidenter colligitur, jam decennium totum ibi habitaſſe Jacobum, quando hic caſus accidit; Cujus decennii hiſtoria, quia nihil continebat quod faceret ad ſcopum hiſtoriæ ſacræ, ſed domeſtica quædam, donec adoleſceret familia Jacobi, à Moſe fuit prætrita. Hìc autem, cum aperienda eſſet cauſa migrationis, & res accidiſſet magni momenti, noluit eam levi pede tranſire. Si cum aliis aſſignentur ſex anni ætatis Dinæ, & fratrum duodecim, in reditu ex Meſopotamia, perinde fermè erit. Certum eſt non multo plures annos interceſſiſſe, quia Joſeph poſt hæc omnia venditus fuerit à fratribus, anno ætatis ſuæ XVI. ut infra cap. XXVII legitur. Itaque certum eſt, Simeonem & Levi vix adoleſcentiam exceſſiſſe, cum tam feroci animo impetum fecerunt in Sichemitas.

Hic multa moralia poſſunt annotari, circa occaſionem hujus facti in Dina, & juvenis Sichemi impotentem affectum, quo tandem ad illud ſcelus patrandum adductus eſt; ſed quia ſunt obvia, nos pro inſtituto hærebimus in paucis, quæ attentionem majorem requirunt. Verſ. 5. Jacob, audito nuntio de filiæ conſtupratione, abſentibus filiis ſiluit, donec redirent. Quæ fuerit ſilentii cauſa, & cur filios expectarit, quæri poteſt. Dubium non eſt quin multa mente verſarit afflictiſſimus ſenex, quin apud Deum conqueſtus ſit de vicinorum injuria; Sed cum inter homines ibi nullos haberet, quos non crederet magis deditos Sichemitis qui rerum potiebantur quam ſibi, ſiluit donec redirent filii ex agro, apud quos reduces par eſt credere, effudiſſe dolorem ſuum.

Quo autem fine, ſi quis quærat, hic generalis poteſt adferri, ut conſilia ſua cum ipſis communicaret, quæ à tali viro moderata fuiſſe, conjectandum eſt. Nam ut filios ad vindictam excitaſſe cenſeamus, prohibent multa. 1. Conſideratio impotentiæ ſuæ, ſolus enim erat, & extraneus in illo populo. 2 Ejuſdem patiens animus, cujus tot anteà dederat indicia. Nam etſi læſa patientia ſæpè furor fiat, ex ſequentibus tamen apertè patet, eum non fuiſſe conſcium, nedum autorem conſilii, quod poſteà filii injerunt; cujus tamen non diffiteor potuiſſe irritamentum dare querelam afflictiſſimi parentis. Nam etſi injuria etiam illos tangeret, cum tamen audiviſſent mœſtiſſimum ſenem, ſuum luctum effundentem, non dubium eſt, quin auctus in eis fuerit vindictæ appetitus. Sic aliquando accidit ut pii nihil tale cogitantes, cum incidunt in eos quorum ſunt affectus turbulenti, oleum addant incendio; ſed cum

(XXXVII

cùm de mente Jacobi ab hoc conſilio aliena conſtet, non poteſt jure trahi in culpam tragici illius facti.

Qua ratione autem in tantam vindictam irrumpere potuerint homines pauci & juvenes, narratur poſteà. De eâ cogitantibus oblata eſt occaſio, quia parens Sichemi de affinitate contrahenda ſeriò agit, & ea ratione reſarciendâ injuriâ, quam paſſa erat Dina, eam velo conjugii cum viro principe obtegendo. Et certè commodiori nulla ratione & æquâ magis potuit compenſari ablata pudicitia, quàm ſi fieret uxor illius, qui eam violaverat. Cùm enim alioqui non eſt imparitas, aut ſi aliqua ſit, in parte offendente ſit potior dignitas, vel locupletiores facultates, commodè poſſunt reconciliari, qui initio malè convenerunt. Sed inæqualitas erat una magni momenti, quod iſti eſſent alieni à fœdere cum Abrahamo facto, cujus etiam in carne ſua ſignum non gerebant. Hoc eſt impedimentum, quòd vocant, *diſparitatis cultûs*; quod, etſi conjugium jure naturæ non dirimat contractum, contrahendum tamen impedit, inter eos qui ſibi aut ſuis nolunt injicere laqueum. An verò talis aliqua fuerit tunc temporis, dubitari poteſt. Id quidem verum eſt, poſteà cautum fuiſſe lege Moſis, ne Iſraëlitæ contraherent cum ſeptem illis nationibus, quas Deus in Chananæa addixerat internecioni. Sed id anteà non videbatur expreſſè prohibitum, niſi id per conſequentiam deduceretur, quia inhibitum fuerat Jacobo, ne ex Chananæis ſibi uxorem deligeret. Videtur nihilominus ex incircumciſis uxores duxiſſe, quia inſtituta circumciſio in familia Abrahami, non ei fuit cum affinibus ſuis & agnatis, qui in Meſopotamia habitabant, communis. Itaque filii Jacobi, dum id opponunt, prætextum quærunt, & de maleficio cogitant, quod poſteà executioni mandarunt.

Mirum autem videri poteſt, cùm filia parentem ſuum haberet, totam iſtius negotii adminiſtrationem tribui fratribus Dinæ, filiis Jacobi: illi reſpondent, ſpondent etiam affinitatem ſub conditione circumciſionis. Credibile non eſt, hæc omnia ab iis facta fuiſſe clam patre: quinimò probabile eſt, ſanctum ſenem hoc propoſuiſſe impedimentum. Sed crederem illum non ulterius proceſſiſſe, niſi ut ſignificaret ſe non poſſe bonâ conſcientiâ conſentire in tales nuptias. Nam ut credam Jacobum Sichemitis impoſuiſſe talem neceſſitatem, obſtat, quod cùm fuerit fœderis ſigni profanatio, in gente planè à fœdere excluſa, non poſſet à peccato excuſari Jacob, ſi ſub conditione tali filiam ſpopondiſſet; præſtitiſſet enim eam relinquere Sichemo incircumciſo, quàm totam illam gentem ad circumciſionis communicationem vocare, quæ profana erat, extra communionem populi Dei. Itaque probabile eſt, Jacobum graviter conqueſtum fuiſſe de injuria apud patrem Sichemi, & affinitatem offerenti reſpondiſſe id fieri non poſſe ob rationem allatam, filios autem poſteà, cùm animadverterent viros illos ad quaſvis conditiones eſſe paratos, dummodo conjugium illud coaleſceret, tam ſuo, quàm patris nomine, illoque inſcio, conditionem addidiſſe, ut eos dolo circumvenirent. Exiſtimant alii, ut Mercerus, Jacobum etiam cum aliis filiis conſenſiſſe in dolum, ut homines iſtos ad circumciſionem ſuſcipiendam permoverent, non quidem ut eos poſteà trucidarent, quod Simeon & Levi cogitabant; ſed tantùm, ut illis hac arte debilitatis, poſſent ſine periculo Dinam abducere, Sichemitis in eo ſtatu exiſtentibus, in quo non poſſent reſiſtere. Hoc ſi verum ſit, etſi Jacob excuſetur à maximo illo & crudeli facinore, non poteſt tamen planè abſolvi à peccato, ſi abuſus ſit circumciſionis Sacramento, in eum finem ut ſua repeteret, etſi noſſet illud futurum inutile in talibus.

Acceptarunt conditionem Hemor parens, Sichem filius, & toti ſuo populo idem perſuaſerunt. Quæ certè facilitas meritò arguitur imprudentiæ in patre, & impotentiæ animi in filio; ut meritò pater חמור *chamor*, aſinus dictus fuerit, & filius שכם *ſchekem*, humerus, qui humeros tanto oneri ſuppoſuit, nulla conſcientiæ ratione motus. Idem de populo dici debet, qui tam levi ratione perſuaſus fuit, utilitatis nempè, ex familiæ Jacobi opibus. Quamvis ergo illiberalis & ſcelerata fuerit filiorum Jacobi deliberatio, certum tamen eſt, rem ita non ſucceſſiſſe ſine ordinatione divina, qua Deus voluit in Sichemitas ob varia ſcelera animadvertere, & præſertim ob injuriam factam Jacobo. Hinc eſt, quod eos deſtituit omni prudentiâ, etiam civili, ne poſſent animadvertere ſibi fraudem fieri, & ita præcipites ruerint in ſuam perniciem. Juſta enim ſunt Dei judicia, etiam ubi homines injuſtè agunt, quorum malis conſiliis benè utitur, eorum etiam permittit eventum, imò ratione effectuum dirigit, ut finem ſuum adipiſcatur. Innumera ſunt hujus rei exempla in Scriptura. Nec tamen putandum eſt, factum Simeonis & Levi fuiſſe vel laudabile, vel etiam excuſatione dignum, cùm gladio armati ingreſſi ſunt urbem, & interfecerunt omnes maſculos, ut dicitur verſ. 26.

Notatur circumſtantia tertii diei, *quando graviſſimus vulnerum dolor eſt*, inquit Vulgata. Textus habet, בהיותם כאבים *bihiotham coabhim*: ad verbum, *in exiſtendo ipſos dolentes*, id eſt, *cùm eſſent in dolore.* Hic Cornelius à Lapide dicit, Calvinum perperam negare, die tertio graviſſimum eſſe dolorem vulnerum; contrarium enim, inquit, docet, non Simeon & Levi, ex quorum ſenſu hæc dici putat Calvinus, ſed ipſe Moſes, ipſaque ſacra Scriptura hîc. Sic qualibet levi de cauſa iſti homines litigandi anſam arripiunt. Falſum eſt, Calvinum dixiſſe, hæc dicta eſſe ex ſenſu Simeonis & Levi, de eo enim ne verbum quidem habet. Nec etiam negat graviſſimum eſſe dolorem die tertio; hoc dicit tantùm, id colligere Ebræos ex his verbis, quia Moſes ſtragem editam fuiſſe dicit die tertio;

addit autem, *probationem non eſſe ſatis firmam, nec in eo eſſe multum momenti.* An merebantur hæc cenſuram? At, inquit, Scriptura hoc dicit. Fateor ſenſum eſſe verſionis vulgatæ. Sed in textu Ebræo ſimpliciter dicuntur fuiſſe in dolore die tertio, quo id factum eſt: non negatur fuiſſe die ſecundo. Id igitur ſufficiebat, ut benè notavit Calvinus, quod tempus illud elegerunt, quo dolor eos inutiles reddebat ad arma capeſſenda, ut tutò illos poſſent adoriri. Nihilominus quod philoſophantur cum Hippocrate & aliis Medicis, de dolore vulnerum, ut plurimum tertio quoque die ſe intendente, nollem planè rejicere, eò quod tum inflammatio major eſt, & humores acriores. Itaque tertius & quartus dies in pleriſque vulneribus parit exacerbationes, unde aliquando febres oriuntur. Probabile eſt etiam in vulnere circumciſionis id ſæpè expertos fuiſſe Ebræos qui ita ſenſerunt: maximè ſi aliquando adultos alienigenas, ut fiebat in ſervis, circumciderent. Res in ſe aperta eſt, dolorem illum talem fuiſſe, ut patuerint plures paucorum violentiæ.

Autores facti verſ. 25. dicuntur Simeon & Levi fratres Dinæ, nempè qui non ſolùm ex eodem patre, ut reliqui, ſed etiam ex eadem matre Lea. Idcirco magis putarunt id ad ſe pertinere. Potuit etiam fieri, ut à matre ad id incitati fuerint, prout mulieres ſunt irritatiores & ad vindictam magis pronæ. Non eſt autem probabile, duos tantam feciſſe hominum ſtragem; ſed cùm præeſſent multis ſervis qui una cum illis greges paſcerent, eorum operâ ſunt uſi, & fortaſſè, ut fit in talibus, abuſi autoritate paterna. Quod poſteà additur, verſ. 27. *Filii Iacob venerunt ſuper occiſos*, Vulgata refert ad reliquos filios, *Cæteri*, inquit, *filii Iacob irruerunt ſuper occiſos, & depopulati ſunt urbem.* Et quidem probabile eſt, facinore perpetrato, cùm nemo eſſet in urbe qui ſe defenderet, alios veniſſe in partem prædæ, & fratrum, qui autores cædis fuerant, factum probaſſe poſt eventum; ideò quaſi juſto bello decertatum eſſet, ſpolia etiam auferunt, captivas mulieres & parvulos eorum abducunt.

Quid de hoc facto ſentiendum ſit, nemo poteſt eſſe aptior judex ipſo parente Jacobo, qui his perpetratis, ita Simeonem & Levi compellat, verſ. 20. *Turbaſtis me*, inquit, לבאישני *leabeiſcheni*, ad fœtere faciendum me; Vulgata, *Et odioſum me feciſtis habitatoribus terræ.* Hæc eſt prima ratio improbationis facti, quia maculabat famam Jacobi, & illum reddebat odioſum populis illis. Secunda ratio ducitur à periculo in quod illum & ſeipſos conjecerunt, ואני מתי מספר *vaani methe miſpar*, & ego vir numeri: מתים cum ſcheva viros ſignificare, cum tſeri ſub mem, mortuos, notant Lexicographi. Confundunt quidam, ut *mortales* pro hominibus dicuntur. Mercerus vult illud nomen quod hominem ſignificat, eſſe à ficta radice מתה *mathah*, ex deficientibus lamed, cùm id quod mortuum ſignificat, ſit à radice מות ex deficientibus ajn. *Illi congregati percutient me, & ego delebor & domus mea.* In his verbis Jacobi ſunt duo adagia explicanda, priuſquàm ad pleniorem eorum conſiderationem veniamus. Primum eſt, *fœtere facere*, quam phraſim, etſi vulgatus interpres hoc loco interpretatus ſit per *odioſum reddere*, ſervato ſenſu, alibi tamen ipſa verba retinet, Exod. 5. ℣. 21. ubi populus Iſraëlitarum cum Moſe & Aarone expoſtulat, inquiens, *fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus.* Ex oppoſita phraſi, iſtius ſenſus commodè poteſt intelligi. Certum eſt in Scriptura odoris boni vel mali nomine ſignificari, quæ vel grata ſunt & accepta, vel ingrata & odioſa; ſic *bonus odor*, 2. ad Corinth. 2. ℣. 15. *Chriſti bonus odor ſumus*, pro ſumus benè placentes & accepti Deo. Contrà *fœtere apud aliquem*, eſt abominabilem eſſe: & *fœtidum reddere*, id eſt, abominabilem & odioſum, 1. Sam. 27. ℣. 12. Alterum adagium eſt in his verbis, *& ego vir numeri.* Quæ Vulgata ita expreſſit, *nos pauci ſumus*, & rectè: viri enim numeri dicuntur, qui facilè numerari poſſunt. De ſe autem loquitur Jacob in ſingulari, ſed id collectivè intelligi debet, *Ego*, id eſt, familia mea, præ iſtis apud quos me abominandum reddidiſtis, paucorum eſt, qui ad defenſionem, ſi nos adoriantur, ſufficere non poſſunt. Sic Deut. 4. ℣. 27. *remanebitis viri numeri*, id eſt, pauci, *in nationibus:* & Pſal. 104. ℣. 12. *Cùm eſſent viri numeri*, id eſt, pauciſſimi: & alibi ſæpè. In hac Jacobi redargutione poſſet hoc ſcrupulum injicere, quod ſuæ tantùm famæ & periculi ſui videatur eſſe ſollicitus, cùm præſertim de offenſione Dei, cujus nomine & Sacramento abuſi erant, violata fide, fuiſſent redarguendi. Itaque non tam videbantur de periculo ab hominibus monendi, quàm terrendi judicii divini, quod concitaverant, conſideratione, cujus tamen Jacob non meminit. Certum eſt, Jacobum extra omnis periculi rationem factum illud filiorum ſuorum improbaſſe. Nam infrà cap. 49. ℣. 5. ubi ſpiritu Dei dictante loquitur, *Simeon & Levi*, inquit, *inſtrumenta violentiæ, conventiones eorum: in arcanum eorum non ingreditor anima mea, in cœtum eorum ne adunator gloria mea; quia pro ira ſua occiderunt viros, & pro arbitrio ſuo avulſerunt boves. Maledicta ira eorum*, &c. quibus verbis damnat cædes ab iis patratas, & direptionem Sichemitarum, ſub nomine *avulſorum boum.* Unde non poſſum Mercero & aliis nonnullis ſubſcribere, cenſentibus & locum & prædam ceſſiſſe Jacobo, & licitum ei feciſſe Dominum, quod alioqui fuiſſet illicitum, in ultionem flagitii Sichem: ideoque non præcepiſſe, ut prædam reſtituerent. Potius cenſeo, Jacobum mulieres & pueros, cum tota præda reddi curaſſe, alioqui non verteret vitio filiis ſuis, quod *pro arbitrio avulſiſſent boves.* Certè ſi veſtigia patris ſequutus fuit, ille maximè abſtinuit ab alienis bonis, ne alii, quàm Deo cederet gloria divitiarum quas poſſidebat. Unde eſt quod Abraham ex rebus Regis Sedomæ, quas abſtulerat occupatoribus,

toribus, nihil ſibi voluit retinere, ne quidem oblatum ultrò, *ne*, inquiebat, *dicas, Ego ditavi Abraham.* Patuiſſet maximè calumniæ Jacobus, ſi permiſiſſet confundi cum ſuis Sichemitarum greges & utenſilia, nec tam imputata fuiſſet cædes patrata vindictæ, quàm avaritiæ & ſtudio diteſcendi ex alienis bonis.

Ad id autem quod initio objiciebatur, duo reſponderi poſſunt. I. Quod Moſes redargutionis tantùm partem unam, aut totius ſummam retulerit, & non dubitandum, in tali caſu Jacobum pluribus cum illis egiſſe. II. Quod, etſi Jacobus tum aliud non addidiſſet, id poſſet adſcribi prudentiæ, non quod præcipuè non fuerit ſollicitus de jure Dei; ſed quia noverat, furioſos homines adhuc ſanguine madentes, non tam affici comminationibus judiciorum divinorum, vel rei atrocitate & iniquitate, quàm periculi metu. Hinc eſt quod talibus verbis objiciat eis, non Sichemitas ſolùm, ſed patrem etiam & familiam paternam occidiſſe, quantum in ipſis erat, & tam cæcum fuiſſe furorem, ut de proprio periculo ne cogitaverint quidem. Obtendunt illi injuriam illatam, & patri thraſonicè & ſuperbè reſponſantes, quaſi re benè geſta, gloriantur, & vindictam temerè ſumptam obſtinatè defendunt. Quia autem plura non adjiciuntur à Moſe, ac ſi Jacob eorum reſponſioni ita ceſſiſſet, ut nihil haberet quod ultra reſpondere aut objicere poſſet, fuerunt inter Ebræos, qui factum illud defenderunt, tanquam non temerè, ſed fortiter ſuſceptum & patratum. Sed *contra Scripturam nemo Chriſtianus*, inquiebat Auguſtinus. Factum illud ad regulas humani judicii corrupti examinatum, poteſt habere ſuos defenſores; nec negari poteſt fuiſſe juſtam doloris materiam. Vindicta præterea apud homines pro bono ipſâ vitâ præſtantiore habetur; & qui vel verbulo provocati, quotidie in mutuas cædes ruunt, non damnarent iſtorum fratrum impetum, in quo tamen multa ſunt, quæ etiam contra rationem & jus gentium pugnant. Certè ut vidimus, Jacob damnat factum illud iniquitatis, furoris, pertinaciæ, & crudelitatis. Nec obtendi poteſt juſtum fuiſſe bellum, quo injuriam ſorori illatam vindicarunt, & ad id ſtratagemate uſi ſunt, quod in bello permittitur. Habuiſſe autem jus belli, quia liberi fuerunt, non ſubditi Chamoris aut Sichemi; quos cum non poſſent ad ſuperius aliquod tribunal inter homines citare, videntur in eos habuiſſe jus belli. Qui talia afferunt ut factum illorum defendant, aut juſti belli conditiones ignorant, aut reticent. Non ſufficit ad bellum juſtum, ſi quis injuriam paſſus ſit, nec poſſit in hominum judicio ſua recuperare; ſunt aliæ conditiones non paucæ obſervandæ, quæ à fratribus iſtis non fuerunt obſervatæ. Ideò in multis eos peccaſſe, nunc apud omnes penè in confeſſo eſt. Primùm pernicioſo mendacio. 2 perfidia, quia ſatisfactione accepta convenerant in affinitatem. 3 imprudentia, & inobedientia. Nam cum patrem haberent familiæ caput, & reipublicæ eorum, ſi ita familiam Jacobi liceat appellare, principem; non potuerunt tantam rem prudenter aggredi fervidi juvenes, ſine patris conſilio, quod cum non fecerint, peccarunt magna ſui præfidentia. Deinde, contra jus belli, Sichemitis non tam indixerunt bellum, quam ſine indictione moverũt privato impetu, ſine autoritate publica, quæ ſi aliqua tum fuit apud eos, pendebat à Jacobo parente. 4 Acceſſit ſacrilegium, quo abuſi ſunt circumciſione ad injuſtam cædem. 5. Non minus culpanda eſt barbara crudelitas, qua mixtim Sichemitas omnes occiderunt, & moribundos, aut ſanè valdè afflictos invaſerunt; fœminas & pueros captivos abduxerunt, &c. 6. Quibus omnibus acceſſit temeritas & impietas, qua parentes & ſe ipſos gravibus periculis expoſuerunt.

Quod cum ita ſit, probari non poteſt fictæ Judithæ judicium, & profana precum formula quæ ſcribitur cap. 9. Libri Apocryphi: Illa enim hæc omnia ita Deo adſcribit, ut autorem generis ſui Simeonem, non tantum abſolvat, ſed etiam maxima laude dignum deprædicet, v. 2. *Domine Deus*, inquit, *patris mei Schimeonis, cui tradidiſti gladium ad ulciſcendum alienigenas, &c. expoſuiſti principes eorum cædi, quæ cubile ipſorum fraude oppreſſum irrigavit ſanguine, & percuſſiſti ſervos cum potentioribus, ac potentiores in thronis ipſorum. Qui expoſuiſti uxores eorum prædæ, & filias eorum captivitati, omniaque ſpolia ipſorum dividenda filiis dilectis à te, qui etiam zelotypi fuerant zeli tui, & abominantes inquinamentum ſanguinis ſui invocaverant te, ut adjutor ipſorum eſſes, &c.* Ut excuſent hoc judicium fictæ Judithę, reſpondent Jeſuitę, 1. laudari ab ea non Simeonis ſed Dei juſtitiam, qui permiſit trucidari impios Sichemitas, uſus ad id audacia & robore, æque ac ſcelere & perfidia Simeonis & Levi: Sic enim dicitur Deus dare gladium Chananæis Turcis & paganis, &c. 2. quod id ex zelo fecerint ut ait Judith, quamvis fuerit contra juſtitiam, quia contra pacta inita. Laudari autem, quia fuit zelus pudicitiæ, non autem quatenus indiſcretus fuit & mixtus cum aliis ſceleribus. & ad id affert Cornelius à Lapide exemplum obſtetricum. Sed verba Judith illius tales gloſſas pati non poſſunt; quia nullo modo loquitur de gladio dato Simeoni, ut de gladio conceſſo Eccleſiæ perſecutoribus, qui ſunt virga furoris divini, quamvis & ipſi furori divino reſerventur. Sed talia inſtrumenta vult fuiſſe duos hoſce violentos, ut *dilecti* Dei in eo fuerint, & talem fuiſſe eorum zelum, ut non ſine nominis Dei invocatione id aggreſſi ſint quod laudat. Itaque illa ſibi hoc proponebat exemplum, ut fraude circumveniret Holofernem. Cur invocationis eorum meminit, niſi ut exauditioni divinæ tribuat totius rei ſucceſſum, tanquam legitimè ſuſceptæ? Quidam Pontificii diſtinguunt, inter flagitii deteſtationem ejuſque puniendæ zelum, deinde punitionis exequendæ modum. In modo peccatum fuiſſe concedunt; in priori autem, nihil eſſe quod non ſit laude dignum, &

de eo

de eo intelligenda eſſe verba Juditæ. At neutrum fuit laudabile, quia zelus eorum fuit inconſideratus, nec tam reſpexit flagitium in ſe, quam ſenſum propriæ ignominiæ. Certe zelo ducebatur Jacobus, qui tamen ad vindictam non prorupit, cum id potuiſſet potiori jure. Satis eſt tamen quod concedunt, exequendæ punitionis modum non fuiſſe laudabilem. Certum eſt enim modum præcipuè laudare Juditham. In modo hæc ſpectantur, quod uſi ſunt dolo, vel fraude, id laudat illa, *quod eorum cubile fraude oppreſſum irrigatum fuit ſanguine*. Ad modum pertinebat, quod uſi ſunt *gladio*; probatur modus Judithę, & Deo tribuitur. Item ad modum ſpectabat, quod non contenti cæde virorum, mulieres & pueros captivos abduxerant; Et modus ille probatur fictæ Juditæ, & Deo tribuitur. Quid plura? Deum conſtituit eorum adjutorem; imo idem agendi modus ut ſibi ſuccedat à Deo petit, *capiatur*, inquit, *laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labiis* ἀπάτης μου *fraudis meæ*; ubi manifeſtiſſimè alludit ad illa hiſtoriæ noſtræ verba, *Reſponderunt filii Iacob, Sichem & patri ejus in dolo*. Hoc argumento eſt, nec Juditam illam, ſi quæ talis fuit, ſpiritu ſuggerente fuiſſe loquutam, nec librum in quo talia commendantur tanquam ſanctè prolata, inter Canonicos recenſeri poſſe. Hoc quidem verum eſt quod Marius annotat, ſpiritum ſanctum libri canonici inſpiratorem, non dicendum eſſe ſtatim laudare quod ſinguli laudant, quorum hiſtoria alioqui cum laude texitur: Sed nemo niſi valdè impudens, negabit precationem illam Juditæ quæ refertur cap. 9. ita ab autore referri, ut ſimul maximè probetur: imò poni tanquam fundamentum totius executionis poſteà deſcribendæ.

Unus reſtat ſcrupulus, an verba Jacobi ad filios, in quibus oſtendit ſe metuere ne deleant illum populi vicini cum domo ſua, nō arguant aliquam diffidentiam, poſtquàm à Deo tam magnifica promiſſa accepiſſet? Reſpondeo, verba illa non arguere diffidentiam de Dei veritate; ſed oſtendere fideles etſi expectent promiſſionum divinarum complementa, dum tamen vident Deum irritari vel ſuis vel aliorum peccatis, jure metuere, ne conditionibus à parte hominum violatis aliter accidat quam expectarunt. Non quod Deus fidelis non ſit, ſed quia vel tacitam vel expreſſam conditionem fuiſſe appoſitam norunt, qua neglectâ, Deus poteſt curſum protectionis ſuæ abrumpere. Sed præterea fieri poteſt ut Jacobus in ſe quidem ſecurus fuerit, & de conſervatione ſua certus, quia noverat hominum infidelitatem, Dei fidem non irritam reddere; ſed filiis ſuis proponere voluiſſe, quid, quantum quidem in ipſis eſſet, effeciſſent. Id enim quantum homines poterant judicare, ex eorum facto conſequi debuit. Ergo ſunt verba, non diffidentis, ſed exaggerantis periculum, & facinus filiorum ſuorum arguentis; qui dum ſe defendunt objecto crimine à Sichemitis perpetrato, præpoſterè faciunt, quia in defenſione factorum noſtrorum, non ſatis eſt ſi adverſæ parti crimen objicere poſſumus, niſi nos ipſos intra metas officii ac defenſionis juſtæ nos continuiſſe, nec modum exceſſiſſe, aut contra vocationem noſtram feciſſe probemus.

AD CAPVT XXXV.

Exercitatio CXLII.

Quatuor migrationes Iacobi. De prima Bethelem verſus, mandato Dei ſuſcepta. An Iacob fuerit in culpa quod in Sichem tamdiu habitaverit? Abſolvitur. Mutatio perſonæ primæ in tertiam, non arguit perſonæ diſtinctionem; id probatur exemplis. Quomodo ſuos præparaverit Iacob. A diis alienis domum ſuam purgat. Quomodo hæc intelligenda, & num referenda etiam ſint ad Rachelis Teraphim? Quæſtionis ſolutio. Annuli quibus inſculptæ Deorum imagines. Iacobi in eo facto prudentia. Quid ſignificaverit veſtium mundatio ceremonialis? Quæ fuerit arbor ſub qua Iacob defodit idola. Cur non combuſſerit? Redarguuntur qui Idololatriæ inſtrumentis ad avaritiam abutuntur. Fidei Iacobi in hac migratione teſtimonia. Ducem habuiſſe Deum, qui terrorem ſuum in vicinos immiſit. Terror Panicus, Ethnicis. δαιμόνιος φόβος Pindaro. Deus verus hos terrores immittit. Quomodo? Locus Chryſoſtomi notandus.

Hoc capite referuntur quatuor Jacobi migrationes. Prima ex Sichemitarum vicinia in Bethel; Secunda ex Bethel in Ephrat. Tertia profectio ex Ephrat in Migdal Eder. Quarta reditus ad patrem; Admiſcentur unicuique narrationi migrationum, variæ hiſtoriæ, aut aliæ circumſtantiæ; quarum præcipuas paucis expendemus.

Prima migratio fuit è Sichemis in Bethel, quam divino mandato fuiſſe ſuſceptam tradit Moſes verſ. 1. Etſi enim Jacob non dubitaret de protectione divina, & promiſſionum impletione, judicabat tamen Deum non eſſe tentandum. Itaque videbat ſibi quærendas eſſe alias ſedes, ob filiorum odioſum facinus. In anxietate autem verſanti, & quò ſe converteret deliberanti

Deus

Deus affuit, indicavitque oportunè quid faciendum eſſet. *Aſcende*, inquit, *in Bethel,& fac altare Deo qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum.* Ibi votum emiſerat Jacob, ut vidimus, cujus reus erat. Hoc illi Deus in memoriam revocat. Unde quidam Ebræorum interpretes afflictionem quam paſſus eſt in raptu Dinæ, ad id referunt, quod tamdiù apud Sichemitas ſedem fixiſſet, velut oblitus voti ſui, ſaltem de eo ſolvendo minus quam par fuiſſet ſollicitus, dum commodis ſuis inſervit, in loco quem ſibi & rebus ſuis ſatis opportunum invenerat. Et quidem etiam ſanctis opus eſſe ſubinde aliqua excitatione non dubito. Deum etiam quotieſcumque eos affligi patitur, juſtas habere cauſas extra controverſiam pono; Sed ubi ſcriptura ſanctorũ facta non carpit, niſi facti qualitas talis ſit ut de ea dubitari non poſſit, nollem durius in eos pronunciare. Itaque non exiſtimarem Jacobum tamdiu egiſſe in partibus Sichemitarum propria ſponte, ſine divino nutu. Potuit ergo meminiſſe voti, & in voluntate ſolvendi perſiſtere, expectata tamen temporis oportunitate, & divino ſigno, quod hic ipſi datur à Deo, qui commemorat apparitionem Bethelis, cum fugeret Eſau fratrem ſuum, non ut eum arguat neglecti promiſſi, ſed ut eum erigat in ſpem certam benedictionum, quarum tunc meminerat, oſtendatque acceptum ſibi fuiſſe votum tunc emiſſum, cujus perficiendi tempus advenerat. Ideò dicit *fac altare Deo qui apparuit tibi*, Unde conſtat, Deum fuiſſe, non Angelum ſimpliciter qui apparuit Jacobo.

Cum autem Deus ipſe hic loquatur de Deo qui apparuit, fuerunt inter veteres, qui Deum qui apparuit fuiſſe *Deum de Deo*, ut loquitur Symbolum Nicænum, dixerunt; eum autem qui jam loquitur Jacobo fuiſſe Deum Patrem, qui jubet ut Deo filio conſtruatur altare, unde inferunt filium eſſe verum Deum, cui jubet Pater offerri ſacrificia. Quia non dicit, ſacrifica mihi, ſed Deo, qui apparuit tibi. Doctrina quidem in ſe vera eſt, filium talem eſſe Deum cui debetur ſacrificium; Sed hanc perſonarum diſtinctionem probari ſolidè, ex perſonæ mutatione, qualis hic habetur, vix poſſet evinci apud adverſarios præfractos. Certum eſt enim, in lingua ſancta id ſæpè uſurpari, ut perſona quædam, non tantum divina, ſed etiam Angelica & humana de ſe ipſa loquatur in tertia perſona. Itaque, *fac altare Deo qui apparuit tibi*, nihil aliud erit, quam fac altare mihi, poteſt enim hic eadem intelligi perſona divina. In decalogo, qui dixit, Non habebis Deos alienos coram me, ibidem paulo poſt addit, *Non innocentem judicabit Dominus, eum qui aſſumpſerit nomen ejus in vanum.* Et paulo poſt, *Sabbathum eſt Domino Deo tuo.* Et Gen. cap.18. ℣.19. *ut cuſtodiant vias Iehovæ*, hoc eſt meas. Eſt tamen aliqua in his verbis emphaſis, qua Deus ſe voluit deſcribere, commemorata hac apparitione, quaſi dicere voluiſſet, Sum idem ille Deus qui apparui tibi in Bethel, cui votum nuncupaſti. Nunc Deo illi reddendum eſt quod voviſti, qui paratus eſt etiam ad præſtandum quod promiſit. Exemplum tertiæ perſonæ à prima pro ſe ipſa uſurpatæ inter homines habetur Pſal. 18.verſ.51. *magnificam præſtat ſalutem omnimodam regi ſuo*, id eſt, mihi.

Verſ.2. & 3. Narratur obedientia Jacobi promptiſſima; Sed priuſquam ſe accingat ad iter, præparat non ſolum ſe ipſum, ſed etiam omnes domeſticos ſuos, ad illud ſuſcipiendum, in ſanctum eum finem quem juſſerat Deus, & quem etiam illis ſignificat. Cum enim ageretur de migratione inſtituenda ad eum locum, quẽ terribilem agnoverat, & quaſi cœli portam, ubi ſpeciali ratione cultum voluit exhibere Deo, noluit ut illotis manibus, & calceatis pedibus, id eſt, ſine præparatione & extraordinaria ſanctificatione, ad locum illum accederent. Jubet ergo primùm, ut abjiciant omnia inſtrumenta idololatriæ; deinde, ut externa etiam mundatione tam corporum, quam veſtimentorum, animum ſuum præpararent ad religionis exercitia. Noverat nihil magis Deo diſplicere idololatriâ: nec poſſe idola conſiſtere ſimul, cum vero Deo. *Removete*, inquit, את אלהי הנכר, ad verbum *Deos alienos*, vel *alieni* in genitivo. ut populus alienigena vel extraneus intelligatur. נכר *nacar*, enim duas habet ſignificationes contrarias, quarum prima eſt, *notus & cognitus* fuit; altera, *ignotus, incognitus, extraneus fuit*; quæ pro ratione locorum in quibus leguntur, ſunt diſcernendæ. Nomen נכר *necar*, ſæpè uſurpatur pro ignoto, alieno, notho ſive ſpurio, & gentili, qui alterius eſſet gentis quam Iſraëliticæ. Hic manifeſtè ponitur pro Idolis alieni populi, Ideo Onkelos vertit טעוו עממיא *taave ammajja*, idola populorum. Deos autem vocat Jacob, ex Idololatrarum ſententia, qui ſimulachra ſua Deos appellabant, quia ſigna ipſis erant eorum quos pro diis colebant. Sed quæſtio eſt, quinam fuerint Dii illi alieni, qui inter domeſticos Jacobi adhuc reperiebantur. Joſephus Antiquitatum lib.3. cap.19. hanc hiſtoriam ita recitat, ut longè recedat, quod ſæpè facit, à textu Biblico. Dicit enim Jacobum, à Deo, bono animo eſſe, juſſum, & luſtrare tentoria, &c. *Itaque*, inquit, *dum luſtrat, incidit in Labani Deos, neſciverat enim Rachelem eos furatam, &c.* Sed ex verſu quarto conſtat, non ſolam Rachelem, ſi adhuc Deos illos penes ſe habuit, ſed alios prætereà, non quidem Jacobo luſtrante tentoria, ſed hortante ut abjicerent alienos Deos, *dediſſe omnes alienos Deos quos habebant, &c.* Plures igitur erant, qui confeſtim obedientes ſe præbuerunt, nec abſtulerunt ipſi, ſed ne quid ſuſpicionis hæreret, ad Jacobum detulerunt, ut ipſe aboleret, quæ ad Idololatriam ſpectabant. Inter illa autem plerique noſtrorum interpretum cum Ebræis putant fuiſſe *Theraphim*, de quibus antea audivimus, Deos nempe Labani, quos furata erat Rachel. At aliis non videtur credibile, per totum decennium, cum Jacobus erexiſſet altare Deo Iſraëlis, voluiſſe adhuc in familia ſua pati reliquias ſuperſtitio-

nis, vel Rachelem quam tantoperè diligebat, tam longa & familiari mariti conſuetudine, ab idololatria non fuiſſe in totum avocatam. Et certè qui Rachelem adhuc huic peccato implicant, cum aliis multis Jacobi domeſticis, eum non excuſant, quin ſegnior fuerit in repurganda domeſtica eccleſia, quaſi pietate ſua contentus, & liberorum ſuorum in ea inſtitutione, aliis qui in ſuperſtitione inveteraverant, fuerit indulgentior, quàm par fuiſſet, Racheli maximè, vel ejus blanditiis delinitus, vel incuriâ quâdam officium facere negligens. Non enim videtur fieri poſſe, ut Rachel tamdiu celaret apud ſe Deos illos furto ablatos; nec ſi in notitiam Jacobi veniſſet, paſſurum fuiſſe, ut diutius illis abuteretur. Itaque qui Jacobum planè excuſare volunt, quæ de Diis alienis dicuntur, intelligunt tantùm de idololatriæ inſtrumentis ex Sichemitarum direptione ablatis, quæ nolebat à ſuis retineri, ne ipſis eſſent in laqueum. Difficultatis illius ſolutio pendet ab intelligentia verborum quibus utitur Moſes. Mandatum Jacobi fuit, ut removerent omnes alienos Deos, *qui in medio eorum erant*, אשר בתככם *aſcher bethokekem*, qui ſunt in medio veſtri; addebat, והטהרו *vehittaarov*, & mundate vos. Hæc autem verba, Deos alienos eſſe in medio aliquorum, ita ut mundatione opus habeant, non videntur ſpectare ad eos, qui eos tantùm retinebant *materialiter*, ut ita dicam, quomodo Chriſtiani idola multa Ethnicorum & barbarorum etiamnum ſervant, ut eorum idolomaniam magis ac magis traducant; ſed ad eos qui ea retinent, quà ſunt cultus inſtrumenta, & polluuntur ſuperſtitione. In executione etiam mandati notandum eſt, non tantùm dediſſe Deos alienos, ſed etiam *inaures*, אשר באזניהם *aſcher beoſnehem*, quæ erant *in auribus ſuis*; ſic enim reciprocè affixum intelligimus, non ut referatur ad Deos alienos, à quibus ita diſtinguerentur inaures, ut tamen Deorum illorum fuerint ornamentum. נזמים *nezamim*, non tantùm aurium, ſed etiam narium monilia ſignificat, ſub quibus omnia ornamenta idolis conſecrata ſignificantur. Hìc enim fuit ſemper mos idololatrarum, ut non contenti communibus idololatriæ inſtrumentis, etiam haberent quæ ſecum deferrent idolis conſecrata ornamenta, ut nunquam ſibi ſatisfacit ſuperſtitio. Sic Dianæ cultores ab aurifabris emebant exiguas effigies aureas & argenteas Epheſiæ Dianæ, & templi in quo colebatur. Sic in idololatria Pontificia videmus ab Ethnicis mutuatum, quod collo & auribus appendunt varias effigies aureas, argenteas, vel etiam ex gemmis compoſitas, cruces, interulas, & ſimilia, globulos etiam, ſive ſpherulas precatorias, quas putant ſanctificari attactu alicujus imaginis, grana benedicta, agnos Dei, &c. Apud Ethnicos annulis inſcribi ſolitas fuiſſe Deorum effigies docet Clemens Alexandrinus, Strom. I. ubi inter monita Pythagoræ de annulis, illud recenſet, *In annulo Dei figuram ne geſtato.* Et 3. lib. Pædag. cap. II. ubi de annulorum ſignaculis agit, prohibet, ne in illis *idolorum imprimantur facies.*

Ut jam ad Jacobi domeſticos veniamus, ex dictis ſatis apparet, fuiſſe non paucos, qui nondum omni ſuperſtitioni nuncium remiſerant. An in hoc numero fuerit Rachel, non auſim certò affirmare: in ſuſpicionem venit ex facto anteà narrato, nec certè temerè judicarunt, qui id ſaltem ei imputarunt, quod cùm videatur tardior fuiſſe in idololatria ejuranda, occaſionem etiam aliis dederit inter domeſticos Jacobi, ut diutius perdurarent in prima illa inſtitutione quam à teneris imbiberant. Crediderim illam adhuc reliquias idololatriæ ſecum attuliſſe ex Meſopotamia; extra conſortium tamen parentum, nollem affirmare eam tamdiu perſtitiſſe in avita ſuperſtitione. Quicquid de illa tum fuerit, ſatis conſtat, Jacobi familiam hucuſque non fuiſſe planè repurgatam; nec id negat Cornelius à Lapide, *Hinc*, inquit, *apparet, in familia Iacobi fuiſſe idola & idololatras: Quid mirum? habitaverat enim in domo Laban idololatræ per viginti annos*, *unde uxores & famulos abduxerat.* Id conſideratione dignum eſt, Jacobum in illa regione in qua familiæ ſuæ jecit fundamenta, ſolum fuiſſe qui verum Deum purè coleret: coactum itaque fuiſſe uxores accipere ex ea familia, in qua, etſi non planè veri Dei eſſent ignari, admixta tamen erat idololatria in cultu. Cùm accreſceret familia, non poterat rem domeſticam curare ſine ſervorum plurimorum miniſterio: illi autem cùm aliter fuiſſent inſtituti, neceſſarium fuit, ut paulatim viri ſancti præceptis & exemplis ad veram pietatem adducerentur, ad quam non potuiſſet ſolus eos cogere, nec etiam conducibile judicavit, quia non vi ingeritur pietas. Id ergo ſenſim eum feciſſe non eſt dubitandum, & multa tum fuiſſe abolita, quæ anteà viguerant, plures etiam fuiſſe planè converſos, manſiſſe tamen adhuc apud nonnullos veteris ſocordiæ reliquias. Nunc prudenter arripit occaſionem; nam cùm in maximo periculo ſe conſtitutos viderent, habuit eos magis obedientes, quàm anteà, cùm nullo tali metu percellerentur. Nam cùm valdè pertinax ſit ſuperſtitio, conſentaneum eſt, periculi imminentis metu ita facilè mandato Dei obtemperaſſe, qui fortè vel doloſè occultaſſent ſua idola, vel contumaciter negaſſent, ſi in ſtatu pacato & læto tale quid juſſiſſet Jacob. Nollem igitur tolerantiam illam Jacobi referre vel ad ignaviam, vel ad officii neglectum, ſed ad id potius, quod nondum potuiſſet apud omnes obtinere, quod in pleriſque, ſuis hortationibus & exemplis effecerat, donec oportunitas ſe offerret, qualem jam à Deo exhibitam non neglexit.

Quod addit de mundatione & veſtium mutatione, fuit ceremoniale. Nam etiam ante legem ſcriptam, ſuggeſſerat Deus Patribus nonnulla in ſacris obſervanda, quæ poſteà ſancita fuerunt, & plenius expreſſa in populo Dei. Nam idem mandatum populo Iſraëlis

proponitur à Moſe cap.19. Exod. ℣.10. *Sic edixit Iehova Moſi, Ito ad ipſum populum, ut ſanctifices eos hodiè & cras, & lavanto veſtimenta ſua, ut ſint parati in diem ipſum tertium.* Hanc præparationem externam requirebat Deus, ſed non ſolam. Adumbrabatur enim externis illis ceremoniis vera ſanctificatio cordis, abnegatio noſtri, & interioris hominis renovatio, Eſai.1. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Quò reſpicit Apoſt. 2. Cor. 7. 1. *Has promiſſiones cùm habeamus, chariſſimi, mundemus nos ipſos ab inquinamento omni, perficientes ſanctimoniam cum timore Dei.* Huc etiam pertinet veſtium vel mutatio, vel lotio, quæ typus fuit honeſtatis morum congruentium cum interiori ſanctificatione; inde eſt quod Apoſtolus induendi & exuendi verba in ſpiritualibus uſurpat, *Induite Ieſum Chriſtum, exuto veteri veſtitu, qui cernitur in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & laſciviis, contentione & æmulatione.* Rom. 3. ℣. 14. Coloſſ. 3. ℣. 10. Ex quibus apparet, non externam mundationem per ſe requiri, ſed internam maximè, ad quam exterior illa fuit adminiculum, utile quidem, ut cum aliqua εὐταξίᾳ & decentia etiam externa homines comparerent coram Deo, quòd etiamnum fieri debet, etſi non ſimilibus ritibus, ſed videndum eſt ne præpoſtero ordine id fiat, ita ut externa præcipuè curentur, internorum non magna habeatur ratio, quod vitium in Judæis ſæpè prophetæ carpunt.

Omni tempore ſtudendum eſt ſanctificationi, abſtinendum ab omnibus idololatriæ ſordibus, & inſtituenda ſancta reformatio in fide & converſatione, ubi quod ferè accidit ex humana infirmitate in multis, vitium vel in alterutra, vel in utraque irrepſit. De ea tamen maximè cogitandum eſt, occurrentibus his occaſionibus, quibus permotus fuit Jacob ad hanc exhortationem; cùm pericula imminent graviſſima, in quibus à parte hominum nullum ſubſidium apparet; cùm etiam ad ſpecialem Dei cultum, & vota reddenda vocamur, ad quæ officia maximè invitant pericula: quæ qua ratione ſint propulſanda, Jacob ſuo exemplo docet. Quemadmodum enim tunc idola abjicere juſſit, & mundationem ac veſtium mutationem imperavit venientibus in Bethel; ſic ad domum Domini accedentibus omni tempore & ubivis locorum idola peccatorum, errorum & malarum cupiditatum prorſus ex animo abjicienda ſunt, munditia & ſinceritas interior coram Deo, exterior coram proximo in factis & dictis ſervanda, & à ſic præparatis Deus in ſpiritu & veritate colendus. Nam ut Deum habeamus propitium, tollenda ſunt omnia impedimenta, quæ ipſum nobis quodammodo ſubmovent. Hic fuit ſcopus Jacobi, idololatriæ reliquias apud ſuos abolentis.

Nam, ut dicitur verſ. 4. defodit eas תחת האלה *tachath haelah*, ſubter quercum, quæ erat in Sichem. Vulgata ſubter *terebynthum*, alii *ilicem* reddunt, quæ illic inſignis fuerit, quia cum *he* emphatico ſcribitur. Sunt qui *ulmum* dicant, quia non ſatis inter Ebræos convenit de ſignificatione propria vocis אלה, nec multum intereſt, modo arborem fuiſſe ſciamus. An comminuerit necne, priuſquam defoderet, Scriptura non dicit, quod tamen feciſſe probabile eſt. Cur non combuſſerit, & cineres projecerit, quod alii viri ſancti fecerunt, Moſes nempè vitulum, & Ezechias ſerpentem æneum, certa cauſa reddi non poteſt. Certè quæ defodiuntur, rurſus effodi poſſunt, & ad priſtinum abuſum reſtitui, quæ autem igne conſumuntur, & in favillas ſparguntur, aut in aquam projiciuntur, inutilia planè fiunt. Præſtitiſſet igitur, ſi commodè potuiſſet fieri. Nec tamen, quia id non fecit Jacob, vel infirmitati, vel etiam incogitantiæ deputandum eſt. Habuit ille ſuas rationes, nec fortaſſè ſuppetebat otium. Deinde quod talia defodit in terram, non fuit ſine myſterio, id enim deteſtationis fuit, tanquam rei immundiſſimæ, quæ nuſquam hominum oculis exponi debuit. Eſt tamen probabile ad id elegiſſe domeſticos, qui crimine idololatriæ non erant commaculati, & id cum ipſis feciſſe, clam reliqua familia.

Uſus facti Jacobi, ut & aliorum qui inſtrumenta idololatriæ quantum in ipſis fuit aboleverunt, eos ſpectat, quorum eſt aſſerere verum Dei cultum, Magiſtratus, & Eccleſiarum paſtores; ut hi gladio verbi Dei talia reſecent; illi autem eadem aboleant, & ab oculis omnium amoveant. Damnantur autem, qui potius avaritiâ, quàm zelo moti, talia quidem auferunt, ſed ut privatis ſuis uſibus cedant, & aurum atque argentum quærunt, quod ſibi vindicant, dum prætexunt idololatriæ odium, quo auri ſacram famem obducunt. At Jacobus in terram defodit idola, non ſibi ſervavit materiam, quæ aliis uſibus inſervire poſſet, quam abominabilem & pollutam rejecit.

Purgata domo, accingit ſe ad iter Jacobus, diſpoſitis ſuis ad ſequendum, & propoſitis, aut ſaltem ſubindicatis verſ.3. duobus argumentis, ut ſe & ſuos confirmaret adverſus omnia pericula. *Faciam*, inquiebat, *ibi altare Deo qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei*; Sic vulgata. Textus habet, ויהי עמדי *vajhi immadhi*, & fuit mecum, in via qua ambulavi. Sunt verba gratitudinis & fidei. Agnoſcit beneficia preterita, ut confidat de profectione futura. Deus in illo loco ad quem me vocat, exaudivit me in die tribulationis; Ergo ſecuri debemus pergere, nec metuendum ne ſuccumbamus. Fuit mecum in via, ergo deinceps erit. Et certè opus fuit tum invicta fide, quo tempore ſanctus vir ſciebat ſibi per medios hoſtes eoſque potentes eſſe incedendum. Non excipit obſtructas eſſe omnes vias, incendium à filiis ſibi conflatum, eſſe tale & tantum, ut ſi pedem moveat, ſtrepitu ſuo ſit omnes vicinos populos provocaturus. Sed cum ſciret Deum ſibi ducem & præſidem itineris eſſe, ejus auſpiciis fretus ſe accinxit; oſtendens exemplo ſuo cæcis oculis vocantem Deum

eſſe ſequendum, quem ſi quis viæ ducem habeat non impinget. Id autem fuit ſpecimen efficaciæ divinæ, quod cum Jacob, ut obediret Deo nulla tergiverſatione uſus eſt; ſic etiam familiam univerſam habuit ad mandata paratam, primum quidem ad abjicienda omnia Idola; ſecundo vero, ad proficiſcendum, quocumque eos ducere vellet. Id enim efficit Deus virtute ſua, vt qui ei ſanctè ſerviunt, ſuos etiam in rebus bonis & juſtis experiantur morigeros.

Sed præterea, quando Deus migrationem jubet, ſi iter ſit periculoſum, & via ſalebroſa, non dicendum; *fata viam invenient*, ſed Deus præparabit viam, eamque facilem dabit. Id fecit Jacobo non ſine miraculo. Sic enim legimus, verſ. 5. *Et profecti ſunt, fuitque terror Dei ſuper urbes quæ erant in circuitu eorum, & non perſecuti ſunt poſt filios Iacob.* Quibus verbis indicatur, non tam voluntatem defuiſſe vicinis populis invadendi Jacobi familiam, quam facultatem eis divinitus fuiſſe ablatam. Itaque prudenter judicaſſe pium virum de conſequentiis conſilii filiorum, ſi res per ſe conſideretur, & ex cauſarum humanarum natura & conſuetudine judicium fiat; nihil enim aliud expectari debuit, quam ut irruerent in paucos homines exteros, qui tot indigenas proditoriè neci dederant. Quod autem id factum non fuerit, hæc datur cauſa, quod *terror Dei* invaſit vicinos populos. חתת אלהים *chittath elohim*, terror Dei, id eſt, à Deo immiſſus, idque immediatè, cujus nulla externa cauſa dari poteſt. Ut Ethnici terrores nulla de cauſa exortos *Panicos* vocabant, quos à ſuo *Pane* immiſſos putarunt; Scriptura veræ ſuæ cauſæ adſcribit, nempe Deo, qui corda & mentes hominum movet prout vult; ita ut tum, etiam viri alioqui magnanimi deficiant, unde illud apud Pindarum, ἐν γὰρ δαιμονίοις φόβοις φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν. appellat δαιμόνιον φόβον, quem ſcriptura *terrorem divinum.* Cum tot eſſent populi Chananæi & Phereſæi, Jacobi autem familia paucorum hominum, unde potuit eſſe quod eam non auſi fuerunt aggredi, niſi quod Deus eos alioqui frementes cohibuit? Id autem facit Deus immittendo terrorem, vel ne ſuis noceant ut hoc loco; vel ut coram ſuis paucis, plures fugiant & ſuccumbant, ut Exod. 23. ℣. 27. *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, &c. cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam.* Item Deut. 2. verſ. 25. *Hodiè incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam, in populos qui habitant ſub toto cœlo; ut audito nomine tuo paveant, & in modum parturientium contremiſcant.* Quod factum fuiſſe teſtatur Rahab. Joſue 2. ℣. 9. *Irruit enim,* inquit, *in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* Sic cum Zara Rex Æthiopum, cum infinitis prope copiis ingreſſus fuiſſet Judæam; Rex autem Aza exiguo ſtipatus militum numero, Dei auxilium precibus advocaſſet, *Dominus exterruit Æthiopes, & fugerunt, grandis quippe terror illos invaſerat.* Quomodo id fiat explicat Deus ipſe, 2 Reg. 19. verſ. 6. ubi ſic hortatur Ezechiam, *Noli timere à facie ſermonum quos audiviſti: Ecce ego immittam ei ſpiritum & audiet nuncium, &c.* Deus immiſſo ſpiritu, hoc eſt, aliquo affectu, cogitatione vel metu, deterret homines, eis adimit vires & audaciam. Notandum eſt familiare exemplum in populo Iſraëlis, qui cum finitimas haberet gentes non ſatis æquas, nihilo minus cum omnium civitatum viri ad bellum apti, relicta in urbibus imbelli multitudine, coram Domino ter in anno comparebant, Deus talem afflabat ſpiritum populis vicinis, ut nihil molirentur in abſentium familias, juxta promiſſionem, Exod. 34. *nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te & apparente in conſpectu Domini Dei tui, ter in anno.* Itaque nuſquam magis tuta fuit civitas, quam dum illam viri religionis gratia humano præſidio deſtituebant. Hinc recte colligit Auguſt. quæſt. 112. in Geneſ. *Deum operari quod vult in hominum mentibus.* Et Chryſoſt. in hunc locum Homil. 60. providentiam Dei merito admiratur, & ponderat quantum ſit niti divino præſidio. *Nam quando Deus,* inquit, *nobis benè voluerit,* πάντα ἐκποδὼν γίνεται τὰ λυπηρὰ, *tolluntur è medio terribilia omnia. Sicut enim juſto fiduciam dedit, ita illis dedit metum; Etenim Dominus exiſtens,* πάντα πρὸς ὃ βούλεται μετασκευάζει, *omnia prout voluerit vertit & ſuam ſapientiam in omnibus declarat.* Concludit autem, *nihil fortius eſſe eo qui ſuperna munitur opitulatione;* τοῦ τὴν ἄνωθεν συμμαχίαν ἐπισπωμένου. Ut contra nihil infirmius eſt eo, qui ea privatus eſt. οὐδὲν ἀσθενέστερον τοῦ ταύτης ἠρημωμένου. Ubi notandum eſt Chryſoſtomum, quem magnũ liberi arbitrii fautorem eſſe volunt, fiduciam Jacobi & terrorem hoſtium ad eundem divinæ providentiæ fontem referre. Huc referendum prophetæ dictum, Pſal. 76. verſ. 6. *Dediderunt ſe in prædam robuſti animo, dormitaverunt ſomnium ſuum adeò ut non invenerint viri ulli bellatores manus ſuas præ increpatione tua, ô Deus Iacob, &c.*

EXER-

EXERCITATIO CXLIII.

Altaris in Bethele ædificati nomen, & ratio nominis. Calvinus negans ſolidum pro Trinitate argumentum duci ex verbo plurali juncto nomini אלהים, *adverſus Hunnii calumnias defenditur. Mors Deboræ, & ſepulturæ locus. Cur nutrix Rebecæ fuerit in comitatu Iacobi? Cur Moſes mortis ejus meminerit? Luctus pro mortuis, qualis eſſe debeat? Scopus novæ viſionis in Bethel oblatæ.* Non ultrà *an abſolutè neget de futuro. Negatur, & negationis ratio datur. Non tunc primum fuiſſe Iacobo Iſraëlis nomen impoſitum. Cur repetantur promiſſiones? Aſcenſus quomodo tribuatur Deo? Iacob iterum locum conſecrat ritu ſolemni. Secunda Iacobi migratio Ephratam verſus. Nominis* ברה barah *ambiguitas.* Kibrath ærets *quomodo intelligendum?* Ephrata, *quæ* Bethlehem. *Benjamini nativitas. Mors Rachelis. Dolores partus ad naturam per ſe non pertinere. Animam ſeparatam extra corpus ſubſiſtere. Cur Rachelis cadaver in Hebron non fuerit delatum? Tumulorum erectio in memoriam defunctorum unde? In quibus ſervandus modus. Artemiſiæ inſana profuſio. Rubenis inceſtus quare ſilentio non ſepultus? Tertia migratio verſus* Migdaleder. *Quis locus fuerit?* Concubina *pro ſecunda uxore abſque contractu & ſponſalibus ducta. Rubenis execrabile facinus, cujus Ethnicos ipſos puduit. Maxima Iacobi probatio. Adventus ejus in Hebron. Iſaaci mors & ſepultura à duobus fratribus reconciliatis procurata.*

VErſ. VII. narratur, quid fecerit Jacob, poſtquam cum omnibus ſuis Luzam venit, in terram Canaan. Ædificavit altare, & vocavit locum, אל-בתאל *el Bethel*, quæ verba, ut ſupra notavimus, in genitivo debent intelligi, *Dei Bethel*, nempe locus. Rationem addit, quia ibi נגלו אליו האלהים, *niglu elav haelohim*, ad verbum, *revelati ſunt ad eum Dii*; Quæ vulgata ſimpliciter in ſingulari interpretata eſt, *ibi enim apparuit illi Deus.* Et LXX. ἐκεῖ γὰρ ἐπεφάνη αὐτῷ ὁ θεός. Cum autem verbum plurale jungatur nomini Elohim, Ebræi cum Paraphraſte Onkelo, ad Angelos retulerunt aſcendentes & deſcendentes per ſcalam: *quoniam ibi revelati ſunt ei Angeli Domini*, inquit Chaldæus. Hanc interpretationem Calvinus aliis prætulit, quo nomine vapulat apud Hunnium tanquam judaiſans. Exiſtimat enim ille, ſolidum ex hac phraſi poſſe ſumi argumentum pro Trinitate perſonarum divinarum, aut ſaltem pro pluralitate, quia verbum plurale jungitur nomini Elohim. Calvinus autem, qui rem ipſam acriter defendit, & adverſus hæreticum pro veritate ſtetit, antequam Hunnius vagire poſſet, credidit periculoſum eſſe loquendi modum, ſi quis dicat *Deos* apparuiſſe, & id intelligat de tribus perſonis. Nemo enim Chriſtianus verus, unquam dixit *tres Deos*, aut *plures Deos*, etſi tres perſonas quæ ſunt unus Deus, omnes Orthodoxi agnoſcant. Ut ergo hoc abſurdum vitaret Calvinus, prætulit eam interpretationem, quæ pluralitatem illam ad Angelos refert. Nihilominus, cum reddatur ratio, cur locus vocatus fuerit de nomine Dei Bethel, exiſtimo de Deo intelligi quod hic dicitur, non de Angelis, etſi non propterea abſurda eſſet ratio, quia in Angelis illis Dei gloriam intuitus erat Jacob. Sed cum Deus ipſe viſus fuerit in ſummitate ſcalæ, eſſe retinendam communem verſionem de Deo ita cenſeo; ut tamen non putem debere urgeri argumentum deductum à numero plurali, pro pluralitate perſonarum in divinis, cujus rei rationes alibi attuli. Potiſſima eſt ſi hoc ita eſſet, plures Deos non ſolùm latinè, ſed etiam in omnibus linguis dici poſſe, in quo manifeſta eſſet in ſcripturis repugnantia. Igitur ex more Ebræorum etiam pluralis numerus, præſertim in nominibus dignitatis, dicitur de uno.

Attexitur verſ. 8. hiſtoria de morte & ſepultura Deboræ nutricis Rebeccæ. Tempus mortis, fuit illud idem, quo migravit Jacob in Bethel. Sepulta fuit ſub quercu; nomen quercui inditum eſt à luctu, *Allonbacuth*. Hic duo quæruntur, 1. Unde eſt quod Debora nutrix Rebecæ fuerit in comitatu Jacob. 2 cum Scriptura raro mulierum rationem habeat, niſi ob graves cauſas, nec uſquam meminerit mortis & ſepulturæ Rebecæ, cur hic tam expreſſe referat mortem Deboræ & quæ eam conſequuta ſunt. Ad primam variè reſpondent, vel rediiſſe Deboram in Meſopotamiam, poſtquàm audiviſſet Jacobum ibi familiam alere, & forraſſe à Rebeca miſſam fuiſſe, ut eum juvaret in uxoribus inſtituendis. Rediiſſe autem cum illo in Chananæam; Alii, non fuiſſe eandem nutricem quæ venerat cum Rebeca, ſed aliam quæ in Meſopotamia hæſerat, quia aliquando plures nutrices ex varia occaſione pueris & puellis aſſignantur. Sunt qui putant eam ex Chananæa non diſceſſiſſe, ſed Rebecâ mortuâ, ad Jacobum ſe recepiſſe, quem noverat alumnæ ſuæ fuiſſe chariſſimum. Quod autem de morte Rebecæ dicunt, non aliunde habent, niſi quod hoc conjiciunt ex eo quod Debora eſſet in comitatu Jacobi. Ego primam ſententiam maximè probabilem cenſeo, non quod putem, Deboram

miſſam fuiſſe ad Jacobum à Rebeca; ſed quod poſtquàm nutrix illa deduxiſſet Rebecam ad Iſaacum maritum, poſt aliquot annos, cupierit redire in patriam, & ab Iſaaco & uxore dimiſſa fuerit honeſtè, priuſquam Rebeca filios peperiſſet, cum eſſet adhuc ſterilis, ideoque ei minus neceſſaria eſſet ejus opera. Poſteà autem, cum Jacob veniſſet in Meſopotamiam, ei adhæſerit maximè, ut qui alumnam ſuam repræſentaret, eidemque in familia fideliter inſervierit, maximè autem juvaverit in exercitiis pietatis, in qua profeciſſe in familia Iſaaci probabile eſt; unde factum fuit, ut libenter in extrema ſenectute Jacobum ſequuta ſit, quem noverat eſſe Dei promiſſionum hæredem. Nam fuiſſe matronam piam, & alicujus nominis, ex hac ejus memoria ſatis liquet. Valdè annoſam fuiſſe dubitari non poteſt. Nam cum Jacobus tum fuerit annorum circiter centum & ſeptem, Iſaacus autem ſexagenarius fuerit cum natus eſt Jacob, qui anno ætatis 40 Rebecam duxerat, quæ non potuit junior eſſe annis viginti, ſequeretur anno ætatis ſuæ quadrageſimo peperiſſe gemellos. Si quis addat 40 annos, centum & ſeptem annis vitæ Jacobi, erunt centum quadraginta ſeptem. Quod ſi Debora tantum fuit annorum XXV, cum ei commiſſa fuit Rebeca alumna, non potuit, cum obiit, minor eſſe centum ſeptuaginta annis.

Ad alteram quæſtionem id in genere dicere poſſumus, non fruſtra Moſem tam inſigni elogio celebrare ipſius mortem. Sed tamen adhuc nos latet ſingularis illius rei ratio. Quid ſi dicamus, id factum fuiſſe, ut Moſes indicaret occaſionem, cur ei loco ſub Bethel, inditum eſſet nomen *Allonbacuth?* Sæpè enim non ſolum hiſtoria ſacra, ſed etiam prophana, ſolet attingere origines nominum quæ locis adhuc manent tempore quo hiſtoria deſcribitur: ut Virgilius *Cajetæ* civitatis nomen, à ſepulturâ nutricis Æneæ deducit, initio VII Æneidos.

Tu quoque littoribus noſtris Æneïa nutrix,
Æternam moriens famam Cajeta dediſti.

Fieri etiam potuit, ut tum cum ſcriberet Moſes, fœminę illius nomen apud Iſraëlitas fuerit celebre. Certè loco inditum nomen oſtendit fuiſſe Jacobo percharam, qui tam annoſam vetulam, non ſine luctu ſepeliit. Quem tamen dubitandum non eſt fuiſſe moderatum in tali viro, cujus & aliorum exemplo, diſcimus, luctum propter defunctos qui nobis chari fuerunt, non eſſe prohibitum, dummodo limites non tranſiliat, quos præſcripſit poſteà nobis Paulus, 1. ad Theſſal. 4. ℣. 13. & ſeqq.

A verſu IX uſque ad XIV. novæ viſionis divinæ meminit Moſes, in qua confirmatæ fuerunt Jacobo promiſſiones; ille viciſſim gratitudinem ſuam teſtatus eſt ſignis & monumentis. Quamvis autem ex obitu Deboræ luctum aliquem contraxiſſet, non exiſtimo tamen opus fuiſſe tali conſolatione, ob eam rationem. Alia igitur cauſa fuit, cur Deus iterum ei apparuerit, nempe quia in eodem illo loco Deus magnificè ſe exhibuerat Jacobo, cum fugeret in Charan, eique promiſerat ſe illum ad ſuos reducturum, ut oſtenderet firmitatem promiſſionum ſuarum, eaſdem voluit poſt reditum confirmare in eodem loco. Huc refero iterationem illam, *& apparuit Deus Iacobo* עוד *od, adhuc* vel *iterum.* Id enim non ita intelligendum ac ſi ſemel & iterum Deus ei apparuiſſet, qui id pluribus vicibus fecit. Nec verba illa ſequentia, *cum veniret de Padan-Arān*, huc trahi debent, quaſi ſola hæc eſſet apparitio divina, ex quo veniſſet de Padan, alias enim audivimus anteà; Sed hæc omnia conjungenda ſunt, nempe apparitionis locus, & apparentis promiſſiones, ut ſit ſenſus, Quemadmodum in loco qui Bethel dictus eſt apparuerat Deus, cum Jacob proficiſceretur in Padan; Et promiſerat ſe benedicturum ei & multiplicaturum ſemen ejus, &c. Sic cum rediiſſet ex Padan in Bethel, rurſus aut iterum eidem apparuit ibidem, & promiſſiones ſuas renovavit. Hic eſt legitimus ſenſus. Itaque illud עוד *odh* adhuc vel iterum, non eſt referendum, ut quidam volunt, ad præcedentem apparitionem poſt cædem Sichemitarum, ſed ad illam quæ in eodem loco facta fuerat, & quæ maximè fuerat auguſta, & in qua ei *benedixerat*, quod etiam num facit. Præmittit autem iterationem nominis Iſraël, iiſdem verbis quibus anteà; *Non vocabitur ultra nomen tuum Iacob*, ubi diximus id non eſſe accipiendum abſolutè, ſed cum excluſiva, id eſt, *non tantùm.* Nam utroque nomine fuit appellatus, tam ipſe, quam populus ab eo oriundus.

Itaque non declaratur negatio prioris nominis, ſed novi & præſtantioris additio, ut benè animadverterat Cajetanus. Objicit Pererius, verba ſcripturæ illam interpretationem reſpuere & excludere, illud enim *non ultrà*, apertè negare prioris nominis uſum inpoſterum, & poſterioris ſucceſſionem. Itaque dicit, *mutare adverbium* ultrà *in adverbium* tantùm, *aut* duntaxat, *non eſſe ſcripturam exponere, ſed ſuam expoſitionem velle obtrudere.* In textu Ebræo eſt adverbium עוד *odh* quod ſignificat additionem rei, aut temporis *adhuc, amplius, deinceps, &c.* Nec aliquis eſt quod ſciam, qui vocem *amplius* vel *ultra*, velit mutare in adverbium *tantùm*, ſed plerique omnes etiam Pontificii, ut hic Cornelius, & Marius agnoſcunt, *tantùm*, eſſe ſupplendum, aut addendum his verbis *non amplius*, ex natura rei. Sic Joan. 15. verſ. 15. cum Chriſtus dicit, οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους, non amplius dicam vos ſervos, ſed amicos; non abſolutè negat ſervos futuros, ſed hoc prætereà additum ipſis fuiſſe docet, ut amici ſint & familiares. Hoc certum eſt, apud Ebræos verba hæc *non ultra*, vel *non amplius*, non indicare aliquid non eſſe futurum inpoſterum, ne quidem quando abſolutè ponuntur, ſed ſolum minus frequenter; cum autem aliquid affirmatur adverſativè, ut hoc loco, rectè ſubauditur particula *tantum*, quia excluſiva *ſolum* negatur, propter additionem alterius

alterius nominis. Quam autem affert Pererius hujus loci interpretationem, ſubſiſtere non poſſe manifeſtiſſimum eſt. Id quidem quod obſervat, verum eſt, nomina aliquando tribui rebus vel perſonis, quæ potius rem futuram in ſubjecto, quàm nominis uſum indicant. Sic Chriſto nomen *Immanuelis*, *admirabilis*, &c. attribuitur apud Eſaiam, nuſquam tamen ſic vocatus eſt: ſed hoc non poteſt huic loco convenire. Non ſolùm enim Jacob fuit verè Iſraël, ſed etiam ſic appellatus fuit, & poſteritas ejus, & utrique manſit Jacobi nomen. Itaque non aliter poſſunt intelligi hæc verba, quàm eo quo diximus modo: *non ultra* appellabitur, id eſt, *non ſolùm deinceps*, quam etiam interpretationem probant Sa & Mariana, in notis.

Diſputatur hìc, an tunc primùm actu fuerit impoſitum nomen Iſraëlis Jacobo, quod autem dictum fuit poſt luctam, cap. 32. fuerit tantùm promiſſio, non exhibitio. Sic multi exiſtimarunt, non impoſitum tunc fuiſſe nomen, ſed promiſſum, nunc verò reipſa imponi. Sententia hæc refellitur duobus argumentis. 1. Quod eadem verba ſuprà habeantur quæ hoc loco, ita ut ex modo loquendi diverſitas argui non poſſit, utrobique de futuro loquitur Deus, ita ut tamen præſens includat: *Vocaberis Iſraël*, id eſt, ab hoc tempore. 2. Deductum eſt ex eo quod Jacob nomen illud uſurpavit, & ab aliis etiam ejus domeſticis uſurpatum fuit, priuſquam veniret Bethelem. Nam altare quod conſtruxit in agro empto juxta Sichemum, appellavit *Dei fortis Iſraëlis*, & cap. 34. ubi filii Jacobi audiverunt raptum ſororis, *irati ſunt valdè, eò quod fœdam rem operatus eſſet*, Sichem, *in Iſraël*. Igitur conſtat, non eſſe novam impoſitionem, ſed repetitionem & confirmationem præcedentis. Nihil enim frequentius in Scriptura, quàm ut una & eadem benedictio, & iiſdem verbis ſæpiùs repetatur, pro data occaſione; quod hoc loco etiam locum habet, in multiplicatione ſeminis & hæreditate terræ Canaan. Dixi occaſione data, nunquam enim id fruſtrà fit, ſed qui ſingulis ferè diebus novis tentationibus urgebatur, etiam renovatione promiſſionum divinarum ſuſtentari debuit.

In ſequentibus eſt repetitio promiſſionis de ſemine, & terræ Canaan poſſeſſione, in qua nihil eſt peculiare præter ea quæ anteà dicta fuerunt, ubi ſimilis benedictio promiſſa fuit Abrahamo, Iſaaco, & ipſi Jacobo. Finis iſtius repetitionis is fuit, ut Jacob confirmaretur in fide promiſſionis hæreditatis paternæ, nec eum dimoveret ſtatus Eſaui fratris, qui tum videbatur eminere, & viribus externis prævalere. Quibus repetitis in viſione illa per ſpeciem oculis incurrentem, addit Moſes, ויעל מעליו אל vajjaal mealav Elohim, *Et aſcendit deſuper eum Deus*, id eſt, ut habet Vulgata, *receſſit ab eo*, vel ἀνέβη ὁ Θεὸς αὐτοῦ, &c. *abiit Deus ab eo*, id eſt, ſecundùm illam rationem præſentiæ per viſibilem ſpeciem. Aſcendendi tamen verbum in textu Ebræo habet ſuam emphaſim; oſtendit enim, formam illam externam fuiſſe ſurſum elevatam, ita ut non in momento evanuerit, ſed paulatim aſcendendo ſe oculis ſubduxerit. Propriè aſcenſus & deſcenſus Deo tribui non debet; ſed ratione externorum ſignorum quibus ſe repræſentavit, in corporibus quibuſdam velut in imagine aſcendere & deſcendere dici poteſt.

Quod additur verſ. 14. & 15. Jacobum erexiſſe titulum in loco in quo locutus ei fuerat Deus, *libans ſuper eum libamina*, & *effundens oleum*, &c. ſuprà expoſitum eſt in ſimili actione Jacobi, in prima viſione ante annos triginta. Aben Ezra putavit hæc non fuiſſe iterum à Jacobo facta, ſed quæ hìc dicuntur, vertenda eſſe per pluſquam perfectum, ut ſit non repetitio facti, ſed commemoratio hiſtoriæ præcedentis, quæ ſententia placuit Piſcatori. Et certè tum erexerat ſtatuam, ſive monumentum, oleum effuderat, & appellaverat nomen Bethel. Nihilominus, quemadmodum Deus reipſa ei apparuit ſecundò, ut dictum eſt; ita reipſa hæc omnia iterata fuiſſe à Jacobo non dubito, & verba eſſe in præterito perfecto interpretanda. Quæ enim anteà fecerat Jacobus ſolus opere tumultuario, jam ſolemniter fecit cum ſuis, & procul dubio monumentum erexit ſolidius conſtructum, etſi in eodem loco, & impoſito lapide, quo tanquam cervicali uſus fuerat; qua nova conſtructione peracta, ſolemniter etiam libaſſe libamina credibile eſt, ut non ſolùm ſibi, ſed poſteritati perduraret tale monumentum gratitudinis. Idem dicendum eſt de impoſitione nominis Bethel: id promiſerat Jacob ſe facturum, nunc oſtendit ſe in eadem ſententia perſtare.

Sequitur à verſ. 16. uſque ad 21. ſecunda migratio Jacobi, & in ea obitus & ſepultura chariſſimæ uxoris Rachelis. *Et profecti ſunt*, inquit, de Bethel, ויהי עוד כברת הארץ *vajhi odh cibrath haarets*, ad verbum, & *erat adhuc quaſi tractus terræ ad veniendum in Ephrath.* Varia interpretatio nominis ברת *barath*, locum reddit ambiguum. *Aquila*, inquit Hieronymus, *ita tranſtulit*, *Et factum eſt* καθ' ὁδὸν τῆς γῆς, *id eſt, in itinere terræ, introiens in Ephrata; ſed melius eſt, ſi transferatur in electo terræ tempore, cùm introiret Ephrata.* Nempè à ברה deducit, quod eſt eligere, ut tempus anni lectiſſimum ſignificetur, quale eſt vernum; unde in Vulgata legimus, *Venit verno tempore ad terram, quæ dicitur Ephrata*, &c. Græca editio communis *Chabratha*, tanquam loci proprium nomen, retinuit. Plerique alii ad menſuram terræ, ſive ſpatium quo diſtabat adhuc Ephrata, retulerunt. Mercerus exiguam menſuram fuiſſe putat, ſed ignotam, & כ eſſe conjecturæ notam, pro circiter; alii definiunt, Chaldæus, *ſtadium terræ*; ubi Paulus Fagius, vox, inquit, Ebræa כברת *kibrath*, Chaldaicè כריב, non tempus vernale, ut autor Latinæ vulgatæ editionis intellixit, ſed certam terræ menſuram & ſpatium ſignificat, id eſt, milliare, ſeu ſtadium. Kimchi, tantum itineris, quantum à manè ad tempus prandii perfici

ſolet,

ſolet,ut *barath*, à cibo deducatur. Tremel.& Jun. *Exiguum ſpatium* interpretantur, & ita eſſe evincunt ex 2 Reg.5. verſ.19. ubi de Naman Syro legimus, & abiit ab eo כברת ארץ *kibbrath erets*,ubi Pagninus & Vatablus,*quaſi milliare terræ*. Vulgata tamen etiam ibi habet *electo terræ tempore*, & Græca editio, *In Debratha terræ*. Utraque obſcuriſſimè,ita ut ſenſus elici non poſſit vel probabilis. Agebatur de Naman, quem conſequebatur Gieſi ſervus Elizæi,ut munera ab hero ſuo rejecta repeteret. Itaque ſenſus eſt perſpicuus, Naamanum non longè adhuc receſſiſſe, aut non longum itineris ſpatium perfeciſſe; nempe quaſi ſtadium,aut terræ jugerum, aut quantum temporis in prandio inſumitur. Hæc enim omnia,etſi verbis diverſa, ſenſum eundem referunt. Fatetur Mariana ſe non aſſequi quid voluerit Hieronymus; & ex Hebr. vertit *quaſi milliare terræ*. Hunc igitur ſenſum retinebimus de menſura itineris,ut intelligamus non longè abfuiſſe ab Ephrata Jacobum,cum in puerperio obiit Rachel. Res ipſa clamat,non temporis ſed loci notationem his verbis contineri. Et ſi de tempore acciperentur,ut vult Hieronymus, non potius intelligendum eſſet vernum tempus quam autumnale, imò hoc fortaſſis probabilius, quia autumnales fructus, vernis floribus ſunt anteponendi. Ex Hieronymo conſtat LXX ἱππόδρομον vertiſſe, hoc eſt ſpatium decurſionis equeſtris, quam vocem in editione Romana reſtituerunt, rejecta ad marginem voce χαβραθά. Sed de variis hujus phraſis interpretationibus qui plura volet,legat Nicol. Fullerum Miſcel.Sacrorum lib.2. cap.15. & Sixtinum Amama, in Cenſura verſionis vulgatæ.

Ephrata autem quæ fuerit, dubitare nos non ſinit Moſes, verſ.19. dicit enim Ephrata eſſe Bethleem, urbem poſteà nobilitatam nativitate Chriſti, ſicut prædictum fuerat à Propheta Micheâ cap.5. verſ.2. Ubi duobus iſtis nominibus eandem deſignat, *Et tu Bethleem Ephrata parvula es ut ſis in Chiliadibus Iuda? ex te mihi egredietur futurus dominator Iſraël, &c.* Hieronymus in tradit. Ebraicis, ait, unius urbis duo eſſe vocabula, ſub conſimili tamen interpretatione, ſiquidem *Ephrata* interpretatur *frugifera*, Bethleem, *domus panis*, vertitur, propter eum panem qui de cœlo deſcendiſſe ſe dicit. Non puto tamen hanc fuiſſe cauſam inditi nominis, ſed quod ſita eſſet in agro fertili. Videtur autem Michæas utrumque nomen conjunxiſſe,ut eam diſcerneret ab altera Bethleem,quę erat in tribu Zabulon,in regione Galileæ. Juxta hanc civitatem natus eſt duodecimus filiorum Jacobi Benjamin,in cujus nativitate ſervo ſuo poculum immiſcuit Dominus melle & abſynthio conditum. Quod enim ex Rachele uxore dilectiſſima jam ſenex centum & ſeptem annorum, filiũ ſuſcipiebat,id gratiſſimum fuiſſe non dubitandum eſt, & cum gratiarum actione etiam gravidam iterum vidiſſe eam, quæ ſterilitatis nomine anteà vitam ſibi acerbam putabat. Sed hoc jam amariſſimum eſt, quod quæ olim dixerat,*da mihi liberos,alioqui mortua ſum*; nunc Deo liberos dante, in ipſo partu moritur, & quæ ſolatium ex liberorum nativitate expectaverat, nunc moriens filium appellet, בן-אני *ben-oni*,filium doloris mei; quod nomen non boni ominis, paululum inflexo ſonò pater,cujus in ea re major erat autoritas, mutavit in בן-ימין *ben-jamin*, filium dexteræ meæ, quaſi Deo gratiam reddens, quod adhuc in tam grandævo ſene has vires conſervaſſet, quibus potuerat filium, eumque robuſtum (tales enim plerumque ſunt qui naſcendo difficultatem pariunt) generare. An hoc tum fecerit Jacob cum primùm Rachel impoſuit alterum nomen,an poſteà,dubitari poteſt. Exiſtimo eum non contradixiſſe uxori in agone laboranti, ſed poſt ejus obitum,in circumciſione pueri nomen mutaſſe.

Hujus in pariendo difficultatis, quæ matres etiam aliquando cogit denaſci cum naſcuntur filii,cauſas eſſe naturales, dubium non eſt,de quibus conſulendi ſunt medici. Sed cauſam unam eſſe præter naturam,peccatum nempe, nos docuit hiſtoria cap. 3. ubi Deus hanc caſtigationem mulieri poſt peccatum infligit,à qua ſuo loco oſtendimus liberas fuiſſe futuras, ita ut nullum ſentire coactæ fuiſſent in partu dolorem, ne dum ut laboraturæ fuiſſent ad mortem uſque. Ergo non pertinent dolores illi ad naturam per ſe,& neceſſariò, quia cum in cæteris animalibus, aut nulli ſint, aut minores, ſatis oſtenditur, talem eſſe poſſe naturalem conſtitutionem in animali,ut fœmina poſſit parere ſine moleſtia & ſenſu doloris,quod etiam nonnullis, etſi paucis, accidit. Hìc latæ legi de dolore partûs ita fuit obnoxia Rachel,ut cum filio exjerit etiam ejus anima. Sic enim Moſes, verſ.18. בצאת נפשה *betſath naphſchah*,in exeundo anima ejus. Qui loquendi modus oſtendit ſeparari in morte animam à corpore, ita ut anima exeat, non autem cum corpore moriatur aut evaneſcat. Quod teſtimonium eſt animam etiam ſubſiſtere extra corpus. Id enim de beſtiis non dicitur,quod exeat anima,cum moriuntur. Solvitur in homine compoſitum, ſed pars immortalis remanet,eam reſumptura per reſurrectionem quæ mortua fuerat. Hinc,in piis ſub V. Teſtam. cura Sepulturæ defunctorum, quam nuper Deboræ procuraverat Jacob in *Allonbachuth*, hìc vero dilectæ uxori. Mortua eſt Rachel in via quæ ducit Ephrātā,quæ eſt Bethlehem, & ibidem ſepulta eſt,nempe in via illa. Sciebat quidem Jacob, avum ſuum Abrahamum emiſſe ſepulchrum in Hebron, in quo ſepeliet patrem ſuum Iſaac; & ipſe poſteà ex Ægypto deferetur, quemadmodum adhuc vivens procurabit. Poſſet igitur quæri,cur non curaverit Rachelem in idem ſepulchrum deferri? Reſp. Quemadmodum ex eo quod voluit ſepeliri in terra Canaan cum patribus ſuis,oſtendit ſe fidem illam ſervaſſe de hæreditate terræ Chanaan à poſteris poſſidenda; ſic in hoc facto, voluit oſtendere ita non affectanda eſſe certa ſepulturæ loca, ut exiſtimemus corporibus fidelium aliquid deeſſe, ſi

vel

vel non ſepeliantur in communi Polyandrio, vel in avitis ſepulchris. Itaque cum amplam haberet Jacob familiam, & longè adhuc diſtaret à loco in quo tum habitabat pater, juxta quem erat ſpelunca quam Abraham emerat, non judicavit è re, diu ſervare emortuum cadaver, nec fortè tunc ipſi erant ad manum aromata quibus condiri poſſet, & ad plures dies ſervari ſine putrefactione. Probabile eſt etiam, noluiſſe ad patrem deducere cadaver uxoris, eumque tali objecto, adveniens, commovere. Sibi etiam & ſuis conſuluiſſe, removens illud ab oculis, ne ſingulis diebus luctus renovaretur, quem magnum fuiſſe non dubitandum eſt, cum multo charior eſſet Jacobo Rachel quam Debora. Ejus tamen non meminit ſcriptura, ſed alia tantum extrema officia commemorat.

Duo fecit Jacob, ſepelivit eam in via quæ ducit Bethleemum. Ephratam ſive Bethleemum uſque venire, non opus fuit, quia non ſolebant corpora mortuorum in urbibus ſepeliri, idcirco cum in via lata reperiret locum commodum, & extraneus eſſet ac peregrinus, uſus eſt via publica pro ſepulchro. Sed aliud addidit, quod erexit titulum, qui uſque ad dies Moſis, & longo poſt tempore, notavit ſepulchrum Rachelis. Hac ratione voluit, extare apud poſteros memoriam chariſſimæ uxoris, ex qua duos ſuſceperat filios, qui in Iſraële futuri erant trium tribuum capita. Hic mos etiam inter pios invaluit, & apud omnes penè nationes uſurpatus fuit; qui etſi ad affectum poſſit referri quo vivi mortuorum memoriam ſunt proſecuti, tamen videtur ortus ex ſenſu & cognitione futuræ reſurrectionis in fidelibus, quos alii poſteà imitati ſunt, etſi non eadem præditi cognitione, ſed tamen hoc ſuo facto oſtendentes, non planè obliteratum eſſe in ſe, immortalitatis, ad quam homo creatus fuit, ſenſum. Hæc enim una eſt ex rationibus ab omnibus ferè gentibus obſervatis, ad perpetuandam mortuorum memoriam; cui altera juncta fuit, ut ſemper manſuris hiſtoriis, verſibus, aut ſimilibus documentis, eorum virtutes poſteritati commendarentur. Qua certè ratione, quæ erecta fuerunt piis monumenta in hiſtoria ſacra, longè præſtant omnibus Mauſoleis, quæ arte & impenſis ac ſumptu maximo, illuſtribus viris aut mulieribus eriguntur. In hiſce tamen non rejicienda eſt vivorum cura, dummodo ſervetur modeſtia pro qualitate & conditione perſonarum.

Nec enim decet ambitio & ſuperbia uſquam, ſed multo minus in mortalitatis noſtræ, id eſt, ſummæ abjectionis ad quam nos perduxit peccatum, ſignis. dixi, pro conditione perſonarum. Nam cum talia non pertineant ad defunctorum neceſſitatem, ſed ad vivorum ſolatium & exemplum, ſi aliquando publicis ſumptibus, de patria & Repub. benè meritis principibus talia decernantur ſepulchra, quæ totidem ſint virtutis trophæa, & grati animi in populis teſtimonia, citra tamen omnem ſuperſtitionem, id certè nec debet, nec juſtè poteſt cenſuræ ſubjici, cum talia ſint extraordinaria, & ad bonum reipub. conducant, quæ ita animos addit ſucceſſoribus, ut agnoſcentes ſibi rem non eſſe cum ingratis, vitam ſuam liberius & liberalius in publicum bonum profundant. In quo tamen etiam modum ſervari debere non dubitamus. Nam Artemiſiæ inſanam profuſionem in tumulo mariti extruendo, qui inter mundi miracula enumeratus fuit, nemo moderatus laudare poteſt. Sed his extraordinariis omiſſis, ex facto Jacobi & ſimilibus deducitur, illicitum non eſſe, cippos & titulos apponere locis, in quibus jacent defuncti, ſi tamen in eo quiſque ita ſe gerat, ut modeſtiæ limites non tranſiliat, & dum non neceſſaria defunctis nimis largiter curat, videat ne viventibus fiat injuria. Caveantur prætereà *ſepulchrorum adoratores*, quorum multos Auguſtinus ſe *noviſſe* teſtatur, lib.1. de morib. Eccleſ. Cathol. cap.34. *Noverat etiam multos qui ſuper mortuos bibebant, & epulas cadaveribus exhibentes, ſuper ſepultos ſe ipſos ſepeliebant, & voracitates ebrietateſque ſuas deputabant religioni.* Utinam nulla apparerent apud Chriſtianos ſimilis luxûs veſtigia. Certè nihil tale videmus à ſanctis fuiſſe factum.

Actum eſt de Sepultura Rachelis. Sequitur factum à Rubene patratum, quod quis poſſet exiſtimare, debuiſſe potius ſepeliri, ſine mentione tam execrandi facinoris apud poſteritatem, quàm hiſtoriæ ſacræ interſeri talem fœditatem ad perpetuam infamiam familiæ ſancti Patriarchæ. Id tamen Deus voluit, non ſine gravibus cauſis. Nam cum Ruben fuerit primogenitus, intererat ſcire cauſam, cur à jure primogenituræ rejectus fuerit: Miſericordiæ etiam divinæ teſtimonium, quod etſi notatus fuerit, non tamen planè fuerit abjectus, nec poſteri ejus extra conſortium populi Dei rejecti; ne Iſraëlitæ etiam haberent unde gloriarentur niſi in Domino. Sequitur ergo tertia migratio cujus hoc capite fit mentio. Locus appellatur מגדל עדר *migdal eder*, id eſt, turris gregis, juxta quem fixit tabernaculum ſuum Jacob. Apud Michæam cap.4.ꝟ.8. hoc nomen tribuitur Sioni, *Et tu*, inquit, מגדל עדר migdal eder, *turris gregis, locus excelſus filia Sion, uſque ad te veniet.* Quæ verba de turri Davidis videntur intelligenda, etſi alii putent intelligendam eſſe turrim, quæ portæ gregis in Ieruſalem impoſita erat, per quam greges intromittebantur in forum pecuarium, de qua Nehem.3. v.1. Ebræi putarunt, teſte Hieronymo, locum fuiſſe, in quo poſteà fuit conſtructum Templum: Sed quod hoc loco eſt nomen proprium, in Michea eſt appellativum, quia in arcem Sion & templum, conveniebant greges Domini. Hic autem propriè intelligitur. Probabilius igitur eſt quod dicit Hieronymus in tradit. Ebraicis ad hunc Geneſ. locum, fuiſſe aliquem locum paſtoribus aptum, non procul à civitate Ephrata ſive Bethleem, quem etiam eundem fuiſſe putat, in quo Angeli mo-

nuerunt paſtores de Meſſiæ nativitate. Qui etiam in lib. de locis Ebraicis, turrim iſtam mille tantum paſſibus à Ieruſalem diſtare perhibuit.

In illis partibus habitanti Jacobo, abominandum ſcelus committit Ruben, cum Bilha concubina patris ſui concumbens. Fuit ancilla Rachelis, ex qua Dan & Nephtali ſuſceperat Jacob, quæ concubina dicitur, פילגש *pilgeth*, quaſi ſecundaria uxor, ſic enim dicebatur, quæ abſque contractu & ſponſalibus ducta erat, quæ tamen vera erat uxor. Sic enim vocata fuit *keturá* concubina Abrahami. Sic Judicum 19. verſ. 1. appellatur Levitæ concubina, qui tamen Levita dicitur gener patris concubinæ. Quoad thorum ergo legitima uxor fuit Bilha, etſi non pari jure fuerit cum matribus familias ratione bonorum. Ingrata fuit memoriæ dominæ ſuæ, quæ eam in partem thori vocaverat & marito tradiderat. Vivente Rachele ſe continuerat, quæ nunc mortuâ herâ fœdè polluit ejus tabernaculum, & Jacobo gravem infert injuriam. Sed Ruben execrabile facinus commiſit, quod Apoſt. 1. ad Corinth. 5. verſ. 1. *Scortationem* vocat ejuſmodi, *quæ ne inter gentes quidem nominatur, adeò ut quis uxorem patris ſui haberet.* Et certè exempla ſunt apud Ethnicos eorum qui à tali turpitudine abhorruerunt. Nota eſt hiſtoria Hippolyti & Phædræ. Antiochus etiam Seleuci filius Stratonicæ novercæ inſano amore captus, tacitus tamen vulnus ſuum alebat venis, quod nunquam auſus fuiſſet deregere, niſi à ſolertiſſimo medico deprehenſa fuiſſet morbi cauſa: ut mirum ſit in ſancta familia, Satanam tantum prævaluiſſe. Sed ita accidit aliquando, ut laxatis ei habenis, inquinet gravibus offendiculis benè compoſitas domos, ut tanto vigilantius caveant ſibi fideles. Hæc ſancto viro Jacobo graviſſima fuit afflictio, in qua opus habuit ſuſtentatione fidei; de quo id tantum refert Moſes, quod eum id minimè latuit, quia pro rei gravitate vix poterat ejus mœror deſcribi; ut id ſpectaſſe videatur Moſes, quod de pictore dicitur qui Iphigeniæ immolationem delineabat, qui Agamemnonem patrem velo obtexit, quia lugentis in tanta anguſtia vultum non poterat ſatis exprimere. In duobus filiis ſanguinariis jam multa paſſus erat; nunc major natu ſcelere horrendo implicatur; nihilominus promiſſionum divinarum ſumma erat, ex ejus ſobole prodituram ſalutem mundi.

Sub finem capitis poſt enumerationem filiorum Jacobi, narratur adventus ejus cum tota familia in Hebrō ad parentem ſuum, ad quem tandem cum omnibus ſuis venit, qui proculdubio patrem antea inviſerat. Cujus obitus memoratur, anno ætatis ſuæ centeſimo octuageſimo, & ejuſdem ſepultura procurantibus duobus filiis Eſau & Jacobo, in quorum mentione ſcriptura ſequitur ordinem naturæ, non prærogativæ fœderis. Ex hac autem actione colligitur, fratres iſtos à tempore reconciliationis pacificè & civiliter unà vixiſſe. De paternæ hæreditatis diviſione nihil habetur in hiſtoria ſacra. Credibile eſt tranſegiſſe inter ſe fratres ex æquo & bono, cum utrique affatim ſuppeterent quæ ad hanc vitam erant neceſſaria. Jacobum præſertim contentum ſpe futurorum bonorum facilem ſe præbuiſſe in diviſione temporalium & caducorum.

AD CAPVT XXXVI.

EXERCITATIO CXLIV.

Cur Eſaui genealogiam & Idumæorum gentis propagationem hoc capite perſequatur Moſes? Hujus hiſtoriæ utilitates. Facere etiam ad fidem confirmandam. Et quomodo? Conciliatio diſcriminum inter nomina uxorum & ſocerorum Eſaui. Solvitur difficultas de migratione Eſaui in Seir poſt obitum patris, cum ante fratris adventum facta fuiſſet. Ducum & Regum in Eſaui familia diſtinctio. Diſquiritur quid per את הימים eth hajjemim *in deſerto ab Hana repertos, intelligendum. Cornelii à Lapide inventum rejicitur. Mulorum inventio an Hanæ certo adſcribi poſſit ex hoc loco. Negatur.* Jobab *an fuerit Iob? Iobum fuiſſe Idumæum.* Rehoboth *quis locus fuerit?*

CAPITE xxxvi. poſt narrationem ſepulturæ Iſaaci, & ejus occaſione, quia mentio facta fuerat Eſaui, ejus genealogiam texit Moſes, memoratque Reges & Duces ex eodem ortos, in terra quam ſibi habitandam delegerat. Quia autem affinitatem contraxerat Eſau cum Horæis, cum quibus habitavit, eoſque poſtea Eſaui poſteritas ſedibus ſuis expulit, ſeriem etiam eorum Genealogiæ Moſes recenſet.

In qua hiſtoriæ parte id primum eſt in genere notandum, non ſine cauſa fuiſſe à Moſe inſertam Hiſtoriam Eccleſiæ, cum tot circumſtantiis, uxorum, filiorum, nepotum, affinium, & propagatione gentis, ejuſdem quoque potentiæ & dominationis. Sunt enim multa tum in hoc libro, tum in aliis quæ intelligi non poſſent ſine notitia ſtatus populi Idumæi. Crebra fit in ſcripturis mentio, Seir, Edom, Horreorum, &c. In prophetis nominatur regio Theman, Amos 1. & Obad. 1. neſciremus autem fuiſſe partem Idumeæ occupatæ à nepote Eſaui, filio Eliphaz, cui *Theman* nomen erat.

Boſræ,

Boſra etiam fit mentio pluribus in locis, quam,civitatem Idumeæ ex hoc capite fuiſſe diſcimus. Amalecitarum gens notiſſima, ob varias clades quas inflixit Iſraëlitis,quas etiam accepit,& à quibus tandem deleta eſt, unde ortum haberet neſciremus, niſi hoc capite diſceremus, Amalec fuiſſe filium Eliphaz,nepotis Eſau.

Præter iſta quæ ad hiſtoriam pertinent, ſunt etiam alia quæ ad fidem confirmandam ſpectant, & diſpenſationis divinæ ſapientem conſiderationem. Prædixerat etiam Iſaac cap. 27. quæ poſteris Eſau erant eventura, ut vidimus. Intererat Eccleſiæ ſcire prædictionum eventum; ut inde colligeret,Deum omnia impleturum quæ ſuis promiſit,qui extraneis non deeſt, qui quomodocunque ſuos attingunt. In gratiam enim Iſaaci, etiam Idumæis benè fecit. Secundo, in hac amplitudine familiæEſau & opum abundantia,ſpectandũ eidem ſuæ Eccleſiæ Deus præbuit,diſcrimen inter domeſticosDei, & extraneos ex talibus non eſſe deſumendũ, quæ ſunt communia piis & impiis,quibus Deus ſuam bonitatem declarat, qua ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos & injuſtos. Imò ſæpè accidere, ut in talibus aut tardius pii promoveant,aut etiam ab impiis ſuperentur.Nam certè in hiſce temporalibus, ſaltem initio, prævaluit Eſau, qui robuſtior fuit & fratri metuendus,& fixas ſedes habuit, Reges etiam ex familia ſua, cum poſteri Jacobi dura ſervitute premerentur.

Hæc magno ſunt uſui adverſus tentationes ingruentes, dum impii florent, & piorum liberatio differtur. Ut tempus à Deo definitum expectent, nec intereà deficiant. Fide enim & patientia opus eſt, donec juſtum tempus adveniat,quo promiſſiones impleantur. Alioquin Eſaui poſteri potuerunt ad tempus Iſraëlitis inſultare, quod hodiè alii faciunt, quorum potior videtur eſſe conditio, ſi hæc temporalia ſpectemus. Sed ſtatuunt pii ex hiſce hiſtoriis,miſeriis hujus vitæ non tolli promiſſionum divinarum certitudinem, & tandem Deum in medium producturum, & promiſſa ſua confirmaturum.

His præmiſſis pauca quædam quæ apud interpretes ſunt controverſa in hoc capite examinabimus. Primo, in enumeratione uxorum Eſau, quarũ anteà meminerat Moſes,cap.26. & 27. ſed aliis nominibus appellavit; una enim appellata fuit Judith filia Beeri Hittæi; altera Baſmath, filia Elon Hitthæi; tertia autem Mahalath filia Iſmaëlis. Hic habemus eundem uxorum numerum, ſed neque eodem ordine,neque nominibus iiſdem.Earum etiam parentes utrobique non iiſdem nominibus ſignificantur. Quæ conciliari non poſſunt niſi dicamus,tam viros quam fœminas tum fuiſſe polyonymos, vel quia ita fuit ab initio, vel quia occaſione aliqua nomina eis ſubinde mutabantur. Certè de Iſmaëlis filia dubitari non poteſt, hîc enim ab aliis etiam diſtinguitur à genere. Dicta autem fuit antè Mahalath, quæ nunc appellatur *Baſmath*. Itaque de aliis idem dicendum, ut *Adah* hic fuerit,quæ antea *Baſmath*, quia utrobique idem pater ponitur Elon Hitthæus. Supereſt *Iudith filia Beeri*, quæ hic *Aholibama* appellatur, filia Hanæ,qui debuit alio nomine eſſe *Beeri*. Sed quia alterius Hanæ fit poſteà mentio verſ.20. inter filios Seir, qui fuit frater *Tſibhon*, ad diſtinctionem additur nomen avi Aholibamæ *Tſibhonis* nempe, cujus filius Hana, habuit idem nomen cum patruo. Quod autem *Tſibhon* dicitur Chivæus,cum pater Judith antea *Chittæus* dictus fuerit,ſint autem aliquando in ſcriptura hi duo populi diſtincti; hoc modo conciliant, vel quod avus quidem fuerit *Chivæus*, ſed cum,ut fit inter vicinas gentes,ad Chittæos commigraſſet, filius ejus Hana dictus fuerit *Chittæus*, vel quod Chittæorum nomen fuerit generalius,propter amplos eorum fines, & ſub iis etiam Hivæi continerentur.

Verſ.6.7. & 8. Cauſa migrationis Eſaui ex terra Chanaam, & electionis habitationis in terra Seir ita exponitur, quaſi tum primum cogitaſſet Eſau de ea migratione, poſtquàm mortuo parente, & fratre unà habitante in eadem regione, ceſſerit tandem ultro Jacobo, quia ob pecorum multiplicationem, ſimul in eodem tractu non poterant contineri,quę fuit etiam cauſa,cur Abrahamus coactus fuerit ſeceſſionem facere à Lotho nepote ſuo, cum hac occaſione inter paſtores eorum turbæ orirentur. Non tamen levis ex eo difficultas oritur, quia conſtat Eſavum habitaſſe in regione Seir, cum Jacob rediret è Meſopotamia,unde colligitur non tum demum ſedes has elegiſſe, poſtquàm inter fratres conveniſſet,& de herciſcunda hæreditate paterna egiſſent inter ſe. Hunc nodum ſolvendi, varias rationes excogitarunt interpretes, quas ut omnes expendamus non eſt neceſſe. Sufficiet ſi quas maximè probabiles exiſtimamus, paucis aperiamus. Si verba Moſis ita accipiamus, ut de præterito perfecto intelligantur, *tulit & abiit, &c.* nempe tum cum receſſit à Jacobo fratre ſuo, commodiſſima videtur expoſitio, quæ ex Rabi Moſe Ben Maimon affertur, & quam Auguſtinus etiam amplexus eſt, nempe quod Eſau quidem,priuſquam ex Meſopotamia Jacob rediiſſet, relicta domo paterna, abjerit in terram Seir, & in ea habitaverit,ut ex præcedenti hiſtoria liquet: ſed tamẽ quod ibi nondum fixiſſet certas ſedes, ſed expectaſſet,donec mortuo parente, videret quonam ſibi eſſet migrandum. Rediiſſe ergo in terram Canaan cum ſuis, ſub tempus obitus parentis, & ibi aliquandiu egiſſe ut res ſuas componeret; Quo facto, cum videret difficulter fieri poſſe ut in eadem regione cum fratre commodè habitaret,rediiſſe in terram Seir, ſpe concepta, fore ut Horræos montana inhabitantes paulatim ſubigeret, & in munita regione fixas ſibi ſedes acquireret, quod commodè non poterat in iis terrę Canaan locis,à pluribus occupatis,in quibus habitaſſet precariò & tanquam extraneus. Quò referendum eſt id quod dicitur verſ.7. *non ſuſtinuiſſe eos terram peregrinationum eorum, præ multitudine gregum.* Nam terra Cannan alioqui ſatis

 capax

capax erat, ſi jam domini fuiſſent. Sed cùm eſſent peregrini, quicquid in ea poterant occupare, ſub aliorum imperio tenebant: & paſcua Hebron, ubi tum agebat Iſaac, anguſta fuiſſe conſtat ex terræ ſanctæ topographia.

Malim cum Tremel. & Junio verba illa, וילך ויקח *vajjikkach vajjelek*, &c. interpretari in præterito pluſquam perfecto, ut referatur ad id quod jam anteà factum fuerat, priuſquam Jacob ex Meſopotamia rediret. Jam enim tum migraverat Eſau, & ſibi ſedem illam delegerat, atque ita fratri ſuo habitationem terræ Canaan reliquerat. Sed non probo quod quidam putent, id factum fuiſſe eâ intentione, ut cederet fratri, poſtquàm intellexiſſet terræ Canaan poſſeſſionem relictam ei fuiſſe ex benedictione paterna, qua de re eum cogitaſſe probabile non eſt. Nec tamen placet Tremellii & Junii explicatio phraſis illius מפני יעקב *mippene Iaacob*, à facie Jacob, id eſt, *antè adventum Iacobi fratris ſui.* Nam, etſi *facies*, pro adventu aut *præſentia*, poſſit accipi; phraſis tamen *à facie* non poteſt intelligi, pro eo quod eſt *ante faciem*, id eſt, *antequam adveniſſet*, ſine violenta admodum & dura catachreſi. Retineo igitur communem verſionem, *à facie fratris ſui*, id eſt, *à conſpectu*, vel remotus à fratre ſuo: quod ſic intelligo, non quaſi in animo habuiſſet Eſau cedere fratri ſuo, ſed ut indicetur eventus ex divina ordinatione & providentia. Non enim dubito, Eſauum utilitatis ſuæ ſtudio, & libertatis amore, conceſſiſſe in Seir, non ut fratri cederet, vel ut ejus emolumentis conſuleret, ſed quia ita rebus ſuis ſe conſulturum ſperaret. Quod autem additur, *Divites enim erant valdè, & ſimul habitare non poterant*, non refero ad cauſam, cur id conſilium elegerit, ſed ad rationem, cur commodum fuerit, & penè neceſſarium, ut ita eveniret, ne ſi ambo in eodem loco habitaſſent, ſibi mutuò eſſent oneri & incommodo, & inde orirentur rixarum occaſiones. Itaque hæc omnia refero ad divinum conſilium, quo ita arcana providentia direxerat animum Eſaui, ut jam, antequam rediiſſet Jacob, terram Canaan reliquiſſet, ut vacua, ſaltem à parte illius qui de hæreditate alioqui contendere potuiſſet, reſervaretur Jacobo redeunti, cui divinitus deſtinata erat: quemadmodum ſæpè accidit, ut impii ignari conſiliorum Dei, præter animi ſui ſententiam piis etiam tum proſint, cùm tamen præſentibus ſuis commodis intenti, nihil minus ſibi proponunt, quàm aliorum emolumenta promovere, quod tamen Deus cogitat & exequitur, etiam eorum operâ, qui ea libenter remorarentur.

Itaque nulla eſt ratio, cur verba verſ.7. *Divites erant valdè*, &c. referantur ad Iſaacum & Eſauum, qui unà propterea non potuerint habitare; cùm anteà in hoc capite, nulla mentio facta fuiſſet Iſaaci, ſed tantum duorum fratrum, inter quos fit comparatio. Totum igitur hunc locum, ut nihil ſit quod lectorem implicet, ſic παραφράζω: *Aſſumpſerat autem Eſau uxores ſuas, & filios ſuos, & filias ſuas, omneſque domeſticos ſuos, pecus quoque ſuum & omnia jumenta, denique omnem poſſeſſionem ſuam quam acquiſierat in terra Canaan, in qua anteà habitaverat cum parentibus, & abierat in regionem Seiris, atque ita à fratre ſuo oportunè ſeparatus fuit, ut remotus ab eo, viveret extra fines terræ promiſſæ: alioqui, niſi id à Deo proviſum anteà fuiſſet, redeunte Iacobo, non potuiſſent unà habitare ſine gravi utriuſque incommodo & diſſidiorum periculo, propter utriuſque peculium ita auctum, ut pars illa terræ, in qua tanquam peregrini habitaſſent, non potuiſſet illud continere.* Sic mihi videtur ſenſus commodè fluere. Itaque non exiſtimo Eſauum veniſſe ad funus patris cum omnibus ſuis, animo manendi, ſi locus fuiſſet oportunus, & conſilium cœpiſſe redeundi, tum cùm videret non poſſe habitationem illam utramque familiam capere; ſed jam habuiſſe fixas ſedes, in quibus ſua omnia reliquerat, & ad quæ redire deliberaverat, procurato parentis funere, & acceptis bonis quæ ipſi ex patris obitu debebantur.

In deſcriptione genealogiæ Eſau mentio fit Ducum & Regum. Communis ſententia eſt, populi illius regiminis initia & mutationes ita diſtingui, ut primò quidem habuerint Duces; ſecundò Reges; & tandem ad Duces reditum fuerit. Itaque regimen prius fuiſſe ariſtocraticum, poſteà monarchicum, tandem propter regum tyrannidem, ad ariſtocratiam fuiſſe recurrendum. Fundamentum hujus opinionis ex ſerie narrationis Moſis deſumitur, qui primò ducum meminit à verſ. 15. uſque ad 19. poſteà regum, à verſ. 31. ad 39. incluſivè; tertiò iterùm *ducum*, à verſu 32. ad finem: ubi putarunt plerique omnes agi de ducibus, qui in gubernatione regibus ſucceſſerunt, quia vulgata editio 1. Chronic. 1. ℣. 51. id expreſſè innuit, dicens, *Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom eſſe cœperunt. Dux Thamna*, &c. Sed nihil tale habet textus Ebræus, qui poſt numeratos Reges, priuſquàm aliquis rex in Iſraël regnaſſet in Idumæa, rerum potitos, ſimpliciter habet, *Fuerunt autem duces Edom*, &c. & Græca, *Duces Edom, dux Thamna*, &c. Et certè ſi mutationes tales regiminis admittantur, ita ut duces regibus ſucceſſerint, & poſteà ſibi invicem, difficile erit quæ hìc dicuntur, uſque ad Moſis tempora, qui hujus hiſtoriæ ſcriptor fuit, potuiſſe impleri, ut ſpatio annorum paulo plus ducentorum, tot gubernatores ſucceſſivè apud Idumæos regimen obtinuerint. Deinde conſtat, Idumæos ſuos habuiſſe Reges poſt Moſem, & ſi in ducatum regimen mutatum fuerit, id poſt tempora Moſis, & longè antè contigiſſe. Scio quid alii dicant, vel id à Moſe propheticè fuiſſe prædictum, vel ſi omnia hiſtoricè intelligantur ſcripta poſt eventum, ea quæ tranſgrediuntur Moſis tempora, fuiſſe ab alio aliquo Propheta ſuppleta; ut ipſius Moſis obitus in Deuteronomio, & alia quæ poſt ipſius obitum contigerunt. De

prophetica

prophetica prædictione non poſſum cum iis ſentire. Nam cùm hæc hiſtoria ſcripta fuerit à Moſe in uſum populi tendentis in terram Canaan, nec tempus mutet autor, ſed utrobique tanquam de re præterita loquatur, exiſtimo hiſtoricè eſſe accipienda quæ dicuntur. Minus erit incommodi, ſi conſentiamus poſt eventum nomina ducum fuiſſe addita: ſed quo tempore gubernarint illi duces poſt Moſem, vix aſſignari poteſt. Itaque omnibus deductis, ſalvo meliori judicio, exiſtimo, Duces, de quibus agitur à verſ.15. uſque ad verſ.19. fuiſſe capita & quaſi patriarchas familiarum ab Edomo originem ducentium; nec ducum nomen ibi accipi neceſſariò pro rectoribus aut magiſtratibus illius populi, quamvis nihil ſit incommodi, ſi initio dicamus hæc fuiſſe conjuncta, & patrio jure primùm fuiſſe gubernatas familias, quarum prima capita fuerunt qui hìc nominantur. Propagato autem populo, fuiſſe inter eos, vel qui uſurparunt dominationem in totam illam gentem, vel quibus delata fuit. Nam ex nominibus & patria uniuſcujuſque regis, ſatis colligitur, regnum non fuiſſe ſucceſſivum à parentibus in filios, ſed vel electivum, vel alia ratione uſurpatum à fortiori. Quod autem de ducibus poſtremò dicitur, non acciperem eodem ſenſu quo prius pro familiarum capitibus, ſed pro regni proceribus, & provinciarum veluti præfectis, propter conjunctionem tot circumſtantiarum, quarum mentio nulla facta fuerat in prima ducum enumeratione; *Nomina*, inquit, *ducum ſecundùm familias ſuas, per loca ſua, ſecundùm nomina ſua*, ſeu, *per loca ſua de nominibus ſuis.* Quibus verbis indicare videtur ducatus undecim, in quos Idumæa diviſa fuit, quod etiam accidere potuit ſub regibus. Sic enim verſ. 43. *Hi fuerunt duces Edomæorum ſecundùm habitationes ſuas, in regione poſſeſſionis ſuæ.* Ex quibus conſtat ducum nomine intelligi partitionem variarum habitationum in Idumæa.

Inter poſteros Seir Choræi nominatur Hana filius Tſibhon, quem ſocerum Eſau fuiſſe diximus. De eo memoratur verſ.24. quod cùm paſceret aſinos patri ſuo, invenit in deſerto את־הימים *ethhajemim.* Quid illud ſit valde controvertitur. LXX retinuerunt Ebræum nomen τοὺς ἰαμεὶμ, ſic enim legitur apud Hieronymum, etſi in vulgatis exemplaribus legatur τοὺς σιμείμ. Theodotio in ſingulari τὸν ἰαμείν. Aquila & Symmachus, τοὺς ἰαμείν. Unde apparet apud omnes illos interpretes non ſatis fuiſſe notum, quid propriè hæc vox ſignificaret, quæ hoc tantùm loco in Bibliis reperitur. Verum quidem eſt, ſublatis punctis, ימים *jamim*, diem ſignificare, vel *jammim* maria. Sed prima ſignificatio non conveniret; ad quid enim illud, invenit *diem* in deſerto? Poſterior non eſſet planè abſurda; ſed ſi nomen illud in ſignificatione adeò uſitata acceptum fuiſſet, mirandum eſſet, tot veteres interpretes Græcos non potuiſſe id videre. Et certè Maſſoretæ hanc vocem hìc tantùm legi notarunt. Hieronymus in traditionibus Ebraicis, ſatis oſtendit ſe non indiligenter fuiſſe verſatum in veræ ſignificationis diſquiſitione, quam magnam fuiſſe apud Ebræos agnoſcit, apud Græcos autem & Latinos ſuper hoc fuiſſe ſilentium. Putant, inquit, alii *jamim*, maria fuiſſe appellata, quaſi congregationes aquarum in deſerto reperiſſet. *Nonnulli aquas calidas juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Ebrææ contermina eſt, hoc vocabulo ſignari.* Quæ opinio fundamentum fuit vulgatæ editionis. *Sunt qui arbitrantur onagros ab hoc admiſſos eſſe ad aſinos, & ipſum iſtiuſmodi reperiſſe concubitum, ut velociſſimi ex his aſini naſcerentur, qui vocantur Iamim. Plerique putant quod equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur.* Hæc Hieronymus, ubi omnes interpretationes memorat, quæ hactenus etiam allatæ fuerunt, neminem enim vidi, qui aliquid novi attulerit, niſi quod Hieronymus Oleaſter, qui per ימים *jamim*, etiam aquas interpretatur, exiſtimat Hana inveniſſe venam *aquæ ſalſæ*, quæ res nova fuit, & ejus inventio utilis. Sed id ex conjectura tantùm habet, ut qui *calidas aquas* ſunt interpretati, nuſquam enim vox *jamim*, etiam pro aquis, aut aquarum congregationibus ſumpta, adjectiva illa *ſalſarum*, vel *calidarum* complectitur: nec etiam nomen ימים *jammin*, pro aquarum vena aut ſcaturigine ſumi ſolet. Eſt quidem vox Ebræa *chammim* חמים quæ *calidas* ſignificat, cujus affinitate ſi deceptus fuit autor editionis vulgatæ, potuit ſupplere nomen aquarum. Sed tum error ejus non poſſet excuſari. Cornelius à Lapide aliam conjecturam affert, ut impenſis Ebræi textus vulgatæ editioni patrocinetur. Vult enim legendum eſſe in Ebræo חימים *chajamim*, cum ח *chet*, & nomen eſſe compoſitum ex חם *cham*, quod calidum ſignificat, & ימים *jammim*, aquas; ſic reperiri aquas calidas in חימים *chajamim*, eliſo מ *mem* initio. Hanc autem ſpeculationem magni facit: *Quod nota*, inquit, *nam id à nullo quod ſciam, eſt animadverſum.* Et certè hoc nomine ſuſpectum debuit ei eſſe inventum. Certum eſt hoc non reſpexiſſe Hieronymum, quem vulgatæ editionis autorem fuiſſe in Pentateucho, vix eſt qui neget, cujus tempore aliter ſcriptum fuiſſe, quàm hoc noſtro, probare Jeſuita nō poteſt. Certè omnes veteres interpretes *jammim* ſcribunt, vel *jameim*, extra compoſitionem. Quod enim dicit, LXX legiſſe ἐαμὶμ, falſum eſſe oſtendit Hieronymus, qui ex illis citat τὸν ἰαμεὶν, quod etiam expreſſit editio Romana. Nec verum eſt, ubicunq; literam *cheth* Græcè aut Latinè ſcribunt veteres interpretes, eam per ε exprimere, præſertim initio dictionum; vix enim aliquod hujus ſcripturæ exemplum reperietur; communiter enim aſpirant primam ſyllabam, quæ à *cheth* incipit, vel H præponunt, vel etiam χ, aut ch. Accedit, quod extra nomina propria, in appellativis non datur exemplum talis compoſitionis, qualem hìc fingit adverſarius.

 Quod

Quod ſi aliqua compoſitio locum haberet, & irrepſiſſet ה *he* pro ח *cheth*, minus coacta eſſet ſi חימים *chajammim* ex חי *chaj* vivens & מים mare, aut aqua, quis interpretaretur *vivas aquas*, id eſt, fontem aut ſcaturiginem. Si ita ludere liceret, nihil non ambiguum in ſcriptura redderetur. Apud Ebræos & pleroſque interpretes qui eos ſequuntur receptiſſima eſt verſio, quæ *mulos* intelligit, quaſi Hana primus fuiſſet autor admiſſionis aſinorum ad equas, ex qua naſcuntur *muli*. Id Auguſtinus Steuchus ita certum putavit, ut hoc nomine non vereatur Vulgatam ſuam reprehendere, & ejus interpretamentum rejicere. Ut verum fatear, nondum mihi liquet. Nec enim video fundamentum Ebræorum ſatis firmum eſſe, videntur enim in eam verſionem adducti hoc argumento, quod *aſinas paſceret in deſerto*, quod leviſſimum mihi videtur. Addiderunt præterea aliud commentum, in opprobrium Edumæorum; nam quia Tſibhon dicitur frater Hanæ, & pater Hanæ, voluerunt unum & eundem fuiſſe cujus Tſibhon eſſet frater & pater, quem propterea fingunt cum matre concubuiſſe, & per nefandum inceſtum filium ex matre ſuſcepiſſe. Fuiſſe igitur פסול *paſul*, profanum Hana, illegitimum & ſpurium, & introduxiſſe in mundum profana & ſpuria animalia. Quæ in odium Idumeæ gentis excogitarunt. Certè cum in ſacra ſcriptura mulorum ſæpè fiat mẽtio ſub nomine פרדים *peradhim*, non video, ſi de eorum prima inventione hoc loco ageretur, cur eo nomine dicti fuiſſent, quod nunquã poſteà uſurparetur. Juvare nos non poteſt Onkelos, qui vertit גבריא *Gibbarajja*, etſi doctiſſ. Fagius hanc etiam vocem trahat ad mulos, propter robur. Sed Chaldæus Paraphraſtes eam ubique pro gigantibus uſurpat. Præterea verbum מצא *invenit*, non accipitur apud Ebræos pro eo quod eſt rem aliquam excogitare, tum enim, ut vidimus, Geneſ. 4. verſ. 20. 21. alia phraſi rerum inventores deſignant. Dicunt enim fuiſſe *patres* eorum qui talia faciunt; id eſt, primos inventores. Verbum autem מצא *matſa*, uſurpatur, cum in aliquam rem factam incidimus. In re tam dubia, nolim interpretes ſuggillare, qui quod potuerunt adduxerunt, & ubi ratio contraria valida non eſt, à vetuſtioribus diſcedere nollem, ſaltem ἐπέχειν adhuc eligerem, præſertim ubi non agitur de ſalutis diſpendio. Dixi quid pleriſque viſum fuerit. Eligat quiſque quod probabiliſſimum videtur. Ego hactenus cum veteribus Græcis vocem Ebræam retineo, quod noſtri fecerunt in *kikajon* Jonæ. niſi quod ibi ſatis apparet herbæ nomen fuiſſe. Hîc neque genus certum, neque certa ſpecies aſſignari poteſt. De generatione mulorum, an ſit contra naturam necne, non exiſtimo hic multis eſſe diſputandum, vel an ab initio à Deo fuerint creati cum reliquis animalibus. Etſi negativa ſententia mihi certior videatur, quandoquidem nec mulæ concipiunt, nec muli ad generationem apti ſunt. Sed hæc obiter. Si qui ex eo quod *aſinas in deſerto paſceret*, aliquid ab ipſo inventum fuiſſe judicent, quod ad deſertum & aſinas referri poſſit, præferrem eam ſententiam quam inter alias Hieronymus notat, onagros in deſerto iniviſſe aſinas, & inde ortos fuiſſe aſinos velociſſimos, quos repeririſſet Hana, non quod id procuraſſet, ſed quod talia animalia reperiſſet & cicuraſſet. Sed hoc in medio relinquo.

Verſ. 33. inter Reges Edom memoratur יובב בן-זרח *Iobhabh ben zerach*. Cujus nominis affinitas, ſaltem prout græcè & latinè ſcribitur cum nomine Jobi, effecit, ut eundem fuiſſe cum Jobo multi ſenſerint. In cujus rei confirmationem adducitur, quod Jobum fuiſſe Idumæum multis argumentis conſtare videtur, etſi Judæi communiter velint fuiſſe Syrum ex poſteris Nachor, quia non poſſunt æquo animo ferre, in gente ſibi inviſa, tam ſanctum hominem fuiſſe repertum. Quod tamen à Deo proviſum fuiſſe videtur, ut hoc patientiæ exemplo magis moverentur Iſraëlitę, nec in afflictionibus ſuis in Ægypto patienter ferendis cedere vellent homini Idumæo. Ergo fuiſſe Jobum rationes iſtæ probabile reddunt. I. Quod terra *Chus*, ex quo fuit Jobus, in Idumæa fuit, ut teſtatur Jerem. Lament. 4. ℣. 21. *Lætare filia Edom, quæ habitas in terra Chus.* II. Quia amicos Job, qui ad eum conſolandum venerunt, Idumæos fuiſſe apparet Jobi vicinos, & inter ſe etiam. De Eliphazo res manifeſta eſt, Themanites enim vocatur; at Theman eſſe in Idumæa conſtat ex cap. 48. Jerem. Buz autem, à quo *Elihu Buzita*, jungitur cum Theman Jerem. 25. verſ. 23. Hanc ſententiam quod Job fuerit Idumæus, maximè probat venerabilis Beza præfat. obſervat. in Jobum. Cui præiverat Mercerus in commentario, nec id in controverſiam vocare vellem. Sed an idem fuerit qui hoc loco vocatur *Iobab*, & rex fuit Idumæorum, merito dubitari poteſt. Saltem argumentum à nomine non valet; Differentia enim nõ levis eſt inter יובב *jobhabh* & איוב *Ijob*. Accedit, quod Regem fuiſſe Jobum, probari non poteſt. Nam etſi ditiſſimus fuerit, ut ex hiſtoria apparet, nihil eſt unde ſuſpicemur fuiſſe Regem. Quod enim nonnulli afferunt ex cap. 2. in quibuſdam editionibus Græcis, *nudus ſuper fimum ſedet, qui paulo antè potens & Rex erat*, neque in Ebreis codicibus, neque in Latinis, neque in Gręco, vel Complutenſi vel Romano comparent: nec ſi id legeretur tamen ſequeretur propriè fuiſſe regem, quia id per ſimilitudinem intelligeretur, de divitiis, honoribus, &c. quibus anteà fruebatur. Virum enim fuiſſe potentem & honoratiſſimum dubitari non poteſt. Sed ſi fuiſſet Rex Idumæorum, id ſcriptura non tacuiſſet quæ exactè deſcribit ejus patriam, opes & potentiam. Itaque non poſſumus iis aſtipulari, qui Ijob confundunt cum rege Jobab; etſi nolimus rejicere ſententiam eorum, qui volunt fuiſſe unum ex proceribus Idumæorum.

Verſ. 37. De Rege Idumæorum nomine *Schaul* dicitur quod fuit מרחבות הנהר *merechobot hannahar*, quod vulgata interpretata eſt *de fluvio Rohoboth*; quæ dicere

dicere debuit *de Rehoboth fluvii.* Alioqui oporteret Rehoboth nomen fluvii eſſe, cui locus ex ſcriptura nullibi poteſt aſſignari. Druſius ex Euſeb. de locis Ebraicis hæc citat; *Rehoboth urbs alia juxta fluvium, ubi erat Rex Edom, & uſque hodiè eſt præſidium in regione Gabalena, & vicus grandis qui hoc vocabulo nuncupatur.* Ambiguitatem omnem tollit alibi vulgata editio, 1 Paralip. 1. verſ. 48. *regnavit pro eo Saul de Rehoboth, quæ juxta amnem ſita eſt.* Ita ut negari non poſſit, hoc loco eſſe mendum in vulgata, quæ *fluvium* habet, pro *fluvii.* Per fluvium autem intelligit Euphratem ſic dictum per antonomaſiam Chaldæus Paraphraſtes. *Saul de Rehoboth quæ eſt ſupra Euphratem:* Etſi nõ videatur Idumæos ſibi quæſiviſſe regem, è regione tam longinqua. Potius igitur intelligendum eſt de fluvio aliquo Idumæam præterlabente.

AD CAPVT XXXVII.

EXERCITATIO CXLV.

Sexta & ultima libri ſectio, ſecundum Ebræos. Aggreditur hiſtoriam Ioſephi. Quo anno Ioſephi acciderit ejus venditio? Lapſus editionis vulgatæ. Quem fruſtra conantur excuſare Ieſuitæ. Iſaacum adhuc in vivis fuiſſe. Concedendam ergo hyſterologiam in hiſtoria, cujus affertur ratio. Vox נער naar, *etiam ad adoleſcentiam extenditur. Cur Ioſeph adjunctus fuerit in arte paſtoritia ancillæ filiis. An Ioſeph fratres ad patrem detulerit, vel contrà. Poſterius affirmatur. Quid intelligendum per* דבה dibbah, *cujus nomine fratres detulit. An laudandum fuerit ejus factum? Delatores qui, & quales. Abſolvitur Ioſeph, & rationes afferuntur. Cauſa invidiæ fratrum in Ioſephum.* Alloqui in pace, *quid? Cauſa affectus Iacobi in Ioſephum. Non à natura tantùm, ſed à judicio. In quo prudentiâ opus eſt. Quam gravia ſint odia fratrum, & cur.* Ketoneth *vox Ebræa, à Græcis uſurpata. Quid* פסים paſſim? *Cur polymitæ veſtis mentio facta fuerit? De ea Iudæorum nugæ. Otioſæ aliorum allegoriæ. Modeſtia in veſtibus ſervanda. An Iacobi factum culpa caruerit? Odium fratrum erumpens in Ioſephum. Origo & cauſa mali* invidia. *Quantum ſit malum.*

HOc capite incipit apud Ebræos ſectio hujus libri ſexta, quæ poſtrema eſt, & ad finem uſque libri perducitur. Pertinet autem ad Hiſtoriam Jacobi & filiorum ejus, ſed præſertim Joſephi, quia occaſione venditionis ejus, & deductionis in Ægyptum, Jacobi familia & poſteritas eò pertracta fuit, ut Deus ſibi viam præpararet ad ea quæ Abrahamo prædixerat, de ſeminis ejus afflictione diuturna, & liberatione mirabili. Aggreditur ergo Moſes hoc capite Joſephi hiſtoriam, in qua agit de ejus venditione. Cujus deſcribit cauſam impulſivam, nempe odium fratrum, ejuſque antecedentia & conſequentia. 2 factum ipſum venditionis. 3 Eventus diverſos, ratione filiorum Jacobi; Jacobi patris; ipſius denique Joſephi.

Egerat præced. capite de habitatione Eſaui, ſeparata à Jacobi fratris tabernaculis, cujus migrationis & ſeparationis cauſas & convenientiam audivimus. Seceſſerat Eſau in terram Seir; *Iacob autem habitavit in terra Canaan, in qua pater ejus fuerat peregrinatus,* nempe ut & ipſe in ea peregrinaretur, non enim in ea habitavit eadem ſorte, qua frater in regione Seir, in qua ſedem fixit. Differebatur enim adhuc poſſeſſio terræ, ob rationes Abrahamo revelatas.

Verſu 2. profitetur ſe deinceps velle ſcribere *generationes* Jacob, cum tamen hoc capite de Joſepho tantum agat, & de fratribus ex occaſione. Merito non probat Mercerus eorum ſententiam, qui per *generationes* intelligunt geſta, vel eventa. Propriè nomen accipi debet, pro generis Jacobi propagatione, ita ut tamen ſimul intelligantur quæ generationi ejus acciderunt. Sed præfatio hæc ad totam reliquam libri partem pertinet, in qua enumerantur animæ omnes quæ cum Jacobo in Ægyptum venerunt, & fundamenta duodecim tribuum populi Iſraëlis.

De anno Joſephi, cum à fratribus fuit venditus, in codicibus Ebraicis & Græcis, & Chaldaicis, harmonia eſt; omnes annum ætatis decimum ſeptimum ei aſſignant. Vulgata latina diſſentit, quæ ſexdecim tantum ei tribuit annos. Hoc ita conciliant qui in vulgata nullum errorem agnoſcere volunt. Quod prædicti memoraverint annum decimum ſeptimum inchoatum; vulgata autem numerare voluit tantum annos completos. Sed ſolutio non ſatisfacit, quia boni interpretis eſt textum originalem exprimere, præſertim in numeris. Deinde, cum interpres non fuerit propheta, & nullum habuerit autorem præeuntem (nam Joſephus etiam ſeptendecim ei aſſignat annos) qua ratione potuit ſcire, annum decimum ſeptimum fuiſſe tantum inchoatum, non completum? Ridicula enim eſt Cornelii Jeſuitæ

ſuitæ Lovanienſis ſpeculatio, nomen בן *ben* præpoſitum numero annorum, oſtendere annos non fuiſſe completos, quia *ben* filius, ſignificat inchoationem, à בנה *bana*, ædificare. Quaſi verò ædificium aliquod non poſſit eſſe completum. Quid, an etiam qui בני אדם *filii hominum* dicuntur, ſunt tantùm inchoati filii, non completi? Pererius maluit recurrere ad *occultum inſtinctum* interpretis, ſed quis nos certos faciet de hoc inſtinctu occulto? Sed præterea notiſſima eſt in Scripturis interpretandis regula, annos currentes in ſacris numerari ſolere tanquam completos, ita ut interpres bona fide non potuerit aliquid demere de numero à ſpiritu Dei deſignato. Sentio tamen cum Eugubino, *credendum non eſſe, hunc lapſum eſſe Hieronymi: nulla enim fuit cauſa, cur hallucinaretur, potius codices temporis progreſſu fuiſſe depravatos.* Bibliothecario Apoſtolico fidem adhibere debebant novi correctores Romani, non enim authenticum pronunciaſſent librariorum errorem.

Ex ſupputatione annorum vitæ Iſaaci, collata cum ſupput. annorum vitæ Jacobi infrà, & tempore nativitatis Joſephi, conſentiunt omnes Iſaacum debuiſſe adhuc in vivis eſſe, cùm venditus fuit Joſeph, imò plures adhuc annos vixiſſe; quidam volunt duodecim, alii undecim. Sethus Calviſius venditionem Joſephi refert ad annum mundi 2217. mortem autem Iſaaci ad annum 2228. anno Jacobi 120. Joſephi 29. Res per ſe eſt evidens. Ex qua conſtat ante mortem Iſaaci venditum fuiſſe Joſephum; cùm tamen hanc hiſtoriam Moſes poſt obitum Iſaaci & ſepulturam recitet, ut neceſſariò concedenda ſit hyſterologia, cujus ratio hæc fuit, quia cùm poſt adventum Jacobi in Hebron, nihil amplius vellet de vita Iſaaci narrare Moſes, & ad ea quæ Jacobo Patriarchæ notanda acciderant pergere deliberaſſet, hiſtoriam Iſaaci operæpretium judicavit concludere per mortem ipſius; & ne deinceps eum alia remorarentur, aut interrumperent intertexta ſeriem & continuum filum hiſtoriæ Jacobi, adjecit præcedens caput de iis quæ Eſauum ſpectabant. Poſteà aſſumens hiſtoriam Jacobi, quia venditio Joſephi reliquis ſequentibus lucem præfert, eam initio præmittere voluit. Quæ agendi ratio prudentiſſima fuit & aptiſſima.

Cum deſignaſſet ætatem Joſephi, quæſierunt interpretes, cur verſ. eodem addiderit, והוא נער *vehu naar*, & ipſe puer, ſatis enim potuit colligi ex ætate ſtatus ejus. Cum iis ſentio qui non ſuperfluè hæc addita notant, ubi tamen advertendum eſt vocem נער *naar* etiam extendi ad adoleſcentiam. Volunt hoc ideo notatum, quia Joſeph ante annos geſſit animum virilem, cum adhuc eſſet puer: Alii volunt adjunctum ad notandam ejus ſimplicitatem puerilem, ne quis putaret ea quæ poſteà recitantur, ab eo facta fuiſſe arte aliqua & animo malo, ſed puerili ſimplicitate & candore, ita ut non caverit fratrum offenſionem, nec offenſos placare ſtuduerit; itaque ingenium puerile & ſimplex hac voce ſignificari. Mallem conſiderari comparationem inter eum & fratres cum quibus paſcebat. Erat puer inter filios Bilhæ & Zilpæ, id eſt, ſi cum iis conferatur grandioribus, adhuc puer erat. Nec dubito hoc facere ad ejus laudem, quod cum junior eſſet, non tamen ſiverit ſe corrumpi malo aliorum exemplo, imò eorum emendationem quæſierit, etſi ad eos comparatus puer eſſet. Probabile autem eſt, potius parentem illum ſociare voluiſſe filiis ancillarum, quam aliis, quod exiſtimarit eorum ſpiritus minus fuiſſe elatos, alioqui quemadmodum æmulationes fuerunt inter Leam & Rachelem, probabile eſt filios Leæ utpote ætate majores, parum detuliſſe Rachelis filiis. Cum autem adhuc viveret Bilha Rachelis ancilla, potuit illa in memoriam heræ ſuæ, ſpecialem liberorum ejus curam ſuſcipere; quæ cauſa fuit cur adjunctus fuerit filiis Bilhæ Dan & Nephtali præcipuè; ſed quia ſimul etiam paſcebant filii Zilpæ Gad & Aſer, factum etiam fuerit, ut cum quatuor illis paſtoritiam artem addiſceret, quorum vitia cum videret, non ſolum non imitatus eſt, ſed retulit ad patrem את דבתם *eth dibbatham*, infamiam eorum *malam*. Vulgata habet, *accuſavit eos apud patrem crimine peſſimo.* LXX κατήνεγκε ψόγον πονηρὸν, id eſt, *detulit eos crimine malo.* Sic enim legunt editio Complutenſis, Regia, & Baſilienſis: Romana autem, & Aldina plane contrario ſenſu κατήνεγκαν legunt, quaſi fratres detuliſſent crimine peſſimo Joſephum apud patrem. Quam lectionem retinuerunt autores tranſlationis latinæ ex Græco Romano, quam novam non eſſe, conſtat ex Cyrillo, Chryſoſtomo, Theodoreto, Iſidoro Peluſiota, & aliis Gręcis qui eam retinuerunt. Quæ tamen ſive à LXX ſit, ſive in eam irrepſerit aliundè, non poteſt probari, cum & Ebræus textus, & res ipſa repugnet: Theodotio, etiam, Symmachus & Aquila veram lectionem retinuerunt in numero ſingulari; ſic etiam Paraph. Chald.

Quæritur, quæ fuerit דבה *dibbah*, cujus nomine fratres detulit apud parentem? Occaſione vulgatæ verſionis, quæ *peſſimum crimen* vertit, multis venit in mentem fuiſſe ſcelus aliquod nefandum, & quod honeſtè nominari non poſſet, velut ſcelus Sodomiticum, aut quid tale. Vox דבה *dibba*, propriè ſignificat murmur, famam, ſermonem, vel rumorem. Poteſt autem intelligi vel activè, vel paſſivè *murmur, ſermo*, &c. eorum, vel pro ſermonibus & rumoribus malis, quos de aliis diſſeminabant, vel pro fama eorum ſiniſtra & infami, qua apud alios malè audiebant. Primâ acceptione ſenſus erit, Joſephum nunciaſſe patri, fratres ſuos multa mala verba, aut ſermones vel maledicos, vel inhoneſtos proferre, fortè de ipſo parente, aut de familia. Potuit etiam fieri, ut jam tum iniquiores Joſepho, quem videbant à patre diligi, eum contumeliis vexarint & dictis mordacibus, de quibus apud patrem conqueſtus fuerit. Si paſſivè intelligamus, ſenſus erit, Joſephum, cùm fratres viſitaret, aut cum iis paſceret,

ſceret, audiviſſe vicinorum vel paſtorum, vel aliorum de fratribus ſuis querelas, qui fortè aliena paſcua invadebant, injuſtè ſe gerebant, & eo nomine apud alios malè audiebant, cujus infamiæ in totam familiam redundantis, bonus adoleſcens parentem monere voluit, quem putavit remedium huic malo allaturum. Hoc malim, quàm quod de Sodomia & beſtialitate conjectant alii. Etſi enim in familia Jacobi tunc damnanda impuritas detecta fuiſſet, non putarem tamen eò uſque turpitudinis fuiſſe progreſſos, ut in libidinem tam fœdam proripuerint, ſpectante vel conſcio fratre juniore. Si verba eorum mala detulerit, id ad vitium detractionis & maledicentiæ, vel etiam *αἰσχρολογίας* pertinet, quo laboraverunt. Si aliorum de iis famam & relationem, ex eorum injuſtis factis, occaſio talis rumoris nata erat. Gallica verſio activè intellexit, *Ioſeph rapporta à leur pere leurs meſchantes paroles de diffame.* Convitia eorum, aut verba infamantia patri referebat. Hoc etiam malim, quia quorum nomine eos deferebat, talia fuiſſe videntur, quæ aliundè Jacob diſcere non poterat; quæ ſi famâ vulgata fuiſſent, ad ejus etiam aures; ſilente Joſepho, potuiſſent pervenire. Præferrem ergo ſententiam, quæ id refert ad jurgia & rixas, quæ inter eos movebantur, vel ad probra, quibus eum afficiebant, vel etiam ad murmura, quibus ne patri quidem parcebant; quæ tamen omnia malæ mentis, & mali animi fuerunt indicia.

Nunc difficile non eſt judicium de facto Joſephi, An ſcilicet laudandum ſit necne, quod fratres detulerit apud parentem? Cauſæ dubitandi ſunt, quod non legimus quo animo id fecerit, an ex odio mali, an ex aliqua in fratres ſimultate, an ut ea ratione parentem ſibi magis devinciret, & à fratribus alienaret; an quod fit ſæpè à pueris, ex aliqua linguæ intemperie, & levitate animi, quæ effutiunt nota & ignota. Certè de talibus delationibus vel accuſationibus, judicandum eſt ex mente & ſcopo accuſantis, quantum quidem innoteſcere poſſunt. Alioqui vulgò etiam malè audiunt delatores, etſi aliquando vera ſint quæ deferunt. Eſt enim delatio, accuſatio occulta, malo animo facta; & plerumque eorum eſt qui, *quoniam proprio bono carent quo innoteſcant, ex alienis malis ſe ipſos commendant*, ut eos deſcribit Maximus Serm. 53. Sapiens certè Proverb. 20. 19. prohibet, *ne admiſceamur revelanti arcanum, & ambulanti cum detrectatione.* Imò lex ipſa Levit. 19. 16. *Ne incedas delator in populo tuo.* Diabolus, *accuſator fratrum noſtrorum* appellatur, Apoc. 11. ℣. 10. Exempla etiam ſunt delatorum in Scriptura, qui, etſi vera retulerint, infames habentur: ut Doeg prodens Sacerdotes ſua delatione; Cham nuncians fratribus patris dedecus, &c. Sed nihil ſimile eſt in facto Joſephi: non enim vel malo animo, vel apud malè volentem detulit fratres, ſed ad parentem communem; non ut infamiam eis procuraret, ſed ut eam præcaveret patris operâ, cujus maximè intererat. De hoc ejus animo judicamus 1. ex indole, quæ in tota hac hiſtoria ſatis apparet, candida & ab omni malevolo animo aliena. 2. Ex eo quod non apud alios, fratres traduxit, ſed tantum patrem monuit, qui potuit corrigere, unde ſatis conſtat quo animo ductus id fecerit. 3. Ex ipſius Jacobi patris facto, qui cum fuerit vir pius & prudens, Joſephum eo nomine non reprehendit, aut non prohibuit quominus perſiſteret in delatione. Itaque nec malo animo id feciſſe dicendus eſt, nec ſibi alium finem quam bonum propoſuiſſe; Quæ duæ conditiones ſi abſint, poſſunt reprehenſionem, alioqui neceſſariam vitiare. Tertia additur, de modo indebito. Poteſt enim aliquis accuſare, ex affectu bono, & corrigendi ſtudio, qui tamen id non faciet debito modo. Videtur autem is debitus eſſe modus, quem etiam Chriſtus nobis obſervandum præſcripſit, ut prius privatim & ſecreto admoneamus fratres, quam apud alios deferamus. Fit enim ſæpè ut corrigatur infamiæ metu, qui obfirmatur in peccato, quod publicatum videt, vel excuſſo pudore; vel nè ipſum pudeat, peccatum pertinaciter negante, aut etiam defendente. Nec etiam in hac tertia conditione peccaſſe Joſephum putamus. 1. Nemo poteſt præcisè negare Joſephum antea monuiſſe fratres ſuos, etſi de eo nihil Moſes expreſsè dicat. 2. Si id etiam concedamus, non fuiſſe præmonitos, id referendum eſſet non ad defectum charitatis, ſed ad diffidentiam autoritatis. Videbat fratres ſuos majores eſſe, neque patienter laturos, ſi à puero viri reprehenderentur; metuebat itaque ne eorum animos magis exaſperaret. Quod igitur non potuit per ſe, per eum procuravit, qui & autoritate pollebat, & quem noverat honoris familiæ ſuæ ſollicitum. Non igitur in vulgus enunciavit, neque ad publicum judicem detulit, ſed ad eum qui corrigere potuit ſine corporali & ſpirituali detrimento. Quod autem per ſe non fecit, id referendum eſt *ad conſilium charitatis*, quod Auguſt. lib. 1. de civit. Dei cap. 9. tribuit ei, *qui objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia oportunius tempus inquirit, vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficantur, &c.* Quamvis autem ita ſe geſſerit prudenter, nec veriſimile ſit Jacobum filios reprehendentem, Joſephi delationis meminiſſe, ſatis tamen illi intellexerunt, id aliter patri non potuiſſe innoteſcere: nam hæc videtur inter alias cauſas proponi, cur fratri tam fuerint infenſi.

Alia additur verſ. 3. & fortaſſe aliarum omnium origo & incitamentum, quod nempe Jacob diligebat Joſephum ſupra omnes filios ſuos, eúmque etiam diſtinxerat veſte multicolore. Hæc enim proponitur tanquam præcipua odii cauſa, verſu 4. *ob quam non poterant ei pacificè loqui*, quæ verba non abs re judicavit doctiſſ. interpres eſſe priorum exegetica, ubi actum fuit de oblocutione eorum mala, & favent ſententiæ, quæ accuſationem & querelam Joſephi refert ad probra & maledicta quæ in eum injiciebant fratres ejus, qui non

Xxxx poterant,

poterant, דברו לשלום *dibberu Leſchalom*, alloquuti eũ in pace. Hinc ſermones illi mali, & convitia, ex odio præconcepto, qualia fuerunt verba Eliab fratris maximi in Davidem, 1 Sam.17.verſ.28. *Ego novi arrogantiam tuam, & nequitiam animi tui*, &c.

Ratio cur Jacob dilexerit Joſephum ſupra omnes alios, fuit, *quia in ſenectute genuerat eum*, quæ poſteà etiam in Benjamino locum habuit. Huic addi potuerunt aliæ duæ; una, quod eum ſuſcepiſſet ex Rachele uxore dilectiſſima; altera, quod moribus ejus delectaretur magis, & in eo cerneret plura virtutum heroicarum indicia & ſpecimina. Prima ratio omnibus filiis Jacobi videtur communis fuiſſe, erat enim ſenex jam tum, cum animum ad conjugium applicuit. Nihilominus quia Joſeph fuit poſtremus inter undecim, quemadmodum poſteà vocabit Rubenum initium roboris ſui: ſic Joſephus & Benjamin inclinantibus parentis viribus geniti fuerunt. Non poteſt probari illorum ſententia qui ſenectutem ad Joſephum referunt, quod pater genuerit eum *ſenem moribus*. Huc enim nõ reſpexit Moſes, ſed naturalem & ordinariam cauſam notare voluit, qua hoc impreſſum ferè eſt omnium parentum cordibus, ut affectu majori ducantur in minimos liberorum, id etiam providente autore naturæ, quia defenſione & cura parentum magis opus habent. Tunc etiam recentior eſt memoria luſuum puerilium, quibus magis delectantur ſenes, quam ſeverior ætas, aliis intenta. Diſtinguendum eſt nihilominus inter externa affectus indicia, & teneritudinem, ſi ita loqui fas ſit, & amorem ſive propenſionem qua ferimur in noſtros ratione dignitatis & excellentiæ. Tunc enim, *cæteris paribus*, qui prudenter amant, majores natu pluris faciunt, & eorum jacturam graviorem ducunt. Dixi *cæteris paribus*; nam ſi in minoribus multum ſuperet indoles, culpari non poteſt vir prudens, qui in donorum inæqualitate, non ſe præbet in omnes æqualem, imò præfert eum, cui naſcendi ordo primas non dedit. Quæ certè Jacobi Joſephum plus diligentis affectum, non ſolum à natura fuiſſe, ſed etiam ex judicio profectũ oſtendunt. Moſes tamen, naturalem ſolam rationem profert, quæ ſpectat teneram hanc curam parentũ in minimos, fortaſſe quia vir ſapiens eam ſolam præ ſe tulit, ut aliorum declinaret invidiam. Non enim ſolent ætate provectiores, ſi prudentes ſint, minimis fratribus invidere aliquos parentum poppyſmos, quibus ipſi per ætatem minus apti ſunt, & putarent ſibi injuriam fieri, ſi adhuc pueriliter cum ipſis ageretur. Sed cum ad adoleſcentiam tum perveniſſet Joſephus, ipſius fratres intellexerunt, affectum illum etiam aliud ſpectare, idcirco, cum exiſtimarent ſe præ illo contemni, ex invidia ſequutum eſt odium. Et certè difficile eſt, in eo ita ſe prudenter gerere, præſertim in ampla familia, ut omnibus ſatisfiat. Itaque, qui pacem in familia ſua inter liberos ſuos conciliare cupiunt, in hoc præſertim intendere debent, ut quantum fieri poteſt, filios æqualiter habeant, ratione educationis, veſtium, bonorum, &c. ne alii ſupra alios ſuperbiant, alii qui ſe contemptos vident, ultionem meditentur, atque ita invidiis & contentionibus tota domus concutiatur. Solent enim inter fratres odia eſſe acerbiſſima, cujus rei rationem hanc affert in Politicis Philoſophus, lib.7. cap.7. quod omnis mutatio fiat ex contrario in contrarium, ideoque ſummus amor in ſummum odium converti ſolet. Deinde, quod videtur acerbior eſſe injuria à fratre vel ab amico illata, acerbum enim ducunt homines ſi malum accipiant ab iis, à quibus beneficium expectaverant.

ועשה לו כתנת פסים *veaſa lóKethoneth* paſſim, *& fecit ei tunicam particularum*, ſic ad verbum interpretatur Arias, ubi ſcilicet quæquæ pars ſit particularis coloris. Hieronymus Græca voce *polymitam* reddidit, id eſt è multis & diverſorum colorum filis. Septuaginta ſimpliciter ποίκιλον id eſt *variam*, Gallicè *bigarrée*. Aquila *talarem*, Symmachus *manicatam*. Vox Ebræa כתנת *Kethoneth*, à Grçcis uſurpata eſt, inde enim χιτών. Galli etiam dicunt *hoqueton*, ab eadem radice. Hujuſmodi veſtes acu pictæ & variorum colorum in pretio erant. Nec putandum eſt fuiſſe prohibitas in lege, quia ex diverſis filis contextam veſtem non permittebat; id enim intelligi debet de variis ſpeciebus, ut lana & filo, non de variis lanæ vel fili coloribus; meminit enim Scriptura acu pictorum & Phrygionicorum; in qua etiam Thamaris Davidis filiæ tunica פסים *paſſim* acu picta & multicolor memoratur, 2 Sam.13.verſ.18. Qua virgines regum & magnatum filiæ ornabantur; ubi vulgata habet *talarem tunicam*. Sed prima interpretatio de veſte multicolore, polymita quam hic etiam vulgata ſervavit, aptiſſima eſt.

Duæ ſunt autem rationes cur tunicæ illius meminit Moſes. 1, Quia ejus occaſione aucta eſt fratrum invidia, qui hoc tanquam ſigno, affectum parentis erga Joſephum agnoverunt, quod notabili veſte eum indueret, & à fratribus ita diſcerneret, ut id etiam quivis poſſet intelligere. Nam Joſeph tum erat grandior, alioqui ſi annis minor fuiſſet, puta vel infans, vel ſeptennis aut octennis puer, nulla fuiſſet ratio vel prætextus invidiæ, quia ſæpè ſolent talibus indulgere parentes, & qui adhuc domi ludunt ornare veſtibus quæ aliàs non decerent adoleſcentiam. 2. Ratio eſt, quia paulo poſt occaſione polymitæ veſtis, excogitaturi erant fratres commentum quo parentem fallerent, & facinus ſuum tegerent, ut ſuo loco videbitur. Iraque conveniens fuit, ut præmitteretur aliquid de veſte, quæ debuit eſſe fallaciæ tegmen. Nugæ ſunt Judæorum, veſtem illam fuiſſe *byſſinam*, vel fuiſſe veſtem ſacerdotalem, qua Joſephum inſigniverat Jacob, in ſignum primogenituræ. Miræ ſunt etiam nonnullorum veterum allegoriæ, ut Philonis, qui in veſtis varietate agnoſcit multiformem ſolertiam, prudentiam & induſtriam viro civili neceſſariam: aut Gregorii, qui talarem veſtem vult ſignificare perſeverantiam in benè agendo uſque ad finem.

Hæ ſpeculationes arbitrariæ ſunt, & variæ à quolibet poſſunt excogitari, nec tanti faciendæ, ut qui judicio pollet iis colligendis det operam; vel etiam refellendis laboret. Certum eſt Jacobum nihil tale cogitaſſe, ſed bonum ſenem id juniori adhuc filio indulſiſſe, nec exiſtimaſſe cum id faceret, ſe majorum fratrum animos exacerbaturum, de quorum affectu erga fratrem, fortè judicabat ex ſuo. An rectè fecerit, vel ſecus, eum ſic ab aliis diſtinguendo, & veſte diverſa ornando, poſſet quæri. Verſicolores veſtes, pro regionum quas incolimus more, & ætatum gradibus, non puto per ſe à quoquam culpari poſſe. Modeſtiam in veſtibus ſervandam eſſe apud omnes pios conſtat; rationem etiam decori eſſe habendam, Utriuſque Jacobum memorem fuiſſe non dubitem, etſi affectum quendam teſtari voluerit hoc ſpeciali ornamento erga filium. Si autem prævidiſſet differentiam illam occaſionem invidiæ daturam, poſſet deſiderari in hoc facto prudentia. Cavendum enim parentibus ne ſementem jaciant diſcordiæ in familia. Sed cum res non fuerit tanti, culpa potius in filios quam in patrem eſt rejicienda, qui adeo delicati fuerint, ut in rebus penè nihili, patri voluerint legem imponere, & affectibus ejus dominari.

Verſ. 4. detegitur eorum animus malus, ex occaſione non mala. Viderunt Joſephum à patre diligi præ reliquis filiis. Hinc odium in corde, & mala verba in ore, donec manus etiam ad mala facta prorumperent. Hæc videntur in genere omnibus aliis fratribus tribui; nam etſi initio fuerit cum ancillarum filiis, & de iis antea dictum fuerit, quod eorum verba mala referret patri, videntur tamen etiam filios Leæ ad ſe pertraxiſſe, ut poſtea patebit, nam invidia illa fuit communis, præſertim poſt ſomnium, de quo poſteà agetur. Primus odii effectus, fuit quod non potuerunt cum eo pacificè loqui: Ergo verbis durioribus primò eum exceperunt, quibus animi exulcerati indicia dederunt. Non dubitandum tamen eſt quin aliquo prætextu ſint uſi, ut ſupra in fratre Davidis vidimus; vix enim auſi fuiſſent directè illum vexare, propter indicia paterni affectus; ſed abutentes prærogativa ætatis, & fortaſſe experientiæ in paſtorali cura, duriores ſe pædagogos præbuerunt, quam indoles ejus requiſiviſſet. Docilem enim fuiſſe & morigerum apparet, eoque etiam nomine Jacobo charum. Quod autem Judæorum quidam interpretes apud Mercerum, in iis laudant, quod minimè diſſimularint odium ſuum, contra quam fecit Abſalon erga Ammon fratrem ſuum, quem cum odiſſet & in eum dura conſilia agitaret, non tamen ei locutus eſt *à bono ad malum*, non eſt magnæ laudis argumentum, præſertim cum non minus pernicioſa conſilia ceperint adverſus fratrem, quem ita verbis exagitaverant, ut nihilominus caverint ne detegerent quod in corde fovebant. Neque enim in ea verba irruperunt, quæ antea ira dictaverat Eſau contra Jacobum, dum ſe ſolaretur ſpe occidendi fratris: cum tamen idem mente verſarent. Et hic certè ſubit mirari ingenii humani miram corruptionem, cum hucuſque viderimus in tribus ſanctis familiis tantoperè exarſiſſe fratrum odia, ut in una ad necem uſque progreſſus ſit frater adverſus fratrem; in altera conſilium de fratricidio meditatum eruperit in minas: in tertia idem fuerit tentatum, ut poſteà videbitur.

Tanti autem mali origo & cauſa movens, *invidia* fuit, in Caino, in Eſauo, & in Joſephi fratribus: quo malo nullum eſt inter homines magis pernicioſum, & ſocietati humanæ magis noxium: quod nec in familiis pacem, nec in republica tranquillitatem ferre poteſt; quo invidus non in alios tantum, ſed in ſe ipſum injurius, alienis bonis torquetur, & ſua non procurat. Ut enim rubigo ferrum, ſic etiam hoc vitium invidum ipſum conficit & conſumit; quo tormento ne Siculi quidem tyranni majus invenêre. *Serram animæ*, invidiam Anacharſis appellavit, & Socrates *ulcus*. Sed nemo melius eam deſcripſit Sapiente Proverb. 14. verſ. 30. *Putredo*, inquit, *oſſium invidia*, adeo ut invidus ſui ipſius carnifex exiſtat & αὐτοφονεὺς ſive αὐτοκτόνος, qui ſibi ipſi utrumque oculum patitur erui, ut proximus uno privetur. Morbus hic virtute & aliorum gloria & honore per accidens excitatur. Ut lippi oculi ſplendore offenduntur & læduntur, ſic invidia aliorum bono & honore exacerbatur; *quam fortunatorum antagoniſtam* appellavit Ariſtoteles. Sed præſertim adverſus pios & ſanctos commovetur, quod exempla allata probant, maximè exemplum filii Dei, cujus utcunque Joſeph videtur geſſiſſe figuram. De ſuis enim queritur, Pſal. 69. verſ. 9. *Extraneus ſum à fratribus meis, & alienus à filiis matris meæ.* Hic pluribus amplificari poteſt locus communis moralis, *de invidia*, de qua legi debent quæ Plutarchus in moralibus ſpeciali tractatu diſſeruit, & quæ ex eo & aliis apud Pererium hoc loco habentur.

EXERCITATIO CXLVI.

Somnia Ioſephi, quibus fratres exacerbantur. Horum interpretatio obvia. Expenditur increpatio Iacobi, qua Ioſephum eo nomine reprehendit, & quam juſtè, quæritur. An Ioſephus narraverit ſomnia ſua jactabundus? Id potius ad ſimplicitatem referendum. Solvitur objectio, cur immiſſum fuit ſomnium, ſi eventum ejus certum neſcivit Ioſephus, vel ipſe parens? Quæ fuerit Ioſephi mater cujus Iacob meminit in ſua objurgatione. An ſomnium ex parte Iacobi fuerit impletum? Affirmatur. Occaſiones bonas Deum offerre, quibus novit malos abuſuros ad peccandum, & Deum omnia ad ſuum finem dirigere.

SEquitur ℣. VI. & ſeqq. aliud invidiæ incitabulum. Bis Joſeph ſomniat, & ſomnia ſua primum fratribus, poſteà etiam patri & fratribus ſimplici animo recitat. Utrumque ſomnium præſagiebat ei dominationem in familiam paternam, idque fratres ſatis intellexerunt, unde invidiæ jam conceptæ, & odii fomes. Primum ſumptum eſt ex rebus terreſtribus, ſpicis nempe & manipulis, quibus indicabatur frumentatio, cujus cauſa in Ægyptum ituri erant Iſraëlitæ, & Joſepho ſubjici. Secundum ex rebus cœleſtibus deſumitur, & eandem prædictionem continet, niſi quod amplificatur, & parentes etiam Joſephi complectitur, ſub nomine Solis & Lunæ. Fuit autem ſomniorum illorum interpretatio adeo obvia, ut non ſolum parens Jacob, ſed etiam fratres primo auditu, quid portenderent, ſi quidem vera eſſent, animadverterint. Sed videntur illi ſuſpicati fuiſſe, confícta fuiſſe à Joſepho, quaſi jam id agitante & præſumente, qui propterea eum odio magis ac magis habuerunt.

Id de fratribus mirum non eſt, ſed de Jacobo patre quod dicitur verſ. decimo diligenter expendi debet; Videtur enim & ille prædictionem illam rejeciſſe tanquam abſurdam, & ejus nomine ſuccenſuiſſe Joſepho. ויגער *jajigar*, & increpavit eum; addidit autem rationem increpationis, *Quid ſibi vult hoc ſomnium quod vidiſti, num ego, & mater tua, & fratres tui, adorabimus te ſuper terram.* Quaſi diceret, vides quam hoc ſit abſonum, proinde ſomnium tuum vanum eſſe, cujus ratione non eſt quod tibi aliquid magni pollicearis. Additur tamen verſ. 11. pater ejus שמר *ſchamar*, obſervabat את הדבר *eth haddavar*, verbum, id eſt, *rem illam.* Vel rem intellexit Jacob, & putavit ſomnium eſſe à Deo immiſſum; vel exiſtimavit vanum eſſe; vel in dubio hæſit. Si intellexit ſomnii prædictionem, eamque divinam judicavit, cur increpuit filium, cur prophetiam tanquam abſonam traduxit; ſi vanam putavit, non ab autore Deo revelatam, ſed in filii phantaſia, ex cogitatione alicujus præcellentiæ conceptam, quod fortaſſe putarunt fratres, cur *rem illam tacitus obſervavit?* Id enim ſcriptura ſolet dicere, cum quis, quæ dicuntur aut fiunt, judicat conſideratione digna eſſe: ſic enim Maria Luc. 2. verſ. 51. quæ de puero dicebantur, tacita apud ſe ſervabat. Exiſtimo quidem, potius tertium illud dicendum eſſe, Jacobum adhuc hæſiſſe dubium, & initio quidem perculſum fuiſſe narratione ſomnii, tanquam parum credibilia & abſona præſagientis, ideò commotiorem aliquantulum, increpaſſe Joſephum. Cum tamen poſteà animo verſaret ſomnii repetitionem, & conſideraret in Joſepho dotes eximias, in eam ſententiam viſus eſt inclinare, ſomnia illa à Deo eſſe, etſi non videtur id certò, ſpiritu prophetico præcognoviſſe. Ratio eſt, quia poſteà non ita facile credidiſſet malam beſtiam devoraſſe filium ſuum; nec, cum audivit eum in Ægypto dominari, rem in dubium vocaſſet, quod eum feciſſe legimus, cap. 45. Nec propterea parum conſtantis judicii argui poteſt ſanctus Patriarcha, ſi in tali occaſione anceps aliquomodo fuit, quia, ut anteà etiam à nobis animadverſum memini ſupra, ubi de ſomniis egimus, cum variæ poſſint eſſe ſomniorum origines, & rerum qualitatibus alternent, nec primo ſemper occurrit quo impulſu ſuggerantur, prudentis viri eſt, de iis ſuſpendere judicium, niſi extraordinaria ratione Deus interpretationem ſuggerat, cui res occultas revelanti, ſi quis non fidem adhiberet, jure reprehenderetur.

Quod ſi quis dicat, ſaltem Jacobum in hoc dubio mitius agere debuiſſe cum filio, cum neque ſomnia ſint voluntaria, neque hactenus Joſeph apud eum in ſuſpicionem veniſſet ſuperbiæ vel ambitionis: & ſemper inclinandum eſſe in partem mitiorem, ubi in contrariam nihil certius habemus. Reſpondemus prudentiſſimè feciſſe Jacobum. Probabile enim eſt non illum latuiſſe quam ægrè tuliſſent fratres narrationem prioris ſomnii, & vidiſſe eorum invidiam in Joſephum in dies creſcere; Cavere igitur voluiſſe his durioribus verbis, ne putarent patrem inclinare in eam quam ſomnia portendebant dominationem, & ita judicio ſuo eorum odium temperare, ut etiam Joſepho frænum injiceret, ne modeſtiæ limites tranſiliret, & elatos nimium gereret ſpiritus. Quod prudentiæ exemplum parentibus imitandum; neque enim ſemper expedit junioribus, ut ante maturam ætatem norint, ſi quid ipſis ſervetur aut promittatur conditionis lautioris, donec eam acquiſierint

rint experientiam, qua poſſint magnam fortunam ſuſtinere, ita ut ſe non efferant nimium, & modeſtiæ fines non prætergrediantur. Itaque nihil videmus in Jacobi facto, quod in culpæ ſuſpicionem trahi poſſit apud æquos rerum æſtimatores.

Sed de Joſephi narratione ſomniorum iterata, fuerunt etiam varia judicia: fuerunt enim qui eum notarunt vanitatis, quaſi jactabundus talia narraret, quorum ſignificationem noverat, quem ſomniorum ſagaciſſimum interpretem fuiſſe ex ſequenti hiſtoria clarum fiet. Sic enim Ebræorum quidam, ſibi in ſuis ſomniis placuiſſe, & eadem jactabundum recitaſſe, & eam fuiſſe cauſam exacerbati fratrum animi. Quod tamen cenſemus à Joſephi moribus alieniſſimum. Potior nobis videtur eorum ſententia, qui ex mera animi ſimplicitate, exiſtimant ea propoſuiſſe quæ ei à Deo ſuggeſta fuerant, nullo faſtu, levitate aut vanitate ductum. Nec veriſimile eſt eum tunc intellexiſſe quid ſignificarent, aut crediddiſſe à Deo fuiſſe immiſſa certiſſimè. Nam etſi poſteà per ſomniorum interpretationem evectus ſit ad illud culmen honoris, quod ei ſomnia promittebant, non tamen neceſſarium eſt ut dicamus, eum, jam tum cum hæc ſomniaret, dono illo fuiſſe præditum, quo Deus ei viam aperuit ad ſummam dignitatem. Non puto igitur, quod voluit Bernardus in tractatu de gradibus humilitatis, eum certo ſciviſſe ſuam exaltationem.

Sed inſtare quis poſſet, ſi neque fratres crediderunt ſomnium eſſe divinum, & ejus interpretationem effectum ſuum ſortituram; neque Jacob intellexit certò quid ſignificaret, neque ipſe Joſephus cum ſomnia ſua narravit, ſibi talia promiſit eventura; cur immiſſum fuit ei à Deo tale ſomnium? Reſpondemus, talium prædictionum utilitatem non eſſe ſemper exigendam ad rationes temporis quo primò ſuggeruntur; ſed à Deo ſæpè immitti iis qui de ſignificatione & eventu non quidem tum cogitant, ſed poſteà cum implentur, vel ipſi vel alii revocant in memoriam, id anteà fuiſſe prenunciatum. Quod in pleriſque prophetiis accidiſſe novimus, & præſertim in plurimis Domini noſtri dictis, quorum ſenſum tum demum intellexerunt diſcipuli, poſtquam ea viderunt impleta; Et hæc cauſa fuit potiſſima, cur noluerit Deus, vel Joſephum ſomniorum ſuorum oblviviſci, vel ea apud ſe continere: Quemadmodum enim divinitus ei injecta fuerunt ſomnia, ſic etiam valdè probabile eſt, eum divinitus fuiſſe incitatum & inſtigatum ad ea fratribus & parenti narranda, ut exaltatio ejus à Deo præordinata, poſtquàm in effectum eſſet perducta, agnoſcerent illi, quorum maximè intererat, Deum id omne quod fiebat, longè ante prævidiſſe & diſpoſuiſſe. Idcirco, etſi ad ea referenda adductus fuerit, ex quadam pura & innocenti ſimplicitate, non tamen dubium eſt, Deum eum direxiſſe, quia id evulgari intererat; injeciſſeque in audientium animis aliquam ſignificationis ſomnii ſuſpicionem, quæ ſufficeret, ut, ſuo tempore, meminiſſent, non eſſe planè rem novam, cujus eventum perſpicerent.

In objurgatione qua utitur Jacobus, difficultas quædam emergit ex eo quod matris Joſephi meminit. Certum eſt enim illam obiiſſe diem cum hæc acciderunt. Tum enim habitabat Jacob in Hebron, in quem locum non venerat, niſi poſtquam in via Bethlehem ſepeliverat Rachelem in partu Benjamini mortuam. Id etiam probat ſimilitudo undecim ſtellarum, quibus ſignificabantur undecim Joſephi fratres, quorum unus erat Benjamin. Præterea, cum ſomnii iſtius complementum in Ægypto evenerit, & certum ſit, Rachelem nunquam in Ægyptum veniſſe, non potuit ſomnium intelligi de matre Joſephi. Fuerunt inter veteres qui quæſtionis hujus nullam ſolutionem, quæ ipſis ſatisfaceret reperientes, ad myſterium & allegorias ſe converterunt. Itaque id ad Chriſtum retulerunt, cui etiam mortui ſubjiciuntur, &c. ſed hæc minus probabuntur iis qui quam parum ſit ſoliditatis in iſtiuſmodi allegoriis, norunt. Alii igitur exiſtimarunt, data opera Jacobum meminiſſe matris Joſephi, quam omnes obiiſſe noverant, ut ea ratione mitigaret irritatos fratrum ejus animos, qui videntes quam abſurdum illud eſſet, ut jam demortua mater coram filio ſuo procumberet, idem judicium facerent de totius ſomnii partibus, & vanum eſſe exiſtimantes, talia pro nihilo ducerent, nec eo nomine in fratrem ſuum magis exacerbarentur; Quam ſententiam ex Ebræis quibuſdam hauſit Lyranus, nec caret probabilitate ſua; etſi Mercerus, eam ut nimis argutam, minus probet: putetque Jacobum nomine matris, eam intellexiſſe quæ tum in familia ſua eminebat, quæ materfamilias appellatur, etſi propriè non eſſet mater Joſephi, ſed tantum noverca. Solis & Lunæ nomine, totius familiæ capita intellecta fuiſſe extra controverſiam eſt. Somnii igitur ſignificatio reſpexit totam familiam, qualis eſſe debuit eo tempore quo Joſephus erat evehendus, & patris familia in Ægyptum deſcenſura. Veritas autem ſomnii conſtare potuit, etſi tum nulla uxorum Jacobi vixiſſet: Quia voluit ei Deus talem dignitatem præmittere, ad quam nemo erat in ædibus Jacobi, qui non eſſet procubiturus, quod ex hypotheſi intelligendum eſt de iis qui tum viverent, aut ſi viverent.

Cum ergo tunc vixerit Jacob, reſtat inquirendum an id in eo impletum fuerit, ut coram filio procumberet. De fratribus enim id extra dubium eſt ſæpè eos feciſſe, & cum nondum fratrem agnoſcerent, & poſteà etiam cum ſe iis revelaſſet. Sed de ipſo parente Jacobo dubitari poſſet. Ex hiſtoria tamen probatur, Jacobum per filios quos in Ægyptum mittebat, priuſquam didiciſſet eſſe filium ſuum, ei omnes honores detuliſſe, qui tum magnatibus deferebantur ab iis qui ſe ordinis inferioris agnoſcebant. Itaque cum interrogarentur à Joſepho an pater eorum adhuc viveret, reſpondebant, *Soſpes eſt ſervus tuus pater noſter, & adhuc vivit, &*

incurvati adoraverunt eum, infra cap. 43. verſ. 28. quod nomine patris fecerunt, qui etiam juſſerat verſ. 11. ut ad virum illum munera ferrent, de laudatiſſimis rebus regionis. Cum autem veniſſet Jacob in Ægyptum, etſi expreſſè non legamus eum procubuiſſe coram filio, non tamen dubitandum eſt, quin in filio coluerit dignitatem proregis ad quam evectus fuerat, & ita etiam impleverit quod in ſomnio fuerat indicatum.

Somnium autem illud, & alia quæ per ſe bona ſunt objecta filiis Jacobi, ponimus inter eas occaſiones quas impiis objicit Deus, & quibus illi abutuntur ad mala perpetranda, cum tamen Deus & eas proponat ſine ulla injuſtitiæ labe, cum bona ſint; & malis etiam impiorum conſequentibus actionibus benè utatur, ad gloriam ſuam, & ſalutem ſuorum. Id etiam agnovit Arminius in Theſibus ſuis de providentia Dei in malo, Theſi. 15. *argumenta quibus fratres Ioſephi incitati ſunt pro ſua malitia, ut fratrem ſuum è medio ſublatum vellent, & occaſiones quibus illum è medio ſuo aufferre poterant, illis diſpenſatione divina oblata fuiſſe, partim mediato hominum actu intercedente, partim immediato ipſius Dei.* Addit, argumenta fuiſſe, accuſationem Joſephi, qua fratrum ſuorum prava facta patri detegebat; amorem Jacobi peculiarem erga Joſephum; & ſomnii immiſſionem, immiſſique narrationem, quibus fratrum animi odio & invidia adverſus ipſum accenſi fuerunt. Ergo hæc etiam fuerunt media quæ Deus ſapienter præparavit & diſpoſuit ad finem à ſe decretum, in quibus omnibus ita operatur ejus providentia, ut etſi mala quædam admiſceantur & interveniant hominum culpa, quorum ordinator eſt Deus, bonorum tamen tantum dicendus ſit autor & promotor.

Exercitatio CXLVII.

Cæcitas eorum qui conſiliis Dei obſiſtunt. Occaſio quam arripuerunt fratres Ioſephi, ut conſpirarent de eo tollendo. Providentiæ Dei conſideratio in dirigendis eventibus rerum, extra hominum cogitata. In obedientia ſenſus mandati ſpectandus eſt, nec adhærendum verbis præciſe. Sichem quæ fuerit in qua paſcebant Iſraëlitæ. Dothaim *ubi ſita. An qui monuit Ioſephum fuerit Angelus? Negatur. Fratrum ejus deteſtanda conſilia. Nominis* Baal *varia ſignificata.* Magiſter ſomniorum. *Iſraëlitarum in fratrem crudelitas. Vſus talium exemplorum. Deus ſiſtit eorum conatus.* Percuſſio animæ, *Ebrææ phraſi quid? Rubenis conſilium in ſe pernicioſum, ſed animo non malo propoſitum. Iudæorum ſophiſtica in excuſando homicidio. Vnde motus fuerit Ruben ad conſulendum Ioſephi vitæ? Orientalium veſtes longæ. Ciſterna quid. Locus* Zach. 9. verſ. 11. *cum hoc collatus.* Comedere panem *pro cibum ſumere. Auguſt. doctrina de bona hominis voluntate à Dei voluntate diſſentiente, expenditur, & probatur. Variæ diſtinctiones voluntatis divinæ, quæ nullam in Deo arguunt mutationem.*

Hactenus occaſiones expenſæ fuerunt, quibus odii flammæ adverſus Joſephum in immenſum auctæ ſunt. In ſequentibus à verſ. 11. recitatur occaſio quæ eis oblata fuit, ut pernicioſa ſua conſilia adverſus fratrem exequerentur. Etſi enim viſi ſint contemptim loquuti de ejus ſomniis, infixa tamen in animis ipſorum manebant, nec ſe ſecuros putabant, niſi è medio tolleretur. In quo maxima cæcitas & amentia ſe detegit, quæ in omnibus Eccleſiæ hoſtibus locum habet. Nam ſi inane exiſtimarunt totum hoc quod ſomnia Joſephi præ ſe ferebant, nihil erat quod inde ſibi aliquid metuerent, & de eventu multum eſſent ſolliciti; Si vero agnoverunt ſomnia eſſe à Deo immiſſa, quid contra ſtimulum voluerunt calcitrare? fruſtra enim pugnant adverſus conſilium Dei, juxta ſapientiſſimum Gamalielis dictum, Act. 5. verſ. 38. *Si ex hominibus eſt conſilium aut opus hoc, diſſolvetur. Sin ex Deo eſt, non poteſtis diſſolvere.* Itaque illi ipſi vaticinium hoc, ignorantes implent, & ea faciunt quibus utitur Deus ut fratrem eorum evehat ad dignitatem quam ei præreptam cupiunt. Quod idem hoſtibus Chriſti accidit, cujus in multis Joſeph figuram geſſit.

Occaſio quæ hic deſcribitur, ſceleris quod poſteà ſequetur amplificat atrocitatem. Jacob de filiis ſuis ſollicitus, juxta Sichemum pecora paſcentibus, mittit ad eos Joſephum, ut videat an ſint incolumes, & nihil vel eis, vel gregibus acciderit mali. Hoc officium in ſe libenter ſuſcipit optimus adoleſcens, & cum eos non reperiret, ab aliquo monitus eos in Dothaim commigraſſe, noluit tamen ad patrem redire, donec haberet, quid certi de fratribus ad eum referre poſſet; Itaque perrexit uſque ad fratres ſuos donec eos inveniret, à verſ. 13. uſque ad 18. Ex his colligendum eſt Joſephum non amplius, ut anteà fecerat, cum fratribus paviſſe pecora, & tum non fuiſſe ſeparatos filios Leæ à filiis ancillarum, ſed unà in iiſdem paſcuis fuiſſe verſatos. Qua autem occaſione ita factum fuerit & ut ſimul eſſent, &

tam longè remoti, & Joſeph domi manſiſſet, vix poteſt certo definiri. Probabile eſt, Jacobum anteà revocaſſe Joſephum à fratribus, aut cum domi omnes eſſent, aliis ad paſcendum miſſis eum retinuiſſe, ut hac ejus abſentia, eorum paulatim ſopiret invidiam; Poſt aliquod autem tempus, cum exiſtimaret deferbuiſſe illud odium, remiſiſſe eum ad illos, tanquam internuncium, eo fortaſſe animo ut fratrum ei conciliaret benevolentiam. Quicquid ſit, obſervanda eſt Dei providentia, qui occaſiones præparare ſolet, & circumſtantias, ubi aliquid eſt eventurum, ita ut illud vitari non poſſit. Nam hic ab optimo & benevolo parente mittitur filius ad locum in quo periculum maximum ei parabatur, & Joſeph eò lubens excurrit, nihil tale cogitans. Sic præter finem in agendo nobis propoſitum, multa ſæpè contingunt, non anteà prævisa, aut cogitata, vel à nobis, vel ab aliis. Nullam ergo eſſe tantam ſapientiam apparet, quæ omnes eventus futuros, aut proſpicere, aut præcavere queat, in quibus etiam ſæpiùs falluntur optimi quique, minus aliis ſuſpicaces. Ut enim quiſque optimus eſt, ſic facilius decipitur, dum ex ſuo ingenio alios æſtimat. Jacob de filiis ſuis optima quæque ſibi promittens, neque metuebat, neque ſuſpicabatur eos adverſus fratris vitã aliquid molituros, cum tamen eventus longè aliud poſteà oſtenderit. Nec etiam Joſephus quamvis eorũ odia jam eſſet expertus, & verbis ſępè exagitatus ab iis, aliquid cauſatur, quominus ad eos proficiſcatur, neq; ex antecedentibus colligit argumẽta metus, vel ſuſpicionis, quod non ſimplicitati ſolum ejus, ſed etiam charitati adſcribendum putamus. Certè ſi aliqua vel leviſſima ſuſpicione laboraſſet, occaſionem habuiſſet revocandi gradum, & ſe apud patrẽ excuſandi, cum eos non inveniret in loco deſignato. Qui tamen oberrat huc illuc eos quęrendo, & tandem à monitore directus, ulterius progreditur quam verba mandati patris præ ſe ferebant. Quo facto indicavit, ubi ſuperiorum mandatis obediendum eſt, ad eorum mentem præſertim eſſe reſpiciendum, non ſemper ad verba præcisè. Noverat Joſephus intentionem patris fuiſſe ut fratres quæreret, & ei referret quo in ſtatu omnia eſſent. Locum indicaverat in quo putavit eos paſcere greges; ſed cum intellexiſſet inde migraſſe, ſatis collegit, ſe non fuiſſe patri ſatisfacturum, ſi ulterius non fuiſſet progreſſus. Eſt ergo exemplum laudabile filii ad nutum parentis compoſiti.

Quod autem parens ei indicaverat Sichemum ubi fratres ejus cum gregibus morarentur, nonnullis videtur intelligi non poſſe de loco illo in quo Jacob emerat agrum, & filii eius hanc ſtragem fecerant, de qua anteà dictum fuit; tum, quod locus ille longius diſtabat ab Hebron, ubi habitabat Jacob; tum, quia vix potuiſſent agere ſecurè in regione in qua extabant veſtigia crudelitatis eorum. Idcirco putant aliam fuiſſe Sichemum, non longè diſtantem ab Hebrone, juxta quam cum ſuis gregibus verſabantur. Sed quia in topographia terræ ſanctę, nulla alia reperitur in illo tractu, non videtur recedendum eſſe à communi ſententia, quę nomen hoc de nulla alia Sichem intelligit, quam ea, juxta quam poſſeſſionem ſibi comparaverat Jacob. Nam quod de diſtantia objiciunt, pro temporum ratione, novum non fuit, ſi qui gregibus abundabant, aliquando tridui aut quatridui itinere ſeparati, quærerent ſuis pecoribus paſcua: talem enim diſtantiam vidimus antea inter greges Labani quos paſcebat Jacob, & quos paſcebant filii Labani. Quod vero ſpectat facinus filiorum Jacobi in Sichem; factum illud videbatur obliteratum, nec tum ibi noti erant, quia plures anni interceſſerant, & fortaſſe locus manſerat incultus & inhabitatus. Diſtabat autem ab Hebron Sichem milliaribus ſeu leucis unius horæ, decem & octo. Dothaim autem quò poſtea migrarunt à Sichem totidem ferè diſtabat, ita ut Joſepho fuerit duplicandus labor, qui tanta ingratitudine poſteà compenſabitur. Ceſſit Dothaim poſtea tribui Zabulonis ubi ædificata fuit civitas, in qua Eliſæus à Syris obſeſſus, eos omnes excæcavit, & in Samariam deduxit, 2 Reg. 6. Ager qui idem cum oppido nomen ſortitur, fontibus eſt irriguus, alendiſque pecoribus aptiſſimus, teſte Brocardo, in deſcriptione terræ ſanctæ.

Laborarunt quidam ut inquirerent, quinam ille vir eſſet cujus ſit mentio verſ. 15. qui invenit Joſephum errantem in agro, & fratres quærentem, & ei indicavit quonam ſe recepiſſent. Judæi qui plerumque audaces ſunt in commentis ſuis obtrudendis, Angelum fuiſſe volunt; imò quia viri nomen ter repetitur, tres ei miſſos fuiſſe Angelos. Sed nullum exemplum ex ſcriptura poteſt afferri, in quo Angelus apparuerit, qui priuſquam recederet, non præberet ſigna quibus ſe manifeſtaret: quod cum de viro iſto dici non poſſit, non dubito quin vir aliquis verè fuerit, fortè quidam ex paſtoribus cui erãnt noti fratres Joſephi, aut qui alioqui conjectura aſſequeretur eos eſſe quos quærebat. Id etſi Angelorum miniſterio factum non fuerit, certa tamen Dei providentia diſpenſatum fuiſſe conſtat, præſertim cum vir ille primus eum interrogaverit, quid quæreret, & tam comiter erranti viam monſtraverit, qua ad fratres pervenire poſſet.

Sequitur verſ. 18. & ſeqq. conjuratio fratrum erga Joſephum, & deliberatio de eo tollendo; mutati propoſiti cauſæ, & quid tandem evenerit uſque ad venditionem Joſephi. Deliberatio de eo tollendo, id eſt, de fratricidio, prima eſt quam ipſis diabolus ſuggerit, primùm enim antequàm accederet, *cogitaverunt illum occidere*, ויתנכלו *vajjitnakkelou*, & machinati ſunt, quam machinationem verbis expreſſerunt, primò incitantes ſe mutuò, mentione facta ſomniorum ejus, verſ. 20. ubi etiam tota conſilii nefandi ratio exponitur. Tria enim proponunt. 1. cædem innocentiſſimi fratris. 2. cadaveris ejus depoſitionem in ciſterna veteri. 3. qua ratione apud parentem factum illud à ſe amove-

amoverent, mentientes à fera peſſimè fuiſſe devoratum. Addunt inſultabundi, ne quid ad ſceleris atrocitatem extremam deeſſet; *& tunc videbimus, quid fuerint ejus ſomnia.*

Primùm dum ad ſe accedentem vident, oſtendunt ſe lætari quod eis offeratur odium ſuum ſatiandi, & contemptim inter ſe de fratre loquentes, *Ecce*, inquiùnt, *ſomniator venit:* הנה בעל החלמות הלזה בא *hinneh baal hachalomot hallazeh ba*, ad verbum, *ecce magiſter*, aut *dominus ſomniorum iſte veniens.* Nomen *Baal* varia ſortitur ſignificata cum aliis nominibus conjunctum. Aliquando pro rei alicujus autore accipitur; ut cùm *baal aruch* apud Ebræos appellatur autor lexici juris Ebraici; quæ ſignificatio vocis, ſi in ſacris Bibliis haberet aliquod fundamentum, non malè huic loco conveniret; nam etſi ſomnia aliundè immittantur, vel à Deo, vel à dæmone, ſi ſupernaturalia ſint, vel alias habeant cauſas, ſi ſint naturalia; poſſet tamen *ſomniorum autor* appellari, *inventor & fictor ſomniorum*, qui, etſi nihil tale ſomniaſſet, tamen id ſe ſomniaſſe fingeret, quæ ſuſpicio de Joſepho, non aliena fuit à fratrum ejus malitia. Sunt qui *dominum ſomniorum* appellatum voluerunt, quia ſibi futuram in fratres dominationem ſomniaverat. Gallica noſtra editio habet, *Voici ce maiſtre ſongeur vient:* Ecce venit hic magiſter ſomniator. Græca editio ſimpliciter *ἐνυπνιαςὴν*, *inſomniatorem* interpretatur, & Vulgata *ſomniatorem.* Vox tamen *magiſter* addita nomini plurali *ſomniorum*, eum ſignificat qui multum ſomniat, aut multa videt inſomnia. Certè nomen *baal*, per metaphoram ſignificat magiſtrum, vel peritum rei cujuſque, præditum aliqua re, aut eam poſſidentem, aut qui alicui rei ſunt dediti, vel ad eam proclives. Sic *dominus iræ* בעל אף *baal aph* appellatur, Proverb. 22. ℣. 24. qui pronus eſt ad iram, iracundus. Ergo eum ſignificare voluerunt, qui crebra haberet inſomnia, qui ſomniare conſueviſſet. quod ſarcaſticè ab iis dicitur.

In deliberatione eſt peccatorum complicatio & multiplicatio. Hortantur ſe mutuò ad fratricidium, quod per ſe fuit immane ſcelus. Excogitant poſteà rationem, quâ à ſe amoveant facti invidiam, ſed mendacem, & nihilominus talem qua ſe ipſos ſævitiæ condemnant, dum mortem Joſephi in feram & truculentam beſtiam derivare conantur; ſic enim oſtendunt ſe beſtiis eſſe crudeliores, quæ Joſepho in deſertis erranti pepercerant. Sed dum incidit in fratres, incidit in lupos rapaces & crudeles feras. Addunt aliud enorme peccatum inſultationis, quo non tam Joſephum, quàm ipſum Deum petunt, qui etiam eorum irridet conſilia, & irrita reddit. *Inde enim voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt, & omnipotentis conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur; quia ſæpè & hoc ejus diſpoſitioni aptè militat, quod ei per humanum ſtudium frivolè reſultat*; ut bene notavit Gregor. lib. 6. Moral. in Job.

Hæc ſanè ſunt execranda, ſed quæ non ſine cauſa Deus permiſit in familia Iſraëlis; nec ſine fructu hiſtoriæ ſacræ fuerunt inſerta, contra quàm putarunt nonnulli, hæc nempè potiùs fuiſſe ſepelienda, ne talium exemplorum in populo Dei mentio, dignitatem ejus imminueret, aut etiam apud nonnullos criminum ſimilium atrocitatem extenuaret. Sed intererat ad gloriam Dei, ut omnes agnoſcerent, Deum non elegiſſe populum illum propter merita parentum, quorum ne poſteri gloriarentur dignitate, permiſit Deus eos in gravia labi peccata, ut quicquid Iſraëlitis præ reliquis gentibus conceſſum eſt privilegii, id totum divinæ miſericordiæ adſcriberetur. Hinc eſt quod ſæpè remittuntur ad originem ſuam, & ad lapidem unde exciſi fuerant. Cùm itaque conſiderarent, inter autores ſui generis unum inceſtum, duos violentos & fœdifragos, reliquos penè omnes fratricidas, & multis ſceleribus implicitos, habuerunt ſcholam humilitatis. Omnibus autem hîc exemplum proponitur, ut quàm fera beſtia ſit & pernicioſa, quæ *invidia* vocatur, agnoſcentes, caveant ſibi, ne ei locum dent, quæ ſemel concepta, non egreditur foras niſi cum portentoſis comitibus.

Multæ cogitationes ſunt animo cujuſque, ſed conſilium Iehovæ ſtabit, Proverb. 19. ℣. 21. Inierunt conſilium de Joſepho tollendo fratres, Deus de eodem extollendo; videbatur eſſe in poteſtate fratrum ſuorum, ſolus inter multos, agnus inter lupos; ſed aderat Deus, qui corda hominum flectit, prout vult; potuiſſet quidem Joſephum mortuum ſuſcitare, ſed qui potuit impedire, ne moreretur, maluit ſiſtere eorum conatus, & ſapienti ſua adminiſtratione, inter eos ſuſcitare qui modum iis ponerent. Ruben ergo natu major, vel qui eorum deliberationi non aderat, vel qui ſi adfuit, non judicavit operæpretium primos illos animi eorum impetus reprimere, ne magis irritarentur, fortè etiam ſibi ab aliis metuens, conſilio quodam ſpecioſo, quaſi conſentiret quidem in Joſephi perditionem, ſed ab ejus tamen ſanguine effundẽdo abhorreret, remoratur executionem propoſiti ſceleris. Ergo ℣. 21, hoc ipſis proponit, *Ne percutiamus eum* נפש *nepheſch*, animâ: Vulgata, *Non interficiamus animam ejus.* Qua phraſi intelligi non debet animam poſſe percuti, vel interfici, quæ nec tangi poteſt, nec mori; ſed apud Ebræos dicitur מכה נפה *makkat nepheſch*, percuſſio animæ, cùm quis ita percutitur, ut anima exeat è corpore, atque ita moriatur homo. LXX verterunt, *ὐ πατάξωμεν αὐτὸν εἰς ψυχὴν, non feriamus eum in anima:* ubi Auguſtinus vult, intelligi vocabulo *animæ*, vitam corporis animari, per efficientem demonſtrando id quod efficitur. Sic apud Jobum cap. 2. ℣. 6. *Animam ejus ne tetigeris*, id eſt, ne occidas eum. Nam, ut bene idem Auguſt. ſecundùm illam ſignificationem qua natura animæ commemoratur, illud à Domino dicitur, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non*

poſſunt

poſſunt occidere, Matth. 10. ℣. 28. Senſus eſt perſpicuus, idem enim vult quod poſteà aliis verbis, *Ne effundatis ſanguinem*; item, *Ne manum mittatis in eum.* Hoc igitur primùm vult impetrare, ut vitæ ejus parcant, ſaltem ne ipſi carnifices ſint fratris ſui. Suggerit autem aliud conſilium, ut eum in ciſternam conjiciant, ex qua cùm emergere non poſſet, fame & inedia ei eſſet pereundum: quod conſilium per ſe conſideratum, & quomodo ab aliis fratribus fuit acceptum, non minus atrox eſt priori. Quid enim refert quomodo quis necetur, gladióne, an fame, an alia quavis ratione, ſi mors conſequatur? Imò ſæpè repentina morte interimi ſatius eſt, quàm lenta morte, præſertim fame perire, qualis Joſepho contigiſſet, ſi in ciſterna manſiſſet, qui multò magis ſemel mori elegiſſet, quàm mille mortibus abſumi per aliquot dies. Ut meritò rejicienda ſit talis ſophiſtica, quam etiamnum approbant Judæi; non ita reum eſſe mortis, qui alicui cauſam inevitabilem moriendi præbet, quàm qui per ſe ſanguinem fundit. Ergo perniciosiſſimum fuiſſet Rubeni conſilium, ſi id eo animo conſuluiſſet, ut miſer Joſephus vivus in ciſterna ſepeliretur. Sed propoſitum ejus aperiens Scriptura, eum etiam abſolvit à fratris cæde intentata. Dicit enim primùm, hac ratione *eripuiſſe illum è manu eorum*, quod ante omnia faciendum erat, nullum enim poſteà reliquum fuiſſet remedium, quod paratum ſe putavit habere, ſi eum in ciſterna deponerent, etſi intentione perverſa; quia ſtatuerat eum liberare, & ad parentem remittere, ereptum fratricidis. Joſephus in antiquitatibus, Rubenis conſilium amplificat oratoriè, & ei multa tribuit, quorum nulla eſt expreſſa apud Moſem mentio; introducit enim eum ſcelus illud exaggerantem, & judicia Dei annunciantem. Potuit quidem pluribus verbis egiſſe apud fratres, ſed tamen Moſes expreſſit conſilii ejus ſummam & finem. Laudabilis fuit ejus intentio; nec etiam ejus exequendæ ratio culpanda videtur, quia prudenter egit, ex duobus malis eligens minus, loquor de malis afflictionis Joſephi, præſtabat enim ad aliquod tempus eum carcere ciſternæ detineri, quàm ſi vita ei crudeliter fuiſſet ſublata. Qua autem ratione ad hoc officium permotus fuerit Ruben, non otioſè inquiritur. De prima cauſa non loquor, id enim Deus gubernavit, qui hominum corda flectit prout vult; ſed de mediis quibus ad id ſuſcipiendum adductus eſt. Potuit id ſibi proponere, oblatam eſſe occaſionem qua patrem ſibi conciliaret, juſtè offenſum ſcelere quod in inceſtu patraverat, atque ita ſervatâ Joſephi vitâ, factum illud prius obliteraret. Potuit etiam ſibi metuere, ne qui ſemel in malè facto fuerat deprehenſus, ſi res ad patris notitiam veniret, culpa præcipuè ei imputaretur, qui natu major eſſet, & ſua autoritate alios reprimere debuiſſet. Quæ argumenta non tam odium mali in ſe reſpexiſſent, quàm privatam utilitatem, vel detrimenti apprehenſionem. Exiſtimarem factum illius in meliorem partem eſſe interpretandum. Nam, etſi cæco furore raptus fuerit in inceſtum, fieri tamen potuit, ut poſt agnitam culpam ad ſeriam pœnitentiam adductus fuerit, nec qui uno vitio, puta luxuriæ aut libidinis, laboravit, continuò aliis vitiis obnoxius haberi debet. Potuit itaque etiam naturâ à cædibus & effuſione ſanguinis abhorrere, imò etiam, quia poſt pœnitentiam, voluit cavere Dei offenſionem. Nec improbabile videtur, quod Joſephus monuit, eum prius voluiſſe argumentis fratres à crudeli deliberatione retrahere; ſed cùm videret ſe non poſſe id obtinere, ad illud ſtratagema ſe convertiſſe: & certè quæ poſteà, cap. 42. ℣. 22. fratribus regeſſit, indicant, eum initio fratribus ſe oppoſuiſſe quantum potuit, *Nonne*, inquit, *alloquebar vos dicendo, ne peccetis in iſtum adoleſcentem? ſed non auſcultaſtis.* Apparet hìc ſingularis Dei providentia. Cùm enim nulli eſſent inter Jacobi filios, quos magis tangeret contra Joſephum æmulatio, quàm filios Leæ, qui cùm majores eſſent & ex libera nati, impatientius ferebant, ſomnia Joſepho protendere ſupremum inter fratres gradum, Ruben autem is eſſet cujus maximè intererat, & qui ob ſcelus admiſſum omnium nequiſſimus videbatur; hunc tamen Deus excitaverit qui reliquorum omnium conjurationem ſuis conſiliis everteret. Sic Dominus novit ex hoſtibus ſuis excitare, per quos conſilia eorum diſſipet, & ſuis etiam conciliare clandeſtinos amicos, qui injuſtis aliorum conſiliis repugnent, aut ea arte quadam eludant. Sic in aula Achabi Abdiam ſuſcitavit; in aula Zedekiæ Abdemelechum; inter Phariſæos Nicodemum & Gamalielem. Similia exempla proferri poſſunt ex temporum noſtrorum hiſtoria.

Eorum tamen truculentiam non excuſat, quod tandem ſe flecti ſinunt ultimis Rubeni rationibus, & in ejus ſententiam omnes abeunt: manet enim in eis odium erga fratrem, & quatenus in ipſis erat, lata erat mortis ſententia adverſus Joſephum, quam non reſcindebant, etſi aliam inire vellent rationem eum perdendi; & quamvis abſtineant ab effundendo ejus ſanguine, ea tamen faciunt, quæ eorum exaggerant crudelitatem. Nam priuſquam eum demittant in foveam, ſpoliant veſte illâ variegatâ, quam velut amoris paterni teſtimonium gerebat, nec eos movit ſenis parentis ſollicitudo, cujus indicium in fratre ſublatum volunt. Id certè non potuit ab iis fieri ſine miſeri adoleſcentis ſummo metu & angore animi; nec illud exequi potuerunt, niſi geſtu ſævo & barbaro. Vetus interpres, etſi eadem ſit vox quam anteà expreſſit ſimpliciter vocabulo *polymita*, hìc etiam addit *talarem*. Id quidem verum eſt, veſtes orientalium longas fuiſſe, cujus rei cauſſâ qui ad iter ſe accingebant, debuerunt lumbis ſuccinctis incedere, non putarem tamen ad talos uſque fuiſſe demiſſas. Sub veſte illa fuiſſe alias par eſt credere; non enim veriſimile eſt, nudum fuiſſe projectum in ciſternam, vel etiam poſteà nudum ab

Iſmaëlitis abductum. Videntur jam tum cogitaſſe de ratione, qua fraudem quam propoſuerant probabilem redderent, & ad id veſtem Joſephi reſervaſſe.

וישלכו אתו הברה *vajjaſchlicu otho habborah*, & projecerunt eum in ciſternã. Joſeph ſcribit à Rubene fuiſſe per funem demiſſum. Probabile eſt locum fuiſſe profundum, eatenus ſaltem ut per ſe non potuiſſet Joſeph aſcendere. Notat Moſes *vacuam fuiſſe*, id eſt, in ea non fuiſſe aquam. Tales ciſternæ in locis deſertis, attamen paſcuis, à paſtoribus effoſſę erant, ad pluviales aquas retinendas, quibus poſſent pecudes ſuas aquatum ducere. Sed in locis calidis æſtivo præſertim tempore ſiccantur. Hoc igitur notatum fuit, & à Rubene etiam conſideratum, ut ita carcere detineretur, ne tamen in eo ſuffocaretur. Tales ſunt profundæ foſſæ, in quas immittuntur & aſſervantur tanquã carcere tetro, qui extremis ſuppliciis reſervantur. Hic locus lucem aliquam præbet alteri qui legitur apud Zachariam cap. 9. verſ. 11. *Emiſiſti vinctos de ciſterna in qua non erat aqua*, מבור אין מים בו *mibbor een majim bô*, è ciſterna in qua non aqua in ea. Ubi videtur propheta alludere ad hanc Joſephi anguſtiam: quaſi diceret, tu liberaſti tuos ab anguſtia tali qualis fuit Joſephi cum fratres demiſerunt eum in ciſternam profundam in qua non erat aqua, ubi erat tanquam deſtinatus morti. Eſt ergo ſimilitudo aut figurata locutio. Nam ibi ridiculi ſunt Pontificii, qui vel limbum, vel purgatorium in hac ciſterna imaginantur.

Etſi autem hic taceat Moſes quid tum dixerit Joſeph in anguſtia conſtitutus, certum eſt mutum non fuiſſe, & qui vi reſiſtere non potuit pluribus, conatum fuiſſe verbis & lachrymis animos fratrum ad miſericordiam flectere. Ipſi poſteà id declarabunt cap. 42. *Merito*, inquient, *hæc patimur*, nempe cum accuſabantur tanquam exploratores, *quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio.* Hæc barbaries & ἀστοργία, profanæ ſecuritati conjuncta, exaggeratur verbis ſequentibus, ubi poſt hoc patratum ſcelus, dicuntur *ſediſſe ad comedendum panem*; id eſt, cibi ſumendi cauſa, quia comedere panem apud Ebræos, complectitur quicquid fit in menſa, tam in cibariis quam in poculentis. Merito mirum videtur, tam immani patrato ſcelere, quomodo potuerint ſopire conſcientiam in recenti facto, & imperturbato animo jucundè & hilariter epulari. Maximum eſt impietatis inveteratæ teſtimonium, cum qui malè fecit tanquam re benè geſta triumphat, nec cogitat judicem in cœlo ſedere. De iſtis poteſt intelligi dictum Sapientis Prov. 4. ℣. 17. *veſcuntur cibo improbitatis, & vinum omnimodæ violentiæ bibunt.*

Intereà Joſephus in ciſternam dejectus, in horas mortem per inediam & ſitim expectabat, cum iſti epularentur, auribus per invidiam obſtructis, ne ejus voces & lamenta exaudirent. Aberat tum Ruben, ut ex ſequẽtibus patet, fortè explorans & expectans occaſionem qua poſſet miſero juveni ſuccurrere & conſilium ſuum implere de eo patri reſtituendo. Ille quidem laudabilem operam ei navabat, & ſibi bonum finem proponebat, ſed alia ratione & in alium finem decreverat Deus Joſephum morti eripere. Si enim ad patrem miſſus fuiſſet, ille deinceps eum ſervaſſet domi, nec permiſiſſet à ſe abſtrahi, nec quæ ad ejus exaltationem pertinebant impleta fuiſſent. Ubi notandum eſt exemplum diſtinctionis neceſſariæ, quam ex Auguſtino Enchirid. ad Laurent. ca. 101. Schola Theologica frequentat. Sæpè diſſentire hominis voluntatem etiam bonam, à Dei voluntate; Sæpè conſentire hominis voluntatem etiam malam, cum Dei voluntate. Quæ verba etſi paradoxa continere videantur, vera tamen ſunt; & utriuſque hic habemus manifeſtiſſimum exemplum. Volebat fratrem liberare Ruben, eumque ad parentem mittere ſoſpitem, & id volebat bona voluntate. Deus tamen bona ſua voluntate contrarium volebat, ut abſtraheretur à patre & in Ægyptum abduceretur. Fratres alii hoc voluerunt mala voluntate, quod tamen Deus voluit voluntate bona. Quia ait ibid. Auguſt. *Deus quaſdam voluntates ſuas, utique bonas, implet, per malorum hominum voluntates malas: ſicut per Iudæos malevolos, bona voluntate Patris Chriſtus pro nobis occiſus eſt.* Item, *bonæ apparebant voluntates fidelium, qui nolebãt Apoſtolum Paulum Hieruſalem pergere, ut ibi pateretur mala quæ Agabus prædixerat, & tamen Deus hæc illum pati volebat, &c. qui voluntatem illam ſuam non implevit per hominum voluntates bonas, ſed per Iudæorum malas.* Hinc diſtinctiones voluntatis ſigni & beneplaciti, abſolutæ occultæ, & revelatæ, quas nonnulli aut imperitè aut malitiosè traducunt. Non enim intelliguntur propriè in Deo diverſæ voluntates, aut cõtrariæ circa unum & idem objectũ, ſed una & eadem voluntas diverſa ratione aliquid volens, vel non volens; id eſt, rem aliquam approbans tanquam bonam ſi fiat, quam tamen fieri non decrevit, & cujus contrarium vult evenire; & actionem aliquam improbans, cujus tamen eventum voluit & decrevit tanquam bonum. Sic bonum erat Joſephum in Ægyptum ire; & id Deus volebat, cum Ruben aliud benè vellet; ut autem id fieret per ſcelus fratrum ſuorum, id volebat Deus permittere, quod tamen improbabat. Qui talia confundunt, cælum inferno miſcent; qui in his diſtinctionibus portenta ſomniant, ipſi ſunt magnum portentum.

EXER-

EXERCITATIO CXLVIII.

Conſilium Iudæ de vendendo fratre. Iſmaëlitæ & Madianitæ an diſtincti populi? Saracenorum *nominis originatio ex Illuſtri Scaligero & Schindèlero. Mercium quas in Ægyptum importabant Arabes, nomina. Plagiarii qui? Digni morte ex lege. Iudæ conſilium eum non abſolvit. Quod Deus dirigit in bonum finem. Venditur Ioſeph. Pretium venditionis. De eo variantes ſententiæ. An homines jure mancipari & vendi potuerint? Variæ ſervitutis cauſſæ. An inter Chriſtianos poſſint eſſe mancipia? Quæſtio reſolvitur ex ſcripturis, & quid expediat inquiritur.*

IAm videamus quomodo id diſpenſatum fuerit ut mitteretur in Ægyptum, contra Rubenis propoſitum bonum. Alius exurgit inter fratres illos, qui occaſione data novum proponit conſilium, duplici ratione munitum, prima, quia ſic parceretur vitæ fratris; ſecunda, quia non ſine aliquo communi emolumento. Occaſio oblata fuit quorundã *Madianitarum*, de quibus verſ. 25. & ſeqq. ſive Iſmaëlitarum, qui ex monte Galaad venientes, in Ægyptum deferebant aromata, reſinam, & ſtacten. Ubi aliqua ſe objicit difficultas, quia ijdem appellantur Iſmaëlitæ & Madianitæ, cum tamen conſtet Madianitas ortos eſſe à Madian filio Abrahami ex Ketura; Iſmaëlitas autem ab Iſmaële, filio ejuſdem Abrahami ex Agara, & diſtinctos fuiſſe populos. Onkeli Paraphraſis eos appellat generali nomine ערבאי *Arabae*, Arabes; ſic enim legitur in Bibliis Regiis, in Bibliis Buxtorfii, & in tranſlatione Pauli Fagii. Itaque aut aliis exemplaribus uſus eſt Illuſtris Scaliger in Chronico Euſebii, aut commiſit σφάλμα μνημονικὸν, cum ſcripſit Onkelum hic quod in Ebreo habetur ישמעאלים *jiſmeëlim*, vertere סרקאי *ſarakae*, hoc eſt Σαρακηνοὶ Σαρακαῖοι, ubi tamen doctiſſimam annotationem habet de originatione nominis Saracenorum. Vult enim νομάδας ἄραβας ita dictos, quia *ſarak* Arabicè ſonat feroces καὶ λῃστρικοὺς, quales qui Turcis dicuntur *Coſaki Tartari*. De Sara perridiculum eſſe, quo modo oporteret Saræos dictos, aut Saracam vocatam fuiſſe Saram. Similia habet lib. 2. de emendatione Temporum, ubi à vicinis hodiè dicit appellari אלסרק *elſarak*, hoc eſt λῃστρικοὺς καὶ νομαδικοὺς, ut verè ſunt. Quæ Leonardus Marius ſuis commentariis inſeruit, & eadem ex Onkeli paraphraſi attulit deſumpta ex Scaligero tacito nomine autoris; qui Targum Onkeli videtur citaſſe, pro Hieroſolymitano, in quo hoc loco Geneſ. 37. & poſteà Geneſ. 39. ubi Onkelos habet ערבאי *Arabaë*, vertit, דסרקאין *deſarkaijn*, Saracenorum. Rabbinis Arabes dicuntur סרקי *ſarakei*; teſte Schindelero, à *ſarak* furatus fuit, rapuit, quæ vox legitur in Syra verſione Matth. 6. ℣. 20.

Sed nondum ſoluta eſt quæſtio de confuſione Madianitarum & Iſmaëlitarum, quia hic diſtinctè ponuntur nomina particularia, non autem ſub nomine generali Arabum ſignificantur; utriſque tribuitur emptio, utriſque venditio. Unde nonnulli putarunt pluriès venditum fuiſſe; primum Iſmaëlitis, poſteà Madianitis, & tandem hero Ægyptio; fuerunt qui etiam mercatores ab aliis diſtinxerint, & quartam venditionem imaginati ſint. Vera ſententia eſt bis tantum fuiſſe venditum, & quamvis Iſmaëlitæ & Madianitæ diſtincti populi fuerint, in vicinis tamen habitaſſe locis, & utroſque fuiſſe Arabes confœderatos, qui ſocietatem commercii tum iniverant. Fuiſſe ergo mercatorum illorum comitatum ex utriſque compoſitum, communes fuiſſe merces, cõmuniter etiam emiſſe novum mancipium; hinc eſt quod promiſcuè dicuntur Iſmaëlitæ & Madianitæ illum emiſſe, aut vendidiſſe. Quam ſimpliciſſimam rationem hujus difficultatis ſolvendæ, amplexus eſt Mercerus, & eum ſequutus poſteà Ben. Pererius.

Quod ſpectat merces quas in Ægyptum importabant, Ebraicè dicuntur, primũ נכאת *nekooth* aromata, & in ſpecie, צרי *tſeri*, ולוט *valot*. quarum primam *reſinam*, ſecundam *ſtacten*, interpretantur. Prima vox ſignificat collectionem pretioſorum aromatum, apud Eſaiam cap. 39. verſ. 2. ubi factum Ezechiæ narratur oſtendentis regis Babylonis legatis בית נכתה *beth nekothoh* domum peculii ſui aromatarii. Hic autem videtur accipi pro ſpeciali aromate magni pretii; niſi quis malit in genere, pro aromatis pretioſis; & nomen *tſeri* etiam pro quibuſlibet gummis, ex arboribus ſive ſciſſis ſive ſponte fluentibus. Jerem. 8. verſ. 22. fit mentio *tſeri Galaad*, quem liquorem ad vulnera ſananda fuiſſe applicatum ex verbis prophetæ patet. Ideo Trem. & Jun. non *reſinam*, ſed *oppobalſamum* vertunt; Tertiam autem vocem *Lot*, quam vulgata ſtactem vertit, id eſt, lachrymã myrrhæ, iidem interpretes *Ladanum* tranſtulerunt Chaldęũ & Arabas ſecuti, qui quod Ebræi *Lot*, letum, & latem appellant. Qui etiam primã vocem נכאת *nekoth* Myxaria interpretantur, quia Arabibus dicuntur *Nuketa*, voce ad Ebraicã accedente. Sunt autem pruna in Syria naſcentia, quæ vim habent medicã, adverſus febres. Schindlerus נכאת *nekot*, cum א ut hoc loco, vult *ceram* ſignificare. Quia in talibus variant Ebræi, vix aliquid certi de iis adferri poteſt. Tantum ex analogia colligitur fuiſſe talia quorum uſus fuit in medicina, & in cadaveribus condiendis, quorum apud Ægyptios fuit præcipua cura. Locus etiam unde advehebantur huc facit, nam omni aromatum genere regio Galaad abundabat, quæ hoc loco per prolepſin ſic dici-

tur,

tur, nam poſteà urbs & regio ſic nominata fuit à *Galaad* filio Machir ex poſteris Joſeph, quamvis antea mons, affine nomen *Galhed* ſortitus eſſet in confœderatione Jacobi & Labanis, ut ſuo loco vidimus.

Occaſione oblata iſtorum mercatorum aliud conſilium proponit Juda, de Joſepho vendendo, quod eo plauſibile fuit magis, quia hac ratione in miſeram ſervitutem redigebatur, cui dominatum promittebant ſomnia. Hic enim ſcopus erat, impedire ſomniorum eventum. Jdeò dicebant cum de occidendo deliberarent, videbimus quid fuerint ſomnia ejus. Jdcirco Judas oratione ad fratres, quæ habetur verſ.26.& 27. eum eripit morti, ſed ne dominetur eis, mancipat eum ſervituti. Argumenta proponit, quibus tam ipſe quam alii debuerant permoveri, ne in vitam ejus ſolum, ſed etiam ne in libertatem ejus conjurarent. Primum argumentum eſt ab inutili, *Quæ utilitas*, inquit, *ſi occiderimus fratrem noſtrum &c?* Jn quibus verbis exiſtimo eſſe μείωσιν & plus intelligere quam dicit. Non ſolùm nullam eſſe utilitatem, ſed maximum ex tam crudeli facto detrimentum paſſuros. Emphaticè dicit, non *Ioſephum*, non contemptim *iſtum*, ſed *fratrem noſtrum*. Poteſt etiam id intelligi comparatè, Si quærenda eſt utilitas, non minor eſt ſi eum vendamus, tum enim non poterit nobis dominari, & accreſcet nobis, quicquid pecuniæ inde accipietur. Cur autem occidi non debeat aliud addit argumentum, *ut*, inquit, *manus noſtræ non polluantur, quia frater noſter & caro noſtra eſt.* At hæc omnia contra ſe ipſum æquè pronunciat; cum enim talis eſſet inter eum & illos conjunctio, quo jure potuerunt hominem liberum vendere, eumque extraneis & infidelibus committere? Hoc enim facto conjiciebant eum in periculum perditionis animæ, cum non ignorarent poteſtatem dominorum in mancipia nullis limitibus contineri. Adoleſcens adhuc erat, in Ægyptum deducebatur, quem *carnem ſuam* eſſe agnoſcunt. Si *nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, Eph.5. ℣. 29. quomodo potuerunt adduci ut tam dura in fratrem ſuum decernerent. Sed livor cæcus eſt & ſurdus. Jtaque ſecuri plagium etiam committunt. Plagiarii enim ſunt, qui furantur homines liberos aut ſervos, eoſque vendunt, aut iis perſuadent ut à parentibus aut dominis ſuis aufugiant; Sed ſummo gradu committunt plagium, qui hominem liberum vendunt. In lege civili hominis liberi ſuppreſſio pœnam habet mortis, quæ etiam Sacris literis eſt conſentanea. Nam Deut.24.℣.7. ſic ait Lex. *Si inventus fuerit quis plagiarius* (Ebr. fur animę) *alicujus è fratribus ſuis Iſraelis filiis, & ad quæſtum abuſus fuerit eo, aut vendiderit eum: omnino moritor plagiarius ille, ſic tollito illud malum è medio tui.* Appellantur ab Apoſtolo ἀνδραποδισταὶ 1 Tim.1.℣.10. quos cum aliis ſceleratis ibi conjungit.

Sunt tamen qui factum Judæ laudant, qui ea ratione fratrem eripuit à morte, quantùm quidem in ſe fuit, neſciebat enim quid meditaretur Ruben. Et quidem negari non debet aliqua commiſeratione fuiſſe commotum, ita ejus animum flectente Deo; Oſtendit igitur remiſiſſe in eo aliquantulum priſtinum furorem, in quibuſdam, etſi non in omnibus. Aliquis naturæ ſenſus in eo videtur excitatus, quem prius in eo & cæteris, rabies odii videbatur penitus deleviſſe. Sed non aſſurgit uſque ad veram pœnitentiam, imo in eo adhuc viget præpoſterus ille ſtupor quo impiorum animi detinentur, qui ſe culpæ immunes putant, ſi contineant manus à craſſioribus flagitiis, etſi in alia ruant pernicioſa. Peccat enim adhuc in agendi modo, quia ſuadet plagium; & in fine, quia non vult filium reddi patri, imò ab ædibus paternis abſtractum amiſſa libertate, innocentem civili morte mulctat. Itaque non excuſat Judam à peccato mitius conſilium, quia eadem quibus uſus eſt argumenta, ut diximus, graviter adhuc eum accuſant. effecit enim non tantum ut de ſalute corporis, ſed etiam animæ periclitaretur Joſeph.

Hoc tamen conſilio benè uſus eſt Deus. Cum enim alii fratres intelligerent ſe ſine cæde & cum aliquo lucro, conſequi poſſe quæ ſibi propoſuerant, protinus acquieverunt, & viatoribus Madianitis fratrem vendiderunt, Deo intendente alium planè eventum quàm ipſi putabant. Nam dum fratres, Joſephum vendentes, ſeipſos mancipant peccato, cum ſibi viſi eſſent prudentiſſimum iniviſſe conſilium, & eludere Dei ordinationem, promovent eo ipſo, quod maximè ſe putabant præcavere. Nec propterea excuſantur, quod Dei conſilio inſerviant, quia nihil minus intendunt; ſed ſuam tantum malitiam explere conantur. Quod autem boni aliquid hinc eruitur, ſapientiæ eſt & bonitatis divinæ. Quæ aptiſſimè connectit Gregorius lib. 6. Moral. in Job, cap.12. *Ideò à fratribus venditus fuerat Ioſeph, ne adoraretur; Sed ideò adoratus eſt, quia venditus. Aſtutè namque aliquid agere auſi ſunt, ut Dei conſilium mutarent: Sed divino judicio quod declinare conati ſunt, renitendo ſervierunt; Inde quippe coacti ſunt Dei voluntatem peragere, unde hanc moliti ſunt aſtutè commutare.*

Pretium quo venditus eſt, fuit viginti argenteorum, ſic enim habent Ebræi, & Chaldaici libri: Latini quidem variant, ſed tamen ultima editio Romana à duobus Pontificibus approbata, cum Ebręo conſentit. Alioqui tempore Ambroſii & Auguſtini variarunt codices Latini, quidam viginti quinque, quidam triginta argenteos numerabant, ubi boni illi patres quærunt allegorias, quaſi viginti, vigintiquinque & triginta conciliari poſſent, excogitatis moralibus ſignificationibus. LXX. interpretes argentum in aurum commutarunt, quo nomine reprehenduntur ab Hieronymo, in tradit. Ebraicis in Geneſ. ad hunc locum. Joſephus pro argenteis *minas* habet, quod ſi verum eſſet augeretur, admodum pretium. Nam lib. 14.cap.12. ἀρχαιολ. dicit minam valere libras duas & dimidiam, quæ efficiunt ſiclos communes centum viginti. Non eſt probabile tanti eum emiſſe Madianitas. Jdeò omnes interpretes

ſiclos

ſiclos communes intelligunt argenteos illos, quorum quaterni faciunt *thalerum* imperialem; atque ita vili fuit venditus Joſephus, quatuor nempe imperialium thalerorum pretio ex analogia monetæ veteris ad novam, ita ſupputante VVaſero de antiq. numis Ebræorum, lib. 2. cap. 5. Credibile eſt eos etiam vili pretio fuiſſe contentos, qui id tantum in animo habebant, ut quavis ratione eum excluderent è familia Jacobi. Plerique notant in eo Joſephum fuiſſe Chriſti figuram, quod uterque certa pecunia venditus eſt à ſuis, minor minori pretio &c.

Venditionem illam injuſtam fuiſſe extra controverſiam ponitur. Sed tamen hinc colligitur tunc uſitatum fuiſſe homines vendere & emere, de quo quæri poteſt, an bona conſcientia licuerit, ſecundum Deum. Factum fuiſſe conſtat, ſed quo jure, non ita liquet. Quæſtionem hanc ſic reſolvunt. Acquiri poſſe dominium in homines ut mancipia fiant quatuor modis, jure belli, nativitate, juſta condemnatione, & emptione. His omnibus modis hominem cadere ſub dominium hominis. Jd etiam ſupponere Sacram ſcripturam ex eo colligitur, quod in ea multa continentur judicialia de ſervis. Et apud Apoſtolum ſæpè ſervis & dominis præſcribuntur officia, ſervato dominorum jure, & continuante ſervorum ſubjectione. Jntelliguntur autem ſervi propriè dicti ſeu mancipia.

Sed talem ſervitutem non eſſe jure divino aut naturali introductam certum eſt, quia eſt pœna; nulla autem pœna eſt à natura, & à jure divino per ſe, ſed tantum per accidens, poſito peccato, à quo ſervitus inter homines eſt introducta. Jntelligimus de ſervitute propria, qua homo in hominem deſpoticè dominatur; ita ut homo ſervus ſit *inſtrumentum ratione præditum quod ab aliis ſeparatum poteſt ſuum munus obire, & non ſui, ſed alieni juris ſit.* Jd autem à natura non eſt, ut qui liber erat, fiat alieni juris, ſed peccatum, quod eſt contra naturam, ſervitutem ſua injuſtitia, juſtam fecit. Primus autē titulus ſervitutis fuit jus belli, in quo qui alteri quem impunè poterat occidere, vitam ſervaverat, eum ſibi poterat in ſervum vindicare, morte in ſervitutem commutata. Quod jus etiam extenditur ad parvulos alioquin innocentes, qui ſervituti poſſunt addici tanquam membra hoſtilis reipub. etſi non peccarint, quia ut commodis, ita etiam incommodis ſui corporis participant, in bonis præſertim externis, inter quæ cum libertas habeatur, etiam ea privari poſſunt, quo facto etiam in filiis puniuntur parentes.

Hunc primum titulum alius ſequitur nativitatis, qui enim ex ſervis naſcitur ſervus eſt, etiam qui ex matre ſerva patre libero: unde tritum illud, *partus ſequitur ventrem.* leg. *partum,* codice *de rei vindicatione,* quia mater eſt certior, & plus confert corporeæ materiæ, cujus ratione ſervus fit homo.

Titulus juſtę condemnationis conceditur à legitimo judice, qui ſi ad mortem poteſt condemnare, ita etiam ad ſervitutem, quæ mors eſt civilis.

Reſtat titulus emptionis & venditionis. Si aliquis hominem jure poteſt vendere, poteſt etiam alius juſtè emere, nempè ad ſervitutem. Si quis autem factus eſt alicujus dominus, jure, vel belli, vel nativitatis, vel condemnationis, dubium non eſt quin poſſit in alium transferre idem jus quod habet, accepto juſto pretio & valore. Præterea, homo liber poteſt ſe ipſum vendere ut ſervus ſit, nam etſi non ſit dominus vitæ ſuæ, quam per conſequens vendere non poteſt; eſt tamen ſuæ libertatis dominus, ſicut pecuniæ ſuæ, quam proinde poteſt alienare. Jdem etiam apertè colligitur ex lege Ebræorum, in qua etſi ubi de ſervis Ebræis agebatur, non poterant adigi ad ſerviendum ultra ſex annos, quia ſeptimo dimittebantur liberi, qui etiam non expectabatur ſi annus Jubilæus incurreret. Si tamen conſentiebat ſervus hero ſuo in perpetuum ſervire, licebat ei libertati ſuæ renunciare, ut patet Exod. 21. verſ. 2. & Deut. 15. ℣. 16. 17. Ex quibus locis liquet jure naturæ hominem liberum poſſe ſuam libertatem vendere vel donare, ſi tamen rationes habeat juſtas, alioqui peccaret, quia non debet profundi libertas, quæ bonis fortunæ & famæ præſtantior eſt. Lege etiam poſitiva Judęorum permittebatur parentibus in gravi neceſſitate liberos ſuos vendere. Exod. 21. ℣. 7. ſed eadem lege, qua ſe ipſos vendere poterant. Quod etiam jus civile Romanorum permiſit, ſub certis conditionibus, nempe ſi id fiat per nimiam paupertatem victûs cauſa, ita tamen ut filius reddito pretio poſſit libertatem recuperare &c. Hanc enim lenitatem adhibuit Conſtantinus Jmper. Lege 2. de patribus qui filios diſtraxerunt; Ubi non patitur, *ut filii à parentibus vendantur niſi in extrema neceſſitate famis, & vult ut ad ingenuitatem ſtatim redeant, cum data fuerit redemptionis facultas, ſive reddita pecunia emptori, ſive alio mancipio ſuppoſito ejus loco.* Jd etiam apud Chriſtianos conſuetudine introductum eſt, ut Chriſtiani ab aliis Chriſtianis bello capti, non fiant ſervi, in honorem libertatis quam nobis acquiſivit Chriſtus. Non tamen ſequitur Chriſtianum non debere ſervire Chriſtiano, & planè illicitum eſſe per ſe ut Chriſtianus habeat mancipia Chriſtiana. Paulus enim 1. ad Tim. 6. ℣. 1. & 2. monet ut ſervi ex fidelibus, *dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, & ſi fideles illi ſint non contemnant quia fratres ſunt, ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes ſunt.* Fuerunt enim tunc ſervi docendi obſervantiam obedientiamque, quoniam Pſeudoapoſtoli libertatem ab Euangelio concedi dictabant; quod odium in Chriſtianos concitabat, & occaſionem dabat pravè ſentiendi de doctrina Chriſti: efficiebant enim, prætextu libertatis, ut ſervire Chriſtianis Chriſtiani detrectarent; imò nec ipſis magiſtratibus politicis obtemperare vellent, ac ſubeſſe, quod etiam noſtro tempore renovarunt Anabaptiſtæ. Tertius Canon Concilii Gangrenſis adverſus tales dirigitur, quod ſub Anathemate

themate prohibet, *ne quis alieno ſervo ſuadeat, miniſterium domini ſui deſtituere.* Tunc enim videbantur nonnulli converſi ad Chriſtum prætendiſſe exemplum Judæorum, quo ſervi reſtituebantur libertati; vel ſeptimo anno, vel jubilæo. *Non factus es Chriſtianus*, ait Auguſt. in Pſal. 124. *ut dedigneris ſervire: cum enim Chriſto jubente ſervis homini, non homini ſervis, ſed illi qui juſſit.* Sed tamen non laxat pietas Chriſtiana habenas ſævitiæ & tyrannidi, nec vult ſervos tractari ut bruta animalia, quod apud Ethnicos fiebat, Jdeo Paulus Eph. 6. 9. dominis præcipit *remittere minas*, cum ſciant, *quia & illorum & ſervorum Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* Jdeò etiam inter Ethnicos qui ſapientes habiti ſunt, erga ſuos ſervos humani fuerunt; quod inter alios, de Catone memoratur apud Plutarchum; Ut merito invehantur nonnulli ex Pontificiis in ſuos, qui quæ Chriſtiana fecerunt mancipia, tanquam canes tractant, imo deterius; quod de Hiſpanis in novo orbe & in ipſa etiam Hiſpania referunt ipſorum hiſtorici; apud quos horrenda leguntur immanitatis exempla. Jn Gallia nemini per leges licet habere mancipia, nec ex Chriſtianis, nec ex infidelibus. Qui id prohibuerunt principes, haud dubio bonis rationibus moti fuerunt, ut Chriſtianum nomen ab omni crudelitatis ſuſpicione liberaretur; quia in talibus vix modus teneri poteſt. Nihilominus ſi juſtis adhibitis conditionibus & repagulis, ne domini abuterentur mancipiis, hæc poteſtas limitaretur tantum ad legitimos uſus, in tanta hominum otioſorum & inquietorum multitudine, qui libertate ſua abutuntur, non inutile eſſet fortaſſe Rebuſpubl. ſi jus illud reſtitueretur. Sed de his videant politici; tantum diximus de eo, quod in conſcientia licitum eſſe ex Dei verbo judicamus.

AD CAPVT XXXVII.

EXERCITATIO CXLIX.

Rubenis, non invento fratre conſternatio. Mos ſcindendi veſtes, *in gravi luctu.* Non eſſe *dici qui mortuus putatur. An excuſari poſſit Ruben, quod factum illud patrem celaverit? Commentum quod excogitarunt Iſraëlitæ, ut patri imponerent. Ruperti Iacobo tribuentis notitiam fraudis, hallucinatio. An parens nimiæ credulitatis debeat inſimulari? In eo agnoſcenda Dei diſpenſatio. An Iacob in luctu exceſſerit modum? conceditur, & quid in talibus fieri debeat, docetur. Sacerdotibus cur lugere mortui cauſâ prohibitum fuerit? Luctui certi dies præfixi. Cur Deus tot calamitatibus ſervum ſuum exercuerit? Hujus conſiderationis uſus.*

EX diverticulo redeo ad Hiſtoriam noſtram: venditus eſt Joſephus autore Juda, inſcio & abſente Rubene, qui aliò digreſſus, ut diximus, cibum non ſumpſit cum fratribus. Cum igitur reverſus eſſet ad ciſternam, verſ. 29. nec inveniſſet puerum, prout moris erat apud gentes illas in gravi luctu & dolore, *ſcidit veſtes ſuas*, quod illi faciebant, undecunque is dolor acceſſiſſet, ſive ex ſuis, ſive ex alienis peccatis, ſive ex aliquo triſti damno; ut hac ratione teſtarentur cor ſuum eſſe confractum & humiliatum; cujus moris exempla ſunt in ſcripturis plurima. Jeremias cap. 36. miratur combuſto impiè libro, neque timuiſſe, neque diſcidiſſe veſtimenta, qui tunc aderant, quia id ferebat populi illius conſuetudo. Apud Lacedæmonios, re infœliciter geſta, idem factum fuiſſe teſtatur Herodotus libro 6. ubi agit de Mardonio. Et Livius idem notat in Sabinis Decad. 1. lib. 1. Virgil. Æneid. 12. inducit Amatam de laqueo cogitantem veſtes diſcindentem,

Purpureos, moritura manu diſcindit amictus:

Et Latinum regem eandem deflentem,

--- *It ſciſſa veſte Latinus*
Conjugis attonitus fatis, urbiſque ruina.

Laceræ & ſciſſæ veſtes indices ſunt hominis ſe ipſum præ dolore & mœſtitia negligentis; ut contra, in rebus proſperis & lætis, ſolent induere quas habent pretioſiſſimas & nitidiſſimas veſtes.

Exclamat Ruben, הילד איננו *hajjeledh anennu*, puer non ipſe. ſubaudiendum *eſt*; & poteſt addi *non eſt in ciſterna.* Sed videtur alio reſpexiſſe, & eo putavit deveniſſe fratres, ut ſanguinarium conſilium à quo eos dimoverat tandem perfecerint: dicitur enim *non eſſe*, qui mortuus eſt. Jta accipitur Pſal. 103. verſ. 16. *Spiritus tranſit per eum, & non ipſe.* id eſt, inter viventes. Jerem. 31. 13. *Rachel plorans filios ſuos, quia non ſunt.* Exiſtimavit ergo mortuum eſſe fratrem. Patheticè addit, ואני אנה אני-בא *Vaani, ana ani ba?* Et ego, quò veniens? id eſt quò ibo, quò me vertam neſcio. Nempe videbat ſibi periiſſe occaſionem benè de patre merendi, & metuebat ne in ipſum culpam conjiceret parens. Apud quem tamen poſteà tacuit quicquid geſtum fuerat, edoctus, haud dubio, à fratribus venditum fuiſſe, ita ut videatur tandem acquieviſſe fraudi quæ poſtea indicatur, qua fallerent miſerum parentem. Jn quo etſi non ſit ſine peccato, qui tamdiu patrem celavit factum illud, & ita permiſit falli, eſt tamen aliqua excuſatione dignus,

dignus, quod videret nullum huic malo dari præſens remedium, nec minus afflicturum patrem, ſi rem detegeret, turbaturum totam familiam, & omnes fratres in ſe concitaturum, qui etiam in eum culpam conjeciſſent, qui fuiſſet autor eum in ciſternam detrudendi, fame moriturum: neque enim eis declaraverat conſilium ſuum. Videns itaque ſe ſolum non poſſe reſiſtere novem fratribus, preſſit altum corde dolorem, & ſiluit. Certum eſt minus peccaſſe cæteris; inter quos probabile eſt Simeonem & Levi, jam violentia & ſanguinis effuſioni aſſuetos, homines truculentos, autores conſilii fuiſſe de perdendo fratre, & primas in eum manus injeciſſe. Nec enim ſine cauſa Joſephus poſteà Simeonem captivum detinuit in vinculis, coram fratribus ligatum.

In ſequentibus non cogitant miſeri, quam facti ſui rationem Deo ſint reddituri, ſed qua ratione patrem decepturi ſunt; parum ſolliciti, quod fallere non poterant judicem, qui decipi nequit. *Hominum enim ſic ſe habet inſipientia* (ait in hunc locum Chryſoſt.) *ut hominum timorem & præſentis vitæ confuſionem maximi faciant, mente autem & cogitatione non repræſentent ſibi terribile illud Dei tribunal, & intolerabilem pœnam, ſed hoc unum curant, quomodo effugere poſſint humanam reprehenſionem & animadverſionem.* Hæc erat tum ſollicitudo filiorum Iſraelis, ſed degenerum. Excogitarũt ergo commentum, quo fratris amiſſionem à ſe procuratam in opinione parentis, in feram beſtiam rejiciant. Mittunt ad eum veſtem polymitam Joſephi maculatam ſanguine שעיר עזים *ſeir izzim*, hirci capraium, id eſt caprini, ex capris nati. Vulgata reddit *hædum*, non malè, probabile eſt enim potius hædum mactaſſe in eum uſum, quam hircum olentem. Nomen generale eſt pro hirco, ſive tenello ſive adulto. Mittunt ergo veſtem tinctam. Joſephus addit ab iis primum fuiſſe laceratam, quod credibile eſt, cum enim perſuadere vellent à feris fuiſſe devoratum, non ſolum maculæ ſanguinis apparere debuerunt in veſte, ſed etiam dentium & unguium veſtigia. Quicquid ſit, ita fuit fraus compoſita, ut credulus parens ea viſa, pro certo habuerit Joſephum à fera fuiſſe devoratum. Nam quod Rupertus in Gen. li. 8. c. 21. falli nõ potuiſſe Jacobũ exiſtimat, nec eum latuiſſe Ioſephum à fratribus fuiſſe ſublatum, id vero diſſimulaſſe prudenter, omni veriſimilitudine caret. Fuit quidem Jacob Propheta, ſed non quotieſcunque voluit, & omni tempore, potuit vel occulta noſſe, vel futura prævidere, niſi quatenus voluit ei Deus revelare. Non enim ſemper Prophetis adfuit ſpiritus propheticus. Certè ſi revelaſſet Jacobo quid tum factum fuiſſet, & quid poſteà futurum eſſet, neque tanto luctu fuiſſet oppreſſus, neque ad nuntium ſtatûs Joſephi ita hæſiſſet, ut poſtea facturus eſt.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor. Adeò perturbatus eſt tali nuntio, ſollicitus alioqui pater, ut hoc viſo ſigno, ſtatim pronunciet filium à fera devoratum. Non inquirit quo in loco reperta ſit veſtis, an nullæ ſupereſſent filii reliquiæ, oſſa enim non potuit beſtia devorare. An locus eſſet talibus beſtiis antea infeſtatus, &c. Idcirco ſunt qui eum reprehendunt nimiæ credulitatis, quamvis culpam rejiciant in vehementiorem animi affectum. Sed quis novit, annon egerit pluribus cum nuntiis? Erant quidem quæ eum in ſuſpicionem adducere poterant, fratres in ipſum aliquid commiſiſſe; ſed pater etiam erat, nec poterat in animum inducere odium tot filiorum ſuorum eo uſque proceſſiſſe ut ſanguinem fratris effudiſſent, & tot ſimul in tantum ſcelus conſenſiſſent. Sed quod præcipuum eſt, hæc ita diſpenſavit Deus, qui voluit totum hoc negotium Jacobo eſſe incognitum, ut lætiorem videret cataſtrophen, & miraretur, ſuo tempore, divinæ providentiæ adminiſtrationem. Intereà exerceretur variis ærumnis, in exemplum fidei & patientiæ. Aliter agnoſcendum eſt, non talem fuiſſe fratricidarum aſtutiam, quin potuiſſet deprehendi ab eo judice, etiam humano, cujus animus doloribus non fuiſſet præpeditus. Suſpectum enim eſſe potuit quod ipſi veſtem mittebant, non extranei, & quibuſdam circumſtantiis exquiſitis, convinci potuiſſent. Sed, ut diximus, voluit Deus ad tempus factum illud celari, ut poſteà detegeretur alia quam ipſi putaverant ratione.

Intereà afflictus parens, verſ. 33. 34. & 35. luctum ſuum & dolorem omnibus modis teſtatur, factis & dictis. Lacerat veſtes, in ſignum vehementiæ doloris, quo ſentiebat cor ſuum diſrumpi. Saccum induit, & lugens filium ſuum multo tempore conſolationem omnem rejicit à filiis & filiabus, & tandem erumpit in hæc verba, *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.*

Ubi in genere quæri poteſt primùm, num luctus tantus indignus fuerit tali viro, in filii unius jactura, cùm tot alios haberet ſuperſtites? Non poteſt abſolutè culpari, qui optimi & morigeri filii gravi caſu angitur. Cauſæ fuerunt graves, ob quas nec vis inferri debuit naturæ, nec etiam potuit. Non exuunt ſancti humanos affectus, imò στοργαὶ in generoſis naturis ardentiores eſſe ſolent, & multa erant quæ eas erga Jacobum vehementius inflammaverant. Modus tamen in omnibus ſervandus eſt, nec poteſt negari exceſſus doloris in ſancto viro, in quo humanæ infirmitatis habemus exemplum, qua etiam Sancti in hac vita laborant. Videtur enim hoc ſibi propoſuiſſe, ut indulgeret dolori, nec conſolationem admitteret. Itaque cùm hæc etiam tantis viris acciderint, cavendum eſt in talibus, ne habenas nimis laxemus dolori, ne prorſus opprimamur, vel in voces erumpamus parum decentes vocationem noſtram, quod cùm à nobis impetrare non poſſimus, à Deo petendum eſt, ut verbi ac ſpiritus ſui radio & fulgore mœſtitiam animi diſcutiat, nec prorſus abſorberi nos per animi ægritudinem ſinat.

Quod laceratis veſtibus ſaccum induit, pro regionis & incolarum more, habet etiam ſuos uſus. In talibus enim,

enim, ſi modo quis caveat nimiam affectationem, dandum eſt aliquid communi conſuetudini, imò & nobis ipſis. Talia ſolebant fieri vel ab afflictis, vel à pœnitentibus, in ſignum abjectionis & ſpiritus humiliati & contriti. Quod tamen Deus in lege ſua prohibuit ſummo Sacerdoti, in privata cauſa. Levit. cap. 21. ℣. 10. Imò poſtquàm Nadab & Abiu filii Aaron, igne divino correpti fuiſſent & abſorpti, Moſes nomine Dei vetuit, ne Aaron & filii ejus capita nudarent, & veſtimenta ſcinderent, indictâ mortis pœnâ, Levit. 10. ℣. 6. cujus prohibitionis ſpecialem cauſam fuiſſe dubium non eſt. Quam Abulenſis hanc eſſe putavit, quia decebat eos honeſtiores eſſe, atque majorem demonſtrare tranquillitatem in opere ſuo; cùm ſciſſio illa, ex quodam valdè turbulento & furioſo animo ſit: prætereà, quia immodici doloris ſignificatio arguit ignorantiam, vel incogitantiam beatæ reſurrectionis, quaſi nunquam poſteà ſint amici ſe reviſuri: quæ Sacerdotes maximè dedecent, quos oportet magis tum doctos, tum pios eſſe, &c. Sed rationes illæ videntur omnibus piis communes, præſertim Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & aliis ſummis viris, qui tamen occaſione data, veſtes lacerarunt. Sic Jacob hìc: Jobus cap. 1. ℣. 20. in calamitatibus ſuis. David cum ſuis, allato nuntio de morte Saulis & Jonathæ, 2. Sam. 1. 11. Paulus & Barnabas, cùm vellent Lyſtrenſes eis honores divinos deferre, Actor. 14. ℣. 14. & alii. Specialem igitur fuiſſe rationem oportet in Sacerdotibus, maximè in ſummo, quam ego putarem hinc deſumendam, quod cùm toti Deo & ejus cultui conſecrati eſſent, jam non liberum eis eſſet aliorum in morem privato luctui indulgere, qui publicis Eccleſiæ negotiis erant occupati, ad quos id pertinebat quod dixit Dominus, *Sinite ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Matt. 8. ℣. 22.

Sacci nomine, quod ab Ebræis uſurpatum omnes ferè nationes retinuerunt, ſignificant textum ex pilis hircorum & caprarum tonſilibus, vel aliâ rudi materiâ, frumentis & aliis rebus aridis tranſvehendis idoneum. Sic poſteà mentio fiet *ſaccorum* filiorum Jacobi. Sed quia qui in luctu erant ex tali & ſimili materia, exutis pretioſis veſtibus, loco interulæ veſtes ſibi conficiebant, factum eſt, ut ſacci nomine, ut poſteà apud Latinos *cilicii*, ſignificatum fuerit veſtimentum illud durius & craſſius, quo quis accingitur luctus & anxietatis tempore. Hic notant quidam Pontificii, Jacobum fuiſſe primum qui legitur ſaccum induiſſe, quod poſteà ejus filii ſunt imitati. Si id ita intelligant, quaſi iſtius moris primus autor fuerit, falli eos non dubito. Nam etſi in ſcriptura non legamus ante Jacobum, ullum ſacco ſe induiſſe, non dubitandum eſt tamen, quin id ex more lugentium fecerit, quod ab aliis anteà fuerat uſurpatum, & cujus apud omnes ferè gentes extant veſtigia. Ridiculum eſt pene, quod nunc uſurpatur in luctu & dolore pro mortuis, ſi cum tali conſuetudine comparetur. Induimus quidem lugubres veſtes, quas ita vocamus, ſed quæ nihil aut parum de pretio remittunt nec de forma; modo nigræ, & ſimplicius conſutæ, etſi alioqui delicatæ & ornatæ, ſint veſtes lugentium, qui ſæpè in talibus veſtibus rident. Hæc fiunt ad pompam, non ex doloris ſenſu.

In pœnitentiæ actibus uſurpatum fuiſſe ſaccum jam olim ſub V. Teſtam. exempla multa probant, etiam à Ninivitis in jejunio, extra communionem populi Iſraëlis. Idem fuiſſe uſurpatum in Chriſtianiſmo, ab iis qui duriori vitæ voluerunt aſſueſcere & carnem ſuam domare, extra controverſiam eſt. Rem autem per ſe mediam eſſe cenſemus, nec exiſtimamus pertinere ad ceremonias legales, quod quidam Ieſuitæ nobis imponunt, cùm in legalibus ceremoniis nihil de ſacco aut cilicio præſcribatur. Id tantùm rejicimus, quod in ſacci ſuccinctione ſanctitatem aliquam conſtituunt, & inde meritorum & ſatisfactionum penum ſe habere vanè imaginantur. Certè Achab in pœnitentiæ teſtimonium, *ſcidit veſtimenta ſua, operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite*, 1. Regum 21. ℣. 27. cujus tamen pœnitentiam fuiſſe veram, negat Lyranus, negat cum eo Chartuſianus & Cajetanus. Ex affectu enim ſervili fuit concepta, & temporali aliqua commoditate remunerata, pœnæ nimirum dilatione, &c. Quod enim Deus dicit, *humiliatum eum fuiſſe coram ſe*, id intelligendum eſt de ſervili illa humiliatione, metu pœnæ. Sed ſi fuiſſet etiam vera humilitas, hoc ipſo ſequeretur placere Deo humilitatem, alia verò quæ fiunt tanquam ſigna, per ſe non placere, quia hypocritis & piis poſſunt eſſe communia. Impia autem ſunt, cùm non uſurpantur tanquam ſigna aut adminicula pietatis & pœnitentiæ, ſed eo animo, ut Deum talibus placemus, aut ab eo mereamur, aut pro peccatis noſtris ſatisfaciamus. Nihil tale cogitavit Jacobus ſaccum induens, ſed dolorem ſuum teſtari voluit.

Filiarum ejus inter conſolatores fit mentio. Dinæ nihilominus tantùm meminerat anteà Scriptura; & fortaſſè plures non habuit Jacob. Verum quidem eſt, Scripturam rarò filiarum meminiſſe, niſi ſi occaſione alicujus caſus notandi, neceſſarium id fuerit, quod in Dina locum habuit. Poſſunt per filias intelligi nurus, & filiæ filiorum, ſive neptes ejus. Benè factum eſt, quod omnes filii & filiæ congregati fuerunt, ut lenirent dolorem patris, ſi bono animo id ab omnibus fuiſſet factum. Efficax non potuit eſſe conſolatio illorum, qui huic malo occaſionem dederant, quos tacitè intus flagellabat conſcientia, cùm ſcirent ſuo ſcelere acerbiſſimas illas querelas ab afflictiſſimo ſene exprimi, qui videbant per ſe non ſtare, quin pater dolore contabeſceret, quem ſuo facto in illud periculum conjecerant. Non poterant eum conſolare niſi fictis verbis, nec rem ita ut ſe habebat detegere auſi fuiſſent; itaque ſilentio & ſimulatione doloris factum ſuum occultabant, relinquentes non ſolum parentem, ſed etiam

avum

avum Iſaacum in dolore acerbiſſimo. Tum enim adhuc vixiſſe ſupra probavimus, nec credibile eſt tantum Jacobi dolorem eum latuiſſe vel cauſam ejus. Quod autem inter ejus conſolatores non memoratur, id factum eſt quia & ipſe conſolatione opus habuit. Præterea cum ſenex fuerit & decrepitus, qui jamdiu ante oculorum uſu privatus fuerat, id tum primũ non animadvertit, donec paululum ſedato dolore, ipſe Jacob potuit poculum illud parenti propinare, temperatum iis conſolationibus quibus tandem ipſe ceſſerat. Quod enim *renuit conſolari*, id non intelligendum eſt abſolute, ſed recenti adhuc dolore, per aliquot dies rejecit conſolationem ſuorum; ſed non dubium eſt quin tandem acquieverit divinæ voluntati, dum intus ſpiritus Dei ſuggeſſit ei quid deceret ejus fidem, & quam alienum eſſet ab eo qui toties erat expertus Dei conſtantiam & veritatem, tam remiſſus animus in ſenſu afflictionis immiſſæ, non ſine Dei providentia. Quod dicitur *luxiſſe ſuper filio ſuo diebus multis*, referunt plerique ad totum illud tempus quod effluxit inter Joſephi venditionem, & ejuſdem revelationem, id eſt, ad annos viginti tres. Quo toto tempore, etſi non dubitem memoriæ ejus fuiſſe infixum Joſephi, quem putabat, caſum; non ſentio tamen cum iis qui volunt toto illo tempore in luctu perduraſſe, vel etiam id intelligi hiſce verbis Moſis, quæ potius referenda cenſeo ad præcedentia, *ſciſſis veſtibus, indutus ſacco, luxit multis diebus.* Solebant ferè lugentes dies certos habere præfixos luctui mortuorum, quomodo poſteà cap. 5. verſ. 3. Ægyptii fiebunt Jacobum *ſeptuaginta diebus*, qui vocantur *dies fletus ejus.* Joſeph etiam, cum deferretur pater ad ſepulchrum Abrahami, *inſtituit ei luctum ſeptem diebus*; qui mos poſteà obſervatus fuit apud Iſraëlitas. Erat autem luctus ille ſolemnis, quem teſtabantur externis ſignis. In tali luctu potuit perſeverare Jacob [illegible] ris, pluribus diebus quam in more poſitum erat. Huc refero, quod luxiſſe dicitur ſuper filio multis diebus, comparatè ad morem uſitatum. Sed manſiſſe per viginti tres annos cum laceris veſtibus cinctum cilicio, probabile non eſt, cum videamus illum poſteà proſpexiſſe familiæ, in qua, in perpetuo luctu manens, non potuiſſet defungi officio boni patrisfamilias.

Non debet hic omitti conſideratio mirabilis conſilii divini, qui in eam familiam, cum qua ſingulare fœdus ſanxerat, tantam ærumnarum & afflictionum congeriem inferri non ſolum permiſit, ſed etiam direxit ſua diſpenſatione; cum nihilominus & familiæ caput, & ſuos omnes propter ipſum, ſpeciali angelorum ſuorum curæ commiſiſſet. Jacobus enim coactus fuit pati ſtuprum filiæ ſuæ, alterius ex uxoribus obitum in puerperio, unius ex concubinis ſuis adulterium, filii natu majoris inceſtum, aliorum homicidia, & tandem raptum filii, quem ſenectutis ſuæ columen expectabat, cum ea perſuaſione quod à feris laniatus eſſet. Quæ Dei adminiſtratio videtur Eſaiam impuliſſe ad hanc exclamationem, *Utique tu Deus fortis abdens te.* Vel, ut habet vulgata. *Tu es Deus abſconditus.* Eſai. 45. ỳ. 15. Cujus nulla vis ingenii creata apprehendit conſiliorum profunditatem. Id autem facit ut diſcant fideles ſe totos ei committere, & ita verbo & promiſſionibus ejus hærere, ut etiam aliter judicante toto terrarum orbe, & aliter indicantibus infinitis hujus vitæ periculis, eidem nihilominus tribuant laudem & gloriam, infinitæ ſapientiæ, bonitatis, & veritatis, ſimul etiam diſcant, varia exercitia quibus Deus ſuos probat, graves quas immittit afflictiones, non eſſe argumenta divinæ deſertionis, ut neque res lætæ & proſperæ in hac vita, divini favoris; ut enim verè piis illa non nocent, ſed eos docent; ita impiis hæc non proſunt, ſed obſunt.

EXERCITATIO CL.

Pontificiorum de ſtatu animarum fidelium ſub V. Teſtam. ſententia. Proponitur eorum argumentum ex verbis Iacobi Deſcendam ad filium, &c. Colligi cum patribus ſuis, *vel eſſe cum aliquo* in morte, *non ſignificant conditionis omnimodam paritatem. De voce* Scheol: *Pontificiorum pugnæ. Committuntur Pererius, Bellarminus, Delrio, Sanctius & alii; ac de vera vocis ſignificatione inquiritur. Gehennam & Tophet fuiſſe commune ſepulchrum. Quomodo ſepulchrum habere potuit, qui credebatur à feris devoratus? Sepulturam & ſepulchrum omnibus mortuis tribui probatur luculentis teſtimoniis. Ieſuitæ, Mariana & A Caſtro, advocantur tanquam expoſitionem noſtram approbantes & aſſerentes. Cur Putiphar Eunuchus appellatur, & quæ fuerit ejus in Aegypto dignitas? Prætorianum judicem fuiſſe ex eo conjicitur, quod præfectum carceris fuiſſe conſtat.*

VErba Jacobi ad filios, cum renueret conſolari, ex ỳ. xxxv. *quia deſcendam ad filium meum lugens* שְׁאֹלָה *ſcheolah*, etſi per ſe ſatis perſpicua, quorundam tamẽ Pontificiorum pertinacia reddidit controverſa, qui ea etiam obtorto collo trahere volunt ad commentum ſuum de ſtatu animarum ſub veteri teſtamento, eorum ſaltem qui piè in Domino obdormierant, quibus non concedunt beatitudi-

titudinem cœleſtem in viſione divina conſiſtentem, ſed eorum ſpiritus, neſcio quibus ergaſtulis concludunt, in quibus etſi non paſſi fuerint aliquam pœnam ſenſus, damni tamen pœnam pertulerint uſque ad Chriſti domini triumphum de morte & inferno. Locum illum ſubterraneum fuiſſe volunt inferorum partem; proinde omnes mortuos fuiſſe inferis detentos, in diverſis tamen ſtationibus & conditionibus. Partem quam ſanctis Patriarchis aſſignant, *Limbum* vocant, voce prorſus nova, quæ nec in ſcriptura, nec in ullo autore probato reperitur hoc ſenſu, uſurpata primùm à Scholaſticis doctoribus, qui locum illum ſibi imaginati ſunt eſſe extremitatem inferni ſuperiorem, quam limbum vocarunt à veſtis limbo, ſive extrema faſcia; alii *inferorum ſuburbia* dixerunt. Quamvis autem vocem in ſcriptura non reperiri concedant, rem ipſam quam ſignificant ex ſcriptura ſe habere affirmant. Inter alia argumenta proferunt tanquam palmarium, quod ex his Jacobi verbis deducunt.

Jacobus inquiunt, pius erat, & Joſeph filius ejus quē mortuum putabat, in pietate fuerat educatus. Profitetur Jacob ſe iturum ad filium, quod de ſtatu corporis intelligendū non eſt ſed de animę ſtatu. Locū ad quemſecundùm animam iturus erat, *inferos* appellat. Non intelligebat locum pœnarum impiis deſtinatum, ſed eum quo pii recipiebantur; Ergo credidit, in inferno locum aliquem qui fuit piarum animarum tunc temporis receptaculum, qui locus fuit vel purgatorium, vel limbus patrum. Hæc eſt vis argumenti, quæ tota pendet à falſa interpretatione vocis שאול *ſcheol*, quam volunt ſignificare locum animarum, non ſepulchrum quo recipiuntur corpora, poſt animæ ſeparationem. Qua de re videndum erit, ſi id primum notaverimus, phraſim ſcripturæ, *colligi cum patribus ſuis*, vel *eſſe cum aliquo mortuo*, non ſignificare paritatem conditionis, animarum ratione, cum uſurpentur hujuſmodi locutiones tam de piis, quam de impiis. Jmò fictus Samuel, quem verum volunt fuiſſe plerique Pontificii, Sauli dicebat, *cras eris mecum*, 1 Sam. 28. ℣. 19. nec tamen ſequebatur eorum animas in eodem loco futuras. *Cum mortuis* igitur *eſſe* dicitur, vel *futurus*, qui moritur vel moriturus eſt; quia intelligitur in genere, *mortis ſtatus*, non animæ conditio fœlix, aut miſera, vel media.

De voce שאול litigatur, etiam inter adverſarios. Pererius hic probare conatur Ebræam vocem, & Latinam eidem reſpondentem *infernus*, & in hoc loco, & alibi ſæpenumero, ſignificare non foſſam ſeu ſepulchrum, ſed locum ſubterraneum in quo ſunt animæ poſt mortem. Ubi cum dicit *ſæpenumero*, id ſignificare concedit non ſemper, ſed aliquando aliter accipi. Jdem agnoſcit Bellarminus, qui tamen dubius hærere videtur, *ſignificat*, inquit, *voraginem, & ordinariè accipitur pro loco ſubterraneo animarum, raro, aut nunquam, pro ſepulchro*. Controverſ. 2. lib. 4. cap. 10. Audacior, Martinus Delrio, in digreſſione ſua de vocibus *ſcheol*; & ᾅδης, Adagialium veteris Teſtam. Tom. 1. *Nullus*, inquit, *in ſacra ſcriptura locus eſt, in quo* ſcheol, *ᾅδην, infernum, inferos, cogamur capere pro ſepulchro, ſcrobe, fovea, animæ à corpore ſeparatione, vel in genere pro ſtatu mortuorum, aut alio, quam pro animæ receptaculo, ſaltem metonymicè accepto.* Jllud poſtremum addidit, quia convictus erat aliquando vocem *ſcheol*, à LXX interpretibus converſam fuiſſe per vocem mortis, ſed vult id fieri per metonymiam, & per mortem, infernum ſignificari; quas metonymias ſi ubique fingere liceat, miror cur tantoperè abhorreat à voce ſepulchri & foveæ, poſſet enim eâdem operâ illa eludere, aut potius impudentiâ, quam ei viro familiarem fuiſſe ſcripta ejus teſtantur, in quib⁹, maximè in hoc negotio, manus ejus ſunt contra omnes, tanquā alterius Iſmaelis.

Vox שאול omnibus conſentientibus à verbo שאל *ſchaal* deducitur, quod *petere, rogare, commodare, mutuò etiam accipere*, ſignificat. *Avidius & procacius petere*, eſt commentum Delrio, ſine ullo autore, etſi aucta hæc ſignificatio, etiam ſepulchro ſit convenientiſſima. Quo referimus illud Eſai. 5. verſ. 14. *dilatavit* שאול ſcheol *animam ſuam*, id eſt *ſeipſum, & aperuit os ſuum abſque ullo termino*, Quem locum ſic παραφράζει Gaſpar Sanctius, Delrio Jeſuitâ doctior & modeſtior, *Præterea Tophet commune ſepulchrum dilatavit ſeſe. & os ſuum aperuit in vaſtum, atq; immenſum hiatum.* Ubi notat, *Infernus, hoc loco, pro morte, aut pro ſepulchro ponitur, cui per proſopopæjam os datur & ingluvies. Fingitur autem mors aut ſepultura hiante ore prædam expetere, atque vorare.* Citat ibidem ex Proverb. 1. *Deglutiamus eum ſicut infernum viventem &c. ubi*, inquit, *inferno, id eſt ſepulturæ aut morti, datur ingluvies, & à re nota, aut ſæpius uſurpata, ut aſſolet, comparatio ſumitur.* Addit ibidem, quod etiam alibi notarunt noſtri Tremel. & Junius, nec fruſtra repetimus, propter loca quædam, quæ à Rabbinis mutuantur Pontificii, in quibus שאול *gehennam* interpretantur, commune fuiſſe ſepulchrum in valle Cedron, in ea parte quæ Gehenna ſeu Tophet appellatur liquet ex 4. Reg. cap. 23. Ubi ſic de Joſia Rege. *Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem, in convallem Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit ſuper cadavera vulgi.* Jn hunc locum fuiſſe conjecta magno numero non modo ignobilium, ſed etiam principum cadavera, argumento eſt illud Jerem. cap. 19. ubi cum ſermo eſſet de illa cæde, ſeu tabe, qua conſumpti ſunt Judæi à Nabuchod. addit, *non vocabitur amplius locus ille Topheth, & vallis filii Ennon, ſed vallis occiſionis.* Pro quo LXX. tranſtulerunt *Polyandrium*, quod valet *commune ſepulchrum*. Jd etiam pluribus probat ad cap. 1. Actorum, ubi agitur de *agro figuli*, empto pecunia quam rejecerat proditor. Vult enim omnia ſepulchra communia *agros figuli* fuiſſe appellata, propter portam figulorum, extra quam erant ſepulchra vulgi, in valle Hinnom. Jtaque ſi probarent Papiſtæ ſched per *Gehennam* verti,

vel à

vel à Paraphraſte Chaldæo, quem ad id falſo citant, cum nomen Ebræum retinuerit, vel à Rabbinis, nihil lucrarentur; quinimo inde conficeremus primariam & propriam ſignificationem fuiſſe *ſepulchrum*, quia Gehenna fuit communis ſepulturæ locus; infernum autem pro impiorum loco poſt hanc vitam, per metaphoram, non propriè, ſic fuiſſe appellatum. Locus enim ille, ait idem Sanctius Act. cap. I. pro damnatorum carcere & carnificina ſumitur, tum propter acerbitatem & fletum, quia ibi per ignem traducebantur infantes, cremabanturque in honorem Moloch, 4. Reg. 23. & ideo vocatur Gehenna ignis; deinde quia locus ille ſtercorum cadaverumque gravi anhelitu, ipſoque rerum fœdiſſimarum aſpectu horribilis, ſi quiſquam alius, optimè inferni ſquallorem, & cruciatum referebat. Quæ faciunt etiam ad explicationem verborum Chriſti Marci 9. Ubi cum agit de gehenna, ter repetit, *ibi vermem non mori & ignem non extingui.* Videtur enim reſpexiſſe ad ignem quo pueri conſecrabantur Moloch, & ad ſepulchra & cadavera, quæ ſcatere ſolent vermibus; quaſi diceret, gehenna cui in æternum ſupplicium addicti ſunt impii, non habebit ignem aut vermes qui cito deficiant, ut illa quæ extra Hieroſol. à vobis appellatur Gehenna, ſed qui in æternum durent, & in æternum erucient.

Idem Jeſuita in Eſaiæ cap. 28. ad hæc verba, *percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*; poſt aliam interpretationem allatam, addit, *niſi mavis, quod magis reor, duobus his modis, rem eandem ſignificari. Eſt enim* FREQVENS, *ut* infernus *pro ſepultura & morte adhibeatur.* Oppono Sanctii Jeſuitæ *frequens*, *raro* Bellarmini, & *nulli*, Delrii. Et in cap. 38. Eſaiæ. Sæpè inquit, non *raro*, vel *nunquam*, ut volunt ſodales, *in ſcriptura inferi ſeu infernus, ponuntur pro morte; quo ſenſu accepit Iacob, cum Geneſ. cap. 42. dixit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Et ſenſu eodem dolores Chriſti vocantur, dolores mortis, Act.* 2. Quem locum explicans Jac. Payva Andradius, defenſ. fid. Trident. lib. 2. fol. 123. perinde eſſe oſtendit, ſive legamus cum veteri interprete *dolores inferni*, ſive cum Græcis, *dolores mortis. Si animadvertamus,* inquit, *infernum hoc loco pro morte atque ſepulchro, Hebræorum dicendi more uſurpari, ut Pſal.* 15. *quem mox Petrus citat, quoniam non dereliquiſti animam meam in inferno.*

Redeo ad Jeſuitas, eoſque recentiores, qui poſt Delrio ſcripſerunt. Edidit nuper commentaria in Jobum idem qui ſupra Gaſpar Sanctius c. 17. v. 13. *Si ſuſtinuero,* ait Jobus, *infernus domus mea eſt, &c.* Quæ ſic Paraphraſticè exponit Sanctius, *Non effugiam quominus pro luculenta domo ſepulchrum inveniam, ubi quieſcat diu, & tandem diſſolutum corpus redigatur in pulverem.* quæ pluribus explicat in notis, ubi ſemper infernum, pro *ſepulchro cadaveris*, exponit. *Non effugiam,* inquit, *quominus pro domo mea, ſepulturam tandem habeam.* Non tamen propterea contendimus, ubicumque vox *ſchæol* repetitur, de ſepulchro eſſe intelligendam, quia fatemur figuratè non raro, accipi pro infœlici mortuorum ſtatu ratione animarum, imò pro loco in quo torquentur impii. Sed id nobis ſufficit, quod *ſcheol* propriè terram ſignificat ſepulchralem, ſive quæ omnia, quæ in eam conjiciuntur, abſumit; & primariam hanc eſſe ſignificationem, à qua aliæ omnes pendent. Sufficit etiam ſi hoc habeamus quod contendit Sanctius, *ſæpè* ſic uſurpari, & *frequenter*; ſi *viginti ſex* loca veteris Teſtamenti nobis concedat *Emanuel Sa*; quod facit in phraſibus ſcripturæ. Hoc inquam, nobis ſatis eſt, ſuperque.

Alii, ut probent contrarium, hæc Jacobi verba nobis præſertim obiiciunt, *deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Ad quæ plerique Limbolarii noſtri, Non poſſunt, inquiunt, hæc verba intelligi de ſepulchro. Ratio eſt, quia noverat Jacob, ſaltem putabat filium ſuum fuiſſe à feris devoratum, proinde non habuiſſe ſepulchrum; cum dicit ergo ſe ad eum venturum, id intelligendum ratione animæ, non corporis. Animæ autem locus ſepulchrum non eſt. Ergo hic *ſchæol* eſt animarum receptaculum. Hanc objectionem exiſtimant inſolubilem. Sed nullius eſt momenti. Cum enim dicimus *ſchæol* propriè ſignificare ſepulchralem terram, vel ut cum Janſenio loquamur, in cap. 15. Proverb. verſ. 11. *Ebraicam dictionem* ſcheol *propriè ſignificare ſepulchrum; & per infernum & perditionem, quæ duo in ſcripturis ſæpe conjunguntur, ſignificari ſtatum mortuorum, & non ſolum damnatorum, ſed in genere ſtatum defunctorum*; per ſepulchrum non intelligimus ſtrictè, id de quo apud Juriſconſultos diſputatur, cum agunt de ſepulchro violato, ſed id referimus ad rationem humationis in genere, quandocumque modo terra reddatur terræ, juxta ſententiam divinam, *pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quo ſenſu legimus apud Lucanum, l. 7.

-- capit omnia tellus,

Quæ genuit; cœlo tegitur, quem non habet urnam.

Sepeliri enim dicuntur quicumque terræ redduntur, etiam qui ſepeliuntur *ſepultura aſini*, quod de Joachimo pronunciavit Jerem. cap. 22. ℣. 29. Sepulchri nomen generali ſignificatione, ſcriptores omnes, tam ſacri quam profani, omnibus hominum cadaveribus quocumque loco repoſita fuerint, accommodarunt. *Veniet hora*, inquit Dominus, Joh. 5. ℣. 28. *cum omnes qui ſunt in ſepulchris, audient vocem filii hominis, &c.* Ubi per, *omnes qui ſunt in monumentis*, qui proceſſuri ſunt in reſurrectionem vitæ vel condemnationis, intelliguntur omnes mortui. Apud Eſaiam cap. 26. ℣. 19. juxta verſ. LXX. interpretum, ἀναςήσονται οἱ νεκροὶ, καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις. *Reſurgent mortui, & excitabuntur qui ſunt in monumentis*, Ad quæ verba, referente Pamphilo martyre in Apologia pro Origene, lib. 28. in Eſaiam, hæc annotavit Origenes. *Sepulchra,* inquit, *mortuorum in hoc loco ſimiliter ut in multis aliis, ſecundum certiorem ſcripturæ ſenſum accipienda ſunt, non ſolum quæ ad depoſitionem humanorum corporum*

videntur eſſe conſtructa, vel in ſaxis exciſa, vel in terra defoſſa; ſed omnis locus, in quocumque vel integrum humanum corpus, vel ex aliqua parte jacet: etiamſi accidat ut unum corpus per loca multa diſperſum ſit, non abſurdum erit, omnia ea loca, ſive in naufragiis, ſive in deſertis, ſepulchra ejus corporis dici. Rectè quidem ille; nam omnes mortui qui ſunt in ſepulchris intelliguntur, omnes ubique homines quos quocumque modo in terram converſos, divina vox eſt excitatura. Andreas Cæſarienſis in Apocal. cap. 16: eos qui à canibus devorati ſunt, viva ſepulchra conſequutos fuiſſe, non veretur affirmare. Nec hunc vocis uſum ignorarunt Ethnici. Seneca controverſ. lib. 1. contr. 4. *Omnibus natura ſepulturam dedit, naufragos idem fluctus qui expulit, ſepelit. &c.* Cicero Tuſc. quæſt. lib. 1. ait, in *Hircania ali canes, à quibus lanientur, eamque optimam cenſere illos ſepulturam.* Plinius Hiſt. Natur. lib. 7. cap. 54. *Sepultus intelligitur,* inquit, *quoquo modo conditus.*

Ut igitur ad verba Jacobi veniamus, *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum,* id eſt, in ſepulchrum, non poſſumus ea melius explicare, quam verbis Albini, qui & Alcuinus dicebatur, præceptoris Caroli magni, qui in quæſt. in Geneſ. ad hunc locum, ſic ingemiſcentis patris exponit querelam: *In luctu permanebo, donec me terra ſuſcipiat, ut filium meum, ſepulchrum jam ſuſcepit.* Vocat terram, quod Moſes *ſcheol,* & ferinæ etiam alvi inteſtinis, non dubitabat ſepulchrum intelligere. Id ipſe Jacob etiam intellexit, qui per vocem *ſcheol,* locum denotat, *quo ſenum cani cum dolore deducuntur.* Quid quod Jeſuita Mariana, dedit etiam hic veritati manus, etſi alias aſſertor Limbi. Sic enim annotat ad hunc locum. *Sept.* εἰς ᾅδου. Chald. לשאול *liſchol.* Pagninus & Leo Judæ, pro inferno, ſepulchrū poſuêre. Neque hoc loco multum referebat. Id ſignificare vult, *Moriar; nam mortuo filio vivere non poſſum.* Qui genuinus eſt & ſimpliciſſimus ſenſus. Ut magis de victoria noſtra conſtet, addam ex altero Jeſuita, quæ exactius in eam rem non potuiſſent à quoquam ex noſtris ſcribi. Is eſt Chriſtophorus à Caſtro, inquiſitioni Hiſpanicę, cui ſubeſt, approbatus, Comm. in c. 2. libri Baruch, ad illa verba v. 7. *quia mortui qui ſunt in inferno, &c. Inferni,* inquit, *aut inferorū nomine, licet aliqui velint intelligi ſinum Abrahæ, verius, & uſui ſcripturæ conformius accipiemus ſepulchrum. Ut accepit Iacob* Geneſ. 37. ℣. 35. *cum dixit, Deſcendam ad filium meum lugens in infernum; hoc eſt, lugere non deſinam, donec me ſepulturæ mandetis.* Et cap. 44. verſ. 29. *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos; hoc eſt, me ſenio confectum cogetis celerrimè mori, & in ſepulchrum abire.* Et Pſa. 29. 4. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam: ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum, vel ſepulchrum: id eſt, revocaſti me à morte, vitam mihi reſtituiſti, ne deſcenderem in ſepulchrum.* Pſal. 87. ℣. 4. *Repleta eſt malis anima mea & vita mea inferno appropinquavit, id eſt, preſſus calamitatibus ad ſepulchrum penè perveni, ad extremum vitæ ſum deductus. Sed clariſſimè omnium tradit hoc nobis* Job 17. 13. *Dum ſepulchrum deſcribit futurum ſibi domicilium: Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt; & in tenebris ſtravi lectulum meum; putredini dixi, pater meus es tu; &c. quæ cum cadaveri contingant, de ſepulchro, illius domo, Iob loqui perſpicuum eſt.* Hæc ille, in quibus non ſolum hujus loci, ſed aliorum multorū habemus interpretationem in ſententiā noſtram, quæ tam perſpicua eſt, ut etiam ipſis adverſariis ſe probarit. Qua de re etiā alibi diximus, ad Pſ. 16.

Addit Moſes, ſub finem verſ. 36. ויבך אתו אביו *vajjebhk otó abhiv,* & pater ejus flevit eum; quæ quidam de Iſaaco intellexerunt, ſed rectiùs ad ipſum Jacobum referuntur, ut ſenſus ſit, poſtquam renuiſſet conſolationem, & dixiſſet, *deſcendam ad filium meum, &c.* flevit eum, id eſt, in fletu ſuo continuavit. Vetus interpres hæc verba conjungit cum ſequentibus, de ſecunda venditione Joſephi; *Et illo perſeverante in fletu, Madianitæ vendiderunt Ioſeph in Ægypto,* de cujus novo hero, qui Putiphar appellabatur, duo ſunt paucis expendenda. I. Cur appelletur סריס *ſaris.* II. Quæ fuerit ejus dignitas indicata his verbis שר הטבחים *ſar hattabbachim.* Utraque enim appellatio ob ambiguitates, difficultatem parit. Primam vocem communiter *Eunuchum* interpretantur. Quid ſit *Eunuchus* propriè, pauci ignorant. Sed propriè Eunuchum fuiſſe Potipharum, quem conjugatum fuiſſe conſtabit, dici non debet. Eunuchum factum fuiſſe propter ſiniſtram de Joſepho ſuſpicionem ſiccatis per miraculum virilibus, & ita vocari per anticipationem, commentum eſt Judæorum. Solutio vera eſt, Eunuchum dici vel ratione impotentiæ & ademptæ virilitatis, vel ratione officii. Fuerunt in aulis magnatum, quibus utrumque competebat, & ut exſecti eſſent, & præficerētur muneribus aut miniſteriis in aulis regum & principum ſecretioribus, & interioribus. Tales enim erant cubicularii, pincernæ, &c. Quod apud Perſas & Ægyptios uſitatiſſimum fuiſſe, teſtatur ſcriptura. Nomen etiam Græcum, *lecticuſtodem* ſignificare videtur, quod notavit Scaliger exercit. 277. quia primum Eunuchi ad mulierum obſervandam pudicitiā adhibebantur, quaſi qui εὐνὴν ἔχουσι, id eſt, lecti curam gerunt. Inde factum eſt poſteà, ut qui in Regis aula eminerent, appellati fuerint Eunuchi, principes, præfecti, miniſtri regii, nobiles aulici. Unde LXX Jerem. 34. verſ. 19. vocem Ebræam, δυνάστην verterunt. Tranſiit igitur hoc vocabulum in nomen dignitatis, poſtquam claris muneribus, domi & militiæ Eunuchi functi fuerunt, ſicque tandem illud nomen eſt attributum iis qui integri corpore & conjugati erant, ut hoc loco, ubi Targum vertit רבא *raba,* principem. Et 2 Reg. 8. ℣. 6. plurale רברביא *rabhrebhaja,* principes.

Munus ſpeciale quo fungebatur, his vocibus à Moſe deſcribitur, quæ ad verbum ſignificant *principem mactantium* aut *jugulantium.* Hinc variæ ſententiæ, quia mactatio habet objectum, vel beſtias vel homines. Qui

de be-

de beſtiis intelligunt, exiſtimant officium illud ad principis culinam pertinuiſſe. Itaque LXX interpretati ſunt ἀρχιμάγειρον principem coquorum. Qui de hominibus, adhuc variant. Nam præfici aliquis poteſt occidentibus vel in aliquo officio militari, communi; Sic quidam volunt fuiſſe præfectum militum, qui in pugna aut acie gladio & aliis armis ſtragem faciunt: vel mactatores ſpecialiter intelliguntur, qui maleficis plectendis & morte afficiendis præficiuntur, quales ſunt qui Judicibus, præſertim ſuccinctis, non togatis, id eſt, latrunculatoribus aut ſimilibus, inſerviunt, lictores & carnifices qui damnatos afficiunt ſupplicio capitali. Talium mactatorum duces & magiſtri aut principes, ſunt præfecti rerum capitalium, inter quos in aulis Regum unus eſt ſummus, qui bello & pace in ſontes animadvertit, quem in Gallia appellamus, *grand prevoſt de l'hoſtel*, quem *prætorianum judicem* appellat Budæus; Hanc ſententiam probabiliſſimam ideo exiſtimo, quia ex ſequentibus patebit, eum fuiſſe præfectum carceris, & ei commiſſos fuiſſe vinctos etiam aulæ familiares. Infra cap. 42. ℣. 3. dicitur carcer, qui fuit in domo *præfecti Satellitum*, in quo etiam detentus fuit Joſeph.

AD CAPUT XXXVIII.

EXERCITATIO CLI.

Rationes afferuntur, cur quæ pudenda fuerunt in familia Iudæ, Sp. S. ſcriptis hoc capite voluerit committere. Breviarium totius hiſtoriæ, de conjugio & inceſtu Iudæ. Difficultas Chronologica expenditur, de tempore quod huic hiſtoriæ aſſignandum. Parei conciliatio non probatur, quamvis anteà doctiſſ. Mercero, & poſtea Iac. Cappello arriſerit. Alia proponitur & confirmatur. Iudam duxiſſe uxorem Chananæam. Sine conſenſu parentis, ut credibile eſt: proinde non ſine culpa. Nativitas & nomina trium ejus filiorum. Keſib, *an proprium nomen, an appellativum? Verſio vulgata expenditur, & commoda hic judicatur.*

Capitis trigeſimi octavi hiſtoria continet ἐμβολὴν ſive parentheſim, de inceſtu Judæ, ex quo nati ſunt Paréz & Zara. In qua etſi ea referantur quæ alioqui pudenda ſunt, non ſine magna ratione tamen voluit ſpiritus ſanctus ea ſacris chartis conſignare; quæ ratio duplex aſſignari debet. Prima & præcipua eſt, quia intererat noſſe unde Meſſias originem ſecundùm carnem eſſet ducturus, & ſeriem Genealogiæ ejus ita inſtitui, ut ab Abrahamo, cui ſpecialiter promiſſus fuerat, uſque ad ejus nativitatem, de progenitoribus ipſius conſtaret. Cum autem inter duodecim fratres, hunc Judam elegiſſet Deus, ex cujus familia Chriſtus eſſet naſciturus, hinc factum eſt, ut, quamvis ſcriptura ſilentio tranſeat conjugia aliorum patriarcharum, in Judæ familiæ principiis ita immoretur, præſertim quia Judas ex duabus mulieribus prolem ſuſcepit, nec tamen legitima primas partes obtinuit in ejus tribu, nec in ea ducta fuit linea Chriſti.

Voluit etiam ſpiritus ſanctus hæc commemorare, ut ſuo tempore animadverſa, indicarent ſummam exinanitionem filii Dei, qui cum carnem noſtram aſſumpſit, eam familiam non eſt dedignatus, cujus principia adeo fœda fuerunt, ut de iis, ſine horrore, caſta mens cogitare non poſſit, neque honeſtè nominantur, & velo opus habent ut caſtis auribus aliquo modo poſſint inſinuari. Ex qua conſideratione duplex illud bonum exurgit, 1. Quod voluit hac ſua electione indicare, non electam fuiſſe ex meritis familiam ex qua oriundus fuit, ſed ex mera gratia. 2. Se peccatores non rejecturum ad ſe venientes, qui ex maximis peccatoribus naſci voluit. Cui & hæc tertia conſideratio addi debet, quod à ſuis progenitoribus ſecundùm carnem, nullam dignitatem Meſſias adeptus eſt; qui potius, ſua ſanctitate, puritate & excellentia, maculas omnes quibus Judas & familia ejus fuit conſpurcata, (velut ſol, quicquid eſt in terra & aëre fœtoris mundum expurgans abſorbet) abolevit; propriamque ſibi vendicare gloriam, cui tam inglorium genus, naſcendi initium dedit. Denique, id etiam animadvertendum, probris infame fuiſſe ipſius genus, ut illo ipſo contenti, nihil extra eum quæreremus, præſertim ne ſplendorem terrenum in eo requireremus, tanquam ad noſtram ſalutem neceſſarium, ſed ad ſpiritualia, & cœleſtia, mentes noſtras elevaremus.

Ad Judæos quod ſpectat, utilis etiam eſt talium narratio. Nam cum id nationi eorum ſit maximè innatum, ut de genere ſuo, & nobilitate glorietur; hic habet unde retundat ſuperbiam ſuam, cum quæ maximè eminuit tribus inter reliquas, & ad faſtigium regium evecta eſt; tam ſordidos habuerit natales, ita ut in typo genealogiæ ejus, ad radicem arboris, cogantur tam fœda contemplari: Ut mirum ſit eos, qui tempore Chriſti, Judæi vocabantur à tribu Juda, quæ potiores partes obtinuerat, auſos fuiſſe id oggerere Chriſto, Joan. 8. verſ. 41. *Nos ex ſcortatione non ſumus geniti.*

Hæc enim hiſtoria planè contrarium oſtendit. In qua hæc tria ordine commemorantur. I. Conjugium Judæ,& proles ex eo ſuſcepta, ejuſdemque ſors miſeranda,duorum ſaltem filiorum ratione. 2. Inceſtus Judæ cum nuru ſua Thamar. 3. Gemellorum nativitas ex illicito concubitu; in quorum explicatione non exiſtimamus hærendum eſſe ſigillatim, cum pleraque ſint obvia. Itaque difficultates tantum emergentes enodare conabimur.

Quæ prima occurrit,non leviter omnes interpretes exercuit. Ea conſiſtit in collatione temporis elapſi à venditione Joſephi, uſque ad Jacobi adventum in Ægyptum,quod tempus fuiſſe annorum viginti duorum, vel ad ſummum viginti trium ſic demonſtratur. Ioſeph enim venditus eſt annos natus ſexdecim, aut ad ſummum ſeptemdecim, ut ſupra cap.37. vidimus. Agebat autem annum 39. cum parens ejus in Ægyptum venit; quod colligitur ex cap.41.& 45. hujus libri; in quibus aſſignatur Joſepho annus trigeſimus, cum à Pharaone admotus fuit ad munus illud publicum in Ægypto. Ab eo enim tempore effluxerunt ſeptem ubertatis anni; quos ſequuti ſunt poſteà totidem ſterilitatis & famis, quorum anno 2. qui fuit 39 Joſephi, Jacob in Ægyptum cum familia ſua deſcendit; Ex quibus apertè colligitur,non plures annos effluxiſſe, quam tres & viginti, à venditione Joſephi, uſque ad ingreſſum ejus in Ægyptum. Cum autem hic dicatur, Judam *eodem tempore*, quo hæc acciderunt Joſepho, quæ cap. præcedenti narrata fuerunt, בעת ההיא *beeth hahi*, in tempore ipſo; & quæ de Juda hoc capite recitantur acciderint omnia priuſquam venirent in Ægyptum, merito quæritur, quomodo tam varia, quæ tempus longum requirunt, ſpatio annorum viginti trium fieri potuerint,ut nempe Judas uxorem duceret, tres liberos ſuſciperet, quorum duobus uxorem daret non eodem tempore ſed ſucceſſivè,tertius etiam triennio poſt aliorum mortem eam ætatem attigiſſet,qua potuit nuptiis aptus eſſe. Ipſe deinde Judas, poſt hæc omnia, filios duos genuerit. Sed difficultatem auget maximè quod filii Pharéz,nempe Eſrom & Hanul,inter poſteros Jacobi qui cum eo in Ægyptum venerunt memorantur, cap.47. verſ.12. Vix enim cogitari poteſt, qua ratione viginti trium annorum ſpatio, adoleſcere potuerint duæ generationes, nempe filiorum Judæ ex prima uxore,& ejuſdem filiorum ex Thamara natorum, poſt nuptias priorum. Si enim unicuique generationi attribuantur tantum anni quindecim,quod minimum videtur, ſemper triginta quatuor annorum circiter numerus exurget.

Huic difficultati variis modis occurrunt,ſed duo ſunt communes. Quia vel præcisè idem tempus matrimonii Judæ intelligitur, id eſt, idem annus, cum anno venditionis Joſephi; vel latius accipitur & extenſius, ut etiam referri poſſit ad aliquot annos antecedentes. Id poſterius cenſent neceſſarium eſſe non pauci, inter quos D. Paræus, qui etiam Chronologiæ ſuæ ſacræ hîc typum inſeruit, quatenus hanc hiſtoriam ſpectat. Vult igitur,cum Auguſtino, admittendam eſſe ὑστερολογίαν,& nuptias Judæ deſcriptas à Moſe poſt venditionem Joſephi, ſeptennio ante accidiſſe,anno ætatis Judæ decimo quarto; tribus ſequentibus annis, tres filios ſucceſſivè genuiſſe. Primum nempe *Er*,uxorem duxiſſe anno ætatis 14, ſeptimo poſt venditionem Joſephi. Eodem conjugii anno, *Er* & *Onam* fuiſſe à Deo interfectos; Tertio poſt anno, Thamarem ſe proſtituiſſe Judæ.& peperiſſe Pharéz & Zara,anno ætatis Judæ 30. Pharéz 14 ætatis ſuæ uxorem duxiſſe, anno uno ante migrationem in Ægyptum, quo ſuſcepit duos illos filios, qui recens nati in Ægyptum cum parente ſunt ingreſſi. Et hæc quidem fateor non eſſe contra naturam,etſi mirum videri poſſit,quod quatuor illi viri ſucceſſivè in eadem familia ita præcoces fuerint in celebrandis nuptiis, ut anno ætatis decimo quarto præcisè, omnes & ſinguli liberis operam dederint. Sed mihi videntur verba Moſis talia, quæ vix anticipationem illam conjugii Judæ ferre poſſint. Si enim ſeptennio antè id accidit,quomodo in tempore ipſo, quo Joſeph venditus eſt? Deinde conſtat uſque ad venditionem Joſephi, Judam unà cum fratribus habitaſſe, & communes familiæ paternæ greges cum fratribus ſuis uſque ad illud tempus curaſſe: Occaſionem vero hic narrari, qua factum fuit ut à fratribus diſcederet, & ad ſocerum Chananæum diverteret; quæ ratio eſt cur non poſſim acquieſcere conciliationi & Chronologiæ Parei.

Jacobus Cappellus,in *hiſtoria ſacra & exotica*, poſt doctiſſimum Mercerum,in eadem eſt ſententia,& matrimonium Judæ cum Pareo & aliis anteceſſiſſe Joſephi venditionem exiſtimat. Nupſiſſe nempe, anno 12. ſuſcepiſſe primum filium anno 13. ætatis ſuæ, reliquos duos, ſequentibus duobus annis; *Er* anno duodecimo ætatis ſuę; quo mortuo,ſucceſſiſſe Onan; tertio poſt anno Thamaram ex Juda concepiſſe, quarto peperiſſe Pharéz: qui anno 13. ætatis ſuæ genuerit Eſrom, & 14. Chanul. Mirum non eſſe ſi aliquando reperiantur tam præcoces ad generationem, quia id etiam memoria ſua accidiſſe teſtatur Scaliger, in civitate Lactoratenſi Novem populana,in qua puer,minor annorum duodecim,genuit ex puella conſobrina ſua quæ decimum annum nondum expleverat. Quam hiſtoriam memini etiam me legiſſe in erroribus popularibus Laurentii Jouberti,libro 2. cap.2. Rem poſſibilem eſſe non abnuo, & aliquando accidiſſe. Sed vix mihi poſſum perſuadere, id quod extraordinarium eſt & rarum, ita ordinarium fuiſſe & præciſum tamdiù,in tot perſonis.

Eorum igitur ſententiæ potius accedo, qui conjugiū Judæ referunt præcisè ad annum venditionis Joſephi, & quidem poſt abductum illum: nec exiſtimāt fieri potuiſſe, ut Eſrom & Hanul nati fuerint ante deſcenſum Jacobi. Itaque natos eſſe in Ægypto: quod idem exiſtimo dicendum de tot filiis Benjamini, qui enumerantur eodem

tur eodem c.46.℣.21. ubi numerantur 10. ſive filii, ſive nepotes. Certum eſt autem Benjaminum cum in Ægyptum venit vix attigiſſe annum 23. Quod autem Capellus objicit, tunc viguiſſe polygamiam, etſi verum ſit, non tamen exiſtimarem Benjaminum, quem pater ſervabat domi, & ſummoperè diligebat, tam maturè à parente fuiſſe tot nuptiis implicitum, ita ut anno ætatis 23. decem liberorum fuerit parens. Itaque neceſſarium judico, cum Auguſtino & aliis, per ingreſſum in Ægyptum cum Jacob, intelligere totum illud tempus quo Jacob vixit in Ægypto, nempe annorum ſeptemdecim quo tempore videre potuit filiorum generationē, quam legimus dicto cap.46. Quo poſito, non difficilis erit operæ, oſtendere, quo modo 23. annorum ſpatio, accidere potuerint, quæ hic narrantur. Si enim tribus primis annis, genuit Juda tres filios, potuit *Er* uxorem ducere anno 17. & frater ejus anno ſequente; triennio autem poſt, id eſt, vigeſimo primo poſt venditionem Joſephi, potuit concipere & parere Thamar, &c. & ſic conſtabit numerus, nec aliquid valdè extraordinarium erit effingendum; quod aliàs neceſſarium erit, præſertim ſi in enumeratione decem filiorum Benjamini, nepotes etiam comprehendantur, quod LXX interpretibus viſum fuit, & colligi neceſſario videtur ex cap.8.1. Chronicorum. Itaque protrahi debet tempus ingreſſus Iſraëlis in Ægyptum, & extendi ad totam ejus peregrinationem in eadem regione, ut dicantur ingreſſi cum eo, quotquot vidit ante obitum filios & nepotes.

Ad Judæ conjugium quod ſpectat, apparet non fuiſſe prudenter & ſanctè ſuſceptum. Occaſio fuit, quod relictis fratribus, divertit ad virum Adullamitem, id eſt, qui habitabat in illa Chananæi agri parte quæ Adullam appellabatur, in qua poſteà hujus nominis oppidum fuit, inter Bethlehem & Eleutheropolim, cujus fit mentio Joſue 12. & 15. & in Hiſtoria Davidis, 1 Sam. 22. & 23. & Mich. cap.1. *Vſque hodie*, inquit Hieron. de locis Ebraicis, *vicus parvus eſt ad orientem Eleutheropoleos.* Nomen viri illius ad quem divertit, non fuit ſoceri ejus, ſed amici & familiaris, cujus interventu duxit uxorem, filiam *Sua*. Conſtat enim ex textu Ebræo, *Suam* non fuiſſe uxorem Judæ, ſed ſocerum, ex affixo maſcul. generis. Vidit ibi filiam viri Chananæi ושמו שוע *uſchemóſchua*, & nomen ejus, nempe viri, *Suah.* כנעני *kenáani*, appellativè accipiunt Ebræi pro mercatore, quia nolunt fateri Judam commiſcuiſſe ſe cum muliere Chananæa, gentis maledictæ, ne ex Chananæis etiam, ſaltem à parte mulierum, ortus dicatur Meſſias. Quæ ratio non cogit ut à recepta interpretatione propriæ vocis recedamus, quia jam intelleximus multa quæ hic leguntur alioquin non ſatis pura, & in quibus ab hominum parte admixtæ fuerunt fæces, myſteriis etiam ſalutis noſtræ inſervire, ut agnoſcamus Meſſiam omnibus populis donatum fuiſſe, & in ipſo neque circumciſionem neque præputium, neque barbarum nec Scytham, nec Judæum aut Græcum, excludi à beneficio redemptionis.

Neque tamen excuſandus eſt Judas qui tale conjugium iniit, quod cum patris conſenſu factum non fuiſſe ſupponimus, qui noverat, quantum parentibus ſuis diſplicuiſſent mulieres Chananeæ. Et certè negotium illud præcipitatum fuiſſe, videtur notare voluiſſe Moſes, paucis, ſed efficacibus verbis, quomodo fuerit tranſactum declarando, *abiit, vidit, accepit, cognovit.* Qua in re videtur oculorum ſuorum conſilium ſequutus, exarſiſſe in Chananæan, nulla habita ratione vel religionis, & fœderis divini, vel etiam officii erga parentes: ut mirum non ſit, ſi ex tali conjugio orti fuerint homines nequam, quibus Deus maledixit.

Trium nativitas & nomina habentur verſibus 3.4. & 5. Sub quinti finem, verba hæc והיה בכזיב בלדתה אתו *vehajah bicſibh belidhthah otho*, variè acceperunt interpretes, quorum nonnulli nomen *keſib* appellativè accipiunt *pro mendacio*, aut *defectu* vel negatione. Quia verbum כזב *kaſab*, non ſolum mentiri, ſed etiam *negare* & deficere ſignificat. Hinc editio vulgata, *quo nato, parere ultra ceſſavit.* Sic etiam non pro loco, ſed pro re Aquila vocem illam ſumpſit, *& factum eſt ut mentiretur in partu, poſtquam genuit eum.* Sic Eſai.58. verſ.11. *ſicut ſcaturigo aquarum, cujus aquæ non mentientur*, id eſt, ceſſabunt. יכזבו *jecazzbhu*. Et cōmodus quidem eſſet ſenſus, ſi eum verba ferre poſſent. Sed repugnat verbum והיה *vehaja* quod eſt maſculini generis, & ad Judam refertur, non ad uxorem. Nec exponi poteſt hæc phraſis והיה בכזיב *vehajah bicſib*, & factum eſt in mentiendo, vel cum mentiretur, quia כזיב *kezib* infiniti formam non habet. Alii igitur accipiunt pro loci nomine, in quo fuit Judas cum uxor ejus peperit tertium filium; *Et erat Iudas in Keſib, cum pareret ipſa illum.* Sic Pharaphraſtes Chaldæus, & alii. LXX etiam nomen proprium loci retinent, ſed verbum accipiunt in genere fœminino αὐτὴ δὲ ἦν ἐν χαζβί. Eſſe autem *Keſib* urbem Palæſtinæ, notarunt hic Fagius & Vatablus, quam eandem Mercerus facit cum *Akſib*, cujus fit mentio in libro Joſuæ, & initio Michææ.

Si tamen poſſet aliqua ratione cum textu Ebræo conciliari verſio vulgata, per enallagem generis, cujus alia exempla in ſcriptura reperiuntur, adeo commoda mihi videtur, ut in ea nollem quicquam mutare. Id enim valdè conſonum eſt, ut poſt tres filios editos ſucceſſivè, cum alios nullos habuiſſe ex filia *Sua* Judam ex ſacra hiſtoria conſtet, addatur illam ceſſaſſe à pariendo. Alioqui non video cur additum fuerit tum Judam fuiſſe in Keſib, cum illa peperit tertium filium; niſi hoc dicamus, ſignificaſſe Moſem, Judam habitaſſe extra paternam domum, & etiam tum à fratribus fuiſſe ſejunctum, & inter Chananæos illius loci incolas vixiſſe. Sed intererat certè, ſcire Judam nullos habuiſſe

filios

filios poſt natum Selam, quia poſt obitum fratrum differebat eum dare Thamaræ, ne fortè moreretur, ut fratres ejus, atque ita planè orbus maneret, qui unicum haberet ſuperſtitem.

Exercitatio CLII.

Iudam pro paterna poteſtate dediſſe filio uxorem. Ex qua gente fuerit Thamar? Nequam coram Domino, *quæ loquutio? Quale fuerit peccatum ejus. Nominis* ער *tranſpoſitio in* רע, *quantum habeat ſoliditatis? Cur à Deo occiſus dicatur? Lex de ſuſcitanda prole fratri orbo defuncto. An de fratre germano lex poſteà ſancita, etiam intelligi debeat? Affirmatur, & argumentis probatur. An pugnet cum regula Levit.* XVIII *&* XX *de non ducenda uxore fratris ſui? Diſtinguitur; & conditiones requiſitæ proponuntur. An idem fuerit uſurpatum apud Gentes. Expenditur lex Solonis de puellis ſanguine proximis. An Eccleſiaſtica poteſtas in tali gradu poſſit diſpenſare. Reſpondetur Bellarmino, primo per retorſionem. Deinde directè. Ius naturæ diſtinguitur. Inſtantiæ Bellarmini refelluntur. Solus Deus de legibus ſuis poteſt diſpenſare. Onani peccatum. Peccata alia aliis graviora. Scripturam cum fœda memorat, adhibere antidotum judiciorum Dei.*

SEquitur hiſtoria de conjugio primogeniti Judæ, & iis quæ poſteà acciderunt ex nequitia duorum filiorum. Judas pater dedit filio uxorem. Hic obſervatum fuit jus naturæ, quo non ſine parentum conſenſu contrahere debent liberi. Ex qua gente fuerit Thamar, & quo tempore ætatis *Er* conjuncta ei fuerit, ſcriptura non dicit. Chananæam fuiſſe probabile eſt, nihil tamen temerè affirmandum cenſeo. Sed cum ea non diu vixiſſe maritum apparet, & ratio additur, quia cum nequam eſſet, Jehova interfecit eum. Non ſimpliciter *nequam* fuiſſe dicitur, ſed *coram Domino*, id eſt, *inſigniter* nequam. Ea enim eſt vis locutionis iſtius, qua uſus eſt etiam Moſes cum de Sodomitis loqueretur. cap. 13. ℣. 13. Quam non viderunt, qui illud *coram Domino* interpretati ſunt *in abſcondito*, quaſi malitia ejus patuiſſet ſoli Deo. Nam Sodomitæ de quibus hoc dicitur, palàm ſua flagitia committebant, ſine Dei metu, ſine hominum pudore, de quibus Eſaias, *Quaſi Sodoma peccatum ſuum prædicaverunt, nec abſconderunt.* cap. 3. ℣. 9. Dicitur ſive in bonum, ſive in malum, tale aliquid eſſe *coram Deo*, quod ſimpliciter, valdè & maximè tale eſt. Fuit ergo *Er* valdè nequam. Hic quærunt quo genere nequitiæ maximè laboraverit, & quodnam fuerit peculiare peccatum cujus cauſa in eum Deus tam ſeverè animadvertit? Varia autem afferunt, vel quod fuit Sodomita, vel quod abuſus fuerit uxore ſua contra matrimonii leges, quaſi ſimili peccato fuiſſet obnoxius, cujus frater ejus poſteà inſimulatur. Omnes ferè peccatum ejus ad fœdam libidinem referunt. Sed cum ſcriptura in genere dicat *valdè malum* aut nequam fuiſſe, ad unum aliquod peccatum non exiſtimo id eſſe reſtringendum, ſed ad multa complicata, ut fuerit ex illorum numero quos ſcriptura *filios belial* appellat. qui *nihil valent*, quos Gallicè dicimus *meſchans garnemens.* Obſervant nonnulli ער inverſum eſſe רע raa *malum*, quod etſi verum ſit, tamen maxima eſt differentia inter utrumque nomen, nec in talibus inverſionibus poteſt aliqua reperiri ſoliditas argumenti, ſed poſt rem cognitam ejuſmodi alluſiones aut inverſiones accommodari poſſunt ad cauſam.

Quod ſubditur, וימתהו יהוה *vajjemithehu Iehova*, & interemit eum Dominus, indicat extraordinarium Dei judicium interveniſſe, nec objiſſe placida & naturali morte, ſed tali genere mortis quo apparere potuit inflictam ei fuiſſe à Deo, propter ſummam ejus nequitiã. Id factum fuiſſe operâ Dæmonis, qui maritos Saræ necavit, quæ poſteà fuit uxor Tobiæ, vaticinantur quidam, & operâ Aſmodei uſum fuiſſe Deum, adverſus nebulonem iſtum. Sed cum ſcriptura ſimpliciter dicat à Deo fuiſſe occiſum; non ultra inquirendum exiſtimo, qua ratione id factum fuerit. Novimus cauſam, ſcimus autorem necis, id ſufficit, ut à nequitia & pravitate ſibi caveant juvenes, qui vitam prorogare cupiunt, coram eo qui vitæ & necis poteſtatem habet.

Alterius filii qui Onan vocatus fuit, hiſtoria habet aliquid ſingulare, 1. De cauſa, cur defuncti fratris uxori mandato parentis conjunctus fuerit; 2. de fraude commiſſa ut finem illius mandati eluderet, deteſtando planè modo. *Er* mortuo ſine prole, qui tamen in familia primogenitus fuerat, jubet Juda, ut Onan *ingrediatur ad uxorem fratris, & eam ducat, ſuſcitetque ſemẽ fratri ſuo.* verſ. 8. Talem poſteà legem populo Dei fuiſſe datam conſtat ex cap. 25. Deuteronomii, ubi præcipitur, *ut ſi quis abſque liberis moriatur, ducat frater ejus illius uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.* Ex hoc tamen loco, & facto Judæ, colligimus non fuiſſe novam planè legem, ſed conſuetudinis veteris confirmationem, uſitatæ etiam tempore Jacobi. Non tamen putarem conſuetudinem illam apud alias gẽtes obtinuiſſe, & ex moribus Chananæorum aut vicinorum populorum fuiſſe

fuiſſe deſumptam, ſed peculiari ratione in patriarcharum familiis introductam, ut jus primogenituræ maneret, ad ſignificationem ejus qui primogenitus eſt inter multos fratres, ſimulque in familiis populi illius hæreditas conſervaretur, quod poſteà magis neceſſarium fuit, poſt terræ promiſſæ partitionem. Quamvis autem id non fuerit mandatum ante Moſem lege aliqua ſcripta, certum eſt tamen, more & conſuetudine majorum id obtinuiſſe, *quam ex divina inſpiratione primam habuiſſe originem, non temere exiſtimari*, benè advertit Pererius. Quod idem dicendum eſt de aliis obſervationibus legalibus, quæ poſteà libris Legis inſertæ fuerunt, & longo tempore antea apud Dei populum in uſu fuerunt; ut Sabbathi obſervatio; diſtinctio mundorum ab immundis, & ſimilia.

Sed de hac conſuetudine an benè ſervata fuerit à Juda, dubitarunt quidam viri docti, qui legem Deuteronomii interpretantur, non de fratribus germanis, ſed de proximis ſanguine, qui generali quidem nomine ab Ebræis fratres appellantur, ſunt tamen in eo gradu, qui in enumeratione graduum prohibitorum non habentur in Levitico. Jta legem interpretatus eſt inter cæteros beatus J. Calvinus, ex quo ſequeretur Judæ mandatum, qui fratrem germanum ſucceſſorem dedit mortuo fratri in uxore ducenda, limites illos fuiſſe tranſgreſſum, & legem poſteà datam hunc caſum non reſpexiſſe. Sed merito rejicitur hæc ſententia à Beza in libro de repudiis pag. 64. Tomi ſecundi opuſcul. his argumentis, 1. quia omnes Hebrææ linguæ periti affirmant, & exemplis manifeſtis confirmant, vocem יבם *jabam*, propriè ſignificare levirum, defuncti mariti fratrem, qua tamen voce utitur Moſes Deut. 25. ℣. 6. unde verbum יבם *jibbem* levirare, quod eleganter apud Matth. 22. ℣. 24. expreſſum eſt verbo ἐπιγαμβρεύειν. quod verbum *à genero* deductum, hoc etiam loco à LXX uſurpatum, ſignificat idem quod Ebræum *jabam*. 2. Ruthæ 1. verſ. 11. ex verbis Nahomi ſatis colligitur, tunc etiam ſic fuiſſe acceptam Legem, quomodo Juda eam accepit, nempe ut inter proximos ſanguinis, germanus frater primum ad id teneretur, priuſquam alii qui longius à defuncto remoti erant ad hoc præſtandum officium vocarentur. Hortatur enim illa nurus ſuas, ut non expectent in conjuges fratres ſuorum maritorum, ſed aliis potius nubant, quod de germanis fratribus eam intellexiſſe teſtantur ſequentia, cum dicit, *numquid ultra mihi filii, in utero meo, ut ſint vobis in viros?* 3. Jd etiam confirmant verba legis, *non erit uxor mortui foris*, hoc eſt, non nubat viro extraneo, extra patriam mariti demortui domum, unde ſequitur germanum fratrem non excipi. 4. Durum merito videretur, quæſt. illam Chriſto à Sadducæis propoſitam, Mat. 22. 25 de ſeptem fratribus, ſic explicare, quaſi duntaxat cognati fuerint inter ſe, & quidem iis gradibus intra quos ex lege liceret unam eandemque mulierem ducere; quamvis id etiam concedendum ſit, Legem ipſam, & fratris nomen in lege expreſſum derivari etiam ad alios propinquos, quando vel fratres deerant, vel fratriam ducere recuſantes, eligebant potius ea affici ignominia quæ lege ſancitur; ut ex Ruth. 3. v. 12. & 4. v. 1. colligitur.

Hoc igitur poſito Judam in eo non peccaſſe, & legem quæ poſteà ſcripta fuit fratres comprehendiſſe: duæ difficultates occurrunt, ex prohibitione graduum, quorum enumeratio fit Levit. 18. & 20. Cujus verſ. 21. hæc habentur, *Qui duxerit uxorem fratris ſui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui revelavit, abſque liberis erunt.* Quæ certè verba de uxore fratris adhuc viventis intelligi non debent, quia aperta eſſet injuria adulterii, ſed de uxore demortui fratris, quemadmodum ibidem verba, quibus prohibetur conjugium cum uxore patrui ℣. 14. intelliguntur de patruo defuncto. Quod ſi quis dicat ex lege liberam fuiſſe uxorem fratris etiam viventis, quæ repudiata fuiſſet, ad quam prohibitio referri deberet, nulla eſt ratio cur ei aſſentiamur, quia lex, repudiorum ibi non meminit, & abſolutè prohibet conjugium cum fratria; alioquin alia omnia præcepta poſſent etiam reſtringi ad repudiatas, quod abſurdum eſſet.

Alia igitur quærenda eſt ſolutio, nempe Levit. locis citatis dari regulam generalem & communem. & indicari quid omnibus abſolutè liceat vel non liceat. Legem vero Deuteronomii reſpicere factum ſingulare, vel occaſionem peculiarem in populo Dei, ad conſervandam diſtinctionem tribuum & familiarum, ut cognoſci poſſet ex qua familia Meſſias eſſet expectandus, & hæreditates promiſſæ & conceſſæ terræ non confunderentur. Jtaque ſub V. T. ubi ratio illa ceſſabat, prohibitio Levitici manebat & ſtricto jure obſervabatur. Quæ ratio cum penitus ceſſaverit in Chriſtianiſmo, manet Lex communis, ſpeciali illa, & ut ita dicam, occaſionali, abrogata. Fuerunt autem hæ conditiones requiſitæ ad praxim juris illius municipalis; ut ejus cui ſemen erat ſuſcitandum, fuiſſet quæ dicenda erat, uxor principalis; non ſterilis, non annoſa, non repudiata, non habens liberos ex primo conjugio. Ut ſi plures fratres ſucceſſivè orti morerentur, ſemper ſemen quod à ſequenti ſuſcitaretur, non immediatè defuncti, ſed prioris cenſeretur. Ut quæ vidua relicta erat, admoneret mariti fratres de ineundo ſecum matrimonio, & ſi qui ſequeretur nondum eſſet ad nuptias aptus, expectaret, donec adoleſceret, quod à Thamara poſteà fiet. Si alteri nuberet interea, adultera cenſeretur. Filius qui ex vidua illa naſcebatur ex proximi ſanguinis conjunctione, haberetur filius & hæres defuncti; alii autem poſt primogenitum, naturalis patris filii & hæredes. Si filiæ tantum naſcerentur, eadem haberetur ratio. Si unus tantum filius, utriuſque parentis hæres eſſet, & utriuſque nomen ac familiam tueretur. Ut hæreditas defuncti ſtatim caperetur ab uxore, quæ poterat per ætatem, volebatque defuncto ſemen ſuſcitare; qua etiam hæreditate potiretur, qui eam ducebat; donec

Aaaaa adole-

adoleviſſet filius, qui naſceretur defuncto. Rabbini addunt alias leviores & ſuperſtitioſas conditiones, quas non moramur.

Legem illam apud ſolos Jſraëlitas viguiſſe, probabiliſſimum eſt, quia in aliis gentibus nulla talis ratio fuit. Poſſunt quidem adferri exempla quorundam apud Gentes, qui fratrias duxerunt, etiam legum aliquot permittentium conjugium cum orbis, iis qui genere proximi eſſent; ſed exempla illa non oſtendunt id factum fuiſſe ex lege, neque eo fine ut proles ſuſcitaretur defuncto. Ad legem vero Solonis quod ſpectat, cujus meminit Diodorus Siculus, Hiſt. lib. 12. ad rem hanc quam tractamus nihil prorſus ea facit, quamvis adferatur à Serario, ut oſtendat id in uſu fuiſſe. Neque enim de viduis agit lex illa, ſed de *orbis* puellis, id eſt, pupillis aut orphanis, & de adoleſcentibus orbis ſimiliter. Verba Diodori ſunt, *Iubebat,* Lex Solonis, *ut gentilitatis gradu proximus puellam in ſucceſſionem totius patrimonii relictam jure in matrimonium depoſceret, & viciſſim orba puella genere maximè propinqui nuptias ſibi vendicaret.* Ubi non agit de viduis vel de affinibus, ſed de orphanis, & gentilitatis gradu proximis, quod tamen intelligendum fuit, ſervata honeſtate naturali; nunquam enim apud Athenienſes licuit, ut fratres in matrimonium ſorores depoſcerent, aut contra; nec etiam ut fratres fratrias ducerent. De Craſſo quidem Plutarchus in ejus vita narrat, quod defuncti fratris uxorem duxerit, ſed factum non laudat, aut probat. De Herode cujus Euangelia meminere, non ſatis certum eſt, duxerit ne viventis, an fratris mortui uxorem. Jd de Archelao teſtatur Joſephus, Antiq. lib. 4. cap. ult. quod duxerit Glaphyram fratris demortui uxorem ex qua liberos ſuſceperat; cui Alexander maritus inſomnis apparuiſſe dicitur, eique eo nomine, quod Archelao fratri ſuo nupſiſſet, turpitudinem, & impudentiam exprobraſſe. Ut intelligamus, apud gentes etiam, talia matrimonia damnata fuiſſe.

Non itaque putandum, ſingularem illam Dei diſpoſitionem in populo ſuo, in uno tantum caſu, cui proviſum voluit, infringere vim legis communis, vel ubi Deus non diſpenſat aut jubet, alicui homini poteſtatem datam eſſe in ullo caſu qua poſſit id permittere, quod Deus prohibuit. Poteſt quidem Deus etiam de naturali jure diſpenſare, & peculiares circumſtantias pro arbitrio excipere. Quo poſito, *quod ſit juxta Dei voluntatem, etiam ſi videatur improbum eſſe, omnium eſt optimum :* &c. *Deo jubente non licet curioſè inquirere in naturam eorum quæ fiunt, ſed duntaxat obtemperare;* ut benè monet Chryſoſt. lib. 2. Contra Judæos. Sequitur ergo non peccaſſe Iſraëlitas, qui in caſu in lege expoſito, ut ſemen fratri defuncto ſuſcitarent, fratriam duxerunt, imò in eo rem Deo gratam feciſſe, & caſum illum, autoritate Dei, fuiſſe à lege generali exceptum.

Sed ex his novam nobis difficultatem Bellarminus nectit, qui hac exceptione abutitur, ut probet Legem quæ habetur Levit. cap. 18. & 20. de impedimentis matrimonii naturalem nō eſſe, ſed politicam; itaque gradus omnes ibi prohibitos, non obligare Chriſtianos, niſi quatenus Lege poſitiva Eccleſiaſtica prohibentur, in qua diſpenſare poteſt Pontifex Romanus, qui tanquam Eccleſiæ caput, Leges has ſancivit. Proinde poſſe legitimum reddere matrimonium, inter patruum & neptem, inter amitam & nepotem, inter fratriam & levirum &c. Cujus rei exempla multa proferuntur, & ſatis ſunt ordinaria in Papatu. Hac ratione putant ſe poſſe tueri factum Pontificis, qui cum Henrico VIII. Angliæ Rege diſpenſavit, ut duceret viduam fratris ſui Arturi. Unde poſteà ſumpta fuit occaſio de validitate talis matrimonii dubitandi, quod poſt varias diſputationes, & conſultationes, reſciſſum fuit; cujus controverſiæ quis fuerit exitus novit terrarum orbis. An conſcientiæ ſcrupulo motus fuerit rex ille, non diſputamus; ſed de re ipſa, an potuerit à Pontificibus fieri, quæſtio eſt. Id Bellarminus & alii probare ſe poſſe putant ex conſuetudine & lege iſta, de ſemine ſuſcitando fratri. Inde Pontifices etiam diſpenſant de duabus ſororibus ſucceſſivè ducendis, cujus rei exempla memini me vidiſſe in Gallia, in quibuſdam qui Religionem reformatam profitebantur, qui cum in Eccleſia Romana poſt diſpenſationem Pontificis matrimonium ſuum celebraſſent, vellentque redire ad cœtus fidelium, agnita culpa publicè, quatenus Pontificis diſpenſationem requiſierant, & à ſacrificulo benedictionem, cum à nobis non admitterentur, niſi ea lege ut à concubitu inceſto ex verbo Dei, contra quod Papæ diſpenſatio nihil poſſet, abſtinerent, tandem ad Pontificios planè defecerunt. Sed audiamus Bellarmin. lib. I. de matrim. Sacram. cap. 27.

Lex, inquit, *Deuteronomii, nihil jubet contra jus naturæ, quid enim abſurdius quam ut naturæ autor contra naturam pugnet? Non igitur eſt contra jus naturæ, ut ob juſtum aliquem finem quis ducat uxorem fratris ſui: Ergo quod in Levit. legimus cap.* 18. *non eſt naturale præceptum, ſi intelligatur ſimpliciter, ut adverſarii volunt.* Reſpondeo 1. Bellarm. contra ſe ipſum argumentari. Nam cap. 18. aſſerit, ſe *putare diſpenſabilia eſſe omnia conjugia à Deo in quovis gradu, nullumque eſſe gradum in quo conjugium ita ſit intrinſecè malum, ut repugnet illud fieri benè; quod ex eo patet, quia nullus gradus tollit finem matrimonii, primarium vel ſecundarium, licet aliquo modo impediat, nam ex conjugio etiam filii cum matre, naſci poſſunt liberi & educari.* Et in eodem capite, reſponſ. ad 1. arg. *Fieri,* inquit, *poteſt, ut Deus cum filiis Adæ diſpenſaverit, ut ſororibus jungerentur.* Argumentum autem capitis hoc erat, *Primum gradum conſanguinitatis, tam in recta quam in tranſverſa linea, jure naturæ interdictum eſſe, & ab homine indiſpenſabilem.* Ex his ſequitur argumentum Bellarmini non valere, qui inferre conatur prohibitionem conjugii cum fratria ad jus naturale ſimpliciter non pertinere,

pertinere, quia in caſu ſingulari id Deus non ſolum permiſit, ſed etiã lege ſpeciali ſancivit. Sequetur enim prohibitos gradus conſanguinitatis in recta & transverſa linea non eſſe naturales, quiaDeus poteſt eos permittere, imò de facto ſecundum permiſit, initio mundi.

Eadem ratione refellitur aliud Bellarm. argum. ductum ex eo quod conjugium cum fratria, non eſt per ſe & intrinſecè malum, quia per nullam circumſtantiã poſſet fieri bonum; unde infert non eſſe præceptum naturale primi ordinis; Sic enim, ipſo teſte, non erit primi ordinis naturalis, prohibitio conjugii filii cum matre & matris cum filia, ex poſitis à Bellarmino. Nos quidem de primo, ſecundo, & tertio ordine juris naturalis non diſputamus, ſed de eo jure agimus, adverſus quod nemo hominum poteſt aliquid ſtatuere, vel concedere, quale jus naturale fuiſſe omnium graduum in Levitico poſitorum contendimus, id eſt, ut ipſe Bellar. poſteà de aliis gradibus loquitur, in quibus nullam extrinſecam malitiam agnovit, qui ſunt ab hominibus indiſpenſabiles.

Directè nunc ad argumentum reſpondeo, Abſurdum quidem in genere eſſe, ſi dicamus autorem naturæ, contra naturam pugnare; ſed abſurdum non eſt dicere, autorem naturæ, de naturæ lege diſpenſare poſſe, quod etiam agnovit adverſarius; qui ſophiſticatur, cum dicit non eſſe contra naturam *ſimpliciter*, ut volumus. Si enim intelligat illud *ſimpliciter*, pro *eo quod eſt contra naturam primo modo, quo res aliqua eſt intrinſecè mala, ita ut ſemper & apud omnes ſit mala, nec poſſit per mutationem circumſtantiarum fieri bona, qualia ſunt mentiri, mœchari, odiſſe Deum*; falſum eſt nos dicere omnes Leviticas prohibitiones ad jus illud primo modo pertinere. Sed dicimus ad jus naturale pertinere, per ſe, & ſimpliciter, nimirum qua, *per ſe, & ſolitariè, ſumuntur gradus cognationis ſine circumſtantiis, quæ ſufficiant ad matrimonia in his gradibus honeſtanda*, quomodo ipſe Bellarm. explicat, cap. 27. ubi fatetur, verba Levit. 18. *ad proximam ſanguinis ſui nemo accedat*, jus naturæ complecti, & ideò etiam in ſingulis præceptis de gradibus, repeti vocabulum *turpitudinis, &c.* Quæ directè pugnant cum doctrina eorum, qui tales prohibitiones volunt fuiſſe tantum politicas. Id nobis ſufficere poteſt, *per ſe, gradus illos eſſe contra jus naturæ.* Quod autem dicit, per aliquam circumſtantiam poſſe cohoneſtari, id agnoſcimus, dummodo talis circumſtantia à Deo declaretur, & unà cum circumſtantia, exceptio detur à regula juris naturæ, per autorem naturæ, quod factum fuiſſe videmus in circumſtantia, de ſuſcitando ſemine fratri defuncto. Circumſtantiam enim Deus poſuit, & præceptum addidit.

Nullius momenti eſt, quod Bellarminus vult, ex eo ſequi prohibitionem fuiſſe politici juris, non naturalis, quia exceptio ad jus politicum pertinet. Fallitur enim cum putat Deum poſitiva lege ſive judiciali, ſive ceremoniali, non poſſe excipere à jure naturæ communi, cum tales leges poſitivæ nihil aliud ſint quam communis naturæ legis determinationes ab autoritate ſumma profectæ. Imo falſiſſimum eſt, omnem exceptionem ejuſdem naturæ eſſe debere, cujus eſt lex ipſa. Sic enim nulla lex poſitiva, ne divina quidem, poſſet excipere ab aliqua naturali lege, quia alius generis eſt lex poſitiva, aliûs naturalis. Fatendum quidem eſt utriuſque legis communis, quæ prohibet; & particularis, quæ concedit, aut diſpenſat, materiam, ejuſdem ordinis eſſe debere; ſed id non ſequitur de lege & diſpenſatione. Imo ejuſdem generis & ordinis res, poſſunt variis modis, aut rationibus diverſis, permitti aut prohiberi. Quod ſi Bellarmini argumentum valeret, ipſe adhuc conſtringeretur, quia concedit divina diſpenſatione fuiſſe permiſſam Polygamiam, quæ per internam diſpenſationem Patribus fuit nota. *Diſpenſatio illa erat naturalis, aut judicialis*, ergo etiam lex Polygamiam prohibens: ſi judicialis fuit diſpenſatio, ergo & lex de Polygamia, judicialis fuit, atque ita ad eam non tenemur. Si naturalis fuit diſpenſatio, ergo adhuc hodiè ſervari poteſt; niſi aliam rationem, & ordinem legis & diſpenſationis agnoſcat, non poteſt elabi. Imò quæ hoc ipſo loco dicit, eum refellunt; *Si lex de non ducenda fratria*, Levit. 18. *eſt naturalis, etiam exceptio de ducenda fratria abſque liberis relicta, erit naturalis, qualis illa quod in extrema neceſſitate liceat fratri ſororem ducere.* Sic enim argumentum adverſus eum torquemus, ſi exceptio illa de ſorore ducenda in extrema neceſſitate eſt naturalis, ſequitur hoc etiam tempore obſervari poſſe, ita ut aliquis ſororem ſuam ducat. Dicet fortaſſe nullam poſſe dari talem neceſſitatem hoc tempore. Idem dicimus in lege de ducenda fratria, ſive dicamus, *diſpenſatione.* Nulla talis dari poteſt neceſſitas niſi à Deo, ſi velit talem haberi rationem conſervationis familiarum. Si Deus talem det neceſſitatem & addat legem, non pugnamus, id etiamnum fieri poſſe. Sed negamus ullum hominem per ſtatutã ſua, talem neceſſitatem inducere poſſe, vel poſita neceſſitate aut utilitate humani juris, aut convenientiæ, poſſe aliquem de lege divina diſpenſare.

Parum refert, ſive lex dicatur de ducenda fratria, ſive exceptio in caſu memorato. Utrumque poteſt eſſe, quia lex particularis, quæ jubet id quod generali lege prohibetur, ob ſpecialem finem, eſt etiam exceptio à lege communi. Nec firmum eſt quod Bellarminus urget, non eſſe Dei, qui omnia novit, addere exceptionem legi, ſed hominum, qui experimento diſcunt paulatim, ſuas leges non poſſe ſervari, niſi aliquid excipiatur. Nam exceptio illa, ſive lex, non eſt novum Dei conſilium poſt experientiam ejus quod neſciebat; ſed declaratio conſilii ſui æterni, ratione quarundam perſonarum, quas voluit à lege communi eximere. Illius enim exceptionis anima, conſervatio & diſtinctio

familiarum in tribubus Iſraëlis uſque ad Meſſiam, à conſilio Dei æterno pendebat; cujus tamen declaratio, hominum reſpectu, fieri debuit in tempore.

Quod autem ait idem, legem generalem, exempli gratia, *non occides*, non impedire quominus poſteà fiant leges poſitivæ particulares, quæ jubeant occidi latronem; ſic etiam, legem illam *non duces fratriam*, non impedire, quominus fiant leges particulares poſitivæ, quæ conjugium cum uxore fratris, cum aliqua circumſtantia, prohibeant; cum aliqua, jubeant; id verum eſſe eatenus concedemus, quatenus talis poteſtas particulares illas leges condendi, tribuetur ei à quo prima lex generalis lata eſt. Nullus enim homo, per legem particularem, poteſt excipere à lege generali divina, de qua hoc loco agitur; quia ejus eſt legem interpretari cujus eſt condere. Manet igitur firmum, legem illam eſſe naturalem, & ab autore naturæ ſancitam; particularem legem, quam ſequutus eſt Juda, eſſe etiam à Deo, in circumſtantia quam ipſe Deus ordinatione ſua, in populo Iſraëlis præſcripſit; nullas alias poſſe dari ab hominibus, in quibus humana autoritas licitum faciat, quod Deus prohibuit.

Nunc ad Onani factum veniendum, & ejuſdem conſequens. Cauſa quæ eum movit ut fraudaret fratriam, & parentis ſui intentionem falleret, fuit malignitas & invidia. Non poterat rejicere apertè mandatum patris, quia etiam ad id tenebatur lege communi. Conſiderabat non ſuam ſed fratris futuram prolem quam Thamar conciperet, ſi cum ea conſueſceret legitimè. Abutitur lege conjugii in quam conſenſerat, & dum libidinem exercet, ſub hoc prætextu impurè ſe contaminat, *effundendo ſemen in terram*, ne fratri ſuo ſuppeditaret poſteritatem. Hic plura non eloqui ſinit pudoris ratio, ſed id tantum animadvertendum, omnem abuſum ſeminis, inprimis voluntariam ejus effuſionem, extra conjugium, graviſſimum eſſe peccatum; cavendumque eſſe ab impuri ſpiritus ſuggeſtionibus, quibus Satan in ætate adoleſcentiæ & primæ pubertatis inſidiatur multis, quos incitat ut propria corpora, ut upupæ nidos ſuos, infami mollitie polluant & contaminent, ſe ipſos corrumpentes, & conſcientiæ ſuæ grave vulnus infligentes: quod peccatum frequentiſſimum eſt, inter illos quibus ſordet honorabile conjugium & thorus immaculatus, apud quos ſæpè reperitur,

Qui mœchus, meretrix, leno ſit ipſe ſui.

Hinc eſt quod Illuſtris Scaliger in Epiſtolis ſuis, Ieſuitas ſæpè *Onanitas* appellat, apud quos audiverat frequentem eſſe quam Apoſtolus appellat μαλακίαν, 1 Cor. 6. ℣. 9. Non tamen hoc propriè fuit peccatum Onanis, niſi quatenus ſemen in terram effundebat. Ideò, qui vetita libidine, aut violentis abortibus ſobolem, ante quam naſcatur perdunt, proximi ſunt facinori Onan, & eodem criminis atque piaculi genere ſe obſtringunt.

Judicium Dei de facto Onani verſ. 10. his verbis explicatur, וירע vajjera, *& malum fuit in oculis Domini quod fecit; & fecit mori etiam eum.* Vulgata, *& malum fuit*, ſic explicat, *eo quod rem deteſtabilem faceret.* Ad ſenſum quidem rectè, vult enim his verbis Moſes extraordinarium aliquod ſcelus indicare, quod maximè Deo diſplicuerit.

Quamvis enim omne peccatum malum ſit, & Deo diſpliceat, ſunt tamen nonnulla de quibus id expreſſe dicitur, eo quod magis ſunt deteſtanda. Id etiam oſtendit pœna præſentiſſima, qua Deus non permiſit eum ulterius vivere, qui generationem fraudabat, & fœtum enecabat in ipſo ſemine. Itaque additur Deum eum mori etiam feciſſe. Nempe quemadmodum Her fratrem ejus qui nequam fuerat, in ipſo juventutis flore morti addixit, ſic etiam Onanum: & tale fuiſſe genus mortis probabile eſt quo ſubito fuerit extinctus, vel apoplexia, vel ſimili morbo. Si tam fœda & abominanda, ſcriptura recitat ob graves cauſas, videmus etiam non ſileri in ea judicia Dei horrenda, ut ſi, caſtis auribus, talium recitatio moleſta fuerit; pœnæ inſequutæ inflictio, moveat ad reddendam Deo juſtitiæ gloriam. Quod ſi horum lectione impuri homines ad libidines proni, ſibi in peccatis indulgeant; videant Deum non indulgere, nec longè abeſſe pœnam, quin ad januam cubare. Certè tempora noſtra, quibus invaluerunt libidinum portenta, viderunt etiam extraordinaria Dei judicia, adverſus hominum intemperiem, ut in ſuis corporibus ſcortatores, turpes peccatorum ſuorum notas circumferrent, ſibi & aliis faſtidium & nauſeam moventes.

EXERCITATIO CLIII.

Neceſſariam fuiſſe in hac hiſtoria narrationem nativitatis Pharéz quantumvis ignominioſæ. Thamaræ injuriam fuiſſe factam in dilatione conjugii cum Selah. *Non tamen ejus fraus excuſatur, nec quod habitu meretricio ſe obtulit.* עינים enaijm, *an propriè vel appellativè ſumendum? poſterius probatur, &* pro bivio *accipiendum. Quomodo Iuda nurum ex voce non cognoverit.* פתיל pethil *quid? Iudæ factum excuſari non poſſe, quamvis in inceſtum non conſenſerit. Thamar contra, quæ ſocerum noverat. Quam malè nonnulli abſolvunt. Vulgatæ editionis omiſſio, quæ ſenſum labefactat. Verbi* קדש kadhaſch *homonymia. Quo jure pronunciet Iuda ſententiam capitalem in nurum ſuam, & eandem poſteà liberavit, diſquiritur. An in tali delicto juſta fuerit pœna capitalis? Adulterium capitale ferè fuiſſe apud omnes gentes. Exceptio Pauli Burgenſis pro Thamara rejicitur. Præcipitaſſe tamen judicium Iudam, & ex affectu nimium ſæviiſſe. Cur eam poſtea ſe juſtiorem agnoſcat? Ejus ingenuitas. Filiorum ex Thamara nominum ratio. Cur in Chriſti Genealogia mulieres tantum nominentur aliqua infamiæ nota inuſtæ? Moralis conſideratio notanda.*

REliquo capite à verſ. xi. narrat Moſes, qua occaſione factum ſit, ut ex Juda nati fuerint duo filii, quorum unus in Genealogiæ Chriſti ſerie locum habet, nempe Pharéz. Nam cum ex duobus filiis ejus mortuis nulla ſobolis propagatio facta fuiſſet; tertius autem, nomine *Selah*, inter Chriſti majores non numeretur, qui tamen ex ſtirpe Judæ naſciturus erat, omnino neceſſe fuit in Hiſtoria, quæ præſertim in eum finem eſſet ſuſcepta, ut de ſeminis benedicti ex poſteritate Abrahami ortu conſtaret, non omitti poſteros ejus qui inter Patriarchas eminere debuit, & cui ſpecialiter promiſſa fuit benedictionis illius in ſua tribu impletio. Alioqui enim, ſunt in hac hiſtoria circumſtantiæ, quæ potius viderentur ſilentio obvolvendæ, quam evulgandæ.

Verſ. igitur 11. jubet Judas nurum, poſt ſecundam viduitatem, abire in paternam domum, & ibi viduam expectare maturitatem tertii Judæ filii, Selah, ut ex lege, de qua anteà dictum eſt, duceret eam, poſtquam ad conjugium aptus eſſet. Itaque agnoſcit Juda, eam nondum eſſe liberam, ſed filio ſuo ſuperſtiti, ex jure familiæ ipſius deſponſatam. Quod etiam ex eo probatur, quod poſtquam audivit eam eſſe gravidam, ſententiam fert adverſus eam tanquam adulteram; ex quo liquet, viduam ſine prole relictam, familiæ fuiſſe addictam, in qua nupſerat, nec liberum fuiſſe, in aliam tranſire familiam, quamdiu aliquis eſſet ex propinquis defuncti ſuperſtes, cui nuberet. Hoc cum ita fuerit, mirum eſt, cur Juda in domum patris ſui eam ablegarit, etſi id ad tempus ſe facere profiteatur, donec adoleviſſet Sela, de cujus ætate tunc certi nihil haberi poteſt. Putant tamen plerique attigiſſe eum annos pubertatis, ſed Judam ſuſpicatum fuiſſe, cauſam mortis aliorum fuiſſe præcipitatum nimis matrimonium; cui ſententiæ favere videntur verba Moſis, *timebat enim ne ipſe moreretur, ſicut fratres ejus*; nempe ſi tam tenera ætate operam daret generationi. Quo referri poteſt, quod eam noluit habitare domi ſuæ, ne ex continua familiaritate traheret Selam, ad præcipitandum conjugium. Si nihil aliud cogitaſſet Juda, non video cur in hoc conſilio ſit aliquid reprehendendum. Quod enim differtur, non aufertur. Sed quia poſteà Judas in ſe ipſum fert ſententiam, eamque juſtiorem pronunciat, quia non tradiderat eam Selæ filio ſuo: agnoſcitque factam ei fuiſſe injuriam; inde colligitur Judam prorogaſſe tempus ultra ætatem neceſſariam, & poſtquam ab eo diſceſſiſſet ipſa, illius nullam habuiſſe rationem, & probabile eſt, diem de die voluiſſe ducere, nec omnino habuiſſe in animo eam dare filio ſuo, cum tamen abſolutè non poſſet negare, eam vana ſpe lactaſſe & deluſiſſe; cum videretur eam habere ſuſpectam, quod occaſionem dediſſet aliorum immaturæ morti. In quibus non immerito judicavit Thamar ſe affici contumelia, nec poteſt excuſari factum Judæ.

Sed non propterea laudanda eſt aſtutia Thamaræ, qua ſocero ſuo impoſuit, ut ex familia cui deſtinata fuerat, poſteritatem auferret. Laudabile quidem fuit in ſe deſiderium, etſi non exiſtimem, quod veteribus quibuſdam viſum, notum ei fuiſſe myſterium venturi ex ſemine Judæ Meſſiæ, quod nec ipſe Judas noverat cum id nondum fuiſſet revelatum, ex qua nempe tribu naſceretur. Sed deſiderio prolis incenſa, fraudem eſt meditata, qua etiam vindictam paravit adverſus ſoceri dilationem, aut etiam negationem. Non reprehenditur deſiderium, quod in ſe, præſertim illo tempore, laudabile fuit. Potuit etiam rationem habere benedictionum divinarum in familia Jacobi, præ reliquis terræ familiis. Hæc & ſi quæ talia ſint quæ eam excuſent à tanto, non puto præteriri debere. Ex his ſaltem & ſimilibus conſiderationibus, ſatis liquet eam non

ardore libidinis motam fuiſſe, ad inhoneſtum illud facinus, ſed prolis cupiditate, quam ex prioribus maritis nullam ſuſceperat.

Facit etiam ad imminuendam peccati atrocitatem, quod non prius id aggreſſa eſt, quam objiſſet ſocrus, & aliquod poſt ejus obitum tempus interceſſiſſet. Quamvis id etiam ad aſtutiam referri poſſet, ut quæ forte noverat, non facile adduci potuiſſe Judam, cum uxorem haberet, ut ſcorto ſe immiſceret, & adulterium committeret. Sed cum liber & ſolutus eſſet, judicavit tum facilius eſſe eum pertrahere ad id quod moliebatur. Itaque occaſione oblata, veſtibus viduitatis depoſitis, tendit ei inſidias, in via, qua ad tonſores ovium ſuarum ſciebat eum perrecturum, & habitu meretricio, ſedens in loco ſuſpecto, obvelata nihilominus facie, ne cognoſceretur, ſe adventanti Judæ exhibet. Vulgata editio velum quo obnubilata fuit, Ebraicè צעיף *tſaiph theriſtrum* appellat, quæ vox Græca à LXX uſurpata, quæ æſtivam veſtem ſignificat. Potuit eſſe peplum tenue, quo obvolvebatur; ſed non puto tale fuiſſe, quod matronis tunc temporis fuerit commune; quia ex ſequentibus colligitur, habitum fuiſſe meretricium. Quicquid ſit, certum eſt, ita fuiſſe velatam, ut agnoſci non poſſet, alioqui non potuiſſet fallere Judam.

Illud quod de loco in quo ſedit dicitur, בפתח עינים *bephethach enajim*, variè accipiunt interpretes. Sunt enim, qui vocem *enajim* retinent tanquam propriam, Sic LXX πρὸς ταῖς πύλαις Ἐνάν. *Sedit ad portas Ænan.* Sic Pagninus, *in oſtio Henajin.* Alii appellativè interpretantur, vel fontes, vel oculos, vel bivium, quam poſtremam ſignificationem elegit Hieronymus. Certum eſt vocem Ebræam, pro fontibus, & pro oculis accipi. Prioris ſignificationis habita ratione, Chaldæus vertit, *in diviſione fontium*, id eſt, ait Paulus Fagius, in diviſione viarum, ſive in bivio, quod erat prope fontes, qui erant in iſto loco. Hieronymus, in quæſt. Ebraicis. *Sermo*, inquit, Ebraicus עינים enajim, *transfertur in oculos. Non eſt igitur nomen loci, ſed eſt ſenſus, ſedit in bivio, ſive in compito, ubi diligentius debet viator inſpicere, quod iter gradiendi capiat.* Sic etiam notavit Vatablus, *in diviſione oculorum*, id eſt, *in bivio*, quod in bivio ſoleamus divertere oculos in duas partes; vel in oſtio oculorum, id eſt, in propatulo, ubi frequens erat euntium & redeuntiū tranſitus. Rabbi Salomon expoſuit, בפרשת דרכים *bepharſath derakim*, in diviſione viarum, ſive *in bivio.* Sic Tremel. & Junius; & vulgaris noſtra, *en un carrefour*, quæ maximè probabilis eſt interpretatio. Solebant enim meretrices loca eligere, in quibus concurſus hominum fiebat. Proverb. 9. 12. *Sedet in locis excelſis urbis, ad avocandum viatores.* Probabile eſt tamē, ſpropinquum fuiſſe receſſum, ad quem poſſet divertere Judas, quia credibile non eſt, voluiſſe in via publica, & ſub omnium oculis ſcortari.

ויראה *vajjireha* & vidit eam Jehuda. Vulgata, *quam cum vidiſſet; ſuſpicatus eſt eſſe meretricem*, ratio additur, *quia operuerat vultum ſuum, ne agnoſceretur.* Sed an hoc ſit argumentum impudicitiæ merito quæritur. Contrarium videri poſſet, quia meretrices impudentes ſunt, nec ſciunt erubeſcere. Vidimus etiam ſupra Rebecam velo ſe obnubilaſſe, cum vidiſſet Iſaacum venientem. Nō igitur exiſtimandum ideo judicaſſe quod ſcortum eſſet, quia peplo erat obducta, ſed quia videbat eam ſedentem in loco ſuſpecto, ut copiam ſui viatoribus faceret. Ergo illud *quia*, non reddit rationem cur ſuſpicatus fuerit eam eſſe meretricem, ſed cur eam non agnoverit, quę ipſius nurus eſſet. Id quidem non mirandum eſt, ſi non potuerit diſcernere nurum ſuam ab alia, cum facies ejus eſſet obtecta. Sed quod poſtquam ad eam declinaſſet, & ultro citroque ſermones eſſent cōmutati, cum ille eam de ſtupro compellaret verſ. 16. illa vero reſponderet pluribus, & de mercede ageret, peteret etiam arrhabonem aut pignus, donec mitteretur hœdus, &c. id quidem mirum videri poteſt. Etſi enim alia latere poſſint, vox tamen fallere non ſolet. Itaque agnovit Iſaac vocem Jacobi, qui finxerat manus Eſau. Cum autem Thamar aliquamdiu vixiſſet in ædibus Judæ, non eſt veriſimile vocem ipſius non fuiſſe illi ſatis cognitam. Sed fortaſſe ſubmiſſius egit cum eo, data opera, ne vox eam proderet, finxitque ſe velle ſecreto colloqui, nec emiſit ordinarium vocis ſonum. Id enim ita fieri poteſt, ut vix aliquis diſcernere poſſit hac ratione notum ab ignoto, ſi ſubmiſſe loquatur; quod etiā potuiſſet adſcribi verecundiæ, in tali negotio. Non eſt etiam improbabile quod alii notant, ſæpè fieri ſolere, ut imaginatio præconcepta, ſenſum & cogitationem fallat, libidine itaque accenſum & correptum, ad explendam tantum ſuam cupiditatem intentum fuiſſe, facileque ſibi permiſiſſe imponi, qui nunquā cogitaſſet nurum ſuā ita ſibi voluiſſe inſidiari. Itaq; etſi aliqua ſuborta fuiſſet de vocis ſimilitudine cogitatio, potuiſſet apud ſe cogitare, qui forte ante aliquot menſes eam non audiverat, nō raro uſu venire ut plures eodem ferè vocis ſono utantur. Sed probabilius eſt, id ei in mentem non veniſſe jam præoccupato & feſtinanti. Hinc eſt quod cum non unicam arrham peteret, ſed plures, re non examinata, conſentit promptiſſimè ut ſibi ſervet quæcumque petit, donec fidem liberet de mercede.

De reliquis nulla eſt apud interpretes difficultas, ſed non omnes idem ſentiunt de פתיל *pethil*, quam vocem Græci ὁρμίσκον monile, Vulgata, *armillam*, vertit, alii pallium, alii faſciam, vel ſudariū, vel vittam, Schindelerus dicit ſignificare *ſudarium parvum*, quo aliqua capitis pars operitur, quod ſit brevis inſtar fili. Targum vertit, ושושיפך *veſchoſchiphak*, quam vocem, alii pallium, alii veſtem, alii ſudarium exponunt. Certum eſt à verbo deductum eſſe nomen, quod tortum aut diſtortum eſſe ſignificat. Hinc prima nominis ſignificatio pro filo retorto. Deinde faſciam, vittam, aut ligulam ex filis retortis denotat. Sunt qui volunt fuiſſe Cydarim capitis ornamentum; Mercerus linteum, quo

uteban-

utebantur, ut nos hodie pileo, ut etiam num Turcæ intortis linteis caput obnubilant. Non putarem tamen, ſi mos tum fuerit caput tegere Cydari, voluiſſe Judam nudo capite ad ſuos abire. Itaque mihi probabile eſt fuiſſe rem talem qua potuit carere ſine incommodo gravi. Malim ergo *ſudarium* ſimpliciter accipere, pro linteolo quo abſtergebat faciei ſudorem. De annulo, imprudens factum fuit, cum ſignatorius fuerit annulus, quo in perniciem ipſius alius abuti potuiſſet. Sed libidinis ardor homines excæcat, ut pericula non videant, ita ut vitam ſæpè ſuam temerè periculis exponant.

Hoc factum Iudæ excuſari non poteſt. Id quidem concedendum eſt, inceſtum commiſiſſe materialiter ut loquuntur, quia non conſenſiſſet in actum illum, ſi non fuiſſet error in perſona. Sed intendebat fornicationem, quam tunc prohibitam qui cenſent non fuiſſe, in magno errore verſantur. Quia etſi nulla Lex poſitiva fortaſſe data fuiſſet, Lege tamen naturali omnibus indita omnes vagæ libidines illicitæ agnoſcuntur. Nec ignoravit ipſe Judas rem eſſe pudibundam, qui maluit arrhas ſuas amittere, quam inquirere in ſcortum ulterius, poſtquam Thamar ſe ſubduxiſſet, & habitum priſtinum reſumpſiſſet, ne ſi res emanaret, famę detrimentum pateretur. At quorſum ille metus, ſi id citra offenſam fieri potuiſſet? Certè ſola libidine incenſus, de prole non cogitans, quam primò obviam habuit ad concubitum ſollicitavit, pretio etiam dato, ad eam acceſſit, nulla honeſta, vel in ſpeciem, cauſa impulſus.

Thamar ex alia parte, etſi non ex libidinis æſtu, ſed ex deſiderio prolis, & propulſandæ ſibi illatæ injuriæ propoſito, ad hoc facinus impulſa fuerit, in inceſtum nihilominus conſenſit, & paſſa eſt ſe jungi cum eo quem ſocerum agnoſcebat, qua in re graviter eam peccaſſe certum eſt. Taceo, quod non rationem legitimam elegit qua injuriam à ſe propulſaret. Poterat enim jure agere, & ſocerum perſequi apud legitimum magiſtratum, & apud Jacobum mariti parentem conqueri. Itaque fruſtra ſunt, ex veteribus qui factum Thamaræ penitus à peccato excuſant, quia deſerviit divinæ diſpenſationi. Quæ ratio ſi valeret, eos etiam excuſaret, qui inſcii promoverunt opus redemptionis noſtræ. Rectè Auguſt. *Melius ſine filiis remaneret, quam ſine jure matrimonii mater fieret.* Sunt qui reſpondeant, Chryſoſtomum, Theodoretum, addimus & Ambroſium, non excuſare factum, ſed facti intentionem. Sed ſi eorum dicta in ipſis locis expendantur, vix poteſt exceptio illa locum habere. Certè in talibus excuſandis, veteres ſæpè modum non tenuerunt, quibus religio fuit aliquas ſanctorum actiones peccati arguere, bono quidem zelo, ſed aliquando minus prudenti. Benè habet tamen quod Pontificii interpretes non auſi fuerint Judam & Thamaram abſolvere, quod conentur patrum dicta reſtringere, probare etiam alibi Chryſoſtomum junxiſſe Thamaram Batſebæ, & appellaſſe eas *mulieres de peccato celebratas.* Nam alioqui, *horrendarum in ſanctos blaſphemiarum*, pro ſolito more, noſtri rei facti fuiſſent, qui ſcapham ſcapham dicere non verentur.

Verba verſus 23. quæ protulit Judas poſtquàm amicus ejus non reperiſſet meretricem, nec potuiſſet arrhas repetere dato hædo, ſic leguntur in Ebræo, תקח לה פן נהיה לבון *tikkach la phen nihjeh labhun.* ad verbum, *ne forte ſimus in contemptum, capiat ſibi*, id eſt, retineat pignora, ne exponamur ludibrio ſi eam diutius quæſieris, & negotium innoteſcat. Metuebat ne traduceretur & fieret vulgi fabula, qui tamen de offenſa Dei ſollicitus non fuerat. Vulgata alia omnia habet, & hoc argumentum maximè ad rem faciens, prorſus enervat. Sic enim illa, *Habeat ſibi, certè mendacii arguere nos non poterit.* Quæ verba de ſuo addidit, & illa omiſit, quæ maximi erant momenti. Fateor quidem, ex poſtremis verſus verbis, *Ecce, miſi hunc hœdum, & tu non inveniſti eam*, colligi poſſe Judam innuere voluiſſe, quod fidem ſuam liberaſſet. Ideo verba illa ad exegeſim poſtremæ illius clauſulæ potuiſſent annecti in paraphraſi. Sed non poſſunt exprimere priorem clauſulam, quam LXX. non amiſerunt, μήποτε καταγελασθῶμεν, ſimilia habentur apud Chald. Aquila etiam & Symmachus verterunt, μήποτε γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν. Unde Steuchus ad veterẽ editionem annotat, *Ebraicè is ſenſus non eſt, hæc enim aliud ſonant.* Idem notavit Cajetanus. Cornelius à Lapide, dicit interpretem Latinum magis Judæ mentem, quam verba reſpexiſſe. Sed quomodo potuit de mente judicare, ſi eam verba non indicarint. Ipſe agnoſcit Ebræa habere, *ſervet ſibi, ne ſimus in confuſionem.* Quæ etiam commodè explicat; ſi enim quæramus, & noſtra hæc ab ea repetamus, illa id indignè ferens publicabit meam fornicationem, itaque magna me confuſione & ignominia afficiet, præſertim ſi meum annulum oſtentet. Ridebunt enim homines meam levitatem, petulantiam, & turpitudinem, quod annulum meum ſignatorium meretrici dederim, quod illa illum annulum petendo & ſibi ſervando me ita deluſerit, ut literas quas voluerit meo nomine fingere, meoque ſigillo obſignare poſſit. Hæc ille, quæ certè ex vulgata editione nullo modo colligi poſſunt. Eundem ſenſum ex Ebræo & Græco textu profert Mariana.

Obiter notandum eſt, amicum Judæ, dum quæreret eam quæ pignora ſervabat, his verbis uſum fuiſſe, איה הקדשה *ajjeh hakkedheſchah*, ubi proſtituta &c. Et reſponſum fuiſſe, non fuit בזה הקדשה *bazeh hakkedheſchah*, hîc, in hoc loco, proſtituta. Nomen hoc à verbo קדש *kadaſch* derivatur, quod ſignificat, ab uſu cõmuni ad divinum comparatus fuit, conſecratus, caſtus, ſanctus fuit, &c. Inde nomen *Kadoſch* ſanctus, caſtus, purus, &c, & קדש *kodeſch*, ſanctitas. In Piel קדש verbum *kiddeſch* ſignificat *paravit, præparavit*, Unde volunt deductum infame illud nomen, quo proſtibulum cujuſvis ſexus in ſcriptura ſignificatur, quaſi ad concubitum ſemper paratum. Non diſplicet, quod alii ad antiphraſim

tiphraſim referunt, quo modo dicitur, *auri ſacra fames.* Probabile tamen eſt, nomen eſſe generale, pro omni re quę à vulgari uſu & conſuetudine, propter ſingularem aliquam vel virtutis vel vitii notationem ſemota & ſejuncta eſt, ita ut naturæ, vel muneris & officii; vel exercitii vel uſus, inſigni quadã obſervatione ac nota diſtinguatur. Ut autẽ poſſet diſcerni, quando in bonam vel in malam partem accipi debeat, non ſolum facit locorum circumſtantia, ſed etiam vocalium punctorum ratio. Notandum autem nomen *Kedheſcha*, accipi non pro ſimplici meretrice, quæ זנה *zonah* Ebræis dicitur; ſed pro proſtibulo. Quod aggravat Iudæ peccatum, qui nullam pudoris habuit rationem, & ſe junxit ei quam lupam publicam putavit.

Supereſt jam ut videamus ea quæ concubitum illum ſunt conſequuta. Primò, verſ. 18. conceptio Thamaræ paucis his verbis ſignificatur ותהר לו *vattahar lô*, & cõcepit ei, nempe Iudæ; vel *ex eo.* Vulgata addit, *Ad unum coitum*, quæ etſi non habeantur in textu, tamen ex loci circumſtantiis poſſunt colligi, quia nunquam poſteà ſe expoſuit Iudæ, cui dicitur concepiſſe, quia qui nati ſunt poſtea filii, neque Her vel Onani priorum maritorum habiti fuerunt liberi, neque ejus qui ipſi deſtinatus erat Selah. Poſtea verſ. 24. habetur, quomodo ad Iudam pervenerit rumor de nurus ſuæ gravidatione ex ſcortatione. Id in genere nunciatum fuit, quia ignorabatur à quo fuiſſet gravida facta, nec poterat ſuſpicari Iuda id facto ſuo accidiſſe. Cum ergo putaret familiæ ſuæ magnam fuiſſe illatam injuriam, poſtulat Thamaram ad mortem, eamque quantum in ipſo eſt, addicit vivicomburio; donec illa expoſitis pignoribus, indicavit ſocero, qua ratione facta fuiſſet gravida, & à quo, extorſitque ab eo confeſſionem propriæ culpæ, & alienæ excuſationem.

In hac hiſtoria id primum inquirendum eſt, quo jure pronunciet Iuda ſententiam capitalem in Thamaram. Id facit vel tanquam accuſator, poſtulans tantum ut ex jure & more cum ea agatur; vel tanquam judex decernens quid faciendum ſit, & jubens ut producatur ad ſupplicium. Si tanquam accuſator, ſublata erit ex illa parte difficultas, niſi fortaſſe arguatur nimiæ crudelitatis, & appetitus vindictæ, qui eam poſtulet ad ſupplicium tam horribile. Si vero ex autoritate ipſe judicium protulerit, quæritur, unde illi poteſtas de alicujus vita pronunciare. Poteſtas illa vel communis eſſe potuit, vel ſpecialis. Communis, ſi magiſtratus officio functus eſt, & in illo tractu princeps fuit. Id nonnulli volunt, ſed qua ratione fulti, non video. Id enim tantum pro argumento afferunt, quod in quæſtione poſitum eſt. Nec eſt veriſimile, Chananæos homini peregrino, etſi affinitatẽ ſibi conjuncto, ſupremam apud ſe poteſtatem commiſiſſe, eumque principem ſibi conſtituiſſe, quo tempore neque Iſaac avus, neque pater Iacob, nec eorum filii & poſteri, quicquam quod eſſet alicujus momenti in illa terra poſſiderent. Quod ſi reſpondeamus etſi jus gladii non fuerit penes Judam tanquam regionis principem, hunc tamen fuiſſe morem temporis illius, ut quiſque in familia ſua haberet jus vitæ & necis in domeſticos ſuos; cum autem Iuda eſſet familiæ illius caput, ad quam Thamar pertinebat, ideò potuiſſe ſuo jure uti; non videtur hoc modo tolli omnis difficultas. Primò, quia Thamar tunc non habitabat apud ſocerum, ſed ad parentem ſuum virum Chananæum miſſa fuerat ab ipſo ſocero. Vix autem credi poteſt, paſſurum fuiſſe parentem mulieris, ut autoritate Judæ abduceretur ab ædibus ſuis, atque ita ad libitum ejus plecteretur. Ex altera tamen parte, ſi dicamus non juſſiſſe pro imperio Iudam ut duceretur ad ſuppliciũ, ſed verba fuiſſe requirentis juſtitiam ab iis quorum intererat, obſtare videtur, quod poſtquam Thamar indicaſſet oblatis ſignis Judam ipſum facti fuiſſe autorem, non ſolum liberata fuit, ſed nulla pœna, vel etiam levis mulcta inflicta fuit Judæ, qui tamen ultro fatebatur injuſtitiam ſuam. Si autem ab alio magiſtratu, cui ipſe Judas fuiſſet ſubditus lata fuiſſet ſententia, non ita potuiſſet retractari, poſtquam de inceſtu convicta fuiſſet. Videbatur enim potius digna ſupplicio, quam ob ſimplex adulterium; ille vero gravi mulcta, qui injuſtitia ſua occaſionem conquerendi ei dederat. Cum vero nihil tale fiat, ſed ipſo agnoſcente culpam, ceſſet periculum Thamaræ, nullumque propterea ei creatur, adducor ut credam, quicquid in eo negotio factum eſt, ad Iudæ nutum proceſſiſſe. Sed non exiſtimarem, illo tempore adeo exactam fuiſſe in illis regionibus judiciorum ferendorum rationem, ſed fuiſſe quaſdam conſuetudines, in quibus omnes conſentiebant, & pro occaſione, aliquo præeunte, qui polleret induſtria vel autoritate, facile ad ſe traxiſſe multitudinis conſenſum aut diſſenſum, nondum conſtituto firmo Reipub. ſtatu. Certum eſt enim, & id ex præcedentibus hiſtoriis ſatis liquet, ſatis adhuc confuſa fuiſſe omnia in populis illis, ut non neceſſarium ſit ea exigere ad exactam juris regulam, qualis poſteà obtinuit. Itaque, qui periculum creaverat Thamaræ ſua accuſatione, facile potuit eam eripere, poſtquàm cognoviſſet, rem aliter ſe habere quam putaverat; non quidem quod poteſtatem habuerit αὐτοκρατορικὴν, ſed quia, cum negotii fuiſſet promotor, & in cauſa actor, ceſſante ejus actione, nemo erat qui eam perageret ream; pręſertim cum teſtaretur ſe convictum eſſe iniquitatis, & eam juſtiorem pronunciaret.

Sed alia quæſtio ex priori illo conſenſu, & Thamaræ condemnatione oritur, An juſta fuerit capitalis pœna, in tali delicto. Id primo ſtatuendum, poſtulatam non fuiſſe ream ſimplicis fornicationis, ſed adulterii, & violatæ fidei, quâ obſtricta erat filio Iudæ ſuperſtiti; Adulterii autem pœnam, apud omnes ferè gentes capitalem fuiſſe teſtantur hiſtoriæ. Certè in populo Dei decreta fuit pœna lapidationis adverſus adulteras, Levit. 20. ℣. 10. Quid legibus Romanis ſtatutum fuerit, teſtatur Lex Julia. Graviores etiam pœnas ſanxerunt alii legiſlatores;

giſlatores; inter quos Opilius Macrinus, decrevit ut igne comburerentur adulteri. Plato lib. 9. de Legibus, pœnam mortis adulteris aſſignat. Ipſæ barbaræ nationes alioquin incultæ & ab omni penè humanitate alienæ, quales fuerunt Americani, adulteras occidebant, vel tanquam ſervas vendebant.

Obiicit Paulus Burgenſis, non potuiſſe Thamaram damnari tanquam adulteram, quia vidua relicta ſi alii copularetur quam proximo defuncti, etſi peccaret, non tamen ſub lege tanquam adultera puniebatur. Alioqui Nohemi Ruthæ non conſuluiſſet, ut remaneret in terra Moab, poſt obitum mariti, & alteri nuberet, quod cum fecerit pia mulier, non videtur hoc fuiſſe tam grande delictum. Reſpond. aliam planè fuiſſe Thamaræ rationem. 1. Nullus erat filius Noemi, quem daret nurui ſuæ, nec talis erat neceſſitas in aliis conſanguineis, qualis inter fratres, in eadem domo habitantes; id enim in lege dicitur expreſsè. Nullus autem erat ex proximis mariti Ruthæ ſive frater propriè dictus, ſive alius, qui in eadem domo habitaret. 2. Potuiſſet quidem fieri ut ſine adulterio alteri nuberet vidua, etſi non ſine peccato, ſi planè dimiſſa fuiſſet, nec ſpes aliqua data conjugii alterius. At Thamara fuerat deſponſata Selæ à ſocero Juda, ideoque ſervabat adhuc viduæ conditionem donec adoleſceret. Cum ergo conſenſiſſet in verba ſoceri, planè potuit accuſari violatæ fidei, in viduitatis habitu & ſtatu fornicata.

At ſit ita, tamen videtur crudelis nimis pœna ignis, levior debuit adhiberi etſi capitalis. Certè ſolis ſacerdotum filiabus in domo patris ſcortantibus, decreta fuit ignis pœna. Hinc quidam ex Ebræis voluerunt Thamaram non fuiſſe Chananæam, ſed filiam Semi, quem Melchiſedecum fuiſſe putant. Sed neque convenit temporis ratio, vel ætatis Thamaræ, & nullo argumento nituntur qui id effutiunt. Potius dicendum, id factum fuiſſe ſecundum uſitatos illius regionis mores. Nec certè lapidatio quæ poſteà lege fuit ſancita, minus grave fuit ſupplicium, ignis enim celerius ſuffocabat. Lapidati autem ſæpè multum languebant, plurimis ictibus petiti, priuſquam expirarent.

Non tamen negandum Judæ petitionem fuiſſe præcipitatam & crudelem. Primò inauditam damnat, poſtquam audiviſſet eam uterum gerere. Secundo, rationem non habet fœtûs, contra omnem humanitatem. Nam quod quidam ut eum excuſent, dicunt petiiſſe primò ut in carcerem deduceretur, ibique expectaretur partus ejus, id dicunt adverſus textum ipſum. Dixerat enim Judas, *educite eam & comburatur*, deinde ſequitur, *cum educeretur ipſa, miſit ad ſocerum ſuum &c.* id eſt, cum educeretur eo fine, quem propoſuerat ſocer. Tum autem adhuc gravida erat, idcirco vulgata editio non malè ſupplevit, cum *deduceretur ad pœnam*, id eſt raperetur ad ſupplicium. Itaque non poteſt ab iniquitate excuſari talis ſententia, cum noluerit Deus, filium portare parentum iniquitatem, Ezech. 18. ſed tantum ut anima quæ peccaviſſet, ipſa moreretur. Quam naturalem æquitatem confirmavit Deus lege ſua Deut. 24 *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Itaque etiam apud gentes paulo humaniores, prægnantis mulieris ad mortis ſupplicium damnatæ differebatur pœna, donec partum edidiſſet, ut apud Quintilianum pluribus explicatur, in declamatione cui titulum fecit, *prægnans adultera.* Apud Ælianum de varia hiſtoria, legimus, Areopagitas veneficam mulierem captam, non prius morte mulctaſſe, quam edidiſſet id quod conceperat cum capta fuit. Ideo inter crudeliſſimos poſiti fuerunt, qui ne ſupplicio quidem prægnantium mulierum abſtinuerunt, quam barbariem in Claudio Imperatore notavit Dion lib. 57. illuſtris Thuanus in Hiſtoria ſui temporis, ubi agit de laniena Pariſienſi, lib. 52. ſævitum fuiſſe etiam in prægnantes mulieres, tanquam horrendum facinus, atro calculo notat.

Ex ira itaque & vindictæ cupiditate præcipitavit ſententiam Juda, videturque libenter hanc arripuiſſe occaſionem, ut eam tolleret, quam non habebat in animo dare filio ſuo. Quæ certè eſt maligna hypocriſis, cum prætextu zeli juſtitiæ, privatas injurias ulciſci, & præconceptam iniquitatem obvelare conatur. Itaque non ſine Dei providentia factum eſt, ut tam ſeverus Iudex cogeretur tandem in ſeipſum ferre ſententiam, poſtquam illa indiciis manifeſtavit, ex ipſius Judæ ſcortatione, ſe gravidam fuiſſe factam. Ergo verſ. 26. *Iuſtior, inquit, me eſt &c.* Ad verbum, *juſta eſt quam ego* צדקה ממני *tſadeka mimmenni*, juſta eſt præ me. Non pronunciat juſtam abſolutè quæ ſe adulterio, imo inceſtu polluerat, ſed per comparationem. Qua ratione qui juſtus eſt, improbus eſſe poteſt. Sed adhuc quæritur quomodo juſtior fuerit, an Judas id verè dixerit, vel ut peccatum ſuum exaggeraret? Certè longè gravius fuiſſe factum Thamaræ ex omnibus circumſtantiis liquet; verum tamen eſt aliqua ratione, quod Judas agnoſcit, quia huic malo occaſionem primus dederat, iniquè ſe gerens adverſus eam, ideo majus peccatum in ſe agnoſcit, quia & peccavit ipſe, & mulierculæ peccandi occaſionem dedit, quæ nunquam ad tam fœdas artes proceſſiſſet, ſi ſocer ſtando promiſſis, eam dediſſet Selæ, cui fuerat deſponſata. Id oſtendunt ita ſe habere verba ipſius Judæ, *quia non tradidi eam Selæ filio meo.* q. d. ſi tradidiſſem illam, nihil horum accidiſſet. Itaque à me eſt origo mali.

Ubi in Juda notatur ingenuitas, poſtquam culpa ejus apparuit; neque enim tergiverſatur, vel factum negat, nec amplius iniquus eſt in nurum. Itaque veræ pœnitentiæ exemplum exhibet, etſi enim nemo adſit, qui confeſſionem extorqueat, ſpontè tamen ad eam deſcendit, & maximam culpæ partem in ſe ſuſcipit, quæ digna laude eſt ingenuitas, & imitanda. Oſtendit etiam, ſe per ignorantiam peccaſſe cum nuru, quia *exinde non cognovit eam.* Unde colligendum, non fuiſſe

Bbbbb datam

datam Selæ, poſtquam jam ex patre obtinuerat, quod à filio ſperare potuerat; nec voluiſſe parentem, eam quam polluerat filio commiſceri. Hic autem obſervandum, Judam quidem culpam agnoſcere, ſed mitius jam agere, ubi videt ſe merito in criminis ſocietatē vocari. Itaque de pœna amplius verba non facit; nec etiā reperitur ullus qui exigat ſcelerum pœnam, ubi ceſſat, qui privatam vindictam ſuæ offenſæ perſequatur, hominibus ita in publicis ſegneſcentibus.

In partu Thamaræ hæc notanda acciderunt, quod gemellos in utero gerebat, quorum egreſſus difficilis fuit, quia unus manum protulit, antequam alter egrederetur. Id autem cum fieret præter ordinem naturæ, obſtetrix ligat manum filo coccineo, ut poſſet dignoſci, qui prior brachium protulerat; illo poſteà manum retrahente, egreſſus eſt alter, cui nomen inditum eſt Phares, id eſt, perruptor, à פרץ *pharats*, ruptura, quia perruperat ſecundinas, ſeu maceriem quæ jumellos diſtinguebat. Alter vocatus eſt *zara*, à verbo זרח *zarach*, quod *oriri* ſignificat, quia prior oriri, ſeu naſci debuerat. In hoc naſcentium conflictu, non dubitandum eſt partum fuiſſe difficilem, & non ſine gravibus doloribus enixam fuiſſe Thamaram, id ita diſpenſante Deo, ut tam Judæ, quam ipſi Thamaræ, ſubiret facti ſui turpitudo & conſcientia, & hac caſtigatione magis ac magis accenderentur ad agnitionem peccati, nec ita lætarentur nova ſobole, quin gaudium eorum metu & triſtitia miſceretur. Ita tamen id à Deo diſpenſatum fuit, ut uterque filius egreſſus ſit integer, & mater tandem liberata, ut agnoſcamus miſericordiam divinam, etiā cum caſtigat. Conflictus autem ille fratrum, haud diſſimilis ei qui inter gemellos Rebecæ interceſſit, non fuit ſine myſterio, nec ſine miraculo accidit, quod qui manum emiſerat, eam retraxerit, & quaſi ceſſerit fratri, quem Deus deſtinaverat caput familiæ, ex quo Chriſtus naſci debuit. Quæ cauſa eſt, ut initio diximus, cur hanc hiſtoriam inſeruerit Moſes, ut ſuo tempore, prodiens Meſſias ex ſtirpe peccatorum, quam merito Paulus appellat *carnem peccati*, id eſt, peccatricem, doceret nos hac ſua exinanitione, *Certum eſſe hunc ſermonem, & omni acceptatione dignum, quod Chriſtus venit in mundum, ut peccatores ſalvos faceret*, 1. Tim. 1. ℣. 15.

Ex hoc igitur loco deſumenda eſt ratio, cur Evangeliſta Matth. cap. 1. ℣. 3. notaverit, Judam ex Thamar genuiſſe Pharéz & Zara, & à priore poſteà deduxit Chriſti genealogiam. Ubi obſervarunt etiam veteres interpretes, in Chriſti genealogia, excepta ſanctiſſima ejus matre, quæ neceſſario fuit nominanda, nullam ſanctarum mulierum mentionem factam fuiſſe, ſed earum ſolùm quas ſcriptura notavit & reprehendit ob aliquem actum inverecundum, quales fuerunt Thamar, Raab, & Barſebah; cujus rei cauſam fuiſſe voluerunt, ut appareret Chriſtum, qui peccatorum cauſa veniebat, non dedignatum fuiſſe de peccatoribus naſci. Addo etiam, id factum fuiſſe quia cæteræ mulieres & Judeæ & legitimæ uxores fuerunt, de quibus nulla erat dubitandi cauſa; filios quos Evangeliſta enumerabat verè patres habuiſſe eos qui ipſis aſſignabantur. Dubitari autem potuiſſet de aliis, an ex talibus concepiſſent, cum alioqui non eſſent boni nominis. Ideò voluiſſe Sp. Sanctum omne dubium tollere, & ſignificare tales fuiſſe verè filios parentum à quibus dicebantur orti, etſi ex talibus matribus, quæ alioqui, ſine teſtimonii divini aſſertione, ob ſuſpectam pudicitiam, dubium aliquod injicere potuiſſent. Ne quis ergo diceret Thamaram, quæ ita ſe ſocero ſuppoſuit, fortaſſe paulo antè cum alio fuiſſe mixtam, & dubium eſſe an verè filii illius eſſent ex ſemine Judæ, quæ dubitatio myſterium illud turbaſſet, quia promiſſio facta fuerat Abrahæ & ſemini ejus; notavit vetus ſcriptura, Thamaram concepiſſe ex Juda. Et Matth. genuiſſe Judam ex ea Pharéz & Zara. Itaque videmus nihil eſſe in talibus circumſtantiis otioſum, imo quod neceſſarium non ſit.

Hic, ad retundendam humanam ſuperbiam aptiſſimè adhibetur moralis hæc conſideratio, ſæpè magnarum familiarum, & quæ poſteà ad nobilitatem evehuntur, humilem non ſolum, ſed aliquando parum honeſtam poſſe dari originem. Ut enim ex inceſtu Judæ cum nuru, tot reges orti ſunt ex familia Judæ, ſic idem in aliis multis potuit accidere, & vix rex aliquis aut princeps reperietur, qui ſi majores ſuos à bis mille annis repetere poſſet, non inventurus eſſet multos ruſticos, opifices, vel etiam ſpurios, ſui generis autores. Multa proferri poſſunt exempla, eorum qui ex infima ſorte, ad regiam, aut regiæ proximam, dignitatem evecti ſunt. Jephte, ex latrone, factus eſt princeps & judex populi Dei. Saul, patris aſinas quærebat, quando à Samuele unctus fuit. David, ex paſtore ovium, factus eſt paſtor Iſraëlis. Arſaces latro, factus eſt Rex Parthorum. Darius Hiſtaſpis, Cyri fuit pharetrophorus. Agatocles Syracuſanus, patrem habuit figulum. Longum eſſet talia exempla recenſere, quæ penè ſunt innumera. Sed quia Judæorum gens præ cæteris ſuos majores jactabat, & de ſua nobilitate gloriabatur, opus fuit ut ſubinde talia quæ in præcipuis eorum familiis acciderant notarentur, ut ſcirent non tales fuiſſe majores ſuos quibus nihil poſſet objici, ne Abrahamo quidem excepto ſi ejus initiorum habeatur ratio. Huc referri debet argumentum Satyræ VIII. apud Juvenalem, maximè quod ſub finem Romanæ juventuti conſiderandum proponit.

Et tamen, ut longè repetas, longeque revolvas
Nomen; ab infami gentem deducis aſylo.
Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

id eſt, pejus aliquid, nam qui ad illud aſylum Romuli confugerunt, plurimi fuerunt ſicarii, homicidæ, ſpurii, &c.

AD CA-

AD CAPVT XXXIX.

EXERCITATIO CLIV.

Tranſitio ad hiſtoriam Ioſephi, cujus caſtitatis exemplum ſubjungitur præcedentibus narrationibus impudicorum actuum. Herus Ioſephi, præfectus ſatellitum. *In ejus ædibus quomodo verſatus fuerit vir ſanctus. Deum cum illo fuiſſe. Cujus præſentiæ debuit quicquid proſpere ei accidit.* Eſſe in domo domini ſui, *indicare præfecturam. Quomodo herus infidelis viderit*, Jehovam eſſe cum eo. Nihil cognoſcere præter panem quo quis veſcitur, *quomodo intelligendum*: Pulcher aſpectu *quid? Elegans Ioſephi deſcriptio ex Theodoreto. De anno ætatis ejus quando in carcerem fuit detruſus. Tentatio ejus. Heræ impotentia & impudicitas. Cum oculis paciſcendum. Satan à dextris & ſiniſtris adoritur. Diſſimilitudo inter exempla caſtitatis aliquot Ethnicorum, & Ioſephi. Argumenta quibus heram avocare conatur. Quorum præcipuum, à Dei timore. Ejus in reſiſtendo conſtantia.*

SI capite proximè præcedenti exhibita nobis fuerint exempla judiciorum divinorum adverſus impuros homines, & infirmitatis humanæ in ſancta Jacobi familia indicia. alia nobis hoc capite proponitur hiſtoria, rarumque exhibetur caſtitatis & inviolatæ pudicitiæ exemplum in viro juvene; & quid in piis valeat reverentia Dei, quem ubique præſentem norunt oſtenditur. Si ergo ſuperiorum cogitatio, in nonnullis moleſta fuit, quamvis neceſſaria, ut diximus; quæ ſequuntur, penitius inſpecta, tædium omne ſunt ablatura, nec in multis etiam nos difficilibus quæſtionibus enodandis detinebunt; eſt enim facilis hiſtoria per ſe, in qua omnia ſunt aperta & obvia. Ideo paucis eam percurremus.

Continet hoc caput Joſephi in ſervitute verſantis duas conditiones. Primam quidem proſperam & lætã, ex Dei benedictione, qua ei conciliaverat gratiam apud herum ſuum. Alteram adverſam, qua per calumniam excidit gratia domini ſui, & carceri mancipatus eſt, ita ut tamen immiſcuerit poſteà Deus aliquod ſolatium, ut etiam in ipſo carcere aliis præficeretur. In quibus omnibus invigilabat Dei providentia, & gradus ei parabat, quibus ab infima ſorte, ad excelſam & ſublimem eveheretur.

Vir ſanctus, in ſervitutem redactus, etſi liber natus, & ex familia benedicta, patientiſſimo animo fert ſortem ſuam, & Deum etiam in Ægypto ſentit ſibi propitium, dum munia ſervilia obit fideliter & diligenter apud Putipharem, cui venditus fuerat à Madianitis, ut ſub finem cap. 37. vidimus. Ubi etiam notavimus virum iſtum non fuiſſe *Eunuchum* propriè, ſed ratione muneris & officii, quia Regi ſuo inſerviebat in miniſteriis quibus olim *Eunuchi* ſolebant adhiberi, ob intimã admiſſionem; unde poſtea dicti fuerunt *Eunuchi* qui in regum familiis præficiebantur officiis aulæ ordinariis. Hic autem fuit ſatellitum regiorum præfectus, penes quem ſumma erat rerum capitalium.

In viri iſtius ædibus verſanti Joſepho, inſigne exemplum præſentiæ ſuæ apud pios in miſeriis conſtitutos exhibuit Deus. *Erat enim Deus cum illo, & fuit vir proſperè agens.* Hic habemus cauſam, & effectum. Cauſa fuit præſentia Dei benigna, qua Joſepho omni humano ſubſidio orbato adfuit, eique ſe parentem præbuit, quem permiſerat à parente alienari. Effectus fuit proſperitas, in omnibus quæ ſuſcipiebat, quæ non adſcribitur induſtriæ Joſephi, ſed Dei benedictioni, ſine qua inani cõtentione laboraret homo, & ſe fruſtra fatigaret, ut de Siſypho ſaxum volvente fabulantur poëtæ; aut de doliis Danaidum. Itaque à Deo petendi ſunt fœlices ſucceſſus, & ſalutares laborum eventus, qui ſi ſuppetant, gloria tribuenda eſt ei, de quo Pſal. 27. ℣. 10. *Pater & mater dereliquerunt me: Dominus autẽ ſuſcepit me.* Cum autem ſuſcipitur aliquis à Deo, *quicquid faciet proſperabitur.* Pſal. 1. ℣. 3.

Talis fuit conditio prima Joſephi, quæ per gradus creviſſe videtur, cum herus ejus experiretur in dies, quam fidelis eſſet & induſtrius ſervus. 1. enim notat Moſes, *fuiſſe in domo domini ſui.* verſ. 2. ויהי בבית ארניו *& fuit in domo domini ſui.* Pagninus & vulgata, *habitabat.* Exiſtimo retinendam eſſe ſignificationem verbi היה *hajah*, fuit. Sed quia id poterat ſatis intelligi ex præcedentibus, videndum eſt ad quid hoc notatum fuerit. Tremel. & Jun. particulam conjunctivam, in adverbium transformant, *dum fuit in domo heri ſui*, ut tempus indicetur, quo proſperè ei omnia ceſſerunt; oſtendaturque, nullam fuiſſe ſtatus proſperi miniſterii ejus intermiſſionem; quæ interpretatio apta mihi videtur, ſi intelligamus phraſim illam, *eſſe in domo domini ſui*, non ſimplicem habitationem aut præſentiam, ſed etiam præfecturam aliquam & adminiſtrandi munus ſignificare. Probabile eſt initio, cum minus

nota eſſet ipſius induſtria, communiter fuiſſe habitum, aut pari, aut fortaſſe duriori conditione cum aliis ſuis conſervis. Sed cum videret herus ejus, *Dominum eſſe cum eo*, illum poſteà honeſtioribus adhibuit miniſteriis, quod ſignificatur his verbis, *Invenit gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei.* Fortè à cubiculis factus eſt, quicquid ſit, à communibus ſervitiis exemptus, delectus fuit ad ſingularia munia obeunda, quibus immediatè præſto eſſet domino ſuo.

Sed mirum videri poſſet quod dicitur, herum illum Ægyptium, vidiſſe, *Iehovam eſſe cum eo.* Cum enim eſſet homo infidelis, qui Jehovam non cognoſceret, quomodo id potuit noſſe? An quod à Joſepho didicerat, quis eſſet Deus quem coleret, & quem in neceſſitatibus ſuis invocaret? Fieri quidem potuiſſe non dubito, quin, præſertim poſtquam incœpiſſet apud eum valere gratia Joſephus, agnoverit coram hero ſuo, ſe à Jehova Deo patris ſui dirigi in ſuis laboribus. Nihilominus, vix credibile eſt, Putipharem in veri Dei cognitionem veniſſe, vel etiam ad eum tanquam autorem retuliſſe, quod tam frugi ſervum domi ſuæ haberet. Quid ergo, annon verum eſt quod hic dicitur, vidiſſe illum *quod Dominus eſſet cum Ioſepho?* Nihil verius, ſed id ita intelligendum eſt, quod id viderit in effectis, non quod veram cauſam agnoverit, niſi in genere & confusè. Sentiebat omnia ſua, in manibus & adminiſtratione Joſephi in dies augeri, & ex proſpero negotiorum ſucceſſu colligebat, fortunatum eſſe ſervum, eiq; adeſſe aliquod numen; nec poſſe tam continuum & extraordinarium ſucceſſum homini accidere, niſi propitio numine. Fuit enim hominibus à natura inditus aliquis divinitatis ſenſus, qui præcipuè ſe exerebat, ubi videbant aut ſentiebant extraordinariam aliquam divinæ benedictionis largitionem. Non igitur id aliqua revelatione ei fuit indicatum, ſed experientia magiſtra didicit, qui nihil tale in aliis ſervis videbat, neque ſuis, neque aliorum.

Hinc eſt, quod verſ. 4. dicitur, Putipharem, præfeciſſe eum domui ſuæ, & conſtituiſſe Oeconomum in tota familia, ita ut curam ſuſciperet omnium quæ poſſidebat herus, tam domi, quam in agro. Quam præfecturam, ut abſolutiſſimam fuiſſe oſtendat Moſes, dicit ℣. 6. *Nec quicquam aliud noverat, niſi panem quo veſcebatur.* Quæ loquendi forma adagialis eſt, ſi benè intelligatur. In verſione nulla eſt difficultas, quia omnes conſentiunt. Sed in ſenſu non omnes conveniunt. Cum enim in præcedentibus de Putiphare & de Joſepho actum fuerit, dubitatur ad quem referri debeat relativum pronomen הוא *ipſe*, cum dicitur, *nihil noverat, præter panem quo ipſe veſcebatur.* Sunt enim qui ad Joſephum referunt, quod nihil ex tam locuplete ſubſtantia ſibi à domino ſuo concredita, vendicaret ſibi, præter neceſſariam vitæ annonam; quaſi diceretur, nihil pro tantis & tam proſperis laboribus referebat, niſi quod victitaret, nihilque in privatos ſuos uſus converteret. Et hæc quidem ad fidelitatem Joſephi & frugalitatem laudandam pertinerent. Sed de eo dici non poſſet, *quod nihil noverat præter panem quo veſcebatur:* quia nihil erat in heri ſui domo, quod noſſe non debuerit, cum omnium cura ei eſſet demandata. Quod ſi *noſſe* accipiant, pro, *ad uſus ſuos convertere*, vellem ut afferrent talis acceptionis exemplum, quod ſcio fieri non poſſe. Certum eſt igitur, relativū de ipſo hero eſſe intelligendum, qui ita in omnibus ſuis rebus tam domi quam foris in agro, Joſephi induſtriæ & fidelitati deferebat, ut de nulla alia re ſollicitus eſſet, quam ut cibum paratum, in tempore ſumeret; quod Gallicè dicere ſolemus, *il n'avoit qu'à ſe mettre à table*, ou, *il ne ſe ſoucioit, que de faire bonne cheres*, de eo qui ſecurè vivit, omnibus negotiis ſolutus; id eſt, hoc tantum habet negotii, ut aſſideat menſæ, & cibum ſumat. quaſi diceret, de nulla alia re fuit ſollicitus, ſed omnium ſecurus erat. Firmat hanc interpretationem, quod de cuſtode carceris legimus poſteà, verſ. 23. *Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis*; id eſt, nullam repoſcebat rationem ab eo, eorum quæ ageret. Denotatur ergo his verbis, patrisfamilias, cuncta fidei diſpenſatoris committentis ſecuritas, nullam dati & accepti rationem exigentis. Hæc cum ita ſint, ſponte evaneſcunt Ebræorum nugæ, qui per *panem ejus*, uxorem intelligunt. Nec etiam rem acu tetigerunt, qui exiſtimarunt, ſollicitum fuiſſe tantum de cibo ſuo, quia cum omnia Joſepho concrediidiſſet, nolebat tamen eum curam gerere ciborum, quia Joſeph aliis cibis utebatur quam Ægyptii. Id enim verum non eſt, nam etſi ſimul non veſcerentur, communibus tamen cibis utrique utebantur. Vera eſt ſententia quam expoſui. Ita Deus Joſephum, per certos gradus evexit, & in ipſa ſervitute ei aliquod paravit dominium, ſaltem inſpectionem ſupra reliquos ſuos conſervos; conceſſa ei in cruce malorum mitigatione, ut quemadmodum medici pharmaca condiunt melle aut ſaccaro; ſic ærumnarum acerbitas, ſenſu aliquo ſeu guſtu ſuavitatis temperetur, donec ſuo tempore plenior contingat divinitus liberatio.

Deinceps duriorem experturus eſt ſortem ad tempus, quam deſcripturus Moſes, præmittit aliquid de Joſephi forma, cujus occaſione impudicæ mulieris exarſit concupiſcentia. Addit ergo, verſ. 6. *& fuit Ioſeph*, יפה תאר ויפה מראה, jepheh toar, vijpheh mareh; *pulcher forma, & pulcher aſpectu.* Rectè LXX καλὸς τῷ εἴδει καὶ ὡραῖος τῇ ὄψει. Vulgata, *pulchra facie.* Non malè obſervat Mariana, verba Ebraica ad totum corpus propriè referri, quaſi diceret, venuſto corporis habitu erat. Significatur ergo decens συμμετρία membrorum corporis, & ſtatura elegans, ac cutis bono colore prædita, qualis eſt ex candore & rubore mixtus. Quæ certè formæ dignitas, maximum eſt ornamentum; *Honeſta forma muta commendatio eſt*, ut ait Publius Syrus in mimis. Sed præſertim, ſi ad corporis dotes accedat concinnitas & modeſtia in omni geſtu, ſermone, &

actione,

actione, quæ teſtis eſt animi pulchritudinis. Tunc enim

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Lubet hic ex Theodoreti libro octavo de Providentia elegantem Joſephi deſcriptionem attexere. Ἦν γὰρ νέος, τῇ ἀκμῇ τῆς ἡλικίας κοσμούμενος, οἷόν τι ἄνθος τῶν καλύκων προκύψαν, τοὺς ἰούλους ἔχων ἐπὶ τὴν γένυν καθάπερ βαδίζοντας, καὶ στεφάνου δίκην παρειὰν ταινοῦντας, αἴγλην ὥρας ἀφιεὶς κοσμιότητι μεμιγμένην, ἐλευθερίᾳ κεκραμένην, αἰδῶ τοῖς μετώποις ἔχων ἐγκαθημένην, πειθὼ τοῖς χείλεσιν ἐφιζάνουσαν. id eſt, *Iuvenis enim erat ætatis vigore ſplendens, & ceu flos quiſpiam è calycibus ſeu folliculis primum prominens, cujus genas prima lanugo obrepens, & coronæ inſtar ambiens veſtiebat, & facies formæ decorem, ſplendore mixtum, ac ingenuitate temperatum emittens, pudorem fronti, ſuadelam labiis inſidentem geſtabat.* Hæc ille.

Subdit Moſes verſ. 7. ויהי אחר הדברים *vajjehi achar haddebharim*, ad verbũ, *& fuit poſt verba iſta.* Monuimus ſæpe, nomen דבר commune eſſe, rebus geſtis, & ſermonibus. Vertendum hoc loco, *poſt hæc geſta*, quod Gallicè dicimus, *apres ces choſes.* Verba enim nulla intercesſerant anteà, quorum Moſes mentionem fecerit. Vulgata habet, *poſt multos itaque dies.* LXX. ad verbum, μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα. Vulgatæ tranſlatio occaſionem dedit quærendi, quo tempore acciderit quod deinceps narratur, id eſt, quot annos ſervierit Joſeph in ædibus heri ſui, in illa gratia de qua antea, vel quo ſervitutis ſuę anno detruſus fuerit in carcerem. Hoc facile colligi poteſt, ſi id primum ponamus, anno ſuo trigeſimo fuiſſe admotum à Pharaone ad regni gubernacula, quod ex cap. 41. liquet. Deinde ſi conſideremus quod cap. 37. diximus, eum nondum attigiſſe annum ætatis decimum ſeptimum, quando venditus fuit. Si poſſimus colligere quamdiu fuit in carcere, res erit perſpicua. Certum eſt biennium fuiſſe poſt expoſita ſomnia ſervorum Pharaonis, quod ſi factum fuit non multo poſt quàm detruſus ipſe fuerat in carcerem poſt calumniam dominæ ſuæ, facile colligetur ſumma. Cum autem priuſquam ſomnia expoſuiſſet, apud cuſtodem carceris eſſet etiam in maxima gratia, ad eam conciliandam opus fuit aliquo tempore. Ponamus unum, aut ad ſummum duos annos; ſi ex triginta demamus quatuor, manebunt viginti ſex. Ergo videretur id accidiſſe quod jam narratur, nono ſervitutis ejus anno; cum annum ætatis ageret vigeſimum ſextum, aut circiter.

Sequitur tentatio Joſephi, quem hera illicito & inhoneſto amore accenſa, ad concubitum impudenter & pertinaciter ſollicitat; 1. geſtibus, impudicè conjectis in eum oculis; 2. verbis, inverecundè petendo, ut cum ea concumbat; & tandem 3. factis, ut ex verſ. 11. & 12. apparet, apprehenſa lacinia veſtimenti ejus. Nec id ſemel tãntum tentavit, ſed per ſingulos dies ei moleſta erat, verſ. 10. Qua de re ſic Theodoretus, ubi ſupra. *Poſtquam per aſpectus materiam, concupiſcentiæ flamma intrinſecus in altum excitata eſt, nec ratio ſcintillam ſtatim extinxit, ignem qui poſteà in immenſum excreverat, non amplius extinguere potuit. Tunc impudentiam conatus ſui ſociam aſſumens, juvenem verbis irretire tentavit; ubi autem quovis reti fortior fuit fera hæc, & fixam ſibi retium indaginem facilè tranſiit, ac ſermones quos non ſine obteſtationibus, meretricios, & voluptatum illecebris coloratos protulerat, irriti & inutiles abierunt, tunc verbis valere nuncians, ipſa re negotium experiri ſtudet.* Quibus verbis totam rei hiſtoriam paucis comprehendit, & multa poſteà, ad eam rem notatu digniſſima diſſerit, quæ in ipſo ſermone legi debent, quia prolixiora ſunt, quam hic à nobis referri poſſint, & talia nihilominus, quæ nemo leget ſine fructu maximo.

Hic in fœmineę iſtius attentato facinore concurrũt, 1. impotentia animi, qua ſit, ut illicito amore capta cupiditates ſuas frænare non poſſit. 2. Amentia, quia timor Dei planè excuſſus fuit, & pudoris ratio omnis neglecta. 3. Audacia, qua flagitioſè committere voluit, quod turpiter deſideraverat. Origo mali fuit *concupiſcentia oculorum*, quam appellat Apoſtolus Joannes 1 Joan. 2. 16. cum enim petulantius oculos in Joſephum conjeciſſet, quaſi facibus quibuſdam, inflammavit cordis ſui libidinem. Nam ſenſus externi animum citò inficiunt pravis cupiditatibus, ac in primis oculorum, ad flammas illiciti amoris concipiendas proclivis eſt ſenſus; unde illud,

Vt vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Ex quo deducitur moralis doctrina, magnam circumſpectionem fœminis eſſe adhibendam, ut oculis moderari ſtudeant, ne januas aperiant Satanæ, ad intimos cordis affectus. Quæ doctrina etiam ad viros & adoleſcentes pertinet, quibus maximè Satan inſidiatur.

Hic Joſepho graviſſima tentatio objecta fuit, quæ eo periculoſior fuit, quod alterius generis eſſet, ab iis cum quibus antea fuerat conflictatus. Anteà enim Diabolus eum adortus erat à ſiniſtris, eique mille pericula creaverat, quibus vitæ ipſius erat inſidiatus, & tandem libertati, oppugnans eum variis animi moleſtiis, ad impatientiam, & faſtidium, propter exilium & ſervitutem incitans. Nunc aliam inſiſtit viam, eumque à dextris adoritur, ut illecebris voluptatum eum illaqueet. Nec certè periculoſior tentatio eſſe potuit, quæ obtemperanti pollicebatur non ſolum voluptatem, ſed plura commoda ab ea quam ſciebat apud maritum valere gratia, quæ ut bene facere poterat, ſic in periculum adducere. Erat prætereà in regione, in qua peſſima exempla poterant meliorem indolem corrumpere, præſertim in ea ætate, quæ ad voluptates pronior eſt. Quæ omnia Satan aſtutus ille hoſtis, & nunquam ceſſans ſibi propoſuerat, ut quem ad impatientiam & deſperationem adigere non potuerat, ad impudicitiam & illicitas voluptates pertraheret. Ubi, quo major eſt ejus aſtutia, & occaſiones periculo pleniores, major elucet Dei virtus, in ſuorum infirmitate de fortiſſimo hoſte triumphantis.

Exhibet ergo in ſuo Joſepho ſingulare continentiæ exemplar, quod eo laudabilius eſt, quod rationibus firmiſſimis, non vanæ hominum gloriæ cauſa, adductus fuit ad contemptum, imo deteſtationem oblatæ voluptatis. Hoc notamus, quia reperiuntur aliquando apud Ethnicos exempla quædam continentiæ, qualia referuntur à Valerio maximo, lib.4. cap. 3. ſed neque originem habuerunt in illis ab eo principio quo motus fuit Joſeph, nec etiam tales fuerunt circumſtantiæ, aut ſollicitationis, aut minarum & injecti metûs. Pepercerunt quidam pudicitiæ mulierum captivarum, lachrymis earum victi, & gloriæ cupiditate adducti. Sed vix reperiuntur inter eos, qui ut caſtitatem ſervarent, vel libertatem rejecerint, vel in vitæ periculum ſe abduci ſiverint. Id etiam ſi aliquo exemplo oſtendi poſſet, diſſimilis tamen eſſet cauſa, quæ maximè continentiam commendat.

Hic Joſeph, primum renuiſſe, aut recuſaſſe dicitur, illicitam heræ poſtulationem, *non rationem ſervitutis habuit*, ait adhuc Theod. *nec Dominæ imperium metuit, nec periculi tempeſtate quam impendere videbat, permotus ut habenas flammis inordinatis laxaret: ſed honeſtum propoſitum ſervituti, & pravæ inclinationi, & ætati ad exardeſcendum facili, & blandiloquentiæ, & promiſſionum magnitudini, &c. magna firmitate, & quadam excelſa conſtantia oppoſuit.* Quinimo perſonam ſervi exuens, conſiliarii & doctoris fungitur officio, patrocinium ſuſcipit caſtitatis, & illicitam libidinem graviſſima oratione accuſat, natu grandiorem juvenis ſui officii monet; Dominam ſervus docet, & eam quæ in matrimonio vivens remedio contra libidinem conceſſo uti poterat, cœlebs, & infirmitatis communis planè non expers, de continentia commonefacit.

Ad id autem tria adhibet argumenta, à verſ.8. ad 11. Primum, etſi obliquè, fidem conjugalem impudicæ mulieri commemorat. Cum enim dicit herum ſibi omnia tradidiſſe, *præter ipſam quæ uxor ejus eſt*, eam officii ſui admonet dum ſui ipſius agnoſcit. Uxoris nomen, & exceptio ejuſdem ab aliis omnibus ſibi commiſſis, ad fidem marito datam eam revocat, qui etſi facultates ſuas omnes tradere in alienam manum potuerit, non potuit tamen, nec voluit, alienæ poteſtati & libidini uxorem ſuam permittere, nec illa per conſequens alteri poteſtatem ſui corporis facere.

Secundum argumentum petit à fide ſervi in dominum, præſertim benè merentem, quam violare nefas ſit. Itaque explicando officium ſuum, amplificat obligationem à clemētia & benignitate domini ſui; oſtenditque ſe non ſolum infidum fore, ſi obtemperet dominæ ſuæ, ſed etiam ingrati animi vitium incurſurum, cum habeat herum in ſe tam propenſum. Enumerat, ut rectè hic notat Chryſoſtomus, beneficia domini ſui, ut oſtendat quantam ipſe gratitudinem & reverentiam erga dominum & conjugem ejus habere debeat. Agnoſcit ergo maximum eſſe flagitium, bene merenti ingratum ſe præbere, & benè de ſe ſperanti perfidum eſſe; boni item & ingenui animi eſſe, ut tanto minus fallere audeat, quo plus ei à bonis habetur fidei.

Sed argumentum præcipuum, quod aliorum omnium eſt fundamentum eiſque robur & vires in cordibus hominum adhibet, his verbis continetur, *quomodo ego poſſum hoc malum facere & peccare in Deum?* ubi ſimpliciter non dicit malum facere, ſed cum emphaſi הרעה *haraa*, quaſi diceret *magnum hoc malum*, hanc enim habet vim ה emphaticum, in lingua ſancta. Opponit autem *timorem Dei*, virtutum omnium cuſtodē, *quomodo*, inquit, *peccarem in Deum?* id eſt, ut tibi obtemperarem. Hic regulam illam habet in mente, *obediendum Deo, potius quam hominibus.* Deum ergo præſentem ubique ſibi proponebat, actionum omnium noſtrarum teſtem, malarum vindicem, quem cum diligeret ut patrem, timeret ut ultorem, hoc timore inſtructus, animū à peccatorum concupiſcentia tanquam fræno quodam repreſſit.

Commendat autem invictam Joſephi conſtantiam, quod non ſemel ac iterum, moleſta fuit ei mulier, *ſed per ſingulos dies* eum interpellabat יום יום *jom jom*, die die, id eſt, ſingulis diebus; quibus verbis tentationis aſſiduitas intelligitur, quæ ideo gravior fuit & difficilior. Arbor procera non uno ictu concidit, ſed pluribus petita tandem cadit; etiam duriſſima ſaxa minutiſſimis guttis paulatim ſed aſſiduè decidentibus, excavantur; quanto majus periculum eſt ne homo, aſſiduitate tentationum vincatur paulatim, *cujus vis lapidea non eſt, nec caro ejus chalybea*, Job. 5. verſ. 12. Itaque ad id opus fuit viribus pluſquam humanis, & repetendum, quod initio dictum fuit de Joſepho, *Fuitque Dominus cum eo*; Niſi enim ſpeciali gratia Deus ei adſtitiſſet, tentationis tam gravis, importunæ, & aſſiduæ vim ſuperare non potuiſſet. At gratia divina aſſiſtente & in nobis operante, nulla tentatio eſt inſuperabilis. *Omnia poſſum in eo qui me corroborat*, dicebat Apoſtol. Philip.4.℣.13.

EXER-

Exercitatio CLV.

Vis illata Ioſepho, & ſanctè repulſa. Ioſephi hiſtorici licentia nimia. Peccatorum occaſiones fugiendæ. Fabula de Vlyſſe. Comparantur ſimiles hiſtoriæ ex gentilibus, de iis qui ob caſtitatem in periculum vitæ fuerunt adducti. Occaſio veſtis dimiſſæ accuſationi prætextum offert. Verſutia muliebris. Calumnia, honeſti & probabilitatis ſpecie obvelata. Illudere mulieri. *Excandeſcentia Putipharis excuſabilis. Sed culpa fuit in eo quod poſteà non dedit innocentis defenſioni locum. Servi fidelis quam pretioſa poſſeſſio. Non præcipitanda judicia. Carcer vinctorum Regis. Quam duriter initio habitus Ioſeph, Davidis teſtimonio probatur. Quam fragilis ſit mundi gratia.* Miſericordia *Ioſepho* data, *refertur ad Deum. Afflictiones piorum non ſunt divinæ deſertionis teſtes.* Verbum Domini *pro Deo, cur ſæpè uſurpet Chald. Paraphr. In carcere liber Ioſephus, proinde tandem compedibus ſolutus. Quomodo id facere auſus ſit cuſtos carceris, ſub poteſtate Potipharis conſtitutus? Gradus evectionis Ioſephi.*

Sequitur jam vis illata & repulſa, & poſt eam intentata calumnia, à verſ.11. uſque ad 19. Joſephus Antiquitatum lib.1. pluribus hanc hiſtoriam perſequitur, fingitque illam, inſtante publico feſto, cujus celebritatem à fœminis frequentari mos erat, captaſſe ſolitudinem prætextu morbi, & multa verba refert blanditiarum & minarum, quibus Joſephum conata eſt ad ſtuprum pertrahere. Et quidem probabile eſt pluribus egiſſe, ſed cum ſcriptura paucis attigerit ſcopum ejus præcipuum, & verbis ſatis efficacibus rei circumſtantias notaverit, non probo in hiſtorico tantam vaticinandi licentiam. Dixerat Moſes verſ.10. Joſephum *non audiviſſe eam*, id eſt, non obediviſſe, *ut concumberet cum ea*: addit etiam להיות עמה *lijoth ima*, id eſt; *ut eſſet cum ea*; quod ita interpretor, quaſi diceret, non concubuit cum ea ut petebat, ſed etiam ab omni ejus conſortio abſtinuit, ne cum ea verſaretur, præſentiam ejus, quantum potuit, declinans. Ut enim poſteriora verba ſint præcedentium exegetica, idemque ſignificent, quod nonnullis placet, non videtur convenire, quia quod aperte dicitur, obſcurius poſteà enunciaretur. Hoc igitur vult, cum animadvertiſſet, protervam mulierem monitis ſuis non moveri, noluiſſe poſteà tantiſper conſiſtere & colloqui cum ea, ſed omnes occaſiones evitaſſe quibus potuiſſet illum adoriri, ſemotis arbitris. Noverat vir ſanctus fugiendas eſſe peccatorum occaſiones, quales ſunt cõverſatio familiaris, ſermones, receſſus, & opportunitates locorum & temporum, &c. Sic juvenem præmunit Sapiens, adverſus fallacias mulieris impudicæ, Proverb.7. ℣. 25. *Ne declinato ad vias illius animus tuus, ne aberrato in ſemitas illius.* Id fabuloſa antiquitas in Ulyſſe & ſociis expreſſit, cum finxit Ulyſſem, ut Sirenum cantus pernicioſos, quibus voluptates intelligebant, evitaret, juſſiſſe ſociis ſuis aures obturari, ſe verò malo navis alligari, poſtquam interminatus eſſet, ne quis eum, quanquam rogatus, ſolveret.

Difficile eſt omnes inſidias mulieris impudicæ ita vitare, ut tollatur ei omnis occaſio, *Modo foris, modo in plateis, aut prope angulum inſidiatur.* Proverb.7.℣.12. Itaque, etſi Joſephus adhiberet omnem diligentiam, ne illa poſſet eum adoriri ſemotis arbitris, vix fieri poterat, ut homo ſervus, cui tot negotia in herili domo commiſſa erant, matrisfamilias præſentiam prorſus vitaret. Itaque accidit *quodam die*, Ebr. כהיום.הזה *behajom hazzeh*, ſecundum diem hanc. Feſtum diem non fuiſſe quod voluit Joſephus, ex eo videtur colligi poſſe, quod Joſeph domum ingreſſus eſt, ad opus faciendum. Vulgata, *& operis aliquid abſque arbitris faceret*, quaſi Joſeph ipſe ad aliquod opus ſeceſſum quæſiviſſet. Id non indicat Ebraicus textus. Hoc tantùm, cum venit ad faciendum opus ſuum, *nullum ex viris domûs tunc in domo fuiſſe*; quod notatur, non quaſi hoc quæſiiſſet Joſeph; ſed ut oſtenderet, mulierem ad omnes occaſiones intentam, hac oblata fuiſſe abuſam, ut quavis ratione Joſephum perderet, ſeu blanditiis eum ad peccatum pelliciendo; ſeu vindictam ſuam adverſus recuſantem exercendo.

Apprehenſa igitur lacinia veſtimenti ejus, vim ei intulit, quantum quidem potuit, & verbis iterum impudenter non tantum ſollicitat, ſed etiam imperat. *Dormi mecum.* At ille perſeverans in averſione peccati, relicto pallio, aufugit, & foras egreditur; in qua actione, ad virtutis illius cumulum ſervum ſuum ſpiritus ſanctus perduxit. Cum enim oblata ei eſſet ſolitudinis opportunitas, adhiberetur vis, intenderentur minæ, & non ſolum vita, ſed cum vita fama, in periculo verſaretur, omnia ſubire diſcrimina potius elegit, quam ut Deum offenderet. *An ambulaturus eſſet quiſpiam ſuper prunas, & pedes ejus non cremarentur?* Proverb.6.℣.28. Id aliquo modo accidit Joſepho, quia in prunas illas ſponte non inciderat, ideò liber evaſit, ſervata caſtitate mentis & corporis.

Duo aut tria exempla ſimilis conſtantiæ celebrantur apud

apud Ethnicos, ut Pelei abſtinentis à Cretheide Acaſti, regis Magnetum uxore, à qua importunè ſollicitabatur, quæ cum id obtinere non potuiſſet, quia jus hoſpitii, temerata hoſpitis uxore, violare nolebat Peleus, accuſavit eum oblati ſtupri, ut habetur apud Pindarum Nemeor. Ode 5. Nota eſt etiam ſors Hippolyti à noverca accuſati, de quo extat Tragœdia apud Senecam. Item quod de Bellerophonte ſcribit Homerus Iliad. 7. abſtinente ab Anthæa Prethi uxore, à qua tamen ad maritum delatus eſt, ut qui vim ipſi inferre voluiſſet; & caſtitatem ejus violare. Sed hæc, ut alia multa, à Poëtis potuerunt eſſe ficta, potius ut oſtenderent quid fieri debuerit, quam quid factum fuerit. Quod ſi verè acciderint, nec enim virtutum moralium apud ipſos Ethnicos deſunt exempla; conſiderandum eſt, neque finales cauſas neque formales in talibus exemplis eaſdem fuiſſe, ut ſupra obiter monuimus. Neque enim caſtitatem Joſephi ſervavit, ſola rationis humanæ conſideratio, quæ in talibus aliquid potuit: ſed lux divina in ejus mente accenſa, & vera in Deum fides; ita ut Ethnicorum actiones virtutum, ad caſtitatem Joſephi comparatæ, ſimulachra potius fuerint virtutum, quam veræ virtutes: laudabiles tamen in hominum converſatione, ad quam fovendam & conſervandam utiles fuerunt; Etſi quatenus Dei gloriam non ſpectarunt, apud Deum juſtitiæ laudem obtinere non poſſint.

Occaſione veſtis dimiſſæ, impudica mulier, iram atque animos ex crimine ſumens, vocatis domeſticis, conqueritur de innocente Joſepho, & abutitur pallii relicti prætextu, ut in eum conjiciat culpam, cujus ipſa rea erat; & dolos excogitans, accuſationem ſuam rei ignaris veriſimilem reddit, mentione clamoris ſui, fugæ Joſephi, conditionis ejus & generis, quod Ebræus, quod ſervus, quod genus hominum tanquam injuriæ valdè oportunum noverat: Itaque nunc laſcivum amorem quo eum deperibat, convertit in furorem, & odium infenſiſſimum; ut non immerito exclamaverit Seneca,

O quàm cruentus fœminas ſtimulat dolor!

Ubi verſutiæ muliebris inſigne habemus exemplum, cum in tempore, fraudem peſſimam excogitat, Joſephum prævenit, quem prior nequitiæ inſimulat, & prævenit, cum apud domeſticos, tum apud maritum. In hac muliere ut mundi ingenium adverſus pios ſe patefacit; ſic piorum ſors & conditio, dum in mundo verſantur, in Ioſepho apparet. Mundus inſidioſis tentationibus pios allicit; qui ſi in ſancto propoſito maneant deſpectis illecebris; tum inſtigat ſuos mundi princeps ad capitales accuſationes; qui ſuis calumniis honeſti & probabilitatis ſpeciem prætexunt, ut mulier iſta, arrepta veſte Joſephi. ſic iſti in opprimendis piis oſtentant pallia, ne eos videantur ad ſupplicium poſtulare, ſine aliqua cauſa. Talia exempla noſtrum hoc ſeculum innumera plenè ſubminiſtrat ubique; quibus quæ piis intentantur crimina, tanta arte, & conquiſitis probabilibus objectionibus, obtruduntur; ut etiam quandoque minus malis imponant, qui imprudentes de ſuis fratribus minus ſincerè judicant, & eorum perſequutores abſolvunt, aut ſaltem excuſant. Non itaque mundo fides eſt adhibenda, oſtentanti pallium Joſephi, quod non abjecit ex facinoris conſcientia, ut liberius aufugeret; ſed ne detineretur, in perniciem animæ ſuę, ſaltem ne foveret ſpem turpiter concupiſcentis mulierculæ.

Ut magis exacerbet maritum, culpam in eum oblique conjicit. Nam apud domeſticos 1. ſic conqueritur, En *introduxit virum Ebræum, ut illuderet nobis*, etſi enim maritum non nominet, ſatis tamen intelligitur, quem voluerit perſtringere; quia poſteà verſ. 17. *Ingreſſus eſt ad me*, inquit, *ſervus Ebræus, quem adduxiſti:* quaſi diceret, malè conſuluiſti honori domus tuæ, quod ex illa gente comparaveris ſervum, & in domum tuam adduxeris. Quæ ſine ſtomacho non dicuntur, ſaltem dici finguntur, ut hac hypocritica expoſtulatione, maritum deluderet, & perſuaderet ei, ſe uxorem habere cui pudicitia maximè eſſet cordi. Quod autem bis repetit, adductum fuiſſe Ebræum à marito, לצחק בי *litſchak bi*, ad illudendum ſibi; non putarem ita accipi debere, quaſi vellet maritum hunc ſibi propoſuiſſe finem, ſed tantum hoc dixiſſe ratione eventus, quia eum accuſabat illatæ injuriæ, ut ſenſus ſit, *ſervum Ebræum adduxiſti*, nempe imprudens, qui mihi illuderet. Verba autem illa *ad illudendum mihi*, ad venerea referendum eſſe, ex præced. & conſequentibus conſtat; ſtuprum itaque honeſtis verbis circumſcribitur. Et quidem alio ſenſu deluſit & fefellit ſpem ejus & deſiderium Joſephus, ſed nihil illa minus intendebat, quam de ea re conqueri. Hoc prætereà animadvertendum, *adductionis* nomine intelligere voluiſſe, non ſimplicem ſervi Ebræi introductionem, ſed etiam poteſtatem quam Joſepho conceſſerat, & autoritatem qua pollebat in domo, quod ad invidiam etiam marito conciliandam, coram aliis domeſticis objicit, ut eos ſibi lucretur, & trahat ad ſuæ cauſæ patrocinium, objecta etiam marito imprudentia, qui exterum hominem ad eam evexerat dignitatem, qua abuſus fuerat, euſque, ut heri ſui thalamum polluere attentaſſet.

Poſt tam atrocem accuſationem, exiſtimo aliqua excuſatione dignum fuiſſe Potipharum, *quod valdè excanduit.* Rei enim indignitas, & perſonæ conditio, potuit vel patientiſſimum virum commovere. Nec ita primi illi motus cohiberi poſſunt, vel in prudentiſſimis, maximè in cauſa zelotypiæ; ut etiam mirum ſit, virum militarem, in tali poteſtate conſtitutum, qui nullo Dei timore tenebatur, in iræ ſuæ æſtu, Joſephum non confodiſſe gladio. Et certè non dubitandum à Deo fuiſſe cohibitum, ita ut poteſtas ei conceſſa non fuerit in vitam ſancti viri. Moderatur enim Dei providentia habenas, & frænat hominum iracundiam, nec patitur, ut tranſgrediantur homines furioſi præſcriptos ſuis exceſſibus limites. Quod dixi, aliqua excuſatione dignum fuiſſe, ita eſt intelligendum, ut non abſolvatur tamen

in eo à peccato; neque enim ii ſumus, qui motus illos primos, quos dicunt in hominis poteſtate non eſſe, à reatu abſolvamus: ſpectanda eſt enim ſemper ſcaturigo, ex qua tales rivi deducuntur. Sed hoc volui, humanitus id excuſari poſſe, quia vix reperiuntur, qui talibus motibus non ſint obnoxii. Probabilis præterea color erat; & omnia callidè excogitata ad exacerbandum hominis animum.

Sed excuſari non poteſt, etiam apud homines prudentes, quod paulo poſt diligentius rem non examinaverit, & qui Joſephi ſedulitatem, fidelitatem & modeſtiam, decennio ferè toto expertus erat, debuit hominem audire, & rationes ejus expendere, non autem indicta cauſa in carcerem detrudere. Non dubium eſt, etſi Moſes brevitatis gratia id non referat, Joſephum ſupplicem factum fuiſſe hero ſuo, & de fama ſua, potius quam de vita ſollicitum purgare ſe voluiſſe à tam fœdæ maculæ ſuſpicione, ſed rejectum fuiſſe ab eo qui initio uxoris ſuæ mendaciis plus fidei adhibuit, quam excuſationibus Joſephi. Itaque ingrati animi vitio laboravit, erga ſervum benemeritum, & prudentia illa deſtitutus fuit, quam commendat dominis Dionyſius Cato,

Nil temerè uxori de ſervis crede querenti,
Sæpè etenim mulier, quem conjux diligit, odit.

Itaque ratione facti illius, quo ad carcerem damnavit innocentem, non immerito vulgata editio carpit eum, quod *nimis credulus fuerit verbis conjugis.* quæ etſi in textu non habeantur, poſſunt tamen ex eo deduci. Facilitatis autem & credulitatis ſuæ hanc mercedem juſtam retulit, quod uxoris loco ſcortum honorificè retinuit domi, & ſe orbavit inſigni Dei dono, ſervo nempe fideli, quo merito agnoſcit Menander, poſſeſſionem nullam eſſe meliorem. εὐνοῦντος οἰκέτου οὐκ ἔστιν οὐδὲν κάλλιον. Hoc autem exemplo monentur qui aliis præſunt & jus dicunt, ne iram ſuam conſulant, & præcipites ferantur ad judicia, ſed in omni controverſia hoc ſibi Phocylidis proponant, μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Inauditum Joſephum Potiphar accepit, aut *apprehendit* ויתנהו אל בית הסהר *vajjittnehu el beth haſſohar,* deditque eum ad domum carceris; Vulgata ſimpliciter *tradidit in carcerem*, ubi vincti regis אסורים *aſurim*, ligati. *Sahar* ad verbum, *rotunditatem* ſignificat, quod nomen proprium carceris fuiſſe cenſet Mercerus. Alii fornicatum ſive teſtitudineum fuiſſe carcerem volunt. Quid ſi rotundam turrem fuiſſe dicamus, in qua detinerentur vincti regis, id eſt, qui ad regiam domum pertinebant? Quo in ſtatu fuerit initio in illo carcere, Moſes non recitat; niſi quod dicit ibi poſitos fuiſſe *vinctos.* Itaque videtur ex eo collegiſſe Pſaltes, quod ſcribit Pſal. 105. ỳ. 18. *Cujus pedem afflixerunt compede, ferrum ſubivit ipſe.* Sic enim vertunt Trem. & Junius, *animæ* nomen accipientes pro ipſo homine, ut ſæpè fit, & huic loco optimè convenit; etſi alii propriè intelligant animæ nomen, ut ſit ſenſus, compedes ferreas, quibus vinctus fuit, animam ipſius afflixiſſe. Unde colligitur duriter fuiſſe habitum initio, nec in libera cuſtodia fuiſſe detentum. Sed proculdubio, quod magis eum torſit, & ipſius animam tanquam gladius pertranſivit, id præſertim fuit, quod habitus fuit impudicus, hypocrita, adulter, & corruptor herilis domus, & ita tanquam ſupplicio capitali dignus, carceri mancipatus.

Hic quam fragilis ſit mundi gratia, præſertim in aulis magnatum, meditandum proponit hæc hiſtoria, quam mala præmia ſuis benefactoribus homines rependant, quorum exemplorum refertæ ſunt Annales omnium temporum, etiam in hiſtoria exotica. Sæpè legimus benè merentibus rependſam fuiſſe indigniſſimam mercedem. At pii eam aliundè expectant, & providentiæ Dei deputantes, quod eos variis machinis oppugnari ſinat, in carceribus liberi, & in vinculis ſoluti manent. Certè Deum ubique præſentem ſibi & propitium ſentiunt.

De Joſepho id repetit Moſes, *quod fuit Dominus cum eo, & ad eum inclinavit miſericordiam,* &c. Hominum corda in manu Dei ſunt, & ea flectit prout vult. Certè id ei adſcribendum, quod aliquando etiam inimicos Deus ſuis conciliet, & tractabiles reddat. Hic ambiguum eſt, de qua miſericordia intelligendum ſit quod dicitur, Dei vel hominũ, quia nomen חסד *chesedh*, abſolutè ponitur ſine relativo; Itaque videtur exegeticum eſſe quod additur, ויתן חנו *vajjitte chinno*, & dedit gratiam ejus in oculis principis domus carceris, id eſt reddidit eum Deus amabilem, ſive gratioſum reddidit eum & acceptum, præfecto carceris. Poſſet ergo intelligi, *dedit ei miſericordiã*, effecit ut miſericordia aliqua in eum duceretur præfectus ille carceris. Vulgata editio refert miſericordiam ad Deum, *Fuit Dominus cum Ioſeph, & miſertus eſt illius.* Sic Vatablus, dignatus eſt illum Deus gratia & miſericordia ſua. Sic etiam Gallica noſtra verſio, *& eſtendit ſa gratuité ſur luy.* Hanc etiam magis probo, ut ſimul habeamus cauſam & effectum, & intelligamus, quicquid gratiæ & humanitatis expertus eſt apud homines, id totum acceptum ferri debere miſericordiæ Dei; ut etiam agnoſcamus, ut optimè notat doctiſſ. interpres, quum nos Deus ab injuſta violentia liberat, vel cum in bona cauſa nos adjuvat, induci ſua bonitate ut hoc faciat, non ullis hominum meritis, quantumvis piorum. Cauſam in ſe ipſo niſi quæreret Deus, in nobis nullam haberet, qui indigni ſumus quibus ſuum auxilium accommodet. Ideo Sp. ſanctus ita de Joſepho loqui voluit, Deum erga eum fuiſſe miſericordem, atque gratuito Dei favore fuiſſe adjutum, cum tamen rari reperiantur, qui cum Joſepho componi poſſint in omni pietatis profectu, ſi hæc ad meritum apud Deum facerent, nulli ex *meritoriis* iſtis ſunt ei comparandi.

Hic notandum, afflictiones piis immiſſas, non eſſe deſertionis divinæ teſtimonia, cujus benignitatis radii pene-

penetrant ipſos carceres, ut ſuis vinctis opem ferat. Probat quidem eos, & exercet, ut fidem & patientiam in iis augeat; id dum facit, præſens eſt proculdubio, etiam præſentia gratioſa, unde autor ſapientiæ hanc hiſtoriã retexens cap. 10. dicit, *ſapientiam non dereliquiſſe venditum juſtum; ſed ex peccato liberaviſſe, unà cum eo in foveam deſcendiſſe, neque in vinculis eum dimiſiſſe, ſed conſtanter affuiſſe, donec cōtulit ipſi ſceptrum regni, &c.* Chaldæa Paraphraſis Onkelos, *& fuit verbum Domini auxilio Ioſeph,* מימרא *memera*, qua voce ſæpè uſus eſt interpres ille, ubi nomen Dei in textu Ebræo habetur, neque poteſt intelligi verbum προφορικὸν, quia ſunt loca manifeſta, ubi agitur de perſona verè exiſtente & diſtincta à perſona Patris, quæ nihilominus ſit verus Deus. Sic Gen. 3. ℣. 8. uterque paraphraſtes habet, *& audiverunt vocem verbi Iehovæ elohim*, ubi verbo Jehovæ tribuitur vox. Et Gen. 3. ℣. 22. *Et dixit verbum Iehovæ*, Ex quibus locis apparet *verbum Iehovæ* diſtingui à perſona cujus eſt verbum. Hic autem, ubi in Ebr. habemus, & fuit יהוה Deus cum eo, Paraphraſis vertit, fuit *verbum Iehovæ* cum eo, cui proinde verbum Jehovæ fuit Jehova; ex qua phraſi Chaldæa Joannes initio evangelii ſumpſit vocem illam λόγε, *verbi*, ut ſignificaret æternam perſonam filii Dei, de qua dixit, & *verbum illud erat Deus.*

Hoc verbum, præter quam, quod per interiorem conſolationem & ſpem liberationis adfuit Joſepho, foris etiam ea beneficia contulit, quæ ad majora præparatoria fuerunt, quia gratioſum eum reddidit in oculis præfecti turris, aut carceris, apud quem habitus eſt, quemadmodum antea apud Potipharum, quia ejus fidei commiſit omnes vinctos, *& omnia quæ* עשים *oſim* ad verbum *facientes ibi, ipſe faciens.* Vulgata, *quicquid fiebat, ſub ipſo erat*; Trem. & Jun. *& quicquid facere ſolent ibi, id ipſe faciebat.* Ebraiſmus eſt, in quo plurale activum, pro paſſivo accipitur; Sic, *ſtulte, hac nocte tollent animam tuam à te,* Luc. 12. ℣. 2. id eſt *tolletur*, ſic, quod *faciebant*, pro *fiebat*, id eſt, omnia in carcere miniſtrabat, quod dicimus Gallicè, *tout paſſoit par ſes mains.* Quod etiam poſtea expreſſius dicitur, ℣. 23. neque *princeps domus carceris*, id eſt, præfectus, ſeu commentarienſis, ראה את כל מאומה *roeh eth col meumah*, ad verbum, *videns omne quicquam*, id eſt, *nihil quicquam videbat, in manu ejus*, id eſt, ita in eum recumbebat & ejus arbitrio & poteſtati omnia ita committebat, ut omnem adminiſtrationis ſuæ curam ei demandaret.

Id certè non potuiſſet exequi, ſi fuiſſet alligatus compedibus. Itaque quamvis inter vinctos viveret, ſolutum tamen fuiſſe colligendum eſt. Sed quia ſcriptura teſtatur alibi, compedibus fuiſſe vinctum, neceſſario diſtinguenda ſunt tempora; initio nempe, cum fuit incarceratus, alligatum fuiſſe compedibus, ſic imperante domino ſuo, & ita per aliquod tempus vincula pertuliſſe, ſed poſteà honeſtius habitum. Cum fuiſſet anteà in domo Putipharis in magna autoritate, commentarienſis autem carcerum Putipharis eſſet ſubpræfectus in illis ædibus, non potuit Joſeph ei eſſe ignotus; qui enim negotia omnia domini ſui procurabat, tam domi quam foris, ut dictum eſt, ab eo adhiberi potuit viſitandis carceribus, & ita potuit innoteſcere commentarienſi, & familiaritatem etiam aliquam cum eo contrahere. Non potuit etiam ignorare, qui familiaris eſſet Putipharo, quæ fuiſſent virtutes Joſephi, quam frugi ſervum ſe præbuiſſet domino ſuo, & quantum rem ejus familiarem auxiſſet. Quæ omnia, Deo præſertim animum illius viri movente, inclinarunt eum, ut cum Joſepho mitius ageret, adductum etiam aliqua ſpe futuræ benedictionis, ſi uteretur inſtrumento tam commodo, in cujus manibus omnia proſperarent.

Verumtamen dubium injici poteſt, cum vir iſte conſtitutus eſſet ſub poteſtate domini Joſephi, quomodo non ſibi metuerit, ſi hominem ſervum, atrocis criminis poſtulatum, & ſuperioris juſſu vinctum, inferior ſolveret, & omnia humanitatis officia erga eum exerceret. Id enim vix potuit celare Putipharum, quod omnibus vinctis in carcere regio notiſſimum erat. Cum tamen non legamus periculum aliquod creatum fuiſſe proptereà commentarienſi, vel expoſtulaſſe de eo Putipharum, probabile eſt, non ſolum præfectum carceris à Joſepho intellexiſſe totius rei hiſtoriam, & innocentis hominis fuiſſe miſertum; ſed etiam ipſum herum poſteà, expenſis omnibus circumſtantiis, diffidiſſe uxori, & apud ſe agnoviſſe injuriam factam fuiſſe ſervo fideli, quem tamen non auſus eſt domum revocare, ne infamiam aliquam familiæ ſuæ inureret: ſed vel clam monuiſſe ſubpræfectum ſuum, ut Joſephum mitius tractaret, vel inclinanti in eum commentarienſi connivere voluiſſe. Argumento mihi eſt, quod tamdiu Joſephum in carcere reliquit, nec capitis ſententiam in eum pronunciavit, quem ſi credidiſſet tam atrocis criminis reũ, aliter illatam ſibi ab homine ſervo injuriam ultus fuiſſet. Sed quicquid ſit de utriuſque indole, vel cogitatione, quicquid in Joſephum beneficii collatum eſt Deo autori tribuitur, hominum corda flectenti prout vult. Alioquin enim, tale genus hominum qui vinctis præſiciuntur, truculentum plerumque & ſævum eſſe ſolet. Hactenus duo gradus exaltationis Joſephi in ipſis miſeriis exhibiti nobis fuerunt, quia & in ſervitute primò imperavit, ſecundus à patrono ſuo; & in carcere, à magiſtro carceris ſecundus, ita ut in tali conditione etiam aliquod ſpecimen ei fuerit editum principatus quem ipſi ſomnia portendebant; ſed gradus ſummus libertatis adhuc ſupereſt, de quo in ſequentibus agetur.

AD CAPVT XL.

EXERCITATIO CLVI.

Summa Capitis XL. *Munera ſervorum Pharaonis quibus Ioſeph in carcere miniſtravit. Peccatum eorum temerè à Iudæis definitum. Aularum pericula. An præfectus ſatellitum qui eos Ioſepho commendavit fuerit Putiphar?* ימים jamim, *abſolutè poſitum, pro anno. Cur ſomnia eos reddiderint ſollicitos? Somnia naturalia & eorum ſignificata. Somnia à Dæmonibus immiſſa, & ex iis divinatio damnanda. Alia à Deo, & eorum interpretatio utilis. Eorum diverſæ ſpecies. Quorum interpretatio à Deo ſolo pendet. De ſomniis, hoc tempore, ſollicitos eſſe non licet. Pincernæ ſomnium & ejus fauſta interpretatio. Relativum pronomen ſæpè pro verbo ſubſtantivo in* Ebraiſmo. *Nullum Ebræis verbum reſpondere propriè latino* ſignificat, *pro quo ſubſtantivum* eſt *uſurpatur. Redarguitur inſolentia Maldonati.* Elevare *alicujus* caput. *Petitio Ioſephi à pincerna. An in ea peccaverit? Negatur. Quomodo fuerit* furto ſublatus. *Terram* Ebræorum *cur Cananæan appellet? Piſtorum principis infauſtum ſomnium. Monachi ad milites concio. Antiquus mos exponendi cadavera damnatorum. Inflictionem pœnæ capitalis non ſumpſiſſe originem à politica lege Iudæorum. An mos ille cadavera volucribus exponendi, in Chriſtianiſmo retineri debuerit? Servandam eſſe mediocritatem. Eventus prædictionum Ioſephi. Diei natalis obſervatio, & de ea judicium. Pincernæ ἀχαρισία.*

CApite XL. narratur occaſio ex qua factum eſt ut Joſephus tandem educeretur ex carcere, nempe ejus ὀνειροπολία, & ratio qua innotuit, experientia nempe facta in duobus vinctis, quorum ſomnia interpretatus eſt Joſephus, cujus interpretationem ſequutus eſt eventus prædictus. Tria in toto capite percurruntur, 1. Duorum aulicorum incarceratio quibus Joſephus datus eſt miniſter; 2. Utriuſque ſomnia & eorum interpretatio. 3. Eventus congruens interpretationi; Inſeritur petitio Joſephi ab eo cui proſpera omnia prædixit, ut memor ipſius eſſet poſt liberationem, additis rationibus, ab æquitate & ab innocentia ſua. Pleraque ſunt plana & facilia.

In prima parte deſcribit vinctos illos regios, quod *Eunuchi* fuerint Regis, quod anteà fuit expoſitum; ubi notavimus, Eunuchos dici ratione officii, non imperfectionis, ita ut nomen quod antea fuerat imminutivum, factum fuerit honorificum. In quo autem officio regi miniſtraverint, ſignificatur, quod alter fuit pincerna, alter piſtor, id eſt, ut poſteà exponitur, princeps pincernarum & princeps piſtorum. Sunt autem hæc in aulis principum officia non vilia, ſed maximæ dignitatis, quibus non intelligi debent ii, qui vel potum ipſi parabant, vel panem pinſebant opifices; ſed quibus cura commiſſa erat, ut talia ſuo tempore commodè miniſtrarentur in menſa regia.

De peccato quo in regis offenſam incurrerant, quia nihil Moſes dicit niſi in genere, nos etiam in ſpecie ſolliciti non erimus, Ebræorum quorundam fictiones improbantes, qui ſumma cum audacia vaticinantur, & ſæpè ridiculè de iis, quæ Spiritus ſanctus voluit tacere, hanc ſuæ temeritatis pœnam referentes, quod ſine judicio & probabilitate quidvis effutiunt. Hîc nugantur regem in poculo muſcam, in pane calculum reperiſſe, alii, alia conjectant otioſe: nobis ſufficiat, quod Moſes teſtatur, utrumque *peccaſſe* adverſus dominum ſuum. Regemque in eos fuiſſe iratum, & ejus juſſu fuiſſe in carcerem conjectos. Id quidem certum eſt, principum gratiam eſſe parum ſæpè conſtantem, aulicam vitam eſſe lubricam, & multis obnoxiam mutationibus, eſſeque principes ſæpè ob non ita graves cauſas, irritabiles. Itaque ut leonem tondere difficile eſt, ſic diſcriminis ac periculi plenum eſſe vitæ genus aulicum, etſi eum fortunatiſſimum judicent, qui ſplendore externo & pompa ſe ſinunt præſtringi.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit.

Cui Horatiano dicto, ſuccinit illud Senecæ, *Aularum lenta ſunt beneficia, præcoces injuriæ.*

His duobus aulicis in carcere datus eſt miniſter Joſephus, v. 4. ויפקד שר הטבחים *vajjiphkodh ſar battabbachim*, & commendavit princeps laniorum, ſive præfectus ſatellitum, Joſeph eis, & miniſtrabat eis. Vulgata, *Cuſtos carceris tribuit eos Ioſeph*, Græci ὁ ἀρχιδεσμώτης, princeps carceris; qui ſi intelligatur, qui ſub Putipharo vinctis præerat, ut anteà, id eſt, commentarienſis ſive inſularius, non ſatis expreſſus erit ſenſus. Nam vel ipſe Putiphar intelligitur, vel alius qui in ejus locum ſucceſſiſſet, idem enim ei tribuitur officium. Inclino tamen ut credam eundem fuiſſe, ipſum nempe herum

Joſephi, jam æquiorem factum, ut anteà diximus, qui eum honorare voluit, dum viris principibus inſervire juſſit. Quo argumento confirmatur quod paulo ante notavimus, probabile eſſe, iram Putipharis fuiſſe remiſſam, ſuboluiſſe aliquid de fraudibus uxoris, & paulatim voluiſſe Joſephi captivitatem levare.

Quamdiu fuerint duo aulici in carcere ante ſomniũ, non explicitè dicitur, tantum fuiſſe in cuſtodia, ימים *jamim*, diebus, ſcilicet pluribus. Ebræi exponunt annum, & ſic dicunt nomen ימים *jamim* abſolutè poſitum, accipi in ſcriptura. Paraphraſtes Chaldæus, *diebus aliquibus*, quod ſimplicius judico.

Uterque poſt illud tempus ſomniavit, & de interpretatione ſomnii ſui ſollicitus fuit. Joſeph ex eorum vultu conjicit ſolito triſtiores eſſe; inquirit de cauſa, quã illi exponunt verſ. 7. quod ſomniaſſent, & deſtituerentur interprete. An cauſa ſufficiens triſtitiæ fuerit hæc, dubitari poſſet; cum enim pleraque ſomnia ſint vana & nullius momenti, habeantque cauſas naturales, non ſolent viros ſapiẽtes multum afficere, vel ſollicitos reddere; Cum etiam ſæpè nihil ſignificent, niſi fortè aliquando, vel quale ſit temperamentum hominis oſtendant, & de quibus anteà cogitaverit, indicent. Sunt enim inter ſomnia naturalia quæ oriuntur ex diurna cogitatione, vel ardenti erga aliquã rem affectu, quemadmodum in fidibus ceſſantis impulſus, extremæ quędam motiones quæ ex impulſu reſultãt, eoq; ceſſante adhuc aliquãdiu perdurant, quo ſimili aptiſſimo utitur Nemeſius, falſo creditus Gregor. Nyſſenus, de hominis opificio, ca. 31. Et hæc inter ſomnia naturalia referuntur; ad quod genus, licet alterius ſpeciei, pertinent ea quæ oriuntur ex temperamento & humore prædominante, ut cum invioſi ſomniãt cædes; phlegmatici, aquas & voragines; ſanguinei, muſicã, convivia, &c. melancholici, atra & triſtia, mortem, ſepulchra, Dæmones, &c.

Divinatio ex talibus ſomniis merè phyſica reprehendi non debet, ſi inde à medicis conjecturæ eruantur, de ſanitate, affectibus, & morbis, vel præſentibus, vel inſtantibus. Poſſunt enim aſſumi inter alia ſigna ad prognoſtica morbi, quia ab effectibus poteſt de cauſa conſtare. Itaque in eo, niſi limites naturæ quis tranſcendat aut prætergrediatur, nihil reprehendendum eſt, aut nimiæ curioſitatis arguendum.

Quædam ſomnia à dæmonibus immitti, vel quæſita & provocata, vel προσδόκιμα, id eſt, inopinata, & præter ſpem, teſtatur etiam experientia, ut cum offerunt ſomniantibus imagines conviviorum & ludorum, perſuadentque ſuis mancipiis ea facta fuiſſe, quæ non acciderunt, & varias regiones peragraſſe, etſi pedem non moverint è loco in quo dormierunt. Cujus generis multa fuerunt fanatica exempla apud Ethnicos & Manichæos. Alterius ſunt res futuras præſagientia, quibus homines imperitos vana ſuperſtitione imbuere conantur, eoſque aliquorum ſomniorum eventu, ad irrogandam iis fidem pelliciunt. Cujus generis multa commemorat Tullius li. 1. de Divinat. & 1. de Nat. Deorum, & exempla varia profert Val. Maximus, lib. 1. ca. 6. Taliũ interpretationem profitentur magi, aut artibus ſuperſtitioſis addicti, quod genus divinationis ſuperſtitioſum etiam eſt & damnabile; unde talis divinatio ex ſomniis, ſæpè in ſcriptura prohibita eſt, ut Deut. 18. ℣. 10.

Sed alia eſt ratio ſomniorum quæ Deus immittit, & per ſe mentibus inſerit, aut etiam bonorum Angelorum operâ. Non enim audiendus eſt Ariſtoteles, qui ſomnia à Deo immitti negat. *Quia*, inquit, *oporteret ea immitti viris optimis & ſapientiſſimis. At indiſcriminatim abjectiſſimis hominibus, & de fece vulgi obveniunt.* Quæ ratio nullius eſt momenti, apud eos qui ſciunt Deum ſæpè uſum fuiſſe infirmis alioqui & abjectis inſtrumẽtis, ut ejus operatio manifeſtior eſſet. Certè ſacra pagina docet, non ſolum ſapientibus & illuſtribus perſonis, ſed aliquando imperitis & abjectis, revelaſſe Deum, vel per ſomnia, vel per viſiones, quæ ſapientiſſimos latebant.

Sunt autem ſomnia divinitus immiſſa, vel θεωρηματικὰ, ea nempe quæ ſine figuris res ſignificant præſentes, ut ſupra vidimus in Abimelecho, qui per ſomnium monitus fuit ne attingeret uxorem alienam; vel ἀλληγορικὰ, & ſimul prophetica, quæ certis figuris repræſentabant, quæ futura erant, qualia fuerunt de quibus hic agitur, & poſtmodum agetur. In his præſertim opus fuit interpretibus; & hoc peculiare habuerunt ſomnia divinitus immiſſa, quod aculeum animis infigebant, & de ſignificatione eos qui ſomniaverant valdè ſollicitos reddebant, ut poſteà in Pharaone videbitur, & in Babyloniæ regibus apud Danielem apparet; & in his duobus vinctis, experientia docet. Divinationem ex talibus ſomniis licitam eſſe ſi negaremus, viris ſanctis qui tali dono claruerunt, injuriam faceremus, imò ipſi Deo, ad quem tanquam autorem referebant, quicquid luminis ipſis in eo conceſſum eſſet.

Sed id non omnium fuit, quod quibuſdam & raro datum fuit. Erant quidem inter Ethnicos tam Ægyptios quam Chaldæos, qui peritiam illam profitebantur, & quorumvis ſomniorum latentem aliquam promittebant interpretationem; Hinc eſt quod quibus ſomnium aliquod obvenerat, tam proclives erant ad quærendas interpretationes. Sic Reges Babyloniorũ magos ſuos conſulebant; ſic etiam Ægyptii ad ſuos ſapientes recurrebant. Quo referri poteſt ſollicitudo aulicorum iſtorum, qui in carcere conſtituti non poterant ariolos conſulere; Somnium ſomniavimus, ajunt ופתר אין אתו *upoter een otho*, id eſt, *& non eſt ſolvens illud*; Vulgata, non eſt qui interpretetur nobis. Fortaſſe etiam accidere potuit, ut per amicos conſuluerint conjectores, à quibus tamen nihil certi vel probabilis habuerint; & cum viderent non vulgaria eſſe ſomnia, inde eſt quod ita dejecti & turbati fuerunt. Certè divina ſomnia non potuerunt Ægyptiorum & Chaldæorum magi interpretari; ſolus enim qui immittit ea ſolvere poteſt, vel

per ſe

per ſe ſuggerens ſolutionem ſomnianti, vel per alium, quo utitur velut inſtrumento, eique revelat quæ alios omnes latent. Sic Joſeph hîc, & Daniel alibi, ex revelatione divina ſignificationem ſomniorum aliis ignotam aperuerunt: imo Daniel ipſa ſomnia quæ exciderant memoria, revocavit in memoriam, & eadem interpretatus eſt.

Unde autem id potuerit Joſeph, & cui laus adſcribi debeat præfatur his verbis, הלא לאלהים פתרונים *halo lelohim pithronim*! Nonne Dei ſolutiones? nempe ſomniorum. Quaſi diceret, ne miremini, non eſſe inventos qui vobis veſtra ſomnia expoſuerint; quia hoc Dei donum eſt quod non cuivis homini contingit. Quod autem addit, *narrate mihi quæſo*, niſi ex præcedentibus colligeremus, pluribus verbis expoſuiſſe Joſephum quid vellet intelligi, non videretur exhortatio narrandi ſua ſomnia, valido niti fundamento. *Dei ſunt interpretationes, narrate mihi quæſo.* Potuiſſent enim regerere, an tu igitur Deus es, qui poſſis nobis ea interpretari? Sed ſub his verbis breviter à Moſe recitatis, intelligendum eſt, monuiſſe eos ſe veri Dei cultorem eſſe, futurorum omnium præſcii, qui ſervis ſuis etiam revelabat occulta, & ſenſiſſe ſe tali dono à Deo fuiſſe præditum; ideò etiam juſſiſſe ut de interpretatione certi eſſent, quia prophetam hic agebat. Sic Daniel, cap. 2. verſ. 27. interroganti Belteſchatzaro, *es ne præditus facultate ut notum facias mihi ſomnium, quod vidi, & interpretationem ejus? Reſpondens Regi dixit, arcanum quod rex petit non ſapientes, aſtrologi, magi, haruſpices, poſſunt indicare regi: Sed Deus eſt in cœlo revelans arcana, &c.* Huic confiſus Joſeph ſecurus jubet ut ſomnia ſua recitent, quæ Moſes non obſcurè teſtatur, procurata à Deo fuiſſe in eum finem, ut Joſeph eorum interpretatione, ſuo tempore ad ſublimem gradum eveheretur.

Cum autem fuerit hoc donum extraordinarium, & pars doni prophetiæ, nemo id ſibi uſurpare debet, qui non apud ſe conſcius ſit doni Dei & vocationis. Alioqui, vel vanus erit & mendax, imo etiam ſacrilegus qui conjecturas ſuas ad gradum propheticum evexerit; aut artibus illicitis inuret ſibi maculam, mancipii diaboli; quod etiam notandum eſt iis quibus ſomnia obveniunt, ne cuivis agyrtæ fidem præbeant, aut quid ſignificent ſollicitè inquirant. Nam, etſi olim fuerint divina ſomnia, hoc tempore tamen rara ſunt, quo nobis voluntatem ſuam in verbo tam perſpicuè patefecit. Et cum ſomnia divina, à dæmoniacis & vanis vix diſcerni poſſint, optimè judicant, qui tutiſſimum eſſe docent quælibet ſomnia contemnere, niſi Deus illud expreſsè revelet, vel illuminando ipſos ſomniantes, ut ſciant ſomnium ſibi eſſe à Deo immiſſum, & agnoſcant quid ſignificent; vel de aliorum peritia ipſi indicium faciendo; quod cum hoc tempore vel raro, vel nunquam, accidat, melius eſt ut obtemperemus monenti, *ſomnia ne cures.* Benè enim monet Syracides, 34. v. 2. *Vt qui captat umbram, & perſequitur ventos, ita eum eſſe qui ſe adhibet ſomniis.*

Aggreditur pincerna verſ. 9. narrationem ſomnii ſui, vidit vitem, & tres propagines paulatim creſcentes in gemmas, poſteà in flores & uvas, quæ tandem maturuerunt. Vidit calicem Pharaonis in manu ſua, ſe prementem uvas, & calicem præbentem Pharaoni. verſ. 12. & 13. Interpretationem lætam paucis Joſeph abſolvit, eamque perſpicuam & præcipuis circumſtantiis reſpondentem; non enim omnia ſcrupuloſè perſequitur, ſed in præcipuis, & ut ſic dicam, ſubſtantialibus, inhæret. *Hæc eſt*, inquit, *interpretatio ejus. Tres rami* tres dies הם hem *ipſi*, id eſt, *ſunt tres dies.* Sic vulgata *tres propagines tres adhuc dies ſunt.* Ubi notandum eſt Ebræos raro aut nunquam vero ſubſtantivo uti pro copula, ut ſit apud Græcos & Latinos, ſed pronomen ipſius vicem ſupplere, adjectivè ſumptum, vel adjectivum nomen, idq; peculiari elegantia, vel ſi pronomen aut nomen etiam antecedat, ejuſdem verbi ſubſtantivi ellipſis eſt. Itaq; in interpretatione ſuppleri debet, ut ex interpretatione Græca & Latina, infinitis locis patet. Hic ergo rectè vulgata loco relativi pronominis, uſa eſt verbo ſubſtantivo *eſt.* Idem facit poſteà in ſomnio piſtoris, & ſomnio Pharaonis. Hanc regulam agnoſcunt omnes qui Ebraicè ſciunt, etiam Jeſuitæ: Cum verbum היה *hajah*, eſt, ſubſtantivè accipitur, ejus vim pronomina ſupplere. ut Pſal. 119. 128. עבדך אני *ſervus tuus ego*, pro *ſum ego.*

Hoc poſito, animadvertendum, nullum verbum apud Ebræos in textu Sacro legi, quod reſpondeat latino *ſignificat*, ſed quotieſcunque volunt indicare rem unam ſignificare alteram, id eos exprimere ea phraſi, qua unum dicitur eſſe aliud. Sic Ezech. 17. verſ. 12. an non cognoſcitis מה אלה *mah elleh*, quid hæc ſcilicet *ſint?* ubi vulgata, *ſignificent.* Item Ezech. Annon indicabis nobis מה אלה לנו *mah elleh lanu?* ubi vulgata *quid iſta ſignificent nobis?* Hic etiam agnoſcit Cornelius à lapide Jeſuita; *eſt*, pro *ſignificat* accipi. Tres dies adhuc ſunt. *Sunt*, inquit, *hoc eſt, ſignificant, ſicut enim imaginis eſſe eſt repræſentare, ita ſomnii, ſymboli ſive viſionis propheticæ, eſſe, eſt adumbrare & ſignificare res abſentes. Ita Sanctus Auguſt.* Hæc Jeſuita. Unde apparet non probatam ei fuiſſe audaciam Maldonati, negantis *verbum ſubſtantivum, aut Latinè aut Græcè aut Ebraicè, aut ulla prorſus in lingua, aut apud alium ullum autorem, pro verbo ſignificat accipi ſolere, aut etiam poſſe: hominesque imperitiſſimos qui id dicant eſſe affirmantis.* Sic enim inſolentiſſimus Hiſpanus, in Matth. cap. 26. 26. rationem hanc affert, quia tropus eſt ſemper vel in ſubjecto, vel in prædicato, nunquam in copula, quæ eſt inepta petitio principii. Certè hic non poteſt eſſe tropus in ſubjecto, cum dicit Joſephus *tres rami ſunt tres dies.* Nam tres ramos intelligebat quos viderat in ſomnio pincerna, ſive tres propagines. In prædicato etiam non poteſt eſſe tropus, quia *dies illi tres*, veri erant dies ut apparuit, neceſſa-

rio ergo tropus erit in copula, quæ ſubjectum diſparatum, cum diſparato prædicato conjungit. Sic poſteà *tria caniſtra ſunt tres dies*, aliter reſolvi non poteſt, quam *ſignificant tres dies.* Hoc, in genere, notandum fuit, ſuo loco Euchariſticæ cauſæ applicandum.

In hac interpretatione Joſephi apparet ſpiritus propheticus, quis enim aliàs conjicere potuiſſet potius tres dies ſignificari, quam tres menſes aut tres annos, aut tres hebdomadas? Quod autem dicit ישא פרעה את ראשך *jiſſa Paró eth roſcheca, elevabit Pharao caput tuum*; qui eadem phraſi poſteà utitur verſ. 19. cum loquitur de piſtore, cui ſors prædicebatur planè contraria, ita interpretandum eſt, ut de utroque commodè poſſit intelligi. Nam quod vulgata hic habet, *recordabitur Pharao miniſterii tui*, & poſteà *auferet caput tuum*, conſiſtere non poteſt. Alibi quidem *elevare*, ſive exaltare alicujus caput, accipi poteſt, pro eo quod eſt, triſtem, & præ dolore dejectum reddere lætum, ut Pſal. 3. verſ. 4. Hic Targum interpretatur hoc verbum נשא *naſa*, per ידכרנך *jidcronac*, recordabitur tui. Sic LXX μνησθήσεται τῆς ἀρχῆς σου recordabitur principatus tui. Doctiſſ. Mercerus hanc phraſim explicat ex cap. 30. verſ. 12. lib. Exod. כי תשא את-ראש *Ki tiſſa eth roſch*, cum levabis caput filiorum Iſrael; ubi vulgata vertit, *quando tuleris ſummam filiorum Iſrael, juxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis.* Ubi *levare caput*, manifeſtiſſimè accipitur in ſignificatione *recenſendi*, aut cenſum agendi. Itaque videtur hic ita intelligendum, cum cenſum aget ſervorum ſuorum Pharao, te etiam aliis ſervis ſuis annumerabit, aut te cenſebit in eorum numerum & memor erit tui; additur poſteà ejuſdem reſtitutio in priſtinam dignitatem. Simili modo ubi agitur de piſtore, verſ. 19. retinenda videtur eadem ſignificatio, ubi eadem habetur phraſis, ישא פרעה את ראשך *jiſſa Paró eth roſcheca*, elevabit Pharao caput tuum; id eſt recenſebit etiam tuum caput inter alia capita; ſed additur tamen מעליך *mealeka*, deſuper te, vel à te, quod Tremel. & Jun. ita expreſſerunt, recenſebit Pharao caput tuum, ne ſit deinceps recenſio de te, id eſt, jubebit nomen tuum ex catalogo ſervorum ſuorum obliterari. Itaque doctiſſ. Mercerus notavit eſſe amphiboliam & ludum in hac locutione, quia cum *tollere caput*, idem ſit quod recenſere vel numerare, ut dictum eſt, eadem verba uſurpavit. ſed cum expectaret miſer futurum in bonum ut anteà, addidit, *deſuper te*, ut oſtenderet recenſendum ut auferretur; non quidem caput ei amputaretur; ſed ut capitali ſupplicio afficeretur.

Expoſito ſomnio pincernę tam fauſto omine, veritatem interpretationis ſuæ cum haberet perſpectiſſimam Joſeph, petiit ab eo ℣. 14. & 15. ut memor ſit ſui, & apud Pharaonem intercedat, ut liberetur à carcere & captivitate, cum & naturà liber eſſet furto ablatus, & innocens ab intentato crimine. *Momento*, inquit, *mei* אתך *itteca*, tecum, id eſt apud te, in animo tuo; *& quando benè fuerit tibi, facies mecum miſericordiam*, vel *beneficentiam*, id eſt, proſequere me tuo favore, &c. Ille quidem in domo carceris ſolutus vinculis, gratus commentarienſi, & aliorum qui carcere detinebantur gubernator vivebat; ſed tamen libertatis deſiderium talia in ipſo non imminuunt, quam multi vitæ etiam prætulerunt. Quod Gallico proverbio dicimus, *il ne fuit jamais de belle priſon*; nullus unquam fuit carcer amœnus, aut gratus, oſtendit Joſeph hac ſua ſollicitudine. Si quis enim fuit unquam in carcere velut liber, & gravibus, quas alii patiuntur, exemptus moleſtiis, is Joſephus fuit, qui nihilominus tam obnixè rogat, ut regia autoritate educatur ex illa domo.

Hic, non ſolum Ebræorum interpretes quidam reprehendunt Joſephum, ſed etiam Auguſtinus, ſive alius fuerit autor ſermonis de Tempore 82. inter Auguſtini opera. Cauſam afferunt, quod cum Dominus eſſet cum eo, & gratiam ei apud dominum ſuum & principem carceris dediſſet, cum debuiſſet à Deo immediatè expectare abſolutam liberationem, cujus initia & gradus jam erat expertus à miſericordia Dei, *ſubreptum eſt illi ut ab homine auxilium peteret.* Cujus rei cauſa putant Joſephum diutius carcere detentum fuiſſe, uſque ad finem biennii. Addunt etiam in eo peccaſſe, quod cum ex ſpiritu divino ſomnii interpretationem attuliſſet, rei ſpiritualis, qualis eſt prophetia, remunerationem poſtulavit, & gratiam Dei tanquam venalem propoſuit. Exiſtimo qui ita judicarunt erga ſanctum virum minus æquos fuiſſe, in cujus petitione nihil eſt quod reprehendi poſſit; cum in ea debeat prudentia laudari, non ſolum civilis & humana, ſed etiam pia & religioſa. Noverat enim vir ſanctus non eſſe negligendas occaſiones & media conceſſa, quibus à vexatione probabiliter nos poſſe redimi judicamus, nec fiduciam in Deum impedire, quominus utamur hominum induſtria, favore, & benevolentia, potentia etiam & aliis humanis præſidiis, quibus adjumentis legimus uſos fuiſſe omnes ſanctos ſub utroque teſtamento, & quorum neglectus & rejectio, cum Deus oportunitatem offert, ad Dei tentationem referri poſſet. Talibus enim ſæpè impletur Dei providentia & prædeſtinatio, & quod deſtinatum erat ad optatos effectus deducitur. Si Joſephus tali interceſſioni confiſus, à Dei providentia non totus pependiſſet, exiſtimaſſetque nulla alia ratione ſe liberari potuiſſe, vel hanc etiam ſine Deo effectum ſuum producturam, aut ſi falleret, deinceps nullam expectandam eſſe liberationem; meritò gravi reprehenſione dignus judicaretur. Sed quia noverat, ſubalterna non repugnare, nec de ſua in Deum ſpe primaria aliquid remiſit, neque cum id, per ingratitudinem pincernæ, non ſuccederet, impatientia victus eſt; id nihil ejus fidei & conſtantiæ debet præjudicare. Falſum eſt etiam eum ſpiritualia

ritualia vendere voluiſſe. Primò enim liberè & libenter contulit iſti homini, etiam non petenti, quod ad conſolationem ejus facere poterat; nec de pretio ullo cum eo convenit, nec etiam de favore aut benevolentia verba fecit, priuſquam ei prædixiſſet liberationem, cujus occaſione eum ſui officii admonet, ut mali non ignarus diſceret ſuccurrere miſeris, præſertim innocentibus. Sciebat etiam prohibitum non eſſe à Deo, ſi quis ad neceſſitatem ſuam, temporale aliquod bonum acciperet ab eo cui ſpiritualia contulerat; quod factum cum Simonia nullam habet affinitatem, ut patet ex multis Paulinis ſententiis, ad eam rem pertinentibus, & ipſa experientia, exemplo piorum comprobata. Res præterea quam petit Joſeph, hujus generis eſt, ut poſſit ad ſpiritualia referri; petiit enim actum charitatis & humanitatis, ut innocentis immerita patientis, rationem haberet apud eum, cujus erat juſtitiam adminiſtrare.

Quod inter rationes quibus æquitatem requiſitæ interceſſionis ſuadere conatur, dicit ſe furto fuiſſe ſublatum de terra Ebræorum; referri non debet ad Iſmaelitas, qui numerato pretio eum acquiſiverant, niſi fortaſſe intellexerint, ipſo Joſepho conquerente, fuiſſe liberum caput, & ab iis venditum, penes quos non erat eum alienandi poteſtas. Sed videtur maximè ad fratrum ſuorum actionem reſpexiſſe, quorum tamen nominibus parcit, ne familiæ ſuæ notam inurat ignominioſam; contentus generali declaratione furti commiſſi in perſona ſua, tacitis autoribus. Non immerito autem furti arguit autores ſuæ venditionis. Sic enim appellantur *plagiarii*, Exod. 21. *Qui furantur homines*, &c. Quod in Joſepho fecerunt, quia, nec juſta emptione, nec jure belli, nec ullius criminis reatu ſervus erat factus. Deinde erat filius non emancipatus, adhuc ſub poteſtate parentis, cui ſubreptus fuit. Cum autem idem Joſeph aſſeverationem addit de innocentia ſua, oſtendit cum vera animi patientia non pugnare purgationem criminis intentati, & veritatis aſſertionem contra mendacium, & unicuique famæ habendam eſſe rationem, refellendaſque calumnias honeſtâ occaſione oblatâ, ne ut ſcelerati & malefici affligi videamur, ſed ut innocentes. Ubi tamen, exemplo Joſephi, modeſtiâ temperanda eſt calumniarum abſterſio, quod obſervat quantum poteſt vir ſanctus, perſonis parcendo, cum rem cogitur exponere ad innocentiam ſuam tuendam. *In eos*, ait Theodoretus, *qui eum ſervitutis jugo ſubjecerant, ne verbo quidem ſtomachari ſtudet, ſed ingenito ſibi pudore, injuſtitiam ipſorum tegit; nec fratres ſolummodo accuſare non vult, ſed nec heræ ſuæ nequitiam ignaris hujus manifeſtavit: & cum tantam illius petulantiam, laſciviam, mendacium, calumnias ac inſidias probè perſpectas haberet, nihil quidem horum in medium adduxit, ſed ſimplicem duntaxat ſui excuſationem protulit.*

Cur autem *terram Ebræorum*, appellet terram Canaan ex qua fuerat eductus, non otioſè quæritur. Nam Jacob cum tota ſua familia peregrinus erat in illa terra. Eſt quidem nobis notum, terram illam fuiſſe Abrahamo Ebræo promiſſam, & poſteritatem illius jus in illam habuiſſe. Sed id Ægyptiis, imo & Chananæis, erat incognitum, proinde non eſt probabile Joſephum id ſpectaſſe, qui eo nomine terram indicavit, quo apud Ægyptios nota erat. Sic antea ſervum Ebræum uxor Potipharis Joſephum appellaverat, quem non probabile eſt exiſtimaſſe oriundum eſſe ex aliqua familia peregrina in terra Canaam, quæ ſola nomen Ebræorum retineret. Quod dicunt quidam, Ebræos, pro familia Abrahami ſumptos, magnos fuiſſe & celebres, eorumque nomine per vicinas regiones ſparſo & divulgata fama, terræ peregrinationis eorum ſuum nomen dediſſe, vix probabile eſt. Ex ſequentibus enim colligi poterit, Jacobi familiam tum non fuiſſe talem, cujus fama adhuc regiones remotas penetraſſet. Itaque putarem, linguam Ebræam, quæ in familia Eberi fuerat conſervata, in uſu fuiſſe etiam in regione Cananæa, propterea fuiſſe dictam *terram Ebræorum*, id eſt, eorum qui Ebraicè loquebantur, ſub quibus etiam Iſmaelitas, & Madianitas, aliòſque populos ex Abrahamo ortos, initio comprehenſos fuiſſe putem; etſi tandem Ebræorum nomen ceſſerit familiæ Jacobi, tanquam nobiliſſimæ inter Ebraicè loquentes, quæ poſt alias nationes ejuſdem linguæ deletas, diu perduravit in illa terra. Quæ ſententia media eſt inter duas alias hoc tempore agitatas, quarum primæ autores, volunt Abrahamum Ebraicè non fuiſſe locutum ſed Chaldaicè, priuſquam veniret in terram Canaan, à Cananæis autem ſeu Phœnicibus, inter quos vixit, didiciſſe linguam Ebræam, relicta prima, quâ uſus erat in Meſopotamia: Alterius autem, in ſola Eberi familia uſum Ebrææ linguæ perduraſſe, quem Abraham cum ſuis ſervaverit, etiam inter Chananæos, alia omnino utentes lingua. Quod ſi verum ſit, neſcio qua ratione terra Canaan inter Ægyptios potuit dici, *terra Ebræorum*. Malim ergo linguam Ebræam etiam inter Cananæos in uſu fuiſſe, quam tamen Abraham ſervaverit etiam cum Eberi familia, & id providentiæ ſpeciali deputarem, quod ad facilitatem communicationis voluerit Deus in illa terra quam Abrahamo & poſteris deſtinarat, eam conſervare linguam, quæ in ipſius familia ſervata eſſet.

In explicatione ſomnii principis piſtorum à 16. ℣. uſque ad 19. eundem ordinem ſervat Joſeph, quem in primo ſomnio. Viderat iſte tria caniſtra, quibus Joſeph vaticinatur, tres dies ſignificari; viderat ſe in tribus caniſtris portare ex omni cibo arte piſtoria confecto, & aves comedere ex eo; id expoſuit Joſephus, tanquam omen ſiniſtrum, quod in recenſione ſervorum ſuorum, Pharao eum deleret ex aliorum numero, & prehenſum addiceret ſuſpendio, cadaverque ejus obiiceret volucribus cœli depaſcendum. Hic mirè fuit miſer piſtorum præfectus, deluſus. Ex prioris enim ſomnii interpre-

terpretatione bonam ſpem conceperat, quia ſimiles ferè circumſtantiæ reperiebantur; ſed una erat, ex qua tota differentia pendebat. Itaque etſi utrobique eſſent tres dies, utrobique capitis exaltatio & recenſio, utrobique ea repræſentarentur, quæ uniuſcujuſque munus ſpectabant; finis tamen planè diverſus, imò contrarius ſignificabatur. Eadem ferè ratione qua Monachus quidam habita ad milites concione ſortem eorum conferebat cum ſorte Domini noſtri. Captus fuit, inquiebat, idem vobis accidet; condemnatus fuit, & id expectare debetis; ſuſpenſus fuit in ligno, etiam vos ſuſpendemini; mortuus eſt, vos moriemini; deſcendit ad inferos, & vos deſcendetis; ſed aſcendit in cœlos, at vos in inferno manebitis.

Quam durum fuerit hoc miſero piſtori nuntium, quiſque conjicere poteſt, ſed quamvis inſuavis fuerit & acerba ſententia, non debuit eam Joſephus ſilentio premere, ſed voluntatem Dei ſine fuco declarare; quod exemplum proponitur miniſtris Eccleſiæ, ut ſpreta hominum invidia & offenſionibus, ad Dei mandatum perpetuo reſpiciant, idque pro ſuæ vocationis modo, ingenuè patefaciant.

Sed conſideratione dignum eſt, quod in prædictione non ſolum pœna capitalis indicitur præfecto piſtorum, ſed etiam cadaveris ejus expoſitio volucribus cœli, *ſuſpendet te*, inquit, *in ligno, & volucres comedent carnem tuam*, ex quibus colligimus antiquum fuiſſe morem, & ex jure gentium derivatum, ut malefici pœnis capitalibus plecterentur, & cadavera ſupplicio affectorum exponerentur inſepulta, avibus aut feris lanianda. Id quidem accidere potuit aliquando, etiam viris bonis & piis, vel in bello occiſis, vel aliàs laniena expoſitis, ſine ullo judicio præeunte, quo ſenſu acciperem verba Pſal 79. ℣. 2. *Dederunt cadaver ſervorum tuorum, cibo volucribus cœli, carnem eorum quos benignitate proſequebaris, beſtiis terræ*; nempe poſtquam effudiſſent ſanguinem eorum velut aquam, circa Jeruſchalaima, nec eſſet qui ſepeliret. Sed alia planè ratio eſt eorum, qui poſtquàm ob malefacta ſubierant capitalem pœnam, etiam ex ſententia judicis poſt mortem pendebant, ut exemplo eſſent viventibus, ne imitatione criminum, adducerent in ſe eandem condemnationem, qua non ſolum vita privarentur, ſed etiam poſt mortem cadavera eorum ignominia gravi afficerentur.

Utrumque hunc morem tum invaluiſſe teſtatur hæc hiſtoria, ex qua proinde ſequitur, inflictionem pœnæ capitalis, non originem ſumpſiſſe à politica lege Judæorum, quod Sociniani volunt, proinde Chriſtianos ad eam non teneri, quaſi Lex Chriſti aboleverit omnē pœnam in qua ſanguis hominis effunditur, vel alia ratione ei vita adimitur. Sed cum neque Cananæi, neque Ægyptii acceperint à Moſe legem ullam, qui tamen adulteras igni addicebant, ut ſupra vidimus, & peccantes adverſus regem ſuſpendio ſtrangulabant, ut hoc loco habemus; apparet morem puniendi morte quoſdam maleficos, quos utile eſt reipublicæ tolli è medio, ad jus gentium pertinere, quod etiamnum manet, nec à Chriſto abrogatum fuit; cum enim teſtetur ſe non veniſſe ut quippiam eriperet Cæſari, quin-imo juſſerit ut redderentur Cæſari, quæ Cæſaris erant, ſatis indicavit ſe nolle eam religionem inducere, quæ magiſtratui jus gladij à Deo conceſſum eriperet. Matth. 22. ℣. 21. Quanquam id Chriſtiano magiſtratui imitandum cenſeamus quod in Veſpaſiano apud Suetonium laudatur, quod *nullius unquam cæde lætatus, juſtis etiam ſuppliciis illachrymarit & ingemuerit*. Unde illud Lactantii lib. 6. de vero cultu cap. 20. *Qui hominem quamvis ob merita in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat, æquè ſuam polluit conſcientiam, quam ſi homicidii quod fit occultè, ſpectator & particeps fiat.*

Sed de more exponendi cadavera damnatorum in publicis viis, ut hoc ſpectaculo alii metuere diſcant, an contra humanitatem non invaluerit, dubitari poteſt. Crudele enim videtur ſpectaculum per ſe, & additur etiam illud ad quod poteſt horrere animus hominum, quod humana caro brutis animalibus depaſcenda relinquitur. Videtur certè ferinæ rabiei & crudelitatis, ne ipſa quidem morte ſatiari poſſe, ſed in mortuorum corpora injurium eſſe; & id quidem ſi à privatis fiat per vindictam, crudelitatem augere extra dubium eſt. Alia eſt cauſa publicæ vindictæ, nec improbabilem habet rationem, quod etiamnum apud Chriſtianos, corpora ſupplicio affectorum, vel palis ſuffixa, vel rotæ impoſita, vel patibulo ſuſpenſa, relinquuntur, ut ſcilicet alii à talibus facinoribus deterreantur hoc ſpectaculo, ut habet lex *Capitalium*, ff. de cadaveribus damnatorum; ubi Ulpianus dicit, *aliquando non permitti* ſepeliri corpora punitorum, *maximè majeſtatis cauſa*. Alioqui, eadem lege diſcimus, *neganda non eſſe cognatis corpora capite damnatorum*, & id obſervaſſe Auguſtum. Eſt ibidem alia Lex Pauli. *Corpora animadverſorum, quibuſlibet petentibus, ad ſepulturam danda ſunt.* Certè Cicero Verri probri loco objicit, *quod ſepulturam punitorum denegare, aut divendere fuit ſolitus.* Lex Græca 9. Cap de Hæret. quamlibet nocentibus non denegari ſepulturæ jus, humanum & ſanctum eſſe dicit.

In populo Dei ex lege ſcripta Deut. Cap. 21. ℣. 23. conſtitutum fuit, *ne permaneret cadaver in ligno, ſed eodem die ſepeliretur.* Iuxta quam Legem cum Joſue ſuſpendi juſſiſſet regem Hai, Joſue 10. ℣. 29. cum occideret ſol, præcepit ut demitterent eum cum aliis regibus ſuſpenſis ex ipſis lignis, ac projicerent eos in ſpeluncam &c. Ex quo loco refellit Andreas Maſius multorum Judæorum vanam gloriationem, dicentium illam de ſepeliendis ſuſpenſis Legem Iſraelitarum tantùm corporum honori conſuli voluiſſe. non enim iſti reguli erant Iſraelitæ; Legem autem Deuteronomii, etſi peculiares rationes habuiſſe non dubitem, quæ ſpectarent terram promiſſam, ſed eam præſertim, ut ita

ita via pararetur ad Chriſti venturi ſepulturam, quam eodem die fieri oportebat, quo fuit ſuſpenſus, ut tertia die reſurgeret; Non dubitarem tamen habuiſſe fundamentum in fide reſurrectionis, & corporis humani præcellentia. Nam, ut benè animadvertit idem Maſius, ſemper non modò populus Dei, ſed omnes gentes ideo ſepulturam curæ habuiſſe videntur, eoſque infœlices & miſeros judicaſſe, qui hoc honore fraudarentur, quod immortalitatis & reſurrectionis notio quædam in omnium animis fuerit impreſſa, quamvis de reſurrectione illam animi ſui informatiónem explicare nulli potuerint, præter eos quos Dei ſpiritus erudivit. Prætereà nemo eſt qui non intelligat triſtiſſimum eſſe per ſe ſpectaculum, hominis cadaver ſublime pendens, & quo publicæ rei ſerenitas obnubilari atque turbari videatur. Sunt ergo quæ etiam ad hæc noſtra tempora ſpectant, & perpetuam habent convenientiam; Ideo Calvinus Serm. in Deuter. 124. etſi notet id etiam ad naturæ legem pertinere, ut qui publico judicio pœnas luunt, exponantur in aliorum exemplum, medium tamen aliquod eſſe obſervandum docet, inter juſtitiæ rigorem, & humanitatem, quam invicem exercere debemus; videndumque, ne ad extrema præcipites ruamus.

Hanc mediocritatem in illa ſua lege Deum præſcripſiſſe docet, primum enim vult maleficos morte dignos puniri; Item ut juſtitia honorem ſuum obtineat, vult corpora reorum, omnium oculis exponi, & ita omnes approbare magiſtratus decretum; Non tamen vult corda noſtra lapideſcere, ſed poſt punitionem criminis, ut aliqua compaſſione & miſericordia afficiamur; ſepeliatur itaque cadaver, & ab hominum aſpectu ſemoveatur. Ubi addit Calvinus hanc Dei intentionem etiam ad nos, non ſolum ad Judæos pertinere. Alius tamen mos invaluit pleriſque in locis, in quibus potius mos Ægyptius obſervatur quam Iſraëliticus; nec vellem propterea receptæ conſuetudini reclamare, quæ ſuas habet rationes. Nihilominus, ſi id obtineri poſſet, judicarem mediocritatem eſſe ſervandam de qua diximus, & quæ, mea quidem ſententia, plus haberet honeſtatis ac humanitatis, & fortaſſe minus incommodi. Sed de his hactenus.

Supereſt interpretationis eventus, & impletio, à v.20. ad 23. Quemadmodum prædixerat Joſeph, die tertio, quo celebrabatur regis natalis, unum Pharao reſtituit, alterum in ligno ſuſpendit. De die natali, memini me egiſſe, comment. in Hoſeam, cap.7. verſ.4. Summa fuit, rem per ſe non eſſe improbandam, præſertim ſi hoc, initio factum fuerit, ut gratiæ Deo agerentur pro creatione, partu, educatione & aliis beneficiis, adjuncto præſertim examine anteactæ vitæ, ut quod reliquum eſt, ſi benè incœpimus, convenienter initiis tranſigamus; ſin minus, emendationem inſtituamus. Sed quia id potius degeneravit in luxum, periculum eſt ne polluamus peccato natales noſtros. Et certè id obſervatum fuit, in ſcriptura non haberi exempla celebrationis natalis diei, niſi eorum qui infideles fuerunt, aut vitæ minus probatæ. Itaque in eo cautione opus eſt, & præſtabit fortaſſe abſtinere, quam imitari.

Sub finem capitis perſtringitur ingrati animi vitium in pincernarum principe; poſtquam enim hoc beneficio à Joſepho affectus fuiſſet, & ſenſiſſet prædictionis veritatem, *oblitus eſt interpretis ſui*: non quod memoria excidiſſet quod factum fuerat, ſed quia reipſa nō oſtendit ſe meminiſſe petitionis Joſephi. Solet enim ſcriptura, incuriam rei alicujus, oblivionis nomine ſignificare. Talis eſt ferè aulicorum mos, qui in malis multa pollicentur, in proſperis inſoleſcunt, & accepta beneficia facilè obliterare ſolent. Adeo, beneficiorum brevis eſt memoria. Sed hic etiam invigilabat Dei providentia; ſi enim favore & interceſſione aulici iſtius liberatus fuiſſet Joſeph, non tam perſpicua & admirabilis fuiſſet Dei diſpenſatio, nec data fuiſſet occaſio qua Joſephus ad ſummam dignitatem eveheretur. Oportuit eum adhuc probari patientiâ, ut inſigne exemplum præberet piis in anguſtia conſtitutis, ne ſuccumbant, diu dilata Domini ope, qui novit tempora & rationes quibus ſuis ſuccurrat, & dilationem compenſet liberationis majori gloria. Nec tamen planè irritum fuit medium quo uſus eſt Joſeph, quia Deus etiam operâ illius quem compellaverat, fecit ut innoteſceret; ſed data occaſione de qua neque Joſephus neque pincerna cogitaverant. De ea ſequenti capite.

AD CAPVT XLI.

EXERCITATIO CLVII.

Duo anni poſt quos captivitas Ioſephi finita eſt, unde inchoandi? Qui fuerint Chartummim *&* Chacamim. *Satanæ artes apud Aegyptios. Quæ tamen in regii ſomnii interpretatione deficiunt. Providentia Dei ſingularis in Ioſepho gradatim producendo. Ex occaſione innoteſcit. Cur tonderi eum oportuit, & veſtes mutare. Squaloris & ſordium affectatio, notata. Falſo Ethnici ad magicas artes Ioſephi peritiam referunt. Ejus pietas & modeſtia. Cur promittat pacem Regi, nondum audito ſomnio. Diverſa ſigna idem ſignificantia, non inutilia. Verbo ideo fuiſſe addita ſacramenta. Deus ex eventu non addiſcit effectus. Deus etiam infidelibus futura quædam revelavit in bonum Eccleſiæ. Prophetas tamen non fuiſſe, & quare? Somniorum Pharaonis interpretatio. Sterilitas & fertilitas à Deo, etſi cauſas habeat naturales. Quam aptè convenerint ſigna ſignatis. Conſilium prudens à Ioſepho datum. An juſtè ſuaſerit Regi quintam proventus accipere? Diſquiritur. Fames quomodo præcavenda. Prophetarum Dei ſcopus, utilia proferendi. Somnia, depreſſionis, & exaltationis Ioſephi occaſiones fuerunt. Iudicium Regis de Ioſepho. Qua ratione homo Ethnicus cognoverit,* ſpiritum Dei fuiſſe in eo? *Iudæorum interpretum erga Ioſephum iniquitas.*

HOc capite XLI. incipit decima Sectio lib. Geneſeos, quæ penultima eſt, & à primis vocibus, aut brevius, à ſecunda מקץ *mikkets*, ſolet deſignari. Narratur autem læta cataſtrophe miſeriarum Joſephi, & ejus ad principatum quem Deus ei deſtinaverat evectio; cujus hæc ſummatim conſideranda proponit Moſes, 1. Tempus, 2. modum, 3. rem ipſam, 4. uſum ejuſdem. Ad tempus quod ſpectat, initio verſus primi numeratur, *poſt duos annos*, qui unde incipiendi ſint, dubium facit Joſephus hiſtoricus, quem nonnulli ſequuntur. Putant autem duos illos annos initium ſumpſiſſe à tempore quo Joſephus à domina ſua calumniam paſſus, in carcerem fuit conjectus; ita ut includant totum tempus quo fuit in cuſtodia. Habetur autem in Ebræo vox ימים *jamim*, dierum, poſt vocem annorum, ut intelligatur biennium plenum & integrum, quod dicimus, *jour pour jour*, ita ut poſtremus dies primo reſpondeat. Probabilius exiſtimo biennium illud inchoandum eſſe à liberatione pincernæ, de qua proximè dictum fuerat. contextus enim narrationis id indicat, in qua hæc verba conneстuntur cum fine antecedentis capitis.

In modo liberationis narratur primùm occaſio, quod Deus ſomnia quædam futuras res præſagientia immiſerit Pharaoni, quibus perterritus exquiſivit interpretationem eorum, ſed fruſtrà, ab iis quos in talibus conſulere ſolebant, qui appellantur חרטמים *chartummim*, & חכמים *chakamim*. Prima vox à LXX redditur per Græcam ἐξηγητὰς, interpretes; editio vulgata vertit *conjectores*, Arias *genethliacos*, quæ interpretatio eſt Aben Ezræ qui Dan. 2. ſcribit eſſe חכמי התולדות *chacme hattoledhoth*: Sunt qui *ſapientes naturæ*, interpretantur, id eſt, *phyſicos*, qui præcipuas rerum cauſas, & intrinſecas, ortum & naturam cognoſcunt, atque ea quæ vel clam facta ſunt, deprehendunt. Radix eſt incerta, quia vox eſt peregrina, quales nonnullæ inter Ebræos irrepſerunt ex gentium uſu, in quibus, homines qui vocibus illis deſignabantur, in honore erant. *Sapientes* autem dicti fuerunt, qui apud Græcos *Philoſophi*, qui habebantur periti, & excellentes rerum magiſtri. Hanc ſecundam vocem prioris exegeticam eſſe exiſtimo. Abundabat Ægyptus iis qui curioſas diſciplinas ſectabantur, & aliquam ſingularem ſapientiam profitebantur, cognitionemque rerum divinarum & humanarum abſtruſiorem. Hos conſulit Rex Ægypti, ſomnio ſuo conturbatus, ותפעם רוחו *vattippaem rucho*, & contritus eſt ſpiritus ejus. Vulgata, *pavore perterritus*. Diximus ſupra, in ſomniis à Deo immiſſis id ſemper accidiſſe, ut ſomniantium mentes percelluerint, eoſque valdè ſollicitos reddiderint de interpretatione, ita ut non quieſcerent donec inveniſſent qui dubia aperiret. Cum autem rex ille, cum ſuis, in ignorantia veri Dei verſaretur, nec haberet inter ſuos qui ſpiritu divino eſſent afflati, conſuluit eos, quos ex errore putavit futurorum præſcios. Nam apud Ægyptios, & Chaldæos tunc Satan invexerat ſuas artes, & imbuerat ſuis fraudibus magos, qui vaticinandi artem profiterentur, & veriſimilibus, etiam aliquando veris prædictionibus, quales ex conjectura, vel ex cauſis naturalibus haberi poſſunt, fidem ſibi apud talium imperitos conciliaverant. Sagacem enim eſſe Satanam, & occulta poſſe aliquando aperire, extra controverſiam ponendum eſt, non tamen ea quæ ad veram prophetiam pertinent; nec etiam in aliis plura, quam Deus ipſi permittit ad impiorum ſeductionem, & fidelium probationem.

Cum tot haberet Rex Ægypti in regno ſuo conjectores & magos, tamen, אין פתר אותם *ein pother otham*, non erat qui exponeret ea Pharaoni. Idem poſteà accidit Regibus Babyloniæ. Habebant ſuos magos & ariolos, ſed nemo potuit ſomnium Nebucadnetzaris quod memoria exciderat, notum facere, & ejus interpretationem declarare. Dan.2. ℣.11.&c.

Quæ res quidem difficilior erat, quia in primo quod requirebatur, nulla vel probabilis conjectura poterat excogitari; ideò pollicebantur interpretationem ſi Rex ſomnium recitaret; Alioqui fatebantur inter homines nullum eſſe, qui poſſet ſomnium cujus rex non meminerat, repræſentare. Nec tamen ſi ſomnium notum fuiſſet, potuiſſent ejus veram interpretationem aperire. Hic certè ſomnii totius circumſtantiæ à Rege recitabantur; Somnium erat repetitum, ſub duabus figuris, ut poſteà oſtendet Joſeph, unica prædictio continebatur; & conjecturis locus erat ſatis apertus, ſagacibus viris, ne planè obmuteſcerent. Nemo tamen poteſt Pharaoni ſatisfacere. Dubium eſt an ita hæſitaverint, ut tandem ingenuè agnoverint ſuam ignorantiā, & apertè profeſſi ſint ſe impares eſſe huic negotio. Id quidem facit ad miraculum augendum ſi dicamus, eo adductos fuiſſe, vel ut obmuteſcerent, vel ut ultro faterentur ſe non poſſe, ad ea quæ ſignificabantur aperienda ſufficere. Sed non minus Dei gloriam ſpectat, ſi concedamus illos quidem conatos fuiſſe Regi ſatisfacere, & probabilia multa conjeciſſe, adeoque, quod tales ſolent, audacter ſatis affirmaſſe, ſe veram interpretationem afferre, Deum nihilominus ita regis mentem illuſtraſſe, ut ſatis agnoverit eas non eſſe veras interpretationes, nec potuiſſe conquieſcere ejus animum. Quærebat enim eam interpretationem, quæ turbatum animum placaret. Sollicitudinem illam à Deo fuiſſe immiſſam diximus, quam non abſtulit, donec veris vinceretur mens Pharaonis. Exiſtimo nihilominus, Deum magos iſtos aliqua cæcitate extraordinaria etiā percuſſiſſe, ne in conjecturis ſuis, vel tantiſper ad rei umbram accederent.

Nec ſine providentia ſpeciali accidiſſe reor, quod non antea Deus ſuggeſſerit pincernarum præfecto, ut Joſephi apud regem mentionem faceret, quam conſulti fuiſſent ab eo Magi Ægyptiorum. Neceſſarium enim id fuit, tum, ne dicerent poſt interpretationem, non ita fuiſſe arduam, quin eam potuiſſent ſuggerere, ſi vocati fuiſſent; tum ut in rege magis ac magis augeretur deſiderium cognoſcendi quod latebat, & inde occaſio naſceretur ad evectionem Ioſephi. In eum finem Deus id fecit tum, quod poſteà etiam in eodem regno factum fuiſſe narrat Eſaias, cap.19. ℣.11. *Sapientum*, inquit, *& conſiliariorum Pharaonis conſilium obmuteſcet, quomodo dictatis Parhoni, filius ſapientum ſum, filius regum antiquiſſimorum. Vbi ſunt illi? Vbinam ſapientes tui, qui indicent nunc tibi? Cognoſcant igitur quid conſilii ceperit Iehova exercituum contra Ægyptum.* Jehova etiam hic aliquid conſilii ceperat pro Ægypto, & contra Ægyptum, cujus quidem hieroglyphicum, ut ita loquar, repræſentaverat regi, ſed nemo erat qui ſolveret ænigma. Cum igitur ex rei difficultate magis incitaretur, & cogitaret rem eſſe maximi momenti, quæ ſapientum ſuorum artem excederet, augereturque ejus animi ægritudo, omnibus ita præparatis, oportunè Joſephi mentio fit, quæ alio tempore vel inutilis fuiſſet, vel non admodum efficax. Sollicitudinem enim regis, ſervis ſuis innotuiſſe conſtat, & cum quiſque apud ſe cogitaret, quanam ratione ab ea levari poſſet, commodum occurrit pincernæ præteritorum memoria, ut Joſephum tandem produceret, quem antea neglexerat.]

Verſ.9. *Tunc loquutus eſt princeps pincernarum, &c.* וידבר *vajdabber*, id eſt, qui anteà vel non meminerat Joſephi, vel qui noluerat ejus mentionem facere, fortaſſe etiam, ne peccatum ſuum revocaret in memoriam, & quia incarcerationis ſuæ, & cōditionis vinculorū ſuorum non libenter meminerat, nunc urgente regis neceſſitate, ubi videt non ſine aliqua gratia indiciū hoc fieri poſſe, *peccata*, inquit, *mea* מזכיר היום mazkir hajjom, *memorans*, id eſt, *memorabo hodiè*. Itaque ſigillatim recitat, qua ratione ſortem ſuam cognoverit, puero Ebræo captivo interpretationem ſomnii ſui revelante. Sic tandem effecit Deus, ut innoteſceret Joſeph operâ pincernæ, nec tamen propterea id tribueretur hominis gratitudini, cum aulico ingenio gratiam regis tantum captaret, non libertatem benefactoris ſui, ut hinc diſcamus non confidere hominum benevolentiæ, ſed divinæ curæ & providentiæ; illi enim callidè omnia metiuntur ſuis commodis; hic autem, humanis conſiliis aliò tendentibus, ſua perficit.

Sequitur ergo verſ.14. eductio Joſephi ex carcere, mandato Regis, ad quem priuſquam accederet, opus fuit ut tonderetur, & veſtes mutaret. Potuit hoc fieri, quia fortè ſqualore & pedore obſitus erat, ex diuturna detentione in carcere; etſi, qui apud commentarienſem erat in gratia, & aliorum vinctorum præfectus, potuit neceſſaria liberalius accipere. Non rejicio conjecturam eorum, qui putant, eos qui carcere detinebātur, præſertim tanquam rei, aluiſſe cæſariem in ſignum luctus, & indutos fuiſſe veſtibus idem teſtantibus. Cum ergo à rege vocaretur, talia fuiſſe deponenda, ut in die læto. Id etiam fortaſſis ad mores & conſuetudinem regionis pertinebat, ut nemo ad regem accederet, capillo promiſſo, aut barba oblonga. Debuit Joſephus, civilitatem & decorum obſervare. Squalor & pedor, ſi vitari non poſſint à viris piis, in miſeria & egeſtate conſtitutis, inter ea ponuntur, quibus exercetur patientia, & quæ ſi ferantur, non nocent apud Deum, imò cum aliis afflictionibus ad ſalutem conducunt. Ea tamen nemo ſapiens affectabit, & ſi effugere poſſit ea, agnoſcet pietati nō officere honeſtatem & decorum, etiam in corporis ornatu. Inſulſi ſunt ergo ex Monachorum

 gregi-

gregibus, qui talia affectant, & ſponte accerſunt pedorem, fœtorem, pediculos & ſordes. De quibus Hieronymus, *viros fuge quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudos patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli.* De cuſt. Virginit. Plura ibidem habet adverſus affectatam illam ſorditiem.

Verſ. 15. Excipit Rex Joſephum benigniſſimè, profiteturque primùm ſe neminem reperiſſe, qui ſomnia viſa ediſſereret, quæ præfatio, & rei difficultatem indicat, & ad peritiæ Joſephi commendationem proderit, poſt ſomniorum declarationem. Oſtendit enim Rex, ſe ad eum recurrere, velut ſacram aliquam anchoram, quia hactenus nemo potuerat proferre, quæ animum ſuum placarent. Ex auditu autem ſpem magnam concepiſſe de Joſepho, *Audivi*, inquit, עליך לאמר *aleka lamor*, ſuper te dicendo, id eſt, *qui de te dicerent*, תשמע *tiſchma*, audies ſomnium ad ſolvendum illud. Ubi ſubaudiendum כי *quod intelligas*, ſomnium ad interpretandum, id eſt, quod peritus ſis ſomniorum interpres. rectè enim Mercerus hic, verbum שמע *ſchamá*, pro *intelligere* accipit; ut poſt cap. 42. ℣. 23. & Jerem. 5. ℣. 15. ubi *audire*, vel *non audire*, pro *intelligere*, vel *non intelligere* linguam aliquam, accipitur. Id audiverat à ſuo pincerna, & experto fidem adhibuerat. Vulgata, *quæ audivi, te ſapientiſſimè conjicere.* Unde, qui non conſuluerunt fontes, notant Pharaonem nihil aliud de Joſepho cogitaſſe, niſi quod ſapiens eſſet & ſagax, qui ſolertia quadam præditus, per idoneas ac probabiles conjecturas, acutè diſpiceret ſomniorum interpretationes. Sed hanc fuiſſe Pharaonis ſententiam, textus non indicat, in quo abſolutè dicit ſe audiviſſe, quod ſomnia poſſet interpretari. Nihil autem aliud expectaſſe præter conjecturas, probabile non eſt, cum rei certitudinem maximè vellet habere perſpectam. Fateor quidem non putaſſe Pharaonem Joſephum eſſe prophetam, aut à vero Dei ſpiritu afflatum: Exiſtimavit nihilominus, in eo eſſe aliquid extraordinarium, & quod ſuperaret eorum qui in Ægypto vates habebantur, quos ab aliquo ſpiritu afflatos fuiſſe exiſtimarunt, peritiam. Ideò ſcriptores Ethnici, ut ex Trogo Pompejo refert Juſtinus, Joſephum artes magicas didiciſſe mentiuntur; lib. 36. Falluntur ergo, qui verba Juſtini ad naturalem ſagacitatem referunt. Putarunt enim illi; Magos aliquid præter naturam habere, imò eorum ſapientiam ad divinas inſpirationes retulerunt, ſed veri Dei ignari; & aliquando, imò ſemper, initio, nomen illud, quod apud Perſas in uſu fuit, in bonam partem acceptum fuiſſe, extra dubium eſt, quod poſteà infame reddidit apud Græcos, talium curioſitas nimia, qui à naturalibus & Mathematicis ſtudiis, deflexerunt ad diabolicas divinationes & incantationes. Talis fuit Simon, de quo in Actis; neque aliter nunc accipitur *Magorum* nomen.

Talia ut à ſe amoliretur Joſeph, ſimulque Deo gloriam tribueret apud infideles, præmittit initio originem notitiæ rerum futurarum. בלעדי *biladhi*, inquit, præter me, aut ſine me, *Deus reſpondebit pacem Pharaoni.* Ille quidem noverat Deum velle ſuo miniſterio uti, ſed negat, à ſe tanquam autore proditurum reſponſum; Dei hoc opus eſſe, non artis humanæ aut poteſtatis alicujus rei creatæ. Chald. *Non ex mea ſapientia, ſed à facie Domini, &c.* Symmachus, *Non ego, ſed Deus.* Hac enim arrepta occaſione ſanctus vir Ægypti Regem ad veram Dei agnitionem invitat. Non dubitabat enim, tum maximè flexibiles eſſe hominum animos, cum aliquid magnum expectant ab eo, qui ipſis ſapientiæ, & potentiæ nomine, commendatur. Sed, cum nondum recitatum eſſet ſomnium, poteſt quæri, quomodo auſus ſit pronunciare, Deum Pharaoni pacem, id eſt proſpera reſponſurum? Quid ſi alia fuiſſet interpretatio ſomnii, qualis fuit piſtoris in carcere? Reſpondendum, vel hæc verba non dicta fuiſſe à Joſepho affirmativè, ſed, ut ita loquar, *votivè*, & fuiſſe ſignificationem deſiderii & ſpei, potius quam affirmationem certam qualitatis rei. Aut, quod mihi magis arridet, intus perſuaſum fuiſſe à ſpiritu Dei, quæ retecturus erat, regi proſpera futura. Potuit enim Deus hanc in ipſius animo ingenerare confidentiam; Et certè opus fuit inſtinctu extraordinario, ut ita prodiret in regis conſpectum, & id in ſe ſuſciperet, quod alioqui noverat in nullius hominis eſſet poteſtate.

Laudanda eſt igitur & imitanda Joſephi modeſtia, qui animum Regis in ſe defixum ad Deum voluit attollere; quemadmodum & Daniel fecit in ſimili cauſa, cap. 2. ℣. 27. & 28. Sic Petrus, Act. 3. ℣. 12. *Quid intentos oculos in nos habetis, quaſi vi propria, aut pietate effecerimus ut hic ambularet?* Præclara ſanè hæc virtus in miniſtris Eccleſiæ, nihil ſibi tribuere ſine Deo, & in his etiam in quibus Deus eis utitur tanquam organis, gloriam omnem autori primario adſcribere. 1 Cor. 3. *Neq; is qui plantat aliquid eſt*, &c. Alibi, *Non ego, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.* 1 Cor. 15. ℣. 10. Hic etiam rectè colligitur, apud incredulos dandam eſſe operam, ut gratia Dei celebretur, & pietatis inſtillentur ſcintillæ, ut ſi qua ratione fieri poſſit, ad cognitionem perveniant veritatis.

A verſ. 17. uſque ad 25. recitat Rex ſomnia ſua, & in nonnullis amplificat, quæ initio paucioribus narraverat Moſes. Sed tamen omnia conveniunt. Nec etiam poſteà Joſeph, cum tertiò ſomnia repetit in expoſitione, omnia obſervat verba, & quæ recitaverat Pharao, ad verbum ediſſerit; quia id neceſſe non fuit.

Verſ. 25. Reſpondet Joſeph Pharaoni, ſomnium unum & idem eſſe, repetitum nempe; ubi idem intelligendum eſt ratione ſignificationis, quia ſignorum ratione fuit diverſum. Quo ſenſu dicimus ſubſtantiâ eadem eſſe utriuſque Teſtamenti ſacramenta, etſi differant ſignis, & accidentibus nonnullis. Quod ſi quis dicat repetitione opus non fuiſſe, quia fruſtra fit per plura, quod

quod fieri poteſt per pauciora; oſtendit Joſeph, verſ. 32. repetitionem non fuiſſe inutilem, quia id pertinet ad indicandam rei firmitatem, & promptam executionem. Sic enim hominum tarditati conſulitur, & impreſſa firmius neceſſaria doctrina, urgentur animi ad ea ſequenda & amplectenda, quæ cum voluntate Dei congruunt. Ex quibus colligi poteſt quid reſpondendum ſit Pontificiis & aliis quibuſdam, qui cum dicimus, ſacramentorum & verbi eandem eſſe rationem, nec aliud nobis offerri in ſacramentis, quam quod habemus in verbo, obiiciunt, alterutrum ergo ſuperfluum eſſe; nec neceſſaria fuiſſe ſacramenta, ſi eadem in verbo nobis fuerint oblata. Reſpondemus enim cum Joſepho, Quod iteratum eſt ſignum, nec verbo ſolo fuit contentus, ſed ſacramenta addidit Deus, quibus idem ſignificaret, ſignificat, *quod res à Deo ſit firma*; id eſt facit ad majorem fidei noſtræ confirmationem, & ſic infirmitati noſtræ conſulitur. Nihil enim reſpectu noſtri abundat, nec etiam multoties repetita, auribus & animis noſtris ſatis inſculpuntur, quia tardi ſumus, & opus eſt ut excitemur & confirmemur ſubinde. *Eadem ſcribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum eſt.* Philip. 3. verſ. 1.

Quod vero ſpectat interpretationem iterati illius ſomnii, primum reſpondet Joſeph in genere, ſomnia illa ſpectare res futuras, quæ Deus eſſet facturus: poſteà explicat in ſpecie, quænam eſſent, & quando eventuræ. *Quæ facturus eſt*, inquit, *Deus, oſtendit Pharaoni.* Quibus verbis iterum tribuit Deo gloriam omnem, tum ſignificationis rerum futurarum, tum earundem implerionis, ut agnoſcat Rex talia caſu non eventura, ſed ita à Deo fuiſſe diſpoſita, & ab eodem ſuo tempore, perficienda. Innuit autem, neminem poſſe ea revelare præter Deum ipſum, quia nullus præter Deum, novit quid facturus ſit; ſed *nota ſunt Deo ab omni ævo omnia opera ſua.* Act. 15. ℣. 18 Quicquid enim facit in tempore illud ab æterno prævidit & præordinavit. Nec ex eventu diſcit effectus, ſed ex voluntatis ſuæ decreto novit quæ eventura ſunt, cujus ſcientia nullam habet cauſam extra ſe. Itaque ſolus certo poteſt ventura prædicere, qui novit ea quæ facere vult, aut ad quæ vult concurſum ſuum præbere.

Dubitari non poteſt, talium revelationem includere ſpecialem Dei favorem, quem in rebus ad ſocietatem humanam, & hujus vitæ ſubſidia pertinentibus, Deus non denegavit infidelibus, præſertim cum eorum opera uti voluit & miniſterio, ad conſervationem Eccleſiæ ſuæ. Hic enim fuit ſcopus revelationis, ut in Ægypto Deus granarium conſtitueret opera Pharaonis, utentis Joſepho tanquam organo, ut hac ratione provideret Patriarcharum familiis de neceſſaria annona, durante ſterilitatis ſeptennio, quo alioqui potuiſſent perire fame. Nec propterea exiſtimandum eſt Pharaonem, aut reliquos reges infideles, quibus talia in ſomniis fuerunt figurata, Prophetas fuiſſe, etſi Deus in ipſis operatus ſit extraordinario modo, & phantaſiam eorum in ſomno moverit, ut talia eis objicerentur, cum ea per ſe non intelligerent. Cum enim mens eorum non fuerit divinitus illuſtrata, etiam ad prophetiam referri non debet proprie quod in ipſis factum eſt; quæ tum demum fuit prophetia, cum viſis addita eſt divina interpretatio, quam ab aliis emendicantes, ſatis agnoverunt ſe non eſſe futurorum præſcios. Itaque quicquid in eo eſt prophetiæ, ad Joſephum referri debet, divinum interpretem, ut benè monuit Auguſt. lib. 12. de Geneſ. ad lit. Qui tamen videtur innuere, aliquomodo fuiſſe prophetam, qui ſola ſigna rerum ſignificatarum, per rerum corporalium imagines videbat; etſi magis fuerit Propheta, qui ſolo illarum intellectu præditus fuit; ſed maximè, qui utroque præcelluit. At primum, qui ſolas imagines vidit, etſi in genere noverit aliquid ſignificare, nullo modo inter Prophetas numerari poſſe, cenſemus; quia vera prophetiæ forma caruit, quæ, ut diximus, in lumine, intellectum illuſtrante, conſiſtit. Alioqui etiam Prophetæ fuiſſent ſervi captivi Pharaonis.

Specialem ſomnii interpretationem aggreditur Joſephus verſ. 27. & continuat uſque ad 33. Summa eſt, per ſeptem vaccas pulchras, & ſeptem ſpicas plenas, ſeptem ubertatis annos proximè ſequuturos in Ægypto deſignari. Per ſeptem vaccas macilentas, quæ pingues devorarunt, & ſeptem ſpicas tenues, vento urente percuſſas, ſignificari, ſucceſſuros ſeptem annos ſterilitatis & famis. Itaque duobus ſomniis idem prædici, ſed certiſſimum, & citò implendum.

Dixit quidem venturos annos fertilitatis, ſucceſſuros ſterilitatis, famem conſumpturam omnem terram; ſed quemadmodum initio dixerat, Deum *quæ facturus erat* indicaſſe Pharaoni, ſic addit ſub finem, verſ. 32. *feſtinat Deus ad faciendum illud.* Quibus oſtendit ſeptennem illam fertilitatem, & ſeptennem ſterilitatem, eſſe opus Dei, ſingulari ratione ab eo decretum & procuratum. Quo etiam ſpectant Pſalmiſtæ verba, Pſal. 105. verſ. 16. *Cum advocans famem ſuper terram omnem ſcipionem panis fregit.* Certum eſt etiam ea quæ ex cauſis naturalibus procedunt, à Deo fieri prima omnium cauſa, eique tribui poſſe & debere. Nec dubium eſt, fertilitatem alicujus regionis, & ejuſdem ſterilitatem, à talibus cauſis ſæpè procedere, quæ manifeſtas habent in natura rationes; imo ſemper uti Deum cauſis naturalibus ad fœcundandam terram, aut earundem vim inhibere, dum eam vult ſterilem reddere. Scripſerunt multi de cauſis naturalibus fertilitatis vel ſterilitatis in Ægypto, idque apud omnes naturæ illius regionis peritos certiſſimum eſt, inundationem Nili, ſive majorem, ſive minorem, alterutrius cauſam eſſe, ita ut annus fertilis ſit, ſi Nilus in ſua inundatione ad certam menſuram aſcendat, puta cubitorum ſexdecim; ſi autem ad duodecim tantum, aut ſub duodecim, ſterilis erit annus, Qua de re legi poteſt Plinius, Hiſt. Nat. lib. 5. cap. 9. Ubi multis agit de ortu, & inundationibus

Nili, ejuſque cauſis & effectibus. Et inter Neotericos ſcriptores, Villamontius in Itinerario ſuo Jeroſolymitano, cap.12.lib.3. Deum hac naturali cauſa uſum fuiſſe in prædictionis iſtius eventu non dubitarem; ſed in ejuſdem continua per primum ſeptennium ad neceſſariam menſuram deductione, & contra in ejus per aliud ſeptennium decremento, agnoſcendum eſt vim quandam majorem adfuiſſe, & Deum aliquid extraordinarium fuiſſe operatum. Voluiſſe etiam prioribus illis annis non ſolum irrigare terram quantum neceſſe fuit, aquis fluminis; ſed etiam extraordinaria benedictione eam fœcundare; ſequentibus autem inhibere exundationem fluminis, ut areſceret terra, quomodo effecit aliquando, tempore Eliæ, ut in Palæſtina toto triennio non plueret. Vix enim ratio naturalis dari poteſt, ut talia tamdiu continuent; quæ proinde præter vim & modum & ordinem naturæ, à Deo facta fuiſſe credendum eſt: Idque voluiſſe Joſephum, dùm bis monuit, Deum revelaſſe quæ facturus erat.

Commodè autem & convenienter, fertilitas & fames conjunctim per boves & ſpicas fuerunt deſignatæ. Hæc enim duo faciunt ad fertilitatem terræ, ut ex ſpicis plenis eligantur ſemina terræ mandanda, ſed prius ſubigatur terra, labore boum validorum; alioqui ſi ſemina ſint vacua, & cultura negligens, fruſtra expectabitur largus proventus. Addatur & hoc, fertilitatem terræ ad uſus humanæ vitæ pertinentem, præcipuè in duobus hiſce conſiſtere, frugibus nempe, & armentis; Ubi enim hæc duo abundant, vix reliqua deſiderantur. Quoad fruges, principatum tenet frumentum; Inter animalia autem humanæ vitæ deſervientia boves primo loco merito cenſentur, ſive laborem arandi ſpectemus, ſive alias utilitates ex carne, pellę, ſive corio, ſebo & ſimilibus. Unde colligimus nihil aptius eligi potuiſſe, ad fertilitatem & ſterilitatem præfigurandam. Apud Pierium Valerianum in Hieroglyphicis lib. 3. referuntur multę ſignificationes variarum figurarum boum, inter quas cap.12. annonæ felicitas & penuria, ex hac hiſtoria repetuntur; cap.13. *terra frugifera*, per bovem ex antro ad ſacrificium deductum. cap.15. per junctos boves, *frugum opulentia*. cap.22. *fructus ex laboribus*. Notat etiam cap.18. à Phœnicibus eum delatum fuiſſe honorem bovi, ut primæ vocalis nomen bovem appellaverint, quia animal eſt humano uſui maximè neceſſarium. Quod vero neceſſarium ita eſt, primo loco poni debet. Ideo litera A quæ in pronunciatione, nullius ſubſidio opus habet, bovis nomine appellata eſt. Addit bovem eſſe terræ ſymbolum, quæ prima omnium humanæ conſuluit infirmitati. Idem, lib. 55. oſtendit, ſpicæ hieroglyphico ſignificatam fuiſſe *annonam*, cap.3. *Proventum* bonorum, fructuumque copiam & feracitatem, cap.6. *Meſſem*, cap. 8. & agriculturam, ca. 10. ita ut ſint naturalia ſigna quibus Deus in hac patefactione uſus eſt; maximè cum repræſentaverit boves ex Nilo aſcendentes, & ſpicas in Nili ripa; ut mirum ſit tam obvia non veniſſe in mentem ſapientũ Ægyptiorum; ſi quid enim difficile fuit, in annorum ſignificatione poſitum fuit. Sed cauſam ſupra diximus. Voluit Deus id etiam in Ægypto facere, quod alibi poſteà, *ut periret ſapientia ſapientum ejus, prudentiaque prudentum ejus ſe abderet*, Eſai.30.2. Et ita confunderentur operâ miſeri captivi, ut in eo etiam idem acciderit, quod in myſteriis evangelii, quæ *Deus abſcondit ſapientibus & intelligentibus, & detexit infantibus*. Matth.11.℣.25.

Hactenus explicavit ſomnium Joſephus; addit poſteà conſilium ſalutare, ne divina illa præmonitio inutiliter cederet. Conſilii partes tres ſunt, 1, ut fiat electio viri induſtrii & ſapientis, qui præficiatur terræ Ægypti. 2. explicat munus quod ei viro judicat committendum eſſe. 3. Utilem ſui conſilii finem exponit. In prima, notandæ ſunt qualitates eligendi, ut ſit נבון *nabhon*, intelligens, aut prudens; וחכם *vechacam*, & ſapiens. Res erat magni momenti, & quæ virtutes tales requirebat, in eo qui totis quatuordecim annis invigilare debuit, ut in regno Ægypti ita colligerentur fructus ubertatis ſeptennio, ut non temerè diſſiparentur, & diſtraherentur; & ſeptennio famis ſuppeteret unde non ſolum Ægyptii, ſed etiam vicini populi ali poſſent; atque ita augeretur quammaximè Regis ærarium. Cujus etiam docet Joſephus intereſſe, ut annonæ rationẽ habeat; quam curam ſuam eſſe merito exiſtimarunt, quicunque populis regendis commiſſi, munere ſuo fideliter defungi voluerunt. Nam in talibus incuria, Rebuſpub. gravia infert incommoda, motus & ſeditiones in populis concitat, & principes reddit exoſos. In Repub. Romana, tum cum eſſet florentiſſima, maxima ejus rei ratio fuit habita, creatis annonæ præfectis, quorum dignitatem magnam fuiſſe ex eo conſtat, quod Pompeius, poſt multos triumphos, eam nõ eſt dedignatus.

Cum autem in ampliſſimo regno, tantæ rei unus ſufficere non poſſit, addit etiam Joſeph, primum illum à Rege conſtitutum, aliorum operâ variis in locis uti debere, ut quintam partem fructuum regis nomine, in urbibus reponerent & congregarent, atque ita ſervatũ frumentum conſervaretur in multos annos, quod ea ratione fieri poterat, nempe ſi in ſuis faſciculis & ſpicis frumenta reſervarentur; deinde, ſi in diſpenſatione, quæ collecta erant primo anno fertilitatis, diſtributa fuerint primo anno ſterilitatis. In hac conſilii parte nulla difficultas eſt, niſi fortè in eo quod vult exigi quintam partem omnium fructuum à Rege. Mercerus exiſtimat id factum fuiſſe ſumptibus regiis; quod ſi verum ſit, nihil eſt quod nos remorari debeat; ſed vix credibile eſt ad tantam annonæ copiam comparandã, ipſum Regem ſufficere potuiſſe. Id primò ponendum eſt, ad ſuſtinendam dignitatem regiam, quæ omnibus invigilare debet, conveniens eſſe, imò neceſſarium, ut

ſubditi

ſubditi pro ratione bonorum quæ in regno aut repub. poſſident, etiam juvent onera publica, & ita vix dubitari poteſt quin Ægypti Reges, ex proventu ordinario terræ cui imperabant, aliquam portionem à ſubditis ſuis acceperint, ut decimam, vel aliam, ut appellant, *quotam*. At in extraordinariis occaſionibus, ubi agitur de Repub. conſervanda, ad tyrannidem non eſt referendum, ſi aliquando principes augeant tributa, ponderatis nihilominus ſubditorum viribus. Rex monebatur de futuro proventu largiſſimo integro ſeptennio; Videbat Joſeph, quatuor partes abundè ſufficere poſſe populo, & quintam poſſe conſervari à rege, ſine onere ſubditorum. Proponebat prætereà Regem tanquam populi tutorem & curatorem. Ideo, quamvis non laxare ſibi debeant habenas principes, ut quicquid voluerint pro libitu à ſubditis ſuis exigant; & in eo nimis frequenter peccetur; tamen, in caſu planè extraordinario, & præeunte admonitione divina, etſi alioqui hoc factum regulis communibus non quadraret, non poſſet, ſine temeritatis nota, reprehendi. Quæ etiam circumſtantiæ monent, non eſſe id trahendum in exemplum, ubi pares non ſunt rationes. Nam etſi in genere, & ſi theſim ſpectemus, verum ſit, principes propter urgentem neceſſitatem, non ſolum poſſe, ſed etiam aliquando debere augere tributa, nō tamen ſequitur ſemper imitandam eſſe taxationem, ut ita loquar, quintæ partis. Quia ratio habenda eſt neceſſitatis reipub. ita ut etiam quid populus ferre poſſit ponderetur. Quod etiã prudentes politici non omittunt, nedum ut id faciant, qui pietatem & juſtitiam colunt.

Nihil eſt quod magis conſilia commendet, quam neceſſitas, aut utilitas manifeſta, ſi accedat expectatio magni boni; aut periculi alicujus præcautio, vel magni mali evitatio. Hanc ſui conſilii utilitatem propoſuit Joſeph, verſ.16. ולא תכרת הארץ ברעב *velo thiccareth haarets baraabh*, & terra non ſuccidetur fame, nempe ſi cibus deponatur ad ſeptem annos famis; ubi terra pro habitatoribus terræ, qui non ſuccidentur, id eſt, non peribunt & excindentur fame. Inter publica flagella Dei, nullum eſt magis metuendum, nullum proinde magis præcavendum; primum quidem vera ad Deum converſione; deinde etiam ſancta prudentia, ut futuri aliqua habeatur ratio. Hic autem apparet genium prohetarum Dei, & eorum omnium, qui nomine ipſius legatione apud homines funguntur. Non indulgent curioſis & otioſis dictis, neque hoc ſibi proponunt, ut apud homines ex arcanorum revelatione ſibi laudem acquirant & admirationem, aut ſua ipſorum quærant; ſed ut eorum inſerviant bono, quos docent. Fuerunt pleraque, ab Ethnicorum vatibus denunciata ferè inutilia. At prophetæ Dei denunciationibus ſuis addiderunt uſum, & conſilia ſaluberrima.

A verſu 37. uſque ad 47. recitat Moſes, quæ ad evectionem Joſephi ſpectant, ad eam dignitatem, quam ipſi jam olim ſomnia præſignificaverant; quorum occaſione fratres de eo tollendo ceperãt conſilium, eumque vendiderant ne dominaretur, in miſeram ſervitutem redactus. At admirando Dei conſilio, qua ratione putarunt obeſſe ejus principatui, illud imprudentes promoverunt; & quod notandum eſt; qui propter ſomnia venditus fuerat, & in Ægypto ſervituti mancipatus; ſomniorum occaſione in aulam accerſitus, & per eorum interpretationem Pharaoni & aulico comitatui gratus, non tantum libertatem adipiſcitur, ſed etiam ſummam à rege dignitatem. Quomodo autem id factum fuerit ordine narratur. Delatus ipſi honor conſideratur primùm in verbis Regis; deinde, in factis. Poſt prudentiſſimum conſilium quod ſuæ interpretationi ſubjunxerat, omnium animi acquieverunt, tam regis, quam miniſtrorum ejus. Quod non tam deputandum eſt conſilii ipſius efficaciæ, propter evidentem utilitatem, etſi hoc fuerit magni momenti, quam Dei operationi, intus corda eorum moventis. Aliter enim fieri non potuiſſet, ut tantus conſenſus ſequeretur, in tam multis & diverſis capitibus, præſertim inter aulicos, apud quos ſæpè meliora conſilia irrita fiunt, æmulorum artibus, etiã tum, cum ab æqualibus, aut à ſuperioribus proficiſcuntur. At nunc, quod omnes acquieſcunt ſententiæ hominis exteri, ex inviſa gente, mancipii, qui nuper inter reos concluſus erat, nec Diabolus per ſuos conſilium illud eluſit, non aliunde proficiſci potuit quam à Deo, voluntates cohibente & dirigente, idque efficiente, ut voluerint & egerint, quod fieri decreverat.

Laudabat igitur Pharao Joſephum, primum apud ſuos, deinde, ipſum compellans. Apud ſuos, etiam comparatione facta, *Inveniemus ne virum ſimilem iſti, in quo ſit ſpiritus Dei?* quaſi diceret, talis nullus, qui illum æquet, poteſt reperiri. Hæc autem dixit, cum deliberaret & conſilium caperet, de eligendo tali viro, qualem deſcripſerat huic negotio aptum Joſephus. Probabile eſt tum Joſephum non adfuiſſe. Non enim neceſſarium eſt, ut quæ hic narrantur, uno & eodem tempore facta fuerint, nullis interjectis diebus, potuit enim Pharao tempus aliquod ad maturius deliberandum interponere, nec enim tum habuiſſe videtur ſuos omnes præſentes, cum Joſephus ſomnium interpretatus eſt. Quid reſponderint conſiliarii, Moſes non dicit; vel laudarunt regis ſententiam, vel conſenſu ſuo approbarunt. Quomodo autem intellexerit Rex ille, *quod ſpiritus Dei fuerit in Ioſepho*, videndum eſt. Etſi potuerit ex verbis Joſephi intelligere, Deum eſſe qui arcana revelat, & qui per Joſephum reſponderat; non tamen putandum eſt, cognoviſſe myſterium trium perſonarum in divinis, & eſſe diſtinctam à Patre & filio perſonam, quæ ſpiritus Dei vocaretur. Ergo per ſpiritum Dei, afflatum divinum, ſive divinam inſpirationem intellexit; Sic Nebucadnezar Danieli dicebat, ca.4.℣.18. *ſpiritus Deorum ſanctorum ineſt tibi*; id eſt, afflatus es

ſpiritu

ſpiritu divino: eadem repetuntur ab avia Belſchatzaris, Daniel. 5. ℣. 11. & ab ipſo rege, ℣. 14. Eo uſque enim progrediebantur Ethnici illi, ut agnoſcerent, ſapientiam illam eſſe ſupra humanam, & divinitus inditam.

Id etiam agnoſcit rurſus Pharao, verſ. 39. dum ſic Joſephum alloquitur, *Poſtquam cognoſcere fecit te Deus totum hoc.* Vulgata, *quia oſtendit tibi Deus omnia quæ loquutus es*, ubi Deo tribuit arcani revelationem, monitus antea à Joſepho, qui dixerat, *ſine me reſpondebit Deus proſpera Pharaoni.* Ubi notandum, etſi pii in eo laborent ut nihil gloriæ Dei detrahatur, ſed agnoſcatur autor omnis boni; non tamen propterea injuriam fieri Deo, ſi tanquam Dei inſtrumenta commendentur, & honoribus etiam afficiantur, dummodo talibus, qui homini competere poſſint. Et hæc prudenter obſervavit Pharao; qui ad Deum autorem refert quæ Joſephus loquutus eſt, ita tamen ut in eo agnoſcat ſapientiam, & prudentiam, tanquam Dei dona. Utitur autem iiſdem vocibus, quibus ipſe Joſeph deſcripſerat virum, qui ſuo judicio præfici debebat à rege huic adminiſtrationi. Dixerat, Nunc provideat Pharao, virum נבון וחכם *nabhon vechacam*, intelligentem & ſapientem: Dicit Pharao, אין נבון וחכם כמוך *een nabhon vechacam camocha*, *non eſt intelligens & ſapiens ſicut tu.* quaſi dixiſſet, tibi, non aliis hoc convenit, non eſt alibi quærendus qui ſit par huic muneri. Vel ut Philo Judæus in lib. de Joſeph, ſeu de vita civili ἐγγὺς φράζεις, *Propè eſt quem quæri jubes; non longè quærendus eſt homo ille quem dixiſti, prudens atque induſtrius, qui tua exequatur monita, tu es, nec enim ſine numine hæc videris locutus.* Injuriam faciunt Joſepho Ebræi, qui eo animo volunt hoc conſilium dediſſe regi, ut talem virum deligeret, quia jam affectabat hunc honorem; nam ambitionis illum inſimulant, & imminuunt hac ſua conjectura Dei gratiam, cui tota illa electio deputanda eſt: quia occultè Regis & aulicorum animos affecit, ut in Joſepho dona divina agnoſcerent & prædicarent, & neceſſitate quadam eos adegit ad eum præferendum, cum non viderent alium aptiorem ad providendum omnibus neceſſariis ad præcavendam eam quam prædixerat famē: cujus imminentis horrore adducti, Deo animos eorum afficiente, etſi aliàs ſapientiæ æſtimatione inflati, Joſepho, etſi extero, & antea vili, ceſſerunt, & de primatu non contenderunt.

Exercitatio CLVIII.

Ioſeph inſtituitur prorex. Oſculari ſuper os alicujus. *Examinatur Druſii Cenſura, an oſculum in aliquo caſu ſit ſubjectionis ſymbolum? probatur fuiſſe. Symbola collati honoris. Annulorum apud veteres uſus. Explicatur locus* Lucæ xv verſ. xxii. *Byſſinæ veſtes pretioſiſſimæ. Torquis aurea. Equites torquati. Currus à regio ſecundus. Quanta mutatio in Ioſepho, ex oppoſitione prioris & poſterioris ſtatus. Proclamatio, in qua quid ſignificet* Abrech, *expenditur. Et redarguitur Pontificis Romani ſuperbia.* Pharaonis *nomen.* Non movere manum aut pedem, *adagium. Nomen novum inditum Ioſepho, de cujus ſignificatione inquiritur. In hac ſua evectione ad ſummos honores Chriſti fuiſſe typum; & piis Dei cultoribus exemplum.*

Sequitur à verſ. xl. uſque ad xlvi inauguratio Joſephi ad dignitatem à regia proximam. Poſtquam enim rex declaravit, neminem ei eſſe conferendum in prudentia & ſapientia; pronunciat ſe eum deſignare proregem, in tota Ægypto. Non ſolum enim eum conſtituit ſummum adminiſtratorem domus regiæ, ſed etiam נתתי *nathatti*, inquit, *dedi te*, id eſt, *conſtitui te ſuper omnem terram Ægypti.* Imo ne aliqua eſſet ambiguitas, comparatè ad ſe ipſum voluit declarare quid Joſepho tribueret, *tantum*, inquit, *ſolio*, אגדל ממך *egdal mimmeca*, magnus ero præ te, id eſt, major te. q. d. Secundus eris à me, & excepto loco primo, poteſtatem meam adminiſtrabis. Dixerat, על פיך ישק כל עמי *al pica jiſſak col ammi.* ad verbum, *ſuper os tuum oſculabitur omnis populus.* Vulgata, *ad oris tui imperium omnis populus obediet.* Quem ſenſum probat Pareus. *Univerſus populus juſſa tua & imperium ſponte & peramanter accipiet, quaſi cum oſculo, quod eſt amoris ſignum.* Tremel. & Junius, *Os tuum oſculator univerſus populus meus*, id eſt, *hoc ſubjectionis ſymbolo, dominum te agnoſcitor atque profitetor.* Negat Druſius hoc verum eſſe. Quod ſi univerſaliter intelligat, idem etiam agnoſcimus, non ſemper eſſe ſubjectionis ſymbolum, nec id voluit Tremellius. Aliquando autem, pro ratione perſonarum & circumſtantiarum, ſi hoc neget Druſius, quod tantum voluit Tremellius, exiſtimo contrarium probari poſſe, non ſolum ex hoc loco, ſed etiam ex aliis tam ſacrorum, quam profanorum ſcriptorum locis. Non urgebo quod Idololatræ, manu ad os admota, idola ſua adorabant; ſolebant enim manum deoſculari & capita ſubmittere, quod ſe Beatus Job elementis & Idolis feciſſe negat. Job. 31. ℣. 17. *Qui huc*, inquit Druſius, *referunt locum ex* Pſal. 2. *& oſculamini, interpretantur, adorate, injuriam faciunt ſpiritui ſancto, cum mos ille fuerit colentium Idola: quem ad Chriſtum referre ipſa abſurditate abſurdius eſt.* Non perſuadet vir doctus, ut ejus verbis utar. Quid enim, ſi Idololatræ mores adhibi-

adhibitos in cultu divino erga Idola ſua uſurparint? Abſurditas ergo tota eſt in objecto quod ſibi proponunt, non in modo qui cõmunis eſſe poteſt. Certè Idololatrę proni & genibus flexis adorabant; *genua flectebant coram Baal*; An igitur Deo faciet injuriam, qui coram ipſo genu flectet? Redeamus ad oſculum. *Inter genera oſculorum*, inquit ipſe Druſius, *quæ recenſent Ebræi, eſt oſculum dignitatis ſive magnitudinis, ut cum Regem recens creatum oſculo excipimus, & admittimus, eique homagium præſtamus. De quo intelligendus David loco citato. Samuel quoque eo ritu oſculatus eſt Saulem poſtquam eum unxit in Regem*, 1 *Sam*.10.ÿ.1. & rectè. Mirum eſt igitur cur aſſentiri noluerit Tremellio dicenti, oſculum quo Joſepho populus Ægypti debuit dignitatem novam gratulari, fuiſſe ſubjectionis ſymbolum. Nam cum fateatur eſſe oſculum dignitatis & *homagii*, id eſt, quo oſculantes agnoſcunt alicujus dignitatem & homagium præſtant, non video quomodo negare poſſit tale oſculum eſſe ſubjectionis ſymbolum. Quod certè verum eſt; ſed ſubjectionis quam quis libenter profitetur & ex affectu, quia non ſolent hoſtes, etſi ſubjecti, ad oſculum admitti, aut ad illud etiam accedere, quamdiu ſunt hoſtes, quia talis admiſſio in principe benevolentiam ſignificat, & pignus eſt mutuæ inter Dominum & vaſallum obligationis. At, inquit Druſius, etiam qui ſuperiores erant inferiores oſculabantur. Nam oſcula olim adhibita in hominum cultu; ſanè ipſos reges legimus & principes, oſculo excipere ſolitos cives digniores. Ex hoc more Darius rex Zorobabelem oſculatur 3. Eſræ 4. verſ. 47. Non ergo ſignum & ſymbolum eſt ſubjectionis. Reſpondeo, non tum quidem & in tali caſu fuiſſe ſubjectionis ſymbolum, ſed tantum amicitiæ aut benevolentiæ. Sed nunquam fuiſſe non probat, præſertim in circumſtantiis notatis, cum populus nempe, principem oſculatur reverenter, eique homagium præſtat, ut ipſe Druſius agnovit. Quam ego interpretationem hic amplector ut ſimpliciſſimam, ut hic ſignificetur, populum Ægypti ex Regis mandato honorem illum Joſepho exhibiturum, qui à vaſallis reddi ſolet iis, quibus honorem domini tribuunt, ſe eis ſubditos confitentes. Doctiſſimo Mercero alia expoſitio potiſſima viſa eſt, quam affert in radicibus *kimchi*, ut ישק *jiſchk*, ſit ex ſignificatione נשק naſchak *armorum*, quomodo vertit Pagninus, *ad ſermonem tuum armabitur totus populus*. Quam etiam ſe expreſſiſſe dicit Druſius: quaſi ei nominatim rei militaris principatum concederet, quod etiam pertinet ad ſummum honorem. Et ſic intellexit Chaldæus Paraphraſtes, *juxta verbum tuum armabitur*, etſi alii vertant, *nutrietur*. Sed exemplum non afferunt, in quo verbum accipiatur in *armandi* ſignificatione, etſi inde deductum ſit nomen נשק, quod bellum, & armaturam ſignificat: quia cum verbum נשק *naſchak*, ſignificet *occurſionem more oſculantium qui ſibi invicem occurrunt*, ita nomen *néſchek* uſurpatum etiam fuit pro bello, ab eo quod ſibi mutuo occurrunt milites, ut manus conſerant. Oſculi ſubjectionis interpretationem confirmat editio LXX. verterunt enim, ἐπὶ τὸ στόμα σου (ὑπακούσεται), *in ore tuo obediet*, id eſt, ſubjicietur tibi omnis populus.

Addidit Rex honoris collati ſymbola, verſ. 42. Detracto annulo ſuo è manu ſua, dedit eum Ioſepho. Idem poſteà Aſſuerus fecit Mardochæo. Eſter. 8. ÿ. 2. Annulorum apud veteres duplex fuit uſus, erant enim inter ornamenta, & ſigna dignitatis, ut apud Romanos, annulus aureus ſignum fuit ordinis equeſtris. Alius uſus fuit in ſigillis, erant enim annuli ſignatorii. Primum uſum, ad ornamentum indicat Livius lib. 3. Secundi belli Punici, cum narrat eum qui Carthaginem miſſus fuit ad nuntiandum Cannenſem victoriam, in veſtibulo curię ingentem aureorum annulorum acervum projeciſſe, adjectis verbis, neminem niſi equitem, atque Romanorum primores, inſigne id geſtare. Sed uſum ſignatorium antiquiſſimum eſſe certum eſt; quia veteres non ornatus ſed ſignandi cauſa annulum gerebant, nec plus habere quam unum licebat. Sed poſteà, ſuccreſcente luxu, & delitiarum oſtentatione, delitioſi populi Romani labes, hunc morem violavit. Signum tamen in uno tantum habere permittebatur, nec cuiquam niſi libero; unde lux aliqua huic Euangelii loco, cum pater filium excipiens, jubet ut *detur annulus in manum ejus*. Luc. 15. ÿ. 22. in ſignum recuperatæ libertatis, quam amiſerat, porcis paſcendis admotus, poſt vitam profligatam. Quo ſigno etiam Joſephus, qui anteà ſervus fuerat venditus, à rege manumittitur, & in libertatem aſſeritur. Sed id præterea voluit, dato annulo ſignatorio, omnia ſua fidei ejus committere. Præcipuum enim annuli ſignificatum fuit ingenui hominis fidem indicare. Unde Cicero ad Q. fratrem, *ſit*, inquit, *annulus tuus, non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ*. Refert Q. Curtius lib. 6. de reb. geſt. Alex. Cum interrogaretur Babylone jam moribundus, quem ſucceſſorem ſibi deſignaret, reſpondiſſe, *optimum*. Sexto poſt die cum præciſa voce loqui non poſſet, detractum digito annulum Perdiccę tradidiſſe, quo præjudicio videbatur ab eo ſucceſſor deſignari. Non quidem ut ſucceſſorem ſibi deſignaret, annulum ſuum tradidit Joſepho Pharao, ſed tamen id fecit, ut declararet, ſe ei poteſtatem tradere, ut quæcunque vellet, nomine ſuo & autoritate decerneret, atque obſignaret. Eſt enim obſignatio literarum & diplomatum, liberæ rerum adminiſtrandarum poteſtatis ſymbolum.

Adjecit Rex ornamentum veſtium. *Fecit enim eum induere veſtibus* שש *ſchelic*, byſſi. Targum בוץ *butz*. Quæ vox etiamnum apud Arabes, *albare* ſignificat. Unde ſic dictum fuiſſe *byſſum*, ab albedine probabiliſſimum eſt. Apoc. 19 ÿ. 14. dicitur βύσσινον λευκὸν καὶ καθαρόν, quo veſtiti erant exercitus qui ſunt in cœlo. Pretioſiſſimum fuiſſe genus veſtis, ex omnibus locis in quibus hæc vox legitur compertiſſimum eſt. Sed quid propriè ſignificaverit, aut quænam fuerit materia, non

ita conſtat. Volunt plerique fuiſſe genus lini optimi, tenuiſſimi, molliſſimi & candidiſſimi, quod in Ægypto tantum, circa oppidum Sombat præſertim ſereretur, ac copiosè proveniret, indeque per totum orbem diſtraheretur, ex quo veſtes, præſertim ſacræ, vela, & conopæa conficerentur. Sic Valentinus Schindelerus. Julius etiam Pollux lib. 7. cap. 17. byſſum dicit lini ſpeciem quandam eſſe apud Indos; Plinius lib. 19. cap. 1. inter lini ſpecies *byſſum* refert. Aliis byſſus eſt coloris pretioſi genus, unde byſſina veſtis, byſſo infecta. Aliis lana pretioſiſſima, colore & nitore auri. Ita Scaliger exercit. 325. 12. byſſinum colorem, *auro proximum* dicit. Byſſus & purpura junguntur in ſcriptura. Luc. 16. ℣. 19. Apoc. 18. 12. 26. Conſtat ergo, pretioſiſſimas fuiſſe veſtes, quibus ſoli Reges aut principes utebantur.

Tertium ornamentum fuit רבד הזהב *torquis auri*, id eſt aureus, fuit circulus aureus tortus, & collo impoſitus, in honoris ſignum. Hinc etiam poſtea dicti fuerunt *equites torquati*, qui à regibus torque donantur ſive faſcia, tanquam dignitatis nota, ut apud Gallos *conchyliati*. Mos ille fuit apud Romanos Imp. ut torquem aureum militibus, ob res præclare geſtas donarent. Sed vetuſtiorem morem fuiſſe videmus ex hac hiſtoria, & Danielis, quo Reges in præmium virtutis aureis torquibus collum cingebant eorum quos elevabant ad aliquam dignitatem.

Quartum ornamentum fuit currus, fecit eum equitare במרכבת המשנה אשר לו *bemerkebeth hammiſchneh aſcher lo*, ad verbum, *in curru ſecundo qui ſibi*. Vulgata *ſuper currum ſuum ſecundum*: id eſt, ut in pompa regia, proximus à rege, aliis omnibus aulicis honoratior incederet. Vatablus vertit, *currum ſecundi*, nempe à rege *viri*, quo is qui ſecundus erat vehi ſolebat, non ſolum in pompa regia, ſeu regis comitatu, ſed etiam ſine rege. Uno verbo currus *proregis*, ut omnes agnoſcerent eum dignitate & honore regi proximum. Erat etiam currus, vel apud alios equus regius, maximæ dignitatis ſignum. Aſſuerus voluit Mardochæum, veſtibus regiis indutum, *equo regio* inſidere. Hæc quatuor ornamenta ſive inſignia regia, miram mutationem in Joſepho factam indicant. Compedibus vinctus fuerat in carcere; à rege torquem aureum accepit. Servili vinculo fuerat alligatus; datus ei fuit annulus regius. Indutus fuit ſordidis veſtibus, quibus ſucceſſit veſtis byſſina, & pro ſqualore carceris, regio vectus eſt curru.

Acclamatio juncta fuit aliis honoribus. ויקראו *vajjikreu*, & clamabant coram eo, אברך *abrec*. Non exprimitur à quibus id clamatum fuerit. Vulgata habet, *clamante præcone*, ut non fuerit acclamatio populi, ſed proclamatio nomine regis & juſſu facta. Id firmare videntur verba ſequentia, ונתון אתו *venathon othô*, & dando eum ſuper univerſam terram Ægypti, ad verbum: Græci autem, κατέστησεν conſtituit eum. Vulgata hæc ita jungit, *clamante præcone, ut genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ terræ Ægypti*. Chaldæus Paraph. *præconiſaverunt coram eo, ipſe eſt pater Regis, atque ita conſtituit eum, &c.* Tremel. & Junius hic ad vulgatam proximè accedunt, niſi quod ſubaudiunt verbum *juſſit*, nempe *ut clamarent præcones, ante eum flectenda eſſe genua*, cujus honoris hanc rationem afferrent, quia rex eum conſtituerat ſuper univerſam terram Ægypti. Et hæc quidem dilucida mihi videtur explicatio. Sed de voce *Abrech*, laborant interpretes; quorum qui eam ad fontem Ebræum reducunt, vel exiſtimant eſſe compoſitam ex אב ab, *pater*, & רך *tener*, quaſi dicerent, qui tener eſt annis, pater eſt ſenili prudentia; vel quia רך & ריכא *rika* paſſim in Thalmud pro rege accipitur, *patrem regis* interpretantur. Alii probabilius, vocem Ægyptiam eſſe cenſent, cujus tamen radix ſit Ebræa. ut ſit imperativus verbi ברך *barac*, genu flexit, in quo Ægyptio & Syriaco more א pro ה ſcriptum fuerit. Hæc ſententia communior eſt. LXX. vocis illius interpretationem omiſerunt tanquam peregrinæ, niſi quod videntur eam accepiſſe pro præcone. Si liceret à communi ſententia paulum recedere, putarem non neceſſarium eſſe præconis nomen ſupplere, ſed illud ויקראו *vajikreu*, clamabant; intelligendum eſſe de publica acclamatione totius populi, & illud *Abrech*, fuiſſe vocem apud Ægyptios uſitatam in publicis acclamationibus, quemadmodum inter nos hoc tempore vox *vivat*. Nec valdè inclino ut credam juſſum fuiſſe populum, ut tranſeunte Joſepho genua flecteret: etſi nunc id Romæ fiat, cum Pontifex Romanus, vel lectica, vel equo vehitur. Tunc enim apparitores quidam clamant *Abaſſo Abaſſo*, & eodem tempore ſi quis tardius genua flectat in loco incommodo, etiamſi lutoſus ſit, haſtili vibrato, tibias feriunt cunctatorum. Id ſi factum fuiſſet Joſepho Ægyptii regis mandato, ad cultum civilem eſſet referendum. Sed cum Papa id ipſe exigat, tanquam cultum religioſum, non poteſt à ſummo ſacrilegio excuſari, qui honores divinos in ſe transfert.

Quod ver. 44. dixit Rex Ægypti Joſepho, *Ego Pharao, abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum aut pedē in omni terra Ægypti*, ſunt qui exiſtiment eſſe juramentum ſolemnem confirmantis collatam dignitatem: quaſi *ego Pharao*, eſſet veritatis comparatio, *quam verum eſt me eſſe regem Pharaonem*, tam verum eſt me tibi hanc poteſtatem tribuere. Sed non video, cur in ea re, juramento opus fuerit; cum Rex eum reipſa immitteret in muneris poſſeſſionem. Simplicius eſt, ut ſit explicatio ejus quod antea dictum fuit & factum, quaſi hoc vellet, quæ hactenus dixi & feci, ideo dicta & facta ſunt, ut ſciant omnes, me mihi ſervare nomen & dignitatem regiam; ſed quod ſpectat regni mei adminiſtrationem, eam me fidei tuæ & prudentiæ, committere, ut à te pendeant omnes ſubditi mei. Ubi nomen *Pharaonis*, accipitur non propriè, ſed *appellativè*, ſive ſignificaret *Regem*, lingua Ægyptiaca; ſive, quod magis mihi videtur probabile, ab aliquo Rege vel primo,

primo, vel excellentiſſimo, cui fuerit proprium, ad alios omnes fuerit derivatum, non ut perſonam, ſed ut dignitatem ſignificaret, quomodo nunc *Cæſaris* nomē, pro appellativo *imperatoris accipitur*. Eſt autem adagialis loquendi forma, *non movere manum aut pedem*, non ſine hyperbole, pro, non licebit vel minimum quid ſuſcipere aut agere; nempe in iis quæ pendent ab autoritate regia, ſed cuncta tuo nutu peragentur. Id Chaldæus Paraphraſtes ad bellica negotia reſtringit, ſed generaliorem eſſe locutionem conſtat. Argumentum præterea totius hiſtoriæ, & finis quem Rex ſibi propoſuit, non ſpectant bellica negotia, ſed pacis potius, & populi Ægyptii conſervationem tempore famis. Itaque ſi aliqua reſtrictio opponenda eſt, ſpectabit ea quæ ad ſtatum reipublicæ conſtituendum pertinent, ſive pacis, ſive belli tempore.

Mos fuit Principum orientalium, eorum mutare nomina, quos ad aliquam evehebant dignitatem. Id etiam à Deo factum fuiſſe ſupra vidimus. Rex Ægypti, judicavit etiam è re eſſe, ſi novo nomine Joſephum inſigniret, quo notior eſſet ejus dignitas, & cauſa cur ad eam evectus fuiſſet. Vocavit ergo eum, צפנת פענח *tſaphenath paneach*, quarum vocum interpretatio dubia eſt. Vulgata editio, *vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi*. Addidit illud, *lingua Ægyptiaca*, quod textus non exprimit, ſed tamen intelligi debuit. Prima vox poteſt facilè ad Ebræum fontem revocari. צפן *tſaphan* enim eſt radix Ebræa, quæ ſignificat *abſcondit*; ejuſdem potuit eſſe ſignificationis apud Ægyptios. Inter quos & Ebræos, etſi talis fuerit linguæ differentia, ut per interpretes egerint inter ſe, non eſt tamen dubitandum multa ex matrice lingua relicta fuiſſe in aliis orienralibus, quod in Arabica, Syriaca, Nubiana, Æthiopica & ſimilibus etiamnum manifeſtum eſt. Itaque non mirum eſt ſi in voce Ægyptiaca reperiantur tres radicales Ebrææ. Ægyptii. Monachos ſuos vocarunt *Nonnos*, unde adhuc apud nos manet *nonnarum* nomen, manifeſtum eſt autem deductum eſſe ab Ebr. נין *nin*, filius: quemadmodum Monachorum præfecti *Abbates*, id eſt, patres vocabantur, ut benè obſervavit in hunc locum doctiſſ. Amama. Fatendum eſt ergo, quamvis concedatur nomen hoc eſſe Ægyptium, non inde ſequi, abſurdè facere, qui ex Ebræarum vocum affinitate quærunt ejus interpretationem. Hieronymus in quæſt. Ebr. dicit nomen inditum Joſepho, Ægyptiace *Salvatorem mundi* ſignificare, quo autore, certum eſt, inſertum id fuiſſe vulgatæ editioni. Nam, ut id obiter dicam, etſi falſum ſit totam editionem Bibliorum vulgatam eſſe Hieronymi, de Pentateucho tamen, vix dubitari poteſt. Vixiſſe autem Hieronymum diu in Palæſtina liquet, ubi ab iis qui Ægyptum frequentabant potuit diſcere, quid Ægyptiacè voces illæ ſignificarent, ajunt qui huic verſioni mordicus adhærent. Et quidem crederem Hieronymum id non excogitaſſe, ſed ab aliis quibuſdam habuiſſe. Dubitari tamen poteſt an non ab audaculo aliquo. Alioqui mirum eſt, ſi fuiſſet in Ægypto notiſſima ſignificatio, Septuaginta, qui in Ægypto interpretationem ſuam exararunt ſub Ptolemæo Philadelpho, ex communi ſententia, hoc nomen non fuiſſe interpretatos, ſed in Græco ſuo reliquiſſe corruptam vocem, ψοντομφανήχ. Philo Judęus qui in Ægypto vixit, & potuit ab ipſis Ægyptiis ſciſcitari quid ſignificaret, retinuit eam interpretationem, quam ex verbis ad Ebraicam linguam inflexis erui poſſe fatetur Hieronymus, vertit enim ὀνειροκρίτην, & κρυπτῶν εὑρετήν. quem ſequutus eſt Joſephus. Sic etiam intellexit Chaldæus paraphraſtes, *vir cui ſecreta revelantur*. Notant editores Bibliorum Græcorum Romæ, Syrum legiſſe, εἰδὼς τὰ κρυπτά. Sic Theodoretus, τῶν ἀποῤῥήτων ἑρμηνευτήν. Sic etiam Ebræi. Poſteriorem vocem *paneach*, nullo modo Ebræam eſſe agnoſcit Mercerus. Itaque vix quid certi erui poteſt ex hac ſecunda voce apud Ebræos, apud quos in uſu non eſt. Non mihi videtur tamen Hieronymi interpretatio admodum rei convenire; Cur enim appellaſſet eum Pharao *mundi ſervatorem*, qui non toti mundo poterat providere hoc ſuo conſilio, ſed Ægyptiis tantùm & vicinis. Aliorum conjectura ex prima voce deducta, cujus apud Ebræos ſignificatio nota eſt, multo aptior eſt, & negotio conveniens, quia occaſione revelationis occultorum, ad eam dignitatem evehebatur Joſeph. Sed omnibus expenſis, non mihi diſplicet concluſio Marianæ in hunc locum. *Ego*, inquit, *voces, ut ſunt in Ebræo intactas relinquerem, ne cujuſquam interpretationi præjudicaretur*, *quod fecit Pagninus*; ſic etiam Tremel. & Junius. Titulum fuiſſe honoris dignitati convenientem, non dubitamus.

Si jam conferantur omnes iſti honores cum iis quæ paſſus eſt Joſeph, videbimus Deum abundè eum compenſaſſe etiam in hac vita, pro iis quæ paſſus eſt. Pro odio fratrum, dedit ei gratiam regis potentiſſimi; pro exilio, dedit exaltationem; pro contemptu, ſummum honorem; pro ſervili nomine, regium nomen. Ut ſit hoc inſigne exemplum dicti hujus Paulini, Epheſ. 3. 20. *Poteſt Deus infinita cum redundantia, facere omnia ſuper ea quæ petimus aut mente concipimus*. Nihil enim aliud in votis habuerat ſanctus vir, quam ut carcere & infamia liberatus poſtliminii jure ad patrem redire poſſet. At vero Deus majora ſtatuerat, & cumulatius multo dona ſua in eo augere decreverat, quam ab eo poſtulatum fuerat. In iſta autem exaltatione non malè conſideratur Joſephus, ut in multis aliis tanquam Chriſti typus, ſi ſpectemus glorioſum ejus triumphum, poſt ſummam ignominiam. Fidelibus autem omnibus in genere proponitur, tanquam exemplum ampliſſimorum fidei & patientiæ fructuum, pro divinæ diſpenſationis ratione expectandorum, &c.

EXERCITATIO CLIX.

Socerum Ioſephi non fuiſſe herum ſuum priorem. Inſulſum de eo Iudæorum commentum. כהן kohen *vox communis.* On, *aliter dicta* Heliopolis. *An ab Ethnico principe potuerit Ioſephus bona conſcientia delatos honores recipere? Affirmatur, & explicatur. Additur alia difficultas, de conjugio cum infideli. Quæ reſolvitur. & quæſtio de* diſpari cultu, *in genere ventilatur. Aetas Ioſephi cum ſe ſtitit Pharaoni. Et ſuper eo conſideranda. Nomina filiorum ejus, & eorundem ſignificatio gratitudinem ejus indicans. Quomodo* oblitus *fuit domus patris ſui? Quî factum ut toto octennio Ioſephus de familia paterna non inquiſierit? An ſeptennis fames fuerit in toto orbe? Prudentia ſumma in frumenti diſpenſatione.* שבר ſchabhar, *quid? Fabula* Serapidis, *an ex Ioſephi hiſtoria ortum habuerit? Expenduntur rationes ita ſentientium. Oraculum de Trinitate, quantæ fidei? An ſub nomine Apis Ioſephum Aegyptii coluerint? Negatur.*

VT magis ſibi devinciret Joſephum Pharao, hanc etiam in ſe curam ſuſcepit, ut eum matrimonio jungeret, & uxorem ei nobilem deligeret, cujus hîc nomen ponit Moſes, item patris nomen, & officium. In duobus hiſce poſtremis variarunt judicia, tam in perſona, quam in munere. Perſona appellatur פוטיפרע *Potiphera*, addita litera ע nomini illius cui venditus fuerat Joſeph. Quem tamen eundem eſſe multi putarunt, adducti tantum hac nominum affinitate. Alium fuiſſe melius ſentiunt plures, non ſolum argumento literæ hujus additæ, quod fortaſſe eludi poſſet, quia tales variationes in eodem nomine non raro reperiuntur in ſcriptura; ſed 1. quia non eſt probabile, voluiſſe Joſephum ducere filiam mulieris, quam impudicam fuiſſe noverat, & cujus calumnia, tanta fuerat paſſus innocens. 2. Quia videtur, ut benè notavit in hunc locum Chryſoſtomus, additum fuiſſe munus iſtius ad diſtinctionem prioris, qui fuit præfectus ſatellitum, cum hic fuerit כהן *kohen*, civitatis *On*. Non eſt hic immorandum refutationi audacis Judæorum inventi, qui ut hanc rationem eludant, fingunt Putipharum Joſephi herum ideo eum emiſſe quia formoſus erat, ut eo abuteretur ad nefandam libidinem; quod ut præcaveret Deus, exſiccavit ei virilia, ita ut cum poſtea inhabilis eſſet ad conjugium tanquã caſtratus, ad ſacerdotium fuerit electus. Hæc enim fundamentum nullum habent, præter impudentem quidvis fingendi audaciam. At vox כהן *cohen*, non ſolum rerum ſacrarum præfectis, quod ſæpè fit, ſed etiam principibus viris tribuitur, ut manifeſtum eſt, ex 2. Sam. 8. ℣. 18. ubi filii Davidis dicuntur כהנים *cohanim*, qui ſacerdotes eſſe non potuerunt, cum non eſſent ex linea ſacerdotali, quamvis ibi etiam habeat vulgata, *filii autem David ſacerdotes erant.* Ubi melius LXX *αὐλάρχας*, id eſt, *aulæ Principes* legit; 1. Paral. 18. ℣. 17. Ubi idem repetitur, qui *cohanim* dicti fuerant, dicuntur הרישנים ליד המלך *hariſchonim lejadh hammelec*, primi ad manum regis. LXX. *οἱ πρῶτοι διάδοχοι*, *primi vicarii Regis*. Thema כהן *kahan*, unde כהן *kihen* in piel, ſignificat in genere *functus eſt officio*, ſeu *miniſterio*, ſive ſacro, ſive civili. Ergo cum vox ſit ambigua, etſi ut plurimum pro ſacro miniſterio accipiatur, accommodanda tamen eſt ad ſubjectam materiam. Niſi ergo religio eſſet recedere à communi interpretatione, quæ *ſacerdotem* vertit, quam nollem abſolutè rejicere, potior mihi videretur, ea quæ hanc vocem hic ad civile miniſterium refert; ut כהן *cohen*, fuerit vicarius regis, ſive præfectus & gubernator civitatis *On*. Sic etiam tranſtulit Onkelos, רבא *rabba*, principis On. Convenientius enim videtur, ut Pharao inter aulicos ſuos elegerit quem daret ſocerum Joſepho; etſi abſurdum etiam non fuerit, ſi ei qui ſapientiæ nomine commendabatur, & quem Rex agnoverat afflatum divinitus, procurare voluerit affinitatem ſummi alicujus ſacrorum ſuorum antiſtitis, qualis fuit fortaſſe ſacerdos civitatis illius. In quo tamen illud eſt incommodi, quod cum ab omni Idololatria abhorreret Joſeph, vix eum conſenſiſſe credibile eſt in arctiorem affinitatem cum ſacerdotibus Idolorum. Igitur magis ſemper propendeo, in ſignificationem civilis miniſterii.

Quod ſpectat locum illum, qui *On* nominatur, LXX Heliopolim verterunt, quos ſequutus eſt Latinus interpres. Ptolemæus Geographiæ lib. 4. cap. 5. in tabula 3. Africæ, *Heliopolites*, inquit, *Nomus & Metropolis*, *Onii*, aliter *Elii*. Dicta fuit à Græcis *Heliopolis*, id eſt, oppidum ſolis, quam *On* vocat etiam Chaldæus Paraphr. Guilandinus ſcribit nunc retinere nomen ſuum, ſed Arabicè, quia *Bethſemes* etiamnum appellatur, id eſt, *domus ſolis*.

Hic, duabus difficultatibus paucis obviam eundum. 1. An bona conſcientia potuerit Joſephus à principe Ethnico delatum honorem & munus ſuſcipere cum inſignibus de quibus actum eſt, præſertim cum admodum difficile ſit in Aulis regum ita ſe gerere, ut nulla macula aſpergatur conſcientiæ, idque maximè ubi vera pietas exulat. Hic duo ſunt diſtinguenda, 1. munus ipſum ſeu dignitas collata, 2. adminiſtrandi ratio, ſive quomodo ſe gerat aliquis in muneris delati exequutione. Quod

ne. Quod ad primũ, certum eſt politicas dignitates, per ſe, non poſſe improbari, cum ad divinam ordinationem pertineant; nec ſuperſtitionem & Idololatriam, quæ à regno Dei excludunt, detrahere tamen legitimũ imperium civile, iis qui à Deo conſtituti ſunt, quod etiam in Chriſtianiſmo agnoverunt omnium temporum fideles, qui in rebus hujus vitæ ſubjecerunt ſe poteſtatibus; &, ſi aliquando ab Imperatoribus Ethnicis, ad aliquas dignitates ſive bellicas ſive togatas promoti fuerunt, non judicarunt rejiciendas eſſe præfecturas, in quibus videbant ſe poſſe ſine conſcientiæ labe, Deo, Reipub. & Eccleſiæ inſervire.

Hoc igitur poſito, Pharaonem fuiſſe regem legitimum, in cujus regno vivebat Joſephus, in aliena poteſtate, utpote ſervituti mancipatus; potuit à rege manumiſſus, oblatam conditionem honeſtam accipere; id præſertim ſuggerente Deo, quem agnoſcebat extraordinariis mediis, & modis, hoc opus promoviſſe: Cum etiam agnoſceret ſibi objici occaſionem commodam, qua poſſet de omnibus bene mereri; nihilque à ſe exigi, quod vir pius & ſanctus ſuſcipere non poſſet. Ex fide igitur erga Deum honores oblatos ſuſcepit, & in eo obtemperavit Deo, imperium tradenti. Ex eadem, ſe geſſit in ſua adminiſtratione, quam talem ſibi propoſuit, ut in ea verſari ſe poſſe crediderit ſine offenſa Dei. Quibus poſitis, laudem meretur, quod non deterritus periculis & difficultatibus maximis, gubernationem illam non rejecit. Quod ſi quis arguat externa illa ornamenta poſt extremam abjectionem, vix potuiſſe à quoquam, ſine periculo vanitatis & ſuperbiæ admitti. Reſpondemus, id quidem ut plurimum verum eſſe, ita ut *aſperius nihil ſit humili cum ſurgit in altum:* Non tamen eſſe neceſſarium ita ut nullus excipi poſſit, per Dei ſpecialem gratiam, cujus rei contraria habemus exempla, Danielis & ſociorum ejus; Mardochæi; ante iſtos, Moſis, qui à Deo ad ſummam dignitatem evectus, fuit omnium hominum mitiſſimus. Hic qui eos omnes præceſſit, re & facto præſtitit, quod poſteà Syracides monuit, cap 11. ℣. 4. *In veſtitu ne unquam glorieris, nec in die honoris tui extollaris.* non enim propterea ſuperbivit, nec ſe oſtentavit cum faſtu inſolenti; ſed Deo gratias egit, & ſervum ſe præbuit communis utilitatis, cum ſatis intelligeret, ſe jam onus geſtare humeris, in quo ſine Dei auxilio ſuccumberet. Hæc conſideratio ad humilitatem ſufficiebat. Itaque etſi proverbium verum ſit ut plurimũ, *honores mutare mores, non ſemper in meliores:* in Joſepho tamen locum non habuit, qui in utraque ſorte ita ſe geſſit, ut in adverſis patiens fuerit, in ſecundis, moderatus. Sed ne pluribus ſit opus in defenſione ſuſceptæ dignitatis, faciunt quæ poſteà ſequuntur, in quibus & ipſe divinam agnoſcit diſpenſationem, & alii providentiæ Dei ſpecialis experiuntur effectus.

Secunda difficultas oritur ex conjugio ejus, cum infideli conjuge, præſertim ſi, quod plerique ſentiunt, ſocerum habuit ſacerdotem Idolorum. Tale conjugiũ ſi ordinariam & communem ſpectemus regulam, & pericula quæ inde accidere poſſunt, tam conjugatis, quam communibus liberis, à fideli contrahi non debere, jam alibi oſtendimus. Id certè corruptionem in primo mundo auxit, quod *videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Geneſ. 6. verſ. 2. In lege Exod. 34. verſ. 16. prohibuit Deus Iſraëlitis, ne acciperent uxores filiis ſuis de filiabus Chananæorum, cujus prohibitionis hanc rationem addit perpetuam; *ne poſtquã ipſæ fornicatæ fuerint poſt Deos ſuos, fornicari faciant & filios tuos poſt Deos ſuos.* Item Deut. 7. verſ. 4. *quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, &c.* Et Joſ. 23. verſ. 13. *erunt vobis in laqueum & in rete, & in flagellum, &c.* Huc referendum quod Apoſt. 1. Corinth. 7. ℣. 39. viduæ permittit, ut cuivis *nubat, tantùm in Domino,* id eſt, interprete Auguſt. lib. 1. de aduter. conjugiis, cap. 25. *Chriſtiano nubens.* Quo etiam referri poteſt, quod in genere cavendum jubet Apoſt. 2. Corinth. 6. verſ. 14. *ne jugum ducamus cum infidelibus.* Varia ſunt exempla in hiſtoria ſacra, eorum, qui in conjugio non præcaverunt *cultus diſparitatem*, & à vero Dei cultu abducti fuerunt. Inter quæ memorabile eſt exemplum Salomonis 1. Reg. 11. verſ. 1. Jorami, qui duxit filiam Achabi, 2. Reg. 8. verſ. 18. qui idcirco ambulavit in via domus Achabi.

Nec opus eſt pluribus probare, in Republica in qua reperiuntur pii & fideles, præſertim in Chriſtiana, ſine peccato gravi, non poſſe iniri matrimonia non ſolùm cum purè infidelibus, ſed etiam cum hæreticis, & idololatris, etſi religionem Chriſtianam profitentibus; ita ut tamen impedimentum illud, non dirimat matrimonium contractum ſi infidelis conſentiat habitare cum fideli, ſed impediat contrahendum. Nec vellem hoc tempore concedere, quod nonnulli regulam moribus hominum accommodantes, non mores regulæ, exiſtimant, tutiſſimum quidem & conſultiſſimum eſſe, ut matrimonio jungantur tales perſonæ, quæ in vera religionis profeſſione conſentiunt, ut uno ore & corde Deum invocare poſſint; ſed tamen ſi perſona infidelis vel hæretica, non ſit ſimul blaſphema & pertinax, ſed ſpem facit converſionis penè certam, tum ſi pars Orthodoxa in religionis fundamentis ſatis firma ſit, ita ut periculum ſeductionis non ſit metuendum, permitti poſſe tale matrimonium. Nego id permitti poſſe aut debere, ubi poſſunt reperiri perſonæ fideles, quibuſcum contrahat fidelis, etſi fortaſſe minori cum emolumento temporali, quandoq; cum aliquo detrimẽto. Quid igitur de Joſepho dicemus? nam ipſius exemplum trahunt in conſequentiam. Reſpondebimus aliam omnino fuiſſe Joſephi rationem, & factum fuiſſe extraordinarium, in quo ab omni peccato cenſemus eum fuiſſe liberum. Vivebat in regno, ubi ex

ubi ex affinitate tali nullum ſcandalum oriebatur infirmis fidelibus. 2. Imponebatur ei neceſſitas, cum rex eã curã in ſe ſuſcepiſſet, nec potuiſſet cum alia conjugium ambire in tota illa terra, quę aliter educata fuiſſet. 3. Nõ licebat ei aliunde quærere ſibi uxorem, nec id potuiſſet ſine periculo amittendi dignitatem, quam ſervare debuit, in uſum Eccleſiæ. 4. Joſeph fuit donatus extraordinaria ſapientia, qua potuit præcavere periculum, & prodeſſe ſaluti conſortis ſuæ. 5. Non id fecit motus libidine, qui caſtiſſimus fuit, ſed prolis deſiderio, & juſtis conſiderationibus politicis adductus. 6. Cum ſcriptura non teſtetur id Deo diſplicuiſſe, poſſumus etiam addere, non conſenſiſſe Joſephum, ſine aliquo inſtinctu divino, vel etiam ſingulari aliqua revelatione. Cum igitur operæ pretium eſſet ut, in eo, Regi gratificaretur, quia indecorum fuiſſet à rege tantos accepiſſe honores, & nunc ultro oblatum ab eo conjugium rejicere, conſenſiſſe cum credere par eſt, quia ſperavit ſe eam adducturum ad Dei veri cultum, quod etiam factum fuiſſe maximè probabile eſt, cùm Deus voluerit iſtam *Aſenath* inter matriarchas numerari, ex qua duæ nobiliſſimæ Iſraëlitarum tribus originem duxerunt.

Ad Chronologiam pertinet annorum ætatis Joſephi enumeratio, quo tempore ſtitit ſe Pharaoni. ℣. 46. *Triginta* tum erat *annorum*, Hæc enim ſumma habuit ſupra, uſus ſuos ut vidimus, & deinceps etiam habitura eſt, cum anni Joſephi, poſt annos Jacobi patris, ingrediantur ſeriem ſacræ Chronologiæ. Sed alii etiam ſunt hujus enumerationis uſus; 1. Cum enim ab anno ætatis 16. ſive 17. ineunte ſervierit, colligimus longam fuiſſe ſervitutem annorum quatuordecim, in quibus opus fuit magna patientia. 2. Quæ mirabilis fuit in ea ætate, in qua oportuit eum virtute annos ſuperare. Non ſolet enim fervida illa ætas ita aſſueſcere ærumnis, ut in iis patienter ſe gerat, & munia ſua prudenter obeat, quod fecit Joſephus. 3. Agnoſcimus Deum abundè compenſaſſe ſervi ſui afflictiones, cum enim 14 tantum annis duraverit ejus calamitas, prorogatus autem fuerit principatus ejus annos octoginta, quia centum & decem annos vixit, longè ſuperavit tempus proſperitatis, durationem afflictionis. Quod autem 30 ætatis anno eum Deus evexerit ad regni gubernacula, potuit in eo etiam gerere typum Chriſti, qui eodem anno miniſterium ſuum publicum inchoavit. Annus enim ille ad res gerendas eſt aptiſſimus, quo David factus eſt Rex, Ezechiel prophetiam eſt aggreſſus; & Joan. Baptiſta prædicationem ſuam. Inde eſt quod veteres canones hanc ætatem aſſignarunt ſacrorum miniſtris, in ſua ordinatione, etſi poſteà fuerit diſpenſatum, nec commodè fieri poſſit regula generalis, quia aliquando prævenit ætatem prudentia.

Quæ poſteà ſubjunguntur, de profectione Joſephi per univerſam terram Ægypti, eventu interpretationis ſomniorum, & Joſephi cura & diligentia, in executione omnium quæ indicaverat conſilio ſuo, nullam habent difficultatem. Sunt tantum quædam notanda, ℣. 50. & ſeqq. ubi agitur de filiis natis Joſepho. quorum primo nomen indidit *Manaſſes*, à verbo נשה *naſchah*, oblivíſci. Rationem addidit, *quia oblivíſci fecit me Deus omnis laboris mei, & omnis domus patris mei.* Ubi laudanda eſt ejus gratitudo, qua ei tribuit conſolationem qua fruebatur; itaque in laborum ſuorum oblivione, non oblitus eſt Dei ſui. Sed non caret difficultate, quod profitetur ſe oblitum domus patris ſui, niſi dextrè intelligatur. Et certè ſunt doctiſſimi interpretes qui hoc nomine dicam impingunt Joſepho, monentque hic quantopere cavendum ſit à mundi illecebris, ne mentes noſtras pluſquam par ſit demulceant. Quaſi Joſeph honoris dulcedine captus obnubilatam habuerit mentem, ut paternæ domus immemor, ſibi in Ægypto placeret. Certè ſi patris ſui oblitus fuit, id excuſari non poteſt, quod indignum erat viro pio & probo. Itaque ſunt qui oblivionem illam referunt ad injurias à fratribus illatas, quia domum paternam conjungit, cum laboribus ſuis; ita ut non intelligatur *oblivio* abſoluta, ſed tantum ratione injuriarum, quibus etiam in paterna domo à fratribus ſuis affectus fuerat. Ego etiam exiſtimo, id non eſſe abſolutè intelligendum, quaſi parentis & familiæ paternæ fuerit immemor, aut nullo etiam deſiderio teneretur vel chari parentis, vel fratrum ſuorum, ſaltem germani ſui Benjamini; nec tamen puto *domum patris*, accipi debere pro fratrum injuriis. Sed verba hæc referenda eſſe ad ſtatum matrimonii, in quo Deus benedixerat Joſepho, ædificando ei novam familiam. Per conjugium enim homo *relinquit patrem & matrem, ut adhærat uxori ſuæ*, atque ita quodammodo vir & uxor cum patresfamilias & matresfamilias fiunt, *obliviſcuntur paternæ domus*, quia tum non amplius pendent à parentum cura; quam interpretationem confirmant verba Pſalmiſtæ, ℣. 11. Pſal. 45. ad ſponſam, *obliviſcere populi tui, & domus patris tui.* Nempe quia volebat eam agnoſcere, ad compenſandam abſentiæ parentum & patrię triſtitiam, ſuppetere conjugium nobile, ita ut non ægrè ferret abſentiam à patre, aut patriæ carentiam, cum ſtatu hoc conjugali tam præclare compenſaretur. Sic accipio verba Joſephi, ut intellexerit, effeciſſe Deum ſua benedictione, ut minus ægrè ferret abſentiam domus paternæ, poſtquam ipſi ædificaverat domum, & largitus erat poſteritatem, ut deinceps in terra exilii ſui non eſſet orbus. Hanc ſimplicem & commodam interpretationem judico, quæ nihil detrahit charitati Joſephi, & Deo laudem ac gloriam tribuit, quod dignatus ſit ea largiri, quibus imminuebatur triſtitia quæ eum extorrem ab ædibus paternis excruciabat. Nihil ergo aliud vult, niſi quod Deo gratias agit, qui pro amiſſis paternæ domus commodis, eum conſtituerat in tali ſtatu, in quo nihil erat quod deſideraret eorum, quæ in paterna domo opulenta, filiisfamilias abundè ſuppetunt.

Certè eo ipſo oſtendit ſe patris & ſuorum non eſſe obli-

oblitum, quod ex hac impoſitione nominis, priſtinam ſuam conditionem memoria recolit, neque pudet eum afflictæ fortunæ monumentum in filii nomine ſtatuere. In quo modeſtiæ exemplum præbet in ſubliniori gradu evectis ex humili loco. Solent enim tales originis ſuæ quantum poſſunt extinguere notitiam, quam ſibi probroſam exiſtimant. At Joſeph pluris fecit divinæ gratiæ commendationem, quam ut ſilentio premeret præteritas miſerias. Huc facit, quod in ſecundo filio iterum benignitatem Dei deprædicat, quem Ephraimum nominavit, à פרה quod eſt creſcere & multiplicare, idque effatus eſt numero duali, ob geminam prolem, *quia creſcere*, inquit, *fecit me Deus, in terra afflictionis meæ:* quibus verbis emphaticè amplificatur Dei gratia, quia ubi miſerrima & afflictiſſima fuit ejus conditio, ibidem Deus eum extulerat ad ſummos honores. Voluit itaque ut filii ipſi nominum ſuorum memores, & alii ea uſurpantes, in ipſis nominibus, parentis in Deum pietatem recolerent. De circumciſione filiorum nihil dicitur, ſed non eſt dubitandum quin etiam in eo pietatem ſuam erga Deum teſtatus fuerit, & eodem ſacramento quod in ſua carne gerebat eos initiaverit, memor fœderis cum parente ſuo initi.

Id tamen mirum videri poteſt, quod toto octennio proſperitatis ſuæ, cum non tam procul diſtaret ab Ægypto terra Canaam, & mercatores etiam utrimque commearent, Joſephus non miſerit ad parentē ſuum, nec inquiſierit an adhuc viveret, aut ſignificaverit quid ſibi accidiſſet. Et certè niſi aliquid extraordinarium in eo agnoſcamus, vix poteſt excuſari talis negligentia. Facillimum enim fuit viro principi, è loco non tam procul diſſito ad paternas ædes mittere nuntios ſuos. Nec tamen credibile eſt, celare voluiſſe originem ſuam, quod Ægyptiis eſſet obſcura, quia honorificentior erat multo, immediata ſorte ex qua eductus fuerat, & poſteà oſtendit ſe familiæ paternæ non pudere ut ex hiſtoria patebit. Non omnia quidem minutatim narrat ſcriptura, quæ facta fuerunt, ſed ex ſequentibus ſatis eſt certum, neque Jacobum, neque fratres Joſephi toto illo tempore de eo aliquid intellexiſſe. An igitur fuit ſanctus vir planè ἄστοργος ut eum nulla ſuorum cura ſollicitaverit? id ſupra diximus non eſſe probabile. Quid ergo? id imputandum eſt ſpeciali Dei providentiæ, qui hoc differri voluit, donec neceſſitas fratres ejus adigeret, ut in Ægyptum venirent, & ignoto honores deferrent quos ſomnia, propter quæ ipſis exoſus fuerat, promiſerant; & pater quoque ipſe in Ægyptum deſcenderet, quod ultro vix feciſſet, niſi eum adegiſſet temporum difficultas. Sed an hæc nota fuerint Joſepho, atque ita ſciens & volens diſtulerit, ut tali divinę diſpenſationi locum daret, dubium eſt. Exiſtimarem Joſephum id neſciviſſe, ſed tamen extraordinario inſtinctu, revocatum fuiſſe ab ea cura, nec id imputari ei debere ad culpam, quod Deus miris modis providit; ita ut tamen agnoſcamus, id in exemplum trahi non debere, quod extraordinarias habuit rationes.

A verſ. 43. ad finem, eventus prædictionis Joſephi ſecundi ſeptennii tempore confirmatur. Deſierant ubertatis anni anteà prædicti, ſuccedunt anni ſterilitatis, *quos prædixerat Ioſeph*, ait Moſes. Ut oſtendat non ſolum fuiſſe verum vatem, ſed vaticinium ejus fuiſſe experientia probatum. Rex quidem crediderat ita futurum, & quæ præceſſerunt, indicia clara fuerunt firmæ perſuaſionis de veritate rei; ſed potuerunt eſſe qui ubertatis tempore, ſibi promittebant perpetuam continuationem tanti proventus. Non minor igitur fuit poſterioris illius partis quæ famem ſpectabat certitudo; quod autem dicitur verſ. 54. fuit fames, בכל הארצות *becol haaratſot*, in omnibus terris, vel, ut habet vulgata, *in univerſo orbe*, non intelligendum eſt de omnibus omnino regionibus univerſaliter, ſed de vicinis Ægypto adjacentibus. Sic Cæſar dicitur *univerſum orbem deſcripſiſſe*, Luc. 2. ℣. 1. quod tamen de Imperio Romano tantùm intelligi debet. Nec certè potuiſſent Ægypti granaria orbi terrarum ſufficere, ſi fames fuiſſet univerſalis, ſeptennio toto. Judæi in Bereſchit rabba, referente Mercero, id intellexerunt de tribus regionibus, Phœnicia nempe, id eſt, terra Canaam, Palæſtina, & Arabia, quæ regiones ſunt Ægypto vel conterminæ, vel vicinæ; quas laborare oportuit, quia non ita fertiles erant, & earum horreum erat Ægyptus. Quod poſteà additur, *in omni terra Ægypti erat panis*, facit ad providentiam Joſephi commendandam. Quidam codices vulgatæ editionis legebant *fames*, loco *panis*, ſed id emendatum eſt in correctione nova. Id autem ita intelligendum eſt, non quod omnes Ægyptii haberent reconditum panem quiſque domi ſuæ, contrarium enim immediatè dicitur, *Et eſuriit omnis terra*, id eſt, *omnes incolæ terræ Ægypti, & clamavit populus ad Pharao &c.* Conciliatio dictorum quæ repugnare videntur hæc eſt, quod in tota Ægypto erat panis, reſervatus nempe in horreis publicis, induſtria & diligentia Joſephi; Ideò cum familiæ quæ ſibi non proſpexerant ubertatis tempore, fame premerentur, clamaverunt ad regem ut panem haberent. Hæc qui non intellexerant, exiſtimarunt legendum eſſe, *in tota terra Ægypti erat fames, qua eſuriente &c.* Sed fons repugnat huic interpretationi.

Rex populum clamantem ad Joſephum ablegans, ejus autoritatem confirmat, ille autem prudentis diſpenſatoris munere functus, non prius aperuit horrea publica, quam conſumpta eſſet privatorum annona. Tum cœpit Ægyptiis frumentum vendere; exinde vicinis populis, ea tamen prudentia (quę non exigua fuit) ut poſſet ſuppetere frumentatio toto ſterilitatis tempore, in quo certè opus fuit magna attentione, ut ita fieret diſtributio, ne, tam intra Ægyptum, quam extra, præter neceſſitatem privatis frumentum venderetur, & alendi populi comparatio exacta fieret cum repoſita an-

ta annona, ne tribus aut quatuor annis diſtraheretur, quæ ſeptem annis erat diſpenſanda. Quod autem ℣.57. addit Moſes, *omnem terram veniſſe* in Ægyptum לשבר *liſchbor*, ad verbum *ad frangendum*, ad Joſeph, ut paulò antè dixerat Joſephum *fregiſſe* Ægyptiis, eſt phraſis Ebrea, qua verbum שבר *ſchabhar*, quod propriè ſignificat frangere, metaphoricè ſignificat *frumentari*, quia nomen שבר *ſchebher* inde deductum accipitur pro frumento, annona, alimento, vel cibo, quo fames frangitur. Sæpè tamen in ſcriptura ſimpliciter accipitur verbum pro vendere & emere, quomodo hic accipi poteſt, ita ut tamen ad frumentationem habeatur reſpectus. Sed verba hæc de omni terra, id eſt, viciniis regionibus in Ægyptum in eum finem venientibus, ſunt præparatio ad ea quæ cap. ſequenti narrabuntur de adventu filiorum Jacobi ob eundem finem, cum providentia Dei invigilaret, tum ut implerentur Joſephi ſomnia, tum ut quæ Abrahamo prædicta fuerant, de poſteritatis ſuæ captivitate, effectum ſuum ſortirentur.

Ex hoc beneficio repoſitionis annonæ, & apertionis horreorum, extremæ famis tempore, exiſtimarunt autores non contemnendi, primis Chriſtianiſmi ſeculis, ortum habuiſſe fabulam de Serapide ab Ægyptiis culto, tanquam Deo benefico. Sic enim tradit Ruffinus lib.2. cap. 22. diverſas fuiſſe Ethnicorum ſententias de Serapidis origine, quem alii Jovem putarunt, cujus capiti modius ſuperimpoſitus; alii virtutem Nili fluminis, cujus opibus & fœcunditate paſcebatur Ægyptus; Quoſdam autem in honorem noſtri Joſeph, formatum perhibent ſimulachrum, ob diviſionem frumenti, qua famis tempore ſubvenit Ægyptiis; alios repertum in hiſtoriis Græcorum referre, Apim quendam ſeu patremfamilias ſeu Regem in Ægypto Memphis poſitum, cum famis tempore frumenta apud Alexandriam defeciſſent, ex proprio affatim civibus alimenta præbuiſſe, quo defuncto, in ejus honorem inſtituerint apud Memphim templum, in quo bos, tanquam indicium optimi agricolæ, nutritur. &c. Baronius Annal. Tom.4. ad annum 759. Sect. 91. haud ſpernendam eſſe ſententiam de Joſepho putat; ubi ex Julio Firmico cap. 14. refert Ægyptios poſt mortem Joſephi, patrio ſuæ gentis inſtituto, ei templa feciſſe, & ut juſtam diſpenſationis gratiam poſteritas diſceret, quo modio eſurientibus & ementibus frumenta diviſerat, capiti eum ſuperimpoſitum fuiſſe. Exhibuerat idem Baronius ad annum Chriſti 362. ſimulachrum Serapidis virili forma, in numiſmate Juliani Apoſtatæ, ſuperimpoſito capiti modio, cum hac inſcriptione DEO SERAPIDI. Euſebius lib.10. præp. Euang. & Auguſt. lib.18. de civit. Dei, ex ſcriptis Ethnicorum originem ejus ex Græcia deducunt, qui Apim Argivorum Regem fuiſſe dicunt, qui tranſvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus eſſet, divinis honoribus cultus fuerit; Alii alia excogitarunt, de quibus conſuli poteſt Lylius Greg. Giraldus, de diis gentium Syntagmate 6. Et vir eruditiſſimus Joannes Seldenus *de Diis Syris* Syntagmate 1. ubi de variis nominis hujus rationibus & cultu bovis agit doctiſſimè.

Cornelius à lapide conatur hic confirmare opinationem illam quam ex Ruffino & Firmico adduximus, & Baronius ſententiam non contemnendam dixit; attingit etiam Pierius Valerianus lib.3. Hieroglyph. qui tamen alibi diverſa planè habet de Serapide. Conjectura nititur tantum hac cōſideratione, 1. quod mos veterū Ethnicorum fuerit, iis divinos deferre honores, quibus acceptam referebant annonæ copiam; 2. Quod bos cultus fuerit in Ægypto Serapidi ſacer, qui ſymbolum eſſet fertilitatis, & videretur fieri alluſio ad boves pingues aut vaccas quas in ſomniis viderat Pharao, & quarum Hieroglyphicum explicaverat Joſephus. 3. Addunt Serapidis oraculum de Trinitate, Joſepho Patriarcha digniſſimum, quod Serapidi tribuunt, Thulidi Ægyptiorum regi redditum, interroganti, quis ante regnum ejus potuit tanta, aut quis poſt eum futurus ſit, cui reſpondiſſe fertur,

> Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
> Σύμφυτα δὲ πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα.

Primùm Deus, deinde verbum, & ſpiritus cum eis. Concreta autem ſunt omnia, & in unum euntia. Id refert Suidas, in nomine Thulis. Sed infirmæ ſunt probationes ex conjecturis; & quod oraculum ſpectat, ſimilia tribuuntur Dæmonibus, aliquando coactis reſponſa dare adverſus ſe ipſos; Quamvis etiam pleraque oracula conficta videātur, ab iis qui bonam cauſam piis fraudibus jam à ſeculis prioribus juvare volentes, malè conſuluerunt veritati.

Fateor aliquando fabulis Ethnicis fuiſſe involuta non pauca, quæ ex ſacra hiſtoria originem habent. Sed ut quæ de Api, ſeu Serapide dicuntur, referam ad Joſephum obſtant duo, in ipſa ſacra Hiſtoria. 1. Quod ſi Ægyptii Joſephum mortuum inter Deos ſuos retuliſſent, imò Deorum maximum conſecraſſent, non permiſiſſent ejus corpus à populo Iſraëlis aſſervari, & tandem deferri ab ipſis, in alienam terram. 2. Quod vix poteſt intelligi, quomodo alteri generationi ſub qua afflicti fuerunt Iſraëlitæ, incognitus fuerit Joſeph, quod Exod. 1. dicitur. Adde, quod dubitari non debeat, ſi tale aliquid factum fuiſſet, quin aliquid in hiſtoria ſacra, aut Prophetarum ſcriptis, ad ſuperſtitionem illam vel damnandam, vel præcavendam, à ſpiritu ſancto indicatum fuiſſet, cum præſertim Iſraëlitæ tam proni eſſent ad Idololatriam, & Ægyptiacam etiam ſuerint imitati. Infirma itaque judico quæ pro ea opinione afferuntur, & aliam fuiſſe Idololatriæ Aegyptiacæ originem exiſtimo, eam nempe quam viri docti referunt, qua Nilum & Solem ſub Oſiridis nomine adorarunt, cui conſecratus fuit bos, Apis dictus; unde Nilus, *Schicri* lingua Aethio-

Aethiopica, teſte Scaligero; prolatum in Script. Græcis, Εἴσεις aut Εἴσεις. De quo qui plura volet, legat à me jam laudatum Seldeni Syntagma I. cap. 4. ubi de Aegyptiacis ſuperſtitionibus agit.

AD CAPVT XLII.

EXERCITATIO CLX.

Summa trium ſequentium capitum. Præmonitiones duæ. Se ipſos aſpicere, *quæ phraſis? Quomodo Ioſeph recordatus fuerit ſomniorum ſuorum? Ignotus fratribus, fratres novit. Non eos vexavit malo animo. Cur tot artibus & ambagibus fuerit uſus? Expenditur modus agendi an in eo peccaverit?* Diſſimulatio *omnis in vitio non eſt. Quid inter eam &* ſimulationem *interſit? Sanctorum facta omnia non eſſe ſancta. Ioſephum tamen à culpa abſolvi poſſe, & quibus argumentis. Circumſtantiæ quantum in talibus poſſint? Cautio notanda doctiſſ. interpret. Non omnia ſanctorum facta in exemplum trahenda.* מרגלים meraggelim, *cur dicantur* exploratores. *Quid* nuda terræ? *Exploratorum deſcriptio. Gregorii elegans conſideratio. Pœnas quibus probantur aut caſtigantur homines, non eſſe ſatisfactorias.*

SEquentibus tribus capitibus narratur, qua occaſione Joſephi fratres deſcenderint in Ægyptum, quomodo à fratre ſibi ignoto, agnoti ipſi, excepti fuerint duriter; qua cõditione dimiſſi, quomodo redierint, & poſt aliam probationem, tandem ſe eis revelaverit frater; quæ omnia quatenus ſunt hiſtorica, explicatione non habent opus, ſed inhærendum nobis erit in quorundam factorum conſideratione, quæ cum ſint aliquo modo extraordinaria, & in pejorem ſenſum trahi poſſent, penitius ſunt examinanda. Duo autem ſunt in genere præmonenda. 1. In his omnibus Deum, non ſolum in genere familiæ ſancti Patriarchæ voluiſſe conſulere; ſed etiam ea omnia implere, quæ fratres Joſephi rejecerant tanquam abſurda, & quæ nunquam eventura putabant. 2. Quod ut obiter antea diximus, eadem providentia invigilavit, ne quicquam Jacob intelligeret de Joſephi ſtatu, ne imprudens, ſi id reſciviſſet ante tempus, ea procuraſſet, voluntate quidem non mala, quæ adverſus illam Dei diſpenſationem pugnaſſent; ut aliàs notavimus, multa à Deo fuiſſe ſtatuta, hominibus occulta, & incognita, adverſus quæ vota eorum legitima eſſe poſſunt & Deo grata; non quia formaliter pugnant contra Dei decretum, nempe qua tale, hoc enim impium eſſet; ſed quia ea deſiderant, quæ per ſe quidem deſiderari poſſunt tanquam bona, non tamen poſſunt fieri, ſtante divina voluntate de contrario effectu. Excuſavimus autem in ea re Joſephi ſilentium; quia exiſtimavimus ab inſtinctu aliquo divino profectum. Nunc autem illud etiam addimus, propter ea, quæ ſequuntur; valdè probabile eſſe, Propheticũ ſpiritum revelaſſe Joſepho, hac famis occaſione fratres ſuos in Ægyptum venturos, & præmonuiſſe etiam, qua ratione erga eos ſe gerere deberet, ſaltem in genere, priuſquam ſe eis manifeſtaret.

Verſ. 1. cap. 42. Jacob cum audiviſſet frumentationem eſſe in Aegypto, dixit filiis ſuis, למה תתראו *lamma titrau.* ad verbum; *quid aſpicitis vos ipſos?* Quæ phraſis exprimit ſtatum eorum qui conſilii-inopes quò ſe vertant neſciunt, & ita pendentes alter ab altero, ſe mutuo reſpiciunt. LXX. ἵνα τί ῥαθυμεῖτε. quod vulgata eodem ſenſu, *quid negligitis?* id eſt, quid deſides cunctamini? Qui enim ſegnes ſunt ſolent ſe mutuo reſpicere, & ignavia ferè conjungitur cum inopia conſilii. Meritò præfert Mercerus priorem ſenſum, quo voluit indicare, eos quidem varia conſilia iniviſſe, & rationes diverſas, quibus ſuorum fami occurrerent, ſed nihil certi ſtatuentes, ſe mutuo reſpexiſſe. Videtur etiam aliud quid ſignificari. Nam cum numeroſas haberent familias, & incerti eſſent qua ratione eas alerent, in famis periculo conſtituti, potuerunt ſe mutuo reſpicere, ut ſolent afflicti & miſeri, in præſentis mali ſenſu, & futuri metu, ſuam invicem miſeriam deplorantes. Id ergo voluit bonus ſenex; non ita providebitis familiis veſtris, vos invicem reſpicientes in hac communi miſeria, aliquid eſt tentandum, quo poſſitis vobis ſuccurrere, & in Aegyptum deſcendendum ut inde poſſitis comparare frumentum, &c.

Verſ. 6. Implent oraculum fratres, cum proni in terram, coram Joſepho procumbunt. Quos cum agnoſceret Joſeph, & durius cum eis ageret, *recordatus eſt ſomniorum ſuorum*, verſ. 9. Non putarem eum oblivioni anteà tradidiſſe quid ſomniaſſet, & quid ſomniorum ſuorum occaſione ei accidiſſet: ſæpè enim ei veniſſe in mentem Dei promiſſiones ut credamus, ſuadet ejus pietas & fides inconcuſſa. Nollem igitur *recordandi* verbum ita abſolutè accipere, quaſi anteà ei excidiſſent ſomnia ſua; ſed quia tum, cum videret ea impleri, actiones fratrum ſuorum applicavit præteritis prædictionibus. Nulla igitur fuit oblivio vitioſa; ſed quod

accidit, ut non ſemper cogitemus de iis quæ alioqui novimus, quæ tamen data occaſione recolimus; Idem in Joſepho agnoſcimus, qui ſtatim cum rei eventu ſomnia ſua contulit, & quod cernebat, mox traxit ad confirmandam oraculi fidem. Unde etiam probatur non obſolevisſe ſomnia, temporis diuturnitate, quorum tam prompta ſuggerebatur memoria. Sic diſcipuli Domini poſtquam à morte reſurrexerat, recordati ſunt eorum quæ dixerat, Joan. 2. ℣. 22. & 12. ℣. 16., quia rei conſpectu, pleniori notitia affecti ſunt.

Quod Joſephi fratres eum non agnoverint, mirum videri non debet. Iam enim annos viginti duos vixerat extra eorum conſortium: & cum venditus fuit, juvenis erat & imberbis. Quanta autem tali ſpatio fiat mutatio in hominis vultu & ſtatura nemini ignotum eſt. Præterea Ægyptiacè loquebatur; & videbant hominem in ſummo gradu conſtitutum, in ea regione in qua, etſi quædam faciei lineamenta ſimilia iis quæ in Joſepho viderant agnoviſſent, nunquam tamen poterant cogitare eum eſſe, quem vendiderant. Alia fuit Joſephi ratio, quia cum plures eſſent, quorum nonnullos viderat jam liberorum parentes, vix fieri poterat, ut ex decem, unum aut duos non agnoſceret, ex quibus de aliis judicare potuit. Audiebat præterea eos Ebraicè loquentes, atque ita pluribus ſignis potuit eos deprehendere. Quibus etiam addi poteſt, Deum aliquid in utriſque egiſſe immediatè; in Joſepho imaginationem excitaſſe, ut ſibi eos repræſentaret; in fratribus juſtas ob cauſas, tenuiſſe eorum oculos, ne eum agnoſcerent, priuſquam ab eo excitati, juſta vexatione, culpam ſuam agnoviſſent.

Hoc autem pro fundamento ſubſtruendum eſt, in ſequentibus, etſi durè egerit cum fratribus ſuis Joſephus, nullo tamen malo animo, aut vindictæ cupiditate, aut eorum odio adductum fuiſſe, ut tam rigidè ſe gereret, & tot modis eos experiretur; ſed ex benevolentia & charitate, atque adeò animo eos revocandi ad meliorem frugem. Aliis enim actionibus, & totius negotii fine, apertè comprobavit, ſe toto corde amplecti oblatam ſibi à Deo occaſionem bene faciendi familiæ paternæ. Quod ſi quis quærat, quorſum tot ambagibus opus fuit? Reſpondebimus, in iis apparuiſſe ſummam Joſephi in rebus gerendis prudentiam & ſapientiam, qui cum noſſet animos fratrum ſuorum, ita cum iis agere voluit, ut ſcelera priora in ſe commiſſa, novis non augerent. Si enim ſe ipſis primo manifeſtaſſet, nec aliquod fidelitatis eorum pignus retinuiſſet, periculum erat, ne omnia diſſimularent apud parentem, ne cogerentur etiam fateri parricidium ſuum. Fortaſſe etiam de parente & Benjamino fratre, quam veritatem exquirere volebat, non potuiſſet tam certo ab iis expectare. Idcirco maluit tanquam ignotos interrogare, & eos adigere ad narrationem ſtatus familiæ ſuæ, quia quę reſponſuri erant viro ſibi ignoto, & quem non putabant de rebus hiſce ſollicitum, quas ad juſtificationem tantum ſuam afferrent, candidè magis & ſine fuco declaraturos noverat. Præterea, judicavit etiam eos caſtigatione aliqua opus habere, ut ſcelerum ſuorum, quibus indormiebant, atrocitatem melius expenderent. Tertio, cum videret ſibi oblatam eſſe talem à Deo occaſionem patefaciendæ veritatis oraculorum quæ deriſui habuerant, & quantum in ipſis fuerat extinguere voluerant, pro collata ſibi à Deo ſapientia, his artibus uſus eſt, quibus magis ac magis humiliarentur & ſe ſubmitterent. Itaque effecit, ut coram ipſo ſe incurvarent, contremiſcerent, ſupplices fierent, & ejus juriſdictioni ſubmitterentur, ad ejus nutum in carcerem conjecti; qua ſapientiæ profunditate circumduxit eos variis modis, tanquam ſtultos & malitioſos. Denique, operæ pretium judicavit, per longam dilationem manifeſtationis ſuæ, pleniori gaudio eos cumulare, poſtquàm aliquamdiu eos exercuiſſet & excruciaſſet. Unde concludendum, non tunc primum ſedato animo fuiſſe erga eos, & quaſi paulatim ad miſericordiam flexum, poſtquam eos vidit afflictos & humiliatos; ſed eodem ſemper miſericordiæ affectu fuiſſe præditum, etiam cum ſevero vultu cum eis ſe geſſit. Quod inde apparet quod continere ſe non potuit, quin ſubinde ſeceſſum quæreret ad fundendas lachrymas quas non poterat retinere: ſpeciali itaque inſtinctu divino ad ea fuiſſe directum, cujus ſpiritus vi factum fuit, ut cum videret tot ærumnarum ſuarum autores & haberet vindictam in manibus, neque excanduit, neque in exprobrationes erupit; ſed vultu etſi ſevero, tamen ſedato, ita compoſuit ſermonem, & artes ſuas excogitavit, quaſi anteà diu cogitaſſet quid eſſet facturus.

Id præterea ex hac hiſtoria colligendum eſt, etſi per totam Ægyptum cura Joſephi, diſtribueretur frumentum variis in locis, in quibus præſens eſſe non potuit; id factum fuiſſe erga ſolos indigenas. Exteros autem in uno tantum loco venales habuiſſe cibos, nempe in Regia civitate, & ibi Joſephum, non per alios procuratores, ſed per ſe ipſum, præſentem cum advenis egiſſe. Quæ cura, ut importuna & laborioſa, ita fuit prudens & utilis regno. Nam præter id, quod fidelius multo per ipſum adminiſtrabantur talia, accedebat etiam quod poterat ab exteris venientibus multa expiſcari de rebus variis, quæ poſteà utilitatem ſuam habebant in conſiliis politicis, & Regi ſuo hac ratione conciliare, quos exiſtimabat utiles eſſe poſſe, ſapienter quibuſdam gratificando, prout judicabat commodum. Qua ratione etiam accidit ut fratres in eum inciderint, qui alias potuiſſent alibi ſibi providere, atque ita eum latere.

De fine & ſcopo Joſephi, [illegible]de ejus animo ſcrupulus videtur planè exemptus: ſed an in modo agendi, aut mediis eligendis, quibus hunc ſuum ſcopum voluit attingere, dubitari poteſt, an nihil fuerit immixtum aut culpabile, aut culpæ affine. Duo ſunt præſertim, quæ in diſquiſitionem veniunt. 1. Simulatio quam finxit, quaſi non noſſet eos, quos primo aſpectu fratres ſuos agnoverat.

verat. 2. Gravis accuſatio, qua eos in crimen vocat tanquam exploratores, quos tamen noverat in eum finem non veniſſe. Quid ergo de eo ſtatuendum ſit videndum. Et primo, certum eſt non omnem diſſimulationem in vitio eſſe, ſed aliquando ad prudentiæ actum revocari poſſe. Quamvis inter ſimulationem & diſſimulationem non malè diſtinguant morum doctores. Nam *ſimulatio*, propriè eſt mendacium, in ſignis factorum exteriorum, quo ſenſu ſemper eſt peccatum. Differt enim tantum à mendacio, quod hoc verbis, illa factis indicetur. ad cujus formalem rationem requiritur voluntas ſignificandi falſum. Itaque ſimulatio eſt falſorum; diſſimulatio eſt verorum; diſſimulamus enim eſſe, ea quæ ſunt. *Simulatio*, inquit Cicero in Lælio, *eſt vitioſa, quia tollit & adulterat judicium veri.* Non hoc facit diſſimulatio, quæ nihil falſum ſignificat, ſed verum celat, quod aliquando oportunè fieri poſſe, quis neget? Non dicam conſilium eſſe politicum, *qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare*; quia conſilia politica, non ſemper conſcientiam in tuto ponunt. Sed exempla Dei, Chriſti, & ſanctorum multa diſſimulantium, oſtendunt id in loco & tẽpore fieri poſſe ſine vitio; maximè quando fit in bonum finẽ, & utilem iis quibus talia diſſimulantur. Itaque nihil reprehendi poſſe puto in eo quod Joſephus aliquamdiu diſſimulaverit apud fratres, quod ſciret quinã eſſent; quia in illa diſſimulatione nihil erat, quod ratione finis vel modi pugnaret cum religione, juſtitia, vel charitate. Alioqui cum neque Dei majeſtas læditur, neque proximi charitas, occultari ſæpè poſſe, celarique veritatem, exploratiſſimum eſt. Non enim ſemper qui celat aliquid veri, dicit aliquid falſi. Si omnis diſſimulatio per ſe damnaretur, ſtratagemata & explorationes quæ de hoſtibus fiunt, homini Chriſtiano conceſſæ non eſſent, in quibus aliquid facto ipſo committitur, quo falluntur adverſarii, & falli volumus. Sed veritas propriè in dictis & oratione verſatur. Angeli ſæpè induti humana forma, ſe velut homines obtulerunt hominibus, & actiones humanas imitati, qui eſſent ad tempus diſſimularunt, ita ut crediti homines fuerint, cum tales natura non eſſent. In quo tamen non peccarunt.

Sed alia ſunt quæ magis implicant, quia non ſolum diſſimulavit ſe agnoſcere fratres ſuos, ſed etiam accuſavit eos ut *exploratores* ℣. 15. & 16. voluit adduci Benjamin, ut hoc experiretur, cum tamen ex eorum reſponſionibus ſciret non tales eſſe &c. Addi poteſt (quia hæc ſunt ejuſdem generis) quod poſteà ℣. 3. & 4. cap. 44. furti eos inſimulavit, contra rei veritatem ſibi perſpectam. In quorum factorum judicio jam olim, & etiamnum variant ſententiæ. Fuerunt enim qui in his omnibus faterentur Joſephum mendacium protuliſſe, ſed quod vocant *jocoſum*, ita ut ludus fuerit, ex mera benevolentia profectus, ut eos experiretur; ſed tamen non planè excuſant à peccato hunc agendi modum; etſi bono fine ſuſceptum; Itaque non magnoperè ſudandum eſſe, ad eum in omnibus excuſandum, quia probabile eſt aliquid humanitus eſſe paſſum, quod Deus illi ignovit. Deum autem permiſiſſe ut in ſanctorum virorum etiam laudabilibus factis, miſcerentur peccata quædam, eaque etiam ſcriptis proderentur, ut memores ſimus fragilitatis humanæ, humilitatemque colere diſcamus, *nam ſi inoffenſum à vitiis* (ait Ambroſ. Apol. David lib. 2.) *inter tot lubrica hujus ſeculi curriculum peregiſſent, dediſſent nobis occaſionem, infirmioribus, exiſtimandi eos cujuſdam ſanctioris & divinæ naturæ fuiſſe, ut delictum recipere, & culpæ conſortium habere non poſſint.* Nec certè talis opinio in quibuſdam ceſſavit, qui omnia ſanctorum peccata, non tam excuſant quam ſanctificant, & horrendarum blaſphemiarum reos faciunt, qui nonnulla eorum facta ad legis divinæ regulam examinata, neque imitanda, neque laudanda eſſe pronunciant; ſed & inter peccata reponenda, propter quæ pœnitentia eis opus fuit, ſi aliquando, ut eodem loco ait Ambroſius, *pauliſper eos præteriit divina gratia, ut nobis ad imitationem vitæ eorum fieret diſciplina, & ſicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magiſterium de eorum actibus ſumeremus.*

Plerique tamen Joſephum ab omni culpa in his omnibus abſolverunt, exiſtimantes ſeriem factorum omnium & dictorum Joſephi in hoc negotio concatenatorum, emanaſſe ab eo tanquam à Propheta, nomotheta, judice, & examinatore, fratrum etiam ſuorum probatore; dictaque illa omnia interpretanda eſſe more prophetico, partim propheticè, partim tentativè ſeu probativè, partim figurativè, & omnium veritatem ex fine & eventu petendam eſſe. Auguſt. q. 145. in Geneſ. de eo ſic loquitur. *Magis movet, quid ſibi velit actio Ioſeph qua fratres ſuos, donec aperiret quis eſſet, toties ludificavit, & tanta expectatione ſuſpendit, quod licet tanto ſit ſuavius cum legitur, quanto illis ſit inopinatius cum quibus agitur, tamen ſapientiæ illius gravitate niſi magnum aliquid quaſi iſto ludo ſignificaretur, nec ab illo fieret, nec eâ ſcripturâ contineretur, in qua eſt tanta ſanctitatis autoritas, & prophetandorum tanta intentio futurorum, quam modo exequi exponendo non ſufficimus.* Ubi non vult Auguſtinus hanc ponere regulam, actionem aliquam à peccato excuſandi, ſi aliquis vir ſanctus ejus autor fuerit, & eam ſcriptura recitet. Sed ſi eam recitet, ita ut innuat à tali factam fuiſſe quatenus ſanctus & propheta fuit, nec ei aliquam notam inurat, etſi aliquid in ea nobis videatur extraordinarium.

Notant, ubi examen aliquod fit judiciale & tentativum, multa proferri à viris gravibus, quæ modificationem accipiunt ab exitu & finali cataſtrophe, quæ ab eis excludit omnem, tum falſitatem, tum æquivocationem; exempli gratia, ubi ex fine alicui conſtat, magiſtratum ad expiſcandum veritatem ex reo, aliquid aſſeveraſſe quod falſum aliàs eſſe, tam reus, quam prudentes qui adſtant, agnoſcunt, ſed ex circumſtantiis externis, cognita perſona & officio magiſtratus, affirmatio-

nes categoricas & proprias, quam artificioſas interrogationes ad tentandum reum, & indagandam veritatem, quam ab eo vult extorquere. Ubi locum habet reſponſio Tertul. lib. 2. contra Marcionem cap. 25. ad objectionem hæretici dicentis, *Deum inclamantem Adam ubi eſt*, Gen. 3. *ignoraſſe ubi eſſet, interrogaſſeque incertum*. Dicit enim, *inclamationem fuiſſe admiſſi ſuggillationem: interrogaſſe Deum tanquam incertum, hominem probando in cauſa negationis aut confeſſionis*. Sic etiam fit in Academiis, in quibus ſtudioſi ab examinatoribus, falſum aliquid affirmantibus, cautè interrogantur, atque ita de eorum doctrina & ingenii acumine, poſt examen tentativum, fit judicium. Nec tamen qui ita tentat, dum nectit Syllogiſmos in quibus ſunt propoſitiones falſæ, aut falſa concluſio, arguitur mendacii, quia norunt prudentes eum non ita ſentire nec ſerio affirmare, ſed probationis ergo, ut hac ratione reſpondentes oſtendant, an veritatem quam profitentur tueri poſſint.

Multum igitur in talium factorum judicio intereſt ſcire, à quo facta fuerint, quo fine, & exitu. Nonnulla enim licent quibuſdam, quæ aliis nō convenirent; quo facit etiam temporis & loci circumſtantia, occaſionum momentum, &c. Alia eſt ratio privati hominis, alia judicis & magiſtratus; Aliter agendum cum reo; aliter cum innocente; Nec quæ vel joco, vel tentandi gratia pronunciantur, confeſtim ſunt ad categoricas propoſitiones referenda, ut vel de veritate, aut falſitate feratur judicium ante rei exitum, aut loquentis declarationem de ſenſu ſuo, vel verbis vel factis tandem indicatā; præſertim ubi perſonæ gravitas (de qua præſumi debet, quod nec falſa nec calumnioſa proferre vellet) jure ſuo efflagitare videtur, ut ſermonis aut factorum expectetur exitus. Itaque cum conſtet perſonam de qua agitur fuiſſe gravem & ſanctam; virum fuiſſe in fratres benevolum etiam exitus declaret; nec malevolo animo ſed joco tantum, & in finem utiliſſimum, egiſſe fratrum ſuorum tentatorem, & velut tortorem, examinatorem, & judicem, tam ut juſtè flagellarentur, quam ut majori poſteà perfunderentur lætitia; Qui omnia ſimul juncta, non ſeparatim examinabit, facilè agnoſcet, nullam fuiſſe in Joſepho mentiendi aut fallēdi intentionem, nec temerè ad facti ejus condemnationem accedent.

Placet tamen mihi admodum, quod doctiſſimus interpres hoc loco annotat, ne talium prætextu habenas nobis nimium laxemus. *An*, inquit, *Deus ſpeciali motu ſervum ſuum gubernaverit, ut à communi regula diſcederet extra culpam, neſcimus: ſicut interdum piè, fideles quædam deſignant, quæ in exemplum trahere non licet*. Hoc quidem in ſanctorum factis ſemper cavēdum eſt, ne à lege quam communiter nobis præſcribit Deus, nos abducant; & ex generali mandato, nobis eſt colenda ſinceritas. Nec ſi aliud ſimulavit Joſeph quam res erat, hoc prętextu excuſabimur, ſi aliquid ſimile tentaverimus. *Nam*, inquit, *ut veniam obtinuerit libertas privilegio conceſſa, ſi quis privato exemplo fretus, legem Dei evertere non dubitet, ut ſibi licitum faciat, quod ibi vetatur, merito ſuæ audaciæ pœnas dabit*. Hæc ille.

Ut jam ſingularia quædam diſcutiamus. verſ. 9. & ſeqq. objicit eis quod ſint מרגלים *meraggelim*, exploratores, & quod venerint, ad videndum ערות *ervat*, nuditatem terræ. רגל *regel*, pedem ſignificat; unde מרגלים *meraggelim*, pedites, dicuntur exploratores, quia terras circumcurſantes huc illuc oculos conjiciunt, ad videnda *nuda* terræ, quæ etiam locutio eſt metaphorica, pro partibus minus firmis & munitis, unde vulgata aptiſſimè, *infirmiora terræ*. Subtilius eſt, quod vir doctus vult, metaphoram ductam eſſe à pudendis, quæ nomine nuditatis in ſcriptura honeſtè appellantur, quia quæ in urbibus parum munita ſunt, fœda videntur. Id enim ſemper verum non eſt, quia multa ſunt in civitatibus nō munitis, quæ ſunt elegantiſſimæ ſtructuræ, & amœniſſima. Metaphora ergo potius ducenda eſt à differētia inter hominem armatum ſua panoplia, & armis ſuis nudatum. Quemadmodum enim armatus reſiſtere poteſt hoſti; ita nudatus patet omnibus injuriis hoſtilibus. Gallicè diceremus, *les lieux plus deſnuéz*. Sunt ex Ebræis qui *arcana* vertunt, quia vox Ebræa ſumitur pro pudendis partibus, quæ tegi ſolent. LXX ἴχνη *veſtigia*, id eſt, qua parte infirmiore regio poſſet capi. Idem eſt ſenſus; ſed prior quem expreſſit vulgata, genuinus.

Habemus autem hic exploratorum definitionem brevem, ſed integram; ſunt enim ii qui mittuntur & veniunt, ut videant quæ maximè ſunt infirma in hoſtili regione. Ter autem repetit *illos eſſe exploratores*, cum tamen poſteà verſu 15. & ſeqq. agnoſcat id ſibi non conſtare, quia vult experiri an ita ſit, nempe, ſi non probent verum eſſe quod dixerant de fratre minimo ſuo. Unde liquet, non fuiſſe affirmationem certam, ut diximus, ſed proponi tantùm ſuſpicionem; neque id aſſertivè dici, ſed tentativè & probativè, ut judices ſolent aſſerere crimen, dum reum pertentant, ut veritatem eliciant; Ita, ut eos adigeret ad vera nuncianda de patre & abſente fratre, agit cum iis tanquam cum exploratoribus. Nec tamen cenſendum, dum talia eis objicit, metumque incutit, ullius injuriæ reū eſſe; quia nulla vindictæ cupiditate ducebatur, ſed, deſiderio emendationis eorum tanquam miniſter Dei. Ita enim Deus cum ſuis agere ſolet; qui cum caſtigat, videtur eos perdere velle, cum tamen benevolè cum iis agat, nihilque aliud moliatur, quam ut ad culpæ confeſſionem eos adigat; ut poſteà beneficiis cumulet planè liberatos, quos etiam in ipſa afflictione non deſerit, ſed quod hic facit Joſeph, etiam dum ferit, ſigna dat ſuæ benevolentiæ. Verba Gregorii, Homil. in Ezech. 19. quibus hoc Joſephi factum examinat, ſunt notanda. *Qui fratrum*, inquit, *facinus & dimiſit & vindicavit: ſic in rigore clementiam tenuit, ut delinquentibus fratribus,*

tribus, nec ſine ultione pius exiſteret, nec ſine pietate diſtrictus. Ecce hoc eſt magiſterium diſciplinæ, ut culpis & diſcretè noverit parcere, & eas piè reſecare. Qui autē diſcretionis ſpiritum non habent, aut ſic dimittunt peccata ut non corrigant: aut ſic quaſi corrigendo feriunt ut non dimittant. Sed pœnæ illæ non ſunt ſatisfactoriæ, ne quidem apud Joſephum; quomodo ergo ſatisfactoriæ eſſent apud Deum pœnæ quæ infliguntur, etiam iis quos peccaſſe pœnitet, & qui etiam Deo ſunt reconciliati? Deus tamen immittit ſæpè talibus pœnas, ſed probatorias, & ſæpè caſtigatorias, ut alii metuant, & ſibi ipſi poſteà melius conſulant virgis divinis moniti. Non poteſt igitur in Deo talis agendi ratio ſatisfactionis vim habere; etſi propterea inutilis non ſit, quam ſæpè etiam neceſſariam agnoſcimus.

EXERCITATIO CLXII.

Expenditur juramentum Ioſephi, Vivit Pharao. *An in eo peccaverit. Sententia affirmantium. An juramenta per creaturas facta Deus approbet?* Matth. XXIII. verſ. 21. *Negatur. Refellitur Cornelius à Lapide. Diſtinctio inter juramentum & obteſtationem. Chriſtiani nolebant jurare* per genium Cæſaris, *qui per ejus* ſalutem *jurabant. Genios bonos & malos, Ethnicos diſtinxiſſe. Per Angelos jurandum non eſſe. Quomodo aſſeveraverit Ioſephus fratres non reverſuros, quorum tamen poſteà decem laxavit? An in patrem durius non egerit quam debuiſſet? Excuſatur. Super triduo carceris, quorundam conſiderationes. Tres pœnarum fines ex Agellio. Cur præfatur* ſe Deum timere. *Confeſſio criminis vexationibus extorta.* Sanguinem repetere, *quid?* מליץ Melitz, *interpres.* Trucheman, *unde? Vis conſcientiæ. Lex talionis. Dei judicia ſemper juſta. Ioſephi in ipſa ſeveritate* ϛοργὴ. *Bonum pro malo reddit. Ciceronis inſigne factum erga Gabinium. De pecunia in ſaccis reperta, conciliantur dicta patriarcharum. Quo ſenſu id ad Deum referant? Eorum relatio apud patrem, & ejus commotio. Rubenis ſtulta propoſitio. An mentitus ſit Iacob, negans Benjaminum iturum in Aegyptum?*

Quod verſ. XV. & XVI. Joſephus bis ſe juramento obſtringit, duplicem habet difficultatem. 1. de forma juramenti. 2. de rei aſſertæ veritate. Ad formam juramenti quod ſpectat, dicit חי פרעה *che Pharao*, id eſt, *vivit*, ſeu vivat Pharao. Pagninus *per vitam Pharaonis.* Vulgata *per ſalutem.* Quod juramentum patribus ejus fuit inuſitatum, & piis omnibus, qui per Deum tantum & Dei nomen jurare ſoliti ſunt. Paulus Fagius hìc dicit, fuiſſe apud Ægyptios uſitatum juramentum, quemadmodū apud Ebræos *vivit Dominus*, quod vita hominum ab eo pendeat. Scribere Ebræos adhuc moris eſſe in Ægypto, ut ſi quis juret per caput regis & non præſtet, morte plectatur; nec permitti ut vel auro, vel ulla alia re vitam redimat. Cujus ſententiæ fuit Mercerus, *certum eſt*, inquit, *hoc Ægyptiorum peculiare fuiſſe regi ſuo adulantium, jusjurandum, ut Romani per genium principis jurabant.* Hoc autem uſurpaſſe Joſephum ſimulatè, ut ſe magis alienum oſtenderet, quia ſi per Deum juraſſet, quod gentibus, maximè Ægyptiis moris non erat, ſpecimen aliquod ſui præbuiſſet, quod Ægyptius nō fuiſſet. Unde eſt, quod non planè eum liberatā peccato. Ejuſdem ſententiæ eſt Calvinus, in hac jurandi formula aliquid eſſe quod merito culpetur; quia fuit profana adulatio apud Ægyptios, jurare per vitam Regis, itaque judicat jusjurandum hoc à vera pietate abhorrere; Unde notat, nihil difficilius eſſe ſanctis Dei ſervis, quam puros ſervari inter mundi ſordes, ut inde maculæ nihil cōtrahant. Nullis quidem aulæ corruptelis ita infectum fuiſſe Joſephum, quin purus maneret Dei cultor; aliqua tamen labe fuiſſe aſperſum, quum ſe ad pravam mundi conſuetudinem accommodavit. Et hęc quidem nō malè dicuntur, neque enim neceſſarium eſt, omnia ſanctorum facta aut dicta, vel imitari, vel etiam excuſare.

Certè ſi fuerit verum juramentum & directum, nulla ratione poteſt à peccati macula purgari. Nemo enim poteſt jurare per creaturā aliquam, qui nō tranſgrediatur limites à Deo ſuis præfixos Deut. 6. 13. ubi hæc tria conjungit, tanquam Deo propria, *Iehovam Deum tuū timeto, & ipſum colito ac per nomen ejus jurato.* Eſſe verum juramentum *vivit Pharao*, contendit Cornelius à lapide, hoc argumento, quia eadē eſt loquendi formula quæ apud Ebręos *vivit Dominus.* Simili etiā modo, inquit, juramus per animā. Tale autem juramentum eſſe licitum ex eo probat, quod qui per creaturas jurat, cenſetur uſu cōmuni gentium, & tacita jurantis intentione jurare per earum creatorem, ut explicat Chriſtus Mat. 23. 21. Ad id ultimum, ut primo loco reſpondeam, nego Dominū ibi approbare juramenta per creaturas facta, quæ potius abſolutè improbat & prohibet, ut rectè cenſuit Hieron. in Mat. Docere tamen eos qui talia juramēta uſurpabant, & proximum fraudabant, à perjurio non fuiſſe liberos, vel à nominis Dei uſurpatione fruſtranea; quia etſi id non intenderent, indirectè tamē in Dei operibus uſurpabāt Dei nomē; quod quomodo fieret ſi quis quærat, dicimus; Certum eſſe nomen Dei nō uſurpari quo-

quotieſcumque creatura aliqua, etiam excellentiſſima, nominatur, alioqui nunquam non uſurparemus Dei nomen; ſed in actione jurandi uſurpatur indirectè nomen Dei, nominata creatura, propter actionē illam quæ ſolum Deum reſpicit, quia, etiā teſtibus adverſariis, nullum poteſt eſſe verum juramentū, niſi aliquo modo ad Deum referatur. Ideo quiſquis jurat, etſi nomē Dei non exprimat Deum etiā imprudens appellat, qui ſemper juramēti cognitor, aſſertor & vindex eſt. Non tamen ſequitur aliquem vel debere, vel ſine peccato poſſe, per creaturas, quia aliquam habent ad Deum relationē, jurare, quod ex hoc Chriſti dicto probari nullo modo poteſt. Non inquam, ſequitur, ſi quis jurando per creaturas quæ aliquam ad Deum relationem habent, dum juramentum non ſervat, pejerat: etiam eum qui per creaturas jurat, & juramentum ſervat, cultum Deo gratum in juramento præſtare: quia non valet conſequentia à negatione unius rei ratione alicujus effectus, ad affirmationem ejuſdem ratione alterius. Quo vitio laborat aliud Pontificiorum argumentum, inferentiū ex eo, quod illata contumelia ſignis quæ homines ſacra exiſtimant, quamvis à Deo non inſtituta, in ipſum Deum redundat, ex intentione nempe contemnentis, quod religioſum putat; honorem etiam talibus ſignis delatum, gratum eſſe Deo, quod falſiſſimum eſt. Laban jurans per Deos ſuos perjurus fuiſſet, ſi promiſſis non ſtetiſſet; non tamen ſequitur juramentum ejus fuiſſe licitum.

Eandem autem eſſe loquendi formulam cum ea qua dixerunt Judæi *vivit Iehova*, ipſe Cornelius à lapide refellit ſui oblitus. Cum enim immediatè addat verba illa *per ſalutem Pharaonis*, quæ vulgata uſurpavit, exprimere illa, *vivit Pharao*, non poſſunt eadem eſſe cum verbis *vivit Iehova*, quæ nemo unquam reſolvet in ſimilia, *per ſalutem Iehovæ*, quod blaſphemum eſſet. Quid, quod poſteà addit, phraſim illam potius ex communi loquendi uſu ſignificare execrationem, qua quis ſe aut ſuos devovet, & hoc juramentum potius eſſe execratorium, ut ſenſus ſit, *per ſalutem Pharaonis*, hoc eſt, *juro, teſtor & rogo Deum, ut Pharaoni regi meo ſalutem & vitam adimat, niſi vos quaſi exploratores habuero, ſi vos mihi non adducatis Benjamin.* Hæc ille. At quis unquam poſſet tali execratione uti adverſus vitam Dei? Ergo, aut ſibi non conſtat Jeſuita, aut blaſphemus eſt. Nec etiam probabile eſt Joſephum, vel auſum fuiſſe vel voluiſſe, caput ſui regis devovere. Aliud eſt ſi aliquis devoveat vel vitam ſuam, vel aliquid ſuum quantumvis chariſſimum. Præterea non juratur tum per creaturam, quod in quæſtione poſitum eſt, ſed directè invocatur Deus ſive tacitè ſive expreſſe, adverſus creaturam, ſi fraus fiat in rei aſſertione. Quare juramentum Joſephi ad execratorium referri non poteſt ſi propriè juramentum fuit, quomodo Paulus *teſtem vocabat Deum in animam ſuam*. 2. Corinth. 1.25. Quomodo jurabant homines per caput ſuum, νὴ τὴν κεφαλὴν: ut ille apud Virgil. *Per caput hoc juro*. Hæc enim talia ſunt ut nemo tam abſurdus eſſe poſſit, qui putet, invocari vel animam vel caput, ut vindex ſit veritatis adverſus perjurum. At in his verbis *vivit Deus*, includitur talis invocatio, quaſi diceremus; ſcio Deum vivere & audire, qui me ſi mentiar puniturus eſt. Quid ergo, an idem voluit Joſephus de Pharaone dicere, *vivit Pharao*, qui me ſi mentiar, pœnis afficiet meritis? Nihil minus; potuit enim id Pharao ignorare, cujus vita, ut vita Dei non eſt purus actus, & qui vivens, non omnia videbat.

Notandum ergo, quod etiam rectè animadvertit Calvinus, diſtinguendum eſſe inter juramentum propriè dictum, & obteſtationis ſpeciem, ſive aſſeverationem teſtimonio aliquo confirmatam: quod duplici modo fieri poteſt. 1. ut ſit comparatio unius veritatis ad aliam, quaſi quis diceret, ut verum eſt Deum vivere, vel Regem vivere; ſic verum eſt quod ego dico. Ubi non eſt ſemper comparatio graduum veritatis, ſed veritatis ſimpliciter, qua una veritas non manifeſta, declaratur per comparationem veritatis alicujus evidentis. Sic 1.Sam.17. verſ.55. *Vivit anima tua ô Rex, ſi novi*, id eſt; ut verum eſt animam tuam vivere ô Rex, ita verum eſt me non noviſſe, de qua ſtirpe deſcendat hic adoleſcens. Imò aliquando hæc duo conjunxerunt pii, *vivit Iehova & vivit anima tua*. Ut 1.Reg.2. verſ.4. Sic enim loquitur Eliſæus Eliæ, q. d. ut verum eſt Deum vivere, & te vivere; ſic verum eſt me non derelicturum te. 2. Poteſt hæc phraſis intelligi votivè, non imprecatoriè, ſed benè precando alicui, & teſtificando noſtrum affectum erga veritatem quam aſſerimus, per comparationem affectus noſtri in rem aliquam nobis chariſſimam; quaſi diceremus, Teſtor Deum non mihi minus charam eſſe veritatem, quam mihi chara eſt ſalus aut vita Regis &c. Si juramentum Joſephi uno ex iſtis duobus modis reſolvatur, ceſſabit omnis difficultas; præſertim ſi primo modo, quem maximè probo: ut nempe hæc aſſeveratoriè intelligantur, per veritatis comparationem; Tam verum eſt quod dico, quam verum eſt vivere Pharaonem cujus ſum miniſter: quia ſalus & vita principum magis eſt in aperto, quam cujuslibet è vulgo. Subticetur autem juramentum, quod intelligitur; aſſeveratio autem ſive obteſtatio exprimitur.

Tertullianus Apologet. contra gentes Cap. XXXII. negat Chriſtianos velle jurare *per genios Cæſaris*; ſed jurare concedit *per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis*. Id gentilibus defectionis argumentum videbatur, quod Chriſtiani nollent illud uſurpare juramentum, quod ſanctiſſimum καὶ φρικωδέστατον apud eos erat. Itaque ſicut diis immortalibus, ut loquebantur, immolare, ita & per Cæſaris genium jurare cogebantur. Sic in Agone Polycarpi apud Euſeb. Hiſt. lib.4. cap.15. dicebant ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, Jura per Cæſaris genium. Idem autem apud eos erat, per fortu-

nam

nam alicujus jurare, & per genium ejus, nam ab uniuſcujuſque genio, bonam vel malam hominis fortunam pendere putabant. Sic apud Apul. lib. 8. Metamor. *Per fortunas veſtroſque genios, &c.* Id autem facere recuſabant Chriſtiani, quia genios illos habebant pro Dæmoniis. *Neſcitis*, ait Tertul. *genios dæmonas dici, & inde diminutiva voce dæmonia?* Item. *Cæterum Dæmonas*, id eſt, *genios, adjurare conſuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare ut eis honorem divinitatis conferamus.* Ubi agnoſcit Tertullianus, eos divinitatis honorem conferre creaturis, qui per eas jurant. Ex ejus etiam verbis colligitur, ne quidem per bonos Angelos jurari poſſe, quibus non competit divinitatis honor. Alioqui ſi hoc licuiſſet, & credidiſſent Chriſtiani, quod hoc tempore Pontificii certum habent, unicuique homini ſuum bonum Angelum eſſe aſſignatum; & per creaturas quæ relationem habent ad Deum jurare licuiſſet, ut jam Papiſtæ per Angelos & ſanctos jurant; non video cur ipſis non licuerit per bonum Imperatoris genium jurare. Exiſtimarunt enim Gentiles, eſſe genios probos, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων, *cuſtodes mortalium hominum*, ut loquitur Heſiodus. Plato etiam unicuique homini genium ſuum dedit, φύλακα τοῦ βίου, καὶ ἀποπληρωτὴν τῶν αἱρεθέντων. *Cuſtodem vitæ, & adjutorem conſummatoremque, quæ quiſque elegiſſet.* Apud Arianum, Diſſert. 14. *Deus nos curat*, inquit, Epictetus, ἀλλ᾽ οὐδὲν ἧττον καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε, *ſed nihilominus curatorem addidit ſuum cuique genium, & cuſtodiendum eum ipſi commiſit, atque eum qui nec conniveat & dormiat, quique decipi non poſſit.* Si unicuique, certè maximè Imperatoribus. Ergo, ſi Chriſtiani judicaſſent juramentum per Angelos bonos concipi potuiſſe; non rejeciſſent illud quod per genium Imperatoris præſtabatur, quia id intellexiſſent de Angelo bono. Sed neque noverant per creaturas jurari poſſe, nec artem æquivocandi didicerant.

Iurabant tamen per ſalutem Imperatoris, id eſt, interprete Franciſco Zephyro paraphraſte, *Ita nobis ſit ſalvus Cæſar, ita incolumis regnet.* Sed benè notavit Baſilius in Pſal. 14. non tam fuiſſe jusjurandum quam θεραπείαν πρὸς τοὺς ἀκούοντας, id eſt, genus quoddam obteſtationis, quo auditorum animi conciliabantur, & confirmabantur. εἰσὶ δέ τινες λόγοι, inquit, σχήματα μὲν ὅρκων ἔχοντες, οὐκ ὅρκοι δὲ ὄντες, ἀλλὰ θεραπεία πρὸς τοὺς ἀκούοντας. ὡς ὁ Ἰωσὴφ τὸν Αἰγύπτιον οἰκειούμενος, νὴ τὴν ὑγείαν ὤμνυε Φαραώ. καὶ Ἀπόστολος τὴν πρὸς Κορινθίους ἀγάπην ἑαυτοῦ παριστῶν, ἔφη, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. hoc eſt, *ſunt quidā ſermones, juramentorum quidem figuras habentes, non tamen juramenta omnino exiſtentes, ſed remedia potius perſuadendi, ut Ioſeph Ægyptium ſibi familiarem reddere cupiens, juravit per ſanitatem Pharaonis. Et Apoſtolus charitatem ſuam erga Corinthios oſtendere volens, ait; per gloriam veſtri, quam habeo in Chriſto Domino noſtro.* Ubi tamen Baſilius, omnino rejicit juramenta omnia ſub diſciplina Chriſtiana, quod ipſi cum quibuſdam aliis patribus commune fuit, ut hoc tempore Anabaptiſtis. Ergo eo quo diximus ſenſu potuerunt Chriſtiani aliquid aſſeverare *per ſalutem regis*, quod tamen, quia noverant poſſe ad ſuperſtitionem trahi, & non ab omnibus diſtinctiones intelligi, pii Imperatores poſteà aboleverunt, præſertim Francorum Reges, ut annotavit B. Rhenanus, in locum Tertulliani quem produximus, & in libr. ad Scapulam. Pamelius etiam teſtatur, inter leges Clodovæi, Childeberti & Chlotarii, quas penes ſe habebat manuſcriptas, ſic legi cap. 6. *Vt nullus præſumat per vitam Regis, filiorumque ejus, jurare.* quæ Lex totidem verbis habetur in Legibus Longobardorum, lib. 3. tit. XXIV. In Cod. Legum antiq. pag. 681. Fortaſſe tamen id referri poſſet ad juramentum execratorium, de quo ſuprà. Ut contraham paucis quæ ad Joſephum ſpectant, probo ſententiam eorum, qui negant ejus verba propriè juramentum fuiſſe, ſed aſſeverationem volunt evidentiæ aut vehementiæ cauſa factam, cum collatione rei evidentis. Itaque hoc nihil facit ad creaturarum invocationem; & Joſephus à peccato abſolvitur.

Sed ſive ſit juramentum, ſive aſſeveratio, dubitatur adhuc an verum fuerit quod aſſeverabat. Falſum enim videtur in duobus capitibus, 1. affirmavit eos non egreſſuros, donec adduxiſſent fratrem ſuum Benjamin; Laxavit tamen decem, qui redierunt ad parentem. Auguſt. quæſt. in Geneſ. 139. ſic ſolvit hunc nodum. Propoſitionem fuiſſe indefinitam, & verum eſſe non omnes rediiſſe, quia unum retinuit, qui omnium nomine obſes maneret, donec fidem liberaſſent. Certum eſt Joſephum nunquam intellexiſſe omnes detinere, volebat enim unum ſaltem mitti, qui Benjaminum adduceret. Sed poſt trium dierum incarcerationem, mitius cum eis egit & unum retinuit, qui pro omnibus reſponderet. Itaque non erant liberi ab obligatione, in cujus fidem fratrem vinctum reliquerant. In altera aſſeveratione, cum ſciret non eſſe exploratores, etſi non veniſſet Benjamin, videtur etiam aſſeveraſſe contrarium ejus quod noverat; cum dixit, vivit Pharao, *exploratores eſtis.* Sed propoſitio tantum conditionalis eſt. Deinde idem ſignificat ac ſi diceret, præſumemini eſſe exploratores, q. d. niſi fratrem veſtrum adducatis, & ita probetis vos veraces eſſe ut profitemini, ego vos quaſi exploratores habebo, & ita vos tractabo. Sic explicat hunc locum Auguſtinus, & poſt eum Cajetanus. Ex eo, inquit, quod eis objectum fuerat, vos eſtis exploratores, cum ad talem objectionem purgandam, narraſſent ſtatum familiæ ſuæ, patris ſenis, & junioris filii meminiſſent, ſi in eo mentiti fuiſſent, ſe ſuſpectos reddidiſſent, tanquam exploratores; & ſi hac ratione non probaſſent veritatem dictorum ſuorum, tanquam exploratores in mendacio deprehenſi tractari potuiſſent.

Duas conditiones ſucceſſivè fratribus propoſuit, primam

mam duriorem, ſecundam moderatiorem & mitigatam. 1. Eſt ut unum ex decem mittant, novem vinctis manentibus, donec decimus ille rediret cum abſente fratre, atque ita verificarentur eorum dicta. De eo inter ſe deliberaſſe credere par eſt, ſed etiam probabile eſt, aut nullum voluiſſe hanc ſuſcipere provinciam, aut re inter ſe deliberata cogitaſſe id fieri non poſſe ut tot manerent obſides, quin parens hoc nuntio & unicum videns ex tot liberis, gravi mœrore afficeretur, & id præterea videntur repræſentaſſe, parentem nullomodo paſſurum ut veniret Benjamin, ſi videret ita ſecum actum fuiſſe. Quæ omnia non dubium eſt Joſephum animo verſaſſe. Itaque etſi eos carceri includat triduo, ut conſcientias ſuas probè excuterent, & de ſcelere olim admiſſo cogitarent, noluiſſe parentem ſuum hac moleſtia afficere? Cujus tamen, an talem quam debuiſſet, habuerit rationem dubitari poſſet, præſertim in eo quod tam conſtanter petit & extorquet, ut Benjamin adducatur. Nam pro ea qua pollebat prudentia, ſatis potuit intelligere quam ſollicitus eſſet parens de hoc, quem putabat ſe unicum habere ex dilecta Rachele, filio; & ſi hoc illi perſpectum non fuiſſet; id tamen indicaverant fratres, minorem illum cum ſene patre fuiſſe relictum. Videbatur itaque durum, bono ſeni hanc imponere neceſſitatem, ut illum abduci ſineret, poſtquam tantas anguſtias paſſus eſſet ex fratris jactura. Ergo quæ in fratres ſuos durius egit Joſeph habuerint rationes ſuas, de quibus diximus, quid in Joſephum peccaverat Jacob, ut in partem vocaretur ærumnarum? Cum Deo non eſſe expoſtulandum ſcio, nec ſine cauſa permiſiſſe ut talis vexatio prioribus adderetur, extra controverſiam pono. Non enim apud Deum talis erat Jacob, etſi fidelis, quin jure poſſet caſtigationibus ſubjacere. Deinde novit Deus ita ſuos variis tentationibus exercere, ut tamen eas ſapientiſſimè moderetur, nec permittat ſuos *tentari ſupra id quod poſſunt, ſed præſtat una cum tentatione etiam evaſionem, ut poſſint ſufferre*, 1 Cor. 10. 13. Sed quod Deus juſtè & ſapienter facit, non pariter juſtè homines adminiſtrant.

Et tamen filiali reverentia patrē ſuſpexiſſe Ioſephum, ex ſequentibus ſatis conſtabit; qui etiam hoc dedit parentis conſiderationi, quod non perſtitit in prima illa propoſitione de novem retinendis, quia moleſtiſſimum id judicavit fore, ſi tot ſimul liberis privaretur; nec potuiſſet unus neceſſarium tam numeroſæ familiæ commeatum ſecum aſportare. Iudicavit ergo pro ea qua divinitus pollebat ſapientia, minus illud patris incommodum, & brevis temporis perplexitatem, impedire non debere, quominus fratres ſuos exerceret, cum præſertim ſtatueret, abundè id compenſare omnibus charitatis officiis. Addimus etiam, dubium fuiſſe de veritate dictorum fratrum ſuorum, nec certò potuiſſe fidem ipſis adhibere, in iis quæ dicebant de patre adhuc vivente, & de fratre ſuo Benjamino. Nec etiam voluit neceſſaria omittere, qui liberaliter cum ipſis egit, ita ut appareat eum voluiſſe in ſpem certam eos adducere, futurum ut adducto Benjamino, cum ipſis ageret, tanquam cum viris ingenuis & pacificis. Nam juſſit non ſolum ut implerentŭr ſacci eorum, & inſciis redderetur pecunia, ſed etiam abundè voluit ipſis proſpici de neceſſariis ad iter perficiendum, ita ut tandem agnoverint verſ. 28. aliquid extraordinarium ſibi à Deo fuiſſe factum; Quibus etiam exiſtimavit Joſephus, parentem quem noverat ſagacem, & in Dei operibus diſcernendis & conſiderandis ſatis perſpicacem, habiturum argumenta ſufficientia, quibus totum negotium divinę providentiæ ſecurè commendaret. Quamvis ergo fuerit utcumque extraordinaria diſpenſatio negotii illius, præſertim filii erga parentem, quæ non omnibus ad imitandum proponi debet; in tali viro nihilominus, omnibus circumſtantiis expenſis, & cum eventu collatis, nihil temerè reprehendendum exiſtimo, ſed potius, etiam in iſtis, raræ ſapientiæ laudem eſſe tribuendam.

De carcere triduano, quo fratres detinuit, non eſt quod quis cum eo expoſtulet. Duriora meritos fuiſſe nemo negabit. Sed fortaſſe, dicet aliquis, ab alio; quia poſſet videri propria vindicta, cujus nemo eſt idoneus miniſter. Et id quidem verum eſt, ſi quis privatam vitam agat; ſed qui magiſtratu funguntur, poſſunt etiam propriam injuriam vindicare, dummodo limites non excedant & modum teneant. Sed hic non ad vindictam referenda ſunt quæ facit Joſeph, qui nullo lædendi animo impulſus ad iſta fuit, ſed caſtigavit & probavit fratres, ſanandi ſtudio, & ad pœnitentiam eos adducendi propoſito; qui foris ſeveritatem oſtendens, intus amore fraterno totus flagrabat. Philoſophantur nonnulli ſuper triduo carceris, quaſi reſpexiſſet Joſephus ad triplex illud peccatum, quo in eum iniqui fuerant. 1. Cum deliberaverunt de illo occidendo. 2. Cum mutato conſilio, malo animo omnes, excepto Ruben, eum in ciſternam conjecerunt, ibi fame necandum. 3. Cum eum inde extraxerunt & Jſmaelitis vendiderunt. Alii nugantur inter Pontificios de figurato pœnitentiæ ſacramento tripartito, ut ajunt, in contritione, confeſſione, & ſatisfactione. Alii de tribus finibus pœnarum quos notavit Gellius noct. Attic. lib. 6. cap. 14. νουθεσία nempe, id eſt, commonitione; τιμωρία, id eſt, conſervatione honoris ejus qui læſus eſt; & παραδείγματι, aliorum exemplo. Quæ ut alibi habeant ſuum locum, hic adducuntur otioſè. Probationem illam tridui tanquām brevem elegit Joſeph, quam putavit ſufficere, ut conſcientias ſuas excuterent. Quamvis autem Ruben fuiſſet innocens ratione plagii in fratre commiſſi, non potuit tamen commodè eum à reliquis ſeparare, quem etiam noverat aliis ſceleribus fuiſſe implicitum, nec minus quàm aliis ei opus eſſe ea vexatione, quæ conſcientiam pungit. Diſtinguit nihilominus poſteà inter eum & reliquos, dum poſtquàm unum tantum deliberavit captivum retinere, dimiſſo Rubene, qui tamen natu major erat, Simeonem ſecundum, in vinculis detineri voluit,

cujus

cujus fortaſſe expertus erat crudelitatem. Videntur enim Simeon & Levi, ut in alio actu violento, ſic in hac adverſus fratrem violentia, aliis præiviſſe.

Non eſt de nihilo, quod huic conſilio, quod ſecundo loco aperit, hanc præfationem præmittit, *Ego Deum timeo*; voluit enim eos hac ratione animare ad ſpem bonam, ut ſciant non cum homine barbaro, & qui nulla religione teneatur, ſibi rem eſſe, ſed cum eo qui novit ſe habere in cœlo judicem. Noverat Dei timorem principium ac fontem eſſe omnis æquitatis ac integritatis, ut contra, ubi nullus Dei timor, ita nullam eſſe Religionem, nec per conſequens erga homines juſtitiæ aut aliarum virtutum ullam eſſe rationem. Itaque ut nutantes confirmet, pollicetur ſe vitam eorum conſervaturum, ſi ſe fideles præſtent, & probi inveniantur hoc quod propoſiturus eſt indicio. זאת עשו וחיו *zoth aſu vichju*, id eſt, *Hoc facite, & vivetis.* Vulgata, *facite quæ dixi*, quaſi in primo propoſito maneret; ſed illud *hoc* non refertur ad ea quæ dicta erant, ſed ad ea quæ dicturus erat. Melius ergo addidiſſet, *quod dicturus ſum.* Nempe verſ. 19. ſequente. & 20. ubi conditionem illam ponit, quod ſi uno obſide manente, alii abeant, & frumentum ferant in uſum familiarum ſuarum, redeant autem poſteà cum Benjamino, tunc pro veracibus habebuntur, & nullum ipſis metuendum erit mortis periculum.

Cum annuiſſent mandato, durum nihilominus eſſet unum ex fratribus relinquere in vinculis, memores præterea triduani carceris, erumpunt tandem in verba, quibus indicant, non fruſtra Joſephum hæc adhibuiſſe media, quibus eos ad culpæ ſuæ agnitionem deduceret. Itaque, etſi putent ſe hæc omnia pati ab Ægyptio homine, nec exiſtiment ipſum cum iis agere ex jure; altius tamen conſcendunt, & agnoſcunt eſſe Deum inſpectorem & judicem eorum, quæ homines celare poſſumus. Fefellerant parentem, & omnem humanam cenſuram hactenus effugerant. Toleraverat eos Deus per multos annos. Iam putabant ſibi nihil eo nomine metuendum eſſe. Sed cum videant ſe non poſſe, etiam vera dicendo, flectere penitus animum illius in cujus erant poteſtate, recordati ſunt iniquitatis ſuæ, & ſævitiei quam in fratrem exercuerant; & jam ſibi pœnam talionis à juſto judice Deo inferri. Contulerant inter ſe, unde hoc accidiſſet, ut Deus qui Jacobi & ſuorum omnium ſpecialem curam hactenus geſſerat, cum ejus conſilio iter illud ſuſcepiſſent, permitteret, ut his moleſtiis non ſine gravi ignominia afficerentur. Noverant in manu ipſius eſſe, hominum corda flectere, & potentum gratiam conciliare iis quibus benè vult. Cum aliter accideret, rectè tandem rem acu tangunt. Rei ſumus propter fratrem noſtrum, non ſuimus ejus miſerti, cum gravi anguſtia, per malitiam noſtram premeretur; nec ejus ſupplicationibus aures præbuimus, qua menſura menſi fuimus, eadem remetitur nobis. Notant autem hic, quod antea ſubticuerat Moſes: Nihil enim dixerat de Joſephi lachrymis & precibus, quaſi obmutuiſſet, cum tam indignè à fratribus fuit exceptus. Sed ſæpè uſu venit in ſcriptura, ut quæ uno loco fuerunt omiſſa, poſteà, data occaſione, alibi recitentur, quod oportuniſſimè fit hoc loco, ubi Moſes ipſos reos introducit fatentes. Huc etiam referuntur quæ memorat Ruben, ℣. 22. Quamvis enim ſupra ſatis indicatum fuerit, ſcopum ejus fuiſſe, Joſephum ex aliorum manibus eruere, & ſalvum parenti reddere, id arte tamen tentaviſſe conſilio dato de projiciendo eo in ciſternam in qua non erat aqua, unde poſteà eum extraheret: Itaque fingebat ſe acquieſcere aliorum voluntati, de eo aliqua ratione perdendo. Sed cum jam apud eoſdem commemoret, ſe hortatum fuiſſe eos ne peccarent in puerum, nec auditum fuiſſe, apparet quod tum etiam notavimus, Rubenem initio verbis & hortationibus voluiſſe eos avocare à perpetrando tali facinore; ſed cum videret ſe nihil hac ratione proficere, ad artes illas confugiſſe, quibus eos ſaltem ab ejus ſanguine effudendo revocaret, exiſtimans ſe poſteà clam illis, eum liberaturum. Quæ cum non ſucceſſiſſent, obſtinatis omnium reliquorum animis in fratris perniciem, inde fieret ut *ſanguinem ejus repeteret Deus.* Phraſis eſt Ebræa, *ſanguinem repetere è manu alicujus*, pro eo quod eſt, pœnam exigere ab aliquo tanquam alicujus mortis reo, quem vel ipſe occidit, vel ejus mortis cauſa fuit; vel cum debuiſſet, non impedivit, quominus in periculum mortis incideret. Culpatur enim negligentia; quanto magis malitia? Pſal. 9. ℣. 3. dicitur Deus *requirens ſanguinem*, id eſt, quæſtionem inſtituens de cœdibus innocentum, dum tempore ſuo illarum recordatur, & eas ulciſcitur. Sic Ezech. 3. ℣. 18. *ſanguinem ejus dè manu tua requiram*, id eſt, *ſumam pœnas de te, quod fueris cauſa interitus & perditionis ejus.*

Voluit autem Deus ut hæc faterentur coram ipſo Joſepho, quod tamen non feciſſent, ſi exiſtimaſſent eum intelligere; ſed putabant eum Ebraicam linguam non callere, utpote Ægyptium, qui agebat cum eis per interpretem. כי המליץ בינתם *quia interpres inter eos erat.* verſ. 23. vulg. *per interpretem loquebatur ad eos.* מליץ interpres, advocatus, incertum an à radice ליץ vel à מלץ *malatz*, in Hiphil המליץ *himlits*, interpretatus eſt, quod verbum apud Rabbinos frequens. A ליץ *lutz* in Hiphil, fit הליץ *helitz*, ſed poſtremum hoc *deridere* ſignificat, illudere & cavillari: etſi etiam ſecundario in bonam partem interpretentur, pro diſponere, ratiocinari, ordine eloqui &c. ſed cum מלץ *malats*, ſignificet *dulcuit*, *dulcis factus eſt*, unde fortaſſe Græcum *μέλι*, & Lat. mel: qui facundè & diſertè loquuntur, & quorum ex ore, ut de Neſtore dictum eſt, melle dulcior fluit oratio, מליצים *melitſim*, appoſitè dicentur, juxta hanc ſignificationem. Chaldæus paraph. habet hic מתורגמן *meturgeman*, unde videtur ductum nomen, quod nunc omnibus ferè linguis commune eſt, ut *trucheman*, dicamus eum, qui interpreta-

 tur lin-

tur linguam aliquam incognitam, inter duos qui ſe alioqui non intelligerent.

Hic appoſitè conſiderat Chryſoſt. quanta ſit conſcientiæ vis, quæ etſi aliquando ſopita videatur, ita tamen excitatur ſtimulis afflictionum, ut ejus obtutu peccata omnia ilico ſe ſiſtant & confluant, cum nempe homines Dei manum vindicem ſentiunt. Nulla facta fuerat Joſephi mentio, tamen ſubit memoria injuriarum, quibus eum affecerant ante annos tres & viginti. Nullus aderat accuſator, teſtis nullus; at ipſi ſunt ſibi accuſatores & teſtes. Sic oculos quos claudit culpa, aperit pœna. *Conſcientia verum & domeſticum tribunal eſt*, ait Nazianz. *in plagam grandinis.* Quæ ſi bona ſit, abſolvit & conſolatur; ſi mala, condemnat & torquet. Utriuſque exemplum habemus; bonæ in Joſepho, qui accuſatus & in carcerem conjectus, intus habuit conſcientiam judicem abſolventem & conſolantem; malæ in fratribus, quos ſtimulat injuſtè factorum conſcientia, etſi ante multos annos. *Vnuſquiſque* enim, *animum ſeverum ſui judicem, ultorem ſceleris, & vindicem criminis habet*, ut rectè Ambroſ. Nec id latuit Ethnicos ipſos. Unde illud Ciceronis, *Magna vis eſt conſcientiæ in utramque partem, ut neque timeant aliquid qui nihil commiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarunt.*

Hic etiam exemplum illuſtre eſt legis talionis, qua quod quis injuſtè facit, idem etiam illud tandem patitur; & ita paria paribus referuntur. Mortis enim & captivitatis metum & ſenſum, quem in fratre innocente contempſerant, jam ipſi in aliena terra vincti, procul à parente & familiis ſuis experiuntur; precum humilitatem cum deſpexiſſent, ſuas quoque preces non exaudiri ſentiunt: Qui mentiti fuerant patri; vident ſibi etiam verum dicentibus fidem non adhiberi; Et qui inter alios peſſimus fuerat, tandem præ ceteris vinctus, in carcere detinetur. Huc referri debent iſta Prov. 21. v. 13. *Qui obturaverit aurem ad clamorem pauperis, viciſſim clamabit & non exaudietur.* Matth. 7, ℣. 2. *Qua menſura menſi fueritis, eadem & vobis remetietur.* Jac. 2. 13. *Iudicium abſque miſericordia, ei qui non præſtiterit miſericordiam, &c.*

Sed id præterea eſt animadvertendum, quod in his anguſtiis conſtituti, dant gloriam Deo, nec adverſus providentiam ejus obmurmurant, permittentis ut talia paterentur inſontes. Certum eſt enim, neque illos fuiſſe exploratores, neque quicquam eorum cōmiſiſſe, quorum tunc arguebantur. Sed altius conſcendunt & vitam ſuam præteritam examinant, cujus defectibus tribuunt, quod jam alio nomine patiuntur. Similia exempla ubique ſunt obvia; ſæpè ad ſupplicium rapti fuerunt, falſis accuſationibus obruti, qui tandem cum viderent ſe elabi non poſſe, negantes ſe reos eſſe criminis, cujus cauſa in eos ſententia lata erat, faſſi ſunt nihilominus, ſe multis modis fuiſſe mortem meritos, & alia crimina, ſæpè atrociora, confeſſi ſunt, anteà hominibus ignota; quorum cauſa agnoverunt, Deum tandem eos adduxiſſe ad reddendam rationem. Quæ conſideratio utiliſſima erit, ubi dubia eſt æquitas humanorum judiciorum: ſemper enim eo veniendum erit, quicquid ſit de hominum actionibus, Deum habere ſuas rationes, & nihil in mundo temerè & fortuitò accidere, quin cuncta Deus gubernet & ad fines ſuos dirigat.

Quod dicitur, *ſanguinem mentiri non poſſe*, id in Joſepho animadvertimus. Dura quidem in fratres pronunciaverat, & deliberata voluntate, in finem utilem, vim ſibi fecerat ad tempus, cohibueratque affectus ſuos ne erumperent. Sed tandem natura vires ſuas exerit, nec contineri poteſt voluntatis obfirmatione. Intelligit fratrum confeſſionem, videt artem ſuam non fuiſſe vanam, & tandem ſenſu peccati ſui perculſos eſſe, qui hactenus induruerant. Itaque ϛοργὴ & naturalis affectus exprimit ex ejus oculis lachrymas, quas tamen ut tegat adhuc ad tempus, ut ſe eis manifeſtaret commodius, ſeceſſum pauliſper quæſivit, donec videret, ſe poſſe conſtanter ad priorem ſeveritatem redire. Ex quo de ejus animo in fratres benevolo ſatis conſtat, nec eum ex impetu quodam iracundo eos ita exercuiſſe, ſed affectu paterno, & emendationis eorum cupido. Non dubium eſt quin ſenſerit tunc in corde graviſſimam luctam, cum ex una parte commoverentur ejus viſcera, audita fratrum miſerabili querela; ex altera autem, neceſſarium judicaret vultum adhuc ad ſeveritatem componere; unum etiam ex illis in vinculis detinere. Quod autem notatur, ligatum fuiſſe Simeonē לעיניהם *leenehem*, in oculis eorum, id eſt, *coram ipſis*, videtur proptereà additum, ut inde colligeremus, poſtquàm illi averſi fuerunt, humanius fuiſſe habitum. Nec enim patitur hic affectus quem nuper in Joſepho vidimus, ut credamus quod toto illo tempore quo fratres iverunt & redierunt, in vinculis tenuerit Simeonem, & tetro aliquo carcere incluſerit. Quod ergo fecit iis ſpectantibus huc ſpectavit; ut peccati dolorem in iis augeret & conſervaret; præterea etiam ut memores afflictionis fratris ſui feſtinarent reditum, & cum Benjamino, qui futurus erat fidelitatis eorum teſtis, quamprimùm venirent.

Affectus Joſephi aliud teſtimonium habemus ℣. 25. Ubi miniſtris ſuis in mandatis dat, ut impleant ſaccos patriarcharum tritico; neſcientibus reſtituant pecuniam, & cibaria etiam eis ad iter miniſtrent, quæ duo poſteriora fuerunt ſpecialis prærogativæ, voluit enim ſe in eos liberalem præbere. כספיהם *keſepheiem* ad verbum, *argenta eorum*, id eſt, argenteos nummos. Argenti enim nomen in plurali numero apud Ebr. non reperitur, præterquam in ſignificatione pecuniarum aut nummorum, non autem ubi de ipſa materia agitur. Diſtinguitur autem frumentum quod portabant in uſum familiarum ſuarum, à צדה *tſedah*, quam juſſit ipſis dari ad iter. Propriè *venationem* hæc vox ſignificat, tam

cat, tam actionem venandi, quam prædam venatione paratam: ſed metaphoricè extenditur ad omnem cibum, quovis modo paratum, præter panem propriè dictum, accipiturque pro viatico & comeatu. In his actionibus Joſephus exemplum præbuit mandati illius, *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos.* Matth. 5. 44. proſpicit enim non ſolum ſaluti, ſed etiam commoditati, eorum qui necem ei erant moliti, & cũ innocentem illum in ciſternam conjeciſſent, & vendidiſſent ut perderent, eos tamen è vinculis liberat, ut tam ipſos, quam eorum familias ſervet. Quæ certè ſummæ benevolentiæ indicia oſtendunt, nihil minus in animo ejus fuiſſe quam vindictæ cupiditatem, & propoſitum perdendi fratres, quod tamen impunè poterat, & non ſine juris ſpecie apud homines. Sed noverat quid Deo & proximo deberet, exiſtimavitque ſe victoriam ſatis præclaram adeptum eſſe, quod tandem ad pœnitentiam eos adegiſſet. Nam, ut rectè Val. Max. lib. 4. ca. 2. *Speciosius aliquanto injuriæ beneficiis, quam mutui odii pertinacia vincuntur.* Ubi in Cicerone laudat, quod Gabinium qui eum in conſulatu ſuo urbe expulerat, repetundarum reum, ſummo ſtudio defendit. Pudeat Chriſtianos ejuſmodi actiones tanquam non neceſſarias, ad conſilia referre, non ad officia ad quæ omnes pii ſe coram Deo obligari ſentiunt. In eo errant plerique Pontificii. Nec minus Sociniani & eorum aſſeclæ, qui præceptum de *inimicis diligendis*, &c. etſi neceſſarium nunc fateantur, tamen ad legẽ Chriſti referunt, non ad legem Dei ante exhibitum Chriſtum. At id Joſeph fecit ex debito, & alii ex legis naturæ præſcripto, laudarunt.

Verſ. 27. Unus dicitur aperuiſſe ſaccum ſuum ex occaſione, & pecuniam ſuam in ore ſacci reperiſſe. De aliis ibidem, id non dicitur. Imò tum primum id videntur noviſſe, omnibus, non uni tantum, factum fuiſſe, cum præſente patre frumenta effunderent. Nihilominus cap. ſeq. verſ. 21. cum diſpenſatori narrant quid ſibi acciderit, dicunt ſe aperuiſſe ſaccos ſuos cum veniſſent ad diverſorium, & inveniſſe pecuniam in ore ſaccorum ſuorum. Itaque ſunt qui ut hunc nodum ſolvant, dicunt, etſi omnes aperuiſſent ſaccos ſuos, poſtquam unus pecuniam ſuam in diverſorio reperiſſet, cujus exemplo voluerunt etiam inquirere, an idem ſibi accidiſſet, voluiſſe tamen coram parente fingere, ſe id tum primum noviſſe, ne à patre increparentur. Itaque coram œconomo dixiſſe quod res erat, ſed coram patre ſimulato & ficto timore, novitatem rei fuiſſe profeſſos. Sed non video quorſum id parentem celaſſent. Ego potius exiſtimarem, data opera factum fuiſſe à ſervis Joſephi ex heri mandato, ut pecunia unius in ore ſacci deponeretur; aliorum autẽ vel in medio, vel profundius, in ipſo frumento lateret, ita ut, etſi aperuerint ſaccos ſuos, pecunias tamen ſuas non repererint, niſi cum evacuarent ſaccos ſuos, ut dicitur ℣. 25. Ergo quod poſtea dicunt, ſe in diverſorio inveniſſe pecuniam in ore ſaccorum ſuorum, intelligendum eſt per Synecdochen illam quæ ſatis eſt frequens in ſcripturis, quâ id quod uni accidit, vel unus fecit, in aliqua ſocietate, omnibus tribuitur. Quia tum primum indicium habuerunt ejus rei, in uno, quam poſteà omnibus communem experti ſunt; Idcirco paucis agentes, totum negotium ſub initio illo intelligunt. Hoc malim, quam non neceſſariam hypocriſim, præſente patre, eis affingere.

Quod verſ. 28. inter ſe quærunt attoniti, *quid eſt hoc, quod fecit nobis Deus?* non ita accipiendum eſt, quaſi agnoſcerent extraordinariam aliquam Dei benedictionem, qua mirabili aliena ratione, pecunias quas ſciebãt ſe numeraſſe ſervis Joſephi, ipſis reſtituiſſet, quod prima fronte verba videntur indicare. Sed potius metuunt, ne Deus permiſerit, pecuniam illam reponi in ſaccis ſuis, ut poſteà furti rei peragerentur, tanquam qui abiiſſent non ſoluto frumenti pretio. Hinc eſt quod poſteà cum effuſo frumento, viderent id omnibus factum fuiſſe, auctus fuit metus, quia videbant id fieri non potuiſſe omnibus, incuria quadam, vel oblivione, ſed cõſilio & deliberatò, quod quidem verum erat. Sed cum hoc factum ambiguam haberet ſignificationem, & æquè in bonam, vel in malam partem accipi poſſet, duo fecerunt ut illud ſequius ſint interpretati. 1. Quod jam experti fuerant, ſecum durius actum fuiſſe. 2. Quia adhuc eos urgebat ſcelerum conſcientia; talibus autem omnia metum incutiunt, vel folia in arboribus commota. Laudandi tamen in eo, quod in adverſis ſtatim aſſurgunt ad reputanda Dei judicia, neque fortuitis caſibus tribuunt quæ patiuntur aut metuunt, vel in hoſtibus accuſandis tumultuantur & fremunt: ſed Deum judicem ſibi in conſpectu ſtatuunt; ſi tamẽ eo uſque proceſſerint, ut ad veram humilitatẽ perducti, ſpem veniæ conceperint, quod eos tandem feciſſe piè credi debet.

Superſunt à verſ. 29. uſque ad finem cap. quæ acta ſunt cum Jacobo, poſtquam redierant. Narrant paucis ea quæ acciderant, in quibus tamen nonnulla videntur prætermittere, vel ne patrem affligant, vel ne ſi cuncta eo modo quo facta fuerant recitarent, obfirmarent ejus animum in Benjamino non dimittendo. Hoc videntur fine, tacuiſſe, quod retenti fuerint in carcere triduo, & quod qui relictus fuit obſes, in conſpectu eorum vinctus fuerat. Nec enim fideliter ſatis vulgata editio expreſſit verſ. 34. *ut eum qui tenetur in vinculis recipere poſſitis*, cum textus ad verbum habeat, *fratrem veſtrum dabo vobis*; nulla mentione vinculorum facta. Quamvis autem ad eum modum relationem ſuam compoſuerint, non potuerunt tamen afflicto ſeni perſuadere, ut Benjaminum cum ipſis mitteret. Quin gravi expoſtulatione uſus, conqueretur, quaſi in ſe cuderetur hæc faba, quaſi hac ſua obligatione, eum liberis ſuis orbũ reddidiſſent. Itaque exclamat, v. 36. *Ioſeph non eſt, & Simeon non eſt, & Benjamin capietis, ſuper me fuerunt hæc omnia.* Vulgata quædam addit, *Ioſeph non eſt ſuper, & Simeon tenetur in vinculis.* Eadem phraſi utitur

textus de utroque, *non ipſe*, quæ idem ſignificat ac ſi diceret, *mortui ſunt.* Nam hoc ipſi vis doloris extorquet, ut de Simeone detento loquatur tanquam de homine mortuo; quaſi diceret, actum eſt etiam de Simeone, eum jam habeo inter illos qui non ſunt. Tolerandi ſunt in ſanctis tales humani affectus, qui dum irrepunt, eos ita occupant ad tempus, ut non cogitent de promiſſionibus Dei, donec tandem pacatiores redditi, ad ſe redeant.

Sed quod verſ.37. Ruben duos ex liberis ſuis offert patri obſides, ab eo interficiendos ſi Benjaminum non reduxerit, planè ſtultum & ſtolidum eſt. Non enim hac ratione, ſi aliter accidiſſet, dolorem ſuum lenire potuiſſet Jacobus, nepotes ſuos interficiendo, quod fuiſſet barbarum & ſævum, ita ut ridicula videri poſſit, imo deriſoria propoſitio, ac ſi quis diceret, expone periculo oculum tuum dexterum, cui ſi quid mali accidat, alterum oppignoro & permitto ut eruatur. Scio quidem hanc non fuiſſe Rubeni mentem, qui ſerio oppignorabat quod habebat chariſſimum, & hoc præſertim conabatur, ut ſuſpicionem omnem patris dilueret. Sed imprudentem nihilominus & ſtultam conditionem propoſuit. Perſtat itaque Jaçob in propoſito, nec talibus rationibus dimovetur, aut flectitur. Expectanda fuit gravior neceſſitas, de qua poſteà. Interim negat filiū ſuum deſcenſurum in Ægyptum. Quæ negatio vera fuit, quia tunc ſic in animo habebat, de eo enim reſpondebat, non de eventu. Rationes duas addidit, unam ab eo deductam quod ſolus ſit ex matre ſua, altero mortuo; Solent autem unica & rara, cariora eſſe. Altera ſumitur ab eventu quem metuebat, ne ſi quid ei accideret periculi, *deſcendere facerent caniciem ſuam, cum dolore, in ſepulchrum*, id eſt, ſua illa importunitate autores forēt mortis paternæ, ejuſque ærumnoſæ & lamentabilis. De phraſi illa *deſcendere* שאולה *ſcheola* diximus ſupra ad finem cap.17. Ubi contra quoſdam Pontificios probavimus, nomen illud rectè pro ſepulchro accipi, aut mortuorum ſtatu; non autem pro loco animarum ſubterraneo, ut illi volunt. Nec certè hic de anima poteſt intelligi שׂבה *ſebah* canicies, quæ non refertur ad animā, ſed ad corpus propriè. Cani enim non deſcendunt in locum animarum, ſed in ſepulchrum in quo cōditur corpus. Hoc voluit; efficietis ut ego ſenex, mœrore & triſtitia moriar; imò ſenio meo accelerabitis mortē. Sic etiam reſolvit Ieſuita Mariana in notis, *Ad ſepulchrū deducetis me, præ mœſtitia moriar.* nec abludit Emanuel Sa *eritis mihi cauſa mortis, ſeu efficietis ut præ mœrore animi moriar.* ut fatui ſint, qui canos in Limbo ſomniant.

AD CAPUT XLIII.

Exercitatio CLXIII.

Summa Cap. XLIII. Videre faciem alicujus. *Obedientia erga homines ſuos habet limites. Voluntas* per cauſam. *Scripturam in uno loco omittere, quæ poſteà ex occaſione ponit. Argumenta quibus Iuda impetrat dimiſſionem Benjamini. An temeraria fuerit ejus ſponſio, diſcutitur. Conſenſus Iacobi & conſilium ejus. Verba Ebræa quibus denotantur res offerendæ Ioſepho, penè ignota in ſpecie. Iudæorum ſuperſtitioſiſſima obſervatio.* Duplicem pecuniam *quam intelligat Iacob. Cur inſtante Iuda permiſerit, quod Rubeno denegaverat. Vota Iacobi pro filiis, in quibus agnoſcit, corda hominum eſſe in manu Dei. Verba ejuſdem,* ſicut orbatus ſum, orbatus ſum, *expenduntur, & ita explicantur, ut fidei Iacobi nihil derogent.* πόρισμα *inde deductum.*

HOc capite narratur ſecunda profectio filiorum Iſraëlis in Ægyptum cum Benjamino fratre, & humaniſſima eorum exceptio in domo Joſephi. Tres autem ſunt totius hiſtoriæ partes, 1. Diſceptatio inter patrem & filios de dimiſſione Benjamini, cum finali patris conſenſu & voto. 2. Profectio fratrum & adventus in Ægyptum, & Purgatio de pecunia in ſaccis reperta. 3. Colloquium Joſephi cum fratribus, & convivium inſtructum eorum cauſa. In quibus omnibus Joſeph adhuc tanquam ignotus, cum fratribus agit, ſed ſolito benignius, ita ut videatur ab uno extremo, in aliud tranſiiſſe. Pleraque facilia ſunt, reliqua paucis perſtringemus.

Conſumpto commeatu, & perdurante fame, Jacob ſollicitus de familia ſua, filios iterum in Ægyptum vult amandare. Negaverat cap. præced. ſe miſſurum cum iis Benjaminum. Judas omnium fratrum nomine, iterum refert qua conditione dimiſſi fuerint, oſtenditque ſe redire non poſſe cum fratribus, niſi unà proficiſcatur minor frater. Argumētatur ab inutili, imò à periculo, quia proteſtatus erat Joſeph ipſos faciē ejus alia lege non viſuros. Videre alicujus faciē maximè dicitur de principibus viris, dum aliquos admittunt ad ſalutationē, eoſque benignè ſuſcipiunt. Sic 2. Sam.3.13. *Non videbis faciem meam, niſi prius adduxeris Michol.* Quibus verbis indicabat David ſe non admiſſurū Abnerum, niſi unà veniret Michol. Non rejiciunt mandatum patris, ſed ſollicitè inſtant, ne cogantur cum periculo, aut ſine aliqua utilitate

utilitate, iter illud ſuſcipere. Nõ ergo ſunt inobedientis & refractarii animi verba, quæ habentur ℣. 5: *Si non vis, non ibimus, &c.* ſed potius eſt exemplũ animi prompti & parati ad obedientiam; ſed non niſi ſub conditione rei, quam Judas tanquã inevitabilem & prorſus neceſſariam proponebat. Deo jubenti nullatenus renitendum, ei debetur obedientia ſine diſquiſitione. Sed quando cũ hominibus nobis res eſt, etiam ſuperioribus, nihil derogatur virtuti obedientiæ, ſi modeſtè excipiamus ea in quibus apertè videmus eos errare; neque eſt irreverentiæ, in difficilibus aut inutilibus mandatis, gravamina rationibus æquis demonſtrare. Id ſi liceat in rebus ad hanc vitam pertinentibus, in quibus periculum minus eſt; certè multo magis ubi de cultu Dei agitur, & ſpiritualibus negotiis; ſi quid præter aut contra Dei verbum injungatur, aut animæ noxiũ ſit. Quapropter deteſtãda & cæca monachorum, præſertim Ieſuitarũ, obedientia.

Quod Jacob verſ. 5. quærit, למה הרעתם *lamma haradhem*, quare malefeciſtis mihi? Vulgata non vertit interrogativè, ſed aſſertivè, *in meam miſeriam hoc feciſtis,* quaſi id eis impingere vellet, quod hac fratris ſui mentione, hoc feciſſe viderẽtur data opera, ut eum hoc filio privarent, ne ullus ex Rachele ſupereſſet, quaſi in eo voluptatem caperent, ut ei chariſſima quæq; auferrent. Quia hoc vitium eſt ætatis, ut ſuſpicioſi ſint ſenes, & omnia quæ malè cedunt, putent in ſui contemptum, aut ſtudio eos offendendi facta fuiſſe. Et hanc quidem ſuſpicionem merebatur Iſraëlitarum malitia. Non exiſtimo tamen, eo uſque progreſſum fuiſſe patrẽ, ut id de iis cogitaret; ſed accuſationem potius eſſe imprudentię eorum, quam malitiæ, reſpicereque potius ad eventum quam ad animum. Fit enim aliquando ut ea voluiſſe dicamur, quorum antecedentia, ſive occaſiones, voluimus, etſi alio fine; ut cum quis dicitur voluiſſe morbum attrahere ſibi, vel mortem accelerare, cum ea vel imprudens fecit, vel etiam ſtudio voluit, ad quæ talia cõſequuta ſunt, etſi aliud intenderet. Scholaſticis dicitur, voluntas per cauſam.

Itaque ſedulo ſe purgant, non à malitia ſolũ, ſed etiam ab imprudentia, quaſi nulla ducti neceſſitate mentionẽ injeciſſent fratris minoris; quia faciebat ad eorum juſtam defenſionẽ, ſi accuſati quod exploratores eſſent, familię ſuæ & numeroſæ prolis unius viri meminiſſent; cum ex eo conjicere promptum eſſet, parentẽ noluiſſe, tot ſimul liberos exponere periculo, in quod conjiciũtur, qui explorandi cauſa alienas obeunt regiones. Poſteà vero pertracti interrogationibus, quas ab homine Ægyptio, cui ignota eſſet familia, expectare non potuiſſent, neceſſitate quadam ſenſim ſe compulſos fuiſſe oſtendunt ad hanc indicationem. Ea tamen hic dicunt, quorum anteà non meminit Hiſtoria, verſ. 7. Interrogaſſe virum illum de cognatione, de patre, an viveret, an haberent fratrem; Poſſent videri hæc jam addita fuiſſe apud patrem, ut excuſationi locus eſſet: nihilominus, ſunt rationes maximè probabiles, cur ita accidiſſe ſentire debeamus. Ea maximè quæ deſumitur à conditione perſonæ interrogantis. Cum enim noviſſet fratres ſuos, nec videret juniorem, dubium non eſt quin ſollicitus fuerit de ſtatu abſentium patris & fratris, quos præſertim in pectore gerebat. Unde etiam par eſt credere, etſi ſe diſſimularet, omni tamen ratione tentaſſe, veritatem exprimere de eorum ſtatu, ad quam indagandam aptiſſimæ fuerunt interrogationes, quas hic repetunt; etſi eas Moſes antea tacuerit, ſuo loco inſerendas, ex ea quam memoravimus regula, Scripturam ſæpè uno loco omittere, quæ in altero ponit.

Concludit tandem Judas ℣. 8. uſque ad 11. rogatque patrem ut conditionem neceſſariam amplectatur, de mittendo fratre: argumento ducto à neceſſitate urgente, qua neglecta, pereundum ipſis erat fame, & ad eum magis flectendum, addit *parvulos eorum*, cum *patre* ipſo. אתה גם טפנו *ata, gam taphenu*, tu & parvuli noſtri. Vulgata pronomen illud אתה *tu*, omiſit; quod tamen non ſine emphaſi poſitum fuit. Hæc ratio debuit eſſe magni ponderis. Etſi enim Jacob de promiſſionibus divinis non dubitaret, quas impoſſibile erat impleri, ſi fame periiſſet ejus familia; noverat nihilominus Deum non eſſe tentandum, ubi media ſuppetunt ad vitam ſuſtentandam, etſi non ſine difficultate & periculo ſint uſurpanda. Unde colligimus, certitudinem promiſſionum divinarum de ſalute & perſeverantia ſanctorum, aut doctrinam de prædeſtinatione &c. non reddere ſegnes eos, qui ex ſcriptura edocti ſunt, patres quibus factæ fuerunt promiſſiones, omnem diligentiam adhibuiſſe, in mediis diſquirendis, quæ ad finem à Deo deſtinatum deducunt. Quia ſatis intelligebant, eum qui finem deſtinavit, præparaſſe etiam media, quibus ad eum pervenire quis poſſet.

Addit Judas fidejuſſionem pro fratre, ſub pœna perpetui reatus, וחטאתי לך כל הימים *vechatati leka, col hajamim*; id eſt, *& peccabo tibi omnibus diebus*, hoc eſt, in perpetuo reatu ero apud te; qua phraſi utebatur Barſebah apud Davidem, 1 Reg. 1. ℣. 21. *erimus peccatores ego & filius meus*, id eſt, agetur nobiſcum tanquam cum ſontibus. Id ergo intelligit Iudas, ſi illum non reducam, à gratia tua excidam, & apud te ſons perpetuo ſim. Quę fidejuſſio magni momenti fuit, cum enim Judas coleret reverenter parentem ſuum, & in ſatis flagranti gratia apud eum eſſet, nihil poterat oppignorare cujus jactus ægrius eſſet laturus, quam benevolentię patris, à quo expectabat benedictionẽ fructuoſam: nec gravius ei potuiſſet accidere, quàm ut toto vitę tempore haberetur pro eo, qui in parentem benemeritum graviſſimè peccaſſet. De qua tamen Judæ ſponſione quæri poſſet, an non temeraria fuerit? Non videtur enim viri prudẽtis, ſub gravi pœna ea promittere quæ nõ ſunt in poteſtate ſua. Quomodo autẽ potuit ſcire, virum illum, qui poteſtate pollebat, non detenturũ eſſe fratrẽ ſuum? Et certè nõ erat in manu ejus ut id impediret. videtur ergo

laqueum ſibi injeciſſe, & temerè ſpopondiſſe. Nec etiam ea ratione ſatisfieri potuit ſollicitudini parentis; Quid enim lucri habuiſſet, ſi amiſſo Benjamino, alterum filium habuiſſet perpetuo reum? In his anguſtiis conſtituti, etiam prudentes aliquando ea proferunt, quorum omnes conſequentias non expendunt, hoc tantum cogitantes, ut fidem ſuam apud alios probent, & obtineant quod cupiunt. Videtur Judas ex duobus malis, minus certum eligere voluiſſe. Videbat in periculo mortis verſari totam familiam, ſi Jacob in negatione ſua perſtaret: Certum illud periculum vitare voluit, eligendo incertum incommodum, quia etſi metus Jacobi non talis eſſet, qui in virum conſtantem non poſſet cadere, erant tamen nonnulla quæ benè ſperare eos jubebant de fauſto reditu. Quid ſi diceremus, Judam inſtinctu divino, ex fide in promiſſiones parenti factas, ita fuiſſe animatum, ut tam animosè ſe vadem offerret? Id tantum obſtat, quod quas affert rationes omnes, ita proponit, ut eas ſola ratio humana videatur dictare; ſumuntur enim 1. à neceſſario, ut dictum eſt, periculo nempe mortis ex fame. 2. à tuto, ſed quod confidenter proponebat, nullo argumento adhibito. 3. à commodi & incommodi comparatione, quo citius nos dimittes, eo citius & crebrius cibos afferemus. Ubi cum nulla ſit expreſſa divinæ providentiæ mentio, nulla promiſſionum, videtur ſuis nimium fidere ac niti conſiliis. Ideò permittet poſteà Deus ut experiatur eventum nullo modo prævisum vel cogitatum; & maximas patietur in corde ſuo anguſtias. Serio igitur aliquid deliberantibus cogitandum de admonitione Jacobi cap. 4. ℣. 13. & ſeq. ut nihil nobis certo promittamus de actionum noſtrarum ſucceſſu, niſi ſub conditione voluntatis & permiſſionis divinæ.

Quamvis igitur talis ſponſio non poſſet animum Jacobi placare, tamen victus neceſſitate, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, *volens nolens* (ægerrimè enim à ſe patiebatur avelli filium ſuum Benjamin) conſentit in ejus dimiſſionem. *Si ita nunc*, inquit, ℣. 11. *hoc facite*, Vulgata, *ſi hic neceſſe eſt, facite quod vultis.* At illud *quod vultis*, additum eſt textui ſine cauſa. Non enim hoc mandatum refertur ad præcedentia, ſed ad conſilium quod ſequitur de parandis muneribus. Jam enim pius ſenex poſtquam conceſſit, quod tandem agnovit eſſe neceſſarium, addit conſilium de eo quod facturi erant, & eos proſequitur voto ad Deum piè concepto. Ita Deus paulatim ſuos nutantes confirmat, & cunctantes adducit, quo eundum eſt. Nec enim prorſus culpa caruit φιλοστοργία optimi ſenis, quæ in eo modum excededat, quod præ unius filii amore, ſuam & totius familiæ ſalutem videbatur negligere. Quod exemplum eſt humanæ infirmitatis, qua non carent etiam ſanctiſſimi & ſapientiſſimi inter homines, qui tamen recolligunt ſe tandem, & domitis affectibus rationi cedunt, quod hic fecit Jacob, ad providentiam Dei recurrens, eique ſe & ſua omnia committens. Se enim, omnibus rationibus tentatis, vinci ſinit, & poſteriores cogitationes, quæ prioribus ſæpè ſapientiores eſſe ſolent, admittit.

Conſilium fuit prudens, quo voluit omnia parari, quæ ad benevolentiam comparandam, & fidem ſuam probandam in promptu habere debuerunt. Noverat, levia munuſcula ſæpè magni fieri à principibus viris, ubi magis conſideratur, vel gratitudo, vel reverentia donantis, quam doni quantitas aut qualitas. Sic anteà, præmiſit munera ad placandum fratrem ſuum; Hoc idem ut faciant erga præfectum Ægyptii imperat filiis ſuis, ℣. 11. Accipite, inquit, מזמרת *mizimrat*, ad verbum *de cantatione*, ſeu *de laude*, id eſt, ex maximè decantatis & laudatis, regionis iſtius fructibus. Ebreæ voces quibus efferuntur quæ nominat, ab aliis aliter vertuntur, ita ut vix aliquid certi afferri poſſit, ut etiam ſupra notavimus cap. 37. ubi de mercibus Jſmaelitarum quas in Ægyptum tranſvehebant agebatur, quo loco nonnullæ voces habentur quæ hic repetuntur. Pagninus דבש *Debaſch*, interpretatur *mel*, quod ſatis cognitum eſt; נכאת *necaoth*, aromata; לט *Lot*, ſtacten. בטנין *batenin*, avellanas, שקדים *ſchekedim*, amygdalas. Vulgata, modicum *reſinæ, & mellis & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, & amygdalarum.* Non opus eſt in hiſce diu immorari, quia ad ſenſum non multum ſpectat, quomodocumque interpretemur ſingulares has voces. Sufficere debet, quod hunc ſibi Jacob ſcopum propoſuerit, ut pro ſuarum facultatum conditione, & terræ in qua habitabat proventu, ea mitteret dona quibus præfectum Ægyptiorum ſuis placatiorem redderet. Hic merito doctiſſ. Mercerus Judæorum damnat ſuperſtitionem, qui notant hoc verſiculo viginti quatuor dictiones contineri, quas ſi quis ter pronunciet, cum alicujus civitatis portam ingreditur, innoxius à peſte, vel alio quovis periculo futurus ſit, etſi urbs infeſta ſit; in quæ nugamenta merito ſuo inciderunt, qui quod in ſcripturis manifeſtum eſt negligentes, in apicibus & literis myſteria rimari voluerunt, ſine ullo ductu prævio Spiritus ſancti, qui noluit nos talibus inhærere.

Altera pars conſilii fuit de duplici pecunia ſecum ferenda; ut ſuam fidem probarent. Duplicem autem pecuniam ſimpliciter intelligit, quam ſibi redditam in loculis reportaverant, & aliam ad novum frumentum comparandum; etſi videatur aliter intellexiſſe vulgatæ editionis autor. *Duplicem*, inquit, *pecuniam ferte vobiſcum, & illam quam inveniſtis in ſacculis reportate.* Nec multum abludit ab Ebræo textu, *pecuniam duplicem* capite in manibus veſtris, ואת הכסף *veeth hakeſeph*, & pecuniam reductam in ore ſaccorum veſtrorum תשיבו *taſchibu*, reducetis. Unde Rab. Sal. Jarki, argentum duplex intelligit de nova pecuniæ ſumma ad frumentum emendum, quia judicavit Iacob auctum fuiſſe pretium, atque ita tertium illud fuiſſe additum argentum, quod in ſaccis ſuis compererant, ne fortè id ex errore factum eſſet, quod proinde deberet reſtitui.

Sed

Sed quia poſteà ſemper fit mentio tantum *duplicis pecuniæ*, ut ipſi exponunt, ℣.21. & 22. *quam invenimus*, inquiunt, *in ore ſaccorum noſtrorum, nunc eodem pondere reportavimus, ſed & aliud attulimus argentum ut emamus &c.* præſtat ut ita hunc locum intelligamus, ut ſenſus ſit, Accipite pecuniam duplicem, & ita eam quam reperiſtis in ore ſaccorum veſtrorum reducetis, cum alia vobis neceſſaria ad novos victus emendos. Tandem, quod caput rei erat, omnibus paratis, addit, *ſed & fratrem veſtrum tollite, & ite ad virum.*

Hic valdè ſe torquent nonnulli, ut rationes exquirant, cur ad Judæ petitionem Benjaminum dimiſerit; cum antea inſtante Rubene, prorſus negaſſet ſe dimiſſurum. Cauſas illas afferunt, 1. quod Judas gratus & acceptus erat patri, cum Ruben contra odioſus eſſet, ob facinus admiſſum in patris contumeliam. 2. quia conditio quam offerebat Ruben erat iniqua & abſurda; conditio vero à Juda oblata gravis erat, & ad perſuadendum efficax. 3. Quia cùm Juda apud patrem egit, premebat fames, & creſcebat inopia; cum tanta non eſſet neceſſitas quando Ruben apud parentem inſtitit.

Hanc ſolam puto veram eſſe; non quod Iudam dubitem patri fuiſſe gratiorem, ſed quia neque id Jacobum moviſſet, neque conditio oblata, quam ſuas difficultates habuiſſe oſtendimus; niſi inſtans neceſſitas eum tandem ad conſenſum perpuliſſet. Vicit igitur Judas, quia res maturior erat: etſi ad perſuadendum multum valere fatendum ſit, ſi quis ab eo quem amat, rationibus ad conſentiendum aliquid inducatur. Prudentiæ patris tribuendum eſt, quod etſi Judæ poſtulationi id tandem conceſſerit, qui ſolus pro fratre ſpoponderat, omnibus tamen eum committit, ne illos contemnere videatur, ſimul etiam, ut omnes ejus conſervationi invigilent.

Conſilio Jacob adjungit precationem ad Deum, in qua ſe exerit tandem fides ejus. Fundamentum fidei ſuæ ponit, potentiam Dei; cui innixus duo petit, 1. ut Deus ipſis reddat virum illum placabilem; ad verbum, *det vobis miſericordias ad facies viri illius.* Ubi agnoſcit Deum hominum corda regere, & eos ad miſericordiam flectere poſſe. 2. Ut dimittat fratrem eorum quē obſidem retinuerat, & Benjaminum cum illis. Docet ſuo exemplo, poſt adhibita externa media ad preces recurrendum eſſe, quia vana ſunt hominum conſilia, niſi Deus fœlices ſucceſſus à nobis exoratus concedat.

Quæ autem ſub finem valdè patheticè ſubjungit Jacob conſideratione digna ſunt. ואני כאשר שכלתי שכלתי *vaani kaaſcher ſacolthi, ſacolthi.* Et ego ſicut orbatus ſum, orbatus ſum. Vulgata, ego *autē quaſi orbatus abſq; liberis ero.* Quaſi hoc vellet, ego quidē vos dimitto ſub divina protectione, interim dum vos iter illud cōficietis, ero ſolus, quaſi orbatus liberis: Nullus enim cum ipſo remanebat. Itaque plerique querelam eſſe volunt, in qua luctatur adhuc vir ſanctus, qui etſi preces ad Deum fuderit, metuit adhuc ſuis, præſertim Benjamino cujus anima adhærebat ſuæ. Sicut in ſanctis ſubinde diverſi affectus inter ſe pugnant, dum orantes hæſitant, credentes vacillant. Doctiſſ. interpres ad hæc verba, quæ primo intuitu diffidentiæ eſſe videntur, quaſi parum ſibi conſtaret, qui non eſſet poſt conceptas preces quietior; exiſtimat nihilominus firmum ſtetiſſe Jacobum in promiſſione ſibi data, & aliquem precum ſuarum fructum ſperaviſſe; ſed patheticis his verbis filios ſuos pungere voluiſſe, ut majorem haberent fratris ſui curam. Conſilium itaque ejus fuiſſe, filiis ſuis injicere ſolicitudinem, quo majori fide & ſtudio, in officium ſuum incumberent. Ebræi, ut notat Fagius, duplicem afferunt ſenſum. 1. Quemadmodum orbatus ſum Joſepho & Simeone, ſic modò orbabor Benjamin, ita mihi præſagit animus. 2. Mortuo Joſepho, puto me omnibus orbatum eſſe. Dicunt autem שכול ſchakol, *orbum*, vocari eum, cujus moriuntur filii ipſo adhuc vivente.

Exiſtimo, 1. Jacobum non id intellexiſſe de omnibus liberis ſuis, ſed de Benjamino de quo maximè ſollicitus erat. 2. Hæc verba non continere querelam, vel vocem diffidentiæ, ſed ut benè meo judicio, animadverterunt Tremel. & Jun. eſſe verba viri ſe & rerum ſuarum eventum committentis voluntati Dei, ut Eſteris 4.℣.16. *Et ego ſicut perii perii.* Edicebat enim Mardochæo, ut congregaret omnes Judæos ad jejunia & preces, ſe idem cum ſuis præſtituram; addebat, *& cum perierim periero.* Notandum eſt in talibus periculis, ubi non habemus ſpecialem Dei promiſſionem, ita dirigi debere noſtras preces ad Deum, ut fide incumbentes ejus bonitati, non ei præſcribamus rationem aut modum, quo velimus liberari, etſi id humiliter ſignificemus; ita ut tamen, addatur, vel ſubaudiatur, *fiat voluntas tua.* Hanc fuiſſe mentem Jacobi, ex eo patet, quod precatus eſt ex fide, agnovit Dei potentiam, & petiit filiorum liberationem. Tandem nihilominus, quamvis de benignitate Dei certus eſſet, & dē promiſſionum eventu non dubitaret, quia tamen neſciebat an Deus vellet necne patientiam ejus iterum probare in ſecundo ſuo ex Rachele filio, ſubmittit ſe divinæ voluntati, q. d. ſi Deus velit adhuc me orbari iſto filio, acquieſcendum erit voluntati divinæ, rem committo providentiæ ejus, poſtquam me & meos ipſius tutelæ commendavi. Et certè, hunc fuiſſe Eſteræ ſenſum, ex toto contextu patet. Aggrediebatur rem arduam & periculoſam, ut non vocata ad regem accederet. Res tamen erat neceſſaria; Itaque pro ſuo populo huic ſe periculo exponit, ſed Deo prius per ſe & alios negotium commendat, quo facto, *ſi periero*, inquit, *periero.* Si ita velit Deus, ego acquieſco ejus voluntati. In talibus dictis, nihil eſt contra fidem, nihil quod orationis vim imminuat, cum ſint verba ſeipſum abnegantis, ut ſe tradat & committat Deo.

Interim, cum tot ſollicitudinibus vexetur vir ſanctus

filiorum

filiorum cauſa, docemur, parentes ſuas ſpes & gaudia, non in filiis ſuis collocare debere. Imò nulli rei mundanæ aut terrenæ inniti diſcere debent fideles; ſed toti à Deo pendere. Jacobo aut ſubtrahitur omnino, aut ad tempus, quicquid magis dilexerat, Rachel, Joſeph, & tandem Benjamin; quod fecit Deus, ut ab eis amorem inordinatum avocaret, quem in ſe transferret.

EXERCITATIO CLXIV.

Mactare mactationem, *non ſemper ad ſacrificia pertinere. Caſauboni obſervatio. Novus patriarcharum metus à mala conſcientia. Furti pœnam* ſervitutem *fuiſſe, quomodo colligatur? Oeconomus Ioſephi veri Dei cultor fuit, & conſcius conſilii ejus circa fratres. Lotio pedum orientalibus uſitata ante cibum. Implentur ſomnia Ioſephi à fratribus inſciis.* Ἀστοργία *hypocritarum deteſtanda. Conviviorum veterum conſuetudo in cibis apponendis. Exponuntur plures loci ſcripturæ, ubi agitur de* parte calicis *& cibi, &c. Cur cibum ſumere cum Ebræis, abominabile fuerit Aegyptiis? Idem erga Græcos uſurpaſſe, cujus rei rationes afferuntur. An à Ioſepho fuerit ordo accumbentium? Quæ Patriarchis admirationis cauſa?* Inebriandi *verbum, apud Ebræos, non ſemper in vitio. Alioquin Ebrietas propriè dicta grave fuit peccatum, in quod continentiſſimus Ioſephus non incidit. Auguſtini de ebrioſis grave dictum.*

SEquitur profectio fratrum & adventus in Ægyptum, &c. ℣.xv. & ſeqq. ubi cum veniſſent, & Joſeph una cum iis vidiſſet fratrem ſuum, præcipit diſpenſatori domus ſuæ; Ebraicè, *ei qui ſuper domum ſuam*, ut introducat viros illos domum, & *occidat victimas*. Ebr. וטבח טבח *uteboach tebach*, & macta mactationem. Quæ verba ſæpè uſurpantur ubi agitur de ſacrificiis; ſed tamen phraſim communem eſſe, tam ſacris mactationibus, quam aliis, ex hoc loco, atque aliis pluribus compertũ eſt, quemadmodum obſervat Doctiſſ. Caſaubonus, obſervat. in Athen. lib.1.cap.11. ἱερεῖα apud Græcos ſcriptores, non ſolum victimas appellari, quæ verè ἱερεύονται, & in ſacrificiorum uſum mactantur; verum etiam omnia, quęcumque ad comedendum jugulantur animalia, cujus acceptionis multa profert exempla. Phraſes igitur quibus autores utuntur, pro circumſtantiarum ratione ſunt interpretandæ. Id quidem verum eſt, ſacrificia olim ſæpè fuiſſe cum conviviis conjuncta, & partem carnium ceſſiſſe offerenti, ut cum ſuis lætum ageret convivium. Sed nihil hic tale cogitandum eſt. Noluit Joſephus, ut præfectus domus ſuæ, ſacrificium aliquod inſtitueret, convivium ſimpliciter, & in eum finem carnes præpararet; id fieri potuit non ſolum in animalibus ad ſacrificium aptis, ſed aliis etiã, ut volatilibus, & piſcibus, &c. Rectè igitur vulgata hoc verbum, והכן *vehaken*, & *præpara*, interpretata eſt, *inſtrue convivium*. Addit Joſephus ipſe finem, quia comeſturi ſunt mecum viri, בצהרים *bathſahorim*, in meridie. Unde apparet acceſſiſſe ad Joſephum fratres ante meridiem, quod tempus negotiis peragendis maximè aptum erat, præſertim in calidis regionibus, ubi matutino tempore diſpoſitis rebus ſuis, domum ſe recipiebant circa meridiem, & ita circa diei æſtum ſe cibo ſuffulciebant. Iſque fortaſſe ſolus erat totius diei cibus, quia tum ordinariè videntur ſemel comediſſe; Quod ſi bis de die comederint, quod aliis nationibus uſitatum fuiſſe conſtat, id fuit tempus prandii.

Sed jam novus incutitur metus filiis Iſraëlis, cum vident ſe domum Joſephi deduci ab œconomo, ſive adminiſtratore. Exiſtimant ſe ad novum examen & certamen vocari, & animum ſubit, quod de pecunia audivimus unicuique in ſacco ſuo reddita: timent ergo, ne hac occaſione, intendatur ipſis nova lis. Itaque judicant præveniendam eſſe accuſationem vel interrogationẽ, ut innocentiam ſuam probent, & de furto ſe purgent. Sponte quidem profitentur repertam eſſe in ſaccis ſuis pecuniam, & domo relatam ſe in promptu habere, ut denuo ſolveretur. Sic probare voluerunt innocentiam ſuam. Nec tamen fuiſſet neceſſarium argumentum, ſi quis rigidè cum iis agere voluiſſet; quia poſſunt, etiã iniqui, & alienæ rei uſurpatores, vel pœnitentia ducti, vel neceſſitate alia adacti, ablata reſtituere; cum præſertim iſtos gravis fames urgeret in Ægyptum redire.

Nihilominus prudenter factum fuiſſet, id quod ſibi acciderat ſignificare atrienſi; etſi enim qua ratione accidiſſet neſcirent, ſive humana vel oblivione vel induſtria, ſive miraculo aliquo, bonum erat ut id non diſſimularent. In eo tantùm peccant, quod ita metu percelluntur, ut in ſuſpiciones parum convenientes præcipites ruant; putant parari ſibi calumniam, & in furti crimen adductum iri, eo fine, ut ſervituti addicantur una cum ſuis aſellis. Itaque ſe ipſos miſerè excruciant ſine cauſa; & Joſepho injuriam faciunt. Sic ex perturbato animo metus ortus eſt; ex metu ſuſpicaces facti ſunt, unde ſequuta eſt gravis anxietas. Mala conſcientia, etiam optima quæque in ſiniſtram partem capit; non dubium eſt enim quin Atrienſis eis ſignificaſſet, ſe domũ eos deducere, ut cum hero ſuo cibum ſumerent; At

ſuſpecta

ſuſpecta eſt eis extraordinaria beneficentia, cujus tamen jam anteà aliquos effectus experti erant. Id vero à judicio divino factum eſt, ut propter priora delicta, quibus adhuc in conſcientia ſua premebantur, omnia tuta timerent. Cum enim ſibi malè conſcii eſſent ob ſuam inhumanitatem adverſus fratrem, cui merito adſcripſerant moleſtias quas anteà paſſi erant; ſuſpicantur nondum eſſe finem, & fictam eſſe benevolentiam, cum pararetur ipſis calumnia, qua velut in furto deprehenſi, manciparentur ſervituti. Unde quodnam fuerit tunc furum ſupplicium inter Ægyptios colligere eſt, pœnamque non fuiſſe capitalem, ut nec apud Ebræos, apud quos ad quadrupli, aut minimum dupli reſtitutionem damnabantur. Apud Ægyptios ſervituti addicebantur. Agnoſcendum eſt tamen ſuſpicionem iſtorum fratrum non caruiſſe aliquo fundamento; quia cum homines eſſent exteri & ignobiles; Joſephus autem eſſet totius Ægypti ſummus præfectus, novum erat tales à tali viro convivio excipi, & qui neſciebant fratrem eſſe, vix potuiſſent excogitare rationem, cur menſæ ſuæ eos vellet adhibere; niſi fortè conjeciſſet aliquis, virum principem, cum videret tot fratres adultos, voluiſſe amicis ſuis exhibere novum illud ſpectaculum. Quod tamen neſcio an valdè novum fuerit illo tempore, quo Polygamia vigebat, cum hoc noſtro reperiantur in quibuſdam regionibus, maximè in Scotia, aliquando plures fratres, ex unica matre. Exiſtimo igitur ſuſpicionem eorum in ſe fuiſſe tolerabilem, & quæ ſine reprehenſione tranſire poſſet, niſi alioqui malus eorum animus eſſet ſuſpectus. Quicquid ſit, voluit Deus etiam hoc metu eos exercere.

Sed tamen benignè cum iis Deus egit, nec permiſit ut diu ſuſpenſi manerent, itaque verſ. 23. Atrienſis, ſive præfectus domus Joſephi eos conſolatur & erigit benignis verbis. Jubet ut ſint bono animo, & benè eis ominatur. שלום לכם *ſchalom lecem*, pax vobis, inquit; quæ phraſis, ut plurimum eſt benè precantis apud Ebræos, hac enim ſolent ſibi benè mutuo precari. Sed hoc loco non accipi debet optativè, potius enunciativè; denunciat enim omnia ipſis ſalva eſſe, nec eſſe quod metuant, res iis eſſe in proſpero & tranquillo ſtatu. Non autem aperit rationem, quâ pecunia illa in ſaccis eorum fuerat repoſita; Sed dicit Deum eorum, Deum patris eorum, dediſſe eis theſauros in ſaccis ſuis. Et hoc quidem verum erat. Deus enim præparaverat animum Joſephi, ut ita ſe gereret cum fratribus ſuis. Ex præfecti autem iſtius oratione, rectè colligitur aliquo pietatis guſtu imbutum fuiſſe; ſi enim Deos Ægyptiorum in pretio maximo habuiſſet, non attribuiſſet Deo Iſraëlis talem honorem; nam quod non dicit Deos terræ Canaan, ſed Deum patris eorum, argumentum eſt, eum ſupra rationem eorum qui unicuique nationi Deos ſuos tribuebant conſcendiſſe. Ex quo rectè colligitur, Joſephum, quamvis ſuperſtitiones quæ in Ægypto invaluerant, ubique non potuerit abolere, erexiſſe tamen domi ſacrarium, & conatum fuiſſe apud ſuos veri Dei cultum ſtatuere. Ita ut virtus ejus in perſona œconomi ſui laudanda ſit, quia apparet, publicam invidiam non veritum, intra privatos parietes Deo veros honores tribuiſſe. Credibile eſt etiam, non antea conſtituiſſe virum iſtum domus ſuæ præfectum, quam eum lucratus eſſet Deo patris ſui. Hinc eſt quod ille noverat Jacobum eſſe veri Dei cultorem. Quæ autem ab iſto viro adminiſtrantur ſatis indicant, fuiſſe conſcium totius negotii Joſephi cum fratribus, & Joſephum ei totam rem aperuiſſe.

Quod autem addit, *pecunia veſtra venit ad me*, ambiguum eſt. Quia verum erat pecuniam ei fuiſſe datam ab Iſraëlitis, ſed eam ſibi non retinuerat. Acceptam tamen illis ferebat. Sic autem loquitur ut ſe accõmodet diſſimulationi Joſephi, atque ita liberet eos à metu, ut tamen non revelet qua ratione aut quo conſilio reddita eis fuiſſet pecunia. Id etiam ad eos confirmandos faciebat, quod adduxit eis Simeonem, quem clementius tractatum fuiſſe, quam anteà fuerat in præſentia fratrũ, dubium non eſt. Reliqua etiam conveniebant, quod pro more orientalium, qui convivis hoſpitibus offerebant aquam ad lotionem pedum, propter pulverem cõtractum in via, hoc etiam eis præſtat officium; aſinis præterea eorum dat pabulum.

Sequitur colloquium Joſephi cum fratribus à ℣. 26. ad 29. In quo hoc maximè notandum, quod paratis ſuis muneribus, ad eum reverenter accedunt, & proni ſe incurvant in terram, non tantum nomine ſuo, ſed & parentis ſui, quem etiam viri illius ſervum appellant: quæ ideo Moſes diligenter & ſigillatim notavit, ut oſtenderet, tunc maximè fuiſſe impletum ſomnium Joſephi, de ſole & undecim ſtellis ipſum adorantibus. Ita non eſt conſilium adverſus Dominum, qui quod decrevit implet & perficit, per ea quæ homines faciunt eo fine ne impleatur.

In Joſepho laudatur φιλοστοργία, in qua tamen ita ſibi imperat, ut in eo etiam ſumma prudentia eluceat. Quia ſic interrogat ut nihil præcipitet, incipiens ab iis quæ maximè chara habebat. Id enim adhuc diſſimulat, & primò in genere quærit de communi omnium pace, deinde de patre eorum, & tandem ad Benjaminum venit.

Poſtquam de Benjamino quæſivit, benè ei precatur אלהים יחנך בני *elohim jochneca beni*. Deus miſereatur tui, fili mi; ſuo favore & beneficentia te proſequatur. Eſt plena affectus precatio, in qua benignè eum compellat *filii ſui* nomine, quod in viro principe fuit ſummæ benignitatis. Cavit autem ne fratrem appellaret, ne Benjaminum nominaret, quia nondum conſtituerat ſe eis revelare. Sed non potuit retinere lachrymas, quia commota fuerunt ejus viſcera erga fratrem ſuum. Latibulum ergo quæſivit, ut daret aliquid affectui naturæ, rediit poſteà lota facie, & vultu ad hilaritatem compoſito, excepit fratres convivio. Oſtendit ſe

ἄστοργον non eſſe, nec exiſtimaſſe virtutis eſſe ſi quis humanos omnes exuat affectus, quam ἀστοργίαν hypocritæ quidam mentiuntur, aut etiam contrahunt, quales fuerunt Monachi quidam, qui ne ſe quidem oſtendere voluerunt propinquis ſuis, quod ſe mortuos mundo fingerent. Videtur autem hic fletus expreſſus fuiſſe, ex duplicis affectus congreſſu, gaudii ſimul & triſtitiæ; quorum ille oriebatur ex præſentia fratris ſui uterini; hic vero ex recordatione tot miſeriarum, quas tum ipſe, tum parens ejus paſſus fuerat, ex quo privatus fuerat filio ſuo. Quod jubet *apponi panem*, intelligendum eſt, Ebræa phraſi, de omni cibo qui ad convivium apparatus erat.

Sed ſingularem habet rationem, quod ℣.31. dicitur, appoſitum fuiſſe cibum Joſepho ſeorſim, Ægyptiis qui cum eo comedebant ſeorſim, & Iſraëlitis ſeorſim. maximè propter eam, quæ affertur, rationem, *quia non poſſunt,* לא יוכלו *lo juchelu, Ægyptii cum Ebræis comedere panem.* De Joſepho quod ſeorſim comederit, referri poteſt ad ſummam ejus dignitatem & penè regiam. Solent enim reges, aut magni principes, ſoli aſſidere ſuæ menſæ. Etſi hoc tempore, in ſolemnibus conviviis aliter fiat, communi enim menſa tum utuntur, quamvis cibi ſeorſim ipſis apponantur, quos alii per ſe non attingunt, ſed iis quibus volunt gratificari, etiam particulas ex ſuis cibis offerunt, aliquando etiam lances à ſe ad alios transferri jubent, poſtquàm paulum deguſtarunt. Sed alia tum fuit convivandi ratio, quia ex ſequentibus apparet, non pro noſtri temporis more, appoſitos fuiſſe cibos communes omnibus convivis, ita ut quiſque ſibi quas vellet particulas decerperet; ſed unicuique partem ſuam fuiſſe diſtributam, quem morem apud Ebræos, Græcos, & alias nationes antiquiſſimum fuiſſe, multis teſtimoniis probari poſſet, de quibus videndus Joan. Guliel. Stuckius, Antiq. convivalium lib. 3. cap. 3. Has partes מנות *manoth*, Ebræi, Græci μερίδας, μοίρας, μερισμοὺς, appellarunt. Cujus moris veſtigia extant in Sacris literis. 2. Sam. 6. & 1. Paral. 16. narratur de Davide, quod poſtquam holocauſta & pacifica offerendi finem feciſſet, benedixerit populo, Dei nomine, ſinguliſque tam viris quam fœminis (cum nimirum omnes regio epulo excepiſſet) certam placentæ, panis, carnis, atque pultis partem, necnon unicuique lagenam unam diſtribuiſſe dicitur. De Elcana legimus, 1. Sam. 1. ℣. 4. & 5. quod cum Deo obtuliſſet ſacrificium, in epulo quod conſecutum fuit, Peninnæ uxori ſuæ, filiiſque & filiabus partes certas diſtribuerit, Hannæ vero uxori ſuæ dilectiſſimæ, מנה אחת אפים *manah achat apajim*, hoc eſt, ad verbum, *diſtributionem unam facierum*, hoc eſt, *partem maximè honorabilem dedit.* Ad quem morem non male refertur alluſio domini noſtri, Luc. 10. verſ. 42. Μαρία τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο. *Maria bonam partem elegit.* Qui mos cum obſervaretur, tam in diſtributione cibi quam potus, ex eo videntur deductæ phraſes uſitatæ in Pſalmis, *Hæc eſt pars calicis eorum,* Pſal. 11. *Iehova eſt pars portionis meæ & calicis mei,* Pſal. 16. Ejuſdem conſuetudinis inter Græcos, plurima apud Homerum extant veſtigia. Ut Odyſſ. 15.

> παρ᾽ δὲ Βοηθοΐδης κρέα δαίετο καὶ νέμε μοίρας.
>
> *Boëthides autem carnes incidebat, & diſtribuebat partes.*

Hinc doctiſſ. Græcorum Scholiaſtæ δαῖτας, ἀπὸ τοῦ δαίεσθαι ἐπίσης, ſive ἰσομοίρως, ab æquabili partium diſtributione, olim uſitatiſſima, dictas fuiſſe volunt. Plutarchus lib. 2. problem. quærit, laudabilius ne fecerint majores, certis portionibus; an recentiores, communibus dapibus victitantes, qua de re diſputat in utramque partem, ut ibi videri poteſt. Sed illud ſupponit veteris fuiſſe moris, ut certæ portiones unicuique diſtribuerentur in conviviis. Ad hunc morem igitur pertinuit, quod in portionibus dividendis effecit Joſeph, ut pars Benjamini excederet aliorum partes: in ſignum ſpecialis benevolentiæ.

Redeo è diverticulo ad quæſtionem, cur abominabile fuerit Ægyptiis, cibum ſumere cum Ebræis. Ebræorum doctores ſcribunt Ægyptios à carnibus abſtinuiſſe, ideò Ebræos qui illis veſcerentur, abominatos fuiſſe. Aben Ezra cauſam eam eſſe putat, quod à carnibus penitus abſtinuerint. De ovilla carne verum eſt, omnes eos abſtinuiſſe, exceptis Lycopolitanis. Hinc illud Juvenalis Sat. xv.

> --- *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
> *Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ,*
> *Carnibus humanis veſci licet.*

Sed ab omnium animalium carne abſtinuiſſe, probari non poteſt: Et hic aliter videmus factum. Appoſuerunt enim carnes convivis, ut ex mactandi verbo liquet; etſi non illorum animantium quæ pro diis habebant. Hic certè Onkelos ſubnectit, non potuiſſe Ægyptios cum Iudæis comedere panem, quia *pecus quod Ægyptii colunt, Ebræi comedunt.* Sed eadem fuit apud eos aliarum gentium abominatio. Scribit enim Herodotus, in Euterpe lib. 2. Etſi Ægyptii immolarent, & comederent boves maſculos & vitulos, mundos; fœminas tamen immolare non licuiſſe, utpote quæ Iſidi eſſent conſecratæ. Itaque ex omnibus pecudibus, boves fœminas Ægyptios maximè veneratos fuiſſe. *Propterea,* inquit, *nemo Ægyptius, Ægyptiave Græci viri aut os ſuaviaretur, aut cultro, vel veru, vel olla illius uteretur, aut pura bovis carne Græco cultro inciſa uteretur.* Notaverat etiam paulò ante, in ſacrificiis ſuis, pecudis mactatæ caput amputaſſe, reliquo corpore excoriato; capiti autem illius multa imprecatos fuiſſe, aſportaſſe poſteà in forum, & apud quos mercatores Græci diverſabantur, illis vendidiſſe; ſi autem non adeſſent Græci, in flumen abjeciſſe. Ex quibus videtur colligi poſſe, non ſolum cur tantoperè abhorruerint Ægyptii cibum cum Ebræis & Græcis ſumere, ſed etiam, cur *Abominationem Ægyptiorum* appellet Moſes,

quæ

quæ Jſraelitæ Deo ſacrificabant. Quia etiam fœminas boves immolabant Ebræi: Capita etiam animalium Deo obtulerunt cum reliquis carnibus. Cum autem Ægyptii *execrarentur* capita in hæc verba, ut *ſi quid mali, aut ipſis immolantibus, aut univerſæ Ægypto futurum eſſet, id in caput hoc converteretur:* dubium non eſt quin caput animalis immolare, vel comedere, fuerit apud Ægyptios abominabile. Quod ſi quis dicat, in convivio ab ipſis Ægyptiis inſtituto, nullum fuiſſe periculum, cum ipſi apponerent carnes à ſe paratas, non autem ab Ebræis appoſitas. Reſp. non exiſtimaſſe Ægyptios, pollutos eſſe exteros tunc ſolum cum talia comederent, & offerrent; ſed omni tempore, vel quod id ſemel feciſſent, vel quod licere putarent. Hinc illud quod anteà ex Herodoto diximus, nec ſuaviari voluiſſe Græcum ullum, vel etiam carnibus alioqui ſibi mundis uti, ſi cultro Græci inciſæ fuiſſent. Hoc præterea habuerunt, quod præ ſe alios omnes populos contemnebant, quaſi ſoli ſaperent: unde notat Mercerus, Ægyptum dictam fuiſſe רהב rachab, *elatam*, ſuperbam. Quia ſuperſtitioſiſſimi fuerunt, ideò alios à ſuo convictu prohibuerunt. Carnes autem animalium comediſſe, ex dictis conſtat; imò & eorum ſacerdotes, quod nonnulli negant, ſi Herodoto credimus. Ibidem enim ait, omnia affatim ipſis dari, ita ut nihil impendant de ſuo; inter omnia autem illa, *eorum*, inquit, *ſingulis quotidiè cibi ſacri cocti præſto ſunt, & carnis bubulæ & anſerinæ ſatis abundéque. Vinum quoque vineale illis datur.* Probabile eſt Joſephum in ciborum ratione ſe Ægyptiis accommodaſſe, citra ſuperſtitionem. Cum fratribus autem noluiſſe cibum ſumere, quia ignotus erat adhuc, & pro Ægyptio volebat haberi, donec ſe eis cognoſcendum daret.

Quod autem in menſa ſederunt eo ordine, ut ætas uniuſcujuſque obſervata fuerit, putarunt Ebræi, ita diſpoſitos fuiſſe à Joſepho, cum prius non inquiſiviſſet, quis ætate major eſſet vel minor: finguntque Ioſephum coram fratribus, arte quadam uſum eſſe, quam illi ad magiam retulerint, eamque fuiſſe cauſam eorum admirationis, cum viderent in nullo fuiſſe hallucinatum. Quam ſententiam ſequutus eſt Nic. de Lyra & alii quidam, ſaltem in eo, quod cum ſine errore eos juxta uniuſcujuſque ætatem collocaſſet, ea fuit cauſa eorum admirationis. Id tamen potuit à Joſepho fieri qui eorum noverat ordinem, ſed cum neſcirent quænam inter ipſum & ſe intercederet neceſſitudo, ſi hoc ab illo factum ſit, fateor fuiſſe ſufficientem admirationis cauſam. Cenſeo nihilominus, juſſos fuiſſe ſedere ordine ſuo in genere, eos autem ſolitum ordinem fuiſſe ſequutos. Cauſam vero admirationis fuiſſe, extraordinariam benevolentiam, & lautam illam exceptionem, quam mirabātur ab homine Ægyptio, advenis Ebræis, cum tanta comitate, præſertim poſtquàm ejus ſeveritatem experti erant, exhiberi.

Vulgata cauſam eorum admirationis retulit ad portionum diſtributionem, quia tam inæqualiter eam curabat diſtribui, comparatione Benjamini, qui cum minor eſſet, quintuplum accipiebat. Sic enim vertit. *Et mirabantur nimis ſumptis partibus quas ab eo acceperant; majorque pars venit Benjamin.* Sed id Moſes abſolutè dicit, admirati ſunt quiſque, nec id refert ſingulariter ad hoc vel illud. Itaque in genere cenſeo intelligendum, & ad omnia quæ gerebantur, referendum. Voluit autem eorum animum experiri erga Benjaminum fratrem, hac ratione, & fuit velut præparatio ad ea quæ dicentur cap. ſequenti. Iudicavit enim, ſi invidia aliqua erga eum moti eſſent, quam erga ſe expertus erat, ſi eum poſteà viderent in anguſtia conſtitutum, & in perpetuo ſervitutis periculo, non valdè laboraturos, ut eum liberarent. Itaque hæc omnia fecit ex compoſito, ut eorum animum erga fratrem ſuum tentaret.

Non in malam partem accipienda ſunt ultima capitis verba, וישתו וישכרו עמו *vajiſchtu, vajiſchkeru imó.* Et biberunt, & inebriaverunt ſe cum eo. Tig. *bibentes cum eo, vino ſunt exhilarati.* Tr. Jun. *convivati ſunt & affatim biberunt, cum eo.* Verbum *inebriandi,* apud Ebræos, ut etiam *ſatietas*, in bonam partem aliquando accipitur, pro eo quod eſt *liberalioribus epulis lætitiæ cauſa indulgere*, quod dicimus, Gal. *faire bonne chere.* Pſal.36.℣.9.*Inebriabuntur pinguitudine domus tuæ*, i.e. implebuntur. Sed Hag.1.℣.5. manifeſtiſſimè, *bibere non ad ebrietatem*, accipitur, pro ita bibere, ut inde ſitis non extinguatur. Poſſunt pii interdum, licet alioqui frugaliter veſcantur, cibo & potu liberiore ſe exhilarare, ubi ſe occaſio offert amicos, præſertim diu non viſos, excipiendi. Sed nunquam eo deveniunt, aut ſaltem devenire debent, ut ratio lædatur, & vino aut potu inebriante ita ſe ingurgitent, ut ea faciant, quæ hominis non ſani eſſe quiſque judicet. Nunquam certè continens & ſanctus Joſeph autor fuiſſet, ut in menſa ſua crapulæ & temulentiæ indulſiſſent, qua non recreantur homines, ſed velut diluvio ſe immergunt. Procul igitur fuit ab eo omnis immoderata potatio, ex qua ſequitur judicii obnubilatio. Itaque nulla hoc exemplo paratur defenſio iis, qui *abſorbent vinum, & abſorbentur à vino, quos abominatur Deus, deſpiciunt Angeli, qui deridentur ab hominibus, deſtituuntur à virtutibus, confunduntur à dæmonibus, conculcantur ab hominibus.* Ut optimè Auguſtinus.

AD CAPVT XLIV.

Exercitatio CLXV.

Capitis XLIV. *ſumma & partitio. Expenduntur quæ facta ſunt circa Benjaminum, & de eorum æquitate inquiritur. Non planè excuſandum Ioſephum à mendacio, proinde peccaſſe, quamvis fine bono. Prudentiam humanam etiam in ſapientiſſimis admixtam eſſe infirmitate.* גביע Gebia *cur Scyphus dicatur?* Condy *apud Aegyptios, & de ea voce Caſaubonus. Surripere ſcyphum principis, quam infame fuerit? Expoſitio verborum* augurando augurabitur. *Variæ ſententiæ expenduntur.* Κυλικομαντεία, *&* κατοπτρομαντεία, *& de ea Caſaubonus. In quem invehitur Marius propter Monachum Hilarionem. Ejus iniquitas redarguitur. Verus loci ſenſus, quo ab omnis illicitæ vaticinationis ſuſpicione purgatur Ioſephus. Patriarcharum imprudens reſponſio, & ex ea documentum. An invecti fuerint in Benjaminum. Iudæorum audacia in confingendo. Verbi* tſadac *ſignificatio forenſis. Iudæ mollis & prudens reſponſio ad frangendam iram. Implentur magis ac magis Ioſephi ſomnia. Quo ſenſu dicant,* Deum inveniſſe iniquitatem eorum, *cum in eo non peccaſſent? Sententia ſervitutis in Benjaminum ſolum.*

Quod maximè notandum toto cap. XLIV. eſt nova tentatio, per accuſationem à Joſepho fratribus ſuis intentatam, maximè Benjamino; qua occaſione experimentum ſumpſit, de aliorum affectu & fide, erga fratrem ſuum, priuſquã ſe ipſis revelaret. Duo hæc aguntur toto cap. 1. Quomodo proceſſerit tentatio. 2. Quibus rationibus Juda conatus ſit principem virum ad miſericordiam flectere. Tentationis hiſtoria, quod factum ſpectat, ſatis eſt perſpicua; ſed ſi jus, aut facti ipſius juſtitiam & æquitatem ſpectemus, habet aliquid ſingulare. Scopus quidem Joſephi, ſive is quem ſibi propoſuit finis, bonus eſt. Nihil ab eo fit malo animo, & nocendi cauſa. Voluit iterum exercere fratres ſuos, ut magis ac magis peccatum ſuũ deteſtarentur; voluit prætereà experiri, quo animo eſſent erga Benjaminum, & potuit metuere, ne liberi facti, & redeuntes domum cum ſarcinis ſuis, in vitam illius aliquid molirentur, & in iſto, ut in ipſo factum fuerat, miſero parenti fucum facerent. Et hanc ſuſpicionẽ merebatur eorum crudelitas, ita ut eo nomine non ſit exiſtimandum contra charitatem aliquid feciſſe Joſephum. Sed non immeritò dubitatur, an in eo non peccarit, quod juſſit ſcyphum ſuum includi ſacco junioris; Quod eos perſequi jubet, ut qui eum furati fuerint; quod deprehenſo Benjamino, eum poſtulat ad ſervitutem. Hæc omnia ficta erant, & prætereà torquebant innocentem Benjaminum. Quæritur ergo meritò, an ſint talia probanda, & ab omni peccato excuſanda. Id fecit Auguſtinus, quem alii multi hoc tempore ſequuntur. Alii putant, peccaſſe in eo quod Benjaminum immerentem afflixit; Sed *levem & venialem* fuiſſe *calumniam* dicunt, qua furtum ſcyphi impegit fratri, quæ tamen in bonum Benjam. fuit concinnata; & mendacium fuiſſe, ſed jocoſum, non pernicioſum. *Levis calumnia* non poteſt dici, niſi comparatè, alioqui per ſe, ſemper eſt grave peccatũ; nec *mendacium* quod vocant, *jocoſum* ſine aliqua pernicie poteſt eſſe, ejus ſaltem qui mentitur, ſi ſpectetur mendacii natura. Rectè tamen illi, licet Pontificii, qui hæc non planè excuſant à peccato & mendacio. Finis quidem bonus fuit, & benè ceſſit; ſed, ut optimè notat doctiſ. interpres, quum nobis ex Dei mandato colenda ſit ſimplicitas, hoc exemplo & ſimilibus, nõ licet ad obliquas & doloſas artes deflectere. Quod autem addit ibidẽ, fieri poſſe ut peculiari ſpiritus motu, ad hoc conſilium impulſus fuerit Joſeph, ſicuti etiam certa illi nec vulgaris ratio fuit, magis exactè inquirendi, qualiter affecti fuerint fratres; id intelligendum eſt, non de omnibus circumſtantiis, ſed de fine & propoſito fratres probandi. Ubi rectè animadvertit, talia nobis non eſſe imitanda, quia in exercenda vindicta, difficilis virtus eſt, modum tenere: Nec ſine periculo id factum fuiſſet à Joſepho, niſi ſpeciali providentia Deus corda Jſraelitarum direxiſſet, & verba eis dictaſſet, quibus ab omni invidia & doloſo in Benjaminum animo, ſe alienos probarunt. Alioqui, ſi ſe parum ejus ſollicitos monſtraſſent, periculum fuiſſet, ne Benjaminum apud ſe retineret, & ita parentem ſenem miſerè excruciaſſet. Hæc quidem prævertit Deus, & potuit Joſephus extraordinaria aliqua ratione percepiſſe, ſaltem in genere, negotium illud benè ceſſurum. Nec vellemus eo nomine rigidius aliquid in tantum virum pronunciare. Sed ſi dicamus, prudentiam humanam, etiam in ſapientiſſimis, aliquid ſemper infirmitatis admixtum habere, non peccabimus contra charitatem; nec nos intricabimus diſtinctiunculis, quæ conſcientiis vix ſatisfacient, aut ſi qui in iis acquieſcant, eaſdem adhibebunt in perperam à ſe factis, & ad ea inflectent regulas divini verbi. Hic ludum agnoſcimus, & jocum; ſed cujus imitatione, facillimum eſt ad ſimulationes & impoſturas vitioſas deflectere. Cajetanus diſtinguit

ſtinguit non fuiſſe calumniam *formaliter*, quia hæc non dicta ſunt animo calumniandi; ſed *materialiter*, quia id verba præ ſe ferebant. Agnoſcit tamen officioſum mendacium intervenisse. Fallitur autem ſi planè intelligat, nihil in his verbis fuiſſe quod *formaliter* haberet rationem *calumniæ*, quod certè impoſſibile eſt; accuſare enim aliquem furti & ingratitudinis, qui neutrius criminis reus eſt, formalis eſt calumnia. Imò id etiam intendebat, etſi jocosè & per ludum; volebatque eos credere, talem eſſe accuſantis mentem.

Pererius ne quidem vel leve aut jocoſum fuiſſe mendacium contendit, quia, non aſſeverando hæc dixit, ſed interrogando tantùm, ut facere judices ſolent. Sed falſum id eſſe oſtendunt ipſa verba. Præter interrogationes enim, habet aſſertiones categoricas. *Malè feciſtis, quod feciſtis.* Deinde hæc interrogatio, *ad quid reddidiſtis malum pro bono?* finem inquirit, ſed factum ſupponit. Id etiam agnovit Cornelius à Lapide.

Exaggeratur crimen verſ.5. à præſtantia rei furtivæ; non tam ratione materiæ, quam ratione uſus. Erat גביע הכסף *gebiá hakeſeph*, ſcyphus argenteus. De cujus forma & capacitate diſputant interpretes. Radix Ebrea eſt גבע *gavá*, inuſitata, unde nomen גבע gevá, *collis, monticulus*; unde etiam pro galero ſumitur, qui in monticuli formam aſſurgit. Quæ poteſt eſſe ratio, cur pro ſcypho dixerint גביע *gebiá*, quia eſt velut galerus inverſus. LXX. reddiderunt κόνδυ. qua voce etiam apud Eſaiam cap. 51. verſ. 17. verterunt nomen communius כוס *cos*, calicem, cotulam, &c. Quem locum in ſuis concordantiis Kirchnerum omiſiſſe, falsò criminatur Marius. Habetur enim apud eum in nomine כוס. Tomo 1. Chaldæus hic voce ad quam latina *calix* referri poteſt, כליד *kalid*, vertit. *Condy*, vox Ægyptia Hieronymo viſa eſt. De qua ſic Caſaubonus, ad lib. XI. Athen. cap. 7. Hoc poculum Perſis proprium fuit, ut teſtatur Pollux, & ſequentia docent, & ratio nominis. Nam *condy* eſt appellatum, quia ſimile erat aliquomodo veſti, quam *candym* vocabant. quæ etſi diverſa fuit *à tiara*, LXX. tamen interpretes cum exponunt vocem גביע *gebia*, in Hiſtoria Joſephi πυργίζοντ© ſuos fratres, verterunt κόνδυ. id fortaſſe ſpectantes quod מגבעה *migbaé*, ejuſdem originis vox, *tiaram* ſignificat. Fuiſſe autem poculi hujus uſum in Ægypto ex eo licet colligere, quod Nicomachus in libro de Feſtis Ægyptiorum ejus meminerit. Hæc vir doctiſſimus, quæ ex eo deſcripſit Marius, ſuppreſſo autoris nomine, quem paulo poſt, alia occaſione nominat, ut eum impietatis arguat. Formam illius poculi refert Athenæus ex Hermippo Aſtrologo, fuiſſe qualis mundi, in quo divina nobis miracula apparent, & quo fructuum feracitas in terris provenit. quamobrem e o poculo diis libaſſe Perſas: ubi etiam argenteum fuiſſe probat ex poëta quodam. Quod ſi argenteis poculis Perſæ diis ſuis litarint, mirum videri non debet, ſi in argenteo, non in aureo calice biberit Joſeph in tanta dignitate conſtitutus. Quia etſi vilior ſit materia, fieri potuit, ut in ejuſmodi vaſculis grata magis fuerit; aut etiam apud magnates frequentior. Id obiter notandum ad atrocitatem criminis intentati, ſurripere ſcyphum Principis olim etiam probroſum maximè fuiſſe & infame. Itaque cum Dioxippus Athenienſis, teſte Curtio lib. 9 per calumniam accuſatus eſſet, quod aureum poculum Alexandro regi, inter epulas, ſurripuiſſet; cum ferre non poſſet quod omnes in illum, tanquam in furem, conjicerent oculos, excedens convivio, literis prius ad regem ſcriptis, ſeipſum interemit. De Junio Servilio refert, in Claudio, Sueton.. Cum ſuſpectus eſſet aurei ſcyphi ſurrepti ex menſa imperatoris, die ſequenti ad convivium revocato, fictilem juſſu Cæſaris appoſitum fuiſſe; quod etſi leve videatur ſupplicium, non parum tamen ignominioſum fuit. Hic exaggeratur facti indignitas, quod exteri, lautè excepti à viro principe, illum ipſum ſcyphum perhibentur ſurripuiſſe, quo princeps ipſe bibebat.

Additur in accuſatione, והוא נחש ינחש בו *vehu nacheſch jenacheſch bó.* ad verbum, *& ipſe augurando augurabitur in eo.* Verbum *nachaſch*, ſcrutari, experiri, inquirere, ominari, explorare &c. ſignificat; ita ut ſit mediæ ſignificationis, & tam ... bonum, quam in malum accipi poſſit. Vulgata vertit, *in quo augurari ſolet.* Cujus verbi *augurandi*, ut difficultatem vitent alii, variis modis hunc locum vertere conati ſunt, ne *augurii* nomine, Joſephus, vel ſimulatè, traducatur. Itaque Onkelos ſic expreſſit, *& ipſe quærens quæſivit eum,* id eſt diligentiſſimè quæſivit. Vel ſi in futuro intelligamus, *quærendo quæret*, aut *inquirendo inquiret de eo*, quaſi diceret hic ſervus, non eſt res talis, cujus jactura poſſit latere dominum meum, quia cum ſit poculum quo bibere ſolet, diligenter & exactè inquiret, quid de eo factum fuerit; vel, ſollicitus de eo ſerio quæret. Aben Ezra ſequutus eſt interpretationem tentandi, & experimento diſcendi, *& ipſe in eo tentavit vos.* Quem ſenſum maximè probarunt Tremel. & Iun. *at ipſe hac re, certo experimento diſcet, quales ſitis*, id eſt, hoc demum facto innoteſcunt Domino meo fraudes veſtræ, quibus ei hactenus conati eſtis illudere. Alii, & ipſe auguratus eſt pro eo, id eſt, omni ſtudio, adhibitis etiam auguribus quæſivit, ubi ſit.

Iam perpendendum, quænam harum interpretationum ſit aptior. Qui vulgatæ ſenſum ſequuntur, quam etiam Calvinus præ cæteris genuinam judicat, quod ſcypho ad divinationes per magicas artes uſus fuerit: Variè tamen de Joſepho in eo judicant. Sunt, qui nihil abſurdi putant ſi dicamus, mentitum fuiſſe hunc diſpenſatorem, vel etiam putaſſe Joſephum, quem noverant omnes Ægyptii excellere in rerum futurarum prædictione, cognitionem hanc habuiſſe per auguria, ſeu dæmonum conſultationem, & quidem hoc ſcypho tanquam inſtrumento, uſum fuiſſe, eo quod modus iſte, apud Ægyptios, eſſet receptus. Scribit enim Iulius

 Serenus,

Serenus, lib. 9. de fato, cap. 18. Aſſyrios, Chaldæos, & Ægyptios, pelves aquis replere ſolitos, in quibus argenteas laminas, lapideſque pretioſos certis characteribus ſignatos ponebant, & quibuſdam verbis pronunciatis Dæmonem advocabant; qui vocem inſtar ſibili in aquis edebat, reſponſa reddens de iis de quibus interrogabatur. Ex nitidis etiam terſiſque rebus aliis, in quibus quæſitarum rerum imagines à Diabolo confictæ videbantur antiquitus divinabatur; Cujus κυλικομαντείας meminit vir magnus, Iſaacus Caſaubonus ad Spartiani Julianum, *Quis neget*, inquit, *his verbis deſcribi illam ſpeciem κατοπτρομαντείας, quæ cum aqua & cyatho perficiebatur.* Verba Spartiani ſunt de Didio Juliano, *Fuit in Iuliano hæc amentia, ut per magos pleraque faceret, quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compeſci. Nam & quaſdam non convenientes Romanis ſacris hoſtiis immolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea quæ ad ſpeculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis, incantato vertice reſpicere dicuntur, Iulianus fecit. Tum puer vidiſſe dicitur adventum Severi &c.* Quod in ſpeculo fiebat, idem in cyatho, aut cryſtallo, aut vaſis aliis aqua repletis fieri poterat, ſed præſertim pellucidis. Hoc tamen in vaſe teſtaceo factum fuiſſe ab Hilarione Monacho teſtatur Menologium Græcorum; *juſſiſſe aqua impleri teſtaceum vaſculum in quo bibebat, & poni in manus cujuſdam Italici, qui in aqua purè aſpexit ſtabulum, equos & aurigas ſuos ligatos præſtigiis adverſariorum.* Qua poſteà aqua cum equos ligatos aſperſiſſet, addita crucis figura, ab eo tempore victoria ad Italicum tranſiit. Non immeritò Caſaubonus miratus eſt talem virum, qualis ſcribitur fuiſſe Hilarion, cum in Chriſti nomine miraculum eſſet editurus, *curioſorum hominum artes hoc genus eſſe æmulatum.* Quo nomine in eum invehitur Marius & in nos omnes tanquam impietatis reos, qui quæ Papiſtæ ſigno crucis tribuunt, ad magicas ſuperſtitiones referimus; ubi & hæreſim, & pertinaciam, nobis impingit. Hæretici nempe ſunt & pertinaces, qui omnibus monachorum fabulis, non eandem quam Euangelio fidem adhibebunt, qui ſignis ab hominibus inſtitutis, vim & efficaciam non tribuent miracula faciendi; Qui Magorum ſuperſtitiones non ſanctificabunt, quotieſcumque eorum geomantiæ, necromantiæ, catoptromantiæ & ſimilibus ſuperſtitionibus, adhibebit monachus ſignū crucis. Tunc enim quæ diabolica erant, convertentur in divina. Sic enim illi, ſi Mario fides adhibeatur, *cum pietate facient per auxilium Dei, quæ magi faciunt per auxilium Diaboli.* Det igitur nobis aliquam divinam inſtitutionem, qua juſſerit ea ſigna, aut eos ritus ſanctè uſurpari in divinationibus, in quibus arte ſua luſit Satanas, cum ſuis magis. Præterea, Hieronymus in vita Hilarionis, ubi hoc miraculum factum in equis Circenſibus recitat, meminit tantùm aquę ex poculo qua aſperſi fuerunt equi, non quod Italico conductori equorum in aqua aurigæ & equi oſtenſi fuerint, quod ad κατοπτρομαντείων pertinebat.

Sed legendis hiſce valere juſſis, ad Joſephum redimus. Vult Marius verba Oeconomi intelligi de augurio ſive divinatione quæ fit per conſultationem cum dæmone habitam. Id autem nihil pertinere ad Joſephum, quia id œconomus dixit mentiendo; vel quia ſic putabat, ſed falſo. At non poſſet, hoc conceſſo quod verba illa œconomi de ſuperſtitioſa vaticinatione ſint intelligenda, hac ratione excuſari Joſeph, per mendacium vel hallucinationem ſui œconomi, quem etiam falli non potuiſſe ex eo liquet, quod anteà oſtendimus fuiſſe conſcium arcanorum heri ſui, & in pietate educatum; unde inferimus, eum ſatis noviſſe, divinam planè fuiſſe rationem, qua occulta & futura prænoverat. Quod ſi mentitus ſit, & voluerit hanc opinionem injicere Jſraelitis, quod dominus ſuus uſus fuerit ſcypho illo, ut per eum tanquam inſtrumentum, arte magica, vaticinaretur; non poſſet in œconomum ita transferri culpa, ut Joſephus abſolveretur. Ratio eſt, quia ſervus ille juſſu Joſephi ſic loquutus eſt, *dices*, inquit, *eis* &c. nempe ei dictavit verba omnia quibus eos compellavit. Itaque ſervata vulgatæ editionis interpretatione, non poteſt excuſari Joſephus, quin etſi hoc fictè & diſſimulanter dixerit, opinionem injicere voluerit Jſraelitis, quod hoc inſtrumento ad divinandum uteretur; atque ut ſe hominem extraneum fingeret, multa mendacia involverit, dum vanam illam opinionem vulgi inſinuare viſus eſt, quod auguria captaret per ſcyphum ſuum.

Aliæ interpretationes quæ initio allatæ fuerunt, quod diligentiſſimè inquiſiturus eſſet, vel quod in eo probaturus eſſet eorum fraudes, &c. non planè mihi ſatisfaciunt, etſi tollant à ſancto viro omnem impietatis ſimulationem, qui nodus maximè ſtringit hoc loco, quia durum videtur, Joſephum tali crimine gravare, ac ſi donum cognoſcendi arcana à Deo acceptum obſcuraret, & gloriam in artes illicitas transferret, etſi ſimulatoriè. Nihilominus verba ipſius Joſephi verſ. 15. omnino indicant voluiſſe inſinuare, ſe certò poſſe divinare, ea quæ ſunt occulta. Sed tota difficultas verſatur in eo, quod illud בו *bo* in eo, referunt ad inſtrumentum vaticinandi, unde orta eſt opinio de profeſſione κατοπτρομαντείας. quod neceſſarium non eſt. Quia, ut nuper dicebamus, ad id utebantur Magi aut ſpeculis, aut vaſis pellucidis, non argenteis poculis. Igitur ex collatione verborum œconomi & Joſephi, nulla ratio videtur, cur dicendum fuerit, illum ſolitum fuiſſe ex hoc ſcypho auguria captare, nec ita conveniret interrogatio, *nonne noviſtis quod augurando augurabitur vir ſicut ego?* Cur igitur hoc feciſtis? Nam ſi noviſſent illum per ſcyphum augurari & divinare, utique conveniens fuiſſet ſcyphum illum ſurripere, ne deinceps per eum divinaret ſi quid fraudulenter agerent. Sed cum ille nullam ſcyphi illius faciat mentionem, videtur mihi

tur mihi facilis & obvia ſolutio, ſi priora verba accipiamus, ut Gallica noſtra editio vertit, *duquel pour certain il devinera*, id eſt, *de quo certo divinabit:* quaſi diceret, putabatis ne, poſſe veſtrum furtum celare herũ meum? certè in eo falſi fuiſtis, quia talis eſt, qui quæ occulta ſunt, divinare poteſt, nec difficile ei fuit divinare qui fuerint illi, qui ſcyphum in quo bibebat ſurripuerunt. Quibus rectè conveniunt allegata verba Ioſephi; Quare feciſtis hoc, an neſciebatis talem virum qualis ego ſum, divinare poſſe occulta? ac proinde vos in furto deprehendere? Quod ſi nomen ei inditum à Pharaone, ſignificat *revelatorem arcanorum*, ut plerique Ebræorum exiſtimarunt, id mirè illuſtrat quæ hic habentur. Eſſet enim perſpicua ratio, an neſcitis vel ex nomine meo, me revelare occultiſſima, proinde potuiſſe certe divinare quid à vobis fuiſſet factum? Sed quamvis nulla nominis haberetur ratio, notum erat omni populo, Joſephum ad tantam dignitatem fuiſſe evectum, quia prædixerat quę ventura erant, & omnes homines latebant; Unde non dubium eſt quin habitus fuerit apud Ægyptios, pro viro arcanorum præſcio. Cum autem hic nihil dicatur de ratione qua divinare potuerit aut ſolitus fuerit, ſed de re ipſa tantùm agatur, non video, cur ſit inſimulandus, quaſi injicere voluerit eam opinionem, quod magicis artibus eam habuerit ſcientiam. Potuit enim & verè & ex conſcientia profiteri, talem ſe eſſe, qui vaticinari & divinare poſſet; non tantum ex conjecturis, vel ſagacitate & prudentia, qua ſæpè viri quidam deprehendunt maleficos, ſine ulla extraordinaria aut ſupernaturali ratione; ſed etiamſi egerit de vera & propriè dicta divinatione; de qua ita in genere loquutus eſt, ut nullam aliam quam licitam, atque adeò divinam intellexerit. Itaque in eo non peccaſſe conſtabit. Hanc hujus loci ſententiam indicavit etiam Rupertus Tuitienſis lib 9. in Geneſ. cap. 10. ut *augurari*, non accipiatur gentilitio ſenſu, pro ſuperſtitioſa avium obſervatione, vel alia quapiam Ethnica ſuperſtitione, ſed univerſaliter, pro divinare occulta, aut futura prædicere. Quaſi dixiſſet, cogitare debuiſtis me ob ſecretorum cognitionem celebratum à Pharaone nomine & officio, etiam veſtri furti conſcium futurum: Ideoque à tanto flagitio perpetrando abſtinendum erat vobis, cum id facile perveſtigare & deprehendere poſſet vir mihi ſimilis. Quæ ſolutio minorem habet difficultatem apud nos, qui in verba veteris interpretis jurare non tenemur, & ambiguum *augurandi* vocabulum, cum voce magis propria poſſumus permutare. Etſi Latini etiam autores augurandi vocem aliquando generalius acceperint, pro conjectare, ut Plinius junior, Epiſt. lib. 7. ſcribens ad Corn. Tacitum. *Auguror*, inquit, *nec me fallit augurium, hiſtorias tuas immortales fore.* Atque hæc quidem de hac quæſtione, ſatis.

In purgatione Patriarcharum quæ à verſu 7. incipit, omnia ſunt facilia. 1. Defendunt ſe per criminis inficiationem, & poſteà tribus argumentis probabilibus, innocentiam ſuam confirmant. 1. à qualitate ſua, quod tales non ſint, qui tale facinus perpetrare vellent; 2. à repugnantibus factis, quibus oſtenderant ſe non eſſe pecuniarum avidos, aut argenti cupidos, quippe qui duplex argentum ſecum retulerant, & ſponte reddere voluerant, quod in ſuis ſaccis repererant ſibi fuiſſe redditum. Addunt tertium, quod freti conſcientiæ ſuæ teſtimonio, intrepidè, non ſolum examini ſe ſubjiciunt, ſed etiam pœnam rigidiſſimam non ſolum in eum qui deprehendetur, ſed etiam in omnes pronunciant, eique ſe ſubmittunt, mortem nempe in autorem facti, ſi quis ſit, & in reliquos omnes ſervitutem.

In hoc tertio non ſatis prudenter ſe geſſerunt, ſed præcipitantius egerunt, moti calumniæ atrocitate, & conſcientiæ ſuæ teſtimonio, quæ cauſa fuit cur non ſatis omnia quæ conſideranda fuerant perpenderint. Id eo mirum videtur magis, quia jam anteà experti erant, inſciis ſe, pecuniam quam ſolverant, ſaccis ſuis fuiſſe repoſitam. Potuiſſent ergo de ſua innocentia teſtari, illud tamen excipere, neſcire ſe an aliquid clam illis in ſuis ſaccis reconditum fuiſſet; id eadem ratione potuiſſe fieri, qua anteà pecunia reddita ipſis fuit. Se tamen innocentes eſſe, & ejus rei ignaros, ſi quid tale acciderit. Potius igitur dicere debuerunt, ſi quis ex nobis furti convictus fuerit, ut locum relinquerent juſtæ defenſioni. Deinde in proponenda pœna modum excedunt præ nimia confidentia. Si enim res vera fuiſſet, ſufficiebat ut furti deprehenſus ſervituti manciparetur; at eum pœnæ capitali adjudicant. Nec alii innocentes debuiſſent plecti, omnes tamen etiam qui rei non erant, in periculum conjiciuntur. Ideò poſteà ipſe Oeconomus temperat hanc ſeveritatem, & annuens illis quod ſpectabat examen, pœnam mitigat, eamque ad unum reſtringit deprehenſum. Unde hoc eruitur documentum, cum innocentia conjungendam eſſe prudentiam, ne nos ipſos implicemus nimia confidentia; ſed potius adverſarios ad evidentem & omni exceptione majorem criminis objecti probationem provocemus, quàm nos ipſos ſponte, ac conſiderata minus præcipitantia, argumentis & teſtimoniis privemus, quibus innocentiam noſtram defendere poſſimus; nedum ut ſimplici aliqua conditione poſita, nos ita adſtringamus, ut poſteà quaſi ex ore noſtro judicati ſimus, aliis innocentiæ noſtræ teſtimoniis locus non ſit. Quæ fuit Iſraëlitarum conditio, quia ab initio non prudenter exceperunt excipienda.

In examine cautè agit Oeconomus, ℣. 12. neque enim recta tendit ad Benjamini ſaccum in quo noverat ſe reperturum ſcyphum, ſed à maximo incipit, & tandem in minimo deſinit, ne aliqua eis injiciatur ſuſpicio. Quid autem dixerint deprehenſo Benjamino, quid ipſe ad teſtandam ſuam innocentiam protulerit, tacet Moſes. Itaque temerarii ſunt, qui alios fratres ſcribunt in eum fuiſſe debacchatos, tanquam in furem, & ma-

& matris furis filium, quæ anteà ſurripuerat Idola Labani. Nec enim fortaſſe hoc ipſis innotuerat; Nec ſi innotuiſſet, probabile eſt, coram Ioſephi ſervo voluiſſe patris familiam diffamare, & fratrem onerare, pro quo ſupplices facti ſunt poſteà, tanto cum ardore. Sed talia conveniunt Iudæorum audaciæ, ad quidvis audendum promptæ.

Mirum eſt autem, quod verſ. 16. poſt Ioſephi redargutionem, nihil plane adferunt ad ſuam innocentiam comprobandam, ſed tanquam convicti de crimine, pœnæ ſe omnes ſubjiciunt. *Quid dicemus Domino meo, quid loquemur,* ומה נצטדק *umah nitſatdak,* & in quo nos juſtificabimus? id eſt, quid pro juſtificatione noſtra poſſumus afferre? Ubi habemus exemplum ſignificationis verbi צדק *tſadak*, pro eo quod eſt, ſe contra accuſationem criminis intentati juſtificare aut juſtum probare. Itaque opponitur hoc verbum accuſationi, & juſtificat ſe, non cui infunditur juſtitia, ſed qui poteſt à ſe repellere intentatum crimen; quod cum nemo poſſit coram Deo accuſante, hinc fit, quod in conſpectu Dei nullus vivens juſtificabitur, nempe innocentiæ ſuæ probatione.

Non exiſtimandum eſt, Iudam in animo ſuo fuiſſe convictum furti, à Benjamino commiſſi; Satis noverat fratrem nihil tale cogitaſſe. Sed cum videret rem quam dicebant furto ablatam, apud eum fuiſſe repertam, quam conditionem ipſi anteà imprudentes propoſuerant, agnoſcit jam nullum eſſe defenſioni apud homines locum. Conſiderabat ſe non poſſe aliquid objicere, quin vel Joſephum vel ſuos, inſimularet fraudis, vel impoſturæ; Cum autem non ignoraret apud eum eſſe poteſtatem ſtatuendi quicquid adlubeſceret, rectè judicavit, melius ſe facturum, ſi ſe ejus permitteret voluntati. Itaque etſi remittat quod dictita anteà dixerant, conſentit tamen ut ſerviat is apud quem inventus fuerat ſcyphus, ſimul etiam ut ſerviant omnes reliqui, in quorum conſortio is fuiſſet, cui id acciderat. Ubi animadvertendum, cautè ſic circumſcripſiſſe Benjaminum, non eum qui furatus eſſet ſcyphum, ſed apud quem erat repertus, quia noluit innocenti fratri injuriam facere, cujus agnoſcebat infœlicitatem, non crimen. Extendere autem voluit pœnam ad omnes, ut hac ſua ingenuitate gratiam apud principem aucuparetur; quia ſciebat generoſum animum, nulla ratione poſſe aptius mitigari, quàm ſubmiſſione. In omnibus his autem, magis ac magis implentur Joſephi ſomnia. Nam 1. proſtrati in terram uſque coram ipſo, adorant eum. 2. Servos ejus ſe profitentur, non ſolum communi hac ratione qua inferiores omnes ſuperiorum ſe ſervos dicunt; ſed propria etiam ratione, qua agnoſcunt eum poteſtatem habere eos omnes ſibi mancipandi. Charitas autem eorum in Benjaminum ex eo oſtenditur, quod ab illo nolunt ſeparari, & eum ſolum relinquere in hac ſua anguſtia. In qua re Joſephus finem ſuum aſſequutus eſt: Id enim maximè intenderat experiri, ut fratri ſuo conſuleret, & an aliorum mores eſſent mutati, cognoſceret.

Sed quo referri debeant hæc Judæ verba, *Dominus* מצא את עון *matſa eth avon*, hoc eſt *invenit iniquitatem* ſervorum tuorum, non omnes perinde ſentiunt. Sunt, qui *iniquitatem*, pro iniquitatis pœna accipiant, ut ſit ſenſus, Dominus ita voluit punire nos. Sed utrumque conjungi debet, quia non eſt pœna ſine iniquitate, maximè ſi metonymicè iniquitatis nomine ſignificetur. Ergo quæritur, quænam ſit illa iniquitas eorum, quam Dominus invenit. Multi verba iſta referunt ad ea quæ anteà faſſi erant, in primo congreſſu cum Joſepho, quando pro exploratoribus fuerunt habiti. Tunc enim id referebant ad ſceleratam illam fratris venditionem: Et probabile eſt etiam tum de ea cogitaviſſe. Sed tamen, cum talem iniquitatem non exprimerent, loquerenturque apud Joſephum tanquam hominem ignotum, videtur neceſſarium, eos de tali iniquitate loquutos fuiſſe, quam ſcirent ipſi eſſe notam, & in qua eſſent deprehenſi. Hæc enim eſt ratio cur dixerat Judas, quid dicerem apud Dominum meum? nihil habeo quo me & fratres meos juſtificem; nam voluit Deus in lucem protrahere id, quod nos iniquitatis reos peragit. Quamvis enim ſcirent Joſephi œconomum ſaccos eorum fuiſſe ſcrutatum, & ſcyphum reperiſſe, id tamen ad Deum referunt, & occulta ejus judicia, in quibus acquieſcunt, ſepoſita conſideratione hominum malitiæ, vel calumniæ qua obruebantur. Sic enim rectè Deo tribuuntur, quæ fortuito videntur facta. Nec in ancipiti caſu melius eſt conſilium, quam ſi quis Deum reſpiciat; cum enim ferulis Dei percuſſi, cauſas malorum non ſatis perſpicimus, & ſine evidenti cauſa, homines nobis infeſtos ſentimus, arcano Dei judicio nobis infligi pœnam, agnoſcere & fateri debemus. Sic igitur illi, Deus eſt, qui hac occaſione voluit peccata noſtra ulciſci; itaque nihil habemus quod obtendamus; pœnæ nos ſubjicimus, quæ ex lege debetur iis qui in furto ſunt deprehenſi.

At Joſephus, verſ. 17. negat ſe talem ipſis facturum injuriam, ut ſervos ſibi addicat omnes, cum unus tantùm eſſet deprehenſus. Dixerat antea, ſe *Deum timere*; Conſequenter oſtendit, non aliter ſe velle cum iis, quam ex æquo agere. Solum igitur Benjaminum ſibi vendicare tanquam mancipium. Itaque res eo devenerat, ut de ſervitute Benjamini lata ſententia, nihil aliud ſibi repræſentarent afflicti fratres, quam miſeri parentis orbitatem, & quæ eam erant conſequutura; occurrente maximè recordatione importunitatis ſuæ erga parentem, quem velut invitum adegerant ad conſenſum, & quem noverant metuiſſe, & quaſi prævidiſſe, quæ tum experiebantur.

EXERCITATIO CLXVI.

Initium penultimæ ſectionis, juxta Ebræos. Orationis Iudæ genus & πάθ@. בי bi, *adverbialiter, pro particula ſupplicantis.* Caph *geminatum apud Ebræos ſimilitudinem omnimodam ſignificat.* Ponere oculos ſuper aliquem. *Septem argumenta Iudæ ad movendum Ioſephi animum, qui ſibi vim maximam fecit. Quid ſit*, animam alicujus cum alio eſſe ligatam? *Iudæ fides inviolata in parentem. Documentum ex tam ardenti ejus oratione deductum, pro ardore precum apud Deum. Adminicula noſtræ erga eum fiduciæ, quibus erga Ioſephum incognitum caruit Iuda. Allegoria interceſſionis Iudæ ſatis conveniens, ad Chriſtum relata.*

A Verſ. XVIII cap. XLIV penultimam Sectionem lib. Geneſeos incipiunt Ebræi, quam notant primo verbo ויגש *vajiggaſch.* Continetur autem reliquo capite, oratio Judæ mirè pathetica & vehemens, qua fidem ſuam erga parentem voluit liberare, & periculum à fratre ſi fieri poſſet, depellere. Habet illa omnia ad movendum requiſita, & ſatis colligitur ex verbis Judæ, eum non ſine ſingultibus & lachrymis peroraſſe; unde mirum non eſt, ſi Joſephus eà ita permotus fuerit, ut ſe amplius diſſimulare non potuerit. Genus orationis eſt, quod deliberativum rhetores vocant; conatur enim Joſephum movere, & ſuadere, ut dimiſſo fratre minore pœnam in ſe convertat, qui ſe, pro eo, vadem & ſponſorem apud patrem conſtituerat. Habet exordium quo benevolentiam captat, & attentionem placidam humiliter petit. Quod vetus interpres dicit eum cum acceſſiſſet propius, *confidenter* loquutum fuiſſe, neque habetur in Ebræo textu, neque cum re ipſa convenit: cum ipſe ibidem iram deprecetur, eo quod auſus ſit virum principem interpellare. *Acceſſiſſe ad eum* Judam, notat Moſes, quia videbatur eos dimiſiſſe, ſententia in Benjaminum lata, & ab ipſis receſſiſſe. בי ארני *bi adoni.* Arias, *in me Domine mi*, ubi lit. י *jod* additam particulæ ב *beth* pro affixo accipit. Sed rectius alii, *bi* pro adverbio accipiunt, ſic etiam Targum בבעו ריבוני *bebaii ribboni*, obſecro Domine. Eſt particula, inferioris ad ſuperiorem & ſupplicantis; נא autem quod ſequitur, latius patet, & in univerſum ad leniendum imperium pertinet ſuperioris ad inferiorem; aut hortationem minoris ad majorem, ut hoc loco. Petit autem *ne furor ejus iraſcatur in ſervum ſuum*, quibus verbis ſignificat ſe non ſine metu accedere, ſed magna & neceſſaria cauſa ad dicendum compelli. Ne autem id audacius factum exiſtimaret, vel ex aliquo contemptu, cum noſſet proceres indignè alioqui ferre, ſi quis eos familiarius cõpelleret, profitetur ſe non ignorare quanta polleat dignitate, כי כמוך כפרעה *ki kamocá kepharóh*, ad verbum, *quia ſicut tu, ſicut Pharao.* Mos eſt Ebræis *caph* ita geminatum uſurpare, ut ſimilitudinem omni ex parte ſignificent. quaſi dixiſſet, quia tu poteſtate & autoritate Pharaonem æquas, es velut alter Pharao, ideo non minus metuo te irritare, quam ipſum Pharaonem; peto igitur ne in me ſervum tuum excandeſcas, ſi poſtquàm tuliſti ſententiam, auſim diverſum aliquid rogare quam ſtatuiſti. Sic poteſtatem ejus commemorando, eum ſibi conciliare nititur, quia ſciebat id principum aures titillare. Vulgata, *tu es enim poſt Pharaonem dominus meus:* Sed verba illa *dominus meus* in Ebræo textu, cum ſequentibus connectuntur. *Dominus meus interrogavit ſervos ſuos.* Simplex ergo ſenſus eſt quem diximus, in quo rurſus impletur ſomnium Joſephi, quem Pharaoni fratres æquant, ſeque illi tanquam regi ſubjiciunt, qui dixerant, *Numquid rex noſter eris & dominando dominaberis nobis?* ſupra, cap. 37. ℣. 8.

Exordium ſequitur narratio, à verſ. 19. uſque ad 30. in qua repetit hiſtoriam factorum & dictorum, tam in Ægypto apud Joſephum, quam poſteà in Chananæa apud patrem. In prima parte, interrogationes Joſephi, reſponſiones ſuas, & mandatum de fratre minori adducendo, commemorat. In qua multa fuerunt, quæ acerrimè commoverunt pectus Joſephi, maximè ea quæ ſpectabant patrem ſuum, cujus maximo deſiderio tenebatur, uterinum fratrem, quem videbat inter ſpem metumque poſitum, mortuæ matris acerbam recordationem, mirificum patris affectum erga natu minorem filium, qualem in ſe expertus fuerat cum primum illum vidit: cogitationem prætereà ſollicitudinis parentis, ne in aliqua calamitate hæreret filius, qui ſalvus domi manere poterat, niſi ad eum dimittendum fuiſſet neceſſitate coactus.

Quod in hac orationis parte verſ. 20. commemorat de Benjamino Juda, *quod eum ſolum habeat mater ſua*, quemadmodum expreſſit vulgata, ita à nonnullis acceptum eſt, quaſi Juda inſinuare voluiſſet, matrem ejus adhuc vivere, quæ unicum illum haberet filium, ut virum principem ad miſericordiam magis flecteret. Sed non opus eſt impingere ei mendacium, cum verba fontis nihil tale præ ſe ferant. ויותר הוא לבדו לאמו *vajivvather hu levaddo leimmo*, & remanſit ille ſolus matri ſuæ, id eſt, ex matre ſua. quod quidem additur ad pathos, ſi id conjungamus cum ſequentibus, *& pater ejus dilexit eum*, nempe quia unicum illum habet ex dilectiſſima uxore, altero mortuo. Id enim de Joſepho putabant.

In recitandis Joſephi verbis commemorat eum promiſiſſe, quod in Benjaminum conjiceret oculos. verba ſunt, ואשימה עיני עליו *veaſimah eni alav*; & ponam oculum meum ſuper eum. Qua phraſi ſimpliciter ſignificaſſe putat AbenEzra, quod viſurus eſſet eum, vel intuiturus. Quia id tantum videbatur requirere loci circumſtantia. Dicitis vos habere domi minorē fratrem, ex eo autem cognoſcam vos veraces, ſi eum adducatis, & eum videam. Sed dicendi genus aliquid ſpecialius indicat. LXX interpretes verterunt· ἐπιμελῦμαι, curam ejus geram. Et Chaldæus, *ponam oculos meos ſuper eum in bonum*. Quo ſenſu legimus apud Syracidem, *oculi Domini ſuper amantes eum*. cap. 34. ℣. 16. Sic apud Jerem. cap. 39. ℣. 12. Nebucadnezar præceptum dederat de Jeremia, Nabuzardan præfecto Satellitum, dicendo, *pone oculos tuos ſuper eum, neque afficito eum malo ullo, ſed quemadmodum indixerit tibi, ita fac cum eo.* Ex quibus conſtat, Ebræa phraſi, *ponere oculos ſuper aliquem*, ſive in bonum, ſive in malum, aliquid innuere preter ſimplicem affectum, nempe vel curam & benevolentiam; vel intentionem nocendi. Primo autem modo intelligi debuerunt verba Joſephi, ego eum lubens videbo, & ei benefaciam. Et certè non dubium eſt, quin ea fuerit ejus mens, ſive id intellexerint fratres, ſive non intellexerint. Nam eos tum intellexiſſe, aut de eo cogitaſſe, facit ut dubitem, quia cum Jacobus ſe admodum difficilem præberet, non uſi ſunt hoc argumento, quod Princeps ille promiſiſſet, ſe rationem illius habiturum, & oculos in eum conjecturum ut ei benefaceret. Sed cum audiviſſent Joſephum ei benedixiſſe ut ſuprà audivimus, & blandè allocutum fuiſſe; deinde in convivio ejus ſpecialem curam habuiſſe, tunc exiſtimarunt illum actu præſtare quod talibus verbis promiſerat. Hæc autem modeſtè inſinuat Juda, ut eum commoveat ad fidem præſtandam; expoſuimus unicum illum ex matre, patri chariſſimum eſſe; difficile proinde eſſe eum à parente avellere; juſſiſti tamen ut eum adduceremus, & hanc nobis neceſſitatem impoſuiſti, pollicitus es in eum benignitatem, & ſpecialem ejus curam. Id etiam hactenus præſtiteras; nunc autem quo in ſtatu miſer ſit vides; an hoc erit *ponere oculos tuos ſuper eum?* Ad hanc autem neceſſitatem inductos fuiſſe, ut à parente conſenſum extorquerent pluribus exponit, ſimulque quantum reſtiterit Jacob, & quam invitus id permiſerit, quibus etiam argumentis oſtenderit, ſe non metuere ſine cauſa, ubi de Joſepho quem adhuc ignorabant, ea intermiſcet Juda, quæ maximè potuerunt eum movere. In ſumma, in hac parte narrationis ad expugnandum Joſephi animum, hæc omnia faciunt. 1. quod fidem ſuam in mandato ejus exequendo, ſuperatis omnibus difficultatibus, commemorant. 2. Quod diſceptationem cum patre, ut id ab eo impetrarent exponunt. 3. Quod ejus triſtiſſimas querelas repræſentant. 4. quod ejus verba recitantes, Rachelem κατ' ἐξοχὴν *uxorem* à Jacobo fuiſſe appellatam meminerunt, quia præcipua erat, quam ſciens & volens duxerat, cum Lea fraude fuiſſet ſubmiſſa, unde ex illa prolem chariorem ſemper habuit. 5. quod perſuaſionem Jacobi ſignificant, quaſi Joſephus à mala beſtia devoratus fuiſſet. Quibus addunt 6. curam & ſollicitudinem patris de Benjamin, & 7. præſagium de vita eī acerba futura, imò de brevi obitu cum dolore, ſi quid ei accidiſſet mali. Ex quibus etiam potuit vir prudens expiſcari, quo commento poſtquàm eum vendidiſſent, facinus ſuum coram patre obtegere potuerint, fingentes ipſum à fera beſtia laniatum fuiſſe. Hæc omnia talia erant, quæ quemvis etiam extraneum movere poterant. Joſephum autem, qui pars non minima eorum erat, ita afficere, ut maxima opus fuerit patientia, & animi obfirmatione, ut non prius eruperit exæſtuans intus affectus, quàm audiviſſet concluſionem.

Ea in deprecatione habetur, quæ narrationi ſubnectitur. Proteſtatur ſe non poſſe redire ad patrem abſente puero. Rationem addit, quia non vult videre calamitatem quæ patrem ſuum eſt oppreſſura. Cauſam indicat, quia pater ejus ſubito morietur, ſi Benjaminum cum reliquis non videat reducem. idque ex eo probat, quia anima ejus קשורה בנפשו *keſchurah benaphſcho*, ligata eſt cum anima ejus. vulgata, *cum anima illius ex hujus anima dependeat*. Chaldæus, anima ejus tam dilecta eſt illi, quam anima ſua. Anima pro vita. vult dicere, vitam patris ita pendere à vita filii, ut vivere non poſſit, ſi eo orbari contingat. Id autem amplificat ex eo, quod ipſi in cauſa fuerint, atque ita non tantùm ſpectatores futuri ſint acerbæ mortis ſenis parentis, ſed quod ejuſdem autores perhibebuntur: *deducent*, inquit, *famuli tui, canos ejus cum dolore ad inferos.* Repetit ipſa parentis verba, quorum interpretationem ſuo loco attulimus. Quæ omnia ut ad commiſerationem movendam pertinent, ſic obliquam continent petitionem, ut mœſtiſſimo ſeni reddatur filius, ne in luctu acerbo, miſerrimè dies ſuos finiat. Talis eſt illa apud Virgil. petitio Turni Æneid. 12. ſub finem,

--- Miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt: oro, fuit & tibi talis
Anchiſes genitor, Dauni miſerere ſenectæ.

Ne autem id iniquè petere videatur, cum jam remiſiſſet Joſephus de eo quod ipſi in ſe pronunciaverant, & omnes liberos abire fineret excepto eo apud quem repertus fuerat ſcyphus, petit ut pœna in ſe transferatur, & fiat commutatio, ita ut pro fratre Benjamino, ſervus ipſe maneat in perpetuum. Non igitur petit auferri pœnam, ſed transferri. Æquitatem petitionis ſuæ ex eo oſtendit, quod eum in fidem ſuam ſuſcepiſſet, ſeque apud patrem vadem & ſponſorem conſtituiſſet. Unde inferre vult, conveniens eſſe, ut qui ſua ſponſione eo patrem adegiſſet, ſeipſum addiceret ſervituti,

vituti, potius quam cogeretur ſpem patris fallere, eique mortis ictum inferre. Simul autem indicat, cur potius quam quiſquam alius ex cœtu fratrum, ad hanc interceſſionem proruperit; cur etiam cum eſſet inter fratres ſuos digniſſimus, compenſationem ſervitutis potius in ſe quam in alium transferret; nempe, quia ſpoponderat pro eo. ubi notat Rupertus, lib. 9. in Geneſ. cap. 9. nihil eſſe hoc juſtitiæ ordine pulchrius. Nempe qui hic ſervitio ſe addicit, ipſe erat cujus conſilio in ſervum venditus fuerat Joſeph. Suaſerat enim hanc venditionem fratribus ex occaſione occurrentium Jſmaelitarum. Itaque laudat in Joſepho prudentiam, qui per occaſionem argenti ſui, conſultorem venditionis ſuæ in hanc neceſſitatem compulit, ut optaret ſervus fieri.

In hac Judæ tam ſeria & tam pathetica oratione, abnegatione etiam ſui ipſius, & libertatis renunciatione, ut fratrem liberaret, exemplum præbetur inviolatæ fidei & pietatis in parentem, & affectus ſinceri erga fratrem documentum. Eligit enim potius ſervitutem perpetuam, quam ut ad patrem redeat, filio orbatum, & ægritudine conficiendum. Sed ex hac tam ardenti oratione hominis apud hominem, in re temporali, debemus excitare animos noſtros in precibus ad Deum, cujus, ſine comparatione, celſior majeſtas eſt, & à quo plura & majora bona expectamus, aut à quo deteriora multo metuere debemus. Si tanto cum affectu effunderentur preces noſtræ ad Deum, cum tali miſeriæ ſenſu, cum tanta corporis & animi ſubmiſſione, alii certè precum noſtrarum effectus conſequerentur. Sed hæc oſcitantiam noſtram in precibus redarguunt, quia perfunctoriè cum Deo agimus; cum hominibus ſerio & ſollicitè. Et tamen, quibus carebat Juda in hoc ſuo facto adminiculis fiduciæ, ea omnia habemus. Cenſebat ille tantum hominem illum probabiliter poſſe ad aliquam miſericordiam flecti; nullis ejus promiſſis poterat inniti, nec de exauditione certus eſſe: Et tamen in re, ut videbatur deſperata, in ſummo periculo, acceſſit ad principem, exterum (talem illum putabat) cauſam ſuam expoſuit, nec planè deſperavit ſe precibus impetraturum, quod jure non poterat exigere, pendebat totus ab humanitate & clementia illius quem orabat. At nos habemus verbum Dei, & promiſſiones quibus innitamur, eaſque ſanguine dilecti ſui obſignatas, cur igitur in rebus anguſtis non accederemus ad Deum, cum ardore & affectu animi, expectantes miſericordiam ipſius, cum certa ſpe exauditionis?

Non ineptè hæc oratio Judę ad allegoriam hoc modo refertur, ut Chriſti nobis officium & patrocinium quodammodo repræſentet. Suſcepit enim ille nos, à Deo patre ſibi commiſſos, in protectionem & curam ſuam, toto tempore quo hîc, tanquam in Ægypto, peregrinamur à Domino Patre noſtro: Et quoties per peccata noſtra, rei perpetuæ ſervitutis deprehendimur, intercedit pro nobis tanquam advocatus fidelis; profitetur ſe nos in protectionem ſuam recepiſſe, in quem finem ſe non ſolum obtulit in ſervitutem, ſumpta ſervi forma, ſed etiam acerbiſſimam mortem reipſa ſubivit; ut ſervitute & morte ſua, nobis libertatem & vitam reſtitueret. Beati ſunt omnes Benjamini *filii dextræ*, quos hic Leo de tribu Juda protegendos ſuſcepit, de quibus ipſe, *Nemo rapiet eos de manu mea*, Joan. 10.

AD CAPVT XLV.

EXERCITATIO CLXVI.

*Commotio extraordinaria Ioſephi, ejuſque ex Gregorio elegans deſcriptio, & ex Ruperto. Cur receſſum petierit ut ſe fratribus manifeſtaret? Quomodo vox ejus audita fuerit in domo Pharaonis? Refellitur Stoicorum ἀπάθεια. Affectus moderati in piis laudabiles. Cur qui graviter timent obmuteſcant & velut obrigeant? φόβον quomodo Ariſtoteles definiat? Villegiſi hiſtoria. Ioſephi modeſtia & clementia. Quomodo erga peccatores variè affectos agendum ſit? Conſolatur Ioſephus fratres. Sed triſtitiam ſe*cundum Deum, *non diſſuadet. Quænam illa ſit? Providentia Dei totum negotium adſcribitur. Quo anno ſterilitatis acciderit Ioſephi cum fratribus congreſſus. Explicatio verborum,* ad ponendum vos reſiduum in terra. *Quid per* evaſionem magnam *intelligat.*

SEquitur Cap. XLV. Joſephi ἀποκάλυψις, cujus deſcribuntur cauſa, & modus. Deinde conſequentia. De cauſa agitur ✠. 1. *Non potuit Ioſeph* להתאפק *lehitappek*, id eſt, *ad continendum ſe.* Pagninus, *vim ſibi facere.* Aliter LXX. non poterat Joſeph amplius ἀνέχεσθαι πάντων τῶν παρεστηκότων αὐτῷ. *Suſtinere omnes, qui circumſtabant ipſum.* Nec abludit Chaldæus Paraphraſtes, ſicut quidam vertunt, *non potuit Ioſeph ſuſtinere omnes exiſtentes apud eum.* Ita habet Complutenſis editio. Sed Fagius, ad Ebræum fontem magis accedens, *Non potuit autem Ioſeph ſe continere, coram omnibus qui ſtabant juxta illum.* hoc eſt coram Ægyptiis ipſis, quamvis viderint ejus commotionem, ſed teſtes non fuerint eorum quæ poſteà facta ſunt, quia juſſit omnes egredi, priuſquam ſe fratribus cognoſcendum daret. Optimè hanc Joſephi commotionem

motionem expreſſit Gregorius, in Ezech. Homil. 21. *Tunc*, inquit, *ſe ultra cohibere non valens, pietas clauſa prorupit ad medium, & excuſſit charitatis lacrymas de vultu ſeveritatis. Deterſa eſt ira quæ apparebat, & non erat; oſtenſa miſericordia, quæ erat, & non apparebat. Sic vir ſanctus, facinus fratrum & dimiſit, & vindicavit. Sic in vigore clementiam tenuit, ut delinquentibus fratribus, nec ſine ultione pius exiſteret, nec ſine pietate diſtrictus. Ecce hoc eſt magiſterium diſciplinæ, ut culpis & diſcretè noverit parcere, & eas piè reſecare. Qui autem diſcretionis ſpiritum non habent, aut ſic dimittunt peccata ut non corrigant; aut ſic quaſi corrigendo feriunt, ut non dimittant.* Hæc ille. Rupertus autem. *Quomodo mulier gravida tacet quidem & ſilet quantum valet, & patiens eſt, horâ autem ipſâ qua parturit, loquitur, & erumpit, & clamat, neque ſe cohibere poteſt, quin dolori invaleſcenti clamando ſatisfaciat; ſic ille qui hactenus ſe continuerat, utcumque gemitus intercidens, & abſcondendo deglutiens, ac violenta lachrymarum fluenta dividens, hora qua os aperuit, dicturus, ego ſum Ioſeph, citius ac properantius erupit incondito clamore doloris, turbo violentiſſimus, vocemque cum fletu in altum extulit.* Prudenter autem juſſit, ut egrederentur foras alii omnes præter fratres, ita ut nullus remaneret dum ſe eis revelavit. 1. Quia non ſatis decorum fuiſſet tanto & tali principi, in ea hominum frequentia flere, præſertim eorum, qui nihil in illo ſolebant videre præter gravitatem vultus, & autoritatem maximam præ ſe ferentem. 2. Idque præſertim ſpectaſſe videtur, ne quid de ſui venditione à fratribus facta, cujus neceſſariò meminiſſe debuerat alii reſciſſerent, ut ita fratrum honori & pudori conſulat, nec aliorum in ipſos odium concitet. 3. Ut liberius cum iis agat, & eos in ſua benevolentia confirmet. In his humanitatis etiam & clementiæ præbuit ſpecimen, cum ea voluit tegere & occultare, quæ ad infamiam eorum pertinuiſſent, quos ſanabiles noverat, & quorum pudori propter graves cauſas parcendum judicavit; ſi enim divulgatum fuiſſet fratrum ſcelus, potuiſſet id eos à regis conſpectu & favore arcere, contra id quod Joſephus moliebatur. Cum ergo poſteà verſ. 2. dicitur *elevaſſe vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii omniſque Pharaonis domus*, id intelligendum eſt de voce confuſa cum fletu, quæ procul intellecta fuit, non de voce articulata & verbis ipſius, maximè cum venditionis ſuæ mentionem faceret. *Ego*, inquit, *ſum Ioſeph, adhuc pater meus vivit?* Iam nomen verum profitetur, nec ut anteà loquitur per interpretem, ſed vernaculo ſermone, id eſt, propria eorum lingua, moxque ut oſtendat ſe agere ſerio, etſi anteà de patre inquiſiviſſet, ſed tanquam de externo aliquo, nunc tanquam de patre ſuo explicitè inquirit, ut ſi in ſuperioribus aliquid celatum fuerit, jam familiariter narrent ſtatum boni parentis de quo maximè ſollicitus erat. Erumpit ergo omni ex parte ϛοργὴ, & ſe magis ac magis exerit, erga patrem & fratres. Quo exemplo, cum laudabiliſſimum ſit, in viro ſapientiſſimo, refellitur Stoicorum ἀπάθεια, qua hominem ſapientem fingunt ſegregatum ab omni commotione pectoris, ejuſque gravitate & conſtantia cenſent indignum affectibus moveri. *Furioſi*, inquit Lact. lib. 6. Inſtit. cap. 14. *qui ea non temperant, ſed abſcindunt; rebuſque à natura inſitis caſtrare hominem quodammodo volunt.* At Hieron. adverſ. Pelag. lib. 2. *Affectibus ad perfectum carere, juxta Stoicos, poſſibile; juxta Peripatheticos & difficile, & impoſſibile. Cui ſententiæ, omnis ſcript. ſacræ conſentit autoritas.* Itaque Chriſtiani cauſam affectuum conſiderant, finemque, & moderationem, *In diſciplina noſtra*, ait Auguſt. de civit. Dei lib. 9. cap. 5. *non tam quæritur, utrum pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur; nec utrum ſit triſtis, ſed quare ſit triſtis; nec utrum timeat, ſed quid timeat.* Nec vitioſum ducitur ſi quis moderatè iraſcatur peccanti, contriſtetur pro afflicto, & timeat pro periclitante. Et certè ϛοργὰς inſitas & quaſi inſculptas naturaliter in pectoribus damnare & rejicere, eſt hominem ex homine tollere. Rectius Philoſophi illi apud Ciceronem, qui perturbationes animi ex homine non tollebant, naturáque & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere & efferri lætitia dicebant, ſed contrahebant, in anguſtumque deducebant. Acad. quæſt. lib. 1. In ſanctis & piis affectiones cum natura congruentes, non tantum tolerabiles ſunt, ſed etiam maximè laudabiles, & excellentiſſimæ; quia à natura inſitæ & amore excitatæ inflammantur à Sp. ſancto, ut ſint puriores & ardentiores: ſicut contra malitia Diaboli extinguuntur in impiis. Unde Apoſtolus ἀϛοργίαν inter extrema vitia & maximè deteſtabilia ponit. Rom. 1. ℣. 32. & 2. ad Timoth. 3. ℣. 3. noviſſima & peſſima tempora deſcribens, conqueritur homines futuros, ἀϛόργους καὶ ἀσπόνδους.

Exclamat Joſephus *Ego ſum Ioſeph*, & quaſi grandi pavoris fulmine excuſſo, *fratres attonitos & quaſi amentes reddidit*; ait Rupertus. Nam cum omnes nomen ejus audiviſſent, & coram viderent, quem periiſſe jamdudum putaverant, ſtupor quidam invaſit eos, qui loquendi facultatem ademit. Quem ſtuporem auxerunt duo, ſceleris conſcientia, & Joſephi potentia. Cum igitur viderent in tantam dignitatem & faſtigium evectum eum, quem tam invidiosè & inhumaniter tractaſſent, & tandem ignominiosè vendidiſſent, obſtupefacti, conturbati, & conſternati, obmuteſcunt. Quod iis qui graviter timent accidere ſolet, ut non ſolum *vox faucibus hæreat*, ſed etiam talis contractio aliquando fiat, ut in ſtipitem mutatus videatur qui gravi metu percellitur. Id ex Ariſtotele ita explicat Thomas 1. 2. Quæſt. 44. Articul. 1. Quia timor provenit ex phantaſia alicujus imminentis mali; quod difficulter repelli poteſt; Quod autem aliquid difficulter repelli poſſit, id ex virtutis debilitate procedit; Quanto autem debilior eſt virtus, tanto ad pauciora ſe debet extendere; inde fit, ut ex ipſa imaginatione

quæ

quæ cauſat timorem, ſequatur aliqua in appetitu contractio; ut in morientibus, natura retrahitur ad interiora, propter debilitatem virtutis; & in civitatibus, ſolent cives metuentes, ab exterioribus ad interiora ſe recipere, ſecundum cujus contractionis ſimilitudinem, quæ pertinent ad appetitum animalem, ſequitur etiam in timore ex parte corporis, contractio caloris & ſpirituum ad interiora. Itaque in hoc affectu, calor qui eſt extra cor, fugit verſus cor, & qui in corde eſt effuſus ad intima cordis penetralia ſe recipit. Unde Poëta, *Me timor invaſit, ſtabam ſine ſanguine mœſtus.* Ariſtoteles lib. 1. cap. 5. Retor. φόβον definit λύπην τινὰ ἢ ταραχὴν ἐκ φαντασίας μέλλοντος ἢ κακοῦ φθαρτικοῦ ἢ λυπηροῦ. *Moleſtiam quandam & perturbationem, ex phantaſia futuri mali, vel idonei ad interimentum, vel moleſti.* Quærit autem problem. Sect. 27. probl. 9. Quam ob cauſam cum & metus, & dolor quædam ſit ægritudo, qui dolent clamant, qui metuunt ſilent? Rationem hanc reddit, quod qui dolent ſuum retinent ſpiritum, itaque is univerſus erumpens, cum clamore emittitur: metuentibus autem corpus refrigeratur, calorque ima petit, qui ſpiritum movet. Quo autem is ſe contulerit, ibidem ſpiritum potiſſimum excitabit, quapropter venter eorum qui metuunt, obcrepare ſolitus eſt. Vox autem, ſpiritus ſurſum verſus elatus eſt, partibus quibuſdam velut inſtrumentis conficiendus abſolvenduſque, quod fieri non poteſt, calore concentrato, qui ima petiit. Id fit præſertim in pavore, qui metus eſt vehemētior, cum animus quaſi verberatur, imminentis mali perculſione, in quo ſtatu fuerunt fratres Jſraelitæ. Quod referri debuit ad vim & affectum malæ conſcientiæ, quæ rem in ſeſe & jucundam, & multis modis optabilem, horribilem tamen eis & intolerabilem reddidit. Niſi enim conſcientia eis memoriam renovaſſet ſceleris in Joſephum admiſſi, quid jucundius eis accidere potuiſſet aut debuiſſet, quam fratrem diu amiſſum, non ſolum incolumem videre, ſed etiam in hac communi neceſſitate, in qua poterat eis ſuccurrere, in tota Ægypto dominātem? Sed quia malè ſibi erāt conſcii, torpent præ ſtupore animi, ſermo novitate intercluditur, nec in promptu eſt quid agant vel quid reſpondeant. Hic cogitemus, quid futurum ſit iis, qui Chriſtum vel in ſe, vel in membris ſuis perſequuti ſunt, qui quaſi nunquam in judiciū venturus eſſet, peccatis indulgent; tunc cum redierit in nubibus, & ex improviſo ſe hominibus oſtendet. Horū conſternationē deſcribit Sp. Dei Apoc. 6. 16. dicturi ſunt *montibus & petris, Cadite ſuper nos, abſcondite nos à conſpectu ejus qui inſidet throno, & ab ira agni.*

Obmuteſcentibus fratrum linguis, ſuam iterum ſolvit Joſeph ℣. 4. Primum benignè eos appellat, *accedite quæſo ad me*, invitans quaſi eos ad amplexum, & quia ad nomen Joſephi trepidaverant. *Ego*, inquit, *ſum Ioſeph* אחיכם *achikem* frater veſter: quo nomine oſtendit, honores non ita mutaſſe mores, quin priſtinam retinuerit comitatem, etiam in ſummo faſtigio. Ideò familiæ ſuæ non obliviſcitur, fratres ſuos non abnegat, aut à ſe rejicit. Referunt Nauclerus & Zeglierus de Villegiſo, quem patre rhedario natum Otho tertius ad Moguntinenſem electoratum promoverat, quod ne ſe efferret, ſæpè ſibi ſuggeſſerit, *vide quis ſis, memento quis fueris.* Unde & rotas ſuo muſæo appingi curavit, iiſque adſcribi; Villegiſe, prioris fortunæ memor, quis nunc ſis conſidera. Hæc rota poſteà fuit inſigne electorum Moguntinenſium, ab Henrico II. Imper. confirmatum. His externis adminiculis nō fuerat uſus Joſeph, ſed eam ſervabat animo modeſtiam, qua nunquam ſe extulit in rebus ſecundis, ſed eum tenuit modum, quo etiam, dum vixit, aliorum ſuperavit invidiam, & ſuorum ſuſtinuit inopiam, in tempore duriſſimo.

Quod venditionis mentionem facit, non ideo memorat ut exprobret, cum erigere velit cōſternatos, ſed ut hoc indicio probet ipſis ſe verè eum eſſe, quē profitebatur. Indicium enim illud certū fuit, quia illi facto nullus alius inter fuerat preter venditores, emptores Iſmaëlitas, & venditum Joſephum. Multa alia adduxiſſe de rebus domeſticis par eſt credere, non item, quod ineptè vaticinantur Judæi, quod circumciſionem ſuam ipſis oſtenderit. Quia noverat eos conſternatos ob memoriam ſceleris adverſus eum patrati, illud refricat, ut malo præcipuo ſalutarem medicinam adhibeat. In quo illuſtre præbet exemplum clementiæ, qua virtute nulla eſt quæ magis principem deceat, quocumque modo is, & quocumque jure aliis præpoſitus ſit.

Suo autem exemplo docet, qua ratione erga peccatores procedi debeat; Nam adverſus cōtumaces agendum eſt ſeveriùs, terrendi ſunt minis, qui ſibi in peccatis ſuis blandiuntur. Aliter agendum erga eos, quos peccati pudet, & qui verè humiliati ſunt, præſertim ſi periculum ſit deſperationis. Tales ſunt moderatè erigendi, facta ſpe veniæ, ne obruantur nimia triſtitia, ut Paulus præcipit, 2. Cor. 2. ut ergo rectè procedat ſeveritas, induēdus eſt interior affectus Joſephi, qui ſuo tempore erumpat. Sic Chriſtus verus noſter Joſeph, gravatos conſcientia peccati ad ſe vocat, *venite ad me omnes, &c.* Matth. 11. & poſt reſurrectionem, ſe ſuorum omnium fratrem inſinuavit. *Vade ad fratres meos, & dic eis, aſcendo ad patrem meum, & ad patrem veſtrum.* Joan. 20, ℣. 17. in qua appellatione, ſummam propoſuit conſolationem. Ergo etſi in afflictionibus conſtitutis, ad ſe confugientibus non ſtatim ſe aperiat, imò ſe habeat ut ignotus erga ignotum, vincitur tandem magna ſua erga nos dilectione, nec poteſt miſericordiæ ſuæ viſcera diutius continere, quod facit in ſecreto cordis cubiculo, ſe nobis inſinuans, & apertè poſteà nobis benefaciens.

Sed expendamus Joſephi verba conſolatoria. *Nunc*, inquit, verſ. 5. אל תעצבו *al teatſebu*, ne dolore afficiamini, ואל יחר בעיניכם *veal jichar beenechem*, & ne ſit ira in oculis veſtris, quod vendideritis me huc. Vulgata,

gata, *Nolite pavere, neque vobis durum videatur.* Chald. *Nolite contriſtari, neque diſpliceat in oculis veſtris.* Tigurina, *nolite mœrore affici, neque commovemini intra vos.* Vatablus, *neque indignentur oculi veſtri.* Triſtitia & mœror, ciet ex oculis lachrymas, ideò poſſet verti *ne fleatis.* Senſus eſt, Ne ultra modum vos dolore crucietis, aut voſmetipſos affligatis, &c. Vel ne moleſtia aut tædio afficiamini, propter hoc factum veſtrum. Non eſt mens Joſephi, eximere eos ab omni peccati ſui ſenſu, eamque triſtitiam eis auferre, quam *triſtitiam ſecundùm Deum*, 2 Corinth.7.℣.11. Apoſtolus appellat, eamque commendat à fructibus ſuis. *Qui ſecundum Deum eſt dolor*, inquit, *is reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, cujus nunquam pœniteat.* Talem dolorem ut in animis fratrum ſuorum excitaret, ideò variè eos circumduxit, & diverſis modis probavit ac exercuit, ut ſupra vidimus. Nec certè debuerunt unquam cogitare de hoc ſuo ſcelere, ſine cordolio, quod teſtimonium eſt deteſtationis peccati. Nō putandum eſt igitur hunc voluiſſe ab iis ſenſum tollere ſanctum virum; ſed id tantum intendit, mœſtos erigere & conſolari, ne nimia triſtitia abſorberentur. Eſt præterea triſtitia, quæ non tam oritur à deteſtatione culpæ & odio mali, quam à metu pœnæ, cujus formidine peccatum oderunt mali; qua etiam affectos fuiſſe Iſraëlitas oſtendunt præcedentia, cum viderent ſe in ejus poteſtatem incidiſſe, in cujus manu vindicta eſſet poſita. Hunc pœnæ ſive vindictæ metum excutere eos voluit ratione ſui, cum nihil tale cogitaret, qui omnia benignitatis officia ultrò eis deferebat. Ad quod reſpiciens autor Vulgatæ, vertit, *nolite pavere*; etſi non ad verbum, non tamen præter ſenſum.

Altius igitur indicat ſe conſcendiſſe, & de providentia Dei cogitaſſe, cujus propoſitum & finem ex eventu judicabat. Eum igitur totum illud negotium gubernaſſe & direxiſſe, ut inſcientem Joſephum, & nihil tale cogitantem deduceret in Ægyptum, tanquam parentis ſui & totius familiæ paternæ ſtationator manſionarius, qui eis hoſpitium & alimentum pararet. Nolle ergo eis jam ſuccenſere, cum videret Deum mirabilem artificem, ex magno ab iis patrato malo, bonum maximum, illis non ſolum, ſed & parenti communi procuraſſe. Hunc divinæ providentiæ effectum eis explicat, *Miſit*, inquit, *me Deus ante vos pro ſalute veſtra.* In fonte eſt, למחיה *lemichja*, in vivificationem, id eſt, ut vitam vobis conſervarem: non enim agebat propriè de ſpirituali ſalute, etſi verum ſit hac eadem occaſione procuratam fuiſſe etiam ſalutem animarum, detecto eorum peccato, & extorta ejuſdem confeſſione, ut ſuo loco vidimus. Chald. *miſit me in conſervationem*, vel *ad ſuſtentationem.* Hoc eſt, ut in vita vos conſervem, victum vobis ſuppeditando.

Cujus rei neceſſitatem exponit, explicans eis prædictionem ſuam de famis duratione, & gravitate annonæ imminentis, quo major appareat ſalus propoſita. Voluit enim eis revelare, quod à Dei ſpiritu didicerat, quo magis Dei providentiam, potentiam & clementiam, ac beneficentiam ſingularem agnoſcerent, à qua in Ægyptum miſſus fuerat, ut eos aleret, adhuc annis quinque difficillimi temporis, אשר אין-חריש וקציר *aſcher en chariſch vekatſir*; in quibus *non aratio & meſſis*, ſcil. erit. Quod intelligendum de maxima parte terræ, & tali aratione & meſſi, quæ ſufficere poſſet vel parti Ægypti, nedum ut aliis regionibus, ut antea, poſſent providere. Nam etſi in paucis agris Nilo adjacentibus, potuerit eſſe aliqua meſſis, ejus tamen exigua ratio habebatur in tanta ſterilitate, ac ſi nulla eſſet. Ex hoc autem textu liquet, hæc omnia à Joſepho cum fratribus fuiſſe geſta anno ſecundo ſterilitatis, id eſt, anno nono poſt exaltationem ſuam, cum parens ejus eſſet annorum 130. ille vero ageret annum trigeſimum nonum. Anno enim 30. ætatis evectus fuit ad principatum, ſucceſſerunt deinde anni ſeptem fertilitatis & duo ſterilitatis. Erat ergo tunc annorum xxxix. Natus erat anno Jacobi xci, ſi addantur xxxix, ætatis Joſephi, numerabimus annum Jacobi cxxx. Hoc fundamentum hic ponere voluit Chronologiæ illius ætatis, ad quod ſæpè recurrendum eſt.

Repetit iterum & explicat verſ.7. finem, cur Deus eum præmiſiſſet in Ægyptum, & quod anteà dixerat למחיה *limichjah*, in vivificationem, nunc aliis verbis clarius enunciat לשום לכם שאריה בארץ *laſum lachem ſcheerit baarets*, ad verbum, *ad ponendum vobis reſiduum in terra*, Vulgata, *ut reſervemini ſuper terram.* Quam phraſim eodem ſenſu exponunt Trem. & Junius, *ut faciat vos ſuperſtites*: ut ſit Hypallage in his verbis *ad ponendum vobis reſiduum*, pro, *ad ponendum vos in reſiduum.* Alioqui poſſent hæc referri ad annonam repoſitam opera Joſephi; miſit me, ut ex annis fertilitatis, vobis reponerem reſiduum aliquid in hac terra, & in ea vos exciperem tempore famis, *& victum darem vobis* לפלטהגדלה *lipleta gedola*, ad verbum, *in evaſionem magnam*, id eſt, ita ut mirabili liberatione ſalvemini. quæ verba non debuit omittere vetus interpres, quia addita ſunt ad commendationem gratiæ divinæ. Quod volunt quidam, Joſephum ſpiritu prophetico reſpexiſſe multiplicationem populi illius in Ægypto, & ejuſdem liberationem miraculoſam ſub Moſe, non videtur huic loco conveniens. Ea enim dicere volebat quæ fratres intelligerent, & præſentem neceſſitatem ſpectarent. Evaſionem magnam ergo intelligit, liberationem à periculo maximo, eamque mira ratione procuratam, ne cum multis aliis, in communi illa calamitate perirent.

EXER-

EXERCITATIO CLXVII.

Ingenium charitatis in aliorum peccatis excuſandis. Quomodo Deo adſcribat Ioſephus miſsionem ſuam in Aegyptum? Diſſertatio de efficacia providentiæ Dei in talibus adverſus nonnullorum calumnias. Blaſphemiæ impudentiſsimè à Ieſuita Vaſquéz noſtris objectæ. Vnde calumniæ anſam arripuerint adverſarii? Suarezii ſententia de operatione Dei in talibus. Scientia media à Ieſuitis excogitata, ab aliis Pontificiis exibilata. Refellitur. Permiſſionis *vox in talibus cujus ſit uſus. Vaſquéz ſuis etiam affingit quod Deo adſcribant peccati cauſam, maximè Cajetano. Ejus & aliorum adverſus nos iniquitas notatur, & probatur. Conſideratio ſolutionum Suarezii; in quem retorquentur conſequentiæ, quas in alios invidioſe collegit. Mart. Buceri animadverſio notanda; quam calumnioſe traducit Gebrardus Lutheranus. Summa dictorum, & reſponſio ad argumentum adverſariorum.*

VErſus VIII. ſic habet, *Et nunc non vos miſiſtis me huc, ſed Deus; & me poſuit in patrem ipſi Parhoh, & in dominum omni ejus domui, & in dominatorem in omni terra Ægypti.* Ita in fonte ad verbum. Vulgata paulo aliter, ſed eodem modo ad ſenſum. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate miſſus ſum, qui fecit me patrem Pharaonis.* Exaggerare voluit his verbis vir ſanctus ſapientiſſimam Dei providentiam, eique adſcribere fœlicem ærumnarum ſuarum eventum, ſimulque fratres in tanta perturbatione demulcere, & timorem ac ſollicitudinem eis eximere, dum quod in Ægyptum venerit, non tam facto eorum, quam Dei providentiæ ac curæ tribuit, extollens tam neceſſitatem ſalutis per ipſum expediendæ, quàm ſuæ dignitatis ac honoris faſtigium, ad quod divinitus evectus fuerat. Non quod fratres velit abſolvere à culpa, aut eam in Deum transferre, vel derivare; ſed oſtendere quod poſteà verbis perſpicuis enunciat & diſtinguit cap. 50. ℣. 20. *Vos quidem cogitaveratis contra me malum, ſed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret ſicut in die hoc, conſervando in vita populum multum.* Ingenioſa eſt charitas in ſepeliendis fratrum peccatis, quæ in hunc uſum libenter accommodat, quæcumque ad iram placandam, & odia ſedanda faciunt. Nec tamen exiſtimandum eam eſſe excuſationem peccati fratrum, non fuit hæc mens Joſepho, ut ſcelus excuſet per Dei voluntatem, cui nemo poteſt reſiſtere; ſed id tantum ſibi propoſuit, ut mœſtos conſolaretur, eoſque averteret à conſideratione malorum quæ paſſus erat eorum operâ; & converteret ad admirationem bonorum, quæ Deus procuraverat ſua providentia. Alioquin, ut vidimus, alibi dicit, eos *cogitaſſe malum* adverſus ipſum, proinde non diſſimulat eos peccaſſe, ſed ne putarent eum velle refricare ejus rei memoriam, in eorum perniciem, animo ad vindictam concitato, ſignificat ſe in univerſo hoc negotio, Deum ſpectare, & ita acquieſcere in ſapientiſſima ejus diſpenſatione, ut nihil aliud ſatagat, quam implere id, ad quod agnoſcit Deum deſtinaſſe illam ſuam in Ægyptum migrationem. Argumentum eſt efficaciſſimum, ſi Deus miſit me in Ægyptum, ut vobis præirem, vobiſque providerem, & vitam veſtram conſervarem, non eſt vel quod vobis à me metuatis, vel quod nimium vos affligatis quod tamdiu veſtra opera, à paterna domo exulaverim. At id verum eſt Deum me in hunc finem miſiſſe, & ideo me conſtituiſſe dominatorem. Ergo non eſt quod timeatis, vel dolore nimio afficiamini. Hic fuit ejus ſcopus.

Cum autem dicit, *Non vos me miſiſtis huc, ſed Deus.* Negatio non eſt abſolutè intelligenda, quaſi nihil ab eis factum fuiſſet in hac Joſephi alienatione; Contrarium enim docuit præcedens hiſtoria de ejus venditione, quam procuraverant fratres. Id enim in animo habuerant, ſic eum procul ablegare, ac ejus & inſomniorum ipſius memoriam, prorſus obliterare; ſed indicat ſe non ſubſiſtere in hoc eorum facto, ſed altius conſcendere, quia ex ſucceſſu videbat cauſam aliam ſuperiorem omnia moderantem, & ad fines ſuos dirigentem, cui omnia ſive bona, ſive mala, adeoque etiam conſilia, voluntates, conatus & ſtudia hominum, ſubjecta ſunt & ſubalternata. Itaque vir pius, cum probè intelligeret, res mortalium plerumque quidem occulto, ſemper autem juſto rectoque Dei judicio & conſilio diſponi, adminiſtrari & geri, quod à fratribus ſuis adverſum ſe fuerat geſtum, arcano Dei conſilio imputat; qui magna ſæpè mala, in longè majora bona, pro infinita ſua ſapientia & bonitate, mutare ſolet. *Sola divina vis,* ait Boëtius, de conſol. Philoſ. lib. 4. proſ. 6. ſub fin. *cui mala quoque bona ſunt, cum eis competenter utendo, alicujus boni producit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab aſſignata ordinis ratione diſceſſerit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno providentiæ liceat temeritati.* Nunquam ergo ſic turbatur rectus ordo, hominum pravitate & malitia, quin Deus, confuſos & violentos eorum impetus in bonum finem dirigat.

Ratione quidem finis illius miſſionis, certum erat Iſraëlitas fratres nihil minus cogitaſſe, quam Joſephum amandare, ut extolleretur ad ſummam dignitatem; & familiam paternam ſuſtentaret. Unde ſequitur verum eſſe non

eſſe non illos, ſed Deum, eum miſiſſe, ſcilicet in eum finem. Quamvis autem fuerit diverſus finis, imò contrarius, ablegatio tamen Joſephi fuit opus fratrum ſuorum, & ſimul opus Dei: In quo Deus nihil niſi juſtè & ſapienter operatus eſt, quamvis illi iniquè & crudeliter ſe geſſerint. Id quomodo fieri poſſit, non perinde omnes explicant, & res obnoxia eſt calumniis, apud eos qui immenſam Dei altitudinem ad ſuas anguſtias conantur redigere. Non poſſunt enim id concoquere, non niſi volente Deo ſuſcipi quicquid homines faciunt, omnes actus & eventus non ſolum bonos, ſed etiam malos, non niſi volente & gubernante Deo ſuſcipi & peragi, etſi non una & eadem ratione.

Putida eſt protervorum hominum calumnia, hac doctrina Deum fieri peccati autorem, nec impiis hominibus vitio vertendum eſſe, ſi Dei voluntatem exequantur. Voluntatis etiam humanæ libertatem tolli, & fatalem quandam neceſſitatem induci. Eo impudentiæ devenerunt non ſolùm Pontificii, ſed etiam Idumæi noſtri, multis in locis, ut adverſus noſtros diſputent, ac ſi diſertè dicerent, Deum eſſe omnium peccatorum, quæcumque homines perpetrant autorem, & ad id probandum afferrent quæcumque in ſcriptura dicuntur de gubernatione Dei, qualia ſunt quæ hoc loco cõſiderat Joſeph. Et certè non ignobilis Ieſuita Vaſquéz, in 1.2. Diſput. CXXIX. initio, impudenter nobis affingit has blaſphemias. *Novatores*, inquit, *hujus ætatis, ut ſuis obſcœnis deſideriis laxas darent habenas, non ſolum ignoranter, verum etiam impudenter, errorem nullis anteà ſeculis auditum aſſerere auſi ſunt. Dixerunt enim Deum, non minus autorem & cauſam eſſe peccati, quam meriti: non minus proditionis Iudæ, quam confeſſionis Petri; imò proditionem Iudæ, & adulterium Davidis, eſſe proprium opus Dei, eo quod liberum noſtrum arbitrium, veluti inanimatum quoddam inſtrumentum ad peccandum moveretur.* Item, ejuſdem diſp. cap. 5. *Hæretici noſtri temporis, cum non audeant aſſerere Deum peccare, nihilominus dicunt Deum eſſe veram & propriam peccati cauſam.* Sic ferè alii, qui nihil frequentius Calvino, Bezæ, & nobis omnibus objiciunt, ac ſi totidem verbis id tanquam exploratum dogma, inter noſtræ confeſſionis articulos numeraremus. Cum tamen, adverſus Libertinorum gregem, nemo melius & expreſſius Calvino, ex ſacris fontibus, blaſphemiam illam refutaverit, & Deo jus ſuum, & æquitatem in omnibus aſſeruerit. Qui etiam hoc loco ſanctè hanc cautionem adhibet; etſi fixa maneat hæc ſententia dum exultat hominum libido, & ſe intemperanter huc vel illuc jactat, Deum præeſſe, & arcano fræno eorum motus dirigere, quocumque viſum eſt; ſimul tamen hoc quoque tenendum eſſe, diſtinctè agere Deum, ut nihil in ejus providentia vitii hæreat, nihil ejus decreta affine habeant hominum vitiis.

Id igitur cum omnes expreſsè fateamur & aſſeramus, unde tam frequentis & importunæ calumniæ anſam arripuerint videndum eſt. Cum hæc duo in ſcriptura expreſſe habeantur, nihil fieri niſi volente Deo & gubernante; nec tamen Deum eſſe autorem peccati, quod odit & punit; quomodo hæc conſiſtere poſſint variis modis explicatum fuit, ex quorum nonnullis cõſequentias deducunt adverſarii, quibus putant nobis tribui debere calumniam, ad quam toto pectore exhorreſcimus; imò ex noſtra doctrina ſequi, non ſolum Deum eſſe cauſam peccati, ſed etiam verè peccare, & hominem non peccare. Sic enim illi per gradus, ad ſummum calumniandi apicem conſcendunt. Talia à protervis & maledicis ingeniis objecta, bonos alioqui viros induxerunt, ut metuerent fateri, non niſi volente Deo fieri, quæcumque ſuſcipiunt homines; ne ſtatim obſtreperent effrænes linguæ, vel Deum eſſe peccati autorem, vel non eſſe impiis hominibus vitio vertendum, quod ejus decretorum eſſent exequutores. Optimè autem animadvertit Calvinus, *etiamſi refelli non poſſet ſacrilegus ille furor*, nobis ſufficere debere eum deteſtari, & interim tenere quod claris ſcripturæ teſtimoniis proditum eſt. Hîc certè miſſio Ioſephi in Ægyptum, quamvis à fratribus per invidiam venditus, non ſponte eo deductus fuerit, Deo tribuitur, cujus providentia effectum eſt, ut Joſephus à patre ad fratres miſſus, à morte quam intentabant, miris modis liberatus, occurrentibus fortè, ſi homines ſpectemus, Iſmaëlitis, ſed ſi providentiam Dei, eò ſecreto ejus conſilio deductis, venditus fuerit & abductus. Hic Joſeph ipſe agnoſcit factum Dei. Ipſa editio vulgata, *conſilium & voluntatem*; Dei voluntate, non veſtro conſilio huc miſſus ſum. Hæc verba noſtri afferunt, non ut probent Deum eſſe autorem peccati, abſit, ſed ut evincant, actiones hominum quæ peccata ſunt, ſubjici providentiæ Dei, ita ut non ſit otioſus earum ſpectator, ſed etiam efficaciter operetur, ex decreto voluntatis ſuæ, non in perpetrando peccato, quod alienum eſt à Dei natura & planè impoſſibile, ſed in exequendis iis quæ juſtitiam & miſericordiam ſuam ſpectant, vel ad perditionem impiorum, vel ad ſalutem ſuorum. Huic quaſi parallelum locum conjungunt, quod Act. cap. 4. ℣. 27. dicitur, *Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſraël convenerunt, ut facerent quæcumque manus & conſilium Dei definierat facienda.*

Agitur ergo non de verbis, quæ expreſſa ſunt, ſed de verborum ſenſu, & ratione qua intelligi debent. Neque enim abſque impietate negari poſſunt talia providentiæ Dei argumenta, in malorum actibus, quæ apertiſſimè in ſcriptura habentur. Suaréz Ieſuita, lib. de concurſu Dei ad actus ord. naturalis, dicit ex vi verborum Joſephi, nihil eſſe quod nos fateri cogat, aut venditionem Joſephi, aut aliquem ejus effectum eſſe à Deo præfinitum, ante præſcientiam futuri peccati fratrum Joſeph, ſed ſolùm ex præſcientia illius peccati prævifi, ſumpſiſſe Deum occaſionem exaltandi Joſeph, & tunc prædefiniviſſe & præordinaſſe principatum ejus. Et ad hunc

ſenſum verba ſcripturæ non difficile poſſe accommodari putat. Nempe vult homo ille, cum aliis nonnullis, Deum ante ullum voluntatis ſuæ decretum præſcire, quid cauſa libera factura ſit vel boni vel mali, ſi in tali caſu, vel in tali occaſione ponatur, quid, inquam, ex ſe ipſa factura ſit, id Deum altitudine ſui intellectus penetrare. Quam ſcientiam, prout illam explicat, rejiciunt alii Pontificii qui Thomam ſequuntur, nec agnoſcunt in Deo ullam ſcientiam rei certò futuræ, aut eventus etiam liberi, ante determinationem divinam. Itaque non tantum nobiſcum illis res eſt, ſed etiam cum ſuis, qui prævias prædeterminationes neceſſarias eſſe contendunt, ut futura, etiam contingentia, Deus prævideat. Sic enim illi apud Leſſium cap. 2. lib. de grat. effic. &c. *Cognoſcit Deus effectus liberos in ſuis cauſis determinatis & completis, cum univerſas cauſas creatas in eſſentia ſua cognoſcat, prout eſt prima cauſa, omnibus cauſis eſſe conferens, virtutem communicans, & determinationem præfigens ad operandum, cui moventi non valet reſiſtere.* Volunt autem teſte Leſſio, hunc impulſum requiri, ratione dependentiæ & ſubordinationis, quæ eſt inter cauſam ſecundam & primam, ac proinde ad omnes motus voluntatis, etiam malos, ſecundum ſubſtantiam ſuam ſpectatos, & ad omnes motus & operationes omnium cauſarum creatarum, neceſſarios eſſe. Hi certè qui ſic ſentiunt, non poſſunt excludere voluntatem Dei ab omnibus hominum actionibus, etiam præcedentem, qui neceſſariam exiſtimant, prædeterminationem. Unde & Auguſt. 3. de doctr. Chriſt. cap. 4. pronunciat, *voluntatem Dei eſſe ſummam & primam omnium corporalium ſpecierum atque motionum cauſam.*

Quod autem vult Suarez principatum Joſephi, *occaſionaliter* tantum, ut loquuntur, fuiſſe præordinatum, id eſt, poſtquàm Deus præviderat in cauſis liberis peccatum fratrum Joſeph, id perquam abſurdum eſt; Quaſi Deus ad bonum largiendum voluntatem ſuam non flecteret, niſi occaſione peccatorum. preſertim abſurdiſſimum eſt quod ait, venditionem Joſephi & ejus effectum non fuiſſe à Deo præfinitum, ante prævisionem peccati. Cum enim venditio illa ab Iſraëlitis facta, fuerit & ipſa peccatum, non potuit prævideri peccatum ſine actione, in qua futurum erat. Deinde ſi venditio Joſephi & quæ eam ſunt conſequuta, fuerint media ad ejus exaltationem; ſit autem prudentis conſiliarii finem ſibi proponere, priuſquam agat de mediis ad finem, quomodo media potuerunt conſiderari in actu, ante determinationem finis? Nec etiam verum eſt ad hoc commentum poſſe accommodari verba Scripturæ. Quid enim hoc eſſet, *non vos miſiſtis me huc, ſed Deus:* id eſt, Deus quidem nihil ſtatuerat de mea exaltatione, & ſuſtentatione familiæ veſtræ per me; ſed quando prævidit vos peccaturos, tum ſumpſit occaſionem mei exaltandi. Idem eſſet ac ſi diceret, Deus non me miſit huc, ſed vos me miſiſtis. Quod planè contrarium eſt verbis ſcripturæ. Id cum ſentiret ipſe Jeſuita; *Melius tamen*, inquit, *& ſcripturæ conformius dicitur, Deum præfiniviſſe quidem tranſitum Ioſeph in Ægyptum & exaltationem ejus, non tamen venditionem; ſed hanc ſolùm permiſiſſe ex certa ſcientia & infallibili, quod eſſet futura ſi permitteretur: & eam permiſſionem & malam actionem præviſam ſic ordinaſſe, ut per eam finem à ſe intentum conſequeretur.* Addit, hanc providentiæ rationem declarare ſummam Dei ſapientiam cum ſumma bonitate, qua unumquodque vult, ordinat, & permittit prout decet. Hanc eandem ſolutionem affert Bellarm. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati, lib. 2. cap. 11. *Satis fuiſſe, Deum prævidiſſe malas voluntates fratrum Ioſephi & Iudæorum, & ſimul voluiſſe permittere, ut malæ illæ voluntates, ſuo tempore parerent, quod ſceleratè conceperant.* Sed quæſtio eſt; an Deus prævideret malas illas voluntates, & voluerit permittere ut parerent, ſine ullo actu Dei concurrente; & an actus ille voluntatis, & effectus conſequens, tantum permittente Deo factus ſit, non etiam Deo agente; ac per conſequens volente, non quidem peccatum, qua tale & formaliter; ſed ſaltem peccati materiale, ut loquuntur, actionem nempe ipſam, in qua eſt defectus ex vitio ſecundæ cauſæ. Id qui volunt, aliis ſuis fratribus contradicunt, qui ex ratione primæ cauſæ cum ſecundis operante, negant fieri poſſe, ut aliqua actio ſive interna, ſive externa, à cauſa ſecunda producatur, ſine primæ determinatione. Thomas in 1. 2. quæſt. 109. art. 1. *Quantumcumque*, inquit, *natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in actum ſuum procedere, niſi moveatur à Deo; quæ quidem motio eſt ſecundum ſuæ providentiæ rationem, non ſecundum neceſſitatem naturæ, ſicut motio corporis cœleſtis. Non ſolum autem à Deo eſt omnis motus ſicut à primo movente, ſed etiam ab ipſo eſt omnis formalis perfectio, ſicut à primo actu. Sic igitur actio intellectus & cujuſcumque entis creati, dependet à Deo, quantum ad duo; uno modo in quantum habet perfectionem ſive formam per quam agit; alio modo in quantum movetur ab ipſo ad agendum.* Hæc Thomas; *Vbi nota*, inquiunt ejus diſcipuli, *quod dicit ipſum intellectum, & quodcumque ens creatum à Deo moveri, ut proinde neceſſe ſit hæc intelligere de motione & applicatione non formali, quæ eſt in ſolum effectum, ſed de prævia, quæ eſt in cauſam: non enim Deus movet cauſam, niſi attingendo cauſam.* Ita Franciſcus Sylvius Profeſſor Duacenus, in lib. de Motione primi motoris, &c. Sed explicatiſſimè, artic. 4. part. 3. dicit Deum ab æterno prædeterminaſſe omnes actus peccati, quoad eſſe materiale, ſive in quantum ſunt actus, eoſque ita intendere, ut efficienter illos operetur. Id probat, quia actus peccati quatenus eſt ens, eſt à Deo efficiente, cum omne ens ſit ab illo. Addit, Deum non ſolum permiſſivè operari ſubſtantiam actus peccati, ſed vera ac propriè dicta *cauſalitate phyſica.* Id probat ex Scoto,

 lib. 1.

lib. 1. ſent. diſt. 41. & 47. *Ita*, inquit, *Deus ſcit hunc peccaturum, non ſolum quod ſcit ſe permiſſurum, ſed etiam quia ſcit ſe cooperaturum huic, ad ſubſtantiam actus non circumſtantionati, & per conſequens cõmittet; vel non cooperaturum ei ad actum neceſſarium, & per conſequens iſte omittet.* Omnes igitur qui ita ſentiunt apud Pontificios (ſunt autem plurimi,) negant cũ noſtris, ſolam permiſſionem in actibus illis in quibus eſt peccatũ, ſignificari, ubi illi tribuuntur Deo in ſcriptura, & ei tribui debere agnoſcunt, per ſubordinationem cauſarum.

Quod autem quidam in hoc facto fratrum Joſephi, diſtinguentes actionem à paſſione, ut etiam in Chriſti perpeſſionibus, hæc ita divellunt, ut paſſionem quidem Deo autori tribuant, & patientium patientiam, actionem vero hominibus, ita ut Deus ſolum permittat, nihil agat; id prorſus ratione caret. Cum enim ipſas actiones Deo tribuat ſcriptura, aliquid eſt ultra perpeſſiones, quod ei adſcribi debeat, ſemper ſublata peccati ratione. Nec poteſt determinari aut provideri paſſio, ſine actione. Et abſurdum eſt aliquem velle alium pati, & nolle ab agente pati. Nam quod hic quidam urgent verba paſſiva, *miſſus ſum* & hunc *præſcientia Dei traditum*, nugantur plané. Certè hic repetit ſæpè Joſeph verbum activum שלחני *ſchelachani*, miſit me Deus. Et Act. cap. 4. ℣. 28. *Herodem & alios conveniſſe, ut facerent, quæcumque manus Dei & conſilium prius definiverat facienda.* Unde ſequitur Deum, non tantum paſſiones bonas Joſephi & Chriſti, ſed etiam actiones malas fratrum & Judæorum voluiſſe & decreviſſe, non qua malæ erant, ſed qua actiones ad bonum finem deducendæ, & in ſe non malæ, ſepoſito defectu cauſæ ſecundæ.

Hæc non ideo dicuntur, quod in talibus, noſtri *permiſſionis* nomen & diſtinctionem rejiciant, niſi quatenus omnino ſepararetur ab efficientia & voluntate Dei ratione actus. Alioqui ratione peccati agnoſcimus omnes, ſolam permiſſionem intervenire, quia cum formale peccati in defectu conſiſtat, illius non quærenda eſt efficiens cauſa, ſed deficiens. Cum autem Deus ſit talis cauſa, quæ nullum habere poſſit defectum, ſatis inde liquet Deum tantum permittere malitiam actionis, etſi actionem velit & determinet, in qua talis defectus accidit ex vitio inſtrumenti. A qua diſtinctione non longè recedunt, qui inter adverſarios agmen ducunt. Inter quos ipſe Vaſquez, ſcientiæ mediæ, & conditionatæ alioquin aſſertor inter primos, non diffitetur, Deum eſſe cauſam actionis ſeu operationis, ſecundum ſubſtantiam, non quomodocumque, ſed in tali loco & tempore, cui non poteſt non eſſe conjuncta malitia moralis, in cujus rationis ſolutione, qua nonnulli ex eo metuunt ne Deus autor peccati perhibeatur, Scholaſticos non parum laborare agnoſcit. Refellit & ipſe Durandum, & alios nonnullos, qui impoſſibile exiſtimant, Deum eſſe cauſam propinquam operationis & actus peccati, quatenus actus, ſeu operatio eſt, & non eſſe cauſam malitiæ, quæ in tali tempore & loco individué ei conjuncta eſt. Ideò affirmant, Deum non eſſe cauſam propinquam operationis ſed remotam, ea ſolum ratione, qua naturam hominis cum libero arbitrio initio condidit, non quia cum ipſo ſemper actu concurrat & cooperetur. Quam ſententiam falſam eſſe docet, probatque contrariam Anſelmi lib. 1. de caſu Diaboli cap. 20. rectè diſtinguentis in peccatis, & id quod ſunt, rationem ſcilicet operationis, & quod mala ſunt, rationem ſcilicet peccati & malitiæ, ſentientiſque, prioris Deum eſſe cauſam efficientem, non autem poſterioris, niſi permiſſivè. Hæc cum omnes Scholaſtici, paucis exceptis probent & aſſerant, non tamen omnes conveniunt in aſſignatione rationis, cur non inde ſequatur Deum eſſe autorem peccati. Quod etſi omnes affirment; ſunt tamen plurimi, qui aliis videntur eas rationes afferre, quæ per conſequentiam Deum trahant in conſortium peccatorum. Ex ſententia nominatim Cardinalis Cajetani, aſſerentis *malitiam moralem, totamque eſſentiam peccati, conſiſtere in poſitiva ratione & ſubſtantia actus*, deducunt manifeſtè ſequi, Deum eſſe autorem totius malitiæ moralis, ac proinde totius eſſentiæ peccati. Ex aliorum Thomiſtarum explicatione colligit Vaſquéz, *Deum eſſe cauſam peccati*, ſaltem per accidens, licet per ſe propria cauſa non ſit. Nec eidem placet conciliatio Ricardi & Scoti, Deum dum operatur actionem quæ peccatum eſt, non eſſe cauſam peccati, etſi cauſa ſit actionis illius; quia actus ille poteſt eſſe ſine malitia, quatenus actus eſt; & omnis actio peccati à malitia ſeparari poteſt; ut ſi fiat ab homine qui non ſit mentis compos, &c. Ergo non ſequi Deum eſſe cauſam malitiæ, quia eſt cauſa actus, cui malitia conjungitur; ſed id ſolum ſequitur in iis, quæ ita conjuncta ſunt, ut unum ſine alio eſſe nequeat. Hoc autem negat Vaſquéz neceſſarium eſſe ut aliquis ſit cauſa malitiæ, & ſufficere, ut aliquis ſit cauſa ejus quod alteri conjungitur, ex eo quod eſt cauſa illius cui conjungitur. ſi hic & nunc ita conjungatur, ut unum ex alio non poſſit non oriri: unde infert, ſecundùm iſtorum explicationem *Deum etiam eſſe cauſam peccati.* Nec ei etiam placet alia Scoti conciliatio, quod homo teneatur rectitudinem dare actioni, non autem Deus, qui legi non eſt obnoxius ut homo; Ex eo enim vult tantum ſequi, Deum non peccare, non autem non eſſe peccati cauſam. Amplectitur tandem ſententiam Soti & Cani, Deum quidem cum homine concurrere ad actum peccati ſecundum rationem operationis & ſubſtantiam ejuſdem, non tamen ſecundum rationem peccati, quia Deus concurrit ad modum cauſæ naturalis, non ad modum cauſæ moralis; unde fit ut non ſit cauſa peccati ſecundùm rationem formalem culpæ, quia illa non eſt à cauſa naturali, ſed à morali; Itaque Deum non eſſe cauſam illius actus quatenus liber eſt, ſed quatenus eſt naturalis. Hanc ille ſententiam veram

ram exiſtimat, adverſus quam tamen agnoſcit multa objici poſſe; & reipſa opponi ab aliis.

Quicquid ſit, id plane conſtat, etſi hæc duo fateantur, omnis poſitivæ rei in quolibet peccato Deum eſſe cauſam, peccati tamen & malitiæ cauſam nullo modo aut dici debere, aut revera eſſe; quicquid adferunt ad explicationem rationis cur ex uno aliud non conſequatur, in probabilitate conſiſtere tantum, non in aliqua determinatione fidei, ex eorum diſputationibus & contradictionibus manifeſtum eſt. Quod notatum volui, ut oſtenderem quam perverſè nobiſcum agant, qui etſi illud ſæpè repetamus, Deum nullo modo eſſe autorem & cauſam peccati, nihil agere etiam cum malis cooperando, quam juſtè, ſanctè, & inculpatè, nobis aſſertionem contrariam calumnioſiſſimè tribuunt, quia ex modis variis quibus id noſtri conantur explicare, putant ſe id per conſequentiam colligere poſſe; cum tamen noſtri non profiteantur, ſe tales inconſequentiæ illius afferre rationes, quæ humanis ingeniis ita ſatisfaciant, ut ſiſtant eorum omnium excurſiones, qui intellectum ſuum captivum non reddunt Dei verbo. Quod cum nulli etiam inter adverſarios auſint profiteri ſe facere poſſe, non poteſt eorum iniquitas ſatis traduci, qui nobis invitis obtrudunt eam ſententiam, quam verbis & factis deteſtamur, quia de ea ita non poſſumus loqui, ut vitemus omnes petulantium ingeniorum contradictiones, & varia conſequentia; quod nec illi faciunt, ne quidem eorum qui in eadem cymba cum ipſis navigant. Quam conſiderationem ſemel hic adhibendam commodum duxi, ne quis moveatur tam frequenti horrendæ iſtius calumniæ objectione; cum ipſi inter ſe domi ita dimicent, ut aut nos abſolvant, aut ſe condemnent; etiam ipſi, qui prædeterminationes divinas negant, ante liberorum eventuum præſcientiam, conditionaliter futurorum, propter concurſus divini in omni actione neceſſitatem. Quid ergo de iis putandum qui prædeterminationes aſſerunt, ante omnem prævisionem effectus liberi ex hypotheſi futuri? Iſti certè eadem nobiſcum dicunt, & fortiter aſſerunt; nec tamen patiuntur ſe inter eos poni qui Deo injuriam faciunt. Probant juxta nobiſcum illud Anſelmi, de concord. præſc. & prædeſtin. cap. 1. *Omnis qualitas & omnis actio, & quicquid aliquam habet eſſentiam, à Deo eſt, à quo eſt omnis juſtitia & omnis injuſtitia. Facit ergo Deus omnia quæ juſta vel injuſta voluntate fiunt, id eſt bona opera vel mala: In bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt; in malis verò facit quod ſunt, non quod mala ſunt. Nam omni rei eſt juſtum vel bonum aliquid eſſe, nulli vero rei eſt aliquid injuſtum aut malum.* Unde ſequitur, etſi mala opera quatenus mala, tantum à Deo ſint permiſſivè, non efficienter; Deum tamen eſſe cauſam efficientem omnium quæ participant rationem entis: peccati autem cauſam efficientem eſſe non poſſe, nec ad illud movere vel impellere, quia qua tale, nullam entis rationem participat. Nec moventur illa objectione, Qui eſt cauſa antecedentis, eſt cauſa conſequentis, ergo ſi Deus præmovet ad actum peccati & eum operatur, eſt cauſa peccati conſequentis, imo annexi cum illo actu. Primùm enim, antecedens non eſt univerſaliter verum, quia datur inſtantia contraria, in antecedente Logico & Phyſico. In illo antecedente, video Joannem loquentem, ego ſum cauſa; non tamen conſequentis, ergo loquitur; In iſto vero, abſoluta Dei voluntas eſt cauſa antecedens voluntatis & actuum voluntariorum, nec tamen cauſa eſt conſequentium peccatorum. Illud ergo, quod eſt cauſa antecedentis eſt cauſa conſequentis, verum erit tantum, ſi antecedens producat illud conſequens ut cauſa naturalis & neceſſaria, juxta illud, *Quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.* Aliter non procedit argumentum. Ut nec aliud ejuſdem generis, qui eſt cauſa alicujus, eſt cauſa alterius quod ei jungitur inſeparabiliter; Ergo ſi Deus eſt cauſa actus, eſt etiam cauſa peccati, quod ei inſeparabiliter adhæret. Nempe illud tantum verum eſt, ſi illa inſeparabilitas conſurgat ex natura & eſſentia actus in ſe conſiderati, & non ſpecialiter ex ſola relatione actus ad aliquod principium inſtrumentale, vel principale. Deformitas autem peccati non ſequitur ad ſpeciem actus, ſecundum quod eſt in genere naturæ, ſed prout eſt in genere moris, & ſequitur ex principio deficiente. Unde Thomas in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. ad 5. abſolutè negat antecedens. *Etiamſi*, inquit, *in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet quod quicquid eſt cauſa ejus quantum ad unum; ſit cauſa ejus quantum ad alterum. Sicut natura eſt cauſa oculi quantum ad ſubſtantiam ejus, non quantum ad defectum cæcitatis, quæ ex naturæ defectu incidit.* Qui etiam alibi ſimilem rationem reddit, quomodo poſſit fieri, ut Deus ſit cauſa ejuſdem actus cum voluntate, & tamen voluntati creaturæ imputetur peccatum: & non Deo? nempe, *quod effectus cauſæ ſecundæ deficientis reducuntur in primam non deficientem, quantum ad id quod habent entitatis & perfectionis, non autem quantum ad id quod habent de defectu: ſicut, quicquid eſt motus in claudicatione, cauſatur à virtute motiva, ſed quod eſt obliquitatis in ea, non eſt ex virtute motiva, ſed ex curvitate cruris; & ſimiliter quicquid eſt entitatis & actionis in actione mali reducitur in Deum, ſicut in cauſam, ſed quod eſt ibi defectus non cauſatur à Deo, ſed ex cauſa deficiente.* Hac eadem claudicantis cruris ſimilitudine uſus eſt Calvinus, in eundem finem. Hanc tamen ſententiam, etſi multis Pontificiis communem, Suaréz dicit, lib. de concurſu Dei ad actus ord. nat. cap. 3. habere omnem abſurditatem & malitiam, quam habet ea quæ diceret Deum inclinare moraliter voluntatem hominis aut Angeli ad malum actum, imo longè majorem continere abſurditatem. Sic nempe inter ſe convenientibus Cadmæis fratribus.

Sed videamus quid ille, qui cornicum oculos ſibi videtur confixiſſe adferat,ut eludat ſcripturæ dicta, quæ Deo tribuunt actionem & operationem in malis hominum actionibus, quæ ipſe fatetur interdum *videri formatiſſima*, imò ſi quid probant, non ſolum id eſſe de materiali peccati, ſed etiam de formali, & ſimpliciter de toto peccato. Recurrit ergo cum cæteris ad *permiſſionem*, quam ex Damaſceno dicit in ſcriptura ſæpè *actionem* appellari. Affert item rationem ex generali regula interpretandi ſcripturam deſumptam; nempe cum ex ſenſu verborum omnino proprio & materiali, ſequitur abſurdum aliquod pietati, aut aliis locis ejuſdem ſcripturæ contrarium, tunc eſſe ſignum evidens in illis verbis latere aliquam metaphoram vel myſterium; itaque neceſſarium eſſe, in verbis *ſeducendi*, *agendi*, *indurandi* & ſimilibus aliquam improprietatem & metaphoram agnoſcere; Et hactenus quidem regulæ illi ſubſcribimus, quam neceſſariam eſſe etiam in talibus dictis non negamus. Sed id tamen non ſufficere contendimus, ſi quis verba illa referat, quod ille vult,ad permiſſionem tantùm,ita ut Deo tribuatur tanquam operanti,*id quod ſolum permittit*. Nec ille quicquid dicat ſiſtit in ſola permiſſione, dum explicat, cur ſcriptura Dei permiſſionem, verbis illis activis ſignificare voluerit. Ea enim dicit, quæ non minus obnoxia erunt querelis & duris conſequentiis apud eos, qui Deum in ordinem humanum cogere volunt, quàm ſunt ea, quæ adeo petulanter in aliis exagitat.

1. Ergo vult,ita loqui Sp.ſanctum ad terrendos homines, quia licet Deus hæc poſitivè non operetur, tamen ob ejus infinitam præſcientiam conditionalem actuum omnium, quos ſinguli homines in omnibus eventibus operaturi ſunt, ſi in eis conſtituantur, ob hanc, inquit, præſcientiam, tam infallibiliter ſequitur quod permittit fieri, ſicut id quod efficit & præordinat. Unde quod ad hominem ſpectat, non minus malum ei provenit divina poſita permiſſione, quam ſi poſitiva eſſet ordinatio & efficacitas Dei.Hæc ille. Quod ſi ita ſit, & quod perpetuo in ore habent, nemo peccet in eo quod vitare non poteſt, annon ſequetur homines non peccare, quia illud malum provenit ex infallibili permiſſione divina, non minus quam ſi adhibita fuiſſet efficacitas? Quid,quod,etſi prævisio aut præſcientia conditionata per ſe nihil ponat in re, niſi poſita conditione; cum tamen conditio hæc ſit, Deum infallibiliter prævidiſſe hominem peccaturum, ſi ponantur in tali, vel tali ſtatu; Cum antecedat decretum Dei de homine ponendo in tali ſtatu, in quo infallibiliter peccaturum prævidit, annon conquereretur humana pertinacia, cur Deus ſuo decreto me poſuit in tali ſtatu & conditione,qua poſita ſciebat me infallibiliter peccaturum?

2. Dicit, per hoc genus loquendi ſignificari, licet peccatum non ſit à Deo, tamen effectum peccati eſſe ab ipſo intentum & præordinatum, vel in pœnam peccantium, vel in alium bonum finem; ut Aſſur dicitur *virga furoris Dei*,quia licet Aſſyrii peccarent affligendo populum Dei, tamen Deus illud peccatum permiſit in pœnam ſui populi, cujus afflictionem & paſſionem, quæ bona erat, Deus volebat, licet peccatum non vellet ſed permitteret tantùm. Sed explicare debuit,quomodo aliquis intendat effectum, qui non intendit cauſam,nec eam vult ullo modo; quomodo prædeterminari poſſit effectus,cauſa non determinata. Quomodo Deus voluit afflictionem populi, ſi noluit ut eum affligeret Aſſur; quomodo fuit *virga Dei*, qua Deus non percuſſit,ſed tantum percutere alium ſivit aut permiſit? verum quidẽ eſt Deum peccatum qua peccatũ eſt, permiſiſſe tantùm;ſed percuſſionem virgæ & ipſam actionem permiſiſſe tantum, non prẹordinaſſe, nõ effeciſſe ullo modo,ferre non poſſunt verba ſcripturẹ.Sed cur nõ Aſſyrii peccatores eadem ratione ſe excuſabunt, qua volunt poſſe excuſari impios qui peccant ex noſtra & aliorum hypotheſi, nempe ſi dicant; voluiſti & etiam prædeterminaſti effectum cujus nos fuimus cauſa. non potes jure cauſam deteſtari,cujus effectum probaſti, & tibi etiam imputatum voluiſti.

3. Addit,Aliquando Deum aliquid ſpeciali,proprio, ac peculiari conſilio velle, ex quo certo ſcit fore ut homo peccet, ratione cujus, talis permiſſio ſpecialis dicitur, & illis locutionibus explicari ſolet etiam noſtro loquendi more. Id autem quod Deus hoc modo vult, interdum eſſe aliquid negativum, interdum aliquid poſitivum. Negativum, cum Deus prævidens fore,ut ſi hominem non corrigat,vel aliqua caſtigatione affligat, lapſurus ſit in plura peccata; nihilominus peculiari conſilio, & inſcrutabili judicio caſtigationem removet, hominemque deſideriis ſuis tradit. Hoc modo dicitur pater perdere filium, magiſter diſcipulum, & pẹdagogus alumnum.Deinde poteſt etiam eſſe,inquit, hæc permiſſio,quando Deus juſto judicio negat auxilium aliquod ſpeciale ad vitandam culpam, quod moraliter eſt neceſſarium,aut ferè,quia conſiderata hominis diſpoſitione,& occaſione,difficile eſt vitare culpam niſi Deus ſpecialiori modo adjuvet, quod tamen facere non tenetur, & ideò interdum juſto judicio illi negat. Quomodo inter homines qui alium relinquit in manibus hoſtium nec ei ſubvenit,dicitur eum tradere.

Martinus Bucerus Theologus ſolidiſſimus, ad ca.1. Epiſt. ad Roman. pag.70. Fateor,inquit, eos, qui illud *tradidit*, per *paſſus eſt*, *permiſit*, exponunt, huc moveri, quod volunt cavere ne quis peccata ſua adſcribat Deo; an autem hoc iſta interpretatione aſſequantur, ipſi viderint. Hoc ſatis omnes experimur, eo unumquemque peccati convinci, & ne illud Deo imputet omnem ei cauſam adimi, quod nemo omnino peccet,contra quem non ſua ipſius teſtetur conſcientia, quicquid verbis nonnunquam contra Deum impii loquantur. Certè qui hoc poſſit conſcientiæ teſtimonium excutere,& velit ratione ſua hanc quæſtionem, ſi ſibi merito,& non Deo quæ peccat,imputari debeat, agitare,

agitare, is facile dicet, Etiamſi intelligam, cum ſcripturæ de Deo memorant quod indurat, in ſenſum reprobum tradit, *Deum hoc tantum permittere, ſuum ſpiritum ſubducere, quo ſolo cor ad verbum ſuum emollitur, & recta mens conſtituitur*, adhuc tamen omne peccatum præcipuè à Deo eſt. Novit ſiquidem ita depravatam naturam meam, ut nihil aliud quam verbum ipſius contemnere, & peſſima quæque eligere queam, ſi ipſe mihi non donet ſpiritum ſuum, & eo regignat, ſic ipſe in utero matris me finxit, talem in lucem edidit, ſi non largitur ſpiritum ſuum bonum, unam cauſam qua peccatum meum caveri poſſit, quomodo intelligam, illum non velle peccatum meum, eſſeque ejus autorem? Si quis videat cæcum impingentem, nec poſſe non cadere ſi ei ſuam manum non porrigat, eumque regat, nolit autem ille manum ſuam cæco præbere, & patiatur eum cadere, obſecro quis non dicat eum caſum cæci hujus voluiſſe, ejuſque fuiſſe cauſam? Iam Deus hoc amplius peccati mei cauſa eſt, quàm ille qui negat cæco ducatum, cauſa eſt ut cadat cæcus, quod Deus in utero matris meæ, me cum hac perverſitate ingenii, ac peccandi neceſſitate condidit & formavit. *Hæc ille*, ut oſtenderet, non poſſe talibus diſtinctionibus, quales ſunt quæ adduxit Suarez, ſiſti aut impediri querelas, aut etiam blaſphemas conſequentias eorum, qui rationis ſuę ductum ſequuntur in quæſtione, an Deo imputari debeant hominum peccata? maximè qui teſtimonium conſcientiæ ſuæ excutere potuerunt, quorum nomine hæc omnia propoſuit Bucerus, ut liquidò patet ex dictis. Nihilominus ultima hæc verba truncata protulit in ſua locorum communium farragine Ioannes Gerhardi, vir alioqui diligens & non indoctus inter Lutheranos, ut probaret Bucerum, Deum expreſsè conſtituiſſe peccati cauſam, cujus nomine φορτικὰ illa, ut loquitur ἀκύσματα deſcripſit, quaſi hæc ſenſu ſuo dixiſſet Bucerus. Cujus monendos duxi Theologiæ ſtudioſos, ut talium hominum, qui ubique maledicendi & calumniandi materiam quærunt, ſcripta cum judicio legant, & eorum citationes, maximè ex noſtrorum ſcriptis, diligenter expendant, conferantque cum ipſis autorum locis, ne incauti aliquando ſinant ſe in ſiniſtram ſuſpicionem abripi, cum tam confidenter talia vident noſtris objici. Nihil enim minus voluit Bucerus, quam talia probare, qui antidotum neceſſarium præmiſerat, in deſcriptione illius, quem talia objecturum dicebat; quam calumniator ſtudio omiſit, ut eum virum traduceret, cui ſe multa debere ſi neget, ingratus erit & impudens.

Redeo ad explicationes Suarezii, qui præter negativa quæ tribuit Deo ratione peccati hominum, poſitivum etiam aliquid facere concedit, quando non ſolum homini malum non infert, ſed etiam beneficia confert, prævidens fore, ut illi ſint in ſcandalum & ruinam, quod non ſolum de temporalibus bonis, ſed etiam de ſpiritualibus verum eſt. Sic interdum mittit concionatores ad eum, quem præſcit non fore corrigendum, ſed potius obdurandum. Sic etiam fecit miracula & ſigna coram Pharaone, præſciens illum obſtinatiorem redditum iri. Aliquando etiam aliquid Deus præcipit fieri, quod ſcit poſteà futurum homini occaſionem ruinæ. Hæc omnia ſi quis ad amuſſim humanæ rationis exigat, nonne iiſdem calumniis erunt obnoxia, quibus alia quorum anteà meminimus? Certè non ſola permiſſio in talibus locum habet, ut ipſe teſtatur, dum ait poſitivum aliquid Deum facere. At id bonum eſt in ſe, beneficia conferre, verbum offerre, miracula facere. Id nemo negat; ſed beneficium conferre ei quem novimus abuſurum, in ruinam & perniciem ſuam; verbum prædicare ei quem ſcimus non auditurum, &c. id certè apud homines neque prudenter fieret, neque ſerio. Quid ſi in hominis poteſtate eſſet efficere in eo cui beneficium confert, ut ei eſſet ſalutare, aut cor ejus immutare ut verbo flecteretur, aut eum ita percellere, ut miraculis afficeretur, nec tamen id vellet facere; quis ex rationis humanæ dictamine, non imputaret malitiam ei qui ita ſe gereret? Hinc ergo diſcant adverſarii, neceſſarium eſſe in talibus, ubi de Deo agitur, regulas hominibus præfixas tranſcendere, & in hac quæſtione rationi prorſus valedicere, & verbis Dei ſimpliciter inhærere, quæ cùm hæc duo ſimul teſtentur, ſi quid peccamus, noſtram, non Dei, culpam eſſe, cui noſtra ipſorum conſcientia teſtimonium perhibet; tum adeò omne bonum à Deo venire, ut quod ille non dederit, impoſſibile ſit creaturæ, vel ut id cogitet, nedum ut faciat; quod ipſum facilè mens noſtra ex concepta Dei cognitione percipit. Utrumque pariter ac ſimpliciter nobis fatendum eſt, nihil ſcilicet poſſe à nobis boni fieri, vel mali vitari, ſine ſpiritus S. ductu; & nihilominus, quicquid vel boni neglexerimus, vel mali fecerimus culpam noſtram eſſe, non Dei, qui cum bonus ſit benè omnia facit.

Ut paucis dicta contrahamus, hominum peccata providentiæ divinæ ſubjecta eſſe, omnes conſentiunt. Quomodo autem, alii aliter loquuntur. Sunt qui ſolam permiſſionem, ordinationem, & punitionem Deo tribuunt. Nos cum ſcriptura actionum etiam malarum, non, qua malæ, ſed qua bonæ ſunt, efficientiam in tempore, & præordinationem ab æterno. Quarum actionum deformitatem & vitium Deus permittit, eamque permiſſionem vult Deus, & directè ordinat ad aliquod majus bonum quam ſit illud, cujus malum quod permittit privatio eſt. Deus enim omnipotens (ait August. Enchir lib. cap. 11.) cum ſummè bonus ſit, nullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malo. Ita factum eſt in hoc opere fratrum Joſephi, quod voluit Deus, qua opus & actio, cujus permiſit defectum & quicquid peccati rationem habuit, quod ordinavit in bonum, tam Joſephi, quam fratrum ſuorum.

Dicit Bellarm. Joſephum non dicere, Deum impuliſſe fratres ſuos ad ſcelus, ſed Deum convertiſſe malum eorum in bonum. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* Itaque videtur ſolam ordinationem peccati permiſſi, Deo tribuere; non autem prædeterminationem actus, aut efficientiam venditionis, & per eam abductionis Joſephi in Ægyptum. Reſp. Verum quidem illud eſſe Deum non impuliſſe Joſephi fratres ad ſcelus, ſed nullam fuiſſe in toto illo opere divinam efficientiam, ſed permiſſionem ſolam, non ſequitur. Nec etiam verum eſt, ſolam converſionem mali in bonum, Deo tribui: Quia, ut diximus, Joſeph apertè tribuit Deo ſuam in Ægyptum miſſionem. *Deus*, inquit, *miſit me huc, non vos.* Actio eſt communis, ſed actionis finis fuit diverſus; Itaque hæc poſteà diſcernit Joſeph, dum utriſque, Deo & fratribus de eodem actu cogitationem tribuit. *Vos*, inquit, *cogitaveratis illud*, & *Deus cogitavit illud, vos in malum, Deus in bonum.* Ibi enim idem verbum חשב *chaſſchab* Deo & fratribus tribuitur. Non ergo tantum agebat de miſſionis exitu gubernato, ſed etiam de ipſa miſſione proviſa & determinata. Ambroſius lib. de Joſeph. cap. 12. agnoſcit dixiſſe Joſephũ, *illud divinæ providentiæ fuiſſe, non impietatis humanæ, quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, ſed à Domino miſſus ſit ad vitam.* Non negat hominum impietatem, qui Joſephum perdere voluerunt; ſed celebrat Dei providentiam qui eum miſit in alium finem & prævaluit. Duo cum faciunt idem, non eſt idem. Cauſæ enim impulſivæ & finales faciunt actionum diſcrimina.

Ad argumentum igitur adverſariorum, Quod Deus ab æternitate decrevit, ejus eſt cauſa, Deus actiones malas fratrum Joſephi ab æternitate decrevit, ergo earum eſt cauſa. Reſpondemus, majorem veram eſſe de iis quæ Deus ſimpliciter decrevit, non ſecundum quid; ſed non ſimpliciter decrevit opera illa mala & per ſe, quatenus mala, ſed ſecundum quid, quatenus erant actiones per quas occulta ſua judicia exequi volebat. Alioqui quoad formale peccati, quatenus erant actiones ſceleratæ, tantum decrevit permittere, vel non impedire. Unde ſi attribuatur Deo malum opus hominũm, vel hominibus malis juſtum Dei judicium, utrumque per accidens intelligi debet. Ut hic voluit & decrevit Deus miſſionem Joſephi in Ægyptum, & quidem ut fieret eo modo quo facta eſt; ſed fine optimo, ut populus magnus tempore famis conſervaretur. Hoc Dei opus non poteſt non eſſe juſtum & ſanctum, cujus finis fuit ſanctiſſimus & juſtiſſimus. Hoc autem voluit Deus efficere per media peccantia, fratrum Joſephi, quorum tamen ſcelus nõ decrevit efficere, ſed permittere, eo nihilominus ad juſtè opus ſuum exequendum uti. In quo & ipſe Bellarminus lib. II. de amiſ. grat. cap. 13. agnoſcit, *Deum non ſolum permittere, impios mala agere: nec ſolum deſerere pios, ut cogantur pati ab impiis mala; ſed etiã præſidere ipſis malis voluntatibus, eaſque regere & gubernare, torquere & flectere, in eis inviſibiliter operando.* Ubi certè durius loquitur, quam eorum quiſquam quos reprehendit, quia *torquere*, eſt invitum impellere & cogere. Nam quod addit Deum id facere, *non poſitivè ſed permiſſivè*, eſt manifeſta contradictio, quia omnia verba quibus uſus eſt, ſunt poſitiva; imò expreſſe voluit probare, Deum non ſolum permittere, ſed inviſibiliter operari in malis. Cum autem iſti omnes, cum Auguſtino, cogantur fateri, gubernationis illius modum eſſe OCCULTUM, & res mortalium ut hic loquitur Pererius, *plerumque quidem occulto, ſemper autem juſto rectoque Dei judicio & conſilio diſponi, adminiſtrari & geri*; agnoſcant etiam neceſſe eſt modum illum eſſe inexplicabilem, & quicquid ratio humana fingere poſſit, aut meditari, modum occultum nunquam ſatis explicare. Ut cogitemus ſemper, poſtquàm omnia verſaverimus, illud Prophetæ Ieſ. 55. 8. *Non ſunt viæ meæ ſicut viæ veſtræ. Nam quanto altiores ſunt cœli quam terra, tanto altiores ſunt viæ meæ quam viæ veſtræ, & cogitationes meæ, quam cogitationes veſtræ.*

EXERCITATIO CLXVIII.

Quomodo Ioſeph fuerit conſtitutus Pater *Pharaonis? Cur talia apud fratres commemoret? Gravis admonitio Placillæ ad* Theodoſium *maritum. Invitat Ioſeph parentem, & ei habitationem & ſuſtentationem promittit. Quæritur quo jure id potuerit? Solvitur quæſtio.* Bonum *aliquid eſſe* in oculis alicujus, *quid? Aulicorum mores. Mandatum Regis Ioſephi promiſſa confirmantis. Exponitur phraſis*, oculus veſter non parcat ſuper vaſa veſtra. *Munera quibus Ioſephus familiam paternam ditavit. Specialis Benjamini ratio. Contentiones inter fratres prohibet. Iacobus ad nuntium illud perculſus. Vulgatæ editionis parum commodus ſenſus. Iudæorum commentum de ſpiritu prophetico Iacobo reſtituto. Gaudium optimi ſenis, ejuſque de filio inviſendo decretum.*

Redeo ad verba Joſephi, quibus ordinationis illius divinæ effecta deſcribit, ſive miſſionis in Ægyptum finem, *qui*, inquit, *me poſuit* לאב *leab*, in patrem, Vulgata, *quaſi patrem* Pharaonis, ולאדון uleadon, & *in dominum ejus domui*, ומשל umoſchel, & *dominatorem in tota terra Ægypti.* Nihil ſibi arrogat, præter id quod anteà cap. 41. ipſe Pharao ei attribuerat, *Tu eris ſuper domum meam*, & *ad tui*

& ad tui oris imperium cunctus populus obediet, Ecce conſtitui te ſuper totam terram Ægypti. Illud tantum hoc loco addit, *Deum* conſtituiſſe eum ut *patrem Pharaonis*, cum tamen Pharao excepiſſet, *tantum regni ſolio te præcedam.* Sed hæc non pugnant. Nomen enim Patris, non accipit ea ſignificatione qua pater ſuperior eſt filio, etſi in natura hoc verum ſit, ſed qua filius ex conſilio parentis vitam ſuam inſtituit, ſeque ei deducendum permittit. Tales ſunt directores, doctores, & moderatores, erga eos qui alioqui dignitate longè ſupereminent. Senſus igitur eſt, non ſecus Pharao pendet à conſilio meo, ac mihi morem gerit, in omnibus regni ſui negotiis, quàm filius patri, me quaſi parentem audit. Quia ergo omnes res Pharaonis ſuo conſilio regebat, ac ſi ejus fuiſſet Pater, ſic loquitur. Sic in Eſteræ ſupplemento Apocr. cap. 13. edit. vulg. v. 6. Artaxerxes de Amane ſcribens appellat eum *ſecundum à rege, & quem patris loco colebat.* Huc referũt etiam verba ejuſdem vulg. edit. 2. Paral. 2. 13. ubi Rex Tyri ſcribens ad Salomonem, *Miſi*, inquit, *tibi virum prudentem & ſcientiſſimum, Hiram patrem meum, &c.* ubi artificem illum putant appellari patrem regis, quia eum ob prudentiam magni faciebat. Sed melius noſtri id in genitivo interpretantur, *Hiram patris mei*, nempe ſervũ, aut quid tale; vel *qui erat Hiram patris mei.* Nihil tamẽ erit abſurdi ſi quem commendat prudentiæ & ſapientiæ nomine, dicat etiam ſe tanquam patrem colere, ut Salomoni ſignificet quantum ipſi velit gratificari, qui talem ac tantum virum ſibique chariſſimum ad eum mittat. Quicquid ſit, ſenſus hoc loco perſpicuus eſt, ut *pater* dicatur conſiliarius, quem Pharao tanquam Patrem reverebatur & obſervabat, cujus conſiliis lubens regebatur; monitiſque ejus & documentis, non ſecus ac paternis præceptis obtemperabat. Quo nomine certè cenſendi ſunt fortunati Principes, quibus probos ac prudentes habere conſiliarios, & quaſi vitæ, ſui, & ſuorum regiminis magiſtros contigit, quibus libenter aures præbent, eorumque conſilia ſequuntur.

Talia autem Joſeph non profert ex inani jactantia, ſed 1. ut Dei amplificet beneficia, ad quem id totum refert, tanquam ad autorem. *Conſtituit me*, inquit, *Deus.* Ut etiam indicaret fratribus, non temerè aut caſu talia accidiſſe; quia nihil mirabile magis potuit eſſe, quã Joſephum paſtoris filium, exulem, mancipiũ, captivũ & vinctum, evehi ad tantum dignitatis faſtigiũ, ut qui nec ætate, nec dignitate, nec ſplendore clarus eſſet, ſummus à Rege opulentiſſimo & potẽtiſſimo factus fuerit. Quo exemplo, prævivit omnibus qui ad ſummos honores vocati, autorẽ omnium bonorum debent agnoſcere, ne inſoleſcant, aut vanæ gloriæ cauſa ſe ſuaque jactent. ſed memores ſint admonitionis Apoſtol. 1. Corinth. 4. ℣. 7. *Quid habes, quod non accepiſti, & ſi accepiſti, quid gloriaris tanquam is qui non acceperis?* Sic Placilla ſapientiſſima fœmina, apud Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 18. poſtquam Theodoſius maritus ejus ad imperium fuiſſet evectus, non deſinebat hæc ei ſuggerere. *Semper tibi, marite, cogitandum quis olim fueris, & quis nunc ſis. Nam in horum crebra recordatione, erga benefactorem non ingratus es futurus, ſed acceptum imperium legibus adminiſtraturus, & cum hoc coles eum qui contulit.*

Altera ratio, cur coram fratribus dignitatis & potentiæ ſuæ meminit Joſeph ea fuit, ut eorum animos erigeret, oſtenderetq; ſe nihil ipſis promittere, quod exequi non poſſet, itaque firmam ſpem conciperent, non ſolum de propenſa ejus voluntate in bonum familiarum ſuarum, ſed etiam de poteſtate & facultate exequendi & præſtandi, quæcumque in ſe ſuſciperet, cum nullum impedimentum metuendum eſſet, ſive à parte regis, ſive ab aulicis, ſive à populo, cum eſſet Regi loco patris; Aulicis loco domini, & toti populo dominatoris. Argumentum etiam fuit, quo illos apud patrem uti voluit, ut confidenter ſe viæ daret, & ita efficacius ei perſuaderent deſcenſum in Ægyptum; Intelligebat enim ægrè avulſum iri à terra Canaan, quæ ipſi jure hæreditario promiſſa fuerat.

A verſu 9. ad 16. exponit Joſeph fratribus mandata patri perferenda, quibus eum invitat ut in Ægyptum veniat, eoque utatur Dei beneficio, propter quod agnoverat Deum miſiſſe eum in Ægyptum, eumque exaltaſſe. Primum ergo mandat, ut nomine ſuo patrem invitent ad deſcendendum; & argumentatur à neceſſitate, nempe *ne fame moriatur:* promittit ſecundo commodam habitationem in terra Goſen, quæ pars Ægypti fuit Chananææ vicinior, circa oram ſupremam maris rubri: Nec videtur longè diſſita fuiſſe à regia civitate, in qua habitabat Joſeph, quia commendat eam à vicinitate, והיית קרוב אלי *vehajita karob elaj*, & eris propinquus ad me, id eſt, eris mihi vicinus, ut commodius tibi ſuccurrere poſſim. tùm promittit alimentum & ſuſtentationem, tempore famis adhuc quinque annos duraturæ, ut antea dixerat; Poſteà rediens ad confirmandos fratres, oculos eorum, nominatim Benjamini fratris uterini, teſtes advocat, ne dubitent ſe eum eſſe, quem profitebatur, amplectitur omnes, plorat ſuper ſingulos, & tandem ita perſuadet, ut confirmati, auſint cum eo agere, & ſermones commutare, qui anteà muti obſtupuerant.

Hîc duo paucis ſunt expendenda. 1. An, cum Joſeph non ignoraverit terram Canaan parenti ſuo fuiſſe à Deo promiſſam, non potius debuerit eum alere in terra peregrinationis ſuæ, quam pertrahere in Ægyptum, maximè cum periculum eſſet poſteros ejus terram incolentes fœcundam & pinguem, promiſſionẽ illam aut neglecturos, aut etiam abjecturos, reperta commodiori habitatione? Reſp. dubium non eſſe, quin Joſeph meminerit promiſſionis illius, quam tanti fecit, ut etiam moriens mandatum dederit de corpore ſuo. Sed credidit deſcenſum patris ſui promiſſioni non præjudicaturum, & quamvis probabile ſit eum ſingu-

ſingula non habuiſſe nota, quæ hac ratione Deus facturus erat. ſtatuendum eſt tamen, ſpecialiter à Deo fuiſſe directum, ut familiam paternam ad ſe pertraheret, ibi augendam & propagandam, donec alibi à Deo ipſi præpararetur locus. Itaque hic agnoſcenda etiam Dei diſpenſatio, qui poſteà oraculo ſuo, conſilium Joſephi approbabit.

2. Quæri poteſt, An Joſeph, etſi in ſumma dignitate conſtitutus, ſub rege tamen, cui fidem & obedientiam debuit, jure potuerit exteros homines, in alienum regnum vocare, partem aliquam regionis iis inhabitandam promittere, & alimenta omnia neceſſaria, ex Regis promptuariis, non prius explorata ejus voluntate, & petita venia? Non enim ſolent fideles diſpenſatores, abuti ſua autoritate, & dominorum ſuorum favore, ut quibuſvis largiantur ea quorum diſpenſatores ſunt conſtituti. Ex ſequentibus autem patet Joſephum nondum de eo egiſſe cum rege, qui tum primum novit fratres Joſephi veniſſe, poſtquàm cum eis ita benigne egiſſet Joſeph. Reſpond. Fidem Joſephi non eſſe in dubium revocandam, nec ejus in tota ſua adminiſtratione prudentiam. Talia autem promiſiſſe, etſi nondum expreſſe regis animo explorato, quia ſciebat Regem propenſum futurum, à quo majora multò acceperat. Sed adderem etiam, tacitam nempe habuiſſe hanc apud ſe conditionem, ſe hæc omnia facturum cum bona Regis venia, nec prius executioni mandaturum, id quod pollicebatur, quam de voluntate Regis planè ipſi conſtaret, etſi, in anteceſſum de ea omnia bona ſperans, id confidenter polliceretur. Quæ etiam confirmantur ſequentibus à verſ. 16. Cum enim id auditum fuiſſet in domo Pharaonis, veniſſe fratres Joſephi, ויטב *vajitab* ad verbum, *fuit bonum*, id eſt, *placuit, in oculis Pharao & in oculis ſervorum ſuorum.* Bonum eſſe in oculis alicujus, phraſi Ebræa, eſt gratum & jucundum eſſe. Vulgata, *& gaviſus eſt Pharao.* An ſincerè id factum fuerit, maximè ab aulicis, vel fictè, diſputatum fuit à nonnullis. De Rege dubium non eſt; Inter alios potuerunt eſſe, qui Joſepho inviderent, & qui tamen ut regi gratificarentur, & eum virum, quem videbant plurimum poſſe, ſibi conciliarent, induebant vultu lætitiam, quam in animo non habebant.

Sunt enim plerique aulici adulatores ſpeculo ſimiles, quod omnium in ſe colorum atque imaginum formas recipit. Sed tamen, ubi nullum eſt contrarium argumentum, omnia ſunt in bonam partem interpretanda. Tam benè de omnibus erat meritus Joſeph, ut credibile ſit, ſerio omnes gratum habuiſſe, quod quem putabant vili genere ortum, vel non ex ingenua ſtirpe, hac ratione probaret genus ſuum, nec naturam eum ſervituti mancipaſſe, ſed infortunium. Id etiam virtutem Joſephi magis commendat, & præſertim divinam benedictionem, quod qui omnes honore & poteſtate ſuperaverat extraordinaria ratione, omnibus tamen charus & jucundus eſſet; Itaque ſingulare donum fuit Dei, qui Joſephum ita direxit, ut ejus in gubernando ſapientia & virtus, etiam ex ſucceſſu eſſent conſpicuæ, ita ut ſibi beneficiis & humanitate omnium animos adjungeret; atque adeo non ei ſolum, ſed etiam omnibus qui eum attingebant, ex animo faverent.

Quod jam propoſuerat Joſeph, Rex ipſe diſponit, eique mandat, ut cum fratribus & parente agat, quicquid anteà pollicitus erat. Hinc quidam volunt, in narratione Moſis eſſe ὕστερον πρότερον, cum poſteriori loco recenſetur mandatum regium, quod tamen præceſſerit, priuſquam Joſeph fratribus domicilium in Ægypto promitteret, quia id non auſus fuiſſet ſine regis voluntate, cum poſteà ſequenti capite appareat, non prius eis aſſignaſſe terram Goſen, quàm à Rege id obtinuiſſet. Sed non opus eſt ad hyſterologiam recurrere. Potuit enim Joſeph cum ſuis fratribus de eo agere, eiſque illud promittere, quod ſciebat regem non denegaturum; ſed tamen ita ut, quemadmodum antea diximus, propoſuerit à rege petere, ut ratum id haberet, quod pollicebatur. Teſtatus igitur erat animum ſuum, nec de eventu dubitabat, ſed ut decenter omnia fierent regem adiit, ut ejus autoritate & conſenſu munitus ſecurè ageret. Hinc eſt, quod omnia tam exactè in Regis mandato exprimuntur, de fratribus annona inſtruendis, de patre & univerſa familia adducenda; de optima parte regionis eis offerenda, de curribus Ægypti accipiendis, pro ſene patre, pro uxoribus & liberis, &c. Quæ omnia videntur ita ſigillatim diſtincteque petita fuiſſe à Ioſepho, & Pharaoni ſuggeſta, ab eoque liberaliter conceſſa, non ſine aliquo auctario, quo ſuam benevolentiam erga fidelem ſervum teſtaretur.

Quod habetur verſu x x. ועינכם אל חחס על־כליכם *veenechem al-tachos al kelechem*, ad verbum, *& oculus veſter non parcat ſuper vaſa veſtra*, id variè accipitur. Vulgata ſic vertit, *ne dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra.* Alii contra; *Oculum veſtrum ne tædeat propter ſupellictilia veſtra.* Senſus vulgatæ hic erit, Ne dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra, ſub ſpe redeundi in terram Canaan, ſed quicquid habetis afferte vobiſcum, quia bonum univerſæ terræ Ægypti veſtrum erit. Quæ ratio hanc vim haberet, non opus eſt ut aliquid dimittatis tanquam redituri, quia ita excipiemini in Ægypto, ut non deinceps metuendum ſit, ne afficiamini deſiderio ad veſtra redeũdi. Sed id duriuſculum videtur, præſertim ſi phraſim Ebræam ſpectemus, *oculus veſter non parcat*; quæ vix hanc ſententiam ſuſtinere poteſt; exactè omnia colligite, nec quicquam relinquite. Nam ubi agitur de rebus animatis, *non parcat oculus*, id eſt, nulla ducimini miſericordia; per analogiam, cum de rebus inanimatis, *non parcere oculum* ita intelligendum eſt, quaſi diceremus, ne magnam habeatis rationem ſuppellectilis veſtræ, ſi aliqua ejus facienda eſt jactura, quod Gallicè dicimus, *ne la regrettéz point*; tunc enim ſenſus erit perſpicuus, Nolite

profectio-

profectionem intermittere aut differre, etiamſi aliqua pars veſtræ ſupellectilis vobis eſſet relinquenda, vel etiam corrumpenda, quia quicquid in Ægypto eſt, veſtris uſibus inſerviet, itaque levis jactura vobis abundè compenſabitur. Hic eſt geminus ſenſus. Etſi enim Rex currus ſive plauſtra ipſis concederet, prævidebat nihilominus in tam numeroſa familia, multa eſſe impedimenta, quæ commodè transferri non poterant ex Chananæa in Ægyptum, non ſolum propter diſtantiam locorum, ſed etiam propter itineris difficultatem, per loca arenoſa & arida.

Quod dicit, *quia bonum, omnis terræ Ægypti vobis erit*, ad verbum; vulgata vertit, *quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt*. Quod intelligendum eſt ratione uſus & participationis, non enim intendebat Pharao, eis dare dominium omnium quæ erant in Ægypto, quod fuiſſet imprudentis prodigalitatis, ſed pro ratione neceſſitatis familiarum ſuarum, volebat eis abundè provideri, ita ut nulla re indigerent, quam alibi reliquiſſe pigeret. Nec etiam videtur probandum, quod nonnulli ex Ebræis volunt Pharaonem neſcientem quid diceret, prophetaſſe, quod poſteà accidit Caiphæ, quia videtur prædixiſſe quod in egreſſu filiorum Iſraëlis ex Ægypto factum eſt, cum Ægyptios ſpoliarunt. Cum enim Iſraëlitæ partem tantùm Ægypti incolerent, ſolos vicinos ſuos ſpoliare potuerunt, nec omnes opes Ægypti ſecum auferre valuerunt. Simplex ergo ſenſus eſt is quem diximus; nolite ita accuratè omnium quæ habetis in Chananæa rationem habere, quia hic vobis optima quæque ſubminiſtrabuntur.

A verſ. XXI. ad finem, narratur executio mandati Pharaonis, enumerantur munera fratribus à Joſepho donata, & ad patrem miſſa, ita ut, quemadmodum anteà, etiam Benjaminum fratrem uterinum ab aliis diſtinxerit, liberalius erga eum ſe gerens; in omnes tamē beneficus; additâ etiam ſalutari admonitione ℣. 24. *Ne iraſcimini in via.* אל תרגזו *al tirgezu*, ne cōtendatis. Itaque non tam iram prohibet, quam quæ iram conſequuntur, jurgia, rixas & contentiones. Verebatur enim merito; ne refricata memoria eorum quæ Joſephus ab iis paſſus erat, lites inter eos excitarentur, quæ graviſſimæ apud fratres eſſe ſolent. Meminerat diſcordiæ aut rixarum ſparſum fuiſſe aliquod ſemen à Rubene, cum dixiſſet anteà, *Numquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum & non audiviſtis? &c.* Itaque cogitabat, multo magis rixaturos deinceps, ut quiſque in alium conjiceret culpam tam atrocis conjurationis; & alter in alterum crimen intorqueret.

Quę ſubnectuntur à 25 verſu, ad finem uſque capitis, nihil habent difficultatis. Veniunt in terram Canaam ad patrem. Nunciant Joſephum vivere & in Ægypto dominari. Quo nuntio perculſus Iacob, יפג לבו *japhogh libbo*; *debilitatum eſt cor ejus, quia non credebat eis*. Vulgata, *quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen nō credebat eis*. Quæ longè à fonte recedunt & à ſenſu. Non enim tam evigilavit quaſi à ſomno, audito hoc nuntio, quam animi deliquium paſſus eſt, & quaſi exanimatus. Opponitur enim quod poſteà dicitur, quod revixit, id eſt, rediit ad ſe. Sed quæri poteſt, cum non crederet quę dicebantur, cur eo nomine ita perculſus fuit, ut ſenſum amitteret, & quaſi deliquium pateretur? Reſpondendum id factum fuiſſe ex affectuum mixtura, qui inter ſe repugnabant, ita ut inter ſpem & metum conſtrictus ad memoriam filii dolore renovato, animi deliquium paſſus ſit, quod ſolet fieri in magnis & ſubitis animi perturbationibus. Qui autem obſtupeſit, non ſtatim credit donec ad ſe redeat; ante quam enim credat, miratur rei novitatem, quam nunquam expectaturus fuiſſet.

Tandem cum ad ſe rediiſſet, videretque apparatum illum pluſquam vulgarem, Ægyptia plauſtra, magnificentiam & copiam donorum, *revixit ejus ſpiritus*, id eſt, recreatus vires accepit, tanquam ex mortis anguſtiis rediens ad vitam. Nam anteà calore nativo, à corde ad externas partes tranſlato, diffuſo & ſparſo, cor in repentino gaudio & ſtupore effectum fuit ita ut ſolita vi privatum affine fuerit morti, potius quam vitæ, ideo vigori & ſtatui ſuo reſtitutum, rectè dicitur revixiſſe, Chald. Paraphr. *Requievit S. S. ſuper Iacob.* Hoc ideò dixit, quia, ut refert Paulus Fagius, tradunt Ebræi Patriarcham Jacob, ab eo tempore, quo cœpit triſtari & dolere amiſſo Joſepho, non amplius afflatum fuiſſe ſpiritu prophetico, cujus cauſam aſſignant, quod Sp. Sanctus non agat in hominibus triſtibus, dolentibus, & ignavis, ſed in alacribus, ſtrenuis & expeditis. Itaque ſpiritum illum deſiiſſe ſentiunt in Jacobo, cum ſupra modum triſtabatur de amiſſione filii, rediiſſe vero cum ex relatione aliorum audiviſſet adhuc eſſe ſuperſtitem. Sed hæc non nituntur ſolido fundamento, nec verum eſt toto illo 22 annorum tempore, ſanctum virum caruiſſe ſpiritu Prophetico, qui eum immediatè afflaret, in rebus ad Dei cultum neceſſariis, quibus diligenter incumbebat. Simplex & verus ſenſus eſt quem attulimus, ei nempe eveniſſe, quod fit ſæpè in mentibus piorum, ut magnitudine afflictionis alicujus, ſic aliquando afficiantur, ut illius nullam ferè expectent relaxationem. Idcirco, cum ſubita evenit rerum mutatio, dicunt, *eramus velut qui ſomniant*, Pſal. 126. ℣. 1. *Tunc impletum eſt riſu os noſtrum & lingua noſtra cantu, &c.*

Lætitiam & gaudium Jacobi teſtatur ejus exclamatio, רב עוד *rabh odh*, id eſt, *multum adhuc, quod Ioſeph filius meus vivit*, &c. Quod videtur dictum comparatè ad reliqua quæ de ejus gloria audiebat & videbat, quaſi dixiſſet, non tanti mihi eſt ejus gloria, nec tanti facio munera, hoc unum nuntium de ejus vita, omnibus antepono, quibus verbis cum gaudio ſuo, teſtatur ſingularem affectum & propenſionem in Joſephum. Idcirco non cunctatur diutius an ſe viæ daturus ſit, *Ibo*, inquit, *& eum videbo, ante quam moriar*. Senum more loquitur, qui quotidiè ſibi mortem ob oculos ponentes, felices ſe reputant, ſi ante quam morian-

moriantur compotes fiant alicujus ſui ferventis deſiderii. Hic ſanctus vir habuit unde diceret, quod poſteà nos docuit Paulus, Epheſ. 3. ℣. 20. *Ei qui infinita cum redundantia, poteſt omnia facere ſupra ea quæ petimus, aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis, ſit gloria per omnes ætates.* Amen.

AD CAPVT XLVI.

Exercitatio CLXIX.

Summa cap. XLVI. *Iacob in Aegyptum tendens, Deo in terra Canaan offert ſacrificia. Fruitur alloquio divino, & in propoſito confirmatur.* Ponere manum ſuper oculos, *quid? Mos oculos claudendi defunctis, per chariſſimos. Quomodo Deus promittat ſe reducturum ex Aegypto, qui inibi erat moriturus? Providentiæ divinæ ad impletionem oraculi de peregrinatione Iſraëlitarum, conſideratio. Diſſonantia inter fontem Ebræum & verſion.* LXX *quam ſequutus eſt Stephanus* Actor. 7. *in numero capitum quæ cum Iacobo venerunt in Aegyptum, expenditur; & conciliationes quædam proponuntur, & examinantur.* Egreſſi è fœmore, *qui & cur dicantur.* Anima *pro homine etiam mortuo. Finis illius enumerationis. Legatio Iacobi ad filium per Iudam. Quid* LXX *intelligant per* civitatem Heroum. *Terra Rameſes. Amplexus mutuus parentis & filii. Quomodo piis mors dicatur acerba vel læta, pro ratione ſtatus diverſi rerum temporalium.* Viri pecoris, *qui? Ioſephi prudentia & modeſtia. Sixti V. Papæ ex ſubulco, ſuperbia. Laus Phocionis.*

CAp. XLVI. hiſtoriam habet migrationis Jacobi in Ægyptum, & ejuſdem fœlicem adventum; cujus hiſtoriæ partes ſunt tres. I. Profectio Jacobi Berſabeam, ejuſdem ſacrificium ibi oblatum, & oraculum divinum acceptum, uſque ad verſ. 5. II. Progreſſus Jacobi Ægyptum verſus, cum tota familia, cujus capita enumerantur, ad verſ. uſque 28. III. Legatio Jacobi ad Joſephum de ipſius adventu, cum patris & filii congreſſu, ad finem uſque capitis.

Locus in quem primo migrat Jacob, ſitus fuit in finibus terrę Canaan Ægyptum tendentibus ex Hebrone, ubi habitabat cum familia. Nobilis autem fuit, habitatione Abrahami & Iſaaci, qui fœdere inito cum regibus Gerar, lucos ibi plantaverant, & altaria conſtruxerant, in quibus Deum colerent. Cum ergo huc veniſſet ante quam ulterius pergeret, fecit quod pium virum decebat; ſacrificium offerens Deo, quod etſi aliàs faceret, cum exerceret ubivis externum Dei cultum cum familia, ſingulare tamen aliquid fuit, quod ſub hoc ipſum profectionis tempus, & in extremis terræ Canaan finibus, victimas obtulit Domino. Additas autem fuiſſe ſacrificio preces, & commonefactiones; invocationem nempe publicam nominis Dei, & explicationem cauſarum ad familiæ ædificationem, pro certo habendum eſt; quia veterum ſacrificia putandum non eſt fuiſſe muta ſpectacula, qualia fuerunt ſpectacula Theatrica Ethnicorum poſt invectam ſuperſtitionem, ſed ſigna ſacra quibus verbum inſtitutionis jungebatur. Suo autem exemplo docuit ſanctus vir, quotieſcumque aliquid aggrediendum eſt, præſertim quod ſit maximi momenti, piis precibus negotium eſſe Deo commendandum, ſi quis velit fœlicem ſucceſſum conſequi.

Solebant etiam ſolemni hoc ritu veteres Patriarchæ captare Dei colloquium, & in rebus dubiis oraculum exquirere, ut vel in propoſito confirmarentur, ſi Deus illud approbaret; vel contra, dimoverentur; ſi minus Deo gratum eſſet. Eventus docuit hunc fuiſſe Jacobo animum, qui etſi deſiderio arderet viſendi filium, quem tanquam mortuum luxerat, & inclinaret ad iter illud ſuſcipiendum ad quod invitabatur, hærebat tamen dubius, donec à Deo confirmaretur. Quamvis enim exemplum haberet avi, quem fames coëgerat Ægyptum petere; tamen quia non fuerat ſine periculo, potuit etiam ſibi metuere Jacob, præſertim cum verſaret animo promiſſiones divinas de hæreditate terræ Canaan. Fuit ergo in eo quædam lucta fidei, in qua ut ſecurè ageret ſanctus vir, divino fruitur alloquio, quo agnoſcit ſacrificium ſuum fuiſſe Deo acceptum; probari etiam Domino iter ſuſceptum, qui etiam ei opem & protectionem promitteret, in media Ægypto. Quam figuratis verbis, ſed admodum efficacibus Deus enuntiat. אנכי ארד *anochi erek*, ego deſcendam tecum. Sumpta metaphora ab iis qui ſe comites adjungunt peregrinantibus, ut eos deducant & tueantur. Notum eſt enim verba motus localis de Deo propriè intelligi non poſſe, ſed ἀνθρωποπαθῶς uſurpari, ut præſentiam divinam ſignificent, cum effectu vel judicii vel miſericordiæ. Voluit etiam Deus indicare ſervo ſuo, cui ſæpè apparuerat in terra Canaan, ſe nulli loco alligatum eſſe, ita ut ſuis adeſſe non poſſet migrantibus & ſtationem mutantibus.

Præmiſerat autem benigniſſimam compellationem, Jacobo bis vocato, tam ut oſtenderet amoris ſignum,

ſignum, quam ut ipſum attentiorem redderet, quam ob cauſam aliàs etiam vidimus, Abrahami nomē fuiſſe geminatum: Sunt indicia familiaritatis. Præfatus erat etiam ſe Deum eſſe fortem patris ejus Jſaaci, quibus monuit eū de divina poteſtate ac voluntate, ut his duobus fundamentis innixus, omnia expectaret, quæ à Deo promiſſa fuerant, & porrò promitterentur. Cum autem diceret אל-תירא *al tira*, ne timeas deſcendere in Ægyptum, confirmat quod diximus, nondum fuiſſe Jacobo exemptum omnem ſcrupulum, an peregrinatio illa non eſſet præjudicatura juribus ſuis. Idcirco Deus repetit promiſſionem ſuam de numeroſa poſteritate, in ipſa Ægypto propaganda. Cujus oraculi evētus docuit veritatem.

Sed notanda eſt pars promiſſionis divinæ, quam his verbis effert, *& Ioſeph* ישית ידו אל עיניך *jaſcit jadó el enecha*, ponet manum ſuam ſuper oculos tuos. Hac enim phraſi ſignificare voluit, Joſephum filium ei ſuperſtitem futurum, & ejus funus curaturum, quæ maxima fuit optimo ſeni conſolatio, cum tamdiu putaſſet ſe dilecto filio orbatum. Studio autem Deus videtur omiſiſſe mentionem Ægypti. Non enim expreſſit ubi hoc fieret, ſive in Ægypto ſive alibi. Fuit autem hic mos apud Ebræos, ut defunctis amicis, qui chariores erant, eis oculos clauderent poſt obitum. Qui mos etiam apud alias gentes fuit uſitatus. Sic apud Virgil. Æneid. 9. conqueritur mater Euryali quod defuncto filio, hoc quicquid erat officii, præſtare non potuerit.

--- Nec te, tua funera mater
Produxi, preſſive oculos & funera lavi.

Sic apud Ovid. Penelope ad Ulyſſem ſcribens, de filio Telemacho,

Di, precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Id Varro dixit *ſugillare* mortuorum oculos, quod liberi ne facerent de die, interdictum fuiſſe lege Mœnia, teſtatur. Ratio cur compreſſi fuerint à proximis oculi mortuorum, ea fuit, quod cum morientes apertis oculis exſpirent, qui ut poſtremo omnium perficiuntur, ita primi ſigna mortis & argumenta proferunt, quia ſpiritus, ingruente morte, extinguuntur; ita ut in illa parte, quæ in viventibus maximè fulget, poſt mortem maxima appareat deformitas. Sed hic mos apud pios altiorem videtur habuiſſe conſiderationem. Ideò enim mortuis oculos claudebant, ut ſignificarent eos dormire ſuo tempore reſurrecturos: rebus quidem humanis defunctos eſſe, ſed rurſus aperiendos eis eſſe oculos, in mortuorum reſurrectione.

Non inconcinna eſt allegoria, Joſephum geſſiſſe Chriſti in ea re typum dum patris oculos clauſit. Dici enim poteſt, Chriſtum mortuorum oculos claudere qui in Domino moriuntur; id eſt qui in fidei Chriſti confeſſione huic mundo valedicunt, juxta illud Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c.*

Sed cum id acciderit in Ægypto, ut ſequens hiſtoria docebit, quomodo verum fuit quod promiſerat, *Ego*, inquit Deus, אעלך גם עלה *aalchagam aloh*, aſcendere te faciam etiam aſcendendo, id eſt, certiſſimè te reducam, nempe in terram Canaam; planè efficiam ut aſcendas & redeas. Geminatio enim, ut ſæpè diximus, facit ad certitudinem & confirmationem. Jacobum autem rediiſſe uſquam in terram Canaam non legimus. Mortuum ejus cadaver in eam fuiſſe illatum, & in Hebrone ſepultum, conſtat; ſed eo referri non debet hæc promiſſio. Dicendum ergo, Deum promittere Jacobo, quod in Ægyptum cum eo deſcenſurus eſſet, & eum reducturus, eo ſenſu, ut id intelligatur de Jacobo collectivè, non autem in individuo, & referatur ad familiam Jacobi, quam in Ægyptum deducebat, ſuo tempore educendam. Itaque in eo completa eſt promiſſio, quod Deus noluit populum Iſraelis cum Ægyptiis confundere, ſed in Ægypto multiplicatum denuo in terram Canaam deducere, quam ſecundum Dei pacta poſſideret. Nempe poſt quartam generationem, quod Abrahamo promiſerat Deus.

In egreſſu Jacobi ex terra Canaan, notantur circumſtantiæ, 1. perſonarum, Jacobi nempe, parvulorum, & uxorum; 2. facultatum, & omnium quæ poſſidebant; quæ omnia filii Jacobi impoſuerunt plauſtris, ſumptis etiam ſecum pecoribus, &c. cum repetitione gemina *univerſi ſeminis* Iſraelis in Ægyptum deportati. In qua illud maximè eſt animadvertendum, quod hac ratione impletum fuit oraculum Dei ad Abrahamum; *Scito quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua.* Gen. 15. verſ. 13. Ad quod implendum Deus uſus eſt hac annonæ caritate, & deſiderio Joſephi ſuperſtitis amplectendi, quo tenebatur bonus ſenex, vix alioqui conſenſurus ad talem migrationem. Nec certè tum cogitabat Jacob aliquid de prædictione illa Abrahamo facta, quam implere non habebat in animo, ad illud iter ſe accingens.

Unde id conſiderandum venit, omnia, vel quæ temerè aut caſu fieri videntur, vel quæ deliberato quidem conſilio ſuſcipiunt homines, ſed in alios planè fines, Deum ita ordinare & gubernare, ut ſuum finem aſſequatur, in quo impoſſibile eſt eum falli. Quæcumque hactenus in hac hiſtoria narrata fuerunt, tam varia, de Joſepho, fratribus, & Ægyptiis, ea omnia inſerviebant huic fini quem ſibi propoſuerat Deus, etſi aliorum nullus eum intenderet. Providentia itaque divina cum ſit in mente Dei ratio æterna, non ſolum res ipſas condendi, ſed etiam univerſas & ſingulas adminiſtrandi, ad amplificationem nominis ſui, & electorum bonum ac ſalutem, mirabiliter, & quaſi per longas ambages & varios circuitus implet decreta ſua, ubi etiam agitur de promiſſionibus ejus erga electos, ut in fide, ſpe, & patientia exerceantur, etſi ad tempus multa accidant, quę contraria videantur.

In enumeratione perſonarum quæ cum Jacobo in Ægyptum venerunt, quæ recenſentur à verſ. 8. uſque ad 28.

ad 28. nonnullæ occurrunt difficultates, quarum præcipua eſt in ſumma quæ colligitur, nempe perſonarum ſexaginta ſex, egreſſarum ex fœmore Jacobi, quarum numero junctus Jacobus parens, una cum Joſepho & filiis ejus in Ægypto natis, conſtituunt numerum LXX. perſonarum, qui continetur verſ. 27. Hos omnes fuiſſe ingreſſos in Ægyptum ita intelligendum eſt, ut dicantur ingreſſi cum Jacob, qui vivente adhuc Jacobo in Ægypto ſunt nati, & capita familiarum fuerunt, quod anteà notavimus, quia neque filii Pharés & Zara, Eſrom nempe & Phanul, potuerunt naſci in terra Canaam, nec tot, quot enumerantur filii Benjaminis, adhuc juvenis, quorum etiam nonnullos fuiſſe nepotes plerique exiſtimant.

Quod vero ſpectat differentiam quæ inter Ebræos codices & verſionem LXX. reperitur, quæ poſtrema quinque animas addit enumerationi codicum Ebræorum, auget difficultatem quod Stephanus in Actis cap. 7. ſequitur eandem ſupputationem quam LXX. proinde dici non poſſit eſſe σφάλμα μνημονικὸν ſine periculo maximo, quia cum Stephanus plenus fuerit ſpiritu ſancto falli in eo non potuit; irrepſiſſe autem mendum in ſcriptura, vel Lucam ex LXX. id tranſtuliſſe, ne receptæ apud Helleniſtas Judæos verſioni videretur detrahere, dici etiam non debet, quia leviſſimum erratum in ſcriptura admittere, pernicioſiſſimum eſſet. Dicendum eſt itaque, nullam eſſe repugnantiam, etſi LXX. numerum quinque animarum adjecerint, enumerationi textus Ebræi verſ. 27. Quod duobus modis conciliant. 1. ſtatuendo LXX. interpretes comprehendiſſe in numero illo LXXV. quatuor uxores filiorum Jacobi nominatas in præcedentibus, Item Her & Onan, qui mortui fuerant in terra Canaam. Omiſſum autem fuiſſe Jacobum, quia numeratus fuerat tanquam familiæ Princeps. Ita ut deſcribant, non familiam qualis erat cum in Ægyptum deſcendit, ſed prout à Moſe conſcripta fuerat; & ut loquitur Epiphan. in Panario, τὴν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε συγγεγραμμένην καὶ συγκειμένην, familiam conſcriptam & conſtitutam ex animabus LXXV. Aliàs autem ipſi LXX, ubi hæc enumeratio repetitur, LXX. tantum animas enumerant, ut videre eſt Deuter. 10. ℣. 22. Hanc conciliationem amplexus eſt Junius, in ſua Analyſi. Pareus id errori librariorum deputat, tam hoc loco, quam apud Stephanum, quod multo tolerabilius judicat, quam quod alii volunt, Stephanum, aut Lucam, mendum verſionis receptæ rudioribus condonaſſe. Sed cum mirus ſit omnium exemplarium, verſionum, & veterum interpretum in ſuis commentariis conſenſus, non dubito, quin ita ſcripſerit Lucas, quomodo nunc legitur in Actis. Alii igitur volunt, LXX. in enumeratione Moſis addidiſſe quinque capita per anticipationem, nepotum nempe Joſephi, ex Ephraim & Manaſſe. Quo reſpexiſſe interpretes illos certum videtur, quia addunt in enumeratione filiorum Joſephi, verſ. 20. *Facti ſunt autem filii Manaſſe quos peperit ei concubina Syra Machir. Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manaſſe Sutalam & Taam. Filii autem Sutalam, Edom.* Ubi numerat Joſephi nepotes & pronepotes numero quinque. Unde autem acceperint talia nomina quorum Moſes non meminit, vix conjectura quis aſſequi poſſet; niſi quod 1 Chronic. 7. ubi deſcribuntur utriuſque poſteri, Maciri mentio fit, Syræ concubinæ, Galaadis, item Schutelach, & Tachat, cujus filius fuit Elhada. Variant autem nomina, & plures ibi recenſentur. Auget difficultatem quod iidem interpretes LXX. ubi ſummam colligit iterum Moſes filiorum Ioſephi qui nati ſunt in terra Ægypti, *duas* tantùm enumerat animas. Ubi LXX. habent *animas novem*, additis etiam quinque ſupra enumeratis alios duos. infrà verſ. 27. Itaque ut conſtaret ſupputatio, debuiſſent numerare LXXVII. Hæc certè vix conciliari poſſunt; præſertim ſi hæc addantur, quod nulla ratio videtur, cur non ſolum nepotes, ſed etiam pronepotes Joſephi huic numero inſerantur, cum id non fiat in aliorum fratrum Genealogiis. Duo tamen adferunt qui hanc ſententiam admittunt. 1. quod etſi novem enumeraverit filios Joſephi ℣. 27. cum ſeptem tantum meminiſſent ℣. 21. factum fuiſſe, quia illi duo qui omittuntur ſine liberis mortui ſunt; vel ita ignobiles, ut eorum vita parum contulerit ad propagationem & nobilitatem Ebræorum. 2. Quod illi dicantur cum Jacobo in Ægyptum ingreſſi, ideò dictum putant, quia in parentum lumbis intraverant, cum non ſit inuſitatus loquendi modus, ut quod parentes fecerunt, imputetur filiis, etiam in omnium penè linguarum uſu, ut ſi quis Romanis diceret; vos olim triumphaſtis de Aſia &c. Afferri prætereà poſſe rationem non ineptam cur hos nondum natos enumeraverit Moſes, cum eodem jure videantur potuiſſe alii numerari, qui etiam in parentum lumbis tum fuerant, nempe quod illuſtres fuerunt præ aliis poſteri Joſephi, qui cum tanta eſſet apud Ægyptios autoritate, dubium non eſt quin ejus familia præ aliis eminuerit; in cujus honoris participationem cum veniſſet Benjamin frater uterinus, hinc etiam factum videtur, ut non ſolum filii ejus, ſed & nepotes in Ægypto nati, fuerint Genealogiæ filiorum Iacobi inſerti. Ut totus ille numerus fuerit virorum illuſtrium in genere Ebræorum, ſive quia à nobiliſſima ſtirpe uno aut altero gradu remoti, ſive quia ab Ægyptiis propter Joſephi merita præcipuo inter cæteros honore habiti. Videri autem LXX. addidiſſe plures ex Joſephi familia, quo magis Ptolemæo Ægyptiorum regi Judæorum genus commendarent, cujus rogatu, operam dabant ſacris Bibliis vertendis.

Hæc tamen talia non ſunt, quæ difficultates omnes tollant, utpote quæ conjecturis nitantur parum ſolidis, quibus ſi locus detur, creſcet licentia ex quolibet quidlibet eruendi. Certum eſt autores verſionis illius in talibus ſibi magis quam par fuiſſet indulſiſſe, in Chronologia nempe & Genealogiis, quorum placita

omnia

omnia ſi quis cum Ebræo conciliare voluerit, neque ſibi, neque aliis unquam ſatisfaciet. Agnoſco pleroſque veteres tam Græcos, quàm Latinos, eorum ſupputationem fuiſſe ſequutos; quia ferè utebantur Bibliis Græcis, vel Latinis ex Græco converſis; ſed ut inde, cum Baronio & aliis, inferamus in numeris verſionem illam eſſe majoris autoritatis, nulla eſt ratio; nec id poſſunt Pontificii ſine vulgatæ ſuæ latinæ præjudicio, quæ in temporum ſupputatione, & Genealogiarum ſerie, ductum codicis Ebræi ſemper eſt ſequuta. Itaque non video cur multum laborandum ſit in ſolvendis omnibus nodis, qui ex verſione LXX. necti poſſent, quando in ipſo Moſis textu habemus conſentientem ubique enumerationem, quam ipſi LXX. etiam alibi ſequuntur. Quos ut excuſemus rejecta in librarios culpa, hoc unum prohibet, quod vix credibile ſit, exſcriptores tot fuiſſe auſos addere capita nominatim. Alioqui ſi de numeris tantum ageretur, facilius eſſet judicium.

Nihil ergo nos movere debet, præter autoritatem, vel Stephani, vel Lucæ, qui numerum LXXV. animarum retinuerunt. Sugillant quidam ex Pontificiis Eugubini temeritatem, quam Bezam ſequutum fuiſſe dicunt, exiſtimantis erraſſe LXX. interpretes, aut mendum in eorum codicibus irrepſiſſe: Stephanum autem, ſive Lucam, dum Euangelium ſcriberet, conſulto uſum fuiſſe hac enumeratione Græcorum, quia invaluerat apud Judæos diſperſionis. Quæ ſententia tamen fuit Hieronymi in tradit. Ebraicis in Geneſin, Stephanum orationem accommodaſſe ad opinionem hominum, quibus LXX. interpretum ſcriptura vulgatior. Qui etiam in genere ibidem tradidit, obſervandum eſſe ubicumque Apoſtoli ad populum loquuntur, his plerumque teſtimoniis abuti, quæ erant Gentibus divulgata. Si quæ igitur in hac propoſitione temeritas ſit, vident adverſarii ſe per latera Eugubini ſui, & Bezæ noſtri, Hieronymum confodere. Quod autem reſpondet non nemo modeſtior, hic non poſſe locum habere regulam illam, quia Stephanus non ad populum in concione, ſed in Concilio ad Sacerdotes & ſapientes ſermonem habuit: id certè apud me eſt alicujus momenti; exiſtimo enim Stephanum, & Ebraicè fuiſſe loquutum, & Ebraicis Bibliis uſum. Reſponderi tamen poſſet, Lucam Græcè ſcribendo, uſum fuiſſe Bibliis Græcis; Et cum Euangelium in uſum Helleniſtarum ſcriberet, potuiſſe ex Bibliis illis, numerum LXXV. propter allatam ab Hieronymo rationem exprimere.

Tutius tamen arbitror, vel eam amplecti ſententiam, quam ex Junio, poſt Epiphanium, expoſuimus, ita ut relictis LXX. interpret. dicamus, Stephanum enumeraſſe animas LXXV. ex Ebræo Moſis codice, ſed additis ſupputationi eorum qui ex fœmore Jacobi nati fuerant, ipſo Jacobo, & uxoribus filiorum ejus à Moſe enumeratis: vel etiam, ut agnoſcamus Stephanum & Lucam eandem habuiſſe cum Moſe ſupputationem, quæ tamen paulò poſt Lucam, à Græcis exſcriptoribus mutata fuerit, quia cum Græcè tantum intelligentes, conferrent concordantias citatorum ex Veteri Teſtam. in novo, utentes Bibliis Græcis, putarunt aliquem eſſe defectum in numero ſeptuaginta animarum. Nec mirum eſt omnes quos habemus codices conſentire, quia nullos habemus tantæ vetuſtatis, quin potuerit tempore quo ſcripti fuerunt id accidere. Quicquid ſit, non exiſtimamus recedendum eſſe à tam conſtanti Ebraicæ ſcripturæ ſupputatione, in omnibus locis in quibus ejus rei ſit mentio. Non malè, contra morem ſuum, aliquam hic ingenuitatem profitentur Peretius & Lorinus, quantumvis Jeſuitæ; agnoſcentes, non poſſe ſimiles difficultates ita penitus expediri, ut non relinquatur ſtudioſis adhuc quærendi & excipiendi locus; & eò ſatius eſſe confugere, quam cum aliis nonnullis dicere, interpretes LXX, numerum quinarium addidiſſe prophetica quadam libertate, ob myſticam aliquam conſiderationem.

Phraſis Ebræa, uſurpata verſ. 26. ut filii & deſcendentes dicantur *egreſſi ex fœmore parentis*, יצאי ירכו *jotſee jereco*; ſatis nota eſt, ut ſignificet propagationem carnalem, fœmore accepto pro partibus ad generationem aptis, ex more caſtiſſimæ ſcripturarum locutionis. Id Gallicè dicimus, *procreéz de ſa chair*, id eſt, ejus ſemine procreati. Quod autem Auguſt. quæſt. in Geneſ. 150. quærit, quid hic reſpondeatur iis qui hoc teſtimonio confirmare nituntur, animas cum corporibus à parentibus propagari; non magnam habet difficultatem. Animas dictas pro hominibus, à parte totum ſignificante locutione, neminem eſſe qui ambigat, rectè ibidem notat. Diſquirendum tamen putat, de locutionum modis ſecundum ſcripturas, quibus partem ex qua totum nominatum eſt, hoc eſt animam, alienemus ab eo quod dictum eſt, egreſſi ſunt è fœmore ejus. Neque in eo magna eſt difficultas, etſi Auguſtinus eam non ſolvat. Eadem enim ratione qua animæ nomen ſumitur pro homine mortuo ſine præjudicio immortalitatis animæ ſeorſim conſideratæ; ſic uſurpari poteſt pro filio à parente propagato, à quo diſponitur materia ad recipiendam formam, etſi forma illa aliunde accedat, nec educatur de potentia materiæ.

Hic quæri poteſt, cur ſub tempore deſcenſus Joſephi in Ægyptum, tam operosè voluerit Moſes recenſere familiam Jacobi. Ejus rei duplex ratio poteſt reddi; una, quod illuſtrandæ venturi tum Meſſiæ Genealogiæ potuit hic Catalogus inſervire; qui ex *Pharéz*, filio Judæ, & Eſrom nepote, deſcendit; Item ad diſtinctionem familiarum propagandarum in gente Iſraëlitica. Altera eaque præcipua fuit, ut paucos fuiſſe conſtet, qui cum Jacobo in Ægyptum deſcenderunt, & inde appareat quam mirabilis fuerit gentis illius propagatio, non ita longo ad eam rem temporis ſpatio. Cum enim egrederentur ex Ægypto Iſraëlitæ multitudo

tudo ſexies centena armatorum millia complectebatur, ſepoſitis ſenibus, pueris, mulieribus, & Levitis. Id autem factum fuit intra annos circiter 215. Quod certè non accidit ſine ſingulari Dei benedictione, implentis quod Patriarchis promiſerat. Quam conſiderationem Moſes ob oculos ponit Iſraëlitarum, Deut. 10. ℣. 22. *Ad* LXX *animas deſcenderunt patres tui in Ægyptum; nunc autem diſpoſuit te Iehova Deus tuus, ut ſis ſicut ſtellæ cœli multitudine.*

In occurſu parentis & filii de quo deinceps agitur, hoc primum in conſiderationem venit, quod Jacob exemplum laudabilis prudentiæ præbet, legationem ad Joſephum inſtituens, priuſquam accederet ipſe, & in amplexus rueret. Non debuit enim ex improviſo ad eum accedere cum univerſa familia, priuſquam de omnibus proſpectum fuiſſet ex Regis conſenſu. Itaque ſapienter fecit, in finibus ſubſiſtendo & expectando donec ordinata eſſent omnia. Terra quidem ei fuerat indicata quam deſtinaverat Joſeph, ſed cum amplam familiam & magnum pecorum numerum ſecum duceret in ignotam regionem, facile fieri potuiſſet, ut incolæ tumultuandi anſam arriperent, ſi Jacob tabernacula fixiſſet, & paſcuis uſus fuiſſet, antequam regia autoritate fuiſſet introductus.

Miſit itaque Judam, eumque præ aliis elegit, quem audiverat oratione ſua Joſephum permoviſſe, noveratque rebus agendis maximè idoneum, cui etiam parens anteà hoc detulerat, ut Benjaminum fidei ejus committeret, ejuſque ſponſionem acciperet, rejecta Rubenis petitione. Itaque etiam in hac electione prudentiæ ſpecimen præbuit ſanctus ſenex. Finis miſſionis fuit, להורות לפניו *ad ſignificandum ante ſe*, *in Ghoſen*; poteſt verti *ad docendum ante ſe*; Vulgata *ut nuntiaret ei, & ille occurreret in Goſſen.* Mariana, putat LXX pro להרת *lehorot*, legiſſe להוריד *lehorid* cum ד, ad faciendum deſcendere, id eſt, ut ille deſcenderet; συναντῆσαι, *ut occurreret*. Chaldæus Paraphraſtes, *ut præpararet ante ſe in Goſen*; quem ſequitur Pagninus; id eſt, ut certus ei locus præpararetur, antequam veniret in Goſen. Tremel. & Jun. *ut præmoneret eum ante adventum ſuum*; id eſt, ut indicaret adventum ſuum, quod ſimpliciſſimum videtur. Quod autem hic habent LXX. καθ' ἡρώων πόλιν, ad civitatem Heroum, in terra Rhameſes, cum in Ebr. tantum ſit, *& venerant in terram Goſſen*, unde Heroum illam civitatem extruxerint, nemo facile conjectura aſſequetur. Niſi quis cum Pareo dicat irrepſiſſe ex verbo להרת *lehorot*, unde Heroum civitas confiƈta, quæ nuſquam apud Geographos comparet. Si tamen non ſit à LXX ſed ab errore librariorum, vetuſtum errorem eſſe oportet, quia ſic legitur apud Joſephum Antiq. lib. 4. & apud Philonem, in lib. de Joſeph. Non ita obſcurum eſt, cur pro terra Goſſen, ſubſtituerint *Rhameſſem*, ſic enim appellatur cap. ſeq. ℣. 11. *terra Rhameſſes*, fortaſſe quod eſſet regionis illius metropolis.

Joſeph reverentiam & pietatem erga patrem teſtatus eſt, qui cum primum audiviſſet illum adventare, conſcenſo curru in occurſum ejus profectus eſt. Eſt autem ambiguitas in his textus Ebræi verbis verſ. 29. ויפל על צואריו, *& cecidit ſuper collum ejus.* Vulgata, *videnſque eum, irruit ſuper collum ejus*, dubium eſt an relativum de patre, vel de ipſo Joſepho ſit intelligendum. Vulgata videtur ad Jacobum referre, quod plerique faciunt. Sic Rab. Schelomo Jarchi, quem probat Mercerus. Rabi Moſe Ben Maimon, contra, exiſtimavit ad Joſephum eſſe referendum, quem pater amplexus eſt, & ſupra collum ejus flevit, quia id magis decorum videtur. Sic etiam acceperunt Tremell. & Jun. Nihil tamen indecorum fuit, ſi Joſeph, cum primum parentem vidit, è curru exiliens accurrerit, & in amplexus chariſſimi parentis irruerit, quem haud dubio mutuis amplexibus pater excepit. Præfero priorem ſententiam, ut de Joſepho intelligatur, quod cum patrem conſpexiſſet, accurrerit & amplexus fuerit eum. Ideò ut ambiguitas omnis tolleretur, Moſes in ſequentibus perſonam Iſraëlis expreſſit, *Et dixit Iſraël Ioſepho*, quia quæ ſequuntur, de Joſepho non potuiſſent commodè intelligi.

Verba ſunt Iacobi, אמותה הפעם *amutah happaam*, Moriar hac vice, poſtquam vidi faciem tuam. hoc eſt, jam lætus moriar, ut vulgata expreſſit. Hæc opponuntur ejuſdem Iacobi verbis cum rejiceret conſolationem poſt amiſſum Ioſephum, dixerat enim, *deſcendam ad filium meum lugens*. Nunc autem ſublata eſt mihi luctus cauſa dum te video, ideò deinceps cum mihi moriendum erit, lubens moriar, non erit mihi mors acerba aut injucunda, quod aliàs fuiſſet: te conſpecto gravis mihi non erit obitus. Sunt verba affectus naturalis, neque enim στοργὰς excuſſerunt Sancti, & naturales affectus gaudii vel mœroris, in lætis & adverſis.

Hic tamen notandum eſt, abſolutè intelligi non debere, quod vel in ærumnis conſtituti, dicunt ſe cum dolore vel triſtitia morituros; contra autem ſi aliquid lætum accidat & quod maximè deſideraverant, mortem injucundam ſibi non fore; ſed comparatè tantum. Alioqui enim pii ſemper ſunt parati, quamvis in hac vita multis ærumnis ſint obnoxii, ut ſtationem ſuam deſerere nolunt, niſi vocante Deo; ſic cum inſonuit hora, cum animi tranquillitate exeunt. Imò etiam, quo magis in anguſtiis ſunt conſtituti, eo lætius nuntium accipiunt liberationis. Itaque ſemper læti moriuntur, ſi ſpiritualis lætitiæ cauſas ſpectemus. Si vero res hujus vitæ; poteſt accidere, ut pro earum ratione, in morte, vel mœrore, vel gaudio afficiantur, potius aliorum cauſa, quam ſua. Quod tamen hic dicit Iacob, videtur non ita convenire cum hominum affectu communi, tum enim magis ſolent à morte abhorrere, quando in hac vita fruuntur charorum conſortio, quos ægrè dimittunt. Abfuerat Ioſeph per multos annos, eum

eum parens defleverat, quem nunc quaſi ex mortuis ſibi reſtitutum contemplatur; conveniens videbatur ut diceret, me quidem antea vitæ tædebat, cum exiſtimarem te è vivis exemptum; nunc vero libenter vellem prorogari dies meos, ut te diutius fruerer. Et certè videmus plerumque difficilius ad mortem ſe componere, qui quę in hac vita habent chariſſima, ægrè relinquunt. Sed id accidit iis qui rebus hiſce caducis nimis ſunt affixi, & de æternis non cogitant. Senio confectus erat Jacob, & de morte ſæpè cogitabat, ut ex præcedentibus liquet. Non tenebat eum vitæ deſiderium, niſi quamdiu videbat ſe familiæ ſuæ eſſe neceſſarium. Nunc agnoſcebat Deum ſuis proſpexiſſe, & Joſephum poſſe ejus vices ſupplere. Hæc cogitans componit ſe ad migrandum cum voluerit Deus. Idem fuit affectus in ſancto ſene Simeone, Luc. 1. qui cum infantem Ieſum ulnis teneret, exclamavit, *nunc dimittis ſervum tuum in pace, &c.*

Reliqua, quæ ultro citroque inter Jacobum & Joſephum agitata fuerunt aut dicta, in hoc primo congreſſu, tacuit Moſes, quia his quæ majoris erant momēti inhærere voluit; & quiſque per ſe conjicere poteſt, præſertim ex Hiſtoria præcedente, quos inter ſe potuerint circumferre ſermones, dum ſe ſalutarent & amplecterentur. Sed à verſ. 31. ad finem uſque Joſeph fratribus ſuis indicat quid ipſe facturus ſit, & quid poſteà reſpondere debeant cum vocaverit eos Pharao. Primo, dicit ſe Pharaoni indicaturum adventum eorum, expoſiturum etiam eorum conditionem, nempe quod *viri pecoris* eſſent, id eſt, pecuarii; & greges ac armenta ſua ſecum adduxiſſent. Secundo, ſimili conſilio eos inſtruit, ut nempe idem profiteantur apud Pharaonem. Finis eſt, qui ultima capitis clauſula exponitur, ut terra Goſſen, quæ paſcua erat, eis aſſignetur, & ab Ægyptiis ſepararentur, quia paſtores ovium Ægyptii deteſtabantur; non quod oves non haberent & qui eas paſcerent, id enim ex ſequentibus patebit; ſed abjectum videbatur apud eos hominum genus, maximè quia crebro mactabant oves, quod apud Ægyptios non fuiſſe uſitatum, ſupra ex Juvenale Sat. xv oſtendimus,

---*Lanatis animalibus abſtinet omnis*
Menſa: & nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Probabile eſt itaque paucos habuiſſe ovium paſtores, & præ ceteris fuiſſe ipſis abominabiles qui oves paſcebant, ut iis veſcerentur, quod Ebræos feciſſe conſtat. Sic apud Judæos abominabiles fuerunt, qui porcos paſcebant, ut iis veſcerentur.

Hic autem ſe prodit modeſtia Joſephi, prudentiæ juncta. Quamvis enim maxima autoritate polleret in Ægypto, fratribuſque antea promiſiſſet habitationem terræ Goſſen, non tamen ſibi hoc uſurpat ut eos introducat ſua autoritate; ſed conſenſum Regis expectat, quem ut obtineat etiam arte utitur, ut omnes invidiæ cauſas caveret, oſtenderetque ſe nolle abuti poteſtate conceſſa, maximè ubi de ſuorum rebus ageretur, quod præſertim invidiæ noverat obnoxium. Facit etiam ad modeſtiam & reverentiam, quod hoc non per alium à rege petere voluit, ſed ipſe ſe ad iter accinxit, quia ſciebat prudētis eſſe, non aliis cōmittere, quę melius poſſet facere, cum gratia apud regem præ reliquis omnibus polleret. Non puduit eum ſortis fratrum ſuorum, quod plerumque faciunt, qui in aulis ad gradus & honores evecti ſunt, quibus nihil quod magis diſpliceat accidere poteſt, quam ſi qui vilioris conditionis, ſe profiteantur fratres vel affines eorum, maximè ſi id ad reliquorum aures perveniat, quos in aulis habent æmulos. Sciebat Joſeph, ovium paſtores abominationi eſſe Ægyptiis; vult nihilominus id Regi & aliis innoteſcere.

Huic humilitati conjuncta fuit prudentia. Noverat fratrum ſuorum ingenia, judicavit conſultum fore, ſi remoti ab aula viverent in priſtina ſimplicitate, ne aulicorum moribus corrumperentur. Noluit igitur eos mutare priſtinum vitæ genus. Satis ei fuit, ſi ipſis poſſet de commoda habitatione proſpicere, & eos honeſtè alere. Hæc mediocritas maximè commendanda eſt, eo magis quod rara eſt in iis qui apud Reges ſunt in flagranti gratia, qui plerumque peccāt in extremis; vel enim ſuos dedignantur, & longè rejiciunt, quos ſibi obſtare putant, & gloriam ſuam imminuere; vel toti in eo ſunt ut ſuos promoveant, & evehant, quantumvis ineptos & indignos. Nihil frequentius eſt in Papatu, ubi qui ex ſubulcis Pontifices facti, ilico nepotes ſuos aut conſanguineos evehunt ad principatum. Quid memoria noſtra fecerit Sixtus V, omnibus notum eſt, qui ex ſubulco, monachus, & ex monacho mendicante, Cardinalis factus, tandem Pontifex Reges voluit deturbare de ſolio, & nepotes ſuos purpura induit. Id autores Pontificii in pleriſque Pontificibus non diſſimulant, ita ut pro rara ave apud eos habeatur, ſi quis ſuos contineat in mediocri ſtatu. Laudatur apud Ethnicos Phocion, qui cum repudiaret munera à Philippo Macedone ſibi oblata, hortarenturque legati, ut filiorum ſaltem ſuorum rationem haberet, quibus difficile foret, in rebus anguſtis paternam tueri gloriam, reſpondit, eundem agellū qui eum ad hanc dignitatem perduxerat, iis alendis ſufficere ſi patri ſimiles eſſent; ſin minus, nolle ſuis impenſis illorum ali luxuriam.

Judicavit præterea Joſeph, ad puritatem religionis conſervandam conducibilius fore, ſi non conjungerentur cum Ægyptiis, magna ex parte Idololatris & ſuperſtitioſis; ſed ſeorſim ab illis, in unum locum coacti Deo ſuo liberè ſervire poſſent, & religionem ſuam ſincerè exercerent. Videtur etiam eam ob cauſam, terram Goſſen ad habitandum eis tam ſtudioſe procuraſſe, ut manerent in vicinia terræ Canaan, & facilius colligi poſſent ſuo tempore, ut redirent in terram promiſſam.

AD CAPVT XLVII.

EXERCITATIO CLXX.

Summa Cap. XLVII. *Explicatur phraſis* de extremitate fratrum. *Regum eſſe præcavere ne otioſi homines degant in Republ. Actio* ἀργίας *Athenis. Maſſilienſium cautio. Cur Patriarchæ ſe peregrinaturos in Aegyptum veniſſe profiteantur?* Viri roboris, *qui dicerentur? Quid obſervandum in deligendis ad munia politica & Eccleſiaſtica vocandis? Benedictio Iacobi erga Pharaonem qualis? Vita,* peregrinatio. *Brevitas vitæ etiam in longævis.* Dies mali. *Compendium vitæ ærumnoſæ Iacobi.* Poſſeſſionem *quomodo ei dederit Ioſeph. Rhameſes urbs theſaurorum. Quomodo diſtinguatur à terra Goſſen.* Ad os parvuli, *quæ phraſis? Effecta famis in Aegypto. Lex de quinta parte Regi ſolvenda, quomodo à Ioſepho procurata. An jure fieri potuerit expenditur. Quinam fuerint* cohanim *quibus proſpectum fuit. Hierophantas fuiſſe. Quomodo abſque culpa talibus potuit Ioſeph proſpicere cum eſſent infideles? Curam Religionis conſervandæ ad principes etiam ſpectare. Refellitur Bellarminus abutens privilegio ſacerdotum Aegyptiorum, ut Pontificios eximat à juriſdictione Regum ſuorum.*

CApite XLVII. agit I. De ſucceſſu conſilii Joſephi circa habitationẽ familiæ paternæ. II. De penuria quâ laborarunt Ægyptii, & quid, hac occaſione oblata, Joſephus conſtituerit. III. De cura Jacobi morituri, quæ ſpectabat ſepulturam ſuam. Primum ergo exequitur Joſeph, quod antea expoſuerat. Nunciat regi adventum patris, & fratrum ſuorum; ex fratribus deinde ſuis, quinque viros ſecum adductos, Regi ſtitit; ubi textus habet, ומקצה אחיו לקח *umikketſeh achav lakach*, ad verbum: & *de extremitate fratrum ſuorum quinque cepit.* Vulgata *extremos quoque fratrum ſuorum.* Cùm autem *extremitas*, dupliciter ſpectari poſſit, vel à parte inferiori, vel à parte ſuperiori, ideò variant interpretes, & in tres ſententias dividuntur; ſunt enim qui extremos intelligunt primos & eminentiores. ſunt qui abjectiſſimos; ſunt qui ex duabus quaſi extremitatibus ſeniores & juniores elegiſſe putant, ut ex eis, de mediis judicium fieri poſſet. Qui primam ſententiam ſequuntur, exiſtimant id cogitaſſe Joſephum, ut ex illorum conſpectu rex atque proceres Ægyptiorum, generis Joſephi claritatem & nobilitatem cognoſcerent. Qui ſecundam, contra judicant, voluiſſe viliſſimos eligere, ut ex ipſo corporis habitu rex videret ad nihil aliud eſſe aptos quam ut opiliones viverent, ſicut anteà; nec cogitaret de iis admovendis ad reipub. negotia, aut ex eis quoſdam eligere bellatores. Tremel. & Junius verterunt, *partem fratrum ſuorum aſſumens, videlicet quinque homines.* Quæ interpretatio ſimplicior eſt, & firmatur etiam autoritate LXX. interpretum, qui omiſſa extremorum mentione ſcripſerunt, ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν παρέλαβε πέντε. Notat doctiſſ. Mercerus, Ebraicè מקצה *miketſeh*, & קצה *Ketſeh*, maximè apud Rabbinos, ſumi pro *quibuſdam*: Itaque eodem ſenſu accipit hic מקצה *mikketſeh*, & ſimpliciter intelligit de *ſumma*, id eſt, *quoſdam* ex fratribus à Joſepho fuiſſe regi oblatos, vel ſine delectu. vel fortaſſe, quos habuit chariores; neque enim metuebat, ne invitos rex adigeret, ad ea ad quæ nati non erant, vel educati. Sic Tigurini verterunt, *quoſdam è fratribus ſuis.* Sic etiã Fagius interpretatur Paraphraſtem Chaldæum, *Et partem fratrum ſuorum tulit.* Notat autem abuti Ebræos hac voce מקצה *mikketſeh*, pro quidam & quædam, eo quod extremitas ſit pars in integro & toto aliquo. Chaldæus eandem vocem retinuit, מקצה *mikketſeh*. Uſurpatur Judic. 8. ℣. 2. Miſerunt filii Dan quinque viros מקצותם *miketſotam*, id eſt, è *partibus ſuis*, id eſt *aliquos*. Dan. 1. ℣. 5. ומקצותם *umikketſotham*, & extremitas eorum, id eſt, *aliqui eorum ſtarent coram rege.* Loquitur de pueris ex Jſraelitis ſelectis. Gallica noſtra verſio, *Il print une partie de ſes freres.* Sic etiam novus interpres Italus. Ut pluribus non ſit opus philoſophari de extremitatibus, cum ſimplex interpretatio omnem difficultatem exhauriat.

Interrogat eos Pharao verſu 3. de genere vitæ. מה מעשיכם *ma maaſekem.* Quæ veſtra opera? id eſt, quodnam eſt artificium veſtrum, aut vitæ conditio? Digna Principe interrogatio, qui temerè hoſpites non debet in ditione ſua recipere, ſed prius explorare an ad aliquid ſint utiles, ut honeſto aliquo labore ſciant ſibi & ſuis victum parare; ne vel aliis graves ſint & moleſti, vel in otio degentes, arripiant occaſionem malè agendi, nihil enim eſt quod bonis moribus magis noceat, quam otium, quia nihil agendo homines diſcunt malè agere. Hinc ſapientes Politici, non minus otii, quam negotii, rationem à ſuis exigebant; legeſque tulerunt quibus prohiberetur otium. Areopagitæ ſingulos cives obſervabant Athenis, inquirebantque qua arte quiſque viveret,

viveret, & an quis ſe turpi & inerti otio addiceret. Ea nominabatur actio ἀργίας, id eſt, ocii, quæ inſtituebatur adverſus cives qui nullam artem excolebant, quique ſemel damnatus erat ocii, infamia notabatur ex veteri lege Draconis, quam poſteà mitigavit Solon, infamem tantum pronuncians eum qui tertia vice damnatus eſſet ocii. Maſſilienſes olim, civitatis ſuæ ingreſſu prohibebant eos, qui nullam artem callerent, qua vitam ſuam ſuſtentarent; nec locum inter artes receptas dabant, ludionibus, mimis, ſcurris, vel circulatoribus, quia tales artes otium alunt multorum quos ſpectatores ſibi advocant iſti, qui & ipſi in nugis tempus terunt. Apud Herodotum lege conſtitutum fuiſſe inter Perſas diſcimus, ut finito quoque anno, magiſtratum adiret ſubditorum quiſque rationem operarum ſuarum redditurus. In Eccleſia, Paulus ἀτάκτυς coërceri jubet; tales autem, inordinatos nempe, appellat, qui ocioſi vagantur, & hanc vult inter Chriſtianos legem vim habere, ne quis ex publico & alieno edat, qui non vult laborare. 2. Theſſ. 3. ℣. 10.

Quæ ideo hic obſervare voluimus ut juventus in Herculis bivio conſiſtens, inter virtutum & voluptatum viam, de ſuo quoque officio moneatur, caveatque ab iis qui in ocio ignavo, ſummam hominis voluptatem & dignitatem collocant, & quibus turpe videtur aliquid negotii certi agere, quo ſibi & aliis proſpiciant; cum è contrario turpiſſimum ſit, tempus, quo nihil in vita carius eſſe debet, cum ſemel amiſſum reparari non poſſit, fruſtra conterere; ætatemque juvenilem iis vitiis inquinari, quorum adultos poſteà pudere neceſſe ſit. Idque maximè cogitandum iis, quos ad liberalia ſtudia capeſſenda Deus vocavit, id principis medicorum ſæpè cogitantibus, ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς. *Vita brevis, ars longa, occaſio cita.*

Habuerunt in promptu fratres Joſephi quid reſponderent, à teneris aſſueti laboribus artis paſtoritiæ. Primò finem ſui adventus exponunt, ſe peregrinandi cauſa veniſſe, non ut ſedes ſtabiles & fixas ſibi in Ægypto quærerent; qui ſtatuerant in Cananæam redire, ubi primum per famem & paſcuorum commoditatem daretur. Ex quibus conſtat, propoſitum Jacobi non fuiſſe deſerendi planè terram Cananæam, etſi poſteà, etiam ceſſante fame, in Ægypto perduraverit, vivente adhuc Joſepho, & curam ejus habente. Voluit tamen Moſes hanc Jacobi & ſuorum propoſitionem apud regem hic inſerere, ut poſteà conſtaret adverſus hoſpitalitatis jura peccaſſe ſequentes Pharaones, qui hoſpites peregrinos, vi detinuerunt, & duriſſima oppreſſerunt ſervitute. Cauſam peregrinationis ſuæ indicant, non curioſitatem aliquam, non animi levitatem, non fratris ſui promotionem; ſed extremam neceſſitatem ob defectum annonæ in terra Canaam pro familiis ſuis, & pabuli pro pecoribus, qua occaſione juxta Joſephi conſilium, petunt ut ſibi concedatur terra Goſſen, quæ paſcua erat, etiam quo tempore aridior erat alibi terra Ægypti, quia regio hæc adjacebat Nilo, cujus irrigationem adhuc recipiebat.

Pharaonis reſponſio liberalis eſt & honeſta, & cum illi ſimpliciter & modeſtè egiſſent, teſtantes ſe nihil quod magnum eſſet aut ſupra ſe, attentare velle, ille, verbis ad Joſephum converſis, quæ inſinuaverat ſe petere, non ſolum liberaliter concedit, ſed & Joſepho poteſtatem facit eos ubi voluerit, in opimiori terræ parte collocandi. Unde liquet eandem gratiam erga Joſephum continuaſſe tum, qua primo rex eum dignatus erat; qui etiam tum illius induſtriæ fructus percipiebat. Quoniam autem profeſſi erant ſe eſſe opiliones, oſtenderantque ſibi non eſſe in animo vitæ genus mutare, ut oſtenderet ſe propterea eos non contemnere & abominari, reliquorum Ægyptiorum more; offert eis procurandorum regiorum pecorum gubernationem, hac tamen poſita conditione, ſi noverit eſſe inter eos אנשי חיל *anſche chajil*, viros roboris, id eſt, robuſtos & induſtrios, qui in arte hac ſua præſtent. In qua conditione duo ſunt notanda. 1. prudens regis propoſitum, de non concedendis muneribus & officiis, niſi peritis in ea quam profitentur arte. 2. Ejuſdem de Joſephi fide perſuaſio, cui etſi frater eſſet, rex committit judicium de fratrum ſuorum induſtria & peritia, certo perſuaſus, nihil in eo facturum niſi prudenter & ex conſcientia. Hoc addimus, ſi Pharaoni tanta fuit pecorum ſuorum cura, ut noluerit eam procurari niſi à viris induſtriis; multò magis operam eſſe dandam, ut non admoveantur gregibus Chriſti paſcendis, niſi periti & ad eam rem apti; nec iis qui eligunt, indulgendum eſſe privatis affectibus, ut in promotionibus virtutem non ponderent, ſed neceſſitudines & amicitias, qua in re, quam periculosè multis locis in eccleſia peccetur, experientia nimis compertum eſt.

A verſu 7. ad 11. deſcribitur colloquium Pharaonis cum Jacobo, quem Joſeph etiam introduxit, & coram rege ſtatuit; quod factum fuiſſe aliquamdiu, poſtquam fratres ſuos adduxerat, dato parenti ſeni ſpatio, credibile eſt, ut liceret ei ſe colligere de viæ laſſitudine, & res ſuas in Goſſen componere. Hoc facto Joſephus indicavit ſe patrem ſuum in honore & pretio habere, quem tanquam ſingulare pietatis & honeſtatis ornamentum, regi ſtitit, & de tali patri ſibi in illius conſpectu gratulabatur.

ויברך יעקב פרעה *Vajbarec Iaacobh Pharó. Et benedixit Iacob Pharaoni.* Benedicunt homines hominibus cum benè precantur; ſed multum intereſt quis precetur. Multum valet oratio juſti; ſed impiorum precationes Deus non exaudit. Multum in eo potuerunt ſancti Patriarchæ. Itaque hoſpitibus ſuis poterant beneficium rependere. Liberalem ſe gerebat Pharao, ſed à Dei benedictione pendebat ut haberet unde ſumptibus poſſet ſufficere; Hoc à Deo poſtulavit Jacob,

 ſimul-

ſimulque gratias egit pro beneficiis in Joſephum & familiam ſuam collatis. Jerem. cap. 29. ℣. 7. *Quærite proſperitatem iſtius civitatis quò deportavi vos, & orate pro ea Iehovam, nam cum proſperitate ejus, futura eſt vobis proſperitas.* Duplicis autem benedictionis fit mentio; primæ, cum acceſſit Jacob, verſ. 7. Secundæ, cum receſſit verſ. 10. Qui accedendo benedicit, Latinè dicitur *ſalutare*; qui diſcedendo, *valedicere*. Utroque modo benedixit Jacob Pharaoni; ſed ſuo modo, non vulgari. Multum enim intereſt quis, cui, qua ratione, benedicat.

Rex benignè excepto Jacobo, de annis ejus inquirit verſ. 8. cum videret eum grandævum eſſe ſenem. Sic ſæpè cum ſenibus agitur, qui non illibenter annos ſuos numerant. Sapienter accommodat ſuas interrogationes hominum conditionibus. Fratres Joſephi interrogavit de arte & opere; patrem ſenem de ætate. Reſpondit ille paucis, ſed graviter & emphaticè, *Dies annorum peregrinationum mearum fuerunt anni centum & triginta*; addit, *puſillos & malos fuiſſe*; tandem comparatione prædeceſſorum ſuorum breves fuiſſe oſtendit. Vitam ſuam non immerito peregrinationem appellat; cum enim *vita* apud Ebræos, ſtabile aliquid, vitamque ſtatariam felicem & tranquillam ſonet; immutavit nomen *vitæ*, in nomen *peregrinationum*, non eo tantum nomine, quod in Meſopotamia multis annis apud Labanum peregrinus vixiſſet, ſed etiam quod in ipſa Canaam potius exul quam civis degerit; & tandem fame coactus, in extrema ſenectute, in Ægyptum deſcenderit. Alioqui etiam metaphoricè tota vita hominis nihil aliud eſt quam peregrinatio, præſertim hominis pii, & qui patriam & quietem alibi expectat. Unde illud Tertul. *Eccleſia ſcit ſe peregrinam in terris agere; genus verò, ſpem, ſedem, gratiam & dignitatem in cœlis habere.* Abraham dicebat filiis Chethi, *peregrinus & inquilinus ſum apud vos.* David 1. Chronic. 29. 15. profitetur ſe *peregrinum eſſe coram Deo, ſicuti omnes majores ſui.* Pſal. 119. *peregrinum* ſe dicit *in terra*, verſ. 19. Et ejuſdem Pſal. ℣. 54. *ſtatuta*, inquit, *tua mihi ſunt pſallendi argumenta, in loco peregrinationum mearum.* Sed expreſſum eſt illud Apoſtoli, Ebr. 11. 13. *profeſſi ſunt* patres, *ſe peregrinos & advenas eſſe in terra.* Ad hanc profeſſionem pertinet, quod hic dicit Jacobus.

Centum & triginta peregrinationis ſuæ *annos* numerabat. Hæc faciunt ad Chronologiam Sacram. Colligitur ex eo ætas Joſephi, natum nempe fuiſſe anno Jacobi 91. quia tum agebat annum 40. Ex eo etiam colligitur quo tempore Jacob in Meſopotamiam migraverit, nempe anno ætatis ſuæ 77. quia anno ſervitutis 14. genuerat Joſephum.

Vitam ſuam brevem fuiſſe dicit, quæ tamen ad noſtram his temporibus comparatam fuit longiſſima: imò ad ordinariam hominum vitam Davidis tempore, quæ *ſeptuaginta* annorum fuit, vel pro validiſſimis *octoginta.* Iob cap. 14. ℣. 1. *Homo*, inquit, *natus de muliere brevi tempore vivit.* Nihil frequentius in ſcriptis philoſophorum, quam commonefactiones de brevitate vitæ. Unde proverbium *Homo bulla.* *Quotidie*, inquit Seneca Epiſt. 59. *demitur aliqua pars vitæ, & tum quoque dum creſcimus, vita decreſcit; hunc quem agimus diem cum morte dividimus, mox ut in vitam ingredimur, alia porta ſtatim exire incipimus.* Digniſſimus lectu eſt tractatus ejuſdem autoris *de brevitate vitæ*, ubi oſtendit qua ratione longa fieri poſſit, quia *ſatis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota benè collocaretur.* Hac ratione Jacobi vita brevis non fuit.

Ærumnoſam fuiſſe ſignificat, cum dies ſuos רעים *raim* fuiſſe dicit. *Dies* enim *mali*, phraſi Ebræa, ſunt ærumnoſi, miſeri, laborioſi. Id de univerſa hominum vita teſtatur Job: *repletur*, inquit, *multis miſeriis.* Et Pſaltes, ubi ſuprà, *etiam excellentiſſimum eorum laborioſum eſt, & moleſtum.* Hoc ſenſu *malitiam* diei tribuit Chriſtus, Matth. 6. ℣. 34. *Sufficit diei malitia ſua.* Quod ſpectat Jacobum, vitam ejus fuiſſe afflictiſſimam in hac hiſtoria vidimus. Ut enim cætera taceamus, quæ pertulit in vita paſtorali, unà cum patre, ob invidiam & minas fratris exulare coactus abiit in Meſopotamiam. ibi per viginti annos aſperrima ſervitute quaſi mancipatus, ſub ſocero ſuo, cum nihil ſibi lucraretur totis quatuordecim annis tandem non ſine ſpeciali benedictione divina, aliquid ſibi acquiſivit, ſed non ſine affinium ſuorũ invidia, non ſine ingrati ſoceri, decies mutantis mercedem ſuam, iniquis vexationibus. Gen. 31. In reditu ſuo in terram Canaam, perterrefactus fuit, fratris obviam venientis apparatu; Gen. 32. Succeſſit Dinæ raptus, & cædes Sichemitarum, per quam in maximum periculum adductus fuit, cum univerſa familia. Geneſ. 34. Excepit hoc incommodum, dilectæ uxoris Rachel obitus; & primogeniti Ruben fœdiſſimus inceſtus, Geneſ. 35. Poſteà, ſequuta eſt venditio Joſephi, & quæ deinceps acciderunt, fames, vexatio filiorum in Ægypto, &c. Quod de comparatione dierum ſuorum cum diebus patrum ſuorum dicit, referendum eſt ad Abrahamum, qui vixit annos 175. & Iſaacum qui annos 180.

Quod verſ. 11. dicitur, Joſephum fratri ſuo & fratribus, dediſſe אחזה *achuzzah* poſſeſſionem, in terra Ægypti, in *opima terra*, nollem ſic intelligere, ut *poſſeſſio* accipiatur pro *hæreditate*, quam in perpetuum ſibi & ſuis vindicarent; Nam, etſi concederemus id potuiſſe Joſephum, non puto tamen id debuiſſe; vel Jacobum, & filios ejus, eam potuiſſe hoc nomine acceptare; quia animus tantum erat peregrinandi in Ægypto. Sic igitur intelligerem, dedit eis habitandam, nempe, poſſeſſionem ſive fundum, in terra Aegypti. Locus ille appellatur *Rhameſes.* Cujus nominis urbs, primo cap. Exod. numeratur inter urbes theſaurorum Pharaonis, novi regis, qui Iſraëlitas poſteà dura ſervitute

tute afflixit, quam ab Iſraëlitis dura illa ſervitute preſſis, ædificatam fuiſſe conſtat. vel ergo locus ſic à Moſe dictus fuit per anticipationem, ratione ſui temporis; vel ſic vocabatur anteà tractus ille, qui urbi nomen dedit in eo ædificatæ. Nec obſtat quod antea vocata fuit terra Goſſen, in qua Rex conceſſit eis habitationem: quia Goſſen potuit eſſe nomen generale provinciæ, cujus pars erat Rhameſes, quæ ſpecialiter aſſignata fuit Jacobo. Neque tamen putandum eſt à ſolis Iſraëlitis fuiſſe habitatam, ita ut nulli cum iis permixti fuerint Aegyptii. Potuit quidem fieri, ut initio locum aliquem occuparent, quo facile contineri potuit familia Iſraëlitarum, qualis tum erat: Sed cum multiplicaretur ad tam immenſum numerum, neceſſarium fuit ut paulatim extenderet fines ſuos in illo tractu, & cum Aegyptiis habitaret. Alioqui opus non fuiſſet, ut tingerent ſanguine poſtes domorum ſuarum, nec potuiſſent à vicinis ſuis mutuò accipere, quæ dum egrederentur ex Aegypto ſecum detulerunt.

Quamvis autem locus ille paſcuis abundaret, non ſuppetebat tamen hominibus victus neceſſarius, ideo Joſephus alebat domum patris ſui pane, לפי הטף *lephi hattaph*, ad os parvuli; quid ſibi phraſis hæc velit, variè exponitur. Vulgata *ſingulos* interpretatur, id eſt, à minimo uſque ad maximum. Tremel. & Jun. *quaſi inſerens in os parvulorum.* non magis ſolliciti erant de cibis quàm parvuli, quibus ſine labore in os ingeritur. LXX. σῖτον κατὰ σῶμα, *frumentum ſecundum corpus*, id eſt per capita, ſive viritim, pro ratione corporis uniuſcujuſque; ad minimum uſq; familiæ quantum opus fuerit frumenti tribuens. Utraque expoſitio ſuos habet fautores. Cajetanus cum Tremel. & Junio facit, qui interpretatur ſine labore & ſumptu ipſorum. Altera mihi ſimplicior videtur, etſi utraque conjungi poſſit; qua commendatur Dei beneficentia, & Joſephi charitas. Magna enim fuit Dei benignitas, quod Aegyptiis, etiam ditiſſimis, fame laborantibus, Eccleſiam ſuam per Joſephum aluerit abundantiſſimè. Magna Joſephi charitas, quæ tam grandi fratrum iniquitate extingui non potuit.

A verſ. 13. redit Moſes unde digreſſus fuerat ab initio cap. 42. & effecta famis in Aegypto pergit deſcribere. Primum repetit *non fuiſſe panem in tota terra*, quod poſteà de Aegypto & Chananæa explicat; nam ut hoc intelligamus de toto terrarum orbe, etſi id inſinuet vulgata, nulla eſt ratio; niſi quod vicinas regiones, maximè ad quas ex Aegypto frumentum importabatur, comprehendere poſſumus. Præmittit autem, *maximè laboraſſe Ægyptum*, tanquam ſequentium fundamentum. Hæc enim cauſa fuit, cur ad Joſephum acceſſerint, & ea ratione collegerit Regi univerſam pecuniam Aegypti. Notatur enim fidelitas Joſephi verſ. 34. quod *pecuniam illam intulerit in ærarium Regis*. Urgente neceſſitate, etiam pecora ſua pro frumento dederunt; tandem cum nihil haberent præter terram & corpora ſua, & ſe ipſos, & terram ſuam vendunt Joſepho, nomine Regis, qui poſſeſſionem adiit, mutatis colonis, ut verſ. 21. inſinuatur, ita ut tranſlati fuerint ex uno loco in alium, ut hoc ſigno teſtarentur, ſe nihil amplius proprium habere. Tandem verſ. 23. poſtquam omnia Regi acquiſiviſſet, reddit illis agros colendos, ſemen etiam concedit, ea conditione ut regi quintam partem pendant, reliquum ſibi & familiis ſeruent. Cui conditioni cum aſſenſi eſſent, cum gratiarum actione, verſ. 25. lex perpetua ſancita eſt, quæ poſteà in toto Aegypti regno fuit ſervata, de quinta proventus parte regi ſolvenda.

Hic primò mirandum ſubit, qua ratione contineri potuerit tam numeroſus populus, in tali anguſtia, ne tumultuaretur, cum videret non ſolum pecuniam ſuam exhauſtam à fiſco regio, ſed quæcumque poſſidebant, imò ſe ipſos eſſe oppignorandos, ut victum à regio præfecto obtinerent. Cum enim non ignorarent in cunctis urbibus horrea fuiſſe repleta, mirum eſt quod vi non irruperint, & ſibi de neceſſariis proſpexerint. Credibile eſt Joſephum his omnibus iviſſe obviam, & loca muniviſſe; ſed tamen, quod tam faciles ſe præbuerint, & ſemetipſos conjecerint in vincula parata, ſingulari Dei diſpenſationi tribuendum cenſeo, qui eos ita flectere voluit, ut ſponte ſe ſubmitterent, & grato etiam animo ſubjicerent ſe oblatis conditionibus, agnoſcerentque Joſephum tanquam liberatorem ſuum. De quo dubitari non poteſt quin ſedulo procuraverit regia negotia, & ſtuduerit ejus potentiam & jus in ſubditos augere.

Sed an id factum fuerit ex jure, quod eos non ſolum omni pecunia exhauſit, ſed reliquis etiam bonis tam mobilibus quam immobilibus exuit, & eos cum familiis ſuis ſervituti regiæ ſubjecit, dubitari poteſt; videtur enim id durum & crudele, ac cum charitate non ſatis conveniens. Nihilominus, ſi omnia benè expendantur, nihil eſt in hoc Joſephi facto, quod virum bonum & prudentem non deceat; nulla eſt injuria, vel tyrannis. Primo enim, frumentum collegerat fertilitatis tempore, pecunia regia redemptum, non ab invitis vi extortum. Unicuique liberum fuit ſibi ſervare quantum eſſet neceſſarium, vel etiam ab aliis emere. At vero, quod poſteà tempore famis illud vendit, accepto juſto pretio, nemo æquus culpare poteſt. Nulla fraude, nulla violentia adhibita pecuniam extorquet, ſed nomine regis accipit, tanquam pretium rei venditæ. Quod ſi, exhauſta pecunia, & venditis pecoribus, ſeipſos tandem cum patrimonio regi ſubjiciant, ſervitutis nomine; volenti non fit injuria, & quiſque poteſt ſua alienare, & ſeipſum mancipare ſi ſui juris ſit, ut redimat vitam ſuam. Hæc autem neceſſitas fuit juſta ſocordiæ populi pœna, qui annonam non repoſuit, tempore fertilitatis, ad annos ſteri-

litatis,

litatis. Id præterea Joſephi commendat æquitatem; quod ſervitutem mitigavit, perſonis liberis manentibus, ſubminiſtrato ſemine, & emptis agris gratis reſtitutis, addicta tantum regi quinta proventus parte, quæ conditio novis colonis dura videri non debuit. ſatiſque oſtendit Joſeph, ſe hac ſua adminiſtratione non habuiſſe in animo populum perdere, ſed pro ſua ſapientia humiliandum eſſe judicavit, ita ut tamen neceſſariis non deſtitueretur. Cujus exemplo abuti non debent, qui ſubditos ſuos contra omne jus & ſine juſto ullo titulo exhauriunt, eoſque rebus ſuis vi ſpoliant. Qui ſi Joſephi exemplo ſe tueri velint, oſtendere debent ſimiles eſſe cauſas & circumſtantias. addo etiam, ſe eodem ſpiritu duci, quo Joſephus hæc omnia ordinavit. Si enim aliqua nobis occurrerent, quæ ad communes regulas exacta, nobis non quadrare viderentur: non tamen temerè judicandum eſſet de tali viro, in quo tot extraordinariæ dotes apparuerunt, præſertim cum hæc deſcribat Moſes, ſine ulla cenſura; imò eo ſtylo, & cum iis circumſtantiis, quæ non obſcure indicant, quæcumque facta fuerunt, ad laudem Joſephi pertinere; qui etiam eo nomine magnam inivit ab Ægyptiis gratiam, quem agnoverunt pro *vitæ conſervatore.* Hoc enim volunt, cum dicunt, החייתנו *hechejithanu*, vivificaſti nos; *Inveniamus gratiam in oculis domini mei, & erimus ſervi Pharao.* hoc eſt, magnæ gratiæ à te acceptæ loco ducimus, ſi Regi ſerviamus, hac quam nobis propoſuiſti conditione.

Sed expendenda eſt exceptio, quæ habetur verſ. 22. *Tantum terram ſacerdotum non emit*, ratio additur, quia חק *chok* ſtatutum, id eſt, pars ſive portio *attributa erat ſacerdotibus à Pharaone, & comedebant, quod ipſis ſtatutum erat; Idcirco non vendiderunt terram ſuam.* Nomen כהנים *cohanim*, ut ſupra vidimus, uſurpatur etiam pro principibus, vel civitatum præſidibus, & Regis, ut vocant, officialibus. Quam ſignificationem prætulerunt Tremel. & Iun. Et certè credendum eſt iis qui in aliquo munere erant apud Regem, ex regis apothecis & promptuariis fuiſſe proſpectum. Alioqui valdè invidioſum fuiſſet, non ſolum Joſephum, ſed etiam univerſam Jacobi familiam ſumptibus regiis ſuſtentari, Regiis præfectis & eorum familiis, extrema omnia patientibus, ſua & ſe ipſos regi vendere coactis. Nihilominus, de ſacrorum adminiſtris hic agi potius exiſtimo, quos Chald. Paraph. כומריא *cumaraja*, id eſt, *Hierophantas* appellat, quibus in religionis rebus procurandis utebantur, qui ſapientiſſimi apud Ægyptios habebantur, & in magno etiam pretio apud exteras gentes, quia Philoſophiæ & Aſtrologiæ operam dabant. Horum pleroſque ad veri Dei cognitionem fuiſſe à Ioſepho perductos, ex eo colligunt quidam quod Pſal. 105. ℣. 22. legitur in vulgata, *ut erudiret principes ejus ſicut ſemet ipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret*, Ad verbum ex Ebræo, *Ad alligandum principes ejus in anima ſua, & ejus ſenes ſapientes efficeret.* Ubi Hieronymus, *in anima ſua*, interpretatur, *ſecundum voluntatem ſuam.* Sed nihil eſt quod nos impellat ut id intelligamus de eruditione in rebus ad religionem pertinentibus, cum agatur de conſiliariis Pharaonis, quos Ioſeph erudivit in iis quæ ſpectabant adminiſtrationem regni. Fieri potuit ut nonnullos ad veri Dei cognitionem adduxerit, ſed probabile non eſt, publicum cultum fuiſſe mutatum apud Ægyptios, neque illius rei veſtigium habetur in ſacris aut profanis ſcriptis. Quod ſi qui ſacerdotes converſi fuiſſent, penitus debuiſſent ſacerdotio ſuo nuntium remittere.

Nec tamen propterea reprehendendus eſt Joſeph, quod ſacerdotibus Idolorum, ex regio demenſo portionem tribuerit, & eorum terras liberas reliquerit. Id enim fecit tanquam regius adminiſtrator, non de ſuo; nec potuit aliter facere, cum id à rege eſſet conſtitutum. Qua ratione etiam excuſantur noſtri, qui in regnis aut Rebuſpub. viventes, in quibus qui rerum potiuntur Pontificii, ſolvunt Eccleſiaſticis Papatus, decimas & reditus, etiam de ſuo; quia id faciunt, non quod eos ſacerdotes Dei agnoſcant, ſed quia id legibus regni conſtitutum eſt, nec poſſunt alia lege frui patrimonio ſuo. Eadem eſt ratio quæſtorum regiorum, qui veram religionem profitentur, & regis ſui juſſu ſolvunt eleemoſynariis & ſacellanis aſſignatas portiones, aut penſiones. Non potuit Joſeph propria autoritate mutare vetera inſtituta. Hic notant omnes interpretes, prophano regi, ſingulare fuiſſe cultus divini, qualem ille judicabat, ſtudium; dum ſacerdotes gratis aluit, & eorum fundis pepercit. Speculumque nobis poni ante oculos in quo cernamus infixum eſſe hominibus pietatis ſenſum, quem prorſus delere nequeunt. Falſam quidem fuiſſe devotionem, ſed tamen ex recto principio manaſſe in genere; corrigendam eſſe ſuperſtitionem à piis principibus, ſed tolerandos non eſſe, qui Chriſtianiſmum profitentes, legitimi miniſterii fovendi nulla cura ducuntur, aut etiam Eccleſiis & ſcholis eripiunt, quæ in ſacros uſus olim deſtinata fuerunt. Inſitus enim eſt hominum animis pietatis ſenſus, & ad conſervandum cultum divinum, omnes æquiſſimum eſſe judicant ut publico ſumptu alantur, qui Eccleſiis & ſcholis præficiuntur. Iure enim divino & naturali ſancitum eſt, ut *qui ſerviunt altari*, etiam *de altari vivant.* 1 Cor. 9. ℣. 13.

Quamvis autem non omnis ratiocinatio valeat, à moribus Ethnicorum Principum, ad officium à Principibus piis debitum; in iis tamen quæ à principio bono derivantur, non improbamus argumentationem, à minori ad majus; ſi principibus in ignorantia conſtitutis cura fuit alendi ſumptu ſuo ſacrorum ſuperſtitioſorum miniſtros; multo major eſſe debet principum piorum cura, ne deſtituantur ſumptibus neceſſariis qui veræ religioni inſerviunt. Sed hanc argumentationem nimis extendunt Pontificiorum Doctores, ut exemptionem omnimodam in rebus politicis; tum quoad perſonas,

tum

tum quoad bona, clericis ſuis deberi probent ex jure divino, ex quo derivatus eſt hic Ethnicorum ſenſus. Bellarm. enim lib. de clericis cap. 28. contendit quantum poteſt, Non poſſe clericos à judice ſeculari judicari, etſi leges civiles non ſervent; quam propoſitionem nemo non videt ex hoc Pharaonis facto probari non poſſe, quia non agitur hic de juriſdictione. Sed aliam propoſitionem habet ibidem Ieſuita, *Bona clericorum tam Eccleſiaſtica, quam ſecularia, libera eſſe, ac merito eſſe debere, à tributis Principum ſecularium.* Et Suarez lib. 4. Apol. contra Eccleſ. Anglic. cap. 30. *non congruam tantùm, ſed etiam neceſſariam & immutabilem, illam exemptionem eſſe ſtatuit, ita ut, invitis etiam principibus immunitatem ac libertatem illam clerici ſibi vindicare potuerint, ac poſſint.* Id tamen Eccleſia primitiva non cenſuit, nam Bellarminus ipſe fatetur ante Juſtiniani tempora legibus piorum principum immunes fuiſſe clericos à tributis perſonalibus, non tamen à tributis quæ pendi ſolebant ratione poſſeſſionum, cum Ambroſius orat. de tradendis Baſilicis, dicat *agros Eccleſiæ ſolvere tributum.* Et Theodoretus Hiſt. Eccl. lib. 4. c. 7. Valentinian. ſeniorem in Epiſt. ad Epiſc. Aſiæ, illa verba poſuiſſe, *Boni Epiſcopi tributa penſitant regibus.* Id etiamnum fit in Gallia, ubi ſi Eccleſiaſtici bona habeant patrimonialia, tributum regibus vel etiam cenſum dominis feudi penſitant, eadem qua cæteri ratione. Ex bonis autem Eccleſiæ, etiam decimas Regi ſolvunt. At, inquiunt, *Non decet Eccleſiam Dei minus liberam eſſe tempore Chriſtianorum Principum, quam fuerit tempore Pharaonis.* Reſpondemus I. Exempla non facere rem eſſe de jure divino, ſed præcepta Dei, ex ipſo Bellarm. id excipiente I. de clericis cap. 7. Secundò, ex certis, determinatis & extraordinariis privilegiis, concludi non poſſe omnimodam exemptionem in realibus & perſonalibus. Tertio, probari non poſſe, demenſum illud à rege ſacerdotibus conceſſum tempore famis, fuiſſe perpetuum, proinde trahi non poſſe in exemplum. Denique, Hiſtoriam non dicere ſacerdotum agros fuiſſe exemptos ab omni tributo, ſed tantùm venditos non fuiſſe, quia aliunde habebant unde vitam ſuſtentarent, ideò liberos fuiſſe à novo tributo quintæ partis, quia nulla erat cauſa cur eis imponeretur. Eandem fuiſſe rationem præfectorum & procerum aulæ diximus, qui tamen exempti non fuerunt in perſonalibus & realibus, ut loquuntur. Itaque, fruſtra hìc Pontificii ſacerdotes fimbrias ſuas extendunt.

EXERCITATIO CLXXI.

Multiplicatio Iſraelitarum in Aegypto. Curriculum vitæ Iacobi. Quomodo finem ſuum præviderit? Cur Ioſephum potius quam alios, de ſepultura ſua interpellavit? Facere *cum aliquo* miſericordiam & veritatem. *Cur Iacob juramentum exigat?* Dormire *cum patribus ſuis. Ad quid tam anxia cura de ſepultura in terra Canaam? Iudæorum ſuper eo deliria. Vera cauſſa. Abuſus cæmeteriorum in Papatu. Abhorrere debere fideles à locis in quibus Idololatria exercetur. Quorundam in talibus abuſus notatur. Conſideratio de locis cultui divino ſacratis, quod ſub veteri Teſt. cadavera defunctorum non receperint, nec ſub novo deberent. Mos ille à Pontificiis invectus, ab aliis malè uſurpatus.*

A Verſu 27. uſque ad finem capitis redit Moſes ad intermiſſam Jſraelis Hiſtoriam. Primò notat in genere Jſraelitas habitantes in terra Goſen *valdè multiplicatos fuiſſe*, quod intelligendum eſt de tempore quo vixit Jacob, de cujus præparatione ad mortem immediate agetur. Id videre potuit adhuc ſuperſtes Jacob, ita ut oculis ſuis ante mortem impleri cerneret promiſſionem ſibi factam in Beerſebah, cum Deus confirmaret eum in propoſito deſcendendi in Ægyptum. *Ego tecum deſcendam in Ægyptum, & ponam te in gentem magnam.* Cap. 46. verſ. 3.

Anni peregrinationis Jacobi in Ægypto fuerunt ſeptemdecim, qui juncti centum triginta quæ ipſe numeraverat dum reſponderet Pharaoni, conſtituunt ſummam centum quadraginta ſeptem annorũ, quod fuit curriculum vitæ Jacobi, in cujus fine animadvertit vir ſanctus, inſtare tempus obitus ſui. Qua ratione autem id notum ei eſſe potuerit videndum eſt. Cum ſenex eſſet valdè & extenuatus, naturali conjectura potuit cognoſcere ſe non diu victurum. Cum reſponderat Pharaoni, annos peregrinationis ſuæ non æquaſſe annos patrum ſuorum, ſatis tum innuebat ſe cogitare de inſtanti morte; alioqui potuiſſet objici, nondum locum eſſe tali comparationi, cum adhuc in vivis eſſet, & dubiũ eſſe poſſet num Abrahami annos eſſet æquaturus; ſed loquutus eſt tanquam brevi moriturus. Deus tamen adhuc prorogavit annos ejus, additis in Ægypto decem & ſeptem. Cum ergo conjectura ex naturalibus cauſis eum tunc fefellerit, probabile eſt alia nunc ratione de inſtante deceſſu fuiſſe certiorem factum, ut quæcunque ante mortem debuit peragere, eadem etiam exequeretur. Id autem potuit fieri extraordinaria aliqua revelatione, cum eſſet Propheta. Hinc eſt, quod ita ſerio procurat, quæ ad ſe & ſuos pertinere judicavit. Primum autem agit cum Joſepho de ſepultura ſua; quamvis enim inter fratres minimus eſſet, uno excepto, omnium tamen fuit dignitate maximus, penes quem ſumma rerum erat, & qui fratres omnes habebat in poteſtate ſua, beneficiis devinctos. Prævidebat etiam

ad iter illud faciendum cum neceſſario comitatu, ſumptibus opus fore, quibus alii, excepto Joſepho ſufficere non potuiſſent. Cum autem non dubitaret eam eſſe conditionem Joſephi, ut veriſimile non eſſet eum rediturum in terram Canaam, metuebat ne corpus ſuum poſt animæ ſeparationem in Ægypto retineret magnificè ſepultum, pro ritu gentis. Idcirco non ſimpliciter petit à Joſepho ut transferat oſſa ſua, in ſepulchrum patrum ſuorum, ſed etiam obteſtatur, & eum juramento aſtringit.

Si inveni, inquit, *gratiam in conſpectu tuo*, id eſt, ſi me favore & benevolentia proſequeris. Itaque obteſtatur, per eam benevolentiam quam hactenus patri præbuerat. *Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quiſquam dulce meum*, inquiebat illa. Addit, *facies mecum miſericordiam & veritatem*: utraque phraſis eſt Ebręa. Prima ſic reſolvitur, ſi tibi gratus ſum, aut gratum mihi facere velis. Sic ſupra Geneſ. 33. 15. & 34. 11. Et nuper verſ. 25. *Inveniamus gratiam in oculis domini mei*, pro, reputabimus hoc pro maximo beneficio. Gallicè diceremus, *ſi tu me veux faire plaiſir, ou me gratifier.* Secunda, qua etiam uſus eſt Eliezer apud affines Abrahami, Gen. 24. 49. *Si facitis miſericordiam & veritatem cum hero meo*, ſic reſolvitur, ſi mihi velis beneficium aliquod præſtare. Ut ſupra uſurpata eſt à Joſepho Gen. 40. 14. *facies mecum miſericordiam*, quam expoſuit, ut *mentionem mei facias apud Pharaonem.* Ubi facere miſericordiam, eſt beneficium conferre. Addit autem *veritatem*, ut illud aſſerat in futurum. Eadem utuntur phraſi erga Deum pii, in ſuis orationibus; ſed in iiſdem verbis ſumitur differentia toto genere, ab objecto religioſo, infinito, qui nobis nihil debet, ut in communibus vocibus adorationis, precationis & ſimilibus. Sic tamen ut plurimùm loquuntur qui multum deferunt iis à quibus talia petunt; quod hic mirum videri poſſet, cum ſint verba parentis ſenis & moribundi ad filium. Sed Jacob rationem habuit non tam juris naturalis, quam dignitatis Joſephi, quam à Deo collatam, in filio ſuo reverebatur, & ab eo id petebat tanquam à viro principe, ſine cujus nutu non potuiſſet fieri talis tranſlatio. Cum enim præfectus eſſet toti Aegypto, non poterant alii Iſraëlitæ, ſine publica ejus autoritate egredi ex Aegypto, relictis ibi familiis.

Quod juramentum exigit, cum eo ritu de quo actũ eſt cap. 24. hujus libri, id oſtendit anxiam optimi ſenis ſollicitudinem, & curam de ſepultura ſua in Hebron. Cum autem peteret rem licitam, piam & poſſibilem, non fuit difficilis Joſeph in jurando, ut ita quietum redderet parentem, & placidè in Domino obdormiret. Probabile eſt non exegiſſe illud juramentum tam exactè quod filio non ſatis fideret, ſed præſertim ut oſtenderet ſe id habere pro re maximi momenti, quæ non ex aliquo carnali affectu procederet, aut ambitioſo, ut ſæpè fit in talibus, ſed ex ſeria cogitatione myſticæ ſignificationis. Prævidebat etiam ſanctus ſenex factum hoc poſſe eſſe obnoxium invidioſæ alicui interpretationi apud Aegyptios, quaſi dedignaretur regionem in qua tanto honore fuerat affectus: voluit itaque hanc excuſationem Joſepho præparare, quod ad id faciendum parens ſenex eum juramento obſtrinxiſſet.

Petitionis ſumma quam ſummi beneficii loco ducebat, hæc fuit, *Ne quæſo ſepelias me in Ægypto*, ושכבתי *veſchacabhti, & dormiam cum patribus meis.* Mercerus hoc verbum accipit pro eo quod eſt *diem obire*, quaſi ſenſus eſſet, *cum dormiam cum patribus meis, auferas me de terra hac.* Fateor ſæpè phraſim hanc ita accipi, ut cum de Davidis & aliorum morte ſcriptura loquitur; ſed hoc loco omnia videntur referri ad petitionem, *non me ſepelias in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis.* Loquitur de iis quæ erant in poteſtate Joſephi. Malim ergo accipere de loco, in quo voluit jacere poſt mortem, quem deſignat, quia in eo dormiebant Abraham & Iſaac, quemque poſteà appellat *ſepulchrum majorum ſuorum.* Vocantur enim ſepulchra, *Dormitoria*, Græcè κοιμητήρια. Eſai. 1. ℣. 2. *requieſcunt in cubilibus ſuis* juſti. Cujus vocis uſus maximè competit iis qui credunt reſurrectionem mortuorum. Itaque ex hac phraſi à Jacobo uſurpata pro ſtatu defunctorum, argumentum ſumi poteſt pro reſurrectione mortuorum; quamvis, qui hoc tempore perfectioni ſcripturę bellum indixerunt, inter quos fuit Cardinalis Perronius, auſi ſint cum Sadducæis negare, ex libris Moſis reſurrectionem mortuorum probari poſſe. At non dormiunt, niſi qui excitari poſſunt & evigilari. Si ergo mortui dormiunt, excitabuntur. Neceſſaria eſt conſequentia.

Sed hic merito quæritur, ad quid tam anxia cura de ſepultura in terra Canaan cum patribus ſuis, præſertim cum non ignoraret Jacob, id fieri non poſſe ſine ſumptibus, imò ſine interpoſitionę regiæ autoritatis? Oportuit certè graviſſimas eſſe cauſas, cur de ea re tantopere fuerit ſollicitus ſanctus vir. Falſas quaſdã & nugatorias afferunt Judæorũ interpretes: ut quod hic dicit Rab. Schelomo Jarki, *Iacobũ ideo recuſaſſe ſepulturã in Ægypto, quod Prophetico ſpiritu prævideret, ex pulvere Ægyptiaco naſcituros pediculos*; Exod. 8. ℣. 16. *à quibus corpus ſuum erodi noluerit.* Item, quia fabulam quandam finxerunt Rabbini, quam velut articulum fidei commendant, de qua multis agit Buxtorf. Synag. Judaicæ cap. 1. Summa eſt, Iſraëlitas qui moriuntur extra terram Canaan non reſurrecturos, niſi poſt perceptum ingentem dolorem, è volutatione per profundas abſconditaſque terræ cavernas facienda, ut per ſubterraneos illos meatus perveniant in terram ſanctam, in qua cum pervenerint, inſpirabit illis Deus habitum vitalem, ut reſurgant. Magni ergo putant intereſſe ſi quis vel in ipſa terra promiſſa vitam cum morte commutet, vel in eam poſt mortem transferatur, ut à moleſta iſta ſub tot aquis profundis & montibus aſperis volutatione liber eſſe poſſit. Hanc inſulſam cogitationem

nem affingunt ſancto Patriarchæ, quod recentium Judæorum eſt commentum. Alii, Jacobum cavere voluiſſe, ne corpore ſuo ad Idololatriam abuterentur Ægyptii. Sed nullam iſtius cautionis reddere poſſunt rationem, quæ potius locum habuiſſet in Joſepho. Bellarm.lib.1.de purg.ca.4. Patriarchas vult ideo optaſſe ſepeliri in terra ſancta, *ut fierent participes precum & ſacrificiorum quæ ibi offerebantur.* Sed hoc eſt ridiculum, quia tum nulli erant qui ſacrificia purè Deo offerrent in terra Canaan, nec in ea inſtitutus eſt Dei cultus, niſi poſt ducentos & plures annos. Quod ſi dicat, ſpiritu prophetico futurum tempus reſpexiſſe, nec id etiam conſtat; nec ſi conſtaret ad rem faceret, quia nulla ſacrificia oblata fuerunt pro defunctis, nec ſancti poſt obitum opus habuerunt ſuffragiis, quæ ſi neceſſaria fuiſſent, opus non fuiſſet oſſium tranſlatione, quia ſuffragia non requirunt cadaverum præſentiam aut propinquitatem. Impudentes autem ſunt Ieſuitæ, qui *nullam aliam fuiſſe cauſam* pronunciant, hujus patrum deſiderii, cum veteres omnes alias afferant multas, & fictitiam hanc planè omittant. Theodoretus, quæſt.107. in Geneſ. quærit, quare Jacob ſepeliri mandavit corpus ſuum in Hebron? Reſpondet autem, *non quod de ſepultura valdè ſollicitus eſſet, ut quidam putarunt, ſed ut familiam ſuam conſolaretur, ac doceret Dominum ſuum traducturũ illos omnes ex Ægypto, & daturum eis terrã promiſſam.* Hæc fuit vera ratio, qua continebatur fidei profeſſio, de veritate credita divinarum promiſſionũ, in qua teſtabatur ſe etiã moriendo perſeverare. Voluit etiam, ſuorum poſterorum animos in rebus proſperis ab Ægypti opibus & vitiis avellere, ne paterẽtur ſe dulcedine terræ illius ineſcari, ſed ad promiſſam terrã perpetuo aſpirarent. Fuit prætereà terra Canaan ſymbolũ æternę hæreditatis, ad quã hac ratione ſe adſpirare declaravit. Alii alia afferunt allegorica; vel volunt etiã Jacobi cogitationẽ penetraſſe tempora Meſſiæ exhibendi, in eadem terra; imò ſpectaſſe reſurrectionem cum Chriſto; quæ quia incerta ſunt, in priori illa certiſſima ratione conquieſcendum puto, quam ſolidè, ut ſolet, explicavit Calvinus; *Cadaver*, inquit, *ſuum, in terram Canaan deferri jubens, filios ad ſpem liberationis hortatus eſt, ita factum eſt ut mortuus, quaſi tubæ clangore, vivos & ſuperſtites animaverit. Quorſum enim tendebat tanta ſepulchri cura, niſi ut apud poſteros rata eſſet Dei promiſſio?* Huic rationi duæ aliæ poſſunt addi, tanquam acceſſoriæ; quarum una naturalis eſt, altera politica. I. Quod adeo dulcis eſt patriæ amor, ut non ſolum vivi eam homines deſiderent, ſed etiam putent ſe non niſi in ea quodãmodo requieturos. II. Quia civile eſt mortuos, præſertim viros magnos, in patriam ſuam & ſepulchreta familiaria aſportari, quod uſus communis docet. Sed prima ratio potior eſt, & quã intendebat propriè vir ſanctus. Rectè Rupertus, *Iacob exemplum vivis dedit mortuus, ut in ſpe patriæ cœleſtis, pignus amarent æternæ hæreditatis.* Hoc eſt, voluit ſepulchrum ſuum poſteris in terra Canaan habitaturis eſſe μνημεῖον fidei, pietatis, & virtutis, ad cœleſtem patriam cujus typus erat Chanaan, anhelantis.

Quamvis autem hoc tempore nulla ſit cauſa talis, qua fidem noſtram ratione divinarum promiſſionum, teſtatam aliis faciamus, electione particularis alicujus loci ad ſepulturam noſtram; non reprehendimus tamen eorum affectum, qui cum iis quos pios & fideles norunt ſepeliri deſiderant, quantum fieri potuerit; nec eorum qui paternis inferri volunt ſepulchris. Dum modo ſuperſtitio omnis caveatur, quam hac occaſione invectam fuiſſe res ipſa clamat. Finxerunt impoſtores in Papatu, Cœmeteria peculiari benedictione conſecrari, ita ut locus deſinat ab immundis ſpiritibus inhabitari; putant itaque etiam animabus defunctorũ ea ratione cõſuli, & de reconciliationibus Cœmeteriorum multa ſtatuerũt, ſi quid accidat quo polluta fuerint, vel ſepulto aliquo hæretico ut vocant, vel excõmunicato. Id autem inventum eſt, ut ſumptu graventur parochiæ, advocatis Epiſcopis aut ſuffraganeis ad cœmeteria vel conſecranda, vel reconcilianda. Unde inter gravamina procerum Imperii, querelæ reperiuntur de ſumptuum, in talibus, ſuperfluitate; & de venditione ſepulturæ, in locis illis conſecratis.

Eadem tamen ratio quæ movit Jacobum, ut peteret ſepeliri extra Ægyptum corpus ſuum in terra Canaan, cum Abrahamo & Iſaaco, nempe ut teſtaretur ſe mori in fide promiſſionum divinarum, &c. dimovere debet fideles reformatos, ne ſibi procurent ſepulturam in iis locis, in quibus Idololatria ſingulis diebus exercetur, & quæ ipſi viventes fugiunt, aut ea ingredi horrent. Memini me in Gallia ſæpè deteſtatum fuiſſe multorum nobilium curam & ſollicitudinem, qui cum ſe inferri cuperent in monumenta à ſuis condita ſub veteri ſuperſtitione, ſuos etiam tam cõſanguineos quam amicos obteſtabantur, ut ſi cum bona ædituorum aut curionum Pontificiorum venia fieri non poſſet, etiam vi adhibita eos tumularẽnt in ſacellis occupatis à ſacrificulis, ibidem quotidiè miſſam celebrantibus; quod fieri non poterat ſine offendiculo & turbis ita ut aliquãdo accideret, procurãntibus epiſcopis ut exhumarentur inde cadavera. Præter politica offendicula & pericula; dicebam, vel id ſuperſtitionẽ redolere, vel ſaltem infirmis occaſionẽ dare cogitandi eos de tali ſepultura judicaſſe perperam, ac ſi faceret aliquid ad animæ levamentum. Potuiſſe etiam opinionem alicui ingerere, non ita eos abhorruiſſe vivos à ſuperſtitionibus, qui mortui dormire voluerunt cum idololatris. Obtendebant quidem illi ſe nihil tale habere in animo, ſed hæreditaria eſſe ſepulchra, quibuſcum etiam conjunctum eſſet aliquod jus temporale, ut patronatus, vel etiam prælationis in ſedibus aut ingreſſu, & ſimilibus, quod nollent amitti, ſi quando veræ religioni templa illa inſervirent. Sed alia ratione huic juri conſervandò provideri potuit; præſtaret etiam, id quicquid

quid eſt amittere, quàm minimam ſcandali occaſionem, vel anſam præbere.

Hoc etiam notandum eſt, quamvis veteres pii ſub Veteris Teſtam. pædagogiâ rituum & cæremoniarum opus habuerint, nunquam fuiſſe electos ad ſepulturam defunctorum, etiam piorum, locos, in quibus cultus divinus celebrabatur. Imò ſemper extra civitates, in locis à viventium habitaculis ſeparatis, mortuorum cadavera fuiſſe condita. Imò ſanioribus Ethnicorum id probatum fuit, *ne corpora mortuorum in civitate conderentur, ne inde contaminaretur.* Ut ex Legib. XII. Tabul. conſtat. Ulpianus ſcriptum reliquit, *Adrianum Imp. pœnam ſtatuiſſe aureorum* XL *in eos qui in civitate ſepulchrum feciſſent, quam fiſco inferri juſſit*, & in ipſum Magiſtratum ſtatuit pœnam, qui id pateretur. Pii veteres in libero campo ſepulturæ locum ſibi delegerunt. Sic Abraham in ſpelunca adjacente agro. Debora ſubter quercum fuit ſepulta, Gen.35.3. Rachel in via. ℣.19. Joſeph in parte agri Sichemitici Joſue 24.32. Ieſus ipſe extra urbem; extra urbes enim tunc fuiſſe ſepulchra, ex multis locis Evangeliorum apparet. In Eccleſia primitiva id obtinuiſſe teſtatur Chryſoſt. Serm. de fide & lege. *Omnis civitas, omne caſtellum, ante ingreſſum habet ſepulchra.* In Bracharenſi Concilio, ſeculo VII. habito, cap.36. decretum fuit, *ne corpora defunctorum, intra baſilicas ſanctorum tumulentur, ſed ut omnes ſepulturæ fiant extra civitates.*

Superſtitione invaleſcente & incenſo purgatorio, cœmeteria templis fuerunt adjuncta, ſub eo prætextu, ut qui convenirent in templis, in ſuis orationibus & oblationibus memores eſſent defunctorum, quorum ibi requieſcebant corpora. Tandem etiam ipſa templa in cœmeteria fuerunt converſa, quod tamen paulatim invaluit contra veterem morem, initio paucis in locis, & quibuſdam reclamantibus. Stephanus Durantius lib. 1. de ritibus Eccleſ. cap. 13. multas citat conſtitutiones quibus id prohibebatur, inter quas hæc notanda eſt ex Capitulari Caroli Magni, lib.1. cap.159. *Ut nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat.* Quam conſtitutionem Præſes ille Pontificius, valdè laudat. *Ea enim erat*, inquit, *veterum Patrum Religio, cavere diligenter ne intra Eccleſiam defunctorum corpora ſepelirentur. Hæc pia majorum conſtitutio, à Carolo magno fuit inſtaurata.* Quam etiam à tempore Optati Milevitani arceſſit, apud quem hæc leguntur lib.3. contra Parmenianum, *Nec ſepultura in domo Dei exhiberi conceſſa eſt.* Conqueritur tamen, *hodiè contra Majorum leges & inſtituta, recepta conſuetudine, Chriſtianos, nedum Imperatores & ſacerdotes, quibus id poſteà indultum fuit, ſed etiam laicos paſſim in Eccleſia ſepeliri.* Hunc morem, quem invexit avaritia & ſuperſtitio, valdè vellem apud nos, cum aliis ſuperſtitionis reliquiis eſſe abolitum, & priſtinam conſuetudinem revocari, ut ſepulturæ publicæ in campo libero & aperto, extra civitatum portas conſtituerentur. Id etiam convenientiſſimum eſſet uſibus civilibus, quia in locis recluſis, non poteſt aër non affici tetro cadaverum odore, ita ut nec mortuis hac ratione conſulatur; nec viventium pericula caveantur; præſertim morborum contagioſorum tempore, quo promiſcuè cadavera peſtifera conduntur templis, in quibus quotidiè convenitur. Quod ſanè horrendum mihi, & aliis multis merito viſum eſt.

Sed non ſine cauſa mirum videtur, quod cum Papatus totus fermè ſit conſarcinatus, partim ex abrogato jam olim Levitico cultu, partim ex Ethnicorum ſuperſtitionibus, id tamen contra Judæorum morem, contra Ethnicorum veteres leges invexerint, ut ex cœmeteriis templa extruxerint, & ipſa templorum penetralia in cœmeteria converterint. Lex certè Moſaica pollutum judicabat qui cadaver contigiſſet, nedum ut permiſiſſet aris ipſis & templis cadavera recondi. Quid Legibus XII tabularum ſancitum fuerit vidimus. Paulatim tamen apud Ethnicos id invaluit, quod poſtea Pontificii ſunt imitati, quibus Cyrillus lib.10. contra Julianum hoc objicit, *illorum templa celeberrima, fuiſſe ſepulchra aut monumenta mortuorum.* Quod in Pontificios retorqueri poteſt. Utinam & nobis idem objici non poſſet! Hæc non ideò dicimus, quod non probemus honeſtam fidelium ſepulturam, imò corporum poſt mortem conjunctionem, eorum quorum animæ in fidei unione perſtiterunt, quantum quidem fieri poteſt: ita tamen ut, ſi accidat ut vel planè ſepultura priventur, vel arceantur locis illis in quibus honorificè alii ſepeliuntur, cum Auguſt. lib.1. de civit. Dei cap.12. ſentiamus, *Multa corpora Chriſtianorum terram non texiſſe, ſed nullum eorum quemquam à cœlo & terra ſeparaſſe, quam totam implet præſentia ſui, qui novit, unde reſuſcitet quod creavit.* Et cum Chryſoſtomo, *ubicumque ſepeliamur, Domini eſt terra & plenitudo ejus, ſecundùm quod oportet fieri efficiatur.* in Epiſt. ad Ebr. Homil.26. in cap.11.

EXER-

EXERCITATIO CLXXII.

Expenditur verſ. XXXI, *& difficultas quæ ex ambiguitate vocis* מטה *orta eſt jam olim, enodatur. An pro* lecto, *an pro* baculo, *ſit accipienda? Variorum interpretum collatio. Conſideratur Apoſt. locus ad* Hebr. XI. verſ. 21. *& ejus cum hoc loco conciliationes perpenduntur. Refellitur pluribus argumentum Pontificiorum pro adoratione imaginum, & ejus multiplex inconſequentia oſtenditur. Redarguitur Vaſquez. Plurimorum Pontificiorum, etiam Ieſuitarum, adducitur conſenſus. Autorum capitularis Caroli M. ad idem argumentum reſponſio. Refutatur exceptio Grammatica. Nugamenta quorundam. Cur Iacob tum adoraverit Deum?*

SUpereſt expendendus XXXI, qui ultimus eſt hujus capitis verſiculus, qui peculiarem habet difficultatem. *Et dixit, jura mihi, & juravit ei.* וישתחו ישראל על-ראש המטה *vajiſchthachou Iiſrael ál roſch hamittah,* ad verbum, *& inclinavit ſe Iſraël, vel incurvavit ſe, ſuper caput lecti.* Vulgata, *Quo jurante, adoravit Dominum, converſus ad lectuli caput..* Chaldaica Paraphr. Onkeli, *lectum* etiam interpretatur. Item, autor Hieroſolymitanæ. Aquila προσεκύνησεν ἐπὶ κεφαλὴν τῆς κλίνης; Symmachus ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης; ad ſummitatem lecti. Hieronymus, in traditionibus Ebraicis in hunc locum; *In hoc loco*, inquit, *quidam fruſtra ſimulant adoraſſe Iacob ſummitatem ſceptri Ioſeph, quod videlicet honorans filium poteſtatem ejus adoraverit, cum in Hebræo multo aliter legatur, & adoravit*, inquit, *Iſraël, ad caput lectuli. Sanctus quippe & Deo deditus vir, oppreſſus ſenectute, ſic habebat lectulum poſitum, ut ipſe jacentis obitus abſque difficultate ulla, ad orationem eſſet paratus.* Auguſt. Steuchus Eugub. dicit LXX *fuiſſe æquivocatione deceptos*, quia eadem dictio ſine punctorum diſtinctione, & lectum & baculum ſignificat. At ſi punctis diſtinguatur nihil remanet ambiguũ. Verterunt illi καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. *Et adoravit Ioſeph ſuper extremitate virgæ*, ſuæ, vel *baculi ſui*, aut *baculi ejus*, nempe Joſephi, quia iterum in Græcis eſt ambiguitas, quia vox αὐτοῦ, poteſt legi vel ſine aſpiratione vel cum aſpiratione; ut reciprocè ſignificet, vel relativè. Reciprocè acceperunt Complutenſia exemplaria; quæ ita vertit Arias, *& adoravit ſuper extremitatem virgæ ſuæ.* Sic etiam Auguſtinus in emendatis exemplaribus lectum fuiſſe monuit, in tractatu quæſt. 162. in Geneſ. *Nonnulli*, inquit, *codices emendatius habent, ſuper caput virgæ ſuæ.*

Præcipua differentia eſt in vocibus *lecti & baculi*, quam omnes inde ortam eſſe agnoſcunt, quod cum LXX uſi fuerint codice ſcripto ſine punctis vocalibus (jam non diſcutio, an puncta vocalia tunc quibuſdam codicibus fuerint adſcripta) vox autem Ebræa מטה *mem, teth, he*; pro ratione vocalium quæ ſuppleri debent utramque pati poſſit ſignificationem, ut *lectum* ſignificet, ſi legatur מִטָּה *mittah*, baculum vero ſive ſcipionem cui quis innititur, ſi legatur מַטֶּה *matteh*, à radice נטה *natah* utrumque deductum ex ſignificatione *inclinandi*, vel *extendendi*, quia nitimur baculo, aut eum etiam extendimus. Extenditur etiam cubile, in quo reclinamus. Quænam ſit propria loci ſignificatio inquiritur. Difficultatem auget quod Apoſtolus ad Ebræos cap. 11. ℣. 21. interpretationem LXX ſequutus eſt. Quæ eo major eſt apud Pontificios, quod vulgata editio hic ſequuta eſt punctationem Ebræorum, quam fuiſſe etiam Hieronymi ſententiam ex præcedentibus conſtat. Cui favet ſimilis phraſis uſurpata de Davide, 1. Reg. cap. 1. ℣. 47. Et *adorabat Rex ſuper* המשכב *hamiſchkab, lecto*, qua oſtenditur morem fuiſſe ſenum aut infirmorum lecto affixorum, in ipſo lecto adorare, ita ut tamen inclinarent ſe verſus lecti caput. Venerabilis Beza, præfert verſionem LXX, tum quia eam ſequutus eſt autor Epiſt. ad Ebræos; tum quia nondum videbatur tum lecto affixus Jacob., de quo poſteà cap. 48. dicetur, quod nunciatum fuerit Joſeph, quod ægrotaret; quod factum fuiſſe poſt petitionem illam Jacobi verba præ ſe ferunt. *Fuit poſt verba hæc*, Vulgata, *His tranſactis.* unde ſequitur nondum tum ægrotaſſe, cum hoc juramentum à filio exegit. Fieri tamen potuit, etſi tum non ægrotaret ad mortem, vel quod decubuerit in lecto, vel ſaltem ſederit, quod ſæpè faciunt ſenes decrepiti, qui commodè ſe ſuſtinere non poſſunt.

Si nomen Ebræum utrobique in generali ſignificatione acciperetur *reclinatorii* ſive *ſuſtentaculi*, minor eſſet difficultas, nec de ſenſu tam eſſet laborandum. Sed cum inter lectum & baculum multum interſit, non poteſt eadem vox de duobus illis intelligi, ita ut utrumque ſimul comprehendat, quod tamen viſum eſt iis, qui ex utraque interpretatione unam conflant, ut Jacob adoraverit inclinans ſe ad caput lecti, quod ut faceret uſus eſt adminiculo ſcipionis ſui, quo innitebatur, ut poſſet ſe movere. Sed rectè monet Gul. Eſtius in cap. 11. Epiſt. ad Ebræ. abſurdum haberi in omni genere ſcriptionis, ut vocabulum æquivocè duo ſignificans, ſimul ſtet pro utroque ſignificato; meritoque negare viros doctiſſimos, eandem ſcripturam habere plures ſenſus literales. Alium igitur modum proponit, quem

à Corn. Janſenio ſe habere profitetur; Apoſtolum, quod apud LXX legebatur, ſive cum Ebræo fonte conveniret, ſive non, oportune allegaſſe, ſuoque inſtituto accommodaſſe, quod ea verſio apud eos, ad quos ſcribebat Helleniſtas nempe Judęos, in autoritate eſſet ac veneratione, ut hæc ſit allegatio non tam ſcripturæ, quam rei conceſſæ; quod ſine dubio rectè fieri potuit, & ad docendum atque exhortandum valet ſuo modo; quaſi diceret, & adoravit ſuper extremitate baculi ſui, quemadmodum habetur in Bibliis Græcis quæ vos legitis. Hanc ego ſolutionem non inconcinnam judico, ita ut maneat literalis & propria expoſitio quæ legitur in Ebræo textu Geneſeos, & ſic legebatur tempore Hieronymi, Aquilæ & Symmachi; & cum idem eſſet ſenſus, noluerit cùm Helleniſtis Apoſtolus de verbis litigare. Verum enim eſt quod ait idem Eſtius, eos qui aliter reſpondent ſe torquere miris modis; niſi quis dicat, quod Bezæ placuiſſe notavimus, in vocis ambiguitate, neutrum interpretem eſſe reprehendendum, quorum ille ſignificationem unam, hic aliam quam etiam vox ſignificabat adhibuerit; ſed poſt Apoſtoli judicium ſublatam eſſe æquivocationem, & de vocis ſignificatione hujus loci ratione, nunc dubitandum non eſſe. Omnes in eo conſentiunt, apud Apoſtolum agnoſcendum eſſe verum illius loci ſenſum. Sed arripiunt Pontificii vulgatæ ſuæ editionis verba, ut ſenſum hunc ei affingant, quaſi voluiſſet per fidem Jacobum adoraſſe ſummitatem baculi, quem Joſeph in manibus habebat tanquam dignitatis inſigne. Hoc enim volunt, baculum non fuiſſe Jacobi, ſed Joſephi; nec baculum fuiſſe vulgarem, ſed ſceptrum; fuiſſe autem ſignum poteſtatis ejus, aut ut alii voluerunt, fuiſſe ſignum Chriſti. Itaque ex his omnibus cudunt, quemadmodum Jacob dum voluit adorare & venerari poteſtatem filii, oſculatus eſt ſummitatem baculi ejus, & ſigno adorationem exhibuit: Ita etiam licuit Chriſtianis imagines & alia ſigna ſacra religioſè adorare, & in eis venerari, ea quæ talibus ſignis ſignificantur. Primùm, ſi daretur totum id quod ſupponunt, & baculum fuiſſe Joſephi, & fuiſſe ſignum poteſtatis, & fuiſſe adoratum, quæ ſunt αἰτήματα probanda, non tamen ſequeretur quod volunt. Ratio eſt, quia adoratio baculi pro civili poteſtate Joſephi, non potuiſſet alia eſſe quam civilis, non religioſa. A civili autem adorandi modo, ad religioſam adorationem conſequentia non valet. Quia ſi homines inter ſe conſentiunt de quibuſdam adorandi modis civilibus, non continuo trahenda eſt analogia ad modum adorandi religioſum, qui deſumi non debet à moribus hominum, ſed à Dei inſtitutione. Itaque ruet argumentum Conciliabuli Nicæni, quod ut tueantur, id, quantumvis abſurdum, adverſarii affingunt Apoſtolo. Scio tale quid reperiri apud autorem qui nomen Athanaſii ementitur, in quæſt. ad Antiochum; idem citatur ex Leontio in Dialogo V contra Judæos, & Damaſceno. Sed autores illi omnes fuerunt Iconolatræ Græculi, quorum, in ea re, nullam rationem habemus. Chryſoſtomus quidem putat adoraſſe Joſephum, & ita impleviſſe, quod prædictum fuerat de Sole & Luna; ſed id non trahit ad Idololatriam.

Pontificii aut coguntur deſerere ſuum interpretem authenticum, aut fateri objectum adorationis fuiſſe Dominum, non Joſephum. Nam impudentiſſimum eſt, quod Vaſquéz in Epiſt. ad Ebræos, dicit interpretem, per vocem *Dominum*, non intellexiſſe Deum, ſed *dominum terræ*. Primum enim, nullibi extat exemplum, ubi vox Domini abſolutè ſumpta, accipiatur pro alio quam pro ipſo Deo. Secundò, ſciebat Jacob filium ſuum non eſſe Dominum terræ, nec potuit eum adorare ut talem. Alia ratio fuit filiorum Joſephi, qui dum eum non agnoſcerent, nec ſcirent an hæres eſſet regni, eum ita appellabant. Nec ullus eſt interpretum, qui in Moſem ſcripſerunt Latina commentaria, qui alium Dominum à Deo intellexerint. Certè Auguſtinus apertè dicit Deum adoraſſe. *Si legamus virgæ ſuæ*, inquit, *facilè intelligitur, ſenem, qui virgam ferebat eo more quo illa ætas baculum ſolet, ut ſe inclinavit ad Deum adorandum, id utique feciſſe ſuper cacumen virgæ ſuæ, quam ſic ferebat, ut ſuper eam caput inclinando, adoraret Deum*. Si vero *virgæ ejus*, id eſt Joſephi legatur, etiam ibidem Auguſt. exiſtimat poſſe eandem conſtare interpretationem, quia tum cum Joſeph apprehenderet femur patris ut juraret, virgam ejus fortè tulerat pater, *& dum illam teneret, poſt verba jurantis, nondum illa reddita, mox adoravit Deum.* Auguſt. Eugub. ex Gennadio citat hæc verba, ἐπιστηελκθεὶς δὲ, καὶ ἐπαναπαυσάμενος τῇ ἐν χερσὶ βακτηρίᾳ πληροῖ τὴν προσκύνησιν, id eſt, *cum vellet Deo gratias agere, atque adorare, ſeſe obnoxius erigebat, ſuper ſummum baculi, eique innixus, adorationem implevit.* Ex Diodoro quoque ſimilia citat. ῥάβδον μὲν εἶχεν ὁ Ἰακὼβ, οἷα δὲ γέρων. πότερον δὲ Ἰακὼβ γέρων ὢν, καὶ δυσκίνητος ἔχων, τῷ ἄκρῳ τῆς ῥάβδου ἀψάμων τοῦ Ἰωσὴφ κατεφίλεσεν αὐτὸ τῆς ῥάβδου μέρος, οὗ ἥψατο ἢ Ἰωσὴφ προσκυνήσας τῷ πατρὶ, ἥψατο τοῦ ἄκρου τοῦ ῥάβδου. id eſt, *Iacob, utpote ſenex baculum tenebat, an vero ipſe Iacob jam ſenio confectus, & qui non facile ſeſe movere poſſet, baculi ſummitate tetigit Ioſeph, eamque partem qua eum tetigerat oſculatus eſt; vel ipſe Ioſeph adorato patre, tetigit baculi ſummum.* In quibus, etſi incertus ſit, an Jacob Joſephum, an vero Joſephus Jacobum ſit veneratus; baculum tamen fuiſſe quo innitebatur Jacobus exiſtimavit. *Cajetanus, inclinavit ſe*, inquit, *adorando verſus faſtigium virgæ propriæ, in qua inclinabatur*. Expreſſius Lyranus, *Quia ſenex erat, habebat baculum, ſuper cujus extremitate nitebatur in adorando Deum, unde non eſt intelligendum quod adoraverit ſummitatem virgæ, vel baculi, ſed adoravit Deum innixus ſuper baculum.* Accedunt etiam Jeſuitæ. Emanuel Sa, *Faſtigium. Græcè ſuper faſtigium. ſc.*

nixus

nixus baculo ejus, pro ſuæ. Quæ eſt ipſiſſima Bezæ interpretatio, qui vertit, *& adoravit baculo innixus.* Mariana ex Ebræo, *Adoravit Iſraël Deum ſuper caput lecti, vel ad caput lecti, ſedens in ſuperiori parte lecti.* Etiam Cornelius à lapide in hunc locum, poſt primam illam de adoratione ſceptri ſententiam, *Secundo*, inquit, *& magis genuinè, Iacob gratias agens Deo eum adoravit*, &c. His autoribus ergo fuit adoratio Dei, non baculi; aut poteſtatis temporalis Joſephi in baculo. Autores Capitularis Caroli Magni de non adorandis imaginibus, adverſus Pſeudo-Synodum Nicænam cap. 13. libri primi, negant in Latinis codicibus ſcriptum fuiſſe, *adoravit ſummitatem virgæ Ioſeph*, ſed in quibuſdam, *adoravit ſuper caput virgæ*; Et in Ebræa veritate, inquiunt, cui potiſſimum fides habenda eſt, nullam penitus vel tenuiter virgæ mentionem facit, ſed dicit tantum, *Adoravit Iſraël Deum converſus ad lectuli caput*, in quo, ut ait B. Auguſt. ſenex jacebat, & ſic poſitum habebat ut in eo ſine labore, quando vellet, oraret. Poſteà afferunt interpret. Auguſtini ad verſionem Epiſt. ad Ebræos, de qua ſupra egimus, & concludunt, *Dicant ergo, dicant, quid contra hæc dicturi ſunt, qui ob adorandas imagines, tantum patriarcham criminari non formidant, & Scripturas Sanctas veſana mente permutare affectant. Ecce Hebraïca veritas eundem patriarcham adoraſſe ad caput lectuli clamat: Ecce Latinorum Bibliotheca, eum aut ſuper caput virgæ, aut in cacumine vel ſuper cacumen adoraſſe denunciat; Ecce vir eruditiſſimus Auguſt. & divini muneris flamine afflatus, ſolerti indagatione eum, aut in ſuæ, aut in filii virgæ ſummitate Deum, non eandem virgam, nec eundem filium adoraſſe perſonat.* Hæc illi.

Ut editionem ſuam vulgatam tueantur, qualis nunc eſt, in qua nulla ratio habetur τ̃ ἐπὶ, notant, Græcum προσκυνέω conſtrui cum dativo perſonæ vel rei quæ adoratur; Item cum accuſativo apud exteros ſcriptores ferè ſemper; ut dixerunt apud Herodotum Legati Lacedæmoniorum, ſibi non eſſe licitum ἄνθρωπον προσκυνεῖν. Denique cum accuſativo perſonæ vel rei, præpoſita præpoſitione, quæ conſtructio, quia ex Hebraiſmo deſumpta eſt, apud exteros ſcriptores non reperitur. Sic legimus 1. Reg. 1. adoravit Anna ליהוה *lajova*, ad Dominum. Et hæc quidem vera ſunt, ſed nihil prorſus ad rem faciunt. Nam debuerunt adverſarii proferre aliquem locum apud LXX, aut ex Novo Teſtamento, in quo particulæ Ebraicæ quando ſignificant relationem ad objectum adorationis, verſæ fuerint per præpoſitionem ἐπὶ. Id nunquam facient. Nunquam enim dixerunt LXX προσκυνεῖν ἐπὶ τὸν Κύριον; quemadmodum dixerunt προσκυνεῖν ἐπὶ τὸ ἄκρον, ubi præpoſitio ἐπὶ non tribuitur perſonæ aut objecto adorationis, ſed rei cui innirebatur qui adorabat, ut cum dicitur προσκυνεῖν ἐπὶ τ̃ γῆς, proſternere ſe ſuper terram; προσκυνεῖν ἐπὶ πρόσωπον; proſternere ſe in faciem, ubi non agitur de adoranda terra vel facie. Similis eſt ratio in his verbis ἐπὶ τὸ ἄκρον. Malè igitur in verſione Latina illud ἐπὶ tanquam redundans eſt omiſſum, quaſi referri deberet ad rem adoratam. Non erat ergo cur anxiè quærerent, cur Jacob adoraverit faſtigium virgæ Joſephi, cum id non fecerit: nec etiam aliquid habent ſolidi rationes quas adferunt, nempe id factum à Jacobo volente præfigurare reverentiam quam decem tribus exhibuerunt Joſephi filiis, inprimis Ephraimo, poſt ſeceſſionem à Jeroboamo factam: vel adoratum à Jacobo Joſephum propter dignitatem regiam. Si prima locum haberet, potius Judam adorare debuiſſet, cujus legitima fuit dominatio, & ex quo natus eſt Meſſias. Ad ſecundam quod attinet, non erat locus exhibendi reverentiam Joſepho. Nam ut concedamus potuiſſe ac debuiſſe Jacobum honorem habere Joſepho, cum in loco publico ſuo munere fungebatur, quomodo Fabius Maximus Conſul anno urbis conditæ 541. cenſetur jure ſuo juſſiſſe patrem proconſulem loco cedere, ut refertur apud Gellium lib. 2. cap. 2. Nulla ratio erat cur Jacob in ædibus ſuis, coram filio procumberet, maximè cum exigeret tum à filio juramentum, eo ritu quo Joſeph potius coràm patre debuit procumbere. Quia parentem filius in privatis ædibus debuit honorare, non contra. Nec ferenda eſt aliorum audacia qui vaticinantur, in ſceptro Joſephi neſcio quam imaginem inſculptam fuiſſe; ut nec aliorum, qui nugantur caput lectuli ad quod converſus eſt, fuiſſe orientem verſus; vel terram Cananæam reſpexiſſe, ad quam ſe adorantes convertebant, quæ ſunt audaculorum & otioſorum hominum ſomnia.

Vera igitur ſententia eſt, Jacobum ſive ad caput lectuli reclinatum, ſive ſcipioni ſuo incumbentem, Deum adoraſſe. Si quis autem quærat, quænam fuerit illius adorationis illo tempore, ratio, in promptu cauſa eſt. Convertit ſe ad Deum ut ei gratias ageret, quod voti ſui compos factus eſſet, Deo adſcribens tum quod poteſtatem id faciendi Joſepho dediſſet, tum quod hanc ei mentem indidiſſet, ut prompto animo id ſibi promitteret, peteretque etiam à Deo, ut quod promiſerat filius, eidem daret ut perficere poſſet. Potuit etiam & de aliis multis rebus Deum adorans gratias agere. Et de hac corruptela quidem hactenus, de qua pluribus agere viſum eſt, quia *non ſatiatur* adverſariorum *impudentia*, *nec repletur inſipientia*, quod de Meſſalianis ſcripſit Epiphan. Hæreſ. 80.

AD CAPVT XLVIII.

Exercitatio CLXXIII.

Capitis XLVIII *ſumma & partitio. Corroboratur Iacob accedente Ioſepho cum filiis. Promiſſionis repetitæ ſumma & ſcopus. Duos filios Ioſephi voluit Iacob facere duas tribus. Eos ideo adoptavit. Ejus firma fides & Ioſephi. Cur ſepulturæ Rachelis meminerit? Liberi, donum Dei. Deus ſuis concedit multa præter & ſupra ſpem. Quæ fuerit ætas Ioſephi filiorum, cum eis benedixit avus. Cur Ioſephus ſe incurvaverit? Qua ratione impletum fuerit in Iacobo, quod ſomnio Ioſephi fuerat prædictum? Collocatio filiorum Ioſephi, pro ætatis ratione. Dextrum latus antefertur ſiniſtro. Cur Iacob eum ordinem immutaverit? An decuſſatis brachiis figuram crucis voluerit exprimere Patriarcha? Negatur. Miraculum fuiſſe in illo delectu. Quid ſit,* fecit intelligere manus ſuas? *Manuum impoſitionis ritus.*

CAP. XLVIII continet acta Jacobi cum Joſepho & filiis ejus, quibus teſtamentum particulare ante mortem condidit, adoptatis duobus Joſephi filiis ut tribus facerent in in Iſraële, & legata parenti portione ſpeciali terræ Canaam, quam ſingulari jure poſſidebat. Duæ ſunt præcipuæ partes. I. de adoptione & benedictione nepotum. II. De donatione Joſepho facta. Prima habet varia membra: Notat enim Moſes I. Tempus; quod hæc geſta fuerint poſt juramentum pręſtitum, de translatione oſſium Jacobi in terram Canaam; II. occaſionem, quod ægrotanti parenti adfuit filius, audito nuntio de ejus adverſa valetudine, ex qua conjecit finem ejus inſtare; itaque duos filios ſuos ſecum ad patrem adduxit ℣. I. III. Jacobi ipſius conatũ adventante filio, qui *confortatus ſedit in lectulo* ויתחזק יש' וישב על המטה. *vajitchazek, vajeſcheb al hammittah*. ad verbum, & *confortavit ſe, & ſedit ſuper lectum*, ubi eadem vox habetur quæ verſu ultimo præcedentis capitis *mittah*; quod etiam argumento eſt, utrobique ſimiliter legendum fuiſſe. Bonus ſenex audito chariſſimi filii adventu, vires reſumit, & aliquo modo ſibi vim facit, corpus languidum utcumq; erigens. Potuit aliquid gaudium; ſed agnoſcendum eſt ſpeciale aliquod Dei donum, quo ſpiritum fortitudinis corpori morituri, & ſpiritum prophetiæ, animæ ſuis valedicturi, indidit. Quæcumque enim ſequuntur, extraordinarios & pluſquam humanos motus indicant. Itaque Deus in debili organo fortiter operatur.

Noluit Deus Joſephum fruſtrari ſua ſpe, qui etſi veniſſet officii cauſa, ut parenti in extremis adeſſet, eique officia ſuprema redderet, fidei tamen præcipuè ſuſtentandæ & profitendæ ſtuduit. Voluit enim teſtari, ſe non Ægypti dulcedini adhærere, aut in ſua illa conditione acquieſcere, quaſi temporalibus deditus, de ſpiritualibus non cogitaret. Cum ergo veneraretur patrem, tanquam eum cui futurum ſemen benedictum fuerat promiſſum, verum Eccleſiæ antiſtitem, & doctrinæ cœleſtis cuſtodem, ad eum venit cum liberis, ut benedictionis ejus participes fierent, quam ratam fore apud ſe ſtatuebat, ac ſi ex ipſo Dei ore immediatè procederet, quia ſciebat Patriarchas in hoc ſtatu, fuiſſe ſpiritu Dei prophetico impulſos.

Deus ergo ut ejus pietatem & charitatem abundè remuneraretur, afflavit ſanctum ſenem ſpiritu ſuo, cujus nutu & ductu quæ poſteà ſequuntur loquutus eſt & fecit. Narrat primò ſanctus vir verſ. 3. & 4. promiſſionem divinam quam accepit in Bethel, quæ cum fuerit prima, ſæpiùs poſteà repetita, ideò ad fontem voluit digitum intendere, & hanc Dei liberalem promiſſionem repetere, tanquam fundamentum eorum omnium quæ deinceps erat dicturus & facturus: ut etiam animum Joſephi, jam attentum ad promiſſionem, magis ac magis excitaret & confirmaret, ne Ægypti honoribus, delitiis, aut divitiis ſe ineſcari ſineret. quin eò ſemper animum intenderet, quod poſteris Jacobi alia parata eſſet hæreditas.

Promiſſio, de qua ſuo loco actum fuit, ad duo capita revocatur. I. de numeroſa poſteritate; 2. de poſſeſſione perpetua terræ Canaam. Unde ſequebatur, non poſſe in partem hæreditatis venire Joſephi filios in Aegypto natos, niſi inter poſteros Jacobi recenſerentur. Et illi quidem cum eſſent Joſephi ſemen, in partem unam venturi erant, ut filii aliorum Patriarcharum. Sed aliud ſpectavit Jacob in hac ſua quæ ſequitur diſpoſitione. Quia voluit Joſephum in duobus ſuis filiis, duas tribus in Iſraël conſtituere. Ideò eos ſibi adoptat, tanquam filios ex ſe immediatè productos. Hic eſt ſenſus verſ. 5. ubi dicit duos illos filios natos in Aegypto, *ſuos fore*, quod ita explicat, *Sicut Ruben & Simeon mei erunt*; id eſt, non ſecus quam majores natu, aut primogeniti mei, portionem quiſque ſunt in terra mihi promiſſa habituri. Adoptat igitur eos ſibi, ut pater ſit eorum, quorum avus erat,

erat, & uno gradu propiores ſibi faciat, eo actu legitimo, quo is qui natura filius non erat, tanquam filius ſuſcipitur & habetur, quem *adoptionem* Iuriſconſulti vocant. Hoc autem ſe jure ſuo poſſe facere oſtendit, quia terram illam dederat ipſi Deus, de cujus poſſeſſione potuit diſponere tanquam de re ſua: quæ ratio eſt cur donationis divinæ meminerit.

Hâc autem ratione tranſtulit in Joſephum jus primogenituræ, quo ſe Ruben indignum fecerat. Primogenitis enim debebatur portio duplex in hæreditate paterna. Hoc ſingulari privilegio Joſephum ornavit, ut unus faceret duo capita, id eſt, duo ejus filii, perinde ac ſi eſſent hæredes in primo gradu, æquo jure cum patruis ſuccederent, atque ita Joſephi familia duplicem hæreditatis portionem obtineret. Id confirmatur non ſolum ex allato exemplo duorum majorum Jacobi filiorum, ſed etiam diſtinctione inter duos iſtos filios Joſephi, & alios eorum fratres, quæ poſteà ſubiicitur, his verbis, *Filii quos generabis poſt eos tui erunt*, qui etiam in tribubus Jſraelis ſub fratribus illis prioribus recenſeri debuerunt. An autem aliqui nati ſint alii, ſcriptura non dicit. Non tamen fruſtra hanc cautionem Sp. ſanctus adhibuit, ut probabile mihi ſit, Joſepho alios fuiſſe natos filios, ſed quorum nulla facta eſt mentio, quia ex oraculo debuerunt confundi cum poſteritate fratrum ſuorum, & ſub eorum nominibus latere.

In hac diſpoſitione elucet magna fides Jacobi & Joſephi. Cum enim decrepitus ſenex, nepotibus ſuis tam confidenter duas partes terræ illius aſſignat, in qua tanquàm peregrinus vixerat, & ex qua tunc exulabat, viſus fuiſſet hominibus aliis delirare præ ſenio, qui tamen fide certus erat, ratum apud Deum eſſe quod moliebatur. Joſephus item viſus fuiſſet umbram captare pro re ſolida, qui cum eo loco in Ægypto eſſet, qui filiis ſuis ibidem natis amplas poſſeſſiones procurare poſſet, eoſque inter regni proceres collocare, magni beneficii loco ducit clauſulam illam teſtamenti paterni, qua videbatur in exilium cum poſteris ſuis evocari. Uterque enim verbo Dei adhærens, quod ſenſu & ratione non poterat aſſequi, id Deum pro ſua bonitate & potentia effectum daturum eſſe minimè dubitabat. Unde illud ad Ebr. 11. ℣. 9. *Per fidem Iacob moriens ſingulis filiis Ioſeph benedixit.* Quam ideo dixerat Apoſtolus initio capitis, *illud quod facit ut extent quæ ſperantur, & quod demonſtrat quæ non videntur.* verſ. 1.

Sequitur Dialogus inter patrem & filium Ioſephum, occaſione Manaſſis & Ephraimi. à verſ. 7. ad finem uſque capitis. Primò, memorat Jacob, quando & ubi obierit Rachel Joſephi mater, & quo loco eam ſepeliverit. Nota eſt hiſtoria, ſed quorſum hîc referatur, & ad quid, non perinde notum eſt. Nam quod Ebræi interpretes quidam, quos etiam nonnulli recentiores ſequuntur, exiſtimant voluiſſe apud Joſephum ſe excuſare Jacobum, quod dilectam uxorem non alio loco ſepeliviſſet, & non curaſſet referri in ſepulchrum patrum ſuorum; innuiſſe autem ſe non id feciſſe ad vitandos ſumptus, ſed propter feſtinationem, & temporis difficultatem, quaſi in Joſepho deprehendiſſet quædam ſigna admirationis, cur ſibi hanc ſepulturam tantopere procurarit Jacob, de qua pro uxore non fuiſſet ſollicitus; hæc videntur mihi valdè diluta, & otioſa. Non erat enim eadem Rachelis ratio, cui non factæ erant promiſſiones; nec de eo fuiſſe ſollicitum Joſephum probabile eſt. Videtur quidem Jacobi ſermo interruptus, ſed tamen ex præcedentibus & ſubſequentibus, non difficulter poteſt ſuccurrere ratio, cur in hunc de morte Rachelis ſermonem inciderit.

Non ita inconcinnũ eſt, quod alii voluerunt, hac narratione Jacobum animaſſe Joſephum ad repetendam Chananæam cum poſteris, quia chariſſimam matrem in ea haberet tumulatam. Sed tamen non videtur fuiſſe hoc maximi momenti argumentum. Id itaque potius referendum exiſtimo ad rationem actionis illius, qua voluit multiplicare tribus ex Rachele oriundas. Cum enim morte præventa, eo tempore quo Deus Jacobo ſpem fecerat ſuſcipiendæ ex ea majoris poſteritatis, utpote cum ejus vulvam aperuiſſet, quæ anteà fuerat ſterilis, poſt ſecundum partum, imò in ſecundo partu, ſpe ſua fruſtratus eſt, ea ablata. Cui afflictioni alia inſuper fuit addita, de amiſſione Joſephi, ita ut ex illa parte, parum abfuerit ab orbitate. Nunc autem celebrat Dei bonitatem, qui non ſolum ei reddidit Joſephum, quem mortuum putaverat poſt matrem; ſed etiam dedit, ut qui faciem filii ſe non amplius viſurum putaverat, benedictione divinâ videret ſemen ejus, ut loquitur verſ. XI. Ubi eſt oppoſitio quædam ad ea quæ dixerat de morte Rachelis. Ea ſublata, ſpes omnis mihi erat prærepta propagationis filiorum ex ea, nunc vero cum auctus ſis gemina prole, video etiam ex ea, me benedictionis divinæ in multiplicatione ſeminis mei, factum participem. Includitur prætereà ratio, quæ eum movit ut adoptaret ſibi filios Joſephi; quia, cum multiplicem adhuc prolem ex Rachele ſperaſſet, illa vero duos tantum genuiſſet filios, Joſephum & Benjamin, in cujus partu mortua eſt; oſtendit ſe ideò voluiſſe duos Joſephi filios Ephraim & Manaſſe adoptare, ut quod per immaturam uxoris mortem ſibi deceſſiſſe videbatur, hac adoptione compenſaretur & ſarciretur. His dictis, accingit ſe ad benedictionem filiorum adoptivorum, ut quod jam ſtatuerat, ipſis applicet. Cum autem ſubobſcurè videret eos, ob oculos præ ſenio caligantes, quærit *quinam ſint iſti*, qui cum Joſepho venerant, verſ. 8. Piè reſpondet Joſephus, & eadem utitur phraſi, qua parens Eſauo fratri reſpondens Geneſ. 33. *pueri ſunt*, inquiebat, *quos donavit Deus ſervo ſuo.* Sic Joſeph. *filii mei ſunt quos donavit mihi Deus in hoc loco.* Agnovit uterque dono Dei contingere liberos; unde Pſaltes, Pſal. 127. ℣. 3. *Ecce poſſeſſio Iehovæ ſunt filii, merces fructus ventris.* Deo itaque conſecrandi ſunt, & ad ejus honorem educandi.

Juſſit Iacob ut ſibi admoverentur, & finem indicavit, ut illis benediceret. nempe ante quam moreretur. Admotos deoſculatus eſt, & in eorum ruit amplexus, amorem ſuum & benevolentiam teſtatus, verſ. 10. & 11. Inſuper, raptus inter nepotum oſcula & amplexus, in admirationem beneficiorum Dei, in gratiarum actionem erumpit, quod non ſolum Deus dediſſet ut videret filium Joſephum, quem putaverat à beſtiis laniatum, ſed etiam ut amplecti poſſet ejus filios. Quod nunquam cogitaverat eventurum, & quod apud eum erat planè deſperatum, nec poſſibile videbatur, id tamen Deum conceſſiſſe prædicat, præter omnem opinionem & expectationem ſuam. Quod certè memorabile fuit exemplum bonitatis divinæ, qua ſæpè cumulatius auget ſua dona, quam pii auſint ſperare vel petere. *Abundanter* enim *poteſt facere, ſuper omnia quæ petimus aut intelligimus.* Epheſ. 3. ℣. 20. Unde Ambroſius, *Vberior eſt Dei gratia quam precatio, nempe enim plus tribuit Deus quam rogatur. Nam latro rogabat ut ſui memor eſſet Dominus, cum veniſſet in regnum ſuum. Dominus autem ait: Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiſo.* In Luc. cap. 23. Libro x.

Verſ. 12. Et eduxit Joſeph eos מעם ברכיו *meim birkau*, vulgata, *de gremio patris*, ut tolleret omnem ambiguitatem, quia affixum pronomen non ſolum relativè ſed & reciprocè accipi poſſet. Sic etiam accepit Vatablus. Alii *à genibus ejus.* Videntur acceſſiſſe ad avum, ſedentem in lectulo, qui ut eos amplecteretur, eos accepit inter genua ſua. Inde poſt primos illos amplexus eduxit eos Joſeph, ut eos convenienti modo diſponeret ad accipiendam benedictionem. In lecto enim inter amplexus & oſcula, non potuerunt diſponi ut par erat; Erant extra lectum, coram Jacobo ſtatuendi, ita ut tamen manus ejus poſſent eos contingere. Non eſt autem putandum fuiſſe tum illos infantes, quibus hæc ita facta fuerint ut ſe ipſos non moverint, niſi alienis manibus admoti: Joſeph quidem eos manu prehendit, ita ut tamen verbis & mandatis inſtruxerit, quomodo ſe gerere deberent. Nam cum nati eſſent ante ſeptennium ſterilitatis, poſtquam parens ad ſummam illam dignitatem fuiſſet evectus, Jacob autem venerit in Ægyptum ſecundo anno ſterilitatis, non potuerunt minores eſſe viginti uno, aut viginti duobus annis.

Conſideratione dignum eſt, quod poſt abductos à patris gremio filios, Joſephus primum *incurvavit ſe in faciem ſuam in terram.* Id enim fecit, priuſquam filios ſuos aptaret in eam formam de qua poſteà agetur. LXX. interpretes pluraliter verbum interpretantur, ut adoratio referatur ad duos Joſephi filios προσεκύνησαν. Sed veritas Ebræa repugnat, in qua de Joſepho manifeſtè agitur. Hæc autem Joſephi reverentia erga patrem eo ſpectabat, ut gratitudinem ſuam teſtaretur, pro beneficio præſtito, quandoquidem ei duas portiones aſſignaverat in terra promiſſa; ſimulque ab eo ſupplex peteret, ut ſuam benedictionem illis impertiret. Venerabatur enim patrem, non ſolum tanquam patrem, ſed præſertim ut prophetam & Dei miniſtrum in hac actione.

Ex quo etiam colligimus paſſurum non fuiſſe à patre ſe adorari, quod nonnullos voluiſſe anteà oſtendimus. Nam etſi in maxima dignitate conſtitutus eſſet in Ægypto, non ignorabat tamen, quantus & qualis vir eſſet Jacob, non ſolùm ratione prærogativæ ætatis & propagationis; ſed maximè, quia promiſſionum divinarum hæres erat conſtitutus, & ſpiritu prophetiæ donatus. Non poſſum igitur adduci ut credam Jacobum ſe ſubmiſiſſe filio, poſtquàm eum filium agnovit. Nec tamen non fuit impleta prophetia de *ſole & luna*, de qua in ſomnio Joſephi actum eſt; quia priuſquam ſciret Jacob quiſnam eſſet, apud eum per filios ſuos ſupplex factus eſt, eumque muneribus coluit. Loquuti enim ſunt Patriarchæ parentis nomine, quem præfecti illius ſervum dixerunt. Certè mater ejus ſe non potuit ei inclinare, niſi in poſteritate ſua. Itaque non opus eſt ad impletionem prophetiæ ut Jacob, ſciens & volens adoraverit Joſephum; cum potius debuerit Joſeph patri reverentiam, & ei etiam præſtiterit.

Filios ſuos diſpoſuit, ita ut natu major *Manaſſe*, objiceretur dexteræ patris; Ephraim vero ſiniſtræ; quod ita factum fuit, ut patet ex verſ. 13. quod cum Joſeph eſſet ex adverſo patris, & duos filios ſuos ei admoveret, majorem à ſiniſtra ſua haberet, ut dextræ Jacobi reſponderet; minorem à dextra ſua, ut eſſet ad Iacobi ſiniſtram. Rationem habuit naturæ, & inſuper affectus. Nam parentes ferè ſemper magis inclinant in primogenitos naturâ, ut ſuo loco in Iſaaco vidimus. Latus autem dextrum ſiniſtro anteferri apud omnes fere in comperto eſt, unde omnes prærogativæ per dexteram ſolent ſignificari. Sic *ſedere ad dextram*, frequens in ſcripturis, præſertim in exaltatione Chriſti, pro ſummo honore. Scio diſputatum fuiſſe apud nonnullos de ea re, de qua etiam diſſeruimus ad Pſal. cx. Sed quæſtio propriè fuit de duobus unà incedentibus, aut ſimul ſedentibus, quorum unus dexteram alterius claudit, quis in loco eminentiore dicendus ſit collocatus. In eo variarunt ſententiæ, etſi plures ſemper fuerint pro eo qui ſiniſtra ſua, claudit alterius dextram. Sed nulla unquam fuit controverſia, quod ſciam, de duobus ſedentibus vel ſtantibus ad dextram vel ſiniſtram tertii alicujus qui fuerit gradus eminentioris; tum enim, prærogativam ſemper conſequutus eſſe viſus eſt, qui à dextro latere conſtitutus fuit. Quæ res hoc loco manifeſta eſt; patebit enim ex ſequentibus, intentionem Joſephi fuiſſe primum & honoratiorem locum dare Manaſſi primogenito ſuo, ut qui jure naturali primas tenebat, etiam in benedictione avita præferretur fratri.

At Jacob ex inſpiratione divina, aliam diſpoſitionem ſequutus eſt, præter Joſephi animum, qui divinæ ordinationis tum non fuit conſcius. Itaque quamvis caligaret ſan-

ret ſanctus ſenex, falli tamen non potuit, Deo non ſolum ejus intellectum illuminante, ſed etiam ejus manus dirigēte, ita ut naturali manuum ſitu mutato, dexteram ſuam extenderit verſus caput minoris, & ſiniſtram verſus caput majoris, ita decuſſatis manibus, propter ſitum contrarium in quo à patre fuerant collocati. Ridiculum eſt quod quidam Pontificii ſpeculantur de crucis figura, quam voluerit exprimere ſanctus Patriarcha, quaſi propheticè ſignificare voluiſſet per Chriſtum crucifixum, populum Gentilium minorem, prælatum iri populo Iudæorum majori. Quid opus eſt, ubi ratio in ipſa ſcriptura manifeſta eſt, quæ poſteà expreſſis verbis declarabitur, incertis ſpeculationibus inhærere? Sed notanda eſt phraſis, שכל את ידיו *ſchikkel eth jadau*, hoc eſt, *intelligere fecit manus ſuas, quod Manaſſe erat primogenitus.* Notandum eſt Jacobum caligantem non potuiſſe naturaliter diſcernere inter duos illos, quis primogenitus eſſet, quis ſecundo. Nihilominus directus à Deo, ita manus ſuas diſpoſuit, ut eas accommodaverit prophetiæ, atque ita tanquam ſigno infallibili oſtenderit quid in Dei conſilio de ea re fuerit ſtatutum, quomodo ſignis ſuas conceptiones aliquando manifeſtant, qui verbis non poſſunt. Senſus ergo erit, manus adeo peritè & prudenter ipſi prophetiæ accommodans, tranſpoſuit, ut viderentur ipſæ ab eo edoctæ cauſam ipſius commutationis intelligere. Vel alioqui ſumi poſſet hoc dictum effectivè, *fecit manum intelligere*, quaſi diceret, manuum trajectione fecit, ut alii intelligerent eum in benedictione minorem majori velle præferre.

Hic primum impoſitionis manuum fit mentio, ritus uſitatiſſimi apud Ebræos tam in publicis ac ſolemnibus victimarum conſecrationibus, quam in precibus ac benedictionibus privatis, in quibus qui alicui benè precabantur, indicabant hac ceremonia perſonam, cujus gratia Deum interpellabant. Sic oblati fuerunt Domino noſtro parvuli, ut oraret pro eis manus ipſis imponendo, Matth. 19. ℣. 13. & 15. Hic ritus etiam publicè obſervatus fuit in benedictione perſonarum quæ cultui Dei conſecrabantur, cujus fit ſæpè mentio in Epiſtolis Pauli ad Timoth. præſertim 1. cap. 5. quo Apoſtoli uſi ſunt ex veteri illa conſuetudine, Num. 27. ℣. 18. *Edixit Iehova Moſi, ſume tecum Iehoſchuham filium Nunis, virum in quo eſt ſpiritus meus: & imponito manum tuam illi.* Et verſ. 23. *imponens manus ſuas mandatis inſtruxit illum, quemadmodum edixerat Iehova fieri per Moſem.* Et Deut. 34. ℣. 9. *Erat Iehoſchua filius Nunis plenus ſpiritu ſapientiæ, cum impoſuiſſet Moſes manus ſuas ei.* Sic, in primitiva Eccleſia, acceperunt extraordinaria Sp. ſancti dona, quibus Apoſtoli manus imponebant. Act. 8. Quē poſteà ritum in ordinatione Paſtorum obſervatum fuiſſe conſtat, non tanquam ſignum ſacramentale ſalutaris gratiæ, quam propriè non ſignificat; ſed tanquam indicium perſonæ deſignatæ & electæ, & ritus additus publicæ orationi, in ejuſdem perſonę ordinatione ad Eccleſiaſticum munus.

EXERCITATIO CLXXIV.

Benedictionis Ioſephi filiorum formula. Cur Deum deſcribat Iacob à fœdere cum Abrahamo inito? Ambulare in conſpectu Dei. Paſcendi *verbum, quam latè pateat?* מעודי meodi, *quid? Angelum cujus meminit Iacob eundem fuiſſe cum Deo, probatur argumentis. Quæ eadem à patribus contra Arrianos fuerunt allata, Tertull. ſive Novatiano, Athanaſio, Cyrillo, Procopio. Redarguitur Leonardi Marii in Iunium iniquitas. Ejuſdem objectiones retunduntur. Et argumentis confirmatur Angelum creatum non fuiſſe à Iacobo invocatum. Quanti momenti ſit hæc diſputatio adverſus Chriſti hoſtes ex Patribus demonſtratur. Explicatur locus* 1. ad Theſſ. 3. verſ. 11. *verbis Cyrilli Alexandrini. Et quàm in doctrina de Angelorum invocatione religioſa Pontificii faveant Samoſatenianis veteribus & novis, oſtenditur.*

FOrmula benedictionis habetur verſ. XV. & XVI. in qua tria hęc ſunt perpendēda, I. quibus benedicat, II. is à quo benedictionem petat. III. Ipſa benedictio. Ioſepho benedicit. Eum à quo benedictionem petit, appellat *Deum* & *Angelum*; quem deſcribit à beneficiis jam ſibi præſtitis. Benedictionem in genere precatur; in ſpecie ratificationem adoptionis inſtitutæ, & numeroſam poſteritatem. In primo hoc notandum venit, quod dicitur Joſepho benedixiſſe, cum tamen benedictionis verba Joſephi filios ſpectent, nec mirum; quia non tam agebatur de perſona in ſe, quam de familia & poſteritate futura, cujus Joſeph erat radix & truncus, filii rami. Itaque filiorum benedictio eſt benedictio patris, quos ideo Joſeph diſpoſuerat coram patre, ut patriarchali & prophetica benedictione eos in familiam ſuam adſcitos, promiſſionum divinarum faceret participes. Ut autem Jacob fidem ſuam & ſuorum excitet & confirmet, non tantum oſtendit ſe à Deo petere benedictionem, ſed ipſum Deum deſcribit à fœdere cum parentibus ſuis inito, & beneficiis ſibi præſtitis. Fœderis mentio includitur his verbis, Deus, *cujus ambulaverunt patres mei* לפניו *laphanau*, ad facies; id eſt, in conſpectu cujus ambulaverunt Abraham & Iſaac. ubi alludit manifeſtè ad verba fœderis ſupra expoſita cap. 17. ℣. 1. *Ego Deus omnipotens,* התהלך לפני hithalec lephanai, *ambula in*

conſpectu meo, Hanc fœderis conditionem à patribus ſuis ſervatam fuiſſe teſtatur, ut oſtendat manere vim fœderis,& manſuram quamdiu poſteri majorum fidem & pietatem eſſent imitaturi; ſimulque diſtinguit Deũ verum à falſis omnibus numinibus, eum nempe, qui ſe patribus revelaverat, quem coluerant fide & operibus verbo ejus congruentibus. Hoc enim eſt *ambulare in conſpectu ejus*, eum quaſi ſemper præſentem & omnia intuentem revereri, ei ſemper præſto eſſe, & ſtudioſè mandata ipſius capeſſere, coràm eo jugiter, ſanctè & reverenter converſari.

Beneficia præſtita ad duo genera revocat; 1. ad bonorum largitionem. 2. ad malorum averſionem. Primum illud, voce ſignificantiſſima explicatur, הרועה *haroeh*, inquit, *qui paſcit me*, quo verbo cõplectitur quicquid ad vitam corporalẽ & ſpiritualem pertinet, ut videre eſt Pſal. 23. ubi poſtquã Propheta agnoviſſet Deum paſtorem ſuum, inde concludebat, ſe penuriam non paſſurum, vel inopia non laboraturum. Id petierat à Deo Jacob in voto ſuo ſupra cap.28.℣.20.,& 21. Agnoſcit autem Deum id ſibi præſtitiſſe ab initio, quod hac phraſi enunciat, מעודי *meodi*, ad verbum *ab adhuc me*, uſque in hunc diem. LXX. à *juventute*, Vulgata, *ab adoleſcentia*, Pagninus, *à præcedenti tempore*. Tigurini *tota vita mea*; Melius, meo judicio Chaldæus paraphraſtes *à nativitate*, & Tremel. & Jun. *ex quo die ſum uſque in hunc diem*. Hæc eſt enim vis vocis Ebrææ, qua deſignatur continua cura, ab initio ad finem uſque.

Aliud beneficiorum genus his verbis continetur, הגאל אתי *hagoel othi*, qui redemit me ab omni malo, vulgata ſimpliciter *emit*, id eſt, aſſeruit, & liberavit; ſub omni autem malo, intelligitur tam corporis quam animæ malum, à quo ſe redemptum & liberatum profitetur. Unum autem & eundem intelligimus qui nomine Dei & Angeli redemptoris deſignatur, à quo ſolo utrumque beneficiorum genus, quod ſatis patet ex verbo communi ſingularis numeri יברך *jebarech* benedicat. Deus ille qui me pavit, Angelus ille, qui me liberavit. Nam ut ſuprà Angelus ſæpè appellatus eſt Deus, ſic etiam hoc loco Deus appellatur Angelus; quod in ſacra ſcriptura inſuetum non eſſe agnoverunt LXX interpretes. Nam cap.5. Eccleſiaſtis, verſ.5. ubi verba Ebræa ſunt, *ne dicas* לפני המלאך *liphne hammalach*, id eſt, *coràm Angelo ipſo*, LXX vertunt πρὸ προσώπου τοῦ θεοῦ, in conſpectu Dei; & rectè, cum immediatè ſequatur, *utquid iraſcetur Deus propter vocem tuam?* nempe temerè in ejus conſpectu prolatam. In hoc autem quem tractamus loco, ratio multo fortior eſt, ut per Angelum, intelligamus Deum ipſum, non ſolum propter verbum illud ſingulare, ſed etiam propter ה Emphaticum, ſive notificativum המלאך *hammalach*, hoc eſt, *Angelus ille*, princeps nempe Angelorum & Dominus; qui etiam appellavit ſe ipſum האל ביתאל *hael Bethel*, fortem illum Deum Bethelis; quem Jacob Deum agnovit, Geneſ.32. ℣.30.31. maximè autem propter opera quæ ipſi tribuuntur. Cum enim *Iehova* promiſiſſet ſe revocaturum Patriarcham ex Meſopotamia, Geneſ.28. ℣.15. id facit Angelus ille, Geneſ.31. ℣.13. Eidem Jacob tribuit *liberationem ab omni* malo, quod Dei proprium eſſe opus nemo Chriſtianus negare poteſt. Hoc ipſi privativè tribuit autor ſapientiæ, σὺ εἶ ὁ ῥυόμενος ἐκ παντὸς κακοῦ, *tu es qui liberas ab omni malo*. Sap.16. ℣.8. Quod etiam à ſolo Deo nos petere docuit Chriſtus, in oratione Dominica. Inter mala autem quibus impetimur, primum eſt quod aliorum omnium cauſa eſt, peccatum nempe. Liberare autem à peccatis, ſolius Dei proprium eſt. Agitur etiam de Angelo cui tribuuntur honores divini, & à quo non rejiciuntur, quod Angelus creatus non pateretur ſibi fieri, ut ex aliis ſacræ ſcripturæ locis patet. At ſæpè jam vidimus, Angelum illum qui Dei nomen aſſumit, adoratum fuiſſe religioſè à Patriarchis, & hic etiam ab eo expectatur benedictio, tanquam à Deo omnis boni largitore.

Primum quod attulimus argumentum, urget contra Arrianos Novatianus, in lib. de Trinit. adſcripto Tertullian.cap.27. *Si alterum*, inquit, *Angelum voluiſſet intelligi, plurali numero duas perſonas fuiſſet complexus, nunc uni perſonæ ſingularem numerum in benedictione depoſuit, ex quo eundem Deum & Angelum intelligi voluit*. Idem cap.15. ejuſdem libri, *hæreticis* (Simoniacis nempe, Menandrianis & Apelletianis, ut notat Pamelius) annumerat eos, qui per hunc Angelum creaturam intelligunt. *Si quis*, inquit, *hæreticus, pertinaciter obluctans adverſus veritatem, voluerit in his omnibus exemplis, propriè Angelum intelligere, in hoc quoque viribus veritatis frangatur neceſſe eſt*. Athanaſius, inter omnes veteres adverſus Arianos exercitatiſſimus, cum præſentiret, doctrina eorum, qui contendebant Angelis creatis, tales honores, & talia opera, tribui in ſcriptura, quæ in claſſibus argumentorum pro filii divinitate ab orthodoxis merito afferuntur; multis refellit eos, qui creatum Angelum, hic cum Deo volunt fuiſſe copulatum in petitione benedictionis, oratione 4. contra Arianos. *Nunquam* inquit, *quiſpiam precaretur, accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab aliis rebus creatis. Nec quiſpiam hanc verborum formam concepit, Det tibi Deus & Angelus*. Negat ibidem, Jacobum his verbis *aliquem Angelorum creatorum & qui natura Angeli erant, in unum copulaſſe cum creatore Deo, vel omiſſo ſuo nutritore Deo, ab Angelo benedictionem ſuis poſtulaſſe nepotibus*. Et poſt multa in eam rem allata, concludit, *Clarum igitur eſt Patriarcham, non alium in ſuis precibus copulaſſe cum Deo, quam hoc verbum quod Angelum ideo nominavit, quia ſolus eſt qui Patrem revelat, quod etiam ab Apoſtolo factitatum eſt, cum inquit, Gratia vobis & pax, à Deo Patre noſtro, & IeſuChriſto, ita enim certa & firma effici-*

efficitur benedictio. Eadem habet Cyrillus Alexandr. libro 3. Theſauri. *Quod autem non Angelus, ut hæretici intelligunt, ſed filius Dei ſignificetur, inde patet, quod addidit, qui me liberavit ex omnibus meis malis. Hunc fuiſſe Deum in ſpecie humana, divina ſcriptura teſtatur, ex voce ipſius Patriarchæ, vidi faciem Dei.* Procopius Gazæus in hunc Geneſ. locum, *Iacobus cum benediceret adoleſcetulis nominavit Deum, qui ipſum aluit, & Angelum qui eum in omnibus periculis ſervavit, ſemper conjungens Deo Patri, & filium, qui apud Prophetam magni conſilii Angelus vocatus eſt.* Omnes iſti patres & alii plurimi cenſuerunt, hic conjungi duas ſacroſanctæ Trinitatis perſonas, eam autem quæ Angeli nomen aliquando aſſumit, eſſe ſecundam perſonam, quæ futuræ incarnationis, in figura humana, jam tum præludia quædam exhiberet, quia filio, qui à patre mittitur, Angeli nomen κατ' ἐξοχὴν convenit. Itaque non ſatis caſtigari poteſt impudentia Leonardi Marii, qui in hunc ipſum locum ſcribens, cum citaſſet verba Clariſſ. Iunii, quem *hæreticum ſcholiaſtem* appellat, in quibus eadem prorſus cum prædictis Patribus dicit, affirmare auſus eſt, *multum abire Novatorem ab antiquioribus Eccleſiæ doctoribus & patribus, imò & ab ipſa mente Iacobi Patriarchæ, & à gratitudine quam Angelis debemus.* Verba Iunii quæ ipſe deſcripſit hæc ſunt. *Cum eadem ab hoc Angelo petat quæ ab ipſo Deo petiit, eumque pari honore dignetur, non poteſt Angelus ſimpliciter,* id eſt, *creatus ſpiritus eſſe, neque ad alium accommodari quam ad Chriſtum, qui Malach. 3. dicitur Angelus fœderis, quemadmodum Angelus Exod. 14. verſ. 19. idem dicitur Iehova, Exod. 13. verſ. 21. & 14. verſ. 24.* Si propterea Junius ſit *novator,* & *hæreticus ſcholiaſtes,* idem etiam dicendum erit de Athanaſio, Cyrillo, Procopio & cæteris, quorum attulimus verba, quæ Iunius ſequutus eſt eodem ſenſu. Nec certè *veterator* Marius, ex omnibus veteribus unicum attulit, qui hoc loco per *angelum* creaturam intellexerit. Nos plures attulimus qui id directè negant; imò & argumentis contra nituntur.

Ego jam anteà unum & eundem eſſe dixi, qui Deus & Angelus appellatur, nec neceſſarium puto ut dicamus eſſe duorum adjunctionem. Etſi enim indubitatum ſit nobis, in divinis tres eſſe perſonas, non tamen ſequitur, in his verbis innui perſonarum diſtinctionem: Etſi uni perſonæ diſtinctæ, quæ hic dicuntur tribui poſſint, quæ maximè ſe revelavit patribus in externa figura, quam, ut plurimum, ſecundam fuiſſe, non abs re cenſuerunt veteres: Etſi aliquando etiam aliæ perſonæ viſibili ſpecie apparuerint, quod adverſus Arrianos Fulgentius confirmat, ad Monimum lib. 2. cap. 3. Et hanc eſſe rationem puto, cur Angeli nomine aliquando Deus intelligatur ut hoc loco, quia patribus quandoque apparuit ea viſibili forma, qua Angeli ſolebant hominibus apparere. Diſtinctio autem ſumi debet ab attributis, operandi ratione, & honoribus delatis & acceptis, ut hic oſtendimus.

Habet tamen Marius quod reponat contra argumenta ex Patribus in eam rem allata. Primum hoc fundamentum ponit, Certum eſſe Deum per Angelos velle nos juvare & protegere, neque id de Iacobo poſſe negari. Et id quidem concedimus. Secundo dicit, nos ab hominibus qui juvare nos poſſunt ſine præjudicio divini honoris, petere auxilium & ſubſidium, ut à principe, vel Magiſtratu &c. Neque hoc etiam negamus. Subſumit, cur impium igitur putatis ab Angelo petere, quod abſurdum non exiſtimatis ab homine petere? Reſp. Id nihil facere ad locum quem præ manibus habemus, quia de Theſi ipſa non agitatur hoc loco quæſtio, an ab angelis aliquid peti poſſit, ſed de hypotheſi iſtius loci, an Angelus creatus fuerit, quem Iacob hic Deo conjunxit? Nihilominus ad argumentum reſpondemus, non eandem eſſe rationem hominum, cum quibus intercedit nobis humana & civilis converſatio, & Angelorum qui miniſterio funguntur, miſſi à Deo pro hæredibus ſalutis. Quia novimus inter homines eos quos compellamus ſive præſentes voce, ſive abſentes per literas; eorum etiam vocationem, & poteſtatem habemus perſpectam. Non eadem eſt Angelorum ratio. Neque enim ſcimus quinam nobis adſint, quid ſit eis à Deo demandatum, à quo ita toti pendent, ut nihil acturi ſint niſi ex ejus nutu & voluntate; non converſamur cum iis, nec vel verbis poſſumus agere, quia non ſunt ubique præſentes, nec literis. Præterea modus quo Pontificii utuntur in Angelorum invocatione religioſus eſt, nec agunt tanquam conſervi, cum conſervis ſuis, ſed tanquam ſervi cum dominis; cum tamen Angeli non dominentur fidelibus, ſed miniſtrent. Inſuper, cum omnes actiones noſtras fides debeat dirigere, præſertim religioſas; fides autem nitatur verbo Dei; nullum autem habeamus mandatum invocandi Angelos in noſtris neceſſitatibus, non debemus ſapere ſupra id quod ſcriptum eſt. Addo etiam, nullum reperiri exemplum in tota ſcriptura ſacra, in quo fidelis aliquis ab Angelo quicquam petierit religioſo ritu, imo nec communi eo modo quo homines ſe invicem interpellant, niſi quando Angeli aſſumptis corporibus ſub humana ſpecie apparentes, colloquebantur cum hominibus. Quod ſi nunc accideret, idem etiam à nobis fieri poſſe non inficias imus. Sed dent Pontificii vel unum exemplum, in quo Angelum extra apparitionem, aliquis fidelium interpellaverit; & vicerint. Id nunquam poterunt. Nobis ſufficit, ſi eum religioſè invocemus, qui Angelorum opera, bono noſtro, utitur cum vult, & prout vult.

Ad id quod Iunius objecerat, Angelum de quo hic agitur, pari honore cum Deo incedere in verbis Iacobi. Reſpondet per inficiationem: quia primo Deum, poſteà Angelum nominat. At ordo ille non facit inæqualitatem; quia inter perſonas divinas æqualitas eſt, quæ tamen diſtincto ordine nominantur. Aliud eſt quod dicit,

cit, Angelum nominari tanquam miniſtrum & executorem, quemadmodum ſuos fideles Deo & poſteà amicis commendant. Id enim falſum eſſe oſtendunt verba, quia idem opus benedictionis & liberationis tribuitur Angelo, quod Deo, verbo communi, & ad omnia nomina præcedentia relato; quod benè obſervarunt veteres ſupra laudati. Neque ulla eſt petitionis, vel modi, in textu diſtinctio. Denique, hoc etiam animadvertendum, quod *redemptionem ab omnibus malis*, tribuit Angelo, quod opus nulli poteſt tribui inſtrumento, cum ſit proprium primæ cauſæ.

His ita explicatis non eſt difficilis ſolutio argumenti adverſariorum, Si Iacob Angelum invocavit; nos etiam Angelos invocare ejus exemplo poſſumus & debemus; At Iacob Angelum invocavit &c. Ergo. Reſpond. quatuor eſſe terminos propter ambiguitatem vocis *Angeli*, quæ accipitur pro Angelo creato, & increato. Iacob invocavit Angelum qui Deus eſt; ſed non invocavit Angelum qui conſervus eſſet. Poſſumus & debemus cum Jacobo invocare *Angelum fœderis*; Angelos vero creaturas ut precibus noſtris ſollicitemus, nulla ſcriptura docet. Neganda igitur minor, ſi de talibus Angelis intelligatur. Expeditior eſt reſponſio, quam ſi cum nonnullis dicamus, in his verbis non eſſe invocationem, ſed tantum expreſſum deſiderium, quo Jacob ita fieri cupiebat. Impoſitio enim manuū, ut diximus, fuit ritus precantis. Itaque non dubito quin Jacob his verbis ita deſiderium ſuum expreſſerit, ut hęc omnia ſimul à Deo petierit & expectaverit. Proinde ſi Angeli nomen ad creatum Angelum referri deberet, ſequeretur certè, eundem Angelum ſimul cum Deo à Jacobo fuiſſe invocatum. Itaque conſtanter negandum Angeli nomen hic, cum ה Emphatico, alium ſignificare quam eum qui verus eſt Deus.

Præter ea quæ dicta ſunt ad confirmationem noſtræ ſententiæ, diligenter perpendendum eſt Jacobi propoſitum. Volebat benedicere filiis Joſephi, non benedictione aliqua vulgari, ſed prophetica & patriarchali; Noverat ſe tantum verba poſſe proferre, effectum autem ab alio pendere. Itaque aliam eſſe benedictionem verbalem, quam creatura creaturæ poteſt impertiri, aliam realem, quæ ſolius Dei eſt. Clarius dicam, *Benedicere* cum ad Deum refertur eſt *benefacere*, quia apud Deum, *dictum factum eſt.* Deus enim verbo efficit quicquid vult. Ex hac veriſſima conſideratione ſic argumentor. Quam benedictionem petiit Jacob ab eo apud quem dictum pro facto habetur, eam à ſolo Deo petiit: At Jacob petiit benedictionem ab eo apud quem idem eſt dicere & facere; Ergo à ſolo Deo. Major negari non poteſt, niſi ab eo qui propria Dei creaturæ communicare voluerit. Minor autem manifeſtiſſima eſt, quia aliter non benedicit Deus, cujus actionem verbo *benedicat* fuiſſe ſignificatam negari non poteſt. Unde Cyrillus loco ſupra citato ex Theſauri lib. 3. cap. 1. *Si prophetico ſpiritu decoratum Iacobum* hæretici *fatentur, & ſanctum Iacob fuiſſe virum non negant, cujus gratia ipſum ita erraſſe contendunt, ut Angelum cum Deo conjunxerit & una cum Deo benedicere poſſe putaverit? Nolint quæſo ita ſanctum virum vituperare, ſed verum ſenſum inquirant, ſi ſanctum fuiſſe arbitrantur: Sin vero minimè id putant, cur autoritate ipſius ad confirmanda dogmata utuntur?* Ex his Cyrilli verbis apparet. 1 hęreticos dixiſſe una cum Deo creatum etiam Angelum in precatione conjunctum fuiſſe à Jacobo, qui benediceret nepotibus ſuis, ea benedictione, quam à Deo petebat. Idem obiiciunt Papiſtæ, in eo, hæreticorum veterum arantes juvenca. 2. Cyrillum judicaſſe hæreticos illos, injuriam Jacobo feciſſe; ſimulque ſibi ipſis contradixiſſe, qui Jacobum fatebantur prophetam & ſanctum, cui tamen impingebant, quod in benedictione petenda, creaturam cum creatore conjunxiſſet: Eandem injuriam Papiſtæ faciunt Jacobo, totidem verbis, & eadem in cauſa. Ex ejuſdem Cyrilli verbis firmum argumentum contra adverſarios eruitur. *Propheta & vir ſanctus non ita errat, ut creatum Angelum cum Deo in precibus ſuis conſociet, ipſique unà cum Deo benedicendi poteſtatem tribuat.* At Jacobus fuit Propheta & vir ſanctus. Ergo non ita erravit, ut cum Deo in ſua precatione, Angelum creatum conſociaret.

Ex hac autem Cyrilli diſputatione, quæ eadem, ut vidimus, fuit Athanaſii, colligimus quam magni fuerit momenti diſcuſſio argumenti adverſariorum. Quicquid enim afferant, hoc ſemel poſito, Angelos aut ſanctos una cum Deo poſſe invocari, ipſique conjungi in petendis ſpiritualibus & corporalibus bonis; illud idem Arianis & Pneumatomachis omnibus promptum erit uſurpare, quotieſcumque adverſus eorum dogmata proferentur ex ſcripturis argumenta, ex eo quod cum patre invocatur filius & Sp. ſanctus, ut in formula baptiſmi, quam ſemper Orthodoxi oppoſuerunt negantibus Chriſti ὁμουσίαν cum Patre; ſi enim licuerit dicere, Deus & Angelus benedicat pueris iſtis, ſine pręjudicio Dei, etſi fuerit Angelus creatus; ſine exaltatione Angeli ad æqualitatem Dei; nullam vim habebit argumentum pro deitate filii & ſpiritus ſancti; ex eo quod baptiſamur in nomine Patris Filii & Spiritus ſancti. Et certè hoc tempore Jeſuitæ, quibuſcum res eſt cum novis Samoſatenianis Socini diſcipulis, paratos eos reperiunt adverſus talia argumenta. Cum enim eos idololatriæ volunt arguere quod divinos honores reddant Chriſto, quem negant eſſe Deum verum; regerunt ſe non alios honores Chriſto tribuere, quam quos Angelis & ſanctis Pontificii deferunt; religioſos quidem, ſed ſecundarios, non tanquam primæ cauſæ, ſed tanquam ſelectiſſimo veri Dei organo &c. Quam reſponſionem nunquam ſolidè refellent Pontificii, quamdiu manebunt in ea quam tuentur ſententia de hoc Jacobi facto, & ſimilibus; Et ineptum erit Cyrilli argumentum adverſus Eunomium, loco ſupra citato, ex verbis Pauli 1 Theſſ. 3. *Ipſe Deus Pater & Dominus noſter Ieſus Chriſtus*

Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Non enim dirigant, inquit, *pluraliter dixit, quod Græci ſermonis conſuetudo flagitat; ſed, dirigat in ſingulari numero: ut ineffabilem unitatem patris & filii oſtenderet, ſignificaretque non ſeorſum aliquid dari aut fieri à patre, & ſeorſum à filio: ſed ex patre, per filium in Spiritu Sancto; ut ex uno Deo.* Dixiſſent enim Eunomiani à Mario edocti, *Primo Deum Patrem, deinde Chriſtum nominat*, id eſt, *primo autorem, deinde miniſtrum & executorem, eodem modo quo fideles in teſtamentis, ſuos primum* Deo, *deinde fidelibus amicis commendant, non quod hos pari honore dignentur cum Deo.* At nos cum Cyrillo dicemus. *Nemo certè audire patietur*, (nempe qui pius ſit) *dicentem aliquem, utinam Deus pater & angelus quiſpiam dirigat viam tuam. Gratiam enim dare* SOLI *Deo convenit.* Reſpondeant Pontificii, an in benedictione quam poſtulavit Jacob nepotibus ſuis comprehenſa fuerit gratia? Credo non negaturos; quod ſi negarent, *eruere aliquem ab omnibus malis*, eumque facere participem promiſſionum, eſſe gratiam, nemo pius eos pateretur. At gratiam dare ſoli Deo competit; Ergo ſolius Dei fuit benedictionem largiri, quam Jacobus petebat. Quod erat demonſtrandum.

EXERCITATIO CLXXV.

Explicatur phraſis invocari nomen alicujus, ſuper alio; *& quam male accepta fuerit oſtenditur, etiam commiſſis inter ſe adverſariis. Piſcium fœcunditas, verbo multiplicandi ſignificationem dedit in Ebraiſmo. Quanta ſit divinæ adoptionis gratia? Altercatio inter Iacobum & Ioſephum pro dignitatis inter filios Ioſephi præcellentia, fuit extra culpam. Obſervatio Theodoreti de minoribus prælatis majoribus. Adumbratio myſterii divinæ electionis.* In aliquo benedicere, *quid ſit? Benedicendi formula apud Ebræos, ex Fagio. Iacob cur mortis ſuæ proximæ ſuos moneat?* Eſſe Deum cum aliquo, *quid ſit? Vocis* שכם ſchekem *homonymia. Non intelligi de urbe Sichem, ſed de prædio in illo tractu empto. Expoſitio verborum* in gladio & in arcu, *& quomodo Iacob illud prædium ſibi vi acquiſierit. Proponuntur variæ ſententiæ, & quæ maximè probabilis eſt confirmatur. Quomodo Amorrhæi dicantur, qui anteà Hevæi?*

ACtum eſt de objecto benedictionis, & de ejuſdem autore ſive cauſa efficiente. Jam expendenda eſt benedictio ipſa, quæ primò generali voce ſignificatur, deinde per partes explicatur; quarum prima reſpicit adoptionem & inſitionem in Abrahami familiam; ſecunda multiplicationem poſteritatis. Hæc ſpecialia ſunt. Illa tamen etiam ſub benedicendi verbo ſunt comprehendenda, quæ anteà à Jacobo fuerant expreſſa, in commemoratione beneficiorum quæ à Deo acceperat; nempe, quod Deus eum paverat toto vitæ curſu, & quod eum ab omnibus malis eripuerat. Ergo, cum dixit *benedicat pueros iſtos*, is ipſe qui talia mihi fecit; idem eſt ac ſi diceret, paſcat etiam eos, & ab omnibus malis eruere dignetur. Quæ vero addit ſpecialia, hæc ſunt, 1. ויקרא בהם שמי *vajikare bahem ſchemi*, &c. *Vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abraham & Iſaac.* Quibus verbis petit à Deo Patriarcha, ut qui in Aegypto nati erant, extra familiam ſuam, cenſeantur eodem loco quo alii filii, dicanturque Iſraëlitæ, poſteritas Iſaaci & Abrahami, atque ita benedictionis ſint hæredes. Id jam dixerat Jacob ℣. 5. nempe quod id vellet facere, & eos eodem loco habere, quo Rubenem & Simeonem: ſed idem vult hìc divina autoritate ſanciri, & quaſi ratum haberi, & hic eſt verus & genuinus hujus loci ſenſus. Vulgata editio vertit; *& invocetur ſuper eos nomen meum*, &c. qua locutione, etſi in bonam partem poſſit accipi, fœdè abuſi ſunt quidam Pontificii, ut probarent non eſſe alienum à ſcriptura, ſi in religioſis invocationibus, Sanctorum defunctorum nomina uſurparentur; id eſt, ſi ad ipſos ſanctos invocatio dirigeretur. Et id quidem verum eſt, ſæpè in ſcriptura, *nomen Dei invocare*, idem eſſe, quod Deum ipſum religioſè interpellare. Sed aliud eſt *invocare alicujus nomen*; aliud *nomen alicujus in aliquibus invocari*, vel *ſuper aliquibus*; etiam ubi de nomine Dei agitur. Quia tum nihil aliud vult talis locutio, niſi ut cenſeantur eorum eſſe, filii nempe, aut familiares, de quorum nomine dicuntur. Exempli gratia, qui dicuntur filii Dei, aut populus Dei, in eis vocatur nomen Dei. Sic, qui dicuntur filii Iſraëlis, aut Abrahami, ii etiam de eorum nomine vocantur. Hoc eſt quod Ebræa phraſi dicitur, *in eis vocatur*, aut invocatur, *nomen alicujus*. Id agnoverunt etiam ex Pontificiis quibus noti ſunt Ebraiſmi. Hector Pintus in cap. 4. Eſaiæ, *In voce invocetur*, inquit, *eſt Ebraiſmus, & mos Ebræis loquendi familiaris, ut nomen viri invocetur, quando volunt dicere fœminæ nomen appellari per nomen viri.* Ribera Com. in Amos cap. 9. Num. 42. *Nomen Dei invocatum eſt ſuper aliquem populum, quando populus, Dei nomen habet, id eſt populus peculium Dei appellatur, ut Eſaiæ 4. virorum nomen; & Geneſ. 48. Invocetur nomen.* Gaſpar Sanctius, in 4. cap. Eſaiæ. *Vſitatum eſt*, inquit, *apud Ebr. ut à parentibus filii, & à viris uxores nominentur, vel potius in filiis & uxoribus, parentum & virorum nomina invocentur.*

vocentur. Quid pluribus opus eſt? Ipſe Cornelius à Lapide Jeſuita Lovanienſis, in hunc locum ſcribens, nobis dat manus. *Invocetur ſuper eos nomen meum, hoc eſt,* inquit, *vocentur filii mei, ac conſequenter filii Iſaaci & Abrahæ. Ita Theodoretus. Hoc enim in ſcriptura ſignificat,* invocare nomen alicujus ſuper aliquem, *ut cum dicitur,* nomen tuum invocatum eſt ſuper nos, *ſenſus eſt, nos vocamur tuo nomine, puta vocamur filii tui, tuus populus.* Hæc ille. Mirum eſt igitur, non tantum Eccium in Enchirid. ſuo, tam futili argumento uti voluiſſe, ſed ejus etiam non puduiſſe Bellarm. qui lib. de beat. ſanct. cap. 20. ſcripſit, *Nomen invocationis in ſcripturis non tribuitur ſoli Deo, dicit enim Iacob Gen. 48. Invocetur nomen meum, &c.* At quid hoc ad rem, ubi agitur, non de alicujus nomine in alio invocando, id eſt, appellando, ſed de aliquo religioſè invocando? Itaque Gregorius de Valentia lib. 3. de Idolol. cap. 7. ad illum locum reſpondet, *ſe non valdè pugnare velle, nec ſe quod ad rem attinet ex illo loco probare voluiſſe invocationem Sanctorum, quia non penitus certum habebat, utrum Patres Vet. Teſtam. jam vita functi exaudirent vivorum preces, cum non eſſent adhuc beati.* Quod autem tam ille quam Bellarm. abutuntur autoritate Auguſtini, qui lib. loquutionum de Geneſi docet, invocationem non ſolum Dei, ſed etiam hominum eſſe; id de invocatione de qua hoc loco agitur verum eſſe agnoſcimus. Cum enim nihil aliud ſit, ut probatum eſt, quam quod aliquis de nomine alterius vocetur, ejuſque eſſe dicatur, nihil eſt cur negemus, id non ſolum de Deo, ſed etiam de hominibus dici poſſe. At vero Religioſam invocationem non ſolum Deo, ſed etiam hominibus competere, nec Auguſtinus dixit, nec ſi dixiſſet, ejus autoritate moveremur, ut contraria ſcripturis probaremus. Sufficit nobis ſenſum hujus loci hunc eſſe, quem rectè expreſſit Lyranus, id dictum fuiſſe, *quia vocati ſunt filii adoptivi Iacob, & facti ſunt capita duarum tribuum, ſicut alii.*

Secunda pars benedictionis ſpecialis continetur his verbis, וידגו לרב בקרב הארץ *vejidgu larabh bekerebh haaretz.* Vulgata, *& creſcant in multitudinem ſuper terram.* Verbum דגה *dagah*, ſignificat multiplicari inſtar piſcium. Dicitur enim דג *dag*, piſcis, à multiplicatione. Quam ſimilitudinem etiam uſurpavit hoc loco Paraphr. Chald. *ſicut piſces maris multiplicentur.* Nota eſt piſcium fœcunditas. Hæc quoque benedictionis pars pertinebat ad promiſſiones Patriarchis factas, ut ſuo loco vidimus. Sed non ſancta fuiſſet propagatio, niſi præceſſiſſet adoptio; qua poſita, numeroſa poſteritas in terra, fuit ſingulare Dei donum, quia pertinebat ad propagationem Eccleſiæ. Si autem tanti fuit adoptio in familiam Abrahæ, propter adoptionem in familiam Dei cujus erat ſymbolum, quanti nunc fieri debeat, quod cenſeamur filii Abrahami, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, ex eo judicandum eſt; cum præſertim tales propter Chriſtum, pater ſupremus ſibi adoptaverit filios, quos acceptos habet in dilecto, ut fratres ejus, cohæredes futuros cœleſtis hæreditatis. Rom. 8. ℣. 15. & ſeqq. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, per quem clamamus Abba, pater: Et ipſe ſpiritus teſtatur ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei. Quod ſi filii, etiam hæredes; Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, &c.*

A verſu 17. uſque ad 20. narrat Moſes diſcrepantiam quandam ſententiarum inter Jacobum & Joſephum, quæ ex eo orta eſt, quod Jacobus, decuſſatis manibus, digniorem manum capiti minoris filii impoſuerat, ut anteà notavimus. Id cum videret Joſeph, ſciretque non eſſe vulgarem actionem, ſed Jacobum prophetæ partes agere, putaretque falli in perſona, quem in reipſa noverat à Sp. Sancto duci, *id ipſi diſplicuit,* & ut habet textus וירע בעיניו *vajerá beenav,* & fuit malum, id eſt, diſplicens in oculis ejus, nempe quod ita minor præferretur majori. Itaque, voluit mutare ſitum manuum patris, ut obſervaretur ordo naturæ, monuitque patrem, Manaſſen eſſe primogenitum. Sed cum non ignoraret Joſeph, patrem ſuum maximè in hoc actu prophetam eſſe, mirum videri poſſit, quod hoc faciendo errorem ei adſcribat. Reſpond. Joſephum habuiſſe exemplum, ex quo potuit conjicere ſanctos illos viros, etſi in prædictionibus ſuis non errarent, poſſe tamen in perſonis falli, quod ſupra vidimus, in benedictione quam accepit Jacobus, cum putaret Iſaac ſe benedicere Eſauo. Voluit itaque Joſeph, qui ſimile quid putabat patri ſuo accidiſſe, ob aciem oculorum hebetatam, eum monere, quinam eſſet ordo naturalis inter nepotes ſuos. Sed aliter accidit quam putabat. Profitetur enim ſanctus ſenex, ſe in eo etiam ſpiritus ductum ſequi, nec vult transferre manus ſuas eaſque mutare. Quin pronunciat inter fratres, minorem, majorem futurum, etſi major etiam ſuas dotes habere debuerit, & creſcere in tribum. In hac ſanctorum virorum altercatione, nihil culpandum eſt. Habebat quiſque rationes ſuas. Joſephus ordinem naturæ putabat id requirere. Jacobus noverat ex revelatione quod Joſepho nondum innotuerat, quænam eſſet ſpiritus voluntas. Sic Sanctorum poſſunt eſſe diverſæ ſententiæ & voluntates, donec de voluntate Dei, cui omnes ſubſcribere debent, certò inter eos conveniat. Itaque peccaſſet Joſeph, ſi poſtquam ei declaravit parens, ſe quidem ſcire quinam eſſet inter utroſque naturæ ordo; ſed in diſtributione donorum ſuorum, Deum aliter agere velle quam is ordo poſceret, adhuc reluctatus fuiſſet. Quod eum non feciſſe, ſed revelatæ Dei voluntati acquieviſſe, ex ſequentibus apparet. Exiſtimo autem cum aliis, quæ hic ſcribuntur à Moſe de altercatione illa, accidiſſe tunc primum cum manus ſuas ita diſpoſuit ſanctus ſenex, ſed ea reſervaſſe Moſem, poſt benedictionem referenda, ne interrumperet narrationem

nem actus principalis. Itaque non abs re judicat Mercerus, verba quæ utrobique dicta & facta fuerunt explicantia, in præterito pluſquam perfecto intelligi debere. *Dixerat ad patrem, & renuerat, &c.* Convenientiſſimum eſt enim, Joſephum in hoc dubio poſitum, non expectaſſe donec parens benedictionem pronunciaſſet. Unde agnoſcendum eſt hic, *hyſteron proteron* eſſe in narratione Moſis, quæ tamen prudenter facta eſt, ne interrumperetur benedictionis formula.

Hic animadvertit Theodoretus, fermè ab initio mundi, minores majoribus fuiſſe prælatos, in benedictionum divinarum diſtributione. Sic Caino Abel fuit præpoſitus; Sem Japheto; Iſaacus Iſmaëli; Jacob Eſauo; Judas & Joſeph Rubeni; Ephraim Manaſſi; David fratribus majoribus. Cur autem id factum fuerit, & inverſus ordo naturalis, nulla alia cauſa dari poteſt præter liberrimam Dei voluntatem. Neque enim hic poſſunt, bona vel mala merita, in conſiderationem venire. Exemplum inſigne hujus rei datum eſt in Jacobo & Eſau, de quibus (ut Apoſtolus notavit) *ante quam aliquid boni aut mali feciſſent,* dictum fuit, *Major ſerviet minori.* De duobus iſtis Manaſſe & Ephraim, etſi in ea ætate eſſent, cum Jacob dixit, *Major erit illo,* in qua apparere potuerunt virtutum aut vitiorum ſpecimina; nihil tamen à Joſepho, ſapiente viro, fuit animadverſum, cur qui natu major erat minori debuerit poſtponi. Deinde nihil fiebat tum, quod ab æterno non eſſet à Deo deſtinatum. Si autem futuras virtutes poſterorum ſpectemus, rectè etiam notavit Pererius, poſteritatem Ephraim multo pejorem fuiſſe poſteritati Manaſſis, cum etiam omnes alias tribus idololatria & omnis generis impietate ſuperarit.

His diſcriminibus liberis agnoſcit etiam Pererius, inter cætera, adumbratum fuiſſe myſterium divinæ electionis hominum ad gratiam & vitam æternam. quam electionem, nullo eorum merito qui eliguntur, vel naturali vel morali fieri, ſed gratuito proficiſci ex benignitate & mera Dei voluntate doctè graviterque diſputat Apoſt. Rom. 9. Prætereà, hac ratione ſignificatum fuiſſe, quam diverſa ſint judicia & ſententiæ Dei, à judiciis & ſententiis hominum, etiam prudentiſſimorum. ut verè dixerit Deus apud Eſaiam cap. 55. *cogitationes ſuas non eſſe ſicut cogitationes noſtras, nec vias ſuas eſſe ſicut vias hominum.* Sic in electione Davidis ad regnum, cum vidiſſet Samuel Eliabum, primogenitum Iſai, putavit coram Domino eſſe unctum ejus, 1. Sam. 16. Sed audivit, *ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum. Nec juxta intuitum hominis ego judico, &c.* Sic ergo Dominus ſępè conſultò jura naturæ mutavit, ut intelligeremus in mero Dei arbitrio poſitum, quod gratis nobis confert. Nam ſi cuique rependeret Deus quod debitum eſſet, tum poſſet ejus gratiis certa præfigi regula; ſed cum nemini quicquam debeat, jure ſuo liber eſt in donis ſuis diſtribuendis. Hoc præſertim docere voluit, nemini in carne eſſe gloriandum, cum eos quibus nulla competebat propria dignitas elegit, & gratuitam miſericordiam ſuam, quaſi data opera illuſtrare voluit. Hæc Dei libertas quæ ad omne bonum extenditur, maximè tamen eminet in adoptione filiorum Dei, ubi ex perdita colluvie, quos vult, ad ſalutem prædeſtinat; in qua ut Deo integra maneat ſua poteſtas, ſi quando obſtrepat ſenſus carnis noſtræ, id nobis ſtatuendum, nullos melius ſapere, quam qui in mirabilibus Dei judiciis cœcutiunt, & cauſam diſcriminis non alibi, quam in Deo quærunt.

Poſt declaratam Ephraimi prærogativam, redit ad communem benedictionem Moſes, quamvis enim minor prælatus fuerit majori, utrique tamen communis fuit benedictio, etſi diſtincta, ſecundum plus & minus: quam tamen in ſe maximam fore declarat ſpiritus propheticus per Jacobum, quando eam proponit, tanquam futuram formulam benedictionis in Iſraële. Sic enim ait verſ. 20. *Benedixitque eis in tempore illo, dicens,* בך יברך *beka jebarek*, in te benedicet Iſraël. Nomen Iſraëlis accipitur hic non propriè pro Jacobo, ſed patronymicè pro populo ex ipſo orituro. Quod autem benedicens filiis Joſephi, dicit *in te benedicet,* non in eis, ob eandem fit rationem ob quam anteà dictum eſt verſ. 15. *benedixit Iacob Ioſepho,* cum tamen benediceret filiis ejus. Filii benedicuntur in patre, pater in filiis ob intimam conjunctionem, quia unam & eandem conſtituunt familiam. Formula quidem benedictionis ex filiis ſumitur, ſed quia filiorum gloria redundat in parentem, ideò, per Joſephum, dicit Iſraëli deinceps benedicturum; nam præpoſito ב *beth*, apud Ebræos, quæ *in*, ad verbum, ſignificat, ſæpè accipitur pro *per*, per te benedicet, id eſt, exemplo tuo, aut te propoſito, tanquam benedictionis divinæ exemplo, non enim efficientem cauſam conſtituit Joſephum benedictionis Iſraëlis; ſed exemplar, & ſimilitudinem ſibi erant propoſituri, ita ut benedictio Ephraimi & Manaſſe tam evidens & manifeſta futura eſſet, ut aſſumi debuerit, tanquam proverbium in Iſraële, quo qui benè precaturi erant liberis ſuis, hac benedicendi formula uſuri eſſent, ישׂימך *jeſchimeka*, ponat ſive conſtituat te Deus, ſicut Ephraim & Manaſſe; id eſt, reddat te auctum & celebrem ſicut illos. Paulus Fagius in hunc locum annotat, hinc poſteà morem inoleviſſe in Iſraël, ut ſi qui viri pietate conſpicui eſſent, illis pueri adducerentur, ut benedicerent eis, ac benè precarentur. quam ob cauſam & Chriſto adductos fuiſſe pueros. Quem morem etiamnum apud Judæos durare ſcribit. Qui vero manus imponit & benedicit, ſi ſit filius ſic dicere, *ponat te Deus ſicut Ephraim & Manaſſe.* quod ſi filia eſt; *ponat te Deus ſicut Saram & ſicut Rebecam.* Ergo *in te*, ſignificat *inſtar tui* & ב fungitur loco כ *caph* particulæ ſimilitudinis. In talibus

talibus autem ſumi ſolent ſimilitudines ab eo quod maximè excellit.

In duobus poſtremis capitis verſibus duo recitantur à Jacobo facta; I. Mortis ſuæ inſtantis prædictio, & Iſraëlitarum in terram patriam à Deo expectandus reditus. II. Donatio partis ejuſdem terræ facta Joſepho, quam Jacob ſingulari ratione à communi terra promiſſa diſtinguit. In primo, loquitur Iſraël in perſona Joſephi, omnibus filiis ſuis, quia ſunt communia omnibus quæ dicit. *Ecce*, inquit, *ego morior* אנכי מת *anoki meth*, ad verbum, *ego moriens*, hoc eſt, jam jam moriturus ſum. Prædicit ſibi inſtantem mortem, præſenti animo & imperterrito. Non enim hoc dicit queribundus, qui jamdiu ad hunc diem ſe paraverat, ſed ut filiis oſtendat tempus eſſe ut cogitet de extremo vale. Prævidebat inſtare ſuis dura tempora & graviſſimas tentationes, priuſquam introducerentur in poſſeſſionem terræ promiſſæ; cum autem ſibi moriendum eſſet, non poſſe eos deinceps re & conſilio juvare; Itaque præparat eos ad ſeriam attentionem, ut poſtremis ejus verbis aures & animum præberent. Quid ergo, ſi moriar an exiſtimare debetis vos eſſe deſtitutos ope neceſſaria? At me deficiente & abeunte *Deus erit vobiſcum.* Inſinuat alium eſſe patrem qui non moritur, qui ſuis ſemper adfuturus ſit. Quid autem ſibi velit hæc phraſis, *Deum eſſe cum aliquo* ſæpè explicatum eſt; intelligi nempe de efficaci Dei præſentia, qui operatur inter eos quibuſcum agit, præſentia gratioſa, ex qua bonorum omnium collatio, & malorum omnium depulſio. Unde illud Angeli ad Gedeonem, Judic. 6. ℣. 12. *Iehova eſt tecum.* Nam Gedeon, cum ſatis intelligeret non de otioſa præſentia id eſſe accipiendum, objiciebat, *ſi Iehova eſt nobiſcum, quare nobis obvenit totum hoc?* noverat quippe, Deum *cum ſuis* dici *eſſe*, quando eos juvat, protegit, fœlicitat, & omnia neceſſaria largitur. Ergo paucis verbis multa pollicetur Jacob. Inter illa autem expreſſe meminit reditus in terram patrum ſuorum, id eſt, Chananæam, in qua patres peregrinati erant, & poſt mortem ſepulti; quæ etiam jure promiſſionis divinæ, patrum erat, poſteritati eorum ſuo tempore tradenda. Sic moritur ſanctus vir in fide promiſſionis divinæ, qua ſuos corroborat adverſus duram ſervitutem quam erant ſerrituri in Ægypto, & moram diuturnam, qua expectare debuerunt donec in terram ſuam reducerentur.

Huic conſolatoriæ promiſſioni addit ſymbolum confirmatorium verſ. 22. donationem nempe ſingularem, qua diſponit de hæreditate quam acquiſiverat in terra Canaan: quaſi diceret, in hujus rei certum ſignũ & teſtimonium, do tibi partem unam, ſupra fratres tuos. Nomen שכם *ſchekem*, ſignificat humerum, latus, & partem, cum accipitur appellativè; Cum autem propriè, accipitur pro civitate Hemor patris Sichem. Propriè intellexerunt LXX. *Do tibi Sichimam præcipuam, &c.* Sed appellativè accipiendum eſſe nomen, ſatis evincit particula אחד *echad*, unam, quæ *parti*, aptè tribuitur, non autem urbi quæ dicta eſt Sichem. Fuit tamen multorum veterum ſententia, hac diſpoſitione datam fuiſſe Joſepho Sichem civitatem, præſertim Græcorum, qui LXX interpretum verſione uſi ſunt. In quam ſententiam inclinat doctiſſ. Mercerus, quia poſteà urbs Sichemitarum ceſſit tribui Ephraim, ut putat; ſed potius tribui Manaſſe, ut patet Ioſue 17. ℣. 7.

Sed Joannes Evangeliſta, cap. 4. verſ. 5. teſtatur prædium fuiſſe juxta Sichem, quod Jacob dedit filio ſuo. Prædium autem illud fuit portio terræ, quam emerat Jacob centum agnis ſive ſiclis, ut expoſitum fuit ſupra cap. 33. Igitur arctandam cenſemus donationem ad illud prædium, nam licet poſteris Joſephi Sichemiticum territorium ceſſerit, non tamen propterea ſequitur, partem fuiſſe donationis illius. Nec magni momenti eſt quod objicitur, donationem illam videri exiguam tanto principi factam, quia pars illa tantum agri ad tabernaculum fuerat empta. Primò enim, etſi eam emerit Jacob, ut ibi figeret tabernaculum, cum amplam haberet familiam & numeroſos greges, non potuit pars illa agri tam arctis limitibus definiri. Secundo, non ſpectanda eſt in doni iſtius dignitate, quantitas terræ, ſed qualitas & ſignificatio; nempe quod nihil aliud tum poſſideret Jacob in tota terra Canaan, præter illam agri portionem. Cum autem Joſepho daret, præter communem ſortem venturã duobus ejus filiis cum reliquis fratribus, quicquid tum ibi acquiſiverat, erat in eo aliquod myſterium, quo ab aliis eum diſcernebat, cui jus illud ſuum ſingulare teſtamento legabat; ut teſtaretur ſe illum conſtituere ſucceſſorem ſuum primarium, eumque etiam hoc ſymbolo, magis ac magis avocaret ab Ægypti delitiis.

Sed præcipua hujus loci difficultas in his verbis conſiſtit, quibus dicit, *ſe partem illam legatam cepiſſe de manu Emorræi, in gladio ſuo & in arcu ſuo.* In quibus verbis duo ſunt expendenda; I. quomodo verum ſit, cepiſſe de manu Emorræi agrum, quem emit à filiis Hemor patris Sichem, qui non videntur fuiſſe Amorræi. II. Quomodo cum gladio & arcu ceperit, ſi numerato pretio ſibi acquiſivit. A ſecundo incipiemus, quia maximi eſt momenti, quo etiam elucidato, de primo poterit facile convenire. Qui hac donatione putant totum Sichemiticum territorium fuiſſe comprehenſum, ſimul etiam propriè accipiunt, quod de arcu & gladio dicitur, id eſt, quod hæc Jacobus ſibi vindicaverit jure belli. Sic enim in ſcriptura norũt hanc phraſim accipi, ubi ſine figura aut tropo intelligenda eſt, בחרבי ובקשתי *becharbi ubekaſchthi*, in gladio & in arcu meo; Arcus enim & gladii nominibus ſignificat ſcriptura omnia belli inſtrumenta, quibus milites feriunt vel eminus, vel cominus. Sic Ioſue 24. verſ. 12. *Ejeci eos de locis ſuis, duos reges Amorræorum, non in gladio & in arcu tuo.* 2 Reg. 6. verſ. 22. *Neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo, ut percutias.* Pſal. 44. 4.

Nec

Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſalvavit eos. Sed qua ratione dicat Jacobus, ſe prædium illud accepiſſe, armata manu, & belli jure, non omnes qui hæc verba propriè interpretantur pariter explicant. Plerique etiam noſtrorum id referunt ad cædem Sichemitarum ob raptum Dinæ, quod ita explicat Mercerus, Simeonem & Levi jure belli terram illam vacuam reddidiſſe; & quamvis modum exceſſerint, juſtam tamen fuiſſe Dei vindictam, qui immiſſo terrore vicinis nationibus, Jacobum cum ſuis ſervavit, ita ut nullus in eos auſus fuerit incurrere; Interim permiſiſſe Dominum, eum frui agro, quem non citra ſævitiam prædati erant filii, quod poſſeſſoribus vacuus eſſet, & vellet Deus eum ipſi concedere, in cōpenſationem juſti doloris de ſtupro Dinæ concepti. Sed hæc non videntur difficultatem ſolvere, quia, vel per arcum & gladium ſuum, intelligit arma quibus filii oppreſſerunt Sichemitas; vel intelligit terrorem immiſſum vicinis gentibus. Si primum, tum ſibi adſcriberet, quod ubique deteſtatur tanquam ſe inſcio factum; ſi ſecundum, tum arcui ſuo & gladio tribueret, quod ſcriptura ſoli Deo adſcribit. Certè non immerito Auguſt. quæſt. 167. in Geneſ. rejicit ſententiam eorum, qui acquiſitionem illam referunt, ad vim illatam Sichemenſibus à Simeone & Levi. Si enim tali bello fuit legitimè acquiſita, debuit potius dari bellatoribus iſtis quam Joſepho; ſaltem ob eam cauſam non debuit eis ſuccenſere Jacob, non ſolum cum adhuc verſaretur in periculo, ſed etiam tum, cum poſt multos elapſos annos, in Ægypto animam ageret, ut poſteà ſuo locó videbitur. Non potuerunt juſtis armis agrum illum acquirere, quæ ipſe parens poſteà, *arma iniquitatis appellat.* Nec potuit Jacob hoc factum ſibi adſcribere, à quo fuerat alieniſſimus.

Alii igitur alias rationes ineunt. Sunt qui dicant, hic intelligendam eſſe prolepſin ſeu anticipationem, & Jacobum ſibi tribuere, quod facturi erant Iſraëlitæ ſuo tempore, quo nationes inhabitantes terram Canaan debuerunt armis infeſtis petere, eaſque debellare. Sed neque diceret Jacob, ſe hoc feciſſe in arcu ſuo & gladio ſuo, nec hanc gloriam Deo præriperet, quam poſteri Jacobi ei reddunt Pſalmo 43. ℣. 4. *Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram, &c.* Ut taceam duram eſſe illam anticipationem, nec, ſi vera eſſet, ad rem futuram fuiſſe; voluit enim aliquid dare Joſepho quod poſſideret alio titulo quam communi illo, quo poſteà totam illam terram occuparunt Iſraëlitæ. Probabilior multo eſt illorum ſententia, qui id referunt ad præteritum tempus, voluntque jure belli ſibi acquiſiviſſe, aut accepiſſe terram illam, non quidem per actionem iniquam filiorum ſuorum, quam etiam tum deteſtabatur; ſed quia Amorrhæi poſtquam exceſſiſſet Jacob, & abjiſſet verſus Hebronem, vi occuparunt Sichemiticum agrum, & ſimul uſurparunt eam partem quam Jacob emerat, quam cum reſtituere nollent, armata manu Jacobus eos expulerit, & rem ſuam ab injuſtis uſurpatoribus detentam, ſibi vindicarit. Hanc rationem excogitavit Andreas Maſius ſcribens in Joſue cap. ultimū. ſed quæ multa habet incerta fundamenta, quæ ſi quis neget, aut in dubium revocet, ei nulla ratione poſſet ſatisfieri.

Alii ergo ad locutionis iſtius figuratam acceptionē recurrunt, & per gladium & arcum intelligunt preces ipſius Jacobi, quibus tanquam armis uſus eſt in ſuis parandis & conſervandis, qui ſenſus placuit Chaldæo paraphraſti, ſed ſine exemplo.

Quod ſi arma pro precibus ſumerentur, nihil eſſet peculiare in hoc agro donato, quia quæcumque habebat à Deo, precibus obtinuerat. Hieronymus aliam profert ſententiam, quam etiam refert Maſius, nec improbat, pecuniam ſive pretium, fuiſſe Jacobi gladium & arcum; quam ſententiam lenitati Jacobi convenire judicat, & animo ab armis alieno, qua ratione anteà diſtinctus fuit à fratre Eſauo. Jactat enim ille alibi ſcipionem ſuum, cum quo Jordanem tranſierat; arcum vero & tela, nuſquam; quippe qui vir erat ſimplex, & ſedentarius. Unde non ineptè nonnulli exiſtimarunt, eum crudelem & perfidam filiorum ſuorum victoriam voluiſſe perſtringere; quaſi ſignificare voluiſſet, arma ſua fuiſſe ea quæ labore ſuo parta erant, nō quibus ſanguinarii filii incautos Sichemitas oppreſſerant. Ego ſanè minoribus incommodis hanc ſententiam eſſe obnoxiam judico, ſed ad ejus explicationem pauca addā. Repeto ex præcedentibus Jacobum voluiſſe partem illam à reliqua terra Canaan diſtinguere, quod tota quidem terra ipſi fuerit à Deo promiſſa hæredibus ſuis, tempore oportuno, poſt Amorrhæorum iniquitatem completam, forti Dei manu & exerto brachio in poſſeſſionem aſſerenda; At vero particula iſta, alterius naturæ ſit, quippe quam ipſe acquiſiviſſet propriis ſuis ſumptibus; quod figuratè dixit arcu meo & gladio meo, quomodo Latini ſolent dicere, *meis copiis*, aut *meo marte*, ſimilitudinibus à bello ſumptis, quibus ſignificant, quid propria operâ effecerint, illudque diſtinguūt ab eo in quo eis opus fuit aliorum opibus & induſtria. Ita Cicero lib. 3. de officiis, *Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, ſed ut dicitur, marte noſtro.* Et Philip. 2. *Rex enim ipſe Dejotarus nempe, ſua ſponte, nullis commentariis Cæſaris, ſimul atque audivit ejus interitum, ſuo marte, res ſuas recuperavit.* Hoc duntaxat videtur Jacob innuere. Sic Plautus uſurpavit *ſuis copiis*, quoties nullis auxiliis adjutus ſuopte ingenio, vel ſuis viribus, aliquid peragit quiſpiam. Idem poteſt ſignificare, *meo gladio & arcu meo.* Etſi enim nihil haberet Jacob, quod à Deo ſe accepiſſe non agnoſceret; potuit tamen diſtinguere, inter illa quæ immediatè habebat à Deo, ſive promiſſa, ſive data, & ea quæ ſibi emebat propriis impenſis. Quam hujus diſcriminis rationem hic maximè probo; quaſi diceret, præter ea quæ cum fratribus tuis habebis communia ex promiſ-

promiſſione divina, ſuo tempore exhibenda; do tibi, quod jam poſſideo, & emptionis jure meum eſt, quod meis copiis & meo marte mihi comparavi, nempe eam terræ portionem; quæ ſola hoc tempore mea eſt.

His ita expoſitis, primam quæſtionem paucioribus expediemus; cur dicantur Amorrhæi, quos Hevæos fuiſſe conſtat. Sic enim anteà dictus fuit Hemor pater Sichem. Reſpondendum enim, Hevæos illos cum Amorrhæis ita fuiſſe permixtos, ut unam & eandem gẽtem fecerint. Et quamvis aliquando diſtinguantur, ſæpè tamen ſub Amorrhæis tanquam potentioribus cõprehendi. Imò videtur Amorrhæorum nomen commune fuiſſe illarum omnium gentium, ut probatur ex cap. 15. ℣. 16. Geneſ. ubi Deus dicit, *necdum completa eſt iniquitas Amorrhæorum.* Quod etiamnum inſuetum non eſt, ut plures populi inter ſe nominibus peculiaribus diſtincti, ſæpè tamen ab aliqua magis nota gente omnes denominentur. Sic in Gallia communiter *Flandros* vocamus omnes Belgas; & *Hollandorum* nomine veniunt apud pleraſque nationes, fœderatæ omnes provinciæ. Non eſt igitur quod in hac difficultate enodanda diutius immoremur.

AD CAPUT XLIX.

Exercitatio CLXXVI.

Caput XLIX *propheticum eſſe. Impia ſententia Rab. Salomoni à Toſtato adſcripta. Capitis partitio. Forma orationis extraordinaria. Non malè titulum huic capiti impoſitum,* Benedictiones Patriarcharum. *Mos benedicendi liberis, vel ſubditis, à ſuperioribus morituris. Opinio quod anima hominis, inſtante morte, divinior efficiatur, quo loco habenda? Hortatio Iacobi præparatoria.* Noviſſimi dies, *quæ phraſis, & quomodo intelligenda?* Principium roboris, *cur dicatur Ruben? Periphraſim eſſe primogeniti, probatur. Primogenitorum prærogativæ. An jure naturæ debitæ?* Effuſus ſicut aqua, *cur id Rubeni tribuitur? pluribus explicatur. Explicatur locus,* Deut. 33. verſ. 6. *Marii & Ieſuitarum quorundam craſſa Phyſica. Cur à ſecunda perſona, in eodem loco ad tertiam fiat mutatio? Amiſſio prærogativarum ſpem ſalutis Rubeni non abſtulit, quem pœnituiſſe anteà facti credendum eſt. Pœnarum uſus poſt reconciliationem peccatoris. Quam neceſſarium fuerit ſcelus illud mulctari; & ex eo documenta.*

Caput XLIX, continet ultima Jacobi brevi morituri verba ad omnes filios ſuos, in quibus non agit de rebus communibus, vulgaribus vel domeſticis, nec humano & communi modo diſſerit, ſed ſpiritu Dei plenus, ea profert, ad quæ nemo hominum ſuo ingenio potuiſſet pertingere, nedum ut moribundus ſenex ea potuiſſet excogitare & enunciare. Ut meritò deteſtanda ſit Rabbi Salomonis audacia, & impietas, ſi quod ei adſcribit Toſtatus proferre ſit auſus, Jacobum quidem paratum fuiſſe benedicere filiis ſuis, ſed recedente ab eo ſpiritu Dei, incidiſſe in delirium, eoque factum eſſe, ut quibuſdam benediceret, quibuſdam malediceret. Quæcumque enim hic dicuntur, ſunt totidem oracula, quæ aliunde procedere non potuerunt, quam ab eo de quo Eſaias cap, 46. ℣. 8. & 9. *Recordamini priorum inde à ſeculo; me eſſe Deum fortem, & nullum præterea Deum eſſe, indicantem à principio finem, & ab antiquitate quæ nondum facta ſunt, &c.*

Prima & præcipua hujus capitis pars, in prædictionibus illis occupatur, uſque ad verſum, 29. Secunda paucis repetit mandatum Jacobi de ſepultura ſua. Tertia ℣. 33. continet brevem narrationem obitus Patriarchę. Forma orationis in prima parte, tota eſt extraordinaria, eximia & magnifica, quale propheticum dicendi genus eſſe ſolet: unde crebræ illæ ſub diverſis verbis anaphoræ, & ſententiæ ſolito contractiores & obſcuriores, metaphoræ item & comparationes perpetuæ. Quia autem hæc miro artificio ſunt diſpoſita, non defuerunt qui putarint hæc non fuiſſe pronunciata à Jacobo hac forma cantici qua nunc diſpoſita ſunt, ſed verborum ſenſu retento, Moſem in carminis formam redegiſſe Patriarchæ dicta, ob ſententiarum pondus & gravitatem, quod idem obſervatur in Jobi ſermonibus. Sed cum difficilius non ſit ſpiritui ſancto, orationem in forma cantici grandiori ſtylo dictare, quam ſimplici & populari, præfero contrariam ſententiam, ut quo auguſtior eſt ſtyli majeſtas, eo magis agnoſcamus vim ſpiritus divini, in tam debili inſtrumento.

Communiter apud pleroſque veterum uſitatum fuit, ut hoc caput inſcriberetur *Benedictiones patriarcharum*, quo titulo Ambroſius librum edidit, in quo explicare conatus eſt quæ hic prædicuntur; qui tamen cum aliis nonnullis veteribus monuit, titulum non cõvenire rei, quia Rubeni, & aliis duobus filiis ſuis videtur maledixiſſe. *Prophetia*, inquit Ambroſius, *dicenda eſt oratio Iacobi, non benedictio; ſiquidem Prophetia eſt denunciatio futurorum, benedictio autem, ſanctificationis &*

nis, & gratiarum votiva collatio. Pace tanti viri, non eſt oppoſitio neceſſaria inter prophetiam & benedictionem; quia etſi non convertantur, poteſt tamen eſſe prophetica benedictio. Communis quidem hominum erga homines votiva tantum eſt; ſed quæ à prophetis & patriarchis pronunciata eſt Dei nomine, verè fuit futurorum denunciatio: ſimulque benedictionis nomine digniſſima; nec de ea quæ hic habetur dubitari debet quin ſimul fuerit prophetia & benedictio, cum verſ. 28. dicat Moſes. *Hæc loquutus eſt eis pater, benedixitque ſingulis benedictionibus propriis.*

Quæ verba non valent ad id confirmandum quod voluit Ambroſius, ut putat Pererius, quaſi benedictiones propriæ, aliæ fuerint à verbis quæ recitata fuerant, quæ tamen ſubjunctæ à Jacobo poſt prophetias, à Moſe eſſent prætericæ. Cum ſenſus verborum Moſis referatur ad ea quæ dicta ſunt, nempe in his verbis quæ protulerat pater, contineri benedictiones omnium tribuum Iſraelis, unicuique ſeorſim ſuam. Itaque non dubito, eos qui appellarunt hoc caput *Benedictiones Patriarcharum*, rationem appellationis deſumpſiſſe ex his Moſis verbis, idque merito. Nam quod objiciunt, tribus primis non videri benedixiſſe, ſed potius maledixiſſe, cum pœnas illis pro ſceleribus patratis irrogandas, vel ſaltem eorum poſteris prædixit, id nos movere non debet, duas ob cauſas; I. Quia denominatio ſumi poteſt à majori parte; itaque etſi immixtæ eſſent aliquot maledictiones; cum tamen maxima pars bonum prædicat, poſſet titulus competere. II. Ne quidem concedendum eſt, maledixiſſe Patriarcham filiis ſuis, etſi vitia eorum taxaverit, & pœnas aliquas eis prædixerit, id enim in eorum bonum cedebat, ut externè caſtigati vitam emendarent, & ſerio ad Deum redirent, quæ admonitio eis profuit & poſteris eorum, ita ut non exciderint ex gratia Dei, nec extra populum ejus ſint ejecti. Hæc igitur paterna correptio, inter benedictiones poteſt & debet recenſeri.

Uſitatus fuit mos apud veteres, ut parentes morituri, ſuis liberis, aut etiam alii qui loco parentum eſſent, ſuis vel ſubditis, vel diſcipulis, extrema darent vel oracula, vel monita ſalutaria. Hoc poſtremum nunc etiam fit ab iis quibus ratio conſtat paulo ante mortem, & quibus ſuorum ſalus curæ eſt; Sed prius illud fuit ſingularis privilegii, quia non datur omnibus ut poſſint oracula fundere, quod fecerunt Iſaac, Jacob, Moſes, Joſue, Samuel, David, &c. Videtur tamen ex his obſervationibus, eam inoleviſſe opinionem, quæ poſteà apud multos Philoſophos invaluit, animum hominis appropinquante morte, diviniorem effici, & vi quadam vaticinatrice afflari & affici, quam opinionem Cyro ſuo affingit Xenophon lib. 8. & Plato Socrati in Apologia: eamque apud Ciceronem lib. 1. de divinat. pluribus exemplis confirmare conatur Quintus Cicero. Sed talia, ut falſo narrata fuerunt; aut à Dæmone etiam fuerunt compoſita, ut hac arte eluderet, quæ noverat à Deo in ſanctis viris fuiſſe facta, efficeretque ut vel naturæ tribuerentur, vel in ſuſpicionem venirent, quaſi aliundè ſuggeſta.

Itaque cum donum propheticum ſingulare & heroicum aliquid ſit, & planè extraordinarium, vitanda eſt κακοζηλία, ne exiſtiment parentes, ſe ſimili modo, ut Jacob & cæteri patriarchæ de liberorum fœlicibus eventibus vel infœlicibus certa prædicere poſſe: etſi non negandum ſit, magnum eſſe pondus maledictionibus aut benedictionibus parentum, de quibus Syracides ait, cap. 3. verſ. 10. *Patris benedictio ædificat liberis domum, & matris maledictio eradicat fundamenta.* Unde illud Orphei, δειναί τοι κατὰ γαῖαν ἐριννύες εἰσὶ τοκήων. *graves ſunt furiæ parentum contra liberos.*

Priuſquam prophetias ſuas pronunciaret Jacob, dicit Moſes verſ. 1. vocaſſe eum filios ſuos, juſſiſſeque ut convenirent, eo fine, ut audirent dicta parentis, annunciantis, quæ futura erant, temporibus noviſſimis. Exordium eſt quidem breve, ſed emphaticum eſt, & ad docilitatem & attentionem captandam accommodatum. 1. quia repetitur mandatum quo jubet eos congregari; ut oſtendat hoc officium nullam poſſe moram ferre, & tempus eſſe, quia inſtabat mortis hora. 2. quia promittit, ſe res futuras indicaturum & quaſi ob oculos poſiturum; id enim ſignificat verbum נגד *nagad*, unde נגד *neged*, coràm vel ante. Sunt autem homines avidi cognitionis rerum futurarum, maximè quæ eos ſpectant aut ſuos. 3. à perſona ſua de qua in tertia perſona loquitur, attentionem eorum præparat. Filii enim patris verba audire debent, maximè poſtrema, qualia hæc erant.

Præmittit autem, hæc ſua dicta non vulgaria fore, ſed prophetica; non ſe auguraturum tantum, aut humano judicio ominaturum, ſed ſpiritu divino certo afflatum, prædicturum quæ ſine dubio ſint eventura. Cum autem futura contingentia ſolus Deus noverit, ſequitur hanc Jacobi denunciationem fuiſſe prophetiam divinitus revelatam; quod tunc non factum eſt per ſpeciem aliquam ſenſibilem, ſed per ſupernaturalem mentis illuſtrationem, quod fuit excellentiſſimum prophetiæ genus. Hoc autem donum voluit Deus uſque ad adventum Meſſiæ in Eccleſia ſua vigere, ut ex prædictionibus, quibus exactè eventus reſpondebant, de veritate patefactæ doctrinæ, magis ac magis, fideles perſuaderentur. Sic Moſes, annunciatione futurorum, firmavit fidem præteritorum. Acceſſit autem, ex Jacobi prophetia, ſpecialis utilitas; quod ex ejus impletione Iſraëlitæ intellexerũt, quæ prænunciata erant, non caſu, neque naturæ neceſſitate; ſed Dei voluntate, & ordinatione contigiſſe: ut

 in omnem

in omnem partem parati eſſent, & vel æquis animis ſibi impendentia mala ſuſciperent; vel è larga Dei manu, ſibi ventura bona agnoſcerent; omniaque ipſiús providentiæ tribuerent, qui longè ante illis proſpexiſſet, & curam eorum egiſſet.

Sed inter prædictiones illas elucet maximè, quæ de manifeſtatione & regno Meſſiæ tam perſpicuè, pro temporis illius ratione exhibetur; ob cujus mentionē, fuerunt, qui *noviſſimos dies*, de quibus hic agitur de temporibus Meſſiæ ubique intelligi debere putaverint; quorum ſententiam, quia probare nec poſſumus, nec debemus; de hac phraſi hoc loco nobis erit agendum, priuſquam ulterius pergamus.

Textus habet באחרית הימים *beacharith hajjamim*, quæ phraſis ſæpè occurrit in veteri Teſtam. ſignificatque ad verbum, *poſtremitatem dierum*. LXX. verterunt, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν. in ultimis temporibus, vel ut vulgata habet, *noviſſimis*. Occaſionem arripuerunt ad omnia intenti Judæi, ex hac phraſi malè intellecta, argumentandi adverſus manifeſtationem Chriſti, ab eo quod promiſſa fuerit illa, *in ultimis temporibus*. Cum autem poſt Chriſtum exhibitum, longa adhuc effluxerint tempora, neceſſario ſe colligere putarunt Chriſtum noſtrum, non eſſe Meſſiam poſtremis temporibus venturum. Putant enim poſtrema aut noviſſima tempora eſſe finem mundi. Veteres autem multi ſcriptores, & qui eos poſteà ſunt ſequuti, ut hanc objectionem anteverterent, dixerunt noviſſima tempora, includere totum tempus Novi Teſtam. ſive Evangelii, cujus appellationis varias reddunt rationes, ſed hanc præſertim; quoniam poſt legem gratiæ, non erat altera lex futura, ſicut fuit poſt legem Moſis. Sed, ſi benè perpendantur loca, in quibus hæc phraſis uſurpatur, planiſſimum erit, multa facta fuiſſe, in ſcriptura tradi, *noviſſimis temporibus*, quæ longè Evangelii tempus anteceſſerunt. Ne longè abeamus, pleraque quæ hic à Jacobo prædicuntur, completa fuiſſe ante exhibitum Meſſiam oſtendet uniuſcujuſque dicti explicatio. Quàlia ſunt hæc de Simeone & Levi, *dividam eos in Iacob, & diſpergam in Iſraël.* Quod de Zabulone, *in littore maris habitabit.* & ſimilia. Quod legitur etiam Dan. 2. *Deus revelavit tibi, quæ ventura ſunt in noviſſimis temporibus*, certum eſt in pleriſque completum fuiſſe ante Chriſti adventum, ut quæ de Perſarum, Medorum, & Græcorum Imperiis prædicebantur. Cujus generis afferri poſſent exempla plurima. Dicendum eſt igitur, tempus extremum, finem dierum, ſeu dies noviſſimos, in ſcriptura accipi, pro tempore quod conſequuturum eſt id de quo tunc agitur; ſive ſit ante tempus Meſſię, ſive poſt, ſive ipſum Meſſiæ tempus, ſive finis ſeculi. Quando autem alterutrum ſignificet, id eſſe diſcernēdum ex rebus ipſis, cum præcedentibus, tum conſequentibus; & quocumque tempore ea contingant quæ prædicuntur, explicanda eſſe accommodatè ad ea quæ præceſſerunt. Itaque *noviſſimum*, ſive *ultimum*, non dicitur in ſcriptura ſuperlativè, ſed ut plurimum comparativè. Hoc eſt, non dicitur noviſſimum, poſt quod nullum aliud ſequitur; ſed id quod ſequitur poſt aliud, etiamſi poſt hoc alia ſequantur, ut ſit ſimplex ſenſus, *poſt hæc, aut illa tempora*. Inde eſt quod vocem Ebræam אחרים *acherim*, interpretes aliquando per *noviſſimè interpretantur*, aliquando utuntur ſimpliciter adverbio *poſteà*. Eadem phraſis uſurpatur in Novo Teſtamento, non pro ſeculi fine, ſed pro ſequentibus temporibus, etiamſi non valdè ſint remota. Ut cum 1. ad Tim. 4. *ſpiritus manifeſtè dicit, quod* ἐν ὑστέροις καιροῖς, *in noviſſimis temporibus aliqui deficient à fide, &c.* Id enim accidit non longè poſt Apoſtolorum tempora. Hic ergo ſimplex ſenſus erit, Jacobum voluiſſe filiis ſuis indicare, quæ eventura erant *poſteà*.

Verſ. 3. & 4. primum dirigit ſermonem ſuum ad Rubenem qui inter fratres naturæ ordine primus erat. Obſervat enim Jacob generationis & ortus ordinem, quantum ad primos quatuor, & duos ultimos. De eo autem prædicat 1. privilegia quæ naturæ jure adeptus erat. 2. amiſſionem eorum; & cauſam cur eum privet dotibus illis, quas alioqui fuiſſet poſſeſſurus. De primo ut agamus, vocat eum *primogenitum* ſuum; addit rationem primogenituræ, quia, fuit ראשית און *reſchith on*, principium roboris parentis, & ejuſdem כח *koach*, fortitudo. Vulgata legit *principium doloris mei*. Quæ verba occaſionem dederunt variis ſpeculationibus in quorum nonnullis Ieſuitæ luxuriant, & ea dicunt, quæ caſtis auribus vix proponi poſſunt, ſine offenſione. Qui honeſtius ſentiunt, exiſtimant primogenitos, principium doloris patris dici, quia tum primum inceſſit parentes cura & ſollicitudo nova, quando incipiunt fieri liberorum patres. Alii id referunt ad peccatum Rubenis de quo poſteà, quod primum inter filios acerbum dolorem parenti attulerit conſtuprata concubina patris. Sed neutra ratio ſolida eſſe poteſt; quia multis ſollicitudinibus & anguſtiis fuit obnoxius Jacob, priuſquam parens fieret; nec ex liberorum ſceleribus primus dolor à Rubenis facto profluxit, cum anteà accidiſſet Simeonis & Levi crudelitas & perfidia. Eſt quidem און *on* ambigua vox, quæ tam *luctum* quam *robur*, ſignificat; ſed eligenda erat ſignificatio, quæ cum ſequentibus conveniret. Cum autem, ut notavit Vatablus, uno cōtextu dignitatis elogia recenſeat, quæ primogenito competunt, nihil magis obvium fuit, quam principium potentiæ intelligere. Quod etiā manifeſtum fiet ex collatione cum cap. 21. Deut. ℣. 17. ubi eadem verba Ebræa habentur de primogenito כי ראשית אנו *ki reſchith ono*, ubi vulgata, *quia principium liberorum ejus*, quomodo etiam hic verterunt LXX. ἀρχὴ τῶν τέκνων μου. Similis periphraſis primogeniti habetur Pſal. 105. ℣. 36. *percuſſit omne primogenitum, in regione illorum, principium omnis potentiæ illorum.* Sed cur dicuntur primogeniti, principium roboris aut potentiæ? Reſpondent communiter, quia robur generationis

rationis cujuſque eſt in primogenito,ut id referatur ad primam vim generandi, quæ in primogenito exeritur. Unde etiam notant, caſtè vixiſſe Jacobum ante quam uxorem duceret, nec anteà ſe polluiſſe illicito concubitu. Quod etſi verum ſit, non exiſtimo tamen hanc eſſe veram rationem, cur primogenitus ita deſcribatur. Accidit enim aliquando, ut in primo congreſſu, vel filia generetur, vel debilior filius, qui poſteà à ſequentibus ſuperetur robore & corporis proceritate. Ideò, etſi id Mercero non placeat, mallem primogenitum dici principium roboris & potentiæ patris, quia eſt veluti columē ac prima columna familiæ. Habebatur enim paterfamilias fortis & potens, cui liberorum erat multitudo, cujus potentiæ initium erat qui primus naſcebatur. Unde illud Prophetæ, Pſal. 27. ℣. 3. *Ut ſagittæ ad manum robuſti, ita ſunt pueri. Beatus vir ille qui impleverit pharetram ſuam illis: non erubeſcēt, ſed perimēt inimicos in porta ipſorum.* Talis fortitudinis & roboris, primogenitus eſt principium: quia in filiis parentes quodammodo revireſcunt.

Addit יתר שאת *jether ſeath*, hoc eſt, *excellentia extollendi*, vel *præferendi*, ubi eſt nomen abſtractum pro concreto, *excellentia*, pro *excellente*, & infinitivus pro nomine, *extollendi*, pro exaltatione & dignitate, ideo vertunt, *excellens dignitate*; Tremel. & Jun. ſimpliciter poſt Pagninum, *excellentia dignitatis, & excellentia roboris.* Ubi notant eſſe hypallagen, pro *excellentiſſimus dignitate & robore.* ſeu, ut Mercerus interpretatur, *præſtans dignitate, & robore.* LXX hæc duo membra planè aliter accipiunt. σκληρὸς φέρεσθαι, σκληρὸς αὐθάδης, *durus ad ferendum, & durus pervicax.* quo ſenſu non hæc pertinerent ad primogenituræ dotes, ſed ad præfracti animi exprobrationem, & peccati ejus exaggerationem. Quæ interpretatio potius ex præjudicio facta videtur, quam ex verborum proprietate. Alii interpretes Græci aliter; Aquila περισσὸς ἄρσει καὶ περισσὸς κράτει. id eſt, præſtans dignitate & præſtās robore. Symmachus περισσὰ λαβεῖν. quia primogeniti erat, accipere aliquid ſupra alios. Vulgata paraphraſticè *prior in donis, major in imperio.* Conveniunt ergo plerique interpretes. hæc pertinere ad deſcriptionem honoris, qui naturæ ordine primogenito debebatur, quæ ideo commemoraverit Jacob, ut tanto acriùs animum ejus feriret, excitaretque ad cogitationem dignitatis unde ſua culpa excidebat, ut peccati ſui magnitudinem & gravitatem magis ac magis agnoſceret, & ſeria pœnitentia afficeretur. Nihil enim ad pœnitentiam efficacius eſt, quam ſi inſtituamus collationem donorum quibus ornati fuimus, & pœnarum quas culpa noſtra contraximus.

Hic quærunt in quo ſita fuerit excellentia, ſive dignitas primogenitorum, & quæ eorum fuerint prærogativæ. Eas explicat Chaldæus Onkelos, his verbis, *te decebat ut acciperes tres partes, primogenituram ſcilicet, ſacerdotium & regnum.* Ad quæ notat Fagius, prærogativā primogeniti fuiſſe, teſtibus Hebræis quod ſuccederet patri in dignitate, principatu, atque honore, atque ut autoritatem haberet in minores, & reliqui fratres minores conſurgerent à conſpectu ejus, eique miniſtrarēt ſicut filii patri. Alios quoque hoc addere, quod primogenitus accipiebat ex omnibus bonis paternis duas portiones. Quod quidem juris poſitivi Moſaici fuiſſe legimus Deut. 21. ℣. 17. an vero fuerit juris naturalis vel perpetui, non ita conſtat. Negativam potius tuerer; nam etſi naturalis & immoti juris ſit, ut fratres inter ſe paternam hæreditatem partiantur, non eſt tamen contra naturæ jus, ſi dividant eam in partes æquales. Sed tamen agnoſcimus ante legem per Moſem datam, fuiſſe multa politica & ceremonialia inter Patriarchas ex peculiari revelatione obſervata, & in familiis Patriarcharum in uſu fuiſſe etiam jura primogenituræ, quæ poſteà in populo illo obtinuerunt; ſed non ſequitur naturale fuiſſe, quicquid ante legem latam in uſu fuit. Hic certum eſt in Jacobi verbis, primogenituræ adjunctam fuiſſe ſingularem aliquam dignitatem & prærogativā; & parentes etiam fuiſſe procliviores, niſi aliquid obſtaret, in transferendis ad primogenitos ſuos, quæcumque ad honorem & dignitatem familiarum ſpectabant. Quod ſi tamen ſe indignos præberent, in minores natu, ſed dotibus animi præcellentes, vel ex Dei inſtinctu ſpeciali, vel etiam ex proprio judicio, contulerunt prærogativas quarum eis commiſſa erat diſpenſatio. Hic certè ſingulari ſpiritus ductu motus Jacob, tribum Judæ principalem & regiam conſtituit? tribum Levi ornat ſacerdotali dignitate, & duplicem portionem in Joſephum tranſtuliſſe jam anteà vidimus. His omnibus privatus fuit Ruben, qui tamen in Genealogiis ſemper pro primogenito recenſitus eſt, & primus etiam portiónem ſuam terræ Canaan accepit ultra Jordanem, in terra Galaad; verum ſimplicem ſicut alii fratres, ſine ullo auctario.

Eſt autem notandum, quæ hic adſcribuntur Rubeni, non tam intelligi debere de eo quod erat, quam de eo quod eſſe debuerat. Nam etſi natura primogenitus eſſet, non tamen fuit excellens dignitate, nec excellens robore; ſed debuiſſet in his omnibus antecellere fratribus, ſi ſe geſſiſſet prout debebat. Sæpè enim ſcriptura de aliquo affirmare videtur, non quod eſt, ſed quod eſſe debet, quæ obſervatio neceſſaria eſt, quia ſi negligatur, ſæpè videntur ea tribui nonnullis, quæ etiam ſibi hoc prætextu vindicant, quibus tamen planè vacui ſunt, & quæ etiam apertè poſteà eis denegantur. Id in iſto apparet, ex iis quæ ſequuntur verſ. 4.

פחז כמים *pachaz cammajim*, vulgata, *effuſus es ſicut aqua*, Arias ad verbum, *feſtinatio ſicut aqua.* Verbum פחז ſignificat, levem, mobilem & velocem eſſe; inde nomen פחז *pachaz*, quod levem, præcipitem, & temerarium, denotat. Hic additur aquæ ſimilitudo, quæ præcipiti curſu fertur. quaſi dicat, aquarum more diffluis, vel præceps ferris; Quorſum autem id referri debeat

beat

beat variant ſententiæ; ſunt enim qui ad pœnam referunt; ſunt qui ad culpam, & mores. Ad pœnam, eo ſenſu quem Tremel. & Iunius expreſſerunt in ſua verſione, *rapiditate aquarum inſtar*, ſupplent, *inde ruas* nempe à prima illa dignitate, quam jure primogenituræ poteras retinere. quaſi diceret, *Quemadmodum aquæ in ſublimi non conſiſtunt, ſed magna rapiditate ad inferiora feruntur, & ſponte diffluunt; ſic tu ne in hac excellentia maneas, ſed ad inferiorem & communem aliorum ſortem deſcendas.* Sunt qui eundem ſenſum retinentes, non tam rapiditatem aquarum, quam vilitatem & abjectionem reſpiciunt, ut ſimilitudo inde deducatur; Sicut aquæ effunduntur tanquam inutiles, ſic etiam tu effuſus es inſtar aquarum, id eſt, vilis & contemptibilis factus es, qui alioquin in honore fuiſſes. Effuſio enim alicujus rei tanquam aquæ, vilitatem & contemptum indicat. Pſal. 78. ℣. 3. *effuderunt ſanguinem eorum, tanquam aquam.*

Qui ad cauſam ipſam amiſſæ primogenituræ ſimilitudinem aquæ referunt, verba hæc ita explicant; præcipitem te ferre ſinu aquarum more, libidini indulgens, non conſtans, non te continens: putantque rectè eos, qui affectibus ſuis cedentes, ſe huc illuc ferri patiuntur, maximè vero qui incontinentiæ ac libidinis impetu ſe abduci ſinunt, conferri aquarum levitati, quæ uno loco contineri non poſſunt, ſed diffluunt aſſiduè, ac in præceps feruntur. quaſi diceret, libidine inſtar aquæ effuſæ & diffluentis, & ruptis aggeribus erumpentis, omniaque vaſtantis & depopulantis diffluxiſti, fractis legis divinæ repagulis. Hæc quamvis non ſint inconcinnè excogitata, tamen ex aliorum locorum collatione, & cum antecedentibus comparatione, hujus ſimilitudinis paulo alia mihi occurrit applicatio. Id primum conſiderandum exiſtimo, aliud eſſe in ſcriptura ſi de aliquo dicatur, quod effuſus ſit ipſe tanquam aqua, paſſivè; aliud, ſi de eodem dicatur activè quod aliquid effundat, tanquam aquam. Hæc enim activa locutio, ferè ſemper copiam & abundantiam ſignificat; ut Hoſ. 5. 10. *Super eos effundam quaſi aquam iram meam*; id eſt, abundanter. & Amos 5. 24. *revelabitur quaſi aqua judicium, & juſtitia quaſi torrens fortis.* Cum autem paſſivè uſurpatur alia eſt ratio; ut cum Joſue 7. ℣. 7. dicitur, *pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt.* Et Pſal. 22. ℣. 15. *Sicut aqua effuſus ſum &c.* In quibus locis ſignificat hæc locutio, animi & corporis virium omnium debilitationẽ, & velut diſſolutionem.

Nunc, ut id ad rem noſtram applicemus. Dixerat Jacob, *Ruben principium roboris mei, excellens dignitate, excellens robore.* Sequitur nunc ſtatus mutatio, *effuſus es ſicut aqua*, id eſt, qui robore excellens eras aut eſſe debueras, effuſus es, factus es debilis & attenuatus, viribus omnibus deſtitutus &c. Ita aptiſſimè quadrat oppoſitio. Qui eras principium roboris mei, effuſus es ſicut aqua, liquefactus es, exhauſtus viribus, ita ut nihil à te deinceps ſit expectandum magni & heroici. Conveniunt etiam ſequentia. אל-תותר *al tothar*, ne excellas, aut ne fias excellens, ſive potius ut per modum non imprecationis, ſed prædictionis exponamus, *non excelles.* Sic oppoſitio eſt integra; Ruben *fortitudo mea, effuſus es*, & qui excellens dignitate eras, aut eſſe debueras, *non excelles* יתר שאת אל-תותר *jeter ſeeth, al tothar.* Nihil clarius aut concinnius dici potuit. Vulgata, non *creſcas*, quod ad ſterilitatem referunt, ſed mihi non probatur, quia tribus Ruben excrevit in numerum ſatis amplum, & alias multas tribus æquavit, quaſdam ſuperavit. Melius igitur ad dignitatem refertur, *non creſces*, dignitate, nempe, ut aliis ſuperemineas. Nam quod afferunt ex cap. Deut. 33. ℣. 6. *Vivat Ruben & non moriatur, & ſit parvus in numero*, alii aliter explicant. Ad verbum textus habet, *& ſint viri ejus numerus*, Videtur enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda negativa, *non moriatur, nec ſint viri ejus numerus.* Id ita accipiendum eſſe evincimus ex Numerorum 1. ℣. 20. ubi deſcribitur catalogus ſingularum tribuum, ubi Rubenitarum numerus excedit tribum Benjamin, Ephraim, Manaſſe, Aſer, & ex parte etiam tribum Gad. Et Num. 26. verſ. 7. ubi fit altera numeratio, hæc tribus etiam ſatis plena reperitur. fuerunt enim numerati, *quadragies, ter mille, ſeptingenti triginta.* Itaque dilutam judicamus, Marii & quorundam Jeſuitarum craſſam Phyſicam, illud *effuſus es ſicut aqua*, referentium ad *ſeminis effuſionem*, quod in familia Rubenis aqueum & infœcundum erat futurum. Senſus legitimus eſt, excidiſti tua excellentia, tu & tribus tua.

Ratio additur his verbis; *quia aſcendiſti cubilia patris tui, tunc polluiſti ſtratum meum*; hæc ſatis clara ſunt, quorum hiſtoria ſupra fuit narrata. Sed in textu aliqua eſt difficultas, propter verbum עלה *alah*, quod repetitur in fine verſus. Cum enim initio in ſecunda perſona dixiſſet כי עליתה *ki alithah*, quia aſcẽdiſti cubile meum; addidiſſetq; אז חללתה *az chillaltah*, tunc polluiſti ſtratum meum; dubium eſt quorſum referatur illud *aſcendit*, in tertia perfecti præteriti. Hoc verbum omiſit vulgata. LXX. repetunt idem quod anteà in ſecunda perſona: Etiam Chald. Paraphraſtes; *quando aſcendiſti ſtratum meum.* Vel dictio illa עלה ad ſtratum refertur, vel ad Rubenem ut ſupra עליתה. Si ad ſtratum, vertendum erit *ſtratum meum aſcendit*; quod interpretantur *abiit in auras*, Pagninus, *exciſum fuit*; quaſi ſignificaret ſe abſtinuiſſe à conjugali uſu Balæ, poſt inceſtum cum ea commiſſum à Rubene, quod requirebat honeſtas, & in ſimili caſu poſtmodum fecit David, poſt uxores ab Abſalone inceſtatas. Sed talis ſignificatio verbi עלה *alah* exemplum non habet, & vix hoc loco alia ſignificatione accipi poteſt, quam ea quę in primo membro habetur. Non eſt inuſitata in ſcriptura in eadem periodo, mutatio ab una perſona in aliam, maximè ubi agitur de aliquo indigno facto, quaſi à ſecunda perſona tanquam averſis oculis, converteret ſe loquens ad alios auditores vel ſpectatores; quod hic non ſine cauſa fieri potuit,

potuit, ut Jacob apud alios filios præſentes oſtenderet, qua ratione motus, hæc adverſus Rubenem pronunciaret; *ſtratum meum aſcendit*, quaſi per apoſtrophen ætiologicam, eos à tali aut ſimilibus peccatis vellet avertere.

Rectè hæc quæ in Rubenem pronunciantur, ad prærogativas referuntur, quarum amiſſio gratia ſalutari non privat, imò quæ ex gratia etiam conferuntur ad pœnitentium caſtigationem, & aliorum exemplum. Certè non credendum eſt, tanto temporis ſpatio virum illum in peccato ſuo obdormiviſſe, ſed potius credibile eſt pœnitentiam egiſſe tam abominandi ſceleris, & apud parentem id teſtatum fuiſſe, quem etiam vidimus erga fratrem moderatius ſe geſſiſſe, & in Ægypto, dum malè haberentur, primum inter alios agnoviſſe Dei providentiam, in puniendis peccatis. Nec ſi Ruben hæſiſſet adhuc in malo impœnitens, voluiſſet Deus totam illam tribum à ſalute excludere. Hoc igitur ponimus, virum illum ſeriò pœnitentiam egiſſe, & remiſſum ei fuiſſe ſcelus, ita ut apud Deum juſtificatus fuerit, & à pœnis æternis liberatus. Cur ergo nunc Jacob, Deo nomine eum exuit primogenitura, & dignitatem non ſolum ei ſed & poſteris aufert, quam alioqui jus naturæ ei promittebat? An inde non ſequitur poſt remiſſam culpam, infligi tamen à Deo pœnas temporales, quod volunt Pontificii? Id non negamus; ſed pœnas illas eſſe ſatisfactorias, quod illi volunt, pernegamus; item homines ab illis pœnis poſſe alios abſolvere, aut liberare; Negamus item tales pœnas temporales & externas, poſt hanc vitam reſervari. Ratio eſt, quia faciunt, ut diximus, ad humiliandos peccatores, ut agnoſcant infirmitatem ſuam; faciunt ad cautionem, ut ſibi poſtmodum caveant; faciunt ad exemplum, ut alii, præſertim poſteri, exemplo majorum edocti, à vitiis abſtineant. Tales fines poſt hanc vitam non habent locum, qui in hac vita ſunt utiliſſimi, quos ita intendit Deus, ut etiam pœnas ad eos conducentes, pro ſua ſapientia diſpenſet; ſive ſingularibus quibuſdam perſonis, ſivè aliquando toti uni familiæ aut nationi. Sic Davidi poſt reconciliationem, plurimas caſtigationes immiſit. Hic & parentem & totam tribum voluit humiliare. Sed quid hæc ad fictum purgatorium, & ad ſuperbas hominum ſatisfactiones?

Horrendum fuerat illud crimen; quod etiam indicat Jacob, cum dicit *aſcendiſti cubile patris tui*. Eſt enim exaggeratio, quod non ſolùm fœdè ſe geſſit; ſed etiam patrem, cui maximam reverentiam debebat, contumelia affecit. Cum apud gentes talia crimina fuerint abominanda, nec hiſtoriæ Ethnicæ careant graviſſimis exemplis furiarum, quibus agitati fuerint, qui talia, vel etiam imprudentes, commiſerant: Certè non parum intererat; hoc factum non recitari in ſcriptura, quin etiam oſtenderetur, gravem poſteà pœnam fuiſſe conſequutam, quantumvis ſeram: Nam etſi elapſi jam eſſent anni plus minus quadraginta ex quo id acciderat; Deus tamen oſtendit ſe non dormitare, ſed tandem peccatoribus in memoriam revocare quid meriti ſint, etſi erga ſuos agat ex miſericordia, qui tamen impunè non ferunt. Hoc exemplum proponitur parentibus, ne filiorum ſuorum peccatis conniveant ſemper, alioquin accideret, ut dum uni parcerent, illum, alios, & ſeipſos perderent. Item, ne quis temerarius putet ſibi licere peccare impunè, ſed ut in timore omnes ſe contineant, quia

Sera tamen tacitus pœna venit pedibus.

Tertio, ut perpendamus quam levi de cauſa aliquando homines grandia bona amittant; nam breviſſimæ voluptatis, ejuſque fœdiſſimæ mercede, excidit Ruben à maxima dignitate. quemadmodum aliàs Eſau, lentis viliſſimæ edulio. Denique contumaciam & contumeliam in parentes tale ſcelus & nefas eſſe, quod impunitum non manet. Cujus rei exempla illuſtria ſunt in ſcripturis, & omnium gentium hiſtoriis.

EXERCITATIO CLXXVII.

Fratrum nomen ad morum ſimilitudinem referri. An μαχαίρα ſit ab Ebr. מכרה mekerah? *præfertur ſignificatio* conventionis. *Concilii & cœtus diſtinctio.* Gloria *pro anima & lingua.* Viri *nomen collectivè ſumptum. Sic &* tauri *nomen. Simeon & Levi crudelitatis & avaritiæ inſimulati. Deteſtatio peccati, etiam in pœnitentibus, dum perſonis eorum parcitur. Quomodo in Iſraële diſperſi fuerint poſteri Simeonis & Levi. Cur tribus Simeonis in benedictionibus Moſis fuerit omiſſa, Deut.* XXXIII. *Moſis in ſcribendo fides, quæ generis ſui autori non parcit, & ex ea πόρισμα. Deum pœnas ſuis in bonum convertere, quod accidit in diſperſione duarum tribuum. Privatam omnem vindictam diſplicere Deo. Fictæ Iuditæ judicium à ſenſu Patriarchæ alieniſſimum, alium ſpiritum prodit. Analyſis quinque verſuum in quibus Iacob agit cum Iuda. Paranomaſia ad ejus nomen alludens. Quomodo fratres* in illo confeſſi fuerint; *Quid* Manum in cervice inimicorum habere? *Quæ* adoratio *Iudæ promittatur? Monarchicum Regimen in populo Dei prædictum. Leonum varia nomina & gradus. Quid moraliter ſignificaverint?* A præda aſcendere. *Quadruplex comparatio inter Iudam & Leonem. Alluſio Apocal.* V. *ad hunc locum. Leonis Hieroglyphica.*

A Verſu 5. uſque ad 8. incluſivè, agit cum Simeone & Levi, qui etiam in ordine nativitatis ſequebantur. Eos autem in uno oraculo conjungit, quia delictum cujus meminit fuit illis commune, & qui pares fuerant in delicto, non debuerunt in pœna ſeparari. Duo autem facit. I Exaggerat & improbat eorum delictum. II. pœnam ſubjicit, quæ in eorum familiam derivari debuit.

Simeon, inquit, *& Levi fratres.* Et illi quidem Rubenis etiam, & aliorum fratres erant; ſed hic aliam fraternitatis rationem conſiderat ſanctus ſenex, nempe ſecundum morum ſimilitudinem, & in ſcelere perpetrando ſocietatem, quo ſenſu fratris nomen accipitur, Proverb. 18. ℣. 9. *Qui remiſſus eſt in opere ſuo, frater eſt domino diſſipanti.*

כלי חמס מכרתיהם *kele chamas mikrothehem*, arma iniquitatis gladii eorum. Vulgata, *vaſa iniquitatis bellantia.* מכר *macar* eſt tradere, vendere. Sed de nomine מכרה *mekerah*, non convenit inter interpretes. ſunt qui *Macharam,* Græcis μαχαίραν, gladium, inde putent ortum habuiſſe. Citatque Buxtorfius ex Pirke Rab. Eliezer cap. 38. *quod Iacob maledixerit gladiis filiorum Græca lingua*, id eſt, voce qua Græca lingua utitur. Si hæc ſit vera ſignificatio, radix non erit מכר *macar*, ſed כרר *carar*, quæ inter alia *ſcindere & abſcindere* ſignificat. Chaldæus vertit *in terra habitationis eorũ*, quia legit מגורתיהם *meghurothehem*, propter affinitatem literarum Gimel & Caph, & earundem permutationem. LXX aliter, ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, *ex electione eorum*, quia legerunt מברתיהם *mibbarotehem*, à *barah*, elegit, propter affinitatem literarum *beth* & *caph.* Vulgata, *bellantia*, ſed cum à verbo מכר *macar*, quod *vendere* ſignificat, deducatur nomen מכורה *mekurah*, quod negotiationem & commercium vertunt, mihi videntur Tremel. & Jun. eam interpretationem elegiſſe quæ aptiſſima eſt, dum verterunt *conventiones* ſive *pactiones eorum*, his enim uſi ſunt, tanquam inſtrumentis iniquitatis, ut miſeros Sichemitas circumventos opprimerent. Quid, quod Chaldæi verbo מכר *mecar*, utuntur pro deſpondit, deſponſavit, in uxorem dedit? unde מכירא *mecirah*, ſponſa; qua ſignificatione vox *mekerah*, hoc loco, accipi poſſet pro conventionibus matrimonialibus, tales enim fuerunt quibus abuſi ſunt iſti, ad ſcelus ſuum patrandum.

Sequitur perpetrati facinoris deteſtatio, à quo ſe alieniſſimum fuiſſe teſtatur, ne quis exiſtimaret, uſum eum eſſe conniventia, vel etiam filios ſuos ad id impuliſſe. Quod alioqui ſuſpicari quis potuiſſet, qui cap. 33. ſuprà, poſtquam ſtuprum filiæ audiviſſet, *conticuiſſe* Jacobum legiſſet, *donec filii venirent*, quibuſcum haut dubio rem communicavit, & cum iis egit de ratione qua injuriæ illatæ reparationem obtineret. Sed aliud fuit hoc conſilium, aliud vero quod hic deteſtatur. Nam Jacob bona fide conſenſerat in conditiones à Sichemitis propoſitas, filii autem clam patre, aliud machinati erant. Hoc vult teſtatum, quando dicit, בסדם *beſodham*, *in ſecretum eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum ne ſe uniat gloria mea.* סוד *ſodh*, ſecretum, myſterium & arcanum ſignificat; item conſilium, quod ſecretum eſſe debet. Hic, utraque ſignificatio poteſt conjungi. Diſtinguit concilium ſive arcanum, à cætu. Concilium unà cœperunt de miſeris illis opprimendis ſub prætextu contrahendæ affinitatis; poſteà cœtum convocarunt eorum quos manu promptos cogere potuerunt, neque enim duo ſoli tantam ſtragem fecerunt. Utrique actui ſe conſenſiſſe negat Jacobus; de *arcano*, dicit *animam ſuam non*

vieſſne,

veniſſe; de cœtu dicit *ſe in eo non univiſſe*; neque hoc ſimpliciter dicit, ſed ad majorem Emphaſim, id negat de *anima* ſua & de *gloria* ſua; quibus vocibus unam & eandem rem ſignificari hoc loco plerique interpretes ſentiunt, quia anima eſt decus & ornamentum corporis, ſine qua corpus nihil aliud eſt quam exanimis & exſanguis truncus: Quia etiam ſermone qui à mente proficiſcitur, præcipua dignitas hominis qua reliquis animalibus præſtat, dum lingua conceptus ſuos exprimit, ſeſe exerit: fit ut *gloriæ* nomine, etiam lingua veniat in ſcriptura, ut Pſal. 16. ℣. 9. *Lætatum eſt cor meum, & exultavit gloria mea*, ubi LXX verterunt, *lingua mea*, quam verſionem ſequutus eſt Lucas in Actis. Sic Pſal. 30. ℣. 13. *Propterea canit tibi gloria*, id eſt, *lingua*. Neque hic eſſet abſonum, ſi de lingua intelligeretur, & ſenſus eſſet, neque animo, neque lingua cum iis communicavi, aut conſilium eorum probavi. Alii de *gloria* propriè accepta intelligunt, ut fuerit mens Jacobi, ſe gloriam ſuam, honorem & famam in diſcrimen non adduxiſſe, vel exiſtimationem ſuam aut probitatis ac innocentiæ opinionem, conſenſu aliquo in tale factum non labefactaſſe. Quem ſenſum ſequutus eſt Chaldæus Paraphraſtes, vertens, *non deſcendi de gloria mea*. Primum ſimpliciorem exiſtimo, ut de *anima* intelligatur in utroque membro, ut explicavimus; nihilque aliud velit, quam ſe abhorruiſſe à talibus conſiliis, & ſe alieniſſimum fuiſſe ab hoc ſcelere. Non tamen erit abſonum ſi utramque conjungamus acceptionem vocis gloriæ pro anima, & pro laudabili fama, quam animæ benè compoſitæ, mores acquirunt, *cum eorum cœtu non ſe uniat gloria mea*. Ut animo abhorrui ab eorum conſiliis, ſic nolim gloriam meam aut decus poſteritatis meæ eorum ſceleribus obſcurari, vel denigrari. Hæc in eum finem dicta ſunt, ne in ſuo facto gloriarentur duo illi, qui initio poſt factum ſatis inſolenter patri reſponderunt, quaſi re benè geſta & vindicata ſororis pudicitia, velut gloriabundi: atque ita ad ſeriam pœnitentiam revocarentur. Præterea ut reliqui fratres, ac poſteri monerentur ne huic facinori aut ſimilibus unquam conſenſum præberent, ſed ab omnibus proditionibus, & à crudelitate abhorrerent.

Purgata ſua innocentia ſanctus vir, memorat qua in re peccaverint; כי באפם הרגו איש *ki beappam hareghuiſch*, quia in furore ſuo occiderunt virum. Ubi ſingularis numerus eſt pro plurali, ſeu nomen *viri* collectivè ſumitur, pro virorum multitudine, quia viros omnes enecaverant, abductis mulieribus. Ponitur autem *furor*, pro perverſo & cæco impetu iræ, quo perciti irruerunt in Sichemitas; ſed quod ſubjungitur וברצום עקרו שור *ubirtſom akeru ſchor*; difficultatem habet, propter ambiguitatem vocis *ſor*, quæ *murum* ſignificat, & *taurum* ſive bovem. Verbum עקר *akar*, propriè evellere, & à fundamento eradicare ſignificat, & melius competit muro, quam bovi. Dicuntur tamen avelli, quæ auferuntur & abducuntur. Et *ſor* cum cholem ſignificat *bovem*. LXX etiam hic *taurum* vertunt. Convenit cum hiſtoria, nam poſt occiſos viros, Sichemitarum boves, oves & aſinos acceperunt, Geneſ. 34. ℣. 28. Id mihi magis arridet, quia vix credendum eſt urbes tum fuiſſe muris clauſas, quamvis id poſſet referri ad muros ædium. Non probo eorum ſpeculationes qui per taurum, vel Sichemum intelligunt, vel Joſephum. Sichemum, quia ætatis juvenilis cum eſſet pollebat robore corporis. Joſephum, quia Deut. 33. Moſes eum cõparavit primogenito tauri. At Joſephum non eradicarunt, etſi id tentaverint fratres, nec certum eſt Simeonem & Levi hujus facti fuiſſe autores. Rectè convenit, ſi quemadmodum per virum collectivè *viros Sichemitas*, ſic per *bovem* collectivè, *greges*, intelligamus, quia id maximè convenit narrationi Moſis. Rectè igitur meo judicio Tremell. & Iun. *quia pro ira ſua occiderunt viros, & pro arbitrio ſuo avulſerunt boves*. vel diripuerunt. Huc facit, quod id tribuit non tam iræ, qua perciti occiderunt, quam voluntati, quia cupiditate & aviditate moti, abduxerunt bona omnia Sichemitarum. Ideò LXX. verterunt, ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν, *in concupiſcentia ſua*, quæ interpretatio accommodatiſſima mihi videtur, ut duorum vitiorum eos arguat parens, quod crudeles fuerint, & avari raptores.

Verſu 7. pronunciat pœnam, adverſus eorum furorem & indignationem, quam non tam pater, quam ipſe Deus per os patris denunciat. Pœna duplex eſt, prima execratio dira & maledictio furoris eorum, quo ad ſcelus illud perpetrandum fuerant impulſi; eo magis quod fuerit עז *as*, fortis ſeu pertinax, item קשתה *kaſchatah*, indurata. Non malè vulgata, *maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura*. Illam ergo magis deteſtabilem eſſe pronunciat, quia quæ initio violenta, ad finem uſque fuit implacabilis. Non autem inutiliter obſervatum eſt, maledictionem illam non directè in Simeonem & Levi ferri, ſed in iram eorum & indignationem. Aliter enim ſupra vidimus in Serpente & in Caino, in quos directè vibrata eſt maledictio. *Quia hæc feciſti, maledictus eris inter animantia*. Et *Maledictus eris ſuper terram*. Hæc enim eſt electorum conditio, & Lex fœderis divini erga eos, ut ſcelera quidem & peccata eorum condemnentur, perſonis verò pœnitentibus parcatur, ſi æternam ſpectemus condemnationem, etſi in eis etiam ſtatuatur exemplum, in temporalium pœnarum inflictione.

Quales ſunt quæ ſequentibus verbis denunciantur, *Dividam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël*. Ubi Jacob & Iſraël pro populo Dei ponuntur, non pro nomine proprio. Intelligit enim ſe eos diſperſurum per gentem Iſraëliticam, ut non uno & certo loco ſuam ſortem obtineant, ſed ſparſim inter reliquas tribus. Hæc pœna non tam fuit parentum, niſi quatenus

cis

eis fuit denunciata, quam poſterorum, qui diſperſam habuerunt habitationem in terra promiſſa, fuitque pœna ſceleri convenientiſſima. Cum enim iſti cœtum convocaſſent ad ſcelus patrandum, juſtum fuit ut inter cæteras tribus diſpergerentur, ne facilè convenirent, & viribus conjunctis alios adorirentur. Id autem qua ratione impletum fuerit videndum eſt. De poſteritate Levi ſatis conſtat, non enim cum reliquis tribubus partem accepit propriam, ſed huc illuc diviſa fuit, & XLVIII. urbes ei aſſignatæ fuerunt, cum ſuburbiis & agris earum, ad habitationem, ut apparet ex cap. 21. lib. Joſue, & cap. 6. lib. 1. Chronic. Ad tribum vero Simeonis quod attinet, portionem quidem ſuam obtinuit, ſed in medio tribus Judæ, quæ ei aliquot urbes de ſua ſorte conceſſit, idque non uno in loco, ſed ſparſim, ut habetur Joſue 19. 1. Quæ tamen poſteà limites ſuos extendit, expulſis Amalecitis ex parte quam in monte Seir occupabant. 1. Paral. 4. 40. Abjectiſſimam fuiſſe Simeonis tribum ex eo conjiciunt, quod Deut. 33. Moſes in benedictionibus eam omiſerit. Cujus tamen omiſſionis aliæ rationes afferuntur ab aliis, ſed incertæ, niſi fortaſſe ea ſit alicujus momenti, quod Zamri unus ex principibus tribus Simeonis, ſpectante Moſe, atque univerſo populo, cum quadam Madianitide concubuerat, & à Phineaz fuit occiſus, cujus facti cum recens eſſet memoria, ideò à Moſe in benedictionibus hæc tribus fuit præterita. Hiſtoria habetur. Num. 25. & 26. Ex qua factum eſt, ut tribus illa valdè fuerit imminuta. Sed tamen videtur nominatim fuiſſe præterita, quia Simeon cum Juda ſortem habuit communem, & confuſam, atque ideo cum Juda ibi fuit comprehenſa. Idcirco legimus Judic. 1. ℣. 3. communes operas ſibi præſtitiſſe tribus illas duas, contra Chananæum.

Addit Fagius, Hæbræos tradere, ſcribas, pædagogos & doctores puerorum, ferè omnes fuiſſe ex tribu Simeon, qui, ut haberent unde viverent, ſparſim & oppidatim pueros informare cogebantur. Cui ſententiæ, aſtipulatur Thargum Jeroſolymitanum, cujus hic eſt ſenſus. *Dixit pater noſter Iacob, non convenit ut hæc caſtra ſimul ſint, alioqui nullus populus, nullumque regnum poterit conſiſtere coram eis. Dividam ergo tribum Simeonis, ut ſint ſcribæ & doctores legis in Synagoga Iacob. Tribum vero Levi diſtribuam, ut præſint concionibus inter filios Iſrael.* Sed quod de tribu Simeonis dicit incertum eſt, imo certum ex aliis tribubus fuiſſe doctores & ſcribas. Sed quamvis hoc daretur, tribum Simeonis non fuiſſe diſperſam in ſe; ſufficeret tamen ad ſenſum dicti Jacobi, quod ſeparata fuerit à tribu Levi, ita ut duæ illæ tribus inter ſe jungi non poſſent, quemadmodum junxerant ſe duo illi fratres ut Sichemitas perderent. Hunc ſenſum Oleaſter probavit, quia ad diſſipanda prava conſilia, egregium eſt remedium, ſi eorum autores, & conſultores, ſeparatas habeant ſedes. Sed magis probo, ſi id non tantum comparate ad Levitas dicatur, ſed etiam cum Levitis comparatè ad alios, diſperſi fuerint. Certum eſt enim Simeonitas, novas ſedes quæſiviſſe, & partem in monte Gador, partem in monte Sehir, abiiſſe. 1 Chronic. 4. ℣. 27. 39. & 42.

Hic duo ſunt notanda. 1. Cum Jacob in ſuos naturali affectu ductus fuerit, non adductum fuiſſe ad iſta adverſus filios ſuos denuncianda, aliqua vindictæ cupiditate, aut iracundiæ impotentia, ut qui ſuis omnibus benè vellet, qui etiam cum Simeon detentus fuiſſet in Ægypto, ejus caſum deploravit; ut hinc pateat, non tam Jacobum, quam Deum ipſum hæc pronunciaſſe. Quæ obſervatio ſuos habet uſus in lectione ſcripturarum; in qua cum videmus ſanctos illos viros, nec ſibi ipſis, nec ſuis parcere, ſed ſua & aliorum vitia notare, pœnas etiam adverſus ſuos denunciare, inde patet, Dei organa fuiſſe, qui nihil affectibus ſuis dederint. Quod etiam ad Moſis doctrinam confirmandam animadvertendum eſt. Fuit enim ille ex tribu Levi, & tamen in vulganda ſuæ gentis infamia ſe Dei præconem exhibet, & tribui ex qua natus erat ſpecialem infamiæ notam inurit. Unde ſatis claret eum nihil dediſſe carni & ſanguini, nec fuiſſe gratia aut odio inductum, ut quicquam celaret, fucaret, aut occultaret, ab hiſtoriæ fide deflectens, ſed memorem fuiſſe vocationis ſuæ, ut Dei miniſtrum ageret, ſepoſitis omnibus humanis præjudiciis. Et certè cui hic ageretur de tribuum prærogativis, ſi gentis ſuæ nobilitas ei curæ fuiſſet, commoda offerebatur oportunitas eam evehendi, cujus tamen autorem perpetuo probro infamat, quod in totam gentem erat redundaturum. Si vafer homo fuiſſet Moſes, quod ab impiis quibuſdam objectum fuit, qui fraude apud craſſum vulgus ſibi acquiſierit imperium, cur non melius ſuis proſpexit? Qui tamen non tribum tantum ſuam perſtrinxit, ſed poſteà, ubi in illa tribu de ſacerdotii honore actum fuit, proprios filios ſacerdotii honore abdicans, ad gregariorum miniſterium ablegavit: ut manifeſtum ſit, divino planè conſilio occurſum fuiſſe impiorum calumniis, & præcipuo honore privatos fuiſſe magni viri hæredes, ne qua in eo hæreret ſiniſtra ſuſpicio. Certè quod hic in perſona Levi totum genus ſuum traduxit, ut benè notavit doctiſſ. interpres, oſtendit, non tam hominem loquutum fuiſſe, quam Angelum, ab omni humano affectu exemptum.

Alterum hic eſt notandum, quod etſi diſperſio Levitarum & Simeonitarum qua diſperſio, pœna fuerit; eam tamen Deus in bonum utriuſque tribus converterit, ita ut ex eo conſtet, etiam in pœnis infligendis, Deum miſericordiæ ſuæ meminiſſe. Id Deus noluit tum revelare duobus iſtis capitibus tribuum, ne ludicram putarent pœnam decretam; ſed ſibi hoc reſervavit, ut poſſet eam mitigare, & convertere in bonum; ſic enim Deus ſæpè ſe gerit dum ſuos caſtigat, ut quod propter peccata patiuntur, aliò tamen referatur, & dum ferulæ Dei ſe humiliter ſubmittunt, in ipſa ignominioſa alioquin pœna, maximos honores conſequuntur, dum apud homines alio prætextu id fit, &

ob

ob alias planè cauſas, quod multis martyribus accidit; & quotidie fidelibus, quorum afflictiones & pœnę, quę à peccatis habent originem, ita à Deo diriguntur, ut patiantur pro juſtitia ab iniquis hominibus, qui nihil minus habent in animo, quam ut exequantur Dei judicia. Hic habemus veram cauſam cur Levitæ diſperſi fuerint, nec partem habuerint in populo ſeparatam, peccatum nempe Levi. Cum tamen ad executionem ventum eſt, Deus hac ratione diſſimulata, aliam aperit, quæ eis eſt honorificentiſſima; nempe quod ipſe Deus ſit ſors eorum; quod eos velit diſſeminare in populo ſuo, ut hac occaſione, ex vocatione ſua, paſſim Dei timorem ſpargerent & foverent, & purum Dei cultum docerent. Sic remiſſa ignominiæ nota, eos amandat in diverſas partes, honorificæ legationis titulo; lucem ex tenebris hoc modo producens.

Nec certè tribus Simeon à ſimili bono fuit immunis. Quamvis enim non fuerit pari cum tribu Levi privilegio donata; honorificum tamen ei fuit parem cum Juda habere habitationem, communibus armis paratam. Item quod Deus ſuo tempore, eam uſque adeo auxit, ut novas ſedes ſibi quæſierit, & eas paraverit illuſtri victoria contra gentes infideles; quod ſine divino favore fieri non potuit. Sed diligenter diſtinguendum eſt, inter id quod peccato debitum fuerat; & eventum aut finem, qui ex ſumma Dei miſericordia & ſapientia eluxit, alius planè quam expectari potuiſſet, poſtquàm utriuſque poſteros Deus expurgaſſet, ut qui pii & timentes Dei in tribubus illis erant, pœnam illam ſtuderent vitæ puritate & ſanctimonia, ac ſancto erga Dei gloriam zelo, penſare.

Interim ex his etiam colligendum eſt, omnem privatam & immoderatam vindictam, etiam quæ ſuſcepta videtur ex juſtitiæ zelo, & ſtudio recuperandi honoris vel repellendæ injuriæ, Deo diſplicere; ſed præſertim, ſi fiat per dolum & fraudem; ſi etiam quis abutatur amicitiæ prætextu; ſi Religionem in contemptum & odium adducat; ſi adverſus homines incautos & invalidos irrumpat; ſi afflictis afflictionem addat, ſi modum excedat, & barbara feritate ſæviat; quæ omnia in duorum iſtorum fratrum facto, ſuo loco notavimus; ſimulque fictæ Juditæ depravatum judicium, quæ tam atrox facinus, à Sp. Sancto tam perſpicuè improbatum, auſa eſt non tam excuſare, quam extollere, ſibique in exemplum proponere. Quo argumento noſtri merito, illius libro, omnem canonicam autoritatem derogant. Nec ſatisfacit diſtinctio Lyrani, inter zelum & modum; zelum fuiſſe bonum, & à Judita laudatum; modum fuiſſe vitioſum, & à Jacobo improbatum: Nam ſive zelum, ſive modum ſpectemus, utrumque hic vituperat Jacobus. Quid enim fuit *zelus eorum*, niſi ira immodica, niſi concupiſcentia & rapiendi voluntas? Quid *modus* niſi ſævitia & rapacitas? Sed ipſius Juditæ verba hanc modificationem ferre non poſſunt, ut ſuo loco diximus. Imo ipſi Deo attribuit, Judith. 9. ea quæ hic Spiritus Sanctus condemnat; quod *Deus gladium Simeoni dederit in defenſionem alienigenarum*; id eſt, quod ſubminiſtraverit Deus *arma iniquitatis*; Item, quod Deus *in prædam eis dederit mulieres, &c.* id eſt, quod voluntati & concupiſcentiæ eorum adſcribit Jacob, illa ad Dei inſtigationem refert. Probat Judith & zelum & modum, imò factum ſibi imitandum proponit. At Sp. Sanctus, zelum illum furorem & pervicacem iram appellavit; & quod viros occiderint, damnavit; unde conſtat non ab eodem ſpiritu Prophetiam Jacobi fuiſſe dictatam, à quo liber ille Apocryphus editus fuit. Cum etiam in executionis modo id maximè deteſtandum fuerit, quod fraude & dolo, oppreſſerint incautos, illa hoc maximè ſibi propoſuiſſe fingitur. Manifeſtiſſimè enim ad illud alludit, verſ. 12. ubi à Deo audet petere, mendaciorum & fraudum ſuarum fælicem exitum, πάταξον δοῦλον ἐκ χειλέων ἀπάτης μου ἐπ᾽ ἄρχοντι: *percute ſervum ex labiis deceptionis meæ ſuper principem:* nempe quemadmodum labiis deceptionis abuſi fuerant Simeon & Levi, ut opprimerent Sichem, cujus anteà eadem ficta Juditha, infirmitatis lectum appellaverat, τὴν στρωμνὴν τὴν ἀπατηθεῖσαν. *ſtratum deceptum.* ut hoc exemplo ad *deceptionem* ſe confirmaret, & variis mendaciis hominem circumveniret; Itaque nunquam poterunt hanc eluere maculam, niſi qui impudentiæ litarunt. Quod ſi dicant hæc tantum referri quæ Judith dixit, non tamen omnia probari; totius libri ſcopus, & ipſius autoris judicium eos redarguet, qui preces illas Judithæ deſcribit, & tanquam pias & ſanctas refert, iiſque adſcribit totius rei ſucceſſum, & eventum optatum.

Hactenus de tribus illis Jacobi filiis, qui patrem ſuis iniquè factis exacerbaverant, quibus etiam ſpiritu prophetico pœnas venturas prædixit. In ſequentibus poſtquam à caſtigationibus incœpiſſet, & tres illas priores tribus in perſonis ſuorum capitum depreſſiſſet, nunc in Juda compellando alia prorſus ratione utitur, & ea fundit oracula, de mirandis in hac tribu eventibus, quæ in tota hac propheria eminent, velut pretioſiſſima gemma, in aureo annulo, aut monili. Continetur autem quinque verſibus, quicquid de Juda prædicit, ab octavo, uſque ad duodecimum, incluſivè. In quibus 1. cõmendat Judam, à dignitate & principatu. 2. à fortitudine & potentia. 3 à ſtabilitate generis & poteſtatis, ubi agit de adventu Meſſiæ, & tẽpore ejus ἐνσαρκώσεως. 4. à fertilitate & ubertate ſoli, in quo habitaturus erat.

יהודה אתה יודך *Iehudah attah jodeka*, Jehuda laudabunt te, vel confitebuntur te fratres tui: In quibus verbis eſt elegans paronomaſia, & alluſio ad ipſius Judę nomen. Cum enim Lea hoc ipſi nomen impoſuiſſet, quod quarta jam prole aucta eſſet, ac proinde materiam nacta Dei laudandi; nunc Jacob eandẽ vocis ſignificationem aliò deflexit, ut paſſivè accipiatur, quod ipſe Juda laudandus & celebrãdus eſſet à fratribus ſuis; h. e. quod inter fratres ſuos celebris & ſplẽdidus eſſet futurus.

nec abludant Græci & Latini interpretes. Paraphraſim Onkeli ſic vertit Fagius, *Iuda confeſſus es, & non erubuiſti, in te confitebuntur fratres tui.* At in Bibliis regiis alia verſio ſic habet, *Iuda laudabo te & non es confuſus, te laudabunt fratres tui.* Verſio quam Fagius habet, variis Ebræorum interpretationibus accommodata eſt; quia ut idem refert, quærunt quid ſit illud quod confeſſus eſt Juda, & non erubuit.

Quidam referunt ad ſcortationem cum Thamar, quam confeſſus eſt, cum dixit *Iuſtior me eſt.* Alii ad verba quibus hortatus eſt fratres ſuos ut abſtinerent ab effundendo ſanguine Joſephi. Alii ad libertatem qua uſus eſt apud Joſephum, pro Benjamino verba faciens. Alii ad confeſſionem nominis Dei. Sed nihil aliud habemus ex hac varietate, niſi quod experimur, quantum ſitum ſit in recta alicujus loci verſione, & quam multis incommodis laboret, quæ à textu deflectit; tunc enim fieri non poteſt quin extra oleas vagentur, qui ſpeculationibus ſuis indulgent. Senſus eſt apertus ex verſione communi. *Laudabunt te fratres tui*, hoc eſt, tibi virtutis & poteſtatis tribuent laudes. Quomodo autem id fieri debuerit, ex ſecundo membro Chaldaicæ paraphraſis intelligi poteſt, *in te confitebuntur fratres tui*, id eſt, ex nomine tuo vocabuntur; quod ſic explicat Targum Jeroſolymitanum, *Iuda te laudabunt omnes fratres tui, & de nomine tuo vocabuntur omnes, Iudæi.* Sed generalius id accipi debet, non tam pro denominatione ex ejus nomine, quam pro celebratione ejuſdem ob præclarè facta, de quibus mox dicetur. Ex quo apparet, hæc non pertinere ad perſonam ipſius Iudæ, qui in Ægypto mortuus, nihil potuit exequi quod celebre redderet ipſius nomen, nec dubiũ eſt, quin ſemper Joſepho cum aliis fratribus ſuis ſe ſubmiſerit. Quapropter hæc omnia de poſteritate ejus ſunt intelligenda, in qua diverſis temporibus impleri debuerunt, quæcumque hic promittuntur.

Horum primum eſt, fortitudo bellica, adverſus hoſtes emerſuros. Prædicit enim per neceſſariam conſequentiam, Judam non cariturum variis hoſtibus, cum quibus ei erit confligendum; ſed victoriam reportaturum, quam hac phraſi ſignificat, ידך בערף *jadeca beoreph*, manus tua in cervice inimicorum. LXX ἐπὶ νώτου. *ſuper dorſum.* id eſt, imminebis hoſtium tuorum vertici vel tergo, eſt enim periphraſis fugæ hoſtium & victorũ, qui eos perſequentes, eorum cervicibus vel dorſo imminent. Idem eſt, ac ſi diceret, *inimicos tuos in fugam vertes.* Eadem phraſi utitur David, Pſal. 18. ℣. 41. *Inimicorum meorum exponis mihi cervicem; ut oſores meos excindam.* Hoc impletum eſt in tribu Juda, quæ prima auſa eſt ingredi mare rubrum; quæ mortuo Joſue dux cæterarum tribuum fuit in præliis; ex qua orti ſunt David, Zorobabel, & alii populi duces qui maximè fuerunt bello clari. Hanc fortitudinem præcipuè indidit Deus tribui Judæ, ut ad regnum apta eſſet, ad quod eam deſtinabat, quo referuntur ſequentia, ישתחוו *jiſchtachavu*, incurvabunt ſe: vulgata, *adorabunt te, filii matris tuæ*; civili nempe adoratione, qualis eſt ſubditorum erga principes ſuos. Id promiſſum fuerat Joſepho in perſona ſua, ratione fratrum ſuorum in ipſorum perſonis; alio jam ſenſu promittitur Judæ, nempe in poſteris ſuis, ratione aliarum tribuum. Prædicit ergo hic dominationem & regnum tribus Judæ, quæ etiam ſuo tempore ad principatum & regiam poteſtatem evecta eſt; quod maximè referendum eſt ad tempora Davidis & Salomonis, tunc enim omnes tribus Judæ paruerunt. Notandum eſt autem quod *filios matris* dicit, ut omnes cõprehendat, etiam qui ex diverſis matribus fuerunt.

Ex his rectè colligitur, Deum elegiſſe monarchicum regimen, quod in populo ſuo locum haberet, cum perfectus regiminis ſtatus inſtitueretur. Nam etſi Deus alia ratione populum ſuum gubernaſſet per *Iudices* extra ordinem ſuſcitatos, ſtatuerat tamen dignitatem Regiã in eodem ſuſcitare. Id initio tumultuosè à populo petitum fuit, antequam maturum tempus veniſſet, unde accidit ut parum auſpicata fuerint initia, & in alia tribu incœptum fuerit regnum in perſona Saulis, ſed velut abortivus quidam fœtus. Nam tandem Dei auſpiciis, per legitimum ordinem, impletum fuit hoc oraculum in tribu Judæ.

Dixerat, hoſtibus formidabilem futurum Judam, id poſteà figuratis verbis illuſtrat, ſimilitudine ſumpta à Leone, qui animalium omnium fortiſſimus, aliis etiam omnibus terribilis eſt. Prov. 30. ℣. 30. *Vetus Leo robuſtiſſimus inter beſtias, qui non retrogredietur metu cujuſquam.* Amos 3. ℣. 8. *Leo rugiet, qui non timebit?* Meminit autem Leonis ſub nominibus גור אריה *gur arjeh*, catuli Leonis, אריה *arjeh*, Leonis, & לבי *labhi*, majoris Leonis: & cuique gradui tribuit actionem ſuam, *catulo*, quod *à præda aſcendat*; Leoni, quod *incurvet ſe, & accubat*; majori Leoni, *quod nemo eum ſuſcitare auſit.* Tradunt Ebræi de natura Leonis, ut Fagius refert, quod per gradus quoſdam magis ac magis robuſtus fiat, donec ad ſummum roboris gradum perveniat. In primo enim gradu vocatur גור catulus. In ſecundo כפיר *cephir*, Leunculus. In tertio אריה *arjeh*, Leo. In quarto לביא *labi*, Leo ſenex. In quinto ליש *laiſch*, Leo multorum annorum. Ex his nominibus tria hic uſurpantur quaſi per gradationem quandam, *gur, arjeh, & labhi.* Generaliter autem hæc ſimilitudo poteſt explicari & eo accommodari, quod Juda prædis hoſtium potiturus & inſtar Leonum terribilis ſit futurus, non modo in belli accinctu animosè in hoſtes inſultum faciens, ſed etiam poſt victorias quieſcens, adeo ut poſteà regno ſit pacificè fruiturus, ſicut Leones præda ſua ſecurè veſci ſolent, in crura demiſſi, neque ullo ferarum aliarum metu ex unguibus eam demittere, vel ea relicta effugere ſolent; quos etiam cum ſomnum capiũt, nemo citra diſcrimen excitare poſſit. Quo Tremellius & Junius reſpexerunt ſic vertentes, *cum in crura ſe demiſerit, cubuerit tanquam Leo, & tanquam*

quam immanis Leo, quis audeat illum ſuſcitare?

Alii ſubtilius ſimilitudinem hanc per partes explicandam cenſent, ut referatur gradatim ad regni auſpicia, progreſſum, & durationem cum firmitate & ſecuritate conjunctam. Ad quæ reſpexit Paraphraſtes Onkelos, *Poteſtas ſeu dominium erit in principio, & in fine magnificabitur regnum domus Iudæ, quoniam de judicio mortis fili mi animam tuam abſtuliſti*, (ſic enim reddunt Biblia regia) vel ut Fagius habet, *à judicio occiſionis animam tuam abſtinuiſti; quieſcet & habitabit in fortitudine ſicut Leo, & ſicut Leæna, neque erit regnum quod commoveat eum.* Igitur per catulum Leonis, intelligi poteſt infantia & adoleſcentia tribus Judæ in bellis, tempore Joſue; ſub Leone robuſtiore, tempus virilis roboris ejuſdem regni ſub Davide; ſub ſene Leone, confirmatum imperium ſub Salomone, de quo ſcriptura commemorat, tempore illius tantam pacem fuiſſe, ut unuſquiſque ſecurè ſederit ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan uſque ad Beerſeba. Quod autem Chaldæus addit de judicio occiſionis à quo animam ſuam abſtinuerit, vel animam ſuam abſtulerit, quorſum referri debeat, & ad quid attenderit, cum nihil tale in textu habeatur, non facile poteſt explicari. Sunt qui id referant ad recantatam ſententiam quam adverſus nurum ſuam pronunciaverat; vel ad id, quod in mortem Joſephi non conſenſerit. Videtur Paraphraſtes exprimere voluiſſe, quod de cubante & dormiente Leone textus dicit, quod alii referunt ad imminutionem regni ſub Jeroboamo; Tunc enim Judas viſus eſt Leoni dormienti ſimilis, qui tunc terrorem ſuum erectis jubis non latè effudit, ſed quodammodo in ſpelunca accubuit. Cum tamen lateret aliqua Dei virtus ſub illo ſopore, ut eum turbare auſi non fuerint, qui eum perditum cupiebant, & alioqui ad inferendam perniciem viribus pollebant.

Quod Moſes dicit מטרף בני עלית *mittereph beni alitha*, vulgata vertit *ad prædam fili mi aſcendiſti*, ſed rectius Symmachus & Aquila, *à præda*; ſignificat enim victoriam partam, non parandam, & fœlicem reditum è bellis, non ipſam ſuſceptionem belli. In ſumma, collatio Leonis & Judæ hæc eſt, 1. Leo quadrupedum animalium rex nominatur, ſic Judæ tribuitur laus & præcellentia inter omnes fratres. 2. In præda conſequenda potens eſt Leo; ſic Judæ promittuntur opima ſpolia de hoſtibus devictis. 3. Leonem verentur & metuunt quotquot ſunt animalia; ſic Juda à ſuis reveritus, ab hoſtibus formidabilis habitus eſt. 4. Nullum animal audet irritare Leonem; ſic Juda diu tutus fuit à temeraria hoſtium incurſione. Numer. 24. ℣. 9. *Accubans dormivit ut Leo, & quaſi immanis Leo, quis excitet eum?* Ubi quod Judæ tribuit Jacob, Iſraëlis populo totidem verbis adſcripſit Balaam, cum ad maledicendum conductus, cogeretur benedicere populo Dei. Eandem ſimilitudinem ſecuritatis uſurpat Mich. cap. 5. ℣. 8. *In die illa, Iacob erit in medio populorum ſicut leo inter animalia, ſicut catulus Leonis inter pecora & gregem, qui ſi tranſierit, & conculcaverit, & rapuerit, nemo eruet.* Et Proverb. 28. ℣. 1. *Iuſti inſtar leonum confidunt.*

Alluſit ad hanc Jacobi prophetiam Sp. Sanctus Apoc. 5. ℣. 5. *vicit Leo de tribu Iuda*, ubi oſtendere voluit, etſi in regno temporali Judæ prædictionem hanc Deus impleverit, maximè tamen ſuum habere complementum ſub regno Chriſti, cujus dominationis non erit finis, quem in morte dormientem formidarunt omnes inferni potentiæ, qui verè animam ſuam eripuit à judicio exciſionis.

De Leonis Hieroglyphico multa dici poſſent, ſed hæc maximè ad regiam dignitatem pertinent. Leoni innatus eſt animus invictus & generoſus. Utitur magnaminitate adverſus feras & truculentas beſtias, nec ex inſidiis agit, ſed apertè, à fronte adoritur animalia reliqua, non à tergo; Parcere ſolet humilibus & abjectis. Non multum dormit, & in ipſo ſopore oculos habet apertos. Qui inter homines cæteris imperant, forti animo eſſe debent, non effœminato; ad terrendos & repriměđos improbos & facinoroſos, & ſubdolos inſidiatores coërcendos, virtute & magnitudine heroica uti debent. Eos etiam decet, fides, candor, ingenuitas, juſtitiæ & veritatis ſtudium, à fraudibus & dolo malo alienum. Quorum etiam eſt,

Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Denique non oportet, virum principem per totam noctem dormire, voluptatibus & ſomno indulgere, non officium ſuum negligere, &c. Qui pro inſigni Leonem habent plerique Reges, principes & Reſpub. aliquando nihil minus in ſua adminiſtratione præſtant, quàm ea, quæ in Leone Principibus imitanda proponuntur.

Exercitatio CLXXVIII.

Progreſſus oraculi de ſemine benedicto, quod tribui Iudæ promittitur. Vocis שבט ſchebhet *homonymia diſtinguitur, & conſenſus veterum interpretum adducitur de ſceptro.* מחקק Mechokek, *Legiſlator.* De inter pedes ejus, *quæ phraſis? De voce* ſchiloh *accurata diſquiſitio. Notantur quæ apud omnes Eccleſiæ interpretes ſunt in confeſſo. Proponitur difficultas de tribus Iudæ legiſlatione, & quàm varium fuerit in politia Iſraëlitarum regimen uſque ad Chriſtum, exponitur. Communis ſolutio examinatur, & adverſus eam inſtantiæ proferuntur. Super ea Iuliani deſertoris & Cyrilli conflictus. Genebrardi allucinatio, ab aliis Pontificiis caſtigata. An Aſſamonei Reges à parte fœminarum fuerint è tribu Iuda. Negatur id probari poſſe; vel ſi probaretur, ad rem facere. Synedrium magnum fuiſſe ex tribu Iuda, merito controverti, & verum non eſſe. Herodem poſtquam Rex fuit, ei ſe non ſubmiſiſſe, ſed cum adhuc privatus eſſet. Pſeudophilonis Aniani error. Ex quibus probabile ſit compoſitum fuiſſe Synedrium magnum.*

SEquitur nobile oraculum de tempore adventus Meſſiæ v.10. cujus primò explicabimus verba, Deinde examinabimus ſenſum; Denique corruptelas Judæorum recentium rejiciemus. Verba ſunt in vulgata editione, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, neque legiſlator de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Hæc continuant præcedentia, cum enim dixiſſet Jacob, Judam fortiter pugnaturum contra inimicos, victoriam de iis reportaturum, & capta præda accubiturum, &c. durationem dignitatis & poteſtatis ei promittit, uſque ad adventum *Silo*, in quem poteſtate tranſlata, & planè mutata à temporali in purè ſpiritualem, ceſſatura erat Judaici populi Reſpublica, & in ea legiſlatio. Itaque, qui antea revelaverat Adamo Deus, venturum ſemen mulieris contriturum caput Serpentis, & peccatum aboliturum, ſine deſignatione tamen gentis, in qua naſciturum eſſet; cum uberiorem poſteà revelationem Abrahamo conceſſiſſet, cui indicaſſet in ſua gente & ex ſuo ſemine naſciturum; nec id ſolum, ſed cum duos haberet filios, in Iſaac vocandum eſſe ei ſemen: Nunc per Jacobum, revelationem tanti beneficii amplificat & illuſtrat, additque aliquos perſpicuitatis gradus, ſecundum illud ſuum propoſitum, quo non momento uno, ſed variis vicibus, & paulatim tantæ rei cognitionem voluit communicare. Cum enim plures haberet filios Jacob, tribui Judæ hoc privilegium non obſcurè concedit Deus, quod electa ſit, ut in ea naſcatur ſemen illud benedictum; & cum de tempore hucuſque nihil patefactum fuiſſet; nunc etiam tempus manifeſtationis ejus voluit ſignificare, ſimulque ſignum evidentiſſimum exhibere, quo de Meſſiæ adventu certi eſſe poſſent, quibus deſignatus erat.

Non recedet, inquit, שבט *ſchebhet*, è Juda. Hæc vox prima occurrit, quæ ſua ambiguitate interpretes in varias trahit ſententias. Significat enim *virgam* & *baculum*, qui naſcitur ex arbore, ſeu radice arboris, & à LXX per nomen ῥάβδος tum redditur: quæ ſignificatio communis, ſatis frequens eſt. Inde accipitur pro baculo, quo tanquam poteſtatis inſigni utebantur reges & principes, quod etſi poſtea argenteum fuerit vel aureum, initio tamen ex ligno fuit; σκῆπτρον Græci vocant, quo ſenſu etiam ſæpè accipitur à LXX. Hinc per metonymiam ſigni, pro dominio & principatu, regno, juriſdictione, & imperio. Quia autem *tribus* ex uno patre, tanquam baculus ex una arbore naſcitur; hinc etiam factum eſt ut frequētiſſimè nomen שבט *ſchebhet*, in ſcriptura accipiatur pro *tribu*; ſic frequentiſſimè φυλὰς interpretantur LXX, nec eſt alia vocis acceptio ulla, tam uſitata in Veteri Teſtamento, cujus centum & ſeptem exempla in ſuis concordantiis collegit *Kircherus.* Secundam ſignificationem pro ſceptro, vel figuratam, pro principatu; ſequuti ſunt interpretes Græci hoc loco, & Chaldæus, LXX enim habent Ἄρχων. Onkelos autem, עבר שולטן *abhedh ſchultan*, qui facit poteſtatem, id eſt, qui *exercet*; periphraſis principatus, aut ejus qui magiſtratu fungitur. Tremel. & Jun. communiſſimam illam acceptionem prætulerunt, de *tribu*, quam etiam probat Piſcator hoc argumento, quod vocabulum illud tribum ſæpè ſignificet, nunquam autem ſceptrum; ſive virgam regiam. Contrarium agnoſcunt, Tremel. & Jun. qui Zach.10. verſ.12. vertunt *ſceptrum Ægypti*, ubi Ebraicè legitur שבט *ſchebet.* Et certè, non alio ſenſu accipi poteſt Pſal.45.ꝟ.8. *Virga æquitatis virga regni tui*, nam *virga regni*, nihil aliud quam ſceptrum eſt. Et ſic intelligenda eſt verſio Pagnini hoc loco, qui *virgam* ſimpliciter vertit, ne quis exiſtimet eum patrocinari recentium Judæorum commento, qui oraculum hoc accipiunt de virga caſtigationis, & prædictum putant hoc oraculo, caſtigationes gentis ſuæ duraturas donec venerit Meſſias eorum. Quæ ſignificatio hoc loco non poteſt convenire cum antecedentibus & conſequentibus. Quamvis autem *tribus* nomen poſſet cum iis utcumque accommodari, non exiſtimo

tamen

tamen mutandam eſſe veterem tranſlationē de *ſceptro*, quia tota hæc prophetia de imperio & potentia Judæ agit, & nomen quod poſteà additur id indicat. Nec ubi vox Ebræa id patitur, negligi debet conſenſus, Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum interpretum veterum, tam Judæorum, quam Chriſtianorum; qui certè hoc loco mirus eſt. Nam tres Paraphraſtæ Chaldæi Onkelos, Jonathan, & Hieroſolymitanus conveniunt ſenſu. De primo vidimus: Jonathan habet *non ceſſabunt reges & dynaſtæ*. Tertius autem, *non deſinent eſſe Reges*. Græci ſimiliter: de LXX. audivimus. Aquila autem vertit, οὐκ ἀναστήσεται σκῆπτρον. Symmachus, οὐ περιαιρεθήσεται ἐξουσία. Theodotio, οὐκ ἐκλείψει ἄρχων.

Sequitur altera vox מחקק *Mechokek* quæ participium eſt verbi חקק *chakak*, quod ſignificat, vel ſimpliciter, *ſcribere, pingere, exarare*, vel cum autoritate, *decernere, ſtatuere, mandare*. LXX. vertunt ſemel διατάττω, inſtituo. Judic. 5. ℣. 9. Sed מחקק vertunt, vel ἡγούμενον, *ducem*, ut hoc loco, vel ἄρχοντα, principem; vel βασιλῆα regem, vel βασιλείαν regnum. Chaldæus *ſcribam* ספרא *ſaphera*, interpretatus eſt. LXX. ſequuta eſt vulgata, quæ *ducem* habet. Aquila ἀκριβαζόμενον, ſic dictum ab accurata examinatione legum quas promulgat, vel, quaſi ſcriba probatus & examinatus: ſcribæ etiam nomen retinuit Jonathan; & Hieroſolym. paraphr. *docti legem docentes*. Pagninus, Tremel. & Jun. *Legiſlatorem* vertunt. Sic vocatur Juda, Pſal. 108. ℣. 9. *Iuda* מחקק *mechokek*, ubi vulgata *rex meus*. Noſtri interpretes, *Iuda legiſlator meus eſt*. vel, ut Munſterus, *Legifer*. Chaldæus *ſcriba*; plerique alii, *dux meus*.

מבין רגליו *mibbeen raglav*, ad verbum, *de inter pedes ejus*. Eſt honeſta loquēdi forma, qua ſcriptura περιφράζει locum virilitatis. Hieronymus, *de fœmore ejus*: LXX. in plurali de fœmoribus; ſenſus eſt *ex ſemine* vel *ſtirpe* ejus. Chaldæi interpretes *de filiis filiorum ejus*.

Reſtat vox שילה *ſchiloh*, de qua quid propriè ſignificet valdè ambigitur. LXX. verterunt, *donec veniant*, τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *quæ repoſita ſunt ei*. quam lectionem ſequuti ſunt etiam Latini, qui uſi ſunt verſione ex LXX. editione expreſſa, ut Auguſt. & Cyprianus. Significationem vocis Græcæ alii retinuerunt, ſed numero ſingulari, & relativum non ad τὰ ἀποκείμενα, ſed ad eum qui venturus erat retulerunt, *donec veniat, cui repoſitum eſt*. Sic Tertullian. Juſtinus Martyr, Irenæus, Ignatius, Ambroſius & alii. Videntur Græci interpretes vocem שילה diviſiſſe in duas, & accepiſſe ש *ſchin*, pro ſervili litera, ſignificante relativum, *qui, quæ* &c. לה *loh* autem voluiſſe eſſe notam dativi ſignificantem pronomem *ei*, pro לו *lo* cum *vau*; quæ non eſt inuſitata literarum quieſcentium permutatio. ſuppleverunt autem de ſuo, illud ἀποκείμενα. Vulgata autem editio, aut ſenſum tantum reſpexit, non Ebræam vocem, cum vertit, *qui mittendus eſt*, aut videtur ejus autor legiſſe non ה in fine, ſed ח *cheth* שלוח *ſchaluach*, à verbo שלח *ſchalach*, miſit. Alii à שלה *ſchalah* deducunt, quod eſt *pacificare* aut pacificum eſſe, quieſcere, &c. quaſi ſalvum aut Salvatorem, fœlicem, fortunatum, aut pacis autorem. Noſtri interpretes, vel nomen ipſum retinent ſine interpretatione, ut Pagninus, Arias, & Gallica noſtra verſio; vel filium interpretantur, ſequuti ipſos Ebræos, Rabbi D. Kimchi, ben Ezra, & Rab. Bechai, qui בנו *filium ejus* interpretantur, ita ut *o* in fine ſit affixum. Nam quia Ebræis שליה *ſchiljah*, ſignificat ſecundinam, in qua embryo jacet & vivit, inde volunt nomen שיל *ſchil*, filium ſignificare. Addit Galatinus de arcanis Cathol. verit. lib. 4. cap. 4. ה in fine eſſe notam fœminini generis, & Siloh, idem eſſe quod *filius mulieris*. Ex quo palam eſt, ideò Prophetam dixiſſe *donec veniat Siloh*, ut oſtenderet Meſſiam ipſum de matre, ſine patre naſciturum eſſe. Ut *filius ejus*, idem ſit quod Geneſ. 3. *ſemen mulieris*. Hanc Galatini & Porcheti conſiderationem, in grammaticam peccare ſentit doctiſs. Mercerus, in qua affixum ad virginem referunt. Sed in hiſce extraordinariis, non ſemper omnia ad ordinarias grammaticæ leges eſſe exigenda, ex aliis ſacræ ſcripturæ locis probari poſſet. Sed ſenſus idem manebit, ſi abſolutè accipiatur nomē, & ה non ſit affixum, tum enim *filius* abſolutè κατ' ἐξοχὴν vocabitur, qui ſingulari modo ex ſecundis tantum, ſine operatione viri naſci debebat. Sic Rabbi Bechai in comment. ſuo in hunc locum, citante doctiſs. Buxtorf. שלה בנו שיולד משליח אשה כדרך כל-הנולדים *ſchiloh benó ſchejjulladh miſchſchiljath Iſchſcha Kederec col hannoladhim*. i. *filius ejus qui naſcetur ex ſecundinis mulieris juxta viam eorum qui naſcuntur: Eſtq́ vox deſumpta ex ſignificatione vocis* בשליתה beſchiljathah. *Quod autē potius dicit* שילה ſchiloh *quam* בנו benó, *eo innuit Iacob, ſe de Meſſia peculiariter loqui*. Hæc ille. Et certè per hanc vocem, Meſſiam fuiſſe intellectum, oſtendit triplex Targum, Onkeli, Jonathanis, & Hieroſolymitana paraphraſis, in quibus legitur pro *Siloh*, Rex *Meſſias*. Sic enim Onkelos: *Non deficiet habens principatum à domo Iehuda, & legiſlator de filiis filiorum ejus in ſeculum, uſq́ dum veniat Meſſias, cujus eſt regnū*. Ionathan, *Non deficient Reges & duces de domo Iuda, & legiſlatores docentes legem de ſemine ejus, uſq́ ad tempus quo veniet Meſſias, parvus filiorū ejus*. Ubi alludit ad nomen *Siloh*, quia infans in ſecundis adhuc parvus eſt. Hieroſol. *Non deficient reges de domo Iuda, neque doctores docentes legem de filiis filiorum ejus, uſque ad tempus quo veniet Meſſias*. Hoc ſolemne eſt Chaldæis interpretibus, loca prophetiarum de Meſſia, quantumvis nomen Meſſiæ in Ebræo non exprimatur, ſi per circumſtantias tamen deſcribatur à beneficiis vel officio, nominatim de Meſſia exponere. Ex quo deducuntur ſæpè adverſus Judæorum obſtinationem fortiſſima argumenta, cum, inſigni malitia, originalem textum aliò detorquere conantur: quod hic etiam faciunt diverſis excogitatis commentis, quorum vanitatem detegunt paraphraſes illæ; Citat Buxtorffius, in radice נין *nin*,

Ex Talmud, in codice Sanhedrin cap. 11. Fol. 98. *Rab. Iohanan dixit, Meſſiæ quod eſt nomen? Qui de ſchola R. Schela reſponderunt* שילה ſchiloh, *juxta illud, donec veniat ſchiloh.* Et ex Bereſchit Rabba, *Schiloh eſt Rex Meſſias.* Ex Chaskuni & Pentateucho cum triplici Targum, id caballiſticum afferunt, quod literæ יבא שילה *jabhó ſchiloh*, contineant numerum 358. totidem autem משיח *maſchiach.* Inter Chriſtianos, etſi, ut vidimus, magna ſit in verbis varietas, quam diverſitatem etiam impius Apoſtata Julianus, apud Cyrillum Alexandrinum objecit, conſentiunt tamen omnes hac voce *Meſſiam* intelligi. Notat μακαρίτης Amama Antibarbari lib. 2. cap. 49. Vocem Silo commodiſſimè ſic accipi, ut ſit formæ קימוש *kimoſch* קיטור *kitor*, ut ſignificet *ſoſpitatorem*, tranquillatorem, ut ה ſit thematis litera à שלה *ſchalah*, unde שלו *ſchalev* tranquillus. & nomen hoc cum nomine *Ieſus* affinitatem habere. Legatur totus, qui multa habet ibidem egregia.

Additur in fine verſus ולו יקהת עמים *velo jikhath ammim*, & ei obedientia populorum. Vulgata *expectatio gentium.* Alii congregationem vertunt, deducentes à לקה *laka*, ut literis tranſpoſitis idem valeat quod קהל *kahal.* Genuinam tamen eſſe verſionem communem, non ſolum interpretum veterum confirmat autoritas, ſed etiam collatio cum aliis locis, in quibus eadem vox reperitur; ut Proverb. 30. ℣. 17. ubi dicitur, *oculus qui contemnit* ליקהת *lejikhath*, *obedientiam matris.* Ad ſenſum parum refert, ſive *aggregationem*, ſive *obedientiam* legamus. Qui *aggregationem* vertunt, à קוה *kavah*, videntur deducere, à qua radice eſt etiam *expectandi* ſignificatio. nam קוה *kavah*, eſt attentè expectare, & ab aliquo pendere, item congregare. Sed potius eſt à יקה *jakah*, audire, obtemperare. Minus aptè ſentiunt qui à קהה deducunt cum Talmudicis, quos ſequutus eſt Schindlerus, & *debilitationem populorum* vertunt, vel *devaſtationem.*

His omnibus expenſis vera interpretatio hujus verſus hæc erit, *Non recedet ſceptrum* ſive Principatus *ex Iuda, & legiſlator ex ſemine ejus, donec veniat filius ejus* aut *ſoſpitator, cui obedient populi.* Quam excellentiſſimam fuiſſe de Chriſto venturo prophetiam, cum in Eccleſia Chriſtiana exploratiſſimum ſemper fuerit, in ejus tamen explicatione & applicatione tot fuerunt ſententiarum varietates, ut omnes eas enumerare & refellere quæ minus aptæ ſunt, tædioſæ ſit, & non multum profuturæ operæ. Pererius ſeptem recitat & refellere conatur ſententias, quia nullam probare poteſt, & ſeptimam affert, de qua ſuo loco dicendum erit. Dicemus 1. de conceſſis apud omnes; quorum illud primum eſt, Judæ nomine tribum & poſteritatem Judæ, non perſonam intelligi. 2. Præſupponi, uſque ad adventum Meſſiæ in Juda fore ſemper aliquem principatum, & aliquos magiſtratus & judices ſive nomothetas; ſive id accipiatur de utriſque ſimul, ſive de alterutris, diverſis temporibus. Id noto, quia per virgam ſeu ſceptrum, multi ſtatum monarchicum intelligunt; per Legiſlatores autem, magiſtratus & judices, qui manere poſſunt, ubi ceſſat monarchia, aut ubi nullus eſt rex. Hæc enim duo ita diſtinguuntur, ut *ſceptrum* primariam reipub. partem ſignificet, quam Ariſt. κύϱιον τῆς πολιτείας appellavit; *legiſlator* autem, partem alteram, eos nempe quos Ariſt. appellat τὰς ἀρχὰς καὶ τὸ δικάζον, ut notavit doctiſſ. Caſaubonus. Etſi non in Monarchia tantum, ſed in omni ſtatu Reipub. poſſint diſtingui qui ſupremam habent autoritatem à ſubalternis Magiſtratibus. Vix tamen *ſceptrum* aliis tribuitur quam regibus. 3. Illud *donec veniat*, accipiendum eſſe excluſivè ad tempus futurum; id eſt, poſtquàm Meſſias venerit, aut cum erat venturus, tunc ceſſare debuiſſe in Juda utramque præfecturam. Quamvis enim particula עד *adh*, donec, nō ſit ſemper excluſiva ſequentis temporis, aliquando tamen pro loci circumſtantia, ita antecedens ponit, ut ſequens excludat. Quod hoc loco manifeſtum eſt, ubi regnum aliud prædicitur, quod venturum erat, ceſſante eo quod in domo Juda debuerat ante illud tempus perſeverare. Vis tamen argumenti adverſus eos qui Meſſiam veniſſe negant ſemper manet, etſi de ſequenti tempore nihil dicatur. Quia ſufficiet ſi hoc poſito regnum & legiſlationem in Juda perſeverare debere uſque ad Meſſiæ adventum; probemus, nihil tale in Juda fuiſſe ex quo Judæa in provinciam fuit redacta; multo autem minus, poſtquam Jeruſalem per Titum deſtructa, reſpublica Judaica planè ceſſavit. Hinc enim evidenter ſequitur oportuiſſe tum Chriſtum veniſſe, aut veram non eſſe prophetiam.

Præcipua difficultas in eo conſiſtit, quomodo in tribu Juda, uſque ad Meſſiam perſeveraverit regnum & legiſlatio, in qua difficultate explicanda multorum ingenia ſudarunt. Conſtat enim populum Ebræorum ſtatim poſt egreſſum ex Ægypto, & acceptam à Deo legem, ſuos habuiſſe duces, ſed diverſo variis temporibus principatu. Primi qui præfuerunt populo, non fuerunt è tribu Jehuda, Moſes nempe & Joſue, ſed ex tribu Levi & Ephraim. Poſtquàm autem ad judices principatus pervenit, ex quindecim judicibus, quos Deus ſuſcitavit per annos fere trecentos, duo tantum fuêre de tribu Juda. Cum ad Reges perventum eſt, primus è tribu Benjamin electus fuit. Ad tribum Juda poſteà regnum pervenit, in qua regia dignitas perſeveravit annos quadringentos ſeptuaginta tres ad Babylonicam uſque captivitatem, & finem habuit in Jechonia & Sedecia. A quo tempore defeciſſe regnum in ſtirpe Davidis teſtatur Prophetia Jeremiæ, cap. 22. ℣. 30. *Non erit de ſemine ejus vir qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem ultra habeat in Iuda.* de Jechonia loquebatur. Sed apud Ezech. cap. 21. ℣. 27. de corona regni ſic loquitur propheta, *hæc futura non eſt, donec venerit is cujus eſt jus ipſum, & tradidi illud.* ſignificabat enim regnum ita evertendum eſſe, ut nunquam emergeret tanta perditione niſi adventu Chriſti, ad quem

ad quem jus regni ex divina ordinatione pertinebat. A laxata autem captivitate edicto Cyri, uſque ad ædificationem novæ urbis per Nehemiam, etſi in Zorobabele utcumque revixerit aliqua tribus Judæ dignitas, nō tamen inſtauratum fuit regnum. Ab eo tempore uſque ad Alexandri magni adventum, intercedunt tantum anni tres & quinquaginta, quo tempore penes ſacerdotes Levitici generis ſumma rerum fuit, quæ poſteà per Aſſamoneos in eo ordine fuit adeo firmata, ut tandem etiam Regium nomen & diadema uſurpaverint, quā poteſtatem plenam & ſolidam uſq; ad Pompeium tenuerunt; qui tamen aliquam umbram regii imperii ipſis reliquit, uſque ad Herodem, à quo Aſſamonæis regnum fuit ereptum & genus extinctum. Hæc cum ita ſint, ſatis apparet, non fuiſſe continuatam in tribu Judæ dignitatem regiam & legiſlatricem. Proinde neque eam incœpiſſe in illa tribu, neque ſemel incœptam perſeveraſſe, uſque ad Chriſti adventum.

Fuit tamen communis multorum veterum ſententia, & hoc tempore apud multos obtinet, quæ ab Origene Homilia 17. in Geneſim his verbis prodita eſt, *Conſtat uſque ad nativitatem Chriſti non defuiſſe Principes ex genere Iudæ, nec duces è fœmore ejus, uſque ad Herodem regem, qui ſecundum hiſtoriæ fidem quam Ioſephus ſcribit, alienigena fuiſſe, & in regnum Iudæorum per ambitionem dicitur irrepſiſſe.* Sic Auguſt. contra Fauſtū Manich. lib. 12. cap. 47. *Sunt literæ certiſſimæ, hiſtoriæ quoque ipſorum Iudæorum, quibus oſtenditur primum alienigenam regem fuiſſe in gente Iudæorum quo tempore natus eſt Chriſtus. Ita non defuit rex de ſemine Iuda, donec venirent quæ repoſita erant.* Idem etiam alii plures exiſtimarunt. Et hoc tempore fere omnes eam ſequuntur, ut Baronius in apparatu; & ante eum Toſtatus, Lyranus & Chartuſianus. Alii poſteà, etiam ex noſtris, etſi nolint regiam dignitatem fuiſſe in tribu Juda vel domo Davidis continuatam; ſed tamen autoritatē legiſlationis, cui ipſi etiam reges ſubmiſſi fuerint in quibuſdam caſibus, quam manſiſſe in familia Davidis volunt, & ex ea electos fuiſſe qui Synedrium magnum conſtituebant, cujus ſummam poteſtatem fuiſſe ex eo probant, quod ipſe Herodes de tyrannide accuſatus, coactus fuit ſenatui huic ſe ſiſtere, vixque capitis periculū evaſit. Sed non multo poſt ultus contumeliam, ac ſtabiliturus ſibi tyrannidem, Sanhedrim univerſum una cum Rege Hircano trucidavit. Sic Pareus.

Qui Regiam dignitatem ita in familia Judæ fuiſſe volunt uſque ad Chriſtum, ut ſemel inchoata, nunquam planè amiſſa fuerit, donec Herodes regnum occupaverit, cum gravi difficultate confligantur.. Julianus Apoſtata, ut patet ex ſcripto Cyrilli adverſus eum hanc movebat, quod cum regnum Judæ in Sedecia defeciſſet, ſequeretur hanc prædictionem nihil pertinere ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Cui alia ratione non potuit reſpondere Cyrillus, niſi negando regnum Judæ in Sedecia defeciſſe, & affirmando Zorobabelem poſt captivitatis tempus, in regni ſolio conſediſſe, tranſmiſiſſeque ſceptrū per poſteros ſuos uſque ad regnum Herodis. Cum tamen utrumque falſum fuerit, & Zorobabelem regnaſſe, & qui poſteà regnarunt fuiſſe ex ejus poſteritate. Nunquam enim fuit Rex Zorobabel; & ſi maximè hoc verum eſſet, tamen certum eſt Aſmonæos fuiſſe è tribu Levi, qui regnarunt uſque ad Herodem. Merito enim caſtigant ipſi Pontificii audaciam Genebrardi, aſſerentis Machabæos genus etiam paternum duxiſſe ex Juda, hoc enim falſiſſimum eſſe non ſolum evincit Hiſtoria, quæ teſtatur 1. Mac. 2. ℣. 1. Mathatiam parentem Jonathæ, Joannis, & Hircani, fuiſſe *ſacerdotem ex filiis Ioarib*, quem ex ſtirpe Aaronis fuiſſe patet ex 1. Paralip. cap. 24. Sed etiam quod Apoſtol. ad Ebr. 7. ℣. 13. & 14. claris verbis negat, unquam accidiſſe, aut accidere potuiſſe, ut qui ex tribu Judæ eſſet, aut alia quam Levitica miniſtraret altari. Hoc cum viderēt alii, reſponderunt, etſi paternum genus non duxerint Aſmonæi à Juda, fuiſſe tamen ex ea tribu ſecundum lineam fœmininam, eſſe verò eam conſuetudinem etiā hodiè apud gentes, ubi fœminæ præeſſe poſſunt (quales Judæos fuiſſe ex Debora matre in Iſraël, & ex Athaliæ regno ſatis patet) ut non cenſeatur ſceptrum in ea familia defeciſſe, ex qua adhuc fœmina ſupereſt, vel quam maſcula proles ſaltem ſecundum fœmineam regulam tangit. Sed hæc reſponſio non minoribus laborat vitiis. Primò enim ſupponunt quod non probant, Aſſamoneorum Reges ex parte fœminarum fuiſſe ex tribu Juda. Nam etſi fieri potuit ut quidam extra ſuam tribum uxores duxerint, affirmari tamen idem non poteſt de omnibus, ne quidem de uno, niſi temerè, quod ex tribu Juda duxerit uxorem. Deinde quod dicunt de conſuetudine regionum in quibus fœminæ præeſſe poſſunt, non poteſt applicari ordinario regimini populi Judaici, nunquam enim penes fœminas fuit dominatio. Nam quæ afferunt exempla ad rem non faciunt: cum Debora fuerit prophetiſſa & extraordinariè vocata, Athalia autem contra jus tyrannidem uſurpaſſet. Alioqui nuſquam fuit ſucceſſio regni penes fœminas; nec ſi fuiſſet probare poſſent, tunc maſculos omnes ex familia Davidis defeciſſe, ut neceſſario veniendum fuerit ad aliquam fœminam ex eadem familia, quæ cum ſacerdote Levitico matrimonio juncta, regiam coronam in maritum tranſtulerit. Quid, quod Judaici juris hæc ſit notiſſima regula, *quod familia matris non vocetur familia*, hoc eſt, genus maternum habetur pro nullo? Unde in Thalmude ſæpè dicitur, *in eo genus eſſe conſummatum*, qui prolem nullam maſculam habet.

Probabilior eſſet conciliatio Parei, quæ eſt Pauli Burgenſis in hunc locum, Galatini de Arcanis Cathol. verit. lib. 4. Joannis Lucidi lib. de emend. temporum. Si probare poſſent quod ponunt, magnum concilium Sanhedrim, à Moſe ex ſola tribu Juda fuiſſe compoſitum, vel ſaltem poſt Babylonicam captivitatem ex ſola Davidis familia fuiſſe electos, qui ad hoc cōcilium fuerunt

runt admiſſi; quia magnam fuiſſe hujus ſenatus poteſtatem negari non poteſt, non quidem quod de regibus ipſis potuerit judicare, quod perperam exiſtimarunt, qui id probare voluerunt ex eo quod Herodes ad cauſam dicendam juſſus eſt in Synedrium ſe ſiſtere, teſte Joſepho lib. 14. Antiq. cap. 17. Nam tum Herodes adhuc juvenis & privatus erat, ſub rege Hircano, qui tum rerum potiebatur. Sed id etiam ſi verum fuiſſet, non tamen unquam probabunt, ſenatum illum ex ſola tribu Juda fuiſſe conflatum, vel ex Davidis familia. Id enim tantum habent ex Pſeudophilone, quem ſuppoſuit Annius Viterbienſis, qui hoc quidem ſcripſit, ſed falſo, ut adverſus Baron. Exercit. 13. num. 10. oſtendit doctiſſ. Caſaubonus. Quandoquidem ea fuit concilii illius inſtitutio, ut ſi fieri poſſet, è ſolis ſacerdotibus & Levitis conſtaret, qui non erant è tribu Juda, ſed è tribu Levi. Unde eſt quod in Bibliis, & apud Joſephum aliquando appellatione ſacerdotum, intelligitur ipſum Synedriū. Quod ſi è numero ſacerdotum aut Levitarum non reperirentur, tum demum aliis Judæis aditus in ſynedriū patuit, nulla tribus habita ratione, quod ex Maimonide probat Caſaubonus; Pererius etiam rationibus non levibus aſtruit, talem ſenatum potius ex omnibus tribubus fuiſſe ſelectum, quam ex una, exemplis ex ſacra ſcript. petitis, hoc maximè, quod Moſes ex conſilio ſoceri ſui ſeptuaginta ſeniores ex toto Iſraële elegit, non ex una aliqua tribu. Itaque ex illius ſenatus juriſdictione ſolidè probari non poteſt, poteſtatem nomotheticam vel in ſola Davidis familia, vel in ſola tribu Judæ ad Chriſtum uſque perduraſſe.

Exercitatio CLXXIX.

Pererii ſententia de applicatione oraculi. Qua ratione à Iuda nomen acceperit Reſpub. Iſraëlis? Caſauboni explicatio in quibus conveniat? Eam è Iuſtino Martyre arceſſit. Cujus etiam partem tradidit Euſebius. Calvini ſententia. Conſideratio addenda allatis ex Euſebio. Quomodo ſtatus Reipublicæ & Eccleſiæ manſerit in tribu Iuda, uſque ad Chriſtum? Regis aut ducis electio, an penes tribum Iudæ ſemper fuerit? Argumenti vis contra Iudæos, pro adventu Meſſiæ. Prædictio vocationis Gentium, quæ hic ſub voce עמים ammim *comprehenditur. Aliorum prophetarum conſenſus. Cur ergo dicatur myſterium à ſeculis abſconditum. Iudæorum circa hoc oraculum corruptelæ refelluntur. Abutuntur editione vulgata, vertente* qui mittendus eſt. *Redarguitur Gordonius Huntilæus Ieſuita. & adverſus eum adſtruitur fides codicis Ebræi. Vocem* ſilo *ad Nabuchod. referri non poſſe. Neque de loco accipi. Multo minus de Saule uncto in Silo. Neque de Davide. Refelluntur qui voces* ſchebhet, *&* Mechokek, *afflictiones & exactiones interpretantur. Refellitur alia corruptela de termino. An vaticinium poſſit referri ad principes quos ſibi in Babylonia fingunt Iudæi? Cæcitas Iudæorum.*

Alia igitur inſtituenda eſt via, qua ad oraculi iſtius veram applicationem poſſimus pervenire, quæ iis incommodis non ſubjaceat, in quibus aliæ videntur decidere. Diximus nuper Pererium, ſeptem rejectis ſententiis aliorum, eam proponere, quam veram eſſe ſtatuit, intellectu & creditu facilem, nihil abſurdi & confícti continentem. Ejus ſumma eſt. Quæ hic dicuntur de Juda, ad univerſum Hebræorum populum pertinere, de Juda autem denunciari per appropriationem quandam, & ejus nomine hæc potius fuiſſe prædicta, quam alterius ex fratrū numero, 1. quia noverat Jacob ſpiritu prophetico principatum diu manſurum in tribu Juda; 2. quia eodem ſpiritu præviderat, fore ut aliquando univerſus populus à tribu Jehuda nomen acciperet, & Judaicus appellaretur. 3. Quia poſt captivitatem Babylonicam, etſi varia fuerit reipub. adminiſtratio, & tandem emerſerint Reges ex Levitica ſtirpe, regnum tamen aut reſpublica fuit in tribu Judæ, & ex tribu Juda: quia rediit tantum ex captivitate tribus Juda, ſaltem quæ tribus integræ rationem habuerit, qui enim ex aliis tribubus redierūt, ſub Judæ tribu, & Judæorum nomine terram illam incoluerunt, quæ regio ex maxima parte ea fuit, quæ tribui Judæ in ſortem ceſſerat, aliis à Samaritanis & Syriis occupatis. Regnum itaque, ditio, & civitas, regni Judæ fuit, etiam tum cum alii Reges ex tribu Levitica regnarent. Exemplum affert de corona Hiſpaniæ, quæ etſi ad Auſtriacos extraneos ſanguini Hiſpano ante annos centum tranſlata videatur, non tamen propterea dicitur defeciſſe ſceptrum aut corona Hiſpanica; nam licet perſonæ fuerint extraneæ gentis, & familiæ, ipſum tamen ſceptrum, ejuſque amplitudo & dominationis potentia Hiſpanica eſt, &c. Manifeſtius id videri in regno Poloniæ, in quo etſi poſt Sigiſmundum Regem, Henricus Valeſius regnaverit, & poſt eum Bathoreus, & tandem ex Suecorum Regum familia alius, nemo tamen dicet ſceptrum defeciſſe in regno Poloniæ.

Eandem ferè rationem ſequitur doctiſſ. Caſaubonus, in ſuis adverſus Baronium obſervationibus. Id primum ponit ex Juſtini Martyris dialogo cum Tryphone Judæo, quem locum ad ſuæ etiam ſententiæ confirmationem

mationem citat Pererius; Is poſtquam hunc ex Geneſi quem tractamus locum adduxiſſet, ſic Judæos urget; *Deſiiſſe unquam Principem aut Prophetam in genere veſtro, ab ipſo illius principio, ad illud uſque tempus quo paſſus & natus eſt hic Chriſtus, neque vos ea eſtis impudentia, ut dicere audeatis, neque poſſetis demonſtrare. Nam etſi Herodem, quo regnante natus eſt, Aſcalonitam fuiſſe dicitis; tamen hoc ipſi quoque dicitis, fuiſſe tum in genere veſtro Pontificem Maximum, qui oblationes offerret, & reliqua inſtituta legalia ſervaret; manente etiam vobis ſucceſſione Prophetarum ad Ioannem uſq;. Similiter, ut cum populus veſter in Babyloniam eſt abductus captivus, terra bello occupata, vaſis ſacris ſublatis, negatis deſiiſſe ex genere veſtro, vel inter vos Prophetam, qui Dominus, Dux & Princeps, populi veſtri eſſet. Nam ſpiritus qui erat in Prophetis reges vobis ungebat, & conſtituebat. At poſtquam Ieſus Chriſtus noſter in genere veſtro apparuit & mortuus eſt, Prophetam neq; habuiſtis amplius, neque habetis, quin etiam cum proprio regi prius pareretis, id quoque ceſſavit.* Hanc Juſtini ſententiam ita expendit, ut primo obſervet, licet ſoli Judæ videatur dari hoc oraculum, eventus tamen pertineat ad omnes fratres ex duodecim tribubus. Quã interpretationem neceſſariam judicat; quia adventus Meſſiæ, vocatio Gentium, & Judaicæ politiæ ceſſatio, cujus tum jaciebantur fundamenta, ad omnes tribus in commune ſpectabant; & ad id prædicebãtur, ut omnes gauderent tantorum myſteriorum cognitione. Aliquid tamen fuiſſe Judæ proprium agnoſcit, quia hoc oraculo non obſcurè ſignificatur, quod poſteà ſemper Judæis eſt creditum, ex Juda oriturum Meſſiam. Deinde, illud in Jacobi prophetia Judam propriè attingit, quod præcellentia dignitatis & jura primogenituræ, quod ad honorem, Rubeno primogenito adempta, in Judam transferuntur; cujus ratio indicatur 1. Chronic. cap. 5. ÿ.2. *Nam Iuda prævaluit fratribus ſuis,* ולנגיד ממנו ulenagid mimenu, *& princeps ille ex eo,* nempe Meſſias. Cujus ordinationis vis ea fuit, ut deinceps inter fratres Juda ſemper excelleret, & tribus ejus inter fratres dignitate potior eſſet, Secundo, hoc in Juſtino obſervat, ipſa vaticinii verba, *ſceptrum & legiſlator*, non exponere de perpetua aliqua ſucceſſione Regum è tribu Judæ, ſed in genere de omnibus Reipub. Judeorum rectoribus, magiſtratibus, atque etiam ſacerdotibus. Tertio, etſi Juſtinus exiſtimaverit, illud *donec venerit*, actionem denotare perfectam, ita ut oraculi eventus de abolitione politiæ Judaicæ, præceſſerit Chriſti adventum; putat tamen melius verti, *donec veniat*, ut oraculi illius complementum non in eo articulo ponatur, quo Herodes à Romanis Rex declaratus eſt, quia exiſtimat interitum Reipub. Judæorum quem ante tot ſecula Jacobus prædixerat, alio tempore incœpiſſe, alio eſſe promotum, alio denique eſſe conſummatum. Cœpiſſe calamitatem Judæorum anno ante Chriſtum natum ſexageſimo, quando populus ſub Pompeio coactus eſt ſubire ſervitutis jugum. Calamitatem auctam fuiſſe anno poſt natum Dominum decimo, cum Archelao Viennam relegato, Judæa in provinciæ formam eſt redacta, à quo tempore nullus amplius in Judæa Rex fuit vel Ethnarcha; Ultimam cladem fuiſſe, deſtructo templo, & urbe diruta. Summa iſtius ſentẽtiæ eſt, 1. Regnum Judę non promitti in ipſius tribu perpetuò uſque ad Chriſtum duraturum: ſed huic quidem tribui dignitatis quandam præcellentiam, cunctis vero tribubus, Reipub. aliquam formam donec adveniat Silo. 2. Prophetiæ complementum quæri debere, ultimis Reipub. Judaicæ temporibus, quando illius pars maxima bello extincta eſſe deſiit, & qui ſuperſtites manſerunt, deſierunt eſſe populus ille Dei peculiaris.

Hanc interpretationem, quod ſpectat primam & præcipuam oraculi partem, de modo quo regnum Judæ duravit uſque ad Meſſiam, Euſebius Cæſarienſis, lib. 8. de demonſtr. Euang. demonſt. 1. pluribus perſequitur. *Non prius* (inquit) *deſinent in Iudaica gente Principes & Duces, quàm gentium veniat expectatio, Vbi cum dicatur, non deficiet Princeps de Iuda, hoc item de primo illo Iuda non oportet accipere, ſicut nec illud, Iuda laudabunt te fratres tui; nec quæ ſequuntur ad eundem illum referri poſſunt; multi enim Principes & Duces in Iudaica gente multis ſeculis fuerunt, qui de illius viri genere non profecti ſunt.* Quod poſtquam multis teſtimoniis probaſſet, concludit, ea quæ ad hunc locum pertinent, uno modo conſtare poſſe duntaxat, ſi nempe de tota tribu intelligantur, quia ab initio, à Moſis temporibus, univerſæ gentis dux fuit, *itaque,* inquit, *ſecundum hujus principatum; utpote quem Deus ab initio præfecerit, & ipſa regio etiamnunc ab ea ipſa tribu, Iudææ vocabulum obtinet, & omnis illorum conventus Iudæorum appellatur.* Hunc igitur vult eſſe ſenſum, tanquam ſi manifeſtius dixiſſet, Non deſinet toti genti præeſſe tribus Juda: ſic utique juris amplioris & principatus autoritatem ejus quæ poſteà futura erat tribus Juda, nobis intelligendam proponens. Hujus enim neque ſceptrum, ut Aquila inquit (regii porro principatus hoc ſignum erat) neque poteſtatem, ut Symmachus, ſublatum iri vaticinatur, donec veniat, inquit, cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Sed quam tandem expectationem, niſi de qua olim & ipſi Abraham, & iis qui Abraham ſequuti ſunt patribus, oracula reddita ſunt? Poſteà ponderat, cum XII Hebræorum tribus eſſent, à nulla alia niſi ab una ipſarum Juda, gentis etiamnunc appellatio uſurpetur? Quod non aliunde profectũ fuiſſe arbitratur, quam ab hoc ipſo oraculo, quod uni tribui Juda, principatus dignitatem attribuit. Alioqui, cur non à Ruben, qui primus erat origine; Cur non à Levi, qui ætate & ſacræ functionis honore Judam anteibat; Cur non à Joſeph, qui decem tribuum regnum in ſuis poſteris obtinuit? Cur non à Benjamin, in cujus tribu Templum fuit conſtructum? Rationem hanc ſolam

affert, quia illud *non deficiet princeps Iuda*, ad ipſam tribum referri debet, & hoc uno duntaxat modo oraculi veritas locum habet. Quia à Moſis temporibus deinceps non defuerunt particulares quidam ipſorum principes, qui ex diverſis, ut dictum eſt, tribubus, genti præfuerint; in univerſum autem tribus Juda, quæ totius gentis principatum tenuit. Exemplum affert de Romano imperio, in quo ſingularum provinciarum procuratores & præſides, prætoreſque & caſtrorum præfecti, & Reges etiam, qui omnes dignitate anteeunt, non omnino omnes de Romana urbe capiebantur, neque de Remi ſive Romuli genere, ſed ex innumerabilibus, alius aliunde, nationibus; omnes tamen tam Reges quam Principes, Romanorum appellatione notantur, & Romanorum denominantur Imperium, & eandem denominationem in univerſum, omnes magiſtratus attingunt. Sic etiam in rebus Hebræorum conſtituendum & intelligendum eſſe, tanquam una quidem in univerſum tribus Juda totam gentem de ſuo nomine illuſtrem reddiderit; particulares autem Duces ac Reges, ex diverſis extiterint tribubus, qui tamen communi illa Judæ appellatione honorem acceperint. Ex his infert, Non alio quam ad totam tribum eſſe referendum id quod à Propheta dictum eſt, *Iuda te laudabunt fratres tui.* Noverat enim illam tanquam prærogativæ munus conſequutam, honore cæteris tribubus eſſe anteponendam: & quoniam princeps fuit in bellis, & ſola in apparatibus præliorum adverſus hoſtes genti ſuæ univerſæ præfuit, merito deinceps ad eandem dictum fuit, *Manus tua in tergo inimicorum tuorum.* Ex quibus apparet quænam fuerit de hoc oraculo Euſebii ſententia, quam aliorum etiam ex veteribus, calculis, comprobare difficile non eſſet. In qua tamen ſententia id non immerito carpit vir doctiſſimus, quod tribus omnes XII à Juda dictas fuiſſe, & eis præfuiſſe, inde ab initio, exiſtimat perperam, id enim experientia verum non eſſe teſtatur. Et mihi etiam probatur, (quicquid ſit de prærogativis tribus Judæ, jam inde ab initio) ſceptrum Judæ non intelligi niſi de Republica Judæorum poſt diviſionem decem tribuum, quarum Reſpublica ceſſavit, durante Judaica, ad quam vaticinium illud pertineat, ut poſteà dicemus.

Calvinus non exiſtimat etiam ſufficere, quæ dicuntur de variis regiminibus inter Judæos uſque ad Meſſiam continuatis, & ſub Herode deficientibus, ſub quo natus eſt Chriſtus. Hæc enim, etſi vera eſſe concedat, altius tamen conſcendendum eſſe putat. Primùm igitur colligit ex hoc dicto, tribum Judæ nunc conſtitui principem inter alias, ut emineat dignitate, quamvis nondum adepta ſit imperium. Secundo, hujus dignitatis ſpecimen luculentum in regno proponi, quod in Davide Deus auſpicatus eſt; etſi enim paulo poſt defectio facta fuerit, & exigua portio regnum Judæ conſtituerit, ei tamen jus divinitus collatum non potuiſſe eripi. Cum autem quæ ab Ezechiele prædicta fuerunt de corona ſublata, ut anteà diximus, videantur primo aſpectu repugnare Jacobi vaticinio, ut conciliatio fiat, judicat, Deum noluiſſe ſe aſtringere, ita ut viſibilem regni gloriam è ſublimi ſemper oſtenderet. Putavit ergo ſufficere, quod hic dignitate præfertur tribus Juda, & ei jus adſcribitur, quod ei auferri nunquam potuit, donec veniſſet Meſſias, ut hoc quaſi poſito fundamento, ſemper benè ſperarent, etiam poſt collapſum Davidis regnum; & veram reſtitutionem in Meſſia expectarent. Et hanc quidem conſiderationem fateor potuiſſe fidelium ſpem fovere; ſed ſi nihil aliud diceremus, non video etſi deſignetur Chriſti origo, ratione familiæ ex qua naſci debuerat, quomodo deſignatum fuerit tempus adventus ejus, quod maximè in hoc oraculo conſiderandum videtur. Neceſſarium eſt igitur, ut ſemper in illa tribu, etſi afflicta, apparuerit hujus dignitatis aliquod ſpecimen, quam agnoſcit ipſi tunc fuiſſe datam, & qua plane ceſſante, certo colligi poſſit, Meſſiam non eſſe amplius expectandum, quia certum eſt argumentum, eum veniſſe, ſi tribus Juda non emineat inter cæteras, & tota ejus reſpublica ſit everſa.

Igitur, conſiderationibus ex Euſebio allatis, cujus etiam laudarunt & illuſtrare conati ſunt ſententiam Pererius & Caſaubonus; hanc cenſeo addendam quæ magni momenti mihi videtur ad hujus loci explicationem, quam etiam attigit Pererius, Quod, nempe, poſt diviſionem regni Iſraelis, decem tribus primæ in captivitatem adductæ fuerunt, & in Samaria & locis habitationum tribuum illarum, ſucceſſerunt alienigenæ, ita ut Jſraelitæ diſperſi apud Aſſyrios nunquam redierint in terram promiſſam, ut in ea conſtituerent Rempub. ſuam. Regnum autem Judæ etſi poſteà per Babylonios fuerit everſum, tamen poſt annos LXX. ſolutam fuiſſe captivitatem, Urbem quæ caput regni fuerat reparatam, Templum ædificatum, & conſtitutam denuo Rempub. quam differentiam, inter utrumque regnum tribuum Jſraelis, prædixerat Hoſeas cap. 1. ℣. 6. & 7. Ubi de Iſrael, quæ nomine filiæ *lo ruchama* ſignificabatur, pronunciat ſe non amplius ejus miſerturum, nec eam toleraturum. De Juda autem, ſe miſerturum & ſervaturum. Hæc differentia ſuo tempore apparuit. Itaque deſtructa republica decem tribuum, reſtaurata fuit Judaica, etſi non in tali ſplendore quàm anteà, quemadmodum inter ſecundum Templum & primum, fuit magna diſcrepantia. Judæorum tamen inſtaurata fuit Reſpublica, & Eccleſia. Ut nunc hæc applicemus, 1. videmus etſi verum ſit quod Caſaubonus dicebat, prædictionem Jacobi ſpectare omnes duodecim tribus, id tamen intelligendum eſſe ratione fructus eventuri ex benedictione Judæ; Judæ autem tribum fuiſſe proprium benedictionis illius ſubjectum, & ad eam ita pertinere quod hic dicitur, ut de aliis tribubus neque in communi, neque in particulari dici poſſit. 2. prædictam fuiſſe illius tribus durationem, in ſtatu diſtincto, cum aliqua politia civili & Eccleſiaſtica, duratura

ſatura uſque ad Meſſiæ adventum. Quo referendum quod prædicti autores notarunt, de totius illius reipub. conſtitutione, ſub templo ſecundo, ſub nomine Judæ intellecta, etſi aliæ tribus fuerint etiam cum ea permixtæ, quod tamen intelligendum moneo, ita ut pars maxima ſemper fuerit verorum Judæorum, quia ex aliis tribubus pauci redierunt, cum illa tribus quæ in captivitatem abducta fuerat, tota redierit. Itaque mihi valdè probatur quod dixit Euſebius, ſtatum reipublicæ, addo & Eccleſiæ, fuiſſe tribus Judæ, etſi aliquando Levitæ gubernationem obtinuerint, imo & regni faſtigium, cujus tamen regimen fuiſſe Ariſtocraticum, non pauci docti viri non immeritò ſentiunt. Unde liquet nihilominus, etiam regnantibus Aſmonæis, jus regium ad tribum Judæ pertinuiſſe, etſi ſe ſubmiſerit ad tempus ſacerdotali generi, ita ut ſimul cenſeant, ex illa tribu ſemper fuiſſe qui inter Judices locum habuerint; etſi enim non probem eorum ſententiam qui ſynedrium volunt ex ſola Davidis familia fuiſſe conſtitutum, non dubito tamen, quin ex illa tribu quæ erat totius reipub. fundamentum, non pauci inter illos judices ſederint: Adducor autem ut hoc credam, maximè propter verba prophetiæ, in qua prædicit Jacob, non ceſſaturum nomothetam aut legiſlatorem, *ex ſemine Iudæ*, quemadmodum phraſim interpretati ſumus, donec adveniſſet Meſſias. Nam quod Pererius, & qui ejus interpolavit ſententiam, Cornelius à Lapide, reſpondent, τὸ *donec veniat*, præciſè non referri ad *dux de fœmore*, ſed tantùm ad *non auferetur ſceptrum de Iuda*, cujus quaſi appendix & exaggeratio ſit τὸ *de fœmore*, quaſi diceret, Donec veniet Meſſias, non deficiet ſceptrum de Juda, & interim multi erunt duces prodeuntes ex ipſiſſimo fœmore Judæ: id inquam, mihi non ſatisfacit. Etſi enim non negem afferri poſſe aliquod exemplum, in quo cum plura conjunctè ſcriptura præmiſit, extremo loco ponit aliquid, quod non ad omnia præcedentia, ſed ad unum tantum referatur: ea tamen ratio non videtur hic habere poſſe locum, quia verba illa, *de fœmore*, ſive *de ſub pedibus ejus*. id eſt, *de ſemine*, maximè videntur conjungi debere cum illis, *donec veniat Silo*, nempe ille qui verè futurus eſt ſemen benedictum, & ex Iudæ poſteritate naſciturus. Nec certè opus etiam eſt tali disjunctione, ſi verum ſit quod Cornelius à Lapide ſupponit, & valdè probabile mihi videtur, Coronam regni ſemper manſiſſe in poteſtate tribus Judæ, & penes eam fuiſſe Regis aut ducis electionem, quæ Machabæos, ob zelum & fortitudinem ſibi duces elegerit, eoſque ſibi præfecerit, ut ſenſus hujus loci ſit, quod Regnum Iudæorum ex quo ſemel ex tribu Juda reges habere cœperit, nunquam deciſurum eſſet in poteſtatem Regum, qui aliunde eam acciperent quam à tribu Iuda, quæ ſemper retinere debebat ſuum jus ad creandum ſibi Reges & duces, donec veniret Meſſias, & habitura etiam erat ex ſuo genere judices & Senatores, atque adeo ſtatum Reipublicæ ſuæ diſtinctum, & propriam νομοθεσίαν uſque ad Chriſti adventum; ita ut manſerit ſemper impermixta, uſque ad exhibitionem Chriſti. Cum vero poſt exhibitum Meſſiam, & eundem rejectum, legibus, & exercitiis ſuis tam politicis quam Eccleſiaſticis, per Romanos ſpoliata & abducta fuerit, atque ita diſſipata ut non ſolum nullam dignitatem obtineat inter reliquas tribus, ſed etiam diſcerni non poſſint ab aliis, qui ex Iuda ſunt oriundi; ſatis liquet, impletam jamdiu fuiſſe hanc prophetiam, Meſſiam veniſſe & natum eſſe, ante deſtructionem Reipub. Iudaicæ, quæ accidit in deſtructione Ieruſalem per Romanos. Id enim nobis abundè ſufficit, ut opus non ſit diſputare, num Herodes fuerit Iudæus, vel alienigena, qua in re nonnulli valdè ſe torquent, quia ſive hoc ſit, ſive illud, certum eſt Herode vivente, nondum abolitam fuiſſe Iudæorum Rempublicam; quamvis, ut ſupra diximus, aggravata fuerit ejus ſervitus; ſed paulo poſt, Judæa in provinciam redacta, caruit ſuis judicibus, donec tandem penitus fuit deleta; quod cum manifeſtum ſit, factum fuiſſe ante annos mille quingentos & ſeptuaginta, evincitur adverſus eos Meſſiam ante illud tempus veniſſe: Cum autem nullus alius poſſit dari præter Dominum noſtrum, ſola pertinacia eos adhuc detinet in expectatione fictitii ſui Meſſiæ.

Et hæc fuit prima pars prophetiæ de Chriſto venturo, cui annectitur alia de myſterio *vocationis gentium*. Sive enim ſequamur eos qui vertunt *expectationem*, ſive eos qui *obedientiam*, perinde erit ad ſenſum; utraque enim expoſitio oſtendit eum deſignatum eſſe talem Regem, qui omnium populorum, nationum, & linguarum animos eſſet ſibi conciliaturus, quem liberatorem erant expectaturi, cui etiam erant ſe ſubmiſſuri. Quamvis enim hic non utatur Spiritus ſanctus voce גוים *gojim*, qua maximè intelliguntur in ſcriptura gentes incircumciſæ, utitur tamen communi voce עמים *ammim*, quâ omnes nationes voluit comprehendere, una cum populo Iſraëlis, de quo ſi id ſingulariter intellexiſſet, ſufficiebat ut in ſingulari numero diceret, *erit expectatio populi*, aut ei obediet populus. Sed reſpexit ſanctus Patriarcha ad promiſſiones Abrahamo & Iſaaco antea factas, de ſemine, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ. Has enim familias diſperſas, & à Repub. Iſraëlis extraneas, colligere debuit Rex promiſſus, ſublato pariete intergerino, ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν, *qui utraque fecit unum*. Epheſ. 2. verſ. 14. Ideò Agg. cap. 2. ℣. 8. vocatur *deſideratus cunctis gentibus*. His ergo verbis diſcriminatur regnum Meſſiæ, à regno aliorum qui in Iudæa regnarunt, quia erit univerſale, cui non ſoli Judæi ſed etiam omnes populi obtemperabunt: & ſpirituale, quod non vi & coactione, ſed voce Euãgelii erigetur & propagabitur, accurrentib[9] populis per voluntariã obedientiam. Pertinet ergo hoc membrũ ad Eccleſię collectionem ex gentibus. Unde videntur alii prophetæ tanquam ex primo fonte, ſuas prædictio-

nes hauſiſſe de vocatione gentium. Ut Eſaias cap. 11. ℣. 10. *In illa die ſtabit radix Iſai in ſignum populorum, ipſum gentes quærent.* Micheas, *Fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ.* cap. 7. verſ. 12. & alibi paſſim. Nihil enim frequentius in Prophetis reperitur. Apoſtolus nihilominus *vocationem gentium* appellat *myſterium, quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum,* Epheſ. 3. ℣. 3. 5. & 6. Sed explicat ibidem qua ratione id intelligat, nempe non abſolutè ſed comparatè non innotuit, *ut nunc revelatum fuit ſanctis ſuis Apoſtolis & Prophetis per ſpiritum, Gentes eſſe cohæredes, & concorpores, conſorteſque promiſſionis ejus in Christo, per Euangelium.* Hæc certè ita explicitè non innotuerant; ſed res ipſa in ſe prædicta fuerat. Nihilominus, tempore Meſſiæ, præjudiciis abrepti Judæi adverſus gentes incircumciſas, grande ſcandalum paſſi ſunt in eo, nec ipſi Apoſtoli initio id comprehendebant, ſaltem ea ratione qua fieri debuit, ita ut ſine circumciſione & legalibus ceremoniis, in partem beneficiorum Dei cum populo Iſraelis vocarentur; ut ex Petro apparet Act. 10. verſ. 28.

Sic vera iſtius loci interpretatione expoſita, ſupereſt ut pervicacium Iudæorum effugia paucis examinemus, qui ne cogantur fateri Meſſiam veniſſe, tum alia de Chriſto vaticinia, tum hanc etiam illuſtrem prophetiam quantum poſſunt corrumpere, & aliò detorquere conantur. Duplici autem via incedunt. Sunt enim qui planè negant de adventu Meſſiæ hic agi: ſunt qui concedunt prædictionem eſſe de Meſſia, ſuorum etiam interpretum præjudiciis coacti, ſed nihilominus contendunt nondum veniſſe. Utrorumque corruptelas examinabimus.

Qui in priori ſunt ſententia variè elabi conantur. Sunt qui nomen *Silo* à verbo שלח *ſchalach* deducentes, quod *mittere* ſignificat, eodem modo interpretantur quo vulgata editio, *donec veniat qui mittendus eſt.* Atque illum Nabuchodonoſorem fuiſſe dicunt, qui propter peccata totius populi, ad totius terræ illius perditionem, regnique ablationem à Deo miſſus fuit. Tunc enim ajunt, interfecto rege Sedecia, qui de tribu Iuda erat, ac filiis ejus, regnum penitus defeciſſe, ita ut ab eo tempore, nullus unquam poſteà ex tribu Iuda regnaverit. Galatinus, de arcanis Cathol. verit. lib. 4. cap. 4. expendens editionem vulgatam, dicit, Ebræum textum multo melius habere pro noſtra fide, *Iſta enim,* inquit, *expoſitio magis juxta ſenſum eſt quàm literalis, Vnde Iudæi noſtri temporis latam habent viam fugiendi, negandæque veritatis. Objicere enim facile poſſunt, hanc non de Meſſia, ſed de aliquo alio eſſe intelligendam; & præſertim de Nabuchod. Rege Babyl. &c. Hæc & alia,* inquit, *ſecundum noſtram tranſlationem nobis objicere Iudæi ſolent, quæ juxta textus Ebraici veritatem minimè objicere poſſunt.* Hæc ideò ex Galatino adduxi, ut ad oculum pateat quanta ſit hoc tempore quorundam Jeſuitarum malitia, qui ut probent textũ Ebræum à Iudæis ſtudio fuiſſe corruptum, exemplum hoc afferunt, quod in vulgata editione legatur *mittendus* à *ſchalach*, cum tamen vox *Silo*, quomodo nunc ſcribitur, hanc verſionem ferre non poſſit. Nam Galatinus agnoſcit, verſionem vulgatam, quia potius ſenſum reſpexit, quam verba expreſſit, Judæis magis patrocinari. Nec credibile eſt ſi aliter ſcripta fuiſſet vox illa, Iudæos voluiſſe aliquid mutare, qui potius hanc nunc mutare vellent & adverſionem vulgatam accommodare ad patrocinium cauſæ ſuæ. Iacobus Gordonius Huntilæus Jeſuita Scotus, contra puritatem fontis Ebræi hoc obiicit; *Olim in Ebræo erat* שלח *ſchiloach* miſſus, *hoc eſt mittendus, præteritum pro futuro, more Prophetarum. ſed Iudæi illud corruperunt, & mutarunt in* שילה *Siloh.* Controverſ. 1. cap. 10.

Adverſus iſtum prævaricatorem Ieſuitam, qui dum fingit ſe Judæorum corruptelas detegere, iis patrocinatur, lectionis veritatem primùm aſtruemus, deinde ad Iudaicam objectionem veniemus. Dicimus ergo, analogiam grammaticam Ieſuitico & Iudaico commento repugnare, quod rectè vidit Galatinus, dum excuſavit vulgatam, quod potius ad ſenſum quam ad verba reſpexerit. Nam in præterito paſſivo שלח *ſchalach*, non facit שלח *ſchiloach*, ſed שלוח *ſchaluach.* Addimus prætereà, nullam fuiſſe rationem cur vocem corrumperent, ſi *mittendus* ſcriptum fuiſſet Ebraicè. I. Quia adverſus eos omnium Targumim pugnat præjudicium, qui *mittendum* illum *Meſſiam* appellant. II. Quia hac voce, ut agnovit Galatinus, eis paratur aliquod latibulum. III. Quia voce quam ab eis ſubſtitutam vult Ieſuita, multo magis premuntur, quam ſi *ſchalnach* ſcriberetur: ſive enim *filium ejus* ſignificet, ut ex multis Rabbinis probavimus, à שליה *ſchiljah* ſecundinis. ſive à שלה *ſchalah* fœlicem & fortunatum eſſe, & pacificum, *Siloh*, Salvatorem, fœlicem, & auguſtum ſignificet, cui omnia proſperè debeant ſuccedere, nihil lucri poſſent referre Iudæi hac ſua mutatione, quod argumento eſt, nihil ab eis in ea re fuiſſe tentatum. IV. Nullum poteſt oſtendi tempus, quo id factum fuerit; aut enim ante Chriſti adventum; aut poſt ejus aſcenſionem uſque ad tempora Hieronymi; aut à morte Hieronym. uſque ad conſcriptum Talmud. aut poſt conſcriptum Talmud uſque ad noſtra tempora; quam temporis diſtinctionem ipſe Ieſuita cap. 9. proponit. Id autem non fuit factum primo & ſecundo tempore, nec etiam quarto, ex ipſa Jeſuitæ hypotheſi: Tertio autem, poſt mortem Hieronymi, fieri non potuiſſe apparet. I. quia verſio LXX. τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ vertit, quæ verſio non poteſt eſſe à שלח, ſed, ut diximus, à ſeparatione literæ ſervilis ש, & pronomine לה *loh*, pro לו *ló.* Unde patet non fuiſſe ה in fine vocis illius, tempore LXX. neque proinde factam fuiſſe hanc mutationem poſt Hieronymum. Deinde ipſi Talmudici, per *Siloh*, Meſſiam intelligunt ut probavimus. Quam igitur cauſam habuiſſent *Siloach* in *Siloh* convertendi, ſi per

Siloh

Siloh ipſum Meſſiam intellexerunt? Quod autem dicit Ieſuita שלח *Schiloach*, eſſe unum ex nominibus Meſſiæ, quod rectè ſcriptum habetur Eſaiæ 8. ℣. 6. hoc nunquam probabit. Ibi certè mentio fit aquarum Siloach, quemadmodum & Ioan. 9. v. 7. quæ etſi per applicationem typicam ad Chriſtum referri poſſent, nulla tamen eſt ratio, cur hæc vox inter propria Chriſti nomina referatur. Rejecta igitur Ieſuitæ calumnia contra Ebræum fontem, ad Iudæorum corruptelam retundendam revertimur.

Dicimus ergo commentum hoc de Nabuchodonoſore vaniſſimum eſſe, idque probamus, I. quia per captivitatem Babylonicam Reipubl. Iudaicæ ſtatus & legiſlatio non fuit planè ſublata: ipſi enim Iudæi agnoſcunt populum durante captivitate habuiſſe ſuum αἰχμαλωτάρχην, quem vocabant ראש גלות caput ſive principem captivitatis, ex tribu Iuda electum, & certum eſt multos ex primariis viris domus David in Babyloniam fuiſſe tranſlatos, ibique Iudæos juxta ſuas leges & mores, ex regis conſenſu, vixiſſe, qui poſt aliquot annos redeuntes in terram ſuam, ductores habuerunt ex domo David, ut dictum eſt. Non ergo Rempubl. Iudaicam abolevit Rex Babyloniæ, quæ poſt ablatum Babyloniis regnum, perduravit ad longa tempora. Paulus Fagius, ex Midraſch Seir Haſchirim, id eſt, comment. in Cantic. Cantic. in hunc locum, *Deſcendit dilectus meus ad hortum ſuum, &c.* citat hæc verba, *Dominus ſeculi ſuſcepit orationem eorum cum complacentia, deſcenditque in Babyloniam ad ſapientes Sanhedrim.* II. Etſi verſionem illam retineremus, quæ à שלח *ſchalash* deducitur, nullo unquam argumento probari poterit, per *miſſum ſeu mittendum* abſolutè, intelligi externum aliquem à populo Dei principem eumque perſequutorem; maximè ſi attendatur ad ea quæ ſequuntur de voluntaria populorum, ſive expectatione, ſive obedientia. III. Cum hoc oraculum de Juda tanquam de Leone fortiſſimo agat, qui hoſtium ſuorum omnium cervicibus erat incubiturus, nulla ratio erat, ut adderetur mittendum eſſe aliquem exterum regem qui ei regnum eſſet ablaturus; præſertim, cum omnia Jacobi verba, in hac de Juda prophetia, ad benedictionem referantur, ut ex poſtremis patet, de quibus poſteà agetur.

2. Alii nomen *Siloh* de loco accipiunt, qui fuit in finibus Ephraim, ubi fuit domicilium arcæ fœderis, ab introitu Iſraëlitarum in terram Canaam, uſque ad tempora Eli Sacerdotis; ſub quo, poſtquàm à Philiſtæis capta fuiſſet, & abducta, & poſteà reddita; non amplius in Silo, ſed in tribu Juda aliquantiſper collocata fuit, ut Pſal. 48. dicitur; *Reliquit Deus tabernaculum Silo, repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda.* Volunt ergo hunc eſſe ſenſum verborum Jacobi, *virga*, id eſt, principatus, in domo Judæ manſurus eſt, cum finis Siloh venerit, ſeu cum Siloh deſinet hoſpitium arcæ præbere. Sed corruptela eſt contra ſcopum Prophetæ. Voluit enim oſtendere Judæ poſteros inter fratres ſuos ita adepturos eſſe eminentiam, & dignitatem, ut nulla abolitio temporalis ſceptri fieret, niſi adveniente Siloh. At cum arca tranſlata fuit extra Silo, nihil fuit ablatum Judæ, imò ipſi volunt tunc aliquid ei acceſſiſſe temporalis dignitatis, cujus amiſſionem prædicit Jacob, Silo veniente. tunc enim, dicit, ſceptrum & legiſlatorem eſſe auferendos.

3. Non melius ſe expediunt, qui per *Siloh* intelligunt Saulem ungendum in *Siloh*: quia tunc volunt ſceptrum ablatum fuiſſe à tribu Jehuda, & tranſlatum ad tribum Benjamin. Nam I. falſum ſupponunt, quia Saul non fuit unctus in *Siloh*, antequam enim Saul eligeretur in Regem, Arca tranſlata fuerat in Cariathjarim, ut ex I. Sam. 7. patet, ubi etiam unctus fuit Saul. Quo regnante non fuit ablatum ſceptrum à Jehuda, nec legiſlatio, quia nondum conſtitutum fuerat regnum, aut populi regimen in aliqua certa tribu. Imò, ipſo Saule regnante, tranſlatum fuit ſceptrum ad familiam Davidis ex tribu Jehuda, quæ tum faſtigio regni erat proxima. Addo, Saulem non potuiſſe eum eſſe qui futurus erat gentium expectatio, vel cui erant populi obedientiam præſtaturi. Denique ridicula eſt conſtructio, quod *Siloh* accipiunt pro nomine loci, & *veniat* tamen, activè ſumunt, non pro Silo, ſed pro alio quopiam qui venturus erat, cujus nec nomen indicatur, nec origo.

Inconſtantiæ eorum teſtimonium eſt, & malè fidei; quod huc illuc ſe verſant, incerti quem eligant, qui in loco illo regnum inchoaverit. Nam ſunt qui id ad Jeroboamum referant; cum tamen conſpiratio illa decem tribuum, in qua ſibi regem elegerunt contra Judam, in *Siloh* facta non ſit, ſed in Sichem; ut apparet ex I. lib. Reg. cap. 12. nec etiam regnum ablatum fuit domui Judæ, in qua continuavit, etiam deleto regno Iſraëlis. Imò, ſtante regno Iſraëlis, Regnum ſanctum fuit in ſola tribu Judæ, in qua locus ad divinum cultum electus, ſedes regni manebat.

Id cum alii viderent, excogitarunt nomine *Siloh* Davidem eſſe intelligendum, verbum autem יסור *jaſur*, quod omnes interpretantur *recedet*, vel *auferetur*, acceperunt in contrarium ſenſum, quaſi deberet intelligi pro tranſlatione ſceptri & legiſlationis Judæ, à minori dignitate ad regiam, quod ſub Davide dicunt fuiſſe impletum. At hoc non dicit Jacob; ſed ſceptrum & legiſlatorem eſſe tollendos, & auferendos. Nihil autem tum derogatum fuit dignitati Judæ, cum David ad faſtigium regium evectus eſt; imo tempore illo incœpit in tribu Juda ſceptrum & legiſlator. Et hæc quidem illi qui vocem Siloh detorquent alibi, quàm ad Meſſiam venturum.

Alii, qui non tam ſunt impudentes, cum videant ſuorum pleroſque nomen illud de Meſſia intelligere, ut ſupra oſtendimus, tres alias elabendi vias excogitarunt.

runt. Sed eodem ſucceſſu, nihil enim aliud quam inconſtantiam & perplexitatem ſuam produnt, ſimiles iis qui ſubmerguntur, qui arripiunt quidvis objectum, ſive gladius ſit, ſive candens ferrum. Sunt igitur qui dicant per *Siloh* quidem intelligi Meſſiam, ſed vocem שבט *ſchebet*, non accipi hoc loco pro virga dominationis, nec מחקק *mechokek*, pro legiſlatore, ſeu ductore vel ſcriba, ſed prius accipi pro afflictione, & poſterius, pro gravibus exactionibus. Prædicere igitur tribui Judæ uſque ad Meſſiæ adventum, graves calamitates, exactiones, tyrannidem, oppreſſionem, exilium & captivitatem, qua etiamnum detinentur Judæi, quibus omnibus malis ad adventum ſui Meſſiæ quem ſtulti expectant, ſe liberandos putant. Sed omnes veteres ipſorum interpretes huic corruptelæ repugnant. Nec poſſunt iſti ullum afferre ex ſcripturis locum, in quo hæc duo, præſertim ſimul juncta, in malam partem accipiantur. 2. Hæc manifeſtiſſimè pugnant cum præcedentibus, in quibus Judæ promiſſa eſt victoria, & honoris inter fratres prærogativa; Leonis item robur, & prædæ pacifica poſſeſſio. 3. Si de afflictionibus populi hæc eſſent intelligenda, cum virga caſtigationis cunctis tribubus ſit communis, nulla eſſet ratio, cur hic de ſola tribu Juda ageretur. Ut taceam falſum eſſe, nuſquam ceſſaſſe in tribu Juda vexationem, & tyrannicam oppreſſionem, uſque ad Meſſiæ adventum; cum à Davide, uſque ad Sedeciam, floruerit per multas generationes.

Hanc corruptelam alii quidem ex Judæis rejiciunt, nec nobiſcũ contendunt de vocum & phraſeωn ſignificatione; agnoſcunt agi de ſceptro & legiſlatore in bonam partem, item de adventu Meſſiæ. Sed quidam eorum negant ſignificari, uſque ad Meſſiæ adventum in tribu Juda ſceptrum & legiſlatorem non auferendum eſſe, quaſi illa anteà in Juda fuerint, ſed veniente Meſſia fuerint ablata. Sed illud עד *adh*, id eſt, *donec*, ita accipiunt, ac ſi acciperetur pro *poſtquàm*, ut ſit loci ſenſus, poſtquàm venerit Meſſias, nunquam auferetur ſceptrum de Juda, id eſt, regnabit perpetuò. Hoc eſt novorum Judæorum commentum, quo locus violenter torquetur, ad ſententiam, quam nullus veterum autorum agnovit, in ipſo Judaiſmo. Neque enim ſimpliciter legitur עד *adh*, quod tamen *poſtquàm*, non ſignificaret; ſed עד כי *adh ci*, uſque quò. Eſt autem כי particula conditionalis, ut *ad ci*, idem ſit ac ſi diceret, *niſi ſi*, vel *uſque quo*, veniat Siloh, tum enim aufertur ſtatus Jehudæ qui anteà obtinuerat. Longe autem diſtant hæc, non auferetur *uſque quo*, & non auferetur *poſtquàm venerit*. Quia illud reſpicit futurum tempus Meſſiæ, hoc autem præteritum.

Fuerunt igitur, qui neque etiam de iſta particula digladiari voluerunt; & eam interpretati ſunt eodem quo nos modo. Sic enim hunc locum explicat Rabbi Salomon, ut ſentiat à tempore Davidis, quo dignitas regia manifeſtiſſimè collata fuit tribui Judę, non fuiſſe auferendum ab ea tribu ſceptrum, uſque dum veniat Meſſias. Sed negat ſceptrum fuiſſe ablatum Judæis ex ea tribu, quia fingit ex ea adhuc eſſe Principes in Babylonia, qui populo illic exiſtenti præſunt. Sed quam hoc ſit dilutum, imo ridiculum, nemo eſt qui non videat. Imaginarii enim ſunt iſti principes, eo magis, quod apud Judęos hoc tempore nulla ſit certa tribuum diſtinctio. Nam in variis ſuis diſperſionibus adeo mixti fuerunt, ut impoſſibile ſit certo ſcire, quinam ſint ex tribu Iuda, & eos ab aliis diſcernere. Præterea, quæ hic prædicuntur Patriarchis, manifeſtiſſimè pertinent ad ea quæ familiis Iſraëlitarum accidere debuerunt in terra illa promiſſa, quam fide videbat Iacob ceſſuram ſuis poſteris. Itaque, nullo modo ſpectavit aliquod regimen extra poſſeſſionem illius terræ, ſed egit de prærogativis & de regno, aut ſtatu reipublicæ, in aſſignata hæreditate, extra quam agere, de regimine aliquo civili; & in eodem tribus alicujus dignitate & excellentia, eſt planè extra oleas. Quæ enim ſequuntur de fertilitate ſoli, quod Iuda poſſeſſurus erat, oſtendunt hæc intelligi debere de terra promiſſa. Ubicumque autem terrarum ſint Iudæi hoc tempore, certum eſt nullibi dominari, aut fuiſſe dominatos; ſed ſub aliorum dominatione, & olim vixiſſe, & etiamnum vivere, notaſque divinæ maledictionis ubique ſecum circumferre, ut mirum ſit repertum fuiſſe tam impudentem, qui regnum aliquod Iudaicum hoc tempore voluerit confingere in Utopica Babyloniæ.

Sed hæc tam impudenter conficta teſtantur, impleri in Iudæis, quod prædictum fuerat Eſaiæ 29. ℣. 10. *Perfudit vos Iehova ſpiritu ſoporis alti, & obſtipavit oculos veſtros, cum prophetis etiam primorum veſtrorum prudentiſſimorum oculos obtexit. Ideo eſt vobis viſio iſtorum omnium ſimilis verbis literarum obſignatarum, &c.* Item verſ. 14. *peribit ſapientia ſapientum ejus, & prudentia prudentum ejus ſe abdet.* Quo majores gratias debemus ei qui nobis oculos aperuit, illuminatis mentibus noſtris, dum *in Iſraële ex parte evenit obduratio, tantiſper dum plenitudo gentium introierit.* Rom. 11. ℣. 25.

EXER-

EXERCITATIO CLXXX.

Variæ metaphoræ in reliqua benedictione Iudæ. Sorek *quid?* Stola. *Sanguis uvæ.* סותה ſutah. *An ad Meſsiam referri debeant quæ dicuntur de lotione ſtolæ in ſanguine uvæ, &c. Variæ Iudæorum & Chriſtianorum allegoriæ. Probatur de Iuda ad literam eſſe intelligenda. Prædici vini copiam. Etiam atteſtantibus Ieſuitis qui tamen vapulant apud ſodalem à Lapide. Applicatur interpretatio. Explicatur Adagium* Lavabit in vino ſtolam, *aliis ſimilibus adductis. Item* Rubri oculi præ vino, &c. *Vbertatem ita ſignificari, ut intemperantia non probetur. Objectionis ſolutio, poſſeſsionem Iudæ non eſſe aliis fertiliorem. De allegoriis judicium; in quibus ſobriè verſandum. Zabulonis ſedes maritima. Cur Sidonis mentio fiat? Andreæ Maſii ingenioſa interpretatio verborum* ad latus Sidonis. *Sebaſtiani Barradii ineptiæ, hunc locum applicantis ad ſectam Ieſuitarum. Retorquetur in eum allegoria.*

SVperſunt ex benedictione Iudæ, verſus 11. & 12. In quibus omnes conveniunt, Spiritum ſanctum uſum fuiſſe metaphoris, ſed quorſum tendant, non omnes pariter explicant. De verſione primum agendum, אסרי *oſeri* conſtat eſſe participium, ab אסר *aſar*, ligare, alligare, in cujus fine additur jod, per paragogen ferè in omnibus linguis uſitatam, in quibus aliquando in fine dictionis additur litera, aliquando etiam ſyllaba, ut cum Latini dicunt *dicier* pro *dici.* Notat tamen Mercerus, additionem illam habitum ſignificare, ut participium illud intelligatur non de uno actu, ſed de aſſiduitate & conſuetudine. לגפן עירה *laggephen iroh*, ad vitem pullum ſuum. עיר *ajir*, pullum aſini ſignificat; qui idem poſteà vocatur בן אתנו *ben-athonó*, filius aſinæ ſuæ. Nam jod etiam redundat in fine vocis בני *beni*, quam per Apoſtrophen vetus interpres latinus vertit, *ô fili mi!* quia putavit jod eſſe affixum. Idem ergo dicit, ita ut tamen poſtremum membrum ſit prioris exegeticum; cum auxeſi quadam. Quia enim ſimpliciter dixerat ligans pullum aſini ſuum ad vitem, in genere; poſtea exprimit ſpeciem vitis excellentiſſimam, *& filium aſinæ ſuæ*, לשרקה *laſſorekáſch*, ad vitem generoſam. Nam שרק *ſorek*, eſt genus vitis optimæ & laudatiſſimæ. Ierem. 2. ℣. 21. *Ego plantavi* שרק *ſorek.* Targum habet גפנא בחירא *gaphna bechira*, id eſt, vitem electam. Erit ergo apta verſio hoc modo, *ligans*, pro ligabit *ad vitem pullum ſuum, & ad vitem præclaram filium aſinæ ſuæ.* Sic etiam acceperunt LXX interpretes. Δεσμεύων πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτοῦ, καὶ τῇ ἕλικι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ. *Alligans ad vitem pullum ſuum, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ.* ἑλίκην ab Arcadibus *ſalicem* dici, παρὰ τὸ ἑλίσσεσθαι καὶ πλέκεσθαι quod tortilis ſit & flexilis, tradit Theophraſt. Hiſt. plant. lib. 3. cap. 13. At hic pro ſalice accipi à LXX, nulla ratio ſuadet. Chryſoſtomus, ἑλίκην ἀμπέλου, accipit pro *palmite* vitis, qui aliàs κλῆμα dicitur: alii vertunt, claviculam vitis, quæ ſe ſepimentis circumvolvit. Alibi LXX, hæc duo jungunt, ἄμπελον ; σωρήχ, ut Eſai. 5. v. 2. ubi Symmachus habet ἐκλεκτὴν, & alii καλλίκαρπον. Vel etiam ἄμπελον καρποφόρον; ut Jerem. 2. v. 21. Sequitur, lavabit in vino, *lebuſcho* לבשו, *Veſtimentum ſuum.* Vetus interpres *ſtolam ſuam.* στολὴν etiam habent LXX. eſt autem *ſtola* amictus, à στέλλω amicio, quam tamen uſurpant pro veſte muliebri longa; ſed interpres vulgatus etiam pro virili accipit. לבש *labhaſch*, in genere eſt induere, veſtire. ובדם ענבים סותה *ubhedham anabhim ſuthoh*, Vulgata, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Ubi eadem repetitio quæ ſupra, ſed non ſine Emphaſi. Quod enim dixerat *vinum*, dicit *ſanguinem uvæ*, quod *veſtimentum*, dicit *operimentum.* Nam etſi vox iſta non alibi reperiatur in hac forma, mihi tamen placet ſententia Buxtorfii סות *ſut*, deducentis à radice כסה texuit, operuit, unde כסות *ceſuth*, tegumentum, operimentum. Et cum aphæreſi סות *ſuth.* hinc סותה *ſuthoh*, ubi eſt *he* pro *vau*, ut etiam notavit Mercerus.

חכלילי עינים *chaclili enajim*, rubicundior oculis. Vulgata *pulchriores oculi ejus vino.* LXX χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἀπὸ οἴνου. *Gratifici oculi ejus à vino*, ſive lætifici, formoſi. Scholia Græca, θερμοὶ διάπυροι, φοβεροί; calentes, ferventes; fervidi ſeu ardentes, & formidabiles. Certè חכלילות *chacliluth*, non poteſt accipi pro pulchritudine, Proverb. 23. v. 29. ubi vulgata habet, *cui ſuffuſio oculorum?* alii, cui *rubedo*, verbum חכל *cachal*, ſignificat *coloravit.* Unde literis tranſpoſitis, & ל geminato, factum videtur nomen חכלל *chaclal.* Itaque qui ad colorem rubicundum referunt melius ſentiunt; maximè cum ſequatur, *& dentes ejus candidiores præ lacte*; ubi reſpondet albedo dentium, rubedini oculorum.

Ad ſenſum quod ſpectat, 1. videndum eſt de quo hæc dicantur ad literam. Cum enim in præcedenti prophetia actum ſit de Iuda, & de filio ejus *Siloh*, quem Meſſiam ſumus interpretati, quæritur an quæ prædicuntur hoc loco, continuari debeant cum iis quæ dicta fuerunt de Siloh; an de Iuda ſint intelligenda, qui ſubjectum fuit totius prophetiæ, cujus pars una fuit eaque

præcipua,

præcipua, quæ de regno ejus & rege Meſſia fuit intermixta. Sunt, non ſolum inter Chriſtianos, ſed etiam inter Iudæos, qui ad Meſſiam iſta referunt per allegoriam, ut Targum Hieroſolymitanum, *Quam pulcher eſt rex Chriſtus qui ſurrecturus eſt de domo Iuda, ligabit lumbos ſuos, & exibit in prælium adverſus hoſtes ſuos; occidentur reges cum Principibus, rubefaciet populos ſanguine, & dealbabit colles ſuos pinguedine fortium illorum. Veſtimenta ejus imbuentur ſanguine, ipſe autem ſimilis erit formæ botrorum*. In ſequentibus ſimiliter, *Quam pulchri ſunt oculi regis Chriſti ad cernendum, præ vino defæcatiſſimo, ne illis ſpectet inceſtos concubitus, cædeſque innocentum. Dentes ejus exercitati ſunt in lege, nec illis commanducet iniquitates & rapinas, &c.* Quæ omnia de ſuo terreno Meſſia intellexerunt. Chriſtiani interpretes varias allegorias rimati ſunt, exiſtimaruntque nullum alium eſſe ſenſum in his verbis præter allegoricum, quod neceſſarium eſt, ſi de Chriſto dicantur, cui temporalia hæc non poſſunt adſcribi. Non Judas inquiunt, ſed Chriſtus, eſt ligans funiculo fidei ſpei & charitatis, ad vineam, id eſt, ad Eccleſiam primævam, ex Judæis collectam, pullum ſuum, id eſt, populum gentium, qui jugum legis nondum tulerat; & ad vitem, id eſt, ad ſe ipſum; aſinam ſuam, id eſt, populum Iudæorum, &c. Talia cum ſint arbitraria, ut patet ex variis variorum ſpeculationibus, ſolidam interpretationem, & in qua animus acquieſcat, non exhibent. In verborum explicatione notavimus unum & eundem eſſe pullum, & aſinæ filium; unde ſuperioris allegoriæ dejicitur fundamentum. Alias omnes referre longum eſſet, nec magni operæ pretii.

Dicimus ergo his verbis continuari ea quæ de Iuda dicta fuerunt, & participium illud *ligans*, cum ſequentibus de eo intelligi debere. Nam quod objicit Cornelius à Lapide, Iacobum Iudam alloquentem in ſecunda perſona, ab eo in tertiam, puta Meſſiæ, tranſire, cum dicit *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi* Iuda *aſinam ſuam*. id inquam, locum non habet, niſi juxta verſionem vulgatam quæ jod in בני *beni*, pro affixo accepit, quod tamen non eſſe neceſſe oſtendimus, tam ratione, quàm LXX interpretum autoritate. Nec tamen, ſi ſtaret verſio vulgata, obtineret Cornelius quod vult. Sodales enim ejus, qui communi huic verſioni Latinæ juxta cum eo ſunt affixi, *Leve* hoc eſſe argumentum agnoſcunt, cujus rei duplicem rationem affert Pererius. 1. quod Iacob etiam antea de Iuda loquutus ſit in tertia perſona, dicens, *quis ſuſcitabit eum?* & *Non auferetur ſceptrum de Iuda*. 2. Quia conſtat in prophetiis etiam in eodem ſermone frequentiſſimum eſſe tranſitum ab una perſona in alias. Unde concludit nihil prohibere, imo perbellè convenire, hæc verba interpretari de ſingulari & eximia fertilitate ſortis Iudæ, quæ cum aliorum bonorum, tum lactis & vini feraciſſima dicitur.

Huic accinit Mariana: Significat his verbis & ſeqq. inquit, nihil aliud, quam vini copiam, quæ tanta futura erat in tribu Iuda, ut ſine detrimento poſſet aſinus ligari ad vitem, & aſina ad vitem electam. Id enim ſignificat *ſorek*, vel tantam fore copiam, ut ſingulis vitibus jumenta poſſent onerare. Eadem habet Em. Sa. Fertilitatem, inquit, indicat ſortis Iudæ, q. d. abundabit magnis vitibus, adeo ut poſſint ad eas aſini alligari: eritque magna copia vini & lactis. Quod ideo noto, quia Ieſuita à Lapide, hanc expoſitionem frigidam, terrenam, & Iudaïcam appellat. Frigidam cur dicat neſcio, cum phraſibus maximè conveniat, ut oſtendemus. Terrenam eſſe, concedi poſſet, ſi immediatum objectum ſpectemus, quia promiſſio eſt de rebus terrenis, non tamen propterea ſequitur terrenam eſſe interpretationem, quia verbum quod interpretatur, terrenum non eſt, etiam cum de terrenis loquitur. Iudaicam eſſe concedi poſſet, ſed non quatenus Iudaica dicuntur, oppoſitè ad Chriſtiana, ſed quomodo ipſa ſcriptura Iudaica dici poteſt, Iudæis data, & à Iudæis accepta. Nihil eſt abſurdi, ſi quemadmodum in aliis ſequentibus benedictionibus multa promittuntur Patriarchis, quæ ſedes eorum ſpectant in terra Canaam, & aſſignati unicuique ſoli qualitatem, idem etiam Iudæ inter alias benedictiones denuntiatum fuiſſe agnoſcamus.

Id ergo cum nobis videatur his verbis ſignificatum, quomodo eis applicari debeat expendendum eſt. Notum eſt veteres illos orientales, in oneribus ferendis communiſſimè inter jumenta, uſos fuiſſe aſinis, quos dum onerarent, ſolebant eos alligare ſepibus, ſi ruri eſſent, aut vilioribus quibuſdam, quæ paſſim reperiebantur, arbuſtis. Significat autem regionem quam poſſeſſurus eſt Iuda adeo vitiferam fore, ut quemadmodum alibi vepres, & infrugifera arbuſta paſſim proſtant, quibus alligantur jumenta; vites huic uſui inſervire poterunt, in terra Iudæ, præ copia & firmitate vitium. Addo etiam tantam fore racemorum copiam, ut ab eorum eſu ne aſini quidem prohibendi eſſent, ipſis vitibus alligati, dum onus eorum pararetur; fortè etiam illud, quod ex una ſola vite aſinus poſſet onerari. Cui rei fidem facit quod prodidit Moſes Num. cap. 13, ℣. 23. ubi exploratores dicuntur, *exciſo uno palmite cum botro uvarum, deportaſſe eum palanga duobus hominibus*. Et hoc quidem de materia qua fit vinum, cujus expreſſi abundantiam reliqua teſtantur, *Lavabit in vino ſtolam ſuam, &c.* quam adagialem eſſe loquendi formam ex ſimilibus locis patet, ut Deut. 33. ℣. 24. *Tingat in oleo pedem ſuum.* Et Iob. 29. verſ. 6. *Quando lavabam pedes meos butyro*. quibus formulis maxima ſignificatur abundantia, non quod pedes ſuos laverit butyro Iobus, ſed quod tanta fuerit apud eum butyri copia, ut etiam viliſſimis uſibus inſervire potuiſſet, iis nempe quibus aqua inſerviebat. Sic hoc loco indicare vult, tantam fore ubertatem, ut quam

quam vilis eſt nobis aqua, tam vile poſſit eſſe vinum præ copia. Quemadmodum de temporibus Salomonis legimus, 1.Reg.10.27. *reddidit rex argentum Ieruſchalaimis ut lapides, cedros autem reddidit ut ſycomoros, &c.* id eſt, vilia hæc facta fuerunt præ copia. Vini ergo, hoc adagium tantam affluentiam indicat, ut non modo potioni abundantiſſimè ſufficere poſſit, ſed eo ad ablutiones etiam veſtimentorum pro vili aqua abuti poſſint homines, ſi velint. Non malè autem diſtinguetur vinum à *ſanguine uvæ*, ſi primum pro vino albo accipiamus, ſecundum pro vino valdè rubro, quod etiam tingit alia. Deuter.32, ℣.14. *Sanguinem uvæ biberet meraciſſimum.* Eccleſiaſtici 50.16. *porrexit manum ſuam in libatione, & porrexit de ſanguine uvæ.* Sanguinem tamen in genere pro ſucco accipi non negarim, proinde ſanguinem uvæ eſſe periphraſim cujuſvis vini.

Rubri oculi præ vino, & dentes candidi præ lacte, utriuſque etiam, vini nempe & lactis denotant abundantiam. Non tamen hæc verba laxant habenas intemperantiæ, quæ alibi in ſcriptura damnatur, ſed ita laudatur ubertas, & uſus etiam liberalior, ut tamen abuſus non permittatur. Nec agit hoc loco Jacob de eo quod liceat, cui ſufficit copiam celebrare, quæ ad luxuriam etiam & exceſſus vitioſos ſufficere poſſet, niſi ultro ſibi temperarent Judæ poſteri. Rem ita ſe habuiſſe teſtantur qui loca illa perluſtrarunt à tribu Judæ olim habitata. Cecidit enim in poſſeſſionem ejus Hebron, convallis Mamre, mons Carmeli, præter alia amœniſſima & fertiliſſima loca. Montem autem Carmeli fertiliſſimum fuiſſe, in paſcuis, fructibus, & herbis; feracem prætereà vini delicatiſſimi, teſtantur Hieronymus & Brocardus. Agrum prætereà Damaſcenum, qui non multum ab Hebrone diſtat, adeo fertilem & ſpecioſum eſſe ferunt, ut aliqui eum pro paradiſo terreſtri acceperint.

Quod etſi falſum ſit, indicium tamen eſt miræ fertilitatis. At, inquiunt, non fuit tantus exceſſus fertilitatis in tribu Juda, præ aliis tribubus, quantus hic deſcribitur. Reſpondeo, non neceſſario hic fieri comparationem tribus Judæ cum aliis, ſed abſolutè enarrari benedictiones divinas erga tribum illam, ſive ſpirituales, ſive temporales. Secundò, ſi fieret comparatio, verum etiam eſt tribum illam, in uberrimo terræ ſanctæ ſolo fuiſſe ſortitam partem ſuam. Nam etſi tribus Benjamin, quæ ipſi fuit contermina, pingue ſolum inhabitaverit, in eo ſuperavit eam tribus Juda, quod ſimilis ſoli ratione ubertatis, portionem longè maximam obtinuerit, imò etiam ipſa Jeroſolyma potita ſit, quamvis in tribu Benjamin eſſet ſita, quæ conjuncta manſit cum tribu Juda, cæteris deficientibus. Nec majoris eſt momenti, quod alii objiciunt, quod fuerat in tribu Juda ſucculentum & fœcundum circa Jordanem, id à tempore Abrahami exuſtum fuiſſe, regionemque totam à plaga orientali factam fuiſſe infœcundam, & ipſo aſpectu horridam. Nam tractus ille non latè extenditur, nec ſi limes ille fuit infœcundus, ſequitur alias terræ partes quæ fulmine divino ictæ non fuerunt, non fuiſſe fœcundiſſimas. Arias Montanus, in libro *Chaleb*, ſive de terræ ſanctæ partitione, *Iudæ*, inquit, *ſors ad auſtrum omnis erat. Latiſſimam omnium partem hæc tribus ſortita eſt, auſtralem, ut diximus, totam; vinetis & paſcuis locis frequentem: ideoque juxta oraculi ſortem, vino & lacte abundantem.* Ubi ad hunc noſtrum locum reſpicit, quem in margine notat.

Hac literali interpretatione tanquam fundamento ſubſtrata, ſi quis allegorias de Eccleſia & regno Chriſti ſuperſtruat, dummodo id fiat aptè, ſobriè, & cõvenienter, non repugnabimus; ſi tamen agnoſcat, talia poſſe utcumque delectare, quæ ſæpè rigidum examen ſuſtinere non poſſent, nedum ut pervicacibus adverſariis os obturarent; qui ſæpè inde occaſionem arripiunt illudendi ſcripturis, & ad libitum comminiſcendi, quæ putant non minoribus inniti fundamentis. Itaque tutius judicarem, ſi quis non inhæreret ſingularibus iſtis de aſino & aſina, de ligatione, de vite, in quibus ita variant allegoriſtæ; ſed hac tantum generali conſideratione contentus eſſet, quod ſub rerum temporalium, & benedictionum hujus vitæ promiſſionibus, Deus etiam analogas promiſſiones ſpirituales in Chriſto exhibendas ſuis præfiguravit. Abundantiam ergo vini & lactis metaphoricis hiſce phraſibus propoſitam, verè quidem & ad literam fuiſſe promiſſam tribui Judæ; ſed cùm Juda etiam Chriſtum præfiguraverit, qui ex ipſius ſemine naſci debuit, & poſteri Judæ, id eſt, Judæi ſecundum ſpiritum, ſint omnes fideles ad Eccleſiam pertinentes; iis promitti ſub Chriſto eam gratiarum ſpiritualium abundantiam, quæ alibi in prophetis vini & lactis nominibus adumbratur, ut Eſaiæ 55.℣.1. *Venite & comedite, venite inquam, comparate abſque pecunia & abſque pretio vinum & lac.* Tali vino oculos ſpirituales inflammari & illuminari certum eſt: tali etiam lacte dentes ſpirituales dealbari, &c. Hæc utiliter & rebus ipſis convenienter dicuntur. Nec etiam repugno, ſi in uvæ ſanguine quo potuerunt poſteri Judæ lavare ſtolam ſuam, intelligatur ſanguis vitis veræ, agni immaculati, quo dealbantur veſtes ſanctorum, quia paſſione ejus nobis acquiſita eſt peccatorum remiſſio. Non expendo omnes aliorum ſpeculationes, quia nec fieri poſſet ſine tædio, nec multum referret. Sufficere exiſtimavi ſi in genere monerem in his verſandum eſſe cum judicio, nec unquam permittendum ut à literali & proprio ſenſu abripiamur ad incerta, & ſæpè etiam abſurda; ſaltem arbitraria, quæ ſoliditatis nihil habent, ſubtilitatis quandoque parum, probabilitatis non multum.

Zebulonis ſors paucis perſtringitur, in quibus nulla eſt difficultas verſ.13. *Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione navium pertingens uſque ad Sidonem.* Ita vulgata. In Ebræo, in ſecundo membro, והוא לחוף אניות

אניות *vehu lechoph onjioth*, & ipſe ad portum navium, ſupplet Mercerus, *erit aſſiduè*. LXX. καὶ αὐτὸς κατ' ὅρμον πλοίων, & ipſe *ſecus acceſſus navium*. In tertio membro Ebr. habet, וירכתו *vejarchatho*, & latus ejus, id eſt, limes, ſuper Sidon. Initio eſt elegans alluſio ad nomen ejus, *Zabulon* enim ita vocatus fuerat à Lea, quia dicebat, poſthac ſecum habitaturum virum. Geneſ. 30. 20. à זבל *zabal*. Hic alio utitur verbo, ſed ejuſdem ſignificationis, ישב *jaſchabh*, quod ſedem fixam alicubi habere ſignificat. Duo autem hic promittuntur Zabuloni, 1. Locus habitationis certus. 2. Commodus ad commercia propter oportunitatem maris. Sydonis autem meminit, non Tyri, quæ poſteà florentiſſima fuit, quia tum fortè nondum erat ædificata. Id quidem primo aſpectu exiguum & leve videtur, quod de tribu Zabulon prædicitur; ſed tamen ſi quis attendat, id etiam multum facit ad Dei gloriam. Cum enim tot ante ſeculis promittitur & prædicitur, quænam cuique tribui portio eſſet eventura, cujus conditionis & qualitatis, intelligere debuerunt poſtquàm hæc ita accidiſſent, terram illam neque caſu iis obtigiſſe, nec humana potentia & prudentia, ſed divina plane diſpenſatione, non generali illa tantum, de qua Act. 17. ℣. 26. ubi Paulus dicit, *Deum definiviſſe hominibus tempora quæ præſtituit, poſitis terminis habitationis* eorum. ſed ſpeciali illa, quam teſtatam voluit hac prophetia, ante eventum, ut de autore ejus magis conſtaret ſuo tempore.

Andreas Maſius vir eruditiſſ. Comment. in Joſue, quia non vidit in eo mentionem fieri Sidonis, tanquam termini portionis Zabulon, ad quam potius videtur acceſſiſſe propius tribus Aſer, cum Zebulonitæ non protraxerint ſuos limites uſque ad Ptolemaida, ſic exiſtimat interpretanda eſſe verba Jacobi, non ut intelligat Sidonem fore limitem tractus Zebulon, ſed hoc tantum, Zebulonis poſteros habitaturos ad mare, verſaturoſque frequenter in portubus, & navalibus, atque mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis, qui toto orbe mercatores fuerunt celeberrimi, quippe qui in eadem maris ora habitarent. Ergo hæc verba, *latus ejus ad Sidonem*, non erunt intelligenda immediatè, quaſi nihil inter Sidonem & Zabulonis poſteros eſſet interpoſitum, ſed talem futuram eorum habitationem, ut ex tractu ſuo maritimo, non difficulter Sidonem verſus adnavigare poſſent, & commercia ſua exercere. Cujus ſuæ interpretationis ipſum Moſem teſtem citat, Deut. 33. ℣. 18. *Lætare Zabulon in egreſſu tuo:* quibus verbis ſignificat Zabulonios feliciter enavigaturos eſſe ad fora rerum venalium. Quam interpretationem non negamus rebus ipſis eſſe accommodatiſſimam.

Hic non poſſum ſilentio præterire Sebaſtiani Barradii ineptias lib. 10. cap. 13. *Itinerarii filiorum Iſraël ex Ægypto.* Ubi poſt allegorias alias ſe mutuo deſtruentes, ut fit, hunc etiam locum applicat ad ſuam ſectam, quæ uſque ad Sidonem limites ſuos extendit, id eſt, uſque ad Ethnicos in utraque India, Braſilia, Japonia & Sinarum regno. Jeſuitarumque exitum vult eum eſſe, in quo *Moſes lætari juſſit Zabulonem*; quæ adeo fatua ſunt, ut ea proponere ſit refellere. Si tamen quis comparationem inſtituat inter Zebulonitas & Jeſuitas, non aberrabit qui dicet, quemadmodum poſteri Zebulonis inter Iſraëlitas mercaturæ fuerunt addictiſſimi, ſic in toto regno Pontificio, ubi varii generis merces venales proſtant, Papam nullos habere ſubtiliores inſtitores Jeſuitis, nec qui etiam lucro magis inhient, & in divitiis colligendis ſive terra, ſive mari, ſint avidiores. Quod autem ſpectat eorum navigationes, & animarum curam, habent laborum ſuorum & profectus deſcriptionem, non in Zebulonis benedictione, ſed in verbis Domini, Matth. 23. ℣. 15. *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum: & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quam vos ſitis.*

Exercitatio CLXXXI.

Iſſacharis tribus cur poſt Zebulonis immediatè ponatur, cum nativitatis ordo aliter poſtularet? Aſinus oſſeus. *Nomen* שפתים ſchephathajim *unde? Error* LXX *interpret. Cur aliqui verterint, pro* ſerviens tributo, ἀνὴρ γεωργός. *Senſus figuratarum locutionum. Chaldæus Paraphraſtes multa addit, ut contrarium ſenſum eliciat. qui ex ipſo textu pro varia conditione, laudabilem vitam, vel ſecus, ſignificare poteſt. Aſini ſimilitudo, aliquando ad ſtupiditatem, aliquando ad ſapientiam refertur. Ex circumſtantia loci, laborem ſervilem denotari. Item ex collatione cap.* V. Iudic. verſ. XVI. *Iſſacharis poſteri inter Galilæos. Expenduntur aliquot allegoriæ. Quomodo accommodari poſſint Monachis.*

TRibus Iſſacharis qualis futura ſit, etiam figuratis verbis deſcribitur, cujus cur poſt Zabulonem Jacob meminerit, cum ordo naturæ aliter expoſcere videretur, obſcura quidem eſt ratio, quæ tamen non nulla eſt. Conſilio enim divino id factum eſſe neceſſe eſt agnoſcamus, quia non tam Jacobum, quam Sp. Sanctum per os ejus, hæc prædicere novimus, quæ poſteà eodem ordine executioni

ſunt

ſunt mandata. Nam Zabulonicæ tribus ſors educta eſt in diviſione terræ, ante Iſſacharianam. Putavit Aben-Ezra habitam fuiſſe rationem ſitus terræ illius, quia tribus Iſſachar, medium locum tenuit inter Zabulon & Dan, ad montem Tabor. Hæc ſive fuerit ratio, ſive alia ab ipſis perſonis deſumpta, certum eſt non abſque cauſa aut fortuito caſu factum fuiſſe.

Iſſachar, inquit, erit חמור גרם *chamor gerem*, aſinus oſſis, id eſt, *oſſeus*. id eſt prædurus, & robuſtus, ferendis oneribus aptus, cubans inter המשפתים *hammiſchphethajim:* Vulgata, *inter duos terminos.* LXX habent, *ἀναμέσον τῶν κλήρων*, ut Pſal. 67. Ebr. 68. ubi vulgata, *inter duos cleros.* Hic, vox illa ſortis, non malè quadraret, ſi ſpectemus ſitam fuiſſe portionem Iſſacharis, inter ſortem tribus Zabulon & dimidiæ tribus Manaſſe. Habuiſſe etiam ab uno latere montes Gelboe; & ab altera, Hermonis; inter quos ſita erat vallis Jeſraël, quę fuit tribus Iſſacharis, ut ex locorum Topographia videri poteſt. Diximus alibi ad Pſal. LXVIII. nomen שפתים *ſchephathajim*, vel ſecundum aliam formam משפתים *miſchphathajim*, quod bis tantum, ſecundum utramque formam in ſcriptura legitur, eſſe à radice שפת *ſchaphath*, quæ ordinare, diſponere, & intra ſuos limites ponere, ſignificat; Hinc nomen illud duale, duorum diſpoſitionem denotat; quæ, pro locorum circumſtantiis, ſunt dijudicanda.

Hic, quoniam tribus Iſſachar, forti & clitellario aſino comparatur, præfero interpretationem Kimki, quā noſtri ſequuntur plerique, ut hoc nomen duale, duas ſarcinas ſignificet, quæ aſino robuſto ab utraque clitellarum parte ſolent imponi, qui etiam cum tardum ſit animal, ſub onere quieſcit, atquę haud facilè movetur.

Conveniunt quæ ſequuntur, *vidit requiem, quod eſſet bona, & terram quod eſſet optima*, ſeu pulchra ויט שכמו לסבל *vajjet ſchicmo liſbol*, & inclinavit humerum ſuum ad portādum ויהי למס עבד *vajehi lemas obedh*, & fuit ſerviens tributo. LXX interpretes, aſini nomen omiſerunt, verteruntque Iſſachar, *τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν bonum concupivit.* Videntur legiſſe ſine punctis חמד *chamad*, cū ד in fine, loco ר, & *forte*, pro *bono* accepiſſe, ſed error eſt manifeſtus. Quidam interpretes, pro verbis illis ultimis, *& fuit ſerviens tributo*, verterunt, *καὶ ἐστὶ γεωργὸς ὑπερετεῖν, & eſt agricola ad miniſtrandum.* Sic Aquila & Symmachus. LXX. *ἀνὴρ γεωργὸς factus eſt vir agricola*, quibus certè non expreſſerunt verba, ſed præjudicatum ſenſum indicarunt, vel in conſequente intellexerunt antecedens, quia agricolæ ut plurimum gravantur vectigalibus, à quibus ſunt immunes qui militiam exercent.

In hac prophetia duo videntur manifeſta, I. quod portio huic tribui aſſignata, futura eſſet pinguis, & fertiliſſima, amœna præterea, & commoda vitæ quietæ. II. Tribum illam, ſuis limitibus contentam, ita in portione ſua acquieturam, ut etiam oneribus & vectigalibus preſſa, eligat potius onera imperata ferre, & tributa ſolvere, quam ut ſe ſinat applicari bellicis artibus; quæ etiam non malè conveniunt vitæ ruſticæ, & agricolarum, pręſertim in fertili ſolo habitantium, moribus. Tales enim elatos animos non gerunt, nec ferè cogitant, niſi de gleba cui ſunt addicti. Ut enim id obiter dicamus, id ferè ubique uſu venit, ut pro ratione habitationum, varient etiam hominum ſtudia & vitæ genera. Exempli gratia, in his regionibus maritimis, maximè floret & in pretio habetur mercatura, ob vecturæ commoditatem, & cum terra non poſſit ſuos habitatores alere, coguntur ad varias pernavigare regiones, & inde advehere quæ non ſolum neceſſitati ſufficiant, ſed quæ etiam aliis communicentur. Certè in Gallia, pro varietate provinciarum, mirè variant incolarum ingenia, præſertim in vulgo. Nam qui agros fertiles incolunt ruſtici, planè ſunt imbelles & timidi, ut in Pictonibus noſtris videre eſt, ubi non aliter tractantur à nobilibus quam mancipia, nec tamen vel de ſedibus mutandis cogitant, vel de vindicanda injuria. In aliis regionibus ubi major eſt ſiccitas, nec ita abundant omnia, ferè addicti ſunt bello, & libenter abducuntur ſi occaſio ſe offerat. Ea fuiſſe videtur Iſſacharitarum conditio, ut inter terminos ſuæ regionis libenter conſtiterint, nec externas terras petierint, vel negotiandi, vel belligerandi cauſa.

Chaldæus paraphraſtes Onkelos ſenſum penitus contrarium amplexus eſt. Nam etſi in primis membris conſentiat, *Iſſachar dives erit in ſubſtantia*, ſive facultatibus, *& poſſeſſio ejus erit inter terminos, viditque partem ſuam, quod bona erat, & terram, quod fructifera erat*, quæ utcumque poſſunt ad alias interpretationes accommodari, quæ ſequuntur tamen, ex diametro pugnant, *ſubjecitque*, inquit, *provincias populorum, & delevit habitatores earum, & qui relicti ſunt in eis ſervi & tributarii ejus facti fuerunt*; quæ quam longè ab Ebræo textu diſcedant nemo non videt. hæc enim omnia, Subjecit provincias, & delevit habitatores, &c. ſunt addititia, qua licentia ſi quis abuti velit, nihil erit in ſcriptura, quod non ſurſum deorſum invertatur.

Stet igitur prima interpretatio de quieta & ſedentaria vita, ut de Iſſacharis tribu hæc intelligantur dicta oppoſitè ad vicinos Zebulonitas, qui mercaturæ maritimæ intenti erant futuri, & foras ad navigationem prodituri, ut loquitur Moſes Deut. 33. Sic enim eos jungit, *Gaude Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis*, ut oſtenderet illos vitam inquietam ducturos, ut ſolent maris accolæ; hos vero pacatam & tranquillam electuros, in tabernaculis ſuis manentes.

Sed quæ de tribu Iſſachar dicuntur, alii in laude ponunt, alii vitio deputant, quod pro varia rei conſideratione fieri poteſt. Qui in laude ponunt, ſentiunt hic *αὐτάρκειαν* & patientiam commendari, eorum qui contenti demenſo ſuo, aliena non appetunt, nec cum aliis

de ampliandis opibus contendunt, cum perturbatione quietis & tranquillitatis ſuæ, injuriaſque aliquas & onera ferre malunt, quam turbata pace, dubios certaminum eventus ſequi. Quo illud Heſiodi refertur, πλέον ἥμισυ παντός, id eſt, *dimidium plus toto.* Quo proverbiali ænigmate commendatur aurea mediocritas. Quod fuit etiam comici Syri conſilium, *potius quam venias in periculum, ſervesne an perdas totum, dividuum face.* Hæc etiam prudentius docet humana ratio.

Piis autem regula charitatis multa præſcribit, quæ ad pacem cum omnibus colendam faciunt, ad onera patienter ferenda, & quaſvis jacturas, potiuſquam vindicta privata noſtra aut repetamus, aut aliena invadamus. Salomon docet *buccellam panis cum quiete, potiorem eſſe tauro pingui mactato, cum inquietudine.* Proverb. 17. ℣. 1. Auguſt. proverbium hoc apud Pœnos uſitatum fuiſſe teſtatur, *Vt habeas quietum tempus, perde aliquid: raro carent lite qui nunquam ſuſtinent de jure ſuo concedere.*

Qui in vitio ponunt, putant his phraſibus ſignificari pigritiam & mores ſerviles poſterorum Iſſacharis. Quo videtur facere aſini ſimilitudo; & ea fortaſſe cauſa eſt, cur illam declinarint Paraphr. Onkelos, & LXX, inter quos cum potuerint eſſe nonnulli ex illa tribu, judicantes vix in bonam partem aſini ſtupidi, & ſub onere quieſcentis ſimilitudinem accipi poſſe, ſtudio videntur immutaſſe verba, ne nota aliqua iſtis hominibus inureretur. Etſi enim, aſinus ſit animal natura robuſtum & patiens, certum eſt tamen naturâ ſegne eſſe & ſtupidum, & ventrem ita curare, ut vix etiam iteratis ictibus à pabulo poſſit arceri. Quod eleganter deſcribitur ab Homero, Iliad. λ. XI.

Ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας
Νωθὴς, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγῃ,
Κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ, λήιον· οἱ δέ τε παῖδες
Τύπτουσιν ῥοπάλοισι, βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν,
Σπουδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.

Id eſt,

Sicut cũ aſinus in arvũ profectus vim intulit pueris,
Piger, circa quem jam multi fuſtes fracti ſunt,
Depaſcitque ingreſſus altam ſegetem: pueri autem
Verberant baculis, vis autem eorum infirma eſt.
Vixque expulerunt, poſtquam ſaturatus eſt pabulo.

Inde eſt quod Ægyptii, rerum omnium ignarum per aſellicipitem hominem ſignificarunt, eamque imperitiam in eo præcipuè notari voluerunt, quæ plurimum ex ſolitaria accidit educatione; cum quis tanquam Aglaus alter, inter privatos parietes ſemper altus & educatus, pedem è domo vel è patria nunquam tuliſſet foras, oportere ſcilicet hunc parum experientem eſſe. Exiſtimat igitur Pierius Hieroglyphicorum lib. 12. cap. 1. Iſraëlem diu apud Ægyptios verſatum, & hieroglyphicorum optimè peritum, *cum Iſſacharem filium ſuum aſinum appellavit, & intra terminos ſuos cubiturum dixit,* huc reſpexiſſe. quia non ſolent aſini longius peregrinari, ut equi & muli. ſed intra provinciam in qua nati ſunt, plurimum contineri.

Ajunt tamen apud Ebræos præſertim Caballiſticos, aſinum eſſe ſapientiæ ſymbolum, eam afferentes rationem, quod qui ſapientiæ ſit operam daturus, victu admodum tenui, eoque plurimum plebeio contentum eſſe oporteat, cujuſmodi parſimonia præditum eſſe aſinum omnes norunt. Ad hæc, penuriam, laborem, plagas, & famem patientiſſime tolerare, neque ad ullam excandeſcere contumeliam, undecumque illata fuerit, nullum inter carduos & lactucam diſcrimen facere, corde eſſe minimè vafro, bile carere, nullum onus detrectare, &c. Hæc & alia afferuntur in alteram partem, quibus oſtenditur ſimilitudinem aſini, poſſe etiam in bonum trahi, & neceſſarium eſſe, ex aliis circumſtantiis de ſenſu judicare.

Sed quamvis aſinus ſit laboris ſymbolum, quia tamen ſignificat laborem ſervilem, & cum aliqua ignavia conjunctum, ad illorum partes magis accedo, qui his verbis Iſſacharis poſteris tale robur tribui cenſent, quo potius ferendæ ſervituti parati erunt, quam cordati, non ſecus atque latera ſua clitellis & ſarcinis muli accommodant; ut probabile ſit ignaviam exprobrari, quod eos impeditura eſſet mollities, ne in libertate ſibi divinitus conceſſa manerent. Hæc tamen ita dicuntur de illa tribu, ut quamvis tale fuerit ejus ingenium, aliquando tamen in extraordinariis occaſionibus ſtrenuè & prudenter ſe geſſerit, ubi videret libertatem communem periclitari. Sic Judic. cap. 5. aliis omnibus tribubus ad Deboram & Barac convenientibus, excitantur Iſſacharitæ his verbis, *Cur deſideres inter duas illas ſarcinas, audiendo ſibila acierum?* ℣. 16. quod non fruſtra factum fuiſſe teſtatur hiſtoria, in qua dicuntur principes Iſſachar fuiſſe cum Debora. Et Chronic. cap. 12. ℣. 32. inter eos qui Davidi ſe adjunxerunt & ad eum venerunt Chebronem, memorantur, *è Iſſacharitis noſcentes ſcitè tempora, ut noſcerent Iſraëlitæ quid ſibi faciendum eſſet, primores eorum ducenti, quorum omnium fratres, ex præſtituto eorum agebant.* Itaque videntur in hoc facto magni momenti, omnibus Iſraëlitis præiviſſe. Hanc tamen temporum notitiam, non referunt ad peritiam aliquam ſtudio comparatam ex aſtrorum notitia, ſed ad eam quam experientia acquirunt, qui ruri degunt paſtores aut agricolæ, qui temporum mutationes ſæpè pronunciant longo uſu, quarum notitia in bellis ſæpè multum conducit.

Certum eſt Iſſacharis poſteros inter Galilæos fuiſſe annumeratos, qui apud alios videntur contemptui fuiſſe. quo referri poteſt Judæorum interrogatio, Joan. 7. verſ. 50. *Scrutare & vide ex Galilæa prophetam non ſurrexiſſe.*

Qui allegorias hic quærunt, hærent in vocibus, & ſenſum ferè negligunt. Quia Iſſachar *mercedem* ſignificat,

ficat, agunt de mercede laboribus aſſiduis parta, in agro domini excolendo; In aſino conſiderant manſuetudinem & patientiam; quæ omnia commendatione digna eſſe, quis dubitet? Sed hîc fuiſſe ſignificata, nulla eſt ratio quæ ſuadeat; cum hujus gentis deſidia potius fuerit prædicta, quam patientia laudabilis, aut alia virtus. Ridiculi ſunt qui huic aſino religioſos ſuos, ſive Monachos comparant, aut per tropologiam ſignificatos volunt, quia jugum & labores religionis ferunt, & auſteritatem diſciplinæ, quibus competere dicunt illud Davidis Pſal. 72. ℣. 23. *ut jumentum factus ſum apud te:* quos fortiſſimos dicunt ad omnia dura perferenda, & Deo ſolvere tria tributa, cultus, dilectionis, & continentiæ, &c. An hoc non ſit ſcripturam ludibrio habere, eamq; infidelium ſannis objicere, judicent, qui mente non carent. Certè ſi in talibus ludere liceret, non malè compararentur Monachi aſinis, inter ſarcinas accubantibus, qui dura ſibi onera imponi patiuntur, & libertatem Chriſtianam abnegant, ut ſaginentur in clauſtris ſuis, quia vident paratam ibi eſſe commodam menſam, & ſe omnibus aliis reipublicæ oneribus exemptos eſſe. Itaque libenter ſupponunt humeros ſpirituali ſervituti, ut fruantur aliqua quiete temporali. In hoc tantum diſſimiles Iſſachari poſteris, quod caverunt ſibi ne tributa principibus penderent, & omnes ferè ſibi tributarios ſub pietatis prætextu fecerunt. Hæc etſi veriſſima ſint, non putamus tamen de iis cogitaſſe Jacobum, dum hanc prophetiam enunciaret; ut nec alia quæ exquirunt, in quibus magno conatu, nihil aliud præter magnas nugas agunt.

EXERCITATIO CLXXXII.

Dan, à Iudicio dictus, ad cujus nomen fit alluſio. Quale judicium ei tribuatur? Malè à pleriſque ad Samſonem reſtringitur. Serpenti & Ceraſtæ cur Dan aſſimiletur? Referri ad inſidias in bello, quæ adverſus hoſtes non improbantur. Diſquiritur quid veteres nonnullos moverit, ut crederent ex tribu Dan naſciturum Antichriſtum, & in eam ſententiam inquiritur. Explicatur locus Ierem. 8. verſ. 16. malè ad Antichriſtum applicatus, etiam Iudice Bellarm. Cur Apoc. VII. *tribus Dan non fiat mentio? Non ſolum certam non eſſe opinionem illam, quod fatetur Bellar. ſed nec probabilem, contra eundem, & Pererium. Non quicquid vetuſta traditione commendatur, fide dignum eſſe, cenſent ipſi Ieſuitæ: quod exemplis probatur. Ne Iudæum quidem fore Antichriſtum probari poteſt, contrarium evincitur. Quorſum tendat exclamatio Iacobi,* Salutem tuam expectavi Domine: *Ejus explicatio.*

ACcedit Jacob verſ. 16. & ſeqq. ad tribum Dan. Et primo alluſione facta ad nomen ejus, *Dan,* inquit, *judicabit populum ſuum, ſicut una tribuum Iſraël.* A judicio enim dictus fuit Dan, quia eo nato dixit Rachel, דנני *danani,* Judicavit me Deus, Geneſ. 30. ℣. 6. Hic autem דן ידין *dan jadhin,* Dan judicabit populum ſuum. Fuit Dan primus ex filiis ancillarum, quæ cauſa eſt cur in eo Jacob utatur hac præfatione, quæ aliis omnibus ancillarum filiis jus tribuebat hæreditatis in paterna familia. Oſtendere enim voluit Patriarcha, quod etſi lege, & jure, Dan & alii fratres nati ex concubinis inferiores eſſent conditione iis de quibus prius egerat, id tamen non impediturum quominus imperium aliquod obtinerent, & cum aliis etiam inter tribus Iſraëlis annumerarentur. Itaque his verbis eum reſtituit ſuis natalibus, cum reliquis ejuſdem conditionis, ſublato diſcrimine inter herarum & ancillarum filios. Huc pertinet comparatio, כאחד שבטי *ceachadh ſchibte,* ſicut una tribus Iſrael. Judicandi verbum, non exiſtimo hic cum nonnullis ſignificare ſingularem illam & extraordinariam judicum adminiſtrationem, quos variis temporibus excitavit Deus in populo ſuo ex diverſis tribubus; nec *populi* nomen accipio pro Iſraëlis populo. Quamvis enim verum ſit, ex illa tribu Deum ſuſcitaſſe Sampſonem, qui inter judices & vindices populi Iſraëlis vi & robore maximo donatus, Philiſtæorum tyrannidem repreſſit, ad unum tamen aliquem ex tribu illa virum, reſtringi non debet *judicium,* cujus hic meminit Jacob, etſi hæc fuerit Onkeli ſententia, quem multi ſequuti ſunt. *De tribu Dan,* inquit, *eligetur & conſurget vir, in diebus ejus liberabitur populus ejus, & in annis ejus requieſcent ſimul tribus Iſraël.* Populũ Dan accipio pro tribu ex eo oriunda: Judicandi munus pro ordinario, quo in unaquaque tribu & ex ea, eligebantur qui jus dicerent ſuis contribulibus. Nec aliud ſignificatum fuiſſe præter illud in genere; quemadmodum ij de quibus antea actum eſt filii herarum, ſuam quiſque tribum conſtituere debuerunt, ita Dan ſuam cõſtituet, & ſuos habebit principes tribus, quemadmodum & reliqui fratres. Quæque enim tribus ſua habuit capita, ut apparet ex recenſionibus earum, in libris Chronicorum. Confirmat hanc ſententiam comparatio inſtituta inter reliquas tribus, *ſicut una ex tribubus Iſraël.* Apparet enim ei tribui, quod aliis omnibus commune futurum erat. Sed probari non poteſt

 in

in omnibus & ſingulis tribubus ſuſcitatos fuiſſe judices illos extraordinarios, in quorum numero fuit Samſon. Ergo id intelligendum eſt de ordinario munere eorum, qui capita tribuum dicebantur, ut ſenſus ſit, hanc tribum inter alias locum ſuum habituram, ut perinde populum ſuum contineat & regat, ſicut aliæ. Sic etiam rectè Vatablus, *penes ejus ſobolem in communi politia, pars gubernationis & imperii erit, ut iſta tribus caput unum efficiat.* Sermo igitur habetur de communi & perpetuo familiæ illius ſtatu, qui de uno non eſt intelligendus qui toti populo præfuerit. Itaque mirum eſt eos qui in aliis tantoperè refugiunt ne videantur ad Judæos accedere, hoc eorum commentum de uno Samſone judice ita unanimiter eſſe ſequutos. Cui etiam reliqua tribuunt quæ ſequuntur, poſt eundem Paraphraſtem qui ſic pergit. *Erit vir qui eligetur, & conſurget de domo Dan, cujus terror irruet ſuper populos, & cædes ejus prævalebit Philiſtæis. Tanquam ſerpens quieſcet in via, & tanquam aſpis inſidiabitur in ſemita, interficiet robuſtos in caſtris Philiſtinorum, equites cum peditibus, enervabit equos eorum, &c.* Hæc omnia de Samſone intelligunt, de quo tamen nunquam legitur, quod cum equitibus concertaverit, vel vi, vel arte.

Expendemus primùm verba, יהי דן נחש *jehi dan nachaſch.* Vulgata hæc accipit tanquam votum, vertit enim *fiat Dan coluber in via*; quaſi hoc à Deo peteret Jacob. Quæ interpretatio ſi apta ſit, cum non ſit probabile ſanctum virum malum aliquod optaſſe filiis ſuis, quæ ſequuntur expetita, in malam partem non poterunt accipi; quod nobis poſteà argumento erit, adverſus quorundam commentum. Malo tamen cum pleriſque vertere in futuro *erit*, ut ſit prædictio, non votum. Quod antea notavimus in his prophetiis, ſæpè bis idem dicit Jacobus mutatis verbis, ita ut tamen in ſecundo membro ſemper addat aliquam auxeſim. Hic primum comparat tribum *Dan* נחש עלי דרך *nachaſch ale derec*, ſerpenti juxta viam, nempe inſidianti. Deinde שפיפן עלי ארח *ſchephiphon ale orach*, *Ceraſtæ juxta ſemitam*, ſic enim interpretantur. LXX. tamen omiſerunt vocem *ceraſtis*, aut alius generis ſerpentis, & verterunt ἐγκαθήμενος *ſedens in via.* Verbum שפף *ſchaphaph*, ſignificat calcare, conculcare, conterere. Ut שוף *ſchaph*, quod etiam tribuebatur ſerpenti Geneſ.3.℣.15. quod obruat & opprimat. Vulgata *Ceraſten* vertit, cornutum ſerpentem, habentem juxta Plinium, quadrigemina cornua inſtar arietum. Tremel. & Iun. vertunt *acontias*, id eſt, *ſerpentem jaculum*, de quo Plinius lib. 8. cap. 23. ubi dicit ex arborum ramis vibrari, *nec pedibus tantum pavendas ſerpentes, ſed & miſſili volare tormento.* Gallica editio *colubrum* vertit, quæ vox videtur magis convenire inſidianti in ſe, præſertim cum addatur, *mordens calcaneos equorum*, quod ſerpenti jaculo ex alto irruenti, non conveniret.

Ad rem quod ſpectat conveniunt omnes, his figuris ſignificari rationem bellandi ex inſidiis, potius quam aperto marte, quod fieri ſolet ab iis, qui hoſtes habent validiores, & ſentiunt ſe viribus impares, quibuſcum congredi poſſint aperta vi. Tacitè ergo ſubindicat, Tribum illam non adeo viribus & manu forti valituram, hoſtibus tamen non carituram, adverſus quos ſi ſtare non poſſit in acie diſpoſita, aliunde mutuabitur unde ſe non ſolum tueatur, ſed etiam hoſtem adoriatur & opprimat. Aſtutiâ enim ſerpentum uſuram, & inſidias ſtructuram in viis & ſemitis, & quod marte non poterit, arte effecturam.

Id ſi adverſus hoſtes in juſta cauſa uſurpetur, in vitio poni non debet, ſed ad prudentiæ virtutem referri poteſt. Hic enim locum habet commune illud, *dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Exempla habentur in Hiſtoria Ioſue, uſumque probavit omnium gentium conſuetudo. *Illa enim belli facta*, putarunt *pulcherrimam conſequi gloriam*, *quibus & hoſtes maximè decipiebantur, & amici & ſocii plurimum juvabantur.* Thucyd. lib. 5. Veget. etiam de arte militari, lib. 3. c. 9, laudat Duces, *qui non aperto marte prælium, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, ut integris ſuis, quantum poſſunt, viribus, hoſtes interimant certè vel terreant.* Ita ſe geſſerunt Danitæ in expugnatione civitatis Lachis, quam poſteà Dan appellarunt. Nam miſſis exploratoribus, cum audiviſſent incolas loci ſecurè agere, eos per inſidias oppreſſerunt. Iudic. 18. Sampſon etiam qui ex illa tribu fuit, nunquam juſto prælio cum hoſtibus conflixit, ſed eis potiſſimum aſtu nocuit, etſi aliquando extraordinario robore donatus, ſolus mille Philiſtæos ſtraverit. Hæc afferimus tanquam exempla; alioqui enim, non unius hominis ex illa tribu ingenium prædicitur, ſed totius tribus mos & agendi ratio. Non autem additur, an hoc laudi vertatur vel vitio. Sed de eo judicandum eſt ex circumſtantiis. In exemplis allatis, nihil eſt quod reprehendi debeat, niſi illud, quod Danitæ furto arreptum Idolum Micæ, eo abuſi ſunt ad Idololatriam. Sed factum hoc ad bellicas expeditiones trahi non debet.

His ita expenſis, mirum eſt quid nonnullos patres moverit, ut exiſtimaverint ex illa tribu oriturum Antichriſtum, niſi quod ex præjudicata opinione, quod Antichriſtus futurus eſſet Judæus, & à Iudæis recipiendus, quia hic ſerpentis & ceraſtæ fit mentio, putarunt ad nullam tribum aliam aptius referri poſſe, quæ de Antichriſti origine ſibi imaginabantur. Acceſſit alterius loci ſcripturæ ſupina valdè, & tantis viris indigna, conſideratio; in qua verborum adhærentes cortici, nulla ratione habita connexionis & argumenti loci, tribui Dan aſſignarunt ea, quæ de Babyloniorum rege dicebantur. Qui in hac opinione aliis non quidem præluxit, ſed qui prævivit, fuit Irenæus. Is lib. 5. cap. 3. dicit Ieremiam non ſolum ſubitaneum Antichriſti adventum, ſed etiam tribum ex qua veniet manifeſtaſſe, dicens, *ex Dan audiemus vocem velocitatis equorum ejus, &c.*

Jer.

Ier.8. 16. Huic innixus fundamento, *perſuaſiſſimus fuit Antichriſtũ naſciturum ex tribu Dan*, inquit Feuardẽtius; At quale hoc ſit fundamentum, ex inſpectione patebit, *Hieremias*, ait Bellarminus, *ſine dubio non loquitur de Antichriſto, neque de tribu Dan, ſed de Nabuchodonoſor qui venturus erat, ad Hieruſalem evertendam, per eam regionem quæ dicebatur Dan, ut ibi Hieronymus rectè exponit.* Si rectè Hieronymus, certè malè Irenæus. Nam quod ad allegoriam refugiunt, id prorſus eſt abſurdum, quia allegoria nihil probat, niſi à Sp. ſancto indicetur. Præterea, debet aliquod habere fundamentum in littera, quod hic nullum eſt. Aliam rationem affert Irenæus, ex eo quod cap. 7. Apoc. ubi enumerantur ex omnibus tribubus notati ad Chriſtum convertendi, Danis tribus nulla fit mentio, inde concludunt, ex ea Antichriſtum oriturum; quo medio hęc connectantur non oſtendunt. Quid ſi inde potius contrarium ſequatur, non oriturum Antichriſtum ex tribu Dan, quæ exciſa erat, ob peccata ſua? Certè id videtur poſſe colligi ex cap.8. prophetiæ Amos, ℣. 14. *Qui jurant in delicto Samariæ & dicunt: vivit Deus tuus Dan, & vivit via Berſabee, & cadent, & non reſurgent ultrà.* Hoc enim, etſi de decem tribubus intelligatur, quia tamen in Dan extructum fuit Idolum, & Danitæ primi fuerunt inter Iſraëlitas qui publicum erexerunt cultum Idolo, ut legitur Iudic. 18. ℣. 30. non mirum eſt ſi tribus illa, quæ infamis facta fuerat, adeo decreverit, ut in populo Iſraëlis nullo penè numero fuerit, atque ob eam cauſam omiſſa fuerit, in recenſione illa quæ habetur Apoc. 7. Fatetur etiam Bellarm. *non ſatis conſtare*, cur omiſſa fuerit. Certè nulla ratio eſt cur omitti debuiſſet, etſi Antichriſtus ex ea fuiſſet naſciturus, non enim propterea ſequeretur, extorres fuiſſe à regno Chriſti omnes poſteros Dan, uſque ad Antichriſtum. Videtur ergo potius omiſſa, quia perierat ſua culpa, & ſi qui ex ea manerent ignoti erant, & inter alias tribus diſperſi nomen non habebant. Præterea ſi verum ſit quod pro fundamento ponunt, Antichriſtum à Iudæis recipiendum eſſe pro Chriſto, cum illi ſatis norint Chriſtum familiæ Davidis fuiſſe promiſſum, probabile non eſt eos pro ſuo Meſſia accepturos eum, qui ad Iudę tribum nullo modo pertineret.

Bellarminus quidem concedit, ſententiam illam de tribu Dan, *non eſſe omnino certam*, nec *patres pleroſque dicere hoc ſe ſcire, ſed tanquam probabile inſinuare, & nullam earum, quas citant, ſcripturarum, convincere.* Abulenſis etiam, hoc *incertum eſſe* agnoſcit. Hieronymus Oleaſter, *fabuloſum.* Bellarminus & Pererius, volunt eſſe valdè probabilem opinionem, *propter tantorum Patrum autoritatem.* Idcirco in Oleaſtrium excandeſcit Pererius, *quale obſecro eſt vetuſtiſſimam in populo Dei traditionem, plurimorum atque inprimis nobilium ſcriptorum autoritate firmatam, ſcriptiſque proditam, tanto faſtidio atque ſupercilio rejicere.* Sed ſi Patrum autoritas ſine ratione, antiqua traditione ſubmixta rem probabilem facit, quot commentis probabilitatem deferent Pontificii, quæ tamen juxta nobiſcum fabuloſa cenſent & futilia. Ne longè abeam, Irenæus omnium antiquiſſimus inter eos qui id tradiderunt, alia etiam plura tradidit & multos alios in ſententiam eandem pertraxit, non alio ſubnixus fundamento, quam vaniſſima traditione. Certè millenarium inde hauſit. Ipſe Pererius in Geneſ. lib.3. de paradiſo num.48 *Irenæus*, inquit, *affirmat, ſe id quod tradit, à Preſbyteris Aſiæ, diſcipulis Apoſtolorum accepiſſe. Sed quid tum poſteà? An ideo quodcumque ab iſtis preſbyteris proditum eſt, tanquam certum ac indubitatum doctrinæ Chriſtianæ dogma haberi debet? Nonne conſtat iſtos Preſbyteros, eodem referente Irenæo, quædam & falſa, & divinis literis contraria docuiſſe? mitto nunc errorem Chiliaſtarum ab iſtis eſſe proſeminatum*, &c. Hæc ille. Similia habet Viegas in Apoc. 11. Comment.5. Sect.5. num.9. Ergo non quicquid vetuſta traditione commendatur, fide dignum eſt. Certum eſt Irenæum à Papia multa accepiſſe tanquam ex traditione, non de Antichriſto ſolùm, ſed de aliis etiam materiis, in quibus monet Euſeb. Hiſt. lib. 3. cap. ultimo, Papiam iſtum non uſum fuiſſe judicio, & aliis impoſuiſſe. Irenæum, ut fit, ſequuti ſunt alii Patres, ne quis putet numerum errantium parere errori patrocinium. Si ſcaturigo turbida fluat, quid de rivis cenſendum? Hippolytus Irenæo proximus, inter eos quos citant, in eadem illa oratione de conſummatione mundi, teſte ipſo Bellarmino in eo errore fuit, *Antichriſtum eſſe ipſum Diabolum, qui de falſa virgine falſam carnem aſſumpturus erat.* Quomodo igitur ſentire potuit Antichriſtum Iudæum fore, & oriturum ex tribu Dan? id tamen dixiſſe verum eſt, ſi autor ſit libelli, qui ipſius nomine circumfertur, ſed quo judicio, & quomodo tam diverſa, ne dicam contraria, cohærere poſſint, nemo facile conciliabit. Certe Diabolus non potuit eſſe è tribu Dan.

Quid, quod tam Hippolytus, quam alii plures veteres & recentiores, volunt quæ hic prædicuntur in Samſone impleta fuiſſe? Quomodo igitur ad Antichriſtum referentur. Reſpondent per allegoriam. At quænam eſt illa allegoria, quæ ſub ſancto viro, Dei Nazaræo, ſpiritu Dei repleto, latere voluit Antichriſtum, imò ipſum Diabolum? Audivimus quidem Samſonem fuiſſe typum Chriſti. At Antichriſti typum geſſiſſe, nemo unquam ſanus affirmabit.

Præterea, ſi quis neget genus, negabit ſpeciem. Si Antichriſtus non futurus ſit Judæus, quomodo ex tribu Dan? Primum illud probare non poſſunt adverſarii. Obſtat autem, quod Antichriſtus teſte Paulo, in Templo Dei ſit ſeſſurus. Templum quidem Hieroſolymitanum intelligunt Judæi Antichriſti aſſertores. Sed Templum illud amplius non eſt, nec unquam eſt inſtaurandum, nec ſi inſtauraretur, eſſet Templum Dei. Itaque Auguſtinus, De civit. Dei lib. 20. cap. 19. putat legendum Antichriſtum ſeſſurum *in templum Dei, tanquam*

quam ipſe ſit templum Dei, hoc eſt Eccleſia. Igitur non putavit eum profeſſurum Judaiſmum, ſed ſub nomine Chriſtiano, per hypocriſim ſe inſinuaturum.

Apoſtolus præterea deſcribit Antichriſtum, tanquam Apoſtaſiæ univerſalis caput. 2. Theſſal. 2. 3. Unde conſtat Antichriſti membra & mancipia, eſſe Apoſtatas à vera fide. Judæi autem qui fidem Chriſti nunquam receperunt antea, quales futuri ſunt ii quos Pontificii aſſeclas Antichriſto dant, non poſſunt dici Apoſtatæ à fide, quam nunquam profeſſi ſunt, Ergo de Judæis non loquitur Apoſtolus.

Nec etiam convenit moribus Antichriſti, qualem deſcribunt eum Pontificii, ut comparetur Serpenti inſidianti, & in via mordenti calcaneum equi. Deſcribunt enim eum tanquam fortem bellatorem, qui apertè bella ſit moturus, miracula patraturus, tres reges deleturus, per vim regnum occupaturus, ſeptem regibus potentior futurus, & in toto orbe velut terrenus monarcha regnaturus. Quæ omnia in ſuis demonſtrationibus, Sanderus tribuit Antichriſto; quem omnes etiam agnoſcunt tyrannum fore, & perſequutorem. Hæc omnia prorſus contraria ſunt agendi modo qui tribuitur poſteris Dan. Unde ſatis liquet nihil hæc ad Antichriſtum pertinere.

Addatur ultima ratio ex ipſius vulgatæ editionis verbis. Nam, ut initio notavimus, verba Jacobi votivè interpretata eſt, quaſi eſſet petitio, qua à Deo peteret, quoniam prævidebat tribum Dan non ita viribus valituram, quæ tamen hoſtes potentes, quales ſunt equites, erat paſſura; ut ſi minus robore eos ſuperare poſſet, ſaltem aſtuta prudentia eos circumveniret; equiteſque dejiceret, mordens ungulas equorum. Quis autem cogitaret, voluiſſe Jacobum petere à Deo ſucceſſus inſidiarum Antichriſti, vel ut in tribu filii ſui Dan, ea fierent, quæ Antichriſti machinamenta præfigurarent.

Sed quærunt, cur igitur addit Jacobus verſ. 18. לישועתך קויתי יהוה *liſchuateca kivvithi Iehova*, Salutem tuam expectavi Domine: niſi quia prævidebat Judæos pro Meſſia recepturos Antichriſtum, quod providens, & toto animi ſenſu abominatus, exclamavit, ait Pererius, *Abſit à me, non ego Antichriſtum recipiam, ſed cum ille venerit, tum ego expectabo Salvatorem.* Quo neſcio an quid abſurdius, aut inſulſius excogitari potuerit. Si enim prævidit Antichriſtum, ſub mundi finem ex tribu Dan oriturum, quorſum opus fuit ut exclamaret ſe tunc illum non recepturum. Nempe periculum erat, ne quis putaret Jacobum, aliquot poſt mortem ſuam annorum millibus Antichriſto venturo ſe adjuncturum!

Verba Jacobi dupliciter verti poſſunt, vel ut jam propoſuimus, & communiter accipiuntur, *Salutem tuam expectavi Domine.* Vel ut Tremell. & Jun. verterunt, *In ſalutem tuam expectavi Iehova.* ut ſint verba Jacobi ad Dan filium ſuum ſive tribum ipſius. Nam quia præſuppoſuerat illum cum hoſtibus potentiſſimis conflictaturum, quibus cum non eſſet par viribus, adverſus eos uſurus eſſet aſtutia, voluiſſe hæc addere, ut indicaret ſe tamen non fidere his artibus, ut ab iis expectaret poſterorum ſuorum ſalutem; ſed eam à Deo expetere. Nollem communem verſionem mutare, ex qua idem ſenſus eruitur; ſive reſpiciamus tribum Dan; ſive dicamus, ſanctum ſenem tunc apud animum ſuum cogitaſſe varias familiæ ſuæ agitationes, & multa pericula, quibus obnoxia eſſet futura. Hanc fuiſſe cauſam cur hanc exclamationem interſeruerit, non ſolùm ut teſtaretur fidem ſuam de conſervatione poſteritatis ſuæ; ſed etiam ut exemplo præiret ſuis poſteris, qui eum poſteà imitarentur, in Deum recumbentes in anguſtiis ſuis. Hæc potuit eſſe mens ejus, etiamſi de Antichriſto nihil cogitaſſet.

Non tamen mihi diſplicet ſententia Oleaſtrii, quam alii etiam ſequuti ſunt, Jacobum hæc verba protuliſſe, quemadmodum facere ſolent ægroti, qui ſubinde, dum vel teſtamentum ſuum dictant, vel de rebus ſuis loquuntur, velut anhelantes, auxilium divinum implorant. Nam quod non nemo objicit, id minus dignum eſſe propheticis locutionibus, in quibus Deus qui mentem illuminat, etiam eandem facile à ſenſu corporearum miſeriarum tam diu avocat, non neceſſarium eſt. Res enim non eſt indigna prophetâ, ut ad liberationem ab hoc corpore mortis aſpiret, & ad Deum ſuſpiret, dum ſuorum rebus proſpicit, aut de futuris eventibus eos monet.

Qui præcedentia ad Samſonis munus judiciale, ejuſque expeditiones referunt, volunt Jacobum, poſtquam prædixiſſet fore, ut ex tribu Dan prodiret, qui populum à tyrannide hoſtium liberaturus eſſet, quod in Samſone completum putant, vertere vaticinium ad Chriſtum, cujus ille typus quodammodo fuit. Hujus ſalutem ac redemptionem mundo per illum advehendam, non ſine magna animi conſolatione in ſpiritu prævidere atque prædicere. Favet Paraphraſtes Chaldæus Hieroſolymitanus. *Salutare tuum expecto Domine, dicit pater noſter Iacob. Non expecto ſalutare Gedeon filii Ioas, quæ eſt ſalus temporalis, neque ſalutare Samſon filii Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed expecto redemptionem Chriſti filii David, qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſraël, cujus redemptionem deſiderat anima mea.* Eadem habentur in Paraphraſi Chaldaica editionis Complutenſis, & Bibliorum Regiorum. Quæ ſaltem adverſus pertinaciam Judæorum valere poſſunt, & ſatis probabile eſt ſanctum virum ſpiritu Dei plenum, uſque ad ſalutis autorem, de quo anteà egerat, conſcendiſſe.

EXER-

EXERCITATIO CLXXXIII.

Elegans alluſio in nomine Gad. עקב Akebh *calcaneum & finem ſignificare. Portionem Gadi fuiſſe limitaneam & incurſionibus obnoxiam.* πειρατεύειν *quid? Applicatio Chaldæi Paraphraſtæ expenditur. Quæ vera eſt proponitur, & cum benedictione Moſis Deut.* 33. *componitur. Allegoriæ nonnullorum rejiciuntur. Quæ probabilis eſt obiter affertur. Tribus Aſcher habitationis qualitas, fertilitatis nomine commendata. Ejus termini.* Regium *dici, quod exquiſitum. Temporalia quomodo favoris Dei ſint argumenta? Poſſeſſio tribus Nephtali. Cur dicatur* cerva dimiſſa, &c. *Collatio verborum Iacobi cum benedictione Moſis. Vber & commodum ſolum ei promitti. Qui Iacobi verba ad Barac accommodant examinantur; & refelluntur argumentis ab Andrea Maſio. Verba Iacobi non ad unum, ſed ad totam tribum pertinere.*

SEquuntur ſortes tribuum Gad, Aſer & Nephtali, tribus verſibus. In benedictione Gad, eſt elegans alluſio in Ebræo textu, גד גדוד יגודנו ודוא יגד עקב *Gad jegudennu, vehu jagud akebh.* Gad *turmam* ſignificare Geneſ. 30. ℣. 10. diximus, radix eſt גדד *gadhadh,* id eſt, turmatim ſociari, cum turma invadere; גדוד *gedhudh,* eſt turma vel exercitus. Ad verbum igitur, *Gad* à turma dictus eſt, turma, turmatim eum invadet, ſed ipſe etiam turmatim invaſurus eſt eam tandem. עקב *akebh,* calcaneum ſignificat. & accipitur pro *fine*; ergo, *in fine,* eſt *tandem.* Tribus iſtius portio ſita fuit in finibus Iſraël, fuitque limitanea. Hæc autem ferè ſors eſt eorum qui in finibus ſeu limitibus regnorum habitant, ut incurſionibus vicinorum ſint obnoxii. Habuerunt Gaditæ vicinos Ammonitas, à quibus ſæpè vexati fuerunt; ut & à Moabitis & Syris; Hinc eſt quod Propheta eis prædicit non tam juſta prælia, quam excurſiones. Nam גדוד *gedhudh,* propriè turmam ſeu cuneum, & agmen militum non juſtum, aut exercitum non plenum, & ordine incedentem ſignificat, ſed tantum excurſionibus utentem. LXX πειρατὴν, prædonem vertunt, Job. 25. Hic autem, Γὰδ πειρατήριον πειρατεύσει αὐτὸν, αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτὸν κατὰ πόδας. Quæ ita verterunt in Bibliis regiis, *tentatio tentabit eum, & ipſe tentabit eum ſecus pedes.* quorum ſenſum vix eſt qui capiat. Dicendum fuit *prædatio,* id eſt, *prædator eum prædabitur, & ipſe tandem prædabitur eum,* nempe prædatorem ſuum. Eſt enim πειρατεύω *piraticam exerceo,* & πειρατήριον, *ſedes piratarum,* quæ pro ipſis piratis accipitur metonymicè.

Chaldæus paraphraſtes, quod ſæpè facit, hæc ad hiſtoriam accommodat, ad quam putavit referenda, non habita verborum ratione. *Caſtra,* inquit, *armatorum de domo Gad, tranſibunt Iordanem ad prælium, coram fratribus ſuis, & cum multa ſubſtantia revertentur ad terram ſuam.* Reſpexerunt ad narrationem quæ legitur Num. 32. de terra Jazheris & Gilhadis cis Jordanem, quæ eis conceſſa fuit ad habitationem, ea lege, ut expediti eſſent, ante Jehovam ad bellum, & fratres ſuos juvarent, donec adiiſſent quiſque poſſeſſionem ſuam. Quod factum fuiſſe legimus Joſue 4. ℣. 12. 13. *Quaſi quadragies mille expediti ad militiam trajecerunt, ante Iehovam in bellum.* quos poſteà rediiſſe onuſtos ſpoliis cap. 22. dicitur. Sed nulla ratio fuit, cur hæc prædicerentur, tanquam peculiaria tribui Gad, cum eadem fuerit ratio tribus Ruben, & dimidiæ tribus Manaſſe; quas omnes ſimul ad ſe vocavit Joſue, dimiſitque cum opibus multis, ut redirent in tentoria ſua, participeſque fecit prædæ hoſtium ſuorum, cum fratribus ſuis. Jud. 22. ℣. 11. & 12. Additur enim, Revertentes itaque abiverunt Rubenitæ, & Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſes, &c.

Exiſtimamus ergo, prædici in genere tribum illam, ob hoſtium viciniṫatem exercendam eſſe variis incurſionibus; ſed hac ratione bellis aſſuetam, hoſtes ſuos tandem profligaturam, quietamque manſuram. Nec enim ad unam expeditionem Jephtæ id referendum cenſemus, quem ex ſtirpe Gad fuiſſe certum non eſt; &, ſi certum eſſet, non deberet reſtringi ad unum actum, quod huic tribui aſſignatur, velut ordinarium exercitium. Moſes cap. 33. Deut. ℣. 20. de Gade dicit, *tanquam Leo habitat, qui rapit brachium & verticem,* id eſt, ex ſua poſſeſſione, tanquam Leo commodè poteſt in hoſtium prædium irruere. 1. Chronic. cap. 5. narratur quomodo extenderint limites ſuos, gerentes bellum contra Hagarenos, quos ingenti prælio vicerunt, & habitarunt in loco illorum. Mitto hic allegorias, ejuſdem cum aliis generis de quibus obiter diximus. Quomodo enim Gad repræſentet Chriſtum, ita explicant, ut ſe implicent, & pro ſuo more ex quolibet, quidlibet conficiant. In genere non rejicio, ſi quis adumbratam in Gad Eccleſię conditionem agnoſcat, quæ hoſtes ſemper habet vicinos ſibi imminentes, à quibus ſæpè impetitur & vexatur, ne ſegneſcat; tandem nihilominus victoriam ab omnibus reportaturam, & poſt devictos hoſtes in cœlis quieturam. Fuit autem Gad filius Zilpæ, ancillæ Leæ.

Frater ejus fuit *Aſcher* ex eadem matre, de quo verſ. 20. *Ex Aſcher pinguis panis ejus, ipſe dabit deli-*

cias regis. Vulgata, *regibus.* ſed perinde eſt, quia regis nomen ſingulare, pro uno individuo non accipitur. Chaldæus, Terra Aſſer optima erit, & ipſe nutrietur deliciis regum. Addit alia Moſes, *tingat in oleo pedem ſuum, ferrum & æs calceamentum ejus, &c.* Partem ſuam habuit citra Jordanem ad mare magnum, occupavitque totam regionem à Sidone, uſque ad Carmelum maris, quæ in longitudine viginti milliariorum continuit ſpatium, in latitudine vero à mari mediterraneo per novem milliarium ſpatium extenſa fuit, uſque Aſor & Naaſon. Ex topographia autem conſtat, pinguiſſimam fuiſſe terram, ac vino, oleo, præſertim optimo tritico fœcundiſſimam, in qua planè impleta fuit hæc prophetia Jacobi. שמנה לחמו *ſchemena lechmo, pinguis panis ejus*, ubi nomen לחם *lechem*, quod aliàs maſculinum eſt, jungitur fœminino; ut Ebraicè reperiuntur nomina multa utriuſque generis. Quamvis autem pro pane propriè & ſtrictè ſumpto poſſit accipi, non malè tamen hic intelligetur de omnibus ad alimentum neceſſariis, quibus, ut diximus, terra illa abundavit. Quod de regum deliciis dicit, facit ad commendationem ciborum exquiſitorum, talium qui digni eſſent qui menſæ regiæ adhiberentur. Regium enim dicitur, quod exquiſitum eſt.

Hæc etſi temporalia, paternam Dei curam oſtendunt; qui ut etiam notat Apoſt. 1. Tim. 6. ℣. 17. *præbet nobis omnia copiosè ad fruendum.* Videtur alluſiſſe ad nomen *aſcher,* quod *Beatum* ſignificat. Vulgi certè judicio, panis abundantia & pinguedo, quædam eſt beatitudo; & talis etiam eſt verè, ſi cum Dei favore ſit conjuncta. Inde Propheta, Pſal. 144. poſt enumerationem temporalium benedictionum, filiorum & filiarum, promptuariorum exuberantium, auctarum pecudum, &c. exclamat, *Beatus ille populus cui ita eſt, Beatus ergo populus cujus Iehova eſt Deus.* Nempe cum hæc conjunguntur, ibi eſt vera beatitudo, quando non ſolum alit Deus corpus noſtrum cibo ordinario juxta demenſum; ſed maximè, cum alit animam in ſpem vitæ æternæ, per panem illum vivum, qui de cœlo deſcendit.

De Nephtali agit verſ. 21. Is fuit ſextus Jacobi filius ex Bala ancilla Rachelis. Is poſſedit eam terræ regionem, quæ ad orientem tribus Aſer ſita, totam penè complectitur Galilæam regionẽ ſuperiorem, fontem Jordanis, & partem montis Libani Damaſcum uſque. Moſes Deut. cap. 33. promittit ei *abundantiam, & plenitudinem benedictionum Domini.* Hęc verba ſunt metaphorica; *Nephtali* אילה שחה ajalah ſchelucha, *cerva dimiſſa, dans dicta pulchritudinis.* LXX longè aliter στέλεχος ἀνειμένον ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος *eſt vitis,* ſeu *ramus remiſſus, colligens in germine decorem.* Chaldæus, *in terra optima cadet ſors ejus, & poſſeſſio ejus erit faciens fructus, laudabunt & benedicent ſuper eos.* Videtur voluiſſe figuratas locutiones in proprias reſolvere, adjutus Moſis oraculo, de quo paulo ante; & ad fertilitatem ſoli referre quæ dicuntur; quod etiam fecit Maſius, in lib. Judic. cap. 19. Num. 35. qui Jacobi pauca verba, à Moſe fuiſſe explicata cenſet; & unum atque eundem ſenſum in utriuſque prædictis ineſſe. Nephtalios nempe, in tuta atque ubere collocatos regione, exultaturos ſuavi libertate, ſimiliter atque cervæ, nullis indaginibus concluſæ, ſed in herboſis amœniſque ſaltibus liberè verſantes paſcenteſque, exultim ludunt. Prætereà blandis appellationibus & humanis artibus gratiam ſibi conciliaturos apud omnes; ac proinde in ſumma pace, divinis illis bonis fruituros.

Alii putant cervæ comparationem referre hominem velocem & ſtrenuum, qui ſe intrepidè & incunctanter in cuneos hoſtium demittit. Idque referunt ad hiſtoriam Siſaræ devicti à Baracho, ex tribu Nephtali. Quem Barachum initio cervum fuiſſe dicunt ob timiditatem, ſed tandem evaſiſſe in leonem. Id ſumpſerunt à Judæis; inter quos citat Maſius Rab. Levi ben Gerſon, qui Jacobi verba ad Barac accommodat. Is enim cum eſſet Nephthalita, natus urbe Cedes, facilè & expeditè tanquam velox cerva, mitti ſe paſſus eſt à Debbora in expeditionem, adverſus Siſaram, ut eſt in Judic. libro ſcriptum. ac deinde una cum Debbora triumphans, edidit ore verba illa elegantiſſima, atque ſuaviſſima quæ in epinicio carmine leguntur. Hanc ſententiam Maſius judicat ineptiſſimam. Ejus ſui judicii has affert rationes. 1. Non eſſe credibile, auguſtiſſimam illam Patriarchæ de Nephthali prædictionem, unius hominis, cæteroquin ignobilis & obſcuri victoria exhauſtam eſſe, & verſibus paucis decantatis confectam. 2. Teſtari ipſam narrationem, Baracum non proſiluiſſe apertè ad iſtam expeditionem, ſed fuiſſe tergiverſatum, nec voluiſſe obtemperare Deboræ, niſi illa ſe adjungeret. 3. Canticum à Debbora quæ ex Joſephi poſteris fuit, potius quam à Baraco fuiſſe cantatum. 4. Abſurdè Imperatorem fortem comparari timidiſſimo animali, niſi quis velit non ad gloriam Nephtali pertinere, quæ à Jacobo ſunt prædicta. Quamvis hæc poſtrema ratio valida non ſit, quia aliò referri ſimilitudo cervæ, quàm ad timiditatem, poteſt, nempe ad celeritatem, quæ etiam in bellicis expeditionibus multum valet: Aliæ tamen rationes mihi perſuadent, ut cenſeam, hæc ad totam tribum referri debere, notarique tribum illam, velut dimiſſam cervam, quæ capta non occiditur, ſed fovetur in deliciis, pacis artibus magis ſe applicaturam, quam ut ſe armorum præſidio muniat; ſibique alios conciliaturam blanda oratione, potiuſquam armis experiatur. In virtute enim etiam ponitur, humano blandoque ſermone, mulcere feroces animos. Pertinet igitur hoc ad artem retinendæ pacis.

EXER-

Exercitatio CLXXXIV.

Ioſephi ſortes. In quibus perſonalia quædam ſunt, & communia. Vox בן ben, *quando ramum ſignificet. Duas tribus tanquam duos ramos ex eo proceſſuras. Verba dura & exitioſa ſagittis comparari.* Arcus *pro fortitudine. Verbi* פזז phazaz *ſignificatio.* Potens Iacobi, *periphraſis Dei. An ſolida ſint quæ de literis nominis* אביר abir *nonnulli rimantur. Quid per* paſtorem & lapidem Iſraëlis *intelligi debeat? Epitheta Dei congeſta ad firmandam fidem. Cœlum & Abyſſus quomodo opponantur? Benedictiones* uberum & vulvæ. *Comparatio benedictionum Iſaaci & Iacobi. Quomodo prævaluerint poſteriores?* Terminus collium ſeculi, *quàm variè accipiatur, & quid verè ſignificet? probatur ex collatione verborum Moſis. Cur Ioſeph appelletur* Naziræus fratrum ejus. *Id referri ad ſtatum Ioſephi in Aegypto.* Baal-Nazir, *qui geſtat diadema.*

Reſtant duo filii ex Rachele, qui ultimi ponuntur habita ætatis ratione, alioquin enim erant parenti dilectiſſimi. In Joſepho diutius hæret ſanctus vir, meminitque eorum quæ præterita erant; addit inſuper de futuris prophetiam. Itaque ſunt hic perſonalia, nempe quæ Joſephum ſolum reſpiciunt; & ſunt communia, quæ ad poſteros ejus referri debent.

Verſ. 22. בן פרת *ben porath*, filius fructeſcens vel *fructifer Ioſeph.* Ubi nomen *filii* adjuncto hoc Epitheto, pro ramo arboris accipi ſentiunt periti interpretes, Mercerus, Tremel. & Jun. Item Pagninus, *Ioſeph ut ramus creſcens.* Docet enim Kimchi vocem בן hic in fœminino genere *ramum* ſignificare, & ſimilitudinem eſſe ab arbore deductam, qua poſteritatis Joſephi incrementum voluit prædicere. Alludit autem ad Joſephi ipſius nomen, quod ei indiderat mater, votum emittens, ut adderetur iſti alius filius. Ergo qui ab additione nomen habuit, fuit etiam ipſe addens, & accreſcens in Iſraële.

בן פרת עלי עין *ben porath alei ajin.* Vulgata filius accreſcens decorus aſpectu. עין *ajin* enim ſumſit pro oculis. Et Joſephum quidem fuiſſe elegantis formæ in præcedentibus vidimus. Sed quia hîc rami arboris ſimilitudinem probamus, ideò etiam præferimus verſionem, quæ *fontem* intelligit, quia comparatio fit inter Joſephum & ramum aſſiduè ad fontem *accreſcentem.* Quomodo acceperunt Tremel. & Jun. *Ramus fœcundus Ioſeph, ramus fœcundus ad fontem, imò duo rami, procedit uterque ultra morum.* Ubi habet textus Ebræus, בנות *banoth*, filiæ, duos ramos intelligunt, juxta inchoatam à ramis & frondibus metaphoram, quaſi ramuſculos duos, ſive propagines. Quia autem vocem pluralem בנות *banoth*, filiæ, ſequitur verbum ſingulare צעדה *tſaadah*, procedit, diſtributive accipiunt, pro unoquoque ramuſculo, ut ſit ſenſus, Joſephum, ex cujus poſteritate duæ tribus erant conſtituendæ, ſimilem eſſe arbori, ſeu ramo bifido, fonte perenni irrigato, & geminam ex ſe propaginem efferente, quæ utraque longe lateque ſe diffundat, atque adeo in latitudinem & altitudinem excreſcat, ut murum ſuperet, juxta quem arbor ſita ſit. Ita etiam accepit Chaldæus Paraphraſtes. *quaſi vitis plantata juxta fontem aquarum, duæ tribus egredientur de filiis ejus, &c.* Vulgata ſecundum membrum retulit ad pulchritudinem Joſephi, & filias intellexerunt Ægyptias, quæ murum tranſcenderunt, ut eum tranſeuntem poſſent contemplari. Sed quia hæc minus reſpondent primo membro, & continuationem metaphoræ interrumpunt, priorem interpretationem præferimus. Quid ſi murum accipiamus pro impedimentis, quibus fratres voluerunt præcavere, ne creſceret & augeſceret Joſeph, poſita veluti macerie, qua opprimeretur; quaſi diceret, etiamſi muro velut interpoſito, voluerint ſiſtere & impedire ejus progreſſus; tamen accrevit, & ramos ſuos ita extendit, ut murum interpoſitum tranſcenderit.

Huc referri poſſunt ſequentia verſ. 23. וימררהו *vajemareruhu*, ad verbum, *& amarificaverunt eum*; id eſt, *amaritudine affecerunt.* ורבו varóbbu, & *jaculaverũt in eum*, aut potius *jaculati ſunt*, וישטמהו בעלי חצים vajiſchtemuhu, & *oderunt eum domini ſagittarum*, id eſt, ſagittarii. Quæ etſi nonnulli de futuro accipiant, & ad poſteritatem Joſephi referant, ut ſit ſenſus, acerbos hoſtes illam habituram, qui hoſtiliter eam impugnaturi ſint, magis tamen ad perſonam Joſephi videtur referendum, & ad ſpicula & ſagittas invidiæ, quibus à fratribus fuit transfixus, & ab aliis poſteà in quorum manus devenit. Moris eſt in ſacris literis, verba dura, pernicioſa & exitialia, per ſimilitudinem nominare jacula & ſagittas, ut in Pſalmis, *ſagitta acuta lingua eorum.* Pſal. 55. ℣. 22. Talia fuerunt verba, quibus fratres Joſephum impetiverunt; quibus addita fuerunt verbera, carceres, & alia afflictionum jacula, in quibus omnibus Chriſtum præfiguravit, qui poſitus fuit *in ſignum contradictionis.*

Qua ratione autem hæc omnia ſuperaverit Joſeph, docet Jacob, ℣. 24. ותשב באיתן קשתו *vatteſcheb beethan Kaſchto*, & habitavit in forti arcus ejus. Eſt antitheſis mirandæ conſervationis & victoriæ Joſephi, in qua

arcus nomine fortitudinem ejus intelligimus, quæ dicitur ſediſſe in loco forti, quia non potuit ab adverſariis expugnari. Chaldæus refert ad arcum ſagittariorum de quibus immediatè actum erat, & illud ותשב *vateſcheb*, interpretatur *contriti ſunt, cum fortitudine arcus eorum*, id eſt, fortitudo eorum & ſagittandi peritia contrita eſt, quibus reſpondent ſequentia, *& diſſoluti ſunt nervi brachii eorum*: At obſtat affixum in textu Ebræo, quod ſingulare eſt utrobique, & ad alium referri non poteſt, quam ad Joſephum. ויפזו *vajjapozu*, roboraverunt ſe brachia ejus. Verbum פזז *pazaz*; nullibi reperitur in hac conjugatione præter quam hoc loco. In piel legitur, 2.*Sam*.6.℣.16.ubi LXX.vertunt ὀρχούμενον, *Saltantem*, Ergo פזז *pizzez*, fortiter ſaltavit; agebatur de Davide ante arcam ſaltante totis viribus. Volunt ſignificatione convenire cum עזז *azaz*, & ſignificare *confirmari, ſolidari*. Inde aurum ſolidiſſimum dicitur פז *paz*. ad quod reſpexit Targum, qui hic vertit, *imponetur aurum ſuper brachia ejus*. Sunt tamen qui aurum ſic dictum volunt quia ductile eſt, quod facile flecti & emolliri poſſit, ut hanc *diſſolvendi* ſignificationem ſervent, quam LXX. interpretes, & eos ſecutus vulgatus, hic uſurpant. qui id referunt ad vincula quibus adſtricta fuerunt in carcere brachia Joſephi, & manus, quæ diſſolutæ fuerunt, cum liberatus eſt. Sed *vincula* illa ſunt additititia, quæ in textu non comparent. Si autem omiſſis vinculis, dicamus *diſſoluta fuiſſe brachia ejus*, tunc in malam partem, potius quam in bonam poterit accipi, niſi dicamus *ſoluta* fuiſſe & expedita, ut adverſus jaculatores illos ſe defenderet, & tandem prævaleret. Qua ratione erit idem ſenſus, nec de verbis opus erit plurimum contendere. Comparatur enim Joſeph ſtrenuo jaculatori, cujus arcus non langueſcit, & cujus lacerti adeo firmi ſunt & expediti, ut arcum fortiter tendere, & longè jaculari poſſit. Ergo arcus ejus ſtetit in loco forti, id eſt, robur & præſidium ejus; Joſeph non cecidit animo, non elanguit, ſed permanſit conſtans & invictus.

Ne autem id viribus humanis factum fuiſſe quis cogitaret, oportunè addit Jacob, unde tantum roboris illi advenerit, quo in tam variis & adverſis rebus inconcuſſus perduravit; nempe מידי אביר יעקב *mide addir Iaacob*, è manibus potentis Jacob. Vulgata rectè, *per manus*. Eſt confeſſio potentiæ & protectionis divinæ; oſtendit enim non propria virtute ſtetiſſe Joſephum, ſed ſuſtentatum fuiſſe & roboratum Dei manu. Itaque ipſi Ægyptii evidentibus teſtimoniis convicti, agnoverunt Deum eſſe cum eo, in domo Putipharis, & in ipſo carcere; non ſolum quia non ſuccumbebat, ſed quia in omnibus proſperè ei ſuccedebant quæcumque ſuſcipiebat. Ut Joſepho agnoſcendum fuerit, quod Eccleſia de ſe teſtatur, Pſal.44.℣.7. *Non in arcu meo ſperabam, & gladius meus non ſalvabit me, ſed robur tuum Domine, & benevolentia tua.*

Appoſitiſſimè autem uſurpavit hic nomen אביר יעקב *abbir Iaacob* potentis Iacobi, ubi deſcribit eum, qui Ioſepho in calamitatibus adfuit. Reſpicit enim ad promiſſiones divinas, & ad virtutem promittentis cui omnia obediunt. Promiſſiones includuntur, in mentione *Dei Iacobi*; Eſt enim hæc fœderis clauſula; potentia & virtus divina, nomine *potentis*. Eodem ſenſu Eſai. 1. ℣.24. dicitur אביר *abbir Iſraël*. Eſt igitur *Abbir*, epithetum Dei, quod de eo dicitur κατ' ἐξοχὴν, ideo inter nomina divina ponitur ab Ebræis; in quo ſunt qui myſterium Trinitatis rimantur, quia tres ſunt literæ; א quæ אב patrem ſignificat; ב, בן *ben* quæ filium; & ר quæ רוח *ruach* ſpiritum. Et ſicut tres illæ literæ conſtituunt unum nomen; ſic tres illæ perſonæ ſunt unus Deus. Deinde ב eſt medium inter א & ר. ut filius medius eſt inter Patrem & Spiritũ, qui ab utroque procedit. Litera autẽ ב jungitur י quæ eſt prima litera nominis ישוע. Hæc ſunt Caballiſtica, quæ etſi apud eos qui myſteriũ illud norunt poſſint eſſe alicujus momenti, cavendum eſt tamen ne rei tantæ veritas, aliundè firmiſſimis argumentis conteſtata, apud adverſarios talibus ſpeculationibus expoſita, vileſcat potius quam confirmetur.

Ejuſdem ponderis eſt quod in ſequentibus verbis, משם רעה אבן ישראל *miſchſcham roé abhen Iiſrael*, inde paſtor, lapis Iſrael, in nom. אבן *ebhen*, ſpeculantur contineri duas dictiones אב & בן *ab & ben*, quæ patrem & filium ſignificant. Ut *paſtor abhen*, ſit paſtor *patris & filii*, id eſt, filiorum Jſraelis. Hæc enim ſoliditatis nihil habent. Quid autem hoc loco per paſtorem, & per lapidem Iſraelis intelligi debeat, merito queritur. *Inde*, inquit, eſt *paſtor*, unde? nempe ex illa divina protectione & conſervatione miraculoſa, factum eſt, ut qui penè oppreſſus fuerat Joſeph, factus fuerit paſtor, qui Iſraelem pavit in Ægypto tempore famis. Celebrat enim Iacob beneficium Dei, qui ſibi & ſuis de paſtore & educatore providit duriſſimo tempore. Sed quorſum nomen *lapidis*? qui in genitivo accipiunt, *lapidem Iſrael* intelligunt ipſum Jſraelem ſive Jacobum, cujus paſtor fuit filius Joſeph, qui eum cum ſuis in tutelam ſuam recepit, & cum tota familia aluit. Sic autem dictum volunt, quia dux fuit præcipuus Iſraelitarum, & totius familiæ baſis & fundamentum. Alii nomen lapidis referunt ad Deum ipſum, ut paſtor lapidis Iſraël, ſit ille, qui à Deo, lapide Iſraëlis, in paſtorem populi ſui electus eſt. Mirum eſt quid voluerint LXX. ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας Ἰσραὴλ παρὰ θεοῦ τοῦ πατρός. *Inde qui confortavit Iſraël, à Deo patris ſui.* Simpliciſſimum eſt ſi nomina illa *paſtor lapis Iſraël*; in recto caſu legamus, & per aſyntheton intelligamus ipſum Joſephum, factum paſtorem & lapidem Iſraëlis, quem pavit, quem tutatus fuit, cui poſſeſſiones & paſcua aſſignavit, cui firmamentum fuit; atque ita Chriſti typus & figura, qui ſimul & paſtor bonus, & Eccleſiæ angularis lapis factus eſt. Hanc interpretationem vidit Syracides, cap. 49. ℣. 17. ubi Joſephum appellat, *principem fratrum, firmamentum gentis, rectorem fratrum, ſtabilimentum populi*. Paſtor enim fuit ἀνὴρ ἡγούμενος τῶν ἀδελφῶν. Lapis verò, στήριγμα λαοῦ

firma-

firmamentum populi. hoc eſt *paſtor lapis Iſraëlis.*

Hactenus fuit deſcriptio certaminum Joſephi, & victoriæ quam reportavit, non virtute propriâ, ſed divina ope. Sequitur benedictio in futurum, quæ primum abſolutè denunciatur; poſteà comparatè exaggeratur & confirmatur. Declarat autem ante omnia, autorem benedictionis ſe non eſſe, ſed eundem illum, quem appellaverat *potentem Iſraëlis,* quemque eodem ſenſu dicit *patris Ioſephi Deum,* & *omnipotentem,* eodem inquam quo anteà ſenſu & ſcopo. Nempe ut teſtaretur ſe fide reſpicere fœdus quod ſecum & cum poſteritate ſua iniverat Deus. Item, quod de voluntate Dei certus, de eventu non dubitaret, cum eſſet Deus שדי *ſchadai* αὐτάρκης & omnipotens. Beneficia divina, quæ à Deo Joſepho promittit, per diſtributionem cauſarum naturalium declarantur, quia meminit tantum temporalium bonorum, quibus adumbrabantur ſpiritualia. Opponit *cœlum deſuper, abyſſo deorſum,* id eſt, partes duas mundi, ſuperiorem & inferiorem; Per benedictiones cœli, intelligit oportunas pluvias: per benedictiones abyſſi, fontium & fluminum terram irrigantium & fœcundantium commoditatem, ſub quibus aëris etiam ſerenitatem intelligimus; ex his terræ fertilitas, & frugum omnium abundantia. Additur etiam proventus ex arte paſtoritia, nomine benedictionum *uberum & vulvæ,* quibus intelligitur fœtificatio pecudum, & abundantia lacticiniorum. Non enim exiſtimo hæc referenda ad multiplicationem poſteritatis, de qua antea dictum fuerat.

Verſu XXVI. eaſdem benedictiones comparatè exaggerat, ſimulque earum firmitatem declarat. Comparatio eſt in his verbis. *Benedictiones patris tui* גברו gaberu, id eſt, *prævaluerunt ſuper benedictiones progenitorum meorum.* Benedictiones patrum, non debent intelligi paſſivè, pro benedictionibus quibus benedicti fuerunt, ſed activè, pro iis quibus ipſi filiis ſuis benedixerunt. Id confirmatur ex oppoſitione, benedictiones patris tui prævaluerunt præ benedictionibus eorum, id eſt, efficaciæ majoris fuerunt. Verbum enim גבר *gabhar,* præſertim ſequente על ſignificat prævalere & ſuperare. Senſus ergo eſt, eris felicior me, quia benedictiones quibus tibi benedico, ſuperabunt benedictiones, quibus benedixerunt mihi patres mei. Videtur alludere ad id quod antea coram Pharaone dixerat, *Dies peregrinationis ſuæ fuiſſe breves & malos.* Joſeph autem, etſi afflictus fuerit initio, tamen uſque ad extremum vitæ floruit in Ægypto, & ampla relicta familia, in pace obdormivit. Poſteritas autem ejus in magna autoritate fuit in populo Iſraëlis. Duo enim hic conjungenda eſſe ex eo patet, quod ſi ſolius poſteritatis ratio haberetur, non eſſet vera comparatio. In eo enim non potuit prævalere Joſeph, quia Iacobus fuit pater decem tribuum; ſed conjuncta ſorte perſonæ ipſius, cum poſterorum conditione, prævaluerunt benedictiones Jacobi in Joſephum, quia Joſeph multo fœlicior fuit Iacobo horum temporalium ratione. Stabilitatem bonorum promiſſorum ſequentia verba promittunt, עד האות גבעת עולם *ad tavath giboth olam,* uſque ad terminum collium ſeculi. Vulgata, *deſiderium collium æternorum.* In תאוה *teavah,* aliqui pro radicali litera ת accipiunt,. à תאה *taah,* alii, pro litera ſervili ab אוה *avah.* Hinc varietas illa verſionũ, pro termino, aut pro deſiderio. Paraphraſtes Chaldæus ſimiliter cum vulgata pro *deſiderio* accepit, & figuratè colles intellexit, principes, qui ſupra alios eminent. *quas,* inquit, *optaverunt Principes qui à ſeculo fuerunt.* Græci interpretes LXX. ſic habent, *Benedictio patris tui & matris tuæ prævaluit, ſuper benedictiones montium ſtabilium, & in benedictionibus collium æternorum;* ubi addiderunt nomen *matris,* & omiſerunt comparationem *patrum.* Sunt qui per *deſiderium* collium æternorum, ſecundum vulgatam, Chriſtum venturum intelligunt; ſed cur *deſiderium collium* dicatur, ita explicant, ut non ſatisfaciant. Dicunt, per *colles,* omnes creaturas intelligi, quæ expectant ſuam inſtaurationem per Chriſtum, & ad id referunt quod Rom. octavo dicitur de *expectatione creaturæ.* Sed non probant *colles* accipi pro omnibus creaturis, quia 1. nullum ejus rei proferunt exemplum. 2. locus quem afferunt, non ab omnibus accipitur pro creatura in genere. 3. Non introducuntur unquam aliæ creaturæ expectantes primum adventum Chriſti, ſed ſecundum illum in quo liberandæ ſunt à ſervitute corruptionis. Quod ſi *colles æternos* accipiant *ſymbolicè* pro patribus patriarchis & prophetis, quo etiam recurrunt, debent proferre aliquot exempla talis acceptionis, quod nunquam facient. Addo, nullam videri rationem dari poſſe, cur benedictiones Joſephi dicantur duraturæ uſque ad Chriſtum, ſive id intelligatur, quaſi tunc eſſent finiendæ; ſive illud *uſque,* etiam contineat earundem benedictionum poſt Chriſtum continuationem. Nam ſi de benedictionibus temporalibus agatur, ut certè agitur, illæ in Joſephi poſteris ante Chriſtum ceſſarunt. Si de ſpiritualibus, nulla ratio eſt cur Joſephi poſteris aliquid ſingulare promittatur, quia non videmus potiores in eo fuiſſe eorum partes.

Ego quidem vellem, hæc & alia commodè ad Chriſtum referri poſſe, ita ut rationes ſuppeterent, quibus contradicentes convincerentur; ſed qui numero pugnare volunt, & ubique de Chriſto agi contendunt, etſi zelo aliquo ducantur, non tamen Chriſtianis rebus benè conſulunt, dum omnia indiſcriminatim arripiunt, & certa cum incertis confundentes, autoritatem veris argumentis detrahunt, dum ea cum levibus conſociant. Mariana ſimpliciter agnoſcit, hæc verba uſque *ad terminum ſeu deſiderium collium æternorum,* nihil aliud ſignificare, quàm, *durabunt quamdiu erit mundus.* Et certè frequens eſt periphraſis perpetuitatis in ſcriptura, quæ ſimili phraſi exprimitur, ut Pſal. 72. ꝟ. 5. *quamdiu erit Sol & quamdiu Luna, &c.* Id referunt Trem. & Jun. ad promiſſiones ſpirituales & æternas, quæ conjungun-

junguntur cum terrenis, quia hæ illarum erant figuræ. Quæ commoda eſſet conſideratio, quia alioqui vix poterit veritas promiſſionis iſtius ex impletione confirmari, cum jamdiu ceſſaverint benedictiones temporales in Joſephi poſteris. Unum obſtat, quod videtur aliquid ſingulare promittere Joſepho, cujus tamen ſolius non fuerunt ſpirituales & æternæ benedictiones, ſed ipſius etiam Jacobi; & omnium ejus poſterorum, qui in fœdere manſerunt. Ideò qui de temporalibus benedictionibus intelligunt, eo recurrunt, quod tales promiſſiones tacitam habeant conditionem, obedientiæ nempe, & gratitudinis. Itaque cum talia bona Deus aufert propter hominum ingratitudinem, inter pœnas & maledictiones divinas illorum privatio habetur; ut ex cap. 28. Deut. conſtat. Hinc apud Hoſeam cap. 2. quia Iſraël non agnoverat dari ſibi à Deo frumentum & muſtum, oleam, argentum & aurum. *Ideò*, ait Deus, *recipiam frumentum meum tempore ſuo*. Et cap 9. *Da eis uterum abortientem, & ubera flaccida & arida.*

Sed omnibus expenſis, & comparatione facta cum benedictione Joſephi quam repetit Moſes Deut. 33. ℣. 13. & ſeqq. non videtur hic tam agi de comparatione collium, ratione durationis, quam ratione benedictionis, quæ in collibus & montibus ſæpè à Deo largius effuſa videtur. Sic igitur hunc locum reſolvendum putarem, Benedictiones patris tui prævaluerunt ſuper benedictiones genitorum meorum, *uſque ad deſiderium collium æternorum*, id eſt, tales erunt, ut etiam pretioſiſſima quæque & deſiderabilia, quę in collibus & montibus reperiuntur, in caput Joſephi & verticem ejus liberaliter defluant. Eſt enim comparatio, inter colles & montes & caput ac verticem Joſephi. Hæc aptiſſimè conveniunt cum verbis Moſis, qui Jacobi fuit interpres, ſic enim ille, Deut. 33. ℣. 14. 15. *Benedicta Iehovæ ſit terra ejus, à rebus pretioſis cœli, à rore & abyſſo ſubjacente, Item à rebus pretioſis proventibus Solis, à rebus pretioſis quas quæque Luna protrudit, Item à præſtantiſſimis rebus montium antiquiſſimorum, & à pretioſis rebus collium æternorum. Denique de pretioſis rebus terræ cum plenitudine ejus & beneplaciti Dei, inhabitantis rubum, veniant abundè ad caput Ioſephi, & ad verticem ſeparati ex fratribus ſuis.* Ubi apparet Moſem mutuatum fuiſſe ipſa Jacobi verba, & ea interpretatum eſſe, ubi de *collibus ſeculi* agitur. Itaque mira utrobique terræ & omnium ejus proventuum ubertas Joſepho promittitur. Ubi tamen non dubito, quin per illam liberalitatem temporalem, voluerit Deus mentes ſuorum ad potiora bona, ſpiritualia nempe & æterna, evehere.

Sed hic quæritur, cur Joſeph appelletur נזיר אחיו *nazir achaijv*, Naziræus fratrū ejus. נזר eſt *ſeparavit*, unde נזיר *ſeparatus* Naziræus. Fuerunt qui Naziræi fuerunt perpetui, ut Samſon; fuerunt alii ad tempus ex voto, ut legales, qui abſtinebant ab omni fructu vitis, à tonſione, & ab immundo legali, quamdiu votum eorum durabat. Talem Naziræum non fuiſſe Joſephum certum eſt. Nec hic dicitur abſolutè Naziræus vel ſeparatus, ſed *ſeparatus à fratribus ſuis*. Id poteſt intelligi de ſtatu Joſephi in Ægypto; cum enim fratres habitarent in Rhameſes, aut terra Goſen omnes, Joſeph ex munere quo fungebatur, fuit affixus aulæ, atque ita à fratribus ſuis ſeparatus fuit. Quod etiam referri debet ad conditionem, quia longè alia erat conditio Joſephi, quam fratrum in Ægypto. Unde LXX Deut. 33. ℣. 16. eadem verba vertunt, *δοξασθεὶς ἐν ἀδελφοῖς*, *honoratus inter fratres*. Obſervant etiam *Nazir* diadema dici, & qui illud geſtat *Nazir*, quem propterea Baal-Nazir appellitant. Senſus eſt ergo, *principis fratrum ſuorum*, ſive, eximii inter fratres ſuos, &c.

Exercitatio CLXXXV.

Benjaminus cur lupo rapaci comparatus. Comedere prædam, & ſpolia dividere, *victoriam promittunt. Lupi ſimilitudo qua ratione ad bona referri poſſit? Qui Græcis λυκόφρονες; Lupi robur. Hieroglyphicum fortis. Id ad ingenium totius tribus referendum. An de Paulo Apoſtolo qui Benjamita fuit, id ſit intelligendum? Negatur, & Cornelii Ieſuitæ immodeſtia caſtigatur. Barradii nugamenta rejiciuntur. Epilogo probatur tribuum ſortes hic fuiſſe deſcriptas. Cur* XII *tribus dicantur, cum* XIII *fuerint? Qua ratione ſub* benedictionum *nomine, prædicta omnia poſſint intelligi.* Congregari ad populum ſuum, *pro quorumvis mortuorum ſtatu. Ex his tamen probari, mortuos non planè interire. Cur in præcepto de ſepultura ſua tot circumſtantiis inhæreat? Finis mandatorum Iacobi, quonam referri debeat?* Colligere ad lectum pedes ſuos. *Deſcriptio εὐθανασίας. Inſulſa Iudæorum conſequentia. Collectio annorum Iacobi, & annorum mundi.*

AGmen claudit Benjaminus, filiorum Iacobi ultimus verſ. 27. quem comparat *lupo rapaci, manè comedenti prædam, & veſperi dividenti ſpolia.* זאב יטרף *zeeb jitroph*, Lupus rapiet, id eſt, *velut lupus*, rapiet. comedere prædam, & dividere ſpolia ad idem ſpectant, & per metalepſin victoriam ſignificant, quia hæc non fiunt niſi poſt adeptam victoriam. Sunt enim hæc, quæ victores victis ſolent facere. *Manè & veſperi*, ſignificant aſſiduitatem, ſed accommodatè ad lupi ſimilitudinem, quia manè & veſperi ad præ-

prædam potiſſimum egreditur.

Lupi ſimilitudo ſæpè in malam partem accipitur in ſcriptura,& in communi ſermone,ut & vulpeculæ ; hic tamen non cenſendum eſt id fuiſſe propoſitum Jacobo ; quamvis,cum ſpiritus S. eſſet organum, ſi mali aliquid portendiſſent hæc verba,non ea propterea continuiſſet. Nam etſi in Benjaminum affectu ſpeciali duceretur, ſatis tamen patet,nihil eum affectibus ſuis dediſſe in his propheriis , ſed ſimpliciter enunciaſſe ea quæ afflatu divino perceperat. Qua ratione autem Lupi ſimilitudo ad ſignificationem talem trahi poſſit,quæ non ſolum mala non ſit, ſed etiam in benedictionibus referri poſſit & debeat, quomodo hic cenſemus fieri, videndum. Non referam quod Apollinem ſeu ſolem, ſub lupi figura adoraverint Ethnici,propter aciem oculorum ſubtiliſſimam & acutiſſimam, qua noctis tenebras devincit, unde eſt quod etiam ante lucem ad prædam prodit, ideoque apud Athenienſes ſacri erant Lupi & inviolabiles, & mortui ſepeliebantur,quæ fuerunt gentilitiæ ſuperſtitionis. Sed notum eſt,Hieroglyphico lupi,militum naturam fuiſſe deſcriptam, quia enim pleriſque viris bellicoſis hic inſitus eſt mos ut ex rapto vivant,& convectare prædas ſtudeant,quod etiam inter præcipua virtutum ſuarum præconia ſolent magnificè prædicare ; Hinc eſt quod Græci poëtæ λυκόφρονας vocant ſtrenuos bellatores, quia validi ſunt lupi, & in fallendis hoſtibus aſtutiſſimi.Robur autem eorum plurimùm in armis eſt,ut inſinuat ille apud Plautum,

Quaſi lupus ab armis valeo,clunes infractos fero.

Ideo lupos, *Martios* appellavit Virgilius ; & Horatius *Martiales.* Unde adoleſcens apud Plautum, nomine Strabax,

Fuit Ædepol Mars iratus patri meo ; nam oves illius
Haud procul abſunt à lupis.

Hanc ſignificationem hic aptiſſimam eſſe judico, quia nihil aliud ſignificare voluit Jacob, niſi quod Benjamitæ, fortes,bellicoſi & robuſti eſſent futuri,quia lupus,cum fame premitur, & ad prædam egreditur, violentus eſt maximè,& fortiter ſe gerit. Promittit etiam fœlicem bellorum ſucceſſum, quia profligatis hoſtibus ſpoliis onuſti erant redituri.Quod etſi multi interpretes referant ad ſingularia quædam facta,ut ad Saulis &Mardochæi geſta,aut ad raptum concubinæ Levitæ, aut ad raptum uxorum poſt illam tribum profligatam ob ſcelus Gabaonitarum; melius tamen refertur generaliter, ad ingenium & morem totius tribus,quod bellicoſa eſſet futura,& de hoſtibus victoriam ſæpè reportatura. Et ſanè Benjamitas fuiſſe belli peritos & ſtrenuos,ſatis teſtatur Hiſtoria illa in libro Judicum de bello Gabaonitico,ſteterunt enim in acie vigintiquinque mille & ſeptingenti viri,adverſus quadringenta armatorum millia, ita ut unus Benjamita, ſexdecim ex aliis tribubus ſibi oppoſitos haberet.Illi tamē in duobus conflictibus adverſarios cæciderunt, in quibus triginta & octo adverſariorum millia neci dederunt.Et quamvis poſteà, Deo eos in mala cauſa deſerente,profligati fuerint,id tamen aſtu & ex inſidiis factum eſt,non aliorum viribus.Porrò de Gabaonitis qui ex illa tribu fuerunt, ſcribitur eos fuiſſe ſtrenuos & peritos, ita ut æque ſiniſtra manu ac dextra prælientur; tales vero funditores,ut fundis lapides projicerent,ſine ullo errore, vel ad tenuiſſimum capillum. Judic. 20.℣. 16.

Hic eſt genuinus loci hujus ſenſus.Nam quod Chald. Paraphr. id refert ad ſacrificia matutina & veſpertina, quæ fiebant in Templo Hieroſolymitano, quod conſtructum fuit in terra Benjamitarum,nimis dilutum eſt: & de tribu Levi melius diceretur,quam de tribu Benjamin,quia ad tribum Levi pertinebant, quæ in templo offerebantur, poſtquàm ea quæ Deo debuerunt in ſacrificium offerri,detracta eſſent.Multi ex patribus,quos magno conſenſu Pontificiorum interpretes ſequuntur, volunt hæc per allegoriam intellecta fuiſſe de Paulo Apoſt. qui fuit ex tribu Benjamin. qui primo manè, id eſt, in juventute ſua, quaſi lupus ſæviit in Chriſtum & Chriſtianos ; veſpere autem,id eſt, ſenior effectus,ſpolia gentium diabolo detracta, Chriſto & Eccleſiæ diviſit. Sed allegoriam illam, etſi ad rem ipſam quod ſpectat nulla ſit controverſia, huic loco non eſſe accommodam ex eo conſtat,quod neceſſarium eſt utrobique nempe tam in ſecundo quam in primo membro, eadem ratione interpretari tam prædæ matutinam comeſtionem,quam ſpoliorum veſpertinam diviſionem : ut ſi una pars in laude ponatur & benedictione, ſic altera,& contra. Qui autem allegoricè de Paulo dicta putant, aliter planè judicant, quaſi comeſtio prædæ, mala fuerit; diviſio autem ſpoliorum,bona.Meritò igitur Calvinus, *Noſtri parum aptè ad Paulum Apoſtolum torquent , qui ex lupo converſus eſt in diſpenſatorem.* Quæ modeſtiſſima viri doctiſſimi verba immerito arrodit Jeſuita Cornelius, quaſi *ogganniret* hic Calvinus.

Alius Jeſuita Barradius hanc benedictionem in maledictionem convertit, dum vult poſſe eam explicari de ſacerdotibus ac Phariſæis, qui in Jeruſalem erant, & in urbe ipſa Chriſtum,inſtar luporum occiderunt.Quia Jeruſalem erat in tribu Benjamin. Vaticinari ergo Jacobum ſummum civitatis illius ſcelus, cum Chriſtum neci dedit. Manè enim comedit prędam, ut lupus, quia matutino tempore, Meſſiam ad tribunal Pilati & ad crucem adduxit ; veſpere diviſit ſpolia, quia poſt meridiem veſtes ejus inter milites fuerunt diviſæ. Vel quia veſperè [illegible] occiſum Meſſiam ſacerdotes gaviſi ſunt. Juxta illud Iſaiæ 9. *Lætabuntur ſicut victores capta præda.* nempe, hoc eſt acu rem tangere. Quos talium nugarum non pudet, quid ab iis expectari debeat,judicet prudens & pudens lector.Nam refutatione indigna ſunt.

Verſ.28. continet Epilogum, vaticiniorum Jacobi narrationis,quo oſtendit Moſes, prophetias illas non tam ſpectaſſe Patriarcharum perſonas, quam ipſas tribus ex

bus ex eis oriundas. *Omnes iſtæ*, inquit, *ſunt tribus Iſraël duodecim, & hoc quod locutus eſt eis pater eorum.* Nondum erant tum Iſraëlitæ diſtincti in tribus, ſed Moſes reſpectu habito ad ſtatum eorum quo tempore ſcribebat, docet Prophetias illas ſpectaſſe tribus venturas, ut unaquæque, non tam perſonæ patris ſui in ea re adhæreret, quam cogitaret prædictum ſibi fuiſſe, ſub patris nomine, quid ipſi expectandum eſſet venturis temporibus, cum mitterentur in promiſſæ terrę poſſeſſionem. Id autem addi oportuit, ut tanto magis agnoſceretur iſtorum vaticiniorum majeſtas, & divina vis Sp. Sancti adoraretur, certiſſimè prædicentis tam procul remota, & ab humano ſenſu prorſus abſcondita, non tantùm præſentibus Iſraëlitis, ſed venturis ex iis populis.

Duodecim autem tribus enumerantur, vel quia Ephraim & Manaſſe enumerantur tanquam tribus una, in uno Joſepho patre; vel quia Moſes rationem habuit partitionis terrę promiſſæ in duodecim tantum partes diſtribuendæ, quia Levitis non erat aſſignanda propria pars. Alioqui enim tredecim fuerunt. De iis quæ ſequuntur dubium eſt an ſint conjungenda, an ſeparanda, id eſt, an quod loquutus eſt illis ſupra, idem ſit, cum cum eo quod additur, *& benedixit eis, unicuique ſecundum benedictionem ſuam*, An vero præter vaticinia de quibus dictum eſt, ad unamquamque tribum pertinentia, addiderit benedictiones perſonales unicuique filiorum ſuorum, quarum verba Moſes brevitatis ſtudio omiſerit, quia pręcipuè voluit ea narrare quæ non tam perſonalia erant, quam totius populi communia. Hic interpretes in varias ſententias diſtrahuntur. Sunt enim qui quæ hactenus dicta ſunt, nolint eſſe benedictiones, cum prædicta nonnullis fuerint, quæ maledictiones potius videantur. Exiſtimant ergo voluiſſe ſanctum virum, poſt ea quæ propheticè denunciaverat, unicuique precari benè, paterno affectu, ut ſi ex præcedenti oratione, aliquorum animi eſſent exulcerati, ſubjunctis benedictionibus mitigarentur. Et certè probabile eſt bonum ſenem, unicuique filiorum ſuorum benè fuiſſe precatum, eiſque mandata dediſſe de pietate in Deum, deque pace & concordia inter ſe. Nihilominus quod alii ſentiunt, benedictiones unicuique proprias intelligi debere de præcedentibus prędictionibus, verius mihi videtur; Nam verba illa, איש אשר כברכתו *Iſch aſcher cebircatho* viro, id eſt, unicuiq; ſecundum benedictionem ſuam, non poſſunt intelligi de benedictione affectus paterni qua benè precatus eſt illis, quia tales ferè ſunt communes, ſed de futuris eventibus, quales unicuique accidere debuerant. Id enim quandam Emphaſim habet, quod propria & peculiari unicuique benedictione, atque conveniente benedixit, juxta id quod eventurum erat. Sic enim evenit prout prædixit, qui non ca-ſu, aut ex ingenii bonitate per probabiles conjecturas prædicta protulit, ſed agens Dei perſonam, denūciavit. Sic ſupra cap. 40. ℣. 4. *ſomniarunt ſomnium ambo*, איש כפתרון חלמו *Iſch kephithron chalomo*, quiſque ſecundum interpretationem ſomnii ſui.

Objiciunt, Tribus primis non tam benedixiſſe quam maledixiſſe videri poſſe. Reſpondemus, eo ipſo tamen benedictionem accepiſſe, quia hæreditas & habitatio inter fratres eis relicta eſt, & ipſi quoque in fœdere divino fuerunt comprehenſi. Præterea, non dubitandum eſt, correctiones durioribus verbis denunciatas, ceſſiſſe in bonum patriarcharum, & profuiſſe poſterorum emendationi; ut ſolent pœnæ temporales in ſanctis, qui ad Deum ſerio convertuntur, quaſi mutata ſua natura, in beneficia Dei converti, & inter divinas benedictiones reputari. Tunc enim non ſolum fit ut abſorbeatur ſenſus maledictionis, ſed etiam ut caſtigando & corripiendo magis benedicat Deus, quam ſi parceret. Nam ſanguinis emiſſio, cauterium, abſciſſio partis corruptæ, ſæpè plus ad ſanitatem conducunt, quam ſi leniter & leviter, plagæ manum admoveret Chirurgus.

A verſu 19. uſque ad 23. repetitur mandatum Jacobi de ſepultura ſua. Quod enim antea injunxerat Joſepho, & ab eo ſtipulatus erat, quem ad id juramento adegerat; idem nunc omnibus filiis ſuis injungit. Non quod non fideret Joſepho, cujus præcipuas partes eſſe ſciebat, ut dum diximus, ſed ut alii, fratri adſint in hoc ultimo officio, eumque eo libentius comitentur, quod non potuerunt ignorare quænam fuiſſet poſtrema parentis ſuper ea re voluntas. Sanctus ſenex de fine cogitat, quem proximum prævidens non horret, quia novit cui credidit. De eo loquitur tanquam de jucunda migratione, non hortatur ad luctum, non petit ſuffragia precum & votorum poſt obitum ſuum, ſed tantum aptum ſepulturæ locum in terra Canaan, ob rationes quas anteà expoſuimus, & quas repetere opus non eſt. *Ego*, inquit, *congregor ad populum meum* נאסף אל עמי neeſaph el ammi. *Populum ſuum* appellat patres qui eum pręceſſerant; eſtque ſenſus, brevi hinc exceſſurum, & cum patribus ſuis collectum iri. Sic infra in fine cap. ויאסף אל עמיו *vaijeaſeph el ammav*, & aggregatus eſt ad populos ſuos. Torſerunt ſe multi interpretes de populo vel de populis ad quos cōgregabantur morientes, an Angelorum fuerint legiones; an fidelium omnium qui eos præceſſerant animæ, & de ſuo limbo hic ſomnia ſua ſuaviter narrant Pontificii plerique. Sunt qui hanc phraſim de ſolis piis, electis & ſalvatis intelligi velint; fuerunt inter Pontificios, qui eos tantum, qui omni labe & macula exempti, à purgatoriis flammis liberi erant. Nugæ. Rectè Pererius hic manum dat Ebraiſmi peritis, qui notant, hanc & ſimiles phraſes in ſcriptura, ſignificare ſtatum quorumvis mortuorum, qui terram viventium, & converſationem præſentis vitæ relinquētes, non amplius inter vivos numerabantur, ſed inter alios cenſebantur, qui fato functi, nullam amplius partem habebant in hac ſocietate civili. Quod in N. Teſtam. dicitur tranſire ex hoc mundo, dormire, &c. Sed niſi aliquid aliud jungatur, non poteſt ex hac ſimplici phraſi

phraſi definiri conditio eorum qui obdormierunt, an bona ſit vel mala, quod ex circumſtantiis colligendum eſt. Id tamen rectè colligitur, mortuos non omnino interire, & poſt hanc vitam eſſe aliquam ſocietatem ſive in beatitudine, ſive in pœnis; animas proinde eſſe immortales. Certè de brutis nunquam id dicitur, in quorum morte collectionis & ſocietatis nulla mentio eſt. Id rectè animadvertit Theodoretus, quæſt. ultima in Geneſim, *Διὰ δὴ τούτων τῶν λόγων ἠνίξατο τὴν ἐλπίδα τῆς ἀναστάσεως. εἰ γὰρ παντάπασι διεφθείροντο καὶ μὴ εἰς ἕτερον μετέβαινον βίον οὐκ ἂν εἶπε, προσετέθη πρὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.* id eſt, *His verbis inſinuat ſpem reſurrectionis, ſi enim homines prorſus interirent, neq; tranſirent ad aliam vitam, minimè dixiſſet appoſitus eſt, ſive aggregatus ad populum ſuum.*

In præcepto de ſepultura ſua, mirum videri poſſet, cur tot circumſtantiis inhæreat, locumque filiis ſuis omnibus ſatis notum, tam prolixè deſcribat, ita ut non ſolum nomen loci *Mamre*, ſpeluncam etiam exprimat, ſed repetat præthereà jus acquiſitionis; à quo, per quem; in quem finem; meminerit denique ibi ſepultorum, Abrahami, Saræ, Iſaaci, Rebecæ, & tandem Leæ uxoris. Hæc tamen, etſi nota, otioſa eſſe non poſſunt, & rationes ſuas habuit vir ſanctus, cur hæc ita ſigillatim enumeraret. Scopus ejus is fuit quem anteà explicavimus, ſuorum animos avertere ab Ægypto, & in iis excitare deſiderium terræ promiſſæ, ut quo videbant patrem aſpirare, fide tendere, ſigno fidei ſuæ propoſito, in deſiderio ſepulturę in ea terra, etiam ipſi ſemper aſpirarent, idemque deſiderium poſteris ſuis imprimerent.

Explicat autem qua ratione in jus ſuum tranſierit locus ille, ne putarent propter diutinam abſentiam nempe annorum decem & ſeptem, in alias manus tranſiviſſe, aut non facile diſtingui poſſe. Non eſt veriſimile, eos tunc temporis uſos fuiſſe ſcriptis tabulis cum aliquid acquirerent. Ea videtur ratio cur ita omnia enumeret Jacob, ut nempe ſi metuerent ne aliquis eis litem intenderet, evincere poſſent argumentis ex circumſtantiis, non ſe aliena re uti tanquam ſua. Eo etiam ſpectare videtur enumeratio ſepultorum in eadem ſpelunca, ſic enim planè tranſierat locus *in poſſeſſionem ſepulchri*, ut ipſe loquitur.

Sed prætereà exemplum deceſſorum ſuorum & charorum voluit proponere, ut oſtenderet, non tunc primum ſibi hoc veniſſe in mentem, ſed ita à majoribus edoctum fuiſſe, idque, ut plus ponderis haberet mandatum, præſertim cum moris illius origo ab Abrahamo arceſſeretur; qui, cum in eo, notam aliquam gratiæ Dei & fidei ſuæ voluit in ipſa morte remanere; non poterat facti illius imitatio negligi, ſine poſterorum præjudicio.

Verſ. 33. *finivit Iacob ad præcipiendum filiis ſuis*, Ita habetur ad verbum, ויכל לצות בניו *vajecal lethſavvoth banav.* Vulgata, *finitiſque mandatis.* Aliorum non meminit Moſes, quam iſtius de ſepultura. Poſſunt tamen hæc verba referri ad omnia præcedentia, & alia etiam intelligi quæ Moſes non expreſſit, quæ familiæ ſtatum tunc temporis ſpectabant, & partitionem præſentium bonorum, ut ſupellectilis & pecudum quæ in Ægypto poſſidebat Jacob. Inſinuat enim, Jacobum ante quàm expiraret, omnia quæ voluit, velut per otiũ ſtatuiſſe, & præcedentia dixiſſe quaſi ſanus & incolumis fuiſſet, & mortem in poteſtate ſua habuiſſet.

ויאסף רגליו אל המטה *vajjeaſoph raglav el hammittah*, & collegit pedes ſuos ad lectum. Loquitur de Jacobo ſcriptura; ut de eo qui ſe ad ſomnum capiendum componeret. Anteà dictum eſt, cum Joſephum vidiſſet, cõfirmaſſe ſe, & ſediſſe in lecto. Et dubium non eſt, quin erectus ſederit in lecto, quamdiu prophetavit, ut melius adſtantes verba ejus perciperent, ſic eum confirmante Deo, ut vaticinia ejus fidem & reverentiam majorem acquirerent apud ejus filios. Tandem opere illo completo, cum eum deſererent corporis vires, membra ſua quo volebat dirigens, pedes ſuos in lecto compoſuit, & *expiravit.* ויגוע *vajjigva*, גוע *gava*, apud Ebræos accipitur, pro placidè & quietè mori, ut iis accidit, qui ſine morbo & dolore diuturno facile expirant. Eſt deſcriptio *εὐθανασίας* ſancti viri, cujus vita fuerat laborioſa, mors autem tranquilla & optatus portus poſt varias agitationes.

Exemplum maximè conſiderandum, ut ad ſimilem expirationem aſpirent omnes pii, à Deoque petant, ut placidè & quietè animam Deo reddere poſſint, poſt editam fidei ſuæ confeſſionem. Quod autem ex hoc loco colligunt Judæi, Jacobum non fuiſſe mortuum, quia hic ſcriptura non utitur verbo *moriendi*, id planè inſulſum eſt. Supra enim dixerat Jacob, *En morior*, & infra cap. 50. ℣. 15. *cum vidiſſent mortuum eſſe patrem ſuum.* Idem ergo valet *expiravit*, quod *mortuus eſt*, quamvis *expirare*, ut diximus, facilem mortem ſignificet.

Hęc fuit periodus vitæ Jacobi, qui natus eſt anno mundi 2108. Ante Chriſtum 1840. ætatis Iſaaci patris 60. Abrahami avi 160. Vixit annos 147. cum Abrahamo annos quindecim. cum Iſaaco centum viginti, viditque Joſephum 56 annos natum. Obiit 600. annos poſt diluvium, & 250. à morte Noachi. 70 anno poſt viſionem ſcalæ cœleſtis, à lucta & appellatione Iſrael, 50. anno mundi 2255. ante Chriſtum natum, 1693.

AD CAPVT L.

Exercitatio CLXXXVI.

Summa Capitis ultimi. Luctus mortuorum ceremonialis & nativus. Quouſque lugere mortuos non debeamus? Quid privatum dolorem in Ioſepho augere potuerit? Objectio ſolvitur. Dictum Auguſt. notandum. Cur Ioſeph oſculatus fuerit mortuum? Id non favere ſuperſtitioni circa reliquias. Medici *nomen quam latè patuerit Ebræis?* ἐνταφιασταὶ *Græcis. Quid ab iis differant qui terræ mandabant? Ægyptiorum in condiendis cadaveribus cura & ſumptus.* Caromomia *ſive* mumiæ. *Deſcriptio modi quo condiebant, ex Herodoto, & Diodoro Siculo. Quomodo* medici, *vocentur* ſervi. *Cur Aegyptii etiam luctu ceremoniali Iacobum ſint proſequuti? An Ioſeph morem illum ſequi debuerit, inquiritur. Notanda Antonii cenſura in Chriſtianos cadavera mortuorum condita aſſervantes. Quid in talibus cavendum? Cur Ioſeph aliorum opera uſus fuerit in venia impetranda corpus patris in terram Canaan transferendi? Quomodo dicatur Iacob ſibi fodiſſe ſepulchrum in terra Chanaan. An peccaverit Ioſeph in hac cautione? Negatur, & contraria cenſura rejicitur. Religio juramenti etiam apud Ethnicos magna.*

Capite quinquageſimo, quod ultimum eſt, tria continentur. 1. Ea quæ circa Jacobi mortuum corpus facta ſunt; 2. Quæ inter Joſephum & fratres ejus tranſacta. 3. Joſephi mors & ſepultura.

Mortem charorum ſequitur luctus; luctum autem ſuprema officia, quæ juſta vocarunt Latini, quod juſtè fierent iis, qui de nobis benè merentes mortui fuerant. In quibus officiis teſtatus eſt Joſeph reverentiam ſuam & amorem erga patrem. Luctus ejus, iſque non ceremonialis de quo poſteà, ſed nativus, & ex affectu, deſcribitur verſ.1. *Cecidit ſuper faciem patris ſui, flevit ſuper eum, & dedit oſcula.* Hi geſtus verum & ſerium dolorem, φιλοστοργίαν ac commotionem intimorum viſcerum in Joſepho conteſtantur. Certo quidem ſtatuebat parentem in Dei gratia diem obiiſſe, animam ejus in beatas ſedes eſſe tranſlatam: ſed dandum aliquid fuit στοργαῖς, animis hominum à natura inſitis, quæ à ſanctis non tolluntur, etſi in iis ſanctificentur & perficiantur. ויפל *vajjippol*, & cecidit ſuper faciem patris. Vulgata, *ruit ſuper faciem.* Non malè, quia caſus ille non fuit ex defectu vel deliquio animi, ſed ex affectu & voluntate; itaque hoc verbum non accipiendum eſt in paſſiva ſignificatione, ſed activa, quod projecerit ſe in faciem patris, nempe ut adhuc amplecteretur mortuum, & teſtaretur quam difficulter ab eo avelleretur; prætereà, ut omnes alios præoccuparet, in hoc officio præſtando, de quo cap.46.℣.6. *Ioſeph imponet manum ſuam oculis tuis.*

Multæ ſolent adduci rationes cur mortuos lugere non debeamus, maximè inter fideles & pios, ne gentes quæ ſine ſpe vivunt & moriuntur, importunis lamentis æquent; quia non ſperandum nobis eſt, Ethnicos & alios infideles, crredituros vera eſſe, quæ de immortalitate animarum & reſurrectione corporum profitemur, & non potius ſimulata, ficta & fucata, ſi videant nos de mortuis tam ſollicitos. Verbis enim fidē aſtruerent, qui factis everterent. Huc reſpiciens Paulus, 1 Theſſ.4.13. *Nolumus ignorare vos fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Hac ſpe non caruiſſe Joſephum certum eſt, nec porro peccaſſe immoderato luctu quem Paulus in fidelibus damnat. Sed humanitatis ſenſum piis hominibus detrahere noluit, quaſi ferreos & ſaxeos eſſe juberet; in quo vetando non profeciſſet, cum naturam in hac vita exuere ſit impoſſibile. Majus id eſt quam pro humana conditione, ut in charorum funere nihil ſentiat homo mortalis. Humanum eſt dolere abſentiam eorum quos diligimus; imò cum ad majores opes vocantur, & lautiorem in hac vita fortunam, illorum profectionem, & noſtram ſolitudinem lamentamur. Ipſa jumenta, cum quibus diu onera geſtarunt, eorum gaudent ſocietate, abſentiam requirunt. Boves etiam viſi ſunt, jugalibus vel extinctis vel diſtractis, macilenti redditi, & minus ad laborem apti; tanta continuatæ ſocietatis vis eſt. Hunc mortuos lugendi affectum, non ſolùm probat Syracides, ſed etiam commendat, Eccleſiaſtici cap.32.℣.16. *Fili mi*, inquit, *cum quis moritur, defle eum & luge, ut qui acceperis magnum dolorem.* Ubi cauſam luctus refert, non ad damnum mortui, ſed ad dolorem ejus qui amiſit. Hoc officium ipſe Dominus noſter non neglexit, eo ipſo tempore quo ſe accingebat ad mortuum reſuſcitandum. Nam ad ſepulchrum Lazari effudit lachrymas, & aliis lachrymantibus ſe cōjunxit, quod in ſignum amoris interpretatum fuit. Joan.11.℣.35. Non igitur dolor inhibendus, qui enim liceret? ſed modus præcipiendus, ne ſint diuturnæ lachrymæ, ne immodicæ, ne curationis deſperatæ. Quæcumque

cumque enim vel ex ſcriptura vel ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus adverſus luctum defunctorum afferri ſolent, ea omnia de luctu immoderato ſunt accipienda, qui vel ex impatientia, vel ex diffidentia oritur, ac debitum excedit modum. Alioqui moderatus ac decens luctus à Deo in ſcripturis non improbatur, ſed Stoica potius ἀπάθεια & ἀναισθησία vitio vertitur, ac projectæ ſecuritatis argumentum ſtatuitur, ſi quando *juſtus perit, & nemo conſiderat.* Eſai 57. verſ. 1. Ideò occiſo Stephano protomartyre, *luctum magnum inſtauraſſe pios*, docet Lucas, Act. 8. verſ. 2. nempe, ut ibi notat Oecumenius, *quod ſe tanto præfecto, tanto patrocinio, tanta doctrina, tantiſque ſignis privatos, conſpicerent.*

Non dubium eſt, privatum dolorem in Joſepho auctum fuiſſe ſollicitudine de futuro Eccleſiæ ſtatu, quæ morte parentis triſte vulnus acceperat, orbata tanto Patriarcha, rectore, & paſtore. Ex cujus ore, cum anteà dulciſſima de Deo doctrina promanarit, non immerito flet illud occluſum. Certè, quod viri ſancti maximè luxerunt, cum è proborum numero aliquis morte abripiebatur, id eos urebat maximè, quod eo detracto, imminuebatur inſignium virorum numerus, Eccleſiæ Dei utiliſſimorum.

Quod ſi quis obiiciat, de voluntate Dei de quâ nobis ex eventu conſtat, non eſſe lugendum; ex charorum autem morte, conſtare ita Deo placuiſſe, proinde ita acquieſcendum, ut nullum contrarii deſiderii motum ſentiamus; id quidem concedo, ſi ſimpliciter ad voluntatem Dei reſpiciamus, nullo alio reſpectu habito. Sed ſi in illo voluntatis Dei effectu, ſentiamus nos propter peccata caſtigari; contemplemur humanæ vitæ miſeram conditionem, jacturam noſtram deploremus, quis culpabit, ſi acquieſcentes quidem & ſubſcribentes Dei voluntati, mœrore tamen afficimur in ſenſu caſtigationis paternæ? Placet illud Auguſtini lib. 19. de civit. Dei cap. 8. *Quorum nos vita propter amicitiæ ſolatia delectabat, unde fieri poteſt, ut eorum mors nobis nullam ingerat mœſtitudinem? quam qui prohibet; prohibeat ſi poteſt amica colloquia, interdicat amicabilem ſocietatem, vel intercidat affectum omnium humanarum neceſſitudinum; vincula mentis immiti ſtupore diſrumpat, aut ſic eis utendum eſſe cenſeat, ut nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod ſi fieri nullo modo poteſt, etiam hoc quo pacto futurū eſt, ut ejus nobis amara mors non ſit, cujus dulcis vita fuit? Hic eſt enim & luctus quidam, & in humano corde quaſi vulnus, aut ulcus, cui ſanando adhibentur officioſæ conſolationes.*

Quod autem Ioſeph patrem recens mortuum, priuſquam conditeretur, oſculatus eſt, id referri non debet ad aliquem religioſum actum, ſed ad naturalem affectum, quo ductus fuit, ut vultui nunquam poſteà videndo oſculum daret extremum, & ſuum teſtaretur amorem erga parentem. Id nullo modò favet illorum ſuperſtitioni, qui ritu religioſo & flexis genibus, oſſibus eorum quos ſanctos fuiſſe putant dant oſcula; nec oſſibus tantùm, ſed rebus omnibus quas exiſtimant eorum corpora aliquando contigiſſe. Qua de re Eraſmus in *peregrinatione*, ſic Menedemum loquentem introducit, *dictu mirum, quantum oſſium illinc prolatum ſit* (loquebatur de ſacrario Cantuarienſi) *calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oſcula, nec erat futurus finis, niſi qui tum mihi comes erat peregrinationis parum commodus, interpellaſſet oſtentandi ſtudium.* Nihil inquam tale fuit in Ioſephi facto, qui nec parentem defunctum religioſè adoravit, nec in eum finem oſcula dedit.

Nunc quid cum cadavere factum ſit, exponit Moſes. *Præcepit Ioſeph ſervis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem.* הרפאים *harophe im,* רפא *raphá* propriè, dolorem mitigare, ſanare, curare, &c. ſignificat. Inde nomen רופא *rophè*, medicus, de eo qui procurat ſanitatem vivi hominis propriè accipitur. Hic autem ſignificatione communi, pro iis omnibus qui corpus humanum diſſecant, ſive vivum ut aliquod membrum abſcindant, ſive mortuum, ut aperiant, & à corruptione conſervent, quod etiam apud nos faciunt chirurgi, qui non ignobilem medicinæ partem exercent. Ad medicinam etiam pertinet, aromatum cognitio & præparatio, ut pro ratione proprietatum, unicuique parti applicentur. Græci interpretes hic ἐνταφιαστὰς verterunt, aptiſſimo vocabulo, cui reſpondens omni ex parte non habent Latini. Eſt enim ἐνταφιάζειν cadaver ad ſepulturam parare, quod differt à θάπτειν, quemadmodum ταφεὺς qui & νεκροθάπτης & libitinarius, ab eo qui ἐνταφιαστὴς, quem *pollinctorem* vocant. Quamvis interpretes latini ſæpè hæc verba confundant. Ut Joan. 19. ℣. 4. *Acceperunt ergo corpus Ieſu, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Græcè habetur ἐνταφιάζειν. Et Marc. 26. ℣. 12. *ad ſepeliendum me fecit*, Græcè πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με. Auguſt. lib. 1. Locutionum, Tom. 3. hoc diſcrimen eruditè obſervat, *Non invenit*, inquit, *lingua latina quemadmodum appellaret* ἐνταφιαστὰς. *Non enim ipſi ſepeliunt*, id eſt, *terræ mandant corpora mortuorum, quod Græcè non* ἐταφίασαν, *ſed* ἔταψαν. *Illi ergo* ἐνταφιασταὶ. *id agunt, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel ſiccando, vel involvendo, & alligando: in quo opere maximè Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergò dicit etiam ſepelierunt; curaverunt, intelligere debemus, & quod dicit quadraginta dies, ſepulturæ ipſius curationis accipiendæ ſunt, ſepultus enim ille non eſt, niſi ubi ſe mandaverat ſepeliri.* Explicabat Auguſt. hunc locum, ſecundum verſionem Latinam tum vulgatam, quæ ex Græco LXX. expreſſa, ubi illi habent, ἐνταφιασταῖς, ἐνταφιάσαι, ἐνεταφίασαν, τῆς ταφῆς, vertit ſepultores, ſepelire, ſepelierunt, & ſepulturæ. Quæ Hieronymus rectè mutavit, *præcepit ſervis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem, Quibus juſſa explentibus, tranſierunt quadraginta dies; iſte quippe mos erat cadaverum conditorum.*

לחנט *lachanot*, Arias vertit ad verbum, *ad balſamandum.*

mandum. Non reperitur alibi in hac ſignificatione pro eo quod eſt condire aromatibus corpora mortuorum. Alibi enim חנט *chanat* ſignificat, producere ſive protrudere fructus, cum primum poſt florem emergunt, quæ ſignificatio huc non pertinet. In aliorum piorum funeribus in terra Chanaam, mentio nulla facta fuit hujus moris condiendi aromatibus cadavera: ut minimè credendum ſit id à ſanctis patribus ortum habuiſſe, ut ſymbolo externo teſtarentur fidem ad ſpem ſuam de futura mortuorum reſurrectione. Crederem quidem cum ex Ægyptiorum conſuetudine id uſurpaſſent, poſteà etiam curam illam circa defunctorum corpora ad eam ſignificationem retuliſſe. Nam ex multis aliis locis poſt hæc tempora conſtat, Iſraëlitas circa corpora præſertim honoratiora expenſas illas feciſſe; quod etiam teſtatur hiſtoria ſepulturæ Chriſti, quibus præſertim videntur teſtari voluiſſe ſuum erga defunctos affectum.

Ægyptios in tali officio reliquas omnes ſuperaſſe nationes, non ſolùm ex hiſtoriis conſtat, ſed etiam ex effectu. Nullibi enim reperiuntur effoſſa cadavera integra à multis retro ſeculis ſervata, ut fit in Ægypto communiter. Inde enim afferuntur condita illa corpora, quæ *caromomia*, aliis *mumiæ* appellantur, quorum etiam nonnulla hic apud nos viſuntur ex Ægypto tranſmiſſa. Hanc enim vim habent mixtiones ex myrrha, aloë, cedromelle, ſale, cera, bitumine & reſina, ut à corruptione corpora tueantur, ita ut ſemel benè condita nunquam putreſcant. Morem ab Ægyptiis ſervatum in condiendis cadaveribus ſic deſcribit Herodotus in Euterpe, id eſt lib. 2. ut tribus modis id fieri conſueviſſe narret, pro ratione eorum qui cum pollinctoribus de pretio convenerunt, nam pro ratione pretii, & lautioris vel tenuioris fortunæ, variat etiam condiendi ratio. Pretioſiſſima eſt illa, quam primo loco deſcribit. *Ante omnia*, inquit, *incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rurſus odoribus contuſis proluunt; tum alvum complentes contuſa myrrha pura, è caſia, & aliis (excepto thure) odoribus, iterum conſuunt. Vbi hæc fecère, ſaliunt nitro abditum ſeptuaginta dies, nam diutius ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta diebus, cadaver ubi abluerunt, ſindone byſſina totum inciſis loris involvunt, gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſumque ita reponunt.* Hæc ille.

Non diſſimilia habet Diodorus Siculus Bibliothecæ hiſtoricæ lib. primo; niſi quod plures *triginta* diebus in iſtiuſmodi conditura inſumi ſcribit, quod magis accedit ad *quadraginta* dies, quorum hic meminit Moſes. Nempe tempus aliquod erat neceſſarium, quo paulatim penetrarent aromata, & nitrum, & viſcoſa ac pinguia conſumerent. Nec dubitandum, pro ratione cadaverum, plures aut pauciores dies fuiſſe adhibitos. Ideò non definiunt iſti autores, quorum unus dicit, non licere diutius ſeptuaginta diebus corpora ſalire; alius, plures diebus triginta inſumi conſueviſſe; quia videntur voluiſſe determinare plus vel minus; infra vel ultrà quod tempus non licebat vel finire, vel prorogare. Cum autem Jacob ſenex fuerit, & corpore attenuato, potuerunt ſufficere dies quadraginta.

Hic notant quidam, *ſervos* vocari medicos, & ſervorum loco habitos fuiſſe apud Ægyptios. Quod ſi ſervorum nomine intelligant mancipia, id quidem verum eſt aliquando apud Romanos tales medicinam factitaſſe. Qui enim emptitios multos habebant ſervos, potuerunt etiam inter eos nonnullos habere medendi peritos: cum ſervis etiam uterentur in liberis ſuis erudiendis. Non ſequitur tamen hanc fuiſſe ſervilem operam. Hic non mirum eſt, ſi medici vocentur *ſervi Ioſephi*, qui in Ægypto ſecundus erat à Rege. Alioquin in magno honore fuiſſe qui cadavera condiebant, teſtatur in loco allegato Diodorus. *Eos*, inquit, *qui cadavera condiunt omni honore atque cultu dignantur, nam ſacerdotibus familiares ſunt, & in ſacrarium, ut qui ſacri ſint, liberè ingrediuntur.*

Addit Moſes Ægyptum fleviſſe Jacobum LXX diebus. Fletum intelligere debemus, de luctu ceremoniali, id eſt, quot totidem diebus ſigna quædam luctus pro ſuo more exhibuerunt, quomodo apud nos atrati incedunt & pullati, qui mortuos lugent. Id autem videmus in aulis uſurpari, ut ſi quis ex magnatibus obierit, aula tota pullata incedat, & aulæ imitatione reliqui penè omnes. Cum igitur Joſeph qui tanta pollebat autoritate, parentem amiſiſſet; Ægyptii, ut teſtarentur ſuam erga eum reverentiam, ea officia parenti ejus detulerunt, quæ iis ſolebant deferre qui maximè apud eos eminebant.

Hic quæritur, an Joſeph debuerit corpori parentis talem ſepulturæ rationem procurare, & Ægyptios in partem luctus vocare, cum mores illi Ægyptiorum in talibus, ab ambitione & ſuperſtitione ortum haberent? Duo hic ſunt conſideranda. Primum, corporis mortui conditura à medicis juſſu Joſephi facta. Eam abſolutè damnare non poſſumus, cum videamus ab ipſo Domino noſtro non fuiſſe rejectam. Illius ſpectandus eſt finis & modus. In utroque enim peccatum admitti poteſt. Finis, ut ſi eo animo corpus mortuum condiri quis curet, ut illud domi ſervet, & oculos ſuos ſubinde paſcat hoc ſpectaculo, quod Ægyptii faciebant. Quem morem apud nonnullos Chriſtianos poſteà in Ægypto obſervatum acriter reprehendit Antonius Eremita, ut in ipſius vita quæ Athanaſii nomen præfert, habetur. *Solent*, inquit, *Ægyptii piè defunctorum, & inprimis ſanctorum martyrum, corpora funerare quidem & linteis involvere, non autem mandare terræ, ſed impoſitum lectulo*

lectulo inter privatos parietes retinere, idque mortuis honori eſſe dicunt. Quo de Antonius ſæpè Epiſcopos rogavit, populum ut erudirent; ſimiliter etiam laicis pudorem injecit, & mulieres objurgavit, negans id vel legibus ſancitum, vel omnino pium eſſe. Nam & Patriarcharum & prophetarum corpora in hunc uſque diem ſepulchris ſervari, ipſum etiam Domini corpus in monumentum poſitum fuiſſe, ſaxo quoque advoluto, quo tegeretur, donec die tertio reſurgeret. Quibus verbis peccare demonſtravit eum, qui poſt obitum, defunctorum corpora non humaret, quantumvis ſancta eſſent; quid enim ſanctius Domini corpore? Multi ergo poſteà hoc audito, ſepultura ſuos affecerunt, gratiis Deo actis, quod tam probè inſtituti eſſent. Locus eſt notandus, contra Pontificiorum ſuperſtitionem, qui humata corpora effodiunt, ut membra & partes defunctorum, omnium oculis ſubjiciant, & ſuperſtitiosè adorari curent. Ut ad Ægyptios revertamur, refert Diodorus Siculus, multos Ægyptiorum, majorum ſuorum corpora, domi multo ſumptu ſic expurgata condidiſſe & eorum imaginibus valdè fuiſſe oblectatos, imò, ut Lucianus habet in Dial. de luctu, convivam & compotorem feciſſe cadaver muria conditum & deſiccatum. Silius Italicus,

Ægyptia tellus claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat umbram.

Fuiſſe etiam apud Ægyptios hanc conſuetudinem alii referunt, ut creditoribus in pignus darent parentum corpora, quæ qui non redimiſſet, perpetua infamiæ nota inurebatur.

Hos fines vel ſuperſtitioſos, vel planè profanos non reſpexiſſe Joſephum certum eſt. Sed quia ſacramento aſtrictus erat patris corpus transferre in terram Canaam, quod fieri non poterat niſi poſt aliquos menſes; cum præterea regio eſſet calida, & neceſſarium eſſet tranſire per deſerta arenoſa, in quibus maximè calor intendebatur, planè neceſſarium erat corpus ita condiri, ut aſſervari poſſet & deferri, ſine comitantium incommodo. Sic quoque, hoc tempore nemo reprehendit, ſi quis amici aut propinqui cadaver in aliena terra mortuum, curet aromatibus condiri, ut in gentilitia ſepulchra deferatur.

Tantum de modo videndum eſt, ne quis in eo excedat, ne vanitatis teſtimonia in humilitatis noſtræ & vilitatis objecto, appareant. Ne ſumptus tales fiant, quibus viventium, maximè pauperum, uſibus detrahatur. Alioqui moderatus ſumptus non reprehenditur, pro ratione ſtatus, conditionis, regionis, facultatum & temporum. Conditio Joſephi in Ægypto aliquid requiſivit præter communem rationem. Dandum aliquid fuit conſuetudini. Sed id tamen nobis obſervandum, quamvis olim ſine ſuperſtitione ejuſmodi ſumptus in ſepulturis adhiberi potuerit, quo tempore magis opus fuit umbris & ceremoniis ante ſpecimen reſurrectionis in Chriſto exhibitum, tamen nobis hodiè umbris illis ceremoniarum opus non eſſe, cum reſurrectio Chriſti ſatis ſuperque nos confirmare debeat de futura reſurrectione. Merito enim præpoſterum & ſtolidum cenſetur, *luctum* convertere in *luxum*, ac miſeriam humanam, cujus per mortem noſtrorum admonemur, luxu velle obtegere.

Atque hæc de primo quod conſiderandum diximus. Quod ſpectat ſecundum nempe luctum Ægyptiorum, alienum fuit factum, quod à Joſepho imperatum fuiſſe probari non poteſt, ſed ab Ægyptiis ultro ſuſceptum, ut ei gratificarentur. Alias non exiſtimamus Joſephum paſſum fuiſſe circa corpus parentis aliquam ſuperſtitionem exerceri. Sed non debuit impedire, quominus Ægyptii aulici, & populus teſtarentur, ſuo modo, ſuam in hominem benemeritum benevolentiam, honorantes memoriam parentis illius, quem experti erant regi & regno utiliſſimum. Probabile eſt etiam totis illis annis decem & ſeptem quibus Jacob in Ægypto vixit, pro magno viro & propheta fuiſſe habitum, atque non ſolùm in Joſephi gratiam, ſed etiam propria defuncti virtute motos, talia ei juſta feciſſe. Rectè tamen hic monet Rupertus, luctum illum diuturnum apud Ægyptios uſitatum, imitandum non eſſe iis, qui ſe peregrinos & hoſpites in terra eſſe profitentur, qui hic manentem non habent civitatem ſed futuram inquirunt; Ubi etiam exiſtimat id quod Iſraëlitæ dicuntur Num. 20. & Deut. ultimo, Moſem & Aaronem triginta diebus fleviſſe, ex Ægyptia conſuetudine, populo nondum erudito, factum fuiſſe, qui melioribus paulatim aſſuefactus, ab illa ſuperſtitione deſcivit.

Poſt ſeptuaginta dies tranſactos pro more gentis, narrat Moſes quomodo Jacob liberaverit fidem parenti datam, de transferendo corpore ſuo in ſepulchrum parentum ſuorum. Id quia fieri non poterat ſine apparatu aliquo, nec etiam decuiſſet Joſephum hoc iter ſuſcipere extra limites Ægypti, inconſulto rege, & non impetrata venia, agit Joſephus verſ.4. cum familia Pharaonis, id eſt, cum domeſticis regis, ut ei impetrent veniam proficiſcendi in terram Canaam, officii illius præſtandi cauſa. Cur autem in eo uſus ſit aliorum opera, cum adhuc eſſet in flagranti apud regem gratia, quæſitum eſt. Hujus facti aliquot rationes afferuntur, quæ partim ad prudentiam, partim ad conſuetudinem & mores referuntur. Ad prudentiam, ut hac ratione magis ac magis ſibi procerum animos conciliaret, quorum non dedignaretur interceſſionem; ut modeſtiam ſuam teſtaretur in re ſua, oſtenderetque ſe nihil tentare velle quod non omnibus probaretur; ut ſuſpicionem omnem tolleret, quaſi fugam meditaretur & diſceſſum ex Ægypto hac occaſione. Ad conſuetudinem & morem, quæ ratio ſe

mihi magis probat, quia non videtur moris fuiſſe, ut qui mortuos haberent ſepeliendos & adhuc in luctu eſſent, prodirent in publicum, vel ſaltem pullati apparerent coram rege. Sic enim legitur Eſteræ 4. non licuiſſe Mardochæo ingredi in portam regis cum indumento cilicii, ſeu lugubri veſte.

Rogat autem, non ut ſimpliciter id petant, ſed additis rationibus & argumentis, quibus omnem facti invidiam amoliatur. *Loquimini*, inquit, *in auribus Pharaonis*, id eſt, audiente Pharaone, phraſi Ebræa; Quid autem eos dicere velit explicat, nempe quod non ſui arbitrii eſſet eligere ſepulchrum patri, qui juramento interpoſito ab eo exegerat, ut eum ſepeliret in ſepulchro quod ſibi foderat in terra Canaam. *Pater meus*, inquit, *adjuravit me dicens, en morior, in ſepulchro* אשר כריתי aſcher carithi, *quod fodi mihi in terra Canaam, ſepelies me*. In quibus verbis occurrit nonnulla difficultas, quomodo dicatur Jacob ſibi fodiſſe ſepulchrum in terra Canaam, cum ſpelunca illa Macpelæ, in qua ſepultus fuit, empta fuiſſet ab Abrahamo avo ipſius, & ad uſum ſepulturæ parata, quod etiam anteà innuerat Jacob. Sunt qui exiſtiment verbum כרה *carah*, hoc loco idem valere quod verbum קנה *kanah*, acquiſivit, emit, verſ. 13. Nam verbi כרה *carah* etiam eſſe eam ſignificationem ut pro *emere* accipiatur, probatur ex Deut. 2. ℣. 6. ubi legimus, & aquas תכרו *ticru*, id eſt, emetis ab eis, & Hoſ. 3. ℣. 2. ואכרה *veaccireah*, & conduxi aut emi mihi eam triginta ſiclis. Quomodo autem emerit Jacobus, cum poſteà id tribuatur Abrahamo, ſic ſolvunt; quod quæ emerat avus, cujus hæres erat, ab eo empta fuiſſe dici potuerunt. Minus cavillis obnoxia eſt reſponſio, quæ communi verbi interpretatione retenta, pro *fodere*, ſimpliciter, ſic locum hunc accipit, ut in eadem illa ſpelunca lata & ſpatioſa quam toti ſuæ familiæ Abraham acquiſierat, Jacob foderit ſibi, & in rupe excavarit ſepulchrum, nempe cum Leam uxorem in eodem illo loco ſepelivit, de ſua etiam ſepultura cogitaſſe. Fuit enim id moris apud populos illos ut ſæpè dum viverent ſibi ſepulchra pararent, quod alii etiam poſteà ſunt imitati, nec deſunt qui hoc tempore idem faciant. De Aſa 2. Chronic. 16. ℣. 14. dicitur, *ſepultum fuiſſe in ſepulchris ſuis, quæ foderat ſibi in civitate Davidis*. Et de Sebna, Eſai. 22. ℣. 16. quod in Jeruſalem curaſſet ſibi ſepulchrum excidendum. Idem de Joſepho Arimathæenſi legimus Matth. 27.

Idem etiam faciebat magis ad declinandam invidiam, quod id Jacob non feciſſet ex contemptu terræ Ægypti, cum jam de eo ſtatuiſſet priuſquam in Ægyptum veniret. Hic non poſſum acquieſcere doctiſſimi interpretis reprehenſioni, cum in Joſepho non probat cautiones quibus uſus eſt in hac petitione, quibus videtur ipſi non ſatis cordatè ſe geſſiſſe. Nempe in eo quod alterius perſonam ſuſcepit in petendo, & quod totam invidiam in mortuum derivare voluerit. Putat ergo, ſervili timore fuiſſe oppreſſum, quominus ſpontè & liberè fidem ſuam profiteri auderet. Quam cenſuram rigidam nimis eſſe cenſeo. Quia fides illa, quam Joſephus habuit, non tunc requirebat profeſſionem, nec opus erat explicare Pharaoni, qua ratione ductus Jacob voluiſſet corpus ſuum in Ægyptum transferri. Quorſum enim attinebat Ethnico & prophano regi declarare arcanum illud, de terra Canaam poſteritati Jacobi ſuo tempore ceſſura? Verum quidem eſt, confeſſionem ſinceram & apertam à fidelibus requiri; ſed in iis quæ pertinent ad fidem communem, & cognitam; alia ratio eſt, ubi agitur de futuris & ſingularibus, in quibus fideles, ſibi fidem ſuam ſervant, & iis quorum intereſt; quod Joſephum feciſſe poſteà probabitur. Itaque, in hac actione nihil contra pietatem peccavit, & prudentiæ laudabilis ſpecimen dedit.

Petitio fuit conjuncta cum promiſſione redeundi, *aſcendam*, nempe permiſſu tuo, *ſepeliam patrem meum, & revertar*. Cui petitioni juſtæ annuit Rex verſ. 6. *Aſcende*, inquit, *& ſepeli patrem tuum ſicut adjuratus es*. Quibus verbis indicat ſe maximè permotum fuiſſe ad id concedendum, quia juramento aſtrictus erat. Ex quo patet, apud iſtos homines alioqui cæcos & incredulos, maximè viguiſſe juramenti religionem; cum Pharao etſi non juraſſet ipſe, nefas tamen ſibi eſſe duxerit fidem ab alio datam ſuo imperio violari. Quo magis deteſtanda eſt horum temporum impietas, in quibus ita extincta eſt Dei reverentia, ut ferè pro joco ducant homines, ultro citroque, ſub Dei nomine fallere; quam effrænem licentiam, in Dei Judicio ipſi Ethnici ſunt accuſaturi.

EXER-

EXERCITATIO CLXXXVII.

Deductio funeris Iacobi. Seniores *nomen non tam ætatis, quam dignitatis. Rarum conſtantiæ aulicæ gratiæ in Ioſepho exemplum. Cur redituri profecti ſunt in Canaan Iſraëlitæ? Loci ubi primò depoſuerunt corpus, nomen. Cur tum primùm luctum ſeptem dierum inceperint? Rationem hujus ſeptenarii incertam eſſe. Novendialia ſuſterſtitioſorum hoc tempore. Theatricum illum clamorem ad Aegyptios eſſe referendum. Quid pii fecerint ſeptem luctus diebus? An pro mortuis fuerint precati? Negatur. An ſponte, vel oraculo moniti in Aegyptum omnes redierint? Prius aſſeritur. Iudæorum figmentum.*

A verſ.7. uſque ad 15. recitat Moſes profectionem Iſraëlitarum in terram Canaan, & funeris deductionem, ad quam junxerunt ſe Joſepho Ægyptii multi non è vulgo, ſed *omnes ſervi Pharaonis*, זקני ביתו *ſeniores domus ejus, & omnes ſeniores terræ Ægypti.* Quibus verbis intelliguntur non ætate ſenes, ſed dignitate, quos ſenatores appellant, id eſt, præcipui aulici & conſiliarii, tam ii qui in aula degebant, quam qui alibi in Ægypto præfecti erant aliis. Hi omnes Joſephum comitati ſunt, honorandi funeris & deducendi cauſa; unde conſtat etiam tum omnibus ordinibus charum fuiſſe Joſephum, qui multo plura quam poſtulabat, à Rege & aulicis impetravit. Rex enim non ſolum permiſit ut proficiſceretur ad ſepeliendum patrem, ſed addidit regni proceres, nõ ſine comitatu digno, non tantum ad honorem & decorum, ſed etiam ad ſecuritatem. Ægyptii autem amorẽ ſuum declarant, in funus prodeuntes relictis familiis & negotiis publicis & privatis. Rarum fuit conſtantis tamdiu gratiæ aulicæ exemplum, quod vix ſecundum habet in hiſtoriis, præſertim in homine extero, & ex infima ſorte, ad ſummam dignitatem evecto. Itaque agnoſcendum eſt in tam mutabili rerum omnium humanarum conditione, talem gratiæ humanæ conſtantiam, à divina gratia, extra ordinem, fuiſſe conciliatam & conſervatam.

Domui Pharaonis comitanti, adjungitur Domus Joſeph, cum omnibus fratribus ſuis ℣. 8. relictis in Ægypto perſonis ad iter minus aptis, cum impedimentis omnibus, & neceſſario ad ea curanda famulitio. Proficiſcebantur enim redituri, cum nondum tempus eſſet repetendi terram Canaan ex Dei oraculo. Nec etiam eſſet, cur Iſraelitæ in Ægypto minus ſibi placerent, cum nulla tum ſervitute premerentur, & Joſephum haberent curatorem, qui ſtationem ſuam & vocationem deſerere nec debebat nec poterat. Etſi enim terra Canaan ipſis eſſet promiſſa, & id teſtaretur depoſitum, cujus cauſa hanc peregrinationem ſuſcipiebant; non tamen fuit antevertendum tempus præſcriptum, ne quidem poſteà cum ſervitute premerentur, donec ſignum daret Deus. Nam cum tempus illud prævertere voluerunt filii Ephraim, & Gathitarum Philiſtæorum poſſeſſiones invadere, occiſi fuerunt à Gathitis cum magno mœrore patris, 1 Paralip. 7. ℣. 21.

Verſ. 10. deſcribitur luctus Iſraëlitarum cum planctu & lamentis, priuſquam perveniſſent ad locum in quo deponere debuerunt corpus. Circumſtantiæ duæ enumerantur, 1. Loci, in quo planctus fuit habitus. 2. dierum ſeptem, quibus planxerunt. Locus appellatus, גרן האחד *goren aathad*, fuit *area*, quæ dicitur *Atad*, quod nomen dubium eſt an appellativè ſit accipiendum, an propriè. Propriè ſi accipiatur, erit nomen viri alicujus poſſeſſoris tum illius areæ. Si autem appellativè אחד *athad*, rhamnum ſignificat, ſpinæ ſpeciem, qua fortaſſis circumſepta erat area, aut quæ in illis locis erat frequens. Additur tractus definitio, in quo fuit illa area, nempe בעבר הירדן *beebher haijarden*, in tranſitu Jordanis, Tremel. & Jun. *ubi erat vadum Iordanis.* Hieronymus de locis Ebraicis, vult locum illum eſſe trans Jordanem, tertio à Jericho lapide, duobus millibus à Jordane, qui ſuo tempore vocabatur *Betagla*, domus gyri, eo quod more plãgentium ibi circumierint in funere Jacob. Vulgata dicit aream iſtam *trans Iordanem* ſitam fuiſſe, quod intelligunt venientibus ex Ægypto; alioquin enim citra Jordanem fuit habitantibus in terra Canaan. Mercerus vult eam non procul fuiſſe ab Hebron. Quod tamen conſtare non poteſt ſi fuit ad Jordanis vadum. Longè enim ab Hebron diſtabat hic fluvius, ut ex Topographia conſtat. Videntur ergo Iſraëlitæ non recta via veniſſe in terram Canaan, ſed per circuitum, quia alioquin non trajiciendus fuiſſet Jordanes, qui eſt ab oriente, & citius alia via in Hebron fuiſſent, quam ad Jordanem. Cur autem longiori circuitu uſi fuerint, vix alia ratio dari poteſt, niſi quod venientibus cum tanto comitatu, vitandæ fuerint indigenarum ſuſpiciones, & illud iter eligendum quod minus eſſet frequentatum. Trajeciſſe enim Jordanem certum videtur, alioqui cur fieret mentio tranſitus & vadi? Si autem via recta veniſſent in Hebron, non acceſſiſſent verſus Jordanem, qui ab Hebrone diſtat duodecim leucis unius horæ, juxta menſuras Adrichomii & aliorum. Fortè recta & brevior via non erat commoda curribus quibus abundabant Ægyptii.

Quæritur, cur non expectarint donec perveniſſent ad locum

ad locum ſepulturæ, ut planctum illum & exequias facerent? Reſpondent, noluiſſe Ægyptios tamdiu manere in interioribus terræ Canaan, verentes ne fortè armata manu in eos irruerent Cananæi: Cum autem area Atad eſſet in confinibus, facilè potuiſſe pedem referre, ſi quid periculi à Chananæis ingrueret. Quæ ratio ſolida non videtur. Non potuerunt enim venire ad ſepulchrum Abrahami, quin ſe conjicerent in poteſtatem indigenarum, nec ſpatium illud decurrere potuerunt cum tanto comitatu, paucis diebus. Et certè videntur fuiſſe ſecuri cum illud iter ſuſceperunt, nam cum Ægyptii tum potentiſſimi eſſent, & Cananæis neceſſarii, cum Ægyptus eſſet horreum vicinorum omniũ, credibile non eſt eos ſibi à Cananæis metuiſſe. Videntur ergo poſt vadum trajectum, planctum ſuum inſtituiſſe, quia erat ingreſſus regionis in quam mortuum deportabant.

Circumſtantia temporis luctus fuit *ſeptem dierum*, qui mos fuit obſervatus apud Iſraelitas, ut ex aliis locis patet. Habitatores Jabes Galaad jejunarunt ſeptem dies, in funere Saulis & Jonathani. 1 Sam. 31. Syracides etiam totidem dies aſſignat luctui cap. 22. *Luctus mortui ſeptem dierum.* id eſt, una hebdomada, quod etiam tempus dabatur ſolemnibus nuptiarum, ut vidimus Gen. 29. Cur autem totidem diebus, non pluribus aut paucioribus, id fecerint, quia ſcriptura non indicat, nõ explorabimus. Nam quod Auguſtinus notat *ſeptenarium numerum, propter Sabbathi ſacramentum præcipuæ quietis indicium eſſe, unde merito mortuis tanquam quieſcentibus exhibetur*, an in mentem venerit iis, qui ſeptem illos planctûs dies obſervarunt, certo ſtatuere non poſſumus. Nec certè quieſcunt omnes mortui, quibus ſeptem dierum planctus fuit inſtitutus. Merito autem hic reprehendit Auguſtinus ſi qui ſint apud Chriſtianos qui *Novendiale* mortuis aſſignent, *unde*, inquit, *mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſervãt, qui magis eſt in gentilium conſuetudine.* Id tamen imitantur Pontificii, apud quos nihil uſitatius eſt quam ut in funeribus, & aliis ſuis quas vocant devotionibus, novendialia obſervent. Quod noſtri dicunt, *faire la neufraine.* Durandus ration. lib. 7. cap. 35. *Quidam*, inquit, *faciunt novendinale*, id eſt, *officium novem dierum, ut per hoc officium, mortuorum animæ à pœnis liberatæ, novem angelorum ordinibus aſſocientur.* Hoc ſcilicet eſt, nolle ſine ratione inſanire. Quid ſeptem illis diebus factum fuerit, non exprimitur niſi in genere, quod planxerint planctu גדול gadol, *magno* וכבד מאד vecabed meod, *& gravi valdè*, adeo ut incolæ loci videntes, agnoverint gravem luctum eſſe Ægyptiis, undè & nomen loco indiderunt *Abel miſeraim.* Quorſum ille planctus adeo gravis non ſine cauſa quæritur. Jam enim tranſierant dies multi ex quo Jacob naturæ conceſſerat. Fleverant eum filii & Ægyptii. Cur nunc id renovetur & adeò intensè ut id mirentur indigenæ, mirum videri poteſt. Putarem totam illam multitudinem, cum brevi corpus eſſet deponendum, teſtari voluiſſe quaſi certatim & cum aliqua æmulatione, quantum condolerent & compaterentur afflictioni Joſephi, ad quem, ut neque ad fratres ejus, referre nollem theatricum illum clamorem, qui ſæpè fit ex compoſito; oſtentationis potius gratia, quam veri doloris. Id etiam Rupertus Ægyptiis attribuit, *Nec mirum eſt*, inquit, *Ægyptios ita fleviſſe planctu magno, atque vehementi, ut etiam nomine locus exindè ſignaretur. Nã & Flaccus dicit, quia qui conducti plorant in funere, dicunt & faciunt plura dolentibus ex animo.* Addit, *Non quidem Ioſeph vir ſapiens Ægyptios poſtulavit aut conduxit ut flerent, ſed dum aliud intendit, hoc etiam ex abundanti ſibimet ſpontè occurrere permiſit.* Locus Horatii ad quem alludit, legitur in lib. de arte poëtica.

At, qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo, Sic
Deriſor vero plus laudatore movetur.

Sed quid intenderit Jacob, in illo luctu ſeptem dierum ultra quæritur. Nam poſtquam in genere dictum fuit *planxerunt ibi planctu magno & gravi valdè*, quod de Ægyptiis intelligi poſſet & de eorum ſolemnibus & næniis, lamentationibus, vociferationibus, queſtibus, & aliis ceremoniis celebratis; de Joſepho expreſſe dicitur, *& fecit patri ſuo luctum ſeptem diebus.* Difficultatem auget, quod videtur in actione quæ religionis aliquid habet, ſe cum prophanis & idololatris hominibus commiſcuiſſe. Crederem Joſephum ſeorſim cum ſuis exequias illas celebraſſe. Turbam autem Ægyptiorum ſuo more excitaſſe ſtrepitum illum, quem non potuerit Joſephus ſiſtere, ne videretur eorum humanitatem contemnere. Nec ab illis abeo qui cenſent, talia exempla non proponi ad imitationem, & potuiſſe Joſephum excedere, dum ſe accommodaret Ægyptiorum moribus.

Sed quia non hic ſolùm, verum etiam alibi, ut notavimus, ſeptem dierum fit mentio, in mortuorum exequiis & luctu, non abs re inquiritur, quid pii ſeptem illis diebus fecerint. Alibi comperimus eos jejunaſſe; & certè conſentaneum eſt ut ſtatuamus, luctum illum nõ fuiſſe ſimilem Ethnicis ſpectaculis, in quibus pretio cõducebantur præficæ, id eſt, mulierculæ quæ quomodocumque etiam lachrymis ſimulatis luctum ſollicitabãt. Sed quemadmodum in Eccleſia fieri decet, in lugubribus actibus, credendum eſt commonefactiones fuiſſe propoſitas, de cauſis mortis & miſeriarum humanarum, & futura reſurrectione. Hæc quidem & alia tum fuiſſe meditata, & etiamnum meditanda eſſe non dubitamus. Alia quidem conjiciunt Pontificii, preces nempe pro defunctis fuiſſe fuſas à piis, & in eorum funeribus procurata, quæ ad ſolatium animarum facerent. Id dicunt, ſed non probant, nec vel leviſſimo argumento probare poſſunt. Nullus enim eſt ſcripturæ canonicæ locus qui id ullo modo inſinuet, ne dum ut evincat. Sed

de eo

de eo pluribus agemus συνϑεῶ in locis ex quibus adverſarii id eruere conantur.

In ſepultura Jacobi verſ.12.& 13. nihil eſt, quod non ex præcedentibus ſit apertum. Fides filiorum & obedientia commendatur, quia fecerunt filii, ſicut parens præceperat. Sic enim judicarunt, religioſa quadam diligentia debere filios voluntatem, ultimam præſertim, parentum exequi; ſi nempe nihil contineat adverſus Dei voluntatem. Talis erat diſpoſitio Jacobi, in qua exhibebat fidei ſuæ teſtimonium. Ut autem commendaret eorum obedientiam Moſes, circumſtantias omnes repetit, terræ Chanaan in quam eum portarũt, ſpeluncæ in qua ſepelierunt, &c.

Promiſerat Joſeph ſe rediturum, nec etiam ei aliter facere integrum erat. Addit igitur hiſtoria, *reverſum fuiſſe, & fratres ejus, & omnes qui aſcenderant cum eo.* Non exiſtimo, quod vult doctiſſ. interpres, opus fuiſſe oraculo, quo ad reditum permoverentur, quaſi tum cogitaverint de imminente tyrannide, ad quam ſubeundam ex voluntate Dei debuerunt ſe præparare. Verum quidem eſt, diſpenſationem ſapientiæ Dei hic eſſe agnoſcendam, nec ſine ejus nutu in Ægypto reliquiſſe talia pignora, quæ eos neceſſario retraherent. Non putarim tamen, ſpecialem aliquam religionem eos domuiſſe, vel timore Dei fuiſſe retentos, ne vitarent venturam oppreſſionem, de qua vix eos cogitaſſe crediderim. Nam fratres Joſephi ſi quid metuerint, id poſteà declarabunt, nempe quod nihil ſiniſtri de Ægyptiis cogitarint, ſed de Joſephi offenſa. Quod vero ipſum Joſephum ſpectat, etſi propheta fuerit, non tamen omnia vidit. nec probari poteſt eum tunc de conditionis ſuorum mutatione cogitaſſe. Liquebit tamen ex fine capitis, non dubitaſſe eum de tranſmigratione populi, ſuo tempore. Ut ad hiſtoriæ verba redeamus, videtur Moſes hic enumeraſſe cum Joſepho omnes ejus comites, ut teſtaretur benè ceſſiſſe ſuſceptum iter, Deumque faviſſe huic inſtituto & voluntati Joſephi, qui cum in vocationis ſuę terminis maneret, nihil ſenſit incommodi, habuitque Deum ductorem eundo & redeundo. Quod Ebræi confingunt, graviſſimum eis interceſſiſſe cum Idumæis bellum in itinere, ex quo omnes ſalvi & incolumes redierint, vanum eſſe exiſtimamus. Neque enim Moſes hoc tacuiſſet. Aliunde autem habere non potuerunt. ſed ſunt iſti homines ad omnia confingenda projecti.

EXERCITATIO CLXXXVIII.

Legatio Patriarcharum ad fratrem Ioſephum: quæ fuit occaſio declarationis plenæ reconciliationis. Quando id factum fuerit, inquiritur. Indicium de ſuſpicione eorum, circa animum Ioſephi. Nullam fuiſſe metus cauſſam à parte illius. Redarguuntur ingratitudinis & malæ conſcientiæ, quam nuſquam eſſe ſecuram eorum exemplo probatur. Quantam injuriam fratri irrogaverint: & quam imprudenter ſe in periculum conjecerint.

SEquitur ſecunda pars capitis, quæ continet declarationem plenę reconciliationis Joſephi cum fratribus. Declarationem dico, quia quod rem ipſam ſpectat, nullo modo dubitandum eſt Joſephum ſerio hactenus egiſſe cum eis & animo pacato. Quod etiam initio declaraverat cum primùm ſe fratribus noſcendum dedit. Nihilominus, legationem nunc ad eum inſtituunt, & ab eo exigunt quod anteà obtinuerant, & cujus tot teſtimonia poſſidebant. Initio præmittitur ratio conſilii eorum, nempe mors patris. *Viderunt*, inquit, *fratres Ioſeph quod mortuus eſſet pater eorum.* Quo vivente putarunt ſe tutos eſſe, & ſub ejus umbra ſatis vallatos adverſus Joſephi, quem ſe offendiſſe noverant, vindictam. Etſi enim poteſtate non deſtitueretur, crediderunt tamen detineri reverentia patris, ne viventem eum affligeret, durius in eos animadvertens. Nunc igitur huic malo inpoſterum alia ratione præcavere ſtatuerũt, precibus nempe, & peccati confeſſione, adhibita defuncti patris autoritate ejus animum flectendo.

Quando id ab iis factum fuerit, in genere manifeſtũ eſt, nempe poſt obitum patris communis. An vero immediatè, & ante funus, vel poſt funus, certo ſtatui non poteſt. Recitatur quidem id à Moſe, poſt ea omnia narrata quæ in funere deducendo facta fuerant. ſed non ſequitur ſemper ordinem temporis in rerum narratione. Joſephus ſcribit id ab ipſis factũ fuiſſe in terra Canaan, nec illos redire voluiſſe cum eo poſt ſepultum patrem, niſi primò cautum eis fuiſſet de ſecuritate. Sed id non videtur rationi conſentaneum. Cum enim omnia ſua reliquiſſent in Ægypto, credibile non eſt, voluiſſe eos iis conditionibus cum Joſepho agere de reditu, & in dubium vocare, an uxores ſuas & liberos reviſuri eſſent, necne. Id ergo factum fuit in Ægypto, vel paulo poſt patris obitum; vel poſt reditum ex Chananæa. Probabilius mihi videtur, id factum fuiſſe ſpatio illo temporis quod interceſſit inter Jacobi obitum & ejus ſepulturam, cum omnes eſſent in luctu, & pignus adhuc illud haberent apud ſe. Tunc enim videri potuit commoda occaſio, cum adhuc in luctu commota eſſent viſcera, & ϛοργαὶ maximè ſe exererent. Id confirmare videtur, quod ipſi primò non venerint ad fratrem, ſed miſerint, nempe nuncium aliquem ex ſuis, quia fortaſſe tum nõ egrediebantur è ſedibus ſuis; quamvis etiam id fieri

potuerit quia parcere voluerunt pudori ſuo. Tum quidem iis libenter acquieſcerem qui exiſtimant miſſum fuiſſe Benjaminum, qui frater uterinus erat, & ſolus criminis expers; ſi inquam domi non fuerunt detenti propter luctum. Sed ſi Benjaminum miſiſſent, non video cur id tacuiſſet Moſes. Non uſos fuiſſe Ægyptiorum interceſſione credibile eſt; prudenter enim celari debuit apud infideles illud familiæ dedecus. Sed potuit eſſe in domo Jacobi, ut olim in familia Abrahami ſenex aliquis & fidelis ſervus, cujus opera uſi fuerint, & quem cõſcium fecerint totius negotii quomodo tranſactum fuerat.

Metum ſuum exponunt his verbis לו *lu*, id eſt, *fortaſſe odio habebit nos Ioſeph*, והשב ישיב *veaſcheb jaſchib*, & reddendo reddet nobis omne malum quod גמלנו *gamalenou*, intulimus ei. Nam vox גמל *gamal*, non ſolum *retribuere* ſignificat, ſed etiam priorem conferre vel inferre, ſive in bonum, ſive in malum, quomodo etiam apud vulgatum interpretem ſumitur vox *retribuendi*. Duplicatio autem verbi השב *heſchib*, intendit ſignificationem, *reddendo reddet*, id eſt, *omnino rependet*, aut duplo, &c. Hæc ſuſpicio unde proficiſci potuerit inquirendum eſt. Vel enim occaſionem dederat Joſephus; vel ipſi ſine juſta cauſa id cogitarunt. Primum ut dicamus, non patiuntur quæ in Joſepho hactenus vidimus. Mitto ejus pietatem & alias internas virtutes, quæ eum ab omni hypocriſi & malo animo abſolvebãt apud Deum, qui corda novit. Sed inter homines nullum dari poteſt affectus veri & charitatis argumentum, quo fratres non eſſet demeritus. Si fuiſſet vindictæ cupidus, potuerat cum ab iis nõ cognoſceretur, gravius cum ipſis agere, quos quidem adduxit ad culpæ agnitionem, ſed beneficentiam ſemper cum ſeveritate conjunxit. Tandem ſe ipſis patefecit, cum iis affectibus, quibus agnoſcere potuerunt eum fuiſſe intus commotum miſericordia. Conſolatus eſt eos verbis amiciſſimis. Eventum mali quod perpetraverant docuit à Deo fuiſſe diſpenſatum, juſſit eſſe bono animo, & beneficia omnia contulit, quę ſuo loco fuſius fuerunt expoſita. Anni ſeptemdecim erant exacti, quibus paternã eorum curam ſuſceperat, & omnia humanitatis ſigna exhibuerat, quæ igitur cauſa in Joſepho potuit eſſe, quæ eos ad eam ſuſpicionem impulerit? Certè multa erant confidentiæ de futuro, & gratiarum actionis de præterito, argumenta.

Tota igitur culpa in ipſis eſt, qui præcedentibus delictis, addunt ingratitudinem, & perverſum de benemerito fratre judicium. Mali origo à mala conſcientia procedit, quæ omnia tuta timet, nec patitur male ſibi conſciam mentem quieſcere. *Impius nemine perſequente fugit*, Prov. 28. ℣. 1. *Omnibus diebus improbi ipſe doloribus ſe conficit, ſonus pavorum eſt in auribus ejus, in ipſa pace vaſtatorem invaſurum eum.* Job. 15. 20. 21. Ut merito autor Sapientiæ aſſerat, *rem timidam eſſe improbitatem, teſte proprio condemnatam, & ſemper res graves præſumere, dum conſtringitur conſcientia.* Sap. 17. 11. Iſtis, poſt annos ferè quadraginta elapſos, à commiſſo ſcelere, adverſus fratrem recurrit facti memoria, ſollicitudo item & anxietas, ne vindicta illatæ injuriæ tandem repoſcatur; ut diſcamus vitandam eſſe peccãdi licentiam atque ſecuritatẽ, quia animi ſauciati graviſſima eſt curatio. Dubium enim non eſt quin eos facti pœnituiſſet, reſipuiſſentque à perpetrato ſcelere, patitur tamen Deus eos adhuc moleſtia torqueri, ut exemplo ſint malam cõſcientiam ſibi eſſe carnificem. Hac etiam ratione eos voluit novo culpæ ſuæ ſenſu humiliare, cum ſe ipſos reos coram fratre ſiſtere, metu coacti fuerint.

Imprudentes interim, & fratri injuriam faciunt, & ſe ipſos, quantum quidem in ipſis eſt, in periculum adducunt. Injuriam faciunt fratri, quia veræ in Deum pietati, & charitati in ſe non tribuunt quod eum ita placabilem experti erant; ſed cohibitum fuiſſe tantum putant patris reverentiâ, non ut vindictam non repoſceret, ſed ut eam differret. Non ſecus ac ſi alter Eſau fuiſſet, qui ſe his verbis conſolabatur, *appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Supra 27. verſ. 41. Se ipſos in periculum adducunt, quia per eos non ſtat quo minus accerſant pœnam quę remiſſa erat, quia merito ulcerari potuit animus Joſephi eorum diffidentia. Sed quæ imprudenter homines faciunt, Deus in bonum dirigit, ad gloriam ſuam, & ſuorum bonum. Hac enim ratione dant gloriam Deo, dum agnoſcunt quid meriti fuerint; & occaſionem præbent Joſepho ſuam erga Deum pietatem declarandi, & alias eximias virtutes, ut in ſequentibus apparebit, protrudendi; ita ut etiam in eo honorem fratris promoverint, quem ſuſpicionibus ſuis imminutum ibant.

EXER-

EXERCITATIO CLXXXIX.

Legationis Iſraëlitarum ad Ioſephum, capita. Culpæ confeſſio & exaggeratio, apud Deum præſertim imitanda. Quomodo Deus & homines diverſa ratione condonent peccata? An verè dicant, aut mentiantur ſe juſſu patris hæc Ioſepho dicere? Negant quidam rem innotuiſſe Iacobo. Contrarium affirmatur. Sed mandatum eos confinxiſſe probabile eſt. Argumenta tamen efficaciſſima proferre. Quibus ad lachrymas motus eſt Ioſeph. Quam humiliter & abjectè ſe demittant. Nec tamen inſoleſcit ille, ſed eos ſolatur. Quorſum hæc verba, An loco Dei ſum ego? *Non excuſare vitia fratrum, quamvis ad providentiam Dei reſpiciat. Defenditur Calvinus à calumnia Lapidei Ieſuitæ. Qua ratione in uno & eodem actu concurrat Deus cum homine, ita ut tota culpa in homine reſideat?*

EXpendamus nunc legationis ſummam. Hæc dicit nuntius eorum nomine, *Pater tuus juſſit ante quam moreretur, ſic dicetis Ioſeph, obſecro, parce nunc prævaricationi fratrum tuorum, &c.* In hac oratione conſideranda eſt Petitio; deinde argumenta quibus ad conſequendum quod petunt eum permovere conantur. Petitio continet 1 peccati confeſſionem; Deinde ejuſdem oblivionis & remiſſionis poſtulationem. Culpam ſuam appellant ipſi פשע *peſcha*, prævaricationem, & חטא *chata*, peccatum; fatenturque ſe ei *malum retribuiſſe.* רעה גמלנו raa gemalenu, id eſt, *inflixiſſe*, ut ſupra dicebamus, non enim cauſam dederat Joſeph, nec prior ipſis malum intulerat. Imò malum pro bono retribuerant; nam egreſſus erat juſſu patris ut eos inviſeret, & de eorum ſalute & proſperitate inquireret, multumque laboris ſumpſerat in eis quærendis. Ideò hæc poſſunt facere ad mali exaggerationem. Non ergo diſſimulant ſe graviter peccaſſe, nec culpam extenuant, quaſi leve delictum fuiſſet, ſed criminis atrocitatem fatentur. Id præſertim nobis imitandum de peccatis noſtris coram Deo agentibus, qui omnes circumſtantias novit, & cordis noſtri receſſus. Fruſtrà enim eum aliquid celaremus, quem nihil fugit. Is hominum plerumq; mos eſt ut extenuent peccata ſua, faciantque levicula, quorum opprimuntur pondere. Id quaſi hæreditario accepimus à protoplaſtis, qui in alios imo in ipſum Deum culpam ſuam conati ſunt dèrivare. At, *qui tegit defectiones ſuas, non proſperabitur, qui vero fatetur & derelinquit, afficietur miſericordia.* Prov. 28. ℣. 13.

Petitio remiſſionis verbo ſignificantiſſimo etſi breviſſimo exponitur. שא *ſa*, à נשא, quod inter alia ſignificat; *condonare & parcere*, cui additur particula obſecrantis, נא *na*, quæſo. Parcit & condonat Deus, vel peccata remittit. Hoc etiam homines faciunt, ſed ratione planè diverſa. Remittere peccata ſolius Dei eſſe teſtatur ſcriptura, abſolutè nempe, & ea remiſſione quæ reatum tollit, ad quem lege Dei tenetur peccator. Sed nihil obſtat quominus ſibi mutuò homines remittant offenſas, quod ſæpè Deus inculcat. In regno aut republica ſoli poſſunt criminum & injuriarum gratiam facere ſupremi magiſtratus, & de publico jure remittere. Id non impedit, quominus inter privatos mutua injuriarum condonatio locum habeat. Sic diverſa ratione, à Deo petitur condonatio peccati; diverſa, ab homine quem quis offendit. Imò ubi agitur de peccato in fratrem, Deus non parcit priuſquam de pace concilianda cum proximo aut egerimus, aut agere ſerio ſtatuerimus.

Argumenta quę afferunt ad affectus movendos ſunt accommodatiſſima. Primum ducitur à defuncti parentis voluntate & precatione. Videntur enim eum introducere loquentem. *Pater tuus præcepit ante quam moreretur, dicetis Ioſepho, parce, &c.* Emphaſim habet quod non dicunt *pater noſter*, ſed *tuus.* Nam etſi communis eſſet parens, voluerunt tamen id ei ſingulariter applicare, & velut inſinuare ſingularem affectum quo in eum ferebatur, ut magis eum permoverent. Circumſtantia etiam temporis afficere debuit, ante quam moreretur, nempe in ipſo mortis articulo, paulò ante mortem. Argumentum igitur ductum eſt à reverentia erga parentem, quam noverant in Joſepho maximam fuiſſe.

Hic quæritur an verum dicant, & id in mandatis dederit pater. Dubitant multi, nec deſunt qui negent, putantque id fuiſſe ab iis confictum, ut nomine parentis obtinerent, quod per ſe non tam facilè ſe impetraturos metuebant. Dubitant etiam, an unquam factum illud innotuerit Jacobo, quod illi non videntur detexiſſe quos ſceleris conſcientia ſemper torquebat; Nec Joſephus videtur etiam id parenti expoſuiſſe, ne eum adverſus fratres ſuos provocaret, eique etiam hanc moleſtiam adderet. Proinde, ſciviſſe quidem Joſephum fuiſſe venditum, ſed à fratribus neſciviſſe hoc fuiſſe factum. Ideo mentitos fuiſſe, cum hanc patris orationẽ confinxerunt, ut malè ſibi conſcii ſe patris nomine obtegerent. Id quidem ab eorum moribus non eſt alienum. Vix tamen mihi perſuaderem ea quæ acciderant ad Jacobi notitiam non perveniſſe. Nam cum nuntiarent patri, Joſephum eſſe in Ægypto, & eum vocare in participationem bonorum ſuorum, crederem potius eos parenti omnia expoſuiſſe, ſimulque veniam poſtulaſſe, quam à fratre acceperant, qui omnia ad providentiam divinam retulerat. Alioqui metuere debue-

rant, ne Benjamin, qui parenti erat dilectiſſimus & innocens id detegeret quod audierat. Ne poſteà etiam ipſe Joſephus in Ægypto factum narraret, quod non dubitarem ab eo fuiſſe expoſitum, ſed cum eo moderamine, quo uſus eſt apud fratres ſuos, addita etiam apud parentem interceſſione, ne propterea ipſis ſuccenſeret. Nam ſi non crediidiſſent id veniſſe ad notitiam patris, neque id ignotum eſſe Joſepho, non auſi fuiſſent hoc mandatum patris prætexere. Quod autem Jacob, qui aliorum criminum quorum rei erant Ruben, Simeon, & Levi, rationem habuit, dum eos in ultima ſua prophetia compellaret; durum nihil pronunciavit in Joſephi venditores, accidiſſe puto, tum quia hoc petierat Joſeph & videbat omnia ceſſiſſe in bonum; tum quia penè omnes erant in culpa, & ſolent judices ut plurimum parcere multitudini. Quicquid ſit, nulla videtur eſſe ſolida ratio, cur id Jacobum latuiſſe debuerit, cum potius interfuerit ut agnita totius negotii diſpenſatione, miraretur Dei providentiam, ejuſque in ſuos, tam indignos, celebraret miſericordiam.

Sed an juſſerit hæc verba nomine ſuo dici Joſepho poſt obitum ſuum, fateor eſſe argumenta, cur in dubium poſſit revocari. Primùm, quia hoc poſito, quod non ignoraverit factum illud initio adventus ſui in Ægyptum, credibile non eſt eum non fuiſſe certum voluntatis & animi Joſephi, de quo ſi dubitaſſet, cum eo potuit agere ſpatio ſeptemdecim annorum quos exegit in Ægypto. Secundò, quia longa experientia certus erat de Joſephi manſuetudine & charitate erga fratres, ita ut nulla ratio eſſet, cur eis aliquid mali ab eo metueret. Itaque probabile eſt eos confinxiſſe mandatum illud parentis, aut fortaſſe ex mandato generali de reverentia erga benevolum & beneficum fratrem, & cavendis offenſionibus, illud ſingulare, in cauſa quæ maximè eos urebat excogitaſſe, & extendiſſe.

Secundum argumentum latet in his verbis, *fratrum tuorum*, cum enim fratribus φιλοστοργία debeatur, putarunt eum, nec injuria, moveri poſſe allegata propinquitate ſeu neceſſitudine ſanguinis fraterni.

Tertium efficaciſſimum eſt, à communi fide & religione, cum ſe appellant, *ſervos Dei patris ejus*, ubi duplex eſt Emphaſis, in eo quod ſe *ſervos Dei* dicunt, quod Deum deſignant à fœdere cum Jacobo inito. Oſtendunt enim, peculiarem fidem & cultum quibus ab aliis gentibus diſtincti erant, eos arctiore vinculo conjungere debere, ac ſi Deus qui familiam illam adoptaverat, quaſi ſponſor reconciliandæ gratiæ in medium prodiret, ut optimè notat doctiſſ. interpres. Unde elicitur hæc communis obſervatio, minus nos debere difficiles præbere, ſi aliquando à domeſticis Eccleſiæ læſi ſimus, ne ad ignoſcendum nimis rigidi reperiamur. Quamvis enim hæc humanitas apud omnes nobis in genere præcipiatur, ubi tamen accedit religionis ſocietas, oportet ferream eſſe duritiem eorum, qui ad miſericordiam propenſi non ſunt.

Hac legatione audita *flevit Ioſeph*, ℣. 17. בדברם אליו *bedabberam elav*, in loquendo eos ad ipſum, id eſt, dum loquerentur. Quod intelligendum eſt per legatum; nondum enim ipſi venerant. Sed additur verſ. 18. וילכו גם אחיו *vajelecu gam achav*, & venerunt etiam fratres ejus. nempe egerunt primùm per nuntium, ut fratris animum tentarent. Ille autem cum id audiviſſet lachrymis teſtatus eſt coram nuntio, vel nuntiis, affectum ſuum, & animum ab omni vindicta alienum. Addidit haud dubio benigna verba quibus eos ad ſe vocavit. Quamvis enim Moſes id expreſsè non dicat, tamen ex ſequentibus colligitur. Venerunt enim, ויפלו *vajippelú* & ceciderunt coram eo, & dixerunt הננו לך לעבדים *hinnennú leca leavadim*. Ecce nos tibi in ſervos. Hi enim videntur geſtus & verba eorum, qui vocati accedunt ad virum principem. Sunt autem omnia compoſita ad humilitatem, & qui olim nullum non lapidem moverant, ne fratri ſubiicerentur, adhibitis ad id peſſimis mediis, jam ipſi ultrò deferunt quæ non petebat, colla ſubmittunt, & ſervos ſe agnoſcunt. Videntur alludere ad eam conditionem in quam Joſephum conjecerant, quaſi dicerent, nos vendidimus te ut ſervus eſſes; nunc ecce agnoſcimus nos tibi ſervos eſſe. Tu nos pro ſervis habeto. Unde apparet, nullum eſſe conſilium contra Dominum, & qui adverſus nituntur, imprudentes promovere, quod impedire cupiunt. Videt adhuc Joſeph ſomniorum ſuorum complementum.

Non tamen propterea inſoleſcit, aut proſtratos calcat pede, afflictis non addit afflictionem, ſed quod generoſi animi eſt, parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos, ſic ille fratres depreſſos erigit & conſolatur; nec tantùm proteſtatur ſe injuriam omnem condonaſſe, verum etiam velle deinceps ipſis proſpicere, & paternam eorum curam gerere, ne planè putent ſe parentem amiſiſſe. Quod eſt heroicæ manſuetudinis & placabilitatis exemplum.

Præmittit primò conſolationi hortationem ut metum omnem deponant. אל-תיראו *al tireú*, ne timeatis, inquit; quam adhuc repetit verſu 21. Voluit enim ante omnia evellere timorem de ira & vindicta ipſius quem in animis ſuis conceperant. Intererat enim ut intelligerent nihil ſibi periculi ab eo metuendum eſſe, quo poſteà paratiores eſſent ad agnoſcendam ſecum Dei ſapientiam & miſericordiam, & confiderent de ejus animo & futura non tantum benevolentia, ſed & beneficentia.

כי התחת אלהים אני *ki hatachat ælohim ani*: quoniam an loco Dei ſum ego? Vulgata, *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Chaldæus, *quia timeo à facie Dei.* Unde & LXX. *Dei enim ſum ego*, nempe ſervus. Hujus loci adeò variantes verſiones, ſenſus etiam varios ſuggeſſerunt, etſi omnes penè ad eundem ſcopum collimantes. Si poſteriores ſpectemus, videntur reſpexiſſe ad verba Iſraëlitarum, *parce ſervis Dei patris tui*, quaſi diceret,

diceret, non eſt quod timeatis, nam ego etiam ſum Dei ejuſdem ſervus, & ejus timore ducor. Id enim etiam anteà conſternatis dixerat, *Deum timeo.* Sed Ebræa verba hanc interpretationem, etſi quod ad rem, bonam, non ferunt. Qui vulgatam ſequuntur, *num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* ſic explicant, Deus vult ut vobis parcam & injuriæ mihi factæ obliviſcar, nolite igitur vobis à me metuere, quia voluntati Dei reſiſtere non poſſum, id eſt, non debeo. Hæc etſi benè dicantur, an tamen ad rem, quæſtio eſt. Certè non videntur ſatis cum ſequentibus convenire. Nec magis ſatisfaciunt, qui putant hæc verba reſpicere delatos illos ſibi honores à fratribus, & humilem illam veniæ petitionem; quaſi hæc à ſe rejiceret ut in Deum transferrentur. Non ſum loco Dei ut vobis parcam, ab eo petenda eſt venia, coram eo procidere debetis, & ſervitutem veſtram ei addicere. Non, inquam, hæc conveniunt, quia ejuſmodi honores anteà non rejecerat Joſeph; nec tales erant quibus Deo aliqua irrogaretur injuria, aut de ejus honore detraheretur. Nec his verbis ſignificare voluit, ſe Deo vindictam reſervare, quam uſurpare nollet, atque ita Dei locum uſurpare. Quænam enim fuiſſet conſolatio? Ne timeatis, quia vindictam Deo committo; eam à me ipſo non ſumpturus. Id enim nequaquam intendebat, ut ad vindictam Deus adverſus fratres ſuos deſcenderet, quam potius precibus ſuis voluiſſet amoliri. Benè monet doctiſſ. interpres, duas illas voces indeclinabiles, כי *ki* & תחת *tachat*, diverſas habere ſignificationes; prima enim poteſt eſſe interrogativa particula, poteſt etiam eſſe cauſalis; ſecunda poni poteſt pro *vice*, vel idem ſignificat, quod *ſub.* Itaque Ebræus textus his duabus verſionibus reſpondet, *an vice Dei ſum ego*, &. *quoniam ſub Deo ſum ego.* Quam poſtremam reſpexit vulgata editio in ſua paraphraſi, *non poſſum Dei reſiſtere voluntati.* Expendendum ergo, quænam melius conveniat, non tantum habito reſpectu ad præcedentia, ſed etiam ad ſequentia verba, quæ ab iſtis pendere videntur. *Vos cogitaſtis adverſum me malum, Deus cogitavit illud in bonum.* Utramque rectè accommodari poſſe non diffitemur; ſed quia eadem phraſis habetur in verbis Jacobi ad Rachelem cap. 30. ℣. 2. ubi vulgata habet, *num pro Deo ſum ego?* malim eandē verſionem hic retinere. Quemadmodum autem tum Iacob amandabat uxorem ſuam ad divinam providentiam, ut ei acquieſceret, ſive ſterilis maneret, ſive poſteà dignaretur eam matrem reddere; nec ita in ſecundis cauſis hæreret. Sic Joſeph indicare vult ſe in divina providentia penitus acquieſcere, nec cauſas ſecundas ita ſpectare, quin præcipuè & ante omnia, in Dei conſilium oculos mentis convertat; cum ergo Deus cogitationes eorum eluſerit, & eorum facta in bonum converterit, nolle ſe, qui loco Dei non eſt, ſe ingerere ad mutandum Dei conſilium, atque ita convertere in fratrum ſuorum perniciem, quod ille in ſalutem diſpoſuerat. Eo igitur convertit cogitationem ſuam, ſe in Ægyptum non eſſe delatum abſque certo Dei conſilio & decreto; Ergo ſe non debere à Deo diſſentire, quod idem foret, ac ſi ſe pro deo gereret, & ad ſe raperet autoritatem mutandi providentiæ Dei decreta. Quę aptiſſimè cum verbis his conveniunt, *vos cogitaſtis &c.* at *Deus cogitavit illud in bonum.* Cum ergo Deus hac ratione & me evehere voluerit, & vos ſervare, cum populo multo, annitar adverſus ejus providentiam & bonitatem, & vos perdam? Abſit à me ut illud cogitem.

Non tamen eorum ſceleri adulatur propterea, nec ea profert ut fratrum ſuorum ſcelus excuſet, nunquam enim prętexenda eſt voluntas Dei ad excuſanda humana ſcelera. Itaque non probamus verba Cornelii à Lapide, dicentis, *Sanctos in voluntatem Dei omnia reſignantes, excuſare vitia & afflictiones ſibi ab aliis illatas*, & hic Joſephum *elevare* voluiſſe injuriam à fratribus acceptam. falſum eſt enim hac ratione *vitia excuſari*, quod ſi quis noſtrûm dixiſſet non impunè ferret. Senſum tamen ejus non rejicio, Sanctos in hac conſideratione voluntatis divinæ, quæ ſemper juſta eſt, acquieſcere ita, ut in afflictionibus ſuis Deum reſpiciant, & ſe ſub ejus manu humilient. maximè autem poſtquàm eventum Deus dedit ſalutarem, ita inhærere conſiderationi bonitatis divinæ, ut injuriarum ab hominibus illatarum eatenus obliviſcantur, ut vindictam non quęrant, quomodo David à Semei maledictis impetitus, Dei voluntatem reſpexit, noluitque eum tum puniri: Afflictos etiam & pœnitentes hoc argumento conſolari, quod Deus eorum peccata converterit in bonum, non ut peccatis indulgeant, ſed ut Deum glorificent, nec deinceps abutantur ipſius bonitate. Sed uſus præcipuus is eſt in ſanctis, quem hic ſpectat Joſeph, ut ſpectato divinæ providentiæ fine, quaſi injecto fræno affectus ſuos compeſcant, & Deo ſe regendos ſubmittant. Sic enim ſanctus vir non ſolùm dandæ veniæ, ſed etiam exercendæ benevolentiæ, ſibi neceſſitatem imponit.

De eadem actione *cogitationem*, Deo & hominibus tribuit, illi quidem in bonū, iis autem in malum. *Ergo,* inquit Melanchton, *tam eſt opus Dei proditio Iudæ & venditio Ioſeph, quam vocatio Petri. Ita & Calvinus*, ait Ieſuita lapideus. De hac calumnia actum eſt à nobis pluribus ad verſ. 7. & 8. cap. 45. ut hoc tempore non opus ſit eadem repetere. Calvinus ipſe hoc loco ſenſum ſuum ſatis aperit. *Hoc quidem,* inquit, *ſtatuendum eſt promiſcuè, nihil niſi eo volente fieri: quia & hominum conſilia moderatur, & voluntates flectit, & conatus vertit, huc & illuc, & eventus temperat: verum ſi quid rectè & juſtè ſuſcipiunt homines, intus eos ſuo ſpiritu agit & movet, ut merito feratur illi acceptum quicquid boni eſt. Si autem Satan & impii ebulliunt, ineffabili modo per eorum manus ita agit, ut penes ipſos reſideat improbitas, & illis culpa imputetur. Neque enim ad peccandum ſpiritus impulſu, ſicut fideles ad rectè agendum feruntur, ſed ſibi ipſis autores ſunt, & ſatanam*

ſequuntur ducem. Hæc ille. Ex quibus ſatis retunditur Jeſuitæ calumnia. Nam etſi agnoſcat Calvinus in utriſque factis Deum operari, diverſa tamen id fieri ratione oſtendit. Fideles, exempli gratia Petrum, in vocatione ſua ſpiritu Dei agi; Satanam & impios non Spiritus impulſu ferri, ſed ſibi ipſis autores eſſe mali, quamvis Deus per eorum manus agat, *ineffabili modo.* Quibus verbis nihil ſanctius dici potuit. Nec aliter intellexit Melanchton, etſi duriorem comparationem poſteà emollierit. Bellarminus ſententiam retractaſſe dicit, quod tamen falſum eſt, ſed ſenſum ſuum declaravit, & explicavit. Sed ipſe Jeſuita à Lapide hoc loco, agnoſcit, Miſſionem Joſephi in Ægyptum *à Deo abſoluta voluntate fuiſſe decretam, ſive per ſe, ſive per ſuos fratres.* Item, *Deum prævidiſſe aptum ad id fore medium fratrum malitiam, ſi eam permitteret exequi odium ſuum. Eam ergo ſapienter permittere, & ad finem jam dictum ordinare decreviſſe.* Deum circa peccata *duplicem habere voluntatem, & providentiam, permiſſivam nempe,* & directivam, ſive *ordinativam, qua peccatum ordinat ad juſtam pœnam, vel aliud commune & privatum bonum. Neutri voluntati, hominem proprie reſiſtere poſſe.* Ex hac Dei *voluntate, peccatum ſequi infallibiliter, perinde ac ſequitur ex præſcientia Dei.* Dei voluntatem *eſſe cauſam peccati ſine qua non.* Joſephum *ad utramque Dei voluntatem, hoc fratrum peccatum referre.* Hæc Jeſuita, eo ipſo loco in quo Calvinum calumniatur, in cujus dictis nihil reperiri poteſt, ex quo humana ratio duriores elicere poſſit conſequentias, quam ex iis quæ ipſe Jeſuita profert. ex quibus ſatis conſtat, fuiſſe Dei & hominum de uno & eodem facto cogitationem, venditionis nempe Joſephi; non tamen eodem modo & fine Deum egiſſe quo homines, etſi eorum malitia benè ſit uſus. Nihil aliud voluit Calvinus, nec aliud volumus. Nec poteſt ſua Jeſuita conciliare cum hominis libertate, quin eadem opera conciliet Calvini & omnium noſtrûm ſententiam, ex qua nulla alia ſequitur neceſſitas, quam *infallibilitatis,* quam iſte fatetur ſequi, poſita Dei voluntate de permittendo peccato, & eodem ordinando. Imò, quod noſtrum unquam dixit nemo, Deum facit *cauſam peccati ſine qua non;* qua poſita, certè aliud ſequitur, etſi aliunde. Claudam hanc diſſertationem verbis Chartuſiani in hunc locum. *Quamvis venditio Ioſephi, non fuit à voluntate divina, nec placita Deo, in quantum fuit iniqua, & à voluntate fratrum perverſa; tamen in quantum fuit actus realis, & via ac diſpoſitio ad plurima bona, quæ Deus decrevit ex ea elicere, ſic fuit à Deo, & placuit voluntati ipſius, nec potuit quis hoc Dei propoſitum impedire; nihilominus fratres potuerunt, imò & debuerunt, illam venditionem injuſtam vitare.* Hæc ille.

Exercitatio CXC.

Salutaris Auguſtini & Syneſii doctrina, de cogitatione Dei bona, ubi homines cogitant mala. Facere ſecundum diem hanc. *Populus multus, pro populo Iſraëlis in ſua origine.* Loqui ad cor. *Ioſephi placabilitas imitanda. Doctrinæ ex ejus dictis obſervandæ. Eum familiam ſuam à fratribus non ſeparaſſe. Periodus vitæ ejus. Habuit nonnullos ex fratribus ſuperſtites. Cur diutius non ei prorogata fuerit vita? Anni gloriæ ſexies annos ſervitutis ſuperarunt. Vidit tertiam generationem ſuam. Cur in* שלשים ſchelesſchim, *ſcribatur* ם *majuſculum?* Naſci ſuper genua. *Teſtamentum Ioſephi, mortem ſuam prævidentis, & fidem ſuam teſtantis. De oſſibus ſuis cur mandatum det? Cur tranſlationem differre voluerit donec redirent in Cananæam? Explicatur Apoſt. locus. Hebr.* XI. ℣. 22. *An id faciat ad tranſlationem & adorationem reliquiarum in Chriſtianiſmo? Reſpondetur Bellarmino. Pererii obſervatio contra commentum Iudaicum, in eum retorquetur. Conditura oſſium Ioſephi. Autoris gratiarum actio, & votum.*

EX verbis Joſephi, *vos cogitaſtis* de me *malum,* aut *adverſus me, ſed Deus cogitavit illud in bonum,* id eſt cogitando, conſilio nempe æterno ſuo, ſtatuit illud in bonum convertere, & hoc tẽpore fecit. Auguſtin. Enchirid. c. 10. hanc ſalutarem hauſit doctrinam, *magna,* inquit, *opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret niſi ſineret: nec utique ſinit nolens, ſed volens. Nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.* Similia habet Syneſius Epiſt. 57. Τῆς θείας σοφίας καὶ ἀρετῆς καὶ δυνάμεως ἔργον ἐστὶν, οὐ μόνον τὸ ἀγαθοποιεῖν. ἀλλὰ κἀκεῖνο μάλιστα. τὸ διὰ κακῶν ἐπινοηθέντων πρός τινων ἀγαθόν τι καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν, καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι χρῆσθαι· καὶ γὰρ σοφίας ἐστὶν εὐμηχάνου, καὶ τοῖς κακοῖς ἐν δέοντι χρήσασθαι. id eſt, *Divinæ ſapientiæ atque virtutis & poteſtatis munus eſt non modo bene facere, ſed etiam maximè per mala excogitata à quibuſdam bonum aliquem finem & utilem*

lem efficere, & utiliter his, quæ videntur improba, uti: nam & prudentiæ eſt ſolertis, etiam malis commodè uti. Id feciſſe Deum, cum malefactis fratrum Joſephi benè uſus eſt, agnoſcit ſanctus vir למען עשה כיום הזה *lemaan aſo cajom hazeh*, ut faceret ſecundum diem hanc, id eſt, id quod hodiè factum videtis. Vulgata, *ut exaltaret me ſicut in præſentiarum cernitis:* Et id quidem verum erat, ſed cum Joſeph uſus eſſet hac modeſta circumlocutione, nec exaltationis ſuæ meminiſſet, quam aliis cogitandam relinquebat, præſtat etiam in verſione eandem adhibere cautionem. De ſe enim nihil expreſsè dicit, ſed omnia refert ad aliorum utilitatem; *ut faceret ſicut eſt die hoc, conſervando in vita populum multum.* עם רב *am rab*, populum magnum. Vulgata, *multos populos*, quod referunt ad Ægyptios, Cananæos, & alios populos vicinos; qui ſterilitatis tempore conſervati fuerunt ne fame perirent. Sed melius in ſingulari intelligitur de populo Iſraëlis, qui hac ratione conſervatus fuit in ſuis radicibus. Reſpicit enim Joſeph promiſſionem Abrahamo & Iſaaco factam, de numeroſa poſteritate, & populo magno ex iis oriundo. Ad conſervationem illius populi in ſua origine, ut ſecundum promiſſionem Dei propagaretur, agnoſcit Deum uſum fuiſſe hac ſua venditione tanquam medio deſtinato, ut in Ægypto eveheretur ad eum gradum, quo poſſet paternæ familiæ neceſſaria ſuppeditare, ne periret. Quamvis enim ejus prudentiæ & induſtriæ fructus alii etiam populi ſenſerint, id tamen maximè conſiderandum eſt, Deum voluiſſe Eccleſiæ ſuæ providere, in cujus gratiam exteris etiam benè facit: Hæc verba ita intellecta, confidentiæ argumentum longè optimum præbent fratribus. Si Deus me præfecit Ægypto benè utens malis veſtris cogitationibus, ut conſervarem populum multum, cujus vos eſtis capita, nolo ire contra Dei providentiam, nec eſt quod metuatis, ne qui ad vos conſervandos ſum miſſus, perdere vos velim.

Hunc ſenſum confirmat ſequens promiſſio. Nam repetita hortatione deponendi præpoſteri timoris, addit promiſſionem in futurum. *Ego*, inquit, *alam vos, & parvulos veſtros*, q. d. Cum Deus voluerit ad hoc me vocare, ut conſervem populum ſuum; Ego vocationi Dei & obtemperabo & munus meum exequar, nec tantum abſtinebo ab omni vindicta, ſed etiam alam vos & familias veſtras, & quando hanc facultatem à Deo accepi in gratiam veſtram, recipio vos cum familiis veſtris alendos & ſuſtentandos. At tranſierant anni ſterilitatis, cur igitur Joſeph hoc in ſe recipit, ut eos deinceps alat cum familiis ſuis? Id ita non eſt intelligendum, ac ſi vellet eos otioſam vitam degere, & ſine ullo labore ab alio expectare, quæcumque ad alendas familias erant neceſſaria; nec ſanè in otio & negligentia hactenus vixerant; cum paſtoritiam artem exercerent. Sed quia exteris in peregrinis habitationibus multa ſubinde deſunt, eis præterea opus eſt protectione; hoc Joſeph promittit, ſe defectibus omnibus ſuppleturum, quos alioqui vitare non poſſent. Nam etſi paſcua loca eis eſſent aſſignata, non videntur fuiſſe divites agris, proinde opus eis fuit frumento, ad quod maximè refero promiſſionem Joſephi, ſe nempe continuaturum illis frumenti demenſum, ad alendas familias ſuas neceſſarium. Pluribus autem cum iis egiſſe Joſephum, & ſe explicaſſe, extra dubium eſt. Moſes ſummam recitaſſe contentus, paucis multa comprehendit, cum dicit, *loquutum fuiſſe eum ad cor eorum*, וידבר על לבם *vaijedaber ad libbam*. De qua phraſi pluribus egimus ad cap. 2. Hoſ. verſ. 14. ubi oſtendimus idem eſſe *conſolari*, & *loqui ad cor*, etſi ſæpè junguntur ad majorem Emphaſim, ut hic, & Eſai. 4. verſ. 2. *Conſolamini populum meum, & loquimini ad cor Ieroſolymæ*, eſt ea dicere, quæ animum oblectent & recreent.

Hic notanda ſunt exempla in Joſepho; libertatis quidem in notandis & reprehendendis fratrum delictis, ne ſibi in iis placerent, ſed cum prudentia & lenitate conjunctæ, qua ſimul mitigavit acerbitatem reprehenſionis, non quidem culpa in Deum tranſlata, ſed eventus inſperati qui divinitus contigerit commemoratione; quo factum ſit ut delicta à fratribus admiſſa, occaſionem dederint multis bonis. Item modeſtiæ ſingularis, quia nihil ſibi aut induſtriæ ſuæ adſcribit, ſed omnia, quæ benè ſucceſſerunt, refert ad ſapientiæ & providentiæ divinæ diſpenſationem. Placabilitatis denique & animi ab omni vindicta alieni, ſolidæque non fucatæ reconciliationis exemplar, quia non ſolum abſtinuit ab omni nocumento, ſed etiam quod Apoſt. monet faciendum Rom. 12. verſ. 21. *vicit in malo bonum.* Unde id etiam documentum eruitur, eum qui ceſſat in officio, cum juvandi ſuppetit facultas, & res opem ejus flagitat, hoc ipſo demonſtrare ſe non eſſe oblitum injuriæ.

Sed in his Joſephi dictis maximè obſervandæ ſunt hæ doctrinæ. Nempe in omnibus quæ homini accidunt, vel accidere poſſunt, non tam eſſe reſpiciendum ad inſtrumenta & media quæ foris ſe offerunt, quam ad Deum cujus conſilio omnia fiunt. Ad id enim Joſeph attendit, ut dictum eſt, & providentiam divinam celebravit, qua eventus ſapienter & benignè gubernavit, ad ſalutem ſuorum, etiam indignorum. Eoque mirandam magis eſſe Dei gubernationem oſtendit, quod eum quem fratres maximè perditum & extinctum volebant, altorem & conſervatorem ipſorum & totius Eccleſiæ conſtituerit.

Deinde, quod Satan & impii etſi tumultuentur & cœlum terræ miſceant, nihil conſiliis & conatibus ſuis poſſint adverſus pios proficere, nec modo irritos concidere eorum conatus, ſi præcipuum Dei finem ſpectemus, ſed etiam in contrarium converti, ut illi ipſi Dei gloriam & ſalutem ac exaltationem piorum, quan-

quantumvis inviti promoveant. Nam Joſephi fratres venditione illius qua perdere eum voluerunt, gloriam quam ei Deus in Ægypto deſtinaverat, promoverunt. Quæ omni tempore maxima eſt fidelibus conſolatio, ſed hoc præſertim calamitoſiſſimo, quo tamen ſtatuendum eſt, hominum machinationes & conſilia perverſa, adeo nihil nocere poſſe ſperantibus in Deum, ut etiam prodeſſe magis ſoleant; juxta illud Apoſtoli, *Scimus quod diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, Rom. 8. ℣. 28.

Superſunt uſque ad finem capitis, quæ ad Joſephi hiſtoriam pertinent uſque ad ejus obitum. Spectant autem, 1. habitationem ejus; 2. Chronologiam vitæ, & familiæ propagationem. 3. Ejuſdem poſtrema verba ad fratres ſuperſtites. 4. Obitus & corporis ejus condituram. Quorum pleraque in præcedentibus expoſita fuerunt, in ſimili diſpoſitione, & depoſitione Jacobi. Itaque paucis abſolvemus, iis tantum inhærentes, quæ ſpeciali explicatione opus habent.

Primum, verſ. 22. dicitur habitaſſe in Ægypto cum tota domo patris ſui, nempe poſt reditum ex terra Canaam in qua patrem ſepelierat. Hujus rei rationes ſupra attulimus, cum de reditu Iſraëlitarum ageremus. Hic tantùm notandum eſt, Joſephum, quamvis non exuerit dignitatem à Pharaone collatam, noluiſſe ſeparare familiam ſuam à fratribus, aut filiis ſuis procurare aulicam conditionem, ut ei ſuccederent in nobilitate illa, quam in Ægypto acquiſiverat. Quod fuit teſtimonium fidei ejus. Alioqui enim ſolent homines id maximè curare, tum ne ipſi minuantur, tum ut fortunam ſuam integram & auctam ſuis relinquant. Sed pluris fecit benedictionem parentis, & ſpem promiſſæ hæreditatis, quàm Ægyptii divitias.

Periodus vitæ ejus fuit centum & decem annorum. Vixerat cùm patre, id eſt, vivente patre, annos 56. Poſt ejus mortem exegit adhuc quinquaginta quatuor. Vixit ergo minus quam pater, annos 37. Itaque dicere potuit, poſt patrem, *Dies peregrinationis meæ, non pervenerunt ad dies patrum meorum.* Quid, quod fratres etiam ſuos, ſaltem aliquos, reliquit ſuperſtites? Nam de Levi conſtat, quod vixerit annos centum triginta ſeptem. Exod. 6. Alii etiam ſupervixerunt, ſi quod verſ. 24. dicitur, intelligamus propriè, quod moriens loquutus ſit fratribus ſuis. Alioqui poſſet id intelligi de cognatis, conſanguineis & agnatis, Hebraica phraſi. Cur autem diutius non vixerit, nulla ratio ſolida poteſt afferri preter voluntatem Dei, in cujus manu mortis & vitæ egreſſus & ingreſſus poſiti ſunt. Id quidem verum eſt vitam ejus fuiſſe laborioſiſſimam, non ſolum cum calamitatibus premeretur in ſervili conditione, & carceris moleſtiis, ſed etiam cum verſaretur in ampla illa dignitate & gloria, quæ vita anxietatum & curarum plena eſt, unde illud Syracidis cap. 10. ℣. 11. *Omnis potentatus brevis vita.* Notum eſt varias eſſe hominum conſtitutiones. Natus erat patre jam ſene, nec mater videbatur robuſta, quæ in flore ætatis obiit. Nec tamen ex his omnibus poteſt colligi neceſſaria cauſa, cur non diutius vixerit. Itaque ad Dei diſpenſationem id referimus, quem etiam non dubitamus rationem habuiſſe Joſephi, ne vivens poteſtatem & autoritatem ſuam imminutam videret ſub alio rege. Quicquid ſit, Deum benignè cum eo egiſſe certum eſt, cujus Principatum tamdiu produxerat, ita ut anni gloriæ, ſuperaverint ſexies annos ſervitutis & miſeriæ; ſerviit enim annos tredecim, & annos 80 principatum geſſit.

Quo tempore multiplicavit Deus poſteritatem ejus. Nam vidit Ephraimo filio, בני שלשים *bene ſchilleſchim*, ad verbum, *filios tertiorum*, ut etſi *benei*, ſcribatur in ſtatu conſtructo, abſolutè tamen accipi debet pro *banim*, ut ſenſus ſit, non vidiſſe filios *tertiorum filiorum*, id eſt, quartam generationem; ſed filios tertios Ephraimi, id eſt, tertiam generationem, nempe, filios, nepotes & pronepotes. Hic in שלשים *ſcheleſchim* ſcribitur mem majuſculum, cujus rei rationem nemo indicat. Myſterium aliquod ſubeſſe poteſt. forteſſe indicat extraordinariam dilatationem poſteritatis Ephraimi; cujus poſteritatem enumerat Moſes tanquam primogeniti, juxta Jacobi vaticinium. Additur vidiſſe quoque filios Machir, filii Manaſſe, id eſt, nepotes Manaſſe tantum, non pronepotes, ut jam apparuerit inter utroſque denunciata differentia, etiam vivente Joſepho. Quod autem dicitur, quod filii Machir ילדו על ברכי *juledu al birce*, id eſt, *nati ſunt ſuper genua Ioſephi*, id commodè intelligi debet; non quod eos naſcentes exceperit genibus; ſed quod nati ſunt Joſepho adhuc vivente, ita ut potuerit eos gremio excipere, quomodo ſenes parvulos amplectuntur & in deliciis habent. Unde Chaldæus vertit, *quos nutrivit Ioſeph.*

Verſ. 24. habetur prædictio Joſephi, ſimulque fidei ejus profeſſio ante mortem. Fratres ad ſe vocavit, id eſt, fratres qui tum adhuc vivebant, & fratrum filios; cum quibus agit ſicut parens egerat cum ipſo & aliis filiis. Indicat primò tempus ſuæ migrationis proximum eſſe. אנכי מת *anoki met*, vulgata *poſt mortem meam*, non ſatis expreſsè. ad verbum, *ego moriens*, id eſt, brevi moriturus ſum. Id inter Dei benedictiones numerandum, quando ſuis ex hac vita egredientibus, finis ſui notitiam & ſenſum inſtillat, ut de rebus ſuis diſponant, & ipſi ſe componant ad emigrandum. Solatur autem ſuos injecta ſpe certiſſima viſitationis divinæ ſuo tempore, oſtenditque, nolle eos affixos eſſe terræ Aegypti, ſed ſemper attendere ad promiſſiones divinas de futura hæreditate terræ Canaam. Deus, inquit, *viſitando viſitabit vos*, id eſt, certè vos viſitaturus eſt, *& faciet ut aſcendatis ex hac terra, in regionem quam juravit Deus Abrahamo Iſaaco & Iacobo.* Qua aſſeve-

aſſeveratione, ita ſuam ſpem atque fiduciam teſtatur, ut ſimul eos etiam ſe mortuo, benè ſperare jubeat. Vult enim eos non pendere à vita ſua, cum Deus qui immortalis eſt & omnipotens, hominibus non ſit alligatus, ut exequatur promiſſiones ſuas. Sed *viſitationis* verbo innuebat ſimul ipſis afflictiones imminere, ex quibus eos erat liberaturus Deus. Itaque ſatis conſtat hæc à Joſepho ſpiritu prophetico fuiſſe denunciata.

Addidit fidei ſuæ ſignum patrem imitatus, adjuratis fratribus ut oſſa ſua transferrent in terram Canaam; ſed id voluit fieri tum, cum ipſi eſſent aſcenſuri in poſteris ſuis; ut intereà oſſa ſua in Aegypto aſſervata ſub illa conditione, memoriam illis refricarent prædictionis & fidei illius quam adhuc repetit verſ. 25. ad majorem certitudinem, *viſitando viſitabit vos Deus*, q. d. non eſt quod dubitetis. *Aſportate*, nempe tum, *oſſa mea vobiſcum*. Noluit hoc ipſis imponere ut id facerent illo ipſo tempore, paulo poſt obitum: quia noverat id non tam facile fieri poſſe, cum non eſſent ea autoritate qua ille in Aegypto fuerat, ut omnia ad illud iter neceſſaria poſſent obtinere. Prævidebat etiam id fieri non poſſe, ſine Aegyptiorum offenſione. idcirco rem diſtulit ad tempus liberationis, ut ita fieret quod de oſſibus ejus dixit Syracides, ca. 49. verſ. 18. quod poſt mortem *oſſa ejus prophetarunt*; quia in Aegypto expectabant tranſlationem ſuam, in die viſitationis populi; & cum tranſlata fuerunt, manifeſtata fuit vaticinii veritas.

Ad hoc Joſephi mandatum reſpiciens Apoſt. ad Hebr. 11. verſ. 22. ait, *Per fidem Ioſephus obiens, de egreſſione filiorum Iſraëlis meminit, deque oſſibus ſuis præcepit.* Ubi teſtatur Sp. Sanctus, diſpoſitionem hanc Joſephi, à fide fuiſſe profectam, fide inquam, promiſſionum divinarum; ideò etiam meminit Joſeph juramenti facti majoribus ſuis. Dum autem de oſſibus ſuis præcepit, nec voluit ea manere in Aegypto, id fratribus ſuis indicare, & apud eos profiteri in animo habuit, ſe quantumvis diu apud Aegyptios vixiſſet in maxima dignitate, in qua ita abundè ei proſpectum fuit, ut aliis etiam potuerit liberaliter neceſſaria largiri, non tamen his rebus appoſuiſſe animum, ſed potius delegiſſe ſpem futuræ hæreditatis, quam agnoſcebat eſſe ſymbolum cæleſtis beatitudinis.

Cum de tranſlatione Jacobi egimus, rationes fuſius expoſuimus, cur tam ille quàm Joſephus, & eorum exemplo reliqui patriarchæ, & capita familiarum Iſraëlis, mandata dederint de oſſibus ſuis transferendis. Nam id etiam alios patriarchas feciſſe, teſtatur in oratione ſua Stephanus, Act. cap. 7. nihil in hac cura fuiſſe ſuperſtitioſum, nihil unde quærerent animarum poſt corporis obitum ſolatium, nihil cogitaſſe de ſacrificiis aut ſuffragiis pro defunctis, ſed tantum fuiſſe conteſtatos ſe in hac fide fuiſſe mortuos, quod Deus promiſſa ſua eſſet exequuturus. Ut mirum ſit Pontificios hæc ad ſua commenta quaſi obtorto collo trahere voluiſſe.

Ex hac hiſtoria, & mandati Joſephi executione, de qua plenius agetur Exod. cap. 13. conatur probare Bellarmin. lib. 2. de Eccleſ. triumph. qui eſt *de reliquiis Sanct.* cap. 3. neque novum neque ſuperſtitioſum eſſe, transferre reliquias Sanctorum. Quod certè abſolutè in controverſiam non vocatur; poſſunt enim eſſe legitimæ, aliquandò neceſſariæ tranſlationis cauſæ, non modo Sanctorum, ſed & aliorum mortuorum, quæ vel politicæ ſunt, vel œconomicæ, quorum hoc etiam tempore multa proferri poſſent exempla. Poſſunt etiam eſſe cauſæ religioſæ, qualem eſſe non negamus quæ patriarchas movit ad id mandandum, id enim fecit Joſeph prævidens in ſpiritu futuram populi Iſraëlitici calamitatem, quem hoc ſuo oraculo, & oſſium ſuorum aſſervatione, & ſuo tempore tranſlatione, admonere voluit de complemento promiſſionis, videlicet reductione in terram Canaam, velut quodam promiſſæ liberationis externo ſigno. Si ergo velint adverſarii, id ad cauſam ſuam facere oſtendant, Joſephum voluiſſe oſſa ſua transferri ad erectionem novi cultus, ut ad ea peregrinationes fierent, ut exoſculanda, & religioſè veneranda, ſive integra, ſive per diſperſas particulas, exponerentur. Capſam in qua jacebant fuiſſe in publicis ſupplicationibus geſtatam, & ab oſſibus illis expectaſſe pios vim quandam divinam. ad ea confugiſſe Iſraëlitas, variis calamitatibus in Ægypto preſſos. In Palæſtinam delata eadem ad venerationem & cultum propoſuiſſe. Contraria omnia habemus in ſacra hiſtoria. Servarunt quidem oſſa Joſephi, ſed in capſa recondita, donec tempus liberationis accederet: tranſtulerunt; ſed ut ea ſepelirent & terræ mandarent in Sichem, non ut ea oculis omnium ſubjicerent, quod faciunt Pontificii, effodientes oſſa mortuorum, ut ea ex loculis ſuis eruta, oſtentent ad quæſtum ſuum, & ad Idololatriam fovendam. Nihil tale à Sanctis inſtitutum fuit, aut à piis unquam uſurpatum. Judæi quidam commenti ſunt, duas fuiſſe arcas unà incedentes in deſerto, alteram divinitatis, alteram Joſephi, illam ſcilicet arcam fœderis, alteram loculos quibus Joſephi oſſa in Ægyptum aſportabantur in terram Canaam. Hoc commentum faveret religioſæ reliquiarum adorationi. De quo tamen ſatis ingenuè Pererius. *Cujus*, inquit, *dementiæ eſt, conditorium mortui corporis & arentium oſſium, cum Dei ſacrario comparare, ut ex æquo incederent? ſcilicet id religioſiſſimus Moſes feciſſet, aut etiam facere paſſus eſſet!* Rectè id quidem obſervatum. Sed non minus religioſè jurant Pontificii tangentes reliquias, quam tangentes ſacramenta. Et certè non ſolum ex æquo incedunt, ſed in reliquiis portandis, aut detegendis, oſtentandis, vel tractandis, major reverentia multo adhibetur, quam in ſacramentis adminiſtrandis aut percipiendis.

Verſ. 26. Concludit Moſes hiſtoriam ſuam, morte

Joſephi, anno ætatis ejus centeſimo decimo; quod autem antea procuraverat corpori patris, ut aromatibus condiretur, ut ſervari poſſet: hoc idem ipſius corpori factum fuit, quod repoſitum fuit in Ægypto בארון *baaron, in arca,* nempe ut ibi expectaret tempus migrationis populi ſui. Clara ſunt hæc ex præcedentibus, ubi egimus de Jacobi conditura & ſepultura, de ejus modo, forma & finibus, quæ hic repetere non eſt opus.

His ergo finem imponemus noſtris in Geneſim exercitationibus, Deoque gratias agemus, qui dedit nobis ut incipere & abſolvere poſſemus; cui adſcribimus quicquid in his noſtris lucubrationibus boni & utilis reperietur. Si alia ſint, quod aliter eſſe non poteſt in hac noſtra tenuitate & ingenii imbecillitate, id nobis adſcribendum; qui à benigno Patre petimus ut defectus noſtros dignetur emendare, nec patiatur, ut vel aliis vel nobis præjudicent, quæ minus apposita nobis exciderunt: efficiatque ut quemadmodum hanc nobis largitus eſt mentem, ut proximorum utilitati inſervire in votis habeamus, ejuſque gloriam promovere; id etiam poſſimus implere, & deinceps magis ac magis proficere, donec opus ſuum in nobis perficiat. Amen.

Μόνῳ Θεῷ δόξα.

Amen.

1640 Totus perlectus. 9°. x'. 1639.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A.

ABelis etymologia. 211, b. ei Teſtimonium acceptationis divinæ quomodo innotuerit. 214, a. Ebræorum opinio à Mercero examinatur. Quorundam opinio de eadem acceptatione & rejectione oblationis Caini. 214.

אבל abhal, quid ſignificet 441, a.

Abimelech commune nomen Regum Gerar. 575, a.

Abimelechi peccatum in raptu Saræ impeditur 489, b. In quem finem Deus ei mortem in ſomnio annunciarit? ibid. Ejus apologia de raptu Saræ ibid. Non fuit impius & quomodo 490, a. Quomodo peccaſſet manens in errore conditionis Saræ 491, a. b. Ejus obedientia 494, a. & cum Abrahamo expoſtulatio, ibid. & b. Cur Deus afflixerit eum quem innocentē pronunciat 490, b. & 498, b. Apud Abimelechum an fuerit cultus Dei 495, a. Cur meminerit doni Abrahamo dati apud Saram 496, b. & deinceps.

Abrahamus an ſemper lingua Ebræa uſus fuerit 320, a. Ortus ejus & cognatorum ubi deſcribatur 333, a. Quo anno patris natus fuerit 334. Et de eo opinionum diſcrepantia ibid. quæ maximè probabilis, ibid. inter eum & Monachos diſcrimen 340, a. & b. Quomodo duxerit Saram tutior ſententia 346, b. Ejus metus de uxore celanda an ſit culpandus. 348, a. An non potuerit Deum colere abſque altari. 342, b. Conſilium ejus de diſſimulando conjugio. 344, b. An in eo reprehendi debeat? ibid. De geſtis Abrami commentorum Iudæorum rejectio. 352, a. De ejus & Sarai facto judicium. 350. Ejuſdem facti, & doctrinæ æquivocantium dicrimen, ibidem. Quo jure inter ſe partiti ſint Abram & Lot, qui in terra illa, ne pedem quidem tum habebant? 354, a. Quomodo crediderit in ſe fore benedictas familias terræ? 355, b. Qua ratione conſtet promiſſionis ei factæ veritas, cum nihil præter ſepulchrum in illa poſſederit? 355, a, b. Ejus æquitas de jure ſuo remittentis. 391, a, b. ejus ad eam rem motiva, vere heroica, ibid. b. Propheta fuit. 392, a. Quomodo? 492, a. metus ejus quis fuerit in apparitione divina? 392, a, b. ejus querela de orbitate non fuit ex diffidentia promiſſionis divinæ. 396, b. non fuit juſtificatus ex operibus. 402, a. & deinceps. prius fuit juſtificatus quam Lothum liberaſſet. 403, b. duxit Agaram nec tamen Saram repudiavit. 418, b. cur & quomodo Abraham dictus? 423, a. ejus riſus, audita promiſſione Saræ factâ de filio concipiendo, qualis fuerit? 440, b. ridendo non peccavit. 441, a, b. & deinceps & 448, b. & deinceps. non dubitavit de promiſſione: ibid. & 442, a. an circumciderit ipſe omnes domeſticos ſuos uno die? 443, a. ſuſtinebat perſonam patrisfamilias & paſtoris in præcipiendo domui ſuæ. 450, b, Deus conſtituit eccleſiæ doctorem. 451, b. ejus modeſtia pro Sodomitis apud Deum agentis. 454, b ejus deprecatio iræ Dei ex fide. 456, b. pro quibus precatus ſit in everſione Sodomæ. 457, a, b. Qualis confœderatio ejus cum Abimelecho fuerit. 512, b. cum eſſet propheta, quomodo non intellexerit petitionem Saræ de filio cum ancilla ejiciendo? 501, b. ejus obedientia in dicto Dei de auſcultando Saræ. 504, a. cur Agaram & Iſmaëlem cum tam exiguo commeatu dimiſerit? 504, b. & deinceps. Mirabilis ejus obedientia ad executionem divini mandati de filio offerendo 519, a, b. quam non elevat furor & ἀστοργία quorundā idololatrarum. ibid. Quomodo fides ejus de ſemine benedicto ex Iſaaco cōſiſtere potuerit cum propoſito eum offerendi? 519, b. quibus armis fidei in eo facto fuerit cinctus. 520, b. quomodo ſervis ſuis potuerit promittere ſe cum filio ſuo rediturum? 521, a. Prudens ejus ad filii interrogata reſponſum. 522, a. quomodo dicatur juſtificatus ex operibus? 530, b. Quomodo venerit ad lugendum Saram? 532, a. b. & cur ad cadaver lugendi cauſa acceſſerit? ibid. Suum mortuum cur Abrahamus uxoris cadaver appellet? 534, a. Cur ex Chananeis noluerit Iſaaco uxorem deligi? 541, b. Ejus æquitas in ſervando tabernaculo Saræ, futuræ nurui 547, b. Ejus ætatis tempus quo Kethuram duxit, 549. a. Cur decrepitus ſenex juvenculam duxerit, variæ rationes, 549, b. autoris ſententia, 550. a. Ortus variorum populorum ex eo in oriente, & diverſarum conditionum, 550. a. Ejus teſtamentum. 551. a quomodo Iſaacum hæredem inſtituerit? 551. a. Iſaaci hæreditas ibid. munera quæ aliis filiis dedit cur non hæreditatis nomine cenſeantur? ibid. b. Ejus & Loti familia non bene inter ſe convenire potuerunt. 551, b. Ejus autoritas ſumma & poteſtas in ablegatione filiorum. 552. a. eorundem obedientia rara. ibid.

An jure eos hæreditate paternâ privare potuerit? 552 a.

Acindini factum. 349, a.

עקרה. 630, b.

Accuſatio à Ioſepho fratribus intentata quo fine? 806, a. Iuſtitia & æquitas accuſationis Ioſephi qua fratres tentavit. 806, a.

Inter ἀκροχόλες & πικροχόλες differentia. 547, b.

Actiones hominum quæ peccata ſunt providentiæ Dei ſubiiciuntur. 818, b.

Actionum vitalium quotuplex ſit genus. 258, a.

Actus in Deo notat perfectionem. 63, b.

Actu ex uno non contrahitur habitus. 488. a.

אד. 78 a. *propria ſignificat.* b. *etymon.* 79 a.
Adam unde? 194 a. *Solo nutu poterat ante lapſum animalia regere?* 27 b. *Habuit mandatum ante delictum.* 47 b. *Ante lapſum nihil contra conſcientiam admiſit.* 47 b. *In ſtatu innocentiæ vacaſſet cultui horti ſine moleſtia.* 66 a. *habuit poteſtatem credendi in Chriſtum, etſi non habuerit mandatum.* 94 b. *Salvatus fuit.* 98 b. *Quomodo mortalis dici potuerit ante lapſum.* 99 a. *Adam in ſtatu innocentiæ novit ſe moriturum ſi peccaret.* 119 b. *Seductus fuit.* 152 b. *Quod potuerit in ſtatu innocentiæ in peccatum incidere.* 163 a. *Adam quomodo dicatur pulvis.* 196 b. *quare vocarit uxorẽ ſuam* Euam? 197 a. *quando?* ibi. אשה *quare non ſemper vocarit?* ib. *An religionem poſteris ſuis inculcarit?* ibid. *An de novo nomen uxori ſuæ impoſuerit?* ibid. *An ab impoſitione nominis* Evæ *generationis futuræ fuerit certus.* 198. a. *Cur uxorem ſuam, Evam ante peccatum vocaverit?* ibid. *quare prudenter tale nomen ei impoſuerit?* 198 b. *quare poſt peccatum à Sacramentis in ſtatu innocentiæ conſtitutis arcendus fuerit?* 204 b. *An ſi poſt peccatum potuiſſet ad arborem vitæ accedere; immortalitatem fuiſſet conſequutus? Negatur, & explicatur ſenſus verborum Dei: afferuntur, & expenduntur variæ ſententiæ de vi ligni vitæ.* 202 b. & 203 a. & b. *quomodo conſtet Adamũ in Edenem fuiſſe introductum?* 205 b. *Adami ejectio ex Edene cum quibus comparetur?* 206 b. *illius ejectionis ſcopus cui comparetur?* ibid. *Cabballiſtarum opinio de mora Adami in Paradiſo.* ibid. *De mora Adami in Paradiſo Cabballiſtarum opinio.* 206 b. *in eo illius, certæ moræ, ignorantiæ ſuæ eorumdem confeſſio.* ibid. *tali quæſtioni, quæ fieri debeat reſponſio?* ibid. *talis quæſtio qualis ſit, Pererii ratio.* ibid. *Adamus filios ſuos in otio vitam tranſigere noluit.* 216.
אדמה 81 b. *hujus vocis Ioſephi explicatio.* 194 a.
Adamianorum hæreſis. 137 a. *eorum prætextus refellitur.* ibid.
Adamitarum ſecta à Priſcilliano revocata. 137 b. *eadem Picardis Bohemis attributa.* ibid. & *Valdenſib.* 138 a. *à Monachis ortum habuit.* 138 b.
Adamitæ novi Amſterodami & Antverpiæ. 137 b.
Adjurare quid ſit? 541 a. *quibus competat?* 541 b.
Adiutorio quali homo opus habuerit. 120 b.
ארוני. 73 a.
Adoptionis divinæ quanta gratia? 854 a, b.
Adorare quid denotet? 535 a.
de Adoratione diſtinctiones quædam. 535 a, b. *Argum. Pontif. pro adoratione Imaginum refellitur.* 844 a, b.
Adulterium apud gentes quam grave fuerit? 348 a. 744 b.
Ægyptus *cur* רהר *dicta ut notat Mercerus.* 805 a. *quo tempore ſuos reges habuerit?* 350 b. *Ægypti rex, ad quem adducta fuit Sarai, quomodo vocatus fuerit, varia variorum opinio.* 351 a. *An Sarai intacta fuerit apud eum?* 351 a. *An afflictio illi inflicta propriè fuerit pœna?* b. *Cur juſta?* ibid. *An capiendo Saram peccarit.* 351 b. *Ægypti incolarum perverſitatis deſcriptio.* 353 b. *Cur non poterant cum* Ebræis *comedere panem.* 804 a, b. *Apud eos fœminas boves immolare abominatio.* 805 a. *omnium contemptores quaſi ſoli ſaperent.* 805 a. *Quanta eorum ſubjectio Regi ſuo.* 837 b.
Ærodii ad filium pſeudo-Ieſuitam elegans compellatio. 340 a & b.
Æquivocationes mendacio & perjurio viam aperiunt. 586 b.
Æquivocatio ubi locum habeat? 458 a.
Æternitas tantum fuit ante Mundi creationem. 59 b.
Affectus naturalis non poteſt reprimi. 796 b.
Affectus in piis valde laudabiles contra Stoicorum opinionem. 814 b.
Affinitates cum impiis multis periculis ſunt obnoxiæ. 466 a.
Afflictio à Deo inflicta Pharaoni, an fuerit proprie pœna. 352 b.
Afflictiones piorum non ſunt divinæ deſertionis teſtimonia. 754 a.
אם ſi, *non ſemper notat conditionem.* 617 b.
Agaræ ſuperba inſolentia. 418 b. *ejus dicti,* vidi poſt videntem me, *quis ſenſus.* 420 a. *cum filio cur ita affligeretur in deſerto?* 505 b.
Agriculturæ mandatæ primo homini quis finis. 205 b. *& ratio.* 206 a.
איש *nomen non ſemper pro honoratis vel bellicoſis ſumitur.* 675 a.
Albigenſes coacti nudi exire Carcaſſonâ. 18 a.
Allegoria ad demonſtranda dogmata controverſa apta non eſt. 39 b. *Allegoria quid ſit?* ibid. *Allegoria Rhetorica, quæ?* ibid. *Allegoria Theologica, quæ?* 507 b. *Allegoriæ à typo, ſeu figura differentia.* 507 b. *& deinceps. an in humanis ſcriptis etiam ſit?* 508 a. *in ſacris literis non eſt excogitanda extra S. ſancti expreſſam applicationem.* 508. a, b. *aut ſaltem non ſunt pro vero S. ſcripturæ ſenſu habendæ.* ibid. *Allegoriæ quædam in ſacris literis occurrentes explicantur.* 508 b. *Allegoria qualis fuerit Epiſt. Galat. c.* 4. ℣. 24? ibid.
Alloqui in pace quid. 714 a.
Almaricuo negavit ſexuum differentiam ante peccatum. 53 a.
Altare à Noacho ædificatum. 275 b.
Altari nomen Dei quomodo tribuatur? 691 a, b.
Ambulare cum Deo, quid. 241 a.
Ammonitarum origo. 483 a.
Amor deformitatem non agnoſcit. 344 a.
Amalech per anticipationem. 358 b. *quis fuerit.* ibid. *unde ſic vocatus.* ibid.
Ambulare, vocis metaphorica ſignificatio. 420 a. 451 a. & 849 b. *ambulare coram Deo quid?* ibid. & b.
Amorræi, an in eorum iniquitatis impletione fuit aliqua neceſſitas.

neceſſitas. 411 b. & 412 a. *talis neceſſitas non excuſat peccatores.* 412 b. *quomodo dicantur Hevæi.* 858 a, b.

Anabaptiſtæ nullam ſubjectionem admittunt. 58 b. *eorum ſententia de ſanguine à Magiſtratu fundendo refellitur.* 295 b. *Item contra Magiſtratus inſtitutionem.* 315 a.

Ἀνακαλυπτηρίων *dies, quis & unde ſic dictus.* 626 a.

Analogum per ſe ſumptum ſumitur pro famoſo ſuo ſignificato. 10 a.

Angelis tribuitur creatio à Simonianis. 10 a. *eos aliquid creaſſe abſurdum.* 10 b. *Deo coadiutores in creando homine non fuiſſe probatur.* 18 b. *non poſſunt per ſe & ſua vi effectum naturalem producere.* 19 a. *Angelos à Deo creatos probatur.* 59 a. *quomodo veritatem apprehendunt.* 64 b. *boni non concurrunt ad omnia bona opera fidelium.* 143 a. *quare Cherubin appellantur, rationes variæ.* 207 a. *Quomodo definiri poſſint?* 208 b. *Angeli an naturâ ſuâ, ſint ſubſtantia.* ibid. *Angeli quomodo corpora aſſumant, multorum ſcholaſticorum opinio.* ibid. *unio qua illi aſſumant corpora quænam ſit.* ibid. *in quibus conſiſtat.* ibid. *apparitiones quales?* ibid. *An Angeli in corporibus de novo factis opera vitalia exerceant, negatur?* ibid. *An corpora de novo facta informent propriè? negatur?* ibid. *per Cherubim an intelligatur aliquis Angelorum ordo?* 209 a. *Scholaſticorum de Angelorum hierarchiis & ordinibus diſtinctiones.* ibid. *Angeli hierarchiæ primæ quomodo vocentur apud Pontificios?* ibid. *de eâ Thomæ Aquin. opinio & aliorum, ab illo, de miſſione Angelorum opinio diverſa.* ibid. *prima Pontificiorum pugna in doctrina de Angelis.* ibid. *An ſit ordo inter Angelos à Deo inſtitutus? affirmatur.* ibid. *Angelorum ordinem & eorum gradus definire quid ſit?* ibid. *contra hoc multorum patrum verba, atque Auguſtini modeſtiſſima, de Hierarchiis tribus & ordinibus Angelorum Becani contra Thomam Aquin. diſputatio.* 209 b. *filii Dei dicti.* 253 b. *de Angelis cum mulieribus commixtis veterum opiniones expenduntur.* 256 a. *& ſeqq. An fuerint defectores antequam homo peccaſſet?* 256 b. *Angeli nomen filio Dei in prophetis attributũ.* 341. b. *An ex eo quod Angeli apparuerint, Deus pingi poſſit & adorari?* 341 b. *& ſeqq. Bellarmini ſententia ventilatur.* ibid. *Angeli tres qui Abrahamo Gen.* 18. *apparuerunt non fuerunt tres viri, ut putavit Abam.* 444 a. *cur tres dicantur?* ibid. *& deinceps. reverentia, quam eis exhibuit Abrahamus, non fuit religioſa.* ibid. b. *factum angeli perſonati apud Tobiam cap.* 7. *non poteſt excuſari ex hoc facto.* ibid. a, b. *unus ex tribus fuit Iehova, reliqui duo erant creaturæ;* 445 a. *qualis fuit unio corporum cum angelis.* ibid. & b. *is, qui Iehova appellatur, non fuit Angelus creatus.* 445 b. & 446 a. *an iſti angeli vere comederint.* 446 a, b. *cur quærerent ubi Sara eſſet?* 447 a. *in corporibus aſſumptis quomodo poſſint fieri actiones vitales, ut ambulare, comedere, &c.* 446. b. *& deinceps. Angelus unus ex tribus (Abrahamo apparentibus) quomodo ſuum reditũ promittat?* 447 a, b. *Angelorum ad Lotum venientium dicti de pernoctatione conſideratio.* 457 b. *& deinceps. an faveat æquivocationibus?* ibid. *Angeli quare eleganti formâ ad Sodomam perdendam veniebant?* 459 a. *Angelorum potentia adverſus Sodomitas.* 463 a, b. *Angelus qui ſecundò apparuit Abrahamo fuit Deus.* 528 b. *Deus cur adhibeat Angelos adminiſtros.* 606 b. *Platonicum commentum de Angelis Mediatoribus arguitur.* 609 a. *Eorum miniſteriũ ad fideles tantum pertinet.* 607 b. *Angelorum caſtra* 669 a. *eorum miniſterium nõ reddit eos hominibus inferiores.* ib. b. *An unus tantum ordo angelorum miniſtret? Negatur.* ibid. *An unus tantum cuilibet homini deſtinatus ſit?* 670 b. *Angelus appellatur Filius Dei Theodoreto & aliis patribus.* 678 b. *cur Angelus vocetur?* 679 a. κατ' ἐξοχὴν *Angelus dicitur.* 851 a. *eum cujus meminit Iacob Deum fuiſſe.* 850 a. *an Angelus fuerit qui monuit Ioſephum?* 719 b.

Animæ eſſentia per peccatum non amiſſa. 22 a. *Eſt propria ſedes imaginis Dei.* 24 b. *Et Trinitatis ſpeculum.* 25 a. *in animæ eſſentia quædam ad Imaginis Dei conſtitutionem faciunt* 25 a. *Anima non poteſt conſiderari velut tabula raſa.* 25 b. *ejus partes ſuperiores in integritate Deo perfectè ſubjiciebantur.* 31 a. *partes inferiores ſuperioribus ſine pugna ſubjacebant.* ibid. & 41 a. *Animæ autor Deus* 85 a. *Anima immateriata.* ibid. *non eſt corpus.* 88 a, 89 a. *corporis naturâ ſuâ amans eſt.* 89 a. *hinc diſſolutionem fugit.* ibid. *eſt ſubſtantia incompleta.* 89 a. *non eſt ex traduce.* 89 b. *ejus nobilitas.* 89 b. *ejus immortalitas ex Moyſe ſufficienter probatur.* 91 a. *quomodo ſit ſanguis?* 290 a. *& quomodo in eo eſſe dicatur?* ibid. *Animæ pro perſonis.* 339 b. *facere animas pro acquirere.* ibid. & 396 a. *Anima, pro animabus, collectivè.* 390 a. *pro homine mortuo.* 831 b. *pro vita.* 686 a. *Anima ſeparata extra corpus ſubſiſtit.* 704 b. *Animam alicujus cum alio eſſe ligatam, quid ſit?* 812 b. *Animæ percuſſio, Hebræa phraſi quid?* 720 b. *Pontificiorum de ſtatu animarum fidelium ſub V. T. ſententia.* 729 a.

Animalia ante lapſum homini ad victum non fuere neceſſaria. 45 a. *neque ad onera.* ibid. *aut ad veſtitum.* ibid. *quis eorum uſus.* ibid. *quomodo parerent homini ante lapſum.* ibid. *eorum congregatio ad Adamum quomodo facta.* ibid. *Quot animalium paria recepe- rit arca?* 272 b. *Diſtinctio mundorum ab immundis ante legem Moſis.* 272 b. 276 b. *Ex mundis cur plura fuerint in arca.* 273 a. *immunda quare appellata fuerint?* 276 b. *An ante legem Moſis fuerit tale animalium diſcrimen?* 277 a *quodnam in hac diſtinctione fuerit myſterium.* 276 b, & 277 a. *animal à quo homo fuerat occiſus, cur per legem lapidibus obruebatur?* 293 a, b. *de illo quorundam opiniones.* ibid.

Animi deliquium quomodo accidat, & ceſſet. 827 b.
Annuli in quibus inſculptæ deorum imagines. 698 a.
Annulorum duplex uſus apud veteres. 779 b.
Annulum ſuum Ioſepho quare tradidit Pharao. ibid.
An in ſupputatione annorum mundi verſio 70 interpretũ ſit ſequenda? 238 a. *Varia apud diverſas nationes annũ numerandi ratio.* 239 a. *Annus ſolaris.* 239 a. *Sacro anno quando uſi fuerint Ebræi.* ibid. *Diſtinctio anni civilis & ſacri.* 273 b. *An anno civili uſus fuerit Moſes in Chronologia ſacra.* 273 b. *de eo Piſcatoris opinio.* ibid.
Anthropomorphitarum opiniones meritò exploſæ. 23 a.
Antinomorum refutatio. 205 a.
Ἀορασία quid ſit? 463 b.
Ἀπάθεια Stoicorum refellitur. 814 b.
עפר. 81 b.
Ἀφθαρσία duplex. 116 a.
An ſub nomine Apis Ioſephum Ægyptii coluerint? Negatur. 786 b.
Apparitionis & viſionis diſcrimen. 340 a. & b. *An Deus apparuerit in externis ſignis Abrahamo?* 341 a. *An tantum Angelus Deum repræſentans?* ibid. & 342 b. *argumentorum ſolutio.* 341 a. *Deum nunquam apparuiſſe immediatè, ſed per Angelos tantùm, falſum eſt.* 679 a.
Appetitus duplex, 34 a. *uterque qualis in primo ſtatu fuerit.* ibid.
Appetere per ſe vitioſum non eſt. 41 b.
Apprehenſio ad quid pertineat? 406 b.
Aramæi qui ſint. 600 b.
Arati dictum à Paulo ſanctificatum explicatur. 87 a.
Arbec civitas cur Arba dicta fuerit? 532 a,
Arbitrium liberum quid poſſit. 412 a.b.
An ſi Adam poſt peccatum potuiſſet ad arborem vitæ accedere, immortalitatem fuiſſet conſecutus? Negatur *& explicatur ſenſus verborum Dei, afferuntur, & expenduntur variæ ſententiæ de vi ligni vitæ.* 202 b. 203 *ad* b. 204 a. *An beatitudinis ſupernaturalis fuerit ſacramentum?* ibid. *quale fuerit ſignum?* ibid. *quare ab illius eſu homo fuerit prohibitus?* ibid. b. *fructus arboris vitæ cum Sacramentis comparatio.* ibid. *idem quomodo ſenii incommoda potuiſſet prævenire?* ibid. *In prohibitione eſus, fructus arboris vitæ, quò reſpexerit Deus?* ibid. *Arboris vitæ, denominationis ratio.* ibid. *excluſione ab illa quid ſignificare voluerit Deus?* ibid. *de narratione arboris vitæ facta à filiis Noachi, poëtarum nonnullorum opinio.* 205 a. *de arbore vitæ quorundam allegorica ratio.* 205 a. *de illa, Bedæ, cum Auguſtino opinio.* 205 b. *Arbor vitæ ante peccatum quale fuerit ſymbolum?* ibid.
Arca fœderis non vocatur Iehova. 76 a. *Sed Iehova ad Arcam adorabatur.* ibid.
Arcæ, cum Eccleſia convenientiæ ex Auguſtino. 271 a.
Arca tantæ molis quomodo potuerit innatare aquis? 271 a. *quæ arcæ proportio.* ibid.
Cur Deus arca uti voluerit ad octo illos ſervandos? 270 b. *Mons in quo quievit ubi fuerit?* 301 a.
Arcus cæleſtis cauſæ naturales. 296 b. *De illo documenta* 299 b. *ejus finis ex inſtituto.* ibid.
Argenti nomine in genere ſumpto quid ſubintelligatur? 496 b.
Argentei nummi Abrahamo dati ab Abimelecho, cujus valoris fuerint? 496 b.
Argentum plenum quid ſignificet? 536 a.
Actio ἀργίας Athenis. 835 a.
de Ariete in locum Iſaaci ſuffecto Iudæorum nugæ 526 b. *qua conſcientia potuit Abrahamus eo uti?* ibidem. *variæ de iſto ariete allegoriæ, & de eis judicium.* 527 a.
Armenii cenſuerunt Adamum & Evam ante peccatum non fuiſſe congreſſuros. 52 b.
Armeniorum error, de ſtatu omnium fidelium defunctorum. 248 b.
Aromatum odores ſanctis in uſu. 581 a.
Arriani Duliani Chriſtum Patris inſtrumentum in creatione faciunt. 10 a.
Arte, & Marte in bello eſt opus. 364 b.
Artemiſiæ inſana profuſio. 705 b.
Articulus non ſemper index eſt ſubjecti. 113 b.
Aſcenſus quomodo tribuatur Deo? 703 a.
אשה *malè redditum à* LXX. 126 b.
עשה *aſa.* 339 b.
עשה & ברא *quomodo differant.* 8 b.
Se ipſos aſpicere, quæ Phraſis? 787 b.
Aſſurgere faſtigio in cœlum, phraſis Ebraica malè à Iuliano accepta. 323 b.
Aſſyriorum Monarchia omnium prima fuit. 313 b.
Ἀστοργία hypocritarum Monachorum deteſtanda. 804 a.
את 210 a. & 269 a.
Aterne an albus ſit neſcio, proverbialis loquendi formula cui uſui. 604 a.
Ave, quare Gabriel Archangelus, dixerit virgini Mariæ? 198 a.
Auguſtini opinio quod omnia momento creata ſint rejicitur. 11 a. *Ejus inter ſimilitudinem & imaginem diſtinctio.* 21 a. *Quomodo intellexerit mortalitatem fuiſſe primo homini.* 103 b. *explicatur.* 157 a. *Ejus verba modeſtiſſima contra definientes ordinem & gradum Angelorum.* 209 a, & b. *Sententia de Ebrietate.* 805 b.
Avi, nepotum patres cur appellentur? 345 a.
Aularum pericula. 755 b.
Aulicorum mores. 826. a, 833 b.
Autotheani hæretici an fuerint? 75 a.

B.

ב. 235 a.
Baale Beryth. 359 b. בעל, *Merceri nota.* ibid. *Baal Beryth nomen idoli.* 360 a.
בעל *Baal varia ſignificata.* 720 a.

Babel nominis Etymum & ſignificatio. 330 a,b.
Scopus ædificantium turrim Babel improbatus. 322 b. *Quare eam filii hominũ ædificare voluerint?* 322 b. *An ideo peccaverint? argumentorũ negantium ſolutio.* 323 b. *quare in illius deſtructione multiplicatæ linguæ?* 229 a.
Babylonica confuſio in Romanam Eccleſiam introducta. 330 a.
Babyloniorum peccatum in quo conſtiterit. 323 b, & 304 a.
In baculo meo tranſivi, quæ phraſis? 676 b.
Baculi adoratio refellitur. 845 b.
Baptiſmus quomodo juſtificet? 425 b. *An liberis infidelium ſit adminiſtrandus?* 429 a. *& deinceps. Non debet adminiſtrari à mulieribus.* 443 b.
Baſilius explicatur. 40. a, 156 b.
Baſilius imaginem Dei conſtituit in libero Arbitrio. 23 b.
בקרבה bekirbah, *quid denotet?* 448 b.
Beatitudo æterna homini ſi ſtetiſſet, data fuiſſet non ex condigno obedientiæ. 31 b.
Βέβηλος *quis.* 573 a.
Beerſabah quid? 505 b.
Behemoth. 61 a. *Non ſignificat Diabolum.* ibid.
Bellarminus de juſtitia originali, refellitur. 29 b, 31 a, 35 a. *Ejuſdem in Lutherum calumnia abſtergitur.* 165 a. *Suo gladio jugulatur.* 367 a. *Refutatur à ſuis ſodalibus.* 378 a. *Ejus objectio contra benedictionem ſacerdotalem ſolvitur.* 384 b, & 385 a. *diſſentit ea in re à ſuis.* 385 a. *Ejus ſophiſtica blaſphemia de poteſtate Mariæ in Chriſtum.* 506 b. *De templorum dedicatione.* 612. *De privilegio ſacerdotum Ægyptiorum.* 838 b, 839 a.
Bellum Abrahami adverſus Reges, quomodo ſuſceptum? 357 a. *Eventus, illius rationes.* 358 a. *Juſtitia ejuſdem examinatur* 362 a, & b, & 363 a. *quomodo hoc fecerit Abram.* ibid. & b.
Benedictio quid. 64 a. *& quotuplex* 384 b, 83 b, 851 a. *de Benedictione ſeptimæ diei Iudæorum nugamenta.* 64 a. *Benedictionis divinæ erga hominem repetitio.* 287 a. *Benedicendi & maledicendi ſignificata,* 307 a. *quàm benedictiones & maledictiones parentum ſint efficaces?* b. *Benedictio Semi & Iapheti.* 311 a. *Benedictio Abrahamo promiſſa quouſque ſe extendat?* 338 b, & ſeq. *Benedici in aliquo gentes, quid ſit?* 339 a, & b.
Benedictio benedicentis nomine Dei, benedicentem ſupra benedictum evehit. 384 b. *Dei benedictio non ex merito ſed liberali gratia datur.* 449 b.
Benedictionum variæ ſpecies. 580 b. *Benedictio patriarchalis eſt prophetica.* 581 a. *Ejus vis magna.* ibid. *effectus ejus non in arbitrio patriarcharum.* ibid. *Benedicendi formula apud Ebræos.* 855 b. *Benedictio Iſaaci in Iacobũ collata ſpirituales etiã benedictiones continuit* 541 a. *Iacobi erga Pharaonem.* 835 b. *Procurata nepotibus à Iacobo.* 853 a. 854 a.
Benedictiones ſpirituales temporalibus rebus adumbravit ſpiritus S. 541 b. *& quare.* ibid.
Benedictiones piorum cur in malos deriventur. 604 a.
Beneficia Dei. 350 a. 850 a.
Beneficia beneficiis Deus addit. 450 a.
Benjamin. 704 a.
An in Benjaminum fratres invecti fuerint. 810 a.
Reliquis fratribus anteponitur. 827 a.
Charitas fratrum erga Benjaminum magna. 810 a, b.
Beneficia Dei. 850 a.
Bene precantis vox אלהים יחנך בני. 803 b.
Benevolentiæ hominum non confidendum. 763 a.
Bernardi diſtinctio libertatis. 24 a.
Idem aſſerit in libertate illa conſiſtere imaginem Dei. ibidem.
Bernardus Ochinus. 130 b.
Beſtiæ omnes cur poteſtati hominum ſint traditæ. 288 a.
Quando Deus permittat ſævis Beſtiis invadere homines? 288 a.
Bigami cur non ordinentur apud Pontificios. 132 b. *An Bigamia crimine prorſus vacet?* 229 b.
Blaſphemus in Deum & in ſanctos quis ſit? 488 a.
Bonaventura ſimilitudinis varios gradus & modos notat. 23 a.
Bodini redargutio, & multorũ regnorum originis juſtæ aſſertio. 515 a.
Boethii ſententia de providentia Dei. 817 b.
Bonitas primi hominis qualis. 50 b.
Bonitas omni homini non tribuitur. 50 b.
Bonitas Dei in hominum perperam factis elucet. 658 b.
Bonum ſenſibile & bonum ſpirituale non pugnant. 41 a.
Bonum aliquid eſſe in oculis alicujus. 826 a.
Bonum duplex. 112 a.
Bona omnia Deus largitur gratis. 450 a.
Bona non poteſt invito & inſcio domino accipere quiſpiã etſi ad ipſum dominum pertineant. 647 b.
בראשית *non ſignificat in filio* 3 a. *quid ſignificet.* 3 b. *deinceps.*
Vocis ברית berith *explicatio.* 271 b.
ברית *cur pro* כרית *nonnulli dictum velint?* 667 a.
Bruta an peccent & eis propterea infligatur pœna de eo Socinus refellitur. 292 b, & 293 b.
Buceri animadverſio notanda circa permiſſionem Dei ratione peccati quam calumnioſe traducit Gerhardus Lutheranus. 823 a.
Byſſinæ veſtes pretioſiſſimæ. 779 b.

C.

Cabballiſtarum vana inveſtigatio nominis Adam. 81 b.
Eorum opinio de mora Adami in paradiſo. 206 b.

Cabba-

Cabbalæ de Abele opinio, ejuſdemque refutatio. 211 a.
Cadavera damnatorũ exponendi mos antiquus. 760 a.
An mos ille cadavera volucribus exponendi in Chriſtianiſmo retineri debuerit? 760 b.
Cadavera maleficorum oculis omnium diu exponi Deus noluit. 761 a.
Cadavera condendi in templis mos illaudatus. 842.
Caietani ſententia de coſta Adami. 123 a. *Refutat.* 124 a. *Ab ipſis Pontificiis exploditur.* ibid. *Ejus notabile dictum.* 268 b. *Ejuſdem Cajetani diſtinctio de mendacio Ioſephi.* 806 b, 807 a.
Cainan à Moſe omiſſus. 330, & ſeq.
Caini Etymologia. 211 b.
Cainus miſer & profugus an mortem timuerit? 218 b. *Quomodo fuerit exauditus à Deo?* ibid. *An ſemper fuerit vagus & profugus.* 222 b. *Cur à Lemecho non potuerit occidi?* 232 a. *Qualis fuerit ſoboles ejus?* 236 b.
Cur tot Calamitatibus Deus ſuos exerceat? 729 b.
Caligo oculorum ſenibus frequens. 574 b. *Quæ cauſſa.* 580 a.
Calvinoturciſmi liber qualis. 9 a. *Eius author.* ibid.
Calvinus contra Valentinum Gentilem ὁμοουσίαν *filii aſſerit.* 75 a. *Apud Lutheranos quoſdam tanquam Iudaiſans vapulat.* 211 a. *A calumnia Marii vindicatur.* 242 b. *Defenditur, adverſus calumnias Hunnii.* 472 b, & 701 a. *A reprehenſione Cornelii à Lapide.* 693 b.
Calũniæ honeſti & probabilitatis ſpecie obvelatæ. 752 a.
Adverſus calumnias nonnullorum de providentia Dei. 818 a.
Candym quid vocent Perſæ. 807 a.
Canoniſtæ circa clericorum vitia conniventia. 306 a.
Captivitatis Lothi, quæ fuerit cauſa? 358 b. *Iſtius quare ſeorſim Moſes meminerit?* 359 a.
Carcer vinctorum Regis. 753 a.
Caro ſpiritui rebellis quare? 195 b.
Caro omnis de quo dicatur. 198 a.
Caro, quare totus homo dicatur. 260 b. *Vocis carnis in ſacris Scripturis varia acceptio.* 260 b, 269 a. *An ante diluvium uſus carnium in eduliis fuerit homini conceſſus.* 288 b. *Rationes negantium.* ibid. *Argumenta affirmantium.* 289 a. *Vtriuſque ſententiæ judicium.* ibid. & ſeq. *Prohibitionis de carne cum ſanguine comedenda quis fuerit ſcopus.* 291 a. *An illa inter Chriſtianos ſit perpetuæ obſervationis.* ibid.
Caſauboni obſervatio de mactatione. 802 a.
Caſtitatis aliquot ethnicorum & Ioſephi diſſimilitudo. 750 a.
Caſtra Dei non Deorum. 671 b.
Cataclyſmi initium cui menſi aſſignari poſſit? 273 b.
Cauſæ naturales non agunt ſine ſubjecto. 11 a.
Cauſa moralis, etſi actu non ſit quomodo poſſit habere ſuum effectum? 245 a. *Iuſta cauſa quando, & quomodo defendenda?* 461 a.
Vocis קדש *homonymia.* 743 b.
Ceremoniarum diſtinctio 67 b.
Ceremoniæ multæ obſervatæ fuerunt ante Moſem, &c. 577 a, 613 a.
Ceremoniæ legales umbræ futurorum erant. 612 b. *Malè à Pontificiis reſtituuntur.* 612 a.
Chaldæi à Cheſed filio Nachoris per anticipationem. 335 b.
חלל. 234 a.
Chami impudentia & malitia. 305 a.
Cham cur minor vocetur? 307 a. *Ejus malidictio quomodo ſumatur?* ibid. *Cur in ejus filium Chanaanum pronuntietur?* ibid. b. *De ea variæ rationes.* 308 a.
Chananæi & Ebræi, quomodo ſe mutuò intelligere potuerint? 321 b.
Charitatis judicium in genere Deo beneplacet. 455 a.
Chaſdim quinam fuerint. 335 b.
Cherubini quid 207 a. *Vnde ſic dicti.* ibid. *Variæ de iis variorum opiniones examinantur.* ibid. & ſeq.
Chetæorum erga Abrahamũ magna humanitas 534 a. *Abrahami humilitas erga Chetæos.* 534 a.
Chajim חיים*, cur duali numero uſurpetur.* 82 a.
כהן *cohen* 367 b. *In Scriptura quodnam interdum ſit nomen,* *ibidem, hic pro ſacerdote ſumi probatur,* *ibidem, in hoc nomen Maldonati futilitas qua vapulat vulgata editio.* 368 a. *Ac, ſic Paulus cenſura notatur qui* כהן ἱερεὺς *interpretatur.* ibid. b. כהן *non eſſe participium (ut idem vult) probatur.* ibid. *Si eſſet participium, magnum inde abſurdum.* ibid.
חנך. 361 b.
חנוך *Chanoci etymologiæ ratio.* 221 b.
Chobah quæ fuerit? 363 b. *Quid ibi Deus Abrahamo fecerit.* 364 a.
χρηματισμὸς *quid ſit.* 489 a.
Chriſtus exemplar ad quod reformari debent Chriſtiani. 26 a. *Solus ſubſtantialis patris imago.* 26 b. *Ei in Scriptura Tetragrammaton tribuitur.* 74 a. *Ejus quod nam ſit peculiare opus.* 186 a. *Ad Chriſtum quare veniendum.* 187 a. *Quare abſolutè* ἀγενεαλόγητος *non dicatur?* 371 a. *Quomodo Enochi & Eliæ præcurſor fuerit?* 244 b. *Quare* ἀπαρχὴ *primitiæ ſurgentium dictus fuerit?* 246 a. *Continuò offert.* 378 a. *Eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedek.* 377 a. *Non per mortem ſacerdotium amiſit.* 378 a. *Sed in æternum retinet, etſi actu non ſacrificet.* ibid. b. *Et deinceps in Abramo non fuit benedictus neque decimatus.* 384 b. *Ejus ſacerdotium multò excellentius Aaronico fuit.* 385 a. *Chriſtus unicus mediator eſt.* 493 a, & 494 a. *Abrahæ ex ſemine, per gratiam.* 530 a. *Ejus dilectio erga nos.* 815 b.
Chronologiæ ratio quomodo deducta? 237 a. *Quando turbetur?* ibid.

Chrono-

Chronologia, Ebræi codicis, recenſio vera. 238 a.
de Chronologia ſacra perverſum judicium Baronii. 238 a.
Chronologia vitæ Abrahami. 552 a.
Χρόνοι αἰώνιοι. 61 b.
Chryſoſtomus imaginẽ Dei in dominio conſtituit. 24 a.
Chryſoſtomi negantis in Scriptura Angelos unquam fuiſſe appellatos filios Dei refutatio. 253 b. Sententiæ ejus, de cauſa ſacrificiorum rejectio. 276 a.
חרטמים Chartummim qui 762 a. חכמים Chakamim. 762 a.
חום. 641 b.
חשב Chaſchabh an conveniat cum verbo latino imputandi. 398 b.
Ciborum origo unde? 194 b. Eorum ſanctificatio, verbo quomodo tribuatur? 290 a. Delectus ſuperſtitioſus Pontif. improbatur. 687 b, & ſeq. Cibi Sacerdotum Ægyptiorum. 805 a.
Ciceronis inſigne factum erga Gabinium. 797 a.
Circumciſionem negligentium pœna. 437 b. 439. & deinceps. Ejus inſtitutio. 423 a. Cur facta? ibid. An ſacramentum fuit? 424 a. An baptiſmi à Chriſto inſtituti figura? diſtinguitur. 425 b, & 426 a. Quomodo contulerit gratiam? 425 a. Ejus ſubjectum. 428 a. Cur ſolùm maſculi circumciſi? 430 b. Ejus deſtinatum tempus ordinarium quod & cur fuerit dies octavus? 432 b. Tempus illud antevertere non licuit, ſed differre quidem. 433 a. Circumciſionis inſtrumentum quod? 433 b. Circumciſionis duratio. ibid. Iudæorum pro ejuſdem perpetuitate argumentorum refutatio. 434 a. & deinceps. Quomodo perpetua & non perpetua. 435 a, b. Circumciſionis abrogatio. 434 a. Ejus finis. ibid. Circumciduntur non ſolum mares ſed etiam fœminæ apud Æthiopes Chriſtianos, antequam baptiſentur. 434 a. Quare id faciant? ibid. & b. Circumciſionem veteres hæretici retinuerunt. 434 a. Circumciſionis ritum inter Chriſtianos, etiamnum obſervari poſſe quidam Pontificii judicant. 434 b. Quidam iſtam ſententiam improbant. ibid. Nullo modo licere ſtatuitur. ibid. Calvini ſententia de circumciſionis neceſſitate improbatur. 438 a. Circumciſionis miniſter qualis & quis fuerit. 443 a, b. Apud Iudæos hodie non fit à ſacerdotibus. 443 b. An à mulieribus, & ab unoquoque facta fit? ibid. Ejus abrogatio 434 a, & 35 b. Et cur fuerit abrogata. ibid.
Ciſterna quid? 722 a.
Civitas heroum. 832 a.
Clandeſtina conjugia damnantur. 506 b. A quibus probentur. 507 a. A quibus improbentur 506 b, & 507 a.
Claudicatio Iacobi quamdiu duraverit? 686 b.
Claves quatuor traditæ ſunt in manũ Domini Ebræorum dictum. 633 a.
Clementis Alexandrini ſpeculatio parum ſolida. 362 a.
Qua cæcitate percuſſi fuerunt Sodomitæ, quænam illius fuerint cauſæ? 463 a. Effectus ejus. 464 a, b.
Coëmptio apud Orientales & Romanos in nuptiis fuit in uſu. 624 a.
Cœlibatus non poteſt eſſe materia voti. ibid. a.
Cœlum novum & terra nova. 283 b, 284 a.
Cœlum quando & quomodo dicatur aperiri. 608 a.
Quid cœlorum nomine intelligatur? 528 a.
Cœmeteriorum abuſus in Papatu. 841 b.
Cœna Domini cur dicta ſit ſacrificium. 381 a.
Cogitationes malas dupliciciter dici, Hilarii opinio. 262 a.
Cognationis & affinitatis gradus in Levitico eſſe juris naturalis. 629 a.
Cognitio omnis eſt inutilis ſi non ad praxin revocetur. 452 a.
Cognitio Dei cum circa homines verſatur ſæpe denotat benevolentiam. 450 b.
Cognoſcere ſumitur aliquando pro manifeſtare. 525 b.
Cognoſcere aliquem quid denotet? 460 a.
Nihil cognoſcere præter panem quo quis veſcitur; quomodo intelligendum? 748 a.
Κόλασις quid ſit? 454 a.
Colliſio infantum in ventre Rebeccæ non naturalis. 556 a.
Quando & quoties in die comedebant in calidis regionibus. 802 a, b.
Comedere panem pro juſto convivio. 666 b.
Item pro panem ſumere. 722 a.
Comminatio Adamo facta mortem corporalem comprehendit. 57 a. Non mortem æternam tantùm. 110 b.
Comminationes Dei quando ad certum tempus non aſtringantur? 310 b.
Commixtio ſexuum in ſtatu innocentiæ futura fuiſſe probatur. 53 a.
Concubinæ quæ dicebantur? 549 b.
Concubina pro ſecunda uxore abſque contractu & ſponſalibus ducta. 418 b, 706 a.
Concupiſcentia ſatis ſufficiens cauſſa ad peccandũ. 143 a.
Concupiſcentia non eſt à prima naturæ conſtitutione. 164 b.
Concurſus Dei cum adulteris qualis. 55 a.
Conditio hominis in ſtatu innocentiæ & ſtatu gloriæ diverſa. 53 b.
Comparativum quomodo Ebræi exprimant? 676 a.
Κόνδυ, Condy vox Ægyptia, poculum Perſis proprium, ejus forma. 807 a.
Conjugium quid ſit? 227 a, & 228 b. Deus illud benedictione ſua ſancivit. 54 b. Non debet iniri ſine conſenſu parentum. 126 a, b. In conjugio fidelium conſiderari myſteria Chriſtianæ fidei. 133 a. Thorus conjugalis factus etiam apud gentes. 578 b.
Conſcientia unde dicta. 168 b. Ebræis voce cordis denotatur. ibid. Homines ad latendum impulit. 168 a. Ejus deſcriptio ex Chryſoſtomo. ibid. Ex Ioanne. b.

Propriè dicta quid. 169 a. *Ejus variæ acceptiones.* 169 a. *Bona vel mala quid.* b. *Erronea.* ibid. *An obliget.* ibid. *Impropriè pro dubitatione accipitur.* ibid. *Dubia obligat.* 170 a. *Diſtinctiones pro ratione ſubjecti.* 170 b. *Adamantina tabula.* 171 a. *Quæ in malis vigilat, nullum majus tormentum.* 171 a. *Bona fiduciam gignit.* 659 b. *Quanta ſit ejus vis.* 796 a. *A malâ metus.* 802 b. *Etiam optima quæque in ſiniſtram partem capit.* 802 b, 803 a.
Conſcii ex rebus minimis attoniti. 797 b.
Conſenſus parentum in liberorum conjugio neceſſarius eſt. 506 b, 546 a. *Et contrahentium.* ibid.
Conſilium Abrahami, & ejus finis, de diſſimulando ſuo conjugio. 844 b. *Illius, circumſtantiarum examen.* ibid.
Conſilium Dei & ejus patefactio cui comparetur? 278 b.
Conſiliorum humanorum vanitas. 480 b.
Conſilium Domini ab effectu cur pœnitentia dicatur. 264 a. *Prudens Pharaonis Ioſepho datum.* 466 a.
Conſolari ſe de aliquo, quid? 597 a.
Conſolatio quomodo ſit plena. 279 b.
Conſolatio dum impii dominantur, & pii ſubjiciuntur; unde ſit ſumenda. 310 b.
Conſortium Idololatrarum vitandum. 833 b.
Conſternatio impiorum in die Iudicii. 815 a.
Contentiones inter fratres prohibentur. 827 a.
Conterendi ſatanam virtus quibus diffundatur? 186 a.
Conterere caput ſerpentis. 188 a, 189 a.
Contriſtari non eſt vitioſum. 814 b.
Contractuum humanorum & divinorum myſteriorum differentia. 552 b.
Converſionem omnium hominum quomodo Deus velit? 524 a.
Convivia agitare licet 499 b. *Et quando.* 500 a.
Conviuium Abrahami in die ablactationis filii. 499 b. *Quis ejus finis fuerit?* 499 b.
Convivia Iudæorum hodiernorum in die circumciſionis. 499 b.
Conviviis confirmabantur conventiones & contractus. 666 b, 667 a.
Convivia in ſacrificiis. 802 a.
Conviviorum veterum conſuetudo in cibis apponendis. 804 a.
Cor pro affectu. 653 b. *Cor alicujus furari.* ibid.
Corda hominum Deus flectit. 268 b.
Cordis ſimplicitas, vel contra. 168 b.
Deus flectit cor & voluntatem determinat ſalva libertate. 574 b.
קורה *Korah quid ſignificet?* 461 b.
Coram Iehova. 210 a, 353 b, & 580 b.
in Corpore humano fuit communicatio quædam imaginis Dei. 24 b.
Corpus imaginem Dei ſecundariò gerit. 104 b.
Corpus hominis quare poſt peccatum ab ulla cauſa naturali à morte præſervari non potuerit? 204 a.
Corruptionis cauſſa quæ. 41 b.
Corruptio generalis hominum tempore Noachi & ejus ſcaturigo. 261 b.
כום *nomen.* 807 a.
Coſta in Adamo nulla fuit ſuperflua. 124 b.
Coſta ex qua formata Eva vera Adami coſta. 125 a.
Cotoni criminatio in Genevenſes refellitur. 631 a.
קרא. 234 b, 235 a & b, 337 a.
Craſtinus dies pro futuro. 643 b.
Creare ex nihilo opus Dei propriè. 4 b.
Creare Latinis pro quavis rei productione ſumitur. 10 a.
Creatio operatio Dei incommunicabilis. 10 a & b. *Cur non momento facta* 12 b. *A Simonianis & Gnoſticis indigna Deo judicatur.* 10 a. *Spiritui in ſacris tribuitur.* 15 b. *Animarum non infert novarum ſpecierum creationem.* 63 b. *Hominis nullibi in ſacris Angelis tribuitur.* 14 a.
Creaturæ nomē an κατ' ἐξοχὴν pro homine ponatur? 286.
Creaturæ omnes Deo ad nutum ſerviunt. 476 b.
Credere Deo & in Deum differunt. 398 a.
Credere imputatū Abramo fuit ad juſtitiam. 401 a, b. *Quomodo ei imputatum ſit.* ibid. b. & deinceps.
an Iacob nimiæ Credulitatis debeat inſimulari? 727 b.
an verba Creſcite & multiplicamini ſint præceptū. 55 a.
Criminum & ſcelerum, à peccatis quotidianis ſubrepentibus ex infirmitate diſcrimen. 267 a.
Crudelitas Iſraëlitarum in fratrem Ioſephum. 719 b, 720 a.
קשיטה kesitah, *pro agnis, vel argento aut pecunia ſignata.* 691 a.
Crucis figuram decuſſatis brachiis non expreſſit Iacob. 849 a.
Cubitus cuius in arcæ menſura mentio fit qualis fuerit? 270 b.
Culpa omnis eſt in hominum perverſitate. 458 b.
Cultura horti, in ſtatu integritatis, qualis fuiſſet homini? 194 a.
Cultum aliquem externum Maieſtati divinæ inſtitutum & oblationibus Caini, & Abelis conſtat. 212 a. *An naturali lege cultus externi ſpecies ſit determinata.* 212 b. *De cultus modo Thomæ verba.* ibid. *Optimum modum cultus Dei, eſſe in ritu ſacrificali ſitum Scholaſticorum opinio.* 213 a. refutatur ibid. *An cultus divinus abſque Dei mandato in Eccleſia inſtitui poſſit?* 236 a. *Non fuiſſe cultum arbitrarium.* 275 b. *Publicus Dei cultus reſtituitur à Noacho.* 275 b. *Cultus Dei cura in Iacobo.* 691 a. *De cultu Dei externo quorundam objectio.* 213 a.
Cyrillus explicatus. 40 b.
Cyrilli Hieroſol. verba contra definientem ordinem & gradum Angelorum. 209 a.
כזיב *quid.* 735 b.

D.

D*Æmones à gentibus culti.* 213 a. *Dæmones aliquando in Scripturis filii Dei appellantur.* 257 a.

De

De incubis & ſuccubis. 258 a. *An poſſint generare?* *negatur?* 259 a. *& contraria ſententia refutatur.* ibid. *De dæmonum effectu nefandæ opinionis, Delrii refutatio.* 259 b. *Dæmon dormientibus quomodo aliquid manifeſtet?* 488 b. *Dæmones poſſunt conjuges ligare ita ut ſe mutuò potiri non poſſint.* 498 a.

Δαὶς, δαίτης unde dicitur. 804 b.

Damaſcenus de Imagine Dei. 24.

Damaſcus quæ fuerit? 363 b.

Dan quæ fuerit? ibid.

Davidis & Salomonis regnum quam late fuerit extenſum? 415 b.

דבה *Dibbah cujus nomine fratres detulit Ioſeph quid?* 712 b.

Deboræ mors & ſepulturæ locus. 701 b. *quomodo in comitatu Iacobi fuerit?* ibid. *Cur mortis ejus Moſes meminerit?* 702 a.

Decima quotuplex & cur data fuerit. 385 b. *de decimarum obligationis jure variæ ſententiæ.* 386 a. *& deinceps. qualis fuerit?* 386 a. *an perpetui & divini juris? eorum argumenta qui affirmant.* 386 a, b. *qui negant.* ibid. *explicatio ſententiæ negantis.* ibi. *ejuſdem confirmatio.* 387 a, b. *argumentorum adverſæ ſententiæ ſolutio.* ibid. *examinantur Baronii allegationes.* 388 a, b. *Decimarum debitum erat ex jure ceremoniali & politico.* 387 a. *Decimæ non debentur Eccleſiaſticis ex Iure divino.* 68 b. *An ſub Chriſtianiſmo non debeantur?* 386 a.

Decreta fidei quam firma ſint apud Pontificios. 60 a.

Decretum Dei certum non tollit neceſſitatem mediorum. 466 b. *Decretum an Deus mutaverit ſuum?* 470 b. *Dei decreta nihil affine habent cum hominum vitiis.* 818 a.

Defectus notari quando utile? 86 b. *quibus, quomodo, & quales defectus Deus dimittat?* 241 b.

Deliberatio Dei. 449 b. *& deinceps.*

Delrii furor in Orthodoxos arguitur. 167 a. *ejus Διαβολή.* 177 a. *ejuſdem impudentia.* 178 b. *commentum de poteſtate Diaboli circa virgines refutatur.* 259 b.

Denunciatio an ſemper ſit neceſſaria? 362 b.

Delatores qui & quales? 713 a, b.

Deſponſata uxor habetur. 624 b.

Deus cur non omnia momento creavit. 12 b.

In Deo quicquid eſt, Deus eſt. 14 a. *in creatione cur introducatur conſilium inire.* 67 b. *ei ſibi ſufficienti nihil accedit ex creatione.* 61 a. *momentis temporum non ſubjicitur.* 62 a. *An die ſeptimo opus aliquod fecerit.* 12 a. *quomodo dicatur opus ſuum expleviſſe die ſeptimo.* ibid. *Rabbinorum ſuper ea opinio.* ibid. *Deus quomodo dicatur actus purus.* 63 b. *author pluviæ.* 80 b. *non vult abſolutè ea omnia quæ probat.* 96 a. *peccare non poteſt.* 163 a. *Quomodo ei tribuatur pœnitentia?* 263 b. *eſt immutabilis in ſua voluntate.* 264 a. *quomodo dicat in corde.* 278 b. *quare ſuis promiſſionibus ſigna adjicjat?* 298 a. *alicujus eſſe Deum quid ſit.* 311 b. *ex malo bonum elicit.* 329 a & b. *An apparuerit in externis ſignis Abrahamo?* 341 a. *Additio nominis Dei poſt adjectivum quid ſignificet?* 353 b. *decrevit finem & media ad res futuras.* 413 b. *dicitur aperire & claudere matricem.* 418 a. *ejus erga infirmitatem hominis benignitas.* 449 a, b. *aliquando ulciſcitur impietatem hominum temporalibus pœnis.* 429 b. *cur ſuis futura revelet?* 450 a, b. *quomodo dicitur aſcendere & deſcendere?* 453 a. *cur hominum more in judicium procedit?* 453 b. *longanimus & tardus ad iram.* ibid. *An quibuſdam parcit propter pios?* 455 b. *& deinceps. nunquam ſe ſubmittit creaturis.* 502 b. *quomodo dicatur eſſe cum aliquo?* 506 a. *quomodo velit fieri omnia quæ præcepit, & quomodo non?* 524 b. *quomodo aliquid experientiâ dicatur cognoſcere?* 525 a, b. *cur ſe in ſomno patefecerit.* 605 a. *Deus qui auferri & ſurripi poteſt, Deus non eſt.* 656 a. *Deus omnia ubique ſpeculatur.* 665 a, b. *Deum videre facie ad faciem hominem poſſe in hac vita, ſimul Aff. & Neg.* 685 a. *Deus mala in bonum finem dirigit.* 724 b. *miſericors etiam cum caſtigat.* 746 a. *ex eventu non addiſcit effectus.* 765 a. *non eſſe authorem peccati.* 817 b, & 818 a, b. *non determinare paſſionem ſine actione.* 820 a. *peccati cauſa efficiens eſſe non poteſt.* 821 a. *quomodo promiſerit ſe reducturum ex Ægypto Iacobum.* 829 b.

Dextrum latus ſiniſtro antefertur. 848 b.

Diabolus ſuperbiſſimus ſpiritus. 175 b. *in ſuperbiæ pœnam cœlo deturbatus* ibi. *Ejus maledictio aucta poſtquam præcipitavit hominem in peccatum.* 175 b. *ſæpè in rebus mutis locutus.* 140 a. *autor tentationum primi hominis.* 140 b *tentator.* 142 b. *ejus mendacium.* 148 b. *& in Deum calumnia.* ibid. *tria in tentatione mendacia.* 150 b.

Διαθήκη. 271 b. *generaliter quamlibet notat diſpoſitionem.* 663 a.

Dies aliquando pro tempore ſumitur. 11 b. *Sex dies creationis propriè intelligi debent.* 11 b. *Malè ad allegorias transferuntur.* 11 a. *Satur dierum quid ſignificet.* *vitæ ſaturitas eſt ſingularis Dei gratia.* 552 b. *Dies mali, Ebræa phraſi.* 836 b.

Dilatare aliquem quid ſit? 312 a.

Diluvium quo anno Noachi contigerit? 252 a.

An omnes diluvio abſorpti à regno cœlorum excluſi fuerint? 269 a. *pro contraria ſententia probabilia argumenta.* b.

Dinæ raptus tempus. 692 a, 791 a.

Dionyſius explicatus. 40 a.

Solus Deus de legibus ſuis poteſt diſpenſare. 738 b.

Diſſidium nullum inter appetitum & rationem fuit ante lapſum. 48 a.

Diſſimulatio non omnis in vitio eſt. 789 a.

Divina ſubſtantia produci non poteſt. 86 b.

Divinationibus per ſomnia non leviter fides eſt adhibenda. 488 b.

Divortium à Chriſto damnatur. 129 a. propter adulterium licitum. 131 b.
Dolor quomodo Deo tribuatur. 263 b.
Dolus bonus & malus quid. 646 a.
Dominii jus & uſum in cæteras animantes homo habuit ante lapſum. 44 a. Dominium in creaturas etiam ad ſtatum lapſus pertinet. 44 a, & 46 a. Dominationem in alios homines in ſtatu innocentiæ futuram fuiſſe probatur. 56 b. quænam illa ſit. 57 b. Dominium hominis in animalia diſperditum. 57 b. Ad dominium in creaturas requirebatur juſtitia & ſanctitas. 51 b. Quale dominium homini in animantia fuerit reſtitutum. 287 b.
Dominicus dies inſtitutionis Eccleſiaſticæ. 68 a. eum mutare poteſt Eccleſia pro libertate ſua. ibid. An à Chriſto ſit inſtitutus nec ne. 68 b. rationes pro parte affirmativa. ibid. pro negativa. 69 a, diluuntur argumenta prioris partis. 70 a, b. Dominicum diem aliis ſanctiorem & uſu & effectu aſſerere eſt ſabbathum Iudaicum revocare. 70 a. Cujus tamen profanatio damnanda. 70 a. Dominici diei & cœnæ Dominicæ differentia. 70 a. Dominicus dies in locum ſabbathi non ſubrogatus. 70 a.
Domus quomodo tribuatur Deo in ſacra Script. 618 a.
Quid per domum judicii intelligatur? 325 b.
Ædificare domum in non juſtitia & cœnacula ſua in non judicio, quid? 451 b.
Particula donec non ſemper excludit futurum tempus. 610 b. regula de eadem particula. 611 a.
Donorum varia genera, & de univerſis judicium. 677 b.
Dormire cum patribus ſuis. 840 b.
Dothaim ubi ſita? 719 b.
Druſius de Tetragrammato. 74 b. notatur. 80 a, & 444 a, b. Trem. & Iun. iniquior nec ſibi conſtans. 635 a. Examinatur ejus cenſura, an oſculum in aliquo caſu ſit ſubjectionis ſymbolum? 779 a.
דודאים quid 635 a. Cur eas Rachel tantoperè deſideraverit. b.

E.

Ebræi unde dicti? 318 b. Ebræorum vanum commentum. 581 b. Fingunt Adamum & Evam ſine uſu rationis fuiſſe beatos. 92 a.
Ebræi & Chananæi quomodo ſe mutuò intelligere potuerint? 320 b.
Ebrietas quid ſit. 304 b. In Ebrietate opera peccati quæ fiunt an culpæ imputanda ſint? 415 b. Summo ſtudio cavenda eſt. 486 b. De Ebrietate Auguſtini ſententia. 805 b.
Eccleſiæ forma. 236 b. quando conſpici cœperit. 236 b.
Eccleſiaſtica poteſtas an in gradibus conſanguinitatis poſſit diſpenſare? 738 b. reſpondetur Bellar. ibid.
Ecſtaſis quid. 593 a. genus eſt prophetiæ. ibid.
Ecſtaſis Iſaaci qualis. 590 b.
Ἔκλισε pro ἔκτισε aliquando ſumitur. 384 a.
Eden an ſecundum quorundam nugas extra terram fuerit? 205 b. cui opponatur? ibid. quomodo conſtet Adamum in Edenem fuiſſe introductum? ibi. Ejectio hominis ex Edene quomodo fuerit facta nimis curioſe non eſt inquirendum 206 a. regio Eden. 247 a.
Error in electione agnoſcendus in primo peccato. 164 a.
Electio Iſraëlis duplex. 562 b.
Electionis ad gratiam Evangelicam & juſtitiam & gloriam abſurda diſtinctio. 564 a.
Electio ad gratiam non fit ex prævi ſa fide. 564 b.
In electione Lotho, ab Abramo, datâ quodnam ſit judicium? 353 a.
Electum pro præſtanti aliquando accipitur. 534 a.
Elevare alicujus caput, quid ſit? 758 a.
Elieſeris in ſua legatione ſedulitas & prudentia. 543 a. ejus pietas. ibid. b. an rectè ſignum petierit? 544 a. Omnia bona heri ſui habuit in manu ſua, quomodo hæc verba intelligenda ſint Gen. 24. 10. 543 a, b.
Ellaſar quæ regio fuerit, varia ſententia. 356 a, b.
Elohim Dei virtutes ſonat. 8 a. eſſentialiter & perſonaliter in ſcriptura accipitur. 9 a. ratione plurium perſonarum quomodo vim habeat pluralem. ibid. Et quid ſint tres Elohim Zanchio & Martino. 8 b. Elohim. 149 a. non indicat pluralitatem vi terminationis. b. verbo plurali junctum non eſt ſufficiens probatio trinitatis perſonarum. 495 b. & deinceps.
Ἔμπνευσις. 85 a. quare in nares facta? ibid.
Enallagæ frequentes Hebræis. 7 a.
Enallage ſingularis pro plurali. 663 b.
Eniedinus taxatur. 3 b, & 4 b, 13 a. refellitur. b, 18 b, 77 b, 445 a, b, & 496 a. Ejus Cavillus. 20 b.
Enoch an librum aliquem ſcripſerit? 215 a.
Enochi etymologiæ ratio. 234 a.
An mortuus ſit? 241 b. morte exemptus 242 b. quamdiu vixerit? ibid. Æternitatis candidatus quo ſenſu à Tertulliano appelletur. 243 b.
Ephræmi locus notandus. 612 b.
Ephrata quæ. 704 a.
Ephronis comitas erga Abrahamum. 536 b. Inciviliter ab Ebræis quibuſdam traducta. 536 b.
Epicuri dogma quod Deus omnem curam mundi abjecerit à creatione. 63 a. damnatur. b.
Er quis. 736. quale fuerit ejus peccatum. ibid. nominis ער in רע tranſpoſitio quantum habeat ſoliditatis. ibid. Cur à Deo occiſus dicatur? ibid. b.
Errare quomodo Deo tribuatur? 495 b. An neceſſe ſit errare eum qui peccat in eo quod peccat. 160 a. Quomodo circa errantes majores eorum exemplo utendum? 305 b. Error in perſona irritat contractus humanos. 592 b.
Erubeſcentia cur ſequatur pudorem. 135 b.
Erythræum mare quare ſic dictum. 571 a.
Erythrus quis fuerit. ibid.
Eſau unde dictus. 567 b. num fuerit reprobus. 560 b.

Ejus

Ejus profanitas. 573 a. *cur à parentibus receſſerit?* 672 b. *ſitus regionis quam inhabitavit.* 673 a, b. *quomodo Eſaui dicatur benedictio quæ Iacobo ceſſit? & quomodo potuerit ab eo auferri.* 594 a. *ejus Hiſtoriæ & Genealogiæ utilitas.* 706 b. 707 a. *conciliatio diſcriminum inter nomina uxorum & ſocerorum ejus.* ibid. *difficultas de migratione ejus in Sehir ſolvitur.* 707 b. *Ducum & regum in Eſavi familia diſtinctio.* 708 b.
אשל eſchel, *vocis interpretatio.* 515 a.
Eſt, aliquando, pro ſignificat. 509 a.
Eſſe Dei. 74 b.
Eſſe alicujus dicitur aliquid dupliciter. 594 a.
non Eſſe amplius quid ſignificet? 282 b.
τὸ non eſſe quid ſit. 283 a. 726 b.
Eſſentia divina non eſt ab alio. 75 b. *nec generari, nec produci poteſt.* 75 b.
ἐθελοθρησκείαν *rejicit Deus.* 213 b.
Ethnicorum ſententiæ quibus uſurpandæ? 251 b. *eis nonnulla ex ſcriptis ſacris innotuiſſe.* 454 a. *Diis ſuis arbores ſacrabant.* 513 a.
Eva quando dicta fuerit os ex oſſibus Adami? 196 b. *Eva primæ mulieris nomen.* 197. a. *cur eam ſic denominaverit Adam. Ruperti ſententia.* ibid, b. *de ſignificatione nominis Evæ Ebræorum nugæ.* 198 a. *quorum ſit nomen Evæ mutare.* ibid. *Corruptelæ nominis Evæ, apud Latinos. Pererii confeſſio.* ibid. *An myſterium incarnationis futuræ filii Dei ignoraverit?* 210 b. *Cognitionis beneficentiæ Dei Evæ teſtimonium.* 211 b. *An putarit per Cainum ſe genuiſſe verum Meſſiam.* 210 a. *An agnoverit Sethum loco Abelis, ſibi fuiſſe à Deo poſitum.* 233 a.
An in Euchariſtia alia, quam panis forma ſenſibus noſtris objiciatur. 196 b.
Eunuchus quid? 732 b.
Euphrates quare magnus fluvius appelletur. 414 a.
Εὔρημα *quid Græcis dicatur?* 265 b.
Euſebius vindicatus. 615 b.
Exaudiri quomodo dicantur, quibus petitiones denegantur? 219 a.
Excommunicationis forma in expulſione Adami habetur. 206 a.
Exempla quæ imitanda? 561 a. *exempla quæ maximè moveant?* 218 a. *Dei maximè efficacia.* 65 a.
Exercitus cœlorum Angelos ſignificat in Scriptura. 59 a. *cœli & terræ quid.* 53 a.
Exilii pœnale quomodo Caino innotuerit. 218 b.
Exilii piorum à Caini exil. diſcrimen. ibid.
Expoſtulatio, ubi locum habeat? 362 b.

F.

Fabula de Caino à puero occiſo. 231 a.
Fabulæ Iudæorum, de exercitu Abrami ad duos homines redacto, rejectio. 362 a.
Fabulæ quæ ortæ ſunt ex hiſtoriâ de Sacrificio Abrahami in filio offerendo. 523 b.
Facere aliquid abſolutè, & facere aliquid novum differunt. 5 a.
Facere animas, pro acquirere. 339 b.
Facere miſericordiam cum aliquo. 840 a.
Faciem ſuſcipere alicujus quid denotet? 470 a.
Vidi faciem tuam, quaſi faciem Dei quid? 689 a.
De falſo, Tertulliani dictum. 205 a.
Famam quærere an ſit illicitum. 323 b.
Fames & ſitis etiam in ſtatu innocentiæ homini accidiſſent. 49 a. *Fames quomodo præcavenda.* 767 a. *An ſeptennis fames fuerit in toto orbe* 785 b. *Effecta famis in Ægypto.* 837 a, b.
Familiarum Abrami & Lothi ſeparatio. 352 a.
Familiæ cura ſanctis viris non negligenda. 640 b.
Favoris Dei ſigna quotuplicia? 214 a.
Egreſſi ex femore qui & cur dicantur. 831 b.
Fertilitas & fames convenienter per boves & ſpicas deſignata. 766 a.
Fevardentii furor in Calvinum debachantis ſiſtitur. 488 a. *Ejus petulantia & aliæ calumniæ quædam retunduntur circa inebriationem Lothi.* 483 b, & 485 a.
Ficus folia cur elegerint primi parẽtes. 166 a. *à ficus ligno multæ parœmiæ deductæ* ibidem. *ficus indica.* ibidem. 168 a.
Fidelibus quid peculiare & in revelatione divina ſit? 450 a. *in iis Deus nihil boni prævidit, quod antea in iis ipſe non decreverit efficere.* 450 b.
Fides aliter fuit in Adamo quam in nobis. 159 a. *unde ſit?* 213 a. *Fidem Abrahami quomodo Deus exercere voluerit?* 344 b. *In eo defectum copiarum ſupplevit.* 362 a.
Fides hoſti data ſervanda. 364 a.
Fides qua ratione nos juſtificet. 403 b. *quomodo apprehendat juſtitiam.* 406 a, b. *& ad eam Abrah fuit imputata* 403 b *& deinceps. Non poteſt eſſe ſine rei creditæ aliqua notitia.* 407 a. *Fidei Abrahami teſtimonium, in acquiſitione agri & ſpeluncæ, de promiſſa terra.* 536 a. *Fides & fiducia in piis cum infirmitate luctatur.* 675 b.
Figmentum cogitationis latiùs patet quàm ipſa cogitatio. 262 a. *Figmentum cordis quid.* 280 b.
Ad filiationem qua Adam filius erat Dei quæ requiſita. 43 b.
Filius Dei per modum ſimilitudinis ab eo procedit. 23 b.
Filii Dei nomen quibus tribuitur. 43 b, 234 b, 354 a.
Filius ſecundum eſſentiam à ſe & per ſe Deus. 75 a.
Filii analogicè qui dicantur. 183 a.
Quomodo filii Dei filias hominum, ſibi uxores acceperint quæritur, an ex earum conſenſu, an vi. 254 b. *Cur hujus conjunctionis meminerit Moſes?* 257 b.
In filiis Noachi iterata diſtinctio filiorum Dei, & filiorum hominum. 306 b.

Ars jaculandi per ſe non eſt improbanda. 507 b.
ידעתיו jedaatihu *quid ſignificet?* 450 b.
Vocis יהון jadon *ſignificatio.* 260 a.
Ianus an fuerit Noachus ſic dictus, à יין jajin *à vino.* 301 a.
Iapheti nominis etymum. 252 b. *Natu maximus inter filios Noachi.* ibid.
Iapheto quid commune fuerit cum Semo? 311 b.
Iapheti poſteris quid promittatur? ibid.
Iardenis Planitiei, deſcriptio. 353 a.
ἱκανὸς quid? 420 a, b.
Iconoplaſtarum novorum à priſcis duplex diſſidium. 208 a.
Idumæi à Iudæis ſub jugum miſſi. 558 b. *Circumciſionem ſubire coacti.* ibid.
Idola cur Iacob defoderit, non combuſſerit? 699 b. *An poſt vocationem Abrahami ceſſarit idololatria in eius familia?* 337 a & b. *Idololatria cum crudelitate & inhumanitate coniuncta eſt.* 657 a. *Idololatriæ inſtrumentis ad avaritiam non abutendum.* 699 b. *Abhorrere debent fideles à locis in quibus Idololatria exercetur.* 841 b.
יהוה. 72 a. *Vnde derivetur.* b. *Quomodo legendum.* 73 a. יה. ibid. b. *Eſſentiam & Æternitatem Dei ſignificat.* ibid. *Tribuitur hoc nomen in Scriptura.* 74 a. *Quomodo Maſſoretis appelletur.* 73 a. *Soli creatori competit.* 74 a. *Quomodo perſonis tribuitur.* 75 a. *Nomen id Deus ſibi uni vindicat.* 75 b. *Sancti viri tanquam Dei ſoli proprie uſurpant.* ibid. *Eſt ſingulare & incommunicabile.* 76 a. *Eius duplex uſus.* ibid. *Simplici Angelo non tribuitur.* 76 b. *Quomodo dicatur cœptum invocari tempore Sethi?* 235 b, 236 b. *De eo variæ interpretationes.* ibid.
אחהימים Ethaiemim *ab Hana in deſerto reperti quid?* 709 a.
Ieruſalem quare vocata Iebus? 369 a. *Ieruſalem unde* ibid. *In ea regnaviſſe Melchiſedek quare probabiliſſimum.* ibid. *Cur videns pacem dicta?* ibid. b.
Ieſuitæ Labaniſtæ. 622 b.
Ignavia quibus adverſetur? 195 b.
Ignem pluere quid ſit? 473 a.
Ignis perditionis Sodomæ non fuit ignis æternus, aut gehennæ. 474 a. *Præter naturam de cœlo in terram decidit.* ibid.
Ignorantia rerum cognitu neceſſariarum nulla in Adamo. 117 b. *Probatur.* 118 a. *Idem contra Socinum demonſtratur.* 118 b.
Ignorantia peccati quomodo excuſet? 491 b.
Quid per illudere mulieri intelligendum. 752 b.
Imaginatio cauſa timoris. 814 b, 815 a.
Ad imaginem præter ſimilitudinem requiritur dependentia. 19 b. *Imago an ad naturalia, ſimilitudo verò ſupernaturalia pertineat.* 21 a. *Imago & ſimilitudo apud Moſem unam & eandem rem ſignificant.* ibid. *Inter imaginem & ſimilitudinem an ſit diſtinctio.* 20 b. *Imago Dei in homine perdita quomodo à Patribus dicatur.* 22 b. *Imago Dei in anima tantùm eſſe quidam aſſerunt.* 23 a. *In homine Deum perfectè non retulit.* 23 a. *Ad imaginis rationem tria requiruntur.* 23 b. *Imago Dei perfecta eſt in ſolo Dei Filio.* ibid. *Imaginis aliqua ratio poſt lapſum in homine.* 25 a. *In quo conſiſtat.* ibidem, 49 a. *Ad imaginis perfectionem neceſſaria omnia ad quæ homo renovatur.* 25 a. *Imaginis duplex acceptio.* 26 b. *Imaginis Dei aliquam partem in rebus illis quæ hominibus & non renatis ſunt eſſentialia, conſiſtere cur affirmandum.* 27 b. *Imaginis tota ratio in dominio à Socino ponitur.* 45 b. *Refutatur.* ibid.
Immortalitas variis modis ſumitur. 98 a, 108 b. *Immortalitas primo homini naturalis.* 100 a. *Probatur.* 101 b. *Immortalitas hominis primi ex naturæ principiis profluxit.* 100 a. *Immortalitas primi hominis accidentalis & conditionata.* 108 b. *Immortalitas primi hominis aſſeritur contra Socinianos.* 109 a, & ſeq. *Et vindicatur ab eorundem exceptionibus.* ibid. *Immortalitas imaginem Dei internam conſequebatur.* 109 b.
vir quomodo Imperaſſet uxori in ſtatu innocentiæ. 193 b. *An quicquid homini imperatur, ſit in ejus poteſtate ut volunt pontificii.* 216 b.
Impiorum ſocietas cur maximè cavenda in conjugiis? 255 b. *Communio vitanda.* 359 a.
Inter Impios etiam pii ſunt. 455 a.
Impiorum prætextus piis adverſantium, 462 a. *Eorum exhortationes contemnunt.* 464 b.
Impoſitionis nominis jus ad quem pertinuerit. 198 b.
Impoſſibile quid pie dicatur Deo. 449 b.
Imputandi verbum non de malo tantum dicitur, neq; tantum poſt negationem uſurpatur. 399 a. *Non denotat imperfectionem rei, quæ imputatur.* 400 a. *Vera imputandi ratio ex Salmerone.* ibid. b. *Differentia inter juſtum reputare aliquem & alicui imputare iuſtitiam.* 401 a, b. *Imputationis fundamentum eſſe reale.* 401 b.
Imputari iuſtitiam, & fidem imputari ad iuſtitiam, an differant? 403 b.
Inceſtus filiarum Lothi cum patre an poſſit culpa liberari? 225 a.
De inclinatione appetitus ad malum, & rationis ad bonum, Pontificiorum error. 280 b, 281 a.
De incubis & ſuccubis quæſtio agitatur. 258 a.
Incuria rei alicuius oblivionis nomine ſignificatur in in ſacra Scriptura. 761 b.
Indumentum quid in Scriptura ſignificet? 38 b.
Inebriari aliquando phraſi Ebrææ in vitio non eſt. 303 a, & 805 b. *Inebriatus Noachus rationis uſum amiſit.* ibid. *An ſe inebriando peccarit?* 303 b. *Rationes doctorum pontificiorum negantium.* ibid.
Infantes ipſi cur etiam diluvio perierint? 262 b.
Infans an ſit cogitationum capax? 280 b.

Infantes an fide parentum iuſtificentur? 431 b. & deinceps. *Vera ſententia ſtatuitur.* 432 a.
Infantibus unde inducantur variæ rerum formæ. 645 a.
Infidelitas primus actus primi peccati. 154 b.
Infidelium opera omnia ſunt peccata. 265 b.
Infirmis, quomodo Dominus indulgeat. 279 b.
Deus etiam infidelibus futura quædam revelavit in bonum Eccleſiæ, qui tamen non fuerunt Prophetæ, & quare. 765 b.
Informare corpus quid ſit? 208 b. *An Angeli corpora de novo facta propriè informent?* ibid.
Ingeniorum diſcrepantia unde oriatur. 89 b.
Inimicitiæ hominis in diabolum. 182 a.
Inimicos Deus ſæpè ſuis conciliat & tractabiles reddit. 753 b.
De inimicis diligendis. 797 a.
Iniquitatem compleri aut non compleri quid ſit? 409 b. & deinceps. *Iniquitatis completæ quæ ſit menſura?* 410 a.
Deus invenit iniquitatem eorum quo ſenſu dicatur. 810 b.
Initiatorum vocis varia acceptio. 361 b.
Inobedientia duplex. 156 b.
Innocentia erat hominibus veſtis. 166 a.
Innocentia primi hominis meriti rationem non habuit. 110 a.
Cũ innocentiã conjungendam eſſe prudentiam. 809 b.
Inſpiratio Dei actio eſt ad extra. 86 b.
An per inſidias liceat hoſtem adoriri? 364 a. *Affirmatur & probatur.* ibid. & b.
Integritas originalis in quo conſiſtat? 33 a.
Intellectualis natura ſola imaginem Dei non conſtituit. 22 b.
Fecit intelligere manus ſuas quæ phraſis. 849 a.
Intentio artificis non efficit rem bonam. 50 a.
Intentum eſſe ad malum quid ſignificet? 262 a.
Interceſſioni ſanctorum an faveat quod nonnullos Deus amandet ad ſervos ſuos, ut pro iis orent? 492 b, & 493 a, b.
Interceſſor proprie quis ſit? 493 a.
Interdictum quare notum eſſe debeat. 219 a.
Interrogationes Ioſephi prudentes. 803 b.
Invenire gratiam quid? 265 a, & b.
Invidiæ Caini in Abelem cauſa. 214 b.
Invidiæ fratrum Ioſephi cauſæ 713 b, & ſeq. *Origo & cauſa omnis mali.* 715 b, 720 b.
Invocaſſe nomen Domini? cur Enoch primus dicatur? 235 b.
Invocatio in Scriptura pro toto cultu divino. 235 a.
Invocari nomen alicuius ſuper aliquem quàm malè ſumatur à Pontificiis. 853 b, & ſeq.
Iraſci moderate non eſt in vitio. 814 b.
Irenæi verba l. 2. c. 54. contra definientes ordinem & gradum Angelorum. 209 a. *De loco beatorum opinio.* 248 a.
Iris quæ res naturalis non eſt ſignum diluvii non futuri. 228 b. *An apparuerit ante diluvium.* 299 a. *De illo quorundam objectio, ad eamq́ reſponſio.* ibid.
Irregenitus an juſtitiam poſſit exercere, quæ Deo placeat? 490 b.
Iſaacum & Iſmaëlem inter, differentia conſtituitur. 442 b, & 443 a.
Iſmaël à patre ejectus ubi habitarit? 505 b, 506 b.
Cur in ejus conjugio pater fuerit inconſultus? 506 b.
Iſaacus non fuit infans cum offerretur. 522 b. *Etiam in providentia Dei acquievit cum eum pater offerret.* 522 a. *Ejus rara pietas & heroica virtus.* 523 a. *Tempus matrimonii.* 540 a. *Non deliberatam eſt à patre niſi cum filii conſenſu.* 540 a, b. *Per ejus meditationem in agro quid intelligendum ſit?* 546 b. *Iſaaci in ducenda Rebecca modeſtia & prudentia.* 548 a. *Libere contraxit matrimonium.* ibid. *Solus eſt hæres regni promiſſi.* 549 b. *Iſaaci patientia in exſpectatione ſeminis.* 554 a. *An ideò Abrahamo præferendus.* ibid. b. *Cur prætulerit Eſauo Iacobum.* 569 a. *Cum uxore jocantis factum explicatur.* 577 a. *Ejuſdem diſſimulatio examinatur.* 578 a. *Cur voluerit ſibi ab Eſauo ferinam parari.* 580 a. *An peccarit deſtinans benedictionem Eſauo impertiri.* 581 b. *Excuſatur à peccato etſi nõ ab omni infirmitate.* 582 a. *Cur paſſus ſit Deus errare in aſſignanda Prophetica benedictione.* 582 a. *Et an error benedictionem irritam reddiderit.* ibid. *Ejus mors & ſepultura.* 706 b, *Adhuc in vivis fuit cum venderetur Ioſeph.* 712 a.
Iſcha. 126 b. *Malè redditum à 70 per γυνὴ,* ibid.
Iſmaël an excludatur à fœdere divino? 443 a. *Iſmaëlis luſus qualis fuerit in convivio Abrahami.* 500 a. *Ejus poſteri excluſi fuerunt à promiſſionis pactis cum Abrahamo.* 503 b. *An fuerit Agaræ humeris impoſitus?* 504 a. *Cur dicitur Deus audiviſſe vocem Iſmaëlis afflicti in deſerto.* 506 a. *Qualis clamor ejus afflicti in deſerto fuerit?* 506 a. *Ejus vitæ genus quod fuerit?* ibid. *Ejus poſteri à parte matris originem ab Ægypto duxerunt.* 506 b. *Deus quomodo cum eo fuerit?* ibid. *Iſmaëlitæ nondum planè receſſerunt à vero Dei cultu cum Eſau patruelem duxit uxorem.* 601 b. *Iſmaëlitæ & Madianitæ an diſtincti populi?* 723 a.
Iſraëlitarum peregrinationis in Ægypto cauſa. 835 a. *Eorum multiplicatio ibi.* 839 a.
Iſraëlis etymum & ſignificatio. 684 a.
Iobab an fuerit Iob? 710 b.
Iobus fuit Idumæus. ibid.
Ioſephus Hiſtoricus explicatur. 116 b. *Ejus licentia nimia.* 751 a. *Serpenti & reliquis animalibus ante peccatũ vim loquendi tribuit.* 140 a. *Ejus ſententia de fuga Noachi in aliam regionem in qua fabricavit arcam procul à conſpectu hominum reiicitur.* 270 b.
Ioſephus unde dictus. 638 a. *Ejus hiſtoria.* 711. *Quo*

ætatis anno venditio ejus acciderit? ibid. *Cur adjunctus fuerit in arte paſtoritia ancillæ filiis?* 712 b. *An fratres apud Patrem detulerit?* 712 b. *cujus nomine detulerit?* ibid. *an laudandum ejus factum?* 713 a. *Invidiæ fratrum in eum cauſæ.* 713 b. *affectus Iacobi in eum cauſa.* 714 a. *ſomnia ejus.* 716 a. *an ea narraverit jactabundus?* 717 a. *cur immiſſa?* ibid. *quæ fuerit Ioſeph mater cujus Iacob meminit in ſua objurgatione?* 717 b. *fratrum ejus in eum crudelitas.* 719 b. 720 a. *venditur.* 724 b. *pretium venditionis.* ibid. *cur dictus fuit Eunuchus.* 747 a. *ejus Herus præfectus ſatellitum.* 747 b. *Exemplum præſentiæ divinæ apud pios in miſeriis conſtitutos in perſona Ioſephi.* 747 b. *elegans ejus deſcriptio ex Theodoreto.* 749 a. *de anno ætatis ejus quando in carcerem fuit detruſus.* 749 a. *ejus tentatio.* ibid. *ejus Heræ impotentia & impudicitia.* 749 b. *Argumenta quibus heram ſuam ab illicita poſtulatione avocare conatur.* 750 a. *ei vis illata & ſanctè repulſa.* 751. a. *quam duriter initio habitus Davidis teſtimonio probatur.* 753 a. *liber in carcere quomodo compedibus ſolutus?* 754 b. *gradus evectionis ejus.* ibid *ſpiritum propheticum habuiſſe.* 758 a. *petitio eius à pincerna.* 758 a. *an in ea peccaverit, negatur.* 758 b. *quomodo fuerit furto ſublatus.* 759 a. *quare opus fuit ut tonderetur, & veſtes mutaret, priuſquam ad Pharaonem accederet.* 763 b. *falſo referunt Ethnici eum artes magicas didiciſſe.* 764 a. *eius pietas & modeſtia.* 764 b. *cur promittat pacem Regi, nondum audito ſomnio.* 764 b. *an juſtè ſuaſerit Regi quintam proventus accipere? diſquiritur.* 766 a. *inſtituitur prorex.* 768 a. *quanta mutatio in eo, ex oppoſitione prioris & poſterioris ſtatus.* 780 a. *nomen novum inditum ei, de cuius ſignificatione inquiritur.* 781 a. *Deus abundè eum in hac vita compenſavit pro iis quæ paſſus eſt.* 781 b *in exaltatione ſua fuit typus Chriſti & piis exemplum.* 781 b. *ſocer eius quis, an prior herus?* 782 a. *an ab Ethnico Principe potuerit bona conſcientia delatos honores recipere? Affirmatur, & explicatur.* 782 b. *ducens uxorem infidelem à peccato liberatur, ob diverſas rationes.* 783, & 784. *ubi quæſtio de diſpari cultu ventilatur. Ætas eius cùm ſe ſtitit Pharaoni.* 784 a. *Nomina filiorum eius, & eorundem ſignificatio gratitudinem eius indicans.* 784 b. *quomodo oblitus fuit domus patris ſui.* ibid. *non eſt dubitandum quin filii eius fuerint circumciſi.* 785 a. *Quî factum ut toto octennio de familia paterna non inquiſierit?* 785 a. *eius ſumma prudentia in frumenti diſpenſatione.* 785 b. *quare eum non agnoverint fratres ipſius.* 788 a. *quo animo durè cum eis egit.* ibid. a. *quare ipſe exteris frumentum diſtribuerit.* ibid. b. *quomodo aſſeveraverit fratres non reverſuros, quorum tamen poſtea decem laxavit?* 793 b. *an in patrem durius non egerit quam debuiſſet? excuſatur.* 794 b. *ſuper triduo carceris fratrum quorundam conſiderationes.* 794 b. *in carcerem ad culpæ ſuæ agnitionem deducuntur.* 795 a. *eius in ipſa ſeveritate erga fratres* στοργή. 796 b. 803. *prudens interrogatio.* 803 b. *apud ſuos Dei cultum ſtatuit.* 803 b. *ſomnii eius impletio.* ibid. *cur ſeorſum à fratribus comederit.* 804 a. *qua arte fratrum accumbentium ordinem obſervarit, an magiâ?* 805 a. *explorat animum fratrum erga Beniaminum* 805 b. *an peccarit & an excuſandus quod furtum falsò fratribus impegerit?* 806 a. *an eius mendacium habebat formaliter rationem calumniæ* 807 a. *utrum interrogatio an aſſeveratio fuerit Ioſephi accuſatio fratribus intentata?* ibid.

Ioſephus particeps culpæ œconomi ſui cur? 808 b. *quibus rationibus fratres Ioſephi ſe purgant.* 809 b. *Ioſephus ab omni illicitæ vaticinationis ſuſpicione purgatur.* 809 a. *Imprudens reſponſio fratrum ejus & ex ea documentum.* 809 b. *convicti pœnæ ſe ſubjiciunt.* 810 a. *ejus commotio extraordinaria.* 813 b. *cur receſſum petierit ut ſe fratribus manifeſtaret.* 814 a. *Quomodo vox ejus in domo Pharaonis audita eſt.* 814 a. *ejus modeſtia & clementia.* 815 b. *conſolatur fratres.* 815 b. 816 a. *quo anno ſterilitatis acciderit ejus cum fratribus congreſſus.* 816 b. *Quid per evaſionem magnam intelligat.* 816 b. *charitas ejus in excuſandis fratrum ſuorū peccatis.* 817 a, b. *adſcribit Deo ſuam in Ægyptum miſſionem.* ibi. a, b. *ejus ablegatio fuit opus fratrum ſuorum & ſimul opus Dei.* 818 a. *Quomodo conſtitutus fuerit pater Pharaonis.* 825 a. *non ex inani jactantia fratribus commemorabat beneficia quibus fruebatur.* 825 a, b. *An non debuit potius patrem alere in terra Canaan?* 825 b. *An jure potuerit ſuos in regnum vocare & promittere ſuſtentationem non petita venia.* 826 a. *omnibus charus de omnibus meritus.* 826 a, b. *Chriſti typus dum oculos patri clauſit.* 829 a. *ejus prudentia & modeſtia.* 833 a, b *poſſeſſionem quomodo dedit patri.* 836 b. *Lex de quinta parte regi ſolvenda quomodo ab eo procurata.* 837 a, b. *An debuerit infidelibus ſacerdotibus proſpicere.* 838 b. *An juſte ſacerdotibus idolorum ex regio demenſo portionem tribuerit?* 838 b. *duos filios eius voluit Iacob facere duas tribus.* 847 a. *Ætas filiorum eius cum eis benedixit avus.* 848 a. *cur ſe incurvaverit poſtquam filii ſui benedictionem ab avo accepiſſent.* 848 a, b. *Collocatio filiorum eius pro ætatis ratione.* 848 b. *benedictionis filiorum eius formula.* 849 a.

Iſſachar quid ſignificet. 636 b.

Iudæ conſilium de vendendo fratre. 723 a. *eum non abſolvit.* 724 a. *Hiſtoria de coniugio & inceſtu eius.* 734 a. *cuius hiſtoriæ Chronologia difficilis.* 734 a, b. *Paræi conciliatio ut & Merceri ac Cappelli improbatur.* ibid. *alia affertur.* ibid. *Iudam duxiſſe uxorem Chananæam.* 735 a. *ſine conſenſu parentis.* ibi. b. *nativitas & nomina trium filiorum eius.* ibid. *pro paterna*

terna poteſtate dediſſe filio uxorem. 736 a. *Quomodo nurum ex voce non cognoverit?* 742 b. *eius factum cum Thamara ex utriuſq; parte inexcuſabile.* 743 a. *Quo iure ſententiam capitalem in Thamaram pronunciaverit, & eam poſtea liberaverit?* 744 a. *Iudicium fuiſſe præcipitatum & crudele.* 745 a. *cur eam ſe iuſtiorem agnoſcat?* 745 b. *eius ingenuitas in confeſſione peccati ſui, & eiuſdem pœnitentia.* ibid. *cur potius quàm Ruben Beniaminum impetravit à patre.* 801 a. *eius fides inviolata in parentem & in fratrem.* 812 b. 813 a.

Iudæ tribus benedictio. 867 b. *eius fortitudo.* 868 a. *in ea quomodo perſtiterit regnum & legiſlatio uſque ad Meſſiam.* 872 b. *Pererii ſententia.* 874 a, b. *authoris ſententia proponitur.* 876 b.

Iudæorum ſophiſtica in excuſando homicidio. 721 a.

Iudæi interpretes falsò Ioſephum ambitionis inſimulant. 786 b.

Inſulſum eorum commentum de Ioſephi emptione à Putipharo. 782 a. *ſuperſtitioſiſſima obſervatio.* 800 b. *audacia in confingendo.* 810 a. *commentum de ſpiritu prophetico Iacobo reſtituto.* 827 b. *deliria circa curam Iacobi de ſepultura ſua.* 840 b. 841 a.

Iudex juſtus, ad vindictã quomodo procedat? 359 a. *Iudiciorum Dei cauſa.* 279 a. *Iudices inter homines quare Deus ſtabilire voluerit?* 294 a. *Ad Iudicia extraordinaria Deus procedit propter 4. principales cauſas.* 410 b. *Iudicium aliquando ſignificat præceptum Dei.* 451 b. *Iudicium & iuſtitia aliquando ſignificant quicquid à Deo per verbum revelatum eſt.* 451. b. *Iudicium præceps de incognitis periculoſum.* 657 a. *Iudicium ex eventu fallax.* 645 b. *Dei Iudicia ſemper iuſta.* 475 b. & 796 a. *Iudiciorum ferendorum ratio tempore Iudæ.* 744 b.

Iuliæ impudens dictum. 494 b.

Iuliani amentia. 808 a.

Iuramenti formula apud multas gentes uſitata. 390 b. *Deus cur iuraverit Abrahamo?* 528 b. *Iuramenti bene uſurpati ſanctus eſt uſus.* 529 a. *Iuramentum à Deo Abrahamo ſanctum cur περισσότερον ad Hebr. 6. ℣. 17. dicatur?* 529 a. *cur veteres quidam ab omni iuramento viſi ſint abhorrere?* 529. ibid. *Quid ſibi voluerit ritus jurantis, ponentis manum ſub femore.* 540 b. & *deinceps. Iuramenti inter Labanum & Iſaacum formula.* 665 b. *Iuramentum an liceat exigere ab eo, qui juraturus eſt per falſos deos.* 666 a, b. *Iuramenta per creaturas illicita.* 792 a. *Diſtinctio inter juramentum & obteſtationem.* 792 b. *Iuramentum Ioſephi expenditur.* 791, 792

Iuriſdictio regum in Eccleſiaſticos. 833 a, b.

ad Ius naturæ quot præcepta pertineant? 225 b. *quid dicatur eſſe contra jus naturæ.* 226 a. *An jus hominis in reliqua animalia limitibus careat.* 288 a. *nullus juſtificabitur coram Deo, quomodo dicitur,* 810 a. *Iuſtificationis primæ & ſecundæ diſtinctio examinatur.* 404. a, b. *Iuſtificare accuſationi opponitur.* 810 a.

Iuſtitia originalis an fuerit hominis naturæ per gratiam ſuperaddita. 28 a. *quomodo fuerit naturalis?* 30 a, b.

Iuſtitia originalis quare ſic dicta. 32 a. *in uno habitu non conſiſtit.* 32 a. *non fuit aliquid aggregatum.* ib. b. *quid ſit propriè.* 32 b. *quomodo illa ſe habuerit ad omnes habitus.* ibid. *eius ſubiectum.* 33 a. *quomodo relatio dicatur.* ibid. *eius effectus.* ibid. *quomodo dicatur naturæ debita* 35 a. *quomodo ſupernaturalis dicatur.* 35 a. *eam primo homini Socinus negat.* 46 b. *refutatur.* ibid.

Iuſtitia Ethica non eſt perfectio hominis naturalis. 50 b.

Iuſtitiæ originalis requiſita. 51 a. *Iuſtitia & injuſtitia ἀμέσως opponuntur in ſubiecto capace.* ibid.

Iuſtitia & ſanctitas requirebantur ad dominiũ in creaturas. 51 b.

Iuſtitia & ſanctitas præſtant dominio. 46 a.

Iuſtitia originalis in quo conſiſtat. 76 b.

Iuſtitia inhærens qualis tribuatur Noacho? 266 a.

Iuſtitia fidelium, prima, quæ? 265 a.

Ad iuſtitiam Dei erga impios quid ſufficiat? 280 a.

Iuſtitiæ facti & iuſtitiæ perſonæ diſtinctio. 401 b. 443 a.

Iuſtitia & iudicium quid aliquando ſignificent? 451 b.

Facere iuſtitiam & iudicium quid? 451 a & b.

An Iuſtum cum iniuſto perdat Deus? ſi faceret an ius eſſet? 454 b. & *deinceps.*

Iuſtitia quotuplex? 455 b. *quænam hominem reddat Deo gratum, & quæ non?* ibid.

Iuſtitiæ divinæ exemplum horrendum in Sodomæ perditione. 474 a.

Abraham quales Iuſtos in Sodoma putaverit? 455 a, b.

K.

Kethoneth. 714 b.

Kethura Abrahami uxor non fuit Hagara. 549. a. *quid nomen illud ſignificet quorundam ſententiæ.* 548 b. *Kethura quomodo fuerit concubina & quomodo uxor?* 549 b. *Populi ex Kethuræ filiis orti, quas regiones incoluerint?* 550 b.

Kibrats ærets quomodo intelligendum? 703 b.

L.

Laban unde dictus? 627 b. *Ejus pactum cum Iacobo.* 622 a. *iniquum.* 624 b. *ejuſdem avaritia, fraudes & æquivocationes.* b. *factum impiũ.* 625 b. *fraudulentum reſponſum.* 626 a. *injuriarum in Iacobum multiplicatio.* 627. b. *ſecundum pactum cum Iacobo mala fide initum.* 639 a. *Somnium ejus.* 655 b.

Laborare quinam non videantur? 195 b. *An boni vivant abſque labore?* ibid.

Labor, cui rei comparetur? 195 b.

Lactare liberos de uno etiam dicitur. 499 a.

Lachrymæ Eſavi quales. 596 b.

Laïs cur Dan, Cæſarea & Neronia dicta fuerit? 363 b.

De lapſu hominis hypothetica quæſtio. 191 a.

Latini ſæpe retinuerunt menda librariorum. 179 b.

Laudare ſe & laudabilia ſua facta referre cur pii aliquando cogantur. 659 b.

Laus fidei Abrahami. 339 b.

Lamechi, filiorum nomina induſtriæ & artis. 223 a.

De oratione ejus plerorumque ex Pontificiis ſententia. 230 b.

De Thraſonica ejus ad uxores ſuas oratione variæ variorum opiniones. 231 a.

Quomodo à Moſe depictus. 232 b.

De punitione ejus quorumdam opinio. 233 a.

Lenticulâ primogenituram vendere quid ſignificet. 573 a.

Leſſii Ieſuitæ de ſacrificiorum oblatione opinio. 212 a.

Ejus ſententia de Dei providentia. 819 a.

Levare manum quid. 390 b. & 391 a. quomodo Græcis dicatur. 390 b.

Lex naturalis homini indita ab initio. 34 b. Legum civilium in ſtatu innocentiæ neceſſitas nulla. 56 b. Legum divinarum aliæ naturales aliæ poſitivæ. 67 b. quomodo utræque obligent. ibid. poſitivæ unde dictæ. ibi. & 96 b. Lex naturalis perfectiſſime Adamo indita. 94 a. Lex poſitiva cur fuerit addita legi naturali inditæ Adamo. 94 b. ſine lege poſitiva non bene potuiſſet declarari obedientia aut inobedientia. 95 a. Perpetua fuiſſet ex ſe. ibid. facilis erat. b. Legis fines varii 165 b. An naturali lege cultus externi ſpecies ſit determinata. 212. b. an Lex Dei extra ſtatũ gratiæ poſſit ſervari? 241 a, b. Lex naturaliter homini inſita 254 b. An lex in hac vita patefecta poſſit impleri. 267. b. Legis, de non comedenda carne cum ſanguine abolitionis, cauſa. 291 b. Tempus ante legem latam malè vocatur lex naturæ. 613 a. Lege naturali omnes vagæ libidines illicitæ agnoſcuntur. 743 a. Lex talionis. 796 a. Diſtinctio præceptorum, ſtatutorum, & legum 575 b. Lex de quinta parte regi ſolvenda, quomodo Ioſepho procurata. 837 a, b.

Vocis לחם propria ſignificatio. 207 a.

Liberi, donum Dei. 847 b. Liberi cur dicantur fructus ventris? 397 a. Liberi non magis debentur naturali affectioni quàm divino honori. 211 b.

Libidinis ardor homines excœcat. 743 a.

Libertas à ſervitute corruptionis quid ſit. 285 b.

Libertatis diſtinctio ex Bernardo. 24 a,

Lilis Talmudiſtarum. 127 a.

Limbus Patrum. 730 a.

Lingere puluerem ſummæ abjectionis ſignum. 174 b, & 175 a.

Quæ fuerit lingua qua initio omnes homines ſunt uſi. 317 a. Ebræam fuiſſe probatur. ibid. quare ſancta appelletur? 318 a. à quo ſic dicta? ibid. Linguam Ebræam ab Ebero dici, Fulleri rationes. 318 b. Argumenta Erpenii contra. ibid. & 359 a. Quid per linguam Chananæã intelligi debeat? ibi. Linguæ Caldaicæ ab Ebræa tempore Abrahami diſcrimen. 320 a. Linguarum diverſitas unde. 321 a. Confuſio linguarum fuit opus divinum. 326 b. quo ordine in ea uſus fuerit Deus? 327 a. An fuerit in omnibus in deſtructione turris Babel? b. quare neceſſaria, ibid. An multiplicationis & diviſionis linguarum ſub Nimrodo, & initio Chriſtianiſmi fuerit eadem ratio. ibid. Lingua quæ intelligatur in ſacris eſt neceſſaria? 329 b. Opinio falſa de origine variarum unde orta? 329 a. Quomodo in multiplicatione linguarum fuerit pœna? 329 b. Quare multiplicatio linguarum fuerit neceſſaria. ibid. illius effecta. 329 b. Quare illarum uſus Apoſtolis communicatus? ibid.

Locus in cœlis piis paratus. 244 b. Mutatio loci nos tutiores non facit ſine ſpeciali Dei auxilio. 481 a. Deus quomodo dicatur eſſe magis in uno loco quam in alio: 611 a. Locus aliquis unde reverendus. 611 b. Loca per ſe nulla ſancta. 613 a. Locorum diſcrimen Veteris Teſtamenti ceſſavit. 613 b. 618 a. Sanctitas locorum relativa non inhærens. 613 a. eaque duplex. ibid. Loca ſacra ſub V. Teſt. defunctorum cadavera non recipiebant, nec ſub novo debent. 842 a.

Lombardi error notatur. 6 b.

Longævitatis patrum cauſſa. 240 a. ad quid utilis? ibid.

Longanimitas Dei commendatur. 261 b.

Loqui à bono uſque ad malum. 655 b.

Lothi & Abrami ſeparatio, captivitatis Lothi quæ fuerit cauſa? 358 b. Caſtigatio ejus juſta, & cur. 359 a,

Filiæ Lothi ei non propinaverant medicatum vinum. 454 a. comitas ejus & honorifica compellatio erga hoſpites. 457 a. ejuſdem ſinceritas & conſtantia in hoſpitibus tuendis. 459 a. & 460 a. cur inter Sodomitas habitaverit? 459 b. Lothi conſilium filias ſuas Sodomitis offerentis, ut vim eorum ab hoſpitibus arceret, examinatur. 468 b. & deinceps. Ejus ſollicitudo in hoſpitibus tuendis. 461 b. Lothi generos cur Deus voluerit ad eandem cum ſocero ſalutem invitari, quam noverat rejecturos? 464 a, b. Generi, cur ita dicantur 465 a, b. Lothi cunctatio ex infirmitate. 466 a. Ejus meritis non tribuendum eſt quod ſervatus fuerit. 467 a. Cur ei prohibitum fuerit reſpicere poſt tergum. 467 a, b. hanc prohibitionem quomodo dæmones imitentur? ibid. b. Reſpicere retro quid ſignificet in S. literis? 467 b. & deinceps. Lothi obedientia. 468 a. Quem invocavit is fuit Deus, non angelus creatus. 468 a, b. Ejus infirmitas in eligendo ſibi loco refugii. 469 a, b. 480 a, b. verba, non poſſum in monte ſalvari, quomodo intelligenda. 469 a. Ejus uxor an in transformatione retinuerit formam muliebrem & ſexus notas. 477 a, b. Ejus metamorphoſis opus divinæ potentiæ. 477 a. in quem finem 477 b, & 478 a. Quanta culpa fuerit ejus 478 a. quot vitia fuerint implicata in iſto facto. 478 b. Fabulæ Ethnicorum, quæ ex hac hiſtoria ortæ. b. Lothi liberatio cur

tio cur

tio cur tribuatur recordationi Dei de Abrahamo. 479 b. *De Lothi ebrietate & inceſtu.* 483 a. *Filiarum ejus magna levitas.* 483. *Lothi inebriatio non poteſt à peccato excuſari.* 484 a, b. *& deinceps. Deus cur Lotum in inceſtum prolabi permiſit.* 486 a, b.
Lucta Iacobi. 178 a. *quis vir fuerit qui cum eo luctatus ſit.* ibid. *lucta hæc non fuit ſpiritualis, nec Angelus fuit auxiliator Iacobi adverſus dæmonem.* 680 b. *lucta fuit corporalis.* 681 a. *eius duratio.* ibid. *eventus.* ibid. *unde impoſſibilitas vincendi in colluctatore Iacobi?* ibid. *pugna non fuit ludicra.* 682 a. *ſed ſymbolica.* ibid. *cur Deus in ea voluerit luxare femur Iacobi?* 682 b. *finis luctæ.* ibid. *allegoriæ inutiles.* 683 a.
Luctæ Dei quæ. 634 a.
Luctus dies qui. 597 a.
Luctus in morte propinquorum qualis conceſſus? 533 a.
An Iacob in luctu exceſſerit modum? 727 b. *quid in luctu fieri debeat?* ibid. *quas veſtes lugubres hodiè adhibeamus?* 728 a, b. *luctui certi dies præfixi.* 729 a.
Luna quare dicta regina? 59 a.
An quædam Lutherus, ut volunt Pontificii pro polygamia ſcripſerit? 223 a.
Lutheranorum calumnia retunditur. 603 b.
Luza ubi ſita. 602 b
Luzæ civitatis nomen mutatum. 613 a.
Lyranus Deum hominis forma indutum inſufflaſſe in nares hominis aſſerit. 86 a.

M.

Macedonii ad Theodoſium gravis admonitio. 657 a.
Mactatio Iacobi in monte an fuerit ſacra? 667 a, b.
Mactare mactationem non ſemper de ſacrificiis. 802 a. *de quo obſervatio Caſauboni.* ibid.
מטעם *quid.* 385 a.
Magiſter ſomniorum. 720 a.
Magiſtratus in homicidâ condemnando quomodo ſeſe gerere debeat. 294 b.
Mahometis de vino fabula. 302 a, & b.
Mahumetani uxores brutorum loco ſtatuunt. 134 b.
Majeſtatis divinæ conſideratio ad fidem non ſufficit. 610 a.
Maldonati inſolentia redarguitur. 757 b.
An maledictio tam corporeum quam incorporeum ſerpentem feriat 172 a, *examinantur variæ opiniones.* ibid. *& utrumque feriiſſe probatur.*
Maledictio & benedictio terræ quid ſpectet? 194 a.
Maledictionis nomen pro quo ſumatur. 279 a.
Maledictio Chanis quomodo accipiatur. 307 a.
Mali non datur propriè cauſa efficiens ſed deficiens. 163 a.
Malitia moralis quid? 226 a.
Malum pœnæ, an redimendum ſit aliquando malo culpæ. 349 a.
Malum eſt in oculis tuis quid ſignificet? 502 a.
Mali & peccatores qui dicantur? 353 b.
Qualе fuerit malum quo Deus percuſſit domum Abimelechi? 497 b. *& deinceps.*
Mamre quis fuerit & qualis erga Abramum. 355 b.
Manachaim locus, cur ita appellatus? 269 a.
Mancipia pro temporis ratione habere potuit Abram. 362 a. *An inter Chriſtianos poſſint eſſe?* 725 b.
Mandatum Dei ad Abramum & ejus circumſtantiæ. 337 a. *Illius mandati elegans exaggeratio ab Auguſtino.* 338 a. *An juſtum fuerit?* 518 a, b. 520 a.
Lex Dei aliquando, niſi ſtricte ſumatur, quodlibet Dei mandatum denotat. 451 b.
Mandragoræ an juvent fœcunditatem. 635 b.
Manichæi. Fauſti in Iacobum calumnia retunditur. 629 a. *Ejus blaſphemia in ſacra ſcripta.* 578 a.
Manui tradere quid ſit? 287 a.
Manum alicujus eſſe contra aliquem, quid ſit? 419 b.
Manuum impoſitionis ritus. 849 b.
Mariæ an aliqua ſit in Chriſtum poteſtas? 502 b.
Marii Colonienſis calumniæ. 231 a. & 613 b.
Idem pro Hilarione mago in Caſaubonum invehitur. 808 a. *Ejus oſcitantia.* 677 a. *Falſa expoſitio de Ioſephi augurio & œconomi verbis.* 808 b. *Marii argumenta adverſus illud an Angelus creatus fuerit quem Iacob Deo conjunxit & refutatio eorum.* 851 b.
Maſſilienſium cautio adverſus otium. 835 a.
Materia terreſtris aptiſſima eſt ad actus animæ rationalis. 83 a.
Cur Mathematici Chaldæi dicti. 335 b.
Matrimonium non eſſe ſacramentum contra Pontificios probatur. 192 b. *Iudæi omnes legi matrimonii ſubiiciunt.* 121 a. *Pontificiorum inter ſe diſſidium pro ſacramento Matrimonii.* 132 a. *Allegoriæ de Matrimonio.* 133 a, & b. *Pontificii quatuor bona matrimonii contra quatuor mala à Paulo numerari putant.* 192 b. *An matrimonia primo gradu conſanguinitatis jure divino fuerint prohibita.* 219 a. *Pontificiorum opiniones examinantur.* 219. *De matrimonio inter fratres & ſorores pontificiorum opinio.* 220 a. *Matrimonium inter fratres & ſorores apud Ægyptios & alias gentes improbatum fuiſſe Herodiani teſtimonium.* 220 b. *Cur initio conceſſum?* 221 a. *Quâ lege Deus diſpenſaverit in initio mundi Bellarmini opinio.* 221 b. *Primæva matrimonii inſtitutio apud Chriſtianos eſt obſervanda.* 228 b. *Matrimonium indiſſolubile eſt.* 465 b. *Ejus cura Parentibus debet relinqui.* 483 a. *In eo requiritur utriuſque contrahentis & parentum conſenſus.* 546 a. *an tempore Iacobi prohibitum fuerit cum incircumciſis?* 693 a.
Matrimonium inire cum infideli, etiam & hæretico aut Idololatra illicitum eſt in Repub. Chriſtiana. 782 b.
Matronarum quarundam pro ſervanda caſtitate conſtantia. 349 a.
מצבה *matſſebah* 611. *& pro rudi lapidū congerie.* 664 a.
Manum ſuper oculos ponere, quid ſit. 829 a.
מקצה *quid ſignificet.* 834 a, b.

Mediorum uſum & neceſſitatem non tollit notitia certa prædictionum de futuris eventibus. 598 b. *Mediorum adhibitio non repugnat fiduciæ in Deum.* 677 a. *Poſt ea adhibita ad preces recurrendum.* 801 a.

Melchiſedec quis fuerit? 368 a, 370 a. *De eo ſententiæ duæ communiſſimæ de hæreſi Melchiſedekianorum.* 369 b. *Sententia Hieracitarum & aliorum qui negant hominem fuiſſe.* ibid. *Argumenta quinque afferuntur ex authore quæſt. V. & N. T.* 370 a. *Illarum ſolutio.* ibid. & 371 a. *Quomodo Sacerdos fuerit in æternum?* ibid. *Qua ratione ἀγενεαλόγητος dicatur?* ibid. *Et quomodo ſine patre & ſine matre.* ibid. *Defenditur interpretatio contra doctiſſimum virum.* ibid. & 372 a. *Probatur Melchiſedecum fuiſſe verè viventem.* ibid. *Et filium Dei, tum Sacerdotem non fuiſſe.* ibid. *Refellitur qui regium apparatum, & Sacerdotalem ad σχῆμα refert.* ibid. *Quomodo aſſimilatus fuerit filio Dei.* 373 a. *An Sem fuerit Melchiſedek?* ibid. *Ejus cum Chriſto ſimilitudo, vel ordo non reſpexit panis & vini ſacrificium.* 382 a. & deinceps. *Melchiſedeki & Aaronici Sacerdotii diſtinctio.* 376 b. *Melchiſedek communicavit Abramo panem & vinum.* 375 a. *Non obtulit Deo.* ibid. & ſeq. *Suſtinuit perſonam Regis & Sacerdotis.* 376 a. *Potius geſſit figuram Chriſti, quàm Abel.* 377 a. *Multa habuit, quæ ipſi cum Leviticis non fuerunt communia.* 377 a & b. *Deum autorem victoriæ celebrat, non hominem.* 384 a. *Melchiſedeki benedictio explicatur.* 384 a, & deinceps. *Non fuit typus miniſtrorum Euangelii ſed unici Sacerdotis Chriſti.* 388 b.

Memoriæ verba Deo tributa notant affectum & effectum. 637 a. *Memoria propriè Deo non tribuitur.* ibid.

Memoria ſine fide nihil valet. 298 a.

Mens humana per ſe non agit niſi principiis agendi inſtructa. 52 a. *Principia illa quæ.* ibid.

Mendacium ubi locum habeat? 458 a. *Mendacium eſt actus intrinſecè malus moraliter.* 584 a. *Mendacium officioſum etiam peccatum eſt.* 658 a. *Nullum eſt mendacium ſine pernicie ejus ſaltem qui mentitur.* 806 b. *An jocoſum non ſit grave peccatum.* 806 a, b.

Menſis ſecundi civilis nomen ex Ioſepho. 273 b.

Mentiti an fuerint Abraham & Sarai. 347 b. *In hac materia abuſus quorundam Ieſuitarum.* ibid. *An Iacob mentitus ſit promittens ſe fratrem ſequuturum in Sehir?* Neg. 689. *An mentiri liceat fine bono?* 806 b.

מעודי *Meodi quid ſignificet.* 850 a.

Mercedis nomen an ſemper meritum præſupponat? 393 b, & deinceps. 578 a.

Bellarmini objectiones pro merito ſolvuntur. 394 b, & deinceps.

Merces quid ſignificet? 530 b.

Mercium quas in Ægyptum importarunt Arabes nomina. 723 b.

Merita hominum Deus non compenſat, quia nulla ſunt. 450 a, & 462 b. *Meritis antecedentibus non dantur ſuccedentia bona.* 450 b. *Meritum & mereri quid ſignificet apud Patres.* 576 a.

Meropes vocati quinam, & cur? 328 a.

Meſopotamiæ incolæ non plane deſtituti fuerunt vera religione. 546 a.

Metus Iacobi an talis fuerit qui in virum fortem cadat. 675 b.

Metus à malâ conſcientiâ. 802 b.

cum Metus & dolor quædam ſit ægritudo, cur qui dolent clamant, qui metuunt ſilent? 815 a.

Migdaleder, quis locus? 705 b.

Miniſtris Eccleſiæ ſufficiens merces jure naturali & divino debetur. 386 b, 387 a, & 389 a, & b. *Legitimi miniſterii fovendi cura quos deceat.* 838 b.

Miraculis articuli fidei non ſtruendi. 43 a. *Miracula Pſeudo-prophetarum & Anti-Chriſti ſigna.* 613 b.

Miſeriarum terminus quis ſit. 295 b. *Miſeriis temporalibus quare Deus exercuerit homines?* ibid.

Miſericordia & veritas quid notent? 676 b.

Miſſæ cautela. 656 a.

Mitſpah locus celebris. 665 a, b.

Mittere manum quid ſignificet? 462 a.

מלאכים *Nuncii nomen apud Ebræos commune, de Angelis κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur.* 673 b.

מליץ Melitz *interpres unde?* 795 b.

מנחה Mincha *variæ acceptiones.* 213 b. *De ea Pontificiorum opinio rejecta.* ibid.

מנות *quid ſint.* 804 a.

Moabitarum origo. 483 a.

Monachi ad milites concio. 760 b. *Monachorum ἀεργία deteſtanda.* 804 a. *Nulla inter eos & Abrahamum ſimilitudo.* 340 b.

Monarchia Aſſyriorum omnium prima fuit. 313 b.

Mons in quo quievit arca ubi fuerit? 321 a.

מריה morjiah, *unde deductum ſit?* 518 a.

Moriendi neceſſitas quid Socino. 104 a. *Mors quomodo ὀψώνιον peccati.* 37 b. *Mortis variæ acceptiones.* 96 b. *Mors comprehendit omnia mala & incommoda quibus homo obnoxius eſt.* 97 a. *Mors fidelium liberatio à peccato.* 113 b. *Mors impiis quid ſit?* 196 a. *Mors temporalis, homini quid ſit?* ibid. *In morte quot ſint conſideranda?* ibid. *Mortem quare non diſtinxerit in cōminatione Deus?* ibid. *Mors quid ſit piis.* ibid. *Quare ſolius mortis corporis meminerit Deus.* 196 a. *Eſſe cum aliquo in morte, quid?* 730 a. *Mors acerba vel læta ratione diverſi ſtatus.* 832 b. *Mortale dupliciter ſumitur.* 99 a. *Mortalitas quid ſit Socino.* 104 a. *Mortuorum apud Iudæos ſuperſtitioſa circumciſio.* 433 a.

Mores quomodo dicuntur ſequi temperamentum corporis. 89 b.

Monar-

Monarchicum regimen in populo Iudaico à Deo electum. 868 b.
Mos apud Ægyptios jurare per caput Regis. 791 a.
Moſes cum Paulo conciliatur. 122 a.
Motiones morales æquales variè poſſunt afficere. 583 b.
Motus ἀνθρωποπαθῶς *Deo attributus quid denotet.* 828 b.
מכרה. 864 a.
מקצימים. 211 b.
מרגלים meraggelim, *cur dicantur exploratores.* 790 b.
Mulier ad imaginem Dei creata eſt. 28 a. *mulieri pœnalia inflicta ad duo capita referuntur.* 291 a. *quomodo erat ſub viri poteſtate in ſtatu innocentiæ.* 193 b. *Levitas & vanitas ingenii muliebris quando acceſſerit?* ibid. *mulier candida Æthiopem pariens abſolvitur à Medicis.* 645 a. *cur in Chriſti genealogia mulieres tantum nominentur aliqua infamiæ nota inuſtæ?* 746 a.
Mulorum inventio an certo Hanæ adſcribi poſſit, ex Geneſ. 36. 709 b. *An generatio mulorum ſit contra naturam, nec ne.* 710 a.
Multiplicatio ſpeciei etiam ante peccatum neceſſaria. 54 a.
Multiplicatio conceptus ſimpliciter accepta ad quid pertineat. 191 a.
Mundus quare præſtantior iſto viſibili proponatur in S. S. 283 b. *quam fragilis ſit mundi gratia.* 753 b. *Mundi ſordes periculoſæ.* 791 a.
Munera quibus Ioſeph paternam familiam ditavit. 827 a.
Munificentiæ Regiæ eſt, etiam offerre ea quæ non ſunt neceſſaria. 375 b.
Mutata res quomodo prius ſuum nomen retineat? 196 b.
מזבח mizbeach *unde.* 275 b.

N.

נא *quomodo uſurpetur?* 811 a.
Namphaniones qui Auguſtino. 640 a.
נער naar *quid ſignificet?* 515 a. *etiam ad adoleſcentiam extenditur.* 712 a.
Natalis diei obſervatio, & de ea judicium. 761 b.
Natura creata omnis imperfectè bona. 163 a. *Naturæ eſt conſentaneum obedire Deo.* 212 b. *naturalia fuerũt primo homini quæ nobis jam ſupernaturalia.* 22 a. *naturalia quædam communia omni hominum ſtatui.* 34 b. *naturalia peccatis actualibus corrumpuntur.* 42 b. *vox naturaliter diſtinguitur.* 43 b.
Nazaræus quid, & unde. 896 b.
Nebaioth Iſmaëliticæ familiæ caput. 601 b.
Neceſſitas quid dictet. 364 b.
De nectare & ambroſia poëtarum figmentum. 205 a. *quid iidem nectare, ambroſia, & nepenthe deſignaverint?* ibid. *nectar quare ab illis ſic appelletur?* ibid. *Ambroſiæ & Nepenthe etymologiæ.* ibid. *verbum* נחש *explicatur.* 639 b. & 807 b.
Negotiis peragendis tempus aptum ante meridiem in calidis regionibus. 802 a.
poſſeſſio tribus Nephtali. 892 a. *cur dicatur cerva dimiſſa.* ibid. *de eo quorundam opinio.* ibid. *à Maſio refutatur.* ibid. *illius rationes.* ibid.
Nequam coram Domino, quæ locutio? 736 a.
Nervus femoris, ejus abſtinentia à quo inſtituta? 687 a.
Nilus quid? 414 b. *Ægypti fluvii interpretatio.* 414 a. *non eſt Nilus.* ibid.
Nimrod quis fuerit? 313 a. *ejus geſta.* 314 b.
Nominis ejus etymum. 313 a. *cur potens venator dicatur.* 314 a. *an idem fuerit cum Belo?* ibid. *cur eum ſeptuaginta vocent Gigantem.* 314 a. *Ninive etymum.* 313 b.
Noachi peccatum, à Chryſoſtomo minuitur, ab eoq; non non planè excuſatur. 304 a. *cur actus pudendi Noachi Moſes meminerit.* 304 b. *Noachi deſcriptio.* 265 a. *Charitas ejus adverſus incredulos aſſeritur.* 272 a. *Noachi nativitas.* 252 a. *nominis ratio.* ibid. *Iuſtitiæ præco, quomodo factus fuerit?* 269 a. *quo tempore arcam ingreſſus ſit, quo ætatis anno, qua tempeſtate.* 273 a. *An ante Diluvium ſacrificia Deo obtulerit.* 275 b. *An injuſſu Dei obtulerit, ut putant quidam.* ibid. *An mandatum ſacrificandi à Deo habuerit?* 276 b. *An ſacrificium ejus ſolum fuerit Euchariſticum?* 278 b. *Noachus agricola.* 299 a. *quomodo in animum induxerit vineas plantare?* ibid. *inebriatus rationis uſum amiſit.* 303 a. *qualis ejus nudatio?* ibid.
Nomen proprium in compoſitionem veniens in aliud degenerat. 77 b. *An nomina orta à digniore lingua ſint majoris efficaciæ.* 199 a. *an radii rerum quas ſignificant?* ibid. *quare nomina animalibus ab Adamo impoſita, à naturis rerum influxum recipere non potuerunt?* ibid. *An Deus nomina dando efficientiam literis vel ſyllabis communicet?* ibid. *de efficientia nominis, magorum vanitas, & ſuperſtitioſorum hominum veſania redarguitur.* ibid. *nomen qui acceperint antequam nati eſſent?* 442 b. *nomen geminatum eſt amoris ſignum.* 829 a.
Nonnarum nomen ab Ægyptiis deductum. 781 a.
Noviſſimi dies qui in Scriptura. 860 a.
הנפלים hannephilim *illius vocis* ἔτυμον, *& varia variorum expoſitio.* 253 a. 255 a.
נפש 91 a. *pro bona affectione & voluntate.* 580 b.
נסה niſſah *quid denotet?* 516 b.
נשמה. 90 b.
Nubendi verbum unde apud Latinos. 495 a.
Nuditas in ſtatu innocentiæ qualis. 119 a. *ejus turpitudo unde.* 135 b. & 136 a. *primi parentes cur non erubuerint ex nuditate.* 136 a. *pudor ex peccato.* ibid. *præſertim in genitalibus.* ibid. *nuditatis ignominia unde.* 165 b. *qualis fuerit nudatio Noachi.* 303 a. & 304 b.
Numeroſa proles, comparata pulveri terræ. 353 b.

quo

quo reſpiciat? 355 b.
Ius naturæ à quibus nuptiis abhorreat? 221 a. *qua ratione nuptiæ Abrahami legitimæ cum nepte fieri potuerint?* 345 b. *An ducendo Sarai voluerit inceſtis nuptiis implicari.* 346 a.
Orientalium mos in nuptiis ut à marito & uxore dos aliqua numeraretur. 624 a.

O.

OBedire quomodo aliquando ſumi poſſit?* 502. *Obedientiæ duplex ratio in Scriptura.* 576 b. *Obedientia, quam cæcam vocant, ſoli Deo debetur.* 520 a. *in obedientia ſenſus mandati ſpectandus eſt, nec adhærendum verbis præciſè?* 719 a. *deteſtanda Ieſuitarum cœca obedientia.* 799 a.
Objectum unum & idem quomodo homines differenter moveat? 458 b.
Oblivisci quando dicatur Deus. 137 b.
Oblationum Caini & Abelis an natura diverſa fuerit? 213 b. *An in extraordinario ſigno innotuerit complacentia Dei in oblatione Abelis.* 214 a.
Oblatio Caini quomodo diſplicuerit Deo? 213 b.
Occaſionaliter Deum præordinare bonum, vult Suaréz & refellitur. 819 a. *occaſiones bonas Deus offert, quibus novit malos abuſuros & ad ſuum finem dirigit.* 718 a, b.
Octogenarii viri etiam prolem ſuſcipere poſſunt. 550 b.
Oculos claudendi defunctis per chariſſimos conſuetudo. 829 a. *cum oculis paciſcendum.* 749 b. *oculi rubri præ vino & dentes candidi præ lacte quomodo dicantur.* 883 a.
Odium hominis in ſerpentum genus. 182 a. *odii variè acceptationes.* 559 b. *odium inter fratres cur acerbiſſimum.* 596 a. 714 b.
Odorari odorem quietis quid ſit? 278 a. *An Deus afficiatur odoribus & ſuffimentis?* ibid. *odor bonæ fragrantiæ quid?* ibid. *odor quietis ſacrificium Noachi, quare dicatur.* 278 b. *quodnam ſit indicium Deum odoratum fuiſſe odorem ſuavitatis.* 279 b.
Oeconomus Ioſeph, an mentitus ſit fratribus Ioſephi. 807 b.
Officium viri pij ante profectionem in Iacobo. 828 a, b.
Olei communis uſus inter orientales. 611 b. *uſus in ſacris.* 612. *Abuſus ſuperſtitioſus.* 161.
Omnipotentiæ Dei doctrinâ non eſt abutendum, ut evertatur ejus voluntas. 471 a. *Omnipotentis voce optime exprimitur ſufficientia Dei ad omnia.* 421 a. *Omnipotentia Dei ubi valeat?* 449 a.
Ὁμοπάτερες. 345 a.
On, aliter dicta Heliopolis. 782 b.
Onager homo quid, Onagri natura? 418 b.
Onan quis? 736 b. *ejus peccatum.* 740 a, b.
Ὀνειροκριτικὴ quid ſit, & quid de ea judicandum ſit? 489 a.
Ὄνειρος quid ſit? 489 a.
Ὀνομαντεία quare intolerabilis. 198 b. *quibus modis exerceatur?* ibid. *per anagramma quomodo culpetur?* ibid.
Operatio divina in loco aliquo duplex. 613 a.
Operimentum oculorum quid ſit? 497 a.
Ophitarum hæreſis. 147 a.
An opinio erronea abſolvat. 227 b.
Opera bona non ſunt cauſa vitæ æternæ, ſed vitæ illius candidatorum conditio. 167 a. *Infidelium opera omnia ſunt peccata.* 263 b. *An unum & idem opus poſſit tribui Deo, & creaturæ.* 326 b. *Quænam opera à juſtificatione excludantur?* 404 b. *& deinceps.* *Opus operatum quid apud pontificios ſignificet?* 426 a.
Oraculum interrogandi via duplex apud Iſraëlitas. 556 b.
Oraculi de peregrinatione ſeminis Abrah. impletio. 829.
Ὅραμα quid ſit? 489 a.
Orationis Iudæ ſtatus & partes. 812 a, b.
Ordo quo in peccando proceditur. 151 b.
Ordo naturæ ſtabilitur in viciſſitudinibus temporum & tempeſtatum. 281 b.
Origenis error quo animas omnes ſimul creatas cenſet. 83 b. *Origenes tria prima Geneſeos capita in Allegorias transformavit.* 124 a. *Ejus opinio de filio Dei olim facto Angelo.* 528 a.
Ornamentorum uſus legitimus quis ſit? 545 a.
Ad os parvuli, quæ phraſis. 837 a.
Os meum & caro mea, quid ſignificet apud Hebræos. 622 a.
Oſcula varii generis alia laudanda, alia culpanda. 621. b. *Oſculorum frequentia apud Romanos importuna.* ibid. *Oſcula reverentiæ ſigna ſubjectionis probationis & proditionis.* ibid. *oſculum charitatis.* ibid. *ejus apud Pontificios converſio in ludicram actionem.* ibi. *Oſculum Iacobi quale.* 622 a.
Oſculari ſuper os alicujus quid ſit. 768 a.
Otioſitas quid ſit? 395 b. *otioſis quid fecerint Athenienſes.* ibid. *otiari quinam quibuſdam videantur?* ibid. *An divites impii in otio vivant?* ibid.
Otioſi homines in Rep. non ſunt tolerandi. 834 b.

P.

P*Actum Dei cum die & nocte.* 281 b. & 282 a. *illius exceptio.* ibid.
Padan Aram. 599 b. 600 a.
Panicus terror, δαιμόνιος φόβος. 700 a.
Panis nomine apud Hebræos quid intelligatur. 195 a. 804 a. לחם *quare appelletur.* ibid. *panis primorum parentum qualis.* ibid. *pro omnibus ad alimentum neceſſariis.* 892 a.
Panis, & vini nomine quid Ebræi intelligant? 367 b.
Patritii Prætextati mendacium quo matris curioſitatem eluſit. 130 b.
Παράδειγμα quid ſit? 454 a.

Paradiſus

Paradiſus ubi ſitus. 247 a. *Paradiſus diluvio periit.* ibid. *Bellarmini argumenta quibus probet Paradiſum ſupereſſe refutantur.* ibid. *Paradiſum terreſtrem non fuiſſe probatur.* 246 b.

Παραίνεσις *quid ſit?* 454 a.

Primi parentes protoplaſti appellati ſunt. 206 a. *Parentibus, quorſum dentur à Deo liberi?* 211 b. *Benedictiones, & maledictiones parentum quam ſint efficaces.* 307 b. *parentibus præcipiendi autoritas conceditur* 450 b. *& quomodo.* ibid.

Parens non habet jus filiarum pudicitatem proſtituendi. 460 b.

Pars calicis & cibi. 804 a. *pars quomodo accipiatur in ſcriptura.* 804 a.

de muliere in partu, Theodoreti opinio. 192 b. *partus animantium non eſſe laborioſos Ariſtotelis ſententia.* 391 a. *partus dolores ad naturam per ſe non pertinere.* 704 b.

Paſcendi verbum quam latè pateat. 850 a.

Paſtoribus autoritas præcipiendi conceditur. 450 b. *& quomodo.* ibid. *quid per paſtorem & lapidem Iſraëlis intelligi debeat.* 894 b.

Paſtoris animarum officium à comparatione cum paſtore ovium. 660 a.

Pater quomodo per filium creare dicatur. 16 b.

Patientia ubi Dei gloriæ detrahitur damnanda. 633 a.

Patres quatenus admittendi 40 a. *Patres opificii quinam dicantur.* 230 a. *Patres terrenis promiſſionibus non adhæſiſſe.* 591 b. *colligi cum patribus quid?* 730 a.

Patriæ amor, & deſiderium. 338 b. *Patriæ, quænam ſint præponenda?* ibid.

Patrisfamilias officium quod? 450 b.

Patriarcharum longævitas. 239 a. *ejus cauſæ naturales à quibuſdam aſſignatæ?* 240 a.

Patriarcharum in Ægyptum ſecunda profectio. 798 a.

Patriarchæ in rebus dubiis alloquium Dei captabant. 828 b.

Paulus Burgenſis. 86 a. 218 b. *ejus axioma.* 231 a. *refellitur.* 745.

Paulus Fagius. 210 a.

Peccatorum quæ cōmittuntur à fidelibus & primi peccati multiplex diverſitas. 42 b. *imitatione peccati labes non contrahitur.* 43 b. *peccatum mortem animæ in ſe includit.* 47 a. *Peccata omnia non ſunt à tentatione Satanæ.* 142 b. *quomodo poſſint ei aſcribi.* 143 b. *peccatum quo ordine perficiatur.* 151 a. *peccati gravitas unde cenſenda.* 152 b. *peccati primi gravitas.* 153 a. *in eo plurima peccata complicata* ibid. b. *quis primus ejus actus.* 154 a. *variorum opiniones.* ibid. *infidelitatem eſſe probatur.* ibid

Peccare quid. 163 a.

Peccata oriuntur ex concupiſcentia. ibid.

Peccati partes duæ. 164 a.

Peccata tegere Deus ſolus poteſt. 200 b.

Peccatum in foribus cubare quid? 215 b. *peccata clamantia quædam quomodo dicantur.* 217 a. 453 a. 455 a. *peccatorum, Auguſtini diſtinctio.* 224 b. *An peccatum remittatur homini pœnitenti?* 225 a. *An bruta animalia peccent, & eis propterea infligatur pœna.* 292 b. *puniendorum peccatorum tres cauſæ à Philoſophis ſtatuuntur.* 454 a. *quæ etiam in Davidis & aliorum pœnis concurrunt.* ibid. a. *Deus cur aliquando puniat ſtatim poſt commiſſa peccata?* 454 a. *Peccatores non plane medio converſionis deſtituuntur.* 459 b. *In peccatis non procraſtinandum.* 476 a. *de peccatorum gravitate quomodo judicet Deus.* 478 a. *peccatum nullum ſua natura veniale,* 570 b. *peccatorum complicatio & connexio.* 720 a. *peccata alia aliis graviora.* 740 b. *peccatorum occaſiones fugiendæ.* 751 a. *quomodo erga peccatores variè affectos agendum ſit.* 815 b. *Deus non vult peccatum qua tale & formaliter ſed tantum peccati materiale, actionem nempe ipſam in qua eſt defectus vitio cauſæ ſecundæ.* 819 b. 820 a. b. *Actus peccati quatenus eſt Ens, eſt à Deo efficiente.* 819 b. 820 a. b. *ratione peccati ſola permiſſio Dei intervenit.* 820 a, b. *cum formale peccati in defectu conſiſtat illius cauſa quærenda eſt deficiens.* 820 a. *Deus in peccatis concurrit ad modum cauſæ naturalis, non ad modum cauſæ moralis.* 820 b. *ſumma dictorum de peccati permiſſione.* 823 b.

de Pecunia in ſaccis reperta, conciliantur dicta Patriarcharum. 797 b.

Πλημμελεῖν *quid?* 894 a. *&* πλημμέλιον. ibid. *applicatio Chaldæi paraphraſtæ expenditur.* ibid.

Πείθειν *unde.* 312 a.

Pelagianorum de perfectione hominis ſententiæ refutatio. 421 b. & 422 a.

Percutere matrem cum filiis, adagialiter dictum 675 b.

Pererii πάρεργα. 121 a. *ſolos prædeſtinatos in ſtatu innocentiæ propagandos ait.* 122 b. *falſitatis arguitur.* 213 b. *ejus de Abrahami pro Sodomitis interpellatione dura ſententia.* 455 b. *Pererius ſtatuens bona poſſe à quopiā invito & inſcio domino accipi refellitur.* 647 b.

Peregrinatio in terra piis, cur magis quàm impiis conveniat? Gregorii ratio. 212 b. *Diſtinctionis, de peregrinatione, & incolatu Abrahami rejectio.* 335 a.

Perfectio mundi quomodo intelligenda. 63 b. *quænam perfectio homini juſto in hac vita tribuatur?* 266 a. *diſtinctio Bellarminiana triplicis perfectionis examinatur.* 266 a, b. *in hac vita perfectio, qualis eſt in beatis, cur non requiratur.* 266 a & b. *perfectionis inculcatio cur non ſit fruſtranea?* 267 a. *ad argumentum Pelagianorum de perfectione reſponſio.* 267 a. *perfectio abſoluta quotuplex ſit?* 267 b. *perfectio inchoata quid ſit?* ibid. *quamnam perfectionem Deus ab homine exigat?* 267 b. *An fideles deſtituantur perfectione quæ fuit in Adamo, ante lapſum?* 267 b. *perfectio quænam Noacho tribuatur?* 268 a. *perfectio hominis quid?* 420 b. *& qualis.* 422. a. *quatenus*

tribuatur homini in hac vita? ibid. a, b.
quos Deus in periculis conſervavit? 455 b.
Πειράζωμαι. 166 a.
Permiſſionis diſtinctiones. 228 a. *Permiſſio Dei circa malum.* 819 b, 820 a,b. *Reſponſio ad argumentum adverſariorum circa permiſſionem peccati.* 823 a. *Solutiones objectionum Suareſii circa permiſſionem peccati à Deo.* 821 b, 822 a,b.
Perſonæ primæ in tertiam mutatio non arguit perſonæ diſtinctionem. 697 a.
Inter pedes quæ phraſis. 871 a.
Phantaſiæ in admiſſura vis maxima. 645 a. *quomodo in conceptione operetur.* ibid.
Pharan deſerti limites. 506 b. *ejus ſitus.* 505 b.
Pharao Ophra Ægyptiorum poſtremus rex. 350 b. *Pharaonis nomen quando fuerit commune regibus Ægypti?* ibi. *non propriè ſed appellativè acceptum.* 780. *Pharaonis etymologiæ quorundam opinio.* ibid. & ſeq. *Quomodo Pharao intellexit ſpiritum Dei fuiſſe in Ioſepho.* 767 b. *Mandatum Pharaonis confirmantis promiſſa Ioſephi.* 826 b.
Phares cur non numerandus inter progenitores Christi. 346 b.
Pharez. 741 a. *Narratio nativitatis ejus cur ſcitu neceſſaria?* 741 a.
Philoſophorum error quo animam corpus eſſe exiſtimarunt. 89 a.
Definitio τ͂ φόβȣ. 815 a.
Phocionis Laus. 833 b.
Pietatem filiorum, Noachus adſcribit Deo. 311 a.
Pichol quis fuerit, & nominis ejus ſignificatio. 512 a.
Inter πικροχόλȣς *&* ἀκροχόλȣς *differentia.* 597 b.
Ad quæſtionem an liceat Angelos pingere & ſub qua forma reſponſio. 208 a.
Piſces cur primo loco memorentur inter animalia quibus præficitur Adam. 43 b.
Piſtorum principis infauſtum ſomnium. 759 b.
Pii non ſemper in actionibus ſuis à ſpiritu S. reguntur. 586 a.
Pii unde talia ſacrificia offerre Deo, habuerint. 277 b.
Piorum vita quomodo debeat eſſe inter impios. 459 b, 461 b, 462 a. *Quomodo utile ſit ut inter impios verſentur.* 462 a.
Pii ab impiis ſæpè tanquam impii vituperantur. 464 b.
Pii, an ſemper quod à Deo petunt conſequuntur? 470 a.
Piorum variæ ſunt viciſſitudines & caſus. 671 a.
Pii coram Deo maximi, in externis ſe hominibus etiam impiis, humiliter ſubmittere poſſunt. 674 b.
Placillæ gravis admonitio ad Theodoſium maritum. 825 a,b.
Plagarum divinarum quis ſit præcipuus finis? 351 b.
Plagarum mundi Hebraïca nomina. 610 a.
Plagæ Pharaoni, & Ægyptiis inflictæ quales fuerint varia multorum opinio. 352 a.
Plagiarij qui? 724. *digni morte ex lege.* ibid.
Plagiarij fures dicti. 759 a.
Quomodo plantæ conſervatæ fuerint in diluvio. 301 b.
Pluit Dominus à Domino quid denotet? 471 a,b. *& deinceps. ſive Iehovah à Iehovah, an probet pluralitatem perſonarum Dei?* ibid.
Plurali numero cur de ſe loquatur Deus in creatione hominis. 18 a.
Pluralem numerum Deus de ſe quinquies uſurpat. 18 a.
Plurali numero nullus in V. T. de ſe loquutus eſt. 18 b.
Numero plurali, pro ſingulari veteres etiam uſi ſunt. 499 a.
Plutarchi notatu dignum de conſcientia? 171 b.
Pluviæ cauſæ. 80 b.
De pluvia immiſſa initio diluvij quorundam opinio. 273 b.
פּן 148 a.
Pœnarum quibus addicti ſunt homines & diaboli, diſcrimen. 176 a. *Pœna viri triplex.* 194 a. *pœna hominis poſt peccatum qualis?* 194 b. *pœna obedientibus, à Deo in quid convertatur?* 195 b. *quomodo poſt remiſſam culpam, remaneat pœna?* 196 a. *pœnæ temporales quid ſint? & quales à pijs agnoſcantur?* 190 b. *Pœna toti domui Regis Ægypti à Deo inflicta cur fuerit juſta?* 551 b. *Pœnæ caſtigatoriæ non ſunt maledictiones.* 279 a. *Pœnæ ſpirituales quid ſint?* 309 a. *& quid temporales?* ibid. *illis, cur poſteritas Chanaani puniatur.* ibid. *Pœnam impiorum cur Deus tamdiu differat?* 411 a.
Pœnæ poſt reconciliationem Dei cum peccatoribus pœnitentibus non ſunt ſatisfactoriæ. 454 a. *Inflictio pœnæ capitalis non ſumpſit originem à politica lege Iudæorum, contra Socinianorum ſententiam.* 760 a. *Pœnæ peccati in Lot.* 481 a. *Pœnæ quibus probantur aut caſtigantur homines, non ſunt ſatisfactoriæ apud Deum.* 791 a. *Pœnarum fines tres ſecundum Gellium.* 794 b. *Pœnæ temporales poſt remiſſam culpam inflictæ non ſunt ſatisfactoriæ.* 863 a. *nec poſt hanc vitam reſervantur.* ibid. *earum quis finis.* ibid.
Pœnitentia & dolor quo ſenſu Deo tribuantur. 263 b, & 264 a, & b.
Inpœnitentiæ actibus adhibitus fuit ſaccus. 728 b.
Polygamiam illicitam eſſe probatur. 130 b. *Ochini objectiones pro polygamia refutantur.* 131 a. *Ejus ſpecies* 130 a. *malè definitur à Pontificiis.* ibid. *polygamia vera ſimultanea.* ibid. *ejus aſſertores refelluntur.* ibid. *Eam incepit Lemechus.* 222 b. *Polygamiam juri naturæ & divino fuiſſe contrariam, rationes.* 223 b. *De improbatione polygamiæ variæ variorum ſententiæ.* 223 b. *Polygamia patriarcharum quomodo excuſari poſſit?* 224 a. *An polygamia abſolutè fuerit prohibita regibus.* ibid. *An polygamia veterum fuerit contra naturam?* ibid. b. *An polygamia tantùm lege poſitiva prohibita fuerit?* 225 b. *Lege naturæ fuiſſe prohibitam Scholaſticorum aſſertio.* ibid. *Simultanea quare diſpenſationem admittere*

tere poſſit? 225 b. De polygamia Cajetani Cardinalis propoſitio. 223 b. De ea pontificiorum opiniones. 223 a, 226 b. Polygamia patrum à peccatis abſolvitur. 227 a. An polygamia in Chriſtianiſmo permiſſa ſit? 227 a. An intrinſecè & per ſe ſit peccatum? ibid. Patribus quare conceſſa. 228 a. An Lemechus eam introducendo peccaverit? ibid. An fuerit apud Ethnicos peccatum. 228 b. An Chriſtus eam prohibuerit & condemnarit. ibid. An tantùm Epiſcopis & Diaconis in Chriſtianiſmo fuerit prohibita? 229 b. In Chriſtianiſmo quare illicita. 230 b. Polygamia patrum peccati rationem non habuit. 626 a. Tolerata à Deo. ibid. Non fuit res libera & indifferens. 629 a. Ejus incommoda. 636 a.

Ponere oculos ſuper aliquem. 812 a.

Pontificii tribuunt naturæ humanæ primùm conditæ morbum & languorem ex conditione naturæ orientem. 28 b. Pontifex Rom. imitatur ſuperbiam Adami & Evæ. 154 b. Pontificii cum Pelagio ſtatuunt concupiſcentiam eſſe à prima naturæ conſtitutione. 164 b. Pontificiorum calumnia abſtergitur. 281 a, & b. Pontificis Romani uſurpatio divinæ authoritatis. 343 a. An ſit vicarius Dei in terra? b. Pontificii à Iudæis miſſæ ſuæ ſubſidium petunt. 381 b. Pontificii inter ſe diſſentiunt de decimarum debito. 386 b. Pontificiorum jactantia ventoſa de ſucceſſione redarguitur. 500 a. Malè tribuunt tempus ante legem latam legi naturæ. 577 a. Iidem cur nævos in patribus excuſent. 578 a. In ſanctos injurii ſunt quod æquivocationis & mendacii patronos vocant. b. Eorum calumnia retunditur. 603 b. Pontificis Romani ſuperbia redarguitur. 780 b. Pontificiorum adverſus nos iniquitas notatur. 821 a. Pontificiorum conſenſus pro noſtra ſententia. 844 b.

De populo delebitur, peribit, vel exſcindetur, quid denotet? 439 a, b.

Populus Dei non in temporalibus benedictionibus, ſed in ſpiritualibus præſertim prærogativam habet. 443 a.

ad Populum congregari ſtatum mortuorum indicat. 898 b.

Poſſidere portas inimicorum quid ſignificet? 531 a.

Potens Iacobi periphraſis Dei. 894 b.

Poteſtatis diſtinctio. 315 a.

Potu quomodo ſe exhilarare liceat inter amicos. 805 b.

Præcepta affirmativa ſemper obligant. 55 b. Præceptum de ſabbatho poſitivum. 68 a. In præcepto de ſabbatho ſanctificando diſtinguendum ceremoniale à morali. 68 a. Ad præcepti quarti ſubſtantiam quà morale eſt, non pertinet circumſtantia ſeptimi diei. 71 a. Præceptum Adamo à Deo cur datum quod ſciret fore ut violaretur. 95 b. In quibus præceptis diſpenſatio locum non habeat. 225 b. An præcepta ceremonialia tantùm inceperint cùm lex data fuit Moſi. 291 a. Præcepta quid doceant? 267 a. In præceptis quot & quæ ſint conſideranda? 523 a, b. Præceptum unum quomodo alio poſſit præſcindi? 524 b.

Præcipitii in quod incidit Eva gradus. 151 a.

Prædam commedere & ſpolia dividere quid. 897 a.

in Prædeſtinatione duo conſideranda. 555 b. Prædeſtinatio non ad finem ſolum, ſed etiam ad media. ibid. Quomodo dici poſſit juvari precibus ſanctorum. ibid.

Præfectura duplex. 134 b.

An præfectus ſatellitum qui ſervos Pharaonis Ioſepho commendavit fuerit Putiphar? 755 b.

Præmonita duo de providentia divina erga Eccleſiam ſuam. 787 a.

Prærogativa multitudinis & antiquitatis non eſt ſolidum argumentum veritatis. 462 b, & deinceps.

Præſcientia Dei quomodo ſe habeat ad futura? 412 a, & deinceps.

Quomodo potuerint prævalere benedictiones Iacobi in Ioſephum. 895 a, b.

In precibus infirmi exaudiendis Dei benignitas. 469 b. Precũ quatuor genera, quibus Deus indulget? 470 a. Preces cur adhibeantur ut conſilium Dei fiat. 555 a. Pii in anxietatibus ad preces confugiunt. 676 a.

Primogenitus omnis creaturæ quid ſit? 246 a. Primogenitura Chriſti in quo conſiſtat. 246 a. Primogenituræ privilegia 571 b. Eam quomodo dicatur vendidiſſe Eſau. 572 a. Primogeniti Deo ſacri 571 b. Eorum prærogativa. 861 a.

Princeps Dei cur dicatur Abraham? 534 a.

Principes in extraordinariis occaſionibus poſſunt augere tributa. 767 a.

Curam religionis conſervandæ etiam ad principes ſpectare. 838 b, 839 a, b.

Principium apud Iohannem 1. cap. Æternitatem non ſignificat. 4 a.

Principii vox dupliciter ſumitur. 156 a.

Proclamatio, in qua quid ſignificet Abrech, expenditur. 780 b.

Prodicus hæreticus preces inutiles reddere conatus eſt. 555 a.

Profanus quis. 573 a.

Lex de ſuſcitanda prole fratri orbo defuncto. 736. Ac de fratre germano intelligenda? 737 a. An pugnet cum regula Lev. 18 & 20. De non ducenda uxore fratris ſui? 738 a. An idem fuerit apud gentes. 738 a. An Eccleſiaſt. poteſtas hîc poſſit diſpenſare? ib. & ſeq.

Prolepſis frequens in Scriptura. 92 b, 261 b.

Promiſſio de conterendo capite ſerpentis, primis parentibus facta quid denotet? 195 b.

Promiſſio in qua ſubſtantia fœderis continetur quænam ſit? 298 a. Promiſſionibus ſuis quare Deus addat ſigna? ibid.

Promiſſionum quæ diu expectantur, datur finis. 343 b.

Promiſſionis ſignum cur Abram petierit à Domino? 407 a.

Promiſſiones in gratiam Iſmaëlis quales? 503 a.

Deus cur promiſſiones repetat. 600 a.

Promiſſiones temporales patribus facta arrha meliorum fuerunt. 610 a.
Promiſſionum Dei certitudo fidelium diligentiam non infringit. 674 a. Promiſſiones divina cur repetantur. 703 a.
Pronomen relativum ſæpè pro verbo ſubſtantivo in Ebraiſmo. 757 b.
Propagatio omnium animantium à Dei benedictione fluit. 52 a.
Propheta an omnia futura intelligant? 350 a. Prophetia Noachi, de Chamo impletio. 358 b. Propheta quid ſit? 492 a, b. Injuria Prophetis impunè infligi non poteſt. ibid. Propheta non omnia norunt. 501 b.
Prophetis non ſemper revelantur omnia & ſingula qua Deus intendit. 592 a. Propheticum donum ſingulare & extraordinarium. 859 b. Cur ad Meſſia adventum durare voluit Deus. ibid. Prophetis non ſemper adeſt ſpiritus propheticus. 727 a. Prophetarum Dei ſcopus, utilia proferendi. 767 a.
Proſternere ſe in faciem, ſive cadere, quid denotet? 441 a, b.
πρωτόπλαςος primus homo unde dictus. 81 a.
Proverbialis loquendi formula ater-ne an albus ſit neſcio, cui uſui. 604 a.
Providentiâ ſua Deus cuncta gubernat ne peccatis quidem exceptis. 411 b. Deus peccata prævidit non providit, ſed de iis providit. 412 a. Dei providentia in afflictione Hagara & filii in deſerto. 505 b. Providentia Dei ejuſque rectitudo circa fines non excludit media. 584 a. Hujus axiomatis uſus. ibid. Providentia Dei in dirigendis eventibus, rerum extra hominum cogitata. 719 a. Providentia Dei ſingularis in Ioſepho gradatim producendo. 763 a. Providentia Dei ex magno malo ab hominibus patrato bonum maximum iis procurat. 816 a, b, 817 a, b. De providentia Dei ſententia Boëtii. 817 b.
Prudentia humana in ſapientiſſimis admixta eſt infirmitate. 806 b.
Providentia divina conſideratio. 829 b.
פסים Paſſim quid? 714 b.
פתיל Pethil quid? 742 b.
פתה. 312 a.
Pſeudoberoſi Anniani fabula. 305 a.
Pudenda in familia Iuda cur conſcripta ſint? 733 a.
Pudicè de pudendis rebus loquitur ſcriptura. 304 b.
Pudicitia & honeſtas vita temporali præferenda. 349 a.
Pudor quid? 135 a.
Pudoris cauſſa. ibid.
Pudor pædagogus ad mala vitanda. 135 b.
Pudor qui ex nuditate in omnibus Adami poſteris eſſe debet. 136 b,
Pulcher aſpectu quid? 748 b.
Pulchritudinis amor per ſe culpari non poteſt. 623 a. Quomodo fiat vitioſus. b.
An homo ſit ſenſibus noſtris pulvis. 196 b. Reverti in pulverem quando? & quomodo intelligatur. ibid. Quare de eo dubitetur? ibid.
Pulvis terra. 355 b.
An Deus uno, & eodem tempore velit punire, & non punire. 280 a. Pœnis temporalibus, & ſpiritualibus, filios puniri propter peccata parentum, cum cautionibus aſſertio. 308 b, 309 a.
Commentum de puris naturalibus refutatur. 102 b.
Putiphar cur dicatur Eunuchus, & qua fuerit ejus in Ægypto dignitas? 732 b. Prætorianum judicem fuiſſe patet ex eo, quod præfectum carceris fuiſſe conſtat. 733 b. Quomodo Putiphar infidelis viderit Iehovam eſſe cum Ioſepho? 748 a. Excandeſcentia ejus humanitus excuſabilis. 752 b. Sed inexcuſabilis quod innocentis Ioſephi defenſioni locum non dederit. 753 a.
Pythagoras Encratitarum magiſter. 287 b. Cur in eam ſententiam inductus ſit, ut carnium uſum abominandum cenſeret? ibid. Pontificiorum de illa doctrina ſententia. ibid.
Verbi פז ſignificatio, פז aurum quare dicatur. 894 a.

Q.

QVærere famam an ſit illicitum? 323 b.
Quies quomodo tribuatur Deo. 63 a.
Quietis diſtinctio. ibid.
Quies, in hac vita quænam ſit ſperanda? 194 b.
Quinta eſſentia non eſt materia corporis humani. 82 b.

R.

RAbinorum teſtimonia à Pontificiis pro ſacrifiſio panis & vini allata examinantur. 381 b, & deinceps.
Rachelis in ſororem invidia. 632 a. Imprudentia à marito reprehenditur. 633 a. Ridicula in ſororem inſultatio. 634 a. Cur tantoperè Mandragoras deſiderarit: 635 b. An conſenſerit in fraudem patris & ſororis. 625 b. Rachelis actus ut furtum celaret improbandus. 657 b. Ejus mors. 704 a. Cur cadaver ejus in Hebron non fuerit delatum? 704 b.
Rationis quis legitimus uſus 49 b. Ratio omnium actuum humanorum principium. 160 b. Ratio an ſemper ad meliora tendat? 280 b.
ראתן ratan. 352 a.
רבע חטאת horum explicatio. 215 b.
רחף. 12 b, & 15 b.
Ramum quomodo vox בן ſignificet? 893 a.
רק rak ejus verſio. 495 a.
Rebeca nondum à parentibus deſponſata quomodo ab Elieſere munera accipere potuerit? 545 a. Cur accedente Iſaaco ſumſerit velamentum. 647 a. Ejus dolus ad derivandam in Iacobum benedictionem an culpa vacaverit. 584 a. Laudes. 583 a, & 584 a.
Recordatio quomodo Deo tribuatur? 298 b.

Regio-

Regionem promiſſam quomodo Deus oſtenderit Abramo? 355 a.
Regium dici quod exquiſitum. 892 a.
Regni primi, in terra deſcriptio. 313 a.
Regnum Chriſti cur rebus temporalibus adumbretur. 591 b.
Regula in interpretandis Scripturis notanda. 630 a.
Ῥῆμα. 16 b.
Rehoboth quis locus fuerit? 710 b.
Filii non debent ſine conſenſu parentum ad religionem tranſire. 128 a.
Religio vera quando reſtaurata fuerit in terra? 236 b.
Religionis diſparitas eſt impedimentum matrimonii. 541 b.
Qualis manſerit religio in cognatione Abrahami? 542 a.
Remonſtrantes ſentiunt inclinationem ad peccandum eſſe homini naturalem. 29 a. *Iidem ſtatuunt peccatum originis non eſſe peccatum propriè ſic dictum ſed pœnam tantùm.* ibid. *Negant Adamum habuiſſe poteſtatem credendi in Chriſtum.* 34 b.
Rephaim qui fuerint? 358 a. *Eorum etymum.* ibid. *Et de illis Maſii ſententia.* ibid. *In Sacra Scriptura τρωγλοδύται vocati.* ibid. *Cur Moſis illorum expreſſe meminerit.* ibid.
Repugnantia in Deo nulla. 523 a, & deinceps.
Requirere de manu quid ſit. 292 b.
Res in medio dicitur eſſe cum intra eam eſt, qua continetur. 448 b.
ראשית. 71 a.
Reſipiſcentia à nemine ſeriò quæritur qui eam non inveniat. 595 a.
Reſpexit de poſt eum, quid denotet. 476 a, b.
Reſpicere afflictionem quomodo dicatur Deus. 631 a.
Reſpectus Dei triplex ex Auguſtino. 631 b.
Reſtitutio omnium, quò referri poſſit? 284 b.
Reſtrictione purè mentali quare uti non liceat? 347 b.
Deus quibus modis in revelando aliquid utatur? 488 b.
Rex aliquis, qua ratione tributarius reddi poſſit? 357 a.
Reges etſi legibus humanis videantur exempti non ſunt tamen legibus divinis exempti. 491 b.
Rhameſes terra. 832 a.
Rhameſes urbs Theſaurorum. 836 b, 837 a.
Rhinocorura. 414 a, b.
Riſum mihi fecit Deus verba Saræ quomodo interpretanda. 498 a, b, & deinceps.
Ritus externi ad cultum Dei non dedecebant ſtatum integritatis. 67 b.
Rubenis inceſtus quare ſilentio non ſepultus? 705 b. *Ejus conſilium de ſervando Ioſepho.* 721 a, b. *Ejus conſternatio non invento fratre.* 726 a. *An excuſari poſſit.* 727 a. *Stulta propoſitio de occidendis filiis ſuis, ſi Benjaminum non reduxerit.* 798 a.
רוח. 41 a.
רוח היום. 167 b.
Ruperti commenta de Caini & Lemechi pœna. 233 a.
Ruperti hallucinatio. 727 a.
Rupertus pulchrum juſtitiæ genus obſervat. 813 a.

S.

Sabbathi mentio facta ante legem latam. 66 a. *dies Sabbathi & Dominicus uterque dies in Eccleſia obſervatus.* 70 b.
Sabæ regina unde fuerit? 551 a.
Sacci nomine quid intelligendum? 728 a, b.
Sacerdos manet Sacerdos, licet actu non perpetuò ſacrificet. 379 a.
Sacerdotibus cur lugere mortui cauſa prohibitum fuerit? 728 a. *Sacerdotum appellatione ſæpe ſynedrium intelligitur.* 874 b.
an Sacramentorũ uſus in ſtatu innocẽtiæ aliquis fuiſſet. 67 b. *Quæ ſigna per Sacramenta in Eccleſia Chriſtiana intelligantur?* 297 a. *Sacramenta eſſe ſigilla contra Bellarminum probatur.* ibid. *Sacramentorum nomen Ebræum* oth Berith. 297 a. *Patres quomodo & cur ſacrificii nomine uſi fuerint in Euchariſtiæ materia.* 381 a. *Sacramentum quid?* 424 a. *Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato.* 425 a. *Eorum efficacia non pendet à miniſtro nec à ſuſcipiente.* 426 b. *De eorum vi & efficacia variæ ſententiæ.* 427 a. *Bellarmini de eorum efficacia objectionum ſolutio.* ibid. b, & deinceps. *Sacramentorum N. & V. Teſtamenti miniſterii non eadem fuit ratio.* 443 a, b. *Sacramenti vis non pendet à miniſtri intentione.* 592 b.
Sacrificia quando & quomodo à primis hominibus oblata. 213 a. *An ſacrificia fuerint in uſu apud infideles.* ibid. *Sacrificium Abelis quale?* 214 b. *Cur ſacrificiis Deus ab initio coli voluerit?* 275 b, 276 a. *Sacrificia externa cur hoc tempore locum non habeant.* 276 a. *Sacrificiorum externorum quænam fuerit vera & propria cauſa.* ibid. *An ante diluvium ſacrificia Noachus Deo obtulerit?* 275 b. *An mandatum ſacrificandi à Deo habuerit?* 276 b. *Illius ſacrificii quænam fuerit materia?* ibid. *Acceptatio ſacrificii Noachi quibus verbis deſcribatur?* 277 b. *Sacrificium Chriſti, fuiſſe verum, & propriè dictum ſacrificium contra Socinum probatur.* 278 a. *Odor quietis, ſacrificium Noachi quare dicatur? an fuerit Euchariſticum?* 278 b. *Sacrificia ex præda aut aliis rebus juſte conquiſitis Deus acceptat, ſed ex non juſte acquiſitis Deus non acceptat.* 385 b. *Nulla ſacrificii ſpecies fuit in qua hoſtia oblata tot modis conficeretur, quam cum Abrahamus Iſaacum offerret.* 517 b. *Sacrificium quo homines offerrentur, apud quos & unde ortum fuerit?* 519 a. *Ejus duratio.* ibid.
Salis ſpecies qualis fuerit in quam uxor Lothi converſa fuit. 477 a.

Salem ubi fuerit ſita? 368 a. *Ieruſalem primò ſic fuiſſe appellatam unde conſtet?* ibid. *an alia Salem fuerit.* ibid. *& quæ fuerit?* ibid. *loci Salim, de quo in Euangelio ſit mentio, Hieronymi opinio, ejuſque levia argumenta quibus probat fuiſſe urbem in qua regnavit Melchiſedec.* ibid. b. 369 a.

Salem an appellativè vel propriè accipiatur? 690 b.

Salomonis ſapientia. 118 a.

Rabbi Salomonis impia ſententia à Toſtano ei adſcripta. 858 a. *ejus ridicula conſideratio.* 123 b.

Salviani elegans de peccato clamante dictum. 453 a.

Samſon an per Dan intelligi poſſit. 887 b.

Sanctificatio Sabbathi quæ. 65 a. *An à primordiis mundi inſtituta* b. *affirmatur.* 66 a. & 67 a.

Sanctio divina de occidendo homicida adverſus Socinum refutatur. 245 a.

Sanctuarii velum. ibid.

Sanctum ſanctorum quid fuerit olim? ibid.

Sanctorum habitatio qualis ſit futura? 287 a. *Metus ſanctorum in divinis apparitionibus.* 398 a. b. *Sancti defuncti non ſunt ſolliciti de actionibus noſtris.* 451 a. *deprecatores apud Deum quomodo ſint?* 493 a. *Sancti non ſunt invocandi.* ibid. *eorum facta omnia non eſſe ſancta.* 789 b. *nec in exemplum trahenda.* 799 a.

Sanguines clamare quid intelligat ſcriptura. 217 a.

quotupliciter Sanguis comedi poſſit? 290 b.

quid Sanguinem repetere. 795 b.

Sanguinem hominis in homine effundere. 294 b.

Sanguinis uſus quare fuerit prohibitus? 292 a.

Sanguis uvæ. 881 b. 883 a.

Sanhedrin non ex tribu Iuda conflatum. 874 a. *ſed conſtitutio ejus talis fuit ut ſi fieri poſſet è ſolis ſacerdotibus & Levitis conſtaret.* ibid.

Sara vetula, quomodo ea forma fuerit quæ ad ſui amorem viros & pelliceret? 344 a, b. *quo gradu conſanguinitatis Sarai Abram attigerit?* 345 a. *quare Sarai fuerit vocata?* 346 b. *An immediatè fuerit filia Thare?* ibid. *An intacta fuerit apud regem Ægypti?* 351 8. *conſilium pro ſuſcipienda prole.* 416 a, *an in omnibus probari debeat?* ibid. *& deinceps. cur ancillam potius quam liberam puellam marito ſubdiderit ad ſuſcipiendam prolem?* 418 b. *an in coërcenda ancillæ petulantia modum exceſſerit.* 419 a. *Sarai unde dicta.* 440 a. *quid ſignificet?* ibid. *quomodo à Sarah differat?* ibid. b. *Sarah quid denotet?* 440 a. *Sarai nomen cur mutatum ſit?* 440 a, b. *Saræ facta promiſſio eſt, ut & Abrahamo, de multiplicanda poſteritate.* 440 a, b. *Saræ riſus reprehenſio.* 448 b. *ejus infirmitas in ridendo & riſum negando excuſatur.* 449 a. *mentitur.* 449. a. *ejus mendacii reprehenſio.* 449 a, b. *integra fuit ſervata in ſecundo raptu.* 489 b. *& cur id expreſſe in S. literis exprimitur.* ibid. *de ſecundo raptu Saræ apud Abimelechum quid cenſendum.* 478 a, b. *& deinceps. Conjuges non fuerunt extra culpam, ſed Deus eam ſua bonitate admiranda conſervavit,* 487 b. *& deinceps. quo ſenſu Abram juſſus fuerit audire vocem Saræ in omnibus?* 502 b. *expenditur Saræ compellatio de ejicienda ancilla cum filio.* 500 b. *& deinceps. Saræ poſtulatum non fuit iniquum.* 501 a. *Sara cur de hæreditate in luſu Iſmaëlis fuerit ſollicita?* 500 b. *locus in quo obiit.* 532 a. *quoto ætatis anno obierit?* 532 a.

Saraceni ante Agareni dicti ſunt. 510 b. *eorum origo.* ibid. *Saracenorum nomen unde?* 500 b. *ejus originatio.* 723 a.

Satan mentitus cum primis parentibus. 417 a. *à dextris & ſiniſtris adoritur.* 749 b. *ejus artes apud Ægyptios deficiunt in interpretatione ſomnii Pharaonis.* 763 a.

Satisfactio propriè dicta quid faciat. 196 a.

Satisfactio Chriſti, an tempore patrum fuerit apud Deum efficax. 244 a.

quæ fuerit vallis Saueh? 365 b. *cur à Ioſepho dicta campus Regius?* ibid.

סנורים *quid ſit?* 463 b.

quid propriè ſignificat שאולה ſcheola. 798 b.

שבח. 63 a.

סבך ſebak; *quid ſignificet?* 526 b.

שכם ſchekem *homonymia.* 856 a.

שבר ſchabhar *quid propriè ſignificat.* 786 a.

Scalæ viſio providentiam divinam notat. 606 a. *variæ ſententiæ de eadem.* ibi. & ſeq. *regni Chriſti adminiſtrationem adumbrat.* 608 b. *hujus myſterii apud Ethnicos reliquiæ.* 609 b.

Schaddai Dei nomen quid ſignificet? 420 a. *& deinceps. unde dictum ſit?* ibid. *cur uſurpatum in fœdere Dei cum Abramo?* 421 a.

Scaliger de libris ſub nomine Enochi evulgatis. 250 b.

Sceptrum & legiſlatio quomodo perſtiterint in tribu Iuda uſque ad Meſſiam. 872 b. *oraculi explicatio.* ibid. *& deinceps.*

שאל Scheol. 730 a, b. *de hac voce Pontif. pugnæ.* ibid.

Schichor fluvius. 414 b. *opponitur Euphrati.* ibid.

Schinar, regio quænam fuerit. 322 a.

Scholaſticorum diſtinctio de imagine Dei. 24 b. *cur urgeant naturalia in homine manſiſſe integra.* 34 a. *Scholaſtici de ſcientia Adami in ſtatu innocentiæ.* 117 b. *eorum quæſtiones curioſæ, quot horis, vel diebus vel annis fuerint primi homines in paradiſo refutantur.* 206 b.

שילה. 871 a. *ejus etymon inquiritur.* ibid. *per hunc Meſſias intelligitur apud omnes Chriſtianos.* 872 a. *etiam à Iudæis Meſſiæ tribuitur.* 871 a. *male à* שלח *deducitur.* 878 a. *ad Nabuchodonoſorē referri non poteſt.* 879 a. *neque ad locum Siloh dictum.* ibid. *neque ad Saulem.* ibid. b. *neque ad Davidem.* ibid.

שוף. 180 b.

Scientia Dei non eſt cauſa rerum. 95 b.

Scientia Dei de futuris contingentibus à Deo negatur. ibid.

Scientiæ Adami perfectiones in ſtatu innocentiæ. 117 b.

de

de ſcientia Adami quid cognitu neceſſarium. 117 b.

Scientia media à Ieſuitis excogitata, ab aliis Pontificiis exſibilata, refellitur. 819 a.

סבר. 630 a.

Scotus contra Durandum diſputat de creandi incommunicabilitate. 10 b. *ſtatuit hominem in ſtatu innocentiæ potuiſſe mori, & moriturum fuiſſe.* 100 b. *refellitur.* ibid.

Scriptura hodierno tempore neceſſaria eſt. 451 b. *Scriptura cur quæ in aliis regnis & Rebuſp. illuſtria fuerunt tacuit, quæ vilia videntur in populo Dei memoria commendavit.* 631 b. *Scriptura quæ in uno loco omittit, poſtea ex occaſione ponit.* 799 b.

Surripere ſcyphum principis quam infame. 807 b.

שבט 870 a. *afflictiones non deſignat.* 880 a.

Seir unde dicta regio Idumæorum? non ab Eſavo piloſo ſed ab alio Sehire. 672 a.

Seleuci error quo ſtatuit Deum non creaſſe animam hominis immediate. 88 a.

Semen poſteritatem in ſcripturis denotat 183 a.

Semen mulieris. 185 a. & 186 a, 187 a. *Seminis nomen quomodo ſingulariter, & quomodo collective accipiatur?* 531 b. *Semina, vox illa pluralis numeri nunquam pro hominum poſteritate ſumitur.* 531 b.

Semi & Iapheti laudabile factum. 305 b. *benedictio Semi & Iapheti.* 311 a.

Semideorum apud Ethnicos origo quò referatur. 258 b.

Senſuum nomina ſæpe ponuntur pro rebus ſenſu perceptis. 459 b.

Senſus literalis duplex. 559 a. *Ex ſenſu myſtico quomodo poſſit duci ſolidum argumentum.* 562 b.

An ſeparatio animæ à corpore neceſſariò ſupponat reductionem in pulverem. 196 a.

Separationis, Abrami à Lotho, cauſa. 352 b, & 354 b.

Septies & ſeptuagies quid? 232 b.

Septimæ diei cur Deus benedixerit. 64 b. *de illa benedictione Iudæorum nugamenta.* ibid.

Septimæ diei laudes apud veteres poëtas. 66 b.

Dies ſeptimus omnibus gentibus venerabilis & ſanctus. 66 a.

An ſepulchrum Davidis fuerit oſtenſum poſt Chriſti reſurrectionem? 196 a. *An in ſepulchris excavatis ſerpentes & vermes naſcantur?* 197 a.

Abraham cur poſſeſſionem ſepulchri emere voluerit à Chetæis? 533 b. & 536 a.

Quomodo ſepulchrum habere potuit qui credebatur à feris devoratus? 731 b.

Sepulturam & ſepulchrum tribui omnibus mortuis. 731 b.

Cur omnes gentes ſepulturæ curam habuerunt? 761 a.

Serapidis fabula an ex Ioſephi hiſtoria ortum habuerit? 789 a. *Ejus oraculum de Trinitate.* 786 b. *Serarii Ieſuitæ adverſus Baronium de editione 70 Romæ excuſa rationes.* 238 b. *Rejicitur ejus dogma, de ſubornandis coquis & pincernis, & inficiendis veneno fontibus, etiam in bello.* 365 a.

Serpentis aſtutia & prudentia. 139 a. *cur ejus in hominis tentatione fiat mentio* 140 b. *verus ſerpens qui Evam tentavit.* ibid. *Sed à dæmone poſſeſſus.* ibid. a

Serpenti cur maledixerit Deus. 140 b.

Cur mulier non fuerit attonita cum audiret ſerpentem loquentem 141 a. *Serpentis maledictio, quomodo ſatanæ poſſit accommodari.* 174 b. *Caballicorum expoſitio.* 175 a *Sententia aptiſſima explicatur.* ibid.

Serpens qui Evam tentavit ab Ophitis pro Chriſto habitus. 147 a. *Serpenti naturali cur maledixerit Deus.* 172 b. *an comeſtio terræ fuerit ſerpenti deſtinatus cibus.* 174 a. *Greſſus ſuper ventrem an ſerpenti naturalis.* 173 b. *reſolvitur quæſtio.* 174 a.

Serpentes naſci ex ſpina dorſi nonnulli olim ſcripſerunt. 197 a. *Plinius hoc affirmat.* ibid. *de productione ſerpentis Plutarchi ſimile.* ibid.

Serpenti & Ceraſtæ cur Dan aſſimiletur? 888 a. *notantur hac ratione inſidiæ in bello.* ibid. *quæ adverſus hoſtes non improbandæ.* ibid.

Sethi etymologia. 233 a.

Cur dicatur Seth genitus ad imaginem Adami? 233 b. *Ejus poſteritas quare inceperit vocari de nomine Dei.* 234 b.

Servetus negavit ſermonem eſſe rem exiſtentem. 4 a. *Vult communionem quam habituri ſumus cum Deo futuram per transfuſionem divinæ eſſentiæ in nos.* 87 b.

Servitus ex peccato. 58 a.

An ſervitus ſit à natura? 310 a. *Servitutis diſtinctio.* ibid. *Quæ fuerit ſervitus reſpectu Chami, & quænam reſpectu fratrum ipſius?* 311 b.

Servitus quando injuſtè acquiſita? 357 b. *Qui in ſervitutem conſenſit, & ſi injuſtè adactus, an excutere jugum poſſit?* ibid. *Servitutis origo unde?* 358 b. *Servitutis conditio apud Chriſtianos cur ceſſaverit?* 361 b. *datur exceptio.* ibi. *Abrahami poſterorum ſervitutis quis terminus fuerit.* 408 a. & *deinceps.*

Servitutis variæ cauſæ. 725 a.

Sententia ſervitutis in Benjaminum ſolum. 810 b.

Servi ſervorum qui dicatur? 309 b. *titulus ille quomodo pontifici Romano conveniat?* ibid. *Servi, in quibus habebatur jus & poteſtas vitæ, neciſque, quinam fuerint?* 361 b. *Deus cur quoſdam amandet ad ſervos ut pro eis orent?* 493 a, b. *Servi frugi deſcriptio.* 660 a. *Servi fidelis quam pretioſa poſſeſſio.* 753 a. *Servorum Pharaonis peccatum quibus Ioſeph in carcere miniſtravit, temerè à Iudæis definitum.* 755 a.

Sexuum differentia ante peccatum negata fuit ab Almarico. 53 a.

Sichem quæ fuerit in qua paſcebant Iſraëlitæ? 719 a.

Siclus quid valeat? 496 b.

Quadringentorum ſiclorum reductio ad noſtram monetam. 536 b.

Vallis Siddim ubi fuerit. 357 a.

Siddim

Siddim unde? ibid.

Sidon. 884 a.

Signum, fœderi quare addat Deus? 296 a. *cur ſignis addat verbum ſuum?* 609 b. *Vſus ſignorum.* 297 a. *Quare, cùm Deus viſibilia ſigna præſentiæ ſuæ dederit, illus, eum repræſentare non liceat?* 342 a. *Signum petere aliquando præſupponit diffidentiam.* 407 a. *aliquando non.* b. *Cuivis non licet ſignum à Deo petere.* 544 a. *Diverſa ſigna idem ſignificantia non inutilia.* 765 a.

Simonia inter emptionem Abrahami & venditionem Ephronis an fuerit? 537 a.

Nullum Ebræis verbum reſpondet propriè latino ſignificat, pro quo ſubſtantivum eſt uſurpatur. 757 b.

Silentium, Paulus mulieribus quomodo impoſuerit? 192 a.

Similitudo Vide Imago.

Simeonitarum diſperſio quæ 866 a *quomodo in bonum ipſorum ceſſerit.* 867 a.

Simoniani Angelis creationem tribuunt. 10 a.

Simplicitas quænam commendetur? 364 b.

Simulachrum non ſemper pro idolo ponitur, ut vult Bellar. 651 a.

Simulationis & diſſimulationis quorundam diſtinctio. 457 b.

Sinai montis conjunctio cum Ieruſalem quæ ſit de qua ad Gal. 4.25. 511 a.

Sixti V. Papæ ex ſubulco ſuperbia. 833 b.

שלח *quomodo per ſe & quomodo cum præp.* מן *accipiatur?* 205 b.

Societatis vinculum quid ſit cujuſdam ſententia. 319 b.

Socinus refellitur. 16 a. *Negat cum juſtitia Originali hominem creatum.* 46 b. *refutatur.* ibid *Negat Filium eſſe Iehovã, quia ſit ab alio.* 75 a. *Nihil in primo homine agnoſcit, præter id quod aliis hominibus poſt peccatum reliquum eſt.* 102 a. *Reſurrectionem impiorum negat.* 102 b. 104 a. *In quæſtione de immortalitate primi hominis quomodo differat à Pontificiis.* 103 a. *Ejus argumenta quibus probat Adamum immortalem non fuiſſe refutantur.* 106 a. *Negat beatitudinem naturalem in Adamo.* 84 a. *Socinus Dei præſcientiam futurorum negavit.* 95 b. 413 a. *refutatur* ibid. *& deinceps. Aperte negavit Deum omnia antequam fierent ſciviſſe* 525 a.

Sodomæ accuſatio. 453 a. *Sodomitæ incitantur ad libidinem ex formâ excellenti angelorum.* 458 b. *Sodomitarum univerſalis corruptio.* 459 a. *Eorum infantes cur etiam ſunt ſublati?* 459 b. *Deus conſilium ſuum de Sodoma evertenda Abrahamo revelat.* 450. *Sodomitarum nefanda petitio.* 460 a. *Eorum pertinacia in perpetrandis ſceleribus.* 462 a. *In Sodomæ perditione qui perierunt, an gehennæ fuerunt addicti?* 474 a, b. *De ea evertenda colloquium Dei cum Abramo.* 449 b *Sodomæ perditionis apud profanos & Ethnicos extant veſtigia.* 474 b. *& deinceps. illius perditionis uſus varii.* 475 b. *& deinceps.*

Solonis lex de puellis ſanguine proximis. 738 a.

Zuinglii ſomnium explicatur 603 b. *à calumnia vindicatur.* ibid.

Somniorum diſtinctio. 603 a. *eorundem diſtinctio ex Gregorio.* 604 b. *Eorum cauſa:* 603 b. *vanitas.* ibid. *Somniorum ordinariorum interpretatio fallax.* 605 b. *ſomnio Deus ſolebat aliquid manifeſtare ſuis prophetis.* 488 b. *Somnia quæ prohibentur.* 488 b. *Somnium ſpeculativum quid ſit?* 489 a. *Somnium allegoricum quid ſit?* 489 a. *Supernaturalium ſpecies, quot ſint.* 489 a. *Somnia Ioſephi.* 716 a. *Vide Ioſeph. an à parte Iacobi impleta fuerunt?* 717 b. *naturalia & eorum ſignificata.* 756 a. *à dæmonibus immiſſa, & ex iis divinatio damnanda.* ibid. *Somnia à Deo & eorum interpretatio.* 756 b. *eorum variæ ſpecies.* ibid. *interpretatio à Deo ſolo pendet.* 757 a. *de ſomniis, hoc tempore ſollicitos eſſe non licet.* ibid.

Pincernæ ſomnium, & eius fauſta interpretatio. 757 b. *ſomniorum Pharaonis interpretatio.* 765 b. *cur ſomnia ſervos Pharaonis in carcere reddiderint ſollicitos?* 756 a. *impletio ſomnii Ioſephi.* 803. b. *&* 810 a, b. 812 b.

An Soph-paſuk *ſemper faciat diſtinctionem magnam?* 367. a. *ſolutio.* ibid. *&* b.

Sorek *quid?* שרק. 881 a.

Spelunca, quam Abraham à Chetæis petebat, cur dicta fuerit Machpelah? 536 a.

Spinas Deus de novo non creavit poſt peccatum. 63 b.

per Spinas & tribulos, quæ nam intelligantur? 194 b. *Pererii opinio refutatur.* ibid.

ספר. 237 a.

שפיפון. 181 b.

Spiraculum vitæ quid. 82 a.

Spiritus tres ſignificationes. 12 a.

Spiritus aquis incubans non fuit ventus aut aër aut ignis. 13 a. *nec Dei vis aut efficacia.* ibid. b. *ſed ſpiritus Dei.* ibid. *cur eius mentio à Moſe facta?* ibid. *ſpiritus alio modo quam per ſuos effectus & dona non cognoſcitur.* 13 b. *ſpiritus Dei Deus.* 14 a. *ſpiritus Dei quomodo dicatur à Deo diſtingui.* 14 a. *de eo philoſophati ſunt antiqui.* ibid b. *& animam Mundi vocarunt.* ibid. *ei creatio in ſcriptura tribuitur.* 15 b. *ſpiritus Dei virtus Dei propter creationem dicitur.* 15 b. *Ebræi Arcanum de Sp. S. non ignorarunt.* ibid. *ſpiritus Dei quomodo dicatur contendere cum hominibus.* 260 b. *Sp. Sanctus in N. T. quomodo depingi poſſit?* 342 a.

inter Sponſalia & nuptias aliquod temporis ſpatium interponi honeſtum eſt. 465 b.

Sponſalia an poſſint diſſolvi. 624 b.

Sponſæ noctu olim in ædes viri velatæ deducebantur. 625 b.

צבחים. 835 a.

An

An ſtatuas & imagines Eccleſia Chriſtiana primitiva in honore habuerit? 208 a.
Statuarum erectio religioſa, prohibita. 664 a.
Status Mundi triplex in ſucceſſiva productione oſtenditur. 12 b.
De ſtatu Enochi, Epiphanii ſententia. 280 a. *Epiphanius de Enocho explicatur.* ibid. *Irenæus explicatus.* ibid.
Stellæ non poſſunt numerari. 397 b.
Sterilitas mulierum omnium domus Abimelechi quomodo tam exiguo tempore deprehendi potuerit? 497 b.
Sterilitas opprobrium. 632 b. 637 b. *Cur.* ibid.
Sterilitatem & fertilitatem à Deo, etſi cauſas habeant naturales. 765 b. *unde utraque in Ægypto.* ibid.
Major vel minor Nili inundatio facit ſterilitatem & fertilitatem in Ægypto. ibid.
Stola quid? 881 b. *an quæ de lotione Stolæ in ſanguine dicuntur ad Meſſiam referri debeant?* ibid. *variæ Iudæorum & Chriſtianorum allegoriæ.* 882 a, b. *probatur de Iuda ad literam eſſe intelligenda.* ibid. *& prædici copiam vini.* ibid. *lavabit in vino ſtolam adagium explicatur.* ibid.
סותה Sutah. 881 b.
סטר. 596 a.
Stratagemata quid ſint? 364 b.
στύραξ arbor. 644 a.
Suareſii ſententia in operationibus Dei. 818 b. *refellitur Suares volens Deum occaſionaliter præordinare bonum.* 819 a.
Subjectio omnis non eſt ex peccato. 58 a. *quænam ſtatui innocentiæ conveniat.* ibid. *coactiva quo modo dicatur contra naturam.* 58 b.
Subjectio uxoris viro, quando ſit cum gravi pœna conjuncta? 193 b. 134 b. 193 b.
Subjectio Ægyptiorum regi ſuo. 837 b.
Subſtantiva duo cur Ebræi conjungant. 21 b.
Succeſſus fœlices à Deo petendos eſſe. 747 b. *& expectandos.* 800 a.
Succoth *per prolepſin ſic dicitur.* 690 b.
Sudor vultus quid? 195 a.
Superbia primorum parentum qualis. 159 a.
Superbia ſecundum quoſdam Scholaſticos eſt primum peccatum. 155 a. *Quæ opinio refutatur.* ibid.
Superbiæ duplex acceptio. 156 a.
Supernaturalis ſignificationes. 30 a.
Suſpicio, vitium ſenectutis. 799 a.
σύνεσις quid. 169 a.
συνείδησις. 168 b.
συντήρησις. 168 b. *quomodo differt à συνειδήσεως.* ibid.
συστοιχεῖν quid ſignificet? 511 a.
Syri unde dicti. 600 b.

T.

מאה. 859 b.
Tabernacula Semi, pro quo accipienda ſint. 312 b.
Tabernacula virorum & mulierum fuerunt ſeparata. 547 b.
Tactus fundamentum ſenſuum. 83 a.
Talmudiſtarum de Lili deliria. 127 a.
Tangere virum, & tangere uxorem quid? 578 b.
Tatiani error quo ſtatuit Adamum damnatum fuiſſe. 98 b.
τοῦ טבח *acceptiones.* 802 a.
An tegere ſuam nuditatem ſpiritualem per ſe homo poſſit? 200 b. *quis peccata tegere poſſit?* ibid.
Τεκμήριον *Antichriſti, quid ſit?* 343 b.
Quid voce τεκνογονίας Paulus comprehendat. 192 a.
Temporalia quomodo favoris Dei ſint argumenta? 892 a.
Tempus vitæ, quid ſignificet Gen. 18.10. 448 a, b.
Tentare quid. 141 b. *tentatio quot fiat modis.* 142 a. *tentare Deum quid?* 140 a.
Tentationum bonarum & malarum diſcrimen. 142 a.
Tentatione interna non tentatus fuit Chriſtus nec primi parentes. 143 b.
Tentatio Adami cur à Deo permiſſa. 144 a. *Variæ rationes examinantur.* 145 a, *quæ omnes reſolvuntur in voluntatem & beneplacitum Dei.* 146 a.
Tentatio fuiſſe explicatur. 515 b. *& deinceps.*
Tentationis ordo. 150 b.
Tentationis diſtinctio. 515 b.
Deus alio fine tentat ſuos, alio fine alienos. 516 a.
Deus in quem finem homines tentando probet? 517 a, b.
Tentationes piorum. 682 b.
Terminus collium ſeculi quam variè accipiatur. 895 b.
Terræ terminus poſitus. 282 a.
An Terra aliquando deſitura ſit? 282 a.
An per mutationem, an per abolitionem. ibid.
Quid nova Terra in S. S. deſignetur. 283 a.
An liceat alicui alienas terras expetere. 343 a.
Terræ ſanctæ termini. 610 a.
vir Terræ quid ſit. 299 a.
Terrores Deus immittit. 700 a, b.
Teſtamenti nomen quo ſenſu, ad Galat. c. 4. ℣. 24. *uſurpetur?* 509 a.
Tetragrammaton nomen junctum nomini Adonai aſſumit puncta nominis Elohim. 395 b.
Thadal, ubi regnaverit Maſii opinio. 365 b. *quare dictus rex gentium.* 357 a.
Thamar ex qua gente fuerit? 736 a. *quomodo ei injuria facta fuerit à Iuda in dilatione conjugii cum Selah.* 741 a.
An ejus fraus excuſanda? 741 b. *An in delicto ejus juſta fuerit pœna capitalis.* 744 b. *An quod operuerit faciem ſuam ne agnoſceretur, ſit argumentum impudicitiæ, nec ne?* 742 b.

Theodori Sartoris hiſtoria. 138 a.
Theodoretus vindicatus. 615 b.
Therach & Abraham an fuerint ante vocationem ſuam idololatræ? 335 b. & ſeqq. Calvinus affirmans, à Bellarmini criminationibus defenditur. 336 a. quorundam Pontificiorum affirmatio. ibid. quis primogenitus fuerit inter filios Therach? 333, b. 347 a.
Theraphim quid? 651 a. Hebræorum variæ de iis conjecturæ. 651 b. cur Rachel furata ſit has imagines? 652 b. 697 b.
Thomæ opinio de primo hominum peccato examinatur. 163 b.
Thomæ Mori Vtopia. 316 a.
Thomæ de duplici miſſione angelorum diſtinctio. 670 a.
Thraces uxoribus ut ſervis utebantur. 134 b.
Tigris & Euphrates ubi fontes ſuos habeant? 247 a.
Timere non eſt vitioſum. 814 b. cur qui graviter timent obmuteſcant & velut obrigeant. 814 b.
Vbi non eſt timor Dei ibi nulla eſt juſtitia. 495 a.
Timoris nomen obedientiam omnem includit. 526 a.
Timor Iacobi & ſanctorum ex præſentia Dei quis. 611 a.
Timorem Iſaaci cur Deum appellet Iacob? 660 b. & ſeq.
Timor Dei fons æquitatis. 795 a.
Cauſa timoris imaginatio. 814 b. 815 a.
Timore calor ad interiora contrahitur. 815 a.
Τιμωρία quid ſit? 454 a.
חם quid ſignificet. 561, a. 566 a.
Equites torquati unde ſic dicti. 780 a.
Traditiones quales admitti poſſint. 71 b.
de Traditionibus Pontificiorum objectio diſſolvitur. 30. b. traditione vetuſta quod commendatur fide dignum ſemper non eſt, fatentibus ipſis Ieſuitis, 889 b.
Orthodoxa ſententia de loco, ſtatu, & fine tranſlationis Henochi & Eliæ. 243 a.
Finis Tranſlationis Enochi, & Eliæ. 243 b. cauſæ aliæ. 243. a. autoris ſententia. ibid.
quinam Tranſlationis locus? 243 a. de eo variè Pontificii ſentiunt. 246 b.
In quem revera locum tranſlati fuerint Enoch & Elias. 247 b.
חרמה. 143 a.
Tribus Gadi portio qualis & quibus obnoxia. 891 a. tribus Aſcher habitationis qualitas, fertilitatis nomine commendata 892 a. ejus termini. ibid. poſſeſſio tribus Nephtali. ibid.
Benjaminiticæ benedictio. 896 b. ut & Iſſachar. ibid. b.
Triſtitia ſecundum Deum. 816 a.
Triſtitia ob vindictæ metum. 816 a.
צבא. 58 a.
Verbi צדק ſignificatio forenſis. 810 a.
צלע. 123 a.
צוה. 91 b.
Vocis צר tſor aut צרר ſignificatio. 433 b.
Tob טוב. 50 a.
Tumulorum erectio in memoriam defunctorum unde? 705 a. in iis modus ſervandus. ibid.
Turrim Babel quare filii hominum ædificare voluerint? 322 b.
Tyrannorum peccatum, an excuſet perduelles? 357 b.

V.

Valdenſes à calumnia de juramento vindicantur. 529 b.
Valleſius de ſpiritu aquis incubante. 13 a.
Vanitas humani ingenii. 469 a.
Varro Deum voluit eſſe animam mundi. 85 b.
Calvinum calumniatur. 366 a.
Refutat Bellarminum & alios ſuos ſodales. 378 a, b. & 380 a, b.
Agnoſcit nunquam ſacrificium, ſed tantum ſacerdotium à Paulo referri ad ordinem Melchiſedek. 378 b, & 380 b.
Directè contradicit Bellarmino ubi de fœdere Dei cum Abramo agit. 425 a.
Impudentiſſime objicit nobis blaſphemias. 818 a, & alii. 888 b.
Suis aſcribit quod Deum conſtituant peccati cauſam, maximè Cajetano. 820 b.
Redarguitur. 844 b.
Ejus error notatur. 6 b.
Vaſquez Ieſuitæ, erroris pontificiorum confeſſio. 193 a.
An particula Vau ſit cauſalis. 366 b. Cajetani confeſſio. 367 a.
Velamenti mulierum explicatio. 547 a. de eo, quorundam errorum rejectio. ibid. b.
Venatio quid aliquando in ſcriptura? 314 a.
An venatio per ſe improbari debeat? 315 b. & 316 a.
Contra venationes quorundam argumenta, ibid.
Venationis diſtinctio. 316 b.
Venationis abuſus culpatur. 317 a.
Potens venator cur Nimrod dicatur. 314 a.
Venatoris definitio. 316 a.
Hubertus venatorum deus tutelaris. ibid.
Verbum Iohanni eſt perſona ſubſiſtens. 15 b.
Verbum Patris in creando non fuit inſtrumentum. 16 b.
Quo modo probetur æternum eſſe ex verbis Moſis dixit Deus. ibid.
Fuit verbum, quæ phraſis ſit? 392 a.
In Hebræis verbum activum aliquando pro paſſivo uſurpatur. 438 b.
Verbum pro re ſumitur. 449 a.
Verba tertiæ perſonæ plerumque imperſonaliter ſumuntur apud Ebræos. 568 b.
Verbum Domini pro Deo cur ſæpe uſurpet Chald. Paraph. 754 a.
Verbo Dei ſimpliciter inhærendum eſt. 823 b.
Verba dura, & exitioſa in ſacris literis quibus comparentur? 893 b.

Vere-

Verecundia duplex. 135 b.
Verenda patris detegere proverbia. 305 a.
Veritas manet ſemper ſui ſimilis. 205 a.
Vernæ, apud Latinos, ſervi quare appellentur? 361 b.
Verſutiæ muliebris inſigne exemplum. 752 a.
Veſtium primarum an Deus fuerit auctor, necne? an immediatè ex pellibus veſtes fecerit hominibus? Vſus veſtium quando fuerit neceſſarius? Materia primarum veſtium in ſcriptura eſt deſcripta, voce Ebræa עור *or quæ pellem animalium ſignificat, hanc revera materiam primarũ veſtium fuiſſe ſtatuitur* 199 b, & 200 a. *Quoſdam Philoſophos pellibus fuiſſe tectos. Tales veſtes Eliæ, & Iohanni Baptiſtæ fuiſſe multorum opinio.* ibid.
Veſtium primarum forma qualis fuerit. ibid.
Veſtium mundatio cerimonialis quid? 698 b.
Modeſtia in veſtibus ſervanda. 715 a.
Veſtis polymitæ cur mentio fiat? 714 b. *De ea Iudæorum nugæ.* ibid. *Ac aliorum vanæ allegoriæ.* ibid. *Veſtes orientalium longæ.* 721 b. *Mos ſcindendi veſtes in gravi luctu.* 726 a.
Via domini quæ? 451 a.
Via hominis quæ? 451 a.
Via mulierum quid ſit? 448 b.
Viciſſitudinum duratio an æterna? 282 a.
Viciſſitudo annorum quando habuerit ſuas cauſas? 28 b.
Videbit, pro providebit. 527 a *Quid ſibi vult non videbis faciem meam.* 798 b.
Vidua ſine prole relicta cui poterat nubere. 741 a.
Villegiſi Hiſtoria modeſtiæ exemplum. 815 b.
Vindicta an ſemper per ordinarium judicium de facinoroſo ſumatur. 295 a.
Privata quomodocunque ſuſcepta Deo diſplicet. 867 a.
Iudex juſtus ad vindictam quomodo procedat? 359 a.
Vineas plantare quomodo Noachus in animum induxerit. 390 b. & 301 a.
Fabularum Iudaicarum de inventione vineæ rejectio. 301 a.
Vinitor phraſi Ebræa etiam agricola dicitur. 299 b.
Res vinitoria, & legitimus uſus vini Deo non diſplicent. 301 b.
Hermolai Barbari in vinum declamatio. 302 a. *uſus vini, ab abuſu diſtinctio.* ibidem. *Mahometis de vino fabula.* ibidem, & b. *Ad argumenta negantium uſum vini eſſe bonum reſponſio.* ibid.
Vinum quomodo, & quando conducat. 303 a.
Vir in uxorem autoritatem habet. 134 a. *Rationes.* ibid.
Vir qua ratione fuerit à muliere ſeductus ad peccatum. 152 a.
Prærogativa viro, qualis ante lapſum præ muliere fuerit conceſſa. 193 b.
Vir, terræ quid ſit. 992 a.
Vira. 126 b.
Virago. 126 b.
Vir quare dicatur caput mulieris apud Paulum 1 *ad Cor.* 11. *verſ.* 3. 193 b.
Viri ſancti mortui quomodo vivant apud Deum. 73 a.
Vir numeri adagium pro paucis. 694 b.
Viri pecoris. 833 a
Viri Roboris. 835 b.
Viſionis & apparitionis diſcrimen. 340 a. & b.
Viſio quid ſit. 340 a, & b. *Cur veteres poſt divinam viſionem metuerint?* 686 a.
Quomodo Abram Deum viderit? 341 a.
Ebræorum commenta de loco viſionis Iacobo objectæ. 602 b.
Vita æterna bifariam accipitur. 108 b.
Vitæ præſentis & futuræ diſcrimen. 240 b.
Vita, peregrinatio Iacobi. 836 a.
Vitæ brevitas etiam in longævis. 836 a, b.
An cultæ fuerint vites, & uſus vini cognitus ante diluvium argumenta affirmantium. 300 a.
Ante diluvium fuiſſe cultas negantium argumenta. 300 a, & b. *Controverſiæ conciliatio.* 399 b.
Viventes quinam dicantur apud Ebræos. 198 b.
Vivere coram Deo quid? 441 b.
Non ultra an abſolutè neget de futuro? 702 b.
Fabula de Vlyſſe. 751 a.
In umbra alicujus venire. 461 b.
Vnibile quid ſignificet Bonaventuræ. 23 a.
Vnio in rebus quotuplex ſit? 208 a, & b.
Vnio hypoſtatica quomodo fiat? 208 b.
Vnio per informationem quid ſit? 208 b.
Vnio ſubſtantialis quot modis fiat? 208 b.
Sicut unus ex nobis, variæ expoſitiones. 200 b, 201 a. *in eadem verba Cabbaliſticum ex Rheuclino commentum rejicitur,* ibid. *An ex his verbis Trinitatis myſterium efficaciter probetur?* 201 b. *Defenditur Calvini interpretatio adverſus objectiones Piſcatoris.* ibid. *Ecce ſicut unus ex nobis ad hæc reſponſio.* 204 a.
Vocari in nomine Domini quid. 51
Vocari in nomine Iehovæ quid ſit? 235 a.
Vocatio efficax non poteſt fruſtrari. 566 b. *Vocationis diſtinctio.* 567 a.
Officia vocationis qui negligunt profani. 598 b.
Voluntas nihil apprehendit niſi ſub ratione boni. 170 a. *ſed non ſemper boni moralis.* ibid.
Voluntas Dei immutabilis. 264 b.
Voluntas divina revelata, & occulta quæ? 524 a. *præcepti & decreti.* ibid.
Voluntatis divinæ æterna diſpoſitio non tollit precum uſum. 555 a *& quomodo id fiat.* ibid.
Auguſt. doctrina de bona hominis voluntate à Dei voluntate diſſentiente, expenditur & probatur. 722 b.
Voluntatis divinæ variæ diſtinctiones quæ nullam in Deo arguunt mutationem. 722 b.

Voluntas per cauſam. 799 a.
In voluntate Dei acquieſcendum. 801 b.
Voluptas an erit mihi, quid ſignificet? 448 b.
Voluntatem Dei eſſe mutabilem, impiæ opinionis Vorſtii rejectio. 265 a.
De voto monachali Bellarmini redargutio. 340 a. *Votum quid.* 614 a. *Voti definitio Bellarmini quomodo toleranda.* 614 a. *Ad voti rationem quæ pertineant.* ibid. *votum eſt actus religionis.* b. *Soli Deo nuncupandum.* ibid. *an ſanctis nucupandum.* ibid. *Pontificiorum diſtinctiones & contradictiones.* ibid. *Voti materia.* 616. a. *An ſint res ad ſalutem neceſſariæ.* ibid. *quomodo fieri poſſint materia voti,* b. *Votum Iacobi.* 617 a. *Erit mihi Iehova in Deum, an hæc verba ſint pars voti* ibid. *variæ variorum expoſitiones.* ibid. *In votis quæ conditio valeat.* 617 b. *quid voverit Iacob.* 618 a. *Vota alia generalia, alia particularia, eorumque materia* 620 a. *Vota ſpecialia ſub* N.T. *locum habere poſſunt.* ibid. *Eorum conditiones.* ibid. *Bellarmini confeſſio notanda, quod extra ſcientiam ſanctis vota nuncupent.* 615 b.
Vox Dei 167 a. *quæ fuit illa quam audiverunt protaplaſti poſt peccatum.* ibid.
ὑπερασπίσται *qui?* 392 b.
De Vr Chaldæorum, Iudæorum, fabulæ rejectio. 335 b.
Vrbs à Caino ædificata qualis fuerit: 222 a.
Particula uſque non ſemper excludit futurum tempus. 610 b.
Vt particula conſequentiam non cauſam denotat. 451 b.
Vtilitates quas Deus ex occaſione transgreſſionum Adami elicuit. 96 a.
Vulcani fabula unde deſumpta ſit. 234 a, & b.
Vulgata verſio authentica facta à Concilio Tridentino. 176 b. *Error redarguitur.* 262 a. 280 a, 456 a, 615 b. 642 a, 665 a, 711 b.
Vultus index mentis. 649 a, b.
Vulvæ apertio Deo peculiariter tribuitur. 630 b.
Vxor etiam poſt lapſum data homini in adiutorium. 122 b.
Vxoris ſocietas cum viro & ejuſdem ſubjectio quomodo conveniant. 134 a.
Vxoris deſideria, à viro pendentia, quomodo facta ſint pœnalia? 193 b. *An ſit leve crimen ducere uxorem diverſæ religionis?* 254 b. *Omnibus Patriarchis V.T. à parentibus uxores fuerunt datæ.* 507 b.
Vxor perhibetur etiam deſponſata. 624 b.

Z.

Zebulon unde. 637 a. *ejus ſedes maritima.* 883 b. *cur in benedictione ejus Sidonis non Tyri fiat mentio.* ibid.
Zorobabel nunquam regnavit. 873 b.

FINIS.

INDEX
Locorum S. Scripturæ qui in hoc opere explicantur vel illuſtrantur.

Exodus

Capvt 1, verſ. 21. p. 418 a. 3, 3, 4. p. 77 a. 3, 6. p. 72 b. 15, 4. p. 534 a. 16, 26. p. 66 a. 17, 15. p. 77 b. 19, 11. p. 77 a. 21, 28. p. 293 a. 24, 9. p. 420 b. 26, 3. p. 223 b. 30, 12. p. 758 a. 33, 20, 23. p. 685 a, & 686 a. 34, 15. p. 361 a.

18, 9. p. 846 a. 18, 18. p. 22…
738 a, b. 18, 24. p. 220 b. 20, 9. p…
20, 15, 16. p. 293 a. 20, 17. p. 221 a. 23…
21, 10. p. 728 a. 23, 24. p. 515 a.

Numeri

10, 35. p. 76 b. 12, 2. p. 481 b. 21…
p. 237 a.

Deuterono…

1, 27. p. 323 b. 3, 16, …
p. 413 a. ℣. 13, 14 b…
12, 11. p. 534 b. 1…
17, 17. p. 224…
p. 625 a. 25, 5…
30, 15. p. 111 b…

10, 29. p…

5, 16…
6, 24…

1, 1. p…

1, 4, &…
p. 779 a…
18, 10. p. 2…

II…

2, 5. p. 533 b. …
11, 19. p. 419…

1, 21. p…

VERBIA

..32 b. 18,16. p. 677 b.
881 b.

..TES

12,7. p. 105 a.

JUDITH

9,2, & ſeq. p. 695 b.

TOBIAS

4,14. p. 156 a.

SAPIENTIA

1,13. p. 115 b. 4,4. p. 248 b.

ECCLESIASTICUS

1,2. p. 38 b. 10,14. p. 155 b. 18,1. p. 11 b.
34,16. p. 812 a. 44,16. p. 242 b, & 249 b.

MATTHÆUS

... 746 a. 3,4 p. 200 a. 4,9. p. 355 a.
... p. 677 a. 11,24. p. 474 b. 16,18.
... a & b. 18,22. p. 232 b. 19,3. p. 129 a.
... p. 228 b ℣. 9. p. 229 a. ℣. 19. p. 266 b.
...,8. p. 394 b. ℣. 23. p. 244 b. 22,3. p. 257 b.
... 21. p. 791 b. 24,16,17. p. 468 a. 24,37.
... 25,31. p. 244 b. 26,29. p. 205 b.

MARCUS

...11. p. 229 a.

...AS

...30 b. 2,1. p. 785 b.
... p. 450 a. 9,62.
... 10,30. p. 39 a.
...86 a. 15,22.
... 8. p. 230 a.
... 8 a.

... 1,52.
... 244 b.
... p. 3 b.

... 820 a.
... p. 691 a.
... verſ. 30.
... a. 15,20.
...,28. p. 87 a.

EPISTO-

EPISTOLA PAULI AD ROMANOS

3, 1. p. 529 a. verſ. 2. p. 427 b. 4, 5. p. 394 a. 4, 18, 19, 20, 21. p. 441 a. 4, 19. p. 549 a. 5, 14. p. 243 a. 5, 19. p. 156 a. 6, 23. p. 112 a. 8, 9. p. 260 b. 8, 10. p. 204 a. 8, 19. p. 284 b. 286 a. 8, 29. p. 246 a. 9, 7. p. 502 b. 9, 10, 11, 12, 13. p. 560 a.

I. AD CORINTHIOS

1, 8. p. 472 a. 5, 1. p. 706 a. 6, 12. p. 391 b. 6, 13. p. 106 b. 6, 16. p. 128 b. 7, 2. p. 229 b. 11, 7. p. 28 b. verſ. 9. p. 121 a. 15, 20. p. 246 a. 15, 22. p. 115 a. 15, 44. p. 106 b. verſ. 45. p. 107 a.

II. AD CORINTHIOS

3, 18. p. 26 a. 12, 7. p. 682 b.

AD GALATAS

3, 16. p. 185 a, 403 a, 531 b. 4, 22. p. 507 b. & verſ. 29. p. 500 a.

AD EPHESIOS

4, 23, 25 b, & ſeq. 5, 2. p 278 a. 5, 22. p. 229 a. 5, 29. p. 13 b. 5, 32. p. 132 a.

AD COLOSSENSES

1, 15. p. 26 b, 146 a. 2, 9. p. 424 b. 3, 10. p. 25 b, & ſeq. 3, 18. p. 229 a.

I. AD THESSALONICENSES

4, 13. p. 533 a. 5, 23. p. 91 a.

I. AD TIMOTHEUM

1, 9. p. 165 a. verſ. 19. p. 572 a. 2, 14. p. 152 b. verſ. 15. p. 192 b. 3, 2. p. 229 b. 5, 9. ibid. 5, 21. p. 534 b. 6, 10. p. 158 b.

AD EBRÆOS

1, 3. p. 16 b. 1, 5. p. 254 a. 1, 7. p. 4 a. 5, 11. p. 383 a. 6, 5, 6, 10, 13. p. 547 a. 6, 20. p. 244 b. 7, 3. p. 372 a, 373 a. verſ. 8. p. 372 a. verſ. 13. p. 371 b. verſ. 14. ibid. 8, 3. p. 378 a. 9, 8. p. 245 a. verſ. 16. p. 245 b. verſ. 27. p. 243 a. 11, 4. p. 213 a, 214 a, 217 a, 218 a. verſ. 7. p. 404 a. verſ. 17, 18. p. 520 b. verſ. 19. p. 526 b. verſ. 21. p. 843 b. verſ. 38. p. 481 a. verſ. 39 & 40. p. 245 b. 12, 17. p. 594 b. 13, 16. p. 268 b, & 278 b.

JACOBUS

1, 14. p. 150 b. 1, 15. p. 410 a. 2, 2. p. 530 b.

I. PETRI

2, 7. p. 459 b, 517 b. 3, 18. p. 262 a., 1 p. 269 b. 4, 6. p. 269 b. 4, 8. p. 167 a.

II. PETRI

1, 4. p. 87 b. 1, 15. p. 451 a. 2, 5. p. 269 3. 7. p. 283 a. verſ. 23. p. 284 a.

I. JOHANNIS

2, 13. p. 186 a.

JUDAS

verſ. 14. p. 250 a, b.

APOCALYPSIS

3, 7. p. 244 a. 4, 3. p. 299 b. 5, 5. p. 869 1 889 b. 6, 10. p. 217 b. 10, 1. p. 299 b. 11, 3 p. 249 a, & b. verſ. 4. p. 249 b. verſ. 7. ibid. & p. 250 a.

FINIS.

Emendanda.

Pag. 3 b, *lege* בתחלה. p.7 a, *l.* אלהים. p.15 b, *l.* כבוד *kabod.* p.19 b, *l* creatur. p.38 b, *l.* ילין. p.52 a, *l.* יברך. p.59 a, *l.* tſebi. p.64 a, *l.* טובה. p.66 b, *l.* ἠελίοιο. p.73 a, *l.* ארברה. ibid. *l.* אלהים. p.74 b, *l.* extendi ſe. p.78 a, *l.* editionis. p.90 a, *l.* hunc, p. 100 b, *l.* παναρμονίᾳ. p.105 a, Eccleſ.2. *l.* 12. p.119 a, *l.* quidlibet. ibid. *l.* cognitурus. p.129. ſ.c. כנגדו cenegdo. p.131 a, *l.* πρᾶγμα. p.142 a, *l.* eandem. p.165. ſ.c. poſt *corporeis* adde *non.* p.166 a, *l.* ſecundi. p.195 a, *l.* quæ. p.195 b, *l.* falluntur. p.204 a, *l.* ablatam. p.207. b. *l.* כרוב. p.213 b. *l.* quas. p.217 b, *l.* quoddam. p.220 a, *l.* conſummaverat. p.230 a, *l.* opificii. p.235 a, *l.* argumentum. p.238 b. *l.* Serarius. p.239 b. *l.* 31. p.246 *l.* quem. p.256 a. *l.* prou. p.262 a, *l.* diſpoſitionẽ. p.266 a, *l.* corruperant. p.267 a. *l.* finis. p.267 b, *l.* vita. p.278 b. *l.* 13. p.281 a, *l.* 26. p.281 b, *l.* 1 Pet. 2. p. 293 b, effuderunt. p. 298 b. *l.* 2. p.31. b, *l.* manifeſtatum. p.320 b. *l.* c.2. ỽ.23. p.341 a, ỽ. 58, *l.* 38. p.343 b, *l.* homini. p.366 a, *l.* occurrat. p.372 b, *l.* præſtare. p. 375 a, *l.* finem. p.378 b, *l.* ingredi. p.388 b, *l.* Abrahamo. p.392 a, *l.* quali metu. p.412 a, *l.* agendum. p.475 a, *l.* ipſis. p.487 a, *l.* Saram. p.391 a, *l.* dicatur. p.519. *l.* explicatur locus Hebr.12, pro 11. p.551, b. *l.* ſincero. p.554 a, *l.* עחר. p.569 a, *l.* ציר. p.586 a, *l.* Iacobum. p.593 b, *l.* 5. Iſaacum. p.603 a, *l.* modò eandem. ibid. *l.* in quam. p.617 b, ~~*l.* dimoſtrerà. p. 623 a, *l.* אחרים.~~ p.625 b. *l.* אנשי. p.626 a, *l.* היא לאה. p.627 b. *l.* יעקב כן. p.630 b. *l.* בעוני. & 12. à fin. *l.* beoni. ~~p.637 a, *l.* אמתה.~~ p.641 a, *l.* plures, & b. לאו. quod ſcriptum eſt in principio ſententiæ lege in fine. p.667 a, *l.* זבח. ibid. *l.* ותזבחהו. ibid. b. *l.* זבח. pag. 669, *l.* CAPITE. p.673, *l* XVIII. pag.690, *l.* neceſſe. 688, *l.* בשיטה. p. 692, *l.* XXXVII. p. 789, *l.* aſcendi. p. 720, *l.* נפש. p. 730, *l.* ſcheol. p. 779, *l.* 769. 748, b. *l.* chere. p.758 a, *l.* memento. ibid. b. *l.* fut. pag.779. b. *l.* ſcheſch. p. 780 b, *l.* אב. p. 781 a; nulla. pag.804 a, *l.* מבות. p. 811 a, *l.* compellaret. p.812 a, *l.* עליו. p.816 b, *l.* volui. p. 826 b, *l.* כליכם. 828 b, *l.* ארך. p. 833 a, *& nefas* dele, &

Reliqua ſi quæ ſint, æquus lector per ſe facile emendabit.


F
G
L
K
P
G
G
G



A
B
C
D
G
H
Z
M
I
L

5/2/36